L: p. 14.   T T p 8

L. p. 14

R. P. VINCENTII
HOUDRY
E SOCIETATE JESU
BIBLIOTHECA
CONCIONATORUM
MORALIS EVANGELICA,

Ethices Christianæ præcipua continens argumenta; ordine Alphabetico digesta, & Supplementis suo loco positis adaucta:

è Gallico sermone in Latinum translata.

EDITIO NOVISSIMA, cui nunc primum adjectus est TOMUS POSTREMUS continens duas Tabulas, seu duplices Sermonum, Argumentorumque Adumbrationes, quæ usum Operis universi faciliorem efficient.

TOMUS PRIMUS.

A—D






VENETIIS, MDCCLXI.

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.



PRÆFATIO.



CUM christiana religio verbo Dei acceptam referre debeat institutionem suam, nullus ambigendi locus superest, quin ad eamdem tuendam, latiusque fines illius protendendos divinum idem verbum requiratur, quo populis & fidei veritas, & Evangelii præcepta tradantur. Attamen inter Apostolos, qui primi infidelibus prædicarunt, ac ministros Domini, qui hodie fidelibus divinas leges annuntiant, illud interesse discriminis affirmari potest, quod Apostoli quidem una cum missione scientiam omnem, quæ ad creditum sibi munus rite obeundum requirebatur, acceperant; oratores vero evangelici eamdem prolixis laboribus sibi comparare tenentur, atque ad provinciam illam cum laude procurandam sese disponere primum quidem precibus, mox etiam jugi, assiduoque studio, quo conciones suas meditentur, diligentior lima perficiant, atque, si opus fuerit, ad incudem revocent, illas hujus sæculi genio accommodaturi: quæ res plurimos deterruit viros alioquin zelo, ingenio, cæterisque dotibus abunde præditos, quæ necessariæ ducuntur, ut quis cum laude, atque fructu hoc tanto munere perfungatur. Fatendum enim aliquando est, eam difficultatem, quæ permultos sæpe ab hoc dicendi studio avocavit, hodie ob auditorum difficile ingenium ad summum percrebuisse, ita ut infiniti propemodum operis sit hujus artis perfectionem attingere, ubi non minus arduum est enitescere, quam in profana eloquentia, in qua olim ex sæculorum numero perfectorum oratorum numerus censebatur. Nunc autem cum adinventa ratio fuerit non perficiendi solum quaslibet artes, ac scientias, verum etiam ad illas sternendi viam breviorem, facilioremque, opem ferente eorum labore, atque industria, qui easdem complanarunt, atque aperuerunt, cumque hoc pacto imminutus fuerit aliis studiorum labor, atque diuturnitas; de illis tamen, qui operam suam navarunt, ut aliquam facilitatem afferrent concionaturis, (quorum munus adeo utile, vel necessarium potius est religioni christianæ) nonne dici potest, quod de iis prædicatur, qui cæteras artes in majorem facilitatem, lucemque vocarunt; hos videlicet eorum gloriæ participes esse, qui primi artes easdem invenerunt, atque excoluerunt?

Hoc autem novissimis hisce temporibus quidam, id vero multiplici ratione, præstare conati sunt: alii enim in lucem edidere conciones summa elaboratas industria, quæ tanquam præclara haberi possunt exempla; alii vero tyronibus rerum copiam suppeditarunt, Bibliorum, Sanctorumque Patrum locos simul congerentes, quod profecto subsidium est non contemnendum: alii sermonum texturas, ac lineamenta quædam proposuerunt, quæ quilibet pro modulo suo repleret, atque exornaret indicatis vestigiis insistens; alii denique communium locorum ingentia edidere volumina, ubi in singula argumenta quidquid apud sacros, profanosque auctores legerant, collegerantque, & quæcumque in oratione sacra locum habere posse videbantur, sedulo congessere. Hic sane labor insignem laudem meretur, quippe maxima inde emanat utilitas, quandoquidem concionaturis & tempus, & laborem imminuit. Verumtamen cum singulis propemodum sæculis prædicandi ratio alia fuerit, atque alia; hæc omnia subsidia, quibus majores nostri utiliter adeo usi sunt ævo suo, nullius ferme sunt utilitatis hoc tempore, in Gallia vero præsertim, ubi concionum elucubrandarum ratio ita prorsus immutata est, ut si omnino alia ab ea, quæ ante annos quinquaginta consueverat: Ut igitur susceptum munus aggrediar, operæ me pretium facturum puto, si statim operis totius specimen proposuero; mox vero tradidero, quomodo utendum sit, & quænam inde percipi possit utilitas; ac demum singillatim diluero, quæcumque in singulas partes objici posse videantur.

Cum jam edidissem conciones aliquot in omnia Ethicæ christianæ argumenta, hanc mihi provinciam susceperam, ut amplissimam, locupletissimamque colligerem earum rerum congeriem, quæ de suggestu prædicari possent hodierno concionandi stylo accommodatam. Hoc opus eo concionatoribus acceptius esse debet, quod ad hanc usque diem nihil tale extitit, unde tamquam ex generali, uberrimoque fonte haurire possent ea, quæ ad conciones elaborandas prodessent, & quibus illi uterentur, qui vel concionandi munere jam perfunguntur, vel ad stadium hoc percurrendum vocantur. Re quidem vera ex illis, qui tanti operis, laborisque curriculum ingrediuntur, quidam zelo fervent; verum cum in ipsis necessaria scientia desideretur, gradum sistere coguntur: alii egregias quidem dotes, ut hoc munere cum laude perfungantur, a

natura sortiti sunt, ingenium, ardorem, firma latera, vocem, sed aliis vacantes negotiis carent tempore, & commodo conciones suas præparandi, authographos consulendi, celeberrimos concionatores audiendi, ut ad eorum exemplar erudiantur. Et sane quodnam satis felix ingenium marte suo invenire potest ea omnia, quæ ad prolixas, solidasque conciones elaborandas in tot, ac tam variis argumentis requiruntur? Non desunt, qui egregiam se navasse operam putent, si sermo sit politus, atque calamistratus; si verba exquisita, ac sonantia, academicas quæstiones potius, quam suggestum redolentia; quin illud sibi negotium facessat, utrum concio ad erudiendum sit satis apta, utrum validis argumentis, iisque apte suo loco dispositis suffulta, atque ut verbo me expediam, utrum sit ad animos auditorum persuadendos, atque movendos idonea. Alios curam, laboremque perosos non pudet alienas recitare conciones, minime veritos, ne plagiarii nota suo nomini inuratur, ita ut labore contenti memoriter ediscendi, ac recitandi, quæ ab amanuensibus, vel ab iis, qui concionum a se compositarum mercaturam exercent, emerunt, præclarum laborum suorum fructum se nactos putant, ubi minimo sumptu eam celebritatem, & gloriam acquirunt, quam concionatores, qui multis vigiliis, atque sudoribus opus suum ad incudem perfecerunt, vix adipiscuntur. Itaque neque oleum, neque operam me putavi amissurum, si primis quidem ea suppeditarem, quæ eorum captui, studiisque supplerent; secundis, si tempori ab illis in aliis negotiis transigendo consulerem; tertiis, si depravata eorum studia redarguerem; novissimis tandem si curam, laboremque iisdem imminuens negligentiam ipsorum excuterem, & ad agendum ipsorum animos excitarem. Propositum vero finem me consecuturum arbitratus sum: si in quibuslibet Ethicæ christianæ argumentis materiam ad conciones perficiendas, elaborandasque suppeditarem, qui aliis hoc unum laboris relinquerem, ut hæc mea collectanea summa industria, ac labore parata, quatuor enim, iisque ingentibus voluminibus continentur, adirent, atque consulerent. Ubi hoc opus absolvero, mens est, si Deus adsit, atque ætas, jam senio proxima, tantum vitæ, ac valetudinis permiserit, ut immensi operis exitum videre possim, ad præcipuos Panegyricos elaborandos eadem ratione supellectilem locupletissimam in medium afferre.

Hoc opus inscripsi, *Bibliotheca Prædicatorum:* non quod magnificum hunc titulum affectaverim, ut illud a *Locis* distinguam *communibus*, & *Collectaneis*, quæ ad curam fontium adeundorum imminuendam congesta fuere: sed quod reipsa hic titulus unus omnium maxime idoneus quamplurimis visus est ad operis usum, atque utilitatem indigitandam; potest enim unum hoc esse Bibliothecæ loco Prædicatori, qui illius subsidio adjutus reliquis carere poterit. Primo enim multas continet concionum ideas in singula argumenta pertractandas; in quarum copia difficile puto nequaquam inveniri posse, quæ arrideat; præterquamquod aliæ etiam ex ipsis adhiberi poterunt tamquam probationes, rationes, & divisiones ad eam, quæ electa fuerit, explendam, vel ad eam, quæ ex allatarum idearum monitu oborta fuerit, pertractandam, atque amplificandam. Secundo: cum Scriptura præcipuum sit fundamentum, cui præsertim inniti oportet argumenta a concionatoribus afferenda, inde expromuntur loci ad probandum maxime idonei, necnon ex veteri, novoque testamento afferuntur exempla, & aliquorum locorum applicationes, quæ concioni, quæ omnino christiana esse debet, decorem, atque amplitudinem præbeant. Tertio: his adnectimus Patrum sententias, locosque, ut iis, quæ dicta fuerint, hinc accedere possit auctoritas; immo alios indicamus libros, atque auctores, qui illud ipsum argumentum pertractarunt, diligentius consulendos, ubi operæ pretium censuerint. Quarto, in compendium Theologorum sententiæ proferuntur in medium; etenim concioni succus, ac nervi deesse non possunt, ubi argumentis ex Theologiæ penu depromptis, atque oratorio stylo elaboratis fulciatur. Quinto demum delecti proponuntur ad imitandum loci, iique satis extensi, ex Asceticis, Neotericisque concionatoribus desumpti. Hoc, mea quidem sententia, illud est potissimum subsidium, quod expetere possit prædicator juxta hujus temporis consuetudinem concionaturus; ideoque minime reor nimis speciosum huic Operi titulum apposuisse, illud *Prædicatorum Bibliothecam* appellans; metuendum immo mihi potius est, ne hunc ex aliis, qui ante me eodem, atque in simili re usi sunt, videar mutuatus fuisse; sed cum ordinis ratio, methodusque materiam instruendi, ac ordinandi omnino peculiaris sit, hæc mea semper erit propria, omnibusque singularis videbitur.

Quod spectat ad operis elucubrationem alphabeticum ordinem secutus sum tamquam faciliorem, commodioremque; & quoniam argumentorum, quæ de suggestu pertractantur, multitudo me impulisset, ut in totidem titulos opus dividerem, illos in centuriam, vel ad summum ad centum, ac viginti redigere conatus sum, sive virtutes, oppositaque his vitia, puta *Humilitatem*, & *Superbiam* simul conjungens, sive ad eumdem titulum ea revocans, quæ inter se non admodum distant, veluti *Invidiam*, & *Zelotypiam*; sive demum ea simul pertractans, quæ licet prorsus differant, aliqua tamen ratione, & vinculo connectuntur, uti Blasphemia, & Juramentum. Hoc pacto quam paucissima argumenta me fefellisse comperies, & quamvis obiter, ac per transennam aliquod a me pertractetur argumentum, satis tamen superque copiæ invenire poteris, ut concio ad justam usque mensuram amplificetur. Verum quoniam hoc in ordine confusio quædam suboriri, & in argumentis secernendis difficultas posset occurrere, cuilibet titulo singula præposuimus monita, ubi explicite, quæ fuerit in eo pertractando mens nostra, & qua de re ibi agatur seorsim ab aliis argumentis, quæ cum proposito rationem aliquam habere videri possunt, significatur. Fateor equidem, nihil mihi magis crucem fixisse, quam hanc generalium titulorum, ac quos reliqui referendi essent, electionem; nam hinc quidem magis obvia eligenda fuerunt argumenta,

quæ

quæ juxta alphabeticum ordinem sese primum offerunt menti; inde vero adnitendum, ut omnia volumina ad parem ferme molis magnitudinem crescerent. Ad hanc autem proportionem servandam, nemo non videt, multum mihi elaborandum fuisse, ut titulos omnes ita in ordinem cogerem, ut quilibet eo in loco, ubi collocandus erat, reperiretur; qui tamen nisi statim occurrat, tabula erit consulenda, quæ ad præcipuum titulum remitter, ubi, quod quæritur, satis ample tractatum invenietur.

Hæc ea sunt, quæ ad operis consilium, atque ordinem spectant. Verum quo facilius est usum concipere, in quem concionatores hoc opus convertere possunt, eamque intelligere utilitatem, quam uberrimam inde percipient; eo difficilius est mortalium omnium ingeniis placere, easque superare difficultates, quæ sese mihi obtulerunt, ut ab operis editione deterrerer. Cui bono, ajebant nonnulli, idque serio, cui bono prædicationem adeo communem efficere, ad eam cuique facillimum aditum aperiendo? Quot imperiti adolescentes, illitterati, memoriæ paulum, temeritatis vero multum afferentes hac ope suggestum ascendent, eamque sibi provinciam vindicabunt, quæ tantum ingenii requirit, & in qua alii tantum temporis, laborisque impenderunt? Hi cum eruditissimo quoque de vera concionandi gloria disceptabunt: numquid vulgus indoctum, cujus pars maxima in concione sedet: potest ferre judicium, utrum triduanus orator suo marte ea afferat omnia, quæ profert? Qui modico pollet ingenio, nonne discerpta concionum membra adeo belle, & eleganter connectere potest; ut ipsis etiam oratoribus fucum faciat, & suis auditoribus imponat, qui rerum, quas audiunt, elegantiæ acquiescentes, id unum quærunt, utrum, quæ afferuntur, sint bona, præsertim vero cum difficile intelligi possit, utrum sint hinc inde petita, si graphice, atque opportune fuerint colligata, atque connexa? Ad hæc nonne hoc pacto foves multorum inertiam, qui sese prodere festinantes, ac priusquam didicerint, docere gestientes, repente sese tanquam doctores, theologos, atque ejus scientiæ magistros, cujus vix discipuli esse possunt, venditabunt? Denique nonne hæc ratio est sexcentis Ecclesiasticis adolescentibus ansam tribuendi, ut incuriosam, inertemque vitam traducant, ac hujus operis subsidio eruditorum, atque supra ætatem sapientium auram aucupentur? Profecto, si huic objectioni species aliqua veritatis, vel sani sensus inest, in jus omnes illi sunt accersendi, qui ceterarum artium faciliorem usum efficere conati sunt, atque exprobrandi, qui rati se de re publica meritos fuisse perquam bene, illi potius attulere perniciem, eo quod aliorum laboribus pepercerunt, qui ex eorum studiis, vigiliisque tantum utilitatis hauserunt. Arguendum igitur erit, ab ipsa adolescentia manus admovere difficilis provinciæ exercitationi, ineptum esse concilium, ut quis in eo munere perficiatur. Inferendum erit, causam esse, ut alii jacturam temporis faciant, illum, qui laborem imminuit sexcentos auctores adeundi, & ibi ea quærendi, quæ plerumque non inveniuntur. Afferendum tandem erit, ut Dei verbum ubique prædicetur, non postremum hoc esse consilium, si Evangelicorum præconum numerus imminuatur; quandoquidem illi perstringuntur, atque damnantur, qui opellam suam navant, ut sacrorum oratorum augeatur frequentia, eisque faciliorem aperiunt viam, ut citius propositum sibi finem consequantur. Hoccine igitur negligentiam fovere tot pastorum, missionariorum, ferventiumque Ecclesiasticorum, qui confessionibus excipiendis, aliisque optimis operibus obeundis occupati præ temporis angustia conciones suas præparare non possunt, illis ferre opem, ut munus hoc cum aliis conjungant, atque citra tot præparationum labores, ac moras Dei verbum annuncient? At enim hinc Dei verbum nimis vulgabitur, atque commune fiet, & plures hoc sibi ministerium vendicandi occasionem arripient? Verum iis, qui hæc loquuntur, nonne id reddi potest, quod Moyses olim enixius flagitantibus, ut prohiberet, ne illi, in quos Spiritus Dei descenderat, ut ipse, Dei mandata annuntiarent, *Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum?* Num. 7. Nonne ad majorem Ecclesiæ, atque religionis utilitatem optatius esset, ut omnes Evangelii veritates promulgarent? Qui vero præbet adminicula, quibus illi suppleatur scientiæ, atque studio, quæ ad id maxime requiruntur, nonne eorum zelo velificatur, qui ad præstantissimum hoc munus divinitus evocantur? Unam Dei gloriam in ministerio adeo sancto perquirimus, & cum summo ille Legislatore ex animo cuperemus, ut omnes prophetarent, illi saltem super quos fieret spiritus Domini. Verum hic metus, præterquamquod injustus est, non satis validis rationibus innititur. Eruditi quippe concionatores, atque in hoc dicendi genere exculti satis se produnt, & sicubi alienis utuntur inventis, ea ita applicant, ita exornant, ita distribuunt, ut satis liqueat, egregium artificem majorem semper addere perfectionem materiæ illi, quam elaborat. Adde his, si lubet, collectionem hanc licet omnibus utilis esse possit concionatoribus, in eorum tamen gratiam fuisse concinnatam, quibus non satis scientiæ, studiique suppetit, ut citra alienam opem hoc munere valeant perfungi.

Præter hanc objectionem, quæ generatim ad opus universum pertinet, aliæ plures æquius in singulas partes, in quemlibet nempe paragraphum proponuntur. In primum quidem multiplicem sermonum synopsin in dato argumento continentem; nonne satius fuisset, ajunt, tria tantum, vel quatuor ad summum concionum systemata adferre cum divisionibus, ac subdivisionibus suis, quam majorem afferre numerum, ubi evitari non potest, quominus alia in aliis reperiantur, & sæpe nonnisi varius verborum circuitus adhibeatur, ut veritas eadem latius proferatur, majoremque in lucem vocetur? Fateor quidem, has concionum texturas meliores futuras, ac minori cum labore adimplendas, quod consilium statim quidem cogitanti mihi obvium occurrit, verum cum ex plurimis concionatoribus idem argumentum pertractantibus raro contingat, ut duo in omnino eamdem cogitationem, eamdemqne divisionem concurrant, operæ me facturum pretium arbitratus sum, si postquam unam, alteramve ex hujusmodi structuris concionum fatius extendero, deinde plures subjiciam generali, succinctaque divisione contentus, ad quas exornandas ex sequentibus capitibus satis copiæ suppetere valeat: præterquamquod hoc pacto aliorum men-

res excitamus ad nova concionum systemata excogitanda, si quis propria præferre mallet inventa; vel ad duas, tresve simul ex allatis partitionibus conjungendas, si una tantum nimium sterilis videretur.

Quod ad alterum paragraphum pertinet, qui satis amplam auctorum continet nomenclaturam, qui in propositum argumentum elaborarunt, sanctos videlicet Patres, Asceticos libros, concionatores neotericos, & eos, qui ingentem ejusdem materiæ supellectilem compararunt, ea, quæ ab aliis dicta fuerunt, colligentes: quamvis fortasse pluribus in rebus defecerim, meminerint tamen lectores, quidnam mihi proposuerim, cum hoc immensi laboris opus suscepi, quin aliquod exemplar ab oculos meos versaretur; ac deinde cogitent rationem, qua susceptum opus explevi, quin aliter facere possem: hæc enim quædam erit veluti generalis responsio ad ea, quæ objici possunt; plura enim occurrunt objicienda, ubi res non practice, sed theoretice solum consideratur. Primum quidem objici potest, sanctos Patres servato temporis, quo vixerunt, ordine in medium fuisse afferendos, quippe S. Augustinum ante S. Cyprianum collocare, & Origeni, ac Tertulliano S. Hieronymum præponere, incuriæ saltem vitium est, quod statim agnoscitur, & quod levi negotio corrigi, vel evitari potuisset. Hoc quidem patere videtur: verum antequam ostendam, quænam hac in re fuisset difficultas futura, quid quæso hoc ad concionatores pertinet, in quorum gratiam, atque utilitatem catalogus hic instituitur, utrum hic, vel ille pater prior, vel posterior afferatur? Numquid de aliquo hic Chronologiæ puncto res est? Prædicatores ipsi cum sanctorum Patrum afferunt testimonia hunccine ordinem servant? & dummodo locum, vel auctoritatem inveniant, qua suam sententiam confirment; nonne hoc unice quærunt, quin de hujus, vel alterius prioritate laborent; nisi fortasse quædam agatur controversia, vel traditio, ubi temporis antiquitas posset argumenti locum obtinere? Ad hæc videmusne eos, qui eorumdem sanctorum Patrum sententias, locosque in quodlibet argumentum collegere, puta Granatensem, Busæum, Peraldum, Joannem Lopez, Dandinum, aliosque complures hoc sibi religioni vertisse? Hi quidem auctorum attulere nomina nulla habita ratione vel temporum, de quibus non quæritur, vel ordinis, quem obtinent, vel auctoritatis, quam majoris, minorisve ponderis habent in ecclesia. Attulerunt illi, quod & ipse præstiti, auctores, locos, facta, prout sese ipsis offerebant, vel prout in ipso fonte legentibus occurrebant, & hac una in re omnem operam, curamque suam collocarunt, ut nihil scriptis suis insererent, quod non apte proposito conduceret. Neque in eo immoratus sum, ut auctores ipsos ex sua quemque professione cognoscendos proponerem; illos enim ex nomine tantum, operibusque indigitavi, ne sæpius repetens cujus vel ordinis essent, vel professionis, innuere velle viderer in hac potius, quam in alia plures excelluisse in concionibus elaborandis, quæ res conflare scribenti posset invidiam; dum e contra illos ex nomine, vel operum titulo designans ratus sum omnem a me inanis curæ captandæ suspicionem, quæ semper abfuit, longius abfuturam. Secundo quamplures ignotos libros memoravi, immo nonnullos, qui in lucem emissi non satis benigne excepti fuere: qua in re me quispiam forte improbabit, eos tantum in medium afferendos esse contendens, qui in genere suo cohortem ducerent, vel eos saltem, qui optimi haberentur, & vocarentur. Id si fecissem, majorem procul dubio operi meo brevitatem comparassem; verum non satis locupletem rerum supellectilem instruere potuissem, quod unice mihi proposueram; præterquamquod pauci sunt ascetici libri, unde non aliquid notandum, atque in finem meum perutile possit hauriri. Cur ergo, quin ea improbentur, quæ ibidem improbanda inveniuntur, iis uti nefas sit, quæ illic optima occurrunt? Tertio nonnumquam etiam anonymos, & manuscriptos libros protuli, quorum auctores me latent, vel quorum nomina palam proferre non licuit, quandoquidem id unum animo meo est obversatum, ut scilicet concionandi ministerio facilitatem quam maximam conciliarem, quin eorum gloriæ consulerem, ex quibus rerum copiam deprompsi. Quod ad illos attinet, qui operibus suis nomen proprium noluerunt affigi; quemadmodum illi ipsi censuere operam suam legentibus nihilominus utilem futuram, hoc satis est, ut mihi iisdem utendi facultatem tribuerent. Quarto, fateor tamen de industria me aliquorum nomina reticuisse; cum enim eorum scripta apud mortalium existimationem laborent, nomini quoque meo obfutura fuissent, & operi notam aliquam inustura. Quod si eadem de causa quis mihi objecerit, nequaquam depromendos fuisse ex illis fontibus eos locos, qui ciere possent desiderium & auctores ipsos cognoscendi, perlegendique, non sine periculo gradum faciendi ab auctorum existimatione ad existimationem doctrinæ, quis mihi vitio vertet, quod Tabernaculum Ægyptiis manubiis exornare fuerim conatus? Ne autem aliquis eorumdem erroribus inquinetur, nonne satis cautum est, cum auctores ipsos ignotos reliquimus? Sin autem hac ipsa regula usus non sum cum aliquibus, qui aliqua erroris, ac novitatis suspicione minime carent; credidi, cum nulla notati essent censura, vel interdicto, cumque alioquin præ omnium fere concionatorum manibus terantur, me & occasionem auferre inde ea, quæ sunt mala, eligendi, & eorumdem percurrendorum laborem aliis evitare, & illis, qui hæc qualiacumque collectanea mea legerint, hanc voluptatem afferre, quod nihil non orthodoxum invenire possint, ac inoffenso pede percurrendum. Quinto injustitiæ nomine me redarguent ob Asceticorum, aliorumque librorum electionem, qui ea pertractant argumenta, de quibus loquar; quod scilicet plures prætermiserim, qui minime iis cedunt, qui a me cum laude afferuntur, & qui longe plurima, eaque optima ad conciones exornandas poterant suppeditare. Quid huic respondeam objectioni, nisi quod cum hujusmodi librorum numerus, quorum in singulos dies novi quidam prodeunt, fere sit infinitus, omnes non potuerunt afferri, ac illis tantum usus sum, quos invenire licuit, & qui ad meam usque cognitionem pervenerunt; atque eos præ cæteris optavi, qui singulares in aliquod argumentum tractatus edidere; hi quippe ea de re fusius locuti sunt, remque ipsam intus, ut ajunt, & in cute explorarunt, & quidquid ab aliis per occasionem, ac transennam allatum est, ad

exa-

examen vocarunt, & collegerunt. Illis enim tantummodo usi sumus, qui gallice scripserunt, cum enim gallice concionaturis hoc præsertim opus consulere cupiebamus, cumque inde rerum seges invenire licuerit, quæ pluribus concionibus elaborandis satis esse visa est, non opus fuit, alios auctores adire, qui alio idiomate elucubrati sunt. Hæc autem fortasse non contemnenda esset idea, si quis nationis alterius eruditus vir, ut gentis suæ concionatoribus similem suppeditaret dicendi copiam, eademque insistens via eos proferret auctores, qui vernaculo sermone eadem argumenta tractarunt. Ipse ego novi, eam concionandi rationem, quæ viget in Gallia exteris nequaquam displicere, & longe plures sese eidem accommodare, gallicumque sermonem ediscere, ut id facilius assequantur.

Circa eos sanctorum Patrum locos, quos quarto Paragrapho attulimus, si quis objecerit, quod non satis per extensum fuerint exscripti, quemadmodum plurimi auctores fecerunt, qui librorum suorum margines longis citationibus repleverunt, quas nonnumquam textui ipsi inseruerunt characterum varietate notatas; hoc operæ futurum fuisse pretium ducerem, si de aliquo doctrinæ articulo, vel de controversia ageretur, ubi auctoris sententia colligitur ex iis, quæ allatum locum vel præcedunt, vel consequuntur; sed hoc nullius utilitatis futurum fuisse puto concionatoribus, qui brevioribus indigent sententiis, quibus aliquid singulare, & nitens vel in sensu, vel in verbis adsit, sive ad ea, quæ dicunt, confirmanda, sive ad conciones suas exornandas. Præterquamquod nimium excrevissent volumina ejus operis, quod jam satis amplum est, ac rebus magis necessariis refertum. Sufficit ergo sanctorum Patrum, aliorumque auctorum locos iis indicasse, qui eosdem in ipso fonte conferre voluerint.

Quod ad quintum Paragraphum attinet ea continentem, quæ ex Theologiæ penu depromi possunt ad propositum argumentum fusius pertractandum, ut eas omnes difficultates, quæ in hac re possent occurrere, omnino tollamus, considerandum est, hic nos loqui de Theologia suggestui accommodata, non de abstracta, atque contentiosa Theologia, quæ traditur in scholis. Itaque quin in controversis opinionibus in alterutram partem concedimus, constantia, & generalia traduntur principia ab omnibus doctoribus probata, quæ pro virili iis explanare argumentis adnitimur, quæ extra vulgi captum non sint, & potius concionatoris, quam theologi more. Ideo unum D. Thomam in medium attuli, quippe cujus doctrina in rem nostram magis futura visa est; horum enim temporum consuetudo, ac ratio non sinunt, ut alii citentur, quorum sensus colligere, & afferre suppresso nomine satis fuit.

Hic mihi reliquum est, ut Lectori meo faciam satis circa ea, quæ ad postremum attinent Paragraphum reliquis omnibus simul sumptis plerumque fusiorem, ac prolixiorem. Continet autem delectos Asceticorum, neotericorumque concionatorum locos, hoc est excerpta quædam, quæ concionatoribus vel pro materia, vel pro exemplari esse possunt utilia. Qua in re animadvertendum est, 1. ut argumento, de quo agitur, accommodentur, necessario ex proprio loco fuisse divellenda; quod fieri minime potuit, quin aliqua vocula, vel aliquot etiam lineolæ adderentur, & locutiones nonnullæ immutarentur; non secus ac in quovis operum genere materia adhiberi nequit, quin disponatur, poliatur, aptetur; quod proculdubio in concionibus, aliisque sermonibus locum habere magis debet, cum ea, quæ ibi pertractantur, argumenta longe inter se differunt, ac distant. Exempli gratia, in quodam volumine de alia quappiam re pertractante insignis aliquis affulget locus, qui ad illud, quod præ manibus est, argumentum opportune traduci potest: hoccine fieri potest, quin verba, aut sensus aliquantulum inflectantur? Ita auctores, quorum loci a nobis afferentur, subirasci nobis minime debent, neque nos tamquam rerum suarum falsarios insimulare, si aliquot lineolas obtruncatas viderint, ut brevitati consuleretur; vel aliquot adjectas offenderint, ut ipsorum sententia majorem in lucem vocaretur; non enim ea nobis est mens, ut censoria nota aliquid expungere, aut castigare, sed imitari, atque egregium aliquem locum ex ipsis mutuari velimus; immo potius non injucundum illis accidere debet, eam mihi in eorum operibus facultatem usurpasse, quam & ipsi fortasse in alienis sibi vindicarunt. 2. Neque mirum esse debet, si omnes illi delecti loci non æque venusti sint, atque nitentes: persuasum enim omnibus est, ea quæcumque in sermone aliquo continentur, non esse ejusdem roboris, & venustatis, quemadmodum in tabula non omnes colores æqualiter nitent: quidam enim ibi obscuri ad umbras exprimendas, atque ut ex eorum oppositione alii magis effulgeant, requiruntur, & quodvis argumentum modo prorsus diverso pertractandum est, nisi forte rebus in omnibus characterem sublimem affectas. Respondere nihilominus possum, me nihil ex auctore quoppiam delegisse, ubi non inveniretur aliquid singulare seu propter sententiam, seu propter eamdem efferendi varietatem, leporemque, seu propter characterem egregie expressum; quod si non omnia ejusdem erunt speciei, ac dignitatis, nihil tamen humile inveniri, quod humi repat, ac orationi dedecus, ac vitium possit afferre. Neque negotium alicui facessere debet styli diversitas; hi enim loci ex variis auctoribus deprompti sunt, quorum singuli suam habent cogitandi, scribendique rationem. Illud autem a me evitari nullatenus potuit, quod videlicet quemadmodum auctores, ex quibus loci desumpti sunt, in eamdem sententiam concurrunt, ac verbis tantum differunt, iisque schematum lenociniis, quibus cuique illam placuit efferre; accidit nonnumquam, ut sententia eadem aliter, atque aliter expressa pluribus in paginis inveniatur. At enim nonne satius fuisset hæc omnia deinceps collocari, quin ita transferentur, vel eamdem sententiam semel tantum proferre? Id æquius futurum fuisse non diffiteor, at certe consilio meo minus aptum fuisset, quippe hoc mihi propositum est, ut non solum varias in idem argumentum sententias, verum etiam varias ejusdem sententiæ efferendæ rationes afferrem. Cæterum quantum legentibus nauseam movisset videre eodem in loco rem eamdem aliis aliisque verbis recoctam!

Unum tantummodo mihi reliquum est diluendum, in quo non satis video, qua ratione excusare me possim, nisi aperte fatear, mihi nequaquam felicius ingenium esse, neque in hoc scribendi genere magis exercitum, quam illis, qui ante me molam eamdem versarunt, qui sæpius lapsi sunt, ubi auctores, & eorum opera, ex quibus sua compilarant, citandi fuere. Diligentissimus quisque, & illi ipsi, qui optimorum criticorum laudem sunt nacti, decepti nonnunquam fuere, aliosque deceperunt, qui ipsos subsequuti sunt alium pro alio auctorem desumentes, vel sententiæ alicujus locum negligentius, ac falso notantes. Igitur me ipsum hoc errore non purgo, qui certe inevitabilis videbitur in tot auctorum collectione, tot operum citatione, ac tanta varietate, qua auctores opera sua diviserunt. Fierine posset, ut ne unus quidem error obrepsisset? Quid tamen hac in re ceperim consilii, nunc afferam. Quod ad Scripturæ locos pertinet, eos ad unguem protuli, & vario charactere notandos curavi; sicubi vero brevitatis gratia, vel ut sententiæ perspicuitati consulerem, ea quæ distabant, conjungenda fuere, atque aliter efferenda, margini quidem locum adscripsi, in contextu vero nullam characterum mutationem fieri volui. In locis vero sanctorum Patrum afferendis non adeo religiosus, & diligens fui; affirmare tamen audeo, ubi brevitatis ergo illos de verbo ad verbum exscribendos esse non censui, me tamen adnisum fuisse, ut hoc sine sententiarum detrimento efficeretur. Verum cum ea, quæ a me afferuntur, in ipso fonte lecta minime fuerint, loci illi, quos fidei auctorum, qui eos collegerant, innixus attuli, a me ad unguem descripti fuerunt; & fieri potest, ut editionum, & ordinis ipsius, quem interpretes, atque critici sanctorum Patrum operibus tribuerunt, quemadmodum S. Augustini, Ambrosii, aliorumque libris accidit, varietas efficiat, ut in eo, qui memoratur, loco minime inveniantur; qua in re tamen lectorem monitum volo, in collectaneis meis sanctorum Patrum locos juxta primævas, antiquasque editiones citari. Quod vero ad neotericos auctores spectat, ex quibus decerpsimus aliqua, pro certo haberi potest, illos in memoratis libris, & locis inventum iri, quamvis paulo immutatos propter eas rationes, quas superius attulimus. Operæ tamen pretium non duximus semper locum, caput, vel articulum proferre, ubi sunt inveniendi.



NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. Fra Serafino Maria Maccarinelli Inquisitor Generale del Santo Officio di Venezia, nel Libro intitolato: *Patris Vincentii Houdry e Societate Jesu Bibliotheca Concionatoria Moralis Evangelica, supplementis suo loco positis, adaucta: cui nunc primum adjectus est Tomus postremus, continens duas Tabulas, seu duplices Sermonum, Argumentorumque adumbrationes, quæ usum operis universi faciliorem efficiunt*; non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza, che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 10. Decembre 1761.

(Alvise Mocenigo 4.° Kav. Proc. Rifform.
(Polo Renier Rifform.

Registrato in Libro a Carte 109. al Num. 429.

Giacomo Zuccato Segr.

PRO-

PROLEGOMENON PRIMUM.

DE HODIERNA CONCIONANDI RATIONE.



Uantumvis incuriosius, & oscitantius advertatur animus ad eam concionandi rationem, quæ proximis hisce temporibus invaluit, innotescet facile, in omnibus fere ab ea discrepare, quæ elapsi sæculi initio obtinuerat, & quæ quinquaginta circiter ante hanc diem annis omnino ferme obsolevit. Quamobrem dicere audeo, si Dei verbum semper fuit idem cum propter eas, quas docet veritates, tum propter finem, quem sibi proponit, populorum videlicet instructionem, & conversionem animarum; hodie prorsus esse immutatum quoad formam, atque rationem illud enuntiandi; atque per varias quodammodo ætates traductum ad illum tandem perfectionis gradum pervenisse, quem admiramur, & qui a nobis pro virili tuendus est. Cum autem ego ipse viderim, immo etiam utrumque concionandi morem fuerim expertus; necnon variis subinde temporibus celeberrimos oratores audiverim; & ad hæc, meliorem vitæ meæ partem expenderim in iis legendis, & notandis, quæ aptiora arbitratus sum, ut ex hac divini verbi enuntiandi ratione fructus quam ubertimus perciperetur, operæ facturum me pretium ratus sum, si illis, qui hujusmodi sacris initiari cupiunt, quibus concionum elaborandarum ingentem hic materiam exhibeo, paucis etiam indigitarem formam, vel saltem ideam, quam ipse concepi de moralibus concionibus, quæ passim magis utiles, atque necessariæ censentur; quia recta ad conversionem morum, bonorumque operum exercitationem tendunt. Etenim, licet Deus ille sit, qui magnos hos in animabus operatur effectus, & gratia ejusdem eam imprimat vim, quam omnes simul rhetorum canones, & penitiora artis arcana producere nequeunt; attamen nihil oratori prætermittendum est, quo minus omnibus naturæ, atque artis subsidiis utatur, ut mentes quidem persuadeat, animos vero commoveat; qui finis est oratoris. Igitur tutæ, certæque ad magnum hunc assequendum effectum requiruntur regulæ; docet enim experientia, non semper concedere Deum peccatorum convertendorum gratiam illis, qui artem omnem contemnunt, & non præcepta, non ordinem in concionibus habendis tuentur. Quin autem verba faciam de qualitatibus, quæ in iis requiruntur, qui sanctum hoc ministerium cupiunt exercere; utque prætermittam ingenii vim, naturæque bona, quæ nihilominus in hoc munere obeundo principem habere locum, & summæ necessitatis esse videntur; ea leviter tantum attingam, quæ ad artem pertinent moralem, christianumque sermonem elaborandi, juxta præsentis temporis consuetudinem. Primum vero meum esse puto cum veteris, tum recentioris concionandi rationis obiter defectus notare; quin ideo ausim tot præstantissimos oratores perstringere, ac improbare, qui conciones suas in vulgus edidere, in quibus ea, quæ dicturus sum, animadverti. Hæc tamen in lucem prodire passus non essem, nisi viros doctissimos, disertissimosque consuluissem, quorum sententiam secutus sum.

Primum igitur fateor, jure optimo plurima ex veteri concionandi ratione fuisse antiquata, hodie meliorem methodum institui; æquius argui; ad propositum finem recta tendi; solidioribus principiis sacras orationes fulciri; argumenta melius deduci, ac illa, quæ auditorem utilius movere possint, eloquentius efferri. Verum dissimulare non possum, plurima mutata; vel amputata fuisse, unde sane magna verbo Dei ponderis fiebat accessio. Quidam Scripturæ loci pathetice prolati, atque explicati hodie obsolevetunt; neque proferuntur amplius varii illi sensus, quos sancti Patres illis tradiderunt; quæ res latissimum profecto sternebat campum, ut oratoris sese effunderet copia, & instrueretur auditor. Negare non ausim sensum aliquem hodie ornatius pertractari, ac veritatem aliquam majorem in lucem proferri, sed magna illa vis eloquentiæ, qua mentes rapiebantur, ac potentes illi motus, qui peccatorem sternebant, qua in re nonnulli præteriti temporis concionatores excellebant, non sunt amplius ita frequentes, quia non pertractantur amplius præcipue christianæ religionis veritates; sed ut novitate dicendi laus compararetur, nova quoque argumenta quæruntur, quæ occasionem quidem tribuunt eam moralis partem tractandi, quæ minus trita est, sed quæ minus est movendis animis apta.

Esto quidem ex concionibus aliquis fructus quæratur, neque nuperi veteribus zelo cedant concionatores: verum mihi persuadere non possum, uberioris fructus percipiendi rationem esse solemnioribus tantum festivitatibus, quibus maximorum religionis mysteriorum memoria recolitur, de his pauca facere verba in exordiis, reliquumque sermonem ad morum disciplinam convertere; ut qui sacro Dominicæ nativitatis, vel resurrectionis die de pœnitentia, & de morte in peccato loquuntur. Quod alia in occasione non inutile videretur, in hac absonum est. Plurimi etiam hodierna die illud audacter usurpasse videntur, quod olim tamquam perperam factum improbabatur; omnia videlicet argumentorum genera ad quodlibet evangelium trahunt, vel longis verborum ambagibus, vel ope violentæ alicujus sanctorum Patrum interpretationis. Sæpe animadverti, auditorem ægre pati eos, a quibus ita eluditur; & opus esse, ut aliquid ipsam expectationem superans inveniatur, ne oratori succenseat; auditor, qui tunc concionem disertissimam esse non negabit quidem, sed extra tempus, locumque irrupisse contendet. Et sane quantumvis bonus, scitusque sit aliquis sermo, tunc melior certe, & eloquentior videtur, cum opportune, & loco suo accidit; & quod tempori aptius, & accommodatius est argumentum, hoc etiam videtur acceptius.

Ut autem huc afferam meam de moralis concionis forma, & constructione sententiam, methodus vetustissima, & quæ diutissime in ecclesia viguit, est homilia, quæ mera est evangelii explicatio non alium ordinem, nexumque secuta, quam factorum, & dogmatum, quæ in ipso continentur evangelio. Hac sane methodo, quæ simplicissima habetur, omnes fere Patres sunt usi; neque dubitaverit quispiam unctionis plurimum eidem inesse, eamque ad pietatem ciendam, fovendamque videri accommodatissimam, cum magno sit ingenio elaborata, necnon ardentis zeli igne succensa. Methodum hanc hodie eruditi quidam viri excolnere, eique argumenti unitatem, ac probationes ad eumdem scopum collimantes non

ſine vulgatium concionum ornamentis addidere. Quibus hoc accidit, ut ita Evangelio ſua connectere poſſint argumenta, ibique rationes, ac probationes eorum, quæ confirmanda proponunt, invenire, hi profecto omne punctum ferunt: ſed cum hoc fortuito ſolum occurrat, neque certæ methodi hujus artes tradi queant, hæc argumenta felicia, fortunataque appello. Velle enim ſemper præſtantiſſimæ huic methodo hærere; hoc profecto eſſet vim inferre Evangelicis verbis ad argumentum propoſitum detorquendis, ac interim miſſas facere probationes magis obvias, ac faciles, quæ longe melius veritatem oſtendunt.

Si noſtris hiſce temporibus argumenti electione minus torquemur, quam olim; audeo tamen dicere, arctiores a nobis orationi cancellos conſtitui, atque abſcindi plurima, quæ olim in concionis partem acceſſiſſent. Satis enim eſt elapſi ſæculi fortuito ſermonum ſcriptores adire, ut primo ſtatim intuitu ſeſe legentibus offerant quamplurimi hiſtoriarum floſculi, prophanorum auctorum ſententiæ, populorum leges, & conſuetudines, rerum phyſicarum ſcitæ animadverſiones, quarum ſupellex nonnumquam omnem concionum probationem, ornatumque præbebat: atque tempus fuit, cum didiciſſe Plinium, atque Plutarchum, idem erat, ac ſummam ſacri oratoris laudem occupaſſe. Hodierna die ſuggeſtus chriſtiana religione dignior effectus eſt; & niſi inde omnigenæ eruditionis copia auditur amplius; eruditio tamen, quæ tantopere oſtentabatur, ad mores formandos minimum proderat. Jure ergo igni, & aqua interdictum eſt ſuperfluis id genus ornamentis; niſi forte obiter aliquid ex eo fonte delibetur; non enim hoc magis dedecere puto, quam elegantem afferre ſimilitudinem, atque diſertam allegoriam concinnare.

Vanæ huic ſcientiæ oſtentationi alia concionandi methodus ſucceſſit nihilo ſequior, & quæ nihilo ſecius de ſuggeſtu concionandi rationem corrupit; tunc enim verbo Dei ſubrogatæ fuerunt ſententiæ fallaci nitore commendatæ, atque ex longinquis regionibus in Galliam advectæ, quæ ſatis diu hic obtinuerunt. Hoc autem nomine appello applicationes verborum Spiritus Sancti, quæ ſine ulla auctoritate fiebant; Scripturæ locos in alium ſenſum detortos, ac locutiones emphatice prolatas, & ex auctoribus, quos ſæculi barbaries aliter loqui coegit, decerptas: adnitebantur enim concionatores ſententiarum earumdem niterem aſſequi, & aliquod acumen nanciſci in myſtico verborum ambitu, nihil ſæpe ſignificantium. Tandem aliquando optimo dicendi, ſciendique guſtu refloreſcente, videlicet cum in ſermonibus id quæri cœpit, quod ſolidum eſt, prior ille nitentium ſententiarum amor obſolevit; & hæc loquendi ratio maxime ſimplex ad ipſas etiam diviſiones ſeſe extendit, quæ non ſunt amplius, ut olim, adeo exquiſitæ, &, ut ita dicam, calamiſtratæ, ſed eorum, quæ dicenda ſunt, apertiorem adſtruunt ideam, ita ut inde æquiſſimum de ſermonis ſoliditate feratur judicium.

Hac naturali diviſione vetus concionandi ratio cœpit reformari; ſed evenit, ut qui methodi amantiores fuere, quique in ſermonibus magis diligentem ordinem ſequi voluere, confuſionem illis offuderunt, in tot partes dividentes, ac ſubdividentes membratim propoſitiones ſuas, ut ferme utilius fuiſſet nullam prorſus diviſionem afferre. Hæc etiam methodus e ſcholis accerſita, tanquam ſalebroſa nimis, atque impedita tandem exploſa fuit; neque enim ſatis amplum eloquentiæ campum præbebat, neque patiebatur, ut ſingulæ probationes in eam, quæ par erat, magnitudinem extenderentur, ne oratio in immenſum opus excreſceret. Generatim, hæc temporum noſtrorum concionatoribus laus eſt tribuenda, quod concionandi rationem eo provexerint, ut nulla in re elapſo concedat ſæculo, ſed illud in argumentorum delectu, concionum diſpoſitione, dicendique vi longiſſime ſuperet. Loquor autem de ea tantummodo perfectione, quam ars potuit comparare; naturæ enim bona, devotio, pathetica pronunciandi ratio, qualia in veteribus extiterint, a nobis exiſtimari non poſſunt, niſi ex fide illius celebritatis, quæ ad nos uſque deſcendit, & quam editi ab ipſis ſermones hodierna die tueri non poſſent: ægre enim illos etiam pati poſſumus, qui olim tanta cum laude, populorumque plauſu fuerunt excepti.

At ſeu hoc rerum omnium ſit fatum, ut cum ad extremum perfectionis apicem pervenerint, paullatim excidant; ſeu ab iis corrumpantur, qui eas longius provehere ſtudent: mea quidem fert opinio, ſacram eloquentiam jamjam in ſenium vergere, ac ſenſim interituram, niſi nonnullorum delicato nimis ingenio obices ſtatuantur. Hæc autem ea ſunt, quæ hac in re cenſui notanda.

Primum omnium qui ſermonem expolire nimium cupit, illi plurimum roboris, ac majeſtatis aufert, immo etiam quidquid in ipſo ad perſuadendum, movendumque eſt accommodatius. Incipit enim ſanctorum Patrum auctoritates abſcondere, latinos Scripturæ locos, Sanctorum facta, & exempla, atque argumenta latius paulo pertractata præterire, ut locus pateat morali meræ, quæ ſermonis, ac locutionum elegantia tantum ſuffulta, non alium obtinere poteſt effectum, quam ad breve tempus auditorum aures palpare, mentiſque aciem perſtringere; poſt quæ nihil reliquum ſupereſt, ajebat non ita pridem magnus quidam antiſtes, quam plauſus ille, veluti cum exquiſitiſſimos muſicarum fidium modulos excepimus; quam pulchrum! quam ſuave! ſed nihil ex iis, quæ audita ſunt, retinetur; levis enim eorum dumtaxat remanet idea. Ad hæc ne in ea incidat, quæ vulgaria ſunt, & communia, ſæpe inanes vitiorum umbras impugnat; penitiores humani cordis latebras, ſinuſque conſulit, ut ibi inveniat flagitia, & affectus, quorum effectus ſeſe extrinſecus minime produnt; atque ad ſciti moralis philoſophi auram captandam eos ſibi mores effingit, qui in uſu non ſunt; & publica inſectari vitia detrectat, ut particularibus hæreat, quorum eum characterem, cenſuramque comminiſcitur, qui ad pauciſſimos ſpectat. Non deſunt alii, qui ut ad magna ſeſe exemplaria componant, in populi cœtu ea dicunt, quæ in aula dicenda eſſent, quaſi mortales omnes iiſdem ſceleribus eſſent obnoxii, & potiſſimum concionatoris officium non eſſet morum doctrinam auditorum ſuorum qualitati, & captui accommodare. Si quæ in volumine aliquo edita eſt, probro huic non adeo patet; hanc tamen reor mortalibus omnibus eſſe debere communem, quia liber in manus mortalium omnium poteſt deferri.

Non ideo tamen omnem ſermonis elegantiam, ubi deſit adſectatio, neque morum hypotipoſin, quæ character vocatur, neque vitiorum cenſuram cenſeo proſcribendam: in iis enim exceſſus tantummodo damnandus eſt.

Injuria quoque cenſoria nota omnes morum deſcriptiones perſtringerentur; eæ quippe nimium ſunt neceſſariæ: ſed parcius adhibendæ ſunt, non autem, ubi quælibet ſeſe offerat occaſio, congerendæ. Hæc autem concionandi ratio ſatis diu ſummo cum plauſu excepta fuit, ut integri ſermones extiterint, qui nihil aliud præterea complectebantur. Hæc etiam paulatim obſolevit conſuetudo, atque intellectum eſt, antequam verit[illegible] aliqua ſolidis probaretur argumentis, charact[illegible]s & hos, qui opportune, importune ingeruntur [illegible]llus, invectivas, quibus libenter adhibet aures r[illegible] qui ſæpe anſam præbere malignis interpret[illegible], quæ res eas præſentibus, & abſentibus applica[illegible]toribus nonnumquam grave aliquod conc[illegible], ac tempus negotium faceſſit. Eorum profecto [illegible] cauſa detecta, impenderentur utilius, ſi mor[illegible] medi-

medicinam proponerent, atque ad eam amplectendam adhortarentur. Adde, has sæculi morum picturas, cum ad exiguum sane mortalium numerum spectent, quam primum exhauriri; quid enim inquient illi, qui hac insistunt via, post frequentes, prolixasque omnium statuum, omniumque conditionum inductiones, ut contra omnia scelera invehendi occasionem arripiant? Nonne hujusmodi concionatorum vicissim æquissimum characterem facere possemus, dicentes, duos, vel tres illis pulcherrimas esse conciones, ubi universam morum disciplinam complectuntur; sed quemadmodum eandem semper tundunt incudem, eademque mutatis tantum vocabulis recitant, ita satis esse bis, vel ter eos audivisse.

Non desunt alii, qui hunc evitaturi defectum in alium prorsus oppositum decidunt: adeo enim pauca tot verborum ambitu dicunt, ut auditoris mens inanis remaneat, postquam prolixam audiit concionem, quæ propositi argumenti summum, ut ita dicam, florem delibavit. Cum enim absoluta concione discedimus, neque magnum aliquem de' concionatoris ingenio conceptum imbibimus animo, neque vitæ rationem immutandi consilium inimus, nisi gratiæ virtus suppleat sermonis imbecillitati; quod nonnunquam ils prædicatoribus accidit, qui magna sanctitatis laude florebant. Sed extraordinarius hic effectus non expectatur ab illis, qui quin argumentum sibi propositum solide tractent, vel quin ea saltem dicant, quæ præcipua, & validiora sunt, exiles nullius momenti circumstantias consectantur, vel sermonem in duplicem, eamque satis levem considerationem partiuntur, quæ vim magnam obtinere non possunt.

Opus est ergo ad magnum hunc consequendum effectum tutos afferre canones, rectamque methodum instituere; docet enim experientia, Deum nequaquam semper conversionem concedere peccatorum illis, qui hæc negligunt, atque in sermonibus suis nullam methodum, nullasque regulas consectantur. Ut autem missa faciamus, quæcumque pertinent ad eas dispositiones, & qualitates, quæ in concionatore quæruntur, ut satis digne tanto munere perfungatur, utque de ingenio, aliisque naturæ bonis, quæ huic muneri obeundo necessaria sunt, ac primum obtinent locum verba facere prætermittamus; illud tantum attingam, quod ab arte pendet, & eloquentia, ut moralis concio, & christianus sermo habeatur.

Ex quo homiliarum usus fere penitus antiquatus est, quæ quidem concionandi ratio est vetustissima; subinde in sacros suggestus variæ invectæ sunt methodi, de quibus hactenus sermo; verum cum aliæ quidem parum solidæ, aliæ vero inutili, molestaque eruditione refertæ judicatæ fuerint; quædam etiam nimium theoreticæ, & aliæ denique nimis magnificæ, & menti oblectandæ, quam cordi movendo aptiores; rediit tandem nostra hæc ætas ad priscorum oratorum ingenium, atque intellexit, in eo positam esse veram eloquentiam, ut veritas aliqua solidis probetur argumentis, atque in lucem, quam meretur, naturalibus rationibus, & ex ipsa, de qua agitur, re petitis, afferatur. Et profecto inani labore alia tentabitur via, ut orator in auditorum animos irrepat, ibique, quod contendit, evincat. Ad hæc cum argumenta, de quibus ex suggestu sermo est habendus, maximæ sint necessitatis, ut quicumque audiunt illa, ibi suam nanciscantur utilitatem, atque dicenti latiorem eloquentiæ campum aperiant, nemo sanæ mentis objiciet, si veteres oratores imitati tutiorem sequamur methodum, eamque ad christianas veritates probandas aptiorem; quemadmodum nemini visum est nefas, quod veterum templa numinibus dicata in usus nostros fuerint conversa.

Verum quamquam ad veterum oratorum eloquentiam hac in re propius accessimus, & hæc ætas plurima eloquentiæ opera edidit veteribus minime posthabenda, negari profecto nequit, tantum adhuc discriminis interesse, sive argumenta, quæ pertractantur, sive ordo, ac dispositio, quæ servatur, seu finis propositus consideretur, ut dici vere possit hoc orationis genus omnino aliud esse, aliisque, quam Ciceronis, Fabiique præceptis indigere. Verum quidem est, pium, atque eruditissimum Ludovicum Granatensem, aliosque nonnullos ad artem, methodumque sacram redegisse eloquentiam, neque eas prætermisisse regulas, quæ magnæ esse possunt utilitatis; verum nunquam peculiaria quædam tetigerunt acu, ita ut animadversiones, quas afferam, non inutiles censeam futuras. Has autem ad tria potissimum capita redige, electionem videlicet, ac dispositionem argumenti in morali concione pertractandi; illud amplificandi, probandique rationem; ac tandem ad elocutionem, ac stylum in hujus generis orationibus adhibendum; quin de pronunciatione, ac gestu verba faciam, quæ satis omnibus comperta, explorataque sunt, & in quibus, quid novi afferam, mihi non suppetit.

Pro electione argumenti, quod in morali concione tractandum assumit orator, id intelligo; quod Rhetores propositionem, & partitionem appellant, vel divisionem sermonis in sua membra distribuendi, ut ille instituatur ordo, quem nos secuturos pollicemur, ut ad propositam metam deveniamus, & illuc deducamus auditorem; quod cuilibet orationum generi non commune solum, verum etiam est necessarium. Sed in morali sermone plurima sunt diligentius advertenda, quæ si desint, numquam justa erit oratio, neque plurimum afferet fructum.

Illud autem principem locum obtinere mihi videtur, si oratori tamquam præcipua regula traditur, ut ea dicat, quæ proposito argumento minime abludant, multo magis cavendum esse, ut ipsum quoque argumentum loco, ac tempori accidat opportunum: videlicet ne nimis longe ad proprium dici, vel temporis argumentum trahatur, ita ut fallat auditorem de hac, vel illa veritate verba sibi fieri expectantem. Alibi ostendi, hujusmodi importunas conciones, quæ auditorum expectationem frustrantur, non satis æquum de concionatorum eloquentia conceptum adstruere; & sane affirmare possum me non esse solum, qui abnormem hanc agendi rationem fastidiat; sæpe enim mihi audire contigit, doctissimos viros a concione abeuntes cum indignatione, qui se cohibere non potuerunt, quominus dicerent; bonum hoc esset, si esset opportunum; elaboratum sane opus est, & ab auctore in deliciis habitum; quod illum minime puduit extra omnem locum, tempusque proferre. Et sane quidquid majori tornatum cura potest afferri, longe majoribus laudibus exciperetur, si nan vi facta irrumperet, sed sese ultro offerret.

Non inde sequitur tamen, ad hoc ut justum sit, aptumque argumentum, satis esse, ut sponte ex Evangelio ejus diei fluat, & loco, tempori, audentibusque conveniat (quæ omnia quam diligentissime sunt adventanda); opus deinde est, ut quasdam habeat conditiones, quæ non in omnibus moralibus veritatibus inveniuntur. Has autem conditiones triplici verbo complector. Opus est, ut probanda veritas, quæ pro concionis argumento usurpatur, simplex, ac determinata sit, atque ad auditorem erudiendum, ædificandumque collimet. Illud autem simplex, unicumque dicitur argumentum, non quod dividi nequit; cum enim efficere debeat corpus orationis, omnes illi suppeditare partes, & membra debet juxta varias rationes, quibus spectari potest; veluti cum de pœnitentia verba facimus, considerare possumus illius necessitatem, conditiones, quæ in ea

requi-

requiruntur, & utilitates, quæ ex ea percipiuntur. Hoc simplex est argumentum, virtus, ex qua moralem veritatem elicere possumus, quæ tot partes, seu puncta habeat, quot ad justæ orationis materiam suggerendam sufficiant. Conditio altera, quæ determinatum quærit argumentum, excludit ea, quæ vaga sunt, in quibus nihil certum, ac distinctum est, & quæ menti confusam tantummodo virtutis, aut vitii ideam repræsentant; qualia essent, si quis de christiani hominis officiis generatim loqueretur, quin adderet, quo in statu, vel occasione; vel de linguæ vitiis, quæ plurima sunt, & quorum singula concioni integræ materiam possunt suppeditare: vel de viis ad salutem deducentibus, aliisque id genus plurimis, quæ sunt libri, vel tractatus cujusdam magis propria argumenta, quam sermonis, qui unitatem habere debet magis specificam, minusque late patentem. Hæc eadem simplicitas excludit etiam argumenta omnia, quæ ad plura transferri possunt subjecta, vel quæ tot partes complectuntur, ut nulla potior ratio de aliis sermonem velit institui, quales sunt sermones illi, quibus hic appingitur titulus: *Ratio sese ad talem festum diem, vel tale mysterium praeparandi*; hæ quippe rationes ubique eædem sunt, quod dici non potest de præparatione ad sacram Synaxim recipiendam, quæ peculiaris est actio, atque propriam de præcepto exigit dispositionem, ut digne hoc munere perfungamur. Hac denique argumenti simplicitate, vel unitate exploduntur conciones illæ, quæ tot alias complectuntur, quot partes habent, eo quod nullo inter se vinculo continentur, neque ulla ratione sibi cohærent. Ita me olim audiisse memini quamdam de restitutione orationem, cujus punctum primum de usurpatorum, vel injuste raptorum bonorum restitutione agebat; alterum de alienæ existimationis restitutione, cui per obtrectationem labes fuerit offusa; tertium de injuria per scandalum proximo illata. Justæ concionis regulas eum nequaquam assecutum, oportet, qui in hunc errorem labitur recto sensui prorsus oppositum.

Sed multiplicitatem in argumenti electione evitantibus quam diligenter cavendum est, ne in aliud extremum ruant, videlicet ne adeo arctos sibi cancellos circumscribere velint, ut latius sese extendere nequeant sine aliorum argumentorum ope, ut ad dicendum parem copiam inveniant; quod illi facere tenentur, qui sese ad aliquas actionis, vel parabolæ Evangelicæ circumstantias coarctant. Ut concionis argumentum justum sit, complecti debet, quidquid magis necessarium est, & ad vim animis inferendam accommodatum. Similiter non desunt argumenta quædam, quæ moralis concionis partem aliquam efficere possunt, at concionem omnem explere minime possunt; qualia essent percurrere occasiones magis obvias exercendæ erga proximum charitatis, vel suggerere media ad virtutem aliquam indipiscendam utilia, quin pro argumento hæc eadem virtus sumatur, atque mox hæc ipsa illius acquirendæ media inserantur, quæ inductioni instituendæ, & copiæ ad argumentum distinctius pertractandum suggerendæ videntur aptiora.

Tertium denique, & illud præcipuum in moralis argumenti electione considerandum hoc est, quod illi nomen dedit; videlicet ut ad erudiendos auditorum mores tendat, ut inde ad vitam suam rite instituendam, atque in salutis via proficiendum, uberrimum fructum percipere possit. Hac re concio christiana ab academica oratione, nonnumquam aliquam morum quæstionem pertractante, quæ ad politiam potius, ac reipublicæ bonum tamquam finem refertur, potissimum distinguitur. Hæ si rite considerentur conditiones, non ita facile in errorem impelli poterit concionis eligens argumentum, quod continere debet moralem practicam, audientibus congruam, & quæ ad æternam salutem indipiscendam adducat: Sin autem in argumentorum copia, quæ in eodem Evangelio sese possunt offerre, consilii hæreas incertus; ego auctor ero semper, ut magnas, ac præcipuas religionis christianæ veritates anteferas, tum pro auditoris utilitate, qui iisdem magis movetur, cum ipsius concionatoris habita ratione, cui major suppetit ad has egregie tractandas supellex; neque illi negotium facessere debet, utrum argumenta hæc sint nimis obvia, ac sæpius repetita, neque enim nimis crebro iterari possunt, neque nimis alte mentibus imprimi.

Ab argumento, & moralis christianæque concionis propositione ad dispositionem gradum facio, quæ illi cum reliquis omnibus orationibus communis est; quod nequaquam prohibet quominus hæc divisio, quæ concionis structuram delineat, & ostendit, quod contendat orator, peculiares canones habeat religiosius, quam in cæteris partibus observandos; facile quippe, ne vulgarum dicam, est aberrare extra argumenti cancellos evagando, atque morum disciplinæ partem aliquam ultra, quam par est, producendo; qua in re nostrorum temporum conciones & æquiores videntur, & præ veteribus ad sequendum, atque retinendum faciliores. Hæc enim partitio, quemadmodum ab artis institutoribus appellatur, vix percipi potest in eloquentissimis Græcorum, Latinorumque scriptorum, quæ nobis supersunt, orationibus, quamvis quicumque de orationis conficiendæ methodo pertractarunt, illam hac in re potissimum, tamquam maxime necessaria ad illius pulchritudinem, & elegantiam constituerunt. Nescio vero, quo consilio, vel arte celeberrimi oratores effecerint, ut nisi diligentissima adhibeatur attentio, vix, ac ne vix quidem structura illa, & partitio possit deprehendi; & paucissimæ orationes occurrant, ubi liquido, & palam distinguatur. Quod enim spectat ad sanctorum Patrum homilias, diversæ Evangelii, quod explicant, partes omnem earum partitionem constituit; quamobrem illæ nequaquam in orationum loco sunt habendæ, sed potius veluti commentarii, & sensuum, verborumque Biblicorum explanationes existimandæ. Non desunt profecto ad artis præcepta elaborati sermones inter opera sanctorum Chrysostomi, Basilii, & Gregorii Nazianzeni; sed illi ætatis suæ consuetudini sese conformarunt; ibi enim divisiones vix deprehendere licet, & sæpe argumentorum, quæ ibi tractantur, varietas efficit, ut nos ipsi partitionem in illis statuamus, vel credamus, voluisse illos sibimet eum ordinem, quæ sunt secuti, præscribere.

Hæc autem divisio, quæ proprie orationem justam facit, ubi eam diligentissime sequatur orator, suas habet regulas satis exploratas, & quas huc afferre operæ pretium non reor. Hoc unum ajo, per ea membra, vel partes oppositas, quæ in ea requiruntur, non esse intelligendam semper antithesim elaboratam, ac ut plurimum affectationem redolentem; sed satis est, ut hæc membra aliquam inter se rationem habeant, tamquam effectuum ad causam, vel argumentum ex variis locis spectari possit, quorum unum cum alio non congruat; & hæc divisio sit simplex, naturalis, atque ita argumenti propria, ut statim intelligatur in proposito argumento nihil validius, solidius, utiliusque inveniri, quin negotium tibi facesset, utrum ante te alii hac eadem partitione usi fuerint. Concionatores ex S. Hilarii sententia eumdem Ecclesiæ agrum excolunt, omnes idem virtutum semen effundunt, vitiorum autem ex vellunt. Quid interest ergo, utrum eadem hæc ne hoc plures exequantur: Ea ratio, qua semsuam instituit orationem, eamque exortex alio per satis est varia, nisi quis plagii ne dicam describere malit, vel nimis fideliter est conserviliter, illum imitari. Verum cio-

cionem illam, cujus est felix divisio, non exiguam in elucubratione facilitatem habere; sed illæ etiam partitiones, quæ nimium nitentes sunt, & conquisitæ, vel sub variis rationibus considerata, tenebras, & caliginem orationi offundere, & efficere, ut minus intelligatur, multum pollicentur, & sublimem adstruunt ideam, cui ea, quæ sequuntur, non semper respondent: quod naturale est in hoc etiam, ut in reliquis, maxime placet, atque majori excipitur plausu.

Ubi moralis concionis argumentum ita expositum fuerit, atque divisum, descendendum est ad probationem propositæ veritatis, atque ad delineatæ structuræ elucubrationem, quam rhetores præcipuam, & maxime necessariam orationis partem faciunt; bene deducere, bene probare, bene veritatem argumentis fulcire, ut inde necessariæ erui possint illationes. Non hanc mihi arrogo provinciam, ut hoc in loco singillatim edocere velim, quid sit narratio, quid amplificatio, quid confirmatio; neque peculiariter fontes innuere, locosque, unde concionis educi possint argumenta. Sed quemadmodum probandi ratio omnino differt ab ea, quæ in profanis orationibus adhibetur, & hic erudiendus sit auditor de veritate ad salutem necessaria, vel persuadendus de aliquo moralis disciplinæ præcepto ad vitam conformandam perutili, vel ad alicujus virtutis praxin impellendus, hoc unum dico, probationes ex solidis rationibus esse desumendas, ex Scripturarum auctoritate, ex Sanctorum Patrum testimonio, ex constanti Ecclesiæ consuetudine, ac traditione, & nonnumquam etiam ex Sanctorum exemplo, quorum insigniora facta, atque nostræ conditioni accommodatiora nobismetipsis tamquam tot exemplaria sunt proponenda. Id unum agitur, ut scite, ac opportune hæ afferantur rationes, quarum singulæ suam vim, suum pondus habent. Hæc autem, mea quidem sententia, optima est dispositio, quæ sermoni alicui tribui possit; videlicet ut singula puncta, vel quælibet concionis pars in duas, vel tres solidas, optimasque rationes secetur, quarum quæ posteriores sunt, prioribus sint validiores. Probabimus, exempli gratia, pœnitentiam, & conversionem differendam non esse; primum quia in discrimen adducimur, ne nos umquam pœniteat; secundo, quia pœnitentia hac dilatione fit difficilior; tertio quia periculum est, ne ad extremum usque vitæ finem dilata rite fiat, ideoque magna timendi causa, ne si fiat, inutilis sit. Tres ipsæ rationes eloquenter expositæ, & ampliacatæ orationem efficient bene repletam, atque propriis, naturalibusque rationibus comprobatam. Verum opus est, ut hæ rationes diserte, ac oratorie, non autem scholastice, atque theologice; hoc est arida, jejunaque locutione in lucem suam proferantur. Ad hæc fulciendæ sunt Scripturarum auctoritate, Patrum sententiis, comparationibus, ac similitudinibus, quibus nihil humile, nihil abjectum sit, exornandæ, & solidis perspicuisque animadversionibus, quæ simul & ornamento sint, & probationi, amplificandæ. Postquam vero omnia ad justam magnitudinem fuerint amplificata, tunc de una ad aliam rationem gradum facere debet orator, postquam auditorem suum ad eam disposuerit, & sensim illuc deduxerit.

Hæc amplificandæ, ornandæque moralis concionis ratio una omnium maxime solida mihi videtur; tandem enim, si cuilibet concionatori hic propositus finis esse debet, ut persuadeat, concionator ullam ne tutiorem invenire viam potest, ut ad eum finem perveniat, quam argumentationem; quandoquidem homo nonnisi allatis rationibus potest persuaderi? Sed ne nimium jugi ratiocinatione, quæ assiduam exigat mentis attentionem, fatigetur auditor, miscenda est rationi auctoritas; atque illud subinde animo reputandum est, quod argumentari, & adferre argumenta inter se longo discrepant intervallo; oratorie enim argumentari est argumentum amplificare, in lucem suam proferre, omnemque illius vim, ac robur explicate; argumenta vero argumentis agglomerare, quin eorum aliquod amplificetur, idem est ac in arcta via inter confertam populi turbam progredi velle; ibi enim potius impediris, quam progrediaris, ac citius ad propositum finem pevenires, si omnes singillatim, ac unus post alium incederent. Hoc, ut omnia verbo complectar, auditorem obruere potius est, quam erudire. Illi igitur enuncianda primum veritas est, ac sensim in illius animum immittenda, tempusque permittendum, quo eam mente assequatur, ut ibi impressionem efficere possit.

Non desunt concionatores aliter probationes suas commutantes; primam enim orationis suæ partem Scripturæ auctoritate confirmant, cujus efferunt locos, exemplaque selectiora; alteram vero probant sententiis Patrum, quorum auctoritas maximi ponderis est in Ecclesia; tertiam denique validis rationibus roborant. Unam eamdemque, ut plurimum, veritatem pertractant, & unam, eamdemque propositionem, quam triplici hoc probationis genere statuunt; illis enim persuasum est, se hoc pacto ea colligere omnia, quæ sunt validiora, christianæ concioni aptiora, & ad animos fidelium movendos utiliora. Ambigere nemo potest, quominus hæc concionandi ratio sit solida: auctor tamen oratori non essem, ut huic mordicus vellet inhærere: fatigatur enim auditor locorum idem affirmantium congerie; & quæcumque adhibeatur cura in iis disponendis, ut semper majus orationi robur accedat, hujusmodi citationes tædium gignunt, quæ non ita facile retineri possunt, ut rationes, quæ altius infiguntur animo, prout majorem ibi impressionem efficiunt. Quod vero ad sacra pertinet Biblia, quæ proprie Dei verbum sunt, illis nova ponderis fit accessio, cum explicantur, atque enucleantur apposita argumentatione, quæ omnem vim eorum ostendant.

Id unum diligentissime curandum est, ut rationes, quibus veritas proposita confirmatur, simplices sint, & argumenti propriæ. Simplices eas voco, quæ sensato viro sese statim offerunt, non eas, quæ nimis longe ductæ sunt, atque seria meditatione opus fuit, ut excogitarentur; argumenti vero proprias appello eas, quæ directe probant, quin oporteat ex aliis magis generalibus principiis illas inferre; veluti si ex majori Dei gloria peteres argumentum, quo jejunium, & corporis mortificationem necessariam esse probares, Hæc ratio neque directe, neque immediate eam probat conclusionem, quam inde elicere cupis; ratio enim maxime simplex, & naturalis est, corpus domandum esse, ac spiritui subjiciendum; jejunium vero ad illud subigendum viam esse magis propriam, atque communem. Hoc si feceris, evitabis paralogismos, atque sophismata, quæ omnes odio plusquam vatiniano oderunt; inde enim sequitur, ut oratio tota in irritum cedat, nihilque probet, cum nimis probate contendit. Itaque quantumvis speciosa primo statim intuitu ratio aliqua videatur, semper diligentius ad examen est revocanda, utrum vera sit, an ad fallendum apta potius, quam ad persuadendum; utrum vere concludat, & ullo modo possit impugnari. Omnibus enim probata veritas hæc esse debet, orationi nullam vim, nullumque robur inesse, nisi quod ex iis probationibus, quibus fulcitur, recipere potest. Quibus addo, cavendum, ne sub hoc soliditatis prætextu rationes nimium theoreticæ sint, & abstractæ, atque ex reconditioris Theologiæ penu depromptæ. Quamobrem quemadmodum morale tractatur argumentum, ita opus est, ut illius pertractandi ratio moralis sit, videlicet facilis, auditorum captui accommodata, sensibilibus probata argumentis ex ipsa rerum experientia, & iis, quæ inter homines accidunt, petitis. Quod si quædam Theologica sint immiscenda, concionatoris interest ea ita explanare, omnesque voces scholam redolentes amovere, ut, quid illæ sibi velint, quærendum non sit.

Quod

Quod attinet ad Scripturæ, sanctorumque Patrum auctoritatem, & exempla sanctorum, unde lux aliqua, & robur accedere possit propositæ veritati, superius jam monui, concionem illis non esse ita infarciendam, ut locorum, & auctoritatum congeries videatur potius, quam jugis oratio. Verum inanis, ac irridendus timor est metuere, ne orationis filum abrumpatur aliqua Scripturarum voce, vel aliqua sanctorum Patrum sententia, & affectationem sapit a consuetudine, quæ apud omnes late percrebuit, prorsus abhorrere; præterquamquod hoc pacto non extremum christianæ eloquentiæ subsidium abjicitur; liquet enim, Spiritus Sancti verba peculiarem vim habere; & hoc persuasum esse debet, sanctorum Patrum locos majorem vim habituros, quam quidquid ex nobis, proprioque marte dicere possumus, quantumvis sit Scripturæ, sanctorumque Doctorum sensibus congruum. Sufficiat igitur, e suggestu prorsus profanorum auctorum proscripsisse nomina, factaque ex historiis decerpta, quibus præteriti sæculi conciones erant refertæ. Interest enim majestatis concionatoriæ, ac sacri oratoris, qui Patrum Ecclesiæ doctrinam explicare profitentur, nonnumquam saltem eorum afferre verba; ac dummodo id mediocriter fiat, non reor, illa prætermitti posse, non secus ac aliquando afferenda esse puto sanctorum exempla, cum delecta sunt, ac apposita conditioni eorum, ad quos sermo est; quoniam exempla ut plurimum majorem vim habent, quam argumenta ad animos ad virtutis alicujus exercitationem impellendos. Saltem nos docet experientia, ea libentius audiri, facilius retineri, & fortasse majorem impressionem efficere.

Hæc ea sunt, quæ pertinent ad rationem amplificandi, probandique moralem veritatem, quæ alioquin æque abhorrere debet ab utroque extremo, quo fructus inde percipiendus potest præpediri. Ita hi duo sunt scopuli a concionatore quam diligentissime evitandi. Alter est eorum, qui arctioris morum disciplinæ auram capturi, quale est hodierna die plurimorum ingenium, strictiores consectantur sententias, atque opiniones, quæ sunt dubiæ, tuentur, dummodo sint severiores. Hoc sæculi ingenium est; hominibus placet sermo de austerissimis veteris disciplinæ regulis, quod concionatores impellit, ut extremum rigorem affectent. At qui severas hasce opiniones adoptant, non semper sanctiores, doctioresque sunt, non secus ac illi, qui eas audire oblectantur, non ideo tamen illas exercere desiderant. Evangelicæ veritates prædicandæ sunt quales sunt, ac illud cogitandum est, quod qui ab auditoribus exigit ultra id, quod ab illis præscribitur, eos potius a veris officiis suis avertit, quam ad altiorem perfectionis gradum adducat. Scopulus alter longe magis periculosus est, atque manifesta esset sacri ministerii prævaricatio, laxiorem morum disciplinam fovere, ac humanæ infirmitati plura concedere, quam Evangelium, Ecclesia, & communis Doctorum consensus illi permittant. Prudens, doctusque concionator æque utrumque scopulum evitare debet, tum laxiores, tum severiores sententias effugere, sed veritatem, ut est, exhibere, omnesque ad eam sequendam, qualis esse potest, excitare.

Hic tantummodo mihi restat actus, ut aliquid de styli genere, ac ornamentis, quæ in concionibus adhiberi possunt, pauca dicam. Qua in re dissimulare nequeo, hodiernam concionandi rationem, quæ jure elapsorum sæculorum consuetudini est præferenda, paulatim a veterum oratorum, quos imitari conata est, methodo degenerare. Emundata est Ecclesiastica eloquentia a profana illa eruditione, quæ olim ibi erat in deliciis; proscriptæ sunt sententiæ illæ fallaci nitore commendatæ, quas tamdiu concionatores deperiere; remotæ sunt scholasticæ salebræ, atque ratio invecta est, qua oratio fieret simul justa, solida, & elegans. Sed nimia fortasse elegantia eloquentiam, ac dicendi vim fecit enervem; & audeo dicere, ea, quæ inani eruditioni, dicendi acumini, ac abstractæ Theologiæ substituta fuere, nequaquam tuto ad eum finem adducere, quem in concionibus proponere sibi debet orator: plerique enim calamistratas, beneque comptas orationes efficiunt, qui aptas ad movendum, ac docendum conciones afferre deberent. In hujusmodi sermonibus eximia deprehenduntur ornamenta, locutiones exquisitæ, sermo nobilis, ac floridus, qui a carceribus ad metam semper effulgeat. Ita ut cum de cogitandi rectitudine, & componendi peritia sermo est, vulgo de elocutione, non autem de ordine, argumentis, sententiis, ac rebus, quæ pertractantur, intelligatur. Ego equidem, si quod hac in re sentio, dicere fas est, vereor, ne nimis bene, ac eleganter omnia elaborare cupientes corrumpant omnia; & qui post nos venturi sunt, ut extremum perfectionis gradum Ecclesiasticæ tribuant eloquentiæ, plures defectus nostros emendare teneantur, quemadmodum nos quoque superioris sæculi defectus plures de medio sustulimus. Hæc igitur sunt, quæ hac in re mihi visa sunt præceptis artis, & doctissimorum virorum sententiæ adversantia.

Fateor equidem e suggestu scite, ac eleganter esse loquendum; sermo enim, & elocutio partem eloquentiæ constituit, & hoc sane adepti sumus, ut dicendi barbaries, incuriosa negligentia ferri ultra non potest. Verum quemadmodum meminisse oportet; hanc esse debere christianam eloquentiam, & proposito sibi fini conformem, ita naturalis esse debet, magnifica, fortis, ac citra omnem affectationem: sese in animum viam aperire debet, ibique eos excitare sensus, quibus oratorem ipsum affectum esse opus est. Unde tria sunt inferenda, quæ totidem præcepta sunt ab artis hujus institutoribus tradita.

Primum, verba rebus exprimendis esse accommodanda. Sublimes, ingentesque res magnificum, ac sublimem dicendi characterem exposcunt; quod vero inservit, ut auditor ad aliquid majus præparetur, communibus, ac naturalibus vocabulis est exprimendum: alioquin, si omnia sunt magna, nihil injicit admirationem; & ubi omnia niteant, nulli rei peculiariter humanus animus hæret. Et profecto si sedulo veterum oratorum elucubrationes inspicias, quædam negligere, ac oscitanter proferre videntur, ut quæ majoris sunt momenti potissimum elucescant, pictores imitati, qui tabulis suis umbras allinunt, neque ubique coloribus iisdem utuntur. Itaque in absolutissimis etiam celeberrimorum scriptorum orationibus partes quasdam nancíscimur, quæ longius eminent, & aliæ, quæ ad id unum inserviunt, ut illæ magis, magisque niteant; cum in plerisque concionibus, quæ nunc habentur, nihil peculiariter auditoris attentionem conciliet, quia orator illum ubique attentum desiderat. Omnia nitescere vult, præstare omnia, in minimis etiam non deesse spiritum, ac vim, ac sublimem dicendi characterem æque ubique effulgere. Hac sublimis, & uniformis styli affectatione vetus eloquentia a naturali ea pulchritudine cœpit degenerare, quam in primis oratoribus admiramur, & quæ hodie paulatim corrumpitur, eo quod flores, ut ita dicam, & ornatus ubique ferre cupiunt.

Quod secundo loco ex hoc eodem principio arbitror esse inferendum, illud est, quod falsam concionis ideam sibi efformat, qui putat, ut felici eventu in id incumbere possit, satis esse, sermonis elegantia pollere; & hoc unum omnis scientiæ, doctrinæ locum obtinere, quin illud quærat, utrum oratio sanguine, & succo repleta sit, utrum argumentum sit rite delectum, argumenta valida, ac probantia, dummodo conceptus sui loquentes ti sint, eosque feliciter exprimant, hunc suggestu concionari nuncupant. Hinc nonnulli scientiarum conscendere videmus homin[...] desti-

destitutos; Scripturarum, sanctorumque Patrum doctrina penitus vacuos, in theologiæ studiis rudes, & hospites, & ipsius etiam arguendi facultatis ignaros. Sed mundum norunt, illius consuetudinem, moresque diligentius inspexerunt, ideoque toti sunt in morum descriptionibus efficiendis, ac vitiis, quæ ibi grassantur, luculenter tamquam in tabula exhibendis; nihilque præterea in illorum concionibus invenitur. Sed licet hujusmodi descriptiones ex eorum ornatuum sint numero, quos usurpat eloquentia, ut sibi auditoris attentionem concilier, & qui in oratione locum habere possunt; abusus est, ac bipalmaris error, in hoc laudem orationis statuere, quæ laudanda non est, nisi persuadeat, & moveat. Hæ autem picturæ, ac graphicæ descriptiones, quantumvis ad verum elaboratæ sint, possunt quidem exhibere mores, & vitia, at illa emendare non possunt, neque persuadere ab illis recedendum: non enim ad vitam mutandam impellunt, neque peccati metum, & horrorem inspirant. Hinc fit, ut a concione tales redeamus, quales ad illam accessimus; neque alius inde fructus percipitur, nisi injusta concionatoris existimatio, cujus elegantia, spiritus, & luculenta dicendi ratio laudatur. Nequaquam, iterum dico, concionis artificium in hoc nequaquam positum est, sed in eo, ut a vitiis deterreat, & ad virtutem amplectendam impellat, atque disciplinæ moralis præcepta doceat; qua in re longe plura quæruntur, quam delectæ dicendi rationes, ac rerum inania verba, quemadmodum vetus nescio quis auctor illa vocat. Sed quid sapiunt, numquam improbabunt illum, qui in suo immoratur argumento, qui inde omnem, quam continet, doctrinam elicit, ac illud in quamcumque partem verset, ut audientium animo validius infigat, atque potenter ad malum quidem effugiendum, bonum vero consectandum hortetur, quandoquidem hic finis est moralis concionis, non autem mundi vias aperire de nulla ferme alia re verba faciendo, quam de illius versutiis, commerciis, solatiis, quæ opportunis, importunisque ingeruntur inductionibus, quæ nullum inveniunt finem, auditoremque fatigant.

Tertio, ac postremo inferendum est (quod ipsum, qui eloquentiæ præcepta scriptis edidere, etiam, atque etiam monitum voluere) nimis exquisitam, tornatamque dicendi rationem minus aptam esse ad movendum, & persuadendum, quam magis simplex sit, minusque elaborata locutio: docet enim experientia, mentem illis attentam dicendi flosculis, quibus orator sensus suos exprimit, quodammodo ab ea distrahi attentione, quam integram rebus, de quibus agitur, opus esset impendi. Hoc ipsum quilibet in sanctis Patribus, antiquisque oratoribus, qui varii argumenti opera reliquerunt, per se deprehendere potest: eorum videlicet conciones, publicosque sermones, quos orationes vocant, minori cura expolitos esse, ac minus diligenti elocutione conscriptos, quam libros, atque tractatus, quos in varia argumenta edidere; cum enim orationes hasce recitare deberent, quærebant potius quomodo persuaderent, quam placerent; metuebantque, ne auditorum mens verbis potius vacaret, quam rebus, de quibus erant erudiendi. Non idem de libris, tractatibusque judicium ferebant; ibi enim per tempus lectores attendere possunt & iis, quæ docentur, & vocibus, quibus illa exprimuntur.

Hic autem Canon nequaquam minus est necessarius ad auditorem movendum, quam ad persuadendum; sicuti enim moralis concio flexanima debet esse, non alia ratione magis alios movere potest orator, quam si ipse commotus sit, iisque sensibus hæreat, quos excitare studet in aliis. Quis autem illum ex corde loqui arbitrabitur, qui non loquatur lingua cordis, quæ ab omni artis fuco, & omnibus verborum lenociniis abhorret? Qui misericordia motus est, vel acri dolore percitus, vel alio quopiam agitatus affectu, quem in aliis ciere desiderat, naturaliter sensus suos exprimit: natura tunc ipsa loquitur, mens in id unum occupata, ut sensus cordis aperiat, non cogitat antitheta, non verborum lusus inquirit, neque eos ambitus scrutatur, qui sese dicenti sponte non offerunt. Studio, ac meditatione opus est, ut hæc inveniantur; quod profecto abhorret ab eo, quo tunc agitamur, affectu; & hæc, mea quidem sententia, ratio est, propter quam ex concionibus hodierna die adeo modicus fructus percipitur. Diligentius conquiruntur verba, & calamistrati sermones, quam pondera argumentorum; quin illud attendatur, sermonis finem esse solidis persuadere rationibus, & movere animos naturali quidem, vividaque eloquentia, sed nobili simul, magnifica, ac Dei verbo congrua; qualis erat olim in ore Prophetarum, quæ vera sunt concionatoribus ad imitandum proposita exempla.

PROLEGOMENON ALTERUM.

De ratione imitandi notæ melioris Concionatores.



Nimadversionibus superiori dissertatione propositis de hodierna concionandi ratione finem impositurus operæ me factorum duxi pretium, si non prætermitterem, quod maxime necessarium, ac utile dicendi, scribendique magistri censuere, eorum videlicet imitationem, qui in utroque genere tamquam exemplaria absolutissima habentur. Mihi autem non ea mens est, ut Aristotelis, Tullii, Fabiique afferam præcepta, sed illa ad argumenta Ecclesiasticis concionibus propria transferam in eo, quod ad orationis elucubrandæ rationem pertinet; quin de pronunciatione verba faciam, in qua sacra eloquentia forensi, & academicæ minime præstat. Quamobrem qui sacro divini verbi enuntiandi ministerio imitandi sunt, ut cœptis eventus respondeat, illis primum persuasum esse debet, esse imitandum; deinde nosse, quid sibi ad imitandum proponere debeant, optimo eorum concionatorum delectu, ad quorum exempla sese conformare adnitantur; & demum intelligere, quomodo imitandum sit. Circa quæ tria versantur animadversiones, quas doctissimorum virorum consilio, & auctoritate aliis adjeci animadversionibus, quas in quodlibet concionum genus in sermonum meorum præfationibus edidi.

1. Ut quis in concionandi arte, non secus ac in reliquis, præstet, necessum omnino est, ut eos imitetur, qui majorem nominis celebritatem sibi pepererunt. Hoc autem a nemine in dubium vocandum esse putarem, nisi plurimos cognovissem, qui gloriæ sibi vertentes a nullius exemplis pendere, ac marte suo omnia elaborare, quidquid in lucem edunt, ad inventionis palmam anhelant, imitationis honorem aliis relinquentes; eo usque ut doctorum omnium judicium sibi æquum putent futurum, si persuadere possunt, aliquid novi a se in arte fuisse adinventum; a se ita operum suorum auctores esse, ut nihil alicui acceptum referre teneantur; similes hac in re eximiis pictoribus, qui naturam tantummodo inspiciunt, aliorumque opificum negligunt exemplaria. Alios imitari, inquiunt illi, idem est ac fateri, se nihil marte suo in medium proferre posse; id enim aliunde mutuaris, quod domi tuæ minimo possides.

Si,

Si, qui ita loquuntur, adeo felici essent ingenio, ut alienis luminibus non indigerent contenti propriis, ad hoc a benigna natura efformati, ut aliis in exemplum proponerentur, gratularer equidem ob tantum hoc boni, quo divinitus cumulati fuerunt; iisque id dicerem, quod magnus ille Pontifex concionatori cuidam, quem de altissimis religionis nostræ mysteriis admirabili eloquentia disserentem audiverat: Hauri aquam e cisterna tua, & bibe ex rivulis de tuo fonte manantibus: id memento solum, ut & aliis hanc copiam communices, ac in publicam utilitatem sinas effluere. Sed cum paucissimi inveniantur hujus ingenii, & adeo fœcundæ mentis homines, quibus nihil aliunde sit mutuandum; qui non hac vi pollent, neque tantam sibi eloquentiam compararunt, quanta in concionaturo requiritur, alieno egent auxilio: nihil facere, conarive possunt, quod præsentis temporis gustum sapiat, quin ob eorum oculos illustria versentur exempla, ut id perficiant, quod natura rudi quadam informatione inchoavit.

Hoc autem non est ita proprium seu profanæ, seu sacræ eloquentiæ, ut commune minime sit cum omnibus artibus, quarum vel ipsa rudimenta percipi nequeunt, quin alius doceat, unde incipiendum, & quænam regulæ servandæ sint, ut opus ad perfectionem suam deducatur. Pictores omnes nonne præstantissimorum opificum alumnos fuisse gloriantur? Sculptores, & architecti nonne sequuntur, hi quidem sibi delineata vestigia, illi vero authographos, qui ob oculos ipsorum versantur? Nonne ars ipsa naturam imitatur; & ars, quæcumque illa sit, aliquid ne perfectum producere potest, quin excolatur, & quin ad id pervenire contendat, quod in eodem genere numeris omnibus est absolutissimum? In scientiis, non secus ac in artibus, ad proficiendum alienis egemus auxiliis. Philosophia, Theologia, Medicina, Astronomia ad eum ne apicem, quem assecutæ sunt, pervenissent, nisi a peritissimis artium magistris præclara relicta fuissent præcepta, & nisi eorum discipuli commendabili æmulatione illorum vestigia diligenter legissent? alioquin enim scientiæ omnes in primæ originis imperfectione substitissent. Nonne tandem in ipsa virtute perficimur? Nonne ab cultorum, piorumque virorum exemplis ipsam morum disciplinam haurimus? Ut verbo me expediam; quodcumque boni exemplum in terris parit, nonne late per imitationem communicatur?

Tantum profecto abest, quod eloquentia, præsertim vero Ecclesiastica, communi hac lege minime teneatur, ut immo affirmare possimus, hanc nullibi magis esse necessariam, quam in hac arte, quæ docet sibi in hominum cor aditum aperire, affectus permovere, eosque vel ciere, vel lenire, prout feret voluntas; ut enim hoc e voto cedat, natura opus est, & industria; ingenio, & arte, vi, ac versutia, ut in animos sese insinuet orator, ut persuadeat, ut moveat; quod tutius, faciliusque disci non potest, nisi accuratius ea perpendantur, quæ hos effectus gignere consueverunt. Quamobrem ex omnibus præceptis, quæ a rhetoribus ad id traduntur, Principem locum obtinet imitatio: At enim, numquid experientia admirabilem artem hanc nos edocere non potest? Potest quidem procul dubio plurimum opis afferre; sed vix totus vitæ brevis curriculus sufficere posset ad experientiam hanc acquirendam. Studium quoque, ac præcepta plurimum prosunt; at viam hanc priori minus longam non esse noscis. Brevior igitur via, & compendiosa methodus est exemplum; neque nisi per imitationem ad praxin redigi potest exemplum. Supponendum est igitur, eloquentiæ latifundia naturam esse, ingeniumque, eam vero ab arte perfici per exercitationem, atque imitationem. Plurimum quidem, quis neget? prodest exercitatio, ac vulgo dicunt, tyronem temporis beneficio magistrum fieri; sed præ cæteris omnibus magis prodest imitatio; hæc enim ideas nostras dirigit; hæc mentem attollit, hæc defectus omnes corrigit; hæc supplet iis omnibus, quæ desunt; hæc tandem efficit, ut brevi temporis intervallo ingentes progressus efficiamus: ita ut mihi persuasum sit, eum, cui vel mediocre sit ingenium, optimum oratorem evasurum, si præstantissima tantum exemplaria sibi imitanda proponeret.

Hoc ipsum probare possem summorum virorum, qui in hac arte eminuerunt, testimonio. Unum tamen eligo, sed pluribus parem, eum videlicet, qui præstantissima nobis de sublimi dicendi genere præcepta reliquit. Multi alieno spiritu concitati, numine perinde afflantur „ atque Pythia dicitur, cum „ ad tripoda accedit: ubi est terræ caverna, ex „ qua, ut ajunt, anhelitus divinus exit, quo ea „ repleta vim divinam, & potestatem consequitur, „ & ex eo divino inflatu statim oracula fundit; „ sic ab antiquorum naturali animi magnitudine, „ ac præstantia, tamquam ex oribus sacris, fluxiones quædam permanant ad eorum animos, qui „ illos imitantur, a quibus ipsi spiritu afflati, sed „ non valde insanientes, aliorum magnitudine divinitus concitantur.

Itaque affirmare, ut quis in concionandi arte excellens evadat, summos illi imitandos esse concionatores, idem est, ac ad Ecclesiasticam transferre eloquentiam præceptum, quod omnes bene dicendi magistri ad eloquentiam generatim indipiscendam tradidere; idem est, ac sese dedere eorum testimonio, qui temporum suorum habiti sunt eloquentissimi, qui prius fuerunt discipuli, quam magistri, & qui loqui alios audiendo, & scribere præstantissimorum auctorum, qui eos præcesserunt, scripta legendo didicerunt. Quamobrem non verebor uti comparatione cujusdam celeberrimi ætatis nostræ concionatoris, qui ajebat, hos homines, qui ingenium satis commune habentes nihil habere volunt cum aliis commune, hos homines, inquam, araneis similes esse, qui semetipsos exhauriunt, ut ex sui ipsorum substantia telam ordiantur, qua muscas tantummodo illaqueant; cum interim apes flosculos delibantes inde ceram, ac mel elaborant. Nihil sunus dicam de veritate, quæ adeo patet, ac nitet; contentus indigitandi illis, qui hoc stadium ingrediuntur, quinam illi sint concionatores, ad quorum exemplum seipsos conformare debeant, & quid sit imitandum in illis, qui proponuntur in exemplum; qua in re plurima sunt animadvertenda.

Nemo statim non videt, eos, qui in hoc eloquentiæ genere maxime floruerunt, ad imitandum esse proponendos; etenim quemadmodum naturaliter quilibet in arte sua perfectus esse desiderat; ita perfectissimorum exemplis hærere debet, ac toto pectore in id incumbere, ut se illis quam simillimum præbeat. Præstantissimos autem concionatores intelligo, qui recta cor ipsum pervadunt, & quorum sermones morum excipit immutatio; non autem illos, quos auditorum grex sequitur, & quorum fructus in inani plausu, potiusquam in peccatorum conversione, & justorum consolatione consistit. Hic non instituo sermonem, ut divini verbi præcones excitem ad sese tanto munere dignos præbendum. Equidem scio, cœli gratiam, opinionem, quæ de concionatoris sanctitate percrebuit, zelum quo loquitur, aliasque conditiones, quæ non semper pendent a nobis, magis ad ingentes hosce effectus conferre, quam prosit ars, ac studium illius, qui divini spiritus organum tantummodo est; de eo loquor, quod hujus verbi minister ex se conferre debet, hoc est, de imitatione eorum, qui admirabilem hanc artem movendi cor invenerunt; ut videat orator, quam illi rationem sequantur, ut veritatem altius humanis mentibus infigant. Hoc docet S. Augustinus cap. 3. & 5. de Doctrina Christiana. Hoc unum addo, videlicet falli nos posse in concionatorum imitandorum delectu; qua in re ad errorem vitandum publicæ existimationi inhærendum est, & judicandum de

arboris qualitate ex fructibus, quos parit, ex effectibus, quos eorum conciones gignunt in nobis, ac denique consulendi, qui sanum, integerrimumque judicium ferre possunt.

At quæret ex me aliquis fortasse, utrum, postquam prudens habitus fuerit concionatorum delectus, uni dumtaxat hærendum sit, an plures imitandi, qui etiamsi non eumdem perfectionis obtineant gradum, aliquid tamen eximium continent, alius quidem defæcatam, luculentamque eloquentiam, alius vim, atque motum, alius vero ordinem, ac dispositionem. Cæterum cum perraro accidat, ut omnibus numeris absolutus inveniatur orator, qui illam exæquet ideam, quam nos ipsi mente fingere possumus, videntur a pluribus ea esse petenda, quæ in uno tantum inveniri non possunt. Hæc ait insignis orator, gloriosusque martyr Edmundus Campianus in exiguo tractatu, qui inter ejusdem opera invenitur. Ille quidem de stylo tantum, & elocutione loquitur, sed eadem argumenta pro reliquis etiam oratoriæ partibus apte concludunt. Tutius, ac facilius est uni acquiescere, qui absolutissimus habeatur, licet non æque excellat in omnibus, quam imitari plures, atque ut ita dicam, ex eorum spoliis ditescere, Plurimæ id suadent rationes.

Primo varii sunt eloquentiæ characteres, ingenia varia, variæ disponendi, & tractandi argumenta rationes; ideoque operam ludere videtur, qui eas omnes in una, eademque persona complecti contendit; sæpe enim una aliam evertit, vel saltem excludit; neque vehemens, rapida, & figurata eloquentia cum styli fluentis, suavisque dulcedine potest conciliari. Itaque cum hæ scribendi, loquendique rationes in oratoribus æque differant, ut vocis tonus, nemo illas omnes imitari potest, quin alia aliam enervet, atque corrumpat, vel quin ex hac immixtione monstrosum aliquid, & irregulare proficiscatur; quapropter cum dicitur, ut quis perfectus evadat orator, illi præstantissimos in arte imitandos esse, hoc intelligendum est habita ratione ingenii illius, qui imitatur. Si Tullius Demosthenis characterem imitari voluisset, semper pugnantem, ac detonantem, numquam æque enituisset, ac suum securus ingenium, illud Platonis, Isocratis, aliorumque imitatione perficiens, quorum minus vehemens est eloquentia. Itaque suum corrumpit ingenium, ac proprias amittit vires, qui naturam suam exuit, ut induat alienam. Nonnullos novi, quibus imitatio coacta eripuit, quidquid boni erant a natura sortiti, & qui, si illud excoluissent, summam laudem essent consecuti; & alios, qui, eo quod e suggestu tonare voluerunt, Æsopi ranam imitati sunt, quæ sese inflans tauri mugitum imitatura sese disrupit; & alios denique, qui, quod imitari floruerunt quosdam concionatores, qui nominis celebritate florebant, in insanam degenerarunt affectationem, quæ omnia corrupit.

Adde his, paucissimos esse adeo solidi judicii, emunctæque naris, ut bonum a malo in iis, quos audiunt, valeant secernere; nec deesse, qui ex omnibus aliquid in rem suam velint convertere, tamquam corpora variis innutrita alimentis, vel quæ pluribus sese ingurgitant, quam quos digerere possint; suffocant enim calorem naturalem, & quin ex tot epulis contrarias habentibus qualitates aliquid in sanguinem, succumque transferant suum, brevi suam vitiant valetudinem. Inde igitur cum prudentissimo oratore, quem nuper memoravimus, inferendum videtur, longe minus adesse periculum, unum tantummodo sibi ad imitandum proponere, quam fieri velle Pandoram poetarum sese omnibus ornamentis, quæ in aliis deprehenduntur, excolendo.

Ego quidem huic consilio, quod alioquin sapientissimum, doctissimumque videtur, aliquod adjicere vellem temperamentum, ut videlicet omnibus quidem numeris concionator absolutissimus eligeretur, cui hæreremus, quem manibus versaremus, in cujus imitatione primam curam collocaremus, & quem, ut ita dicam, in singulos gressus sequeremur: verum cum vix, ac ne vix quidem perfectus, absolutusque in summo gradu esse possit; quandoquidem Cicero, Princeps ille Romanæ eloquentiæ, dolebat, ipsum etiam Demosthenem ideas suas non replere, neque auribus suis omnino satisfacere; non video, quod imminere periculum possit, si quod huic deest, mutuemur ex altero. Et sane hic in argumentationibus suis pressior est, ac vehementior, sed major quædam elegantia nequaquam dedeceret illum, leniretque, quidquid durius aliquando illi excidit, quod delicatas aures offendit. Ille magno eloquentiæ flumine fertur, quo auditores nonnumquam rapiuntur; verum si unctio quædam, & quædam pietatis accederet species, quæ virum Dei nomine loquentem maxime decet, longe uberrimum fructum referret. Alius in concionibus suis æquissime instituit argumenta, numquam a proposito sibi scopo deerrat; placet, & persuadet; verum si paulo magis affectibus ciendis vacaret, nullus dubito, quominus conscientias moveret. Igitur quod huic deest, ab alio pete, qui & ipse suum meritum, suas laudes habeat. Inter plures, qui idem stadium currunt, ut plurimum accidit, ut alius alium aliqua in re superet, ac rursus in alia ab eodem superetur. Itaque si ex duobus absolutissimus fieri potest orator, quis vetat, ne imitemur, quidquid in utroque optimum judicabitur? Ita ex Ethnicis oratoribus Cicero Princeps eloquentiæ vocatur, eo quod imitatus est suavitatem Isocratis, acumen Lysiæ, numerosam Æschinis dictionem, ac pluribus in rebus Demosthenis vim, qui omnes, quilibet in genere suo, præstantissimi oratores fuerunt. Idem nonne in operibus suis expressum nobis reliquit characterem eorum, qui ipsum præcesserant, & quos cognoverat, ita ut facile intelligamus, in illis imitandis oleum, & operam non perdidisse? Quis ergo prohibeat, ne hoc ipsum efficiamus cum eloquentissimis ætatis hujus concionatoribus? Quin enim de iis loquamur, qui vivunt adhuc, & qui nulla in re cedunt iis; quorum opera existunt, recordamur, qua vi, ac vehementia detonaret P. Dellingendes, qua suavitate in animos obreperet P. Castillon: recordamur majestatem Sarlatensis primum, mox vero Matisconensis Antistitis Dellingendes; eloquentem fluiditatem Petrogoricensis Episcopi le Boux; patheticos motus Præsulis Aginensis Joly; soliditatem Domini Biroat, & Patris Giroust; elegantiam, ac pietatem P. Cheminais, rarasque aliorum plurimorum dotes, qui horum ætate floruerunt. Mihi persuasum est, eos, qui sacro huic ministerio initiari voluerint, in excellentissimorum horum virorum operibus inventuros, quod quisque secundum ingenium, voluptatem, ac talentum suum imitetur.

Neque tamen ex solis concionatoribus putes recte concionandi rationem edisci. Sacra Biblia, Patrum lectio, atque ipsum cum veteribus profanis oratoribus commercium miram afferre possunt utilitatem. Primum quidem in Scripturis præstantissimæ occurrunt de Deo, divinisque ejus perfectionibus sententiæ: styli simplicitas sublimitati ejusdem non officit; egregiæ adsunt virtutum, ac vitiorum imagines, & descriptiones ubique fere effusæ, in Prophetis vero potissimum; neque melior concionatoribus, qui eloquentes esse cupiunt, tradi præceptor potest, quam idem Spiritus sanctus, qui in sacris loquitur monumentis. Itaque Sacra Scriptura fons est inexhaustus divitiarum pro omni characterum dicendi varietate. Ad spiritum erigendum aptus est Isaias; Jeremias recte cor ipsum aggreditur pathetico, animatoque dicendi genere; Ezechiel terrorem animis infert;

Da-

Daniel amorem, ac devotionem inspirat; omnesque generatim Prophetæ vim habent, granditatem, & naturalem eloquentiam, quam in profanis oratoribus frustra perquires. Ubi magis pios sensus invenies, quam in Davidicis Psalmis? ubi morum doctrinam enucleatius, ac melius traditam, quam in Salomone? Ubi solidiores argumentationes, quam in Epistolis Pauli? Quin de reliquis novi testamenti scriptoribus loquar, quod est religionis nostræ fundamentum, & continet quidquid populis est prædicandum. Verbo; Scriptura proprius esse debet concionatoris liber: inde mutuari debet arma, quibus contra vitia, omnesque Dei hostes confligat; hic liber est, quem meditari debet, ut illum possideat potius, quam imitetur. Quo plura inde haurit, eo melius concionatur; proprie enim Dei verbum annuntiare debet auditoribus suis; ac me jampridem audivisse memini dicentes, ut quis patheticus sit, ac simul eloquens concionator, opus esse, ut nocturna versaret manu, versaretque diurna Prophetas omnes, Psalmos David, ac S. Pauli Epistolas, quibus suo tempore, ac loco uti posset.

Quoad sanctos Patres attinet, novi equidem quanam cum reverentia de magnis his viris sermo habendus sit, qui ætatis suæ fuerunt oracula, qui religionem suis humeris sustinuerunt, ac Dei verbo vineam Domini excoluerunt. Nihil ergo melius fieri posse videtur, quam illos imitari, eorumque sequi vestigia. Deus avertat, quod ego eorum hoc in genere gloriam deterere audeam, vel debitas laudes denegare. Verum enim vero aliud judicium ferendum est de sermonibus, quos nobis reliquere, ac de illorum moribus, & vita; non quod pluribus in rebus imitandi non sint; etenim mihi arridet disertissimi, prudentissimique nostra hac ætate Scriptoris * de illorum operibus testimonium hoc perhibentis: „ in ipsis major eloquentia deprehenditur, major elegantia, & ingenium; major vis, ac vehementia, amplificationes magis vividæ, leporesque magis naturales, quam in plerisque hujus temporis operibus niteant, quæ cum voluptate leguntur, & auctoribus suis gloriam, ac nominis celebritatem conciliant. Verum si ex nostra scribendi ratione de illis judicium ferre velimus, illos non omnes, neque in omnibus imitandos esse innotescet. “ Eorum quidam sæculis parum cultis, & fortasse rudibus etiam floruerunt; & quemadmodum sese temporum ingenio accommodarunt, nunc minime tuerentur existimationem, quam tunc adepti fuerunt, nisi methodum, cogitandique rationem inverterent. Diligenter igitur habendus est eorum delectus, qui ad imitandum sunt proponendi.

* De la Bruyere.

Ex Græcis Patribus Sancti Basilius, Gregorius Nazianzenus, & Chrysostomus admirabili floruere eloquentia; qua in re nemo inficias ire potest, ab illis Latinos Patres fuisse superatos. Illorum profecto sermones non eam methodum accurate servant, quam hodierna die notæ melioris concionatores sectantur; verum vim habent, & elegantiam; argumenta naturalia sunt, scite deprompta, belle explanata, ac ut plurimum ex Scripturis decerpta; præsertim vero in D. Chrysostomo, cujus non sententiæ solum ad imitandum desumi possunt, verum etiam earum efferendarum venustissima ratio, & modus, quo moralem veritatem pertractat, & propositum argumentum amplificat. Licet enim in adhortationibus, quas post evangelii explanationem habet ad populum, non semper in eadem veritate immoretur, neque argumenti unitatem ea servet diligentia, quæ hodie consuevit haberi, quin immo duo, vel tria nullo exquisito, ac eleganti nexu simul conjuncta persequitur: attamen quidquid proponit, solidis rationibus probat, admirabili eloquentia, quæ concionatoribus exemplo esse potest, exponit, & latius amplificat.

Latini Patres omnes ea scripserunt ætate, qua eloquentia prorsus exciderat; quamobrem in eorum sermonibus, quæ homiliæ ut plurimum sunt, inquirendus non est ordo ille, ac ornatus, qui in hodierno usu sunt positi; multo minus artis, & elegantiæ, quam Græci Patres habent; quod acceptum referendum est vario sæculorum ingenio, moribus, & gustibus hominum, qui non sunt semper iidem. Hoc tamen non prohibet quominus pluribus in rebus sint imitandi; in sententiis, & conceptibus, quorum plurimos, eosque pulcherrimos, ac solidissimos in sanctis Cypriano, Ambrosio, & Augustino reperies; in explicationibus locorum Scripturæ, cui diligentissimam navabant operam, & quàm melius, quam nos, intelligebant: in moralibus considerationibus, in quibus sancti Augustinus, & Bernardus excelluerunt, immo etiam in descriptionibus malorum, ac scelerum, quæ ipsorum ætate committebantur, quarum plures apud Salvianum, Divumque Bernardum invenies; licet generatim dici queat Latinorum Patrum sermones non esse optima eorum opera, & in quibus plura, quam in aliis, occurrant imitanda.

Superest igitur, ut ad examen ea vocemus, quæ hauriri possunt ex profanis oratoribus, & concionatoribus, quæ duobus elapsis retro sæculis floruerunt. Quod pertinet ad priores, liquet, Ecclesiasticæ eloquentiæ plurima esse communia cum forensi, & academia, ac plurima inveniri posse, quæ imitemur apud auctores, qui in utraque excelluerunt; atque argumentorum, quæ ibi tractantur, differentiam non prohibere, quominus scribendi, componendique ratio, æque ac dicendi, similis esse possit; quod citra imitationem obtineri non potest. Apud profanos autem, cum hi sint omnium vetustissimi, qui non præcepta solum eloquentiæ nobis tradiderint, sed qui ejusdem perfectissima nobis exempla reliquerint, quod facile intelligi potest ex absolutissimis orationibus, quæ superant adhuc, multa imitatione digna inveniuntur; & hac in re dicere possumus, licere, immo præclarum esse Ægyptum late depopulari, ut illius opibus populus Dei locuples fiat. Novi eruditissimum quemdam virum, ac supra ætatem doctissimum, qui ut concionandi ministerio sese præpararet, in Cicerone studebat rationi veritatis bene probandæ, ac in lucem afferendæ; cumque illi objecissem, Ecclesiasticis argumentis nihil esse commune cum iis, quæ a præstantissimo hoc oratore tractantur: verum quidem est, reddidit ille; at hic rectum sensum admitor ubique nitentem; video quomodo rem suam persequatur, ubi causæ difficultas posita sit, statim deprehendat, & iis omnibus occurrat, quæ sibi objici posse prænoscit; quomodo rationes enucleet, atque aliter, aliterque efferat, donec tandem audientium animos pervadant. Hoc imitandum mihi propono, & hoc mihi erit utilius, quam magnificus aliorum sermo, qui in hoc uno totam positam putant eloquentiam.

Redeo tandem ad concionatores cum veteres, tum recentiores inspecturus, quinam ex omnibus sit potissimum ad imitandum proponendus. Veterum nomine eos intelligo, qui intra ducentos, trecentosve ante hanc diem annos floruerunt. Verum est, reliquis omnibus in rebus antiquitatem laudibus celebrari consuevisse; sed cum de eloquentia agitur longe aliter se habere debet res; plurimi enim extant veteres sermonum scriptores, qui ætate sua summam sibi comparatunt laudem, & quos vix hodie legendos esse censemus, de quibus æquius judicium, quod ferre possumus, est, si nostra hac ætate vixissent, methodum, elocutionem, cogitandique rationem prorsus fuisse immutaturos; in iis enim, quæ scripta reliquerunt, adeo purum artis, rectique sensus occurrit, res ex trivio desumptæ, & adeo pingui, ut ajunt,

ajunt, Minerva elaboratæ, ut ex illorum concionibus intelligere liceat, quantam ex eo tempore hæc studia perfectionem fuerint adepta. Cum vero nobis obtruduntur insignes illi fructus, quos prædicationis ministerio attulerunt, credendum est, zelum, fervoremque, quo verba animabant sua, præsertim vero sanctitatis eorumdem opinionem hanc illis auditorum turbam congessisse; vel potius Dei spiritum, qui infirmissimis etiam utitur instrumentis, ut admirabiles operetur effectus, sermonibus eorum vim, virtutemque adspirasse. Deinceps prout excoli cœperunt ingenia, eloquentia quoque perfectionem est assecuta; atque in Granatensi, & Osorio, aliisque elapsi sæculi nonnullis occurrunt amplificationes, argumenta, veritates enucleatæ, atque ut verbo me expediam, optimi characteris sermones. Verum plurima adhuc in illis reformanda supersunt, ut proponi possint veluti perfectissima exempla; longius processit ars, ac tandem cum eloquentiæ nitorem adepta est, quem adhuc in insignibus antiquitatis oratoribus admiramur. Verum si ea spectentur argumenta, quæ concionum materia sunt, affirmare audeo eximios hujus ætatis concionatores longe ad alios formandos aptiores esse, quam veteres illi oratores, quorum scripta eo sermone edita sunt, qui a nostra te procul abhorret, quæ si in aliud transferantur idioma, jam dimidium vis, ac venustatis amittunt.

Qui igitur concionibus frequenter adsunt, non solum ut sua perdiscant officia, sed ut se aliis vicissim erudiendis pares efficiant, in id attenti esse debent, quod ipsos movet; studere quomodo in hominum animos aditum sibi aperire possint; videre quomodo res præparatæ sint, atque dispositæ, ut quod in semet experiuntur, suis etiam auditoribus inspirent. Neque satis esse putent vivam concionatorum vocem audire, mortuos etiam, vel eos, qui scriptis tantummodo concionantur, sedulo consulant, & ad eorum stylum inveniendi, disponendique rationes seipsos componant. Licet enim hæc opera non eam in animis obtineant vim; ac ea, quæ viva vocem efferuntur, in illis e contra per tempus licet serio meditari, diligenter probationum pondus inspicere, ac denique ea, quæ placent, facile retinentur, ut ubi occasio tulerit, valeant usurpari.

Sin autem quæris, quid sit potissimum imitandum, sive præstantissimos concionatores legas, sive audias; nihil dicam de gestu, actione, totoque exteriori concionatoris habitu, licet hæc omnia plurimum conferant eloquentiæ; hæc enim pars oratoris, cui Demosthenes primas deferendas esse censebat, naturæ munus est, quod talentum vocatur, & quod ars ipsa perficere consuevit, præterquamquod nihil mihi suppetit præceptis addendum, quæ rhetores hac in parte præscribunt, namque Ecclesiastica eloquentia hac in re nihil habet peculiare. Illos tantum admoneo, quibus in hoc non adeo benignam se præbuit natura, posse defectum hunc aliunde pensari, vel saltem corrigi studio, & imitatione, ut aliis bonis qualitatibus suppleatur.

Qui concionatorem audit, eumque imitari conatur, tria potissimum debet in illo animadvertere, Inventionem videlicet, dispositionem, & elocutionem. Inventio respicit argumenta, quæ ille sibi tractanda proponit, & eas veritates, de quibus agere instituit. Quamobrem ad illum imitandum magnas veritates persequi opus est, quæ amplissimam præbent dicendi materiam, & afferendi ea, quæ moveant, ac auditores ad frugem valeant revocare; ea deligere argumenta, quæ tribuant occasionem aliquam moralis disciplinæ parem in lucem afferendi, & quæ auditores maxime moveat; necnon utilia curiosis, minusve communibus præferre. Dispositio complectitur concionis structuram, ordinemque; & quidquid ratio argumentum aliquod pertractandi appellatur.

Qui igitur solidum, methodicumque concionatorem proposuerit ad imitandum, ad hæc omnia animum appellere debet, ut argumenta, ac materiam, qua uti voluerit, scite disponat. Denique imitari debet stylum, naturales, vehementesque locutiones, schemata, ac orationis ornamenta ad persuadendum, movendumque auditorem aptissima; non oblitus opus esse, ut concionatoris stylus a quacumque affectatione, & nimis exquisita elegantia, quæ vim sermonis enervat, & auribus blanditur potius quam animos moveat, abhorreat. Itaque concionantem audiens discere debet concionatoriam elocutionem, quæ ab academica, & scholastica prorsus est alia, dicendi puritatem cum vi, ac dignitate conjungens; at non prohibens, quominus auditor simul æque & rebus, quæ afferuntur, & verbis, quibus efferuntur, attendat. Et profecto hoc neque postremum est, neque minus necessarium inter ea, quæ sunt imitanda; quandoquidem veteres oratores hoc ante cætera diligentissime consectabantur, quemadmodum ex Demosthene legimus, qui ut succo, nervisque plenum Thucididis stylum assequeretur, auctoris hujus historias septies manu propria conscripserat.

Hæc in bonis concionatoribus mihi videntur imitanda. Verum cum nihilominus perperam imitari possis, quod in se præstantissimum est, ac dignissimum, quod proponatur veluti exemplar illis, qui huic ministerio vacare cupiunt; tertio loco ajo, artem adesse bene imitandi concionatores; & artem hanc plurimos canones, plurimasque complecti observationes, quarum Princeps hæc est, hoc persuasum esse debere, sicuti nosse bene imitandi viam, via tutissima est, ut perfectus evadas, & illi simillimus, quem referre conaris; ita prava imitatione plerumque oratorem corrumpi, ac prohiberi, ne ad eam perfectionem perveniat, ad quam, hoc obice remoto, ingenio suo potuisset adniti. Quamobrem vulgo ajunt, & docet experientia, ab egregiis concionatoribus pessimos sæpe fieri, quia illorum defectus ad imitandum sibi proponunt; vel quia quod huic est naturale, invitum, coactumque in amitantibus est propter affectationem, quæ aliquid semper ridiculum continet. Et sane nihil est, in quod acrius, ac vehementius invehantur, qui eloquentiæ præcepta ediderunt, quam in malam imitationem, quam *Cacozeliam* appellant. Ad hanc autem evitandam eos afferam defectus, in quos plerique labi consueverunt, mox fusius ea persecuturus, quæ ad bene imitandum sunt observanda.

Primus defectus per excessum committitur, cum adeo accurate alterius orationem imitamur, ut eam nobis vindicemus, vel totam, vel majorem illius partem usurpantes, quod plagium, furtumque, non autem imitatio vocatur. Plurimi sunt, qui sibi religioni minime vertunt hanc furti speciem, quæ licet justitiæ legibus neque plectatur, neque vetetur, tamen turpissima habetur, & a doctis viris damnatur; & satis est plagii reum fuisse convictum, ut omnis prorsus existimationis fiat detrimentum, nullo unquam labore, ac nisu reparandum. Verum enim vero defectus iste, mea quidem sententia, venia dignus est tum in illis, qui animarum cura premuntur, & gregem suum divini verbi pane enutrire tenentur, sed plurimis distenti negotiis per tempus nequeunt elucubrari sermones; tum in iis, qui propter studii, doctrinæque defectum muneribus suis perfungi minime possent sine alicui laboris auxilio; tum denique in illis, qui vero zelo succensi hac ratione putant proximo se profuturos; hunc enim sanctæ actionis meritum cum sermonis auctore partiuntur, qui sæpe hoc uno consi-

consilio elucubrationes suas publici juris fieri desiderat.

Defectus hic sese statim prodit; neque aliquis est, qui nigrum theta non affigat illi, qui plagiarius est, non imitator. At non deest alter huic geminus, neque minori vituperatione dignus, licet ab indoctioribus non ita facile deprehendatur: videlicet membratim hinc, inde locos decerpere, atque ex variis variorum auctorum sermonibus centonem assuere pictorum instar, qui nolentes haberi tamquam alienorum operum meri imitatores, ex hoc hominis imaginem, & alio aliam mutuantur figuram. Sciti tantummodo pictores intelligunt, unde membra singula fuerint desumpta, sed qui delineandi artem minus callent, vident earum partium congeriem tyronis alicujus esse, non viri omnibus artis numeris absoluti. Hos autem alienorum operum consarcinatores Cornicis fabella monere debet, quod ubi quilibet jure, quod suum est, popoſcerit, nihil ipsis reliquum fore, quam pudorem, eo quod se plumis omnibus exutos irrideri conspicient.

Eorum tamen causam tueri hoc in loco debeo, qui plagii nomine possent insimulari, licet suo tantum jure utantur; in eo videlicet, quod ad argumenti seu moralium concionum, seu mysteriorum, seu panegyricarum orationum delectum spectat. Cum enim eadem semper de suggestu pertractentur argumenta, difficile fieri potest, ne dicam fieri omnino non posse, ut in ejusdem argumenti structura, systemate, ac divisione duo, pluresve simul conveniant; nisi forte ista divisio tot esset notis distincta, ut celeberrimi alicujus esse oratoris, qui primus eadem usus fuisset, palam cognosceretur. Alioquin hoc commune bonum est, in quo omnes jus habent, vel commune est argumentum, quod ab unoquoque potest elaborari. Forma dumtaxat, quæ adhibetur, unum est operum, opificumque, qui manus illis addidere, discrimen.

Hoc mihi revocat in mentem satis facetam contentionem aliquot ante id tempus annis obortam inter concionatores duos, qui ætate sua magna nominis celebritate floruerunt, & quos merita sua infulis decorarunt. Alter, qui nondum Episcopatus munere insignitus erat, cum in Divi Andreæ, quem artium vocant, Domini Jesu Passionem prædicaret, pro textu illa delegit verba: *Manus omnium contra eum*, ejusque argumentum fuit, triplici manu Dei filium percussum ea subiisse tormenta, quæ in Evangelio narrantur; manu videlicet æterni Patris, qui talem ab eo satisfactionem exegerat; manu propria, quia seipsum obtulerat morti, omnibusque vehementioribus affectibus suis facultatem præbuerat cor suum confodiendi, affligendique; manu denique inimicorum, atque carnificum, a quibus in eum statum redactus fuit, quem Isaias descriptum reliquit. Cum hoc argumentum summo cum eruditæ caveæ plausu fuisset acceptum, delatum fuit ad concionatorem alterum ad infulas jam evocatum, qui nuperrime hoc ipsum argumentum, eamdemque propositionem in regiis ædibus prædicaverat, pro textu illa assumens verba: *Propter scelera populi mei percussi eum*: Suum hoc esse, tunc repente exclamavit ille, neque deesse plurimos testes affirmavit, qui hoc argumentum sæpe & in aula, & in præcipuis Lutetiæ templis a se tractatum audiverint. Alter vero, ut plagii notam elueret, se illum nactum fuisse testatus est in Meditatione 114. Patris Burgoin, ubi de Purgantibus loquitur animabus; & ipsum quoque P. Burgoin illud ex alio concionatore, quem olim audiverat, fuisse mutuatum. Biroat, qui sub idem tempus concionabatur, hoc ipsum typis edidit argumentum in Quadragesima, textu variato, & nonnihil sermonis structura deformata. Hinc liquido patet, rem esse vulgatam, quod plures in idem argumentum impingunt, & eos qui alios plagii nomine insimulant, hac in re eodem vitio redargui posse, quod & ipsi plagium in eo patrarint, quod tamquam proprium volunt haberi.

Tertius occurrit in imitatione defectus, difficilius evitandus; trahimur enim torrente consuetudinis, ac turba eorum, a quibus probatur. Est autem, quod si quis concionator recenti aliqua componendi ratione nominis gloriam assequitur; licet illa deficiat, & vitio minime careat, eam tamen omnes imitari adnituntur. Ita non ita pridem conciones sectæ, ac in divisiones, atque subdivisiones membratim concisæ in more erant positæ, eo quod insignis quidam concionator earum invexerat consuetudinem, quæ nonnisi post vigesimum annum obsolevit; licet omnes palam fateantur, eam veræ eloquentiæ oppositam esse, quæ poscit, ut probationes, & argumenta latius effundantur, ut in lucem suam possint efferri. Alter quoque defectus obrepsit, qui prope fuit, ut omnem prædicationis vim, & soliditatem everteret. Fuit autem, sermones ita morum descriptionibus, atque characteribus replere, ut omne tempus transigeretur ea narrando, quæ fiunt in mundo; consuetudines, negotia, libidines, pompas; quin harum rerum horror injiceretur, atque mortales, quæ validas afferendo rationes, qua divinæ justitiæ metum incutiendo, ab illis averterentur. Excessus proculdubio vituperandus erat; verum omnes cæce in illum ruebant, & ex eo, quod concionis esse potuisset ornamentum, si hujusmodi character suo tempore, ac loco fuisset productus, verus fiebat defectus, cum opportune, importune descriptiones hujusmodi ubique ingererentur.

Non desunt alii, qui quod duas, tresve bonas audierunt, legeruntve conciones, illas assumunt in exemplar omnium, quæ elucubrantur, vitiosa imitatione; non enim advertunt, quod hoc in argumento, dicendique genere bonum est, in alio ferendum non esse. Qui ita agunt, satis ostendunt, se neque satis ingenio pollere, neque plura didicisse; cum velint in omnem trahere occasionem, quod ipsi olim in alio admirati sunt, illudque quocumque pretio omnibus sermonibus suis inserere. Adsunt etiam longe plurimi, qui concionatorem se egregie imitatos putant, ubi aliquibus usi fuerint locutionibus eidem familiaribus; sed affectationem produnt eas singulis ferme periodis iterantes. Ita novi concionatorem, qui eo quod alter ipso doctior, ubi res maximi momenti allaturus erat, monere consueverat: Ad hoc animum advertite; attendite quæso; diligenter audite; hoc ita frequenter repetebat, ut auditores fatigaret, & attentionem efflagitans efficiebat, ut minime sibi præstaretur attentio. Si quidquid dicis, notandum est, quondam peracta concione illi dictum fuit; semel hoc dixisse sufficiat; vel dic res notatu dignas, & notabuntur.

Pro ultimo tandem imitationis defectu recenseo, ad alienos conceptus enucleandos, explanandosque, tot verba congerere, ut deformentur, neque possint amplius agnosci; vel illos adeo paucis verbis complecti, ut illis omnis venustas, & decus auferatur. Summa opus est arte, ut in compendio eadem proportio servetur, atque diuturna polleat experientia, ut iis, quæ justam obtinent mensuram, satis ampla tribuatur extensio. Hac in re præstabat Cicero, qui quæ ex aliis auctoribus imitabatur, ita & in compendium redigere, & latius amplificare noverat, ut earumdem venustatem retineret. Sed postquam præcipuos defectus attulimus, in quos sæpissime labimur excellentissimos oratores imitando, nunc afferenda puto, quæ animadvertenda censui,

censui, ut ita illos imitari, eosque ita cominus sequi possimus, ut exemplari imitatio non cedat; vel concessa inventionis gloria illi, qui primus extitit auctor, qui ejus legis vestigia felici imitatione non minorem laudem mereatur; quod profecto eveniet, si quæ mox afferimus, diligentissime exerceantur.

Primum illud est, quemadmodum jure servilis, ac pressa nimis imitatio damnatur, qua ita aliorum conceptus, aut vocabula sequimur, ut nihil addere, nihil demere audeamus, e contra ad bene imitandum opus est omnia nostro ingenio accommodare, ea decerpere, quæ argumento nostro maxime inserviunt, alia relinquere; uti assolet in convivio exquisitissimis cujusque generis dapibus cumulatissimo, ubi singuli ea, quæ sibi placent, & quæ necessaria sunt, tantum delibant. Hoc pacto sancti Patres imitati sunt eos, qui sibi præcessere, aliorum mutuati sensus, quos aliis expressere vocabulis, vel novo verborum ambitu protulerunt, veluti ornamenta, de quorum pretio, & pulchritudine nihil deperit, cum ex proprio dempta loco, in alium non temere translata sunt. Ita videmus S. Bernardum plurima a D. Augustino fuisse mutuatum; Divum Augustinum a S. Cypriano; hunc vero a Tertulliano, quem magistrum suum appellabat, & cujus scripta indesinenter legebat. Id genus imitatio libera dicitur, quia non coarctatur ad verba, ac satis putat, si mentem auctoris assequatur, ejusque sensum in succum, sanguinemque suum transferat, quin admonere opus sit, unde fuerit deprompium, qua in re imitatio a citatione differt, quæ alienis non utitur nisi, ut ita dicam, impetrata facultate.

Alia imitandi ratio huic admodum similis, & quæ licet æque, & non minorem laudem meretur, ea est ex alieno idiomate sensus quosdam depromere, quibus nostratis proprium decus, ac venustas tribuitur. Plurimi sunt concionatores, qui hac mente variis student linguis, & qui eo utuntur jure, quod auditores illis in dubium revocare non possunt: nisi velint piraticam exercere, quia alii etiam populi vicissim nostris utuntur concionibus, ac nostratem concionandi rationem incipiunt sequi. Per me hoc faciant, licet, dummodo non sit mera translatio, sed nostro accommodentur gustui, quæ ab aliis populis desumuntur: alioquin furti crimine illos non excusarem; licet quidam ex celeberrimis concionatoribus nostris hujusmodi plagii accusatus responderit, qui alienos ita depopulantur, dicendos esse manubias potius referre, quam suffurari. Opinor autem, verius dixisset, si commercii nomine fuisset usus, & meminisset, has ut plurimum merces esse cum vectigalium fraudatione delatas, nisi usibus nostris reddantur appositæ.

Nescio utrum istic tertium adjicere debeam imitandi genus, quod nonnulli potius congeriem, vel collectionem vocant variarum sententiarum, ac locutionum ex ignotissimis auctoribus, & ex libris obscurissimis, aliquod tamen habentibus pretium, decerptarum; quas concionatores tanta arte concinnant, ut has de fonte suo manare putares: quemadmodum de celeberrimo legimus Virgilio, qui Ennii opera volvens acute dicebat, se aurum quærere in sterquilinio. Credo eos, qui hoc ipsum in antiquis concionum scriptoribus fecerint, nequaquam esse vituperandos; etenim inter res tritas, e trivio desumptas, male tornatas, ac pejus expressas occurrunt nonnumquam uberes eloquentiæ fontes, pathetici motus, ac insignes sententiæ, quæ in optimum usum possunt transferri. Hoc sane esset adamantem expolire, vel de cæni sordibus educere, ut eo collocaretur in loco, ubi nitescere posset; hoc demum esset in opus inducere partes præstantissimas, quæ ex mala oratione divulsæ, meliori non leve, & spernendum ornamentum afferrent.

Ne quid missum faciam, quod concionatoribus prodesse queat, dicam optimam, vel potius verissimam imitandi rationem eam esse, quam præstantissimi exercuerunt oratores, qui conati sunt eos exæquare, vel etiam superare, quos imitari sibi gloriæ vertebant, in iis saltem locis, ubi facilius hæc deprehenditur imitatio; alienos sensus in nitidiorem afferentes lucem, eique novum perfectionis gradum tribuentes, qui in primi auctoris opere desideratur. Ita plurimi notarunt, a Cicerone superatum semper fuisse Demosthenem, ubi liquido patet illum huic imitando studuisse; cujus rei ultra viginti afferuntur exempla, ex quibus iis, qui comparatione facta hoc intelligere cupiunt, satis erit conferre eloquentissimæ orationis, quam Demosthenes *pro Corona* elucubratus est, exordium, cum initio Tullianæ orationis pro Muræna, ubi liquido constat Græcum oratorem a Latino victum esse; amplificationem, qua eamdem effert sententiam, venustiorem esse, & vocabula selectiora; totum denique hoc exordium summa tornatum esse industria, ideoque imitationem ipso exemplari esse elegantiorem. Ita vellem imitari concionatores; certus enim sum futurum, ut mediocres brevi excellerent, & meliores recentem perfectionem acquirerent. Quibus insignis auctor ille, de quo alibi accidit sermo, Longinus addit, utilissimum fore, si argumentum aliquod pertractantes cogitaremus, quam in partem versaretur ab illo, quem imitandum suscepimus; quomodo hunc, illumve sensum exprimeret, vel quodnam de nobis judicium ferret, si nostrum opus legeret, vel nos concionantes audiret. Si consilium hoc ad sublimen stylum comparandum prodest, operæ pretium est etiam pulcherrimum locum aliquem ad imitandum deligere, & mox inspicere, utrum auctor in hac sui imitatione seipsum cognosceret.

Circa vero locos adeo eloquenter ab oratoribus aliunde expressos, quorum nomen, & meritum alias ad imitandum possunt allicere, hæc quæ sequuntur arbitror esse advertenda. Primum oratori quantumvis præstantissimo non esse erubescendum, eo quod imitatur, vel aliquot aliorum sensus adoptat; tandem enim cum humana mens exiguis finibus coerceatur, fieri potest, ut alius alio aliqua in re magis diserte locutus fuerit, &, ut ea fiat oratio, ubi omnia niteant, non alia fere suppetit ratio, quam qua usus est celeberrimus Pictor ille, qui elegantissimas ætatis suæ puellas collegit, ut quidquid in singulis formosissimum esset, imitaretur. Ego vero nullus dubito, in absolutissimis optimorum oratorum, quorum opera extant, concionibus, si diligentius scrutari velimus, quidquid in aliis imitati sunt, tot hinc inde expressos locos inventum iri, quot ingentibus explendis voluminibus satis esset; quandoquidem quotidie auribus nostris accidunt loci, vel desumpti, vel prudenti imitatione expressi ex Granatensi, Patre Delingendes, aliisque, qui opera sua publici juris facientes publico voluerunt consultum bono, omnibusque jus contulerunt illis utendi.

Secundum animadvertendum est, imitationem, ubi de concionibus sermo est, a plagio quam longissime abhorrere. Plagium enim honorem aufert cum re illi, cujus opus plagiarius sibi vindicat; quemadmodum poeta Virgilius (a) facete illum perstringit, qui se auctorem jactaverat carminum, quæ admirabilis ille vates fuerat elucubratus; e contra vero imitatio non ingloria est illi, qui ad imitandum proponitur; neque enim magis præ nobis ferre possumus; quanti opus ejusdem a nobis fiat, quam illum imitari studentes: & licet mos non obtinuerit, ut hac in

occa-

(a) *Hos ego versiculos feci, tulit alter honores;*
Sic vos non vobis &c.

occasione autographi nomen exprimatur; cum primus auctor agnoscit, se in exemplum fuisse delectum, non ideo succensere, sed sibi plaudere debet.

Tertio semper meminisse oportet, imitationem similitudinem quamdam esse debere, non usurpationem, ideoque imitari non esse impune alieni operis partem describere, ac sibi vindicare; sed adniti, ut aliud opus fiat illi par; quæ dicitur æmulatio, quæ nullo modo potest vituperari. Sin autem opus integrum adoptatur, quod fecit Menagius, ut cujusdam amicissimi sui liber inter opera sua ederetur, curans, cui *Adoptivi libri* nomen affixit, declarandum est genuini Patris nomen, quemadmodum sapientissimus idem auctor præstitit.

Postremo eos, qui concionatores audiunt; etiam, atque etiam monitos volo, ne succenseant, si ab aliquo id audiunt, quod jam ex alio audiverunt; sed meminerint, cum eadem argumenta toties cusa, recusaque fuerint, difficillimum esse, ut aliqua in re non conveniant, qui eumdem actum agunt; cumque idem sensus, eædemque probationes, præsertim quæ propriæ sunt, ac naturales, usurpatæ fuerint ab illis, qui ea tractarunt argumenta, illis, qui deinceps subsecuti sunt, nihil sæpe dicendum supersuisset, nisi usi fuissent eodem jure, ac illi, qui primi inventores fuisse putantur; qui & ipsi alios imitati sunt, qui antea molam eamdem versarunt.



INDEX

INDEX ARGUMENTORUM

Contentorum in hoc Primo Tomo.



BIBLIOTHECA CONCIONATORIA.



ADOLESCENTIA.

Adolescentiæ institutio; vitia, in quæ prona est; virtutes ab ea comparandæ; ejus Officia, pericula illi impendentia &c.

MONITUM.



Dolescentiæ educatio, de qua peculiarem Titulum instituimus, argumentum est longe nimis, lateque extensum, quodque librum potius, quam sermonem deceat, si de virtutibus omnibus, quæ ad eam ætatem pertinent, deque effectibus, ac vitiis, quibus est obnoxia, verba facere velis. Potest nihilominus ad justam Sermonis formam coarctari, dummodo temet inter unius, vel duarum propositionum cancellos contineas, quæ ad mores formandos, imbuendamque adolescentiam pertineant, quemadmodum in primo Tractatus hujus paragrapho præstare adnitemur. Hoc autem fieri præsertim debet iis in locis, iisque in puerorum cœtibus, ubi quis eos erudire, atque ad virtutem manuducere tenetur.

Notandum est tamen hoc de instituenda adolescentia argumentum minime cum filiorum educatione confundendum esse, quæ ad Parentes proprie pertinent: licet enim permulta sint, quæ utrobique dici queant; hæc tamen est materia prorsus alia, uti videre est ex variis officiis tum eorum, qui erudiunt, tum eorum, qui sunt erudiendi.

In tam amplo argumento illis, qui sanctissimam hanc navant operam, & iis præcipue, qui pueros palam sermonibus, vel hortatiunculis ad eorum statum, ætatemque accommodatis instruunt, auctor sum, in hoc præsertim adnitantur, ut illi facile intelligant, ex adolescentiæ tempore reliquum vitæ curriculum, ideoque maximum salutis æternæ negotium pendere; nihilque antiquius esse debere, quam ab ineunte ætate virtutum habitus imbuere, præclara pietatis, & religionis semina jacere, peccatum perhorrescere. Illis ob oculos exhibenda sunt pericula, indicandique scopuli, in quos ea ætas solet impingere: quæ omnia cum unico sermone in illam, quæ par est, lucem nequeant afferri, necesse puto, in plures adhortationes esse partienda. Videamus aliquando materiam.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hoc in argumento construendarum delineatio.

I. ULLUM Christianæ Adolescentiæ aptius, utiliusque eligi argumentum posse reor, quam in medium eas utilitates proferre, quæ illis uberrimæ cedunt, qui a teneris unguiculis Deo famulantur; hæc enim ætas, hoc præstare facile potest, atque adeo salubre consilium amplecti. Duplex, eaque insignis utilitas, quam illi percipiunt, qui a pueris se Deo devovent, partitionem concionis instituet. Prior autem hæc est, eos videlicet qui ab ineunte ætate se Deo mancipant, non eos labores, neque eas difficultates experiri, quæ virtutum exercitationi, ac divino famulatui quodammodo inhærent. Altera vero, quæ aliquid continet positivum, hæc est, illos qui ita Dei servitio se se dedunt, & qui tenella ætate virtutem excolere gestiunt, omnem ejusdem suavitatem percipere.

Pars Prior. Primæ hujus utilitatis rationes ex Prophetæ Jeremiæ verbis desumuntur, qui cum dixisset:
Thren. 3. *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua*: hæc subdit, *sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit se super se*; quæ quidem verba juxta SS. Patrum interpretationem triplicem propositæ veritatis rationem comprehendunt. 1. *Sedebit*; quiescet, hoc est juxta D. Thom. sententiam, minime perturbabitur procacis, salacisque adolescentiæ affectibus, quos qui serius coercere studeant, ægre, ac non nisi cum labore illorum æstum, atque impetum cohibent. Quis enim ignorat in hoc positum esse virtutis studium, ne tuis affectibus decipiaris, sed primos eorum motus contemnas, atque animum in omne vitium ruentem moderaris? quod efficit, ut alii jugum Domini, quod velis nolis, serius ocyus subeundum est, si salvus esse cupis, in diem semper subire differant; alii postquam illud subiere, statim excutiant; alii demum illud omnino detrectent illecti, aut victi pravis affectibus suis, qui sæpe indomiti evadunt. Non exigua est igitur utilitas servientibus Deo jugum ferre ab adolescentia, quo tempore affectus, qui deinceps non spernendum afferent obicem, nondum vigent, neque illud obtinent imperium, quod in adultioribus sævius exercere consueverunt. 2. Affectuum quies, atque tranquillitas nequaquam unica est causa, quæ virtutem præbeat faciliorem; Propheta adjicit silentium quod quidem a turba, & sæcularium negotiorum sejunctione procedit: *Sedebit solitarius, & tacebit*. Licet enim D. Ibidem.
Bernardus hæc de illis explicet verba, qui Religiosum statum amplectuntur, ubi vere ab omnibus sæculi rumoribus, negotiorumque impedimentis absunt, intelligi nihilo secius possunt de quovis hominum statu, & conditione, ubi mente saltem, corde, atque affectu a sæcularibus curis omnino secedendum est, ut Deo quemadmodum oportet, serviatur. Hæc autem non in postremis est utilitatibus, quibus adolescentia perfruitur, quæ nondum est negotiis implicita, & propter bonos habitus, quos ex recta institutione adepta est, facilius in pietatis exercitatione, ad quam fuit exculta, potest perseverare. Namque alioquin non secus ac mundi voluptates, erroresque sæculi levi nego-

negotio adolescentum corrumpunt animos; ita negotia, rumores, sæcularesque curæ, eos distrahunt, dissipant, atque avertunt a qualibet salutis æternæ cura, atque a Dei famulatu, quæ quidem facili oblivione obruuntur. 3. Adde cum Propheta: *Quia levavit se super se*. Qui Domini jugum ab adolescentia gestaverit, supra semet ipsum se attollet; hoc est, Divina opem ferente gratia super naturam ipsam se efferet, supra aliorum sensus, atque infirmitates; supra metus, qui infirmas deterrent animas, supra humanos respectus, qui obsunt plerumque, ne plurimi in Dei partes palam concedant, ac se pro virtute stare profiteantur, ita ut in via Domini celeriter currant, dum reliqui vix gradiantur; namque se a teneris Deo mancipantes non modo omnem virtutis laborem evitant, verum etiam omni illius suavitate fruuntur: quæ altera sermonis est pars.

Pars altera. Hæc luce clarior est veritas, non deesse virtuti suavitatem suam quibuslibet etiam sensuum voluptatibus præferendam: verum nequaquam affirmare dubitaverim quidquid inde lætitiæ, suavitatis, atque solatii dimanat, partem esse innocentium animarum, quæ ab ineunte ætate se Deo devovent. 1. Conscientiæ pacem, & quietem, cui nihil potest comparari, & quam Biblia perenne convivium appellant; quemadmodum ex adverso nullum excogitari supplicium potest, quod acres exæquet stimulos, ac gravissima pœnitentiæ fastidia qui in sceleribus consenuere. 2. Huic Conscientiæ quieti, qui primus est quodammodo fructus, quem virtus constans demerit, alterum etiam Patres adjiciunt, interiorem scilicet unctionem, quam Deus super suum jugum effundit, qua non solum levius, verum etiam suavissimum efficitur, & jucundissimum, ubi a puero gestetur. 3. Tertia, atque postrema ratio est, cum, qui id fecerit, ampliora mereri præmia, majoraque ad Cœli acquisitionem sibi merita comparare &c. *Depromptum ex sermone secundo in festum Præsentationis B. Virginis diem Auctoris Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta.*

II. Institui quoque sermo potest, ubi probetur a Deo expeti, eique acceptissimum esse adolescentiæ servitium; cujus hæc esse poterunt argumenta, quæ si in lucem suam vocentur, Concionis partitionem subministrabunt.

Prima autem ratio hæc est, tempus adolescentiæ esse vitæ primordium. At liquido constat Deum præsertim primordia sibi deposcere. Quamobrem in veteri lege præceperat, ut cujuslibet rei sibi primitiæ offerrentur. De fructibus, eos qui primi colligerentur, sibi offerri jubebat; de animantibus primogenita sibi mactari; de hominibus etiam eos, qui primi in lucem fuissent editi, suo templo voluit præsentari eodem inservituros, licet ut dein redimerentur, permitteret. Qua institutione ostendebat quamvis omnia æque juris essent sui, sibi tamen magis accepta esse primogenita, quippe quæ sibi potiori jure præ ceteris deberentur, & quæ gratitudinis nomine postulabat. Hinc cum adolescentiæ tempus, sit pars prima, vitæque principium, eam expetit Deus, sibique jubet offerri, ut pie, sanctèque in ipsius famulatu ducatur. Latius etiam explicari potest injuria, qua Deum lacessunt, qui hoc illi principium deferre detrectant, atque vitæ in turpi Mundi famulitio transactæ, reliquias illi reservant.

Ratio altera, qua tempus adolescentiæ Deo acceptissimum esse probetur, ea est, quod communiter, atque secundum naturalem rerum ordinem loquendo hæc purior est vitæ pars, & quam vitia minus depravarint. Ea ætate nondum tanta peccati habetur cognitio; neque tanta peccandi suppetit facultas, & occasio. Judicium nondum iniquissimis Mundi præceptis præversum est, neque mores, ac studia impiorum contagione corrupta. Adhæc gratia in Baptismo recepta adhuc recens Deo hanc ætatem efficit chariorem, in iis saltem, qui innocentiæ suæ jacturam non passi sunt. Hinc etiam judicium ferri potest de eorum improbitate, qui pueros pravissimis exemplis corrumpunt, nec non de illorum apud Deum meritis, qui adhortationibus, præceptisque puerorum student saluti, eosque in virtutum detinent exercitatione &c.

Ratio tertia, ex qua altera Sermonis hujus pars concinnari potest, hæc est; adolescentiæ præsertim tempore plurimas occasiones adesse, quibus te vere Dei amore flagrare demonstres. Illud primarum tentationum est tempus, quibus acrius sollicitaris, ut Dei amorem exuas, ejusque famulatum excutias. Tui te affectus pertentant, primum tunc imperium exercentes; tui te socii tentant, qua sermonibus, qua exemplis in vitium impellentes; te Mundi tentant illecebræ, & ea omnia, quæ oculis objiciuntur: adde communem nostræ salutis hostem, nihil intentatum relinquentem, ut nos a Dei servitio divellat: ita ut ætas illa proprie dici queat prælii, ac certaminis tempus, quo palam ostendere debes, te vere Deo famulari, eum amare, illi fideliter adhærere. *Gobinet in institutione adolescentiæ.*

III. Ostendi potest rectam, sanctamque institutionem tamquam signum prædestinationis habendam.

1. Per hanc enim tollitur quidquid naturale peccat ingenium; boni pietatis, religionisque sensus imbuuntur; sancta ediscuntur præcepta, quæ ut plurimum in omni vitæ curriculo retinentur; si quis aliquando ceciderit, surgit facilius, & ea pietatis rudimenta, quibus imbutus est, boni seminis instar fructus tempore suo ferre non cessant. 2. Quia Deus qui peculiari eos amore prosequitur, qui a teneris usque unguiculis se se illi devoverunt, peculiaribus etiam cumulat gratiis, tuetur, deducit, illisque ea præbet adminicula, quorum ope in sancto ipsius servitio perseverent. Si enim ut plurimum finalem iis elargitur perseverantiam, qui fidelem serviunt servitutem, numquid eam illis abnuet, qui ab infantia eum colere, eique obsequi incœperunt? Ita videmus eos, qui majori sanctitatis laude floruerunt, & quos Deus ad altiorem gloriæ verticem evocavit, plerumque ab incunabulis, nonnisi singularissima præoccupatos gratia incœpisse. 3. Nam per bene institutam adolescentiam boni assumuntur habitus in reliquum vitæ spatium permansuri, qui virtutis exercitationem nobis faciliorem exhibent, ac post vitam cum sanctitate, ac virtute transactam ad æternæ felicitatis possessionem immittunt.

IV. Duplex hæc veritas Concionis argumentum, atque partitionem poterit suppeditare.

Prior. Eos, qui in adolescentia virtutem excolunt fere in reliquo vitæ curriculo ab ea non recedere; vel saltem illis non deesse valida adminicula, singularesque gratias, ut id consequantur.

Altera. Eos e contra qui ab adolescentia se se vitiis, ac libidini mancipant ægre resipiscere, ac fere ad finem usque in vitiorum suorum nequitia versari.

V. Quod autem spectat ad eorum munus, qui puerorum instituendorum curam gerunt.

1. Nihil excellentius, nihil utilius est hoc munere adolescentes in pietatis operibus ac Dei timore edocendi. 2. Nullum hoc officium charitatis præstantius est, & quo majora merita acquiras. Primum propter muneris ejusdem pretium, ac dignitatem, quippe inter ea censetur, quæ spiritualis eleemosynæ vocabulo nuncupantur. Secundo propter maximam eorum indigentiam, quibus tantum boni defertur. Tertio propter rationem, ac finem, propter quem ea cura suscipitur, qui quidem egregius est, ac maxime excellens. 3. Non aliud munus ad nosmet sanctificandos aptius potest excogitari.

VI. 1. Injuria, qua Deus lacessitur ab iis, qui adolescentiam in impudicitiis, effrænique vivendi licentia traducunt. Mundi servitus, voluptas propria, atque omnia ferme creata præferuntur Deo; ac ille tunc temporis læditur, quo eidem majori cura famulari tenemur, &c. 2. Jactura, quam ipsi patimur; ad quodlibet enim obeundum officium nosmet ineptos efficimus; immatura morte vitæ ipsius spatium imminuimus; plerumque in mentis cæcitatem, & cordis obdurationem corruimus; atque apertissimum damnationis æternæ periculum subimus.

VII. Quam maxime interest adolescentes ad virtutem insti-

institui; in hoc enim res Ecclesiæ, reipublicæ, familiarum, publica, privataque agitur; quæ singula facili negotio probari possunt experientiæ testimonio, ac eorum malorum congerie, quæ ex rectæ educationis defectu proficiscuntur. 2. Quanam in re sancta hæc institutio consistat; ut scilicet pueris pietatis, ac religionis sensus instilles, ac sana consilia, quorum ope, atque ductu omnem vitæ curriculum transigant; illos seu studiis, seu alia quapiam exercitatione detineas, ut otium, vitiorum omnium parentem effugiant, eisque suadeas, ut cum hominibus frugi, virtute, sapientiaque præditis consuescant.

VIII. De rectæ educationis necessitate: 1. hoc enim tempus vitæ est periculosissimum, quo animus facile, & bona ebibit, & mala præcepta, alioquin sibimet regendo impar: & licet a natura felix ingenium sortitus sis, semper tamen facili negotio ab iis, quibuscum versaris; si improbi sint, seduceris ac similium tuorum exemplis corrumperis. Quis igitur inficias ibit, opus adolescentibus esse egregio duce in hac via, ubi errare non minus facile est, quam perniciosum? 2. Quinam autem Dux iste esse debet? Non enim minoris momenti illius habenda est electio, seu magister, aut præceptor, sive custos futurus sit; hinc enim recta pendet educatio. Hic igitur exploratæ sit oportet probitatis, ut iis quos erudit, non exemplo minus præeat, quam præceptis. Vigilans sit, atque muneri suo rite obeundo intentus, de salute eorum, qui ipsius curæ crediti fuerint, rationem redditurus. Habeat demum tantum auctoritatis, quantum requiritur, ut discipulorum, vel alumnorum suorum, quos suavitate potius, quam severitate moderari debet, una timorem, amorem, obsequium, existimationemque sibi conciliet.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque unde hauriri queat materia ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. Sanctus Augustinus *Serm.* 247. *de Temp.* prolixam habet orationem, qua pueros ad virtutem excolendam hortatur.

S. Ambrosius *l.* 1. *Offic. c.* 17. adolescentibus præclara tribuit documenta: hoc ipsum præstat libro secundo, ubi inter cetera illos hortatur ut sapientibus, probisque viris consuescant ex bonis illorum exemplis affluentem fructum percepturi.

Idem in Psalm. 118. ostendit adolescentiam procacem esse, ambitiosam, atque præsumptioni obnoxiam, earumque rerum adfert rationes.

Idem in Psalmum eumdem quantopere præstet ab adolescentia Deum colere ostendit.

Idem in ea Psalmi ejusdem verba: *Adolescentulus sum ego, & contemptus*, plura adfert eorum exempla, ex quorum adolescentia vix spes ulla concipi poterat, quos tamen Deus ad maximas res transigendas elegit.

Idem in illa ejusdem Psalmi verba: *In quo corrigit adolescentior viam suam*, loquitur de illis, qui in ipso adolescentiæ flore, spiritus maturitatem, præcocemque gravitatem, & senilem prudentiam sunt consecuti.

S. Basilius *in cap.* 3. *Isaiæ* de vitiis loquitur, quibus magis obnoxia est adolescentia.

S. Chrysostomus *hom.* 50. *in Matth.* quod inter probam, improbamque adolescentiæ institutionem intercedat, ostendit.

Idem *hom.* 60. *in eumdem* eos, qui puerorum erudiendorum curam gerunt iis comparat, qui equos subigunt, & ad equitandum instituunt.

Idem *Hom.* 1. *in Epist. ad Hebræos* de puerorum regimine loquitur, & de bono exemplo, quod eorum institutores illis debent ad imitandum proponere.

S. Bernardus prolixum Tractatum composuit, cui titulus: *De ordine vitæ, & morum institutione*; Alias *de doctrina puerorum, & correctione morum*: ubi de adolescentiæ virtutibus late differit, ac docet quo pacto illa sese gerere debeat, & regenda sit &c.

Idem *in floribus de adolescentia* verba facit, de eorum qualitate, quibus credenda est puerorum institutio, deque reverentia, qua sunt illi a pueris credītis excipiendi.

Gobinet eo in libro, cui titulus: *Instruction de la Jeunesse en la pieté Chrétiene*, quidquid in hoc argumentum dici potest, collegit, ita ut hac in re ille unus esse queat instar omnium; ideoque illinc pleraque hausimus, quæ sunt a nobis deinceps dicenda. Ejus autem libri hic est ordo, hæc divisio. Ascetici aliique.

In parte prima eas adfert rationes, quibus ab adolescentia virtutem excolere tenemur.

In altera de necessariis ad virtutem in adolescentia consequendam adminiculis differit.

In tertia agit de obicibus, qui a virtute persequenda pueros detorquent.

In quarta demum de virtutibus, quæ in adolescentibus requiruntur, verba facit.

Pater le Brun eo in libro, cui titulus *Juventus sancta* sive *institutio juventutis Christiana* in pluribus capitibus de virtutibus agit, quæ in adolescentibus requiruntur, deque vitiis ab iisdem fugiendis, atque singula aptis probat exemplis.

Eusebius Nierembergius in *asceticis* Hom. 14. probat jugum Domini esse leve, si ab adolescentia gestetur.

Cambolas in Christianæ vitæ exemplari cap. 5. ubi de filiorum educatione verba facit, pluribus in sectionibus quomodo instituere pueros oporteat, edisserit.

In libro cui titulus: *Instruction Chrétiene pour l'education des filles* in præfatione, pluribusque locis de puellarum agitur institutione.

P. Croiset *dans les Reflexions Chrétienes* tractatum habet de puerorum educatione.

Liber, cui titulus: *La Connoissance du monde, ou l'art de bien elever la jeunesse* late differit de iis omnibus, quæ ad hoc attinent argumentum.

In libro, cui titulus: *Regles Chrétienes établies sur les maximes de Jesus Christ, & de l'Eglise pour vivre saintement dans le mariage*, Dialogum reperies de puerorum correctione, ac adolescentiæ regimine.

In libro, qui inscribitur. *Jesus en son bas age pour servir de modele a la jeunesse Chrétiene* plura adsunt hac de re documenta.

Alius libellus inscriptus: *Reflexions Chrétienes pour les jeunes, qui entrent dans le Monde.*

Libri, in quibus de filiorum educatione tractatur, suppeditant quoque nonnulla adolescentibus etiam recte instituendis communia. Eorum autem præcipuos in titulo de Filiorum educatione in medium attulimus.

Inter Petrarchæ dialogos unum de adolescentia instituenda invenire est.

Plures supersunt adhuc tractatus breves, monita, consilia, præceptaque ad utriusque sexus adolescentes instruendos continentia.

Non defuere inter ethnicos nonnulli, qui argumentum hoc pertractarunt, & ea monita, eaque tradidere præcepta, quæ Christianis etiam adolescentibus perutilia sint.

Plutarchus hac de re data opera tractatum elucubratus est; Cicero in Officiis; Seneca passim, præsertim vero Epistola 110.

Omnes fere nuperi concionatores hoc de puerorum institutione argumentum cum parentum cura de Liberis educandis, atque in Dei timore erudiendis commiscuerunt ducti fortasse utriusque argumenti similitudine; ideoque eos potes consulere, quos in titulo de filiorum educatione in medium proferemus. Concionatores.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta secundo mysteriorum tomo, & secunda in Deiparæ Præsentationem Oratione, sermonem integrum habet de utilitate Deo a teneris unguiculis, ac primo pueritiæ flore inserviendi.

Qui in hoc argumento collectanea ediderunt.

Busæus de statibus. *Titul. de adolescentia statu.*
Berchorius. *Titul. adolescentia.*
Lohner. *Titul. Educatio.*
Theatrum vitæ humanæ. *Titul. Adolescentia.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Bibliorum ad hoc argumentum.

Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Genes. 8.

Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos secundum dies, quibus Deus custodiebat me? Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando erat Omnipotens mecum? Job 29.

Ossa ejus replebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient. Idem, cap. 20.

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Psalm. 24.

Adolescentulus sum ego, & contemptus: justificationes tuas non sum oblitus. Psalm. 118.

In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. Psalm. 118.

Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Prov. 22.

Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum? Nec audivi vocem docentium me, & magistris non inclinavi aurem meam? Prov. 5.

Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute tua invenies? Eccli. 25.

Fili a juventute tua excipe doctrinam, & usque ad canos invenies sapientiam. Eccli. 6.

Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ. Ecclef. 12.

Adolescentia & voluptas vana sunt, (id est transitoria.) Eccli. 11.

Adolescens in medio magnatorum non præsumas, & ubi sunt senes, non multum loquaris, & pro reverentia accedet tibi bona gratia. Eccli. 32.

Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Thren. 3.

Erant filii Israel, & filii Juda jugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua. Jerem. 32.

Adolescentes subditi estote senioribus. 1. Petri c. 5.

Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Daniel. 12.

Exempla Veteris, Novique Testamenti.

Quemadmodum ea omnia, quæ istic afferenda sunt de puerorum institutione, in id unum collimant, ut illi ad Deo quamprimum inserviendum, innocentiam tuendam, gravissimumque peccati horrorem imbuendum excitentur, eos subjicimus, quos ex veteri legi sibi ad imitandum proponere possunt, & quibus recte instituta adolescentia potissimum profuit, ut Deus illos ad sublimiorem sanctitatis gradum proveheret.

Exemplum innocentis Abel. A sanguine justi Abel &c. Primus inter Sanctos, atque Prædestinatos, qui in orbe, immo in orbis ipsius primordiis extiterit, est innocens Abel, quem JESUS CHRISTUS justum vocat in Evangelio. Scriptura ne verbum quidem facit de primis annis ejusdem; verum probabile admodum videtur, cum summo cum dolore spectasse miserrimum statum, in quem parentes sui propter scelus inciderant; quorum infidelitatis horror effecit, ut arctius adhæreret Deo fidelissima charitate, quam nihil unquam concutere valuit. Non aliud de ipso traditum nobis fuit, nisi quod Deo sacrificia offerebat, eique deferebat cultum, qui unum illum decet, & alteri cuipiam incommunicabilis est, seu quod Adam ejus pater ita illum erudiverit, seu quod pietas ipsa illum de hoc officio, quod supremo Enti unice debetur, admonuerit. In hoc igitur pietatis opere se exercuit, & quidquid optimum erat in gregibus suis obtulit Deo, ut omnium bonorum suorum Auctori, & gratum, & devotum animum testaretur.

Samuelis adolescentuli exemplum. Samuel, cujus nativitatem orationum vi, ac virtute impetratam excepit educatio parentis optimæ, quæ illum Deo, antequam in utero conciperetur, devoverat: filius hic lacrymarum, & precum usum rationis vix attigit, cum conceptam de se expectationem implevit. Ejus quippe innocentia, pietatisque sensus, quibus fuerat imbutus, illum ad eam cum Deo familiaritatem disposuere, quæ parvulum puerum in magnum Prophetam convertit, cujus opera jam ex tunc Deus usus est, ut Heli Summo Pontifici cœli minas, ac insigne supplicium portenderet ob ejusdem nimiam in filios indulgentiam, singula describens mala, quæ ipsi, totique familiæ impendebant. Reliquus vitæ cursus magni hujus viri ab adolescentiæ sanctimonia minime abhorret, cumque in dies virtute, ac sanctitate proficeret, illum elegit Deus, ut populum suum regeret, eique sua jussa depromeret.

Salomonis exemplum in adolescentia. Non multo post Salomon floruit, qui Dei jussu ad solium evectus duodecimum agens annum populo Dei ea præfuit sapientia, quæ sibi divinitus concessa fuerat, præmium (nullus enim ambigendi locus est) pietatis, ac timoris Dei, in quo altus fuerat, atque institutus. Donec virtute felix illud excoluit ingenium, quod fuerat Deo favente sortitus, omnes homines sapientia, Reges omnes gloria antecelluit: felix si ad finem usque perseverasset, & nisi ad senium vergens tenebras comparatæ sibi gloriæ offudisset, nomini suo infamiæ notam inurens flagitiis, atque impietate, quemadmodum scriptura testatur.

Exemplum S. Patriarchæ Joseph. Exemplum Sancti Patriarchæ Joseph, in cujus pueritia verum virtutis specimen eluxit, liquido nos docet, ea in ætate innocentiam tueri, atque a Dei timore ne minimum quidem deflectere, viam esse ad Cœli præsidium sibi demerendum omnibus in periculis, quibus in toto vitæ curriculo sumus obnoxii, atque ad veram sanctitatem indipiscendam. Nemo ignorat, hunc sexdecim annos natum ita flagitia qualibet perhorruisset, ut morum suorum integritas pravis fratrum exemplis fœdari nequiverit, quorum improbitatem cum ferre non posset, patrem Jacob identidem certiorem faciebat. Vitæ rectitudo, ac virtus propter quam & Deo, & parenti acceptus erat, fratrum ipsi conflavit invidiam, qui prope fuerunt, ut cruentas in illum manus injicerent. Verum non id, neque alia, quæ virtus illius pericula subiit, sed ejus tantum integritatem admiror, quam in gravissimis etiam, quibus lacessitus fuit, adversitatibus servavit incolumem. Timor Dei, quem ab ipsa imbuerat infantia, effecit, ut nequissimum horreret adulterium, ad quod ab impudica Domina & minis, & illecebris alliciebatur. Neque in rebus prosperis minori cura suam erga Deum fidelitatem probavit, quam in adversis, qui duo sunt periculosissimi virtutis scopuli, nisi hæc fuerit educationis sanctitate roborata, qualis fuit hujus Sancti Patriarchæ virtus, qui ad extremum usque senium in utraque fortuna semper se eumdem ostendit.

Exemplum Tobiæ. Tobiæ. 1. Sanctus vir Tobias ipse quoque virtutis exemplar est; adolescens enim mira edidit sanctitatis specimina, quæ leguntur in Bibliis. *Hic cum esset junior omnibus in tribu Nephtali, nihil tamen puerile gessit in opere. Denique cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Jerusalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiva sua, & decimas suas fideliter offerens.* Post quæ Sacer Textus addit; *Hæc, & his similia secundum legem Dei puerulus observabat.* Quam præclara est pueri nihil puerile agentis, videlicet nihil virtuti oppositum operantis vita; qui se non patitur pravorum exemplorum torrente rapi, sed constans in Dei servitio persistit, tunc cum ceteri illum turpiter derelinquunt. Adolescentiam egregie ad eo traductam nonnisi sancta senectus excipere poterat, qualem scriptura in vitæ ejusdem historia describit.

Prophetæ Danielis Exemplū. Neque Danielis Prophetæ exemplum prætetire decet, qui cum in pueritia sanctissime institutus fuisset, Deo fidelis permansit, & in captivitate sua impii Regis vi, minisque nequaquam deterritus integritatem, Religionemque servavit incolumem. Hic divina prorsus sapientia repletus fuit quam Reges potentissimi consuluerunt; ac meritus est, ut Deus magna sibi revelaret mysteria, quæ Messiæ personam, & ultionem spectabant, quam de morte Christi sui Deus sum-

ptrus

ptutus erat, cujus quidem tempus disertissimis verbis aperuit. Puer hic nondum duodecimum annum attigerat, cum impudissimos senes, qui Susannæ vim inferre studuerant, confundit; eumque suscitavit Deus innocuæ mulieris patronum, eo quod ipse quoque innocentissimus erat.

Congeries eorum, qui virtute, ac sanctitate excelluerunt, eo quod a pueritia virtutem adepti sunt.

In Bibliis eos fere omnes, quos Deus ad altiorem sanctitatis apicem, vel ad præclaras res gerendas vocavit, a teneris usque unguiculis non communem virtutis speciem præ se tulisse conspicimus, futuræque magnitudinis fundamenta in sancta educatione jecisse. Talis fuit Isaac ab Abraham optimo parente suo domi, quæ virtutis erat Schola, educatus. Talis sanctus ille Job ab adolescentia pronus adeo in misericordiam, ut misericordia ipsa cum illo genita fuisse, atque cum eodem adolevisse videretur. Talis Jeremias, qui decimum quartum vel decimum quintum agens annum a Deo jussus nomine ipsius ad Reges, & populos loqui, licet suam prætexeret pueritiam, agnovit hanc non obesse præclaris rebus peragendis, ubi Deus alicujus uti voluerit ministerio. In magno Regum Juda numero, qui post Salomonem imperitarunt, sex recensentur, qui toto vitæ suæ spatio pie, sancteque vixerunt, eo quod ab adolescentia vitam recte instituerant, videlicet Asa, Josaphat, Ozias, Joathan, Ezechias, Josias; cum interim, qui scelesti fuere, qui quidem longe majori censentur in numero, omnes ferme ab ipsa pueritia flagitiosa, atque impia, quales essent futuri, non obscura dederant documenta.

Exemplū J. C. in pueritia.

Quamvis Mundi Redemptor quamlibet vitæ suæ partem, atque momentum ætatum omnium saluti, atque sanctificationi devoverit; in ipso tamen præsertim nativitatis exordio, primaque infantia clariora præbuit exempla paupertatis, obedientiæ, humilitatis, eorumque præceptorum, quæ deinde ætate provectior edocuit. Ii, qui de mystica vita tractarunt, fatentur etiam, hæc eadem exempla, quæ in ipsa tradidit adolescentia majorem nescio quam viam, illecebramque obtinere ad hominum animos in sui imitationem alliciendos, rapiendosque. Illud tamen certe certius est, ipsum e re maxime futurum censuisse, si ab ipsis usque incunabulis virtutum earum tradidisset exempla hominibus, qui easdem toto vitæ spatio exercere debebant, quod fieri nullo fere modo potest, nisi ab ipsa incœperint adolescentia.

Exemplum B. Mariæ Virg.

Quid de primis Beatissimæ Virginis annis dicam, quæ primo statim vitæ suæ momento sese Deo addixit? Nullus ambigendi locus est, quominus illos in omnium virtutum exercitatione transegerit, & quidquid vel minimum ipsa operata est, longe superasse insigniora, ac præstantiora illorum Sanctorum merita, qui maxima sanctitatis laude floruerunt. Hæc enim Ecclesiæ, hæc Doctorum omnium sententia est, eamdem in singula momenta & gratia, & sanctitate profecisse, ut se tandem Divina maternitate dignam præberet.

Exemplum S. Jo: Baptistæ.

Quæ autem virtutis, ac sanctitatis exempla gloriosus J. C. præcursor tradidit S. Jo: Baptista? Hujus nativitas miraculo non caruit; pueritia in eremi solitudine transacta prodigii loco habita est; pœnitentia, atque austeritas ipsius naturæ vires excessisse videtur; ideoque tantæ virtutis lumen deserti sui tenebras superavit, tantumque fulgoris emisit, ut omnes undique ad illum confluerent, dubitarentque, utrum ipse ille Messias esset, cujus se vocem tantummodo, præconem, præcursoremque appellabat. Oportebat autem, eam existimationem, quæ de ipsius merito, atque sanctitate percrebuerat, tantam esse, ut ipsius testimonium missionem Salvatoris in Mundum sua auctoritate probaret, ac populus Juda hunc talem vere esse, ex illius affirmatione teneret; ita ut ipse quoque Dei filius eumdem in testem assumeret, ejusque testimonio, tamquam argumento confirmaret missionem suam, quæ, licet tot miraculis propalam patratis suffulta, in dubium tamen revocabatur.

Exemplum S. Jo: Evangelistæ.

Quis autem ignorat, ideo præ cæteris a JESU CHRISTO singulari affectione distinctum illum fuisse discipulum, qui dilectus ab eodem vocatur, quod inter Apostolos ætate minor erat, cæteris vero innocentior, purior, quodque in ipso ætatis flore Divino adhæserat præceptori, sese ejusdem addicens servituti statim ac fuit ab eodem vocatus. Hanc adfert caussam D. Hieronymus, quæ tamen nequaquam excludit virtutes cæteras, quæ eidem JESU CHRISTI amorem conciliarunt, & quæ totidem erant Cœli munera, ac beneficia.

Testimonium S. Pauli de Timoth.

S. Paulus de Timotheo Discipulo suo verba faciens ait, hunc a nemine propter adolescentiam esse contemnendum, qua in re satis ostendit, quanti faceret virtutem illius, prudentiam, zelum, cæterasque dotes, quæ illum eo, quo fungebatur, munere, dignissimum efficiebant: ita ut nihil puerile in eo inveniretur præter ætatem, cui virtutes, mores, provectiorisque ætatis præcox prudentia satis, & abunde supplebant.

Plura conscribenda essent volumina, si afferre vellemus eorum omnium exempla, qui omnibus in regionibus, omnibusque sæculis post institutam Christianam Religionem floruerunt, qui ab ipsa adolescentia Domino fideles extiterunt, & ex primis usque pueritiæ suæ rudimentis præclarum futuræ sanctitatis specimen præbuerunt; quos Deus sanctissima educatione ad magna obeunda munera disposuit, atque præparavit, quibus illi hac ratione pares se præbuerunt.

Quorumdam Scripturæ locorum ad id argumentum applicatio.

Diluculo serviendo Deo.

MEmento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ. Ecclef. 12. Jubet Deus, sibi ab ipsa pueritia servitutem præstari. Hoc autem indigitavit, cum in veteri Testamento præcepit, ut sibi hominum, brutorumque primogenita, fructuumque omnium primitiæ offerrentur. Quid autem magis æquum est, quam toto vitæ curriculo famulari Deo, qui nobis & esse, & vivere largitus est, Parenti optimo, qui tanta liberalitate nos alit, nobisque præclaram adeo promittit hæreditatem? Non ne indignum, ac nefas est mundo vividiorem, florentioremque vitæ partem impendere, Deo autem servare corpus & senio confectum, & flagitiis plerumque nequissimis debilitatum? Non ne hoc imitari est infelicem Cain, quidquid in grege macie confectum erat, offerentem? Nonne hoc est sese iis maledictis objicere, quibus fuit ille percussus? Ab adolescentia igitur Deo inservias, alioquin inobedientiæ, ingratitudinis, injustitiæ nota damnandus, ac immenso orbandus eorum meritorum thesauro, quem tibi comparare valuisses, si a teneris usque unguiculis virtutem exercere incœpisses: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ*. Historias Sanctorum evolve, & ubi unum invenies, qui provectiori ætate conversus egerit pœnitentiam, sexcenti occurrent, qui ab ipsis fere incunabulis præclara præbuerint ejus sanctitatis indicia, ad quam deinde pervenerunt.

A puero Divina lex edifcenda, ejusque ad implendæ ratio.

Fili a juventute tua excipe doctrinam, & usque ad canos invenies sapientiam &c. Eccli. 6. Audite pueri, auribus percipite Spiritus Sancti verba suadentis, ut Domini legem discatis. Verum ab adolescentia inchoandum est: *A juventute tua excipe doctrinam*. Ex eo tempore percipienda est ratio inserviendi Domino, virtutesque Christianas exercendi, quas Divina lege docemur. Verum vim verborum attendite: *Excipe doctrinam*. Hæc quidem est excipienda, non enim nobiscum nascitur, sed de Cœlo proficiscitur, sed ex Libris Sanctis, & ex Sapientis Præceptoris magisterio percipitur; quamobrem *si videris sensatum*, inquit Sapiens, *evigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus: Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maxime assiduus esto: & ipse dabit cor tibi, & concupiscentia Sapientiæ dabitur tibi*. Nonne præposterus error est, ut humanas scientias acquiras, Præceptores audire, ut autem supernaturalem, divinamque sapientiam assequaris, nullius opem inquirendam esse arbitrari? Fateris, te citra Rhetoris præcepta Elo-

Eloquentiam non posse percipere, & sine sapientis doctoris consilio te perfectum Christianum futurum esse censebis? *Fili excipe disciplinam.*

Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam viri in adolescentia. Prov. 30. hoc est quartum quod me prorsus latet, Judicium est de homine in adolescentiæ statu ferendum. S. Hieronymus ait accurate notandum esse, quid afferat sapiens de iis, quæ sibi negotium in hoc judicio ferendo facessant. Adolescens in affectuum suorum æstu, omnem habet aquilæ rapiditatem, atque impetum; in voluptatum, votorumque suorum varietate, omnes habet serpentis plicas, & sinus; in variis cogitationibus, quibus in diversa trahitur, atque in objectorum, quæ appetit, multiplicitate, omnem præsefert motum, quo navis ventorum, ac tempestatis viribus acta agitatur. In hoc autem statu adeo incerto, ac inquieto, quid agent, sine præceptore, sine duce, qui hujus aquilæ volatum regat, huic serpenti viam indicet, & navim hanc inter procellas, & scopulos tuto, ac feliciter in portum adducat.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum in hoc argumentum loci, atque sententiæ.

Adolescentes magis metu quam ratione revocantur a vitio. Ambrosius, lib. de Joseph Patriarcha.

Vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum fervore calentis inflammatur ætatis. Idem l. 1. de Davide.

In adolescentibus verecundia commendatur, Idem, l. 1. Offic.

Verecundia, cum sit omnibus ætatibus & personis apta, tamen adolescentes, juvenilesque animos maxime decet. Idem, ibidem.

Est bonorum adolescentium, timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, habere senioribus reverentiam, castitatem tueri. Idem, ibidem.

Vita immaculata senectutis stipendium est. Idem, lib. 2. Offic. cap. 20.

Difficulter eraditur quod rudes animi perbiberunt, Hieronym. Epist. 7.

Recens testa, diu saporem retinet, & odorem quo imbuta est. Idem, ibidem.

Habent in se (adolescentes) lentum quiddam & molle, quod facile formari queat, usque ad arbitrium volentis trahi; & in cunctis fere rebus citius assuescitur omne quod tenerum est. Idem vel quivis alius, Epist. ad Demetr.

Proprium adolescentum est ut pudici sint tam mente quam corpore, tam opere quam cogitatione: ut nulla sit in adolescentibus suspicio turpitudinis, Idem, in Epist. ad Tit.

Juventus insipientiæ copulata est. Idem, in c. 11. Eccles.

Onus istud (nempe jugum Christi) maturi ad obediendum anni ægre ferunt: ætas tamen gravis oneris molestiam per virtutis incrementa non sentit. S. Hilarius, in Psalm. 118.

Sicut in senibus sobrietas & morum perfectio requiritur: ita in adolescentibus obsequium, & subjectio, & obedientia. Cyprian. lib. de 12. abusion.

Sicut fructus non invenitur in arbore in qua flos prius non apparuerit; sic in senectute honorem legitimum consequi non poterit, qui in adolescentia disciplinæ alicujus exercitatione non laboravit. Idem, ibidem.

Indigne transacta adolescentia odiosam efficit senectutem; ex honeste acta superior ætas fructus capit auctoritatis. Cassiodor. in Epist.

Divitiæ senum non sunt canities capitis, sed industria juventutis; nec plurimum annorum circulis, sed præteritorum laborum stipendiis metienda. Idem, ibidem.

Litterarum doctrinæque studiis nullum aliud tempus accommodatius fingi potest. Greg. Nazianz. Epist. ad Nicobul.

Otiosa juventus impudenter educata, omni ferocissima bestia immanior est. Chrysost. Homil. 38. in Matth.

Qui in hac ætate se domant, & Deo se sociant, offerunt Deo hostiam viventem, Deo placentem, immaculatam. Hugo a Sancto Vict.

Infelix qui legem vitæ & disciplinæ abjicit, & majorum gubernari magisterio refugit: Bernard. lib. de ordine vitæ, & morum instit.

Multos videmus juniorum, super senes intendere moribus dies, & antiquiorum tempora prævenire meritis, & quod deest ætati virtutibus compensare. Idem Epist. ad Theobald. militem.

PARAGRAPHUS V.

Ea, quæ ex Theologia, Ethiceque penu ad hoc argumentum possunt depromi.

Adolescentiæ educatio bifariam potest considerari; 1. quatenus ad eos attinet, qui illius regundæ, erudiendæque curam susceperunt, 2. quatenus spectat ad pueros ad officia sua rite peragenda imbuendos. Hæc Institutio, si spectetur quatenus ad illos pertinet, qui adolescentibus erudiendis præsunt, non aliud est, quam attenta, ac sollicita cura instituendi mores eorum, sana in illo consilia immittendi, eosque virtutis, urbanæque vitæ officiis imbuendi. Quatenus vero ad pueros edocendos attinet, in hoc posita est recta educatio, ut diluculo bona pietatis, ac religionis edificant rudimenta, bonos habitus in omnem vitæ curriculum permansuros efforment; & quoad urbane vivendi rationem, a teneris iis assuescant moribus, qui officiosos viros, piosque Christi asseclas maxime decent. In hoc recta puerorum educatio sita est, non enim hic verba facimus, quomodo alendi sint, atque in officio continendi, quod ad parentes pertinet, de quorum officiis alibi erit sermo. Scias etiam adolescentum nomine a nobis istic minime indigitari eos, qui nondum ad rationis usum pervenerint. *Quid sit, & in quo sita Adolescentiæ institutio.*

Quocumque modo, & qualicumque in sensu educatio ista consideretur, liquet, prorsus Christianam esse debere; cumque in ea tum docentium, tum docendorum salus agatur, & plurima inde oriri possint in utramque partem seu bona, seu mala; liquet inquam, hanc tamquam maximi momenti rem esse habendam. Quævis utilitatis, humanorumque respectuum ratio huic cedat, oportet; ideoque nihil omittendum, quod huic prodesse, omnia evitanda, quæ huic officere posse credantur. Ii omnes, qui hanc suscepere provinciam puerorum instituendorum, Pastores, gubernatores, præceptores Deo se rationem sciant reddituros, si quid mali ipsorum incuria, exempla prava, vel indulgentia pepererint; ipsi vero adolescentes reputent omnem hujus, futuræque vitæ felicitatem ex iis pendere præceptis, quæ sana, atque recta in hoc ætatis flore perceperint. *Quanti referat adolescentes recte educari.*

Absurdum profecto videtur pueros tanta cura profanas edocere scientias, cum interim omnis negligatur cogitatio eisdem salutis scientiam tradendi, quæ omnium est difficillima, & quæ una omnium maxime, immo unice est necessaria. Hinc fit, ut præclare, quis actum existimet, si pueros primis Christianæ Doctrinæ rudimentis imbuerit, quæ tunc discuntur, cum vix aliquot verba reddere possunt, atque prorsus ea ratione carent, quæ ad verborum eorumdem sensum percipiendum requiritur: licet reliquum vitæ spatium in sanctiorum mysteriorum, eorumque præceptorum, quæ in Christiana morum disciplina perquam necessaria sunt, nequissima ignorantia traducant. A teneris igitur incipiendum est, cum suppetit tempus, majorque est discendi facilitas. Hoc tempore erudiendi sunt homines ad christianatum virtutum exercitationem; memoria eorum *A teneris Dei lex est addiscenda, ac Religionis præcepta percipienda.*

Evan-

Evangelicæ disciplinæ rudimentis est imbuenda, ut norint, quid Deo, superioribus, inferioribus, & paribus debeant. Si provectiori ætate ad Philosophiam vel ad juris scientiam, aliamve facultatem excolendam animus traduceretur, nemo sane in illis excelleret; igitur si diutius Divinæ legis studium differtur, qui hoc fecerit, næ ille quidem semper imperfectus erit, & suæ Religionis ignarus.

Excellentia muneris eorum qui pueros erudiunt.

Nullus dubitandi locus est, quominus Charitas cæteris virtutibus præstet; neque minus liquet, zelum perfectissimum esse Charitatis opus; non enim aliud est, quam fervor, atque divini amoris effusio, qui cum cordis angustiis capi nequeat, superfluit, quod plenitudinis indicium est. Hic nobis judicium ferre licet de præstantia muneris eorum, qui pueritiæ excolendæ operam navant, eamque student ad virtutem traducere. Profecto cum contrariorum eadem sit ratio, ac disciplina, cum nullum adsit peccatum, in quod Filius Dei vehementius insurrexerit, quam scandalum, ex quo flagitia ediscunt pueri pravis exemplis ad imitandum illecti: *Væ Mundo a scandalis;* cumque inter scandala illud habeatur nequissimum, atque flagitiosissimum, quod præbetur adolescentibus, quos exempla scelerum facili negotio movent, atque corrumpunt; inferendum est inter ea bona, quæ Deo acceptissima præstare possumus, illud potissimum esse, proximum videlicet, (adolescentulos vero præsertim qui magis susceptibiles sunt, & quorum fructus in omnem vitam protenditur) ad virtutis exercitationem, amoremque excitare.

Matt. 18.

Horum zelus perfectissimus.

Inter eos autem, quos zelus ad proximorum salutem, communemque ciet utilitatem, principem profecto locum ii teneant, oportet, qui pueris erudiendis sese devovent. Ethnicos ipsos, licet solum rationis lumen ipsis affulgeret, hæc veritas minime latuit. Asserit Plato nihil esse divinius, quam pueros ad virtutem formare: ejusque discipulus Aristoteles addit, omnia ex eorum institutione procedere; intelligit autem, & privatorum, & Reipublicæ bona. Privatorum sane bonum inde fluit, boni quippe mores fructus sunt plantæ bene excultæ, ac rite institutæ adolescentiæ. Moralis vita, non secus ac naturalis suos habet ortus, & incrementa. Puer in lucem editus aliquo cum defectu corporis, omnium dierum suorum spatio informis erit; cum enim defectus, ac vitium in ipso extiterit vitæ primordio, tamquam insanabile tenendum est. Hoc ipsum de illo dicendum est, qui a pueritia male fuerit institutus: & miraculi instar credendum est, si senectutem a vitiis alienam traduxerit. Hoc ipse testatur Spiritus Sanctus per os Salomonis: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.*

Prov. 22.

Bene instituta pueritia prædestinationis indicium.

Patrum æque, ac Theologorum constans sententia est, rectam sanctamque educationem habitam semper fuisse tamquam prædestinationis initium, inditiumque ob eas, quas attulimus causas, numquam satis repetendas. Hinc enim bona, sanctaque vita procedit: hinc pietatis, & religionis spiritus accipitur: hinc præcepta ad vitam pie transigendam hauriuntur, hinc denique boni habitus efformantur, propter quos tuemur innocentiam, & in bonorum operum exercitatione persistimus, quæ nobis Dei amorem, & finalis perseverantiæ gratiam promerentur, qua prædestinatio nostra confirmatur.

Qui adolescentiam in vitiis traduxerunt, raro, ac difficile convertuntur.

Perperam autem inquiunt nonnulli, ut adolescentiæ licentiam probent, vel saltem eam tolerent, quin medicinam studeant afferre; Perperam, inquam, ajunt, non defuisse impuros homines, qui ubi ætatis deferbuerit æstus, pœnitentiam egerint serio, & deinde frugi, castamque vitam duxerint. Hæc enim exempla perrara sunt; & ex Patrum sententia, miracula in ordine gratiæ æque sunt inaudita, ac mortuorum resurrectio in ordine naturæ; eaque non sine præsumptione sperari possunt, quæ ipsa præsumptio iisdem nos præstat indignos. Secundo, conversio tunc longe difficilior est; si enim in adolescentia studia nostra nobiscum nata in malum proclivia frœnare non valemus; num illis, ubi accesserit habitus, ac ex habitu robur, frænum injiciemus? Denique unde didicimus nos antea diem non obituros: Dei clementiam eo usque lacessere, ut ex eo quod infinite misericors est, ejus lædendi occasionem accipiamus, non ne idem est, ac se immatura, funestaque morte dignos exhibere?

Fallitur, qui adolescentiæ tempus voluptatibus addicendum putat, utpote earum proprium.

Inter perniciosissimos dolos, quibus utitur Dæmon, ut adolescentes in effrænem vivendi licentiam, flagitiosamque libidinem impellat, ille cohortem ducere videtur, quo suadere conatur, ætatem hanc non virtutis, pietatisque, sed voluptatum, ac solatiorum tempus esse: ita enim illum sapiens inducit pueros alloquentem: *Lætare juvenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum.* At Rex ille vera sapientia repletus, te, inquit, admoneo, Deum ex te rationem flagitiorum tuorum expeciturum, & quamvis conniveant homines, & adolescentiæ nomen tuæ impuritati prætexant, aliter ante Omnipotentis Tribunal statutum iri. *Scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.*

Eccl. 11.

Nemo ignorat incredibilem pravorum habituum vim, qui ubi semel radices jecerint, inde non nisi summo cum labore possunt divelli: hoc illis proprium est, quod diutius perseverant, & difficile dilabuntur. Verum ex pravis habitibus illi, qui ab ipsa induuntur adolescentia, acerrimi sunt, atque vix ulla cura evellendi. Et ratio constat; affectus enim, qui sunt vitiorum instrumenta, nisi eo tempore virtute regantur; cum ætate adolescunt, atque adolescendo vitium augent, solidantque, quod, cum in dies illi novæ accedant vires, tandem nulla potest arte superari. Hinc Scriptura indigitare cupiens vim habitus pravi ab ipsa pueritia conflati, sententiam adfert jugiter ob adolescentum oculos statuendam: *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus:* hoc est vitia, ac mala adolescientiæ studia eo usque procedunt, & altas adeo in anima radices figunt, ut ibi ad mortem usque persistant, quod quotidiana docemur experientia.

Job 20.

Mala ex adolescentiæ flagitiis procedunt.

Si verum est, adolescentiæ vitia ægre emendari; hinc profecto sequitur, pleraque flagitia, quæ in hominibus grassantur, illinc originem trahere, quod flagitiosa fuerit adolescentia: id vero clarius in illis patet, qui dum inter studia versarentur, a vitiis minime abhorruerunt. Ea autem ratio est, quod hi & Ecclesiasticos, & Sæculares honores adipiscuntur, & hoc in statu ab adolescentiæ suæ vitiis, sceleribusque non recedunt, neque eas exuunt impressiones, quas ab incunte ætate imbiberunt. Cum autem hoc in gradu flagitiosam traducant vitam, malum non in ipsis tantummodo continetur, verum ad omnes late diffunditur, qui ab illis documenta, atque exempla percipiunt, & vitiorum imitationem, morumque corruptionem ediscunt.

Nihil Dæmoni antiquius quã pueros in suas partes allicere.

Dæmon perfidus ille humanæ salutis inimicus nihil magis expavescit, quam recte institutam adolescentiam, ideoque tunc temporis violentius tentat, omnesque conatus exerit, ut in peccata pueros impellat; id si fecerit, certus futurum, ut hi in nullam reditus spem intereant. Novit ille, pravam hujus ætatis culturam funestos exitus subsequi, pertinaciam, cæcitatem, indurationem, impœnitentiam; ac demum intelligit, nullam ad omnem terrarum orbem sceleribus implendum, atque homines certissimæ damnationi addicendos viam esse certiorem. Hac de causa nihil intentatum relinquit, ut adolescentiæ corrumpat innocentiam, veluti salutis, bonorumque omnium originem. Scit ille ad fluminis aquas veneno inficiendas, satis esse, si virus fonti immittatur, qui facili negotio rivis omnibus labem communicat.

Institutio bona non solum ex bono ingenio puerorum procedit, sed cura opus est atque industria.

Quemadmodum educatio proprie est ars pueros excolendi, illos qua scientiis, qua rectis moribus imbuendi, eosque docendi omnia tum urbanæ, tum christianæ vitæ officia; hæc neque naturalis ingeniti fructus esse potest, neque quorumdam præceptorum opus, quæ sine arte, sine methodo, incomposite, inconditeque tradantur. Cura, tempore, scientia, ordine opus est, ut probe adolescentia excolatur. Nulla, mea quidem sententia, magis communis, magisque necessaria

scientia esse potest: versatur enim circa ea omnia; quæ ad honestum virum, perfectumque Christi asseclam efformandum conducunt.

Adolescentiæ educatio supplere debet experientiæ defectui.

Affectus nobiscum nascuntur; neque diu infirmi sunt: immo & rationis infirmitate, atque indulgentia, qua prima ætas excipi solet, semper abutuntur. Educatio experientiæ defectui supplere debet; hæc docet illos subigere, antequam per ætatem sint metuendi, & nisi vitiorum horror rationem, ut ita dicam, prævertit; hoc saluberrima consilia, & egregia Documenta nimis sero afferuntur.

Optime educatus facilius redit ad officium.

Adolescens recte institutus, si ceciderit, facilius ad frugem redit, quam qui non ita belle fuit educatus. Flagitiosus juvenis nulla excultus disciplina multis caret subsidiis, & vere dicere possumus, institutione animam fieri dociliorem. Vitium spiritum quidem hebetem efficit, numquam tamen penitus tollit prima honestatis, ac religionis rudimenta. Idem ferme accidit, ac in seminibus, & plantis, quæ ditius abditæ, atque insepultæ jacent, veluti mortuæ, nive, hyemalique glacie obrutæ, sed hoc eodem in statu vitæ principium retinent, quo vere quodammodo renascuntur, temporibus suis fructus optatos allaturæ; ita rite educans adolescens si ad tempus sui obliviscatur, si a Dei servitio recedat, si in peccato mortuus videatur; accepta institutio in eo vitæ germen relinquit, cujus ope ad gratiam reviviscet, ubi Deus mentem ejus illustraverit, quod identidem præstare non cessat, & cor ejus calefecerit, in quo plures annos Charitas intepuerat.

Recta institutio faciliorem efficit virtutis exercitationem.

Cum doceat educatio a teneris frænare affectus, amorisque proprii studiis habenas immittere, extra omnem dubitationis aleam positum est, eamdem maximum ad virtutem acquirendam adjumentum adferre, ejusque exercitationem, efficere faciliorem. Tradit hæc modestiæ regulas, & documenta, quæ virtus libenter adoptat, & perficit. Quemadmodum enim urbani, officiosique modi qui inter honestos viros jucundam efficiunt consuetudinem separari nequeunt ab ea morum suavitate, ac ratione, quæ erga illos, quibuscum agitur, est habenda; pietas agrum invenit minus incultum, minus, ut ita dicam, veprium, quas evellat, invenit, minusque obstaculorum, quæ infringat. Profecto ii omnes, qui exculti sunt, & mundum norunt, non omnes devoti sunt, neque virtute præditi; urbanitatis enim officia servari possunt, cum interim Evangelii negligatur officium. At raro inveneris aliquem vera ornatum virtute, qui non sit urbanus, suavis, affabilis, honestus.

Educatio bona sit Christiana.

Institutio, ut bona sit, christiana esse debet. Non ingenia tantum puerorum sunt excolenda, quod tanti laboris non esset; eorum jure affirmare possumus in morum scientia voluntatem potius, quam intellectum esse exercendam. Sin autem mores ab Evangelicis dissentiunt præceptis, illi profecto Christiani non sunt; ideoque horum doctrina maximam educationis partem constituat, oportet; educatio enim imperfecta est, si id negligas vel quod voluntatem, vel quod mentem informat. Qua in re notandum est mundi facilius, quam salutis scientiam acquiri. Minori difficultate urbanitatis, quam Evangelii documenta discuntur; alia tamen aliis inserviunt, mutuisque fulciuntur subsidiis; atque optime instituta educatio alterum ab altero non sejungit.

Ars educandi peritos requirit magistros.

Ad pueros autem erudiendos, nequaquam satis est zelo, ac pietate præditum esse; immo nec satis est artes omnes, quæ habentur in pretio, callere; sed tenere, opus est, artem virtuti, ac scientiæ amorem conciliandi apud adolescentes, qui suopte ingenio neutram diligunt. Diutius studere oportet, quid adolescentiæ conducat, ut apte possit erudiri. Ingenium supplere nequit experientiæ defectui. Intus & in cute explorandi sunt puerorum animi, innataque studia; & corda eorum concilianda. Nescio quid amplius requiritur, quam eorum sibi amorem, ac reverentiam comparare, ut bene instituantur. Numquid ergo mediocre ingenium requiritur? numquid vulgaris sufficit experientia, ut quis idoneus habeatur, ad pietatis amorem cum scientiarum voluptate, urbanitatem morumque suavitatem cum virtutis, studiique cura in alumnis ciendum?

Remedium contra vitia adolescentiæ.

Quidam sunt ætatis defectus, & quidam defectus naturalis indolis in adolescentia: illi quidem communia, atque universalia remedia possunt admittere; horum vero natura penitus est investiganda, ut statim opportuna, præsensque medicina applicetur. Blandiri morbis, idem est, ac eos nullo pharmaco sanandos efficere; nonnumquam tamen vereri, ne nimis eisdem blandiaris, idem est, ac eos irritare. Medela ex moderata severitate, prudentique suavitate constare debet; scire oportet, pro temporis ratione, & increpare, & laudare, dissimulare nonnumquam, aptare præcepta, ac ipsam rationem præcipiendi sedulo expendere, puerorumque ingenia, captumque explorare ita ut jure affirmari possit, nemini plura esse præcavenda quam illis, quibus adolescentiæ instituendæ cura demandata est, si rite velint suo munere perfungi.

Ingenia quædam sunt adeo felicia, ut facile instituantur.

Non desunt animi præclaris adeo decorati dotibus, corda ita bene nata, ingenia, adeo felicia, ut virtutem exiguo illis labore constare dici queat; & vix aliquid institutioni perficiendum relinquant; at quam raro hæc accidunt! illi quoque indigent cultura, & asseri etiam posset, licet egregium quis a natura sortitus fuerit ingenium, id parum esse, nisi summa cura excolatur. Alia vero adeo mala sunt, & facili adeo negotio in malum feruntur, ut ingentis sit operis ea reformare, nisi ars doctæ manus accesserit. Sed ut generatim loquamur, nullum est adeo rude, atque informe, quod tandem non expoliatur, & ad virtutem vocetur; si a teneris inchoetur, dummodo & idoneus cultor adsit, & opportuna methodus adhibeatur. Sollicitæ curæ, ubi de pueris instituendis agitur, numquam felici effectu destituuntur.

Natura corruptio efficit, ut ad virtutem acquirendam accedere debeat institutio.

Doctores non pauci, qui in hoc argumentum elucubrati sunt, animadvertunt, adolescentiam uti magnis flagitiis, ita præstantibus virtutibus amplectendis parem esse: cum hoc tamen discrimine, quod humana natura parentis peccato corrupta in semet flagitiorum omnium fontem habet, atque principium, ita ut vi opus sit ad virtutem capessendam, ad vitium vero amplectendum satis sit, tuis te studiis tradas; ideoque virtutem longe esse difficiliorem eo quod ejus actiones perfectam requirunt integritatem, cum omnibus circumstantiis ejusdem; ubi e contra unius rei necessariæ defectus sufficit, ut cætera possum eant. Hinc nullo Doctore malum indiget, ut discatur; & nonnumquam videntur pueri adeo nequam, qui ea committunt peccata, quorum nomen ipsum ætas illa ignorare debuisse videtur; cum e contra, ut quis constanter virtuti adhæreat, sancta, rectaque educatione sit erudiendus.

Nulla est adeo in malum prona natura, quæ recta educatione corrigi nequeat.

S. Ambrosius, aliique nonnulli in rem nostram animadverterunt, nullum esse naturale ingenium adeo pronum in vitia, quod in adolescentia corrigi nequeat, si recta institutio adhibeatur, & ea, quæ par est, cura, & Divinæ gratiæ subsidium adsit: nam ad rerum etiam naturam corrigendam, earumque immutandam qualitatem tot rationes adinventæ fuerunt. Esto exempli gratia duplex arbor, altera quidem acerbos, amaros altera fructus gignentes, quarum ingenium veluti quoddam, acerbitas sit, & amaritudo: nihilominus ars fuit excogitata, qua utriusque fructus ad saporis suavitatem vocarentur, atque utriusque natura immutaretur. Quod igitur ars, atque industria agriculturæ in arborum præstitit natura, id non poterit gratia cum recta institutione conjuncta ad hominum ingenia temperanda, in adolescentia præsertim, quæ facile & bonis, & malis præceptis imbuitur?

PARA-

PARAGRAPHUS VI.

Loci ex Asceticis, & Concionatoribus Neotericis in hoc Argumentum deprompti.

Omnis hominis vita ut plurimum ab exactæ pueritiæ ratione dependet.

HOC primum animo altius sibi infigere debet adolescens, omnem suæ vitæ curriculum ab ea ratione pendere, qua adolescentiam ipsam transegerit. In pueritia facile habitus contrahuntur, qui non nisi cum labore summo deinde exuuntur. Si a puero Deum times, virtutem colis, peccatum odisti; reliquo vitæ tuæ spatio sapiens eris; at si egregia, quæ tibi traduntur, documenta contemnens te omnibus corruptæ naturæ vitiis mancipas, hæc vitia ipsam usque ossium tuorum medullam pervadent, inveterascent in te, non nisi ægerrime a te divellentur, tibique ad obitum usque mordicus inhærebunt: *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient: Recens Auctor.*

Job 20.

Prava educatio multorum interitus est causa.

Si originem æterni tot reproborum interitus altius scrutari velimus, quotiam occurrent, qui perniciem suam referent acceptam incuriæ, qua innutriti fuerunt, atque ad christianam pietatem instituti? Tantumne videretur in hominem moribus corruptelæ ac parum adeo religionis in adolescentia, si pueri accuratius erudirentur? Omnia illis in mundo sunt metuenda, & nisi admoneantur offendiculorum, & laqueorum, quæ ipsis parata sunt, & qua ratione illa possint effugere, possunt ne illis non decipi, cum nihil sibi timeant, neque suæ prospiciant incolumitati? Non ne communis est sententia ejusdem Spiritus Sancti oraculo confirmata, primos habitus ab ipsa adolescentia contractus ad finem usque vitæ servari; & quicumque flagitiose vitam traduxerit, nisi divinitus magnum aliquod miraculum accidat, passim reproborum mortem oppetere? *Alius neotericus Auctor.*

Educatio iis etiam necessaria, qui optima sunt natura prædití.

Quantumvis vivida sit mens adolescentium, quantumvis egregium a natura sortiti fuerint ingenium, hoc rude semper est, atque diligenti institutione excolendum. Numquam nimis cito culturæ huic manus admovetur. Quo adolescentior, eo flexilior est animus; qui ubi fuerit recte imbutus flectitur aliquando, non tamen semper ad pristinam rectitudinem revocatur. Educatio, ut ita dicam, rationem ipsam debet prævertere, tum ad urbanitatis officia, tum ad Christianæ vitæ præcepta excipienda. Quot alioquin præclara ingenia in tenebris consenuere, eo quod illis prima hæc defuere subsidia? Profecto incipit quidem natura, sed perficit institutio; quæ si absit, frustra fructum expectat. In toto vitæ spatio quædam Religionis munera adimplenda sunt, urbanitatis officia exercenda, scientiæ comparandæ. Licet præclara natura, indole præstanti, egregiisque dotibus ornatus sit adolescens, institutio si desit, hic ad summum fertilis erit ager, sed incultus, ac non nisi vulgares afferet flores, sylvestresque fructus, qui nunquam ingenitam amaritudinem exuent. *P. Croiset dans les Reflexions tome 2.*

Difficile est, citra optimam institutionem adolescentes à mundi cōtagione præservari.

Cum omnia sint adolescentibus in mundo pertimescenda, purissimum opus est aerem adspirasse ad semet, immunes ab ea, quæ ubique fere locorum grassatur, contagione præstandos. Acutis opus est oculis, ne quis falsa tot errorum luce fallatur. Cum ratio, per ætatem exilis sit adhuc, adolescens nulla imbutus disciplina, nulla edoctus experientia longe facilius in omne criminum genus præceps ruit. Ille verum a falso non satis dignoscit: eumque ingenii, ac voluptatis improbitas in errorem inducit; nec dimidia tantum errat via, ubi naturam suam sequitur ducem. Mundus vias habet ridentes, florentesque: quomodonam laqueos effugiet adolescens, nisi in ipso ætatis exordio de omnibus periculis admoneatur? Hæc scientia primus proculdubio fructus est christianæ educationis. *Idem.*

Recta educatio vitæ christianæ simul, & urbanæ prodest.

Recta institutio mentem, ac mores instruens docet simul christianæ, & urbanæ vitæ officia; animumque scientiis erudiens, adamussim illum excolit præceptis urbanitatis, iisque omnibus, quæ possunt hominem efficere suavem, sapientem, ac virtutibus omnibus decoratum, idque in omne vitæ spatium; prima enim rudimenta, quibus ab ipsa adolescentia fuimus imbuti, & religionis præcepta, quæ tunc nobis fuerunt tradita, non ita levi negotio solent excidere. Dei timor in hominum cordibus diu viget, si ibi una cum ratione sedem figere incœperit. *Idem.*

Adolescentes aliquando licet bene instituti delinquunt.

Optima quid me institutio non prohibet semper, quo minus mores corrumpantur: *Obscuratum est aurum*, inquit Propheta, *mutatus est color optimus*. Felicia illa ingenia, tanto labore exculta, egregii illi alumni, ob quos tantopere institutores sui gloriabantur, aberrant aliquando, pravorumque exemplorum torrente se rapi sinunt; ita primæ illæ impressiones licentia infirmantur; optima intereunt studia; ac vivendi ratione immutata, sensus etiam immutantur: veruntamen fatendum est, egregie ille semina, quæ in prima pueritia jacta fuerunt non parum prodesse ut resipiscant, ubi juventutis insanus ille æstus deferbuerit. *Idem.*

Thren. 4.

Error eorum, qui non satis aptos eligunt viros, quibus pueros credant imbuendos.

Illi proculdubio falluntur, qui putant puerorum educandorum provinciam cuilibet demandari posse, artemque adolescentiæ recte instituendæ non admodum esse difficilem. Quotnam defectus tollendi sunt? verum ut eventus e voto cedat, correctioni quoque ipsi amor est conciliandus. Non satis est magistri vices gerere; tamquam exemplar proponi etiam oportet. Inania sunt documenta, nisi docentis exemplo confirmentur. Aliquis modice virtute ornatus, parum sapiens, excultus parum egregiæ institutionis ductor esse non potest. Nullam autem inveneris, quæ in docente tot, tantaque exquirat. Tanta opus est arte, ac scientia, ut dumi etiam, veprosque, ut ita dicam, ad flores fructusque ferendos cogi queant. *Idem.*

Fallax opinio de adolescentia.

Fallax est, licet communis, mortalium sententia permittendum esse, ut imbutæ defervеat adolescentia. Hæc, inquiunt, voluptatum est ætas, non deerit tempus pietatem amplectendi; ætas maturior aptior est ad perseverandum; omnia tempus habent. Nempe vitæ humanæ primitiæ Deo devovendæ non sunt, primi illi anni, utpote magis florentes omnes in voluptatibus sunt transigendi; residuum vero, ac illud incertum quorumdam dierum languentium, atque ferme extinctorum spatium illi servandum est, cui singula vitæ nostræ momenta debentur: satis semper Deo aptus erit, qui nulli rei amplius erit idoneus. Hoc perniciosa illa Mundi sententia significat. Permittendum est, ut adolescentiæ furor defervеat. Cui nam rationi nefarium hoc innititur effatum? Numquid ætas ad excolendam virtutem aptior, atque in via proclivior, legis jugum ferre non debet? Eo quod torrens nimio fertur impetu, omnes ideo aggeres, omnia valla sunt convellenda? adolescentis animus facili negotio corrumpitur; igitur sinendum est, ut labes cor ipsum pervadat? Adolescentes in malum magis sunt proni; charitatis ergo est, vel prudentiæ illis liberiorem ad interitum viam patefacere? Transeat adolescentia opus est; verum prava adolescentum studia, flagitiosi habitus, quos fovent, aluntque, & qui in singulos dies majores vires acquirunt, numquid transibunt? Deus vero, qui justitias etiam judicaturus est, numquid rationem expetiturus non est ex impiis quidem de impietatibus adolescentiæ; ex illis vero quibus eorum credita fuit educatio, de ipsorum insana indulgentia, quæ tot homines nequam effecit, quot erant alumni? Proh Deus omnipotens! Numquid erit tempus, quo liceat Christianis te impune lacessere, per omne flagitiorum genus grassari, sibi honori vertere, quod nihil sancti, divinique credant, sanctissima etiam Religionis mysteria in jocum, risumque traducere, sacras leges flocci facere, atque eos contemptui habere, qui tuæ servituti fideliter hærent? Prima hæc erunt illorum studia, ut artem edisçant cor indurandi adversus gratiæ stimulos, ac sese omni scelerum genere coinquinandi. Hæc ea sunt, quæ ferenda esse mundus innuit, cum ait permittendum esse, ut adolescentia pertranseat. Heu! pertransibit quidem, & nimium cito hæc adolescentia; at numquam fortasse

crimi-

criminosæ adolescentiæ flagitia transibunt. *Idem dans les Reflessions tom. 1.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Juventus, inquiunt, ætas est voluptatum: rectius dicerent, si hanc delictorum ætatem vocarent; ideoque illam ex omnibus, quæ una majori indiget cura, atque mortificatione. Quanam vero de causa, quo jure ætas, in qua affectuum turba magis est perrimescenda, ætas voluptatum est existimanda? Cur in Christiani vita aliquot erunt anni, quibus præcipua Christianæ Legis officia ille non teneatur explere? Nequaquam satis est tibi roboris, ut vincula nondum intorta perfringas, & ea fracturum te putas, cum fuerint illa quidem roborata, vires autem tuæ infirmatæ, ac propter tot annorum habitum tabidæ, & senescentes? Procaces pueri, arbitramini, ridentes hos ætatis nondum effætæ dies, minime devovendos esse Deo, qui vos creavit, atque tuetur, nimis speciosos esse, ut sancti sint; ideoque illos vestris voluptatibus adjudicatis. Quid igitur Deo dabitis? Si omnes dies vestri numerati sunt, & si omnes, quod certissimum est, Dei sunt eo jure, quod mutari, alienarive non potest; numquid dies, quos Deo vos devoturos putatis, minus illi debentur? Quamvis in optimum usum postremi illi effætæ senectutis dies valeant converti, nihil tamen Deo tribuitur, quod ipsi non debeatur. Quodnam igitur aliud tempus tantam diuturnæ juventutis perniciem reparabit? quæ pernicies si nullo est pretio reparanda? quanam spe christianæ vitæ officia in aliud tempus erunt rejicienda? *Idem.*

Quanti referat ab adolescentia viam virtutis amplecti.

Vobismet consulite, dum tempus adest, Christiani adolescentes; hæretis in bivio, atque utriusque viæ finem, terminumque exploratum habetis; utra igitur vobis erit ingredienda? Gradus, quem primum efficietis, alterutram ineuntes, vos procul deducet; agitur hic, utrum in firma, stabilique via, an in lubrico & præcipiti pedem figatis. Quam bene prima adolescentiæ momenta impenderentur, si jugiter elato in cœlum animo, præclara hæc Judithæ fieret oratio: Deduc me, Domine, in illo tempore, hoc est, rege primos gressus meos; eos quæso, rege, neque permittas me errore viarum decipi, ita ut quæ bona est, relicta, malam ingrediar, de me enim actum esset in æternum. *Recens Auctor.*

Mors in peccato iis potissimū impendet qui in adolescentia in omnia sunt flagitia.

Mors, & mors in peccato, uno, eodemque tempore contingere potest: verum nunquam magis est præceps, quam cum se se aliquis affectuum, voluptatumque suarum libidini mancipat a pueritia. *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos*, ait Scriptura, ac sæpe ob oculos terribilem hunc Divini judicii effectum nobis experientia proponit. Quot funestissimos exitus intuemur? Numquid frequentius accidunt, quam ubi per omnes nequitias traducta fuerit adolescentia? Quot clades non sine iis circumstantiis, quarum vel ipsam ideam perhorrescimus? Cor turpissimorum flagitiorum labe corruptum; mens sui minime compos; ratio, vino, vel ira nebulas offundentibus, obscurata; sanguis nequissimis succensus ardoribus, ac simul cum vita defervens, nonne eæ sunt circumstantiæ, quæ ut plurimum flagitiosæ juventutis funestissimum exitum comitantur? *Idem.*

Otium in adolescentia fugiendum.

Adolescens in impurissimas libidines ruit? Ratio in promptu est, inquit Poeta, namque otiosus erat. Hoc in adolescentibus quam sæpissime usu venit. Sanguis fervens, affectus effrænes, nequissimæ licentiæ consuetudo, frequens occasio, hæc omnia in vitium certe certius impellunt, nisi quis sibimet frænum injiciat; quod frænum non nisi in aliqua occupatione invenitur. Hæc utiliter ætatis ignem absumit, hæc imaginationis inquietudinem figit, hæc peccatorum occasiones removet, hæc animo honestas exercitationes suadet, eaque studia, quæ ad eum statum, ad quem a Deo quisque vocatus est, & quem est amplexurus, apte conducant. Mens, ubi cuipiam utili negotio admota sit, quæcumque sit ætas, ibi quomodo se se occupet, invenit; neque putat, omnibus voluptatibus esse indulgendum, ut tempus transigatur. Quod ratio docet, opus esse, ut adolescentia exerceatur; hoc palam experientia confirmat; ubi enim ruæ, constantisque probitatis homines inveniuntur, qui a pueritia constanter, jugiterque occupati non fuerint? *Idem.*

Mortificatio adolescentibus necessaria ad ea fugienda vitia, quibus ætas illa patet.

Etiamsi quælibet vitæ nostræ pars debeatur Deo; pœnitentia tamen numquam magis est necessaria, juxta S. Basilii sententiam, quam periculosissimo hoc tempore, quo natura primos adolescentiæ affectus, eorumque sensus excitat. Satis experientia confirmat, quod Scriptura docet; præsumptionem, voluptatem, vanitatem, juventutem unum ferme, & idem esse, atque adolescentis viam desideriis agitatam simillimam esse viæ navis in mari, nauta, gubernaculoque carentis, quæ ventorum, ac tempestatis ludibrium est. Ubi rationem adeptus est, eam fere statim depravat, nequissimis impressionibus obnoxius, monitoribus asper, cereus in vitium flecti, alieno confirmatus exemplo, atque consuetudine omnibus se se voluptatibus ingurgitat, meliorem, sed magis fatalem vitæ suæ partem in suis desideriis absumit, quæ sæpe varia sunt, at semper vel inania, vel criminosa. Quocumque transit, ibi suæ impuritatis vestigia relinquit; quodque magis deplorandum est, ex ipsis defectibus suas excusationes desumit, peccata ætatis suæ egregia putat esse facinora; postquam deliquerit, gloriatur, & si recte fecerit, pudore suffunditur. Si ergo mortificatio fideli unquam necessaria est ad effectus subigendos, eorum vim coercendam, cursum, effectusque inhibendos, atque ut in posterum præcaveatur; numquid in ipsa potissimum adolescentia requiritur, tunc malum inchoat, nulla deinceps passurum remedia, nisi statim manus admoveatur? *Flechier in S. Sulpicii Panegirico.*

Ad Mundi corruptionem auferendam, adolescentia recte est instituenda.

Spiritus Mundi, qui confusionis, atque perturbationis est Spiritus, cum in plerisque Fidelium animis pietatem ab ipsis usque fundamentis evulserit; perniciosissimo huic torrenti, universale excidium Christianæ Religioni minitanti forte vallum objiciendum est; cumque ille ab adolescentiæ corruptione sumat exordium, ejus originem scrutari necesse est, & adniti, ut reviviscat, pristinamque dulcedinem acquirat, ea unice ratio est, semen ex illo eductum in excultam, pinguemque terram jacere; tunc enim germinat, frondes, folia, & fructus emittit. Ut in ordine gratiæ Christianæ Religionis spiritus, qui in animis Fidelium ferme extinctus est, reviviscat; hæc una suppetit ratio; videlicet ut adolescentiæ excolendæ opera detur diligentissime; certe quippe Ecclesia Paradisus esset, & Respublicæ, ac imperia essent felicia, atque florentia, si illi, quibus puerorum erudiendorum, cura concredita est, egregie suo fungerentur officio; cujus defectus hanc parit morum corruptionem, ex qua rerum publicarum, familiarumque divisiones, atque interitus proficiscuntur. *Episcopus Cameracensis in præfatione ejus libri, ubi de Virginum educatione verba facit.*

In puerorum institutione Ecclesiæ gloria, & Reipublicæ utilitas agitur.

In tanta hac morum labe, quæ hoc tempore terrarum orbem infecit, unica ratio tot malis medicinam afferendi ea est, si serio animus ad pueritiam in pietate, ac virtute excolendam admoveatur. Agitur Ecclesiæ gloria, si fideles a teneris unguiculis sint optime imburi, atque sanctissimis eruditi præceptis. Agitur etiam Reipublicæ utilitas, nam ex Ethnicorum ipsorum sententia hoc maximi momenti negotium est, ubi nihil est negligendum. Ideo Romani, & Lacedæmones juventutis educationem gravissimis Reipublicæ negotiis anteferebant. Ita cum ex quodam celeberrimo, sapientissimoque Romæ Senatore quæreretur, quænam inveniri ars posset, quodnam consilium capi, ut Romana res eamdem gloriæ, ac magnitudinis laudem, qua tunc fruebatur, jugiter tueretur; nullum aptius consilium fore, ait, quam si adolescentia diligentissime instrueretur, & illæ Academiæ, ubi prætextati erudiebantur, in omni exercitationum genere fierent celeberrimæ, ac florentissimæ. Hoc ipsum illis reddi posset, qui reformandi corruptos plerorumque fidelium mores viam vellent invenire; nulla enim aptior excogitari potest, quam in id toto pectore incumbere, ut adolescentes Christianæ religionis præceptis, ac omnium virtutum exercitatione excolantur. *Idem.*

Xenophon in Cyroped.

Ex

Intemperantia, & impudicitia præ cæteris vitiis juventuti evitanda.

Ex omnibus flagitiis, a quibus sibi diligentius cavere debet adolescentia, intemperantia præsertim, atque impudicitia eminent. Hi scopuli sunt, in quos innocentia plerumque naufragium patitur. Heu quot juvenes ingentem sanctitatis laudem fuissent adepti, si a pueritia castitatem, sobrietatemque coluissent; qui tamen æternis sunt ignibus comburendi, eo quod inanibus turpissimarum voluptatum illecebris se falli passi sunt! Nullum scelus graviorem animæ cladem adfert, quam impuritas, & ebrietas. Hæc duo vitia pietatem extinguunt, mentem excæcant, animam prorsus carnalem efficiunt, Religionem delent, Apostatas, Atheosque constituunt: *Vinum, & mulieres apostatare faciunt sapientes.* *Eccli. 19.* Licentiosus quilibet projectus est ad libidinem; libido sensim in vivendi licentiam cordatissimos etiam inducit; quid fiet ergo de juvenibus ea in ætate, in qua pietas, ac ratio nondum convaluerunt, si sese in hæc adeo perniciosa peccata projiciant? Pro virili ergo, Fidelis adolescentia, cave; hos syrtes effuge; impudicitiam detestare; hic enim hostis est æque callidus, ac fortis. Sed cum vehemens hic affectus, te licet invictam insectetur, ratio crudelissimam evitandi servitutem, in quam te conatur pertrahere, aliaque fugiendi mala, quæ plurima tamquam ex fonte illinc emanant, hæc est, ut statim eidem adverseris, ejusque vincula conteras, donec per ætatem licet; ne ubi convaluerint, te illaqueatum detineant. Neque minori solertia potus intemperantia est evitanda, quæ in hac quoque vita Dei maledictionem in se trahit, atque multorum malorum est causa. *Recens Auctor.*

Adolescentes impiorum fugiant consortia.

Inter infames scopulos, in quos juventus allidere consuevit, quantumvis a pueritia rite fuerit exculta, omnium maxime fatalis est scelestorum hominum societas, consuetudo, contubernium. Facile eorum, quibuscum assuescimus, imitamur exempla, ac illorum sensus imbuimus, quibus necessitudinis vinculo adhæremus. Ubi cupiditati exemplorum accedat auctoritas, haud ægre eam verecundiam infringit, quæ causa erat, ut ad rerum turpium aspectum pudore suffunderemur, easque abominaremur; verum ubi illius jacturam passi fumus, suppudet etiam nonnumquam, si ab iis, cum quibus versamur, flagitiis vincamur. *Qui se jungit fornicariis, erit nequam.* *Eccli. 19.* Si cum impiis consueveris, impius eris. Quapropter te Sapiens monet, ne flagitiosorum hominum, qui te in eamdem scelerum societatem vellent pertrahere, fucatis, subdolisque verbis decipi sinas: illorum blanditiæ, atque promissiones illecebræ sunt, perniciosam labem, ac mortale virus tegentes. *Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* *Prov. 1.* E contra vero si cum sapientibus tantum versatus fueris, si bonos tantum sermones bibulis auribus exceperis; si amici tui pietate, ac virtute fuerint decorati, sermones illorum tuis te officiis admonebunt, eorumque exempla te excitabunt, ut eadem rite persolvas. Os justi fons est vitæ, ait Salomon, ejusque opera ad illam deducunt. *Prov. 10.* *Idem.*

Adolescentes vitæ statum eligere debent, & quomodo.

Adolescentiæ exercitatio non est status ille, qui sit eligendus, bene tamen ad statum eligendum conducit. Verum inter varios, qui sese offerunt status, quinam est præferendus? Respondet Sapiens, Dei opus esse nos ad id determinare; nostra enim cognitio, citra gratiæ subsidium, nimis tenuis est, atque incerta, ut eam sequamur in tanti momenti negotio, ubi lapsus æque facilis est, & perniciosus. *A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam?* *Prov. 20.* Facile est adolescentulum inexpertum, & crebro affectibus agitatum a Providentiæ consiliis recedere. Fallax deceptoris mundi fulgor, parentum reverentia urgentium, ut juxta vota sua status eligatur: insana illa, quæ viget consuetudo, unigenito uxorem semper esse ducendam, primogenitum Deo numquam esse devovendum, ac minores natu dumtaxat sacris admovendos, omnia ad illum decipiendum conducunt. Attamen quis satis explicare posset quam perniciosum sit humanis rationibus potius, quam Providentiæ impulsu vitæ statum amplecti? *Idem.*

Adolescentes aliena ope magis indigent in adolescentia, quam in reliquo vitæ cursu.

Ex omnibus statibus adolescentiæ status magis indiget duce, & auxilio; sive enim experientiæ defectus, sive sanguinis fervor, & affectuum impetus, seu ingenii nobilitas, & ad consilium in re capiendum difficultas; seu proclive illud naturæ studium, quo mala potius, quam bona exempla sequitur, spectentur, omnia ad eam fallendam, perdendamque concurrunt. Cuinam rei utilis erit hæc nullis exculta documentis adolescentia? quam viam ingredietur? Hoc adeo latet, ut palam fateatur sapiens, mysterium esse nulli intelligendum. Igitur sperare futurum ut juventus sibimet tradita, nullius consilio, vel auxilio suffulta ea insistet via, quæ ad salutem adducit, idem est ac putare inter procellas, ac syrtes tuto incedere posse navim, quæ a nauta non gubernetur; agrum spinis, vepribusque consitum, quin purgetur, excolaturque, frugibus ferendis aptum esse; hominem in ignota regione, concubia nocte ad propositum finem pervenire posse sine duce; qui præcedat, ac iter ostendat. *Desumptum ex Morali dictionario, secundo sermone de Matrimonio.*

Publicum privatumque bonum ab adolescentiæ recta institutione dependet.

Non privatum tantummodo, verumetiam publicum bonum ex recta institutione procedit. Philosophorum princeps jure adolescentiam succum, & sanguinem Reipublicæ vocat; ut enim sanguis non est corporis membrum, quoniam neque animatus est, neque continetur, & ab eo corporis vita pendet, ac valetudo: ita pueri membra quidem Reipublicæ non sunt, veruntamen ab eorum recta educatione bonus Reipublicæ status procedit. Ideo, inquit ille, magna opus est vigilantia, ac eruditi præceptores sunt eligendi. Quamobrem populi quorum maxima erat cura publicæ utilitatis, sapientissimum quemque eligebant, qui adolescentiam erudiret; alii huic provinciæ præficiebant senes, quos in universo Regno cordatissimos inquirebant; alii præstantissimis Magistratibus, quos juventutis magistros institutoresque nuncupabant, curam hanc relinquendam censebant; & quidam ex sapientioribus Ethnicis Philosophis tria requirit in eo, qui huic provinciæ, in qua summa agitur Reipublicæ, est præponendus; primum ut vir sit sapientia plenus: 2. ut huic muneri tantæ utilitatis penitus addictus sit, atque devotus: 3. ut hoc opus aggrediatur ad honestum finem, hoc est ad publicam utilitatem. *Seneca lib. de Tranquillitate.* Verum ubinam hujusmodi homines poterunt inveniri? *Neotericus Auct.*

Quam curam adolescentiæ instituendæ Christiani Reges susceperint.

Christiani Principes in hac instituendæ juventutis cura antiquis sapientibus non concesserunt: Legimus enim in Capitularibus Caroli Magni Imperatoris, Principem hunc omnibus Imperii Superioribus Coenobiorum, mandasse, ut domi suæ nobiles pueros alerent atque erudirent, ut, inquit ille, ex pia, & religiosa illorum consuetudine, multi Dei servitio adjungerentur. Hac eadem de causa magnus ille Rex scientia æque ac virtute præditus Parisiis celeberrimam illam instituit Accademiam, quæ deinde fecit nationum omnium Collegium, omnium Sapientum seminarium, Galliæ decus, & ornamentum. Ejus imitatus exemplum S. Ludovicus duos ex filiis suis in S. Francisci, ac Dominici monasteriis innutriri voluit, teste vitæ ejus Auctore, ut sanctorum Religiosorum consuetudine & ipsi consilium inirent se se Deo devovendi, vel saltem ibi solidæ pietatis in omne vitæ spatium diligentissime custodiendæ jacerent fundamenta. *Guilliel. de Beliol.* *Idem.*

Quinam pueritiæ instituendæ sint aptiores.

Quamvis omnes viri probi ad munus hoc, unde tantum utilitatis Reipublicæ cedit, idonei videantur, tamen si qui hanc provinciam suscipiunt, eidem procurandæ voto aliquo addicti sint, idque exerceant, veluti munus Instituti sui; melius plerumque hoc persunguntur officio quam qui ad id non sunt vocati: cum enim hæc fuerit illorum vocatio, ad eam pro dignitate exercendam peculiarem vim, atque gratiam a Deo consequuntur. Hi sapientiæ institutores utilissimæ huic exercitationi devoti, specioso titulo ad Dei gloriam, proximorumque salutem rite, ac recte tantum munus adimplent. *Id.*

In Cœlo multæ mansiones sunt, ait Evangelium: ibi dantur throni gloriæ alii ab aliis diversi, non omnes magnitudine æquales sunt; sed sublimiores illis esse assignandos qui bene & fecerint, & docuerint, ipse Filius Dei profitetur. Ubinam ergo illi collocabuntur, qui adolescentes erudivere tot curis, atque laboribus? qui illis

Illis viam, quâ ad Cœlum tenditur, ostenderunt? qui meliorem vitæ suæ partem in hoc munere exercuerunt, sponte libertatis suæ jacturam perpessi, quemadmodum pii quidam, Religiosique viri facere consueverunt, qui se se, libertatemque suam devoverunt huic muneri tantis laboribus circumsepto, Ecclesiæ adeo necessario, Deo in paucis accepto, reipublicæ, omnibusque mortalibus maximæ utilitatis? Quodnam erit solatium, quænam confidentia in extrema exitus illorum hora, ubi totum vitæ suæ spatium in tantæ patientiæ, & charitatis opus transmiserint? Satis est, inquit S. Jacobus Apostolus, unum tantummodo peccatorem ad pœnitentiam revocasse, ut quis salutem suam certam fore, peccatorumque suorum veniam se impetraturum tuto sciat. Quid igitur metuant viri illi, qui sanctam adeo provinciam obeuntes ingentem animarum vim ab æternæ mortis periculo avocarunt, qui plurimas fortasse familias sanctificarunt, qui vetuerunt, ne tot in omne vitiorum genus prorumperent, qui severunt, virtutisque radices jecerunt altius in animos plurimorum; qui Deum orant, celebrantque tot labiis, quot fuere pueri, quibus tradidere quo pacto Religionis suæ præceptis satisfacerent, qui denique Deum tot cordibus diligunt, quot cœlesti igne inflammarunt? Quanti apud Deum est meriti hæc illorum provincia, quandoquidem tot hominibus bonorum omnium maximum procurare possunt, quemcumque alumni sui ex eorum egressi disciplina statum amplectantur, tot jam salutaribus præceptis imbuti? Non ne de illis cum Propheta Daniele dici jure potest? *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Idem.*

Daniel. 12.

Fidei, rationisque lumine satis innotescit, sanctum esse oportere, qui alios adnititur sanctificare, quemadmodum eruditum, doctumque esse decet, qui alios edocet, atque erudit; causa enim effectui suo eam tribuere nequit perfectionem, quam ipsa non habet. Ideo qui juventuti excolendæ, virtutisque præceptis imbuendæ operam navant, ipsi primum perfecti sint, oportet; hoc est, suis affectibus mortui, in virtutum omnium exercitatione consumpti; ut enim, docet experientia, exempla, & manus longe majorem, quam voces, & lingua ad persuadendum vim obtinent, ac eloquentiam. Docere quidem potes adolescentulos, modestia opus esse, honestate, reverentia, pietate; præclara licet illis suggeras documenta, numquam fidem adhibebunt nisi harum virtutum in te exempla conspexerint. Vitium longe facilius ediscitur, quam virtus. Pueri magistros, tamquam vitæ suæ exemplar, suæque perfectionis normam intuentur. Severi isti sunt Censores, ac minime parcunt illis, quos ad examen revocant. Si quid in rectoribus suis deficere intelligunt, vel hos contemnunt, vel horum facta imitandi jus esse sibi arbitrantur. *Idem.*

Gersonis exemplum puerulos erudientis.

Gerson pius ille, ac sapiens Parisiensis Universitatis Cancellarius, qui Conciliis adfuerat, ac multa cum dignitate coram maximis Terræ Principibus prædicaverat, munus erudiendi pueros veluti fortem suæ pietatis censebat eo usque, in infantes ipsos fidei rudimenta doceret, ad JESUM Dei filium imitandum, ajebat ille, pueros per se, quin hanc operam Discipulis suis relinqueret, erudientem. Non satis probant, dicebar, a me Religionis nostræ prima puerulis tradi rudimenta, & cuperent ingenium illud, quo a Deo donatus fui, provectioribus erudiendis impendi: quid ergo, magnus ille vir ait, Doctorem id facere dedecet, quod Homo Deus ipse fecit? Numquid aliud magis necessarium, præclarum, vel utile fingi potest, quam ad virtutem formare pueros, qui aliquando Reipublicæ, Ecclesiæque corpus sunt compósituri? Major quidem, nec diffiteor, gloria comparatur concionando: utrum vero major utilitas, haud scio. *Idem.*

Tunc adolescentibus præceptores auferuntur, dum eorum magis indigent auxilio.

Jure animadvertit S. Chrys. in ipso juventutis aditu custodes, atque institutores auferri, quo tempore, ait ille, major illorum necessitas incipit. Ab hac ætate nihil adhuc solidum expectatur; caret enim experientia, & quidquid sapientissimus quilibet dicat, ut eam ætatem informet, negotium minime facessit, atque veluti invidiæ effectus habetur. *Pater de La Colombiere Tom. 2. sermon.*

Vitia adolescentiæ propria.

Hac in ætate ut plurimum cæca præsumptio cum magna inscitia conjuncta regnat; imbecillitas, quæ nullum infringere potest obicem, imprudentia, quæ nullum vitat discrimen, amor proprius, crassus adeo, cæcusque, ut se se statim prodat, ac omnibus patefaciat, te a te ipso minime nosci. Quam anxie id properas dicere, quod esset tacendum, & id quæris, quod effugiendum esset? Quomodo temet, ut ita dicam, tuis defectibus ornas, de iis gloriaris, quorum pudere opus esset; te vero eorum suppudet, si quid bene feceris; sequiora semper amplectens consilia, laudas, quæ vituperanda sunt, & ea improbas, quæ communi sapientum suffragio probantur. *Idem.*

Juventutis peccata sæpius quam cetera afferunt cæcitatem.

Licet omne peccatorum genus peccatoris intellectui tenebras offundat, atque voluntati frigiditatem afferat, ideoque directe inspirationibus, atque actualibus gratiis adversetur, quæ mentem quidem illustrant, ut quod bonum est, intelligat, & fovent voluntatem, ut quod mens intellexerit, amplectatur; tamen adolescentiæ flagitia peculiarem omnino cæcitatem immittunt; seu quod illa cum furore, atque impudenti impetu conjuncta sunt, quæ quidem in adolescentia sæpius, quam in ætatibus aliis inveneris; seu quod innocentiæ florem flocci facientes, ac Deo vitæ suæ primitias denegantes, quarum quidem zelotes est, eum magis irritant, atque cogunt, ut gratiæ suæ adminicula amoveat. *Auctor recentior.*

Quanam in re adolescentiæ meritum consistat.

Verum adolescentiæ meritum, juxta eas, quæ vulgo receptæ sunt, ideas positum est in naturalibus mentis, & animi qualitatibus, atque in earum usu ad nominis sibi existimationem comparandam, vitæque dignitatem provehendam. Hæ ipsæ qualitates in ordine gratiæ prodesse possunt, ac debent, ut virtutis jura asserantur, vel saltem, ut insidiarum, quæ in hoc mundo passim struuntur, pericula evitentur. Itaque hoc age, ut ibi se tibi obtulerit occasio, mentem, prudentiam, scientiam, captum facilem, ostendas, & ea quæ cogitas, apta, atque eleganti oratione aliis aperias. Fac, ut in te alii alias etiam animi qualitates, quæ majori habentur in pretio dignoscant, virtutem, pietatem, æquitatem: cum omnibus suavis esto, levis, officiosus; te generosum, prudentem, circumspectum, erga amicos fidelem, vitiorum osorem proba; quæ si honesto viro dignæ præclaræque dotes te ornaverint; omnes te diligent, atque admirabuntur; omniumque existimationem, laudemque mereberis. *Neotericus Auctor.*

Interest adolescentum, si cum viris virtute præditis consuescant.

Pravorum hominum cum quibus adolescentes versantur, exemplum potens est illecebra, qua ut plurimum decipiuntur. Igitur ad virus, quod sensim mundi tabem, atque contagionem inspirat, eluendum, ac semet salutaribus cogitationibus, sensibusque imbuendos, satis est cum iis consuescere, quibus pariter mens sana sit, ac recta voluntas. Magistri, atque custodes adolescentiæ huic rei proculdubio maxime prosunt ubi tales fuerint, quales decet; verumtamem hoc nondum satis est; quidquid enim illi dicunt, præcepti speciem induit, quod ætas illa pati non potest. Certior, ac tutior utilitas ibi esset, si illi, quos adolescentes suæ vitæ socios nacti sunt, vel elegerunt, scientia, gratia, morum suavitate, amicitia, & quod caput est, vera, solidaque pietate præditi inveniantur. Vix credi potest quantopere hæc societas, & consuetudo ad eos excolendos, ac omni virtute imbuendos proficiat. Dicta, cogitata, & sensus eorum, quibuscum familiariter versamur, mirum in modum pervadunt animos, præsertim vero minime suspiciosos; ita ut quemadmodum numquam efficacius obrepunt vitia, quam cum aliquam utilitatis speciem induunt, & quidquid intus grave, molestumque est, contegunt; ita virtus nequaquam facilius, feliciusque sese effundat, quam si in sapientum societate ejus suavitas percipiatur. Profecto optari quidem potest, non exigi, ut pueri semper in hujusmodi societate versentur; hoc enim libertatem, cujus tantopere amantes sunt, torquere videtur: at saltem si subinde, ac per intervalla hujus caracteris homines viderint, nullus ferme dubitandi locus est, quominus subsequatur effectus. *Idem.*

Maxime interest

Si particularis tantum familiæ, fortunarum, & quie-

Puerorum si rectam vivendi rationem ineant.

quietis vitæ suæ ratio habeatur, cuinam malo hæc omnia objiciuntur, ubi in adolescentia vita flagitiosa, omnibusque coinquinata sceleribus agitur? Quam miseræ clades ejus ætatis licentiam excipiunt, nullum affectionum suarum ducem habentis? Bonorum jactura, proximorum, cognatorumque simultas, inimicitiæ, odia, existimationis detrimentum, res familiaris exhausta, corporis valetudo tabescens, morbi libidinum pretia, turpitudo, ac senectutis ad mendicitatem redactæ dedecus, & infamia præclari sunt effectus adolescentiæ in omne scelus omnemque impudicitiam ruentis. *Idem.*

Otium adolescentibus fugiendum.

Si otium illud auferretur, quod post elapsum studiorum curriculum ad illud usque tempus intercedit, quo quis alicui se addicit muneri, quod ejus animum ac mentem valeat occupare; quot uno ictu mala prohiberentur? Quam præclari fierent in virtutibus, ac pietate progressus? Querela frequens auditur, adolescentibus magni momenti negotia committi, verum incommodum hoc, de quo tantopere conqueruntur, non ne longe plura, magisque metuenda mala prohibet? Experientiæ defectus in iis etiam rebus, quæ difficiliores esse censentur, minime parit effectus æque noxios ac pravi habitus, quos adolescentia in omni vitiorum cæno volutata relinquit. Fugite ergo adolescentes Christiani otium adeo perniciosum; neque illud exilibus, nugacibusque exercitationibus evitari posse credatis; hæ quippe totidem sunt pessimarum affectionum causæ, & nutrimenta. Otium nonnisi seria occupatione evitatur; neque ulla aptior esse potest occupatio, quam quæ nos iis addicit officiis, quæ eum decent statum, ad quem nos evocat Providentia. Licitis vero, honestisque solatiis, subcissivis horis, illud tantummodo spatium relinquendum est, quod satis sit, ut majori cura, animoque alacriori ad ea, quæ nostrum munus expetit redeamus. *Idem.*

Pietatis exercitia remedium sunt adolescentibus contra sæculi corruptioné.

Fieri non potest, ut adolescens cordis, & conscientiæ puritatem tueatur, quin pietatis operibus vacet. Hi sunt rivi, per quos Dei gratia fluit; ac per eosdem ille nobis subsidium, quo indigemus, communicat. Adolescens viribus, animoque destitutus, ætatis suæ fragilitati traditus, in præcipiti versatur; verum si ad cœlos sui cordis evehit suspiria, Deus illum audit, ac regit. Tobias in adolescentia, non secus ac alii, versabatur in mundo omnibus corrupto flagitiis, imo etiam Idolorum cultui mancipato: verumtamen pergebat in Templum Religionis officia fideliter persoluturus, quod fuit veluti vallum quoddam adversus perniciosum malorum exemplorum torrentem, qui alioquin illum rapuisset in interitum. At si ab officio recessisti, cave, ne spem ad officium redeundi statim objicias, pietatis exercitationes relinquens, quæ tutissima est ad pœnitentiam via. *Idem.*

Adnitendum, ut Dei vocatio intelligatur.

Piæ juventutis exercitationes nondum certum vitæ statum constituunt; sed tantum præparationes quædam sunt ad eum amplectendum. Hinc sedulo investigandum est, atque adnitendum, ut quid a nobis expetat Deus, diluculo intelligamus, ut cum eo de statu vitæ, quem secuturi sumus, deliberemus. Etenim varios inter status, qui nobis sese exhibent, potius quem debemus eligere? Respondet sapiens, Dei esse nos determinare; cognitionem nostram, si gratiæ desit auxilium, nimis infirmam atque incertam esse, quam in tanti momenti negotio, unde æternæ salutis ratio dependet, sequamur. Deus enim, cum nos in lucem edi voluit, certæ professioni destinavit, eaque simul præparavit adminicula, quæ ad salutem nostram in illa comparandam proficerent. Adolescentem vero omni carentem experientia, ac sæpe affectuum æstu agitatum a Providentiæ consiliis recedere, facillimum est; & licet vivendi consilium non rite initum rectificari valeat, hoc tamen est perdifficile. Quamobrem ad cæleste lumen hac in re consequendum, quin vel affectionum motus, vel parentum monita, vel mundi voces audiantur, cum David dic Deo: *Paratum cor meum Deus*; & mox cum S. Paulo: *Domine quid me vis facere*? eaque verba

Ps. 56.
Act. 9.

Regii prophetæ usurpa: *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*; vel ea: *notam fac mihi viam, in qua ambulem.* At eodem tempore, quo Deum precaris, ut tibi loquatur, cave, ne ejus responsione te indignum exhibeas. Adolescens, qui inter flagitia vitam vivit, meretur ne, ut sibi loquatur Dominus, sibique cœlestis affulgeat lux, quæ Dei in ipsum voluntatem aperiat? Et licet hæc illi lux affulgeret, hanccine affectionum suarum nequitia excæcatus videret? Heu quam sæpe in eligendo vitæ statu decipitur in anteactæ vitæ supplicium! *Recens auctor anonymus.*

Ps. 24.
Ps. 142.

Ad pueros rite instituendos ante omnia illorũ ingenium investigandum est.

Ad pueros autem rite instituendos illud ante omnia requiritur, quod scientiæ hujus adeo necessariæ caput est, ut bene illorum noscas ingenia, qui a te sunt erudiendi; si enim Medicinæ aphorismus est, morbum curari non posse, nisi prius cognoscatur, nemini etiam pharmacum propinandum est, nisi illius vires, & effectus, qui expetitur, sint explorata. Idcirco quemadmodum in corporis ægritudinibus curandis ægrotorum naturam sequi opus est, omnis enim medicina hoc agit, ut naturæ opem ferat: ita ad corrigendos animi morbos, qui salutem æternam in periculum adducunt, specifico opus est pharmaco, quod se se eorum accommodet temperamento, quibus medendum est. Ad hoc igitur & malum, & remedii virtus comperta, explorataque esse debet; immo morbi ipsius origo investiganda est, hoc est ingenium, studia, & affectus, quibus potissimum obnoxii sunt illi, qui sunt adjuvandi, corrigendi, ad officium revocandi. Quomodo autem manus admoveri potest, si lateat, unde morbus profectus fuerit, quanam medicina opus sit, qui modus adhibendus, qua ratione auxilium ferendum iis, qui jam virtutis viam sunt amplexi? Quis non intelligit ex iis, quæ dicta sunt, quanta prudentia, quanta experientia in iis requiratur, qui adolescentiæ regundæ præficiuntur? Ad singulos per eam, quæ cuique accommodatior est, viam deducendos, ad flectendum in virtutem ingenium, ac bonas animi propensiones, quibus a Deo donatus est, item e contra ad corrigendum naturale studium, quod in malum rapitur: quot, & quam variæ adhibendæ sunt medicinæ, quot, & variis modis agendum est? Qua arte opus est, ut singulos ad eam cum voluptate, vel saltem non ægre sequendam viam; quæ illis ostenditur, & per quam coguntur incedere, persuadeas? *Idem.*

Virtus longe facilior est ubi a pueritia incipiat quæri.

Non tutior solum, verum etiam suavior, atque facilior ad æternam beatitudinem via hæc est, si ab ipso adolescentiæ flore Deo servire, ac virtutem quærere incipias. Ex quo Christiani esse incipimus, ignorare minime possumus nos ob id in hoc mundo versari, ut supremo Domino, a quo nobis & esse, & vivere datum fuit, inserviamus: videlicet ut eum colamus, diligamus, veneremur, ad hoc enim creati sumus. Sed addere possum, nos hoc ante cetera oblivioni mandare; & alios quidem procrastinando numquam incipere; alios tunc incipere velle, cum tempus non est amplius, alios tunc solum incipere postquam diu mundo inservierint, jamjam contumeliarum, quibus ab eodem affecti fuere, pertæsos. Verum ne igitur est, Domine Deus, qui unicus es, ac verus universorum Dominus, cui Cœli, ac sydera parent, cujus mandata tanta cum celeritate Angeli capessunt, cui certatim quodammodo creata quælibet famulantur; verum ne, inquam, est homines, qui in id unum creati fuere, & quorum ideo unicum negotium, ac sola cura esse deberet, ut tibi inservirent, serius quam fieri potest, incipere, ac sinentes elabi tempus, quo majori non solum cum facilitate, verum etiam utilitate id præstare possent, discrimen subire, ne numquam hoc peragant? Refert igitur a puero inchoare, antequam pravi contrahantur habitus, qui virtutis exercitationem efficiunt longe difficiliorem. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta. Sermone de Præsentatione Virginis.*

Sunt quædam ingenia, quæ

Non desunt ingenia quædam ita ad virtutem effecta, quæ ab ipso nativitatis exordio præparat gratia, & cu-

ad virtutē efficta videntur, & quæ statim ac rationis usu donantur se se Deo devovent.

& cujus præclaræ dotes, quibus a natura ornata fuere, aptissimæ sunt dispositiones ad cœli afflatus excipiendos; itaque hos statim sequuntur, ac vix Deum cognoscere incipiunt, cum ejusdem servitio se se devovent. Animæ electæ, quarum Deus maturato possessionem recipit; & quæ vicissim se se illi addicunt, statim ac ratione magistra intelligunt, se Dei esse, ac, ut illi inservirent, se fuisse creatas. Verum quidem est, non omnes homines tantum boni a natura ipsa sortiri: immo e contra non desunt, qui præter commune illud mortalibus omnibus studium, quod peccati originalis effectus est, alterum habere videantur proprium, ac peculiare, quo in malum, licentiamque rapiuntur, cor pravum gratiis, cœlestibusque afflatibus rebelle, in omnia scelera proclive, omnium virtutum inimicum, imperii impatiens, atque suis tantum affectionibus parens. Hoc, fateor equidem, obstaculum est servitio Dei, ad id enim docilis mens requiritur, cor divinæ obtemperans voluntati, ac celeritas, quæ gratiæ motus sequatur, ut quemadmodum ars fuit adinventa ferocissima subigendi animantia, feras cicuriendi, immo ex eorum servitio utilitatem capiendi, ubi nondum ætate provecta capiantur: ita nullum ingenium adeo ferox est, & indocile, quod non erudiatur, adeo rebelle, quod non flectatur, adeo pronum in vitia, quod ad virtutem non traducatur, si a pueritia recta educatione instruatur. *Idem*.

Magna felicitas est Deum colere ab adolescentia.

Nonne præstans bonum est, & magna felicitas, quemadmodum Propheta testatur, jugum ferre ab adolescentia, cum affectus, qui nobiscum nascuntur, sentiunt adhuc ætatis infirmitatem, ideoque nondum satis habentes virium vel non adeo crudele nobis inferunt bellum, vel non tanta cum difficultate superari possunt, quam cum per ætatem convaluerunt, atque ita citra illud periculum præliandum est, cui se se objiciunt, qui hostibus locum, tempusque relinquunt se se communiendi, majores vires comparandi, atque secus viam eos obices statuendi, quos non ita facile perfringamus, ubi nostræ vires etiam fuerint attritæ. Jugum alioquin adeo grave non est, cum ab adolescentia eidem assuescimus, cum onus, quod gestamus infra vires est, & via, qua incedendum est, æqualis, ac strata est, & nihil tandem nos prohibet, quominus curramus, atque magnis, ut ita dicam, gradibus procedamus. Felices igitur illi, quibus cum Dei servitutem, jugumque detrectare minime liceat, ei humeros subjiciunt ab adolescentia! &c. *Idem*.

Qui Deo se se devovere differt, periculum est, ne se illi numquam devoveat.

Si provectiorem præstolamur ætatem, qua divino cultui nosmet addicamus, quam metuendum est, ne animi ægritudines moram injiciant melioribus consiliis, & ne procrastinando efficiant, ut sancta cogitatio evanescat, ac opus meditatum eo ipso temporis momento, quo adimplendum est, penitus deleant? Illud certissimum est, quo majores nectimus moras, eo gravius nobis jugum, eo difficiliorem, molestioremque virtutis exercitationem futuram, ac plures obices nobis obviam ituros, nonnisi summis conatibus, totoque pectore superandos; cum e contra levi negotio ad virtutem flecti possit ingenium, tenellum adhuc, & parens præceptis omnibus, quæ illi traduntur. Quocumque se vertat, quidquid semel impressum est, diu permanebit, ac fortiter aget; & si flectatur in vitium, illudque animo inhæreat, non inde poterit divelli, nisi efficacis gratiæ subsidio; idque summa cum difficultate; plurimum enim erit decertandum, plurimi, iique validissimi obices conterendi. *Idem*.

S. August. exemplum satis ostendit quam difficile sit sanctam vitam agere, ubi hoc fieri cœperit ætate provectiori.

Veritatem autem hanc unde melius, quam ex D. Augustino ediscere possumus, qui profecto præclarum nobis præbet exemplum tum ejus constantiæ, qua perfringenda sunt vincula, quibus prohibemur, ne Deo addicamur, tum etiam laboris, ac difficultatis, quæ ingruit illis, qui statim a pueritia hoc præstare minime incœperunt? Tu quidem, o Augustine, interiisses, nisi speciosissima Dei gratia, quam non omnes jure suo præstolari possunt, quandoquidem unice a Dei pendet misericordia, tibi adstitisset. Omnibus licet intueri in libro Confessionum ejusdem descriptionem, ubi quadam veluti in tabula mentis suæ turbas, & cordis sui agitationem delineans exhibet languescentis voluntatis incerta consilia, quæ nunc quidem surgere adnititur, & mox relabitur; quæ progreditur paulo, ac mox retrocedit, quæ explorata quidem habet pericula, moras nectenti imminentia, & quæ nihilominus statim incipiendi consilium capere nescit. Cogita illius animum hinc inde raptum in diversa, & affectibus contrariis quodammodo laniatum; illum audi gemitus ac suspiria sub catenarum suarum jugo gravissimo effundentem, quod quidem excutere vellet, nolletque, & de ea molestissima servitute, unde emergendi consilium capere nescit, conquerentem. Nihil tale expertus fuisset ille, si ab infantia Deum colere incœpisset. Hoc ille in cordis amaritudine confitetur; cujus consilium potius quam exemplum moræ, quæ eumdem in cæcæ, inconsiderataeque juventutis nequitias egit præcipitem, si fueris imitatus, tot difficultatibus, laboribusque non eris obnoxius. *Idem*.

Maximus virtutis labor effugitur, cum illa a puero incipit exerceri.

In eo potissimus virtutis labor est, ut objectorum illecebris te capi non sinas, ut fortunæ quidem bona possideas, non te tamen iisdem mancipes, ut inter honorum, dignitatumque fulgores cordis humilitatem retineas, atque inter negotiorum tumultus Deo semper adhæreas. Heu quam multi hunc laborem experiuntur, cum senescentes incipere volunt servire Deo, omnemque curam ad animæ salutem transmittere! Tunc tanta illis apparet difficultas, ut nulla vi, nulla ope superanda videatur. At si Deus illos ad se trahat tunc temporis, cum ætas viget adhuc, postquam adolescentiam per omnes scelerum gradus traduxerit; quam grave illis est, atque molestum, Christiani munere, ut par est, perfungi; tot inanes curas abjicere; illis obsistere exemplis, quibus toties victi fuere; iisque adversari moribus, præceptisque, quibus olim fuerunt innutriti, atque imbuti? Hæc omnia vitant, qui a teneris usque unguiculis Deo se addicunt; a mundo enim divelli, cum nondum adhæseris, vel nondum arcto quodam vinculo eidem fueris adstrictus, magni laboris non est; cor hactenus indivisum, minori cum difficultate Deo famulatur; quemadmodum e contra ubi duo simul invicem arctius fuerint agglutinata, separari minime possunt, quominus frangantur, & aliqua alterius particula, etiam post separationem alteri inhæreat. Ut hoc igitur citra quemcumque laborem, ac difficultatem peragatur, maturato opus est, neque expectandum, ut adhæsio fiat, & cor nimis in flagitia proclive te vinculis detineat non ita levi negotio infringendis, atque sæcularibus negotiis se se altius immergat, unde sine summo labore nequeat emergere, animumque ad cœlestia, salutisque suæ curam traducere. *Idem*.

Licet felici natura donamur, hanc statim vitiis corrumpunt, nisi recta accesserit institutio.

Quis ignorat, quantumvis eximio a natura donati fuerimus ingenio, ac ultro ad virtutem properante, hoc statim vitiis corrumpi, nisi recta, sanctaque institutione confirmetur, ac egregiis imbuatur habitibus, propter quos ea, quæ cæteris sunt difficillima, illi faciliora reddantur? Quotusquisque est, qui innocentiæ integritatem ad extremum usque vitæ suæ tueatur? Hoc quidem jure Cœlesti gratiæ, divinæque largitati acceptum referendum est, verum cum in nobis positum sit, hoc in numero versari, & Deus ad id necessaria tantum auxilia suppeditet; nullam credo inveniri posse certiorem, tutioremque viam, ut summa fide serviatur Deo, quam ab ipsa pueritia inchoare; tunc enim efficitur habitus, quo fit, ut difficillima quæque facillima videantur, cum illis diu consuevimus. *Idem*.

Juvenes sibi felicitatem spôdent, atque omnia sibi e voto cessura putant.

Adolescens inani tot objectorum fulgore deceptus, libidinosi cordis impudicitia deceptus, affectuum violentia raptus, cæce in omnia pericula ruit, ambitiosa init consilia, omniaque sibi e voto cessura opinatur. Mala quæ passim occurrunt, calamitates, quæ in singulos ferme gressus ingruunt, juxta ipsius ideam, eidem adversari minime debent. Mundus, qui sectatoribus suis se adeo asperum præbet, aliter cum illo agere debet, nihilque debet futuram ipsius felicitatem

perl

perturbare. Omnia votis ejus arrident, atque in stadio suo flores tantum nanciscitur. Hæc est ars illa, qua amor proprius utitur, ut fallat adolescentes. Parum illos movent exempla, alienas calamitates eorum insaniæ referunt acceptas, ac sibi meliorem exitum pollicentur. Mare, quod atant, procellosum quidem est; verum sperant, se nulla tempestate agitandos esse, ac omnes scopulos se evitaturos. Nequicquam illos mones, ac pericula ob eorum oculos objicis; inimicum putant, quicumque sibi adversatur; illum unum metuunt, ac oderunt, quod suis votis opponitur. *P. Croiset. Tomo secundo Spiritualium considerationum.*

Præcepta adolescentibus tradenda ut satis ad ea, quæ futura sunt, erudiantur.

Postquam tradita fuerint præcepta adolescentibus rationis capacibus, alia aliis adhuc tradenda supersunt, ut in mundo vivere discant, atque ab affectuum perturbatione se se tueantur, quæ, ubi quis proprios animi motus sequatur, simultates parit, ac inimicitias, quæ civilem societatem infringunt, hominesque a mutua charitate sejungunt, postquam eosdem a Dei charitate separaverint. Docendi sunt, quomodo variis hominum ingeniis, atque temperamentis se se accommodant; Mundum norint opus est, antequam in illum ingrediantur; & quin illorum foveatur jucundus ille, suavisque conceptus, quem ob experientiæ defectum animo imbiberunt, dum adhuc sub magistro, vel custode tenerentur; mundi ipsius inanis vanitas intus & in cute aperienda est, eorumque animi præparandi ad ea, quæ in hominum consuetudine, gravia, & molesta solent accidere, & quæ ab iis, qui rebus sæcularibus vacant, nequeunt ulla ratione evitari. Denique non solum mundi studia, verum etiam labores ostendendi sunt, & quam sæpissime hoc illis repetendum, ut ad finem præparentur, ad quem sunt deducendi. *Liber cui titulus: Maximes, & Reflexions sur l'éducation de la jeunesse.*

Præmonendi sunt adolescentes de iis jurgiorum occasionibus, quæ illis fortasse excitabuntur.

Ne adolescentes decipiantur, ubi custode remoto, in Mundi lucem prodeuntes non alium sequentur ducem, quam bonos habitus, si quos forte contraxerint, & præcepta, quibus eruditi fuerint, operæ pretium est, eos admonere futurum ut nanciscantur, qui illos oderint, ipsorum consiliis adversentur, desideriis obsistant, & nonnumquam etiam immerito objurgent, increpentque: sed cavendum sedulo ne eorumdem agendi, vivendique rationem imitentur, eorumque vestigiis insistant. Non honestas dumtaxat, sed propria etiam utilitas suadet, ut in hujusmodi occasionibus sapientes sint, ac se contineant; ne se se importune efferant, suumque honorem lædi arbitrentur; & minus quam fieri potest hujusmodi inofficiosis occursibus adjiciant animum, quibus si respondere coacti fuerint, id citra impetum, furoremque exequantur, sed vultu intrepido, atque constanti, qui pudorem illis afferat, a quibus imperiti fuerint, atque spectatorum animos in sui administrationem convertant. *Idem lib. 2. cap. 3.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Nulla in re magis adnitendum est, quam ut adolescentibus proclivis hic in iracundia motus animi auferatur, quo solent efferri; ubi sibi injuriam factam putant, vel se dicteriis, aculeatis jocis, æquivocis, vel contemptibilibus verbis lacessitos existimant: nihil enim magis eisdem obesse potest, nihil magis negotium illis facessere, pluresque inimicitias, & simultates conflare; quas ut effugiant, caute ab initio procedant, opus est; illud vero potissimum caveant, ne quid temere effutiant, agantque, omniaque non naturæ, vel affectuum suorum, sed rationis, atque honestatis consilio operentur. *Idem.*

Quam ridicule se se plerique gerant adolescentes, ubi primum in mundū prodeunt.

Illud vero plerosque adolescentum, qui recens in Mundi luce versantur, non ferendos efficit, quod obstinato sunt animo, quod facile qualibet exempla imitantur, quod se magis ridiculos præbent ficto, quem affectant, urbanitatis lepore, fucataque morum venustate, quam defectibus suis. Quemadmodum numquam sui juris fuerunt, adepta libertate statim abutuntur, ut omnibus se se avide ingurgitent voluptatibus, verborum licentiam præseferant, male audiant ob patrata flagitia, omnesque honestatis, atque urbanitatis leges teruntii ducant. Putant suavitatem illam, quam in moribus suis ostendere gestiunt, atque elegantiam, de qua gloriantur, omnium animos sibi demereri, atque in omnibus societatibus amorem conciliare; quapropter superbia tument, atque existimant, beatum esse, qui illos, licet tot diffluentes vitiis, in amicorum numero possit adscribere. Videntur toto volitare foro, omnique in frequentia versari, atque sibi merito verti, si decoris vestibus induti capite fictitiam niveamque cæsariem excutiant; vel etiam nonnumquam negligentiam quamdam ostentent, qua non minus quam affectato corporis cultu omnibus se præbent irridendos. *Idem.*

Innocentiæ amittendæ pericula, in quibus versatur adolescentia.

Quot ubique pericula occurrunt? Quodnam vitæ spatium est, ubi plurima non sint extimescenda? Quot malis est juventus obnoxia, ubi affectiones tunc germinantes per fas nefasque ruunt, nihilque intactum relinquunt? Quam vero cladem afferunt cordi, quod adhuc est recens? Experientiæ defectus, rationis imbecillitas; inanis tot objectorum fallentium, atque placentium fulgor, mollis eorum indulgentia, qui torrentem cohibere deberent, omnia plurimum conferre videntur ad eam ætatem perdendam, in qua maximi est momenti, innocentiam tueri, & in qua lapsus omnes ad salutem sunt funestissimi. Quam difficile est, stare in lubrico, ubi omnia ad innocentiam subvertendam fœdus impium inivisse videntur! Animi ægritudines magis sunt vehementes, objecta majorem ad fallendum habent illecebram; occasiones frequentiores adsunt, & major inimicorum numerus instar. Cor deditione facta rebellat, sensus ipsi conjurationis participes sunt, bellumque domi inclusum est. Vanitas sollicitat, pravorum exemplorum torrens rapit. Gratia potens est quidem, ac nemini deest; at adolescentum voluntas infirma. Affectuum fervor, objectorum multitudo, morum licentia, voluptatum illecebræ prohibent, ne iis, quæ suppetunt, utamur auxiliis, neque insidiæ, quas jugiter struit hostis, detegantur. *P. Croiset Tomo 2. suarum Considerationum.*

Ille, cujus pueritia recte fuit instituta, facilius provectiori ætate resipiscit.

Cum juxta Christi præcepta instituta fuit adolescentia, numquam penitus deleri potest amor eorumdem; & habituum piorum, ac innocentium, qui tunc contracti fuerunt; eorum memoria semper grata est, atque suavis. Ita cor voluptatis illecebra captum, quod repente penitus immutatum videbatur, paulatim ad pristinum statum redit; prout voluptatibus fatigatur, ac desuescit, ad primos redit sensus similemque initio finem vitæ sortitur. Hic peccati status erroris species vocari potest; qui enim labuntur, locum habent sperandi, fore ut divina opem ferente misericordia resipiscant. Namque propter bene institutam pueritiam manent alta mente reposita sapientiæ, & religionis semina, serius, ocyus fructum suum allatura; cum e contra, qui nullum pietatis habitum adepti sunt, dum per ætatem illorum animus æque bonis, ac malis impressionibus patebat, hanc in semet opem non habent, neque ut fortiter stent, sicubi casuri sunt; neque ut in viam redeant, si aliquantisper ab illa recesserint. *Liber cui titulus: De l'éducation des Enfans pour le Sieur Jean Pic.*

Quam necessarium sit munus pueritiæ educandæ & quid requirat.

Ars adolescentes erudiendi, artium omnium princeps est, ac nobilissima. Nihil æque præclarum ac hominum animos, mentesque formare; in illos magnatum actionum semina jacere, eosque præceptis atque exemplis ita instituere, ut semet regere norint, aliis etiam aliquando egregia exempla daturi. Verum cum ars eadem tot amplectatur officia, cumque ejus objectum sint tot varia ingenia, propensiones, ac studia, quot sunt alumni, nulla profecto hac majorem exigit curam, laborem, assiduitatem, prudentiam, præparationem, patientiam, cognitionem. *Idem.*

Plurimi refert, si adolescens præclarum suæ virtutis specimen dederit.

Ex primis illis ideis, quas de se apud alios adolescentulus adstruit, semper imposterum de eodem fertur judicium; quamobrem plurimi refert præclara ponere primordia; videlicet nihil temere, ac sine ulla præcautione operari, præsertim vero præ se minime ferre quamdam licentiæ, ac libertatis speciem, quæ familiaris admodum solet esse eorum plerisque, qui

qui de obedientiæ statu egrediuntur; ita enim reparare velle videntur omne illud temporis spatium quod in voluptatibus nequiverunt impendere. Qui hoc de se specimen ab ineunte ætate præbuerit, diutius communi existimatione, atque approbatione perfruitur; verum admonendus est, si turpis nomini suo nota inuratur a puero, hanc vix, ac ne vix fortasse delendam; atque rem immensi operis, ac laboris esse, ut nominis gloria, cujus subiit jacturam, reflorescat. *Idem*.

Præcepta, quibus adolescentes optimæ educationis existimationem sibi conciliare possunt.

Ut autem facilius adolescentes egregium aliquod suæ virtutis specimen tribuant, ne conflatam sibi haud æquam existimationem delere teneantur, maturato præparandi sunt, ut multa primis illis initiis audiant, animi impetum moderentur, amicos sibi comparent, ad quorum vivendi rationem se ipsos informent, alienis advertant defectibus, ut sibi caveant, ne in eosdem illabantur: æquis excipiant auribus, quin adversentur, laudes eorum, quæ ipsis placere minime possunt; ipsi vero perraro laudibus alios extollant, quæ enim ea in ætate laudes tribuuntur, illi ipsi, cui tribuuntur, non satis ad honorem prodesse videntur; numquam judicium in re dubia ferant, de re nulla glorientur, quidquid sibi dictum fuerit, æqui bonique faciant, ingenium solidum potius habere malint, quamvis vanum; suas probent sententias, quin tamen illis mordicus hærere videantur; & rationis, & urbanitatis causa cedant illis, qui pertinaciter nimis suas afferunt opiniones; suavi, lenique vocis tono loquantur, attamen citra affectationem sicubi acciderit occasio, in qua solent alii vocem attollere; numquam effutiant seu ex imbecillitate, seu ex vanitate, seu ex loquendi cacoethe, quod propriæ creditum fidei alto est silentio obruendum. Demum vel prorsus non loquantur, vel semper opportune loquantur. *Idem*.

Quomodo se se gerant adolescentes, ubi primum in mundi lucem prodeunt.

Inter gravissimos juvenum defectus, ubi primum in mundi lucem egrediuntur, ille jure censendus est, quod honorem suum in re minimi momenti agi putant. Illis persuasum debet esse, nominis famam non esse in eo positam, si aliquid insulse dictum deprehendant, vel si iracunde respondeant. Qui quædam habent Religionis principia, immo & qui mundum norunt, ac sciunt quanam in re honor sit positus, nequaquam injuriis repellunt injurias; immo quod alii stolide effutiunt, etiamsi ad ipsos pertineat, labi sinunt, gloriam suam in stultorum, imperitorumque verbis minime sitam putant; & cum se se continere non possunt, quin a se illatam calumniam depellant, non superbo, neque irato animo alienis dictis adversantur, sed moderate, sapienterque respondent.... Nihil est, ubi magis sit adlaborandum, quam ut huic medeantur juvenili iracundiæ, qua statim corripiuntur, ubi se injuria putant affectos, & alienis dicteriis, falsisque jocis petitos. Ex omnibus affectibus, quibus obnoxii sunt, nullus hoc perniciosior esse, nullus magis negotium facessere potest. *Idem*.

Adolescentes, ubi remoto custode libertatem nacti sunt, illico malum, quod ignorabant ediscunt, atque illud gloriæ sibi vertunt. Quin libertate, qua frui incipiunt, in id utantur, ut tradita sibi egregia præcepta sequantur; e contra in vetitum ruunt, eamque vivendi rationem instituunt, quæ neque religione, neque ratione coercita prorsus & honestati, & utilitati, & conscientiæ, & quieti ipsorum opponitur. Non defectus tantum naturales, & acquisitos multiplicant; verum eos etiam sibi vendicant, quos fortasse habere non possent, ne inferiores illis videantur, qui ad extremum usque flagitiorum omnium pervenerunt: ita ut graviter aliquando delinquant, non quod illuc a natura corrupta rapiantur, sed ut in omni scelere prostituti videantur. Propter habitum in ea ruunt flagitia, in quæ ingenio suo non feruntur; atque naturam in malum pronam, uti sæpe in bonum conamur, efficere student proniorem. *Idem*.


Ejusdem argumenti continuatio.

Plerique fortunarum suarum, vel nobilitatis opinione efferuntur; ideoque superbi sunt, inofficiosi, contemptores eorum, quos infra se putant, eos vero, qui & honoribus & opibus præstant, nulla excipiunt reverentia, honore nullo; alienorum officiorum censores, zelotes, & erga æquales asperi, difficilesque. Nihil præter aureas vestes, ornatusque cogitant, multa se stipatos famulorum caterva circumspectant, ac plura moliuntur sibilis, atque cachinnis excipienda. Summa pernicitate in omne voluptatum genus ruunt, & nihil ipsos a suscepto itinere detorquere posse arbitrantur. Honestatis, amicitiæ, prudentiæ, immo etiam Christianæ Religionis efficia illis importuna, ac minime ferenda videntur. *Idem*.

Rectæ institutionis defectus omnia vitæ civilis incommoda parit.

Eorum ætas, quibus ab ineunte ætate recta, ac religiosa præcepta minime fuerunt tradita, in affectuum suorum nequissima perturbatione adolescit, ideoque probitas, ac fides in fidelibus, iis etiam, qui magis frugi cordatique censentur, deinceps tantopere desideratur. Ecclesia conqueritur; res publica luget; diffident familiæ; publica utilitas jacturam subit; juventus in omne fas, nefasque ruit; vita humana calumniæ, perfidiæque commercium est; senectus vitiorum, nequitiæque schola; mors vero scelerum, vel desuetudo, vel supplicium. Verum hæc omnia mala ex hoc uno fonte profecta putanda sunt, quod pueritiæ negligitur institutio. *Liber cui titulus: De Mundi cognitione*.

Cum illis gratulandum est, quod felix, atque Christiana educatio ab ineunte ætate docuit animi ægritudines in ipso superare primordio, inconditosque appetitus cohibere: licet enim unusquisque in lucem prodeat non sine corruptionis labe, ac enorme pondus singulos ad malum trahat fere antequam cognoscatur; dici nihilominus potest, educationem, primosque habitus in utramque partem, seu ad vitia, seu ad virtutes amplectendas plurimum conferre. Qui ergo a pueritia ea sibi denegare consueverint, quæ legi atque rationi adversantur, ubi Dei servitio se se addicere velint, maturato virtutis gustum, suavitatemque percipient, quin ejus difficultatibus deterreantur.



ADU-

ADULATIO.

Qui eam patiuntur, & faciunt; Complacentia &c.

MONITUM.



Itium hoc, in quod non Christiani tantummodo Patres, verum etiam Ethnici philosophi toto pectore invecti sunt, nunc quoque non secus ac olim passim viget, atque grassatur; quamobrem non satis miror, quod Evangelici verbi praecones de suggestu zelum suum in adulatores, atque in adulationes, quae apud omnes plurimorum flagitiorum causa, immo etiam maximarum calamitatum origo habitae sunt non satis ostendant. Pauci profecto in hoc argumento sermones inveniuntur, & equidem me nullum audivisse confiteor. Quaenam vero hujus negligentiae causa afferenda est? Num Concionatores, quia non semper eas laudes respuunt, & plausus, quibus suae conciones excipiuntur, ideo huic vitio pepercere, cui & ipsi obnoxii videntur? an quia & ipsi nonnumquam iis blandiuntur viris, quos satagunt delinire? De illis, qui adeo sancto munere perfunguntur, tantum nequitiae non crediderim; reor potius, hoc illis argumentum non satis affluentem rerum, sententiarumque copiam visum suppeditare, ut ad justa orationis mensuram excrescere posset oratio; ideoque illos vel satis suo muneri fecisse arbitratos, si, ubi se se obtulisset occasio, in hoc vitium erumperent, vel potius contemnendum, quam totis viribus impugnandum censuisse. Ad id igitur eam, quae sufficere valeat, materiam instructurus in ordinem cogam, quidquid hac de re contigit collegisse, postquam monuero.

1. *Adulationem inter, atque Complacentiam tantum similitudinis intereße, ut alteram ab altera sejungendam minime duxerim; cum in hoc tantum differant, quod complacentia potest quidem aliquando esse virtus, & quidem in hac vita commercio necessaria; cum adulatio semper vitiosa sit, ac in sequiorem partem semper accipienda.*

2. *Alienorum defectuum, vitiorum, flagitiorumque tolerantiam, quorum torrens cohiberi non potest, vel quae dissimulantur, ut his graviora scelera prohibeantur, a complacentia, atque adulatione esse distinguendam; eumque operae facturum pretium, qui de utriusque discrimine auditores suos commonuerit.*

3. *Adulationem, cui aures praebentur, quaeque fit, duplex esse peccati genus, ad quod evitandum varia consilia, atque rationes sunt suggerendae; posse tamen de utroque in eadem concione verba fieri; alterum enim sine altero esse vix potest.*

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti lineamenta.

I. 

Ifariam considerari potest adulatio, ratione tum eorum, qui sibi laudes gestiunt deferri, tum eorum, qui aliis adulantur; quod concionis argumentum, atque partitionem potest suppeditare.

In priori parte, 1. ostendetur infirmitas haec adeo perdite vanitatem, hominumque aestimationem aucupandi, quae fluxa, fragilis, atque animo vere Christiano indignissima est. Ita enim ostendimus, quam male id intelligamus, quod nostram aestimationem meretur, & quam parum ad illud indipiscendum adlaboremus. Licet enim Sapiens hortetur, ut sedulam nominis nostri curam geramus; ejusdem jacturam facimus, cum vitae nostrae rationem juxta adulantium approbationem instituimus; qui dummodo nobis placeant, omnia promiscue probant, atque laudibus celebrant. Interim nobis apud cordatos viros contemptum, atque indignationem conflamus, qui quo majori gloriae desiderio nos flagrare cognoscunt, eo magis nos ignorare veram ejusdem consequendae rationem; immo in aliam prorsus viam aberrare conspiciunt. 2. Imbecillitatem hanc etiam satis aperte praeseferimus, eo quod amicos nobis temere, ac imprudenti electione comparamus; praeferimus enim assentatores, homines malos, dubiae fidei, propriam tantum utilitatem quaerentes, ac semet solum amantes, veris posthabitis fidelibusque amicis, qui nostris studerent commodis, salutaria monita suppeditarent, atque non spernendam conferrent opem, ut meliores, atque perfectiores evaderemus. 3. Haec autem magis aperte se se imbecillitas prodit, quod non intelligimus, nos ab adulatoribus decipi, in errorem induci, ac verti in ludibrium; tunc saepius cachinnis excipi, ubi coram nimis laudibus extollimur; & conscientiam nostram longe fidelius nobis testimonium exhibere virtutum, aut vitiorum nostrorum, quam assentatorum mellita verba, quae ne flocci quidem facienda sunt. 4. Apparet denique in eo nostra imbecillitas, quia non satis ea cavemus pericula, quae subimus, passi nobis fucum fieri, ac fictis mendacium amicorum laudibus, atque approbationibus decipi. Haec autem pericula sunt; quod numquam ea corrigimus mala, quae nomini, salutique nostrae maxime officiunt; in pravis habitibus inveterascimus; quotidie in novos defectus illabimur, quibus adulatores applaudunt, ac Dei tandem ipsius odium ciemus, quemadmodum ex pluribus Bibliorum exemplis innotescit.

Pars Altera. Adulatio argumentum est ignaviae in illis, qui mellitis verbis assentantur. 1. quia hoc ut plurimum praestant animae serviles, atque turpis lucri cupidae, quae eorum, quorum gratiam captant, quodlibet factum laudibus efferunt, quamobrem frequentius in Principum aula, & apud eos, qui honoribus, opibusque florentes sunt, potissimum inveniuntur; eorum enim ope magnum aliquid consequi, atque suas fortunas provehere arbitrantur. Hac illi spe illecti, se ipsos torquent, miserrimam serviunt servitutem, atque in omnem fortunae habitum se se componunt, ut placeant; quidquid alii dicunt, vel faciunt, approbant, eorum insolentiam tolerant, vitia in virtutes convertunt; & magnum aliquid praestant, nisi iniquissimarum, pessimarumque affectionum, ac libidinum ministri fiant, quemadmodum earumdem sunt seduli approbatores. 2. Hi enim sunt, vel servi infideles, vel tecti inimici amicorum personam gerentes, qui eos perdere gestiunt, quibus adhaerent, & quibus tamquam vilissima mancipia se se addixerunt; nam suis adulationibus coelant, quid de ipsis vere caeteri sentiant, efficiunt, ne veritati aditus ad viros principes pateat, qui tot laudum cumulo in-

intumescentes, se illas mereri opinantur; qua in re minimum detrimentum, quod ab indignis capiant adulatoribus, hoc est, quod eorum omnium, quæ bona gesserunt, amittant merita ob eam superbiam, inanisque gloriæ sensus, quos ex illorum assentationibus percipiunt. Itaque vere dici potest, assentatores virtutis hostes habendos esse, propter immeritas laudes, quas tribuunt, & amicos, vel potius vitiorum omnium fautores, quia illa excusant, vel etiam probant, licet ratio, & conscientia longe aliter ipsis persuaserit. 3. Adulatores indigni palam ostendunt se omni non solum honestate, verum etiam conscientia, religione, & probitatis sensu carere, malum, & bonum promiscue laudantes, atque per hoc se reos, ac participes omnium malorum præbentes, quæ probant, omnium vitiorum, quæ laudant, scelerumque omnium, quibus causam afferunt, alienis flagitiis, atque peccatis blandientes.

II. 1. Malum, quod adulanti parit adulatio. Peccat contra proximi charitatem; Reus est delictorum omnium, in quæ vel suadendo alios impellit, vel quæ fovet laudando. Se indignum fide præbet, tamquam infidelis, & proditor. 2. Malum, quod infert adulationem amanti, vel inquirenti. Efficit enim ut bonarum actionum merita amittat; prohiberque, ne ad frugem redeat, eumque in sceleribus, flagitiisque suarum laudum auctoritate confirmat.

III. 1. Adulator contra sinceritatem delinquit, vel fictitiis vel immodicis laudibus proximo fucum faciens, quod præ omnibus mendaciis perniciosissimum est. Non enim operosum est probare, neminem impudentius mentiri, blandius fallere, ac facilius efficere, ut pro bono malum accipiatur, quam assentatorem; quoniam ultro illum diligimus, ei favemus, eique credimus in iis, quæ ad nostram laudem pertinent. 2. Contra justitiam peccat, illos laudibus cumulans, qui eas non merentur, eorumque scelus approbans, qui non elogiis, non laudibus, sed censuris, atque suppliciis digni sunt; ideoque in hujusmodi homines eæ decidunt maledictiones, quas Deus per Isaiam Prophetam effudit: *Ve qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, dulce in amarum*. Isaiæ 5. 3. Peccat contra Charitatem, proximo suis assentationibus suadens, ut in sceleribus perseveret, & prohibens, ne resipiscat, atque ex cœno flagitiorum emergat, quod profecto malorum est maximum.

IV. 1. Adulator omnia violat civilis societatis jura, cui perniciem molitur efficiens, ut malum pro bono, ac vitium pro virtute habeatur, & mentem, moresque illorum corrumpens cum quibus init familiaritatem. 2. Amicitiæ leges perfringit, cujus ille præcipuus est finis, ut amico indigenti opituletur, nutanti salutaria afferat consilia, eumque ad virtutis amorem accendat: liquet enim, adulatorem, ea prorsus quæ sunt opposita, facere. 3. Omnia charitatis christianæ fundamenta subvertit, proximo pro virili malorum omnium maximum procurans, æternam videlicet calamitatem, illum in vitiis detinens, atque ne ex illis emergat, obsistens.

V. 1. Adulatio vitium est, quod omnes jure vituperant, at plerique tamen cum voluptate patiuntur; quoniam amori proprio velificatur, vanitatem fovet, defectus, & crimina excusat. 2. Vitiorum omnium infensissimum est, in quod mortales omnes invehuntur, & nihilominus præ cæteris magis requirunt. 3. Vitium turpissimum est, contemptibiles enim efficit hujus viæ viros; verum tamen hoc maxime adfectatur, atque usu recipitur, ab iis a quibus officiosi hominis aura captatur.

VI. De mundi complacentia. 1. Fieri non potest ut omnibus placeamus, quin displiceamus Deo: oportet enim, hos quidem palpare, cum illis dissimulare, criminosos imitari, ac se illis præbere similes, quibus placere studetur; vel saltem eos laudare, illis plaudere, quod Evangelii, & conscientiæ legibus adversatur. 2. Nulla æque infelix servitus est, neque christianæ libertati magis opposita, quam se se alienis submittere affectibus, studiis, propensionibus, vitiis, & cogi nonnumquam ut aduleris, dissimules, conniveas, quin hiscere audeas, ne dicam monere, sensusque tuos liberiori spiritu promere. Hinc studium illud, quo ut amicis, immo & iis omnibus, quibuscum vivimus, placeamus, admittendum est, numquam eo usque progredi debet, ut superioribus assentemur, æqualium vitia dissimulemus, ac inferiorum toleremus improbitatem.

VII. 1. Oblectatio illa, qua perfundimur cum palpantium laudibus celebramur, vulgo pro levi culpa tantummodo habetur; verum quanta illius sit gravitas, & quam metuenda ex effectibus liquido innotescit. Ambitionem enim, ac superbiam fovet, nos in vitiis, defectibusque nostris detinet, & quodammodo incorrigibiles efficit. Cum vitiorum approbatores invenimus, atque pro censuris, & correptionibus encomiis excipimur, impure in omne scelus abdimur. 2. Præcautiones, atque remedia, quibus uti debemus, ne hac alienarum laudum oblectatione alliciamur. Prima est intus & in cute nostros defectus introspicere, aque conscientiæ stimulis aures diligenter præbere. Secunda cogitare quam dolosa, & mendacia sunt mortalium judicia, & quam parum fidendum sit alienis elogiis, atque suffragiis. 3. intelligere nos reipsa tales esse, quales coram Deo sumus; nihilque ad nostram salutem attinere quidquid de nobis homines sentiant, atque effutiant.

VIII. 1. Palpator nocentior est invidente, licet æque utique turpitudo, atque infamia adhæreat. 2. magis metuendus est quam obtrectator; majorem quippe proximo infert injuriam. 3. Magis perniciosus est apertissimo, infestissimoque inimico; magis enim officit.

IX. 1. Adulatio laqueus est Dœmonis perniciosissimus, majori enim arte in nos præparatus est, & minus inde nobis prospicimus; quamobrem facile in illum impingimus, & ab illo capimur. 2. Rationes dolosissimi hujus laquei evitandi hæ sunt: Primo blandis harum syrenum cantibus aures obstruere, ne illecti statim seducamur; palpatores ipsos inofficiosa asperitate repellere, quemadmodum Filius Dei Scribas, & Pharisæos repulit, qui venerunt, ut mellito verborum lenocinio eumdem deciperent: *Quid me tentatis hypocritæ*? Matth. 22. Eos tamquam seductores vitare, & fugere efficiendo, ut fraudem suam satis esse compertam intelligant, nosque minime fore ipsorum dolis capiendos, sciant.

X. 1. Nullum magis nequam vitium est, & quod melius personam gerere norit, quam adulatio. Cum enim illam repellamus, quæ se se facile prodit; subdolo verborum circuitu, fucatiusque sermonibus utuntur palpatores, ut quidquid blandientes inquiunt, clanculum irrepat, atque in audientium animos sibi aditum aperiat. 2. Nihil magis periculosum, vel perniciosum est, ubi semel jucunde admittatur; ita ut assentatoribus ea Prophetæ verba possint applicari: *Molliti sunt sermones ejus super oleum, ipsi autem sunt jacula*. Psalmus 54.

XI. 1. Quanta sit ejus improbitas, qui ut alterius amicitiam aucupetur, assentationibus utitur, virtutem, ac bonum, quod in illo deprehendit, exaggerans, seu ejusdem vitia, & crimina laudibus celebrans, eaque facta probans, quæ jure ab aliis improbantur. 2. Quantum sit eorum periculum, qui adulationem diligunt, atque verba sibi dari cupiunt.

XII. 1. Adulatio turpis est servitus, 2. criminosa complacentia, 3. ficta, & infidelis amicitia.

XIII. 1. Adulatores pro virili e terris, ac hominum societate veritatem exterminant. 2. vitium in loco virtutis constituunt, 3. neque bonis, neque malis, quod æquum est, tribuunt; laudant enim, qui laudes non merentur; vel

vel plus quam par est, exigua aliorum merita extollunt.

PARAGRAPHUS II.

Fontes Auctoresque unde haurire liceat copiam ad propositas orationum partitiones tractandas.

Sancti Patres. SAnctus Cyprianus *Serm. de jejunio, & tentat. Christi* de adulatione verba facit occasione desumpta ex verbis, quibus Dæmon Salvatori assentatus est.

S. Ambrosius *l. 2. de Offic. c. 21.* ostendit immodicum complacendi studium, esse amicitiæ genus haud nimium diuturnæ.

S. Hieronymus *Epist. 14. ad Celantiam* ostendit quam perniciosum, atque commune sit hoc vitium.

Idem in caput 27. *Prov.* ostendit adulationem non minus obesse, quam obtrectationem.

Idem, vel Auctor Epistolæ *ad Demetriadem* detegit adulantium dolos, & qua ratione in principum virorum animos irrepere adnitantur.

Idem in Epistola ad *Galatas* illa explicans Apostoli verba: *Ergo inimicus factus sum vobis, veritatem dicens* ait, perniciosissimum adulationis genus esse veritatem celare.

S. Jo. Chrysostomus *Hom. 88. in Matth.* ostendit adulationibus mortales effici ignaros, atque inertes; objurgationibus vero, etiam importunis, corrigi, & excitari.

Idem in *Psalmum* 11. ea prophetæ verba explanans: *labia dolosa in corde, & corde locuti sunt*, probat nullum cor minus esse sincerum, magisque dolosum, quam cor adulantis.

S. Gregorius *l. 8. Moral. c. 4.* eas affert maledictiones, quas per os Prophetarum Deus in adulatores ejaculatur.

Idem *lib. 18. moral. cap. 4.* illa Ezechielis explicans verba: *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus*, pravissimos adulationis effectus ostendit.

Idem *l. 31. moral. cap. 12.* cladem amplificat, quam afferunt assentatores, quos comparat locustis, quæ olim omnem late Ægyptum depopulatæ fuerunt.

Idem *l. 4. moral. c. 29.* peccatores incorrigibiles ab adulatoribus effici ostendit.

S. Augustinus *Epist. 135. ad Severum Abbatem* probat amicitiæ adulationem opponi.

Idem *contra literas Petiliani* ait adulationi aures non præbendas, cum teste conscientia cognoscimus nos tales reipsa non esse, quales ab adulantibus exhibemur.

Idem in Psalmum 39. explicans ea verba: *Confundantur, qui dicunt mihi: Euge, euge*, docet quosnam deceat esse sensus nostros, ubi quis nos laudat, vel nobis assentatur.

Idem *in Psalm. 9.* ostendit adulationem vitium esse, criminosos criminum suorum amatores magis efficiens.

Idem *in Psal. 49.* probat eum, qui viro nequam adulatur, participem alienæ fieri nequitiæ.

Idem *in Psalm. 69.* adulantium linguam nihilo minus esse perniciosam quam obtrectantium.

Idem, vel Auctor Sermonum *ad fratres in Eremo serm. 29.* ob oculos ponit, quanto persequi odio adulatores oporteat.

S. Bernardus *in lib. sentent.* hæc 4. cap. Canticorum verba, *Mel, & lac sub lingua tua*, interpretaturus ostendit adulantium discrimen, & eorum, qui cum zelo, & pudore vitia corripiunt.

Idem in Epist. *ad Ramaldum Fusmascensem Abbatem* ostendit nullum nobis graviorem esse inimicum, laudante, atque blandiente.

Ascetici aliique. P. Suffren Anni Christiani tomo 1. de conversatione 3. Puncto.

Liber cui titulus, *la guerre aux vices*, fusius de adulationis vitio verba facit.

P. Heliodorus de Parisiis Capucinus, sermone 7. de Conversatione de bono, & malo complacendi studio late differit.

P. Jacobus d'Autun Capucinus Tomo 2. *de la Conduite des illustres* cap. 20. de adulatione verba facit, cujus excessum lenitati inquit opponi; & capite sequenti de remediis contra adulationem loquitur.

Essais de Morale Tom. 3. c. 12. ubi præcepta traduntur ad adulantium linguam intelligendam.

Drexellius in *Phaetonte*.

Chressolii Mystagogus *l. 4. c. 23. & 24.*

Concionatores. Mathias Faber *Concion, in Dominic. 22. post Pentec.*

Essais des Sermons Tom. 3. Serm. pro Feria 3. Hebdomadæ Passionis.

Essais de Sermons pro Dominicis, Sermone pro Dominica 11. post Pentecostes;

In libro, cui titulus *Discours Moraux* unum de adulatione reperies.

P. Giroust in Quadragesimali feria 3. post Passionis Dominicam de Mundi complacentia loquitur.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta Tomo 2. Sermonum particularium, hoc argumentum fusius pertractat, idemque de eodem in Quadragesima in Concione de Amicitia sermonem instituit.

Collectores. Peraldus Tom. 2. *De peccato linguæ* c. 7.

Summa prædicantium. Verbo *Adulatio*.

Theatrum vitæ humanæ.

Labata in Thesauro propositiones habet 22. hujus argumenti.

Stapleton in Promptuatio Morali in Domin. 2. Adventus.

Lohner in *Bibliotheca Manuali*. V. Adulatio.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, Bibliorumque applicationes ad hoc argumentum.

QUI *dicunt impio, justus es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus.* Prov. 24.

Simulator ore decipit amicum suum. Prov. 11.

Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum. Prov. 17.

Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam. Prov. 16.

Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. Prov. 28.

Homo, qui blandis, fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus. Prov. 29.

Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. Prov. 27.

Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis. Ibidem.

Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi. Eccles. 7.

Laudatur peccator in desideriis animæ suæ. Psalmus 9.

Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Psalm. 140.

Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Isaiæ 3.

Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Isaiæ 5.

Væ qui justificatis impium. Ibid.

Loquimini nobis placentia. Isaiæ 30.

Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ æta-

atatis ad capiendas animas. Ezechiel. 13.

Digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Ad Rom. 1.

Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. Ad Rom. 15.

Per dulces sermones, & benedictiones, seducunt corda innocentium. Ad Roman. 16.

An quæro hominibus placere? Ad Galat. 1.

Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis. 1. ad Thessalon. 2.

Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis? Ad Galat. 4.

Exempla ex veteri, novoque Testamento deprompta.

Primorum parentum exemplū. ADulatio in utramque partem accepta sive fiat, sive audiatur, eamdem cum terrarum orbe jactat originem; hinc enim humani generis pernicies incœpit. Quis enim ignorat, quo astu dæmon sit usus, ut Evam deciperet? Sexus imbecillitatem noverat, qui sibi laudes deferri gestit, ideoque illuc vim suam convertit qua facilius impetum se facturum putavit, eidem chimericam immortalitatem, perfectamque boni, malique scientiam promittens. Valida quidem erat tentatio, & laqueus tectus; in hunc mulier impegit, & licet adulatio satis esset patens, & crassa, illa tamen decepta, victaque fuit. Ecce primam omnium malorum nostrorum originem. Non omnino tamen actum erat, nisi per summam ignaviam vir mulieri placere studuisset; sed in totius posteritatis interitum, ne illam contristaret, quam Deus illi sociam adjunxerat, Creatoris sui præceptum perfregit, hanc tantum suo imperio obedientiam præstolantis, ut amplissimam utrique in terra, & in cœlo felicitatem propriam faceret, æternamque.

Absalonis exemplū. Qua assentatione usus est Absalon, ut populum in suas partes alliceret, & contra patrem suum suscitaret? Licet ferox, atque indocilis esset, præ foribus tamen regiis, singulos ingredientes, & egredientes accersebat, amplectebatur, quid negotii haberent, percontabatur, & seditiosa contra Regem miscens colloquia, dolosis blanditiis, fictisque promissionibus, in eorum animos rebellionis jaciebat semina, illisque sensus suos communicabat. Vix credi potest quantam in populi corda vim hujusmodi illecebræ habuerint; crediderunt sibi perquam utiliter consulturos, si Absalonem in Regem eligerent; ejus quippe suavitas, & comitas illos in spem adduxerunt omnia futura sibi tranquilla, atque jucunda. Itaque moræ impatientes ne momentum quidem expectare voluerunt, atque armis juverunt filium bellum patri inferentem.

Adulatio Pseudoprophetarum Achab. Achab Rex Israel cum bellum inferre vellet, quadringentos consuluit Pseudoprophetas, totidem videlicet adulatores, quos enutriebat, eosque percontatus est, utrum bellum, quod erat suscepturus, justum esset, & an exitus ejus e voto esset cessurus. Nullum hoc justius unquam fuisse bellum, palpatores illi reddidere; atque Dei nomine certissimam Regi
3. Reg. c. 22. victoriam spoponderunt: *Ascende, & dabit eam Dominus in manu Regis*. Micheas unus veri Dei Propheta hanc assentationem ferre non potuit, atque divino afflatus numine pernicioso consilio, quod conductitii Prophetæ dederunt, adversatus est; & quo magis hi conabantur persuadere Regi, ut castra moveret; eo magis nihil tale aggrediendum Micheas affirmabat. Quid inde? Micheas eo quod intrepide veritatem asseruerat, male habitus fuit, atque in carcerem conjectus; sed Achab funesta morte luit pœnas criminis sui, quod blandis Pseudoprophetarum lenociniis aures præbuerat.

Adulatio aulicorum Assueri. Esther. c. 1. Enim vero nequius inveniri ne potest adulationis exemplum, quam quod Mamucha præcipuus Regis Assueri Minister suppeditat? improbus hic consiliarius numquam probare debebat Regis imperium, uxoris ejusdem verecundiæ maxime contumeliosum. Inter celeberrimi illius convivii pateras, cum jam in poculis rationis usus evanuisset, Rex ut ostentaret pulchritudinem Vasthi, hanc accersivit, intuitus, & fortasse concupiscentiæ Aulicorum suorum objectum futuram. Sapiens mulier parere noluit imperio, quo æque lædebatur, & ipsius pudor, & lex Persarum, qua cautum fuerat, ne mulieres hujusmodi cœtibus interessent. Reginæ excusationem suæ auctoritatis contemptum Rex arbitratus est; atque iræ impotens uxorem adeo sapientem, ac tanta virtute ornatam abdicavit. Hæc tamen adeo manifesta injustitia tot suffragatores in Regis aula adinvenit, quot adulatores, qui adeo perfrictæ frontis fuere, ut Vasthi Majestatis ream esse affirmarent; quod ut probaretur, non defuerunt rationes ab adulatione excogitatæ, & Mamucham prior dedecus hoc ad omnes Assueri successores censuit pertinere; quin interim pudicissima mulier ne unum quidem innocentiæ suæ patronum inveniret.

Indignum Salomonis facinus, ut pellicibus suis placeret. Quid non ausus Salomon, ut idololatris mulieribus, quas deperibat, placeret? quousque hoc eisdem gratificandi studium provexit? vel potius quousque hoc eisdem gratificandi studium Regem hunc, olim sapientissimum, non traduxit? Ipse quoque idolis thus adolevit, dereliquit Deum patrum suorum, ut inanes Deos coleret, omnis penitus sapientiæ oblitus, ut nequissimo amori, quo urebatur, faceret satis.

Dei Filius ferre non potuit adulatores. Dignum profecto, quod notetur in Evangelio illud est, quod Dei filius, qui summa cum lenitate flagitiosissimos etiam peccatores excepit, ac neminem repulit, qui ad ipsum accederet; tamen ferre minime potuit adulatores, quin illis indignationem suam testaretur, & eos acrius increparet. Hoc autem accidit, cum quadam die venerunt Scribæ & Pharisæi illum tentaturi. Incœperunt illi quidem laudibus, atque ad animum captandum composito officio; *Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces*. Matth. 22. Novimus nihil te movere auctoritatem eorum, qui aliquo honore fulgent, dic ergo, ea qua soles libertate, quid sentias de hac re, quam sumus expositur......Quomodo nam existimatis ab illo, qui erat veritas eadem, simulatum hoc officium adulationis refertissimum exceptum iri? Num putatis, illum reciproca urbanitate illis, quid sentiat, prolaturum, vel eamdem præ se laturum reverentiam erga illos, quam ipsi erga eumdem verbis adeo officiosis fuerant testati? Haud ita. Non fefellit ipsum illorum improbitas; ideoque eos acriter increpavit quemadmodum merebatur eorum nequitia; qua, ut deciperent, adulabantur. Adde, quod hic idem Dei filius, qui numquam passus est, quemquam sibi adulari, licet ipsius sermones, miraculorum fama, ac vitæ sanctitas omnes populi plausus, ac laudes conciliarent: hic, inquam, summis, principibusque viris aures palpare minime voluit; & licet magnificis verbis Sancti Joannis elogium celebraverit; hoc tamen eo præsente præstare noluit, ad omnem adulationis suspicionem evitandam, ne sibi videretur conciliare velle hominem adeo probare sanctitatis, cujus fama late percrebuerat.

Pilatus ut Judæis placeret, Jesum damnavit. Exploratum est, a Pilato morti adjudicatum fuisse JESUM CHRISTUM, hac una de causa, ut placeret quidem Judæis, Cæsari vero non displiceret; quod unum exemplum satis esse potest, ut intelligatur, quot scelera perpetrare potest; qui alicujus gratiam, vel aucupari contendit, vel timet amittere. Pilatus ea in occasione ignavissimum ostendit animum, & ea indignum Romana probitate, atque inflexibili constantia, quam hactenus præ se tulerat. Palam enim fatebatur illius innocentiam, quam tamquam Majestatis reum in judicium adduxerant; & Evangelium explicitis verbis asserit, illum non ignorasse, quod per invidiam urgerent Judæi ut JESUS de viventium numero tolleretur; immo pronunciasse, nullam a se in hoc reo suspicionem ejus criminis deprehendi, cujus nomine accusabatur. Ipse etiam obstiterat Judæorum clamoribus, urgentium, ut mortis sententiam ferret.

Verum

Verum ubi audiit Pilatus sibi Cæsaris iram intentari; cessit tandem, atque turpi timore perterritus credidit ut turbis placeret, JESUM earum petitioni esse adjudicandum.

Scelera ex turpi complacendi studio profecta.

Legimus in Evangelio Herodem Tetrarcham S. Jo. Baptistæ cædem inferri jussisse, ut placeret Herodiadi, quæ magni hujus Prophetæ caput poposcerat. Quamvis hunc princeps ille & magni faceret, & de Regno Dei differentem libenter audiret, atque non nisi ægre, & cum tristitia iniquissimæ petitioni subscripserit; plus tamen complacendi valuit desiderium, quam ipsius conscientiæ reprehensio. Herodes alter, cui nomen Agrippas primus, & illius successor, postquam de medio sustulisset S. Jacobum ut placeret Judæis, JESU, discipulorumque ipsius persecutoribus, quemadmodum in Actis Apostolorum narratur; in carcerem quoque conjecit S. Petrum reliquorum Principem, & Ecclesiæ caput, ut ipsum eodem mortis genere afficeret: *sciens quia placeret Judæis*. Et aliquando post Felix Præses, qui liberare debuerat S. Paulum, qui omnia ad unguem diluerat crimina, quæ eidem fuerant objecta, passus tamen est, cum in carceris squalore sordescere simili ductus gratificandi voluptate Judæis, qui a Festo Præsidis hujus successore Paulum damnatum iri sperabant.

Act. 12.

Insigne Agrippa supplicium qui ad populi adulantis vocem lætabatur.

Neque silentio prætereundum est justum, subitumque illius Herodis Agrippæ, quem supra memoravimus, supplicium. Deus, qui insigni quodam ultionis exemplo nequaquam in illum animadvertit propter duplex scelus, quod in magna illa Apostolatus lumina Sanctos Petrum, atque Jacobum patraverat; repente eumdem percussit sibimet plaudentem, atque tumentem adulationibus populi, ad quem de theatro veste aurea, lapillisque fulgenti concionem habuerat. Vix enim extrema protulerat verba, cum plaudentium clamoribus gaudens, atque lætis auribus excipiens blandas adulantium voces, quæ circumundique resonabant; quasi non mortalis hominis, sed ipsius Dei vox ab illis fuisset audita; tanta affectus fuit voluptate ex hac impia assentatione, ut tamquam lucifer gravissima ambitione intumuerit. Tunc vero statim pœna subsecuta est, nam, Scriptura testante, ab Angelo Domini percussus fuit, ac paulo post a vermibus depastus interiit.

Applicatio quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Homines laudum cupidi libenter adulantibus præbent aures. Isaiæ 30.

Loquimini nobis placentia. Isaiæ 30. Ita loquebantur olim Judæi, qui salutaria Isaiæ Prophetæ monita contemnentes, qui Dei nomine ipsos alloquebatur, atque illos tantum audire cupientes, qui suis consiliis velificabantur, Pseudoprophetis dicebant: *Loquimini nobis placentia*. Læta nobis nuntiate, non tristia, quæ Cœlum nobis portendit. Ita illi etiam, qui sunt laudum cupidi, quibusque sermones adulantium, ac fallentium placent, loqui consueverunt. Nolunt sibi veritatem dici, sed illa solum, quæ fovent vanitatem, ambitionem, eumque affectum, qui in ipsis dominatur. Si te consulunt aliqua de re, quam sunt aggressuri, cave, ne illos a proposita sententia deterreas, licet hoc tibi injustum, ac non ferendum videatur; alioquin eorum tibi conflas invidiam; non enim sapientum consilia, sed approbantium laudes inquirunt. Si quid sentias de eo, quod egerunt, & quod illis attulit ignominia sciscitantur; factum suum tua auctoritate firmare adnituntur, ut, ubi alios id improbantes audierint, hoc te auctore se fecisse profiteantur. Si, ut amicum decet, illos alloqueris, te veluti alienum putant, neque places, nisi eorum facta commendes: *loquimini nobis placentia*. Denique nisi quod volunt, & ipse velis, nisi omnia & dicta, & facta probes, nisi illis velificeris; eisdem numquam placebis: *Loquimini nobis placentia*.

Duplex cor adulantium.

Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt. Psalm. 11. Hæc verba non aliter melius, quam adulatoribus applicari possunt; cor duplex est illis; aliter cogitant, aliter loquuntur; cum te laudant ex corde loqui videntur; sed aliud cor illis est prorsus oppositum dicens, teque clanculum improbans. Cor alterum sincerum quidem videtur; simulat enim particeps esse lætitiæ, qua perfunderis eo quod omnia tibi e voto cesserunt; sed alterum te contemnit, atque irrisiones, censurasque tantummodo meditatur. *In corde, & corde locuti sunt*. Ita ubi hujusmodi assentatores te coram adstant, pro te loquuntur, te approbant, te laudibus extollunt; at ubi recesseris, veros sensus nequeunt dissimulare, & in probra, & cachinnos erumpunt. Duplex cor, lingua similis gladio ancipiti, ut ait Propheta: amicus infidelis, palpator, subdolus, seducendo, atque fallendo semper intentus. *Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt*.

Adulatio numeris musicis comparata.

Audiunt sermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos. Ezech. 33. Dicebat Deus Ezechieli Prophetæ, Populum cum ille ad eum loquebatur, quidquid audiebat, in quoddam veluti canticum, numerosque musicos convertisse. Verum hoc de illis omnibus affirmari potest, quibus adulantium verba placet audire. Nullus gravior concentus est laudibus nostris; hoc jucundum melos vix aures tetigit, cum cor ipsum pervasit, ibique tamquam impressum permansit. Hinc autem fit, ut veluti qui numerosam audivere symphoniam, intra se repetunt, siquid retinuerunt; ac efficere nequeunt quominus auditos numeros, ac verba, nonnunquam integro horarum spatio secum meditentur: vel saltem quominus hi numeri, & hæc verba subinde illius subeant cogitationem, eaque illi conentur exprimere intercisis motibus, ac vocis modulamine, quod ne cogitanti quidem elabitur: ita qui simulatis oblectantur elogiis grato eorum sono capiuntur, has laudes animo retinent, frequenter eas meditantur, ac in earum recordatione toties repetunt scelus criminosæ illius oblectationis, qua in fictitiæ virtutis suæ perfunduntur imagine, quam deinde abjicere nequeunt.

Attendite a falsis Prophetis. Matth. 7. Hæc JESU CHRISTI verba non minus ad eos pertinent, qui conscientias fallunt, quam ad illos, qui mentes in errorem inducunt. Gravissimæ sunt Dei querimoniæ illæ, & graviora mala, quæ in Scripturis annuntiat doctoribus cæcis, atque complacere gestientibus, qui subtilissimas excogitant rationes, ut Deum cum mundo concilient, qui turpi conniventia peccatorum numerum in immensum augeri patiuntur, qui, cum debeant animas a flagitiorum semita detorquere, eas fovent potius, ne speratum inde lucrum amittant. Væ, inquit Deus per os Ezechielis Prophetæ, Væ illis qui peccatoribus pacem annuntiant; *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus*. Ezechiel. 13. Væ illis, qui nihil exigunt ab hominibus, quod dolorem adferat, atque molestiam.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, sententiæque Sanctorum Patrum hujus argumenti.

F*Alsa laus adulatio est, falsa laus adulatoris, hoc est oleum peccatoris*. Aug. Comment. in Psalm. 140.

Tales (adulatores) mendacia diligunt, veritatis destructores, odiorum inventores, Sathanæ mediatores. Idem, in Psalm. 119.

Beata mens quæ perfecte hoc vitium vincit; quæ nec adulatur aliquando, nec adulatori credit; quæ nec decipit alterum, nec ipsa decipitur. Idem Epist. 17. ad Demetr.

Adulantium linguæ alligant animas in peccatis; delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur. Idem, in Psalm. 9.

Duo sunt genera persecutorum, scilicet vituperantium & laudantium; sed plus persequitur lingua adulatoris, quam manus persequentis. Idem, in Psalm. 59.

Adulatio est fallaci laude deceptio. Idem, in Psalm.

Si laudes iniquum, eo ipso quod iniquus est, homo & tu iniquus es? Idem, in Psalm. 134.

Falsa laus adulatoris, & simulata dilectio, mentem a rigore veritatis emollit. Idem, in Psalm. 59.

Adulatio amicitia inimica. Aug. Epist. 135. ad Sever. Abbatem.

Non facis mala; sed si laudas male facientem, hoc non parvum malum est. Idem, in Psalm. 49.

Laudator errans confirmat errorem, & adulans illicit in errorem. Idem, in Proœm. libr. de Trinit.

Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec corripietur damnante te (o Deus.) Idem, lib. 10. Conf. c. 36.

Hoc in nostra ætate vitium crevit, & in ultimo fine stetit, nec augeri potest. Idem, Epist. 14.

Semper insidiosa, callida, blanda est adulatio. Hieron. lib. 1. contra Pelagianos.

In multis, isto maxime tempore regnat hoc vitium; quodque est gravissimum, humilitatis ac benevolentiæ loco ducitur: eo fit, ut qui adulari nescit, aut invidus, aut superbus putetur. Idem, Epist. ad Cœlantiam.

Natali ducimur male, & adulatoribus nostris libenter favemus; & quamquam respondeamus nos indignos, & callidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem suam anima intrinsecus lætatur. Idem, Epist. 121.

Nihil est quod tam facile corrumpat mentes hominum, sicut adulatio; plus enim nocet lingua adulatoris, quam gladius persecutoris. Idem supr. Psalm.

Adulatores corrumpunt fictis laudibus leves animas, & male credulis mentibus blandum vulnus infigunt. Idem, vel Author Epistol. ad Demetriad.

Hæc est conditio veritatis, ut eam semper inimicitiæ sequantur, sicut per adulationem perniciosam amicitiæ corrumpuntur: libenter enim quod delectat auditur, & offendit omne quod nolumus. Idem, in Epist. ad Galatas.

Adulatio recte definitur blandus inimicus. Idem, lib. 2. adversf. Pelagianos.

Palpantes adulatores quasi hostes fuge. Idem, Epist. 13.

Sicut adulantes amici pervertunt, sic inimici litigantes plerumque corrigunt. August. libr. 9. Confess.

Magis optabo a quolibet reprehendi, quam ab adulante laudari; nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis; laudator vero errat & confirmat errorem. Idem lib. 2. contra Petilianum.

Justos laus sua cruciat, iniquos exaltat. Greg. l. 26. Moral. c. 23.

Quisquis male viventibus adulatur, pulvillum sub capite jacentis ponit, ut qui corrigi ex culpa debuerat, in ea fultus laude quiescat. Idem, Homil. 4. supr. Ezech.

Impinguat caput oleum peccatoris, cum demulcet mentem favor adulantis. Idem, Hom. 12. in Evang.

Nemo adulantem se, neque adulandum cuiquam exhibeat; alterum enim calliditatis est, vanitatis alterum. S. Ambrof.

Vectigalis amicitia. Idem, lib. de Offic. c. 16.

Multi sunt qui pro bonis malas actiones comprobant, & vitia virtutibus vicinis honestare contendunt. Basil. in Psalm. 27.

Cognatum virtutibus vitium adulatio. Cypr. Serm. de Jejun. & tent. Christi.

Amicus videri vult adulator; nihil amico inimicum magis. Idem, ibid.

Adulatorum assentationes velut quasdam pestes animæ fuge; nihil est quod tam facile corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci & molli vulnere animum feriat. Sanctus Paulin. ad Cælantiam.

Insipiens gaudet laudari in faciem; sapiens autem quando laudatur in facie, flagellatur in corde. Greg. Homil. 17. in Matth.

Collaudare delinquentes longe plus est, quod ad supplicii pertinet æstimationem, quam delinquere. Chrysost. Hom. 2. de David & Saul.

Nulla gravior tentatio, quam in dolosum hominem (adulatorem) incidere; is enim est quavis fera truculentior. Chrys. in Psalm. 119.

Adulatores magis quam contumeliosos vitemus; major enim non attendentibus ex adulatione pestis, quam ex vituperatione oriri solet. Idem, Homil. 89. in Matth.

Dæmonum minister adulator, superbiæ dux, bonorum demolitor, erroneus ductor. Climac. Grad. 22.

Emolliri adulationibus non solum fortitudinis non est, sed etiam ignaviæ esse videtur. Ambrof. lib. 2. de Offic.

Qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio. Bernard. sup. Cantic.

Pessima vulpes occultus detractor; sed non minus adulator blandus. Idem, Serm. 63. in Cantic.

Habet vera amicitia nonnunquam objurgationem, adulationem nunquam. Idem, in epist.

Peccati nutrix adulatio. Beda, in Luc. lib. 1.

Venit ad me pro amico blandus inimicus. Seneca, Epist. 21.

Cito nobis placemus, si invenimus qui nos bonos viros dicant, qui prudentes, qui sanctos. Idem, Epist. 60.

Habent hoc in se naturaliter blanditiæ, etiam cum rejiciuntur, placent. Idem, in præfat. lib. 4. natural. Quæst.

Amici vitia si feras, facis tua. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia depromi possit ad hoc argumentum.

ADulatio ex S. Augustino *est fallaci laude deceptio*; cui definitioni adde, ut in decepti amicitiam irrepas, vel illi placeas eumdem in bona suæ virtutis opinione confirmans, vel illi persuadens, quod sit aliqua virtute decoratus. Adulationis definitio.

Aliam affert definitionem D. Thomas, sed quæ eamdem adstruit ideam; est, inquit ille, immodicum alicui placendi desiderium verbo, vel opere expressum. Sed ad veram adulationis notionem assequendam, considerari ipsa potest tum ratione adulantis, tum ratione illius, cui adulatur, vel cui laudari placet. Prior illa, teste S. Ambrosio, turpis est, servilis, ac animo generoso, & nobili indigna; alterum vero superbiæ peccatum est, quod omne actionum nostrarum meritum corrumpit, atque subvertit; unde infertur de duobus his vitiis aliter esse differendum, atque variis utendum argumentis ad ea corripienda. 2. 2. qu. 115.

Notandum est tamen apud Philosophos, Theologosque in virtutum album relatam fuisse quandam indulgentiæ speciem, quæ efficit, ut eorum, quibuscum versamur moribus, & ingeniis nosmet accommodemus; videlicet ea laudemus, & probemus, quæ in hominibus laudanda, probandaque occurrunt, citra tamen affectationem, nec sine modo; eaque virtus affabilitas nuncupatur. Itaque laudare aliquem coram eodem, & bonum esse potest, & malum juxta laudantis animum, occasionem, modumque laudandi. Si enim hæ laudes modicæ sint, atque prudenter prolatæ, quæ non officiant veritati, ut aliquis ad recte operandum excitetur, nullus dubitandi locus est, quominus hoc fit zeli, & charitatis officium. Si hac laude eam probare cupis virtutem, quæ in laudato enitescit, justitiæ actus est; si urbanitatis ergo, atque ut ostendas te ex illius bono lætari, hoc est amicitiæ testimonium, atque officium, quod quibusdam in occasio- Quoddam placendi studium honestum est.

flentibus a nobis honestas expetit. Sed si hoc feceris adulandi causa, vel utilitatis spe, vel consilio illum decipiendi, semper vitium est, ac grave peccatum.

Adulatio pluribus virtutibus adversatur.

Adulatio in communi significatione desumpta opponitur veritati, fictitias, immodicasque laudes, deferens; charitati, laudatum decipiens, eique superbiæ tribuens occasionem; at præsertim justitiæ duplici modo, duplicique de causa. Primo quia veram laudem corrumpit, quæ virtutis unius merces est, ita ut quamvis assentator jure laudet virum vere dignum laude, nulla unquam fides habetur hujusmodi existimationis, honorisque testimoniis, quoniam horum prodigus habetur erga illos, qui eadem nequaquam merentur: Secundo, quia adulator ut plurimum vitiis virtutum speciem, ac nomina tribuit; hac in re ipsis monetarum adulteratoribus nocentior, qui in fictitio metallo Principis excudunt imaginem; non enim hominem, sed ipsum Deum lædit, laudans peccatum, quod ille perhorrescit, & cujus est acerrimus hostis.

Gravitas peccati adulantium

Peccant illi, qui alienas virtutes, & facta celebrant ultra quam par est, & quemadmodum loquitur Sanctus Thomas, illa extollunt ultra eos cancellos, intra quos laus humana contineri æquum est. Hinc vero concludit, adulationem, qua alicujus turpe facinus commendatur, grave peccatum esse, atque lethale, quia Dei quidem primum charitatem, atque justitiam, mox vero, & proximi charitatem offendit. Hoc ipsum dicendum quoque tum de illa, qua quis ad aliquem decipiendum, eique magnum aliquod damnum seu spirituale, seu temporale conflandum abutitur, tum de illa, quæ alicui peccandi præbet occasionem eo modo quo per scandalum peccari potest. Hoc Sanctus Thomas verbis docet disertissimis. Quod vero ad illam spectat, qua ex sola placendi cupiditate, vel ad malum aliquod evitandum, vel ad aliquod obtinendum beneficium, quis adolatur; hæc non semper æque noxia censenda est, licet semper ex natura sua sit criminosa.

Hoc vitiū ingentium malorum causa.

Mala, quæ parit adulatio, tum palpatoribus, cum palpari gestientibus, gravissima sunt; quapropter hoc vitium semper habitum fuit veluti pestis civilis societatis, & gravissimorum malorum origo. Sanctus Thomas, aliique plures hinc idololatriam profectam asserunt; populi quippe ut Imperatoribus, Regibusque adularentur, eos in Deorum numerum solemnibus apothesis ritibus retulere; quæ impietas etiamsi nunc minime sit metuenda, mortales enim majori sunt luce illustrati; negari tamen minime potest, hanc summis viris inspirare superbiæ sensus, neque Deo, neque hominibus ferendos. Hac arte in vitiis, sceleribusque suis detinentur; ultiones, quas exercent, laudantur; eorum impotentia, & tyrannice facta probantur: libidines illorum excusantur, & vitiis, quæ turpissima sunt, atque teterrima, virtutum nomina deferuntur. Sin autem illud ad examen revocetur malum, quod parit adulatio in iis, qui eamdem, tamquam quæstuosissimam artem exercent: quidam cum Div. Joanne Chrysostomo sentiunt, adulationem ipsa obtrectatione esse nequiorem, majorem enim proximo infert injuriam; putant alii, pejus esse malum, aliena peccata verbis laudibus celebrare, quam eadem perpetrare; censent alii, alieni sceleris participem fieri illius laudatorem; alii denique affirmant, malum, quod laudato parit adulatio, semper minus esse malo, quod sibimet infert. Verum cum hæc omnia hinc inde possint disputari, si ad rectam judicii trutinam ponderentur, dicimus tantum, adulationem peccatum esse tum adulanti, tum illi, cui placet adulatio, perniciosissimum.

Modus in laudibus adhibendus.

Quemadmodum, & omnibus placere velle, & nemini, utrumque vitium est æque civili oppositum societati; Fidelis interest utrumque hunc scopulum evitare. Hæc autem præcepta sunt, quæ in rem hanc & a morum Philosophia, & a Religione traduntur. 1. Ne quid laudes, nisi quod tuam, alienamque approbationem mereri putas, numquam vero vitium, aut id quod aliquam mali speciem præsefert. 2. libentius, & ut ita dicam, liberalius viros, quorum insigne meritum est, absentes, quam præsentes extollas; tunc enim magis quidem sincera, minus vero suspecta nostra habentur elogia. 3. Si facere non possumus, quin Summos, Principesque viros, & qui supra nos sunt, coram laudemus, atque probemus, has laudes neque immodicas esse oportet, neque fictas, alioquin veræ sunt adulationes. 4. Nisi omnia probare possumus, quæ dicunt, vel faciunt homines, cum quibus versamur, tamen ne adeo asperos ac difficiles nosmet præbeamus, ut improbemus omnia; si palam se se malum non prodit, & in meliorem partem explicari potest, tunc eo usque indulgentia nostra procedat, ut quod sentimus, dissimuletur, potiusquam criticorum, censorumque importunorum supercilium induamus.

PARAGRAPHUS VI.

Loci ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus in hoc argumento delecti.

Discrimen inter invidos, & adulatores.

ANimadvertit S. Basilius, vitiis, virtutibusque nonnullis adeo similes colores esse, ut dignosci haud ita facile possint. Prodigalitas, exempli gratia, quamdam præsefert speciem Magnificentiæ, temeritas Fortitudinem imitatur, hypocrisis quemdam habet extrinsecus pietatis habitum, quæ res duplici flagitiosorum hominum generi tribuit occasionem hac abutendi similitudine, invidentibus scilicet, atque adulantibus. Adulator enim vitia in virtutes convertit, invidus e contra virtutes in vitia; ille Principum virorum flagitia celaturus illis virtutum colorem tribuit; hic virtutum fulgorem obscuraturus, illis vitiorum colorem appingit. Si prodigus es, adulator te magnificum appellabit; si liberalis, invidus prodigum dicet. Si temerarius adulator fortem, atque generosum loquetur; si fortis, invidus tibi temeritatis notam inuret. Quid adulator fictis laudibus contendit? nempe ut ditior fiat, ac gratiam aucupetur. Quid invidus? ut aliorum opibus officiat? *Pater Novet Tomo 5. Meditationum.*

Principibus viri omnes fere adulantur, pauci eos de ipsorum defectibus audent admonere.

Invenient quidem viri nobiles servos fideles, qui eos de periculis aut vitæ, fortunis impendentibus moneant; qui illis diligenter obtemperent, qui eorum temporalia negotia integerrima fide procurent; at quotusquisque erit ille, qui de vitiis eorum ipsos admoneat, periculum veritus, ne eorum gratiæ jacturam subeat? Hæc quidem summa integritas est, cujus vix, & ne vix quidem exemplum invenies. Si dissimulas, certo scis te placere; si veritatem prodis, magnum aliquid consequeris, si minime displices. Quis autem negligere poterit eam cupiditatem, qua quilibet eum sibi conciliare quærit, a quo felicitatem suam consequi potest? Illi etiam, qui animarum curam gerunt, se magnum aliquid præstare putant, si ea tantum dixerint illis, quæ dicere tenentur: verum nihil prætermittunt, quod molestam hanc veritatem lenire possit; neque illa proponunt ea vi, quæ de rebellibus etiam animabus triumphat; non audent in majorem lucem proferre, non audent vitium ostendere quantum est, & quantam illis conflet invidiam. Quinam igitur hoc tanti momenti officium illis præstabit? *Pater de la Colombiere in Considerationibus.*

Adulatio animas probat.

Docet Spiritus Sanctus laudes viris bonis idem esse, ac ignem auro; & quemadmodum hujus metalli puritas probatur, si elementi illius vi omnia combu-

menti restiterit, ita animæ magnæ certissimum argumentum esse, atque indicium, si iis restiterit sensibus, quos corruptum os adulantium conatur immittere, atque eas denegare gratias, quas fictitiis laudibus attentatores emendicare elaborant. Hi enim semper lucelli alicujus spe ducuntur; statim quidem laudare incipiunt, sed laudes sunt petitionis procemium: contendunt enim, ut laudum suarum sonitus animæ soporem immittat, eamque jucundo lenocinio deliniat, ut earum vi extra se rapta, dum se ipsam intueri gaudet in speciosa imagine sui ipsius, quam adulator ementitis coloribus illinit, de manibus ejus decidat, quod primum arctius premebat; atque vanis illecebris capta his nequeat amplius resistere. Omnes hæc improba Syren fefellit, fallitque; ultro ea credimus, quæ de nobis venditat adulatio veritatis personam gerens. Adulatio adeo callide omnia componit, ut arbitremur quascumque illa pingit imagines nos ad unguem imitari. Nemo adulantibus aures penitus obstruit; sufficit ore ad molestiam composito laudes repellere, cum interim avidissime percipiuntur. *Mascaron in quodam Panegyrico.*

Qui nobilibus viris adulatur, eos in erroribus detinet. Oseas propheta sancto zelo succensus in ministros Domini invehitur, ubi videt, eos temporalis alicujus lucelli jacturam metuentes conticescere, & hominum increpare delicta non audere. Vix privatorum scelera audent exprobrare; quod vero miserrimum est, cum peccatores sunt potentes, nobilesque viri, ipsis etiam defectibus adulantur, quos monitis suis corrigere deberent, veriti, ne loquendi libertas apud eosdem sibi conflet invidiam, atque ideo eam desinant percipere, quam consueunt, utilitatem. Animabus eorum adulantur, inquit Propheta, eosque in suis detinent iniquitatibus; quamobrem ipsi facti sunt in interitum illis quorum saluti invigilare deberent per quam diligenter. Debebant ipsi curam omnem impendere, ne eorum animæ in tot errores, a quibus seductæ fuerunt, vel in morum corruptelam deciderent; propter quam a via Domini longius aberrent; & e contra facti sunt in laqueum, quem Dæmon illis tetendit, ut in suas traheret insidias, quin se se inde valeant expedire. *Liber cui titulus:* La vie des Prophetes. *In vita Oseæ Prophetæ.*

Adulatio personam nobis accomodat. Si laus virtutem alit, ac fovet; adulatio eam subvertit, vitium vero confirmat. Veruntamen inter utramque tantum similitudinis interest, ut altera ab altera vix dignoscatur. Verum enim vero inter plures caracteres, quibus distinguuntur, tres præsertim elucent. Adulatio defectus ipsos tamquam virtutes celebrat; invenit sæpe in laudato eas qualitates, quæ ibi non sunt; ea vero, quæ sunt, nimis extollit. Hinc fit, ut assentator nunquam te tibi exhibeat, qualis profecto es; tu te ipsum semper ignoras; putas augere virtutes tuas, & auges vitia; nullo amplius nisu contendis, ut virtutibus tuis accedat cumulus, & quæ in te desiderantur acquiras. Quandoquidem ille tibi suadet, omnium virtutum possessionem te jam obtinuisse, non quæris ultra ad majorem gloriæ gradum provehi, putas enim te jam illius verticem attigisse. *Depromptum ex Tractatu de Amicitia Domini de Sacy.*

Adulatio efficit, ut veritatem oderimus. Hunc errorem statim ferme universale veritatis odium subsequitur; quæ deinde inutili conatu exhibetur. Cum enim tuæ mentis ideas juxta eas, quas de te adulationibus suis assentator adstruxit, composueris; quicumque tibi audet adversari, vel te increpare; inimicus est, injustus, vel saltem cœcus, qui, quanti valeas, satis intueri non potest. Ita ille inani te pascens gloria, veræ tradit infamiæ, palam quidem virtutibus tuis plaudit, clam vero tuam irridet insaniam; tu temet admiraris; omnes vero te negligunt, atque contemnunt. Præsentissimus hujus veneni effectus est, quod ea, quæ infert mala, nulla sunt arte curanda. Nulla nisi in sinceritate superest medicina, quam tamen illi, qui semel hoc veneno imbuti fuere, detestantur. *Idem.*

Adulatio opponitur sinceritati. Hæc passim consuetudo viget iis, quos colimus, atque veremur adulandi, & quidquid fecerint, dixerintque laudibus celebrandi, Non opus est probare omnia, si vis esse sincerus; ita neque hanc tibi vindicare licentiam par est, omnia superbe nimis, audacterque increpandi. Nihil magis incommodum, quam importuna, rudisque sinceritas, quæ nulla habita temporum, locorumque ratione effutit omnia. Nisi tibi vis inest errorem auferendi ab eo, qui insana meritorum suorum cogitatione superbit, ejusque tandem oculos aperiendi; ne foveas tamen ejus stultitiam, improbitatem ipsius laudibus efferens. Dicis illi, ac sollicite dicis, te ex amicorum ejus numero esse, ille credit; laudas, quod novissime ab ipso palam factum est, ille tamquam syrenum cantu, tuis laudibus capitur: tu illi inspiras assentatiunculis tuis recentem superbiæ causam, ob quam magis insanit, & numquam resipiscet. Hoc malum parit sinceritatis defectus: Ideo perquam raro sincerum hominem reperies, quod omnes compositas adulandum voces adamant. Assentatio ad illorum amorem comparandum tuta via est; fere semper e voto cedit, cum laudantis habitus sumitur, aliorumque vivendi ratio, suavitas, ac virtus opportune celebrantur. Severissimus quisque laude movetur, præsertim si hoc fiat loco, ac tempore; veluti legitimum tributum excipitur, quod est assentatio mera; non enim dignoscitur, & quivis commentitiæ virtutis laude facile capitur. *Abbas de Bellegarde in Tractatu de sinceritate.*

Ultra mores nostros sinceri esse debemus, ut bona fide loquamur ad eos, qui nos iis in rebus consulunt, ubi verba sibi dari desiderant; quandoquidem ex eorum oris habitu facile potest intelligi, ab ipsis non consilia, sed laudes exquiri. Accedit quispiam tibi opus aliquod recitaturus, quod sibi egregium, ac recte elaboratum videtur; affirmat ille quidem sententiam tuam illi accepissimam futuram, seque consilia tua oraculorum loco habiturum; verum ubi censoria nota voculam aliquam loco movere volueris, subirascitur, & licet jure a te corrigatur, statim infrendens abit, & alio pergit aliquem inventurus minus difficilem, qui vel ut ejus gratiam ineat, vel propter inscitiam, erectis ad imitationem supercíliis opus summis laudibus celebrabit. Non quod correctionis sint cupidi, nonnulli ex te petunt, quid factu opus sit; sed tuum extorquere suffragium exoptant, teque in suas partes pertrahere: si enim ad eos sincere locutus fueris, & quid de ipsis dicant homines, aperueris, immutatus oris habitus illos prodit, veros statim animi sui sensus ostendunt, neque iram, quæ tuam illis sinceritas peperit, ulterius abscondunt. *Idem.* Consilium petentes plerumque sibi alios gestiunt adulari.

Quot in mundi commercio evitarentur mala, si consilia potius, quam adulantium lenocinia placerent: at amor proprius censoris nomen odit, cum interim qui adulantur, quasi sensus nostros probare simulant, longe suaviores videantur. Hoc efficit, ut ad senium usque perveniamus, quin corrigamus in nobis imperfectiones quasdam, virtutem ipsam quodam veluti veneno inficientes; seu quod illæ nobis exploratæ non sint, seu quod adulantium amicorum indulgentia prohibet, ne ea cogitemus, quæ necessaria sunt, ut nosmet corrigamus. Repellenda est turpissima quorumdam hominum assentatio, qui palam quidem commendant, quod clam vituperant; hi proditores sunt sensuum suorum, non audent quippe dicere, quod sentiunt, ne molesti sint illis, quibus parcere cupiunt. Nonne præstaret illos sinceris monitionibus aliquo dolore afficere, quam eos ipsorum vitiis, atque infortuniis in nullam spem reditus tradere? *Idem.* Omnibus in rebus verba nobis dari cupimus.

Qui aliis placere gestiunt, ut plurimum sinceritate cavent; maluntque ineptiis applaudere, quam quid sentiant, exprimere. Nimium hoc placendi studium turpe est, neque cedit in ejus honorem, qui illac in animos aliorum studeat irrepere. Illi in sermonibus suis rationem minime consulunt, affirmant, negantque pro loquentis arbitrio, neque audent iis resistere, quæ apertissime iniqua sunt, Quædam complacentia est evitanda.

atque

atque criminosa. Attamen libenter cum hujus farinæ hominibus versamur, qui faciles nostræ semper arrident sententiæ, nobis placere contendunt, nobis blandiuntur, atque opportune, importune adulantur. Ultro hos homines diligimus, illos industrios, ac gnavos opinamur, norunt enim, merita nostra in lucem afferre, flagitia nostra excusare, atque meditato verborum circuitu eadem ita efferre, ut vix dignoscantur. *Idem*.

Adulantes frigide rejicimus, indicium placere adulationė.

Quædam pudoris reliquiæ efficiunt, ut primo statim occursu, eas, quæ nobis coram laudes afferuntur, excipere non audeamus; illas renuimus perinde quasi nos indignos existimaremus: verum hæc mera affectatio est, ut eos, a quibus laudamur, cogamus producere sermonem, quo valde oblectamur. Quorsum hæc simulatio? nisi nos palam irrideant, quid opus est hujusmodi simulata verecundia, cum propter ea commendamur, quæ re ipsa laudanda sunt? Existimatio nostra minime pendet ab hominum arbitrio, & a laudibus, quibus cumulamur, sed in virtute posita est, & in iis, quæ digna laude operamur. Verum si quæ afferuntur, meram adulationem sapiunt, facile est os illis obstruere, qui adeo prodigi sunt laudum, quæ nullo ipsis stant pretio; par pari tunc illis rependi potest, ac similia eisdem officia persolvi, ut id genus laudis teruntii a nobis æstimari cognoscant. *Idem*.

Quidam sunt laudum cupidi, ubique eos quærentes qui sibi adulentur.

Quod in hominum consuetudine unum maxime omnium vereor, est genus quoddam virorum, quibus laudum est avidissima esuries, & qui nihil intentatum relinquunt, ut undequaque hujusmodi captent officia. Si eorum amicus esse cupis, thus semper adoleas oportet; si quid sentias interrogent de hac, vel illa re, quæ ipsis perplacet, verba omnis assentationis genere refertissima vix eorum cupiditati facient satis. Quis autem labor est viro probo, & cordato, ne alienam subeat invidiam ea laudibus celebrare, quæ non merentur, & palam probare, quod intrinsecus odit? Vel enim probes oportet, vel certes. Nullibi tutus patet ab iis, qui laudem quærunt, recessus. Plurimi tamen affabilitatis esse putant, quævis indiscriminatim probare, & quin spatium temporis sumant singula ad examen revocaturi, pro qualibet ineptia euge, recte, belle, exclamant, laudes laudibus per fas, nefasque cumulant, neque loqui possunt cum quoquam, quin illi adulentur. *Idem in tractatu de Adulatione*.

Quænam vera esse debeat amicitia, citra conscientiæ jacturam.

Intelligendum est usquequo progredi fas sit, ut alteri placeas; laudes immodicæ non sint, neque injustæ, sed personarum merito, dignitati, & caracteri accommodatæ, ne in adulationem degenerent, neque aliquid turpe contineant, quod animum servilem, atque lucri gratia inservientem indicent. Dici quidem jure potest placendi studium animam esse civilis societatis; hæc enim consuetudinis suavitatem constituit, efficiens, ut omnium ingeniis te accommodes. Virtus est comis, & facilis; præstat, ut omnes tibi placeant, vel si non placent, tanta diligentia tuum dolorem contegas, ut minime erumpat; ac nemini innotescat. In hoc omnibus placendi studio quædam inest illecebra, cui resistere difficillimum est; facile capimur amore eorum, qui affabiles sunt, atque suaves, qui quidquid dixerimus, probant, neque si quid illos offenderit, indignantur. Hæc tamen adeo commoda ingenia admonenda sunt, si ultra cancellos hæc ipsorum evaserit complacentia, tandem tædium allaturam, ac ipsis contemptum parituram. Adulatoris est fanda, infandaque omnia audire, ac pati, ut omnes impune quidquid velint, effutiant. Affabilitas, non secus ac cœteræ virtutes, suis finibus continetur; se se ridiculum præbet, qui futilia quæque commendat, atque in admirationem, & acclamationes erumpit, si ille, cui gratificari studet, pueriles tantum ineptias proferat. *Idem*.

Mala, & bona complacentia.

Nihil magis jucundum hominum reddit, efficitque, ut studiosius perquiratur, quam prudens aliis placendi studium, ubi modo, loco, ac tempore adhibeatur, hoc est, ubi nihil affectatum, atque adulationem redolens adsit. Verum enim vero qui ultro, ac naturaliter aliis placere gestit, nisi diligentius attendat, facile fit adulator. Id genus hominibus adeo placere cupientibus non satis creditur; etenim finem suum conantur assequi, servili modo id, cujus indigent aucupantes. Mirum in modum callidi sunt, atque minima quæque norunt exaggerare, perinde ac essent maxima. Omnes fere virtutes teneat oportet, qui complacere velit. Oportet enim, ita sibimet, suis verbis, gestibus, affectibusque imperitare, ut nihil elabatur, quod alios possit lacessere, vel illis de nobis conquerendi occasionem præbere ... Affabilitas habet nescio quid humani, & officiosi, ejusque præcipuus scopus est quibuscumque ingeniis accommodari; sed pauci sunt, qui veram obtineant affabilitatem. *Idem*.

Affabilitas difficilis est virtus.

Nequaquam operosum est, affabilem esse, cum omnes blandiuntur, applaudunt, assentantur; sed tunc esse, cum aliquis te improbat, contemnit, ac in jocum traducit, hic labor, hoc opus est. Si quis injuria te vituperat, modeste factum tuum excusa, quin te furor, inquietudo, & ira succendat: si adhuc perstiterit, postquam tuas rationes attuletis, obmutesce, ne extra cancellos egrediaris: Expecta donec errorem suum intelligat, neque putes adnitendum, ut alii in partes tuas, & ad rationis cognitionem injuriose dictis, vel factis adducantur. *Idem*.

Adulator expectat, ut vicissim laudetur.

Severa sinceritas, quæ nemini parcit, jam de hominum consuetudine sublata est; peccatur potius immodico placendi studio; ac præstat vulgo contra sententiam suam loqui, quam aperte dicere veritatem. Videtur ex adulationis usu ars facta, vel tributum potius, quod erogatur, ut par pari referatur. Difficile dignosci potest, quando aliquis sincere nobiscum loquitur, vel irridet, existimatio, quam de meritis nostris imbibimus, efficit, ut putemus laudes, quæ ex mera adulatione tribuuntur, nobis deberi: verum ut errorem hunc exuamus, nobismet persuadeamus oportet nostris sumptibus alios oblectamentum capere, quemadmodum nos oblectamur alienis, quibus laudum nostrarum thura prodigimus ex adulatione mera, & contra ea, quæ ipsi sentimus. Conamur autem his laudibus ea nobis officia demereri, quæ ex solo favore deferuntur, quin illa mereamur.... Si quis te laudibus effert, ne ideo intumescas; neque ea vera putes, quæ tibi dicuntur, laudantium hic finis est, ut mutuo laudentur; & dolent, si sibi ea renuantur encomia, quibus alios perquam affluenter excipiunt. *Idem*.

Nosce te ipsum ut assentationis periculum vites.

Ut a fictitiis laudibus, atque adulatione tuto tibi caveas, nulla potior inveniri potest ratio, quam laudibus ipsis tui metipsius, tuæque coram Deo improbitatis cognitionem opponere. Regius Propheta inter aulæ suæ adulatores hoc præstare consueverat.... *Iniquitatem meam*, ajebat ille, *ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*, quamobrem tantum abest, me tuas laudes mereri, ut tuam tantum misericordiam perquiram. Enimvero nemo aptior esse potest nostrum ipsorum judex, quam nostra conscientia; hujus monitu vera a falsis secernimus, certo intelligimus inter gratissimum omnium acclamationum concentum nos laudibus esse indignissimos. *Essais des Sermons pour le Careme Sermone in feriam 3. post Dominicam Passionis*. Psalm. 50.

Adulatio periculosa est tentatio pro justis.

Fatendum est hoc periculosissimum esse genus insidiarum, quod animabus justis Diabolus instruit; suavis hic laudum fumus statim illos extollit, quibus deferuntur, eosque lapsibus, gravissimisque erroribus objicit. Postquam tentator nequicquam omnes conatus exeruit, ut bona illorum consilia subverterit, hoc fortissimum telum contorquet, videlicet inanem illis inspirat ambitionem, eo quod omnia ipsis e voto cedant; & gloriam, quam ex virtutibus suis merentur, in laqueum ipsorum convertit, ut meritorum, quæ ex recte factis fluunt, subeant jacturam. Quamobrem S. Augustinus, os adulantium fornaci comparat, ubi virtutis aurum mundatur, & nullam ait tutiorem esse ad solidæ pietatis periculum faciendum viam, quam laudes ipsas: *Probatur homo ore laudantis*. Neque ambigit eas quamdam persecutionis speciem vocare eo perniciosiorem, Prov. 27.

quo

quo jucundiorem? neque minus esse difficile, ait, adulantium illecebris, quam tyrannorum minis obsistere. Quid autem cogitatis o vos, qui adeo prodigi laudum estis? Scitote, nisi has Deo detuleritis, quemadmodum idololatriæ speciem a vobis patrari, atque non minus esse criminosum hominibus, quàm Idolis thura adolere? Non ne hoc ipsum videntur mortales sentire, qui in vulgato sermone laudare, ac thus adolere synonyma esse arbitrantur? perinde ac ii omnes, quibus adularis, totidem essent idola, quæ thure venereris. Attamen nemo religioni sibi vertit, si laudet, atque assentetur; putat enim hoc licere sibi, quandoquidem ut plurimum nulla in laudibus nostris invenitur sinceritas; ac opinatur illas eodem animo recipi, quo tribuuntur; cum interim virus sensim penitiores etiam animæ latebras pervadat, & licet cognoscas vulgo laudes esse mendacii refertissimas, tamen in te ipso illas probas sincerasque putas, atque intus repetis in corde, quod alii primoribus tantum labiis enuntiant, illorumque verbis eam, qua carent, sinceritatem largiris. Immo quin nimis ab illis dictum putes, plerumque dictum amplificas eorum innixus auctoritati; & hæc labes sæpe ad sanctuarii ipsius aras penetrat; sanctissima quælibet officia æque coinquinat, ac profanat; neque pudet, Ministris Domini eadem offerre munera, quæ opificibus iniquitatis tribuuntur. *Essais des Panegyrique pro die Annuntiationis.*

Adulantium caractere. Hæc sunt ingenia callida, quæ facile irrepunt, se se cuilibet accommodantia, officiosa, affabilia, quæ alienæ submittuntur facilitati, id laudantia, quod ab iis, quibus placere cupiunt, sentiunt approbari, id autem vituperantia, & improbantia, quod damnari cognoscunt; tristia cum mœrentibus, hilaria cum lætantibus; sed in id semper intenta, ut quæ vere sunt numquam videantur, ideoque nullam habeant justitiam, nullam sinceritatem. Tibi plaudunt, quodcumque seu recte, seu male feceris; quos amas, diligunt; persequuntur, quos odisti, & ut Bibliorum vocibus utar, cubito tuo pulvillos subster- Ezech. 33. nunt. *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus.* At nondum ne eorum impietatem, ac dolum intelligis? Non te amant, sed opes tuas; amant se ipsos. *Essais de Sermones pro 4. post Pentecosten Dominica.*

Quam perniciosa sit adulatio. Officiosa adulatio, tentatio laudum, quam es metuenda! Duo persecutorum genera mihi perniciosissima videntur, ait S. Augustinus, calumniatores, atque adulatores. Illi quidem conviciis, ac detractionibus virtutem persequuntur; hi vero illam impetunt laudibus; illi patientiam, hi auferunt humi- Psalm. 54. litatem. Calumniantium dicteria sunt *sagittæ acutæ*; officiosæ adulantium illecebræ, ut David loquitur, sunt *oleum peccatorum*. Illi percutiunt, isti osculantur, sed *meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Sapiens ait. Cum mihi quis obtrectaverit, conscientiam appello, sed cum fuerit assentatus, ipsa etiam conscientia sæpe pro me loquitur contra me. *Depromptum ex Morali Dictionario, sermone primo de humilitate.*

Ejusdem argumenti continuatio. Perniciosissima est adulatio. Numquam adulari debes, vel adulantibus aures præbere, inquit S. Paulinus, quoniam nihil blandius animas fallit, nihilque gratiora vulnera infligit. Assentantium voces suaves sunt, sed illas cor ipsum confodere, monet sapiens. Hoc tamen vitium apud mortales omnes vulgatissimum est; illud vero miserrimum puto, quod invidum, superbumque putamus, qui nobis non adulatur. Porro mira, ac fatalis est ars alios laudare, ut lauderis, efficere, ut alter nobis referre gratiam debeat, quod illum deceperimus, ac laudes eo pretio venumdare, ut majorum laudum copia referatur! Quæ vanitas est, quæ insania minus inniti conscientiæ suæ testimonio, quam subdolis aliorum vocibus? minima fallacis elogii aura decipi, ad blandum sirenum concentum sopore capi, & tamquam præclarum aliquod munus, urbanam, officiosamque irrisionem assumere? *Idem in moralibus considerationibus de detractione.*

Adulatio nonnumquam ad fallendum prodendumque instituitur. Amicis blandiri, eisque assentiri cum æquitas, & ratio postulat, semper habitus fuit affectus sincerissimæ necessitudinis; at hominibus blandiri, ut eos prodas, illis complacere, ut decipias, hæc semper fuit pessimæ adulationis ars, quæ ut finem suum assequatur, veri amici personam induit, ac speciem. Ita dissimulatus inimicus sexcenties nocentior est hoste apertissimo, qui nos palam offendere cupiens, satis monet, quid nobis consilii capiendum, ut nos quidem tueamur, ejus vero contumelias propulsemus: Quamobrem Sapiens ait; *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. Desumptum ex libro, cui titulus, Guerre aux vices.* Prov. 27.

Adulatio vitium est seducens, ideoque maxime evitanda. Peccata, quæ nobis blandiuntur, diligentissime sunt evitanda; majorem enim in modum amori proprio perplacent, atque peccatorum studiis, atque ingeniis obtemperant. Hac de causa pauci sibi ab hujusmodi vitiis cavent, & longe pauciores sunt, qui in eadem minime impingant. Non placet enim inimici loco illud vitium habere, quod adeo callide novit affectibus incompositis, atque pravis naturæ corruptæ ingeniis parere. *Semper blanda, & insidiosa est adulatio*: quod inde patet, quod præ vi- S. Hieron. contra Pelag. tiis omnibus adulatio maxime complacere gestit, & jucunde in sensus omnes, ac studia mortalium illabitur, ut illis in eo, quod perperam egerint, complaceat, Oppositum omnino præstat ab eo, quod præstabat Apostolus; illa omnibus fit omnia, ut omnes, qui sibi aures præbuerit, perdat; & non favet tantummodo peccatorum ingeniis, verum auctrix est eisdem, ut incompositos omnium affectuum suorum motus sequantur, eorum gratiam aucupatura. Affectatis plausibus laudat summorum Principum, divitumque scelera, & iniquitates. Sed harum fraudum pernicies longius adhuc procedit, cum mavult justitiam damnare, ac virtutem ipsam vituperare, quam impio non favere, ejusque nequitiam laudibus non extollere; licet in se Dei ipsius maledictionem detorqueat: *Væ qui justificat impium, & qui condemnat justum. Idem.* Prov. 17.

Mala, quæ parit adulatio. Si nosse cupis ea mala, quæ parit adulatio, hæc quidem singillatim recenseri non possunt, verum generatim potest affirmari, per hanc prodi veritatem, animos decipi, corda etiam rectissima corrumpi; virtutis contemptum, ac vitii æstimationem foveri; obicem statui, ne peccatores resipiscant, eosque in nequissimis peccatorum habitibus confirmari, atque ut eorum cladi cumulus accedat, effici, ut in iis, quæ factu sunt indignissima, sed quæ audiunt laudibus extolli, quamdam voluptatem nanciscantur. *Delectat ea facere*, ait S. Augustinus, *quæ videmus laudari*. Hi sunt perniciosi effectus, qui ex noxiis adulantium illecebris proficiscuntur. *Idem.*

Adulatores ut plurimum lucri cupidi sunt. Ex omnibus, qui lucri sunt cupidi, adulator primas obtinet: licet enim laudes ac plausus illis nullo stent impendio, non tamen pro nihilo hasce distrahit merces; sed ex eadem ingentem quæstum facere adnititur. Si enim aliena approbat vitia, ideo approbat, ne sua damnentur; si malum pro bono, & vicissim haberi studet, res agitur sua, ut hoc ipsum de eodem sentiatur. Si parcit, obtemperat, favet, assentatur summis, atque locupletibus viris, id agit, ut eorum sibi captet benevolentiam, eorumque auctoritate fulciatur. Si quemcumque laudibus excipit, ipse quoque par pari se relaturum sperat, ac egregie operam suam collocaturum; quamobrem videmus, eum laudes liberalius in illos effundere, a quibus cum fœnore par, vel aliquid melius, quod cupiat, se speratrecepturum. *Idem.*

Nemo fuit umquam simplex adeo, ut sibi persuaderet eos, a quibus fallitur, atque seducitur, ubi tales adnoscantur, veros esse posse amicos, dolus enim semper habitus fuit tamquam species proditionis, quæ nonnisi ex inimico amici personam gerentem proficiscatur. Ita nos ab adulatoribus decipimur, atque seducimur; eorum enim assentatiunculæ efficiunt, ut errorem pro veritate amplectamur. Nos in præceps propellunt, tantum abest, ut retrahant; nostra probant vitia, tantum abest, ut sapientibus consiliis, vel salutari objurgatione ab iisdem deterreant; nostris

flagi-

flagitiis plaudunt, quin opem ferant, ut inde a vellamur, efficiuntque, ut nos felices esse arbitremur, cum in miserrimo, deterrimoque statu versamur, *Populo meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Numquid potest aliquis nequius, atque nocentius decipere, quam alicujus vitia probando, atque laudando peccata, ne inde unquam emergant, atque ut in iisdem intereat? *Idem.*

Isaia. 3.

Illi etiam in adulatorum numero censendi sunt, qui promiscue notos, atque ignotos, probos, atque improbos, bonum, malumque adfectatis laudibus prosequuntur. Ita in admirationem rapiunt vanitates, solatia, luxum, ac ineptias mundi, tamquam ingentia quædam, atque præclara: servili ratione nobiles, divitesque viros venerantur, qui magnifice, atque opipare vivunt, atque superbas domos ædificant, sive propriis sumptibus, sive alienis. Hinc fit, ut in mundo bonum a malo non secernatur amplius, justi ab impiis non distinguantur; vitium quidem colatur, virtus vero flocci fiat; impii honoribus, boni contumeliis efficiantur. Hoc pacto adulatores omnia corrumpunt, ac fallunt omnes, qui eorum illecebris capti de iis, quæ bona, vel mala sunt ferunt judicium ex eorum approbatione, quorum numerus sensatorum, cordatorumque virorum numerum longe antecellit. *Idem.*

Ut adulationem effugias, cave ne in oppositum vitium decidas.

Qui cavet, ne in aliquod vitium ruat, caveat ne in oppositum decidat; neque censoris non ferendi criterium adfectet, qui adulari noluerit. Sancti, qui mutuis se se laudibus reverenter excepere, non erant adulatores; immo nos docuere in iis, qui virtute sunt præditi, virtutem æstimare, celebrare, & diligere. *Bona vita, & virtutis & solet, & debet esse laudatio*, inquit Augustinus. Plerique boni viri, cum humiles essent, ac timidi, excitandi justis laudibus erant, ut recte facerent: ac pro certo habendum est non esse minus iniquum denegare laudes, quas boni merentur, quam illas tribuere iis, qui per nequitiam, & scelus iisdem se se præbuerunt indignos. *Idem.*

lib. Conf.

Temperamentum inter sinceritatem & adulationem servandum.

Justum hoc temperamentum in tribus præcipue consistit; primum, ne homines mali unquam laudentur, eorumve agendi ratio probetur; sed ut taceas potius, quam de illis loquaris; sin autem, quid sentis, cogeris proferre, tunc palam citra exaggerationem dicas, quanam in re factum illud probari non posse tibi videtur. Alterum, ne laudes aliquem, nisi propter ea, quæ vere laudes merentur, idque ex animo peragas. Tertium, ut modice viros bonos coram laudes, sed eosdem colas, & absentes debitis laudibus celebres iis in occasionibus, ubi id fieri liceat citra affectationem, & quin eas perquæsivisse videaris. Hoc pacto adulationem, mendaciumque auferemus, ac simul ea, quæ ad justitiam, & charitatem pertinent, præstabimus. *Idem.*

Adulatio honesto viro indigna.

Ex omnibus vitiis nullum servilius, ac indignius est adulatione, qui hac utitur non tamquam amicus, neque tamquam honestus homo operatur, immo se veluti mancipium vilissimum ostendit. Novi quidem urbanitatis non esse, omnes liberiori censura corripere, eorumque defectus redarguere; sed vir honestus numquam eo usque proditor erit conscientiæ suæ, ut dicat bonum esse malum, & contra. Neque dicas, assentationes mera esse officia, atque ineptissimum esse iis animum, aures que adhibere, quæ ex mera urbanitate dicuntur: paucissimi enim sunt, qui laudibus non moveantur, atque inde non intumescant; paucissimi, quorum virtus ita sit confirmata, ut fictarum laudum illecebris non afficiatur, velut olim Sanctus Gregorius Taumaturgus, qui medius per turbam eorum, qui virtutibus miraculisque ipsius plaudebant, ingrediebatur, quasi per invios saltus, ac nemora ambularet, ubi arbores tantum conspiceret, & avium cantum audiret: & multo pauciores, qui sanctum illum Pontificem, qui patiebatur quidem adulatores, sed eo consilio, ut ex laudibus, quæ sibi deferebantur, & quas ementitas esse putabat, quænam sibi deessent virtutes, & quibus indigeret, agnosceret. *Auctor incertus.*

Joannes XXIII. ut refert Æneas Sylv. l. 2. de dict. & fact. Alph.

Coguntur nonnumquam homines intrinsecus nos probare, ac licet invitos, tamen intra se nos ipsos commendare. At num inde nobis justitiam reddunt, & intra se cogitationibus, & extra qua laudibus, ut par est, virtutem nostram celebrantes, qua factis nobis obsequentes, faventes, ac muneribus cumulantes? Hoc usitatissimum est coram hominibus scelus, ac venia indignissimum; si quis rite suo munere perfungatur, atque ab omni labe vacuus vitam integerrimam vivat. Quæ bene feceris, invidiam cient, & tantum abest, alios hæc verbis extollere velle, ut immo ea conentur detere. Quot nihil laudant, laudem quippe eodem oculo, ut ita dicam, quo pecuniam intuentur. Sibi enim imminui putant, quidquid aliis erogaverint. Quot vero oppositam prorsus ingressi viam in aliud incidunt vitium? Omnia laudant, seu virtutes, seu vitia; omnes laudant, seu bene, seu male merentes; ita ut in laudatorum turba sine ullo discrimine verseris, & confundaris. Sin autem æquius sua distribuant elogia, si eorum laus solidior videatur, quid tandem hæc laus, hæc elogia sunt, ut illa promereri servili complacentia studeamus? Tanta ne sunt, ac tanto pretio comparanda? Ideo ne tot ferenda, dissimulandaque sunt, ut ne id quidem quod vel sentis, vel cupis, dicere, aut facere audeas? Hoccine pretio libertatis jactura est subeunda, ac tot induendæ personæ, ut mortalibus omnibus placeas? *P. Girousst Sermone de complacentia Mundana.*

Quam inanis hominum æstimatio.

Plura notanda sunt in iis, qui ementitas laudes tribuentes assentantur. Illud primum occurrit, quod longe aliter credunt, ac dicunt; contemnuntque tantum intrinsecus eos, quos encomiis exornant, quantum extrinsecus in pretio habere simulant. Alterum depromitur ex natura laudum, quas eligunt; earum enim materiam ut plurimum desumunt ex iis rebus, quæ vere dignæ sunt laude, & quas illis falso tribuunt, quibus adulantur. Itaque, qui hujusmodi laudibus decorantur, illinc inferre non debent, vel se reipsa iis ornatos esse qualitatibus, quæ sibi deferuntur, vel aliquem esse, qui hæc vera arbitretur, sed tantum eas dotes profecto laudibus esse dignas, atque omnibus votis optandam earumdem acquisitionem; hoc est, se inde posse quidem cognoscere non quid sint, sed quid esse debeant. Tertium denique nos monet adulatio, adulatorem non solum non credere, quæ dicit, verum etiam supponere, quod ille, cui assentatur, sit ita fatuus, ac simplex, ut verba sibi dari patiatur, ac commentitias laudes pro veris accipiat; & quemadmodum nemo ficta probare potest encomia, nisi qui sibimet adulatur, ita ab assentatore intra se illusionis, ac vanitatis nomine redargui eum, cui adulatur. Demum quemadmodum ob quæstum, non ultro alteri assentaris, & adulatione uteris tamquam medio, ad ea quæ cupis, obtinenda; adulatores censeant, oportet, eos, quibus illudunt, suimetipsorum ita cœcos amatores esse, ut fucum adeo aperte fieri sibi patiantur. *Essais de Morale, Tom. 3. cap. 12.*

Qui adulantur ut plurimum, ea quæ dicunt, minime credunt.

Nemo difficilius regi potest, quam, qui sibi adulatur, vel sibi alios adulari permittit. Quotusquisque inter principes viros erit, qui sibimet non blandiatur, atque vel in ultione justitiam, vel in avaritia prudentiam, vel in furore fortitudinem non inveniat? Quotusquisque nativitatis splendore, aut felicitatis suæ specie non capitur? Omnibus affectus proprii adulantur; at non minus adulantur ii, qui circumstant, amici; qua in re miserrima est optimatum conditio, in iis enim, quæ ad ipsos pertinent, numquam audiunt veritatem, quæ licet etiam per sexcentas ambages, verborumque involucra apud illos aditum inveniret, eam tamen pati minime possent. *Auctor Anonymus.*

Divites numquam veritatem intelligunt in iis, quæ ad ipsos pertinent.

Credit aliquis, ut affabilitatis auram captet, omnia, quibus boni species inest ultra modum, mensuramque, esse laudanda, atque occasionem hoc pacto suppeditabit, ut tamquam adulator, aut illusor habeatur; alius vero se affabilem fore putabit, si omnibus arriserit. Hoc sane epulas est condire perperam, cum

Difficile est esse affabilem.

rum tantum dulcoris immisceatur. Conversatio odit hoc placendi studium adeo molle, atque universale, quo fit turpis, & languida. Nulla res magis quam affabilitas nos jucundos, suavesque potest efficere; sed quæcumque ratio nobis suadeat, ut affabiles simus; numquam nobis agendum est contra sensum communem, neque obsistendum veritatibus meridiana luce clarioribus. Nihil magis dedecet, quam adulari vel immodice, vel importune laudando. Laudes, quæ modum ac tempus negligunt, neque laudantibus honori cedunt, neque laudatis. Quandoque de alicujus virtutibus verba faciens, eas ita amplificas, ut pertinaciæ, vel imbecillitatis tuæ potius effectus esse, quam meritis deberi videantur, ideoque ubi aliquem eas ob res commendas, quibus ipse caret, profers potius in apricum ejus defectus, qui ex collatione laudum immerito collatarum magis elucent. *Alius anonymus Auctor sermone de Urbanitatis officiis.*

Qui & Deo, & hominibus placere cupiunt.

Non desunt qui & Deo, & hominibus se placere posse arbitrentur; virtutis amatores sunt, ubi cum virtutis cultoribus versantur; neque sibi religioni vertunt in vitium ruere, ubi cum improbis consuescunt; fontium, & speculorum instar, quæ cœlum, terramque, umbras, ac lucem exhibent, quin hanc vel illas potius diligant, ad mutationem æque, ac jugiter semper disposita. Hoc hominibus placendi studium Deo placere non potest; non enim ut Deo obediant, hujus viæ homines aliquando virtutem exercent, sed tantummodo ut Mundo placeant; ac Deus meritis nostris non imputat, quæ recte facimus, nisi ipse eorum finis sit, atque objectum. Hinc S. Paulus sine ullo discrimine ait, se non fore JESU CHRISTI famulum, si placeret hominibus, non quod malum sit hominibus recte agendo placere; sed quod malum est recte agere ex mera hominum complacentia, & hoc uno intuitu, ut iisdem qualibet in re satisfacias. *Pater Heliodorus de Parisiis Capuccinus. Sermone nono de Conversatione.*

Adulatio causa flagitiorum omnium quæ a Principibus patrantur.

Adulatio, præsertim vero apud viros principes, ut plurimum, causa est omnium scelerum, quæ ab ipsis patrantur: *Hæc est causa omnium malorum, hoc est quod virtutem maxime evellit*: & si a Regum aula adulatores omnes eliminarentur, qui ad id conducti videntur, ut quæcumque ab illis fiunt, laudibus extollant, næ cito omnia illinc vitia exularent. Quid enim intentatum relinquunt assentatores, ut principibus placeant? Hos in aliquem ira succensos vident? oleum camino addunt; vel si ultio jam sumpta fuerit, hanc celebrant, tamquam actum justitiæ, admirantes immo eorum patientiam, quod nimis diu inimici hominis insolentiam, qui temeritate sua tantam sibi conflavit cladem, pertulerint. Si princeps aliquis subditos per vim emungit, atque immania extorquet tributa: non ne statim adulatores accedunt, qui illum absolutum esse bonorum, quæ a privatis possidentur, dominium profiteantur? Non ne huic persuadent id, quod in aliis esset injuria, in ipso jus esse, & nativitatis privilegio, & dignitatis auctorite firmatum? Si turpis, & probrosa vivendi cupiditas illum rapit, non ne id repetunt, quod olim Imperatori cuidam metuenti ne sui nominis gloria emarcesceret nescio quis asserebat, illius esse leges condere, atque ejusdem exemplo ablatum iri opprobrium, ac turpitudinem, quam hujusmodi flagitiis inhærere arbitrabatur? *Desinunt probri esse loco purpurata flagitia*: quod ævo suo contigisse Div. Cyprianus testatur. Itaque cum nullum sit vitium, nullum scelus, nulla cupiditas, quibus adulatores personam inducere non noverint, qui eos audiunt, & patiuntur, vel a fictis, venenatisque laudibus sibi non cavent, jugi in periculo versantur sexcenta mala patrandi, ac in omne scelerum genus ruendi. *Sermo Manuscriptus.*

Efficit adulatio, ut vitia virtutum loco habeantur.

Adulatio non judicium tantummodo, rectumque sensum depravat, sed ipsam etiam voluntatem pervertit efficiens, ut vitium habeatur loco virtutis, atque hac ratione, quin illius horrorem, ut par est, inspiret; in illud eos impellit, qui jam ultro illuc feruntur. Ita luxus, prodigalitas, sumptusque insani, si adulatoribus credideris, inditia sunt animi generosi, liberalis, magnifici; turpissimæ libidines solatia sunt, vel ad summum peccata, quæ facile veniam consequuntur; sordida avaritia sapiens est in futurum providentia, vel sola ratio qua præsens rei familiaris jactura reparetur. Ita adulatio cuicumque vitio novit honestum adjicere nomen, quo illius turpitudo celetur; ac illi eam personam inducere, ut nemo se ipsum agnoscat, tum maxime cum per scelera, atque flagitia aliis sese tradit liquido cognoscendum. Huic malo obnoxii præsertim sunt viri opibus, & auctoritate pollentes, qui ingenti adulatorum vi stipati ne unum quidem habent amicum verum; quod efficit, ut veritas ad eorum aures numquam perveniat; numquam enim hæc in mendacissimo adulantium ore versatur. *Idem.*

Adulatio plura simul peccata committit.

Cum adulatio finem suum obtinere contendit, atque sub veritatis, & amicitiæ, quas penitus odit, integumento vult apparere, tunc verborum ambagibus utitur elaboratis, modestis, ad reverentiam compositis, humilibus, sinceris, ab omni quæstus specie remotis. Vis enim scire quænam adulantis linguæ sit definitio? *Universitas iniquitatis*. Jacob. 3. Vis cognoscere, quinam verus sit adulantis caracter? est peccator, qui in uno scelere multa coacervat, atque sincerum, bonumque amicum simulans, perfidus est proditor. *Desumptum ex Sermonibus Moralibus; eo Sermone, qui est in hoc argumentum.*

Adulatores sunt seductores.

Natura semper simplex, atque sincera, veram præsefert imaginem, ingenuamque notam sui ipsius; adulatores vero subdoli, & a veritate secedentes ejusmodi signis utuntur, ut fratrum suorum simplicitatem, bonamque fidem fallant, & in errorem inducant. Cum hypocritæ formas, figurasque sibi prorsus oppositas, & a cogitationibus suis toto cœlo abhorrentes assumunt; dolis, ac mendaciis naturam, ac se ipsos dedecorant. Haberi volunt sinceri, & non sunt; loqui affectant, ut illi, quorum labiis cor ipsum intueris, sed anima eorum calliditate, atque improbitate est referta, ut ait Propheta. *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum*. Psal. 27. Ingenuæ quidem eorum voces videntur, pacis, ac benevolentiæ plenissimæ, at latens in corde nequitia sexcentas induit species pro eorum affectuum, quibus premuntur, varietate. *Idem.*

Adulationes quædam magis exquisitæ.

Assentationes quædam minus apertæ sunt; sed quæ cum majori sint industria concinnatæ, exquisitissimæ adulationis inventa sunt, quibus, quin nobismet vim facere videamur, callide alienis vitiis indulgemus: nihil dicimus, nisi diu meditatum, nihil facimus, nisi & loco, & tempore accommodato, nihilque perperam aggredimur. Modo æquivoca verba tamquam in incertum projicimus nihil ulterius dicturi, si displicuerint; sed ex illis fusius disserendi ansam capturi, si arriserint. Modo oculis, & gestu, quod sentimus, præ nobis ferimus, atque modesti silentii, ad quod callide nosmet componimus, eloquentia nimis loquimur. Unicum adulantium negotium est hominis, cui placere desiderant, ingenium scrutari, ut ubi, quod amat, vel odit, cognoverint, subdole veluti escam, quidquid suavius eidem futurum perspexerint, objiciant. *Idem.*

Naturali ducimur malo, inquit S. Hieronymus, *& adulatoribus nostris libenter favemus.* Licet modestum oris habitum præ nobis feramus allatas laudes renuendo; eas tamen intrinsecus majori cum voluptate colligimus. Erubescimus quidem audientes illas; atque nos intuens, nobis eas in jucundas esse putares: sed cor extrinsecam hanc, dolosamque speciem mentitur, ac verum est, nos ex eo testimonio, quo facta nostra probantur, summa oblectatione perfundi. Frustra laudem nequaquam mereri testamur, immo ejus repulsam nobis merito vertimus: frustra eam frigide excipimus, perplacet immo ea, quæ de nobismetipsis cogitamus, aliorum cogitationibus approbari. Fortasse de nobis superbe non loquimur; hæc enim nimis insana esset ambitio; sed alios de nobis cum laude verba facientes libenter excipimus.

For-

Fortasse hos ipsos leviter incusamus; at ut ab aliis excusemur, adeo vana ambitione insanimus, tanta est in nobis meritorum nostrorum æstimatio; tam immodica laudum aviditas. *Idem*.

Illi quibus adulamur oblatas se mereri laudes facile credunt.

Qui laudes, & assentatiunculas diligit, eo usque iisdem mentem replet, ut licet nequissimus sit, peccatum suum nosse, & illius pœnitentiam agere nequeat. Adulantium linguæ, ex S. Augustini sententia, sunt quædam veluti vincula, quæ illos, quibus adulantur, cum ipsorum peccatis ita connectunt, ut inde sese expedite minime valeant. Se intrinsecus non alios esse putant ab iis, qui aliorum laudibus exhibentur; se ipsos fallunt, atque animo ea repetentes, quæ sibi dicuntur, propriorum meritorum æstimatio facile cum alienis hujusmodi testimoniis concordat. Tunc vero quinam spei locus esse potest, futurum ut resipiscant; obstruunt enim omnes aditus gratiæ, salutaria contemnentes monita, quæ sibi suppeditari possent, atque eam foventes ideam, quam sibi aliorum adstruunt adulationes? *Idem*.

Nullum honorem adferunt adulantiū encomia.

Quinam sunt, qui te laudant, & quem ob finem te laudant? Si eorum personas intueor, animæ sunt mercenariæ, ac serviles, turpe, ac ignavum pecus, homines, qui ex ipsorum Ethnicorum sententia semper infames habiti sunt. Verum enimvero quam præclara sunt encomia ex hac hominum fæce profecta? Si eos quæris laudum tuarum præcones, quorum fides in pretio sit; homines quærere probatæ virtutis, boni nominis, integerrimos, atque sinceros, qui æque & vitium laudare, & vituperare virtutes extimescant; sed tamquam pestem teterrimam eos subdolos homines fuge, qui adulationum suarum illecebris te fallere gestiunt. ***Longe sint a te blandi, ac fraudulenti lactatores, qui cum in faciem te benedicunt, orbis tibi fabulam pariunt, imo te fabulam orbi.*** Bernard. Epist. 78. *Depromptum ex Moralibus sermonibus*.

Se contemptibilem præstat, qui sibi adulari permittit.

Vos quem præceps fortuna repente, divites, ac potentes effecit, stipati estis adulatoribus, qui magnificis laudibus commentitia vestra merita extollunt, & in omne obsequii genus proni vos encomiis celebrant; at num ideo majori in æstimatione mundus vos habet? Necessitudo, qua venalibus hujusmodi assentatoribus adhæretis, præstat, ut propius intus & in cute introspiciamini, ut a majoribus ipsis origo vestra petatur, ut unde profecti, ex quibus orti, qua arte & quæstu celeriter adeo ad magnitudinis fastigium evasistis diligentius quæratur. Numquid vero apud adulatores ipsos majori æstimationis aura fruimini? Vos quidem præsentes colunt, at clam vertunt in ludibrium; Vos plurimi faciunt, cum novos favores, ac uberrima laudum suarum præmia se putant relaturos; at ubi aliqua calamitas incidit, laudes cum fortuna vestra collabuntur. Tunc ficte laudabant, nunc sincere vituperant, lucri spe vobis adhærebant, ac per summum dedecus vos derelinquunt; a nutu vestro tamquam conductitii pendebant, donec felices fuistis; ex quo felices esse desiistis, vos ipsos irrident. *Idem*.

Adulatores illudunt illis, quibus blandiuntur.

O Mulier, quam fluxa pulchritudo tot hominum idolum effecit, te mancipiorum caterva circumundique septam vides, id unum quærentium, ut tuis cupiditatibus obsequantur, vel easdem irritent; secreta lætitia perfunderis abjectissima illorum officia percipiens, & oris habitu partim ad serietatem, partim ad suavitatem composito eorum laudes, ac famulitium dignaris excipere. Te felicem prædicant, quod tot dotibus ornata refulges; ac mihi crede, tibi illudunt: ***Qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.*** Isai. 3. Norunt imbecillitatem tuam, explorant defectus tuos, ac te absentem in jocum traducunt; & nisi forte victima es irrisionum suarum, te saltem longe plurimis objiciunt irridendum, qui majori pollent rationis usu, atque prudentia. *Idem*.

Ejusdem argumenti continuatio.

Tu quicumque es, qui cæcus in hunc humanarum adulationum incidis laqueum, scito ab illis, a quibus commendaris te decipi: ***Qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.*** Quorsum? quia dicunt non quod es, sed quod esse deberes. Te prudentem, sapientemque vocant, cum in te prudentia, ac sapientia magis desideretur; liberalem, cum tuas prodigas opes, zelotem cum sævias; humilem, honestumque, cum ad vilia quæque te te demittas, vigilantem, cum præceps sis; amicorum fautorem, cum injustum aliquid patres; severum vitiorum censorem, cum in contumelias erumpas; ab omni avaritiæ suspicione alienum, ac liberalem, cum tuum patrimonium obligurias. Sed ubi præclara adeo de re prædicant, tunc tibi maxime irrident, &c. *Idem*.

Discrimen inter amicum & adulatorē.

Quid inter amicum verum, atque adulatorem intersit facile cognosces. Ille te in spiritu charitatis redarguit; hic spe quæstus tibi blanditur; ille medelam afferre studet; hic celat, quidquid indiget medicina; ille te, hic opes tuas amat; ille tuam, hic suam quærit utilitatem; ille bona fide loquitur, hic te fallit, & decipit.... Eo in negotio, quod non tui tantum nominis existimationem respicit, sed ipsam salutem tuam, adulatores fuge, quemadmodum infensissimum quemlibet hostem vitares, & coram Deo eam Davidis precem effunde: ***Avertantur retrorsum & erubescant, qui volunt mihi mala. Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, Euge. Idem.***

Adulatio amicitiæ contraria est.

Adulatio, & amicitia æque sibi mutuo adversantur, ac vitium, & virtus. Nihilominus hoc monstrum virtutis nonnumquam personam gerit, & adulator perfecti amici imaginem sumit. Oculus maxime perspicax vix simulationes ejus detegere potest, quia exquisita conteguntur industria, & malum, quod boni speciem assumit, non ita facile potest dignosci ... Credimus blandos gestus, officiosa, adulantiaque verba sinceræ necessitudinis effectus esse, quamquam eorum causa sit adulatio; fictus enim hic amor ita sibi animum nostrum devincit, ut blandientis linguæ lenociniis in cor nostrum irrepat, quin ne ullam quidem calliditatis, & doli suspicionem relinquat... ***Hæc est conditio veritatis,*** S. Hieronymus inquit, ***ut eam semper inimicitiæ sequantur, sicut per adulationem perniciosam amicitiæ corrumpuntur, libenter enim quod delectat, auditur, & offendit omne, quod nolumus. Desumptum ex P. Jacobo d' Autun dans la conduite des Illustres, parte secunda cap.*** 10.

Turpis adulantium captivitas.

Adulator turpi servitute, quidquid fit, probat; atque tunc minus delinquit, cum dissimulat ea, quæ male fieri videt ab auctore fortunæ suæ, ne illi displiceat. Ubi dicenda sunt, quæ lædant, obmutescit, atque secreto consensu semet scelerum participem præbet, metuens, ne illum, cujus gratiam aucupatur, offendat. Sed cum principes viri nimia efferantur superbia, non satis est illis, si eorum flagitia dissimulentur, sed ab iis vituperari se putant, a quibus non laudantur, se lædi ab iis, qui ipsis non adulantur, & ab iis, qui illos colere abnuunt, contemni. Lingua nequaquam est unicum adulatoris instrumentum; adulatio novas ad fallendum artes excogitavit. Dicunt omnia inservire ad amoris magnitudinem significandam; adulator nihil non adhibet, ut se jucundum illis præbeat, quorum gratiam affectat. Umbra numquam melius solidi corporis ambitum exhibet, quam adulator eos, quos videt, gestus imitatur; & quandoque turpem adeo sibi servitutem imponit, ut natura ipsa erubescat. Aliorum defectus in semetipso multiplicat, ut hos excuset in illis, quibus placere contendit: eos ad unguem habitu corporis exhibere studet, si per hanc membrorum deformitatem finem suum se sperat assecuturum; ac sibi videtur naturales aliorum imperfectiones corrigere, cum illas sibi communes præstat, atque easdem imitari contendit. Verum tamen est verborum adulationem, quam gestuum esse callidiorem; non enim naturæ solum, sed morum quoque defectus probare novit, & quadam magiæ specie conatur efficere, ut ibi sit bonum, ubi non est, vel si sit, fucatæ orationis artificio illud amplificare. *Idem cap.* 20.

Adulator laudat & apparentes & veras virtutes in eo, cui placere studet.

Adulator inani virtutis utitur specie eos laudaturus, cui placere conatur; actiones, quæ ab eadem longe nimis distant, ope industriæ ipsius propius accedunt, timidum dicet verecundum, pusillanimem vocabit modestum. Spiritus Sanctus hoc adulationis genus ferre non potest, ac per Prophetam, in illos maledi-

ledictionem ejaculatur, qui malum bonum, bonumque malum appellant. Qui veras laudes tribuunt minus sunt criminosi, non tamen innocentes, & quoniam in laudibus modum non retinent, mendacium meliorem encomiorum partem absumit. Excessus nihilo minus a virtute abhorret, quam oppositum ipsius; & immodice laudans laudati virtutum æque in suspicionem revocat, ac ille, qui frigide laudat. *Idem*.

Adulatores aulici. Tacit. l. 3. annal.

Hic aulicorum est mos, ait Auctor quidam profanus, indiscriminatim omnia principum virorum facta seu honesta, seu inhonesta laudare, Adulantium sermones Principum fortunam potius, quam personam petunt; & cupiditas proficiendi illos æque & calumniæ, & mendacii constituit mancipia. Eorum impudentia nullo fine coercita natura, eorumque disciplinæ leges infringunt, atque miro conatu malum immutat in bonum, ac vitium in triumphum adducit. Verum cœli maledictio primum adulationis eorum instat supplicium; illis enim hæc mala imprecatur Sapiens: *Qui dicunt impio, justus es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus*. Prov. 24. *Idem*.

Utrum nequius sit adulari, an adulantes pati.

Adulari, & pati adulantes duo morbi sunt æque perniciosi; verum uti minime deest servitus quædam ipsa libertate suavior; quidam etiam morbi inveniuntur, ex quibus convalescere quempiam non licet, ipsa tamen bona valetudine sunt jucundiores. Ita licet adulatio illi, cui fit, plerumque suspecta habeatur, & adulator ipse novit falsitatem laudum, quas longe impertit, atque adulationis turpitudinem; hæc tamen illis non displicet: ibi enim res agitur sua. Itaque alter suam diligit vanitatem, quia sui ipsius idololatra est; alter eam fovet, quia inde percipit utilitatem. Verum quidem est arduum esse dignoscere uter nocentior sit, ille ne cujus lingua venalis semper est ad adulandum parata, an ille, qui laudes suas audiens intumescit; hujus quidem cæcitas est vituperanda, sed improbitas alterius hunc excæcantis non est innocentior. Si adulator nequam est, qui illum patitur, non est minori dignus vituperatione; nam si hic prior sibimet minime adularetur, adulantium illecebris haud ita facile moveretur. *Idem*.

Adulatori non fidendum.

Nonne semper nobis ab illo cavere oportet, qui omnes decipit, qui cum eo necessitudinem habent? Ipse etiam assentator, cui non alius sit finis, quam nos fallere, nonne suspicione carere non debet? Finis Oratoris est persuadere dictione; finis Medici morbos pharmacis tollere; sed finis adulatoris est verborum suorum lenociniis in errorem impellere. Si nobis ea esset mens, ut par pari adulantibus referremus; illos procul semoveremus, neque sollicite adeo festinarent nobis id thus oblaturi, quod omnibus offerunt. Speciosa verba non semper sunt cogitationis imago, vel cordis interpres. Ne credas illis, qui te laudant, S. Hieronymus inquit, vel potius, ne aurem præbeas illis, qui te irrident, & qui, ubi assentatiunculis suis os tibi sublevaverint, clanculum tibi illudunt; & si dorsum habes incurvum cervicem inflectunt, humerosque attollunt, vel similibus gestibus te in jocum traducunt. Ita contemptus, atque irrisiones, quibus ab adulatoribus excipiuntur, qui oblatas laudes libenter excipiunt, vel sibi fucum fieri patiuntur fictitiis laudibus, quibus ornantur, digna est irridendæ vanitatis illorum remuneratio. *Idem*.

Remedium contra vitus adulationis.

Tenuitatis nostræ cognitio efficere deberet, ne adulatorum lenociniis afficeremur. Qui te ipsum, penitentioresque conscientiæ tuæ latebras novit, extrinsecis laudibus numquam movetur, neque alienam approbationem emendicat. Ethnicus quidam hæc olim amico suo monita suggerebat. Scrutare te ipsum, ajebat ille Philosophus, atque ut quinam sis, cognoscere possis, haud alienos sensus require. Nemo integrius de nobis judicium ferre potest, nisi nos ipsi, neque citra vitium eorum scelera pati possumus, qui injustis nos laudibus cumulant, ut nostra tegant flagitia. Hoc in sensu S. Hieronymus ad insignem virtute mulierem scribens, ostendit dolorem, quo afficiebatur, quod ab amicis in pretio haberetur, & alius ab eo, quem se esse affirmabat, teneretur; atque conqueritur, quod non ipse, sed alius sub nomine suo ab illis diligeretur. Qui hac arte uteretur, ne ille quidem adulantium illecebris numquam deciperetur. *Idem*.

Abjectarum animarum vitium est adulatio.

Si nemo autem præberet adulatoribus, assentationes in labiis eorum interirent, non secus ac si acceptatores furum exterminati fuissent, nulli amplius latrones grassarentur. Neque vereor hos prodigos laudum largitores latronibus comparare; re enim vera adulatores gloriam furantur, quæ viris virtute nitentibus debetur solum, ut eam hominibus tribuant, in quibus nil laude dignum inveneris. Ita nihil adulatione turpius est, nihil servilius, nihil indignius, ipsa enim vilium animarum est propria, quæ mendacii, atque impudentiæ mercaturam faciunt principum virorum gratiam aucupaturæ. Cæterum si nihil homini jucundius esse potest, quam libertas, & si arduum est illam tueri, cum in adulationem simus adeo propensi, nonne adulator hoc vitium a se procul arcere debet, nisi omnem honestatis sensum, atque viri probi, honestique existimationem velit projicere? . . . Ita maxime contemnuntur id genus homines, qui semper habentur tamquam avidi quæstus, sine fide, ac sine probitate, quorum verbis fidendum non est; sed qui ingentem sibi promittunt ex illis, quibus blandiuntur, utilitatem; sperant enim futurum, ut aliquando laborum suorum uberrimos fructus percipiant: quos ubi fuerint assecuti, primo omnium in fabulam vertent eos, quibus tanta sinceritatis specie sunt adulati. *Idem*.

Nosmet ipsos fallimus vere laudari ambientes.

Credis fortasse non deesse tibi occasionem complacendi in laboribus tuis, quandoquidem reipsa laudibus cumularis, atque summam de te existimationem apud alios percrebrescere intelligis? Sed proh Deus immortalis! cur nam te ipsum fallere gaudes? Parumper animo volve, quæ accidunt in vita, atque invenies, te a paucissimis has existimationis notas excipere; apud hos vero nequaquam illo haberi in pretio, quo opinaris: hæc ipsa elogia sexcentis passim delata fuisse, quæ tu ipse quotidie illis deferre consuevisti, quos flocci pendis. Quis hodie non commendatur, seu ut mutuæ laudes extorqueantur, seu ut gratia captetur? exploratum quippe est in animis omnium aditum adulationi patere. Numquamne plurimos præsentes miris celebrari encomiis audivisti, quos absentes, ubi liberius loquendi facultas fuit, contumeliis, atque opprobriis lacessiri intellexisti? Nonne tibimet adularis, si te unum esse putas, quem omnes bona fide commendent, & de quo sincere ea dicantur, quæ de aliis per jocum, atque ludibrium dicuntur; vel ad summum quæ ob id proferuntur, ut ea urbanitatis officia præstentur, quæ mos necessaria quodammodo effecit? *P. de la Colombiere dans les Reflexions Chretiennes*.

Quædam est christiana indulgentia, quæ non est adulatio.

Inter virtutes recenseur affabilitas quædam, quæ efficit, ut nosmet eorum moribus accommodemus, cum quibus versamur; & hæc virtus, quam Dei lex jubet, quædam est indulgentia, studiumque officiosum, quo aliis cedimus, eosque, ut inquit Apostolus, obsequio, honore, ac reverentia prævenimus. *Honore invicem prævenientes*. Ad Rom. 12. eorum sensus amplectimur, illorumque consilia, ubi virtuti, officioque nostro non sunt opposita, approbamus. D. Chrysostomus adfert in hoc argumento S. Pauli exemplum, cupientis, quatenus sua conscientia patiebatur, omnibus cujusque conditionis placere mortalibus, omnibusque in occasionibus, ut eos Domino lucraretur. *Per omnia placeo. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*. 1. ad Cor. cap. 10. & 9. At cavendum ne hujusmodi indulgentia in adulationem degeneret; & magnus ille Apostolus, qui se ipsum proponit tamquam virtutis adeo necessariæ ad omnes lucrandos, neminemque offendendum exemplar, passus non est, aliquam de se adulationis suspicionem oriri: *Neque enim fuimus aliquando in sermone adulationis, sicut scitis*. 1. ad Thes. 2. *Desumptum ex P. Giroust Tom. 3. Quadrag. sermone de mundana Complacentia*.

Ami-

Amicitia ab adulatione debet abesse. Amicitia quidem studium parit placendi amicis, eorumque imbecillitatibus indulgendi. Amicorum affectionibus nosmet accommodemus oportet, eorumque defectus patiamur; quod charitas æque, ac amicitia suadet: non ideo tamen illis debemus adulari, si quid peccaverint, neque pravis illorum studiis favere, si corrigi possint. Hoc ratio, hoc religio prohibent, quarum utraque suadet, ut sapienter, prudenterque illis ea, quæ ignorant, officia deregamus; quæ vero norunt, ut hæc opere compleant, toto pectore incumbamus. *P. Nepveu in tractatu de Vita Christiana.*

Adulatio non est Charitatis Officium. Adulatio nequaquam est charitatis officium, licet doceat Apostolus hanc benignam esse, atque patientem; sed potius est amor proprius, lucri avidus omnia ad se referens; adulator enim blanditur, ut sibi blandiatur, laudat, ut laudetur, plaudit omnibus iis, quæ a viris principibus fiunt, ut sibi eos devinciat, in illorum amicitiam irrepat, ut beneficium aliquod obtineat. Hoc vitium præterea Divinæ charitati adversatur; probat enim, quod damnat Deus, laudat, quod Deus vituperat, permittit, quod Deus vetat, atque scelera, & vitia, quibus divina Majestas læditur, justificat, ut iis placeat, qui in illorum cœno volutantur, ac denique in adulatores divinam hanc maledictionem detorquet: *Væ qui dicunt impio, justus es.* Prov. 24. *Auctor Anonymus.*

Laudes impiis delatæ efficiunt, ut se se viros bonos opinentur. Vitiis diffluere magnum est malum, sed in vitiis ipsis laudari malum est majus; non enim ulla ad pœnitentiam relinquitur via .... Injustæ quippe laudes, quibus impii cumulantur, illos ita excæcant, ut quo in statu sint, non intelligant. Cum vero injustis laudibus urbanitatis quædam accedere soleant officia, atque non spernenda beneficia, fit, ut qui laudibus extolluntur cum probis hominibus fere sese confundant, ac sensim eam amittant ideam, quam de se ipsis primum habebant, neque mox semet amplius agnoscant. Itaque naturali decepti cupiditate, qua qualibet se laudari desiderat, sibi ea inesse putant merita, quibus omnino carent, atque ob fictitias virtutes superbiunt. *Desumptum ex libro cui titulus: Civilis vitæ officia cap. 1.*

Uter imbecillius fit adulari, an pati adulantem. Operosum est affirmare, uter majorem imbecillitatem præseferat, ille ne, qui aliis adulari non erubescit, an qui alios gestit sibi adulari. Alter quidem parum sinceritatis, integritatis, honestatis præsefert, alter vero ingenii sui vanitatem, atque tenuitatem excusare non potest. Adulator verba sua verbis mentitur; immodice laudat, atque laudis ipsa magnitudo probat, a se nullo in pretio laudatum haberi; quem si vere magni æstimaret, vereretur ne eidem displiceret ejusdem eximias dotes amplificans. Hunc sapientia, modestia, & æquitate vacuum putat; sperat enim se ejus initurum gratiam, sapientiam, modestiam, æquitatemque lædendo. Qui libenter assentatiunculas audit, mentitur meritum, cui laus unice debetur. Vera virtus fucata odit ornamenta; ex semet satis subsistit, & affectatus fulgor, non lucem, sed nebulam, tenebrasque eidem offundit. Te satis probas vera indignum laude, ubi laudes immodicas audire gaudes. Qui adulatur, se contemptui objicit, nam se nimis demittit; humi quodammodo repit, ut illud, quod minime decet, alteri reddat obsequium; & impudentissima temeritas est ei, quem honorare cupis, thus, quod dedecus afferat, adolere ..... Adulatio sive illam exerceamus, sive illam patiamur, nostram auget indignitatem, atque ambitionem; omnes enim nobis irrident, quin intelligamus contemptum illum, vel quo excipimur, vel quem meremur. *Liber cui titulus: Observationes in varia Religionis, atque Moralis philosophiæ argumenta.*

Numquam novi quid esset officiis certare, neque illum nosse unquam volui; rem enim ignaviæ plenam utramque duxi, & in illa se se effundere, & iisdem affici; atque Christianum, honestumque virum magis decere putavi alios monere, quid vere sint, & quid facto sit opus, quam adulari ob ea, quæ non habent, vel polliceri, quæ habere non possunt. Plurimi quidem sexcentis urbanitatis officiis tibi obsequentur; Omnes, quos nosti, & plurimi etiam, quos ignoras, jam in obsequium compositi vel te coram salutatum venient, vel per epistolas. Omnes tibi significare contendent, se dolore tuo maxime tangi; verum in hujusmodi locutionibus multum adulationis, parum inest sinceritatis. *Pater le Valois Epistola octava de solitudine.* Inania officia & adulatione referta.

Væ, dicit Evangelium, *cum benedixerint vobis homines: secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum. Luc. 6.* Asserere nequaquam possum hoc maledictum in eos absolute contorqueri, qui laudibus ornantur; sed in eos, qui laudari quærunt, & cupiunt; qui sibimet adulantur, qui in illis complacent sibi, atque eas sibi gloriæ vertunt, non Deo: nullum enim bonum est, quod ab eo non emanet. Ita Deus sua maledictione non percutit eos, qui laudes recipiunt, sed qui illas adfectant, qui ab adulatoribus sibi fucum fieri patiuntur, qui superbiunt, qui intumescunt, qui illis abutuntur, qui ex ea opinione virtutis, quam alii testantur, falso de se ipsis judicium ferunt; cum immo se se demittere, atque humilitatis sensus concipere deberent; intuiti defectus suos, imperfectiones, ac secreta flagitia, quæ intra se contegunt, & quæ si omnibus comperta essent, atque explorata, illos pudore, & confusione suffunderent. *Abbas Trappensis in considerationibus suis in S. Lucæ Evangelium.* Deus maledictione os percutit, qui adulari quærunt, & gaudent.

Sæpe laus majus nobis damnum infert, quam injuriam; quamobrem scriptum est: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam.* Eccli. 11. Quin hoc in argumento latius immoremur, asserere possumus lenocinia, blanditias, assentationes, officia, affabilitates, omnes humanas consuetudines, omnes existimationis, atque honoris notas, quas ab illis recipimus, qui nos amare profitentur, vel simulant, tantam vim in animos nostros habere, & ob superbiam, quam pariunt, & ob bonam nostrum ipsorum opinionem, quam cient in nobis, & ob ideam, quam nobis adstruunt virtutum earum, quas non assecuti sumus, quasi illas obtineremus; ut merito illa prophetæ verba queant applicari: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Isaiæ 3. Malum, quod laudes pariunt.

AFFECTUS.

Eorum perturbatio; & mortificatio. Affectus prædominans, ejus subigendi necessitas.

MONITUM.



Philosophi in Libris suis, atque in Orationibus Oratores aliter affectus considerant, ubi eos quæstionum, sermonumque suorum argumentum constituunt. Cum nos autem hic de illis verba facturi simus quatenus ad suggestum pertinent, aliis quidem relinquimus curam eorum naturam, causas, effectusque explorandi, aliis vero artem eosdem ciendi, aliis denique munus tradendi, quomodo illis utendum sit, ut hominis rationalis mores, actionesque regantur. Verum ut Concionatorum more loquamur, quatenus videlicet ad Christianum hominem referuntur, eorum perturbationes,

tiones, eorumque coercendorum necessitatem ostendamus, oportet; ut quod vitiorum omnium est fons, virtutum omnium fiat instrumentum. Quæ in re tria occurrunt animadvertenda. 1. Cum incompositi affectus nos in peccatum rapiant, multa esse communia huic, & Tentationum argumento, de quo suo loco dicemus; & quod consulere poterit, qui opus esse censuerit. 2. Singulis affectum aliquem præ ceteris vehementius imperitare, qui quidem illius propensionem efficit, atque est primum quodammodo elasterium, quo cætera commoventur. Hunc singillatim Sacer Orator oppugnare potest, ac expugnare, si late nimis patere censuerit argumentum in omnes generatim affectus rationum suarum aciem instruere. 3. Supponendum esse, atque auditoribus explicandum, Christianam mortificationem, veteris hominis mortem, vitam spiritus, angustam viam, quæ ducit ad vitam, in affectuum subjectione, atque victoria consistere, mortificationemque corporis non aliud esse, quam medium, ad spiritus mortificationem assequendam, quæ quidem est, flagitiosa studia, concupiscentiam, propensionemque in malum cohibere; hæc enim omnia nomine mortificationis affectuum continentur, atque in hoc argumento satis affluentem rerum copiam suppeditant, ut quovis in sensu accepta replere valeant orationem, quin ea sint lustranda, quæ de singulis affectibus seorsim dicenda sunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum in hoc argumento Synopsis.

I. NEcessitas, qua in Christiana Religione affectus nostros tenemur subigere; adminicula, quæ ad illos infringendos nobis suppetunt; utilitates, quas ex victoria consequimur, triplicem Concionis partem constituunt.

Pars prima. Præceptum idem, quo peccatum effugere, ac illud in nobis pro virili delere jubemur, imperat quoque, ut affectibus nostris bellum inferamus, eosque injecto fræno cohibeamus. 1. Quia licet peccata non sint (erraret quippe, qui hoc crederet; Deus enim affectus constituit in nobis, ut per illos bonum quidem amplecteremur, malum vero effugeremus) attamen cum post originale peccatum perturbati fuerint, atque ut plurimum omnium peccatorum nostrorum sint causa, interest nostra, omnem causam auferre, ut illius perniciosi effectus tollantur. 2. Quia etsi in semet peccata non sunt, facile peccata fiunt, cum sint peccatorum materia; si enim eorum impetum, atque vim sequimur, qua nos in scelus propellunt, reos nos efficiunt, atque sunt criminosi. 3. Quia inexhausti sunt flagitiorum fontes, quorum cursum nisi inhibeamus fontem ipsum exsiccantes; efficient, ut jugiter in nova scelera proruamus.

Pars altera. Cum Deus in nobis affectus nostros reliquerit, postquam prorsus peccatum originale delevit, eorumque permiserit tumultum, ut inde merendi occasionem nancisceremus, ac virtus ipsa posset exerceri; non reliquit nos tamen sine validis adminiculis, quorum opes eos cohibere possemus, ac prohibere, ne nos in peccatum impellant. Hæc autem adminicula sunt. 1. Gratia, quæ numquam deest nobis, ita ut licet in potestate nostra non sit primos motus prohibere, possumus tamen divina opem ferente gratia, quantumvis violenti sint, eorum progressus retardare, immo etiam precibus majora obtinere ad eos expugnandos subsidia. 2. Vigilantia Christiana ad eas prævidendas occasiones, in quibus affectibus nostris moderari non possimus. 3. Timor Dei, atque præceptis ejusdem obedientia; quoniam jubet fluctus hos compescere; quemadmodum imperavit mari, ut tumentes fluctus suos in statuta littora allideret.

Pars Tertia. Utilitates, quæ ex affectuum nostrorum victoria dimanant hæ sunt. 1. Pax cordis, & quies conscientiæ. 2. Christiana libertas, quæ ex dæmonis, mundi, atque peccati servitute illos eripit, qui suis affectibus serviunt. 3. Certitudo remunerationis æternæ, quæ illis promittitur, qui affectus suos debellarint.

II. Quoad affectum prædominantem, ostendendum est, illi qui se se Deo mancipat, ut in virtutis via progrediatur, se se pietati devoveat, ac penitus conetur evertere corpus illud peccati, de quo loquitur Apostolus, incipiendum esse ab affectus prædominantis oppugnatione, atque victoria; aliter enim omnia vel essent inutilia, vel non satis magnum effectum obtinerent; idque triplici ex causa, quæ triplicem sermonis partem potest constituere. 1. Quia hic hostis est perniciosissimus, atque metuendus, a quo nihilominus non satis nobismetipsis cavemus. 2. Fortissimus, qui nos infirmiores efficit, & quem vincere difficillimum est. 3. Pertinacissimus, qui post aliorum cædem viget adhuc, & contra quem nobis toto vitæ spatio sustinendum erit certamen, nisi fortiter illi bellum inferamus, & nisi quam primum ab ipsa adolescentia toto nisu in eum impetum faciamus.

Quoad primam rationem: Hostis est perniciosissimus. 1. Omnium enim maxime occultus, at minime notus est, atque ideo talis, ut nobismet ab eo non satis cavere possimus. Boni personam induit, atque hoc pacto clanculum lethifera infligit vulnera, a quibus nosmet tueri, maxime est arduum. 2. Hac ratione, atque sub virtutis prætextu criminosissima quæque approbat flagitia, ita ut furor pro zelo, avaritia pro laudabili œconomia, ultio pro justa indignatione habeatur &c. 3. Nos prodit; cum externis hostibus, æque ac cum internis inimicis secreta init consilia &c. Unde inferre necesse est, hunc hostem esse perniciosissimum, & maxime timendum; quem nisi statim convellere conabimur, frustra reliquos omnes delebimus.

Pro ratione altera. Hostis est fortissimus, quem tamen infirmius, ac imbecillius oppugnamus, cui parcere studemus, ac metuimus, ne deleatur. Erga illum tales nos præbemus, qualem se præbuit Saul erga Amalecitas; libenter quidem sacrificamus quod magis contemnendum est, sed quod pretiosius videtur, atque perdere metuimus, id nobis reservamus.

Pro tertia. Hic etiam pertinacissimus est hostis, qui diutius conatibus nostris resistit, qui etiam post aliorum internecionem viget, qui nostro innixus ingenio, atque temperamento, omnium actionum nostrarum particeps est, atque ad mortem usque nobis inhæret, nisi quamprimum eum de medio tollere adnitamur, sanctam, piamque vitam tradacturi. Animi nostri ægritudines mentem ipsam excæcant, quamobrem in omnia ruimus flagitia, nulli consilio, vel rationi aurem præbemus; fidei, atque gratiæ luminibus oculos obstruimus, quod ex Davidis, Salomonis, aliorumque plurimorum exemplis innotescit. 2. Agitant, dividunt, discerpunt cor ipsum, ubi ortæ sunt; quoniam illud in diversa rapiunt affectus oppositi; quales sunt avaritia, ambitio, timor, desiderium, &c. 3. Illum, qui alicui paret affectui, & incompositas animi perturbationes sequitur, in servitutem omnium maxime turpem, miseram, gravemque detrudunt. III.

Pro concionis argumento, ac partitione duplex hæc veritas assumi potest. IV.

Veritas prima. Omni conatu affectus esse impugnandos, expugnandosque. 1. quia vitiorum omnium origines sunt; 2. quia sunt virtutibus omnibus obices. 3. quia sunt omnibus officiis nostris impedimento.

Veritas altera. Facilius esse, quam vulgo putetur, affe-

affectus suos superare. 1. quia operosius est illis parere, quam eos mortificare; quia ubi illis serviatur, sævissimam tyrannidem exercent. Unde inferri potest plura ferenda esse ab iis, qui mundo inserviunt, hi quippe affectibus suis obtemperant; quam qui Deo famulantur, qui se ipsos debent abnegare. 2. quia gaudium, & pax, quæ in affectuum victoria percipitur, longe antecellit oblectationi, qua perfruitur ea possidens, quæ ardentius concupivit. 3. Quia gloria, quæ ex affectuum victoria proficiscitur vera est, solida, ac tuta, cum in eorum satietate nihil nisi pudoris, & confusionis causa inveniatur.

V. Quæ vero ad affectus nostros infringendos, subigendosque excitare nos debent potissimum sunt. 1. gloria, quæ uberrima cedit seipsos vincentibus, longe profecto uberior, quam si externus debelletur hostis ex Ethnicorum ipsorum sententia, qui hac in re sapientiam, virtutemque omnem collocarunt. 2. Gratiæ subsidium, quæ nobis suppetit, ita ut eidem satis sit, esse fideles, eique obsequi, ut ad optatum finem perveniamus. 3. Præmii magnitudo, quod hanc victoriam subsequitur, a remuneratore Deo expectandum.

VI. 1. Primum præcipuumque Christianæ vigilantiæ munus est affectibus nostris cavere, ne ab iis decipiamur; omnia removere objecta; eos intus, & in cute explorare, atque pro viribus moderari. 2. Fidelis viri fortitudo, ac virtus in hoc posita est, ut illis reluctetur, eisque bellum indicat. 3. Christiani gloria est absolutissimam de affectibus victoriam referre; in hoc enim virtus, atque altissimus perfectionis apex consistit.

VII. Considerari generatim possunt animi ægritudinum natura, & effectus; atque inde practicæ conclusiones ad vitæ nostræ regimen depromi.

1. Affectus nostri suapte natura indiscriminatim in bonum, malumque feruntur. Ideo elaborandum, ut ad bonum potius amplectendum traducantur, illis sancta exhibendo objecta, quorum intuitus nos sanctiores efficiat; ita ut dici queat, nos in bonum pronos esse, nobisque optima inesse studia. 2. Affectus nostri, ut plurimum rationem ipsam prævertunt, perveniuntque; ideo a nobis antevertendi sunt, evitando, aut removendo illa objecta, a quibus possunt excitari. 3. Nostram sæpe captivant libertatem, coguntque nos suis obsequi studiis; ideo quamprimum adnitendum, ut illis adversemur, eosque oppugnemus, ne convalescant.

VIII. Duplex etiam hæc veritas justæ concionis hoc in argumento materiam nobis potest suppeditare.

Prior. Affectuum nostrorum rebellio nobis exhibet lapsum de statu illius felicitate, in quo primus hominum parens a Deo creatus fuerat, idque tribus in rebus, quæ toto vitæ spatio a nobis lacrymas debent elicere, 1. in imperio, quod in animi nostri motus, videlicet in affectus nostros obtinebamus, qui nunc dominati sunt nobis, ac nos in miserrimam dæmonis, atque peccati redigunt servitutem. 2. In intellectus nostri corruptione, qui terrestrium, periturarumque rerum ideis est repletus. 3. In corruptione cordis, sensibilia tantum bona quærentis.

Veritas altera hæc est, quod per affectuum nostrorum victoriam primum illum felicitatis statum iterum assequi possumus.

IX. 1. Quia per eamdem amissum recuperare possumus imperium, ex ea tandem emergentes servitute, in quam affectus nostri nos conjecerunt. 2. Quemadmodum actiones nostræ perdent ab ideis, quas de rebus ipsis concipimus, per affectuum victoriam æterna amplectimur dogmata, ideoque alias animo imbibimus æternæ felicitatis, ad quam evocati sumus, ideas. 3. Cor denique nostrum reluctans propensioni, qua in sensibilia fertur bona, necessatio ad ea concupiscenda bona extollitur, quæ una ejus votis satisfacere, ac illud beatum efficere possunt.

1. Affectuum nostrorum victoria proculdubio una est omnium amplissima, perfectissima, & Christiano viro dignissima, cujus vita juge prælium est, & cui nulli sunt hostes, quos magis metuere debeat, quam se ipsum. 2. Difficillima est, & maximo labore comparanda ideoque una omnium gloriosissima, quas de externis hostibus referre possit, quicumque tandem illi sint. Hoc enim satis docet eorum omnium celeberrimorum Ducum experientia, qui cum innumeros fere populos, immensasque regiones suo subjecissent imperio, ab affectibus suis turpiter fuere devicti. 3. Hæc omnium una constantia, atque fortitudine indiget; prælium enim in omne vitæ spatium producitur, & hostes, quibuscum decertamus, tunc etiam cum prostrati fuerunt, rursus insurgunt, atque convalescunt; quod efficit, ut jugis esse debeat victoria.

1. Affectus nostri violenti sunt, & nonnisi summo labore coercendi; idcirco a puero illis bellum est indicendum, ubi nondum diuturnioris habitus vi convaluere. 2. Crudeles sunt, atque tyrannicum in nos exercent imperium, ubi nostri fuerint dominati. 3. Inexaturabiles sunt, & quo majora illis permittimus, eo plura postulant, uti avaritia, quæ semper opes congerere quærit, at numquam satis esse dicit; & ambitio, quæ ad altiorem semper gradum contendit, & indesinenter ad majora fastigia dignitatum anhelat; & sic de aliis. X.

Affectus nostros mortificare tenemur. 1. Quatenus Christiani. Gratia enim, quæ nos christianos facit, exigit, ut omnibus sensibilis vitæ, corruptæque naturæ motibus moriamur. Idcirco in Baptismate, ubi eam qualitatem recipimus, omnibus affectuum nostrorum objectis abrenuntiare jubemur. 2. Quatenus peccatores. Non enim tantum affectus illi, qui in vitium nos præcipites dedere, sunt per pœnitentiam mortificandi, sed etiam prævertenda sunt ea mala, quæ parere possunt, eos subigendo, atque frænando. 3. Quatenus homines: nam cum in hominum societate versemur, plura nobis incumbunt officia, non sine labore, ac difficultate adimplenda; quamobrem quavis in occasione, & quolibet in statu simus, assidua cura nosmet continere, atque etiam torquere debemus. XI.

Cum affectus morbi sint animæ; ut illis necessaria medicina accommodetur, interest primum magnitudinem mali, & ægritudinis, qua laboramus, exploratam habere, secundo nosse artem, rationemque medendi, ac tertio ægroti vires, ac temperamentum, & quæ pharmaca ferre possit, intelligere: ne ille obruatur potius, quam curetur. Hæc corporis morborum cura ut ad curam animæ traducatur, tria sunt adnotanda, quæ triplicem concionis partem possunt constituere. XII.

1. Quanta sit magnitudo ægritudinum animæ nostræ, hoc est affectuum nostrorum.

2. Quænam sint ea pharmaca, quæ a supremo animarum nostrarum Medico, Salvatore nostro præcipiuntur.

3. Quæ in nobis dispositio requiratur, ut & nos aliquid ad nostram salutem conferamus. *Desumptum ex Biroat sermone 1. pro quarta Quadragesima Domin.*

Ut in pace cum proximo vivamus, atque charitatem servemus 1. animi impetus cohibendi sunt, ex quibus veluti ex fonte jurgia, rixæ, contentiones, simultates oriuntur. 2. cavete, ne affectus alienos excitemus, foveamus, ac ne, ut ajunt, oleum camino addamus. *Desumptum ex adventu Patris Masson.* XIII.

Affectus prædominantis nequitia ad tria capita redigitur, quæ per gradus ostendunt, quam periculosæ opus plenum sit aleæ, eum fovere, eique obtemperare, & quantæ sit utilitatis eumdem subigere. XIV.

1. Causa est omnium, quæ patramus, flagitiorum, 2. fons est fallacium dogmatum, quibus conscientiam nostram imbuimus. 3. Via est, quæ ut plurimum ad finalem impœnitentiam deducit. Quid unquam potest illi in nobis majus odium conflare, quam tria hæc, quæ exposcimus? *Desumptum ex sermone P. Cheminais in hoc argumentum.*

In idem prædominantis affectus argumentum.

1. Hic infestissimus est inimicorum omnium, cum quibus nobis est decertandum; omnium, quæ in nos ineuntur, conjurationum est particeps; ceteros affectus suscitat, atque in prælium vocat; hostis pertinacissimus, atque difficillimus, qui superetur &c. 2. Attamen hic ille est, in quem imbelles minori vir- XV.

tute configimus, cui parcimus, quemadmodum pepercit Saul Agag Regi Amalecitarum, quamvis Deus imperasset, ut nemini parceretur.

In idem argumentum.

1. Necessitas cognoscendi affectus, qui dominatur in nobis, ut illi bellum inferamus; hæc enim nos magis excæcat, ejusque cognitionem negligimus. 2. Necessitas illius impugnandi, ut expugnetur.

In eumdem prædominantem affectum, quem maximum nostræ salutis obicem ostendere possumus.

1. Hic est omnium defectuum, flagitiorumque nostrorum causa, & origo. 2. Hic quæcumque a nobis recte fiunt, coinquinat, atque corrumpit, efficitque, ut agentes impetu potius, quam virtute ducamur. 3. Hic nobis aufert correctionis, ac pœnitentiæ locum, ideoque causa est, ut in peccato moriamur, quod malorum omnium pessimum est, atque teterrimum.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque unde peti potest argumentorum copia ad propositas concionum partitiones adimplendas.

Sanctus Augustinus *in Psalm.* 136. docet affectuum nostrorum motus quamprimum inhibendos esse, atque in ipso ortu extinguendos.

Idem *l.* 14. *de Civit. Dei* ostendit, amorem virtutis esse causam affectuum omnium in viris justis, in impiis vero pravos affectus a pravo amore excitari.

Idem *l.* 9. *de Civit.* in Stoicos insurgit, eosque perperam sensisse demonstrat.

Idem capite octavo libri ejusdem ostendit qua ratione Christianus debeat affectus suos in rectum usum convertere. Hoc ipsum docet in tractatu 60. in Joannem hæc explicans verba: *Cum hoc dixisset JESUS turbatus est.*

S. Ambrosius *l.* 1. *Officiorum* c. 47. ostendit quomodo, & quare ab affectibus nostris cavendum sit.

Idem *Sermone* 19. docet affectus a puero coercendos esse.

S. Hieronymus *l.* 2. *in Pelagianos* affectus recenset, docetque, ex quo fonte proficiscantur.

Idem *lib.* 2. *in cap.* 5. *Isaiæ* ostendit quamcumque inordinatam affectionem perturbare spiritum, & quamdam ebrietatis speciem vocari posse. Hoc ipsum præstat in caput 43. Ezechielis libro primo, in 4. caput Osee, & primum Joelis.

Idem *Epistola* 9. *quæ est ad Salvinam Viduam* ostendit, hac in vita fieri minime posse, ne affectus insurgant, sed a nobis posse coerceri.

Idem *Epist. ad Ctesiphontem adversus Pelagium* ostendit fieri non posse, ut affectus omnino ex animo evellantur.

S. Gregorius *l.* 14. *Moral.* docet, a Dæmone illos excitari affectus, quibus magis obnoxii sumus, ac nos ex ea parte oppugnari, qua nos imbecilliores esse cognoscit.

Idem *l.* 2. *Moral. c.* 10. ostendit pios, justosque viros nequaquam sensu, affectibusque carere, sed illos viam coercendarum animi affectionum cognoscere.

S. Jo: Chrysostomus Exhortatione in quintum S. Matthæi caput, monet affectus cuilibet esse metuendos, iisque subigendis operam, quam diligentissime navandam esse.

Idem Exhortatione in cap. 18. Ejusdem S. Matthæi, hominis affectionibus suis obtemperantis miseram conditionem describit.

S. Basilius *Homil.* 9. *in Psalm.* 37. ostendit, quomodo nos nostri affectus excæcant, prohibentque, ne bonum à malo dignoscere valeamus.

Idem *Hom.* 10. *in Hexam.* docet illum, qui affectibus suis famulatur, de hominis liberi gradu, atque dignitate deturbari.

Idem *in Const. Mon. c.* 8. monet, quomodo affectibus utendum sit ad Christianas virtutes excolendas.

Origenes *Homil.* 7. *in c.* 10. *Levitici* ostendit, incompositam quamlibet affectionem in anima quamdam parere ebrietatem, eique rationis lumen auferre; quod ipsum docet *Hom.* 2. *in cap.* 50. *Jerem.*

S. Gregorius Nazianzenus *Hom.* 11. *in Genesim* indignum esse ostendit illum, qui imperat aliis, suarum esse affectionum mancipium.

S. Gregorius Nyssenus *Orat.* 2. *de Beatit.* ostendit, quo consilio Deus homini affectus dederit, & quomodo sit illis utendum.

S. Joan. Climacus *Grad.* 6. *art.* 159. docet affectus per se malos non esse, mortificationem vero ad id adhibendam, ut eorum excessus tantummodo auferatur.

Theodoretus *in cap.* 7. *ad Rom.* docet, cur a Deo affectus traditi fuerint hominibus, & in quem usum sint ab hominibus convertendi.

S. Bernardus *Serm.* 58. *in Cant.* ostendit numquam cessandum esse ab affectuum oppugnatione, eorumque excessum esse resecandum; semper enim reviviscunt.

Idem *Serm.* 35. *ex parvis* ostendit, nos ab affectionibus nostris vel in Cœlum evehi, vel ad inferna detrudi, prout bonum, malumve objectum illis exhibeatur; & *Sermone* 6. ait, recto affectuum nostrorum usu nos Sanctos, quemadmodum pravo scelestos fieri.

Idem *Hom.* 4. *super missus est* describit prælium, quod nonnumquam in hominum corde affectus cient.

Cassianus *Coll.* 5. *c.* 14. *& Coll.* 24.

Granatensis in peccatorum regimine *l.* 1. *c.* 18. §. 2. verba facit de servitute illa, in quam nos affectus nostri conjiciunt, & c. 19. libri ejusdem loquitur de interiori bello, quod ab affectibus suis impii patiuntur. Ascetici, aliique.

Idem in Tractatu de Oratione & Meditatione c. 2. §. 3. describit tumultum, quem in animo affectus excitant, ac ibidem optima tradit consilia ad affectus moderandos utilia.

Idem in tractatu de amore Dei c. 6. de mortificatione desideriorum, naturaliumque studiorum verba facit; capite vero 7. docet, quomodo sint mortificanda.

Alphonsus Rodriquez parte altera Tractatus de mortificatione cap. 2. 3. 4. 7. 9. 10 14. de affectuum mortificatione verba facit.

P. Saint Jure l. 3. de cognitione, & amore Domini nostri cap. 10. sect. 3.

P. Jacobus Alvares *de Orat. l.* 3. *part.* 1. *cap.* 7. de interiorum sensuum, appetituum, affectionumque mortificationis necessitate disceptat.

Idem tom. 2. part. 3. de interioris hominis mortificatione pluribus capitibus disserit.

P. Hieronym. Platus *l.* 3. *c.* 5. *de bono status Religiosi.*

P. Croiset tom. 2. Considerationum Christianarum. Idem volumine eodem de affectionum effectibus loquitur.

P. Caussinus in præfatione Tractatus de affectibus.

P. Guillorè t. 2. spiritualium consiliorum, de affectu prædominante satis prolixum habet tractatum.

P. Camaret t. 2. quinto virtutis obstaculo, ubi fusius de affectibus generatim, ac speciatim verba facit, de prædominante affectu late satis disserit.

P. Haineuve lib. de Ordine Vitæ, ac Morum part. 1. serm. 18. tract. de ratione appetitus, affectusque moderandi, ac sermone sequenti ostendit, quomodo illis ratio uti debeat.

P. Antonius de Sancto Martino *de la Porte* in libro cui titulus: *Les conduites de la grace*, part. 2. de affectibus loquitur, tamquam criminum causis.

P. Senault tom. 4. Hominis criminosi, serm. 4. ostendit affectus mobiles esse, vel feroces.

P. Dozenne in Morali JESU CHRISTI tit. 9. de cordis, affectuumque mortificatione verba facit.

Non recensemus hoc in loco eos, qui de affectibus Philosophorũ ritu disseruerunt, quin eos ad mores referrent.

Biroat in Adventu Serm. nono loquitur de Mundi impetu, qui proprie affectus est. Concionatores neoterici, qui de hoc argumento tractarunt.

Idem Sermone primo, & secundo in feriam quintam post tertiam Quadragesimæ Dominicam.

P. Cheminais tom. 1. Serm. habet de affectu prædominante.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta hoc ipsum argumentum pertractat *Tomo* 1. *Domin. Serm. pro* 4. *post Epiphaniam Dominica.*

Busæus *in Panario. Tit. Immortificatio Passionum.* Qui collectanea in hoc argumentum edidere.

Lohner. *Tit. Mortificatio.*

Labatha. *Tit. Mortificatio.*

Ii omnes qui generatim de Mortificatione disseruerunt, nequaquam præteriere interiorem mortificationem, quæ præcipua est, & ad animi affectus pertinet.

PARA-

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, Bibliorumque applicationes ad hoc argumentum.

SUB te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Genes. 4.

Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Idem.

Dimisi eos secundum desideria cordis eorum. Psal. 80.

Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere; si enim præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Eccli 18.

Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Proverb. 16.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Matth. 16. & Luc. 9.

Inimici hominis domestici ejus. Mich. 7. & Matth. 10.

Intrate per angustam portam; quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem. Matth. 7.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis vestris. Ad Rom. 6.

Consepulti sumus cum Christo per Baptismum in mortem. Ibidem.

Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. Ad Rom. 7.

Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Ad Galat. 5.

Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Ibidem.

Radix omnium malorum est cupiditas. 1. ad Timoth. 6.

Impii quasi mare fervens. Isaiæ 57.

Veteris, Novique Testamenti Exempla.

Exemplú mortificationis affectuum omnium in S. Patriarcha Abraham.

SAnctus Paulus, qui tot laudibus celebrat fidem, ac spem Patris Fidelium, Abrahæ, æque poterat laudare, atque admirari ejusdem charitatem, ac perfectam affectuum mortificationem: quæ (ut de illa verba faciam, quæ affectus omnes complexa est) in obedientia, quam Deo præstitit, præsertim eluxit. Affectus omnes in Sancti hujus Patriarchæ animo vehementissimam tentationem conflarunt, ubi ille jussus fuit unigenitum Isaac, quem non sine quadam miraculi specie genuerat, ad aras mactare. Scriptura non reticuisset varios metus, doloris, tristitiæ, amoris, desiderii, tumultus, si in ejus animo affectus aliquis contra Dei mandatum insurrexisset; verum ille hoc imperium tanta omnium naturalium sensuum submissione excepit, quasi non ea in parte lacessitus esset, ubi dolor gravissimus erat. Quod vero maxime videtur mirum, illud est, quod cum Angelus ictum inhibuisset, atque pro Isaac aliam victimam subrogasset, generosum, ac fidele parentis amantissimi cor nihilo magis naturali lætitiæ sensu affectum fuit, quam ad cædis imperium doloris sensu fuerat perculsum.

Hujus mortificationis exémplum in Moyse.

Alterum nobis præbere potest exemplum Moyses, quandoquidem illum S. Ambr. l. de Cain & Abel hoc in argumento proponit, dicens eumdem de omnibus affectibus suis luculentam retulisse victoriam: *Etenim victor fuit omnium passionum.* Hanc ille quidem prætulit Pharaonis pertinaciam ferendo, atque obstinatissimi hujus Principis conversionem expectando. Cupiditas cor hujus numquam corrupit, addit ille: *nec ullis captus illecebris*; Et S. Paulus hoc asserit explicite, cum ait, Moysem sponte omnem vanitatem, omnesque aulæ divitias abdicasse, ita ut nec voluptas nec honor, nec opes, quæ tria sunt potissima affectuum humanorum objecta, illum umquam turbare, ejusque animum concutere valuerint. Per hanc sensuum mortificationem perfectam adeptus fuerat submissionem spiritus Deo, & carnis spiritui, atque hac ratione id fuerat assecutus, ut omnium hominum fieret mitissimus, humanissimus, patientissimus, atque suimetipsius dominator potentissimus: *Mitissimus hominum.* Num. 12.

Exemplú David.

Hic omittendum non est Davidis exemplum, hominis illius juxta Dei cor, sancti illius Regis, in quo uno plura nobis suppetunt iræ, ultionis, aliorumque affectuum, qui difficilius superari possunt, mortificationis exempla. Hæc autem tunc præsertim enituit, cum a Saule exagitatus, licet sæpius inimicum hunc haberet in potestate, ejusque interitu posset eam sibi comparare coronam, ad quam fuerat inunctus; non solum minime persecutus est injurias, quibus fuerat lacessitus; quod ira ipsi suasisset nisi perfecta mortificatione fuisset subacta: verum nihil intentatum reliquit, ut officiis crudelem, potentemque inimicum sibi deliniret, qui post toties sartam gratiam datam fidem perfregerat, in cujus manus si cecidisset, jure metuere debebat, ne confossus invidiæ ejusdem victima occumberet. Deinde Sanctus hic Rex, cum filius quidem suus Absalon ipsum persequeretur, proditor vero Semei maledictis obrueret; non solum, neque in filium parricidam, neque in rebellem subditum exarsit; sed fidelium Ducum suorum, qui nocentium morte læsæ majestatis crimen eluere meditabantur, iras compescuit. Alia ne hac insignior affectuum suorum victoria fingi potest?

Exempla Esther, & Judith.

His Sanctorum veteris testamenti exemplis, addi quoque possunt exempla duarum legis ejusdem illustrium Sanctarum, Esther videlicet, ac Judith. Quid excellentius mortificatione Esther, quæ dixit Deo: *Scis quod numquam lætata sit ancilla tua, nisi in te D:ne Abraham?* Esth. 14. Non hujus Aulæ fulgor, non hujus coronæ in capite meo nitentis decor, non deliciæ, non potentissimi Regis opes cor hoc afficere potuerunt, ut vel minimum quidem lætitiæ sensum perciperet: immo e contra hanc opulentiam, hanc voluptatum omnium affluentiam, vanitatem hanc semper sum aspernata. Nonne hoc perfectissimum est mortificationis exemplar?

Judithæ exemplum satis exploratum, compertumque omnibus est, quin diu eidem necesse sit immorari. Viduam florente juventa, omnibus naturæ, fortunæque bonis affluentem, omnibus vitæ hujus commodis vale dicere, meliores ætatis suæ annos in jejuniis, oratione, pœnitentia, ac cilicio traducere; nonne hoc est præclarum de affectibus suis retulisse triumphum ea in ætate, eoque in statu, ubi ardentiores, & ad vincendum, vel regendum difficiliores esse consueverunt?

Cætera mortificationis exempla, quæ ex Bibliis depromi possent, prætereo, alia quædam allaturus scelerum, ac malorum, quæ prædominans affectus parere consuevit, ubi nullis coerceatur habenis, atque impune grassari permittatur.

Exempla malorum, quæ in Saule prædominans effectus peperit.

Saul quidem antequam ad Regni apicem eveheretur, virtutibus persulgebat, quæ illi, & Dei gratiam, ac tantam dignitatem promeruere: at simulac passus est, invidiam quamdam adversus David in animum suum irrepere, quot ex hoc venenato fonte flagitia effluxerunt, quæ animum, ac mentem illius depravarunt? Statim suspiciosus factus fuit; laudes, quibus Davidis virtus celebrabatur, ipsi tristitiam peperere; diffidens omnes illius scrutatur actiones; censor id ipsum, quod omni sceleris suspicione vacat, in deteriorem partem detorquet; ingratus obliviscitur quam bene de ipso, totaque Republica adolescens ille nuper meritus fuerit; injustus, æquis nequit amplius oculis intueri eum, quem tamquam suæ gloriæ, atque auctoritatis æmulum intuetur; licet quam diligentissime David utrique provideat. Ignavus fit, atque timidus, mœrore affectus propter adolescentis hujus felicitatem, secretis obtrectationibus ejusdem fidem in suspicionem adducere studens; deceptor, ac dissimulator, non alia nisi illius perdendi init consilia; in crudelitatem usque prorumpit. Omnibus his peccatis addit perjurium; ac jus illud jurandum infringit, quo Jonathæ pollicitus fuerat, se nihil ultra contra David ausurum. Stuporem cient tot scelera in eo Principe, in quo olim tot virtutes elucebant; verum nil mirum; ubi affectus prædominans ea omnia, quæ committimus, scelera gignit, atque affectus reliquos usque deque miscet, ut sibi satisfaciat.

Jezabel exemplum cujus prædominans affectus erat regnandi cupiditas.

Jezabel erat Regina superba, & imperiosa; ambitio, ac regnandi libido eidem imperitabat: illinc ea profecta est plurimorum criminum cohors, quæ in sacra historia leguntur. Hæc in virum suum tumultus ciet; adversus eos, qui sibi audent resistere violenta; injusta erga Naboth, cujus conatur invadere hæreditatem; superba, ferox, contemptrix, pessimorum consiliorum artifex. Contra Naboth excitans indignationem Achab, quem suæ auctoritatis zelotypum efficit, eousque procedit, ut a columnia minime abstineat; hunc enim in judicium rapi jubet, quasi de Rege oblocutus esset, atque nomen Domini blasphemasset. Tot, tantisque sceleribus addit impietatem, atque irreligionem, contemnens monita Eliæ prophetæ a Deo missi, ut illam corripiat. Crudelis etiam eo usque, ut innocuum virum ultimo supplicio afficiendum curaverit, & persecuta fuerit Eliam prophetam, vera sibi quidem, sed tristia, atque ominosa portendentem. Hi fuerunt effectus ambitionis, atque superbiæ, quæ impiæ huic mulieri dominabatur.

Exemplũ superbi Amani.

Quin singula afferamus exempla, quæ ex Bibliorum penu in hoc Argumentum essent depromenda, Amani exemplum *Esth.* 3. satis persuadere potest, affectum aliquem, ubi dominatus fuerit nobis, in teterrima quævis flagitia impellere posse, & cæterorum esse delictorum originem. Aman, aulicus ille, cui ipse obsequi fortuna visa est, coram quo Regis jussu cives omnes genuflectere tenebantur, se infelicem putat eo quod homo quidam, qui contemptibilis erat in oculis ejus, hoc illi detrectabat obsequium. Odium, & ira eo usque in ejus corde accenduntur, ut jamjam ineat consilium perdendi Judæos omnes in Assueri imperio late diffusos, ut generali internecione unus ille involveretur. Tristitia, furor, desperatio illum dilaniarunt, afflixerunt, ita ut aperte fateri non dubitaverit, se licet tot bona possideret, ea omnia flocci facere, ac requiem invenire non posse, donec viderit Mardochæum præ Regiis foribus sedentem, ac sibi officium, quod tantopere cupiebat, detrectantem. Post hæc vero in quæ crimina, atque infortunia affectus ille prædominans hunc præcipitem minime dedit?

Exemplũ Salvatoris, voluntatẽ suam abnegantis.

Cum in JESU CHRISTO nihil esset incompositum, inconditumque, nihil in eo mortificandum extitisse videtur: attamen ipse quoque voluntatem suam quantumvis æquissimam, sanctissimamque, abnegavit, ac palam se in mundum venisse professus est, non ut suam, sed ut Patris sui voluntatem expleret, factus usque ad mortem, mortem autem Crucis, obediens. Similiter licet sanctissima essent illius naturalia studia, & ab æquitate minime dissidentia, qualis fuit vitæ, gloriæque suæ cura; utramque tamen & Patris sui gloriæ, & hominum saluti devovit. Affectibus suis permisit, ut non rebellarent quidem, sed ut ad eorum objectorum, quæ ipsis erant contraria, conspectum commoverentur, ut ea vis, qua illos expugnare est adnisus, eo usque, ut labor cruentum sudorem eliceret, nobis animos faceret, affectuumque oppugnandorum, expugnandorumque rationem doceret. Hoc utitur argumento Paulus Apostolus, nos ad fortiter pugnandum contra nostros affectus excitaturus. *Recogitate enim, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes, nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversum peccatum repugnantes*, Hebr. 12.

Exemplũ Apostolorum.

S. Petrus Apostolorum Princeps, & S. Joannes discipulus ille dilectus aliquam sane animi perturbationem præsetulerunt; primus quidem metus, alter iracundiæ; ille Magistrum suum negans ad ancillæ interrogatiunculam, hic indiscreto zelo petens, ut de Cœlo in urbem quandam infidelem ignis descenderet. Sed uterque, & reliqui etiam Apostoli, qui aliquam testati fuerunt imbecillitatem Dominicæ Passionis tempore; ubi Spiritus Sanctus in illos delapsus est, perfectæ omnium affectuum suorum mortificationis gratia donati sunt; atque de omnibus asserit Scriptura, quod quin metuerent, mœrore tabescerent, animum desponderent, ac spem abjicerent id, quod conabantur, assequendi, eas videntes persecutiones, quibus Ecclesiæ incunabula exagitabantur, ibant immo gaudentes, quoniam digni habiti erant pro nomine JESU contumeliam pati.

S. Paulus, aliique Sancti pluribus agitati fuerunt affectibus, quos ægre superarunt.

S. Paulus, vir ille prorsus divinus, vas electionis, & per antonomasiam Apostolus nonne dolet, nonne se miserabilem vocat, eo quod affectuum omnium turpissimo sit adhuc obnoxius? Nonne enixas ad Deum preces fundit, ut stimulus ille a se procul amoveretur? Ipse quidem se nihil precibus assecutum fatetur, nisi Dei gratiam, cujus ope eidem resisteret, certus alioquin quod virtus in infirmitate perficitur. Si ergo S. Paulus in altissimæ perfectionis statu affectuum perturbatione vacuus non fuit; quis putet, alium quemlibet, licet sanctus, licet perfectus vel sit, vel esse possit, iisdem vacuum esse, perfectamque affectuum mortificationem in eorum immunitate consistere, ita ut sibi nullum amplius negotium facessant?

Prædominans S. Pauli affectus erat iracundia; verum cum Dei filius de illo triumphavit, nequaquam ille abstulit fervens hoc temperamentum; sed illius objectum tantummodo immutavit, & quodammodo affectum eumdem consecravit ope gratiæ suæ, quæ persecutoris iram in zelum convertit Apostoli, pro Magistri sui gloria ferventis. Hoc ipsum dici de Magdalena potest, insigni illa peccatrice, sanctaque Evangelii pœnitente. Cum Dei filius in ejus corde regnare cœpit, numquid amorem inde expulit? Haud ita sane; sed illius objectum convertit. Non avulsit ille studium, quo ad amandum ferebatur; sed peccatorum ipsius principio gratiam insevit; & amor ille naturalis, & noxius, affectio illa perniciosa & profana in prorsus divinam charitatem fuit immutata. Ita gratia nostro ingenio, nostrisque se se aptat affectibus, ut illos sanctificet, atque in eum usum convertat, qui Dei ipsius consiliis obsequatur.

Admirabilis effectus prædominantis affectus in Juda.

Judas prædominantis avaritiæ affectu torquebatur, atque inde in mentis cæcitatem, ac tot scelera corruit. Quid illum de Apostolo Apostatam fecit, nisi hæc turpissima lucri cupiditas? Quis credidisset vitio adeo turpi Apostolum laborare potuisse, ac defectum hunc, qui initio statim non admodum metuendus videbatur, eo tandem fuisse evasurum? Verum sedulo perpendendi sunt progressus, per quos affectus ille in calamitosissimi hominis animum inolevit. Ex furtis exiguis majorum cupiditas sensim oborta est, sibi displicere simulavit Magdalenæ largitatem, quæ super Domini caput sua effudit unguenta. Ulterius procedit, eumque conscientiam suam prodidisset, Magistrum suum vendidit, eoque in statu cum reliquis Apostolis communicans, cæteris criminibus impiissimo sacrilegio cumulum addidit. Quæ scelerum catena in Apostolo in JESU CHRISTI schola innutrito, atque miraculorum ejus teste! Post hoc exemplum, si hujusmodi affectus dominatus fuerit in nobis, nonne teterrimum quemcumque finem expavescere debemus, nisi omni conatu eumdem maturato superare adnitamur? Non illud tantum nobis considerandum est, quid mali in præsens afferat; illud serio præcavendum, quod potest adferre, quod etiam fortasse jam attulit aliis, quibus minor, quam nobis erat, gratia, virtus, ac bona voluntas.

Quorumdam Scripturæ locorum ad hoc argumentum applicatio.

Affectus sunt venti, qui nos in hoc mundi pelago exagitant.

Imperavit ventis, & facta est tranquillitas magna. Matth. 8. Venti, in hujus Mundi fluctibus nos agitantes non alii sunt, nisi incompositi affectus, qui intra se digladiantes, vehementissimas in nobis cient tempestates. Hujusmodi sunt voluptas, avaritia, superbia, ambitio, invidia, & ultionis cupiditas. Ad illud autem naufragium, mortemque evitandam, quam nobis hæ minitantur procellæ, omnia in mare sunt projicienda, ne fluctibus navis submergatur. Nulla habenda ratio est auri, argenti, aliarumve opum, quibus est navis onusta; omnia relinquuntur, ut vita servetur. Visne inter procello-

cellosos hujus vitæ fluctus tuæ incolumitati studere? ad ventorum, tempestatumque vim infringendam ea omnia abs te projice, quæ earumdem sunt causa, & objectum; amorem videlicet divitiarum: cor tuum ab iis rebus divelle, quarum pondus, certissimum tibi minitatur interitum &c. Propterea quemadmodum venti agitant mare, atque vehementi flatu illius malaciam perturbant, ita affectuum nostrorum incompositi motus in cordibus nostris cient tempestates, ejusque tranquillitatem evertunt. Nunc ira procellas excitat, nunc superbiæ, ac vanitatis ventus perflat; nunc impatientia, invidia, libido susque deque omnia commiscent. Si vis, ergo, vel si nosti potius affectuum, atque appetituum tuorum ventis imperare, illos mortificans, rationique subjiciens, pace, atque admirabili tranquillitate frueris. *Imperavit ventis, & facta est tranquillitas magna.* Matth. 8. & Luc. 8.

Deus affectibus nostris cancellos præscripsit ultra quos egredi prohibentur.

Hucusque venies, & confringes tumentes fluctus tuos. Job. 38. Confer perturbationem affectuum procellis pelagi; dices aliquando, hoc elementum tempestatibus actum Cœlo minas intentare, terrasque submergere velle; attamen statim ac litus attigit, pedem sistit, atque ibi se se continere jubetur: *hucusque venies, & confringes tumentes fluctus tuos.* Mare præcepto huic, ut ita dicam, occurrens Dei digitis in littore scripto, obsequii & obedientiæ causa se se continet, atque recedit. Mihi videtur inter sensitivum appetitum, ubi vigent affectus, atque voluntatem, ubi rationalis residet appetitus, inveniri posse quoddam vallum, & quamdam littoris speciem alterum ab altero sejungens; Dominum vero JESUM inter utrumque medium consistere, videlicet inter voluntatem, atque affectus, ibique imperare: *Huc usque venies.* Hinc ille ad voluntatem loquitur: senties quidem hujus appetitus impetum; sed non progredieris: inde vero ad affectus: *Huc usque venies.* Intra primos motus vosmet continebitis, neque ultra ad voluntatem usque progredi audebitis. In hujus præcepti obedientia affectuum nostrorum victoria consistit.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Ad Rom. 6. Peccatum nonnumquam in nobis tantum pertransit, idque accidit, cum delinquimus, quin delicti habitus nobis inhæreat, vel cum peccatum non ex ea causa procedit, quæ sæpius illuc nos rapiat, quemadmodum præstare solet violentus animi affectus, qui, ubicumque se se obtulerit occasio, nos statim in scelus præcipites agit. Tunc nondum regnat peccatum, nondum suum exercet imperium, uti accidit, cum affectus alicujus impetu impellimur, rapimur, eique citra quamlibet resistentiam obsequimur. Igitur per allata verba non jubet Apostolus, affectus nostros omnino radicitus convelli; hi quippe naturæ nostræ insiti sunt; sed jubet a nobis nihil intentatum relinqui, ne illos nobis, & corporibus nostris per obedientiam dominari patiamur: *ut obediatis concupiscentiis vestris.* Ad Rom. 6.

Cæteros affectus mortificantes prædominanti parcimus.

Pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ovium;..quidquid vero vile fuit, & reprobum, hoc demoliti sunt. 1. Reg. c. 15. Præceperat Sauli Deus per Samuelem, ut Amalecitas funditus everteret, quin ulla sexus, ætatisve ratio haberetur; sed internecione ipsas etiam oves, atque cetera armenta deleret. Attamen Saul, populusque pepercit Agag, iisque omnibus, quæ in gregibus, atque manubiis optima erant, ac speciosissima; ea vero, quæ nullo habebantur in pretio igne, ferroque vastavit. Quamplures ita agunt; quibusdam in rebus nullius momenti se se mortificant; in iis vero, quæ cordi suo inhærent, sibi maxime indulgent, prædominantem affectum non attingentes. Hujusmodi autem homines moneo, iis in rebus, quæ magis pretiosa nobis sunt, & clariora, mortificationem esse adhibendam, atque inde acceptissimum Deo sacrificium offerendum. Quid autem Samuel? convenit Saulem, Dei verbis illum acriter arguit, ad se Regem Amalec adduci jubet, adductumque trucidat. Ecce quid vobis faciendum; Rex Amalecitarum jugulandus est; videlicet per mortificationem Deo est devovendus affectus ille, qui magis regnat in vobis, vanitas, ambitio, gloriæ, laudisque cupiditas, impatientia, ingenium illud ferox, atque intractabile, quod præpollet in vobis.

In eumdē prædominantem affectum.

Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac. Genes. 22. Quoties interior vox auribus cordis intonuit præceptum illud, quod Deus olim Abraham imposuit? Victimam, quam a te mactari sibi cupit, ille est dilectus appetitus, suavis ille filius, quem tanta cura cor tuum genuit, atque enutrivit. Alia quævis hostia non satis placet. Frustra conatus es eam gratiam effugere, quæ te persequebatur; semper vigilans; atque tuæ intenta saluti, quin recederet, numquam destitit quominus emeritam conscientiæ tuæ pacem turbaret. Si dixeris, te toto pectore adlaborasse, ut affectus tyranni vim, impetusque crebros repelleres; respondere potero, te multo majores conatus edidisse, ut validis gratiæ illecebris, quam toties abjecisti, neglexisti, oppugnasti, resisteres.

In idem argumentum.

Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum & votum faciens immolat debile Domino. Malach. 1. Illi divina imminet maledictio, Propheta ait, qui in gregibus suis habens, quod dignum offerat Deo; illud tamen, quod macie, senioque confectum est, eidem sacrificat. Nonne hoc ipsum præstat, qui Deo plures vitæ suæ actiones sacrificat, at sibi nihilominus peculiarem, ac dominantem affectum reservat, ac illi maxime parcit? Oblationes, aliaque sacrificia licet prodigus offeras; hæc Deo non placebunt donec eidem non immoles affectum, quem tantopere diligis. De oblationis pretio judicium laturus Deus, id respicit, quod adamas; cumque affectus hic tibi maxime arrideat, illius sacrificium Deo unice esse potest acceptum.

Semper præliandū est contra affectus.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi. 2. ad Timoth. 4. Innuit Apostolus se non contra externos tantum, verum etiam contra domesticos inimicos inivisse certamen. Affectibus nonnullis torquebatur, qui mortificandi erant, ut vincerentur, & continerentur in officio: quod cum ope divinæ gratiæ præstitisset, victoriam reportavit: *Bonum certamen certavi:* ecce prælium, primusque mortificationis effectus: *Certavi:* ecce affectuum clades, atque triumphus: *Cursum consummavi:* suum peregit cursum, arma tenens manibus occubuit, ejusque prælium cum vita finem invenit: Hoc est eximium exemplum, quo ad finem usque cum affectibus nostris bellum gerendum esse, docemur.

Baptismus nobis injicit necessitatem affectibus nostris moriendi.

Quicumque baptizati sumus in CHRISTO JESU in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Ad Roman. 6. Ex allatis S. Pauli verbis validum argumentum desumimus ad eam necessitatem probandam, qua tenemur; quatenus Christiani, affectus nostros mortificare; quia Baptismus imago est mortis, & sepulturæ CHRISTI JESU, qui ex eo tempore nobis præcepit, ut affectibus nostris, omnibusque carnis desideriis moreremur. Itaque hoc vitæ sacramentum, secundum Apostolum, mortis sacramentum est, atque simul, & incunabula, & sarcophacus; nobis enim & vitam, & gratiam tribuens, qua Christiani efficimur, vult nos in singula sensualis vitæ, corruptæque naturæ momenta mortem oppetere. Hoc ipsum etiam indigitatur iis ritibus, quibus in Baptismo renuntiare cogimur, cum enim teneamur Dæmoni, operibusque illius, mundo, ac pompis ejus renuntiare; nonne renuntiare quoque jubemus omnibus sensuum voluptatibus, omnibusque Mundi pompis, ac vanitatibus? Hæc autem nonne præclara est mortificationis exercitatio?

Affectus omnes Jesu Christi imperium detrectāt.

Nolumus hunc regnare super nos. Luc. 19. Hoc in quadam Evangelii parabola dixerunt seditiosi illi cives Principi, qui ad eos miserat nuntios, ut ab iisdem Rex haberetur; hoc ipsum Deo dicunt quotidie rebelles affectus. *Nolumus hunc regnare super nos;* Nolo JESUM CHRISTUM regnare super me, inquit ira; ejus leges lenitatem præcipiunt, quæ non placet: Illum Regem nolo, ait avaritia, illius Evangelium paupertatem suadet, quam perhorresco: illius jugum non patiar, inquit superbia; illud enim mihi humilitatis necessitatem injiceret, quæ me prorsus everteret. Ita singillatim affectus quilibet JESU CHRISTI legibus obtemperare detrectat.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum loci, atque sententiæ in hoc Argumento.

JUssisti Domine, & sic est, ut pœna sua sibi sit omnis animus inordinatus. August. l. 1. Confess. c. 11.

Victoria nostra intus est: quomodo vicit Christus, vincere appetat Christianus. Idem Serm. 44.

Te vince, & Mundus victus est. Idem Serm. 5.

Qui dominari nescit cupiditatibus, quasi equus raptatur indomitus, volvitur, obteritur, laniatur, affligitur. Ambros. l. 3. de Virginit.

Servilis est omnis passio. Idem l. 2. de Jacob & vita beata, c. 3.

Voluptatem vicisse voluptas est maxima, nec ulla major est victoria, quam ea quæ a cupiditatibus refertur; magna sane victoria, & nullo non sanguine & sudore emenda. Cyprian. 9.

Affectus & perturbationes, quamdiu in tabernaculo corporis hujus habitamus, & fragili carne circumdamur, moderari & regere possumus, amputare non possumus. Hieron. Epist. 8. quæ est Demetriad.

Leones subigimus, eorumque animos cicures reddimus; & dubitas, an passionum feritatem ad mansuetudinis felicitatem possis traducere? Chrysost. Serm. 2. in Genes.

Vere liber, & solus princeps, & rex regum ille est, qui passionibus immunis est. Idem, Homil. 59. in Matth.

Difficile est, quin potius impossibile, perturbationis initiis carere quempiam, quas Græci passiones vocant. Hieronym. Epist. 9. quæ est ad Salvinam viduam.

Sine vitiis nemo nascitur, optimus ille qui minimis urgetur. Idem, Ibidem.

Sane in hoc creatus es princeps, ut imperites affectibus, ut domineris bestiis, reptilibus, &c. Basilius, Homil. 11. in Hexam.

Quamvis navis gubernatori concessum non sit tranquillitatem mari pro arbitrio & voluntate imponere, nobis tamen integrum est vitam omni vacantem perturbatione constituere. Idem, orat. 21. de felic.

Nihil unicuique tam expetendum, quam ut animi pace fruatur, affectibusque imperet. Gregor. Nazianz. orat. de pace.

Unusquisque affectus ac perturbatio, cum prævalet ac dominatur, animi nostri tyrannis existit. Greg. Nyssen. in funere Pulcheriæ.

Merito Rex diceris, qui te recte regere noveris. Origenes.

Hoc est opus nostrum in hac vita, actiones carnis, passiones, spiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frænare. Climacus, Serm. 13. de Verb. Dom.

Mortificatione voluntatum vitia extirpantur & marcescunt universa. Cassian. l. 4. Instit. c. 43.

Credite mihi, vitia putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, sopita denuo excitantur. Bernard. Serm. 58. super Cant.

Hoc deberet esse negotium nostrum, vincere videlicet seipsum, & quotidie seipso fortiorem fieri. De Imit. Christi, l. 1. c. 3.

Si temetipsum perfecte viceris, cætera facilius subjugabis; perfecta victoria est de semetipso triumphare. Idem, l. 3. c. 58.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia in hoc Argumentum afferri possit.

Affectuum definitio. *PAssio est motus sensibilis potentiæ appetitivæ ob imaginationem boni, vel mali.* Ita affectum definit S. Joan. Damasc. apud D. Thom. 1. 2. *qu.* 2. *art.* 9. quæ definitio his verbis concepta, illorum vim intelligenti affectuum naturam plane demonstrat; nullum enim adest verbum, quod lucem non afferat. 1. Dicitur *motus*. Cum enim affectu aliquo perturbamur, in nobis experimur motum aliquem vel affectionis, quo bonum optamus, vel aversionis, quo malum effugimus, Affectus autem non aliud est quam hic animæ motus, quem ipsi sentimus. 2. Hic motus est *sensibilis*, semper enim parit mutationem aliquam, quæ extrinsecus etiam apparet, in facie nonnumquam per erubescentiam, atque pallorem, & in voce, quæ vel attollitur, vel contremiscit. Cumque semper sensibilis aliqua contingat mutatio, ita fit ut passiones potius quam actiones appellentur motus illi, qui easdem producunt. 3. Motus iste sensibilis est in *potentia appetitiva;* hoc est, affectus non est in animæ parte superiori, quam rationem, & voluntatem dicimus, sed in ea, quæ homini cum brutis est communis: hoc est in irascibili, atque concupiscibili appetitu.

Quomodo affectus appetitu excitentur. Philosophis intactam relinquimus provinciam explicandi fusius, quo pacto quilibet affectus excitetur, vel insurgat in anima; quænam sit causa physica, & proxima, & quæ per vitales spiritus impressio fiat. Id afferam tantum, quod Ethica docet; videlicet in animæ potentiis non deesse quasdam subordinationes; sensusque exteriores semper primos esse ad agendum: hos esse, qui bonum malumque sensibile detegunt, ac illud imaginationi repræsentant, huic inesse appetitum sensitivum, & simulac, vel etiam antequam intellectus præmoverit, ac ratio viderit, quid sit, sæpe contingere, ut appetitus ipse commoveatur: hunc prohibere non posse, quominus se invito passiones excitentur, neque integrum eidem esse, harum sedare motus, ubi fuerint commotæ: sed voluntati per JESU CHRISTI gratiam, potestatem adesse illis non assentiendi, immo illas oppugnandi, expugnandique; sed quoniam hæc sua potestate non semper utitur, neque illud, quod suppetit, auxilium adhibet, dicimus, quod reipsa contingit, eum, qui affectibus perturbatur libenter affectuum eorumdem subire jugum, ac pati se ab illis in miseram trahi captivitatem.

Quo in sensu Paulus concupiscentiam, & affectus vocet peccata. Cum S. Paulus passiones vocat peccata, non ait, illas vere peccata esse, nec quoad habitum, vel principium, neque quoad actum. Affectus habituales non sunt peccata, namque remanent post baptismum, post quem de fide est nihil in homine permanere, quod sit vere peccatum: actus similiter affectuum peccata non sunt; cum enim rationem, libertatemque pervertant, non sunt voluntarii. Quorsum igitur Apostolus passionibus nomen tribuit peccatorum? Duplici ex causa 1. quia sunt facilis, & idonea materia ad peccati nequitiam recipiendam. 2. quia sunt activa principia libertatem excitantia, ut motibus ipsorum indulgeat, eaque committat scelera, in quæ illam detrahunt.

Quandonam passiones incipiant fieri peccata. Quærunt Theologi quandonam affectus de illa, in qua erant, indifferentia egrediantur, & criminosi esse incipiant; atque respondent tunc accidere præsertim, cum ratio, quæ primæ eorum commotionis impetu quodammodo erat perturbata, & obscurata, ad se se redit, ac videre incipit, malum esse; & cum voluntas assentitur, licet hoc malum videat, atque intelligat; atque incompositum illum affectuum motum probat. Tunc quod antea primus duntaxat motus erat, incipit criminosum esse, incipiens esse voluntarium ob eum consensum, qui vel tacite, vel explicite præbetur.

Inter sensitivum appetitum ad peccatum sollicitantem, atque inter rationem, & voluntatem, ubi deliberatus consensus perficitur, naturalis quædam intercedit sympathia, atque propensio; eadem quippe anima per utramque facultatem operatur; ita ut appetitus numquam passionis indeliberatæ actum efformet, quin voluntas, & ratio ad actum similem eliciendum, ac appetitus motum sequendum sollicitentur. At difficile est, voluntatem resistere illecebris affectuum adeo proximorum; & moraliter est impossibile, animam, quæ duplici adeo opposita facultate operatur, violentam hanc divisionem perpessam, diutius incertam permanere, quin se vinci permittat, & voluntatis suffragio id malum probet, quod sine ipsa inchoavit.

Gratia naturalibus utitur affectibus & studiis ad supernaturales actiones producendas. Satis liquet, virtutes supernaturales esse effectus gratiæ, atque longe supra naturæ vires ac dispositiones positas esse, fatendum nihilominus est, hanc eamdem gratiam iis uti, quæ in nostra natura nanciscitur suis consiliis idonea; atque nostros ipsos affectus, & propensiones adhibere; eas etiam, quæ nos in scelus impulerant, ut inde nostrarum virtutum primordia, nostræque sanctitatis subsidia elaboret. Illa has attollit, eisque objecta, ac rationes supernaturales tribuit, ut mirabilem hanc mutationem operetur, ita ita utitur, ut zelum effingat; amorem adhibet, ut chari-

charitatem accendat; tristitiam ac dolorem affectuum omnium maxime infirmes, inutilesque ad pœnitentiam efformandam usurpat. Theologi quidam hanc affectuum immutationem, & hoc gratiæ secretum appellant artem gratiam naturæ, & virtutes vitiorum causis inserendi. Veluti cum sylvestri stipiti bona inseritur arbor; ex ea commixtione contingit, ut arbor bona malam corrigat, ac immutet; & gemmen insitum, & stirps simul commiscentes virtutes suas commune efficiant principium bonorum fructuum ex utroque prodeuntium. Ita gratia affectibus, naturalibusque studiis, quæ erant causa vitiorum, insita, noxiam eorum fœcunditatem corrigit, atque ad gignendos fructus gloria dignos extollit.

Nemo affectibus vacuus est. Constat liquido, neminem affectibus carere, appetitus enim sensitivus concupiscibilis, vel irascibilis in omnibus invenitur. Ipse hominum parens in felici Originalis justitiæ statu, in quo illum creaverat Omnipotens, affectibus vacuus non erat, quemadmodum S. Thomas testatur. Afficiebatur amore, & lætitia bonorum, quæ possidebat; eorum vero, quæ possessurus erat spe, atque cupiditate; sed utrumque sine labore, & cum perfecta rationi obedientia. Vacuus profecto fuit dolore, atque mæstitia, ceterisque affectibus, qui circa malum aliquod versantur; namque in eo felicitatis statu omni carebat malo; quod de posteris ejus dici non potest. At quemadmodum nemo affectibus caret, ita nemo est, cui non sint impugnandi affectus illi, a quibus in malum propellitur, nemo cui virtus sua exercenda non sit, & ad laborandum, ut alios quidem in bonum usum convertat, alios vero ad virtutem in dies magis inflammet.

Quid bonum, malumve in affectibus insit. In his appetitus motibus, quos affectus nuncupamus, distinguendum est quidquid boni illis inseruit natura, ab eo, quod mali deinceps addidit corruptio peccati. Illud autem boni invenitur, hoc est, quod si eosdem inspiciamus in semetipsis, nihil sunt aliud, quam naturales propensiones, quæ efficiunt, ut bonum quidem sectemur, malum vero fugiamus. Quod vero in illis malum existit, illud est, quod hæc peragunt præcipiti quodam tumultu, atque ut plurimum nituntur in vetitum, & in id quod homines nocentes efficere potest. Hinc autem adversus stoicos inferendum est, affectus nostros in se malos non esse, quippe Naturæ Auctor illos efformavit in nobis, eosque tradidit finibus æquissimis, atque sanctissimis: ita ut si quid resecandum est, illorum dumtaxat excessus rescindendus est, eorumque perturbatio, quam peperit culpa. Immo injuria tamquam noxii damnantur; quandoquidem illos in virtutes novit convertere voluntas nostra, ubi libitum fuerit, eos in officio continens, illorum perturbationem prohibens, eorumque excessum intra cancellos æquitatis compescens. Ipsa etiam gratia iisdem utitur, ut Christiano viro dignas, ac supernaturales actiones operetur.

Cum superior animæ pars, cujus interest regere, & coercere motus appetitivæ potentiæ, non moderatur, sed illuc sinit eos rapi, quo festinant, quin eorum excessus inhibeat, illos excitat, quin errores corrigat: illos immo suo consensu approbat, ac denique per ignaviam, aut improbitatem illis paret, non imperat: tunc affectus illi criminosi fiunt, nostræ quietis, atque æternæ felicitatis inimici. Sed cum ratio novit jus suum tueri, atque auctoritatem suam in hos motus, qui numquam, nisi ipsa permittente sunt mali; cum denique ita sibi subjicit appetitum, atque affectus, ut numquam noxie rebellent, nisi cum ipsa quoque rebellat, vel eorum fovet defectionem: tunc affectus ipsi virtutes fiunt, & motus eorum meriti occasiones evadunt.

In statu innocentiæ homo affectibus suis dominabatur. Nemo unus ignorat, a Deo primum hominem creatum fuisse cum perfecta libertate; atque huic quamdam supremæ auctoritatis speciem fuisse concessam, absolutumque dominium in omnes terrarum orbis creaturas, ac præsertim affectuum suorum ita constitutum fuisse Dominum, ut hi nonnisi ad ejus nutum agere possent, atque ad unguem ejusdem imperata facerent. At eheu quantula fuit hujus dominationis duratio! quam cito mortalis homo de hac possessione dejectus in calamitosissimam cecidir servitutem, eo quod per obedientiam se se Deo submittere noluerit, quæ res non nisi in maximam eidem cedere poterat auctoritatem! Et tunc in seipso affectuum suorum a ratione rebellantium tumultum expertus est, cum antea perfecte ejusdem parerent imperio. Ex tunc inter inferiorem, superioremque animæ partem juge illud occæpit prælium, quod semper deinde viguit; atque illud intestinum bellum, quod nullam umquam pertulit pacem, aut fœdus. Ita hominum parens de suæ auctoritatis gradu dejectus, amisso, quod in affectus suos obtinebat, imperio, in miseram captivitatem lapsus est, in qua sub jugo peccati, atque concupiscentiæ, quæ peccati originalis effectus est, sequela, omne humanum genus involvit. Verum quidem est, nos Salvatoris gratia de peccati servitute, dæmonisque captivitate evasisse; at perfectam libertatem, qua primus homo ante lapsum perfruebatur, assecuti non sumus, neque eamdem in affectus nostros auctoritatem obtinemus. Hi nobis licet invitis rebellant, eamque permisit Deus rebellionem, ut fieret nostræ virtutis exercitatio.

Utrum Salvator passiones habuerit. Quærunt Theologi utrum Salvator passionibus fuerit obnoxius, atque in se appetitus sensitivi motus, quos ceteri homines sentiunt, fuerit expertus. Quamquam hoc passionum nomen quibusdam Sanctorum Patrum insolens fuerit visum propter tumultum, atque perturbationem, quam in nobis cient, & mitiori vocabulo eas *propassiones* appellare maluerint; fatendum nihilominus est, illum, ubi naturam hominis induit, omnes etiam humanos sensus induisse, eumque fuisse obnoxium iis motibus naturalibus, quos passiones in reliquos nuncupamus. Hoc probat D. Thomas *part. 3. qu. 15. art. 4.* ea ratione, quod ille, quidquid hominis est proprium assumpsit. Aliquod tamen inter illius passiones, ac nostras discrimen intercedit. 1. Ex parte objecti, affectus nostri promiscue feruntur in bonum, & malum; & in JESU CHRISTO erga legitima tantum, ac sancta objecta rapiebantur. 2. Ex parte principii, affectus prævertunt, atque perturbant rationem, quæ eosdem regere deberet; at affectus Salvatoris naturalem hunc ordinem numquam perturbarunt, semper rationis lumen secuti. 3. Quatenus spectat ad passionum effectus, ex quibus torquemur, sæpe auferunt libertatem, eamque suis motibus obtemperare cogunt; & in filio Dei semper illius voluntati paruerunt, nec unquam nisi ad illius nutum aliquid conatæ sunt.

Libertas filiorum Dei est affectuum suorum imperium. Cum S. Paulus passim de libertate filiorum Dei verba faciat, Sancti Patres, atque Theologi mystici quærunt quanam in re illa consistat, & quid ejus nomine sit intelligendum? Atque ore uno respondent, non aliud esse, quam immunitatem ab affectuum captivitate, qui nos in quadam servitutis specie retinent, & quibus plerique cæcam serviunt servitutem. Hæc est illa libertas, quam parit in nobis Spiritus Sanctus, tamquam munerum, fructuumque suorum maximus: *Ubi Spiritus, ibi libertas*, 2. ad Cor. 3. neque dubitandi locus est, quominus per gratiam hunc felicitatis statum obtinere possimus. Licet enim ex Sancto Paulo dixerimus, nos obnoxios esse primis affectuum motibus, ex quo peccatum regnavit in omne genus humanum, attamen favente Deo tantum opis nacti sumus, ut nobis integrum sit, affectibus nostris dominari, atque per hoc frui felici libertate filiorum Dei, quæ in hoc posita est, ut illi rebus in omnibus pareamus, omnesque gratiæ motus sequamur.

De passione prædominante. Quidquid diximus, & deinceps dicturi sumus de affectibus generatim, peculiariter, immo potiori jure dici potest de passione, quam dominantem vocamus propter imperium, quod in nos, animumque nostrum adepta est; ita ut si juxta Sapientum quorumcumque consilium passiones aliæ post alias debellandæ sunt; ex illa initium ducendum est, nam ex ejus clade de reliquis omnibus victoria dependet; ac alias vincere, uni vero illi parcere, idem est ac arboris ramos, frondesque amputare, at intactum relinquere stipitem, radi-

radicesque, unde jugiter recentes rami, ac frondes germinabunt.

Præcipue vero illud notandum est, quod docent Theologi, Baptismum, licet nos originali culpa liberaverit, quæ causa est defectionis affectuum nostrorum, non tamen liberasse ab appetitus rebellione contra Deum, & contra rationem, neque a concupiscentia, quæ *peccati fomes* vocatur. Ex justo judicio, atque admirabili providentia voluit Deus, ut ajunt Theologi, defectionem hanc in nobis semper subsistere, ut videlicet superbia nostra puniretur, atque infringeretur, necnon ut imbecillitatis, atque indignitatis nostræ consideratio nobis coram eo humilitatis sensus infunderet. Hominem creans, eumdem honore, ac dignitate cumulaverat, eumque muneribus, & gratiis suis locupletaverat, quorum pretium cum numquam homo satis intellexisset, atque erga creatorem suum fuisset ingratus, iisdem privari meruit, ac similem fieri brutis animantibus, cum iisdem appetitibus, iisdemque propensionibus se se præbuisset obnoxium.

Affectus rationem turbant, & auferunt vim discernendi.

Hæc meridiana luce clarior veritas est, quæ Ethnicis ipsis effulsit, passiones, quæcumque illæ sint, rationis muneribus maxime afficere; atque passim obsistere, ne ea, qua par est, rerum discretione utatur in iis, quæ ad ipsam pertinent. Ubi fortes sunt, atque vehementes, illam quodammodo invitam trahunt; ubi vero lenes, eam illecebris fallunt. Nisi statim judicium subverterint, illud majori cum pernicie corrumpere, ac seducere admituntur; si cor ipsum non traxerint, eidem inspirant suavitatem quandam eo funestiorem, quod post lapsum in gravissima scelera illud sine ullo pœnitentiæ sensu relinquunt. Hoc ipsum Ethnicorum morum disciplina perspexit.

PARAGRAPHUS VI.

Loci ex Asceticis, neotericisque Contionatoribus ad hoc Argumentum delecti.

De affectuū mortificatione.

CUM Deus hominem rectum creasset, inquit Scriptura, nullus in eo defectus aderat, perturbatio nulla; obtemperabat rationi appetitus, & ratio Deo; singula ordinem servabant, at originale peccatum in totum hominem tumultum injecit, perturbans admirabilem illum consensum, eamque perfectam inferiorum facultatum superioribus subjectionem, quæ primum in illo inveniebatur. Nunc mortificationis est omnia in ordinem cogere, & quodammodo in originalis justitiæ felicitatem hominem revocare; ita ut dici queat, mortificationem esse originalis justitiæ supplementum; eaque omnia reparare mala, quæ in primo homine peccatum peperit, inferiores facultates superioribus, rationi appetitum, ac Deo rationem submittendo; atque efficere, ut ægre & cum labore id præstet, quod per justitiam originalem non solum citra laborem, verumetiam cum voluptate præstabat. Verum mortificatio Christiana in id potissimum debet incumbere, ut affectus subigat, eos vero potissimum, qui magis validi sunt, ac perniciosi; quemvis incompositum motum compescat; prohibeat ne rationis lumen, & voluntatis imperium prævertant; eos ad officium revocet, & sicubi erraverint, puniat eisdem illa denegans objecta, ad quorum intuitum extra cancellos eruperunt. Dici quoque potest, prælium contra affectus nostros primam, principiumque esse christianæ mortificationis exercitationem; sed opus esse, ut fervens, juge, & constans sit; fervens, ne difficultatibus deterreatur; juge, ne ullum præterire diem sinat, quin vacet eisdem; ita ut vera Christiani hominis nota ea debeat esse D. Pauli: *Quotidie morior*; denique constans, nam quousque spiritum ducemus semper in nobis domestici aderunt inimici, contra quos sit decertandum. Omnis devotio, quæ ad hunc scopum minime collimat, inanis est, ac illusio. *P. Nepveu in Spiritu Christianismi Tractatu octavo capite primo.*

Hæc affectuū mortificatio etiam atque etiam commendatur in Evangelio.

Affirmare possumus, in Evangelio nullius virtutis exercitationem magis a JESU CHRISTO commendatam fuisse, quam affectuum nostrorum mortificationem. Bona pars Evangelii eo tendit, ut hujus necessitatem intelligamus; ac nullam veritatem vel apertius, vel sæpius repetitam ibi reperies. Ibi Sermo non instituitur nisi de cruce, passione, morte, voluntatis abnegatione, odio sui ipsius, violentia, quam sibi quisque inferre debet, angusta via, per quam necessario ad vitam ingrediendum est... Dei filius modo ait, quicumque vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me; modo testatur, post Joannis Baptistæ prædicationem, hoc est, post enunciatam Evangelii doctrinam, Regnum cœlorum vim pati, ac a violentis tantummodo rapi; modo viam, quæ ducit ad vitam angustam esse monet, ac paucos illam obtinere; ideoque ut contendamus, hortatur, illuc ingressuri. Quid autem per hanc ferendæ crucis, sumer ipsius abnegandi, angustam viam ingrediendi, ac sibimet vim faciendi necessitatem vult Salvator innuere? nisi obligationem, qua tenemur naturalium affectuum nostrorum motus inhibere; cum enim ex corrupto fonte derivent, fere semper incompositi, perturbatique sint, ac juge bellum passionibus nostris indicere, iis vero præsertim, quæ magis vividæ sunt, ac perniciosæ, quoniam plerumque nos in vitium proripiunt. *Idem.*

Passionum mortificatio necessaria est, ne earum vi rapiamur.

Si mortificatio transactis morbis est pharmacum, est etiam futuris antidotum. Nos, quatenus Adæ filii cum originali peccato quamdam in bonum quidem repugnantiam, in malum vero proclivitatem hæreditario veluti jure obtinuimus. Hac autem in malum propensione minime rapi non possumus, neque illam in bonum renitentiam non sequi, quin juge bellum nobis affectibusque nostris inferamus. At hæc nonne est præcipua Christianæ mortificationis exercitatio? Omnes nati sumus superbi, ambitiosi, iracundi, ultionis cupidi, avari, libidinosi: hæc nostra natura est, quam prorsus abjicere debemus, si Christiani esse volumus; si ad salutem nostram toto pectore incumbere cupimus. Ad id autem nonne assidue nobis metipsis invigilare; nonne perenne bellum bellare, ideoque in assidua mortificationis exercitatione versari debemus? *Idem.*

Nisi maturato in hos rebelles auctoritatem acquiramus, nisi vix orti in officio contineantur, illis numquam dominabimur. Cum ætas diuturna, diuturnique habitus, ac licentia consuetudine roborata illis vires addiderint, tunc insolescent, præscriptionis jura jactabunt, defectionis suæ diuturnitatem tamquam jugem possessionem, atque veteris juris usum venditabunt, & quod initio erat mera tolerantia, postmodum fiet invicta necessitas. *Pater le Moine in Tractatu de Modestia.*

Quomodo ab effectibus torqueatur ille, qui eos sibi patitur dominari.

Isti domini inter se discrepant, nisi forte in hoc uno consentiant, ut videlicet mancipia sua torqueant, ac efficiant infeliciora. Nihil in hoc argumento rectius, & eloquentius dici potest, quam quod Venerabilis Petrus Abbas Cellensis ait: *Imperant ei vitia, non Domini, sed tyranni; imperant, sed sine misericordia; mandant, sed sine discretione; conregnant super uno, sed sine consensione.* Tyranni isti sæpe inter se bellum cient: exempli gratia, voluptatis affectus prodigalitatem exquirit, avaritia parcitatem, ambitio sollicite, atque summis laboribus, conatibusque ad honores contendi jubet, huic vitæ, & quietis amor adversatur. Tyranni isti, addit S. Augustinus, inter se de nostri cordis imperio decertant. *Certant in meipso, de meipso, cujus potissimum esse videar.* Nequaquam reor, S. Ambrosius inquit, criminosum hominem, quatuor equis in diversa raptatum torqueri magis, quam hæc mancipia, quorum præcordia affectuum adeo oppositorum dissensione laniantur. Ubi libidinis dæmon animæ nostræ fuerit dominatus, hanc omni turpitudini subjicit, quæ naturam ipsam dedecorat; cogit immensos erogare sumptus, ut impurissimis satisfaciat cupiditatibus; at statim dæmon avaritiæ præses excitatur, atque vicissim imperitare contendit; eamque cogit fanda, infandaque omnia subire, ut illatam reparare valeat jacturam; ita ut si peccator ex alicujus passionis carcere

cere evadit, in alterius vincula decidat. Dominum quidem commutat, non mutat captivitatem. *P. Novet in Meditationibus*.

Qui sæculi vitiis irretiti sunt, nonnisi per affectus suos, qui quidem mendacissima sunt specula, objecta intuentur. Hi vero illis varios colores appingunt, ac speciosis prætextibus contegunt. Ambitiosus se nihil agere nisi magnanimitatis, publicæ utilitatis causa arbitratur; avarus putat turpissimas sordes temperantiæ, & moderationis effectus; libidinosus in impurissimis stupris nihil injustum, & non necessarium nanciscitur; iracundus omnia ex justitia, & zelo se metiri fatetur; atque hoc pacto affectus alium rebus colorem tribuunt, prohibentque, ne quales vere sunt, videantur. *Desumptum ex libro, cui titulus Essais de Sermons*.

Affectus modum ignorant. Omnibus affectibus nostris hoc inest commune, quod in rebus omnibus modum, finemque non habent. Omnes nostri cordis motus circa determinata objecta versantur; affectus circa excessum duntaxat, eique proprium, atque essentiale est nullis cancellis contineri; at rationis est, sibimet fines perscribere, atque intra eosdem se continere. Aperi aliquando affectibus stadium, ne speres, futurum, ut illos compescas; desiderium hoc alterum fovet, ignis accenditur, furit, & late per omnia, quæ sibi occurrunt obvia, bacchatur. Numquid ergo extingui non potest? Haud ita profecto; sed temporis momento affectus in nos nimis validum usurpavit imperium, neque illis obtemperat, qui imperare non norunt. *Deprompium ex sermonibus P. Cheminais*.

Affectus nostri nos excæcant efficiuntque ut malum pro bono capiamus. Quantumvis plura lumina mortalibus effulgeant, ex quo non aliud, nisi affectuum suorum lumen persequuntur, periculum est, ne errent, & in singulos gressus labantur. Amor proprius, qui ubique comes adhæret, ubique dubios, fallacesque radios effundit, quorum ductu in singula momenta cespitamus, atque viarum errore decipimur. Modo secreta vanitate hallucinamur, atque via illa, quam ad magnum aliquid putamus adducere, in ridiculum nescio quid definit. Modo lucri cupiditas nobis aliquid sub eo reddit aspectu, quo illam intueri gaudemus, & injuriam facimus, cum eam nos pati arbitramur. Nonnumquam nos fervor rapit, & in eam præcipites agit calamitatem, quam modica patientia evitasset. Nonnumquam ambitio, quæ breviorem amplecti viam cupit, nos ad agendum impellit, antequam nosmet consuluerimus; eoque nos adducit, quo progredi nolebamus. *Sans tractatu de amicitia l. 2.*

Affectuum mortificatio ad animæ pacem assequendam est necessaria. Ethnici quoque Philosophi unanimi consensu testantur, sapientiam in quadam animæ tranquillitate consistere, qua perfruitur, qui sensibilem appetitum omnino compescuit. Tunc nullæ amplius sunt vehementes passiones, quæ incompositis motibus, atque intellectui ipsi tenebras offundentibus animæ pacem perturbant; passionum quippe hoc proprium est rationem excæcare, ac in nobis liberi arbitrii facultatem imminuere. Sed ubi affectus quiescunt, intellectus quidem potioribus gaudet luminibus, ut bonum cognoscat; voluntas vero, ut illud amplectatur, facultatem habet liberiorem. Hæc autem pax, & quies illud est, quod Deus in corde nostro requirit, ut ibi quiescat, ac super nos sapientiam suam, suaque munera effundat; sed ad pacem hanc assequendam, atque hoc tranquillitatis bono fruendum, unica via est, affectus nostros, incompositosque appetitus mortificare. Pax nonnisi bello obtinetur; nisi tecum habere vis bellum tuos affectus coercens, tuis desideriis obsistens, ac teipsum vincens; pacem hanc numquam assequeris, & nisi de te ipso victoriam retuleris, tibimet numquam dominaberis. *Rodriquez secunda parte tractatu de mortificatione, capite primo*.

Certissimæ veritatis loco habendum est, appetitus nostri perturbationem, atque concupiscentiam carnis nostræ, maximum esse nobis obicem non solum ut salutem assequamur, verum etiam ut in virtutum via progrediamur. Ita vulgo dici solet, carnem infensissimum nobis esse inimicum, inde enim omnes passiones, flagitia, lapsus proficiscuntur. *Unde bella, & lites in vobis?* S. Jacobus interrogat, *Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Impudicitia, concupiscentia, amoris proprii perturbatio sunt causa omnium bellorum, quæ intra nos cientur, peccatorumque omnium, & scelerum quæ patramus, ideoque maximus obex, quem in salutis, & perfectionis via invenire possimus; unde facile arguere possumus, in eo veram mortificationem consistere, si hanc affectuum perturbationem effugiamus, hoc est si in nobis prava studia, amorisque proprii tumultum coerceamus. *Idem*.

Affectuum mortificatio excellentior est mortificatione corporum per austeritatem. Duplex est abstinentiæ, crucis, mortificationis genus, ex D. Augustini sententia, alterum corporeum, alterum spirituale; alterum affligit corpus, ut jejunium, cilicium, sine molli strato recumbere; aliæque pœnæ, quæ carnem mortificant, eique sua auferunt commoda; quam nos mortificationem, vel exteriorem pœnitentiam vocamus: alterum vero sublimius est, majorisque pretii, & in eo positum, ut affectibus nostris imperitemus, severam in nos ipsos censuram exerceamus, jugiter pravis studiis, quibus rapimur, bellum inferamus, voluntatem nostram abnegemus, proprium judicium exuamus, iram infringamus, impatientiam, aliasque animi ægritudines coerceamus. Itaque ubi affectus nostros subegimus violenti Regnum Cœlorum rapimus: fortes, ac strenuos esse oportet, ut illud valida expugnatione capiamus. Hæc autem interioris mortificationis species longe excellentior est altera; magis enim meremur, spiritum subigentes, honorem, ac mundi existimationem flocci facientes, quam jejunio corpus atterentes, cilicio, aliisque austeritatum generibus illud castigantes. Ad hæc quemadmodum hæc eadem mortificatio nobilior est, ac majoris meriti, quam altera; longe etiam difficilior est, ac non solum majori labore comparanda; verum etiam cum longe majori gloria conjuncta. Hinc factum est, ut Joseph majorem coram Deo gloriam fuerit adeptus sibimet imperitans, & turpissimæ dominæ blandis illecebris resistens, quam mox cum toti Ægypto late dominatus est; & David insigniorem, ampliorem que victoriam reportaverit, cum de Saule ultionem capiendi oblata occasione uti noluit, quam cum Goliathi caput abscidit. *Idem*.

Passiones humani cordis, ventis mare perflantibus comparantur: non secus enim ac venti agitant mare, atque vehementi flatu ejus malaciam perturbant, ita affectus motibus suis, inordinatisque appetitibus cient in corde nostro procellas, ejusque subvertunt tranquillitatem. Modo ita ibi tempestatem ciet, modo ambitionis ventus perflat, modo furit impatientia, modo sævit invidia. Hinc propheta ait, impios esse veluti æstuosum pelagus quietis impatiens; verumtamen ubi venti sævire desierint, statim fluctibus redire malaciam. *Jesus imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna*. Si ergo nosti affectuum tuorum ventis imperitare, læta pace, & admirabili tranquillitate frueris. *Idem*.

Jugis eorum conflictio, qui parent affectibus, & pax eorum qui eos subegerunt. Cum Deus hanc nobis vitam elargitus est, hunc etiam laborem inflixit, ut affectus nostros impugnaremus; hoc animæ nostræ negotium est, hic præliorum nostrorum curriculus, hic victoriarum campus, ubi coronas tandem metere debemus. Qui affectus suos negligit mortificare, non solum Ethnicorum more vivit, sed etiam vitam vivit miserrimam, semper captivus, semper desideriorum suorum catenis vinctus, semper libidinis mancipium; cupit, & languet; sperat, & expectatione sua destituitur; lætatur, & pœnitet; boni millies concupiti possessionem sæpius incusat; quodcumque contendit, obices invenit, Cœlum, terramque detestatur: tædet ipsum sui, atque ab omnibus contemnitur. Hi proprie sunt crudeles illi tyranni, in quorum manibus se Ægyptum traditurum Deus minitatur. E contra quam admirabile, divinumque spectaculum est, animam intueri, quæ scit sibi moderari, vota sua regere, impetus suos cohibere, verbo, affectibus suis imperitare! Hæc vitam suavitatis, lætitiæ, gloriæque refertissimam ducit; intra se quidem gaudet tranquil-

quillitate conscientiæ suæ, quam nullus tumultus perturbat; extra vero suavissimum exemplorum suorum odorem effundit; hæc est Cœlum serenum, cui ne ulla quidem nubecula tenebras offundit; ubi ratio motus omnes æquissima regit constantia, & eo consensu, quem nihil umquam valet perturbare. *P. Caussinus in præfatione Tractatus de Affectibus.*

Quomodo affectus subigendi sint.

In hoc certamen ingrediendum est ardenti cum desiderio, constantique consilio salutis suæ negotium suscipiendi, atque factum Josue imitandi; hoc est, neque clypeum, neque ensem abjiciendi, nisi rebelles affectus, qui nobis bellum indixere, victi, subactique sint, & quodammodo arbitrio victoris dediti. Inde virtutis nostræ progressus retardatur, quod non satis strenue hoc bellum suscipimus; altera tantum manu decertamus, in hostes non toto nisu, viribusque ruimus, immo illos omnino expugnare nolumus; si enim aliquando obfirmato animo arma susciperemus, atque ad hanc comparandam victoriam excitaremur, divina opitulante gratia, quæ indigentibus numquam deesse poterit, illam assequeremur. Ubi hoc sit consilii captum, te ipsum cognosce, perpende quinam affectus majus in te obtineat imperium, quandonam inceperit, quousque processerit, quam in corde tuo potestatem fuerit assecutus, quanam re irritetur, quanam sedetur, atque leniatur, unde vires acquirat, quæ res illum foveat, atque confirmet: hoc enim sapientes omnes intellexere, affectum illum, qui prior in animum nostrum irrepit, eumdem postremum omnium inde egredi, atque præ ceteris majus nobis toto vitæ spatio negotium facessere. *Idem.*

Si homo mentis suæ tantum lumina, rationemque ducem sequeretur: næ tot præceptorum ambagibus Philosophia, & Religio indigerent, ut eumdem a naturalium affectuum, & cordis concupiscentiæ sequella distraherent; at jam diu mens facta est cordis ludibrium; secretæ passionum illecebræ in naturalium rationis luminum locum successerunt; & tunc mens judicat, cum cor illi & sensu, & voce præiverit. Plerique non amamus res eo quod veras credamus; sed ideo veras putamus, quia illas diligimus. Quod ingenio nostro conforme est, jam non abhorret a ratione; quod placet, æquissimum est; quod oblectat, justum est; & quovis sibi in rationis locum affectionem subrogante, quod placet in corde, obtinet veritatis gradum in mente. Itaque Concionator, atque Orator ad mentem per cor iter instituat, oportet; utque rationem evincat, necesse est, antea affectum sibi conciliet. *Abbas de Bretevill. lib. 4. de Ecclesiastica, & forensi Eloquentia.*

Affectus detegunt quidquid latet in corde.

Vulgo inquiunt, cor hominis esse abyssum, cujus latebras nemini penetrare licuit; esse pelagus, cujus ima pars nequit attingi; quamdam esse recentis mundi partem adhuc detegendam; verum enimvero quantumvis tectum, abditumque sit, illud in apricum proferet affectus; hic illius penitiores latebras, & secreta aperit consilia, & serius ocyus extrinsecus prodit, quidquid intus tanta calliditate celatur. Oculi, frons, vultus denique totus, actiones cordis ipsius sermo quidem tacitus est: ibi omnes tamquam in speculo affectuum imagines exhibentur, quæ diligentius inspiciendæ sunt, ut liquido cognoscantur. *Idem.*

Næ ille quidem male cor humanum intelligit, qui illud affectibus carere contendit: ideo animæ affectus datus est, ut eamdem sursum ad Cœlum attollat; & illi affectus adimere, idem est, ac alas, quibus regitur, ac sustinetur, abscindere. Stoici illi, qui virtutem in sensuum stupore collocandam putabant, ipsi quoque sævissimis patebant affectuum suorum imperiis; quorum aliquem si jugulare adnitebantur, illud suæ mactare gestiebant ambitioni, quæ potissimum in ipsis dominabatur. Si vanitas eos palam fulciebat, secreta cordis flagitia illos clanculum torquebant, eaque ambitiosa negligentia, quam coram hominibus affectabant, multi laboribus comparabatur. Homini passiones auferre idem est, ac illi auferre animam, & cor. Christiana igitur Religio relinquit affectus homini, quos non potest adimere, quin eumdem destruat; sed eum docet, quomodo illos vincere debeat, regere, & moderari. Gratia nonnumquam naturale sequitur studium, sed illud sanctificat; se se nostris propensionibus aptat, illis quidem auferendo, quidquid pravum inest, relinquendo vero, quidquid ibi boni nanciscitur. Universa Christianæ Moralis ars in eo sita est, ut affectibus verax objectum tribuatur, quo prohibeantur, ne fallacibus se se dedant objectis, quæ illos perturbent, atque corrumpant; quæ si adhibita fuerit, nulla passio inveniri poterit, quæ nequeat ad virtutem traduci. *Idem.*

Gratia sanctificat affectus eorum objectum immutans.

Nulla passio inveniri potest, quam gratia in virtutem nequeat convertere; hæc amori aufert cæcitatem, eique purum, & spirituale tribuens objectum, illum in virtutum omnium nobilissimam mutat; timori adimit tumultum, qui eidem comes esse consuevit, eumque facile in prudentiam convertit: spei inquietudinem confirmat, & sensim in eam virtutem traducit, quæ confidentia appellatur. Per hanc ira fit justitia; audacia fortitudo; invidia in æmulationem, zelotypia in zelum, ac tristitia in omnium voluptatum hujus mundi contemptum immutatur. Immo ipsa etiam desperatio quantumvis furibunda sit, ex illa bonum ingens haurire novit gratia, efficiens, ut coacta necessitas in voluntariam virtutem convertatur, atque vires, animusque in ipsa infirmitate, ac desperatione inveniatur. Et profecto plures fortasse reperies, qui desperationi potius, quam spei felicitatem suam acceptam referre teneantur. Tanta est gratiæ in corda, & affectus nostros potestas, ut quemadmodum ipsi libuerit, eosdem invertat. *Idem.*

Si affectuum perturbatio cum absoluta potestate conjungitur, eheu quam arduum est illos regere, ac moderari! Jure illos Scriptura comparat aquis summa cum pernicitate fluentibus. Privatorum desideria rivuli sunt sensim, ac sine ullo rumore labentes, quorum lapsus facile cohibetur, & qui non officit, nisi ad summum alicui arbusto, vel floribus, qui nimis prope litus nascuntur; sed Principum desideria torrentes sunt, quorum impetum aggeres, vallaque sustinere non possunt, & qui quo magis fluunt, eo magis intumescunt. Talis est Principum conditio, seu quo magnis acti cupiditatibus vehementius afficiuntur, seu quod nullum invenientes obicem, majori vi eisdem se mancipant, seu quod plerumque perniciosis eorum, quibus stipati sunt, consiliis excitantur. Tu, Deus, cum cor suum in manibus tuis constituerint, eos unice regere potes, eisque illa immittere studia, ac motus, quos illis tribuere tua providentia decrevit. *Flechier in S. Ludovici Panegyrico.*

In ipsa etiam solitudine, & secessu ab affectibus salvi non sumus.

Etiamsi solitudo ab iis affectibus, atque habitibus, qui passim in Mundo regnant, hominem tueatur, huic tamen ipsi neque de virtute sua præsumendum est, neque suæ integritati fidendum. Passiones ubique locorum adolescunt; natura ubicumque invenitur; & licet procul ab occasionibus absis, numquam tamen extra periculi aleam versaris, dum tecum es. At ubi affectus humani sub prætextu religionis agunt, quot mala non pariunt, in iis etiam ipsis, qui pietatem profitentur? Omnia sibi contra proximum licere, omnia sibi fas esse arbitrantur. Et fallacis quadam justitiæ specie omnia in judicium capiuntur, omnia promiscue damnantur; suspiciones citra religionem aliquam subeunt, pietatis nomine sumitur ultio; innocentia ipsa sub rectæ intentionis colore exagitatur; peccator simulata correctione exacerbatur, & non magis severitas sancta, quam crudelis censoria nota exercetur; nihilque non aggrediuntur, ubi nihil sibi licere non putent. Numquid fingi potest status infelicior, quam titulo viri boni improbum esse, & efficere, ut personati affectus ipsaque crimina sub dubia quadam zeli specie, quam præseferunt, pro virtutibus habeantur? *Idem, partim in S. Benedicti, partim in Conversionis S. Pauli Panegyrico.*

Putant vulgo satis esse peccata delere; at ne minimam quidem navant operam, ut affectus, quibus in vitium rapimur, mortificent. Credunt exempli gratia satis esse, aliena bona minime possidere, neque vi-

videat immodicum bonorum appetitum minime culpa vacare. Censent satis esse de inimicis ultionem minime sumpsisse; at motus illi, qui ultionis cupiditatem cient, minime cohibent. Existimant satis esse in adulterium, vel aliud quodpiam infame scelus, non cecidisse, & nemo fere confitetur licentiam parum honestam, quam sibi arrogat, nemo molles, tenerosque affectus redarguit, qui viam flagitiis aperiunt. Ita fortasse vestra fert sententia, o Fideles, ideoque in vobismetipsis ardentes affectus fovetis, at vestra vos fallit opinio. Exuite *veterem hominem*, inquit Apostolus, *& induite novum hominem*. Quinam autem sunt habitus exuendi, quænam veteris hominis opera? Hæc profecto non peccata tantum sunt, verum etiam affectus qui peccatis viam adstruunt, teste Augustino. His induti estis, his estis exuendi. Ne satis esse putetis, si opprobria, inhonestaque verba procul absint a labiis vestris; frænum ori vestro immittite, atque eum auferte, qui viget in vobis, non satis apte, extra modum, locumque loquendi cachoetem. *Jarry Tomo* 1. *suarum adhortationum pro Dominica infra Nativitatis Octavam*.

Affectus peccatorum origines sunt mortificandi.

Affectus a S. Augustino peccatorum fontes vocantur; inde enim quemadmodum aquæ ex fonte, omnia scelera emanant. Ita quemadmodum laterem lavaret, qui fluviolum exhaurire vellet, quin ad ejus fontem ascenderet; sic etiam necquicquam fatigaretur, si quis peccatorum ausum inhibere vellet, quin affectus ipsos, illa gignentes compesceret. Interim nisi peccatorum cursus prohibeatur, quomodonam huic torrenti gratia obluctabitur? Ex hoc fluviolo quamtumvis aquarum hauris, recentes semper affluent: cur? Quia fontem ipsum non exhauxisti, neque fluenta aliò divertere conatus es: ita, S. Augustinus ait, licet consilium ineas omnia abdicandi flagitia, atque in virtutibus proficiendi, numquam hoc tibi cedet ex voto, nisi affectus ipsos subegeris, non ut eorum fontes penitus exhaurias, quod fieri minime potest, sed ut pauperiores fiant, vel ut aliò detorqueantur. *Idem*.

Eo quod radicitus affectus nostros convellere non studemus, quoties in detestata scelera incidimus! Quot illi sunt, qui se sanctissimam vivere velle vitam professi, & qui diu juxta Christianæ Religionis præcepta viventes, ac ab gravioribus illis sceleribus, in quæ tot alii pessum ruunt, se se abstinentes, denique ad vomitum rediere, atque post conversionem multo, quam ante, facti sunt deteriores? Quorsum autem ista calamitas? inde profecto, quod mali fons exploratus non fuit, quod prædominans affectus neglectus est, quod illius mortificandi nulla fuit cura suscepta, quod opera non fuit adhibita, ut intra cancellos suos coerceretur, atque legibus Evangelii submitteretur... Occultus affectus in penitiori corde latebat; mali fons neque alio conversus, neque exsiccatus erat; ideo in scelera rursus relapsi sunt. Ita scis funesta doctus experientia, te sæpius in eadem flagitia relabi. Numquid illa confessus non es? Numquid eorum veniam a Deo non petiisti? Numquid non ex toto corde illa detestatus es? Verumtamen licet hæc omnia feceris, iterum relaberis, ac in singulos dies eadem peccata committis. Quare? Ne aliam causam inquiras; id unum perpende, utrum satis diligentem operam navasti, ut affectus tuos mortificares; & fatere, id si præstitisses, te tot scelerum originem penitus fuisse exsiccaturum. Sed affectus tui qui exiguo cinere tecti erant, ubi primum se se illis obtulit objectum, excitati flammam corripuere; & causa semper eadem remanens, eosdem semper pariet effectus. *Idem*.

Passiones nequiores sunt salutis nostræ inimici.

Ex omnibus salutis nostræ inimicis nemo est magis metuendus, & propter quem gratiæ jacturam pati possimus, quam nostri affectus. Scis omnes inimicos nostros tres, non plures esse: Mundum, Dæmonem, & carnem; quorum nemo nobis officere potest, nisi opem, ac suppetias ferentibus effectibus nostris. Verum quidem est, Mundum nobis suum exhibere luxum, pompas, opes, voluptates, honores; quæ totidem sunt blandientia objecta, quæ objicit oculis nostris, ac totidem laqueos, quos animæ struit; at verum quoque est, nisi in ejus partes affectus nostri concesserint, nunquam futurum, ut tot fictis illecebris, totque lenociniis nos Mundus decipiat.

Hoc ipsum de dæmone dictum puta; phantasiam quidem turbare potest, aliquot animæ nostræ aditus occupare, humores nostros ciere, commovere; at nostrum extorquere consensum nisi affectus ipsi illi ferant opem, non potest. Demum si caro ullam in nos obtinet potestatem, ideo nos perdere potest, quoniam passiones vividiores sunt, atque ardentiores; nam sine passionibus nihil nobis potest officere; hæ quippe illi suppeditant arma nequitiæ, & injustitiæ; hæ illam rebellem efficiunt rationi, & gratiæ; hæ in causa sunt, ut in membris nostris sentiamus legem legi mentis nostræ repugnantem. *Idem*.

Ratio servandi gratiam in cordibus nostris est mortificare affectus nostros.

Ex omnium, quæ effluxerunt, sæculorum decursu da mihi hominem, qui in gratia perseveraverit, atque vel tantillum in virtute profecerit sine affectuum suorum mortificatione. Unum dumtaxat memora, qui alia quapiam ratione officiis suis semper fidelis extiterit. Scio equidem, alias rationes minime deesse; at ceterarum ne una quidem sine hac aliquid potest conferre. Preces, quoad libuerit, effunde; austeritatibus corpus castiga, nisi affectuum accesserit mortificatio, reliqua omnia erunt inania. Exteriores etiam, quæcumque adhibeantur mortificationes, ne minimum quidem proderunt, S. Bernardus inquit, si spiritus mortificatio defuerit.... Quidquid boni egeris, id quidem coram Deo ingentis meriti loco esse potest; sed affectus, quorum vi te perturbari finis, omnem fructum auferent. Hæc omnia bona opera, omnes hæ mortificationes externæ sunt velut corpus sine anima, neque spiritum, neque sanctitatem habent, sine affectuum nostrorum sacrificio. *Idem*.

Complures suis confidunt eleemosynis, precibus, jejuniis, & aliquando Deo dicent, quod olim Judæi apud Isaiam c. 58. *quare jejunavimus, & non aspexisti; humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Sed illis reddet, quod olim Judæis ipsis Deus: Jejunastis quidem, vosmet humiliastis, effudistis preces, erogastis eleemosynas; sed vestra voluntas semper in actionibus vestris eluxit, numquam affectus vestros mortificastis; non ideo minus in vobis metipsis, ac fictitiis virtutibus vestris confidistis. Quemnam affectum mortificastis? Quanam in re ferox illud, ac imperiosum ingenium, quod semper in vobis emicuit, coercuistis? Numquid minori cura quæstus cupiditati satisfecistis, & commoda vestra quæsivistis? Quanam ratione usi estis, ut oblivione eam deleretis injuriam, quæ *radix est amaritudinis*, de qua loquitur Apostolus, & quæ perfecit, ut inimicis vestris tantum robur accederet? Pro zelo religionis id accepistis, quod invidiæ, atque simultatis effectus est; & in omnibus actionibus vestris, vosmet semper quæsivistis. *Idem*.

Omni nisu contendendum ut vincantur affectus, si salus optatur.

Maximam, potissimamque excusationem, quam afferunt homines contra hanc affectuum suorum subigendorum necessitatem, hæc est, quod arduum, & ut ajunt, impossibile sibi videtur, naturam mutari. Respondeo tamen, licet omnes occurrant difficultates, hoc tamen esse præstandum; nam opus nostræ salutis, ac perseverantiæ in gratia ab affectuum nostrorum victoria dependet. Facile, vel difficile factu sit, faciendum tamen est: nostra interest ea præstare, quæ possumus; petere, quæ minime possumus. Post tot annorum spatium, quo affectus tui tibi dominantur, quem exeruisti conatum, qua ratione usus es, ut iisdem obsisteres? Post annos viginti, vel etiam triginta numquid vel minime quempiam defectum castigasti? Ubi efficax voluntas adsit, omnia tandem consequimur: & sicubi insuperabilis difficultas occurret, tibi quoque, ut olim S. Paulo dicet Deus: *Sufficit tibi gratia mea*, 2. *ad Corinth*. 12. id cave, ne in vacuum illam recipias. *Idem*.

Affe-

Affectibus simul omnibus bellum inferre, magnum quidem est; sed illos singillatim in singulare certamen accersere, ac unum post alium debellare, non ita difficile videri potest. Ingens flamma uno ictu nequit extingui, S. Gregorius ait; sed prunæ semet invicem accendentes, ubi in eamdem massam collectæ sunt, possunt semoveri, semotæque facili negotio extinguuntur. Affectus tui magnum constituunt ignem, quem si uno flatu cupis extinguere, quanto labore opus est! at illos sejunge, alios ab aliis divide, omnesque summa cum facilitate superabis. *Idem.*

Affectus in rectum usum adhibendi. Cor hominis maris est instar; illud quoque abyssus habet, scopulos, flexus, sinus, immobilitatem, tempestates, malaciam; affectibus, tamquam ventis turbatur, & agitatur. Verum quemadmodum scitus nauta omnibus ventis uti novit; discamus nos quoque affectibus uti, & quomodo illos convertere valeamus, ut virtutibus famulentur. Si eos delere non licet; adnitendum est, ut eosdem regamus, sanctificemus, eisque honestum, licitumque objectum præbeamus. Ambitionem subigere nequimus, ventum sane perniciosum superbiæ nostræ lintea perflantem, ratemque nostram in scopulos detrudentem? eadem utamur ad gloriam spe, ac expectatione nostra toto cœlo majorem indipiscendam. Avaritiam superare non possumus? hanc usurpemus, ad thesauros nobismet in Cœlo comparandos, ubi *nec ærugo, neque tinea demolitur*. Voluptatis cupiditas dominatur in nobis? eamdem transferemus ad ineffabiles eas voluptates promerendas, quas *præparavit Deus diligentibus se* .... Hæc maxima utilitas est, quam ex affectibus nostris haurire possumus, de quibus conqueri jure non licet, quandoquidem illos ad nostræ salutis opus non parum conferre posse conspicimus: bipalmaris quippe error est eorum, qui putant in eo virtutem positam, ut simus omnino ab affectibus vacui: JESU CHRISTI gratia eos regit, non extinguit; sanctificat, non evertit. *Abbas de Monmorel Homilia in Evangelium Dominica quarta post Epiphaniam.*

Non satis humanum cor est illi exploratum, qui illius ignorat calamitatem, ubi affectuum suorum patitur servitutem. Illud lætitia dissipat, prosternit dolor, disrumpit invidia, excitat æmulatio; extra, illud spes rapit, efficitque, ut ea quæ cum summo labore sunt conjuncta, amplectatur; intra, illud cogit
I. metus, & eo torquet gravius, quo interius. Ita homo fit dignior miseratione, quam invidia; licet felix sibi arrideat fortuna, omnium est humanarum passionum ludibrium. *Idem.*

Affectus, qui a nobis essent debellandi aluntur, atque foventur. Potissimum hominis Christiani munus est, affectibus suis vim inferre; verum hoc ipsum quam negligenter explemus! Quin enim omnes nervos intendamus ad eos superandos, sæpius in id unum contendimus, ut eosdem foveamus, iisque velificemur. Illorum ideæ passim revocantur, eorum memoria perplacet; adnitimur, ut objecta, quæ ab oculis absunt, semper ante imaginationem versentur, ut acrius animus afficiatur. Verum profecto est nonnumquam vel per naturalem ingenii inconstantiam, vel pro vario ætatum discrimine, objecta, immo & affectus etiam mutari; sed hoc etiam verum est, aliis alios statim succedere, ac fere numquam omnes simul Domino in holocaustum offerri. *Idem Homil. in 9. Dominicam post Pentecosten.*

Ubinam avarum invenies, qui minime putet, quod sibimet, aliisque omnia negare, prudentiæ sit, & œconomiæ rationabilis actio? Ubi sycophantam reperies, qui minime credat, quod imponere, fallere, decipere, ad sapientiam, politicamque facultatem, sit referendum? Quem iracundum videbis, qui in sanos furores suos a fortitudine, atque justitia nequaquam abhorrere arbitretur? Quem ultorem, qui æquitatem quamdam, vel necessitatem in ultionibus suis non agnoscat? Quem impurum, qui in illis, quas alienæ pudicitiæ struit, insidiis affabilitatem, urbanitatemque non deprehendat? Quem denique incomptum, rusticumque, qui moribus suis severitatem inesse non putet? Adde his, neminem in alienis vitiis oculatiorem, in propriis vero magis cæcutientem esse, quam qui affectuum perturbatione torquetur; in horum moderatione negligentiam, in illorum fervore furorem deprehendet; at nullam in se dignoscet ægritudinem, ita ut qui majoribus agitatur affectuum æstibus, is se alte quiescere opinetur. *Auctor Anonymus.*

Quacumque armata manu viam sibi sternere, copias in aciem instruere, omnem hostium conatum prævertere, oppida oppugnare, urbes capere via est, qua ambitio ad gloriam traducit Heroas: sed affectibus suis jura dare, cavere, ne umquam ab illis decipiaris, atque vincaris, seditionem, quam cient, dissipare, eosque obedientiam, quam rationi debent, docere: via est, quam nobis indigitat fides, ut primum domesticorum inimicorum victoriam, mox vero immarcessibilem gloriam assequamur. Quam decet Principes, ac Imperatores in id unum quidem contendere, ut hostes suos sibi subjiciant, ut vero affectus suos subigant ne minimum quidem laborare! *Actions Chretiennes Tom. 4.*

Numquamne eam florere pacem videbimus, quam omnes homines cupiunt, jugibusque precibus poscunt? Debemus, Fideles, quantum in nobis est, pro virili contendere, ut eam statuamus, ac nihil intentatum relinquere, ut nobis vitio verti non possit, nisi efflorerit. At qua arte opus est, ut acquiratur, vel foveatur? Morbi ipsius radix petenda est. Si nulli nobis inessent affectus; pax inter nos late regnaret, mutuo diligeremur. At nimis vehementes in nobis passiones dominantur, nec desunt in illis, quibuscum vivimus; non æque sane in omnibus ferventes, sed illis nemo penitus caret. Cupiditas nisi nobiscum non moritur; immo nonnisi in Sanctis moritur. Ratio igitur pacis tuendæ cum illis, cum quibus versamur, non est, affectus nostros convellere, & alienos comprimere; hoc enim fieri nullo modo potest; sed illos in nobis quidem subigere, & coercere, in aliis vero pati. *P. Masson 9. Serm. Advent.* Ratio pacis nobiscum, & cum aliis statuendæ est affectus suos coercere.

Affectus nostros intueri debemus tamquam obices paci tam nobiscum, quam cum proximis nostris: ita ut si habenas illis remiserimus, nulla sit amplius futura pax; nullus consensus, nulla tranquillitas in familiis, Urbibus, Rebus publicis: tunc nonnisi error, & perturbatio, ac bella existent: econtra vero, si eosdem in nobismetipsis moderati fuerimus, nihil extra perturbationis erit. Quid hac apertius veritate? Si singuli incompositos affectus suos intus frænare conarentur, numquid ulla in familiis, ac societatibus perturbatio videretur? Ad examen, amabo vos, harum dissensionum originem revocemus. Omnia susque, deque commixta sunt in Republica; juge bellum adversus externos hostes gerendum, vires exhaurit, Provinciis solitudinem infert, quamplurimos aperto marte trucidat. Omnes dolent, & conqueruntur, pax concupiscitur, invocatur, exposcitur; & nihilominus pax ipsa recedit, ac bellum magis, magisque exardescit. Hic quidem status est miserrimus; verum undenam hæ calamitates, tumultus, dissidia proficiscuntur; nisi ab ambitione, invidia, ultione, aliove simili incomposito affectu, late omnia commiscente, ac perturbante? *Idem.* Ejusdem argumenti, continuatio.

Num aliquid adfero, fideles, quotidiana experientia non satis probatum? Perpendite, si lubet, turbas omnes, quæ post mundum conditum evenere, has quidem ex secreta quadam, vel manifesta passione ortum duxisse innotescat, quæ domita minime fuit; omniaque hæc mala sensuum, mentis, & cordis non mortificatis affectibus accepta referenda esse invenietis. Vultis ne mecum omne tempus, omnesque locos percurrere? Scriptura, cujus singula verba totidem sunt oracula, uberem late campum suppeditat. Ingrediamur spiritu in eum locum, unde JESUS CHRISTUS ait, se vidisse Sathanam, lucis Angelum ea pernicitate descendere, qua fulgur micat, & evanescit. Mirum! In Cœlo, ubi Deus pacis imperat, *Factum est prælium Magnum.* Apoc. 12. Voluisset quidem hic Spiritus improbitatis, Deum supre- Turbæ, quas inordinatus parit affectus.

supremam potestatem amittere; sed ille gloriæ suæ pondere oppressus fuit. Quis autem ignorat prælium illud ex inordinato regnandi appetitu profectum? Oculos conjicite in paradisum voluptatis, de quo Spiritus Sanctus verba facit in Genesi. Hominum parens se allici sinit promissione, qua Deo se futurum similem sperabat; atque Dei ipsius detrectatunis imperium, eo vescitur fructu, quem ne attingeret, sibi a Domino fuerat interdictum. In hoc scelere, quod ex inordinato affectu profectum est, semen extitit divisionum omnium, quæ deinceps terram universam late sunt depopulatæ. Nunc quoque homines ultro citroque sibi inferunt bella; non enim internos hostes, affectus videlicet suos superare conantur. Mundus semper theatrum est, ubi crudeles exhibentur tragediæ, quæ plerumque sanguinis effusione complentur; sed quibus Argumentum semper aliqua affectuum perturbatio suppeditat. *Idem.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Nisi terrarum orbis perpetua pace perfruitur, si nullus inter homines consensus invenitur iis succensere debemus, qui affectus suos renuunt mortificare. Atquinam affectus coercendi sunt, ut pro virili consensionem, ac pacem comparemus? Omnes quidem sunt frænandi, verum istic illi memorari possunt, qui ad animos sejungendos videntur aptiores. Cupiditas se se ad altiorem gradum evehendi mihi quidem satis turbulenta videtur. Altera, nihilominus crudelis ptiore, ex qua originem ducit, & quam improbitate antecellit, est invidia. Vide Cain intra seipsum violenta hac passione agitatum; perturbat ille primæ, quæ in mundo extiterit, familiæ tranquillitatem, & primus humano cruore terram imbuit. Multa quidem singulorum affectuum exempla possem afferre; sed quæso, illa sufficiant, quæ ante cætera animo occurrant. Eheu quam seditiosus est amor impurus! Nullus in terris unquam tumultus extitit, ubi hic perniciosus affectus meliorem, potioremque partem non jactet. Liquet, quot dissensiones in civitatibus, domibusque, atque inter amicos ex venenato hoc fonte procedant. *Idem.*

Impii, & peccatores neque sunt impii, neque peccatores, nisi quod sibi noxium quempiam affectum imperitare patiuntur. Alios quidem superbia Dei inimicos constituit, eosque contra providentiæ decreta jugiter extollit: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*. Psalm. 73. Alios avaritia ad opes congerendas, quibus suum cor penitus abdunt, sollicitat: *Ubi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit*. Matth. 6. Multi se trahi sinunt voluptatum cupiditate, qua ita capiuntur, ut undequaque sibi recentes voluptates exquirant. Omnes vero certum adeo iniere consilium inordinatis cupiditatibus suis satisfaciendi, ut quicumque eorum conatibus fuerit adversatus, jamjam inter inimicos censeatur, & plerumque parati sint, ut de hoc acerrimam ultionem deposcant. *Idem.*

Quomodo affectus queant sanctificari.

Cum affectibus tuis id fac, quod callidus nauta cum ventis. 1. Quoad potest, se se defendit, atque ut eorum impetum frangat, nihil intentatum relinquit, seu vela coercens, seu anchoras jaciens. Demitte superbiæ tuæ carbasa; aliquid solidum amplectere adhærens Deo ardenti fide, ac forti spe, quam S. Gregorius *anchoram salutis* appellat. Ita venti, ac procellæ affectuum nihil in te virium obtinebunt, sed inconcussus permanebis. 2. Si nauta ventos superare nequit, illis saltem uti conatur; atque obliqua eis vela pandit, eosque in latus excipit, dummodo ad itineris sui finem aliqua ratione perveniat. Admirabile Christianæ Religionis arcanum, quo docemur ipsis etiam affectibus uti, ad animæ salutem assequendam! Si affectus tuos nequis subigere, eos tamen sanctificare potes, ac illis uti, ut ad Cœlum contendas. Nequis exempli gratia ambitionem, quæ in corde tuo regnat, subigere? hac utere, ut temet ad æternæ beatitudinis possessionem accendas. Avaritiam tibi imperitantem expellere non vales; hac utere ad æternitatis thesauros acquirendos, & sic de aliis. Ne dixeris ergo affectus tuos interitus causas esse, immo felicitatis origines essent, si iisdem uti scires. *Desumptum ex libro cui titulus: Essais de Sermons pro 4. post Epiphaniam Dominica.*

Omnes ferme affectus suos veluti duces sequuntur.

Affectuum imperium passim in orbe viget, plerique enim homines illis obtemperant, atque in moribus, negotiisque suis eos dumtaxat duces sequuntur. Tres tantum sunt faces, quarum fulgor in tenebris nobis eluceat. Ratio, fides, & affectus; Ratio quidem ut homines, fides, ut Christianos, affectus secundum eam facultatem nos regit, quæ naturæ brutorum est particeps. Pauci profecto sunt, qui rationis lumen sequantur, ejusque consilium, ubi consulto opus est amplectentur: qui vero juxta fidei præcepta, ac ad Evangelii lucernam se se componant, longe sunt pauciores; reliqui igitur, videlicet omnes fere mortales affectuum motus sectantur, & mendax illorum lumen sequuntur. Equidem scio in hac agendi ratione turpitudinem non deesse, & neminem facile, se ita vitam ducere pecorum ritu, fateri; verum si conscientiæ illorum penitiores scrutemur latebras, innotescit, quidquid agunt, ex hoc fonte emanare. Vides navim ingentem super maris æquor tuto incedentem, spumantes fluctus arantem, atque de tempestatibus triumphum referentem? Attamen hæc immensi operis moles gubernaculo, exigua videlicet tabula, quæ omnis fere latet, dirigitur. Non sine stupore, atque admiratione ea intuemur negotia, quæ in Judicum subselliis, Regum penetralibus, populorum cœtibus transiguntur. Tot maximarum actionum initium scrutemur, ac inveniemus hæc omnia occulto quodam affectu regi, animari, moveri; ac tot consiliorum veram causam, & originem vel immodicæ ambitioni vel furenti iracundiæ, vel inordinatæ cupiditati esse referendam. Neque mirum esse debet, si hoc passionum imperium tam late patet, ac tantum est; homines, saltem plerique nihil conantur, quod earum impetum valeat infringere, nunquam divinæ gratiæ opem deposcunt &c. *Biroat 9. Sermone Adven.*

Qui aliquo affectu perturbatus est, Christianas veritates intelligere nequit.

Ut divinæ leges, veritatesque Christianæ aliquem in corda nostra impetum faciant, rationi temporis aliquod intervallum relinquendum est, ut perpendere possit eorum, quæ facienda sunt, rationes, ac utilitatem. At quomodonam animus tot ægritudinibus perturbatus his cognitionibus adverti potest? Profecto speculum fixum, atque immobile sit oportet, ut ea, quæ sibi objiciuntur, exhibeat: donec mare tranquillum quiescit, in hoc pacato elemento cœli, ac sydera conspiciuntur; verum ubi procellis æstuat, fluctuum agitatio illas perturbat imagines, quæ singulis momentis perfractæ objecta illa nonnisi confuse possint repræsentare. Quid est cor impii? est mare venris, ac tempestatibus actum, inquit Scriptura: *Impii quasi mare fervens*. Isaiæ 57. Cœlum, ac cœlestes veritates inter affectus confusæ inspiciuntur. Quomodonam mens adeo turbata Dei voluntatem, uti par est, cognoscere poterit; quomodo leges ejus audiet? quomodo ea, quæ ibi præcipiuntur, explebit? *Idem in sermone pro feria quinta post quartam Quadragesimæ Dominicam.*

Quodcumque doceat Philosophia, ratio una non sufficit ad rebelles affectus rationi eidem subjiciendos; quippe in corrupta natura vitia quidem nostra nimis roborata sunt, libertas vero nimis est infirma, quam ut de illis perfectam victoriam valeat reportare. Scio equidem, Philosophos olim id sibi tamquam peculiare munus vindicasse, ut virtutibus suis affectus perfecte subigerent, eo usque, ut quidam ausi fint affirmare, sapientem omni penitus affectionum perturbatione vacare. At in ficta hac illorum victoria cum S. Augustino, atque Theologis duplex discrimen invenio; alterum est, illos affectus suos in speciem tantummodo, atque extrinsecus domuisse; moderationem quidem oris habitu præseferebant, sed in corde iram, ultionemque fovebant. Alterum vero; licet etiam affectibus suis fuissent moderati, tamen alio affectu domuisse, metu iram, amorem avaritia, ceterasque passiones vanitate, & inanis sapientiæ affectatione expulisse. Una tantum Christianæ Religionis morum disciplina his caret defectibus; illa una est, quæ divini ver-

hi verbi gladio affectus ipsos in penitioribus usque cordis latibulis persequatur, eos ad radices obtruncet: hæc enim omnes generatim virtutes regit ea ratione, quæ omnes animi propensiones, omnesque naturæ motus exsuperat; verum ad id opus est, ut rationi gratia opituletur. *Idem.*

Quomodo affectus in salutis nostræ instrumenta sint convertendi,

Oportet affectus nostros obedire Deo, qui eisdem leges irrogavit; nonne enim amori professus est, se illius objectum esse velle? Sin autem cor patiatur, ut amor alteri cuipiam præter Deum adhæreat, non ne reus est? jubet ille, odium adversus peccata exerceri, hæc persequi, hæc perhorrescere, hæc tamquam perniciosissimos scopulos evitare; jubet tristitiæ objectum esse jacturam gratiæ, mœrendum esse ob eam calamitatem, qua propter scelus humanum cor afficitur, atque divini objecti longinquitatem unicam causam esse mœroris. Ita singulis affectibus suum munus distribuit, ut, si illi nobis perniciem afferre possunt, intelligamus tamen non inutiles esse. Verum quomodonam iisdem utimur? nonne naturalibus, sensibilibusque rebus illos applicamus? Nonne illos impendimus, ut nostras voluptates, utilitatesque diligamus, ut proximum nostrum odio persequamur, ut ob naturalis cujusdam boni jacturam lugeamus, atque ad excessum usque ab illis rapiamur? Hoc non est affectus subigere, sed potius fovere, ac noxios facere: cum enim Deus necessariam nobis elargiatur gratiam, ut immodicum affectuum nostrorum æstum castigemus, vel eorum vim inhibeamus; eadem uti tenemur, ne in extremam infelicitatem proruamus. *Idem.*

Affectus tantam habent cum virtutibus affinitatem, ut si parvo labore excolantur, in virtutes possint commutari. Metus prudentiæ famulatur; sapientes fere sunt timidi, ac verentur, ne quidquam sibi cedat e sententia. Audacia naturalis est fortitudo. Virtus non minus naturæ, quam Moralis opus est; & si corporis temperies nihilum confert, ut quis animo sit forti, quælibet Philosophorum præcepta numquam evincent, ut gloriosam mortem inquirat. Ira quamdam habet cum justitia similitudinem & nisi modum sequitur, acceptas injurias persequens, ideo non sequitur, quod cæca est; & amor sui, quo regitur, efficit, ut cancellos erumpat. Tristitia, & dolor mirum in modum pœnitentiæ suffragantur, suasque commiscent lacrymas, ut eadem peccata deleant, & peccatoris conversio naturæ simul, & gratiæ opus est. Misericordia semper laudibus est digna, & miseratio alienæ infelicitatis, qua cor nostrum afficit, adeo justa est, ut ne a barbaris quidem damnari possit. Indignatio, quam ob bonorum quidem miseriam, improborum vero felicitatem experimur, naturalis est æquitas, quæ nullum adeo rigidum censorem adhuc est nacta, a quo notaretur. Verecundia, quæ ad bonorum, errorumve nostrorum intuitum nos rubore suffundit, tantam habet cum modestia rationem, ut vix sejungendæ videantur. Quid ergo facilius esse potest, quam affectus in virtutes convertere, cum inter utrosque tantum similitudinis intercedat, ut sæpius alii pro aliis mutuo desumi consueverint? *P. Senault in Homine criminoso.*

Ob peccatum affectus a ratione defecerunt, cui ut iterum subjiciantur multum laboris perquisitur.

Donec per innocentiam ratio in homine imperitabat, pacati erant affectus, omnesque motus eorum ordinati; ira nihil injustum patrabat; omnes ejus sententiæ cum æquitate erant conjunctæ, & injuriarum magnitudo semper erat norma supplicii. Odium peccata tantummodo persequebatur; amor virtuti adhærebat, singulis affectibus bonum publicum conflaso pene, & unanimi consensu faventibus. Ast postquam mortalis originalis justitiæ jacturam subiit; affectus ejus rationis imperium detrectarunt, & amissa ea reverentia, quam Deo debebat, amisit quoque auctoritatem, quam obtinebat prohibiturus, ne illi rebelles subditi deficerent ..... Exinde affectus peccati partibus adhæsere, nec umquam ita spiritui paruerunt, ut defectionem minime spectarent. Rationi tunc solum obediunt, cum placentia imperat, atque ut illa his uti possit, vel minis deterrere, vel promissionibus tenetur allicere; illique occasiones potius, quam subsidia ad virtutem exercendam esse videntur. Illis esca proponenda est, ut subjiciantur; eorumque natura quodammodo est immutanda, ut illorum impetus vel coerceatur, vel infringatur. *Idem.*

Argumenti ejusdem continuatio.

Primi affectuum nostrorum motus in nostra potestate non sunt, & licet omnes industriæ nervos intendamus, ut illos ad officium redigamus, semper citra nostrum nutum insurgunt. Subditi sunt, quibus ingenita est deficiendi libido; feræ sunt, quæ numquam mansuescere possunt; infideles milites, qui sæpius pro vitio, quam pro virtute decertant. Sancti se beatos putant, ubi post tot exantlatos labores aliquem sibi ex domesticis hostibus vincere contigit; eorum vita non est satis diuturna, ut omnes penitus subigant, cumque illos se perdomuisse arbitrantur, intelligunt, ipsis ex accepta etiam clade, atque infirmitate vires accedere. Adhæc nullus est in homine affectus, qui virtutes aliquas non aggrediatur, ac sæpius omnes conjurant, ut illas expugnent. .... Qui etiam ex illis meliores sunt eo in statu, in quem a peccatis redacti fuere, fere semper inordinati sunt; qui magis innocui putantur, semper vel parum, vel multum sunt criminosi, & qui cum virtutibus confunduntur, aliquam semper habent cum vitiis affinitatem. Nisi eos gratia reformaverit, plerique motus illorum violenti sunt, & licet multum sibi promittat morum disciplina, discit experientia, numquam fidendum esse feris, quæ cicures esse videntur. *Idem.*

Videmus quotidie illos, qui voluptatibus sese manciparunt, jugiter torqueri, ac laborare, commodum suum, atque gaudendi occasionem quærentes: quid enim intentatum relinquunt, ut voluptatibus perfruantur? Sin autem præterea ambitiosi sint, vel avari, quod in semet certamen non sentiunt in affectuum adeo oppositorum conflictu, quorum alter alteri concedat oportet, licet utrisque satisfacere cupiant; quoties in discrimen adducenda erit existimatio? quot erogandi sumptus? quot locupletandi occasiones erunt contemnendæ? Quamdiu ergo celeriter adeo in inanissimam hanc voluptatem feruntur, putatis ne, ipsos nullo dolore torqueri quod honorem, lucrumque deserere coguntur, quorum affectu non minus tenentur, quam eo voluptatum desiderio, cui cetera litare jubentur? Hoc igitur pacto hujus viæ viri, quod obiter dictum sit, cum minime possint futuram præstolari vitam, ut sint calamitosi, in præsenti infernum inchoant, & ex affectibus, ac vitiis suis tot sibi Dœmones, ac furias parant, quibus jugiter torqueantur. *P. Haineuve prima parte de ordine Sermone* 18.

Quæ sit eorum lætitia, qui affectus suos subegerunt.

Quo gaudio, qua consolatione perfrueris, ubi affectus tuos subegeris, viceris, eisque dominatus fueris? Hi præclaram quidem triumphi tui pompam augebunt. Qui antea profanus, & nefarius erat amor, fiet sanctus, atque divinus objecto immutato, & propensio illa, quæ te in res creatas rapit, creatorem versus te attollet. Quod impetus erat, & furor, zelus erit; nulla umquam zelotypia, nisi pro Domini gloria laborabis; nullus tibi metus incedet, nisi ut illi displiceas; nullus tibi erit dolor, nisi eidem displicuisse; nullum desiderium, nisi illius colendi, ac gratiæ ipsius diligenter tuendæ, ut te dignum præbeas, qui æternam possideas gloriam, quam ille præparat iis, qui strenue confixerint, suosque affectus debellarint. *Joly Tom. 1. suarum adhortationum eo sermone, qui est in hoc argumentum.*

Quantumvis incompositi sint affectus, & peccatum illos ad eum statum redegerit, ubi plerumque nocentiores sunt, quam innocentes; nihilominus ratio, opem ferente gratia illis egregie uti potest, atque audeo dicere, neminem esse adeo contemptibilem, ut in eximiam virtutem nequeat converti. Illis adimi potest, quidquid ex corrupta natura accepere, eaque reddi tranquillitas, qua in innocentiæ statu gaudebant. Nulla se se offert occasio, ubi illis bellum inferri, ac inde referri victoria non possit; & dummodo illos subigere calleas, facili negotio una cum ipsis

omnia

omnia quoque vitia superabis. Quamobrem citra dubitationem affirmari potest, omnem Christianam morum disciplinam in hoc esse positam, ut affectibus tuis recte uti scias. *P. Senault in Præfatione libri, cui titulus, Passionum usus.*

Affectus omnes, si bene instituantur, virtutibus prosunt.

Affectus omnes, ubi quis eos recte moderetur, virtuti prodesse plurimum possunt, & veteres illi Philosophi, qui tantopere in eosdem invecti sunt, satis prodiderunt, sibi eorum usum, ac meritum numquam fuisse exploratum; etenim ne unum quidem ex eorum numero invenire licet, qui non secus ac spes si bene regatur, ad præclara, ac difficilia facinora excitare non possit. Audacia, si ratio adsit, milites invictos efficit; & affectus, qui præ ceteris insolentiores videntur, rationi possunt inservire. Itaque illos toto vitæ spatio non exercere idem est, ac inertia relinquere instrumenta, quæ nobis ad præclarum aliquid aggrediendum suppeditant. Ipsa quoque virtus esset iners, si nullos quos superaret, regeretque affectus haberet; cujus qui munera præcipua velit perpendere, hæc ad nostrum affectuum regimen pertinere reperiet. Fortitudo metui perdomando vacat, & hæc virtus ab agendo cessaret, nisi homo metueret. Modestia efficit, ut desideria, ac spem nostram metiamur; & si nullæ ambitiosæ cupiditates existerent, nulli in rerum prosperitate modesti invenirentur. Temperantia, & continentia voluptates coercent, & nisi natura omnibus vitæ nostræ actionibus aliquid voluptatis immiscuisset; utraque hæc virtus inutilis esset. Clementia iram mulcet; at nisi Principes hoc affectu ad vindictam deposcendam raperentur, virtus, quæ eamdem moderatur, nullam profecto laudem mereretur; *Idem sermone primo.*

Veram sanctitatem adipisci non possumus, nisi nobismetipsis vim intulerimus; sanctitas vero nonnisi juxta gradus vis, quam nobismet facimus, adolescit. Ad Deum enim ire opus est per viam illi prorsus oppositam, quæ nos inde divellit; at nihil magis nos illinc divellit, quam propensio naturalis cordis depravati. Hæc illa sancta vis est, quæ nos ab iis, quæ displicent Deo, sejungit, ut id amplectamur, quod placet eidem; hæc est felix captivitas, in qua consistit libertas filiorum Dei; hæc recta est via, quæ ducit ad vitam; hæc, ut verbo me expediam, est abnegatio sui ipsius, quæ omnes animæ sordes eluit, tum eas, quæ ex se habet, tum quas ex aliorum consuetudine contrahit. Has affectus undequaque congerunt, non secus ac fluvii colluviem omnem in pelagum ferunt; & necesse est, ut anima nostra non secus ac mare quidquid impurum continent, suo motu projiciat. *Pater Dozenne in Morali Jesu Christi sermone in hoc argumentum.*

Non est cur ob affectus doleamus; illis enim uti cum quæstu possumus.

Ne tantum doleas ob affectuum tuorum importunitatem, quin immo gaude, cum ex iisdem exiguo conatu summam valeas utilitatem percipere. S. Paulus, qui & ipse de illis conquerebatur, in iisdem nihilominus gloriabatur: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis*. 1. ad Corinth. 12. Virtus quæ exercetur in prælio, pulchriorem expetit coronam, quam quæ exercetur in pace; ibi fortis esse potes, quin temeritatis tibi nota inuratur. Memento in affectibus tuis non deesse occasionem merendi, quam Angeli non habuere: sed licet utilius esset nullo affectu perturbari, quandoquidem eisdem obnoxius es, adnitere, ut illos in tuam utilitatem convertas: insurgunt in te, illis adversare; tibi dominari conantur, illis dominare; tibi bellum cient, cave ne ab illis vincaris; hostes quippe sunt, quibus ex pravis habitibus tuis facta est virium accessio; summa ope adnitendum est, ut deleantur; jugiter tibi dolos, ac insidias struunt, cave ne illis recentes vires adjicias. *Idem.*

Affirmare, affectus esse naturalia vitia, a Deo animabus nostris insita, blasphemia est; nos immo, contra Dei jussum, in vitia convertimus qualitates, quæ nobis sunt propriæ, & quæ nobis inditæ sunt, ut eas ad virtutis exercitationem traducamus. Exempli gratia natura in nobis iræ motus impressit, ut illis contra veros inimicos salutis nostræ uteremur; nos vero iisdem abutimur in fratres nostros, pro quibus ac pro nobis idem nos sentire jubemur; illa nobis æmulationem infudit, ut alienas virtutes imitaremur, nos vero eamdem ad illorum imitanda flagitia usurpamus, illa in nobis gloriæ cupiditatem inseruit, at cœlestis gloriæ, non terrenæ &c. *Idem.*

Ezechiel Propheta quadrigam intuitus est, quæ mysticis quatuor animantibus vehebatur, quorum primum faciem hominis, alterum leonis, tertium aquilæ, quartum bovis referebant. Hæc visio, ex S. Dionysii sententia, imago est Filii Dei solium suum in corde Christiano constituentis: at reor significari quoque posse auctoritatem, quam anima in affectus suos debet obtinere; super molles affectus, qui hominis specie exhibentur, ut ille Deum unum amet, eique affectionem omnem devoveat; super feroces affectus, quos leonis aspectus indigitat, ut ira in nos tantum exardeat, & ex iis, quæ patravimus scelera, ultionem deposcat; in generosos affectus, qui aquilæ facie exprimuntur, ut indesinenter ea, quæ sunt sublimiora, petantur, atque voluptas omnis in iis, quæ sunt difficiliora, constituatur, in terrenos affectus, qui bovis imagine explicantur, ut appetituum propensioni numquam indulgeatur. *Auctor Christianarum actionum Tom.* 4.

Numquam ad rationis, ac multo minus fidei normam vitam instituetis, donec affectus vestros sequemini. Affectus sensuum ductu regitur, sequitur imaginationem, opinione rapitur. Affectus rationem prævertit, omnibus ejus luminibus tenebras offundit, virtuti adversatur, dogmata refellit, eamque in partes suas pellicere novit, ut quemadmodum ipse, & illa quoque suis motibus pareat. Si fides, quæ ratio est supernaturalis atque divina, nobis opem tulerit, ut vitam Christiano, hoc est fideli, & homini justo dignam vivamus; affectus contra fidem insurgit, atque opinione, imaginatione, ac sensu roboratus fidei veritates imminuit: *Diminutæ sunt veritates à filiis hominum*: Psalm. 11. Illis ecclipsim quamdam inducit, ut ultra non videantur. Denique affectus, si adhæseris illi, efficiet, ut fidei facias jacturam: *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à fide*. Hoc est S. Pauli Apostoli *ad Timoth.* 6. Oraculum. *Auctor Anonymus.*

Qui affectus suos sequitur non vivit secundum rationem & minus adhuc secundum fidem.

Brutorum vita tota est secundum appetitum; tota in alicujus boni perquisitione, quod sensus alliciat, & in oppositi mali fuga consistit. Omnes eorum passiones illa rapiunt in utramque. Amorem habent, desiderium, metum, gaudium, mœrorem, at cujusnam rei? Non alius nisi boni, vel mali sensibilis; hanc autem vitam animalem dicimus, vitam potius homine indignam dixerim, cui cum sit anima spiritualis, ac rationalis; aliud aliquod bonum non sensibile quærendum est? Quid autem dicendum de illo, qui eam sectatur? Nonne animalem vitam vivit brutorum passiones secutus? Bruta quoque in affectibus suis finem, & modum aliquem habent; præterquamquod enim paucioribus patent; duobus enim, vel tribus tantum communioribus sunt obnoxia; hi ipsi quantumvis pauci circa pauca objecta versantur, in quibus etiam naturalis quidam instinctus, quibus reguntur, eos moderatur. At affectus hominum rationem ducem minime sequentium, præterquamquod & specie, & numero multiplices sunt, circa infinita propemodum objecta versantur; quæ etiam in singula fere momenta sensibus eorum objiciuntur. *P. Camaret* 1. 2. *obstaculo* 5. *de Passionibus.*

De Affectu dominante.

Dicere possumus prædominantem affectum esse quoddam originalis peccati genus, cum peccati quidem sit species, sed cætera peccata confirmet. Quorsum autem? Quia ubi te regit affectus, atque in tuo corde imperium exercet, in omnia te impellit flagitia, ex quibus aliquid hauriri possit, quod suæ faciat

ciat fatis cupiditati. Licet cetera vitia naturali quodam horrore abominareris, si prædominantes placuerint affectus; hoc pondus est, quod illuc te pertrahit, illecebra quæ te fallit, lex, quæ te cogit. *P. Cheminais Tomo primo Sermone qui est in hoc argumentum.*

Prædominans affectus multorum scelerum causa.

Prædominans affectus fons est peccatorum. Ambitiosi, exempli gratia, fortunas suas provehere student, & si nequeunt nisi per aliorum excidium, quo contendunt, assequi; quot obtrectationes, quot fictæ calumniæ, quot proditiones, quot crimina, quot iniquitatis mysteria, ubi tota hominis exercetur improbitas? Libidinosus, impurus qui violenta libidine torquetur, eique satisfacere cupit, quibus non se obruit sceleribus? inani forma captus, cujus arbitria veneratur, nihil nefas sibi putat, dummodo illi placeat. Sampson secretum suum prodit; Herodes Joannem Baptistam obtruncat: furores, zelotypiæ, immodici sumptus, familiarum dissidia, factorum contemptus, Dei ipsius oblivio malum hoc necessario subsequuntur. Illos increpa, corripe, insimula; donec illorum cor brutali mancipatur affectui, omnibus vitiis patere debet; nequicquam omnes hujus arboris ramos resecueris, donec vigebit stipes, nova inde jugiter flagitia germinabunt. *Idem.*

Hominum, Principum vero præsertim, quibus placere interest nostra, affectus explorare, & inquirere adnitimur; hac enim ad eos nobis aditum patere arbitramur, & vix credi potest, quot ineantur consilia, ubi ejus, cujus gratiam aucupamur, prædominans affectus exploratus fuerit, atque compertus. At illi, quorum maxime refert, blandiri ei, qui in se dominatur, passioni, apertos habent oculos, & hanc vident ac intenti sunt in ea omnia, unde illius cognitio possit hauriri. Eam omnia produnt, sermones, adspectus, vivendi, agendi, cogitandi ratio, omnia in hunc finem collimant; apud talem virum hic unus, ajunt, aditus patet; opus est illius voluptatibus indulgere, odia ejus persequi, ambitioni illius velificari, suffragium redimere, socios libidinum delinire; hac via facilis aditus ad cor ejus aperiri potest; id si feceris quocumque libuerit ad injustitiam usque, & impotentiam flectetur. Ita prædominans affectus pars est in nobis infirmior, qui ubi fuerit compertus, illac semper oppugnamur. *Idem.*

Prædominans affectus efficit, ut ea tamquam recte facta probemus, quæ peccavimus.

Alius effectus, unde prædominantis passionis improbitas innotescit, hic est, non solum eam esse peccatorum nostrorum originem, verum etiam fontem errorum, quibus ipsi conscientiam nostram decipimus. Non enim satis est suam explere cupiditatem, eam etiam probare cupimus: *Sanctum est, quod volumus;* inquit D. Augustinus. Parum esset affectibus trahi, nisi eos cuperemus absolvere: conscientiæ stimulis jugiter exagitaremur, si quod agimus, sub horrida peccati imagine sese nobis semper objiceret, sexcentæ ambages delicatæ, quædam involuntariæ dubitationes nostris cupiditatibus adversantur.... Hæc momenta amaritudinem voluptatibus nostris immiscere possent, si dominantes affectus proclive sequeremur. Verum affectus iste mentem ab iis omnibus avertit, quæ illi officia sua possunt exhibere, eique perpendendas eas tantum objicit rationes, quæ sibi suffragari videntur. Quæcumque suboriatur dubitatio, statim tollitur, non latentem veritatem inquirendo, quæ prava est conscientiæ licentia. In alia quavis re severi censores erimus, etiam ultra Evangelium; & in iis, quæ ad prædominantem affectum pertinent ita indulgentes sumus, ut nimis laxas sententias adaptemus. *Idem.*

Si quis simili affectu occupatus fuerit, huic resistere non audemus; si enim veritas odium parit, id tunc potissimum accidit, ubi prædominans affectus attingitur. Hic locus est maxime sensibilis; si quis audeat adversari; illi succenses; ideoque mundus dolis refertus est in iis, quæ ad conscientiam pertinent; nos enim & a nobis, & ab aliis decipimur. Ita æneam frontem adversus querimonias, & murmurationes induimus, semper parati ut errorum nostrorum excusationem afferamus, neque intelligimus, jugem hanc nos metuendi necessitatem argumentum esse perspicuum vitæ perperam institutæ, ac nobis eam infidere, mordicus opinionem, quæ ab universis damnatur. *Idem.*

Nemo a prædominante affectu est immunis.

Nemo unus est, cui non aliquis dominetur affectus: hos ambitio trahit, illos avaritia; iracundiæ, vel invidiæ, vel obtrectationi sumus obnoxii. Denique uti talenta, ita & defectus divisi sunt: cum hoc tamen discrimine, quod homo quoscumque defectus habere potest, hos habet; bonarum vero qualitatum, quibus ornari potest, plerosque contemnit. Nostrum est igitur passionem nobis imperitantem cognoscere, ut eam impugnemus, ac, si fieri potest, expugnemus. Ubi semel illi dominati fuerimus, alios defectus facile superamus, dummodo vel parum voluntas illis se se expedire contendat. Affectus, qui dominatur in nobis communis est maximorum scelerum causa, donec illi paremus, ne cogitamus quidem minores defectus superare, & eos vix quidem cognoscimus; qui tamen ingentes videntur nobis, ubi majoribus non sumus obnoxii. In id igitur, quod maxime interest, contendamus: superemus propensionem hanc, qua trahimur: prout dominantis passionis imminuetur imperium, nobismet religioni vertemus ea, quæ antea flocci esse facienda, ducebamus. *Liber cui titulus, de Urbana vita Officiis Tom.* 2.

Affectus impugnandi sunt, hoc potissimum esse debet Christiani hominis negotium; verum non omnibus simul bellum inferendum est; sed ut hostis vincatur facilius, vires ejus sunt dividendæ. Ex prædominante passione initium ducendum est; quæ ubi fuerit devicta, facili negotio de reliquis victoria refertur; illa enim ceteris motum tribuit, & omne robur suppeditat. Verum si opus est illam bello lacessere; opus quoque est easdem cognoscere, quod difficile habetur; vel enim adhuc imbecillis est, vel jam convaluit, si primum, vix sentitur, atque in ceterarum turba confusa difficile dignoscitur; sin alterum, nimis sentitur, immo mentem ipsam excæcat, ac prohibet, ne vel ipsam, vel saltem mala, in quæ nos impellit, agnoscamus. *P. Nepveu 3. Tomo Considerationum Christianarum pro die octava Julii.*

Prædominans affectus cognoscendus est ut impugnetur.

Plerique hominum Saulem imitantur, qui a Deo jussus universum Amalecitarum populum internecione delere, non hominibus, non pecoribus, non Regi, non subditis, non urbi, non agris parcere, partim quidem imperata fecit, partim illa præteriit. Populum quidem cæde mactavit; Regem autem reservavit: ea quæ minori habebantur in pretio, vel quæ asportare non potuit, igni, ferroque vastavit; at iis, quæ optima, ac pretiosissima erant, pepercit. *Pepercit Saul Agag, & universis, quæ pulchra erant* 1. Reg. 15. Hæc est peccatoris imago, qui aliquot sane defectus, vel peccata, quibus minus adhæserit corriget; non tamen tollet Agag, affectum hunc animo suo absolute imperantem, inveteratum odium; fumantem ambitionem, turpem libidinem: *Pepercit Saul Agag, & universis quæ pulchra erant. Ogier in quodam sermone.*

Difficile est prædominantem affectum superare.

Quædam adsunt objecta, quæ præ ceteris diligimus, quibus incessanter hæremus; affectus quidam, qui nobis perplacent, peccata, quæ nobiscum nata esse, & adolevisse videntur, quæ nobis intima sunt, & familiaria, peccata, quæ tot vinculis cordibus nostris conjuncta sunt, ut ea solvi fere impossibile sit, nisi ope gratiæ efficacis, quæ de natura triumphum refert, eamque permutat. Quam sibi vim inferre animus debet, ut id genus, passiones deleantur! In hoc statu anima malum suum fere non agnoscit; se minus nocentem putat, quoniam vitia sibi sunt familiaria, atque tale suum temperamentum esse testatur, perinde quasi peccata minus esset perniciosa, quia magis naturalia, vel majorem ideo veniam mererentur, quia sæpius committuntur, vel ideo apud Deum causa illius esset probata, qui intus nullis stimulis agitatur, & extra nullo rubore suffunditur. *Flechier in S. Ignatii Panegyrico.*

Sanctum imperiosi hujus affectus concipere decet horrorem, ut illum indesinenter persequamur;

illac

illac enim, ubi quippe majorem in nobis intelligit esse infirmitatem, nostræ salutis inimicus aciem instruit, cor ipsum animæ sedem oppugnaturus; ideoque hæc una victoria a vehementioribus tentationibus nos tuetur ..... Quemadmodum affectibus reliquis nonnisi raro satisfacimus; hi quidem alieni, ut ita dicam, a nobis videntur; ita nullum cum ipsis fœdus initur: sed quia prædominans affectus mentem, animumque occupat, qui ad ejus nutum operatur, omnesque animæ nostræ motus regit, & secreto quodam influxu ea omnia, quæ facimus, operatur: hi actus reiterati ut altius radices ejusdem jaciantur, efficiunt .... Affectum hunc superare potes, neque id ambigis; verum illum impugnare non audes: Hoc malum est, quod amas; hostis est, cui blandiris; eam times victoriam, quæ cum voluptatis alicujus jactura comparanda est. *P. Cheminais sermone de hoc argumento.*

Vera pietas est prædominantem affectum subigere.

Cum nihil magis perfectæ servituti, quam Deo debemus, obsistat; dicendum est; sinceram pietatem, & magnum in via perfectionis progressum in hoc esse positum, ut prædominantem, tyrannumque hunc affectum convellamus. Verum hoc delicatum est malum, cui manum admovere metuimus, cum interim frustra reliquis animæ nostræ ægritudinibus medelam afferre studemus. Profecto in nostrum unoquoque prædominans quidam affectus inest, qui tantam obtinet vim, ac potestatem, ut plerumque omnibus actionibus nostris moderetur. Hic in nobis summum exercet imperium, hoc quodammodo nostrum caracterem constituit, hic in nobis post humanam, alteram gignere videtur naturam. Quæri posset, unde fit, ut in virtutis exercitatione parum adeo ad effectus hujus victoriam animum advertamus? quandoquidem alioquin nihil progredi licet. Respondetur, hoc inde profectum, quod illi, qui se se pietati mancipant, aliquid præclarum operantur, quod velum quodammodo obtendit affectui, & prohibet, ne facti dignoscatur improbitas. Qui nimis teneras, naturalesque colit amicitias, earumdem malum minime intelligit; sentit enim animum sibi inesse misericordem, & ad ea, quæ miseratione sunt digna, flexibilem. Qui iracundus est, atque impatiens, semet in hoc excæcat affectu, rapitur enim boni publici zelo, ac sanctitatis amore: Qui ambitiosus est, & cui honorum libido dominatur; videt, se quædam proximo utilia operari; idque integumentum aliquod passioni ejus prætendit, ne amplius criminosa videatur. Hoc itaque præstat ut hic affectus non habeatur amplius tamquam perniciosus, ac nemo ab eodem sibi cavendum existimet. Verum enimvero notandum est, passionem hanc, quæ numquam satis metuitur, hinc quidem fortem, illinc esse delicatam: at pauci sunt, quibus in virtute persequenda tantum sit animorum, ut hujus naturæ inimicum aggredi velint; fortis est, quia ejusdem imperium diuturno habitu roboratum est; delicata est, quantumvis enim parum attingatur, statim erumpit. In aliis affectibus mortificationem perquirere haud ita quidem pigebit, dummodo prædominanti parcatur: reliqui potius mactabuntur, quam hunc delere contendatur. At nescis, si hæc semel evertatur, hanc esse columnam eversam, ædificii totius ruinam secus trahentem? Metropolis est, cujus captivitatem reliquæ imperii civitates sequuntur; corpus est, cujus dejecto capite, truncus inanis superest sine robore, sine viribus. *Desumptum ex Patre Guillane tractatu de affectu prædominante.*

Prædominans affectus hostis est latens, & secretus, summo nisu detegendus.

Licet plura perdomuerimus vitia, veluti totidem salutis nostræ inimicos; aliquod tamen superest, non solum non domitum, sed etiam dominans; quod sæpe usuvenit in regionibus recens ditioni subjectis, ubi semper aliquod seditionis remanet caput adhuc subigendum. Palam fortasse se se talem non feret, ne legitimi Principis in se robur convertat; sed quæcumque se se obtulerit occasio, tunc se ipsum prodet. Ita ne dubites, quo minus dominans aliquis affectus in te delitescat, latet enim fortasse, & nisi summo cum labore illum deprehendens; Seditionis est auctor, sed occultus, omnibus ignotus; nihil igitur prætermittendum, ut detegatur. Sæpe virtutis colorem induit, at ab hac simulata virtute prorsus abhorret. Exempli gratia ira tibi dominatur ex ignito flagrantissimæ bilis ingenio profecta, sed quod aliquem tibi fovere videris sensum amoris Dei, & Religioni adhærere; huic affectui campus aperitur sub specioso zeli integumento prodeundi, quo prætextu omnia tibi licere videbuntur; omnibus conatibus tuis hoc nomen prætexes, ultiones tuæ tamquam justæ indignationis effectus censebuntur; obtrectationes tuæ totidem erunt veritati debita testimonia, & ut verbo me expediam, nullum erit scelus, quod hac specie minime excuses. *Pater Camaret Tractatu de hoc argumento Tomo 2.*

Non ne apertissima veritas est, cujus lumen Ethnicis etiam affulsit, affectus, quicumque tandem illi sint, mirum in modum obesse rationis officiis, ac prohibere plerumque, ne ea qua par est utatur cognitione in iis, quæ ad suum munus referuntur? Cum fortes sunt, atque vehementes, illam quomodo licet invitam obripiunt; cum vero mites, eamdem pelliciunt. Nisi statim judicium ipsum præverterint, perniciosius illud corrumpere, ac fallere student; si animum non statim evicerint, illum demulcent. Hoc ipsis etiam Philosophis compertum fuit; qui affectus ipsos insanias, ac ebrietates quasdam vocarunt; semper enim mentem illius, quem possident, perturbant, eique caliginem quamdam offundunt: quod efficit, ut licet mundi sermo suspicione minime careat in ea, quam adstruit, vitiorum idea; tamen, cum aliquis dicitur, ex passione operari, hic rationem ducem in actionibus suis minime sequi intelligatur. *P. Champigny Sermone de cæcitate spirituali.*

Necessitas mortificationis affectuum in lege nova.

Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis, inquit Apostolus ad Galatas 5. Gentium Doctor in hoc populo omnem erudit Ecclesiam docens, esse inutile scientia crescere nisi & virtute crescas; ac opus esse, ut per affectuum, pravorumque desideriorum mortificationem satis callere ostendas, quid sit gratia JESU CHRISTI. Licet omnem etiam S. Pauli cognitionem assecutus esses, nisi desideria carnis, quæ affectus sunt, mortificaveris: si adhuc bonis, honoribus, & voluptatibus adhæseris; si tuam quæsiveris existimationem, tuamque utilitatem, procul dubio ad veterem Legem spectas; nondum legem gratiæ cognoscis; Judæus es professione, licet nomine sis Christianus; videri fortasse potes Dei servus, ejusque opera facere; sed adhuc es Dæmonis Mancipium. *Liber inscriptus: Instructions Chretiennes pro decimaquarta post Pentecosten Dominica.*

Verum quidem est; Ethnicas superstitiones inter nos desiisse, at si inanes Deos, inanemque eorum cultum abdicavimus, mores tamen, ac scelera retinuimus. Quid enim quæso varii sunt affectus illi, quibus agitamur, nisi quædam species idololatriæ? Num, Domine, hos Spiritus Sanctus edocuit? Avaritia idololatria est, cujus idola sunt opes; impudicitia idololatria est, cujus Dii sunt voluptates; ambitio idololatria est, quæ non aliud, quam fortunam numen adorat. Ut verbo me expediam, prædominans affectus suus cuique Deus est! Totidem igitur Deos colimus, quot res tibi uno, ac vero Deo præferimus: itaque contra te aliam statuimus Religionem, cujus & sacerdotes, & victimæ nos quidem sumus, Dii vero affectus nostri, ac Dæmon, a quo illi excitantur. *Auctor Anonymus.*

Affectus tenebras menti offundunt.

Sanctus Gregorius Nyssenus egregiam quidem attulit passionum definitionem, ubi illas; *Mentis*

lis apparitores vocavit? Quemadmodum enim hujus viæ homines neminem apprehendunt, nisi ut in obscuros carceres detrudant; affectus etiam mente nostra potiuntur, ut illam in erroris tenebras dejiciant. Quinam vero in eas labi non potest, quandoquidem lumen extinctum est, atque inter concubiæ noctis tenebras ambulat? Nulla umquam lux veritatis affulget illi, qui suis affectibus obtemperat. Nihil credit, nisi quod sibi placet, & quin de rebus omnibus judicet ex iis præceptis, quæ ratio nobis præscribit; ex concupiscentiæ suæ arbitrio tantummodo judicat. Ita affectus nebulæ sunt veritatis solem tegentes; qui semper abditus est, ac raro illis oritur, qui suis se se tradunt cupiditatibus. *Idem.*

Non desunt nonnulli, quibus passiones jugiter sibi succedentes aliæ post alias, vel simul omnes dominantur. Si se impudicitiis mancipārunt, mox gloriæ, atque ambitioni famulantur; si hoc vitio adeo perniciosо se se expedire videntur, in avaritiæ fordes labuntur: inde si emergunt, commoda vitæ hujus, quibus adhærent, impatientes illos efficiunt in levissimis etiam infortuniis, & ubi vel leve aliquid accidat, quod ipsis displiceat, illico ira succensent. Ita vitia sibimet mutuo succedunt; vix ex unius servitute evasisti, cum alterum te capit, & rursus in vincula conjicit: tyrannum mutas, non tyrannidem; & quod novissime usurpat imperium, aliorum persequitur injuriam, quam ex eorumdem servitute aufugendo intulisti. *Liber cui titulus: Instructiones Christiana pro prima Adventus Dominica.*

Quas turbas, & agitationes affectus creant.

Quibus agitationibus vita nostra turbetur: donec sub affectuum imperio degimus satis, superque intelligimus, & quotidiana experientia docemur. Si tibi dominatur avaritia, cape aliquantulum quietis, neque dies absume, noctesque terras, ac maria percurrens, ut ea quæras bona, quæ te magis possident, quam a te possideantur? si te devorat ambitio, omnia temporis momenta, quæ extrinsecus impendis, ut altius evehi contendas, non aliud sunt, quam intrinsecarum sollicitudinum imago; & ii etiam beatiores, qui vitam suam semper ascendendo traducunt; dolent nihilominus, videntes plurimum adhuc sibi itineris superesse, ut votorum suorum summam assequantur. E contra anima, Deo adhærens ac illum unice diligens quæ vult, quod ille vult, semper tranquilla est, & voti compos sine desideriis, sine affectibus, qui eamdem sollicitent, atque perturbent. *Abbas de Monmorel Homilia in Evangelium quarta Dominicæ in Quadragesima.*

Nulla unquam pax, fœdus nullum cum id genus inimicis, hoc est affectibus feriendum est. Cor humanum prava terra est in singula momenta ferens tribulos, ac spinas; prout convelluntur, aliæ prodeunt; oportet igitur semper accinctos esse gladio Evangelii ad rescindenda, evellendaque tot naturæ corruptæ germina, quæ stirpitus numquam eradicari possunt. Verum cum nos nihil possimus ex nobis, & omnia possimus in eo, qui nos confortat; ad Deum confugiendum est, ut eam efflagitemus vim, qua indigemus, & perseverantiam, quæ necessaria penitus est, ut salutem nostram operemur. Prohibere non possumus, quominus affectuum nostrorum motus sentiamus; verum eisdem reluctari tenemur...... Præsertim vero adnitendum est, ne illis umquam assentiamur, ne involuntarius hic motus fiat deinde actus liber, & criminosus. *Idem Sermone in Evangelium vigesima post Pentecostes Dominica.*

De prædominanti

Sedulo inspiciendum est, quinam affectus dominetur in nobis, quinam habitus nostras actiones dirigat, quod peccatum nobis familiarius est, & quodammodo cæterorum origo, & principium earum sententiarum, quibus nostra conscientia imbuta est. Reliqua vitia a nobis aliena esse possunt, sed prædominans affectus nostrum caracterem constituit. Veræ pœnitentiæ fructus est illud obtruncare vitium, quod regnat in nobis, perhorrescere hunc imperiosum affectum, eique junge bellum inferre; illius enim victoria ab omnibus hostis tentationibus satis tueri nos potest. Aliis vitiis facile bellum indicimus; huic vero, ut plurimum, parcimus. *P. Croiset dans les Retraites tom. 2.*

affectu, & malis quæ gignit.

Nemo unus dubitat, quin affectus coercere teneamur. Verum quandonam hoc accidit? nullum nobis inesse affectum putamus qui sit coercendus; zelus est, officium, necessitas; immo nonnumquam charitas etiam, & justitia; tantam de nobismet ipsis existimationem habemus; adeo nobismet decipiendis sumus industrii! Ubi etiam passioni nostræ fecerimus satis, lætamur, & parum abest, quin id nobis laudi, meritoque vertamus. Præliamur nonnumquam, & plusculas etiam, sed tenuissimas de ingenio pravisque studiis nostris victorias referimus; sed affectus prædominans numquam impugnatur. Homo fortasse frugi es, prudens, ac honestis moribus; at illatæ non parcis injuriæ. Plura bona facis opera festinanter, atque libenter; at numquam secretas quasdam simultates extinguis, nec abjicis quasdam parum Christiano viro dignas cum proximo rationes agendi, quæ indifferentia sine ullo odii sensu vocatur...... Affectus omnes oppugnandi sunt, ac debellandi, at si dominanti passioni peperceris, vel nihilum, vel saltem parum proderit quæcumque de hoste relata victoria. *Idem dans les Reflexions spirituelles.*

Affectuum imperium ac tyrannis.

Affectus sunt tamquam primum mobile plurimarum vitæ hujus actionum. Pauci sunt, qui sub eorum tyrannidis jugo non ingemiscant. Illi mentis humanæ supplicium sunt, & cordis tyranni........ Idem amor proprius, qui illos genuit, nutrit quoque. Cum illi prius quam virtus, esse familiares occæperint; rationem ipsam prævertunt, & a voluntate, ubi ipsis fuerit adversata, deficiunt. Cum sensibus conjurationem ineunt, cumque sint fortiores, animæ dominantur. Quilibet conqueritur de illis, illis vero nemo non parcit. Inani voluptatis, & chymericæ felicitatis fulgore omnes decipiunt. Pauci eorum laqueos non vident, nemo tamen sibi cavet; immo quin sibi caveat, cæce in eosdem impingit...... Senectus corporis quidem, animique, non tamen affectuum vires, & robur enervat. Fallitur, qui hoc temporis intervallo cicures fieri posse arbitratur; immo ferociores fiunt, atque imperiosiores. Diuturna possessio recentem illis imperii titulum præbet; & habitus inveterascens præscriptionis loco censetur..... Quot curæ, dolores, laboresque tollerentur, si nobismet suavem, mitemque senectutem comparare studeremus, si ab ineunte ætate in id incumberemus, ut hos irreconciliabiles quietis, salutisque nostræ inimicos subigeremus. *Idem Considerationum Tomo secundo.*

Affectus non omnium tantummodo ætatum, verum etiam statuum, conditionumque omnium sunt. Nullibi locorum sunt advenæ, hospitesque. Saltus etiam, & nemora illis invia non sunt; nullum vitæ genus eosdem repellit, & dummodo eos patiaris, parvo contenti sunt. Solitudinis recessus eosdem ferociores efficit. Quantumvis parum illis conniveas, statim extra quamlibet ludibrii aleam se se constituunt. Subdola calliditas asylum iisdem præbet etiam inter ipsius pœnitentiæ labores; denique ubique recessum; perfugium-

giumque invenientes naturam, temperamentum, immo pietatem ipsam eludunt. Nobis semper id suadent, quod sibi perplacet, & nisi jugiter nobis met ipsis invigilemus, periculum est, ne in eorum ludibrium traducamur. Omnes unanimi, conflatoque consensu in salutem nostram conjurant; nullus non Evangelicæ disciplinæ adversatur, nullus non a postremo nostro fine divellit nos sensibus nostris subjiciens. *Idem*.

Quo magis affectibus parcimus eo majores vires acquirunt.

Affectus, ubi illi blandiaris, statim imperitat. Inordinatas cupiditates tuas sequeris, inquit Ecclesiasticus; quamprimum tibi dominabuntur..... Quandonam conaberis non amplius parere inimico, qui fœdius ipsum, vel minimum, victoriam putat? Inimico, qui semper tamquam tyrannus regnat, nisi servire cogatur; qui numquam deditionem facit, & qui non subigitur, nisi, omnibus neglectis conditionibus, ad extremum usque debellatur. Profecto affectui cuipiam parcere, idem est ac illi arma suppeditare. Qui illum paullatim vinci posse putat, decipitur. Ex patientia vires, ac robur acquirit. At longe magis decipitur, qui eidem satisfaciens se se eodem liberari posse arbitratur. Illi cedis; licentius bacchatur; ejusque impetus eo magis crescit, quo magis ea quæ obicem, frœnumque eidem injicere possunt, amoveantur. Eidem parcere, ac multo magis parere, tyrannidem illius confirmant potius, quam infringunt. *Idem*.

Non desunt affectus minime turbidi, at nihilominus timendi.

Surdo fabula narratur; dominum, cui libenter famulamur, & quem amore prosequimur, irritare non prodest. Quilibet de affectuum suorum vi queritur; ac interim secreta cum iisdem consensione conspirat; at absint de illorum vi, atque tyrannica dominatione querimoniæ; nobis enim debent, quidquid virium obtinent. Nos eos facimus, quales sunt, ea studentes efficere, quæ illi nobis suaserint. Immo fateamur opus est; affectus nostri violenti sunt, quia nostra voluntas infirma est....... Defectus, erroresque nostri inimicorum viribus accepti non sunt referendi: gratia enim JESU CHRISTI, quæ nemini umquam deest, sufficit, ut eosdem vincamus. Nosmet nimis amamus; hæc malorum omnium origo est. Passiones amorem nostrum illiciunt, hic nodus est necessitudinis quam cum illis habemus, & secreti consensus, quem illæ cum nobis habent. Ne dicamus amplius; nimis infirmi sumus: proprie loquendo, infirmitas est nostra prava voluntas. *Idem*.

Sæculi nostri elegantia ab hominum consuetudine procul exterminavit omnes hos furentes affectus, iram, ultionem, aliosque id genus. Passiones minus turbidæ, ac minus manifeste in mundo elegantiori dominantur, at non adeo minus passiones sunt. Dici immo potest illas mansuetiores factas fuisse, ut tutius regnarent, ac facilius nocerent. At heu nimium hoc illis e voto cessit! Plurimine reperiuntur, qui affectibus non ducantur? Ipsi illi, qui moderatiores videntur, non alios duces videntur sequi. Affectus hi faciles sunt, ac facile se se accommodant; exteriorem religionis speciem non auferunt; optimam institutionem, honestique hominis existimationem non tollunt. De corde tantum victoriam referre conantur: ubi vero cor sit eorum mancipium, quænam erit improbitas mentis? quæ morum corruptio? quæ in omni vita nequitia? Externus modestiæ habitus, probitatis simulata species, officiosi mores, vultus compositus, elegans, suavisque affabilitas, omnia prosunt, ut sub persona quadam tegatur affectus. *Idem*.

De prædominanti passione.

Reliqua vitia tamquam a nobis aliena esse possunt; at passio prædominans nostrum caracterem constituit. Quinam conatus adhibendi, ut impugnetur? Qui virtutem profitentur; hi etiam eidem parcunt. Cæteris licet indicatur bellum, cum hac tamen fœdus icitur. Numquid est metuenda minus? nequaquam; immo non aliam adeo funestam inveneris; ac perraro defectum aliquem reperies ex alio fonte profectum. Cur ergo sedula habetur ratio, ut inimico adeo pernicioso parcatur? ideo habetur, quia impugnari non potest: quin amor proprius lædatur: utrumvero plures sint, qui se ipsos parum amant, an qui multum, satis liquet. *Idem*.

De passionibus generatim.

Nemo unus ignorat tristes omnium passionum effectus. Quæ febris ardentior ira? Quæ magis maligna, quam invidia? Zelotypia febris lenta est; superbia violentum virus, avaritia hydropisis. Passiones sunt animi ægritudines, quarum nulla malignitate caret, nulla caret periculo; & paucæ, quæ necem inferre minime valeant; ac illud mirum est, quod eas quilibet in aliis horreat, in se vero nemo vel credat, vel metuat. Quod vero contra earum contagionem antidotum esse potest; quodnam ut eas curemus, pharmacum propinandum est? Et mirabimur, tot homines hujusmodi morbis affectos interire!.... Considerationes tristium effectuum, quos passiones gignunt, passionum earumdem præsens est medicina. Populi quidam filiis suis iratum hominem proponebant, ut passionis hujus horrorem illis injicerent. Si avarus, superbus, ambitiosus ita possent intueri imagines suas ad vivum delineatas; hic solus intuitus eorum passionem procul dubio enervaret, & ille cui eadem dominatur, ultro pudore suffunderetur. *Idem*.

De prædominanti affectu vitiis, quæ ligantur.

Non loquimur hoc in loco de nefaria morum corruptela, deque ea cordis, mentisque licentia, quam nemo nisi cum horrore audit, & quam honesti viri omnes improbant. Loquimur autem de vitiis, quæ mansuefacta sunt, de affectibus, qui cicures evaserunt, de quibus perpauci diffidunt, cum philaucia rationem sit nacta, qua illi pacatum obtineant imperium. Prædominans passio hac plerumque utitur forte. Torqueat, fatiget, utatur, ut sibi lubet, & corpore, & animo; nemo eidem molestus est, & ipsius dominatio est semper tranquilla. Excusatur, probatur, immo ad excessum usque; nihilque magis mirum, quam ex æquitatis, probitatis, pietatisque systemata, quæ quisque sibi elaborat........ Non cedunt tantum, verum etiam omnia concurrunt ad regni ejusdem tranquillitatem comparandam; neque intenditur animus, ut illius tyrannis detegatur, sed ut ejusdem pondus, atque sævitia diligatur..... Prædominans affectus ea eliminat omnia, quæ regnum suum perturbare possunt; sopor, ac perniciosa severitas inter primos recensetur effectus, qui ab illo gignuntur. Clamet Concionator aliquis zelo succensus, & eloquentia suffultus; invehatur in avaritiam, inertem vitam, cupiditatem; in eadem cum Concionatore sententia versamur, & cum eodem illorum sortem deflemus, qui tot flagitiis se se manciparunt. Mirum! eadem vehimur navi, eique plaudimus, perinde ab omni vitiorum suspicione vacui essemus. *Pater Croiset Tomo secundo Considerationum Christianarum*.

Affectuum meorum, Domine, improbitas mihi satis comperta est, atque explorata; sed dummodo tuam mihi non deneges gratiam, citra quam nihil utile vel cogitare, vel agere licet, illorum motus confringam; cordi meo invigilabo, neque mihimetipsi adhibebo fidem; ac ubicumque ingruat occasio, quæ illud excitare valeat, omnem animæ meæ virtutem accersam, nihilque prætermittam, quominus prohibeam, ne minimos quidem motus, minimamque cieant tempestatem. Dicam melius; in id toto pectore incumbam, ut contra eosdem omnibus sensibus utar omnibusque luminibus, quibus a te donatus fui, atque in usum redigam memoriam eorum omnium, quæ sancte operatus es, mihique tamquam vivendi documenta, & exempla reliquisti.

fti, *Abbas Trappensis in Moralibus Considerationibus.*

Quamvis divitiarum amor affectuum omnium perniciosissimus sit, improbissimus, atque sævissimus; eique mortales primas inter ceteros dederint propter vim, ac injustitiam, quas passim exercet, & quarum est causa; attamen nullus affectus suis caret periculis; nullus non objicit gravissimis malis eos, qui se se eidem mancipaverint. Omnes igitur oppugnandi sunt, ubi dignosci incœperint, atque suboriuntur; ubi enim convaluerint, ac altius in animis radicem jecerint, ingenia ipsa infirmant, atque corrumpunt, ita ut libenter, ac festinanter ea faciamus, quæ alioquin perhorruissemus; cum tollunt obicem, qui ab omni crimine patrando nos posset deterrere, atque in nobis æque Dei, ac hominum timorem jugulant. Nihil est adeo vetitum, quod nobis non persuadeant, ut quod petunt, ipsis permittamus; & si humanæ rationes nonnumquam prohibent, ne exterioribus actibus id palam faciamus, non ideo tamen in animabus nostris omnis illa improbitas deest, quæ potest adesse: Hoc autem dici potest de invidia, amore, gloria, ultione, aliisque malis, quæ ex humano corde, tamquam ex inexhausto fonte dimanant. *Idem in Considerationibus moralibus in Evangelium S. Matthæi.*

De passione prædominante. Loquor de prædominante passione, quæ versus particulare aliquod objectum nos rapit, & quæ, ubi adest occasio, se se statim prodit tunc etiam, cum reliquis in rebus a virtute ne latum quidem unguem aberrare videris. Hæc autem in his superstitiosus est propriæ valetudinis amor, in illis commodorum omnium inquieta perquisitio; in aliis pertinacitas in sententia suscepta cum mira indocilitate conjuncta, qua alienas cogitationes refellunt, quin ab eo, quod sibi semel proposuerint consilio, unquam dimoveantur. De hac autem affirmo, quamvis multa bona opera exercuerimus, anteactæ vitæ sedulo pœnitentiam egerimus, devotisque pietatis sensibus imbuti simus; nisi in id præsertim incubuerimus, ut peculiarem passionem hanc stirpitus eradicemus, hanc fortasse tale in animas nostras imperium adeptam, ut non solum in gravissima quæque nos scelera impellat, verum etiam in æternum damnationis statum, unde nullo fere modo valeamus emergere, præcipites agat. Ita magni nominis viros, qui virtute ingentem celebritatem sibi comparaverant in Ecclesia, vidimus perniciosas opiniones tueri, & quod vel propriis, vel amicorum suorum sententiis mordicus nimium hærere voluerint, in hæresim incidisse. Quot autem quotidie conspicimus, qui eo quod statim prædominantem passionem subigere quibusdam in rebus detrectarunt, in gravissimos errores, atque in maxima flagitia labuntur? *Pater Surin tom. 3. spiritualium Dialogorum.*

Affectus sæviores sunt, quam Tyranni. Quin hoc in loco Stoicorum mutuemur sententias; quis nescit, sævissimorum Tyrannorum mancipia ex meliore sui parte, quæ spiritus est, liberos esse? Nonne voluntas integerrimam libertatem in ipsis etiam compedibus, & carceris squalore tuetur? Quæ enim captivitas a tyrannis excogitari potuerit, quæ mentem, animumque nervo, ac vinculis coerceret? quænam catenæ cogitationes, ipsasque hominis affectiones cogere potuerunt? *Corpus est, quod Domino fortuna tradit, interior illa pars mancipio dari non potest*, Seneca inquit. Corpus dumtaxat minor nostrum pars ferro potest adstringi; anima semper libertate perfruitur. Verumtamen hanc eamdem animam affectus ipsi captivant, quin eidem liberum usum permittant, vel cogitationum, & sensuum, vel etiam cupiditatis ex ipsa servitute aufugiendi, quod tamen captivo cuicumque naturale est. At ne putes animam hanc suis affectibus subditam ideo minus esse infelicem, quod suam amat servitutem: immo e contra, miserior est, quia vult, & non vult; inde enim egredi metuit, & suam nihilominus libertatem exoptat; eo gaudet statu, ac simul dolet; hoc est variorum affectuum tyrannide torquetur, ac variis dominis parere cogitur. Qui ex omnibus servis miserrimus est, uni tantum Domino morem gerere, ac satisfacere tenetur; quem cum sedula opera, fidelique servitute delinive-rit, vel libertatem merebitur, vel æquius tractabitur, sed anima suis subjecta passionibus, & quæ earum captiva facta est, tot ancillatur dominis, qui plerumque sibi mutuo adversantur, & licet nihil prætermittat, ut illis velificetur, tamen eisdem satisfacere nequit. Mors demum reliquorum servorum captivitati finem potest imponere, sed anima, quæ numquam moritur, de corporis ergastulo egressa secum suas feret passiones, totius videlicet æternitatis carnifices. *P. Cameret Tomo 2. ubi de affectibus verba facit.*

Hujus autem servitutis sævitiam, durumque imperium, quod in te passiones exercent, o Christiane, cognoscens potes diutius hanc ferre captivitatem? Ex eorum potestate effugere tibi integrum est, immo illas superare, ac subigere potes. Quis umquam captivus, qui, cum ex crudelis tyranni compedibus fugam arripere possit, quam citissime non aufugiat? Immo si posset, nonne in eumdem carcerem dominum, cui paruit, conjicere vellet? Tu potes. Potes utique hoc gravissimum jugum excutere, libertate frui, ac passiones ipsas in servitutem redigere, cur ergo non audes? numquid hanc servi conditionem rationali, ac libero homine indignam libertatis, ac rationis bono præferendam putas? Memento, quid es; agnosce dignitatem Filii Dei, ad quam natus, & institutus es; noli ab hac nobilitate degener esse, sensus eo, quem obtines, gradu, indignissimos fovens. Qui Regem videret ad Imperii habenas regendas natum stipulas, vel aliquam terræ particulam amore suo prosequentem, quid ex ejusdem mente, animoque sentiret? Proh indignum! proh nefas! cur magnitudini, ac dignitati suæ pares sensus non fovet? *Idem*. — Ex affectuum nostrorum captivitate emergere possumus: ac per summam ignaviam inde non egredimur.

Prohibere solum, vel remorari motum appetitus, hoc non æque passiones lacessit, ac illas oppugnare, eisque bellum inferre actibus, qui sint iisdem prorsus oppositi; uti inimici ictus detorquere, eique oppugnanti resistere, non tam est cum illo decertare, quam se ipsum tueri. Hoc ipsum de passionibus nostris dicendum est; ut illas subigamus, & cum utilitate mortificemus; non solum eisdem resistere opus est, hoc enim dumtaxat est, ictus declinare, ac vim propulsare; verum necesse insuper est, lethalia vulnera infligere, contrarios actus eliciendo. Adversus iram lenitatis, contra odium proximi, charitatis actus eliciendi sunt; contra rerum vetitarum desideria, fuga est exercenda, & sic de reliquis, hæc enim potissima ratio est de affectibus nostris victoriam referendi cumulatissimam, dummodo in hac exercitatione persistas. *Idem.* — Ratio domandorũ affectuum est contrarios actus elicere.

Sublimis mortificationis gradus est, ad quam non nisi post diuturna, & gravissima prælia perveniri potest, nullis passionum motibus agitari, qui antea ingentes ciere procellas consueverant, vel cum passiones ipsæ ita mortificatæ sunt, ut nullum in nos impetum facere possint, & qui eisdem antea erat obnoxius, post diuturnum bellum nulla amplius earum agitatione torqueatur. Inimicus, exempli gratia, occurret, quo ad ejusdem intuitum ullus in nobis iracundiæ sensus excitetur; nobis contumelia inferetur, quam sine ulla ultionis cupidi-

piditate, immo cum voluptate patiamur. In hoc positus est summus christianæ mortificationis gradus, & ea perfectio, ad quam velis, remisque contendendum est. *Idem.*

Oratio ad expetendā a Deo alicujus passionis, ac præsertim voluptatis victoriam.

O liberator Israel, qui brachii tui virtutem exercuisti, ut populum tuum de captivitate Pharaonis educeres: veni, contere passionis hujus, quæ in me dominatur, catenas, infringe vincula habitus noxii, qui me in servitutem asseruit. Dissipa funestam illecebram, qua res creatæ sensus meos fascinarunt, & fac, ut ob oculos meos affulgeant illecebræ æternæ illius speciei, quæ una vere amorem nostrum meretur. Ostende mihi, Domine, miserrimum cordis ejus statum qui sub gravissimo captivitatis jugo ingemiscit; mala, quæ in anima parit ignis ille, qui, ut Spiritus Sanctus ait, pietatem radicitus usque consumit; aperi mihi tristem, calamitosumque finem, quo insanæ redigunt affectiones, & funestos scopulos, in quos tot animæ impingunt; dissensiones in conjugiis, discordias in familiis, insignia scandala in mundo, æternam pœnitentiam, generalem totius ordinis vitæ perturbationem; intermissionem bonorum operum, integram fidei extinctionem; bonorum, existimationis, ac valetudinis jacturam; omnium animæ facultatum corruptionem, & vulnus in omnem conscientiam late expansum, quod plerumque curari non potest. *Abbas du Jarus sermone de Sancto Sacramento.*

SUPPLEMENTUM.

Affectuum Tyrannis.

Affectus nostri sunt causæ tot laqueorū qui omnia opera nostra corrumpunt.

QUis unquam recensere posset omnes illusiones, quas affectus nostri in nobis gignunt, insidias omnes, quas nobis struunt, abyssos, in quas nos conjiciunt? Norunt sese sanctissimis etiam rebus immiscere, & ardentissimo etiam zelo tetrum virus allinere. Nonnumquam Cœli causam suscipimus, & hæc brevi fit nostra per animi cupiditates, quæ se se illi commiscent. Totus calor, quem nobis ab illis immitti credimus, calor iste quem nobis merito vertere audemus coram Deo, nostris tantum affectibus acceptus est referendus; & hoc meritum, quo tantopere intumescimus fortasse culpa non vacat. Error eo gravior, quo magis ab omni abhorret suspicione. Ut Religionem tueamur, nos nequaquam ad illius leges sequendas teneri arbitramur. Nobismet persuademus injurias, quibus afficimur, ad illam pertinere; ac ipsi intrinsecus gloriamur ob ardorem, quo vel ultionem, vel nobilitatis nostræ incrementum prosequimur. Tot variis circumsepti periculis numquid igitur illis succumbamus necesse est? Si hoc fugimus, numquid in aliud debemus incidere? Numquid inevitabilis est interitus noster? Adest unica, sed difficilis ratio, qua tot evitare possumus pericula. Cum aliquam agendi rationem aggredimur, domesticos, quibus obsidemur, inimicos observemus: diligenter inspiciamus utrum hoc sit alicui nostrarum cupiditatum satisfacere. Severe ac districte cor nostrum interrogemus; si aliquo interiori motu pro ea, quam suscipimus, causa, laborat; electio hæc nobis suspicione non careat, nostræque præcautiones geminentur. *Primus Sermo Academiæ anni* 1695.

Quibus turbis, & periculis sese objiciant voluptuosi, avari, ambitiosi.

Si Voluptas corpus nostrum captivat, in quam non labitur dejectionem? Quænam futura est privatio pretiosissimorum bonorum, quibus benigna cumulati fuimus natura! Valetudo eversa, existimatio jacturam passa, vividiora mentis lumina caligantia, sensuum nobilitas evanescens, omnes animæ nostræ motus similes facti fluctibus maris procella agitati, funesti erunt effectus affectus hujus crudelis, ac imperiosi. Si nobis divitiarum dominatur amor, quæ series turbarum, ægritudinum, curarum! Quibus sollicitudinibus, laboribus, cruciatibus nobis statutus est vel inevitabilis furor augendi congestos thesauros, vel timor æternus eosdem amittendi? Si dignitates, & honores quæruntur, si cor adhærescit cupiditati sibi comparandi hos fugitivos mundanæ magnificentiæ ornatus, poterit ne melius sua vota explere? Umquam ne voti sui compos est ambitio? Umquam ne dicit, jam satis est? Nonne econtra videtur, quidquid recens acquirit, novum esse titulum majorem fovendi spem, novaque fortunæ consilia animo concipiendi? Qualiter igitur affectus erit homo in his crudelibus dubitationibus semper cordis sui instinctu coactus felicitatem appetere, & semper illam sibimet reperiendo minime par? Extrinsecus quidem omnium creatarum rerum oppositione turbatus, intus vero sexcentorum affectuum tyrannide oppressus, quos neque subigere potest, neque explere, semper inanibus desideriis conficietur? Adhuc ille obstinato quæret animo in mundo, qui illi jam exhaustus est, votisque ipsius inexorabilis, unde inexplebilibus cupiditatibus suis soporem injiciat? An desperationi se tradet? *Sermo alter Academiæ anni* 1707.

Quot variis motibus agatur cor hominis mundo inservientis.

Homo se se sensibilibus objectis mancipans aliud ne quærit, quam esse beatum? At num beatus esse potest se ipsum tradens insipientibus desideriis, quæ ipsum lancinant, crudelibus affectionibus, quæ illum excruciant, & tyrannicis habitibus, quibus captivatur, & trahitur? Hic hyperbolicis opus non est amplificationibus; hoc quotidiana ipsi docemur experientia. Ex quo cor suis se mancipat desideriis, licet multo plura possideret quam natura postulat, & meritum exigit, non ideo leviori torquetur cupiditate: expectatio rerum earum, quæ cupiuntur, delet sensum earum quæ possidentur. Verum quibus laboribus, & curis opus est, ut ad hanc possessionem perveniatur? Interrogemus aliquem ex his mortalibus, qui affectibus suis inserviunt: audiamus, & edoceamur. Quid non dicet de sollicitudinibus, quas immoderata sua pariunt desideria, de laboribus, qui præparant illa, de terroribus, qui illa consectantur, de inopinatis casibus, qui illa perturbant, de doloribus, qui illa consequuntur; de servitute ad quam homo se redigere debet, de repulsis, quæ perferendæ sunt; de abjectis officiis, ad quæ debet semet dejicere; de crudeli hac necessitate in qua versatur vividissimos animi sui motus jugulandi, pulcherrimum vitæ suæ tempus sacrificandi, honorem suum prostituendi, & prodendi conscientiam suam? *Ex tertio Sermone Accademiæ Anni* 1707.

Homo post peccatum non potest amplius frui aliqua requie.

Ex quo rebellis homo defecit a Deo suo, & per peccatum recessit ab ordine in quo creatus fuerat, terribili, sed justo supplicio crudele bellum in corde ejus exarsit. In hoc misero tumultu, quantumvis velle queat, semper sibimet oppositus, semper insociabilibus animi sui affectionibus hac illac distractus non potest umquam uni tantum auscultare, quin reliquis omnibus adversetur. Hinc fit, ut non solum affectus vel cum ratione, vel cum Religione conciliari possint, verum etiam ut ipsi etiam affectus inter se nequeant consentire, avaritia cum luxu, ambitio cum mollitie, gloria cum voluptate. Vita traducitur vel cum aliis deliberando; quodnam negotium præferendum est, vel se ipsum consulendo quinam affectus ceteris valeat prævalere. Sed post omnia consilia, & disquisitiones, id quod obtineri potest, non est utique omnibus simul desideriis satisfacere, sed posthabitis iis, quæ magis perfunctoria, ac infirmiora sunt, illa, quæ graviora, & diutiora sunt, præferuntur. *Ex sermone tertio Accademiæ Anni* 1707.

Nisi ab adolescentia obsistatur affectibus, hi usque ad mortem dominantur.

Si quod in vita tempus est, quo imperiosius nobis dominentur affectus; hoc sane est adolescentia. Hac ætate magis cæci sumus, audaces, violenti, faciles ut falli sinamus, ac trahi in ea scelera, quæ proprie loquendo sunt hujus temporis pars. Prava studia nostra tunc vim habent majorem, quia vel insigni ignorantia, vel magno veritatis contemptu sustinentur, adjuvante igne adolescientiæ, qui illa ad excessum provehit. In adolescentibus plerumque videtur, vel nimia lætitia, vel violentus dolor, vel furens iracundia. Deprehenditur in illis

illis summa levitas, magna mentis, & cordis dissipatio, temeritas, ac impetus. In hac ætate minimum fidei est, nulla Evangelicis institutis attentio; timor nullus in judiciis Dei. Omnino abhorremus ab iis omnibus, quæ nobis bonos sensus possent immittere. Quæ tunc sit omnium affectionum exundantia, quem interitum adferat animabus nostris, & quam potestatem habeant in nos, difficile est intellectu. Earum tyrannis est adeo imperiosa, ac diuturna, ut quodcumque vallum furenti huic torrenti objiciatur, vulgo nobis dominentur, nosque deducant fere ad ætatem, quæ sepulcro est proxima, *P. la Pesse, Tom. 4.*

Animi cupiditates sunt omnium ætatum.

Nulla ætas immunis est affectibus. Puer es? affectus ut plurimum sola sunt machinamenta, quibus tota moles movetur. Es adolescens? hæc ætas est, qua majorem vim habent & majora afferunt mala. Ætas maturior illos efficit audaciores; animadversio quidem impetum, ignemque illorum moderatur, eorum tamen virus minime purgat. Senectus animi corporisque vires infirmat, non autem cupiditatum. Fallimur, si illas temporis intervallo cicures fieri posse arbitramur, semper imperiosiores fiunt, ac diutina possessio recens est titulus imperii; vetusque habitus legitimæ præscriptionis loco est. *P. Croiset in Asceticis exercitiis pro singulis anni diebus.*

Fidelis obsistere debet propriæ voluntati in ipsis etiam desideriis, quæ culpa vacant.

Dæmoni gratius spectaculum præbere non possumus, quam propriis inconditis desideriis satisfaciendo. Salutis nostræ inimicus interitum nostrum respicit tamquam certissimum, cum quin frænum injiciamus cupiditatibus nostris, & maturato earum impetum coerceamus, illas ipsi fovemus, easque novas vires acquirere finimus. Et sane tunc non cunctantur nos in præceps dare; sola tanti hujus morbi medicina, est palam bellum indicere propriæ voluntati nostræ, eique semper adversari, non solum in rerum vetitarum usu, sed in usu earum, quæ alioquin nullo essent in discrimine habendæ. Velle unice in iis subsistere, quæ sunt essentialia, & credere sibi jus esse negligendi ea, quæ arctæ necessitatis non esse videntur, temeritas est, & præsumptio. Numquid penes te semper erit arbitrium ad statum usque dumtaxat locum perveniendi? Si quando in hujusmodi occasionibus adeo delicatis invenimur, tentatio adeo valida est, ut nisi frequentibus victoriis adepti fuerimus absolutum imperium in nostros affectus, vix, & ne vix quidem fieri possit, ut non corruamus. Quot mortales decepti sunt, qui æque, ac vos, in tuto esse credebant! Cæterum difficillimum est statuere hos limites quos non licet prætergredi. Homo cujus interest seipsum excæcare, facile semet fallere potest ea in re, de qua vix convenit inter eos, qui prudentissimi sunt, simulque integerrimi. *P. Segneri in suis Meditationibus.*

Bellum, quod Christianus infert cupiditatibus suis, illi facile evadit usu, & ipse ibi pacem nanciscitur.

Quantumvis diuturnum, ac difficile sit bellum, quod nobis cupiditatibus nostris est inferendum, animum tamen despondere non debemus. Quodcumque prælium, quod nobismet indicimus, faciliorem efficit victoriam, vires nostras auget, vires autem inimici nostri imminuit. Equus quantumvis igneus sit, fræni impatiens est, nisi quod illum maturato injectis habenis subigere neglexerunt. Animum nostrum indesinenter subditum teneamus, frænum cupiditati nostræ injiciamus, nec illi umquam laxemus habenas, statim inordinata hæc desideria, quæ nostra facilitas alit, & quæ in nos exercent tyrannidem, se se intra justos limites continebunt. Assueti nobismet ea negare, quæ sunt magis innocua, nocua etiam concupiscere cessabimus. Ita cordis pacem inveniamus, & salutis nostræ inimico injustam auferemus lætitiam videndi interitum nostrum. *Idem.*

Deplorabilis status hominis qui suis paret affectibus.

Heus tu! Sapiens Regina Saba Salomonem admiraris in Solio, in aula adeo magnifica, inter tot viros, qui eidem obsequi laudi sibi vertunt: Veni, & vide illum ad idoli pedes manu acerram habentem inter mulieres, quæ dominantur ipsi. Hoc mundi Oraculum, & Regum exemplar cupiditas in turpe mancipium convertit. Nullus est tam sublimis honoris, sapientiæ, & pietatis gradus, ex quo illa peccatorem non dejiciat, ut illum in opprobrium, & ignominiam traducat; Huc quotidie proceditur per affectuum obstinationem, eo usque ut homo per assentationem se se pedibus contemptu dignissimis subjiciat, quod accidit ambitioso; eousque ut a servis suis pendeat, quod accidit voluptuoso; eo usque ut se ipsum non cognoscat, quod accidit furenti, eo usque ut sibi ea, quæ sunt maxime necessaria detrectet, quod accidit avaro; eo usque ut rebus omnibus egeat, quod accidit prodigo. *P. Rueus in Quadragesima.*

Affectibus suis satisfacere idē est ac illos violentiores efficere.

Feræ, quæ bene cicuratæ fuerunt, majorem vim habent, & robur; sine ullo labore discerpunt inimicos, qui illis opponuntur, præcipue si infirmi sint, & parum experti; sed ubi fame domitæ sunt, cum macie confectæ languent, furor earum laxatur, vires imminuuntur, & a minus bellicosis superantur. Ita facilius rationis jugo subjiciuntur affectus, quorum subigendorum cura suscepta est; sed si illos palpamus, eisque blandimur, nobis crudele bellum inferunt, neque vel inducias, vel requiem permittunt. *S. Chrysostomus in Opusculis suis.*

Funestis affectuum effectus.

Quidquid mali ab hominibus accidit, plerumque effectus est humanarum cupiditatum. Sollicitudinum multitudo, desideriorum inexplebilis aviditas, jugis turba ægritudinum, tumultus in familiis, bellum in imperiis, injustitiæ, violentiæ, cædes, latrocinia, enormia scelera, hæreses, schismata, secessiones, scandala, & quidquid terram luctu, atque amaritudine replet; hi sunt humanarum fructus cupiditatum. Infernus, ut ita dicam, earum opus est; illæ etiam quæ præ ceteris magis innocuæ videntur, non carent pœnitentia. Bone Deus! Homo, qui utitur fide, ac ratione potestne dare inducias, vel requiem inimicis, a quibus omnia sibi timenda sunt, quibus omnes debet molestias suas, & qui illum trahunt in extremorum malorum abyssum? Quæ prosperitas inter tot procellas, quæ levissima cupiditas in corde potest excitare? Affectiones omnes norunt artem miscendi tranquillioribus gaudiis tristissimam amaritudinem. *P. Croiset in Spiritualibus exercitiis.*

Affectuum tyrannis.

Misera cupiditatum vestrarum, & mundi mancipia! Ethnicorum cœcitatem irridetis, sed vestram quoque simul condemnate. Quibus curis, dubitationibus, miseriis variæ vos affectiones vestræ subjiciunt? Omnibus satisfacere, hoc vobis non licet, aliquibus tantum obsequi hoc est novum vobismet negotium facessere. Divitiarum amor sacrificandus est amori voluptatum; voluptatum amor amori ambitionis, ille ambitionis illi vestræ tranquillitatis. Quot Domini, quot tyranni! Servus, ut plurimum illi servit, cujus vel nativitas, vel fortuna illum servum fecit; Tu vero tot dominos habes, quot affectibus servis. Quocumque enim te convertas, semper tecum defers, quin fugere possis, pravum cor tuum, ideoque tuum carnificem, S. Chrysostomus ait. Quid dicam de his ægritudinibus, & contradictionibus, quas evitare non vales? Solus es? Tædet te solitudinis tuæ? es ne cum aliis? Vides objecta quædam, quæ displicent tibi, vel audis quædam verba, quæ tibi non arrident. Non desunt tempora quibus domesticas curas exiguis quibusdam solatiis mulcere quæris: sed ingenium triste, quod quocumque te sequitur efficit, ut ad ea animum advertas, quæ te afficiunt mærore. Hæc præclara est merces vestra, cæca, & misera cupiditatum vestrarum mancipia. *Dictionarium Morale.*

Tract de divite, & Lazaro.

Affectus omnes impugnandi sunt.

Parum interest affectuum vim, & nequitiam cognoscere, si ad eos vincendos animus desit: Nullus ex illis est qui nos in Salutis discrimen minime adducat, nullus qui animi morbus non sit. Sed quid prodesset mali naturam detegere, si medendi eidem ars ignoratur. Prima ratio hostem adeo terribilem subigendi est numquam cum illo vel pacem habere, vel inducias. Jam victus est, qui parcit illi: a certaminis pertinacia tota fere pendet victoria. Alicui indulges affectui? jam imperiosior fit, & audacior. Illi satisfacis? jam illius evadis mancipium, jam tibi compedes injicit. Ad examen revoca quinam tibi dominentur affectus, & ini

consi-

consilium nihil imposterum iisdem permittendi. *P. Croiset in Exercitiis Spiritualibus.*

Varii easdem oppugnandi modi.

Non desunt affectus, quibuscum æternum bellum gerendum est; & alii cum quibus æquatis frontibus dimicandum est. Quod autem ad quasdam pertinet cupiditates, in tutum nosmet recipere non possumus, nisi objecti fuga; & scias oportet, quod ex dimidio tantum illis inferre bellum, est illas irritare, non atterere. Iracundus es? ipsam etiam indignationem jugula, & coerce, & licet tibi non deesset causa irascendi contra puerum, servum, subditum, nil age. Numquid tibi dominatur avaritia? Liberali, lubentique animo tribue. Præsertim vero eleemosynas eroga, quæcumque tibi eas denegandi causa desit. Numquid impudicus te urget amor? Ipsam etiam umbram objectis excitantis illum evita. Fuge levissimas etiam occasiones; jugiter ora, temet mortifica, Sanctissimam virginem tenero affectu, & pietate prosequere. *Idem.*

Indulgentia nostra erga nosmet nobis cupiditatum nostrarum adspectum aufert, licet easdem in aliis horrentes nobis videantur.

Seria cogitatio tristium effectuum, quos pariunt cupiditates, egregium est earumdem cupiditatum remedium. Populis quibusdam mos erat filiis suis hominem iratum, furentemque ob oculos ponere, id autem ut in illos brutalis illius affectus horrorem immitteret. Si avarus, si superbus suas intueri possent imagines sibi veluti in speculo quodam exhibitas; ille quidem sordidam tenacitatem, & egestatem voluntariam, ut majora bona relinquat ingratis, qui sumptibus ejusdem hilarem, liberalemque vitam ducturi sunt; hic autem ridiculas nobilitatis, & immodicæ æstimationis sui ipsius imagines cum meritis adeo exiguis: hic unus intuitus antidoti loco illis esse posset. Ceteri affectus nequaquam meliorem sui adstruunt conceptum intuentibus illos tales, quales sunt. Hæc est amoris proprii ars, non nisi in ancipiti luce nostras nobis proponere cupiditates. Hæ nobis non nisi in aliis turpes, periculosæ, perniciosæque videntur: eas vero in nobis semper castigatiores esse volumus, atque minus fœdas, minusque maleficas esse contendimus. Ad examen revocemus falsa præjudicia nostra; de illis nobiscum taciti cogitemus, quemadmodum cogitant alii; affectus nostros non nisi in eorum effectibus consideremus; hi veræ sunt eorum imagines, semper displicent nobis, cum ipsius persona aufertur, & sine ullo fuco videntur. Numquid timendum est, ut cum illis clandestina ineamus commercia? Hoc certum est illos nostris sumptibus ali. Indulgentia, qua illos excusamus, satis ostendit a nobis numquam tamquam hostes haberi. Ipsi magis parcimus affectibus nostris, quam nobis illi. Cum illos vincere ex animo voluerimus, numquam deerunt arma, & subsidia, ut ad optatum finem perveniamus. *P. Croiset in Exercitiis Asceticis.*

Quamvis ad virtutem proni simus, cupiditas omnia extinguit.

Ulline duces affectibus vestris deteriores extitere! Nullus ex illis est, qui non sit cæcus, imperiosus, inexplebilis; nullus qui par non sit vitiandis melioribus animi, & cordis qualitatibus. Vir aliquis, licet pulcherrimum sortitus sit ingenium, licet ad virtutem omnino factus videatur, licet mortalium omnium venustissimus, alicui se tradat affectui, se se illi mancipet, omnes egregiæ illius animi dotes extinguuntur, & optimæ ad virtutem dispositiones arescunt, & corrumpuntur. Præstigium hoc numquid semper vigebit? Fides, & ratio numquid obstupescent? Num latet, cupiditatibus omnia corrumpi, & omnia flagitia, molestias etiam, sollicitudines, ægritudinesque nostras non alio ferme ex fonte manare? Fons hic veneno illitus est; numquid ambigi licet, utrum quidquid inde fuit, vitiosum sit? Sed malorum cumulus est, neminem esse, qui, quantumvis sit suæ cupiditatis mancipium, velit tamen sibi persuadere, quidquid ab ipso fit, per hanc fieri cupiditatem. *Idem ibidem.*

Affectus ita excæcant homines, ut veritatem cognoscere nequeant.

Omnibus affectibus id commune est, ut vix nati cæcitatem afferant. Illi jam mentem, & cor nostrum occupabunt; jam causa erunt præcipua omnium actionum nostrarum; animæ nostræ eorum erunt mancipia, & nos ab eorum tyrannide immunes jam esse existimabimus. Hinc oritur difficultas ferme invicta ab errore avocandi eum, qui ad suorum desideriorum arbitrium circumfertur. Si cæcitas non esset effectus maxime naturalis cupiditatum, fieri ne posset, ut invenirentur mortales adeo parum sui compotes, qui aures averterent, ne intelligerent veritatem? Mortales, quibus cum vel sola recti sensus esset umbra, ad fabulas converterentur? Hoc tamen faciunt omnes fere, qui cupiditatibus suis se trahi sinunt. Omnes temporum omnium hæretici innumerabilia nobis hujus rei exempla suppeditant. Nullus est, qui non fuerit dominandi aliqua cupiditate correptus antequam in errorem laberetur. At numquamne inter filios rebelles contra Ecclesiam matrem suam inventi sunt sensati viri, qui stultitiam hanc detegere potuerint? Utique inter Hæreticos magna non defuerunt ingenia; sed cupiditas excæcabat illa, nec permittebat illis, ut justum facerent judicium earum rerum, de quibus quæstio habebatur. Ariani, Manichæi, Nestoriani, Eutichiani, Pelagiani, Lutherani, Calvinistæ, omnes denique Hæretici, ac Sectarii oculos clauserunt, ne viderent veritatem, averterunt aures, ne illam audirent, & se se ad fabulas converterunt; has in veritatis locum adoptarunt, ac lumini tenebras subrogarunt. Nulla hæresis est, quæ sexcentas non amplectatur insanias, quæ omnes homines recto sensu fruentes, quibus cupiditas sua non dominatur, avertunt. Quoties visus fuit homo idem amplecti errores, quos impugnaverat? Quoties summi viri postquam adepti sunt fere immortales gloriæ coronas, quod vel Religionem tutati sunt, vel magna subegerunt imperia, & mox passi sunt se violento aliquo affectu trahi, tandem facti sunt Deo, & hominibus invisi, eorumque memoria mortalibus omnibus abominabilis? Affectus prædominans quam metuendus est? Quodnam bellum ipsi inferre debemus, & omnibus generatim, & peculiariter singulis! *Pater Croiset in Asceticis Exercitiis.*

Jugiter decertandum est contra nostros affectus.

Arbitramur nonnumquam nos esse nostrummetipsorum dominos; scimus enim extrinsecus præ nobis ferre aliquam moderationem; quia recedimus ab occasionibus, quæ nostras cupiditates perturbarent; quia status noster nosmet inter ea continet objecta, quibus vulgo nil criminosum inest, & quibus sine ulla religione adhæremus. Gravissimus error est credere, posse aliquem sui ipsius dominum esse, nisi diu certaverit, ac plurimas retulerit victorias. Imperium in nostros affectus non est solum mensium quorumdam, vel annorum opus, sed opus est vitæ totius. Donec vita vivimus, homo in nobis semper insurgit adversus hominem, ratio contra rationem, caro adversus spiritum concupiscit. Utamur igitur erga carnalem hominem ea arte, qua contra servum pertinaciter rebellem uteremur. Incessanter vigilemus, ut subigamus illum; illum quacumque arte ad officium revocare conemur; & nihilominus numquam illum ita subjiciemus, ut subinde nobis bellum non inferat. Duorum hominum, duarumque legum oppositio in nobis ad mortem usque vigebit. Sed ubi plures de homine peccati victorias retulerimus, illi dominabimur eo modo, quo in hac vita licet; hoc est illum magis, magisque in dies infirmabimus, nec magno labore opus erit, ut illum in officio contineamus. Hic sensus est illorum Spiritus Sancti verborum, *Sub te erit appetitus tuus; & dominaberis illius.* Genes. 4. *P. Segneri in Meditationibus.*

Omnia in nobis moriuntur præter affectus.

Heu! S. Gregorius ait, omnia in nobis, & extra nos moriuntur, nostris tantum cupiditatibus exceptis. Pulchritudo flaccescit, intereunt amici, existimatio perit; anni, divitiæ absumuntur; corporis valetudo atteritur, corpus senescit; domus hæc lutea, ac terrena, in qua Deus animam nostram tamquam in conducto collocavit, undequaque fati-

fatiscit, & nos de migrando non cogitamus. Cupiditas eo ardentior facta est; quo magis reliqua omnia moriuntur; fugientem sequimur mundum, & innitimur labenti, ac nos lapsu suo in terram pertrahenti. *Abbas du Jarry*.

Ratio, quæ deberet regere hominum cupiditates, econtra illas magis, magisque inflammat.

Egregie S. Gregorius Nyssenus animadvertit cum natura homines simul & belluas sub eodem genere conjunxerit, atque in sensitivi appetitus communione consociaverit, ideoque in motuum, atque ægritudinum, quas ipsi affectus, & cupiditates vocamus, partem vocaverit; motus hos in hominibus, quam in brutis esse vehementiores; in bestiis quippe solo sensitivo appetitu excitantur, qui cum in perquisitionibus suis fines suos habeat, bruta quoque in motibus suis finem habent, neque longius se extendunt quam ad objecta determinata, in quæ ipse appetitus sensitivus fertur. In homine vero excitantur affectus non in inferiori tantum appetitu, qui illis cum brutis communis est: ipsa etiam ratione cientur, quæ illos ad suum solium attollit, & ita spiritales efficit, ideoque nocentiores. Cum autem hæc illi sit prærogativa, ut aliquid habeat infiniti; affectus quoque in boni hujus partem accedunt, & feruntur non solum in objecta, quæ appetitum animalem irritant, sed ulterius procedunt, & sine termino in infinitum corrumpuntur per unionem hanc, quam habent cum Spiritu, qui eo quod prorsus aliam habet in sua universalitate extensionem, quam appetitus sensitivus in adhæsione ad particularia, & sensibilia objecta, recentes detegit vias, sexcentasque reperit inventiones, quibus efficiat, ut omnia accidant e voto, atque suæ cupiditati satisfaciat; voluntas vero cum spiritu conjuratione facta sexcenta inflammat desideria ad finem eumdem, qualia sunt ultiones, inimicitiæ &c. *Pater Antonius a S. Martino a Porta*.

Homo voluptuosus ita suis se mancipat affectibus ut eos etiam ultra ipsorum objectum ferat.

Animi nostri cupiditates nos adigunt ad ea facienda, quæ sunt etiam extra ipsorum objectum. Hoc intuemur in exemplo Balthazar, cui cum non satis esset cum voluptate bibere, & inebriari, jussit præterea sacra Templi vasa afferri, cum quibus non sine sacrilegio ipsa, & pellices ejus potarunt. Ecce quo procedunt affectus: voluptatem enim perquirere, hoc sensitivus agit appetitus, & post hæc facere non ea solum, quæ rationi adversantur, quales sunt crapulæ excessus, verum etiam ea, quæ neque ipsis conveniunt affectibus: *facientes ea quæ non conveniunt*, hoc sane monstri loco habendum est. Etenim quod homo in blasphemias erumpat, hoc inde oritur, quod iratus est, & iracundia hæc ab ipsius oritur impatientia; quod facile intelligitur. Ecce perturbatum affectum; quod autem in voluptate, quæ ex lætitia procedit, immisceantur impietas, atque blasphemiæ, quæ nihil adjiciant voluptati: hoc sane non adeo facile est intellectu. Hoc igitur vitium est non carnis quidem, quæ suam oblectationem tantum, & voluptatem inquirit; sed spiritus, qui invenit, & addit hoc crimen voluptati. Quid ergo impietas, quæ nihil voluptati confert, partem intemperantiæ constituat? Quia voluptatis usus perversus fuit, quæ non solum non regit affectus, verum etiam illos ultra ipsorum objectum corrumpit. Hinc oritur, ut cum duo homines eumdem virtutis actum in eadem specie exerceant, ille, cui plus est ingenii, efficiet majori cum virtute, non secus ac ex duobus hominibus, qui ad eamdem criminosam actionem feruntur, & in eadem specie: ille cui major inerit ingenii vis, majus crimen admittet, & magis veteratorie operabitur. Exempli gratia, ex duobus proditoribus ille, cui plus erit spiritus, nequiorem proditionem reperiet, magisque detestandam perfidiam. Adeo verum est tantum abesse, quod spiritus affectus in officia contineat, ut acutior, atque ingeniosior fiat ad eos perturbandos. *Idem*.

Sanctitas acquiri nequit nisi

En quid a vobis expectat Deus, ut vos coronet; ut videlicet inordinatos affectus vestros oppugnetis: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*. Certamen hoc efficiet, ut tandem sanctitatem consequamini; sanctitas enim neque in vocalium orationum multitudine sita est, neque in eleemosynis, & jejuniis, neque in macerationibus, aliisque id genus pietatis operibus, sed unice consistit in perfecta suimet ipsius victoria. Hæc autem pietatis opera non aliud sunt, quam ad victoriam hanc indipiscendam adminicula, vel ad summum non aliud sunt, quam fructus. Quid igitur prodesset mihi omne illud bonum, quod extrinsecus facio, si interim alerem affectus æque vividos, si me aliis præferrem, si superioribus meis non obtemperarem nisi ægerrime, & gravate, si vanitatem sequerer, si in sanctissimis actionibus unum me quærerem, videlicet voluntatem meam, vel hominum æstimationem? Hæc numquam fuit sanctitas illa, quam a nobis *Jesus Christus* requirit. Heu! quot mortales falluntur in conceptu, quem animo fovent veræ virtutis. *Pater Segneri in suis Meditationibus*.

animi sui affectus subigendo.

Ob sanctitatem quærendæ incessanter nobis gerendum est bellum cum affectibus nostris.

Ut coroneris, non sufficit certare, verum etiam certandum est, uti oportet: *Legitime*, hoc est secundum S. Augustini explicationem, infatigabiliter, indesinenter, sine intermissione; verbo, toto vitæ curriculo. Sunt qui certant, & nihilominus non coronantur; quia in fine prælii fatigantur. Oportet autem numquam abjicere arma. Si quando vincimur, non ideo animum despondeamus; e contra novo cum ardore revertamur in prælium. Non exigit Salvator, ut taliter de affectibus nostris triumphemus, ut affectus nequeant ultra contra nos rebellare. Quidquid ille petit, id est, ut contra omnes illos pugnemus, quin cum aliquo eorum pacem faciamus: *Usque ad mortem certa pro justitia*. Hoc non debet nos perterrefacere, quia ratio facile dimicandi, est jugiter dimicare. Affectus enim colligunt vires, statim ac illos spiritum, ut ita dicam, ducere permittimus, cum infirmentur jugi bello quod illis infertur. Ceterum spiritualia certamina ab aliis omnibus sunt longe diversa, in his quo magis exercemur, infirmamur, & atterimur; sed quo magis exercemur in illis majorem vim, ac virtutem acquirimus; quia omnis vis nostra in gratia est, & gratia augetur pro magnitudine constantiæ, quam in præliis habemus. Igitur timeamne bellum, ubi vires meas augeri sentio, & in quo certus sum me fulgidissimam coronam esse adepturum: *Idem ibidem*.

Quam gloriosum est imperium, quod acquiritur in affectus postquam illis bellum indictum fuit.

Patientia, cujus elogium a Spiritu Sancto profertur, non aliud est quam hominis in seipsum, suasque cupiditates imperium. Hoc autem imperium non acquiritur, nisi postquam plurimos earum incursus, impetusque repulimus. Sed quia ita felix est, ut tandem victor de acie decedat, hic invidere non debet magnificis titulis, quibus celeberrimi terrarum domitores appellantur. Si minus nominis sui gloria universum terrarum orbem replet; saltem victoria illius nemini lacrymas extorquet. Palmæ, quas demerit, imbutæ non sunt Gentium sanguine, neque funestam referunt famam eo quod late Provinciæ vastaverit. Talis fuit victoria, quam retulit David, cum Sauli vitam concessit eodem tempore; quo Rex hic vitam illi conabatur eripere; victoria Davidi longe gloriosior fuit, quam mors Goliath, Syria victa, deletique inimici populi Dei. Hoc ipsum data paritate dici potest de illis, qui animabus lucrandis, ac Evangelico ministerio intenti sunt, ac de illis, qui unice vacant sibimet ipsis vincendis. Gloriosum est facere, ut populus integer Salvatoris jugum suscipiat, eumque videre ad pedes nostros provolutum corde dolore saucio, oculisque lacrymarum imbre manantibus. Sed si qui hæc operatur miracula nondum affectuum suorum dominus est; si vanitas, si avaritia, si invidia illi dominantur; simplex artifex, mulier sine litteris, ac studiis, quæ tamen scit cordis sui affectus subigere, multo majori in pretio est habenda. Cum alienum

dum-

dumtaxat vitium impugnatur, non semper adeo difficilis est victoria; quia omnes adhiberi possunt vires, atque potest unusquisque se se totum prælio committere; Sed cum domesticus est inimicus, & manus, ut ita dicam, cum se ipso quisque conferere debet, repente dimidium victoriæ amissum est. Cor nostrum semi victum nosmet seducere quærit, & ubi primum simulatæ pacis injicitur sermo, præsto sumus, ut arma abjiciamus. Quis dubitare potest utrum victoria hujusmodi in occasionibus relata infinitam gloriam promereatur? Caveamus tamen ne contemnamus illos, quos status suus se se objicere cogit periculo pro fratrum suorum salute: Ne illos contemnamus, inquam, si quod illis excidit infirmitatis inditium. Leves hæ noxæ illis idem ferme sunt, quod magnis ducibus pulvis; postquam absterserint sudores suos, & leves has deleverint maculas, gloriæ corona se amictos intuebuntur. Sed ut ad rem nostram redeamus: beatus ille, qui patientiæ constantiam adnectere novit, & qui simul potest ictum inferre, & propulsare! Si utrumque hoc simul facere vobis non licet, ne momento quidem hærete; vosmet tantum defendite. *P. Segneri in suis Meditationibus.*

Affectus Prædominans.

Funesti Effectus cupiditatis prædominantis.

Affectus, qui dominatur, efficere potest, ut alii omnes rebellent. Indignatio, invidia, cupiditas auri, odium vetus, irritata superbia, potissimum vero affectio impudica; quas horribiles vastitates (bone Deus!) hæc omnia non pariunt. Suppetit nobis magnum, & apertissimum veritatis hujus argumentum in Herode. Ex quo impurus Herodiadis animus cor ejus pervasit, quot inde effectus ab ipsa impudicitia prorsus alieni extiterunt! Impietas, irreligio, injustitia! Herodias est uxor legitima Philippi fratris Herodis ipsius, ex illo filios peperit: cupiditas huc usque non procedit, neque rem adeo diligenter inspicit. Herodes legitimam conjugem suam dimittit, licet potentis Regis filiam, qui valida manu injuriam filiæ illatam ulcisceretur. Herodes cum regni totius scandalo fratris sui conjugem ducit sibi in uxorem. Cæcitas non postremus est cupiditatum effectus. Joannes vir ille adeo justus, & sanctus ac veluti talis ab ipso Herode recognitus contra publicum hoc scandalum zelo Religionis invehitur. Herodes, quamvis antea Joannem vereretur, & coleret eousque, ut multa juxta illius consilium operaretur, jubet illi caput abscindi, & hoc pacto illum nequissimæ libidini sacrificat. Ecce quid cupiditas potest, & facit. Temporum omnium exempla nobis plurima suggerunt argumenta, quibus affectuum nostrorum violentia, tyrannisque probetur; & nihilominus cum feris hujusmodi pacem sancimus, easque cicures efficere volumus. Nutrimus illas, palpamus, & eam, quam gignunt, vastitatem miramur. *P. Croiset in Asceticis exercitationibus.*

Singuli suum habent prædominantem affectum.

Nemo est, cui sua desit infirmitas. Primus hominum parens non caruit sua, quæ quanto illi, nobisque steterit pretio non ignoramus. Post illius lapsum, fatalis in peccatum proclivitas nobis remansit; miseri, si illi cedimus, beati si inde triumphum reportamus. Si dicitis, nullam vobis inesse infirmitatem, superbi estis; si illam ignoratis, cæci. Satis est rationis esse compotem, ut illam detegamus, sincerum ut illam confiteamur, Christianum, ut illam ploremus, omnemque curam adhibeamus, ut illi adversemur. In hoc violenta est in ludum propensio, in illo in detractionem, atque irrisionem. Modo latens est affectus, modo palam erumpens. Nunc ingenium acre, & amarum, quod omnia censoria nota perstringit, omnia satyrico spargit aceto, omnia mordet: illic secreta simultas in eos, a quibus se affectum injuria quis putat. Alius ceteros superare vult ingenio, luxu, nobilitate, falsi honoris jactantia, & iracundiæ magnitudine, ob factum, quod fortasse ne ex deliberata quidem voluntate accidit. Sed quid necesse est ire per singula? Invidia exsiccat, devorat ambitio, vanitas occæcat. Avaritia tyrannis est; voluptas furor; pigritia enervat; ira moderationem, & rationem aufert. Sed nullum invenirem exitum si singillatim persequar universa. *Abbas Boileau in delectis sententiis.*

Hæc una mihi infirmitas est, ais. Quot igitur requiruntur, ut quis damnetur? Duo dominantes affectus possunt ne simul consociari? Hoc idem est ac si diceres: Venenum mihi hæret in corde tantum; ceterum valeo. Hoc unum si excipias, in munere meo obeundo sedulus sum; verum scias hanc esse reservatam illam affectionem, quam Deus sibi postulat sacrificari. Quod tibi antiquius est, illud est, quod abs te petit Deus. Fidelem in omnibus esse, uno tantum articulo dempto, hoc est hæreticum esse. Principi obtemperare, una re tantum excepta, hoc est esse rebellem. Conversum esse, una tantum excepta infirmitate, hoc est in ipsa impœnitentia versari. Numquid extremo Judicii die audiet te Dominus dicentem; Si hoc peccatum excipias, in omnibus tibi fidelis fui. Respondebit ille, nisi in hoc peccasses, salutem consecutus fuisses. Hoc unum vetat, ne me tibi in æternum concedam: Hoc unum, inquiet ille, me cogit, ut a te absim in æternum. *Ibidem.*

Unicus, qui nobis dominetur affectus nos æternū perdere potest.

Affectus vulgo fortiter ei inhærent cordi, ubi nihil, quod sibi adversetur inveniunt. Tunc illi palam in nos rebellant, nec ultra pares sumus illis propulsandis. Tunc illi nobis scelera imperant, neque imperium audemus detrectare. Tunc nos in omne flagitium immergunt, desuntque nobis vires, ut resurgamus. Ita negligentia, qua levia evitamus crimina, semper primum opus est nostrarum cupiditatum. Injuria in illis coercendis in singulos dies recentes illis adjicit vires, nosque tandem illorum tyrannidi subjicit. Nos autem admirari nequaquam debemus magnam facilitatem, qua vincunt animas nostras, dum negliguntur; hæc enim eadem negligentia, qua initio nobismet cavemus, illis in futurum tempus integram victoriam pollicetur, cujus quoddam veluti præludium est. Christianæ Religionis principia sufficiens nobis esset subsidium ad cohibendos harum cupiditatum progressus: & hæc vivendi ratio negligentiæ plena paulatim beata illa delet principia, in quibus præcipue primum robur nostrum consistit. Statim ac negligentia ista illud auget proclive, quo ultro in malum ferimur, quatit maxime necessaria virtutis fundamenta. *Sermo Quintus Accademiæ Anni* 1701.

Infirmitas tua, ais, est ambitio. Si contentus non es eo statu, in quo Deus te esse vult, nequaquam contentus eris illo, quem ipse vis, & fortuna numquam replere te poteris, si Providentia tibi cancellos circumscribere non potest. Infirmitas tua avaritia est; tu qui ea tenes subsellia, ubi jus dicendum tibi est, si recipis munera quia juste judicasti, quam primum munera recipies ne judices juste. Infirmitas tua est autem murmurationi præbere. Si absque necessitate audis ea quæ vere contra proximum dicuntur, & falsa brevi audies, iisque adhibebis fidem. Non diffides de industriis detractoribus, qui tuo abusi zelo, ut suis faveant affectibus, ultioni suæ arma ministrant, tuasque virtutes mutuantur, ut vitiis suis satisfaciant. Infirmitas tua morum festivitas est: Conversationes liberæ, & lepidæ; sermones teneri, & patefacti sunt omnia interitus tui, & symptomata pudicitiæ, quæ nisi magnæ adhibeantur præcautiones, quam primum interibit. Vos qui sciti estis in ornatibus concinnandis, mortalique ante placendi; infirmitas vestra est velle nitescere, & oculos omnium in vos convertere, quamvis puritatem vestram sartam tectamque tueri velitis, sed vosmet comere, & exornare cupitis iis orna-

Diversi affectus qui hominibus dominantur, & mala quæ gignunt.

men-

mentis, quæ alienam tentant pudicitiam; creditisne hoc citra scelus fieri posse, vel posse fieri quin in vos detrahentium ora exacuatis? *Abbas Boileau in delectis sententiis.*

Propositum affectus nostros coercendi satis non est, ut illi superentur; strenue illis resistendum est.

Fortasse consilium cæpimus vim cupiditatum nostrarum coercendi; sed simplex consilium potestne nobis præbere certitudinem, nos illas superaturos? Habitus in quo sumus, illis obtemperandi, est ne dispositio ad fræna illis injicienda, Cur igitur illas roboramus per eam negligentiam, qua illis resistimus; & nihilominus illas a nobis debellatum iri confidimus? Continenter cedimus, quidquid quantumvis parum, audeant in nos, & speramus validas earum incursiones a nobis esse facile propulsandas? Quæ temeritas, quod ipsi augeamus ejus inimici potentiam, quem nobismet superandum proponimus! Quænam illusio nostris confidere viribus eodem tempore, quo funestum nostræ infirmitatis periculum facimus! *Sermo Quintus Accademiæ anni* 1701.

Tyrannis affectuum quibus satisfacere cupimus.

Aliquidne durius est affectuum tyrannide, ubi semel illis laxata sint fræna? Quæ miseria gravior, ac turpior, quam avari, vel nepotis alicujus, qui insanis sumptibus bona sua obliguriit? Quæ persecutio illi similis, qua semet lacessit ambitiosus, invidus; cor odio repletum, ac ardore se se ulciscendi inflammatum. Quænam lacrymæ amariores indignatione, tædio, ægritudine voluptuosi? Semper voluptatum pertæsus, & sitiens; eas quærit cum possidet; minus earum, quas habet, quam quas non habet, vel non habet amplius, afficitur sensu; semper reparare quærit præsentia fastidia, desideria sua ad novas delicias extendens, vel earum, quæ prætericrunt, animo repetens recordationem. Tunc putat se vere beatum esse, quia in præsentiarum se vere miserum sentit, atque tunc se miserum putabat, quia se non satis felicem sentiebat. Hinc illa fastidia, inæqualitates, morositates, oblivio, & horror earum rerum, quæ præ ceteris amatæ fuerunt. Hinc illi aculeati morsus, non semper quidem conscientiæ, plerumque vero honoris, ac avaritiæ, cum homines ad incitas se redactos vident fortunarum suarum interitu ad expiandum in otio coacto, viridium annorum otium coactum. *P. de la Rue in Adventu.*

Facilius est suis resistere affectibus, quam illis satisfacere.


Non tanti stat suam superare imbecillitatem, quanti, se se eidem mancipare, non tanti stat navim non conscendere in mari frequentibus procellis repleto, quanti stat ex naufragio evadere. Non tanti stat animi sui ægritudines prævertere, quanti sua crimina reparare. Ad avaritiam vincendam opus est cancellos circumscribere miseræ cupiditati habendi; opus est contentos esse bonis, quæ habentur, ut vero illis quis se mancipet; opus est, novas divitias acquirat, ut his numquam perfruatur. Ut libidini fiat satis, quot impedimenta! quot inutiles, ac molestæ considerationes, quot angores sustinendi! Ad illam vincendam, sufficit aliquando proficere indignatione aliqua personæ illius, quæ amatur; unum sufficit tædium; una sufficit absentia; cadaveris unius honor, vivida inferni recordatio. Ut satisfieret ultioni; olim satis erat ut staret periculo vitæ amittendæ, vel furore illius auferendæ. Ut cum gloria vincatur, illam contemnere satis est; atque ut cum fructu impugnetur, satis est sacrificare illam Salvatori. Quod ad ambitionem spectat; aliquisne visus fuit sua fortuna contentus? At nonne inventi sunt, qui seipsos felices putaverint, eo quod illam abdicaverunt? Misera infirmitas! fatalis hominis propensio! Nulla requies vera est, nisi ubi ab illius tyrannide liberamur. *Abbas Boileau in delectis sententiis.*

Magna ars evadendi perfectum est dominantem affectum cognoscere eumque oppugnare.

Affectibus bellum indicendum est; hoc primum esse debet Christiani hominis officium; sed non omnes simul impugnandi sunt. Hostium vires dividendæ sunt, ut facilius de illis victoria referatur. Incipiendum autem ab illo, qui ceteris præpollet, tunc enim reliquos vincere nullius momenti est. Dominans ista cupiditas illis vim, motumque tribuit, & eorum omne robur constituit. Sed si magnopere refert illam impugnare, necesse est illam cognoscere, quod difficile est; Etenim vel adhuc imbecillis est, vel fortis. Si primum, non efficit, ut sentiatur, atque hoc pacto in turba illam dignoscere arduum est; sin alterum; efficit, ut sentiatur nimis, & hoc ipso nos excæcat, & prohibet ne ipsam cognoscamus, vel saltem ea cognoscamus crimina, in quæ nos impellit. Verum si multæ operæ, ac laboris est dominantem affectum secernere, hoc nequaquam inter ea numerandum est, quæ fieri nequaquam possunt. Ut autem agnoscas illum; recede paulisper a mundi impedimentis; externarum quippe tumultus curarum prohibet, ne auribus nostris accidat strepitus, quem affectus edunt intrinsecus, Ceterum in solitudine longe melius affectuum motus percipitur; ideoque facilius est illos agnoscere. Mox cor tuum scrutare ut quæras quænam sit cupiditas ingenio tuo magis conformis, in cujus pugna majorem experiris animi repugnantiam, quæ facilius tuos perturbat affectus, quæ sæpius tuis cogitationibus, consiliisque permiscetur; quæ acriores intus efficit impressiones, quæ extrinsecus parit noxas & frequentiores, & graviores, quæ te majoribus objicit periculis, & quæ in te habere potest tristiores effectus. Ne dubites quominus vere sit dominans affectus ille, in quo hæc omnia signa reperies. Hic tibi potissimum oppugnandus est, ab hac enim victoria salus tua pendet. *Pater Nepveu in Christianis animadversionibus.*

Tumultus affectuum, ubi simul junguntur.

Non desunt delicatæ quædam occasiones, ubi sapientissimus quisque hæret, & quid sibi consilii capiendum ignorat. Conscientia, honor, utilitas, affectus simul omnes commoti mentem agitant, & cor, sibi plerumque invicem oppositi. Vult quin velit, id capit consilii, quod displicet, id exequitur, quod ex dimidio tantum deliberatum est, & quod tandem se fecisse nollet. Illud arripitur consilium, quod novissimum se obtulit, quia recentior est impressio, & quia ubique non nisi impedimenta, scopuli, syrtes occurrunt. *Auctor recens.*



AMBI-

AMBITIO.

MONITUM.



OC ambitionis argumentum cum titulo de superbia vel inani gloria conjunxissem; quippe & hoc vitium est æque humilitati Christianæ oppositum; verum cum animadverterem, præterquam quod nimis late pateret, ac vagaretur ea concio, quæ hæc omnia simul complecteretur, ambitionem, etiamsi in propria significatione usurpetur, satis affluentem suppeditare posse copiam, quâ plures sermones conficiantur; hæc me impulit ratio ut argumenta sejungerem, licet re adhuc integra mihi proposuissem, titulos vel argumenta minus quam fieri posset multiplicare. Non potui tamen facere quin aliquando ambitionem cum superbia, & honorum, dignitatumque, circa quæ versatur ambitio, mobilitate confunderem: hæc enim argumenta mutuis, ut ita dicam, vinculis ita arcte sibi cohærent, ut vix penitus sejungi valeant. Ambitionis autem vitium insectari possumus, vel ostendendo inanitatem ac mobilitatem ejus boni, quod tantopere deperimus, vel ob oculos subjiciendo affectus istius, qui nuncupatur Ambitio, errores causas, effectus, injustas vias, quibus ad propositum sibi finem pervenire contendit; verbo, ea omnia, quæ eamdem criminosam efficiunt, & nos ad illam fugiendam impellunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex sermonum de Ambitione structura.

I. 

Emo in hac etiam vita magis calamitosus haberi potest viro ambitioso, idque tribus de causis, quæ concionis partitionem possunt efficere.

Primo propter labores, servitutem, & voluntariam captivitatem, cui se subjicit ut votorum suorum summam assequatur; hoc est, ut ad eos dignitatum gradus, quo contendit, perveniat. Quis enim ignorat, quam turpi, humilique ratione sese demittant homines Principum virorum gratiam aucupaturi? quam illis assiduam servitutem exhibeant? quomodo seipsos torqueant, ut aliorum ingenio, atque libidini accommodentur? Hæc Sanctus Bernardus considerans in ea erupit verba: *Oh ambitio ambientium Crux!* Hoc argumentum locum præbet Ambitiosi hominis imaginem, atque caracterem per hypothiposim describendi, & ostendendi, quo pacto sese demittat, ac repat, ut mox extollatur; quomodo diuturnam serviat servitutem, antequam dominetur: quo sane in loco latissimus dicendi campus aperitur. Quo metu, qua sollicitudine ipse torquetur incertum consiliorum suorum eventum præstolatus? quo mœrore conficitur, ubi nequicquam se conari intelligit, atque semet, de spe sua dejectum intuetur?

Altera est ratio, quod ambitiosi sese, & Deo, & hominibus invisos efficiunt. Hoc ipsa etiam protulit Veritas de superbia verba faciens, quæ ab ambitione divelli non potest; quippe ambitiosis conatibus juxta Spiritus Sancti oraculum Deus resistit. Immo videtur hic oblectationem percipere illorum insanis consiliis sese objiciens, eorumque cogitationes evertens; arrogantia enim, superbia, & audacia, ambitioni semper adhærent. Exempla ex Bibliis deprompta luce clarius hanc veritatem ostendunt. Neque minus sibi apud mortales odium conflant, qui naturali quadam, occultaque superbia pati minime queunt se ab aliis superari; unde fit, ut clanculum eorum consiliis adversentur, nisi palam audeant resistere, & secreta cordis lætitia perfundantur, sicubi ambitiosorum hominum consilia subverti cognoscunt.

Tertio denique propter pericula, quibus semper patent seu a Competitoribus, aliisque honorum candicatis, seu ab ipsa expetitarum dignitatum natura: cum enim hæc omnia fluxa sint, & fragilia, sexcenta oriri possunt quæ vitæ ipsorum tranquillitatem perturbent.

II. Cum honor bonum sit extra nos positum, & omnino ex aliena opinione dependeat; ubi per ambitionem appetatur, plerumque tria illa usu veniunt, quæ Sanctus Bernardus his verbis complexus est; quæ justæ concionis, & argumentum, & partitionem possunt tribuere: *indebite venit, præpropere affectatur, periculose captatur.*

1. *Indebite venit*; ostendendum est gradum honoremque expetitum non fuisse promeritum. Ambitio hoc ipsum liquido probat; nam merito, quo deficimus, & quod ad id unice quæritur, supplere conamur officiis, ambitu, aliisque rationibus, quæ satis ostendunt, nos eo quo contendimus, justa, ac legitima via pervenire non posse; vel saltem non adesse nobis quantum satis est modestiæ, moderationis, & humilitatis, ut honores ultro ab aliis deferri expectemus.

2. *Præpropere affectatur*; nimis festinamus, altius quam par est ambitionem provehimus, atque pondus humeris nostris non ferendum assumimus. Hinc est, quod magis apparet meritorum nostrorum exilitas; quam si in priori conditione subsistere maluissemus; honoris enim amplitudo, & fulgor dignitatis, quem per ambitionem assequimur, in majorem lucem adducit ingenii, atque virtutis nostræ tenuitatem; itaut mortalium contemptui nosmet objiciamus, dum eorum existimationem appetimus.

3. *Periculose captatur*; non sine periculo, & quin plura subeamus discrimina, honorum dignitatumque quas tantopere concupivimus, possessionem assequimur: plerumque enim ea abutimur auctoritate, quam hac ratione sumus adepti, ac periculum urget, ne illius jacturam cum rubore & confusione subeamus. Quod vero magis metuendum est licet plerumque expendatur minus illud est, quod in aperto salutis nostræ periculo versamur.

Ambitio omnia salutis nostræ subvertit principia. III.
Ad hanc tria requiruntur; innocentia, obedientia omnibus religionis legibus, rectus gratiarum, quibus a Deo cumulamur, usus. Hic totus est Christianæ religionis spiritus: quem ambitio omnino subvertit.

1. Sanctitatem atque innocentiam per ea, quæ suadet, scelera delet.

2. Evertit pietatem, ac religionem, inspirat enim inobedientiam. Immo tollit etiam eam, quæ debetur Deo, observantiam nos contra eumdem attollens.

3. Divinis abutitur gratiis, quæ efficiunt, ut omnem

omnem mundi gloriam contemnamus: *Depromptum ex libro, qui inscribitur: Essais des Sermons pro feria tertia post secundam Quadragesima Dominicam.*

IV. Pro argumento & partitione concionis desumi possunt verba, quæ superborum ambitiosorumque omnium protulit antesignanus: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Isaiæ 14.

1. Ambitio ambitiosorum inflammat desideria, qui numquam voti compotes funt, & nunquam satis dicunt; *Ascendam*. Hoc est ambitionis ingenium, ut semper velit ascendere, & numquam in præsenti, quem tenet, statu subsistere: longius semper provehit cogitationes suas, nec ullos eidem cancellos constituit.

2. Auctoritatem affectat, potestatem, jurisdictionem in alios; Ambitiosus enim, & dominari vult, & ubique *super altitudinem*. Verum quomodonam hac utitur potestate? quem aliis sese præbet? quo oculo illos, qui infra se positi sunt, intuetur?

3. Ea appetit officia, quæ longe & genus, & meritum suum excedunt; suimet obliviscitur, & dignioribus viris semper exæquat; *Similis ero Altissimo.*

V. Ambitio primum in cogitationibus, & cupiditatibus suis cæca est: *Nescitis quid petatis*; quibus verbis Dei Filius Zebedæi filiis respondit.

2. Arrogans est in sensibus suis. Duo illi discipuli responderunt: *Possumus*; Salvatori sciscitanti utrum Calicem suum bibere possent.

3. Periculosa est; & odiosa in effectibus: *Et decem indignati sunt. Hæc est partitio P. Bourdaloue in iis sermonibus, qui sub ejus nomine circumferuntur.*

VI. Ambitio ipsa propriam urget eversionem duplici ratione. Primo veram deserens gloriam, quæ ex virtute & sanctitate profecta nos coram Deo extollit, profluxa, inani, fragilique gloria, quam petit: Secundo ea insistens via, qua ad irreparabilem perniciem, extremamque confusionem abducit juxta Evangelii verba: *Qui se exaltat, humiliabitur.*

VII. Ambitio criminosa est, 1. in conatibus suis; 2. in iis quibus utitur rationibus, ut quod contendit, evincat. *Fromentieres, & dictionarium morale.*

VIII. Ambitio 1. vitæ nostræ quietem perturbat sollicitudinibus, timoribus, & mœroribus, quos parit, 2. Conscientiæ nostræ quietem perturbat injustis rationibus, quibus utitur, ut consiliorum suorum finem assequatur, & sceleribus, quorum est causa. *Auctor sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta in Dominicali.*

IX. Duæ res ambitiosos homines coram Deo nocentissimos exhibent.

1. Cæca & præceps audacia sese evehendi, quæ ideo efficit, ut nihil æquum, iniquumque intentatum relinquant, ac sexcenta committant scelera.

Altera: indignans, ac non ferenda eorum superbia, ubi fuerint evecti. *Ex morali dictionario.*

X. Primo, ambitio in natura sua considerata est sese attollendi festinatio, quæ affectum nunc maxime periculosum efficit.

2. In rationibus, quas usurpat, est injusta, commentitium meritum suum in propriæ indignitatis supplementum convertens.

3. Est in exitu funesta, seu tempus, seu æternitatem spectemus.

XI. Pro concionis partitione assumi possunt illa regii Prophetæ verba; *Exaltatus autem humiliatus sum, & conturbatus*. 1. Plerumque enim per summam injustitiam exaltamur: *exaltatus*. 2. Hæc exaltatio nonnisi propriæ tranquillitatis jactura comparatur: *Conturbatus*. 3. Peculiari Divinæ ultionis supplicio semper humiliamur: *Humiliatus sum: Auctor Sermonum Christianorum.*

XII. Honor, ad quem ambitiosus anhelat. 1. Inanis est propter fundamentum, cui innititur; quippe res est fluxa, fragilis, & Christiano homine indigna; deinde propter hominum judicium, qui & ipsi falluntur; denique turpi pœnitentiæ subjectus est.

2. Injustus est; concupiscit enim atque illud sibi vendicat bonum, quod ad se minime spectat.

3. Fatalis est, atque æternæ felicitati perniciosus. *P. Texier in Dominicali.*

Ambitio ex omnibus sceleribus illud est quod 1. XIII. secum certissimum adfert supplicium propter curam, & sollicitudinem eidem inhærentem.

2. Imprudentissimum est, & maxime cæcum; cum enim attolli cupit, in præceps ruit.

3. Minus certum est id assequendi, quod appetit, & facile, ubi illud obtinuerit, potest amittere.

Tria omnem hominem ab ambitione debent deterrere. XIV.

1. Quod honor quod tanto ardore perquiritur, inanis est, fluxus, & fragilis.

2. Quod difficile servari potest; qui enim illuc evasit, invidiæ, calumniæ, & obtrectationibus patet.

3. Quod juge instat periculum, ne & in hac vita & in futura salus amittatur.

Ambitio 1. Excæcat mentem efficiens, ut id conemur quod ultra vires virtutemque nostram positum est, ac prohibens, ne nosmetipsos agnoscamus. XV.

2. Corrumpit animum illi superbiam & inanis gloriæ cupiditatem immittens.

Sæculi honores, quos tanta aviditate nostra ambitio persequitur, triplici ratione considerari possunt juxta triplex objectum, ad quod referuntur. Primo: quoad Deum, qui eorum est distributor. Secundo: quoad proximum, supra quem illi nos extollunt. 3. & quoad nosmetipsos, qui eos vel possidemus, vel possidere conamur. XVI.

Quoad primum, sæculi honores, quatenus ad æternæ prædestinationis ordinem pertinent, totidem sunt Dei vocationes, quas nostra polluit ambitio, illas appetens tamquam utilitates mere temporales. Hæc prima pars erit.

Quoad alterum, hujus sæculi honores nos vere subjiciunt, ut proximo inserviamus; & illis abutitur ambitio nostra eosdem requirens, ut vanum imperium, superbamque dominationem exerceat. Hæc erit pars altera.

Quoad tertium, hujus sæculi honores nos multa agere, & pati citra quamlibet excusationem cogunt; & ambitio nostra eosdem corrumpit eo consilio appetens illos ut ibi tranquillam, jucundamque vitam inveniat. *Desumptum ex veris sermonibus P. Bourdaloue concione pro feria 4. post secundam Quadragesima Dominicam.*

In duabus concionis partibus ostendere possumus, primo, nihil insanius esse ambitioso in cogitationibus suis; secundo, nihil esse infelicius ambitioso in effectibus. XVII.

Quod ad priorem pertinet partem, duplici ratione probari potest. 1. Quod ambitiosorum conatus voluntati adversantur illius, qui unus efficere potest, ut e voto cedant. Hæc igitur temeritas est, quæ ab insania vix abest: 2. Quod ut cogitatum finem assequamur, ea inimus consilia, quæ aptiora sunt, ut voto frustremur.

Rationes partem alteram comprobantes hæ sunt: 1. Quod hac eadem via Deus ad contumeliam, quæ suæ infertur providentiæ, ulciscendam, plerumque permittit, ut ambitiosi cogitatus in eorum denique cedant perniciem, qui sua imperia detrectant. 2. Quod ad Æternitatem pertinet, si ambitiosi hominis conatus feliciter cedunt, hinc ille terrenis rebus magis inhæret, ideoque minus alterius vitæ bona recogitat, & minus quam par est, salutem suam operatur.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia queat ad allatas partitiones amplificandas.

Sancti Patres.

SAnctus Joannes Chrysostomus 71. *in Matthaeum cap.* 22. exhortatione illa ubi ostendit, quam perniciosum hoc vitium sit, & quam variis rationibus in animum irrepat, loquitur etiam de pravis effectibus, quos parit in nobis inanis gloriae cupiditas..

Idem *homilia* 30. *in Genesim* ubi haec explicat verba. Gen. 11. *Venite, faciamus nobis Civitatem, & Turrim, cujus caput erit usque in Caelum &c.* describit ambitionis ingenium, inanesque cogitatus, quos Deus gaudet confundere.

Idem *in caput* 23. *S. Matthaei* in ea JESU verba Pharisaeorum Ambitionem redarguentis; *amant primos accubitus in mensis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi*, ea deplorat mala, quae peperit in Ecclesia Ecclesiasticorum ambitio, & fusius de hujus affectus injustitia & indignitate verba facit.

Idem in homilia 68. in S. Joannem ea explicans verba Joan. 12. *dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*, ambitionis naturam, perniciosos ejusdem effectus, & servitutem, quam serviunt illi, quibus hic dominatur affectus, ostendit.

Idem homilia 2. in S. Pauli ad Titum Epistolam, ea mala describit, quae perniciosissimus hic effectus ubique parit, iis praesertim qui ab eo possidentur. Hoc praestat homilia 43. ad populum Antiochenum, ubi affectus ejusdem vim comparat ventis mare agitantibus, atque subvertentibus, & ea cientibus naufragia, quae saepius accidunt, quo quidem in loco doctoris nitet eloquentia.

Origenes *tract.* 2. *in Job.* Sanctum hunc virum exhibet in Sterquilinio tamquam divinum praeceptorem omnes homines erudientem, atque docentem exemplo, quonam redigatur mundi gloria, quae est humanae ambitionis objectum. Hoc ipsum perficit *homilia* 3. *in Psalm.* 36. *& homil.* 2. *in Psalm.* 8.

Sanctus Gregorius Papa lib. 2. moralium illa explicans verba Job cap. 13. *Memoria vestra comparabitur cineri*, describit artes, atque rationes, quibus ambitiosi sese evehere, & gloriam adipisci contendunt.

Idem *libro primo Epistol.* de pastorali munere verba faciens ejus felicitatem ostendit, qui ambitione vacuus vitam tranquillam ducit, & e contra sollicitudinem, & laborem hominis ambitiosi, qui semet inanibus torquet contentionibus.

S. Bernardus sermone 6. in Psalm. *Qui habitat*, paucis ea omnia complectitur, quae de ambitione dici possunt.

Idem libro tertio & quinto de consideratione palam exprimit mala, quae aevo suo hoc vitium, quod tunc impune grassabatur, in Ecclesia pariebat.

Ascetici aliique.

Cardinalis Bona in principiis Christianae vitae *cap.* 26. 27. ambitiosi hominis imaginem exhibet, cujus ingenium, labores, & perniciosos conatus describit.

Moralis Christiana in *Pater libr.* 5. in ea verba *Fiat voluntas tua* art. 4. acriter in illos invehitur, qui per ambitionem Ecclesiasticas dignitates affectant.

Eusebius Nierembergius *libro 6. de arte voluntatis capite quarto*, ostendit flocci faciendam esse hujus mundi gloriam, quam ambitiosi conantur acquirere.

Pater Nepeveu in Christianis considerationibus pro singulis anni diebus in ea consideratione, quae est pro septima die Martii, loquitur de natura, & ingenio ambitionis, de injustis rationibus, quibus ambitiosus sese conatur attollere; & ostendit quantopere hoc vitium religionis nostrae praeceptis adversetur.

P. Croiset in Christianis considerationibus *Tom.* 2. *in tit. pecul.* plurima, eaque egregia in hoc affert argumentum.

P. Baeza in allegoricis, ac moralibus commentariis pluribus in locis ostendit ambitionem caecitatem hominibus offundere, eosdem in magna scelera impellere, a praecipuis virtutibus detorquere, ejusque remedium esse difficillimum pag. 174. 208. 513. 682. 374. & 377.

Dandinus lib. 35. hoc argumentum fusius quinque capitibus prosequutus est.

Drexellius *in palaestra Christiana* p. 2. cap. 3.

La Vega duo de hac re capita confecit.

Reina *serm.* 15. *Quadrag.* ostendit quantus terrenus honor inanis sit, & perniciosus, & numero sermonis ejusdem 12. loquitur de ambitione.

Concionatores Neoterici.

P. Oliva in hoc argumentum speciosas affert animadversiones in sermones 14. 16. 31. ac in eo praecipue, qui est in diem festum S. Nicolai.

P. Matthias Faber tom. 3. sermonum suorum hoc argumentum pertractat.

P. Delingendes *serm.* 2. *in* 4. *Quadrag. Dominicam*, occasione arrepta ex JESU CHRISTI fuga, cum turbae illum Regem sibi consistere cupiebant, loquitur de vanitate, ac mobilitate honorum Mundi, & de his omnibus, circa quae plerorumque hominum ambitio versatur.

Maimbourg. *Serm. pro* 4. *feria post* 3. *Quadr. Dominicam* de perniciosis ambitionis effectibus verba facit.

Fromentiere in sermone, quem in hoc argumento est elucubratus, ambitionem semper noxiam esse demonstrat.

Auctor sermonum Christianorum concione *pro* 10. *post Pentec. Dominica* fusius miseram Ambitiosorum conditionem amplificat.

P. Duneau concione *in Evang. feria* 4. *post* 3. *Quadrag. Domin.*

Idem, sermone *pro* 15. *post Pent. Domin.* de honorum mundi vanitate, & de quaerentium eosdem Ambitione disceptat.

La Volpilliere in quodam sermonum suorum argumentum hoc pertractavit.

P. Bourdaloue in iis sermonibus, quibus suum nomen inscribitur concione, *pro feria* 4. *post* 3. *Quadr. Domin.*

Idem in sermonibus vere suis in idem Evangelium de Ambitione verba facit, sed alia insistit via, aliamque huic sermoni formam tribuit.

Inter morales sermones unum de Ambitione reperies.

In libro, qui inscribitur. *Essais de Sermons* pro Quadr. tom. 1. pro fer. 3. 2. hebdomadae in Quadr. conc. 4.

Auctor sermonum in omnia Ethicae Christianae argumenta sermone *pro* 16. *post Pentec. Domin.*

Granatensis in locis communibus.

Peraldus tom. 2. cap. 6.

Busaeus in *Panario* V. *Ambitio.*

Labatha *in Thesauro morali.* V. *Ambitio.*

Lohner, V. *Ambitio.*

Berconus, *in Dictionario Morali.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturae in hoc argumentum.

VEnite, *faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad Caelum, & celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras.* Genes. 11.

Non dominator vestri, nec dominabitur in vos filius meus; sed dominabitur vobis Dominus (ajebat Gedeon) Judic. 8.

Suble-

Sublevavit te cor tuum, contentus esto gloria, & sede in domo tua. 4. Reg. c. 14.

Inimici Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Psalm. 60.

Qui altam facit domum suam, quærit ruinam. Proverb. 17.

Elevasti me, & quasi super ventum ponens, elisisti me valide. Jobi 30.

Noli quærere a Domino ducatum, neque a Rege Cathedram honoris. Eccl. 7.

Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. Eccl. 7.

Non adjicies exaltari amplius in Monte sancto meo. Sophon. 3.

Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. Matth. 20.

Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ibidem.

Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Ibidem.

Quod altum est hominibus, abominatio est ante Deum. Luc. 16.

Charitas non est ambitiosa. 1. ad Cor. c. 13.

Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Ad Hebr. 5.

Qui potestatem sibi assumit injuste, odietur. Eccli. 20.

Dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei. Joan. 12.

Exempla ex Veteri Testamento desumpta.

Parentum nostrorum Ambitio.

Asserere possumus inordinatam hanc sese attollendi cupiditatem effecisse quodammodo, ut primi parentes se se crimine adstringerent, antequam etiam Dei legem infringerent. Cum enim a dœmone audivissent, futurum, ut, si vetito vescerentur fructu, Deo similes fierent boni, malique cognitionem adepti; inanis hæc elationis atque commendatitiæ Divinitatis illecebra, quam illis Spiritus tentator proposuit, rebellionis illorum causa exstitit, eosque una cum posteris in eas præcipites egit calamitates, quæ eumdem cum terrarum orbe finem sunt habituræ. Quamquam vero videatur Ambitio, quæ tunc majorem patiebatur in homine excusationem, cum adhuc esset gloriosis innocentiæ privilegiis ornatos; post scelus illud, quod tot eidem conflavit miserias, subsistere non debuisse, attamen vitium hoc per eadem illa, quæ hoc auferre debebant, percrebuit, atque inolevit. Homo reus miserior factus est, & simul Ambitiosior; amor hic propriæ excellentiæ iis egressus finibus, quos Divina Sapientia præscripserat, verum objectum suum inanibus magnitudinis, dignitatisque speciebus confundens, animam nostram inextinguibili inanis gloriæ siti replevit.

Pœna Core, Dathan Abiron.

Core, Dathan & Abiron viventes adhuc terra deglutivit, eo quod inani Ambitione tumentes in Moysem atque Aaronem insurrexerant; & pro illis populo Dei imperitare voluerant; vel quod illorum imperium pati non potuerant per Ambitionem quodlibet imperii genus detrectantes. *Sufficiat vobis*, ajebant illi, Numer. 16. *quia omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus*. Quid nobiscum cum Ducibus, atque Principibus? nonne præest populo suo Deus? Cur isti (Moysem, & Aaronem indigitantes) supra cæteros sese attollere cupiunt, atque Principatum sibi vendicare? Hæc verba satis superque spiritum Ambitionis ostendunt, quo legitimam detrectabant auctoritatem, quam Deus duobus summis illis viris a se ad illud ministerium evocatis, concesserat.

Quibus artibus utebatur Absalon Regnum affectans.

Qua arte usus non est Absalon, ut populi benevolentiam, animumque sibi deliniret, Regnum, quod affectabat assecuturus? Illum intuere simulatis blanditiis amplectentem quoscumque regias ædes introire cerneret, ut ibi sua negotia transigerent. Simulabat sibi cordi esse eorum causam, a se eamdem probari, eisque gratiam, favoremque pollicitus in partes suas singulos allicere conabatur, ut sibi a patre deficienti opitularentur; Ambitione suadente, ut artes, dolosque necteret antequam in vim apertam erumperet parentis optimi solium occupaturus.

Spiritus Sanctus non sine quadam voluptate in calamitosissimi Amani persona exhibere voluisse videtur Ambitionis caracterem, ejusque curas & dolores quæ efficiunt, ut numquam quies illa inveniatur, quam quilibet in honorum acquisitione perquirit. Cum Aman eum honorum cumulum assecutus esset, qui vix sperare potest, nullo habebat in pretio dignitates, Principis gratiam, gradum, quem in aula obtinebat, & omnia Regis Assueri beneficia, qui cum eo solium, regiumque imperium divisisse videbatur; eo tantum quod nescio quis e populo ipsum tamquam inertem hominem contemnebat, eique prætereunti vel salutem dicere, vel assurgere detrectabat. Nonne ille confessus est, se majori ob eum contemptum dolore, ac tristitia affici, quam ob honores, & bona, quæ possidebat, lætitia, & voluptate afficeretur? Ex quo ut ultionem caperet, nonne omnia cum ipsa vita miserrime amisit?

Alexandri Magni exemplo Scriptura docet ambitiosos numquam votorum suorum compotes fieri.

Spiritus Sanctus primo Machabæorum libro Ambitiosis omnibus in Alexandri Magni persona videtur illudere. Hic e Regibus ortus erat; quod illum felicem efficere poterat, nisi nimis felix esse maluisset. Sorte sua non contentus toti etiam Græciæ voluit imperitare. Hanc suæ ditioni subegit; non acquievit tamen, sed vota inquieta ad Persarum, Medorumque imperium extendit. Hoc etiam post terribilium Exercituum cladem potitus est: at nunquid ideo contentus? non ita sane: Indiæ licet in immensum terræ tractum porrenderentur, ab ejusdem ambitione appetuntur; quibus etiam suo imperio subjectis nondum suorum votorum est compos. Cum nullum ultra optandum Regnum occurrat; recentes sibi terras, recentia sibi fingit imperia: in quibus cum nihil reale nansciceretur, quod suæ satisfaceret cupiditati, obiit diem dolens, quod ambitioni suæ minime satisfecisset: *& post hæc decidit in lectum, & cognovit quia moreretur*. 1. Mach. cap. 1. Terribile toti naturæ spectaculum eorum malorum, quæ in corde humano parit Ambitio.

Exempla alia malorum, quæ parit ambitio.

Plura adhuc supersunt in Scripturis exempla eorum consiliorum, sive furentium, sive insanorum in quæ hominum allidit Ambitio, insigniumque pœnarum, quas ex illis deposcere Deus consuevit. Insigniora tamen hæc ferme sunt: crudelis Ambitio Zambri 3. *Reg.* 16. qui cum Regem suum sustulisset, Regnum ejusdem occupaturus, septem dumtaxat regnavit dies; nam cum hostium persequentium manibus elabi, eorumque ultionem non posset effugere, intra Regias ædes conclusus igne, undecunque injecto cum Regia domo conflagravit: Ambitio Nabuchodonosor universam terram imperio suo subjicere meditantis, quemadmodum secundo libri Judith capite refertur: *Vocavit duces, & bellatores suos, dixitque sibi cogitationem esse, omnem terram suo subjugaret imperio*: Ataliæ Ambitio matris Ochoziæ Regis, quæ filii sui mortem intuita adeo furenti regnandi libidine exarsit, ut eos, quicunque Regii sanguinis supererant inhumana internecione deleret, dempto uno Joas, qui furentis manus evasit, quemadmodum 4. Regum lib. cap. 11. legimus.

Exempla ex novo Testamento desumpta.

Exemplum filiorum Zebedæi.

Vigesimo S. Matthæi cap. legimus, Matrem filiorum Zebedæi ad JESUM accessisse, eoque adorato dixisse: *Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo*. Cum duo illi discipuli tantum sibi licentiæ capere mini-

minime auderent, ut per se hoc efflagitarent, Matris precibus usi sunt, ut voti sui damnarentur. Cum nondum Regnum hoc spirituale nossent, de quo toties apud illos sermonem JESUS habuerat, illudque Regno terreno simile existimarent; liquet, Ambitionem, atque sese supra cæteros extollendi libidinem illos, ut id peterent, impulisse. Quomodo excepti fuerint, & quid in occasione adeo insigni contigerit, nemo unus ignorat. Mundi Salvator (Patres inquiunt) nobis aperiens quid mali esset in horum discipulorum Ambitione, Ambitionis nostræ magnitudinem ostendere voluit, ut quæ illis præcepta tradidisset de re hac adeo necessaria, nobis quoque prodessent, nobisque sanctam humilitatem citra quam nulla salus injicerent.

Ambitio Pharisæorum, ac Doctorum Legis. Ambitio non postremum fuit eorum vitiorum, propter quæ Dei filius contra Pharisæos invectus est, quippe quod præ cæteris magis adversabatur ejusdem consilio, medicinam scilicet afferendi superbiæ, atque arrogantiæ nostræ assidua humilitatis exempla suppeditando. Itaque nullam elabi passus est occasionem ambitionis eorumdem perstringendæ, quam in iis etiam deprehendebat actionibus, quæ in speciem sanctiores videbantur; neque fatigabatur hoc vitium increpans, quæ inter præcipua humanæ salutis obstacula recensetur. Quam ob rem 20. *S. Luc. cap.* eos quos erudiebat, admonet; ne hos superbos & ambitiosos legis doctores imitentur, qui latis togis incedere gaudent, qui in publicis plateis omnium salutationes excipere gestiunt, qui primas in Synagogis Cathedras, primosque in conviviis recubitus diligunt.

Mirum sane est, & quod palam ostendit, quam naturale sit hoc hominibus vitium, & quam arduum illud abjicere; intueri Salvatoris ejusdem discipulos in humilitatis schola innutritos, ante quorum oculos tot virtutis hujus exempla versabantur, & qui nihil ferme præterea ex ore Divini Præceptoris audiebant; hos inquam discipulos ambitioni adeo patuisse, ut invicem contenderent, atque disceptarent, *quis eorum major esset*.

Quorumdam Scripturæ locorum ad hoc argumentum applicatio.

Ambitio primum mundi peccatum, ac cæterorum origo. *Eritis sicut Dii*. Genes. cap. 3. Dæmon videns hominem ad Dei ipsius imaginem, ideoque ob nobilem aliquem finem creatum, arbitratus est, nullas eidem inesse posse cogitationes, quæ naturæ suæ dignitati minime responderent. Hac de causa, uti S. Ambrosius animadvertit, illum tentavit ex hoc loco, sperans futurum ut eum perderet, atque de felici statu, quo fruebatur, dejiceret hac eadem via, qua ipse Dei, hominumque inimicus de suo statu deciderat; nempe per Ambitionem, eidem suadens, ipsum Deo similem futurum, atque altiorem assecuturum dignitatem præ illa, in qua a Deo fuerat constitutus. Inde vero S. Ambrosius *l. 4. in Evang. Lucæ*, concludit, ambitionem primum fuisse parentis nostri peccatum, & reliquorum originem: *non Evam cibus inflexit, non mandatorum oblivio destituit; sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit*.

Ambitio passim in mundo regnat. *Venit Princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam*. *Joan.* 14. S. Augustin. *lib. de Agone Christ.* quærit, cur Dei filius dæmonem *mundi principem* vocet, & ideo vocari respondet, quia ibidem absoluta fere cum potestate dominatur per triplicem concupiscentiam, de qua loquitur S. Joannes, quarum omnium quæ magis late pateat, majorem vim, majoremque tyrannidem exerceat, ambitio est, per illa verba indigitata: *Superbia vitæ*. Reliquæ profecto neque adeo universale, neque adeo absolutum tenent imperium. Non pauci Avaritiam superarunt; quidam etiam carnem suam cum ejusdem concupiscentiis crucifixerunt, uti loquitur S. Paulus: at nemo fere ambitione vacuus est, nemo qui mundi hujus honoribus non afficiatur.

Ambitio efficit, ut ea omnia fiant, quæ charitas jubet. *Charitas patiens est, benigna est &c. non est ambitiosa*. 1. ad Corinth. 13. Licet ambitio in iis omnibus quas Apostolus expetit, qualitatibus charitati adversetur, tamen eamdem in omnibus fere agendi rationibus imitatur; quam ob rem eruditus quidam Interpres illam simulatam, personatamque charitatem appellat. Hæc enim, uti charitas, patiens est; sexcentas enim repulsas, atque contemptus patitur, ut cogitatuum suorum finem assequatur. Si charitas de omnibus studet benemereri, nonne ambitiosus sese affabilem, officiosumque præbere nititur, ut hominum benevolentiam aucupetur? Charitas omnia suffert, omnia credit, frigus, æstumque patitur: Hæc etiam patitur ambitio, ut quod contendit, evincat.

Efficit ambitio, ut numquam contenti simus, & numquam pace fruamur. *Ignis numquam dicit, sufficit*. Prov. 30. Ignis Ambitionis est symbolum: o vos sæculi curis dediti, quid vetat, ne læta pace fruamini, & numquam voti compotes sitis? Felices esse cupitis; felicitatem vero numquam acquiritis; verum vobismetipsis, & ambitioni, quæ dominatur in vobis, & cui vosmet, tradidistis, succensete: Ambitioni, quæ, licet vos Deus tot bonis in hac vita cumulaverit, prohibet, ne contenti sitis eo, quod estis, & vos cogit, ut id esse velitis, quod minime estis: Ambitioni, quæ per teterrimum ingrati animi vitium erga Dei providentiam efficit, ut nullo habeatis in pretio, quod habetis, & semper id cupiatis, quod minime habetis; eo usque ut hac de re indesinenter fatigemini: Ambitioni, quæ in corde vestro tot humiles, turpesque sollicitudines ciet; quæ alienas prosperitates vobis in amarissima doloris argumenta convertit; quæ insanor in vobis furores excitat, ubi aliquem conatibus vestris adversari cognoscitis; quæ tot odia, ac simultates parit, ubi quis consiliis vestris obstiterit...... Verum cum aliquando tandem affectum hunc exueritis, qui omnem vitæ vestræ pacem perturbat; cum Christiana, atque sapienti moderatione vosmet eo in ordine continere didiceritis, in quo vos Deus ipse constituit; deinceps subjecti Deo id unum cogitabitis, ut vosmet in statu vestro sanctificetis; quin semper inanem felicitatis ideam persequamini, quam vos quidem vobismet veluti summum bonum exhibetis; sed cujus inanis spes vos jugiter torquet.

Ambitio non nisi post multos exantlatos labores ad gloriam extollit. *Elevans allisisti me*. Psalm. 101. Quot curas injicit ambitio illis, qui honorum hujus sæculi cupiditate abripiuntur? quot illi pati coguntur? elevans illos allidit. Dei Filius sibi multa ferenda fuisse testatur, ut in gloriam suam ingrederetur: qua in re videtur ambitio Deum ipsum imitari voluisse, cœlestesque leges easdem esse, ac terrenas. Mundus enim, si quid habet gloriæ, hoc nonnisi post exantlatos labores impertit; & Crucis humilitas, quæ Cœli via est, est quoque via dignitatum, ad quas ambitiosi anhelant. Reliqui affectus clam eos torquent, quibus dominantur; una ambitio palam torquere gestit; nos extollit ut facilius, ac melius dignoscamur, & semper in suæ crudelitatis spectaculum convertit...... oh ambitio! quomodo placere potes, dum crucifigis? nulli sunt dolores in terris, qui tuos exæquent, & nihilominus te deperimus; homo ille, cujus conditio invidiam, & admirationem ciet illum suspicientibus, & qui nihil felicitati suæ par inveniri arbitrantur, illuc nonnisi actionibus servilibus, turpibusque potuit evadere. Quamdiu ferre conatus fuit summi alicujus viri, a quo se provehendum esse arbitrabatur, ingenium asperum, atque contemptum? quoties eidem illa præstitit officia, quæ iis, qui hujusmodi obsequiis deliniri gestiunt, adulatio, & quæstus cupiditas deferre consueverunt?

Qui ascendit, non per ambitionem in ipso glo- *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei*. Psalm. 130. Domine numquam passus sum, me decipi hoc inani fulgore, qui circum

ria fastigio retinet humilitatem, cum me undique nitet, neque me impulit unquam ambitio, ut id conaret, quod meas vires, statum, genusque superaret. Hoc ipsum ille de se dicere potest, qui quantumvis dignitatibus polleat, intra modestiæ, atque Christianæ humilitatis cancellos se continet. Qui vere Christianus est, licet in oculis mundi magnus sit, semper tamen est exiguus in suis, & quin altius evehi contendat, sublimioresque dignitates affectet, eum etiam, quem obtinet gradum, non sine quodam mœrore intuetur. Non est eorum similis, qui vertigine laborant, ubi in aliquem sublimem locum elati, inferiora despiciunt. Christianus humilis corde licet ad honorum fastigium se evasisse conspiciat; quemadmodum non per ambitionem illuc ascendit, præsto est, ut per humilitatem descendat. Quamvis sortem mutet; non mutat sensum atque cum Regio Propheta profiteri potest: *non est exaltatum cor meum, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.*

Non patitur Deus, nos per ambitionẽ ex eo egredi statu, in quo nos Providentia constituit. *Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui.* Jerem. 49. his verbis olim Idumæos superbum ambitiosumque populum Deus increpavit. Contumeliæ, quas providentiæ meæ ambitio tua intulit, mihi dolorem attulere. Seculo perpendi singula vestigia tua: superbæ ideæ illæ, quæ mentem tuam excæcabant, effecerunt, ut res ipsas aliter, quam sunt, intuereris, atque prohibuerunt, ne de illis æquum ferres judicium. Numquid ergo temere effeceram, ut mediocrem conditionem nanciscereris? ego vero citra indignationem te de eo statu, in quo, ut tuæ consulerem incolumitati, collocaveram, emergere intuebor? videbo te impune nihil intentatum relinquentem, ut ad id, quod conaris, pervenias? *Qui habitas in cavernis petra, & apprehendere niteris altitudinem collis.* Apage, temet incompositis ambitionis tuæ cupiditatibus abde, iisdem satisfacere cura si potes; elevatio tua tibi æternum offundet opprobrium, efficietque, ut majori cum dolore eam sentias humilitatem, in quam te rursus immergam. Vix primos criminosæ cupiditatis tuæ fructus primoribus labiis degustabis, cum in te exardescet furor meus, atque, ut insignior fiat pœna tua, illud ipsum præstolabor temporis monumentum, quo ad hoc munus, quod tanto ardore concupiscis, aggredieris. Licet solium ipsum teneas, te inde dejiciam. *Cum exaltaveris quasi Aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Lapsus tuus stuporem injiciet omnibus, quibus fortunæ tuæ fulgor admirationem injecerat. Quamprimum hanc adorantium turbam evanescere, tibique thus indignum denegari conspicies, quod modo quæstus cupiditate potius, quam existimatione tibi defertur. Quin tui misereantur, omnes tuæ illudent calamitati: *& erit Idumaa deserta: Omnis, qui transibit per eam, stupebit, & sibilabit super omnes plagas ejus.* Quilibet stupore percussus sciscitabitur, quidnam fortunam tam solide constitutam everterit: ego vero, dixit Dominus, sciscitantibus respondebo; ambitionem tuam fuisse tui lapsus originem, & me efficere voluisse, ut tot infelicium, quos oppressisti, desinerent querimoniæ; imo me mihimetipsi jus reddere voluisse, ac providentiam meam tot insanis cogitatibus lacessitam ulcisci.

PARAGRAPHUS IV.

Loci ac sententia SS. Patrum in hoc argumentum.

N*On fere quisquam est qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam.* S. August. super Psal. 1.

Quoties hominibus praeesse desidero, toties Deo meo praeesse contendo. Idem, ibidem, & Bernard. Serm. 2. super missus est.

Locus superior, sine quo populus regi non potest, etsi administretur ut decet, tamen indecenter appetitur. Idem lib. 19. de Civ. Dei, c. 19.

Cum iis, qui naturaliter sibi pares sunt, dominari quis affectat, intolerabilis omnino superbia est. Idem lib. 1. de Doctrina Christ.

Honor quærere te debet, non ipsum tu. Idem, lib. 50. Homil. Homil. 13.

Etiam in sinu Sacerdotum ambitio dormit; ibi sub umbra recubat, in secreto thalami se fraudulenter occultat, Cyprian. Serm. de Jejunio, & tentat.

Mirentur alii signa qua fecit, mirentur incredibilem abstinentiam; ego nihil ita stupeo, quam gloriam illum & honorem calcare potuisse. S. Hieron. Epist. 51. Quæ est de vita B. Hilarionis.

Ut sævi quidam venti in tranquillum mare delati totum ab imo subruunt, ut & arena cum undis misceatur; sic & ambitio, & turpis quæstus animam subeuntes omnia subvertunt. S. Chrysost. Homil. 43. ad Pop. Antioch.

Excæcat mentis intuitum præsertim gloria furor. Idem, ibidem.

Omnibus servis magis est servus, gloria cupidus. Idem, Hom. 49. ad Pop. Antioch.

Primatus, fugientem se desiderat, desiderantem fugit. Idem, in imperfect. opere. Homil. 35.

Hoc est quod humanum genus potissimum perdidit, quia non vult natura sua mensuram agnoscere, sed majora semper desiderat, & quæ supra suam sunt dignitatem, votis concipit. Idem, Hom. 30. in Genesim.

Blandum nomen honos, mala servitus, exitus æger. Epist. 36. S. Paulini ad S. Augustinum.

Sape quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subvertere, facit ambitio criminosos. S. Ambros. super Luc. lib. 3.

Resipiscat unusquisque a furore secularium dignitatum, quæ mentem, animumque perturbant, ut compos sui esse non possit. Idem, ibidem.

Ambitiosus, ut dominetur aliis, prius servit: curvatur obsequio, ut honore donetur; & dum vult esse sublimior, fit remissior. Idem, ibidem.

Ambitio est quædam simia charitatis; charitas enim patiens est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis; charitas benigna est pauperibus, ambitio divitibus. Charitas omnia suffert pro veritate: ambitio pro vanitate: utraque omnia credit, omnia sperat; sed longe dissimili modo. Salvianus in Serm.

Locus regiminis desiderantibus negandus est, fugientibus offerendus; virtutibus ergo pollens, coactus ad regimen veniat. S. Gregor. in Pastor.

Ordinate ad ordines accedendum est. Nam casum appetit qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus, per abrupta ascensum quærit. Idem, ibidem.

Qui primatum quærunt, sibi ipsis dedecori sunt, ignorantes hoc se pacto in infima detrudere. Chrysost. Hom. 66. in Matth.

Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus aut actibus non offendit, ipse tamen initii sui est perniciosus exemplo: & difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. S. Leo Epist. 85. *Ambitio furoris causa.* Bernard. Epist. 126.

Ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedio morbos creans, generans ex medicina languorem. Idem in Psalm. 90.

O Ambitio! ambientium crux. Quomodo omnes torquens omnibus places! Nihil acerbius cruciat, nihil molestius inquietat. Idem lib. 3. de Consid.

Nullum tibi venenum, nullum gladium plus formido, quam libidinem dominandi. Idem, ibid.

Ambitiosi cum honorem adipisci desiderant, ceteros sibi prius per amorem acquirunt; cum vero adepti fuerint, elati potestate, eos ipsos per tumorem sibi postmodum subjiciunt, quibus prius privati

non

non terrorem, sed amorem exhibebant. Idem, Ser. 3. ex parvis.

Propter ambitionem, paratos ambitiosos videas universa pericula subire, scandala suscitare, sustinere odia, opprobria dissimulare, negligere maledicta. Idem de Convers. ad Cleric. c. 32.

Sicut peremptoria est altitudo quæsita, ita periculosissima est oblata. Cyprian. l. de Jejunio, & tentatione Christi.

Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris quo ambimus pervenire? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? & per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? August. lib. 8. Confess.

Relinque ambitum: tumida res est, vana, ventosa; nullum habet terminum; tam sollicita est ne quem ante se videat, quam ne alium post se...... confragosa in fastigium dignitatis est via. Seneca, Epist. 85.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus ad hoc de ambitione argumentum potest afferri.

Ambitionis natura. AMbitio incompositus affectus est, quo rapimur cupiditate nosmet attollendi: vel immoderata est honorum, ac dignitatum cupiditas, quæ nobis mortalium obsequium, & existimationem conciliat. Hanc illius notionem tradit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. quod intelligi, & explicari potest de inordinato affectu semet provehendi ultra generis, status, præsentisque conditionis fines, & quæ ideo cæca est fervensque cupiditas paribus quidem antecellendi, majores æquandi, immo nonnumquam etiam hos superandi, quin vires, captum, virtutesque nostras metiamur. Hinc fit, ut semper sit conjuncta cum superbia, & arrogantia, quarum quædam est species, vel pars.

Peccatum est. Hinc infertur. 1. Ambitionem malam esse, & peccatum; efficit enim ut honores optemus, & persequamur inordinate, videlicet contra ordinem Dei, qui illos quidem optari jubet, quatenus ejusdem prosunt cultui, & ut credito nobis munere perfungamur; deinde vero eos nonnisi legitimis rationibus vult obtineri. Hoc autem Sallustii in Catil. testimonio probavit Angelicus; huic enim ex solo rationis lumine fuerat veritas illa probata, ubi ait bonos æque, ac improbos adniti, ut magis progrediantur, altioremque gradum obtineant; cum hoc tamen discrimine, quod boni illuc recta tendant; atque justa ineant consilia, ut votorum summam assequantur; alii vero per viarum ambages, videlicet per scelera, dolos, fraudes, improbitatem ac vim illuc perveniunt.

Quot modis ambitio sit inordinata. Infertur 2. tunc ambitionem esse inordinatam, cum honores, quos minime mereris, concupiscis, atque persequeris; veluti si tamquam sapiens ac virtute præditus haberi cupis, cum scientia, & virtute careas; vel si aliqua scientia aut virtute præditus majorem honorem, observantiam, & laudem exigis, quam merearis. Denique inordinata est ambitio, cum Deo acceptum non refers honorem, quo cumularis, sed eumdem te mereri putas, illumque tamquam ultimum finem, atque præcipuum objectum tibi proponis. Hoc profecto in Christiano viro rarum est, ac difficile; si enim hunc sensum Religionis suæ principiis prorsus oppositum foveret, næ ille quidem Christianus esse desineret. Plerique tamen ambitiosi ita vivunt, quasi hoc in errore versentur.

Infertur 3. licere quidem perquirere, & arripere occasiones conditionis suæ provehendæ; hoc est emendi, vel acceptandi eas dignitates & munera, quibus nos pares censemus, & quæ captum nostrum minime excedunt, dummodo ad Dei nutum exquirantur, atque acceptentur, neque ad id incomposito quodam affectuum tumultu rapiamur. Opus quippe est, ut ait S. Augustinus, primos æque, ac novissimos gradus in Republica repleri. Sed licet idoneus sis, ut satis digne gradum aliquem teneas, jam te indignum præbes, cum ostendis te a temetipso dignum existimari, hac enim ratione ambitionem tuam prodis.

Infertur postremo honorum, dignitatumque desiderium tunc etiam esse inordinatum, cum quin hic honor in proximi utilitatem conferatur (ita enim præcepit Deus, ut summi viri infimos tuerentur, eisque opem ferrent) eodem potius abuteris ad eos opprimendos, vel despiciendos. Itaque cum super alios ratione quapiam evectus fueris, justa licet, atque legitima, si pauperes dedignaris amplecti, vel cum illis te superbe geris, hoc satis probat, te cum dignitatis gradum unius ambitionis ergo quæsivisse; Hæc ego ex pluribus Theologis; vel si mavis ex Auctoribus quos hoc nomine appellandos censui, quoniam de ambitionis natura & effectibus Theologorum more loquuntur, hæc inquam collegi, quorum doctrinam in compendium cogere studui. Dignitates recipiendæ non sunt, nisi ut proximo prodesse possimus, aliter est ambitio.

Quid sit honor, & quomodo exprimi possit. Ut hujus vitii penitiorem, perfectioremque cognitionem habeamus, sciendum est; honorem nihil esse aliud, quam testimonium exterius interioris opinionis, quam de alicujus merito concipimus. *Honor testificationem quamdam importat de excellentia alicujus*, inquit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 103. *art.* 1. Ideo ambitiosi cupiditates suas adeo sollicite præseferunt, & nihil intentatum relinquunt, ut aliquem honoris gradum obtineant. Verum licet proprie loquendo, virtus una existimationem, honoremque mereatur; nos tamen non solum possidentes illam; sed aliquam etiam virtutis speciem præseferentes colimus, & cum honore excipiendos putamus, quod eo in statu versantur, in quo sine virtute esse non debent.

Hæc ea ratio est, propter quam colere debemus Principes, Præsules, Magistratus, licet sint improbi; cum enim Deus potestatis suæ radium illis infuderit, illos ad eum gradum evexit, qui in ipsis meritum, virtutemque supponit; unde inferendum est, non semper vitio esse vertendum, quod quis honorari cupiat; honor quippe virtutis est merces; sed tunc solum cupiditatem hanc vitio esse adscribendam, cum aliqua ex allatis rationibus fuerit inordinata. Itaque si quis se honore dignum præbere contendit, idque ad honestum finem referatur; hæc non amplius ambitio censenda est, quæ semper in sequiorem partem accipitur; sed virtus, de qua in Ethicor. 4. Philosophus verba facit.

Quodnam peccatum sit ambitio. Ambitio sese attollendi majus est malum, quam existimetur; de cujus peccati gravitate ferri judicium potest & ex ipsius natura, injustisque rationibus, quibus utitur, ut finem suum consequatur; & ex iis suppliciis, quibus Deus vitium hoc persequi consuevit. Ex natura sua inordinata est honoris cupiditas, superbiæ filia, quemadmodum loquitur Propheta, *Psal.* 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*. Rationes vero, quibus utitur, ut plurimum crimine non vacant: deficientibus enim meritis dolus & fraus adhibetur; vel super alienæ existimationis ruina honoris nostri tollitur ædificium. Quod vero spectat ad supplicia, quæ Deus in ambitiosos exercet; paucos hujus viæ viros in Scripturis videmus, quos Deus funesta, tragicaque morte non percusserit; quorum præcipua exempla superius attulimus.

Discrimen inter gloriæ, & dominandi cupiditatem. S. Augustinus *lib.* 5. *de Civitate Dei cap.* 19. hoc statuit discrimen inter gloriæ cupiditatem, & dominandi, seu aliis imperitandi libidinem (utrumque enim tanquam scopum, & finem sibi proponit ambitio) quod illi, quos immoderata gloriæ acquirendi cupiditas tenet, cauti sunt, atque metuunt, ne quid aggrediantur, quod efficere possit, ut existimatio, quæ apud alios de ipsorum virtute percrebuit, vel penitus evanescat, vel deteratur: at ille qui ardenti flagrat imperitandi cupiditate, non gloriam spectat, seu dominationem, atque imperium in alios exercendum, & nihil seu fas, seu nefas relinquit intentatum, ut quod sibi proposuit obtineat, quin hominum existimatio sibi negotium facessat.

Ambitio, quæ semper est cum superbia conjuncta, jure vocari potest vitium quodammodo generale, atque universale; secum enim trahit cætera, quæ ad propositum finem conducere valent; quam ob rem a S. Bernardo vocatur: *Doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes*.

Ambitio opposita est magnanimitati, illa quippe immoderata est honoris cupiditas, hæc vero honoris ejusdem desiderium justum, & rationabile; quod efficit, ut illa quidem vitium sit, hæc autem moralis virtus, quæ fieri potest Christiana, si Sancto regatur intuitu. Hujus oppositionis rationes vide si lubet in Pantheologia Reynerii, ubi quæritur, quodnam majus sit peccatum inter pusillanimitatem, arrogantiam, & ambitionem.

Insignes illæ mutationes, subitæque revolutiones, quæ ambitiosorum hominum conatus, & fortunam evertunt, inde proficiscuntur, quod res peritura per se non subsistunt; cumque subsistentiam ex alieno cognoscant imperio, patiantur, opus est, vel infirmitatem suam, vel interitum; ubi primæ causæ placuerit.

Unde nascatur ambitio, & quænam sint ejus principia.

Cum Theologis notandum est duplex esse ambitionis principium, vel illam ex duobus vitiis oriri, quæ illius sunt causæ, eamque ut ita dicam componunt; superbia videlicet, atque cupiditas. Ideo ambitiosus es, quia superbus, & quia bona desideras, ut reliquis superior fias. Hæc duo sunt corruptionis animarum principia: superbia quidem mentem; cupiditas vero cor ipsum depravat, quod efficit, ut ambitio sit quoddam veluti ex duobus his vitiis compositum, quæ sunt peccatorum omnium, omniumque malorum in terris origines.

PARAGRAPHUS VI.

Loci ex Asceticis, Neotericisque concionatoribus delecti.

Pœna Nabuchodonosor.

Divinæ in ambitiosos ultionis exemplum tale præbet Nabuchodonosor, ut in sacris, profanisque historiis nihil simile inveniatur. Rex iste ad aliquod temporis intervallum & Regem, & hominem esse desiit, rationem simul & coronam amittens. Sermonis quoque usum reliquit ad id redactus, ut tamquam bos & mugitus ederet, & fœno vesceretur; qui cum supra ceteros mortales sese attollere cuperet, factus est minor etiam mortalium minimo, de Regiis ædibus ejectus, quas tantopere deperibat, & in quibus illa accidit tragica immutatio, cui similis in ulla unquam Regum aula contigerat. Magnifica ædificia, quæ originem infelici ejusdem superbiæ præbuerant, eidem perfugium suppeditare non potuerunt, cum in pœnitentiæ suæ squalore versaretur, & majestas illa, quæ nutu oculi universo terrarum Orbi injiciebat metum, repente qualibet honoris nota caruit. Nabuchodonosor in ipso Nabuchodonosor perquirebatur, in ipso nec parentem filii, nec Regem subditi noverant, *Auctor qui Prophetarum vita conscripsit, in vita Danielis*.

Injustæ agendi rationes, quibus utitur ambitio.

Ut propositum tibi finem assequaris, opusne putas innocenti calumnias struere, viros probos opprimere, ipsos etiam amicos prodere? Ambitio hiscas, satis est. Si hac aditus patet, fiet: hoc tantum perquiritur. Dignitas aliqua comparanda est, periculosa adeunda provincia ut occasio ex Urbium, populorumque manubiis locupletandi arripiatur? Ut beneficium aliquod captes, opus ne putas quibusdam certare officiis suspicione minime vacuis; vel existimatione, ambitu, & gratia scientiæ & pietati supplere, quibus dumtaxat Sanctuarii aditus patere debet? Ut principibus viris te necessarium præbeas, injustæ rationes excogitandæ sunt, quibus suadeas eisdem licere pauperum bona possidere? Ut eorum amicitiam aucuperis similes affectus induendi sunt, ac temet voluptatum ministrum, omniumque scelerum participem præbeas oportet. Ad eorum gratiam ineundam, tuendamque officium suum prodere, nomini suo turpitudinis notam inurere, caracterem suum summo dedecore afficere necessum est? Ambitio tu una præscribere debes, quid facto opus sit. Illuc perveniendum est. Qua autem via? tuum est imperare. *P. Aurelianensis in quodam serm.*

Quot mala inter homines hæ injustæ, atque turpes ad summos honores obrependi rationes gignunt? quid ab illis præstolandum, qui dignitatem suam sceleribus debent? quæ justitia ab illis expectanda, qui per injustitiam provecti sunt? quod jus ab eo magistratu, quem quis contra jura assecutus est? quid ab Pastore, qui postquam aulicus fuit, Pastor evasit? Eo instrumento, cujus aliquando usum sumus experti, & cujus ope voti damnati fuimus, non semel utimur; & raro injusti, atque fraudulenti pro una tantum vice sumus: cum enim per injustitiam & fraudem dignitatum fastigium assecuti simus, ad utramque confugiendum est, ut quod obtinuimus, retineamus. *Idem*.

Insatiabilis ambitio.

Aliquis in caput suum omnes togæ, sagique dignitates congessit, cumque nondum satis crevisse putet, sese demittit, ut altius ascendat. In id omnia adhibet naturæ talenta; omnia impendit fortunæ bona, omnibus utitur temporum occasionibus, generis nobilitate, calliditate, gratia, existimatione, scientia, mente, veris fictisque meritis: nihil prætermittit, ut quod petit, obtineat; licet scelus ipsum adhibendum esset. *Idem*.

Ecce ubi terrenæ dignitates infringuntur. Ambitiosi ventis comparandi sunt perstrepentibus, vel tempestatibus naufragia excitantibus. Ecce quid ex eorum festinatione proveniat, qui honores supra ordinem atque conditionem suam exquirunt; familiarum divisiones, & detrimenta, connubiorum dedecora atque dissidia. Nonne præstaret intra modestiæ terminos sese continere, extra conditionis suæ limites non egredi, & communibus naturæ institutis parere, quæ inæqualia conjugia pati non potest? Verum quænam illorum calamitas est, qui intra suæ humilitatis cancellos nequeunt subsistere; qui sese excitant, commovent, attollunt, nihilque prætermittunt, ut ad superiorem regionem ascendant; qui in mundo statum libidini suæ parem exquirunt, qui de altiori gradu sese jactare, atque plures spectatores habere contendunt, quam vel providentia voluerit, vel ea quam gerunt, persona deposcat? *P. Le Moine in tract. de modestia*.

Præsumptio ambitiosi.

Omnes naturæ, prudentiæ, atque politicæ regulas evertit ambitio. Hanc arrogantia vix in corde hominis peperit cum seipsam agnoscere dedidicit, & repente maximis sive Reipublicæ, sive Ecclesiæ dignitatibus se parem existimat: *possumus*, uti ajebant filii Zebedæi. Undenam putas, tot aliis præesse velle, qui neque semetipsos regere norunt? temerariæ hujusmodi cogitationes ex eorum ambitione procedunt: *possumus*. Hoc certius est, illam gravissima, quacumque in conditione inveniatur, mala parere, ac sæpius ipsam sui ipsius esse supplicium. *Fromentiere in serm. de ambitione*.

Ambitiosorum imprudentia.

Magnus quidem fulgor honoribus inest, sed insunt & onera: suspiceris, sed & oneraris; insignibus quidem honorum notis affulges, sed hæ ipsæ notæ gravissimas Cruces tegunt, quæ duo, qui sejungere velit, sese tradit in interitum; eaque in re ambitiosi cogitationibus suis ipsi damnantur. Interroganti Domino utrum Apostoli calicem suum essent bibituri, *possumus* responderunt; quæ quidem nota erat ipsorum audaciæ: verum & ignaviæ & infirmitatis simul argumentum fuisse crediderim. Ut ad honorum fastigium evehamur, omnia & facere, & pati præsto sumus. Connivere opus est assentatiunculis, & lenociniis blandiri; *possumus*. Contumeliis nosmet objicere oportet, turpesque repulsas pati, ut illuc evadamus? hoc quoque *possumus*. *Idem ibidem*.

Ambitio, quæ in Ecclesia grassatur.

Ambitio non in Ecclesia minus, quam alibi dominatur, & cum pudore fatendum est, omnia ad horrorem usque esse immutata. Olim ut Ecclesiasticæ dignitates effugerentur, latebræ quærebantur; vis sæpius erat adhibenda, ut viri probi honores excipere

cogo-

cogerentur: & primis illis Ecclesiæ temporibus, qui se honoribus offerebat, se indignum iisdem probabat. Non aliud sæpius inter Canones occurrit: hodie vero non solum te offers, sed multa misces, amicorum gratiam, atque existimationem impendis, ut Ecclesiæ dignitates assequaris. Quem abusum ne satis quidem deflere possumus, cuperemus tamen, ut illi, quorum est ad Ecclesiæ munera provehere, id sibi persuaderent, quod Eugenio Pontifici S. Bernardus suadere adnitebatur; *pro quo rogaris, fit suspectus: qui pro se rogat jam judicatus est. Idem ibidem.*

Hæc una consideratio eam apud primos fideles vim obtinebat, ut non postrema illorum cura esset fuga dignitatum. Nostin, ait Tertullianus, quid sit fidelis? afferam illius definitionem duobus verbis explicitam: *homo ab omni gloria, & dignitatis ardore frigescens.* Imperatores, nequicquam edicto nobis ad honores aditum obstruitis; quos licet nobis exhiberetis, aspernaremur: nequicquam minas intenditis futurum ut dignitatibus & muneribus, quæ hæreditario jure a parentibus nostris excepimus, nosmet exuatis; ultro illas abdicamus; circa unum dumtaxat ambitio nostra versatur; id autem unum est dignitas Christianorum, videlicet hominum, quid nulla honorum cupiditate tanguntur. *Idem ibidem.*

Ambitio doctrinæ Evangelicæ opposita.

Nullum est vitium, quod Evangelium quidem magis improbet, mundus vero probet magis, quam ambitio; omnis Evangelica morum disciplina directe opponitur huic affectui, qua mundi gloriam deperimus, eumque Dei filius non doctrina solum, verum etiam exemplo condemnat. Pedibus suis omnem mundi fastum contrivit, atque ea sapientia, quæ humanæ prudentiæ ruborem immittere debet, humilitatem omnibus terræ honoribus prætulit. Homines tamen id unum cogitant, ut crescant, & ascendant; ambitione tantum in corda eorum imperium exercente ut passionis hujus motu unice reguntur, & quin hoc improbent vitium, tamquam insignem virtutem commendant. Hanc omnium illustrium virorum virtutem esse inquiunt; hanc efficere, ut summi viri memorabilibus rebus gestis fiant insigniores, rarisque operibus immortalitatem acquirant. *De la Volpilliere serm. de Ambit.*

Servitus ambitionis.

Si quis gloriam comparare sibi velit insigni quapiam dignitate, quid intactum relinquit affectui suo obtemperaturus? quid turpe, ac humile non agit, ut se ad honores extollat? quantum seipsum demittit, ut ad altiores gradus ascendat? quot indignitatibus ad summas dignitates viam sibi sternit, quibus rationibus iniquis, atque violentis potiores in Republica gradus inquirit? *Idem ibidem.*

Ambitiosus semper in actione, sollicitudine, cura, labore versatur, sive ut confusionem avertat, sive ut contemptum ulciscatur, calumniam purget, illum, quem alteri deferri videt, honorem præripiat; hunc, quem suis cogitatis honoribus obfuturum intelligit, tollat; aliis in officiorum distributione præferatur, cæteris candidatis in dignitatis suffragatione antecellat, sive demum ut honorem aliquem obtineat, quem nonnisi plurimis laboribus, vigiliis, curis, assentationibus, dolis, conatibus, variisque fraudibus potest obtinere. *Idem in Serm. de Humilitate.*

Ambitiosus paratus est ad omnia scelera patranda.

Qui gloriæ hujus mundi cupiditate tenetur, hic secreto quodam consilio paratus est, ut fanda infanda omnia, quæ profutura putat, committat insatiabili desiderio, quo possidetur, facturus satis. Oportetne per vim, ac scelus comparare bona, ut servorum superbus comitatus alatur, vel ambitiosus conatus aliquis expleatur? Ad eam dignitatem assequendam operæ facturum te pretium putas, si proximo insidias comparaveris? Consanguineo tuo nex est intentanda ut in illius dignitatem succedas? super amici interitum assurgendum est? insignis aliquis in mundo gradus est multorum pauperum oppressione obtinendus? strenui fortisque viri nomen acquirendum est temeritate, singulari certamine, cæde? hæc præstabit omnia, quin conscientiæ stimulis dilanietur, quin ne effuso quidem cruore erubescat? *Idem ibidem.*

Ambitio aliquem nobilitatis caracterem præfefert.

Ambitio licet in se criminosa, quemdam nihilominus magnitudinis fulgorem secum adfert, quo fit ut non legitima solum, verum quodammodo gloriosa etiam videatur. Hæc quamdam Divinæ magnitudinis imitationem adfectat; hoc scelus est Angelorum, & Principum vitium vocatur: quo fit ut in aula magnifice incedat, & quemadmodum omnia prosunt, ut magis effulgeat, omnia quoque aliquid conferunt, ut ab aliis probetur. Heu! quidnam fidelem virum ab hoc tentationis fulgore tuebitur? dici fulgorem hunc metuebat Propheta dicens: *ab altitudine diei timebo.* Psalm. 55. non hostium meorum vim, non armorum aciem extimescam, sed timorem mihi injicit fulgor ille, qui me circumdat, fulgor videlicet dignitatis, ac fortunæ meæ, quarum radii oculis meis affulgentes in corde accendere possent affectus meis officiis oppositos. *In Orat. funeb. Episc. Melden.*

Gloria tantum obtinet in cordibus nostris imperium, tot jactat asseclas a quibus colitur, ut persuaderi vix possit mortalibus, hanc esse malorum omnium originem. Nihil enim adeo sacrum est, quod minime polluatur, nihil conscientiam nostram adeo prope attingens, quod non contemnatur; dummodo expleatur ambitio, & comparetur gloria; quin cum ignibus suis Infernus vel Cœlum cum suis coronis satis habeant vitium, ut hanc cupiditatem coerceant. *Auctor Anonymus.*

Gaudet Deus ambitiosos deprimere.

Dejecisti eos dum allevarentur. Psalm. 72. tu Domine superbos, atque ambitiosos homines tunc evertisti, cum illorum ambitio conatus suos exerebat, ut illos attolleret. Quid hæc ejusdem Prophetæ, *Psal.* 111. verba significant: *a facie indignationis tuæ elevans allisisti me*? Heu Domine satis intelligo me in ira tua sublatum fuisse; tunc enim tu me contrivisti, atque dejecisti, cum æquitas tua ambitioni meæ concupitam dignitatem concedere voluit. Hoc ipsum idem Propheta: *Psalm.* 36. nos docet luculenta usus similitudine cum ait ambitiosos homines tamquam fumum evanescere: *deficientes, quemadmodum fumus deficient.* Fumus ascendit, & sursum attollitur: sed ascendentem evanescere conspicimus; neque propius ad finem accedit, quam cum elatior est, atque a terra remotior. Hoc de ambitione, ambitiosisque sæpe accidit: *deficientes quemadmodum fumus deficient.* Omnes eorum elationes totidem sunt dissipationes, & quo magis evehuntur, eo graviores sunt illorum lapsus, atque interitus. *De S. Martino in sermone quodam de ambit.*

Hoc vitiū homini ingenitum.

Quam ingenitum est homini hoc vitium? hoc ex ipsorum Apostolorum exemplo, quinam inter ipsos major esset disceptantium innotescit. Hi pauperes piscatores erant, Præceptor illis humilitatem unice suadebat, conditio vilis erat, genus infimum, mens rudis; unde licet conjicere, utrum nati essent ad coronas & ut Regni alicujus prima subsellia occuparent. Hic tamen ambitiosus cogitatus mentem illorum subit, efficitque, ut de honore atque præstantia contendant. *P. Novet in meditationibus suis.*

Qui sedulo mundi statum velit inspicere, inveniet facile pleraque ejus mala inde profecta, quod Apostoli monitum contemnitur. Nemo fere cogitatus suos circumscribit; quilibet se omnia posse opinatur, neque intra eum statum se continet, in quo a Deo fuit constitutus. Quis metuit aliis præesse? Simplex quilibet Sacerdos Pastor esse vellet; Pastor quilibet esse vellet Episcopus, ac si fieri posset ultra supremæ hujus dignitatis fastigium se attolleret. In mundo etiam, sæcularibusque dignitatibus idem usuvenit; hæ magna requirunt ingenia, magnos animos, ut probe exerceantur: non ideo tamen deterrent aliquem, quominus eo conetur evadere, si possit. Nostram ambitionem, atque utilitatem consulimus; neque in certo quodam statu subsistimus, nisi quod altius provehi non possumus. *Liber qui inscribitur Essais de Morale tom.* 5.

Ambitiosi non ferendi.

Quemadmodum illi, qui impuræ sese libidini mancipant, mulierum cultores effecti, & mancipia; earum

tum sæpe contemptus atque probra merentur? ita ambitiosis etiam contingit: quo magis attolli cupiunt, eo dejiciuntur magis, & eo longius ab ipsis fugit gloria, quo ardentius perquiritur. Homines enim suopte ingenio superbi sunt, atque invidi; cumque gloriosum aliquem virum intuentur, ut reliquis antecellat adnitentem, eidem obsistere gaudent, ejusque temeritatem atque insolentiam infringere. Hinc autem oritur, quod hoc hominum genus inanem gloriæ speciem quodlibet pretio tueri cupientes, nihil ignaviæ, turpitudinis, & assentationis prætermittunt, ut quod contendunt assequantur. *S. Joan. Chrysost. in Matth.*

Ambitio iniquitatum omnium audacissima, & insolentissima nullum servat modum, in precibus suæ utilitatis avida, in dejectionibus hypocrita, in conatibus furens, insatiabilis in votis, temeraria in consiliis, nihil intentatum relinquit, seu fas, seu nefas, sive opportunum, sive importunum, ut satis suæ libidini faciat. *Serm. Moral. de ambit.*

Omnes ambitiosi arrogantes. Quidnam ambitionem parit, nisi arrogantia, cæca suarum virium confidentia, & adeo insana suimet ipsius existimatio, ut sibi omnia polliceatur, licet plerumque re ipsa nihilum possint? Hinc turpia officia, importunitates, clientelæ, labores, emendicata consanguineorum, amicorumque subsidia. Ambitio licet superba, S. Cyprianus ait, honorem non redimit nisi honoris ejusdem imperio. Hinc sublimes ideæ, quas de se fovent ambitiosi sese temere jactantes, contemnentes alios, avertentes oculos, ne defectus suos agnoscant, sed commentitia merita inducantur & pro acquisita perfectione, quæ omnino requiritur, ut proximo inserviant, eam jactitent, quam se aliquando sperant acquisituros. *Idem.*

Ambitio injusta, & crudelis est. Cur laboribus ambitiosi exercentur? videlicet ut alios de loco deturbent, atque prosternant; ut seipsos super eosdem attollant; ut conscientiæ, quietisque suo impendio ea inquirant, quæ ad magnitudinis auram captandam videntur idonea. Hoc satis ostendit ambitionis iniquitatem, & quomodo ambitiosi omnia ad suam referant utilitatem; fiunt mortalium omnium, immo sui etiam ipsorum inimici. Generis nobilitatem ostentant, majorum suorum cineres excitant, & per eosdem jus se nactos fuisse putant cæteros conterendi, & humiliandi. Statim ac patitur aliquis ambitionem sibi dominari, nihil sibi nefas ducit; injustitiam & crudelitatem exercet, leges perstringit, societatis jura contemnit, amicos prodit, mactat inimicos, fidem, æquitatem, religionem abjicit. Ignis est, obvium quodlibet, sanctum, profanum, Dei cultui devotum, humanis necessitatibus destinatum absumens, inquit S. Chrysostomus. *Idem.*

Ambitiosorum crux. Cum bona, honoresque non sine difficultate & acquirere, & tueri possimus, quidnam ambitioso viro adnitendum est; quibus sese negotiis immisceat oportet, quæ difficultates superandæ ut inimicum quidem dejiciat, fortunam vero suam vel provehat vel tueatur? Quot illi dolores, quot curæ ferendæ, ubi de gradu deturbetur, atque fortis adversarius obsistens illius evertat consilia? Qui furor ubi se contemptum videat? qui metus, ne & ipse vicissim dejiciatur? nonne hæ cruces sunt homini ambitioso haudquaquam ferendæ? Martyres non a virtutibus semper fieri, sed nonnumquam ab affectibus etiam & vitiis Petrus Damianus docet: non pro Deo solo patimur, patimur etiam pro mundo: Ambitio non secus atque charitas suas victimas habet. *Idem*

Ambitiosus non revocat ad examen eas rationes, quibus sese contendit evehere; ubi ambitionis suæ velificatur: in justa quælibet sibi videntur æquissima; quidquid prodest, ut attollatur, rectum putat; terminum quo contendit, unice suspicit; quia viam, qua graditur, habeat exploratam: difficilis sit licet & aspera, æqua tamen, ac strata videtur, dummodo illuc attingat. Ambitio ipsius Idolum est, cui omnia jura, legesque sacrificat, vel potius nullas habet leges præter illas, quæ sibi ab hoc affectu irrogantur. Ubi multum est ambitionis, fere nihil religionis est. *P. Nepveu in Christ. consideraт. tom. 1. p. 282.*

Homines ambitiosi ultra mortem protenditur. Mors eadem, quæ omnes homines humiliat efficiens, ut communem filiorum Adæ legem subeant, vix delere potest vanitatis ambitiosorum reliquias. Fulgent hæ quoque in magnificis monumentis, quæ construuntur, & quæ triumphales arcus existimarentur, nisi cadaver macie taboque fluens, de quo mors egit triumphum, ibidem contineri innotesceret. Fulgent etiam in marmoreis, æneisque simulacris mortem illorum desflentibus, cum interim superstites gaudeant: fulgent in Epitaphiis cubitalibus, aureisque caracteribus inscriptis, ubi decessus illorum dies, & anni, quos vixere notantur; perinde ac posteritatis interesset, scire, qua die interierit homo, qui non majori erat in pretio, quam alius quilibet; & qui tantum erogabat opum, quantum vix sexcenti; homo fortasse, qui numquam meritus est, ut obitus sui dies memoriæ proderetur, nisi quod nihil melius fecerit, quam quod mortem oppetiit. *Dictionar. moral. in considerat. de ambit.*

Turbo, quo rapimur, nobiscum quoque omnia mundi bona, hoc magnificum nihil, has vanitates splendidas rapit, quas prætereuntes videmus iterum non visuri; atque sepulcrum versus & nobilitatem, & opes, & sceptra, & coronas pertrahit. Tempus quod paulatim nos deterit, & ea etiam, quæ magis duratura videntur, absumit, instar est ignei fluminis, quo tamquam placato tranquilloque mari vehimur acerna conclusi rate, quam circumundique flammæ pervadunt, quam primum in cineres redigendam. Transeunt omnia, vel jam transiere; quomodo vero nos ex nobismetipsis felices erimus, quoniam ne subsistere quidem possumus? Stoici superbi, qui non diutius, quam vestræ vanitatis somnia, permansistis; vilissimi terræ vermes, qui modo in vestro nihilo estis absumpti; olim terra tanta ambitione animata; terra, cinis, pulvis, si tamen tempus vobis tristia hæc nomina reliquit, saltem in sepulcris vestris ambitiosos esse desinite: *quid superbis terra & cinis?* Eccl. 10. Docete saltem quanam in parte vestri inquirere debeamus excellentiam, easque dotes de quibus tantopere vos olim fuistis gloriati. *Ex lib. cui titulus: Hominis Christiani caracteres.*

Vanitas dignitatis mundi, quæ objectum sunt ambitionis. Ubinam modo est vetus illa Roma totius magnificentiæ theatrum, omnium mundi nationum Patria! quæ Europam, Africam, Asiamque catenis quodammodo onustas triumphalem currum sequi conspexit, quæ sub victricium Aquilarum suarum alis fulmina procul adeo tulit, ut in terris ignota haberetur ea natio, vel regio, quæ Romanorum triumphis minime patuisset? Urbs illa ex plurimorum Regnorum excidio percreverat; at plurima Regna in ejus excidio manubiis ejusdem locupletata sunt: modo vero quidnam superest? superest amphitheatrum, quod cum semel admirationes spectaculum fuerit ob ea, quæ ibi repræsentata fuere, modo factum est perenne miserationis spectaculum: olim innumerum fere populum murorum ambitu continebat, nunc vero ne unus quidem illac pertransit, nisi cum metu ac terrore; divulsi enim lapides ac prope casuri ne subeuntem opprimant, minitantur. *Bart. lib. cui titul. Paupertas contenta.*

Affirmare prudentiam, de qua filii hujus sæculi tantopere gloriantur, rectæ rationi adversari; nihilque insanius esse, quam consilia melius inita, conatus maturius instituros, atque ambitiosorum hominum rationes majori studio meditatas: hoc sane ab hominum plerisque tamquam paradoxum habetur, minime probandum. Mens præjudiciis educationis referta, animus illecebris voluptatis deceptus, quæ in opulentiæ rapitur admirationem, putant, sese attollendi cupiditatem quoddam esse meriti genus; hanc præclaram esse ingentium animarum passionem; hanc heroas efficere. Fallax mundi sermo veritatis inimicus! Quid tituli adeo magnifici significant? cur vitium sub virtutis imagine exhibetur? si ambitioni proprios colores tribuamus; quid ibi recto sensui conforme inveniemus? nonne satis est dicere, hanc su-

per-

perbiam esse occultam, & nemini, qui eam deprehenderit, non ferendam; immodicam cupiditatem, insatiabilem sitim? Heu quam agitationem hic affectus parit in corde, cui dominatur! quibus laboribus non torquet? quæ eidem ferenda non sunt antequam finem suum consequatur? hoc autem diuturnum tormentum (satis ne intelligi poterit?) ob fluxa, & exigua bona toleratur, quæ fere numquam acquiruntur, & quorum possessio non prohibet, quominus alia æque fictitia bona appetamus, eo magis inexaturabiles, quo magis adnitimur, ut saturemur. Semper desideriis nostris torquemur, quæ semper reviviscunt; atque jugiter illud felicitatis phantasma persequimur, quod effugit indesinenter. Satis esset itaque ambitionis principium, effectus, rationesque scrutari, ut ea pateret illusio, qua sua decipit mancipia. *Desumptum ex manuscript. serm.*

Ambitiosus contra Dei voluntatem se se attollere cupit; quid mirum si voto frustretur.

Admirabili sapientiæ consilio voluit Deus, inter homines quamdam non deesse subordinationem. Ad præclarum hunc rerum ordinem tuendum, eam statuum & conditionum varietatem condit, quæ speciosam adeo in hoc terrarum orbe constituit œconomiam, & quæ sapientiam conditoris sui eloquenter enarrat. Alios quidem inter opum affluentiam, rerumque copiam oriri jussit, alios vero in pulvere, & egestate; illis quidem honores ac dignitates distribuit, aliis ea suppeditare contentus, quæ ad victum essent necessaria: illi in lucem prodierunt, ut imperarent; hi ut imperata facerent; ideoque si homines infirmi summorum indigent ope, summi quoque infirmorum egent opera, itaut utrique mutuis firmentur auxiliis. O admirabilis ordo providentiæ, quem tamen ambitiosus conatur evertere! numquam sua sorte contentus illam contendit altius provehere, atque propriæ virtutis tumens existimatione se numquam in eo, quod meretur, pretio esse putat, & nullam de se, quæ par sit, rationem haberi. Si alius quispiam attollatur, hoc in præjudicium suum factum existimat, eique subit invidia. Cum vero de se agitur, honores, quibus cumulatur, æquissima est merces meritorum suorum; eorumque nullam partem suo generi, sanguini, fautoribus suis, amicorumque suffragiis relinquit. Ita cogitant, ita loquuntur mundi sectatores: vos melius me ipso nostis, quot in mundo videantur, quibus de meritis suis persuasum est? quot vero hoc in numero sunt, quibus hæc fallax propriæ virtutis idea tamquam sibi minime parem illum exhibeat gradum, in quo ipsos divina providentia constituit? hoc ex vobis quæro, quorum est favores distribuere, quibus concredita est cura, remunerandi officia, ac merita dignoscendi; quarum sollicitudinum enixarumque precum quotidie testes estis? quoties hæc propriæ ambitionis mancipia summo ingrati animi vitio erga Dei providentiam nullo in discrimine habere vidistis, quidquid ab eadem accepere; atque fortunæ suæ sanctissima etiam officia sacrificare? Quod si æquissimo Dei supplicio spe exciderint sua, in quas querimonias erumpunt? quos furores, quam desperationem alterius gignit elatio, quam tamquam contumeliam vel injustitiam sibi illatam existimant? quid mirum igitur si Deus hujusmodi consilia contra ipsius voluntatem, atque providentiæ ordinem suscepta subvertat? *Idem.*

Ejusdem argumenti continuatio.

En quousque nostræ ambitionis cæcitas nos rapiat! numquid animadvertimus unquam? quicumque sese contendit attollere, sus deque vertit divinæ providentiæ consilia. O cogitationem ei viro terribilem, cui vel fidei tantillum reliquum est! Hic intra se dicere debet, quam providentiæ inferunt injuriam conatus mei? noluit Deus, ut eum honorem, quem adeo sollicite persequor, ne tentare quidem auderem; & nihilominus quid intentatum relinquo ut illuc perveniam? nonne mihi Deus satis superque contulerat id me efficiens, quod sum? ego vero beneficiis ejus ingratus ita ago, quasi nihil ipsi deberem; atque sapientiam ejus improbare videor quod beneficiis meritum meum, vel potius meam aviditatem non exæquaverit. Sperare ne possum, ut post insignem adeo contumeliam meis conatibus faveat? haud ita peccator, ne id speres; noverit Deus ulcisci providentiam suam, & illatas eidem contumelias persequi. Ita olim est ultus, insigni supplicio in Aman, aliosque ambitiosos viros animadvertens. *Idem.*

Ambitiosus per æqua, & iniqua finem suum assequi studet.

Post primi hominis lapsum affectus ex una parte adeo invaluerunt in homine; ille vero præsertim, quo sese evehere studet, adeo perecrebuit, ut sine ingenti rationis conatu, & gratiæ subsidio resistere nequeat illi, qua trahitur, cupiditati: ex altera vero lumina ejusdem adeo infirma sunt ac imbecillia, & meritum ei muneri, quod expetit, impar adeo, ut ulterius progredi justa, licitaque via desperans, quamprimum consilium init illis adhærendi præceptis, quæ mundana tradit sapientia. Heu quidnam docet hæc a Deo reprobata sapientia ac toties in scripturis anathemate perculsa! speciosum est, inquit illa, primas obtinere sedes; ut illuc pervenias, nihil omittendum est; omnia sacrificanda. Quære, inveni, omnia adhibe, remove omnia, quæ esse possunt impedimento: fas sit, an nefas quid interest? nihil non tentandum est, ut fortunæ id arripias, quod nativitatis jure assecutus non es. Hujusmodi sunt perniciosa mundi consilia, quæ nunc temporis maxime vigent: illa enim quis hodie summa fide non sequitur? veritati perhibete testimonium, o mundi fautores. Quæ non patrantur scelera quotidie ad insatiabilem opum, honorumque sitim extinguendam? obest ne candidatus virtute & gratia superior? quid inausum relinquitur, ut illi struantur insidiæ? numquid extremi conatus non adhibentur? hunc perdere honori ducitur, atque majorem honorem ille percepturus videtur, qui apertius fecerit. Omnes humanitatis, & urbanitatis leges, affinitatis, & amicitiæ vincula infringuntur; nimis quippe imbecillia sunt, ut affectus adeo ferventis vim valeant coercere: ipsa etiam religio nihil satis validum opponit, ut ejusdem furorem inhibeat, ad quem leniendum nihil requiritur minus quam æmuli mors, vel saltem æterna dejectio, quæ nullam eidem reditus spem possit relinquere. *Idem sermo.*

Ambitio in iis etiā invenitur, qui Ecclesiasticas ambiunt dignitates.

Hæc ambitiosorum labes nonne de sæculo in ipsum etiam sanctuarium migravit? ita est, fideles: cum ipsius religionis ignominia fatendum est. Inter ipsos usque Sacerdotes videntur omnes ambitioni devoti, qui ut ad eas dignitates evehantur, quorum adeo terribile est ministerium, nihil censent prætermittendum, in singulas ferme horas oris habitum, ac sermonem immutant; ut principum virorum existimationem ac benevolentiam acquirant, ea omnia aggrediuntur quæ ipsis placere possunt, eorum desideria prævertunt, atque voluntati velificantur. Desunt ne, qui ut beneficiorum Ecclesiasticorum distributoribus fucum faciant, quorum æquitatem, & curam in probitate remuneranda cognoscunt; exterius quidem austerissimam virtutem simulent, & pharisaicæ pietatis devotissimam speciem ostendent? verum frustra id videri conantur, quod minime sunt, sed quod esse deberent. Scinditur aliquando hoc velum, turpesque hypocrisis eorum fraudes quamprimum deteguntur; omnesque intelligunt, ipsorum quidem odium in illos flagrare, qui expetunt beneficia; invidiam vero in eos, qui eadem assequuntur, iram denique in illos, qui eadem distribuunt. Verum quod ut plurimum accidit, id accidit, ut quamvis Deus eorum damnet improbitatem, qui turpes detegunt adeo criminosæ politicæ ambages; patiatur tamen eas detegi ut puniat ambitiosorum hominum passionem sacrilegium redolentem, atque ut inanem eorum prudentiam confundat, qui contra ejusdem consilia evehi conantur. *Idem.*

Ambitiosi Absalonis crudelitas.

Talis fuit olim o ambitiose Absalon furor tuus; aures obstruxisti naturæ vocibus, ut audires vocem affectus tui; omnino dissimilis hac in re a Sancto Rege, cui vitam debes, & cui mors tibi imminens plurimo lacrymarum, atque ejulatuum constabit impendio. Velles eumdem tuæ mactare superbiæ, tantum abest, ut illius studeas incolumitati, qui paulo post nequicquam tuæ studebit enixius. Regnandi cupiditate excæcatus, temere libenter tradidisti impii Achitophel con-

consiliis. Tantæ ingratitudinis monstrum vos irritat Christiani auditores; verum murmura vestra suspendite, quamprimum videbitis filium hunc ab omni naturæ sensu remotum justas ambitionis suæ luere pœnas, videbitis quo pacto criminosa ejusdem exsufflentur consilia; vix enim aurem præbebit Achitophel consulenti, cum suscitabit Deus fidelem Israelitam, cujus sapiens consilium perfidi illius rationibus præpollens, conatus tanta arte elaboratos dissipabit: *Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel. Idem.*

Symbolum ambitionis.

Narratur in Bibliis infelix Israelitici populi conatus contra Benjamitas, cui causam præbuerat privata quædam querela, uti juxta Mundi consuetudinem assolet. Post plures illatas, relatasque clades, cum hinc inde vicissim anceps penderet victoria, tamdem aliquando completi, consummatique triumphi signum extitit fumi columna: *Cum cernerent filii Israel in ipso certamine constituti quasi columnam fumi de civitate consurgere.* Judic. 20. Hoc sane symbolum est trophæorum mundi: mane gloriæ vapor ad instar fumidæ columnæ sese attollens primum quidem concrescit; sed statim conatuum nostrorum mobilitas evanescit, atque in imaginariis elationibus nostris fumum tantummodo parit. *Recens Auctor & Anonymus.*

Ambitiosi temeritas, & arrogantia.

Quid quæso nobis videtur homo ille, cui nefarius hic affectus imperitat? homo est, S. Ambrosius respondet, qui omne muneris, quæsitæque dignitatis pondus se sustinere posse arbitratur; homo, qui pro vario statu, cui addictus est, satis sibi virium putat suppetere, satis luminum, zeli, integritatis, ut præcipuas Ecclesiæ sedes occupet, atque ipsa Regnum adeat consilia. Nullam recipit umquam mercedem quam sibi deberi, nullam gratiam, quam se promeritum fuisse, non putet. Ex ipso quærite, utrum eo in munere satis digne suo sit perfuncturus officio, utrum nihil sibi desit eorum, quæ requiruntur, utrum tantum assiduitatis, mentis, diligentiæ, constantiæ, cognitionis suppetat, quantum ad jus omnibus dicendum requiritur, ne opprimat innocuum, nocentem vero condemnet; quærite utrum animo sit adeo forti ut alienas censuras, & murmurationes contemnat, atque extra earum jactum sese constituat: reddet statim cum duobus Zebedæi filiis; utique possum. *P. Bourdalove in iis sermonibus, qui ejusdem nomine circumferuntur, ea concione, quæ est in hoc argumentum.*

Variæ ambitionis species.

Hoc in loco non loquor de crassa quadam ambitionis specie per vim dignitates occupantis, per dolum ad illas obrepentis, per fas & nefas ejusdem comparantis; alios quidem emendicatis commendationibus prævertentis, alios vero calumniis & nequissimis detrectationibus evertentis, quæ post adeptos honores non quiescit, quæ alienis sumptibus sese attollit, quæ fortunam suam quocumque modo potest, ipsius etiam virtutis excidio, constituit. Loquor de abditæ, delicatæque ambitionis genere, quæ melius convenit illi, qui sub præclara integritatis specie mundanas spes, & vota fovent ardentia. Non enim deest ars quædam ad honores accedendi sub recusantis specie, sæculi spiritum obtegendi dolosis pietatis integumentis, & externo quodam oris habitu ad sanctitatem composito, ut facilius propositus finis obtineatur, atque hominum approbatio carpatur suadendo illis jam nos Deo probari. *Flechier in S. Sulpicii Panegyrico.*

Ambitiosus numquam contentus.

Unicum Amani exemplum ad veritatem hanc liquido ostendendam sufficit. Aman vir ille, cui præ cæteris fortuna velificata est, coram quo Regis jussu tenebantur omnes genu flectere, se putat infelicem; quoniam homo quidam qui in oculis ipsius contemptibilis videbatur, hoc ipsi detrectat officium. Odium, atque ira eo usque animum ejusdem pervaserunt, ut consilium ineat Judæorum omnium, quotquot in Assueri Imperio invenirentur ubique, delendorum, ut in generali populi hujus internecione unus ille involveretur. Cogitemus, si fieri potest, quomodo affectus animum illius contorserint, ac dilaniaverint; cum enim uxori, filiisque suis testatus esset, se humanæ felicitatis apicem attigisse; ingenue fatetur se hæc omnia possidentem, nullo in discrimine eadem habere, neque se felicem existimare posse, donec Mardochæum præ Regiis foribus sedentem conspexerit: *& cum hæc omnia habeam nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Judæum sedentem ante fores Regias. Abb. de Montmorel. serm. 4. Domin. post Epiph.*

Honores, atque dignitates in se ipsis bonæ sunt, earumque institutio, atque auctoritas, a Deo procedit, Apostolo teste. Si quis autem tantum inesse virtutis sibi noverit, ut jure illas desideret; tantum moderationis ut a Deo vocatus tunc solum illas suscipiat: nulla profecto sive sæculari, sive Ecclesiastica dignitas est, de qua illud prædicari nequeat, quod de Episcopatu S. Paulus docet; *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Verum enim vero eo usque evasit humani cordis ambitio, ut quod olim virtutis, modo sit temeritatis objectum, quod olim a Dei vocatione expectabatur, nunc per ambitionem occupetur: quod nemo ausus fuisset recipere, nisi qui in semetipso tantum virtutis quantum muneri digne obeundo satis esset, cognosceret; nunc ut plurimum nonnisi illegitimis rationibus affectetur. Hodierna die ut plurimum non Deus, sed injustitia, superbia, amor proprius, imperandi cupiditas attollit; immo idem ille spiritus nequam, qui JESUM CHRISTUM ad omnes Mundi dignitates provehere voluit, cui super altissimo montium jugo translato omnia Mundi regna ostendit, atque spopondit. *Aug. serm. in omnia anni Evang. Domin. 10. post Pentec.*

Quid non audent ambitiosi, ut ardenti satisfaciant affectui, quo votorum suorum summam assequi desiderant? cum virtute, atque meritis destituantur, eos imitantur, qui trochleis, ergatisque utuntur ut ad fastigium ædificiorum ingentia illa, vel quercina, vel marmorea pondera attollant, quæ omnem substructioni decorem, ac speciem afferunt, & quæ sine illorum instrumentorum adminiculo fortasse neglecta vel in pulvere jacerent, vel in terræ visceribus delitescerent. Nullæ sunt artes, quas in usum non vocent; nulla itinera, quæ non suscipiant; nulla consilia quæ intentata relinquant; adulatio nulla, quæ apud principes viros non abutantur; nulla hypocrisis, qua non induantur ut pro vera inanem quandam, fictamque virtutem ostentent. Extrinsecus humiles sunt, quia intus superbi. Cœli bonis intenti videntur, ut terræ bona rapiant; suopte ingenio inofficiosi, per dolum officiosi fiunt, atque opellas suas identidem nectentes sensim ex plurimis rivulis ingentem fluvium efficiunt, quo illi, quocumque libuerit, vehuntur. Quantumvis re ipsa lucri sint cupidi, bonis suis non parcunt, ubi officia ac mollia verba satis non esse cognoverint; aliorum simplicitatem promissionibus decipiunt, probitatem aliorum muneribus corrumpunt. *Idem ibidem.*

Quomodo se se extollat ambitiosi.

Vulgatissimus est ambitiosorum hominum mos per alios urgere, atque sollicitare, ut ipsi quieti, atque taciturni modestiam, & humilitatem simulent; sed silentium eorum nihilo secius, quam ministrorum suorum verba, ipsorum prodit ambitionem. Hoc immo eo perniciosius est, quo callidius; personam induit, ut melius fallat, tacet, ut opinione bona, quam aliis propriæ virtutis adstruit, persuadeat. Hoc animadverterat Sanctus Bernardus, cum Eugenium Pontificem monuit, ne dignitates conferret illis, qui eas consequi vel per alios, vel per se admiterentur; qui enim per alios petunt, suspicione non carent, qui per se, jam sunt damnati. *Idem ibidem.*

Ambitiosus violentus.

Ex quo hæc passio dominari cæpit alicui, nulla amplius lex est, nulla religio, non metus, non pudor, non reverentia, qua coerceatur; omnia sibi licere putat, omnia æqua esse, & justa, dummodo quo contendit ascendat. Ut regnes, jus omne violandum est, ambitiosus quidam olim ajebat; sed dictum illius plurimi ejusdem imitatores, atque discipuli exercent quotidie pedibus obteren-

terentes omnia Divina, atque humana jura ut ex violata justitia solium sibi substernant. *Idem ibidem*.

Elevatio fere semper periculo est proxima. Catenæ possunt quidem speciosiores fieri, non leviores; tot habent Dominos, quot dignitati suffragatores, tot vincula, quot desideria acquisitum honorem tuendi; tot denique servitutes quot cupiditates; ab eo quod possident, possidentur, ac nulla alia in re calamitosis hominibus præstant, quam quod amaritudinem Scypho ebibunt pretiosiore. *Idem ibidem*.

Ambitionis, ambitiosique character.

Ambitio affectus est, quo homo sese studet altius evehere, quam debet: est igitur semper injusta, & insatiabilitas partem caracteris ejus constituit. Quæ unquam passio magis est nostræ quietis inimica? indignabunda, invida, inferiores contemnit, pares ferre non potest; nulla passio magis est odiosa. Ambitiosus eum semper spectat terminum, quo contendit; parum sollicitus de via, qua graditur; difficilis, iniqua sit, nullo in discrimine habetur, dummodo ad optatum finem adducat. Gressus omnes, qui ascendenti opem ferant, recti videntur. Ejus ambitio idolum est, cui officia, amicitia, gratitudo, divinæ, humanæque leges sacrificantur; nullus affectus ferocior est, & a religione remotior. Quibus artibus utendum non est, ut optatus finis obtineatur; ambitus, mendacia, intercessiones, turpia etiam, ac servilia officia in usum vocantur; nullam non gerit personam ambitiosus, amici, supplicis, adoratoris, raro tamen hominis honesti, Christiani vero rarius. Conscientiæ numquam aures præbentur; religio minus adhuc consulitur; in ambitioso corde passio una dominatur. Hinc ea statuum confusio, & morum depravatio. Hinc sacra etiam mysteria polluuntur, omnesque fere conditiones dejectæ sunt, atque contemptæ. *P. Croiset tom. 2. consid. Christ.*

Ambitiosus Providentiæ dispositioni se subtrahit; & si ne meritis dignitates affectat.

Efficit ambitio, ut mundi honores non amplius tamquam ordines Divina providentia constituti, sed tamquam affectuum nostrorum objecta, calliditatis fructus, vel dona fortunæ audaciorum virorum conatibus patentia spectentur. Quidam præcipuos Reipublicæ honores majorum suorum meritis, & rebus præclare gestis deberi putant. Alii honores licet sanctissimos tamquam generi suo debitos persequuntur, satisque arbitrantur ex opulento Patre originem hausisse, ut præcipue dignitates veluti suo jure ab ipsis quærantur. Ideo licet indigni sint, atque muneri obeundo minime pares, omnia tamen ambiunt, conantur omnia; possident beneficia, imperant, regunt, de hominum bonis ac vita dijudicant. Affirmare quidem potes Deum consulendum, ab eo vocationem expectandam, neque Deum consulunt, neque a Deo vocantur: illos ambitio vocat; supplet omnibus ambitio. Quod unquam scelus horrent ambitiosi, ubi illud consiliis suis prodesse putent & tamquam utile spectent? quid ergo mirum si in familiis, ac rebus publicis tot accidant mala? tollatur ambitio; statim malorum omnium fons exarescet. *Idem*.

Ambitio ordinem Providentiæ subvertit.

Ambitio, ut ita dicam, omnem providentiæ œconomiam subvertit, illius consiliis adversatur, suis tantum cogitationibus inhæret. Hæc una eas, quas ambiat, eligit dignitates, ipsa primos gradus occupat. Quilibet super æquales attolli cupit; quilibet altius eo, in quo est loco, festinat ascendere. Hinc illi dignitati ambiunt, ubi sæpius ex capite laborant, alii Magistratus, ubi officiorum pondere obruuntur; hi ingentia negotia, quibus submerguntur, illi insignes ausus, in quibus intereunt, labores immensos, quibus exinaniuntur; semperque tamquam in procelloso pelago versantur, ventorum, fluctuumque ludibria: *Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti*. Psalm. octuagesimo secundo. Ita Propheta Divinæ gloriæ zelo succensus; & indignans propter contumeliam, quam ambitiosi Divinæ inferunt Providentiæ, Deum orat, ut ambitiosorum hominum conatus confundat: hos dele, ac subverte; harum ferocium, superbarumque animarum ambitionem infringe, quæ supra cæteros homines evehi non quærunt, quin simul ut in te ipsum insurgant. Hæc illa ambitio est, quæ adeo generatim & tranquille regnat in terris. *Idem*.

Ambitio callida est.

Ambitio non semper eam præsefert speciem tumultus, quo susque deque omnia subvertit, atque perturbat; novit illa cedere tempori atque personis, quin suis cedat cupiditatibus: mitis, officiosa, comis, subdola omnia in usum convertit. Indignabunda, invida, arrogans ambitio repellit, efficitque ut consiliis suis obices statuantur, sed quæ dissimulatior est, atque flexilior, semper est efficacior: cumque fere ex externa specie judicium feratur, ambitiosus es, quin censearis; & quod magis est mirum, studes, ut temetipsum fallas eodem artificio, quo cæteros fallis. Moderatio in speciem composita nos tranquillos efficit, licet interim mens quidem inanes cogitatus, cor vero inexplebiles foveat cupiditates. *Idem*.

Inanis ambitionis consilia.

Vitam omnem traducimus commentitiam fortunam, atque inane gloriæ phantasma persequentes. Locus, quem obtinemus, dum altiorem conspicimus, cujus allicimur desiderio, displicet; ideo vero quid intentatum relinquimus? ad quæ nosmet non dejicimus? dicere possemus, plerosque hominum imitari temerarios illos filios Noe in id unum intentos, ut ædificium suum in Cœlum usque tollerent. Ambitiosa consilia, conatus audaces, quos confundens lætatur Deus, quanto statis impendio? quæ vero est vestra diuturnitas? calamitas, funestus aliquis eventus, mors præceps in ictu oculi hæc omnia ambitionis opera subvertit. Ingentia hæc gigantum simulacra luteis pedibus innituntur. Lætabaris, quod super æquales gradibus aliquot ascenderas; sepulchrum te ipsum sub inferiorum tuorum pedibus statuit. Ita ambitio illis omnibus illudit, quorum supplicium est: nulla passio crudelius torquet, nulla minorem quietem relinquit, nulla minus cor humanum satiat. Proh Deus! quam aperte hæc ipsa insatiabilitas probat nos ad solidiorem gloriam creatos esse, quæ melius satis cupiditatibus nostris facere valeat? Christiana virtus objectum est unice dignum ambitione nostra. Deus unus cor nostrum replere potest, Deus unus illud satiat; cor nostrum uni Deo factum est. *Idem P. Croiset*.

In cœtibus Religiosis ambitio non deest.

Illud autem magis mirum est quod hic imperiosus affectus viam sibi aperit in eos etiam status, qui sanctiores sunt, atque ipsa humilitatis Christianæ perfugia. Hujusmodi societates adeo religiosæ ad JESU CHRISTI mentem, exemplumque confirmatæ numquid semper hac labe vacant? Spiritus ambitionis nonne ibi etiam progressus facit; nonne ibi etiam ambitus meritis prævalet? proh pudor! eos viros, quibus non aliud exemplar esse debet quam hominis Dei annichilatio, quibus non aliæ leges irrogatæ sunt, quam quidquid in Evangelio perfectius est; primo recubitus diligunt, & nihil intentatum relinquunt, ut principes gradus obtineant? Quam digna miseratione conditio! pauperes religione, humiles statu, tot curis exagitari, ut in pulvere superbiant, & in ipsa recessus caligine fulgorem ambiant. Quam jure Propheta *Psalm*. 39. hos honores vocat minuta irreligiosæ ambitionis objecta, vanitates atque insanias fatuis irridendisque erroribus refertissimas? *vanitates & insanias falsas. Idem*.

Aman ambitio, ejusque exitus.

Aman in sublimi fortunæ gradu nitet, atque Principis potentissimi gratia illud gloriæ fastigium tenet, quod subditis sperare vix liceat. Omnia illius voluntati cedunt; nemo adeo nobilis est qui coram illo non flectat genu, nemo dives qui gratiam illius non aucupe-

cupetur. Quinam illo felicior? Nemo sane; si eam subigere novisset passionem, cujus semper est victima, qui illius mancipium est. Ex eo honorum, atque prosperitatis fastigio intelligit Aman, vilem hominem nescio quem, & sine nomine, cum sibi honorem detrectare, qui a reliquis deferebatur. Ignoti hujus hominis inurbanitas merebatur, ut ne mens quidem adverteretur: attamen ad vivum usque superbus Aman se lacessitum ait. Nihil esse putat Regis gratiam, populi obsequium, Principum officia, donec se præsente steterit Mardochæus. Ira superbi illius hominis irritata, nullam eidem quietem relinquit; mœrore tabescit, odio inflammatur: adeo verum est passiones mutuis fulciri subsidiis, atque ubi una defecerit, cæteras quoque rebellare, ac sibi mutuo suppetias ferre. Immensa bona, insignes honores, efficere non potuerunt, quominus Aman se omnium hominum infelicissimum arbitraretur, uno Mardochæo salutem dicere detrectante. Vix crederemus unam dumtaxat passionem in hanc dementiam impellere aliquem potuisse, nisi Scriptura testatum id reliquisset. Sed quidnam pariet irritata ambitiosi hominis iracundia? Mardochæi caput furori ejusdem leniendo satis esse potest: sed odium longius quam ambitio progreditur. Mardochæus Judæus est: opus est, ut natio universa illius interitu involvatur; dies statuitur nefariæ cædi. Proh! inauditum furorem, qui nonnisi populi totius cruore leniri potest! id autem, quod advena nescio quis ambitiosum hominem præpollentem salutare abnuit. Profecto aliter disposuit Providentia: cito subsedit procella, & Aman ex eadem Cruce pependit, quam paraverat Mardochæo. Ita plerumque solvuntur nodi, quos nectit ambitio; hic fructus est conatuum hujusmodi....... Vilia qualibet, ac turpia officia, intercessiones, doli, omnia prosunt, omnibusque utimur, ut quod contendimus, assequamur. Quot captiosa artificia, quot ambitus clandestini, ut suffragia acquiramus, quæ licet majus aliquod jus præbeant ad dignitates, non adeo tamen nos efficiunt digniores. *Idem.*

Honores ambitu quæruntur, quin expectentur, ut ad illos evocemur a Deo.

Honores mundi juxta æternæ prædestinationis principia totidem sunt vocationes Dei: sed fidelibus scandalum est, illos hodie tamquam aliquid profanum haberi; namque S. Paulo ejusque præceptis in contemptum conversis sine vocatione appetuntur, & dolo, & ambitu obtinentur. Quicumque illi sint tamquam suo generi debiti respiciuntur, & tamquam meritorum mercedes affectantur. Per illos familiæ, domusque fortuna constituitur; ex majori, minorive redditu existimantur, denique objectum fiunt ambitionis; hæc autem omnia citra quemcumque conscientiæ stimulum, & inquietudinem; nam commentitiæ præscriptionis, & fallacis usus auctoritate probantur, quasi flagitiosus humanorum morum abusus contra Dei jura jus aliquod præbere posset. Quid autem nobis deflendum erit, nisi abusus hujusmodi lacrymis prosequamur? *P. Bourdalove in veris concionibus suis. Feria quarta post secundam Quadr. Dominicam.*

Quid autem plurimorum hominum conatur ambitio? nisi ut familiam suam honorifice constitutam videant; honorifice inquam juxta mundi ideas. Filios suos honoribus auctos intueri desiderant, alios quidem in Ecclesia cum eo omni fastu, qui in mundo assolet, alii in mundo, cum omni fastu gentilitatis; illos populorum exuviis, hos Ecclesiasticis bonis locupletes; hos super Templi pinnaculum constitutos ubi sæpius vertigine laborant; illos in magistratibus, ubi officiorum pondere obruuntur; & quoniam morum corruptio fere succedit; hinc utrique in statu suo improbi sunt, & flagitiosi. *Idem.*

Ambitio timet, ne quid auctoritas detrimentum patiatur.

Cum hæc Imperii, atque ambitionis cupiditas dominetur, ex mera Zelotypia justitiam, atque virtutem facimus. Auctoritatis Zelotypia heu quam funesta tentatio es! quæ mala quotidie non affers, quot scandala non paris, quot ultiones auctoritate tua non probas? quot malorum initium non fuisti, quot vero bonorum obstaculum? Si humilitas, qualem nobis proponit Evangelium, affectus hujus tanquam antidotum, vel medicina adhiberetur, quantum gloriæ Deo cederet? & hæc jura, quæ nos tantopere afficiunt, quanto melius servarentur immunia? verum quoniam modus minime adhibetur, & dummodo voti damnemur, ferox atque superbum ambitionis sequimur ingenium; pro jure quopiam, quod sæpe vel exiguum, vel dubium, vel chimericum est, pax perturbatur, consensus, atque concordia tollitur, opprimitur innocentia, patientia torquetur, odium, atque ira animos pervadunt, & inane quoddam phantasma, ubique dissidium, atque confusionem immittit. *Idem.*

Illud autem magis mirum est, quod qui magis sunt imperiosi, illi ut plurimum sunt ad quos affectatum imperium minus spectat. Homines, quos si intus & in cute scruteris, nihil sunt, ex tenebris, & nihilo prodeuntes, sed qui dolis, atque astu in aliquam magnitudinem excreverunt; hi illi sunt qui majori cum ostentatione loquuntur, qui majori cum auctoritate operantur, & qui ut inanissimam suam magnitudinem extollant, gloriæ sibi vertunt, si eos, qui vere magni sunt de gradu dejiciant, eisque dominentur. At non satis: homines & statu, & professione devoti Deo, qui hac ipsa de causa omnem humani fastigii speciem exuere, vel saltem contemnere tenerentur, nonnumquam præ cæteris in sensibus suis pertinaciores sunt, mandata sua severius expleri volunt, & jura sua diligentius tuentur. Qui illis obsistere, vel contradicere, aut cum illis disceptare auderet, quot malis & ruinam pœnitentiæ sese objiceret? Quæ enim inde scandala non extiterunt? *Idem P. Bourdal.*

Ambitio non in aula Principum tantum, sed in Ecclesia etiam regnat.

Non solum in Principum aula, neque in sæculo dumtaxat reperitur ambitio; ibique tantum omnes suam gaudent exercere potestatem, & efficere, ut ab aliis agnoscatur: sed nihil hoc magis vulgatum est (o sæculi nostri nescio an melius dixerim sæculorum omnium opprobrium!) nihil hoc magis vulgatum est in eadem Ecclesia; in Ecclesia nempe illa, quæ JESU CHRISTI humilitati innixa est, contra Apostoli consilium suadentis, ne quæramus dominari in Clerum: *neque ut dominantes in Cleris* 1. Petr. 5. Dignitates ipsæ sanctissimæ ideo expetuntur, quod aliorum observantiam, atque obsequium concilient, non quod conjunctæ sunt cum laboribus, qui, velis, nolis, ab illis sejungi minime possunt. Obliviscuntur se Patres esse atque Pastores, se vero Dominos esse tantummodo meminerunt. *Idem.*

Ambitio excæcat.

Quamvis nullus sit affectus, qui homini cæcitatem non afferat, atque patiatur res ita videri ut revera sunt; tegendo id, quod sunt, atque ostendendo, quod minime sunt; verissime tamen dici potest caracterem hunc ambitioni præsertim convenire: quod adeo verum est, ut teste S. Augustino, Ethnici quoque istud cognoverint. Quantumvis ambitiosi fuerint illi antiquitatis sapientes, ad quemcumque gloriæ apicem illorum arrogantia eosdem evexerit, se tamen hac in re cæcos esse confessi sunt; quæ enim cæcitas, ajebant, semper concupiscere, ut id sis, quod numquam esse potes; ut semper sollicitum & inquietum esse, in eo oblectationem statuere, si teipsum curis obruas, & idipsum tibi gloriæ vertere? nonne cæcitas est in profundæ voraginis proclivi ædificare, vitamque vivere, tamquam mancipium, atque captivum, neque Dei esse, neque sui, sed infeliciter a tot hominibus pendere, quot vel superiores habes, vel competitores? Hæc tamen funesta sors est ambitionis, quæ licet superba, honorem emit suæ felicitatis, & liberalitatis impendio. Quot enim serviles assentationes, quot secretæ mortificationes, quot turpes submissiones, quot contumeliosæ objurgationes ferendæ non sunt, ut propositum tibi finem assequaris? postmodum vero quoties spe tua excidis, quoties conatus tui vota frustantur, quæ in ore dumtaxat blasphemiam, in corde

corde iracundiam relinquunt; numquid similis huic cæcitas fingi potest? ita gentilitatis sapientes argumentati sunt, sanctus Augustinus inquit, sin autem nihilominus ambitiosi fuerunt, ideo fuerunt, quia satis eisdem fuit his meditationibus detineri, quin easdem exercerent, vel quia huic affectui Divini tantum Reparatoris gratia medicinam erat allatura. *Idem in primis sermonibus, quibus ejusdem nomen inscribitur, sermone in idem Evangelium.*

Omnis ambitiosus vel injustus, vel arrogans est.

Insignis est, atque ingenti sensu referta Sancti Ambrosii sententia, cum ait; eum, cui dominatur ambitio esse debere, vel maxime injustum, vel insane arrogantem; injustum quidem, si honores appetat, quibus se credit indignum; arrogantem, si dignum putat; cum vero accidat perraro, ut aliquis ita justus sit, ut se iis rebus indignum putet, quas cupit; S. Præsul concludit usitatius tamen principium, quo ambitiosus ad agendum impellitur, esse cæcam meritorum suorum arrogantiam. Profecto ambitiosus omnia persequitur, ideoque se honoribus omnibus parem, dignumque putat. Ambitiosus nullos votis suis præscribit cancellos, ideo neque existimationi, quam de propria virtute fovet. Primos in Ecclesia, atque Republica persequitur gradus; ideo hoc de se perhibet testimonium, quod cæteris perfectione antecellat: si enim se illis inferiorem putaret, nollet hanc injustitiam admittere sémet supra eosdem attollens. *Idem P. Bourdalove.*

Quocumque in munere sit, hic numquam satis bene suo fungitur officio, nisi tunc cum diffidit viribus suis, inquit Sanctus Augustinus: quæ diffidentia tamquam ex diametro opponitur ambitiosi hominis cogitatui, qui infatuatus est, & qui se virtutibus cumulatum existimat. His adde, eos, qui muneribus gerendis magis impares sunt, fere semper ardentius, ut sese attollant, adniti. Vix sensatum hominem reperies, qui de virtute sua testimonium audeat perhibere, ac dicere; omnes habeo qualitates, quæ ad provinciam hanc rite obeundam requiruntur. Hujusmodi audacia levem dumtaxat spiritum, ac virtutibus vacuum decet. Hinc est, quod ex philosophi sententia temporibus omnibus modestia perfectorum fuit virtus, arrogantia vero vitium ignorantium atque infirmorum. *Idem.*

Cur sæpe primæ dignitates ab indignis occupentur.

Cum honores mundi plerumque pendeant ab ambitu, & petitione, quam ambitiosi excipitam dignitatem assequi conantur; fere contingit, ut prima subsellia ab indignissimo quolibet repleantur, cum interim illis, qui majori sapientia ac virtute præfulgent, nulla demandetur provincia. Quorsum autem? quia ambitioso homine nihil audacius, nihil est insolentius. Ubique sese immiscet, se laudibus extollit, sibi spondet omnia, & licet indignus, tamen absolutum in alios occupare conatur imperium. *Idem.*

Ambitiosorum lapsus.

Dæmon qui Simonem Magum in aera sustulerat, eumdem dejecit, & crura perfregit illi, qui ad volandum alas usurpare voluerat. Ita dæmon non attollit, nisi ut dejiciat, ambitio non evehit, nisi ut præcipites agat: *ascendunt usque ad Cælos, descendunt usque ad abyssos.* Psalm. 106. Nisi mavis dicere, mortales, qui non aliud sunt, quam pulvis, & cinis, prout sese per ambitionem efferunt, Divina potentia dissipari; iisque id evenire, quod de fumo inquit Propheta, *Psalm.* 36. qui in elevatione sua suum interitum invenit: *deficientes quemadmodum fumus deficient. Abbas de Monmorel. serm. in 4. Domin. post Pascha.*

Alius ambitiosi character.

Ambitiosus humilis videri affectat; verum cor illius dissimulatione refertum in id unum vocat, ut quocumque pretio sese attollendi rationem inquirat. Officiosus videtur, affabilis. At ne credas; animum ejus corrodit invidia: hujus enim origo est honoris cupiditas, juxta Apostoli verba. Donec ambit, in obsequium sese componit, ruit in amplexus, omnibus salutem dicit; at ubi voti damnetur, intelligis omnia illa simulata fuisse, neminem quippe amat, observat, colit, seipsum tantummodo diligens. Gloriatur sæpe, diligenter se observare quælibet exteriora religionis officia; at velum aufer, perpetuum alienarum actionum censorem videbis, amore proprio præventum, sibi plaudere, & ubique ambitionis suæ notas effundere. In iis, quæ ejus vanitatem attingunt facilis ad iracundiam; inexorabilis, plenus superbia, ac simulata pietate, quæ homines, Deosque tantæ injuriæ ultores irritat. *Idem Homil. in 4. Quadrag. Domin.*

Videte fratres, Sanctus Augustinus inquit, id, quod ab hominibus elevatio, magnitudo, gloria vocatur, a Regio Propheta, *Psalm.* 93. vel dicam melius, a Deo ipso, qui prima veritas est, foveam & abissum vocari: *donec fodiatur peccatori fovea.* Quid igitur agit Deus, ubi permittit ambitioso viro quæcumque fluere e sententia, ipsumque in vitiis suis prosperari? permittit, ut sibi foveam fodiat; & si diuturnius eidem concedit tempus, ut superbos conatus adimpleat; sinit, ut foveam, qua tumulandus est, eruat ingentiorem. Homo deceptus, illususque sese attollere cogitat, & nihilominus seipsum dejicit; putat honores suos, dignitates, humanam magnitudinem provehere; Deus vero testatur hunc eodem tempore ad turpiorem, perniciosioremque lapsum sese disponere. *Hoc se ille putat sublimiter ire, & hoc Deus foveam vocat. P. Texier in Dominicali serm. 10. post Pentecost.*

Ambitiosi status in altera vita.

Heu! quid ambitiosis hominibus prodest historiarum monumenta præclaris rebus gestis replevisse, si de libro vitæ nomen illorum deleatur? quid prodest Provinciæ vel Regni totius laudes fuisse promeritos, si Deus illos in æternum contemnat? quæ voluptas erit omnium hominum approbationem obtinuisse, si a Deo reprobentur! in vita optimates, principesque fuisse, si in morte Deus illis dicat; *nescio vos?* Matth. 25. quæ fatalis gloria amplissimas in tempore dignitates possedisse, si Deus in æternitate illos afficiat contumelia; eorumque fronti indelebilem ignominiæ caracterem inurat, quemadmodum per Jeremiam cap. 25. minitatur; *dabo vos in opprobrium, & in ignominiam æternam, quæ numquam oblivione delebitur.* O vos superbi, qui reprobati estis, loquimini aliquando, ut auditores mei edoceantur: *quid vobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia, quid contulit vobis?* Sapient. 5. quodnam modo solatium vobis est in æternum a facie Domini projectis, memoria repetere illustres eas dignitates, omnemque fallaciis gloriæ fulgorem, quo nituistis in terris? inanis æque, inutilisque memoria vestrum auget supplicium, cum fateri cogimini vos solidam, æternamque gloriam a Deo propositam renunciasse, ut funestam, ac perituram gloriæ speciem persequeremini: *transierunt omnia sicut umbra.* Sapient. 5. *Idem eodem sermone.*

Quot curis torquentur homines avidi gloriæ, ut nominis sui consulant immortalitati? sed illorum curæ quam inutiles sunt! Cippus, qui eorum ossa tegit, contegit quoque nomen eorum cum actionum eorumdem memoria. Nobilitas, atque scientiæ injiciunt cogitationes superbiæ, atque contemptus cæterorum hominum; aliis antecellere te vides & fortunæ bonis & mentis cognitione: sed hæc auferenda sunt integumenta ut te ipsum, qualis revera sis, intuearis. Fateberis quidem humanas scientias non adeo in pretio habendas esse, iisdem plus vanitatis quam soliditatis inesse, erroribus esse permixtas, nec valere tantum, quantum valet labor, qui ad illas acquirendas impenditur. *Abbas de Bellegarde in librorum Sapientialium paraphrasi.*

Ambitio alias excitat passiones.

Cum hoc possideris affectu, fieri fere non potest, quominus in ea præceps mala ruas, unde exitus difficilis patet. Invidia, ira, superbia nostras seducunt animas; videre non possumus alios gloriam inquirentes, & ad eam breviori, faciliorique via pervenientes, quin nobis suboriatur invidia; eorum felicitas odium, iramque nostram excitat. Nullæ satis validæ leges non possunt coercere; affectuum nostrorum vi natura ipsa, officiumque superantur; nihil denique adeo sacrum, & religiosum est, quod non facile violetur; ubi de illis expetitur altio, qua obi-

obicem quemdam injecisse videntur, ne ad optatum in mundo honoris gradum aggrederemur. Hæ primæ passiones sunt, quæ ambitiosorum hominum gloriam quærentium torquent animum; quam qui attigerit, quibus animi ægritudinibus obnoxius non est? tunc non ferenda sese prodit superbia; omnia infra nos posita existimamus; amicitiam maxime sinceram, & arctissima sanguinis vincula obliviscimur; imo tantam cæcitatem hic nobis affectus offundit, ut nosmetipsos minime noverimus: non reminiscimur amplius, quod fuimus, neque timemus futurum, ut in pristinum statum aliquando relabamur. *In collectione orationum quarumdam Parisiensi Academiæ oblatarum Anno 1675. serm. 4.*

Cum in dignitatibus gloria tantum spectetur, atque avertantur oculi ab iis curis, quibus circumseptæ sunt non secus, ac ab oneribus, quæ illis inhærent; illas ardenter appetimus, subdole captamus, ad eas dolose obrepimus; in illis vero superbe nos gerimus, impetum ostentamus, neque nisi per vim easdem relinquimus. Quæsita dignitas plerumque ad majorem obtinendam gradus est; cumque ambitio sit semper inexplebilis, nonnumquam supremam etiam dignitatem appetimus. Spem fovet eventus, cumque in aliis conatibus res e voto cesserit, in audacissimo etiam omnia e sententia cessura confidimus. Hoc autem malum ardenti gloriæ cupiditati, atque injustæ honorum distributioni, quæ fit potius in eorum gratiam, qui eosdem requirunt, quam, qui illos respuunt, acceptum referendum est. *De la Volpilliere serm. de gloria.*

Artes, quibus ad dignitates provehi tur ambitio.

Ubi desit meritum, ut eo, quo contendimus perveniamus; sæpius arcessitur astus, ambitus, intercessio, & favor; existimatio, & necessitudo ut plurimum meliorem obtinent partem; dolus & fraus adhibetur; importunitas etiam adjicitur; qualibet persona geritur, supplicis, emptoris, adorantis, atque clientis: *adorans, & petens*, uti de matre duorum discipulorum JESU CHRISTI loquitur Evangelium *Matth.* 20. Neque artes hujusmodi dissimulantur, immo aperte, quid velimus, ostendimus; urgemus, instamus, atque nihil intentatum relinquimus ut votorum summam consequamur; cumque nihil humile vel turpe etiam prætermiserimus, gloriamur etiam, si feliciter nobis cesserit, quasi illud arte officiis exercendis, assequuti fuerimus. Aperte dicam, ad honores per infamiæ januam ingredimur, atque ut nobis viam ad illos sternamus, hunc pollicitationibus, illum muneribus, alium minis corrumpimus: denique ut tuto perveniamus, vitio quoque, atque improbitate utimur, quibus suffragia comparemus. Hæc autem cum sint passim communia, innocua, legitima, atque honesta, existimantur. Qua in re quænam non solum religionis Christianæ, sed etiam moralis probitatis, atque honestatis eversio? qui id fecerit, aliquis huic honoris sensus inesse putandus est? *P. Bourdalove in veris sermonibus suis pro Feria quarta post secundam Hebdom. Quadrag.*

Efficit ambitio, ut nobismet persuadeamus de inani quodam jure, quod mordicus asserere cupimus; quoniam vero Christianam humilitatem non consulimus, jus illud seu verum, seu fictum quocumque pretio conamur vindicare, licet charitati vulnus inferatur, & proximi detrimento afficiantur. Hoc opus est tueri, hoc persequi ad unguem, ne minimum quidem cedere, nullam compositionem admittere, nullas conditiones audire. Cur autem? quia hic imperii, ac dominationis spiritus viget, qui sæpius id quod mera ambitio est, ac mera authoritatis zelotypia, virtutem, atque æquitatem esse arbitratur. *Idem.*

Per ambitionem, religio, salus, conscientia in discrimen adducuntur.

Cum ambitio nos agit, atque immensum illius currimus stadium, heu quoties delinquimus? ullamne in his ambitiosis conatibus partem habet religio? Evangelium tunc norma est consiliorum, quæ capimus, quæ inimus, & eorum quæ audemus; bona valetudo, vita ipsa nonne in discrimen vocantur? ubi magnam aliquam captas dignitatem, salus semper in magnum periculum adducitur. Quibus ambagibus, dolis, artibus opus est, ut suffragia aucupemur? viæ autem, quas capessimus, ut quod cupimus, assequamur, semper ne rectæ sunt? quot secreta itinera, quot obliquæ semitæ, ac parum tutæ? Competitorum multitudo, invidorum improbitas, cupiditas, utilitas, crebro in periculum vocant bonam fidem, rectitudinem, ideoque & conscientiam, & nisi salutis æternæ desiderium longe præstiterir honorum cupiditati, nihil non contra conscientiam nostram audebimus, sicubi occasione affectus illicitur, *P. Croiset tom. 2. considerationum.*

Insignis ambitio plurimis malis, atque periculis salutem objicit; quanto labore adnitendum est, ut ascendas? id numquam sine difficultate contingit, tunc præsertim cum per inaccessa, atque invia obrependum est. Quot obices superandi? quot iniqua viarum loca sternenda? quot sudores? quot vigiliæ? inter tot labores autem conscientia nullis umquam stimulis agitatur? attamen hoc non adeo metuitur. Ubi consilium aliquod ad summum dignitatum apicem evehendi, mentem occupat, hoc omnem absorbet spiritum, omnes jugiter ad arma vocat affectus. Hoc idolum est, cui omnia nuncupantur vota: cot desideriis tenetur, mens exercetur industria, nihil metuitur, nisi ne e voto res minime cedat, nec satis bene provisum fuerit ut quod quæritur, acquiratur. *Idem.*

Pauci sua sorte contenti nascuntur. Quantumvis elatus sis, semper altius evehi contendis. Nulla in terris conditio est, quam serius ocyus non fastidiamus. Mediocritas displicet, inflat ambundantia, nobiscum adolescunt desideria, quo magis illa foventur, eo magis fiunt inexaturabilia. Vita nostra non aliud est, quam insanarum inquietudinum series; & jure affirmare possumus, cor nostrum plerumque infestissimum esse quietis nostræ inimicum. Creata bona tunc nos alliciunt, cum absunt; ubi illis perfruamur, illorum tædium subsequitur. Licet insignem in terris fortunam nacti simus, iis tantum, quæ desunt, advertimus animum. Quæ sinistre accidunt, nostra irritant desideria, quæ vero prospere, eadem accendunt. Nobis ingenita est ambitio, nonnisi cum ipsa vita peritura, ac semper in imo gradu subsistere credimus, cum altius evadere posse speramus. *Idem.*

Numquam sorte nostra contenti altius conamur ascendere.

Ambitio affectus est durus, atque austerus. Dicere quidem possumus hunc amori proprio blandiri; huic tamen non parcit sollicitudo; cura, labor assiduus, ipsa etiam mortificatio adhibetur, cum omnia ad propositum finem profutura speramus. Quæ humilitas, quæ docilitas, quod obsequium ut aucupemur illius gratiam, atque existimationem quem de nobis benemereri posse confidimus? imperata facimus, in hominum societates ingredimur, nihil abnuimus, interdiu, noctuque laboramus, ut fortunæ gradum aliquem obtineamus. Si Ecclesiasticas dignitates perquirimus, eorum animum, ingeniumque scrutamur, qui nos votorum compotes efficere possunt. Austeri sunt? eos imitamur; de severitate dumtaxat, moribusque reformandis verba facimus. Pii sunt? oris habitum ad pietatem componimus, eorum etiam defectus adoptamus, in eorum negotia transimus; ex quo ambitiosi sumus, fere semper histriones agimus. *Idem.*

Deus ambitiosorū hominum conatus evertit.

Quæro ex illis ambitiosis hominibus, qui vitam suam traducunt, mente varia evolventes consilia, aureos sibi montes polliciti, chimericæ magnitudinis ideas concipientes, facinora facinoribus, fortunas fortunis cumulantes; qui dicunt, quod stulti illi, de quibus loquitur Scriptura: Genes. 11. *Venite, faciamus nobis Civitatem, & Turrim, cujus culmen pertingat ad Cælum*: quæro inquam ex illis, quid sibi hæc effrænata ascendendi cupiditas prosit? dissipat Deus hæc illorum consilia, velut fumum, in pulverem redigit ita, ut nihil reliquum sit, nisi pudor, confusio, & desperatio, eo quod adeo insane cogitatuum suorum vanitate fuerunt abusi. Quot eo, quo loquor temporis momento, oculis objiciun-

ciuntur; quorum fatum deplorandum est, neque sine dolore recogitandum! Ego, inquit Propheta: *Psalm.* 35. somnii eorum testis fui; ego illos vidi in hoc mortis sopore cum ipsi vitam suam tamquam curriculum fulgentem, atque gloria refertum intuerentur tanta cum voluptate, quanta si nullo umquam fine, aut limite fuisset circumscribenda. Eos percussisti, Domine, cum id ne cogitarent quidem; atque asserere possumus eorum nomen, atque memoriam interiisse; eosque ex illorum numero esse, de quibus Propheta *Psalm.* 87. loquitur: *sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius. Abb. de la Trappe in considerationibus moralibus in Evangelio S. Matthaei.*

Ambitiosus pacem cordis non invenit.

Vos qui mundo mancipati estis, veram cordis pacem delibare numquam potestis; aeterna sollicitudine & cura agitabimini. Hanc quidem pacem prae caeteris cupitis, ideo enim caetera cupitis, ut ad eam perveniatis. Attamen numquam pervenistis, neque vobis succensendum est, nisi vobismetipsis, & huic ambitioni, quae dominatur in vobis, & cui quodammodo vosmet mancipastis: huic ambitioni, quae, licet Deus tot bonis vos cumulaverit, prohibet tamen ne umquam eo contentis sitis, quod estis; ac semper efficit, ut esse velitis, quod minime estis; huic ambitioni quae per teterrimum ingrati animi vitium erga Providentiam efficit, ut flocci faciatis ea omnia, quae habetis; illa vero quae minime habetis, tanto ardore quaeritis, ut indesinenter fatigemini, ac vosmet torqueatis; huic ambitioni, quae in corde vestro tot humiles, turpesque ciet Zelotypias; quae alienas felicitates in acerbissima doloris argumenta convertit, quae violentos adeo in vobis furores excitat, ubi aliquis consiliis vestris adversetur; quae internecina odia vobis inspirat, ubi aliquis conatibus vestris obluctetur. Cum huic passioni aliquando abrenunciaveritis; cum sapienti atque Christiana moderatione eum tenere locum didiceritis, in quo vos Deus ipse constituit, cum intellexeritis, quod non intelligitis; sed velitis, nolitis erit aliquando intelligendum, fatebimini Deum pro vobis nimis etiam fecisse; tunc pacis thesaurum possidebitis; hoc est tunc Domino in statu vestro benedicetis, quin alieno invideatis: tunc Deo subditi id unum cogitabitis, ut in statu vestro vosmet sanctificetis, quin persequamini inane phantasma, quod vobis quidem tamquam perfectum bonum exhibetis, sed cujus chimerica spes vos tantummodo torquet: tunc forte vestra contenti, eadem tranquille perfruemini, nihilque adeo vobis metuendum erit, quam ne eadem noxie abutamini. *P. Bourdaloue serm.* I. *de Nativitate JESU CHRISTI.*

Quis non videt, nihil esse usitatius, quam id genus calamitates? quid enim tamdem illa Regii Prophetae verba significant? *Dejecisti eos dum allevarentur.* Quid rursus illa Prophetae ejusdem? *elevans allisisti me.* Quid adhuc illa? *sicut deficit fumus, deficiant?* Fumus ascendit; hoc noslis; sed simul evanescit, dissipatur. Hoc ipsum summis accidit viris in mundo: videntur quidem altius ascendere; verum eodem temporis momento descendunt: illorum elatio majores lapsus patit, nam quo major eorum est dignitas, eo poena erit gravior, quemadmodum ait Tertullianus: *quanto amplior erit dignitas, tanto major exigetur censura poenarum. P. de la Rue serm. de status electione.*

Ambitio majora quae in mundo extitere mala, peperit.

Ambitio centies terrarum facies immutavit, & universale diluvium non aeque terras depopulatum est, ac bellatorum vanitas, & ambitio. Pleraeque magnitudinis eorum notae funestae sunt: ex eversarum urbium ruderibus alias Urbes aedificarunt. Ab impotentia, atque injustitia victoriae illorum initium duxere. Triumphus fere numquam virtutis eorumdem pretium fuit; qui audacior, fuit plerumque felicior. Universus terrarum Orbis Alexandri ambitionem timuit; unus homo universis terrae populis vel cladem intulit, vel terrorem. Ob acquirendae gloriae cupiditatem hostium suorum cruori innatavit: haec passio bonis successibus fovebatur; relatae victoriae in nova praelia eumdem impellebant; quo felicior, eo erat insolentior: nisi mors victoriae cursum fregisset, omnem fere naturam gemere coegisset. Terrarum Orbis nimis arctus illius ambitioni videbatur: Regnorum usurpatio ejusdem vanitati videbatur justa; cupiditas enim, quae illum excaecabat, non patiebatur eum cogitare, Provinciarum depopulationem esse latrocinium, atque exercituum cladem esse occasionem. *P. Senault in homine criminoso tract.* 4. *serm.* 4.

Labores quos affert ambitio.

Quot laboribus non exercet ambitio eos, quibus dominatur? haec ex ipsa ferme infantia nobiles pueros de quietis sinu revellit, ut eorum corpora laboribus exerceat, atque ad armorum disciplinam informet. Ubi adoleverint, eos sexcentis objicit periculis, cogitque, ut ad gloriam sibi comparandam honores sanguinis pretio mercentur. Cum vero haec nos detinet ambitio in togae exercitationibus; numquid minus amaritudinis effundit in animos, qui eidem famulantur? Ut ad bonorum cumulum perveniamus, quem forensium judiciorum exercitatio promittit, quot studiis, iisque morosis, molestisque insumenda est adolescentia? quae vis vividioribus inferenda est affectibus ut moderatus, integer vitae, scelerisque purus videaris? quid cavendum, ut ea tegas flagitia, quae si innotescerent, adeo seriam vivendi rationem professis, status omnes ad examen revocata, & fateberis ambitiosi hominis vitam asperam esse &c. *Serm. manuscript. P. Francisci Catrou.*

SUPPLEMENTUM.

Frustra ambitioni statuere conantur cancellos. Haec insatiabilis est in desideriis suis, quemadmodum in caeptis suis temeraria.

VErum est superbiam esse generale peccatum, quod se se aliis omnibus commiscet; ideoque aliis capitalibus noxis praefigitur, & Sacra Biblia testatur, hoc esse omnium aliorum vitiorum principium: verum quodammodo per ambitionem, quae illud proprium efficit, determinatur. Ambitio quippe efficit, ut homo in propriis consiliis suis evanescat, neminem, nisi cum invidia, patitur praecellere; vult semper progredi, & altius efferri; & si forte accidit, ut primi conatus sui illi cedant e voto, voti compos non est, nisi eo usque progrediatur, ubi ultra nequeat procedere. Ambitio quippe cupiditatum omnium audacissima nullum habet finem, vel modum, & quantum in desideriis suis inexplebilis est, tantum in caeptis suis est temeraria. Semper incaepta persequitur, & numquam subsistit in via. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Ita illam describit Propheta; *Psalm.* 73. oppositam hac in re humilitati, quam Salvator tamquam Evangelii fundamentum posuit, quae gravium corporum naturam imitatur semper deorsum tendentium, & numquam quiescentium, nisi in mundi centro subsidant. Ambitio e contra vult semper ascendere, semper altius se attollere, & ubique prima subsellia obtinere. *Auctor sermonum in omnia argumenta.*

Ii etiam, qui obscuro nati loco sunt, singuli secundum statum suum ambitione non carent.

Nequaquam arbitrandum est eos tantum qui illustri loco nati sunt, vel qui meritis excellunt, ambitione affici, & hujus affectionis objectum esse dumtaxat primas Reipublicae, Provinciae, vel civitatis alicujus dignitates; regnat in professionibus omnibus, & saepe non minus ardens est in hominibus e plebe propter exigua bona, quae ipsorum ratione magna sunt, quam in aliis, qui ad primos honores contendunt. Quis enim est, qui in conditione sua princeps esse non cupiat, vel saltem unum ex praecipuis in corpore, in societate, in arte, quam exercet, verbo, qui in omnibus, & per omnia inter alios enitescere nolit? Pugnandum ergo semper est adversus propensionem hanc a natura inditam in professionibus omnibus, in omnibus vitae statibus, in omnibus conditionibus, quandoquidem inter ipsos etiam Apostolos invenitur, & in societate ejus Magistri,

gistri, qui nonnisi de dejectione, & sui contemptu apud eos loquebatur. Et profecto nonne disputarunt inter se, quis eorum major esset, atque præstantior? *Quis eorum esset major;* & duo ex maxime familiaribus Salvatoris, nonne per parentem suam ab illo primos in regno ipsius recubitus petierunt? Nostis, quid Dei Filius responderit his ambitiosis, qui in ipsa humilitatis schola conabantur ascendere. Humilis erat eorum professio: pauperes erant piscatores; humili nati erant loco, spiritus eorum rudis: Vos hinc conjicite, utrum ad ferenda diademata facti essent. Tamen hoc ambitiosum consilium capita illorum pervasit: quid ergo erit de reliquis hominibus, quibus cum omnibus sit idem naturæ instinctus, non sunt tamen eædem humiliationis causæ, quæ istis, qui erant Salvatoris discipuli. *Idem.*

Luc. 9.

Si omnes conditiones, & status simul confusi sunt hic, est ambitionis effectus.

Aliquem ne videtis in Mundo, qui ad propriam elevationem minime tendat, vel ad illam suorum? qui non quærat emergere e latebris in quibus versatur, qui non anhelet ad commodiorem, insigniotemque statum? hoc enim proprie ambitionis nomine vocandum est. Sed heu! frustra monstrum hoc improbatur. Quinam immunis est? Quis illud domare, furentesque illius impetus frangere quærit? Principum Ministri, Magistratus, opifices; nonne hæc prima est curarum vestrarum, & ardentissimum desideriorum vestrorum, paribus præstare, & semper altius ascendere? Mercator filium suum juri dicendo destinat: Magistratus Præsidis ambit dignitatem; nemo cancellos figit suis cupiditatibus, sed semper ad aliquid altius contendit; & licet figura hujus mundi prætereat, volunt tamen singuli personam ludere, quæ in adstantium oculos incidat. Sed, amabo vos; quænam conditionum inversio? Videte hunc hominem Magistratus trabea indutum; pater ejus in taberna non ita pridem mercibus distrahendis vacabat. Hic gladio præcinctus est, & satis splendide vivit: obligurit opes, quas pater, majoresque sui non sine sudoribus frontis suæ laboriosa arte acquisiverunt. Ille inter Publicanos prima tenet subsellia, sed aliquot dumtaxat annos respicite; ejus origo in populo erat ignota. Ita videri potest quomodo civitas aliqua post elapsos quadraginta, vel quinquaginta annos vix, & ne vix quidem potest cognosci; omnia mutata sunt. Hanc tamen mutationem, commixtionem, confusionem plebejæ nobilisque conditionis quid peperit? Ambitio, quam Evangelium magnum peccatum esse testatur, mundus vero magnam virtutem, saltem felicitatem, quantum fieri potest, proficiens, ex eo quod bona fortuna appellatur. *Auctor recens.*

Ecclesiam ipsam in ortu suo ambitionis demon adortus est.

Crimen hoc ita omnium statuum est, omniumque conditionum, ut Ecclesia ipsa, quæ regnum est Filii Dei super terram, obnoxia sit his vicibus, & mutationibus, quæ sunt opus ambitionis. Heu! cum Ecclesiasticum statum amplectimur, hoc nobis esset agendum, ut in eo humilitatem exerceremus, ibique mundi vanitates fugeremus; sed huc in ipsis fere primordiis obrepit ambitio; quia vix inveniuntur, qui non ingrediantur, quemadmodum S. Petrus ait, nisi ut dominentur in Cleris: *Dominantes in Cleris.* Nonne omnes ad primas dignitates contendunt? Nonne ea quæruntur beneficia, quæ aliquam conferunt dignitatem, & quibus etiam inhæret onus alios regendi, quia per hæc super alios attollimur? In aliis conditionibus eæ, quæ sunt amplissimæ nonne præ ceteris ambiuntur? Nonne hoc est, quod Salvator Pharisæis exprobrabat, quia prima quærebant subsellia? *Amant primos recubitus.* Ambitio enim nonnisi elationis, superioritatis, & præeminentiæ init consilia; quod Christianæ humilitati adversatur; & major gratia, quam Deus hoc in mundo alicui possit conferre, hæc est, significare illi statum in quo ipse hunc esse vult, eique in illo permanendi mentem immittere. *Idem.*

1. Petr. 5.

Matth. 23.

Ubi ambitiosus credebat se perfecta requie fruiturum, causas invenit sollicitudinis.

Accidit vulgo divinæ justitiæ consilio, quod ambitiosus arbitratus requiem aliquam invenire in recenti ambitione sua, illam nequaquam reperiat; quod efficit, ut illi cum veritate dici queat, quod Salvator dicebat duobus Fratribus, qui ab illo petierunt primas in Regno illius sedes; eos nempe nescire, quid peterent. Hic homo contentus non est eo loco, in quo est, ideoque ibi requiem non invenit, quam quærebat. Quorsum? quia erga illos qui super ipsum sunt, id agit, quod videt fieri erga se ab illis, qui sunt infra. Invidis respicit oculis fortunam eorum, qui altius ascendunt, atque ita cum ambitio sua efficiat, ut suam dejectionem, & humiliationem nanciscatur in prospero rerum cursu, quo alii fruuntur, iisdem angitur curis, ac sollicitudinibus propter locum in quo non est, quibus olim angebatur pro eo loco, quem tandem est consecutus: cum hujus affectus ingenium sit semper crescere, ac sese attollere; honorum desiderio idem accidit, quod desiderio divitiarum. Avarus numquam dicit satis est; & ambitiosus non credit se satis ascendisse; ille semper magis lucrari festinat, hic semper ascendere nititur: alter in dies novas ditescendi vias quærit, alter nova semper molitur altius ascendendi consilia; cumque neuter voti sui compos sit, numquam ea requie perfruuntur, quam eorum status, & præsens fortuna illis præbere posset, si possent eadem esse contenti. Nova semper animo volutantur consilia, novique conatus, propter quos S. Bernardus exclamat: *O ambitio ambientium crux! quomodo torquens omnibus places? Nihil acerbius cruciat, nihil molestius inquietat.* Non aliud ambitioso supplicium inferendum est, quam ipsa ambitio; quemadmodum avarus avaritia torquetur: quia cum uterque sint sævissimarum suarum cupiditatum mancipia, nulla ipsis tranquilla dies illucescit. Semper agitantur, amantes usque ad insaniam; odio habentes usque ad furorem; zelotypi usque ad rabiem; tristes usque ad desperationem, semperque requiem quærentes, quam invenire non possunt. *Auctor recens.*

Lib. 3. de consideration.

Quid faciendum ne ambitioni simus obnoxii.

Ad curandam ambitionem ab hoc desiderio incondito honorum, magistratuum, ac summorum officiorum, sufficit considerare, si in illis nitor adest, graves etiam adesse cruces, plurimasque sollicitudines, & angores sub externa hac specie, quæ nos allicit, oculosque nostros perstringit; cum e contra anima humilis semper tranquilla est, & profunda pace perfruitur; quia illius affectus semper compositi sunt, & justa desideria. Non aucupatur illas præeminentias, quæ semper afferunt tumultum; cumque omnibus cedat, nullum umquam parit dissidium. Nobis non satis sit Deum adhibere consiliarium ejus status, quem ingredi volumus; limites etiam constituendi sunt nostris desideriis, vires dimetiendæ sunt, & quin nosmet palpemus, considerandum est, utrum pares simus ei statui, ac muneri, ad quod anhelamus sive in Ecclesia, sive in republica; inspiciendum est utrum in illo nostram quidem operari, alienam vero salutem procurare valeamus. Hoc nobis agendum est, si volumus digne perfungi iis officiis, ad quæ pervenire contendimus; eo & hoc pacto cœlestes promerebimur gratias, quæ necesse sunt, ut illic munus nostrum obeamus, atque evitabimus scelera, quibus obnoxia est ambitio, & pacem, atque tranquillitatem mentis, & cordis inveniemus. *Idem.*

Ambitio non vult solum dominari, sed etiā Deo, & Ecclesiæ Ministros tribuere.

Nullo umquam tempore ambitioni Leges crucem fixere, ubi illa conatus suos ad finem perducere optavit. Hodierna vero die dicere possumus ne religionem quidem ei negotium facessere, saltem olim Sanctuarium reverebatur, & nonnisi raro ministros aris dare audebat. Deo integra relinquebatur electio manus, quæ victimas erat oblatura; & timebatur, ne quis tamquam Oza, vel Ozias plecteretur, si non jussus, neque vocatus, ausus fuisset, ut illi, manum vel

Arcæ,

Aræ, vel thuri admovere. Hodierna die non adhibentur amplius aures timidæ huic Religioni, & qui illi auscultaret, jam traduceretur in familia tamquam imbecillus homo: nobilitas, gratia, patroni legitima videntur jura, ut in Sanctuarium ingrediantur. Hæc unctio est plurimorum ex nostris Prophetis; vocatio multorum Pastorum, missio Apostolorum. Talis missio, talis vocatio aliamne producere gratiam potest, quam eam, quæ vocari potest gratia ambitionis, quæ ambitiosum hominem corroborat, ut omnes infringat obices, qui conatibus suis adversantur? *P. Aurelianensis in Sermone de Annunciatione.*

Ambitiosus cum de progrediendo sermo est spernit omne consilium, & rationem, jugulat etiã omnes cõscientiæ stimulos.

Ubi nobis inordinatus aliquis dominatur affectus, contemnimus quidquid ratio, conscientia, & amici suadent contra desiderium ejus loci, quem scimus, nobis non convenire; & ambitiosus omnibus objectionibus, quæ fiunt nil reddi aliud, quam illud Angeli rebellis responsum; *Ascendam*. Verum quomodonam illud onus suscipere potes, cui ferendo par non es? Quomodo eum tenebis locum, quem satis digne tenere tibi non licet? Quomodo ea subeunda sarcina, cujus sustinere pondus non vales? Honorem peto; mox inveniam qui istud subibit onus, ubi cum illo fructus partiri velim. *Ascendam*. Sed in sublimi hoc gradu, qui omnium oculis, & censuræ patet, quomodonam conciliari possunt illius dignitatis officia, quæ vitam integram, & ab omni labe immunem postulat, cum lethali ea propensione, quæ te in voluptatem trahit? Species extrinsecus, quantum fieri poterit, servabuntur, quod tot alii faciunt; & sin minus accidet, ut populo silentium imponam; satis virium mihi erit, ut eum garrire sinam: *Ascendam*. Sed quid? Nihil consideras scandalum, quod allaturus es; murmur, quod excitaturus es, contemptum, ac opprobrium, cui te objicis? Fies totius urbis fabula, & ludibrium. Tutius in mediocritate studiis tuis obsecutus fuisses, minusque nocenter in obscuritate desideriis tuis satisfecisses. His omnibus nulla redditur responsio, nisi illud *Ascendam*. Esto, sit, ut vocationi, & ingenio supplerent, nonnullis curæ fuisset sese per labores disponere iis obeundis muneribus, ad quæ contendunt, & ab ipsa vanitate feruntur; per labores, inquam, assiduos, atque constantes, per sedulam diligentiam in officiis suis cognoscendis adhibitam, per exploratam probitatem, per pietatem, quæ illi insignes gratias posset promereri: temeritas eorum aliquem haberet locum credendi, se excusabilem esse. Sed bone Deus! quas illi, ut plurimum adhibent dispositiones? effrænem adolescentiam, ferventes, & acres cupiditates, habitus, qui emendari non possunt, cor voluptate corruptum, spiritum levem, & incertum. Cum magnis hisce qualitatibus de hominum vita decernitur, maximis Religionis negotiis præsidetur. Num mirum est, si in omni statu ea accidunt mala, quæ nobis scandalum inferunt? *Idem ibidem.*

Se credit omnibus officiis parem sine studio, & sine scientia.

Ambitio spiritui Christianismi contraria. *Luc. 14.* *Luc. 9.* *Luc. 22.*

Si ratio ambitionem condemnat; fides illam execratur, & eam Dei Filius reprobat: *Qui se exaltaverit; humiliabitur*. Unica Christiani ambitio esse debet sub se totum mundum statuere. Novissimum vobis locum eligite, Salvator ait, si primum vultis mereri. *Qui major est vestrum; sit & minimus: Reges gentium dominantur eorum; vos autem non sic*. Quo magis nosmet demittimus, eo magis accedimus ad JESUM CHRISTUM, qui principium est magnitudinis, & tunc vere majores efficimur. Evangelium nequaquam factum est pro Mundi principibus; non enim factum est, ut aliquem palpet. Magnifici status, dignitates terribiles sunt homini fidem habenti. Merebar propter scelera mea, dicebat magnus quidam vir, quem fidei lumina parvulum fecerant, merebar, inquam, esse adhuc similem huic homini, quem extulit ambitio. Ita cogitat, qui vivam habet fidem, & qui vere Christianus est; sed quia paucissimi sunt veri Christiani, paucissimi etiam sunt, qui hujusmodi sensus habent. *P. Nepveu in Christianis Animadversionibus.*

Ambitiosi cæcitas tanta est, ut sibi in tumultu complaceat.

Quænam cæcitas ambitiosi est sibimet requiem auferentis? semper in tumultu, atque æstu versantis? Hanc ipsam oppressionem sibi gloriæ vertentis? in ora abyssi præcipitis ædificantis? Numquam neque Deo, neque sibi obsequentis; sed a tot hominibus, quot Superiores vel competitores habet, pendentis? Hæc funesta sors est ambitionis, quæ licet superba honores comparat pretio sui honoris, & libertatis. Potest ne huic similis cæcitas concipi? Nonne hoc est propriæ abrenuntiare felicitati, & velle intra semet infernum gestare? Ita Ethnicæ gentilitatis Sapientes locuti sunt, & si nihilominus ambitiosi fuerunt, hoc accidit, quia contenti fuerunt egregiis id genus speculationibus, quin vellent eas ad praxim redigere, vel quia, secundum Dei legem affectio hæc nonnisi per gratiam, & documenta JESU CHRISTI erat curanda. *Dictionarium morale.*

Hypotiposis ambitiosi.

Admirabilis sane est ambitiosi spiritus conditio! Omnia cupit; se omnibus parem credit; nullos desideriis suis, cogitationibus, sublimique concepui, quem de sua habet virtute, limites statuit. Cum infelix quispiam hanc mentem fovet, primos Reipublicæ, Ecclesiæque gradus concupiscit. Sibimet perhibet testimonium, se mortalium omnium perfectissimum esse; si enim se aliis meritorum numero inferiorem crederet; nollet ille quidem hanc injustitiam committere, ac se super alios attollere. Quid autem reipsa est homo, cui prava hæc horum cupiditas hæret! Homo est, S. Chrysostomus, inquir, qui universum adfectatæ dignitatis pondus se ferre posse credit: homo est, qui pro statuum varietate, quibus se immiscere quærit, satis sibi virium, luminis, integritatis, zeli esse putat ad omnia eorum munera obeunda; homo est, qui nullam recipit uspiam mercedem, quæ sibi, sententia sua non debeatur, nullum decus, quod satis, superque meritus minime fuerit. Quære ab eo utrum eam, quam ambit provinciam satis fideliter administrare poterit; utrum illi quidquam eorum desit, quæ ad illam rite obeundam requiruntur, utrum sibi satis sit vigilantiæ, ingenii, doctrinæ, fortitudinis, ut cuique haud cunctanter jura sua tribuat, ut omnibus integer obsistat sollicitationibus, ut sexcentos obices, qui superandi sunt, effringat. Haud hæsitanter se posse reddet; sed in hoc ipso cognosci potest, illum id nequaquam facturum, & fieri non posse ut ab eo fiat. Quare? quia hæc illius præfidentia magnus est obex, ne id faciat, vel si fecerit, ne recte faciat. *Dictionarium Morale.*

Adde his, eos fere, qui minus pollent ingenio, ardentius honores perquirere. Vix cordatum hominem reperies, qui hoc sibi testimonium perhibeat, & non hæsitanter dicat: Utique ego possum; omnia mihi sunt, quæ ad munus hoc obeundum sunt necessaria. Tanta hæc temeritas levis est ingenii, & virtutibus vacui. Nihil audacius, nihil impotentius ambitioso. Se se rebus omnibus immiscet, se ipsum commendat, extollit. In Mechanicis ponitur tyrocinium; in abstractioribus scientiis districtum habetur examen, & gravia, eaque difficilia requiruntur experimenta: ubi vero de Ecclesiæ, vel reipublicæ muneribus adeundis sermo est, plerumque citra quodvis examen dicitur, *Possumus*. Si ad munus aliquod emendum suppetit pecunia, satis est: Si hoc interest familiæ, satis est; necessitas ista rerum omnium vicem tenet, & si quidquam ultra lex postulat; si quædam experimenta petuntur, in speciem tantummodo fiunt, & lex ipsa vertitur in ludibrium. Sed ambitionis impotentia longius procedit: neque enim pro se tantum, sed & pro aliis respondet. Mater filiorum Zebedæi pro illis loquitur, atque eos dignos prædicat, qui in JESU CHRISTI regno primos accubitus consequantur. Exemplum heu nimis hisce temporibus frequens.

Pater satis audax est; ut filium censeat cuilibet oneri ferendo parem: immo hoc sua interesse satis est, ut credat. Aliquid ne deest illi? statim excusat: aliquid in eo nitet? immodice laudat: & quod pejus est, licet plerumque filium ineptum noverit, insignes tamen eidem dignitates procurat. Quot enim Patres intuiti sumus, qui Ecclesiasticas dignitates iis procurarunt, qui ex filiorum numero, vel corpore maxime informes essent, vel ingenio destituti? Quis error, Salvianus ait; consecratione, & Sacerdotali caractere censere dignos illos, qui bonis, atque honoribus majorum existimantur, indigni? *Qui indigni censentur hereditate, digni censentur consecratione. Idem.*

Remedia contra ambitionem.

At enim quid consilii capiendum? JESU CHRISTI humilitas est consulenda, quæ vos viribus vestris perfidere non sinet, quæ hos propriæ existimationis sensus comprimet, quæ vos vigilantes atque muneribus vestris attentos reddet, ut vosmet iis honoribus dignos præbeatis, quibus indignos vosmet arbitramini. Humilitas, quæ ex vobis eos exprimet sensus, quos Moyses fovebat, Deo dicens: Quis ego sum, ut aliis regundis præsim, qui ne me ipsum quidem regere novi? Citra hanc humilitatem ambitio vestra non solum cæca erit in contentionibus suis, & in cogitatibus audax, verum etiam in effectibus odiosa. Duo sunt dignitatum genera; aliæ quidem naturales, & legitime a Deo institutæ: aliæ vero extraordinariæ, & irregulares, quæ, ut ita dicam, ultro sese erigunt, Illæ quidem sunt opera providentiæ divinæ; hæ vero sunt humanæ ambitionis effecta. Priores illæ secum quemdam nobilitatis caracterem gerunt, qui illis omnibus amorem, atque observantiam conciliat. Id genus sunt Reges, atque legitimæ potestates. Tantum abest, quod earum magnitudo nobis negotium facessat, ut immo illis alacriter obtemperemus, atque ad illas tuendas ad arma curramus. Quare? quia a Deo constitutæ fuerunt. Longe tamen aliter accidit in irregularibus dignitatibus, ad quas nonnisi nefariæ ducunt semitæ; semper enim aliquid odiosi illis immixtum est, ut ægre eas feramus. Quorsum istuc? nisi quod totidem nobis videntur rapinæ ad nostrum, vel alienum exitium tendentes. Rei hujus probationem in Evangelio intueamur. S. Petrus ad altissimum dignitatis gradum, cujus mortalis homo capax esse valeat, evehitur, & visibile totius Ecclesiæ caput constituitur, aliis Apostolis non reluctantibus. E contra vero Sancti Joannes & Jacobus vix primos sibi deposcunt accubitus, cum aliis statim indignantur. Quare? Ratio a Sancte Joanne Chrysostomo adfertur. Sancti Petri supereminens honor eos non irritat, quippe qui a Petro quæsitus non fuit: sed fratrum contentio reliquorum ciet indignationem; constat enim, hos eam dignitatem adpetere, eaque se dignos existimare. *Dictionarium Morale.*

Ambitiosus ita stupidus est, ut se dignum existimet honoribus, quos sanctissimus quisque recusavit.

Ii, qui præ cæteris sanctitate floruerunt, ubi se dignitatibus vel Ecclesiasticis, vel sæcularibus implicitos viderunt, intuentes onera adeo incommoda contremuerunt. Attamen longe aliter sentit ambitiosus; credit se non solum parem esse illis obeundis, sed etiam dignum earum possessione. Hinc nullæ sunt artes, quibus non utatur, ut illis humeros subjiciat suos, & propriis deficientibus meritis, dolum, calliditatem, & nonnumquam pejus aliquid usurpat. Hæc est illa nefaria agendi ratio, qua filii sæculi utuntur quotidie. Ut plurimum ad honores sive Ecclesiasticos, sive sæculares illi non perveniunt, nisi per ea, quæ objecta sunt, & honesto homine indigna. Si ambitiosus ratione uti posset, si illud rite cogitaret onus, quod subit honores conquirens: omnes divinæ, humanæque rationes essent adhibendæ, ut ad illos subeundos adigeretur. *Idem.*

Ambitio ita omnium statuum est propria, ut neque ipsi Templorum ministri ea vacent.

Mundi honores proprie loquendo non aliud sunt, quam gloriosæ servitutes, recentesque rationes, propter quas homo se ipsum respicere debet tamquam non sui juris, sed alieni, qui minus sibi, quam proximo suo operam debet impendere. Hac in re, qui sæculo dediti sunt, consentire nolunt, quia, ut Dei Filius ait, inter gentes, qui reliquis eminent, non aliud cogitant, quam illis imperiosius dominari. Hæc Mundi consuetudo est: homo, quin spectet ejus altitudinem loci, quo ascendit, tamquam aliis inserviendi necessitatem, honores, quibus in dignitate sua fruitur, respicit tamquam superbos titulos, qui sibi in alios conferunt auctoritatem, ut ab illis exigat reverentiam, honorem, obedientiam, servitutem, dicens ut Evangelicus ille centurio, licet in sensu longe diverso; multi meo subsunt imperio; si hunc ambulare jubeo, ambulat; si alium venire, venit. Hic spiritus dominans, ac superbus ambitionis ita generatim effusus est in omnes status, ut illi ipsi, quos nos tamquam sanctissimos veneramur, nequaquam hoc crimine vacent, Sanctus Bernardus ait. Altarium Ministri nil aliud videntur quærere, nisi ut jure suo non fraudentur; nisi ut dignitatem suam sibi honori vertant, nisi ut privilegia sua sarta tecta tueantur; idque quia non intellexerunt sæculi honores, quibus refulgent, tot simul titulos esse, propter quos aliis deservire tenentur. *Dictionarium Morale.*

Ambitio omnium statuum est, & omnium professionum. Hæc tamé summorum virorum adeo propria est, ut in illorum naturam migrasse videatur.

Quot mortales humili genere nati, in pulvere, ut ita dicam, Mundi latentes, omnes ætatis, & industriæ nervos contendunt, ut videantur ex nobilibus familiis orti, quæ claræ sint ob susceptos honores, & dignitates? Quot ex nomine suo abradunt, vel eidem inserunt litterulam, ut existimentur ex claris majoribus editi, quorum nomen aliquam cum nomine ipsorum habet similitudinem? qui nihil habentes, quod illos commendet, ut fabularum cornicula alienis se pennis exornant. Principes viri, divitesque sæculi hac inanis gloriæ luce non minus oblectantur, quam pauperes; verum quid dico? hi magis ita tument, inflantur, superbiunt, ut superbia cum illis nata esse videatur, & in eorum naturam migrasse. Avorum cineres excitantur, in vetustis contractibus, attritisque Epitaphiis tituli nobilitatis quæruntur; ad rem hanc consuluntur publica archivia, diligentissime connotantur anni, adscripta tempora, epochæ, & qui suam dedecorat nobilitatem factis suo genere indignis, satis se crescere putat subsidio horum honorum, quos mutuatus est. Virtus sine nobilitate, ut plurimum, non admodum enitescit, non secus ac rudes adamantes, quos materia quædam crassa involvit; nobilitas sine virtute nonnisi fallacem nitorem emittit. Frustra igitur avorum jactatur nobilitas, nisi virtus ad nobilitatis ornamentum accedat; præterpropter ut opera illa quæ adeo perita manus elaboravit, ut ars nonnumquam ipsum locupletioris materiæ pretium excedat. *Elogia historica, & recens quidam auctor.*

Ad quem cæcitatis gradum ambitio plerosque filios hominum perducit! Mirum est intueri qua non ferenda superbia ab aliquibus natalium suorum jactetur nobilitas; qua cura sibi genus suum simulent, ut illud præclarum exhibeant, & obscuræ familiæ sordes abscondant! Hic plebejus, quem negotiorum sedulitas festinatis opibus auxit, celare studet insigni aliquo honore generis sui turpitudinem, eodem fere modo quo Adam assutis arborum foliis nuditatem suam contegere voluit, cum non auderet talis videri, qualis erat. Ars irridenda! Pygmeus licet in eminentem locum sublatus, semper est pygmeus; illius elatio efficit etiam, ut cum majori indignatione, & contemptu inspiciatur. Tot ante hanc diem annos homo ille servus erat; mox emersit, nunc dives est. Quæ mutatio, qui casus? Non cognoscitur; mutavit nomen, sed infelici exitu, patet, quinam erat, sexcentæ familiæ concussionibus ejus de bonorum pos-

ses-

sessione dejectæ satisfecerunt honoribus coemptis, atque publicis nobilitatis ejusdem testimoniis. Ibi alius negotiis, atque pecuniis suis aditum sibi aperuit inter primas familias Regni, & uberes emit agros, inde sibi nomen facturus quo vetus delcatur: vel saltem conatur pertrahere in genus suum heroas, qui numquam fuerunt, per officiosa alicujus historici mendacia, vel quamdam nominis conformitatem, inferens familiam jam aliquantulum cognitam alteri vetustissimæ, ut jactet multorum seculorum, & venerabilis antiquitatis nobilitatem. Ita plerique mortalium miseræ hoc superbiæ fermento, illustre genus spectant tamquam objectum æmulatione dignum, ac legitimum fundamentum civilis flagitii contra leges politicas, & rationabiles. *Elogia historica.*

Hæc Regii Prophetæ sententia est, quod oblectatur Deus ambitiosos dejiciens, prout illi sese contendunt attollere: *Dejecisti eos, dum allevarentur.* Animadvertite, S. Augustinus ait in hæc Prophetæ verba, Davidem non dicere; postquam elevati sunt, eos dejecisti; sed dum elevarentur: ita ut non aliud elevationi, dejectioni vero aliud tempus adscribat. *Non aliud est tempus elevationis, aliud dejectionis:* non ita, sed ipsorum elatio fuit excidium illorum. *Elevatio ipsa ruina est.* Ambitiosi peribunt, addit Propheta, & veluti fumus evanescent: *Exaltati deficientes, quemadmodum fumus deficient.* Quam pulchra est hæc comparatio, S. Gregorius Magnus ait. Cum petit fumus? cum attollitur. Prout enim sese dilatat, in aerem evanescit. *Ascendit, tumescit, evanescit.* Quo magis ascendit, eo magis dissipatur: *Unde ostenditur, ut altus sit; inde agitur, ut non sit:* simulac ambitiosus suam nobis magnitudinem ostendit, ostendit etiam nihilum suum. Neque abludit Sancti Job sententia. Cuinam putas ab ipso ambitiosum, qui domum suam per fas, & nefas attollit, comparari. Num Leoni, vel lupo? Hoc nimis est commune, vel potius hæc similitudo nimis nobilis mihi videtur. Illum comparat tineæ, quæ sensim, ac sine sensu ligna corrodit, huic insecto, quod vix oculis nostris est perceptibile: *Ædificavit sicut tinea domum suam.* Sed quænam, inquies, intercedere similitudo potest inter exiguum insectum hoc, a quo sensim lignum corroditur, cum ambitioso, cujus vexationes, & concussiones tantum strepitum edunt! Similitudo absolutissima est, & hypotiposis exquisita. Nonne verum est, tineam rodentem ligna, in quibus latet, simul suam etiam domum evertere? Hoc accidit ambitioso; quo tempore sedem suam certam facere, & constituere conatur, & per fanda infandaque omnia crescere, sibimetipsi exitium parat: *Prosperitas stultorum perdet eos.* Fatendum est ergo, quod a secularibus felicitas appellatur, elatio, secunda fortuna, hoc secundum Sacrarum litterarum stylum, foveam esse, abyssum, interitum. Quid igitur agit hic ambitiosus, qui postquam integras deglutiit Provincias, postquam sexcentas familias in pulverem dejecit; super illas ruinas sese extulit; & numerata pecunia sibi immensa latifundia, ac principatus comparavit? Sibi foveam effodit, in quam quo magis senescit; eo magis descendit ipse cum familia sua in nullam reditus spem; cum moraliter fieri non posse videatur, ut pedem quidem extendat ad se reversurus, jam suæ dignitatis suorumque assertorum meritorum ebrius. Deplorabilis Mundanorum cæcitas, qui non vident, quo magis sese contendunt attollere super ruderibus alienæ fortunæ, se eo magis ad nihilum redigi. *P. Texier.*

S. August. in Psalm. 72.

Psalm. 36.

In Psal. 36.

Job 27.

Quid sit ambitiosus ex sententia Job

P. ..., 1.

Cæcitas spiritus ambitiosi.

Ambitio animi affectus est, quo moralis impellitur ad semet extollendum ultra quam opus est. Ambitiosus numquam contentus est loci, quem obtinet; ascendere vult, semperque cum *Lucifero dicit: ascendam.* Non respicit umquam ea, quæ sunt infra se, sed unice ea, quæ sunt super se, eaque moleste fert. Videbat Lucifer innumerabilem Angelorum multitudinem infra se; supra vero Deum unum; sed non ideo voti sui compos erat. Quamvis suapte natura illuminatus esset, ambitio tamen sua illum ita excæcat, ut dicere audeat: *Ero similis Altissimo.* Aman videt Isai. 14.
omnes Assueri subditos coram se genua flectere, unus Mardochæus illi prætereunti non assurgit; ille reliquos omnes honores nauci facit. Dei Filius Zebedæi filios reliquis præferebat Apostolis, Petrum unum sibi præferri posse timebant; ponunt audacter duos primos accubitus, ut illum excludant, & mox de primo inter se disputent. Alii Apostoli postquam audiverunt Magistrum suum de Passionis suæ humiliatione loquentem, inter se de primatu contendunt. Quænam mentis inversio! *P. Nepveu in Christianis animadversionibus.*

Ambitio facta est multo nocentior post incarnationem Filii Dei, quam ante hoc mysterium esset.

Verum quidem est, rem esse admodum difficilem fovere sensus oppositos ambitioni, vitio huic, quod palpat maxime naturalem omnium affectionum nostrarum, & quod effectus est, simulque objectum suavissimarum nostrarum oblectationum. Verum ut in mentibus nostris tabulam effingere possimus, quæ illius exprimat enormitatem, nostrumque odium ciere valeat, illam intueamur in cogitatione Filii Dei, vel ut apertius loquamur, in humiliationibus, quas ille passus est, ut ei mederetur. Hominum superbiam duplici in statu considerare possumus; quid esset per se antequam Mundi Salvator carnem indueret, & quid sit modo postquam hoc Mysterium adimpletum est. Dum regnabat Deus in primo gloriæ suæ statu, hominis ambitio abominabilis erat in oculis, & corde illius, seu quod S. Augustinus ait, insolens hæc affectio id appetit, quod Dei proptium est, & per hunc appetitum destruit quodammodo illius gloriam, & attributa, seu quod hoc vitium particeps est ambitionis dæmonum. Sed postquam Dei Filius in humana infirmitate semet humiliavit; dicere possumus hoc scelus recentem contraxisse nequitiam, per eam relationem quam habet ad Incarnationis humilitatem tamquam remedium suum; & post hoc mysterium factum fuisse magis abominabile in oculis Dei, quæ res ideo illud efficere debet horribilius ante oculos hominum. Cur ita? quia nostra ambitio sceptrum de manu Filii Dei revellit, eique aufert coronam gloriæ, ut illius capiti imponat diadema doloris, & contumeliæ. Sed iterum cur ita? quia per subsequens scelus, peccatum hoc iterum offendit humiliationes, quibus semet Salvator subdidit, & quia per novum hoc crimen ambitio nostra quodammodo verum de gradu dejecit Dominum suum, contumeliosius, quam ante. *Biroat in sermone de Incarnatione.*

Lib. 1. de civit. Dei, & in Psal. 120.

Exempla, quæ ipsi audemus de lapsu ambitiosorum efficere debent ut furentem hanc cupiditatem detestemur.

Non Scriptura solum, & Sancti Patres, sed ipsi etiam mundi sectatores queruntur, Mundum sibi complacere in propriorum operum eversione, & eo ipso temporis momento, quo amicos suos attollit, omnes fortunæ eorum gradus perfringere, ut graviori lapsu in præceps protruant. Nisi imperiorum omnium Historiæ testarentur hanc veritatem, fortasse ambitiosi nobis verba dare, & fucum facere possent; sed nostra sufficit experientia, ut intelligamus, amplissimas eas sedes, quas obtinent, adhuc rubere populorum sanguine, & fortasse etiam eorum, qui illi præcesserunt. Non fert animus vobis ob oculos exhibere vel crucem Amani, vel Absalonem capillis ab arbore pendentem. Necesse non est fatigare mentes vestras, easque cogere, ut præteritorum seculorum tenebras penetrent: Meminisse tantum sufficiat eorum, quæ ipsi nostra hac ætate conspeximus; consideremus turpes lapsus, infames ruinas, tristes reliquias fortunæ, cujus ipsi testes fuimus: tunc enim dicere nobis cum Sancto Bernardo licebit:

Descriptio ambitionis in mundo regnantis.

cebit: *Mundus transit cum concupiscentiis suis: sed priusquam transeat, se emittit*; atque se non solus ac alios evertit. Boetius Philosophus in tractatu de Consolatione philosophiæ, nobis repræsentat Mundum sub imagine antiqui tyranni, circum quem nonnisi eversi throni, sceptra fracta, coronæ ruptæ, mortuique Reges videntur; nihilque auditur præter querelas, & probra eorum, quos ille fefellit; quibus ejulantium vocibus tyrannus respondet; hic ludus est meus; hæc mea consuetudo; semper ita sum operatus: *Ascende si lubet; sed descendere injuriam non putes. P. Texier sermone in decimam Dominicam post Pentecosten.*

Ambitio causa est omnium cogitationum, & actionum Principum sæculi.

Filii Dei spiritus spiritui mundi hujus quantum oppositu est! Mundi principes ubique dominari volunt, & super aliorum caput incedere. Subditorum suorum modicam gerunt curam, dummodo in manibus habeant imperium; & si de illis benemerentur, id accidit, ut inde gloriam aucupentur. Hac in re sequuntur motum spiritus ambitionis, qui causa est actionum, & dicunt, ut Lucifer, *Ascendam*, altius extollar. At non ita de JESU CHRISTI discipulis dicendum est. Vultis ne coram hoc esse magni? estote minimi. Si dignitas vestra vos super proximum vestrum attollit, humilitas ad illius pedes vosmet debet projicere; & charitas vestra habere non debet manus, neque potestatem, nisi ut illi serviatis, & de illo benemereamini. Ita nobiscum egit Dei Filius. Ipse factus est servus noster, qui Dominus erat noster, nec quidquam prætermisit, ut nobis ferret opem. Mundi sectatores imitentur spiritum illum ambitiosum, qui volens in Testamenti montem ascendere, de throno dejicere conatus est ipsum Deum; nos vero non alium habeamus Dominum, quam omnium hominum maximum simul & humillimum, Ne dubitemus, quominus nosmet submittamus, & cum illo novissimum locum nobis vindicemus; quandoquidem ex quo ipse elegit illum, in honestissimum, amplissimumque locum mutatus est, *P. Novet in Meditationibus suis.*

Sacræ litteræ plenæ sunt minis, & querelis contra ambitionem.

Quemadmodum nullum est vitium, quod Filius Dei sæpius Pharisæis in Evangelio exprobraverit, quam superbiam, & ambitionem; ita nullum est, contra quod ille non præmunierit melius discipulos suos, & eos omnes, qui aliquando novam legem suam erant amplexuri: nullum præceptum est, quod sæpius inculcaverit, quam illud humilitatis, & dejectionis: nullum peccatum est, contra quod vehementius invectus fuerit quavis in occasione, quam contra ambitionem; ac tandem nulla sunt remedia modo lenia, modo etiam violenta, quæ non adhibuerit illud curaturus malum, quod nobiscum ferimus in ipso ortu, & quod plerumque novissimum est, quod abjicere consuevimus. Hinc Sanctus Augustinus dixit, nullam in Sanctis libris esse paginam, ubi non liqueat, Deum superbis resistere, & nihil ab eo intentatum relinqui, ut deprimat capita ambitione tumentia. *Nulla fere pagina sanctorum librorum, in qua non sit, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Dici nihilominus potest Salvatorem, numquam apertius in ambitionem insurrexisse, quam in Sancti Lucæ Evangelio, ubi data opera parabolam proponit adversus eos, qui in publicis conventibus prima appetebant subsellia. *Dicebat autem ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent*. Tradit admirabile hoc præceptum novissimum semper sibi eligendi locum; & hanc adfert causam, ne, ait ille, si alius te gravior, & nobilior accesserit, convivii dominus te admonere cogatur, ut, quem obtines locum, illi concedas: *Cum invitatus fueris ad nuptias; recumbe in novissimo loco*. Fusius explicat, adhibito etiam familiari exemplo, quod nonnisi obiter alibi dixerat;

Lib. de Doctr. Christiana l. 3. c. 23

Affectio hæc est ita Evangelio contraria, ut ideo videatur Dei Filius venisse, ut illam destrueret. Luc. 14.

neminem lapsui propiorem esse illo; qui per immodicum assurgendi desiderium, altius contendere festinat; ac tamdem finem imponit hoc effato, quod in ipsius veritatis ore factum est oraculum: eum videlicet, qui sese attollere cupit, serius ocyus humiliatum iri, ut nos ab ambitione deterreret per ea ipsa, quæ præ ceteris ambitiosi reformidant, ne seipsos sub pedibus eorum intueantur, super quorum capita sese elevare quæsiverunt: *Qui se exaltat, humiliabitur*. Sed dicere possumus ambitionem altas adeo in cordibus nostris egisse radices, ut quamvis Dei Filius exemplo suo præceptum hoc confirmaverit: nullum vulgatius vitium quam ambitio in hominibus reperiatur. Sæpe quidem pro animi magnitudine desumitur; sed si diligentius res ipsa spectetur, palam innotescit non aliud esse quam rem indignam, ac turpem. *Auctor sermonum in omnia argumenta &c.*

Ambitio fons est omnium criminum. In se complectitur superbiã, injustitiã, præsumptionem.

Cum ambitio nil aliud sit, quam ardens, atque inordinatum desiderium sese supra cæteros attollendi; efficit etiam ut ambitiosus omnem dexteritatem, omnesque conatus adhibeat, ut ad honores, & dignitates adrepat, quæ, ut plurimum excedunt illius genus, & meritum, numquam suæ conditionis fortunæque contentus. Hinc illi, qui affectionis hujus naturam nobis exhibere conati sunt, eam dicunt ex tribus aliis affectionibus constare. In hac pennisecetur Superbia; hæc enim est veluti fundus illius; nam ambitiosus amat honorem; & quærit illum per omnes vias, quas aptas putat ad illius acquisitionem; & propter immensum, immoderatumque hoc desiderium, dilectus Discipulus hanc unam esse ait ex concupiscentiis, quæ in mundo regnant, eamque *superbiam vitæ* nuncupat. Sed hoc satis non est: hæc ambitio superbiæ addit injustitiam; vult enim ambitiosus quovis pretio enitescere, qua autem via, nihil interest, dummodo ad optatum finem perveniat. Denique a præsumptione separari non potest; nam ambitiosus quin cogitet, utrum satis sibi sit virium ad sustinendum pondus dignitatis, ad quam contendit; suam dumtaxat rationem consulit, quin diu verset quid ferre recusent, quid valeant humeri, & utrum obire poterit ea munera, quæ illi inevitabiliter hærent. En quid sit humana ambitio, quæ non solum est inordinata cupiditas, ut aliæ, sed quæ in se una colligit, quidquid abnorme est in cupiditatibus aliis; & hac utor hypotiposi, ut intelligatis quantum Christianus horrere debeat furentem hanc affectionem per ea, quæ illam nocentiorem efficiunt, ac maximam obicem statuunt saluti hominis ambitiosi; videlicet per immensos conatus, quos nutrit ambitio, & mox per ea media, quibus utitur, ut ad id, quod contendit, viam sibi aperiat; ac tandem per usum honorum, atque dignitatum, ad quas per dolos, & ambages sese extulit. Quarum rerum prima ambitiosum exhibet tamquam mortalium omnium maxime cæcum, & temerarium; altera volut maxime injustum, tertia vero tamquam minime omnium ferendum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ambitiosus a Divina Providentia pẽdere detrectat, & ideo Deo par esse vult.

Cum ambitio nonnisi magnitudinis, & elevationis sensus immittat, ambitiosi consilia nocentia sunt, in eo quod Providentiæ dispositionem odit, pro viribus cupiens sese in alia collocare sede, quam in ea, in qua Deus ipsum constituit; quod malum haberi potest, tamquam reliquorum omnium origo. Ambitioso enim quærente sibique procurante fortunas alias, quæ ipsum minime decent; necessario consequitur, malum hoc in omnem vitæ illius rationem se effundere: & hoc ambitiosi facinus haberi debet tamquam gravissimum scelus, quod ex semet ascendere cupit, quin illum cogitet, Dei unius esse eos statuere, qui præsint, & impe-

imperent aliis; Deum esse, qui *deponit potentes de sede*, & qui *exaltat humiles*, ut loquitur Scriptura; Deum esse, qui quos vult cuicumque vult muneri destinat. *Nec quisquam sibi sumit honorem*, ut Apostolus ait, *sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron*. Præsumptio hæc nonne illam rebellis Angeli imitatur, qui sese attollere cupiens contra Dei placitum, dicebat: *in Cœlum conscendam; super astra exaltabo solium meum?* Deus autem, qui superbis resistit, suffragabitur consiliis, & conatibus hujus ambitiosi, qui hoc pacto sese attollere cupit, & qui pacatus esse non potest, nisi id consequatur, ut se videat cæteris eminere, licet hoc sibi pluribus sudoribus, vigiliis, pœnis, & laboribus statutum sit? Deus sæpe miseri hujus conatibus obsistit, & adversatur: Verum seu permittat, ut audax ille eo, quo contendit, perveniat, seu omnia eorum evertat consilia; hoc unum crescendi desiderium fit nocens, cum sit effectus superbiæ homini ingenitæ, ex qua initium duxit interitus noster, & quæ maximum saluti nostræ obicem statuit. *Idem*.

Ad Heb.

Nihil est, propter quod mortalis vertigine magis laboret, quam videre seipsum super alios eminere, quemadmodum videmus eum, qui de sublimi ea, quæ ima sunt, intuetur statim ex vertigine laborare. Ita caput circumagitur ambitioso, qui pervenit ad elationis, quo contendebat fastigium; reliquos homines sibi inferiores non ferenda despicit superbia, quasi in mundo solum essent, ut eidem obsequerentur. Quapropter Regius Propheta illos monet: ***Erudimini, qui judicatis terram***: Audite, & discite hoc vos, qui honoribus, ac dignitatibus vestris vosmet elevastis; mementote esse Deum, qui a vobis timendus est. ***Servite Domino in timore***; estote semper parvuli coram illo, qui vos deprimere noverit, si vestra auctoritate fueritis abusi. Sed cogitatio hæc ambitiosi hominis mentem non ingreditur, qui se unum tantummodo respicit, & qui in sublimi hoc statu, ad quem pervenit, omnia unice ad se ipsum refert; quod efficit, ut in magnificis fortunis de salute magis trepidandum sit, quam in mediocribus, seu propter frequentiores, & periculosiores occasiones obsistendi Deo, seu tandem propter fallacia placita, quibus mordicus inhærent, qui rerum felicitate fruuntur. Ut enim aliquis in mediocri fortuna suæ saluti prospiciat, satis est, ut conformes conditioni suæ sensus induat; hæc magna est ad humilitatem dispositio, per genus suum in humiliationis statu versari; cum e contra ut in sublimi conditione salutem suam aliquis operetur, non solum sibimet, verum etiam statui, & conditioni suæ vim debet inferre, ut ibi moderationem, & humilitatem tueatur, sine quibus nemo saluti suæ potest prospicere. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Eos qui sibi subjecti sunt, tamquam sua despicit mancipia.

Psal. 2.

Nescio utrum in tota Christiana morum disciplina, invenietur placitum adeo constans, & veritas, cujus apertiora nobis suppetant argumenta, quam illa quæ olim protulit S. Augustinus, qui hoc ipsum propria edoctus experientia didicerat: inordinatos, videlicet, affectus maximum esse illius etiam cordis supplicium, a quo concepti fuerunt; & cor ipsum primum omnium illorum experiri tyrannidem, antequam in alios exerceat: ***Voluisti Domine, & sic est, ut omnis inordinatus animus sibi ipsi pœna sit***. Verum si hoc dici potest de affectibus omnibus generatim, hoc æquiori titulo referri potest singillatim ad ambitionem, qui affectuum omnium inquietissimus est, crudelissimus, odiosissimus, & minime omnium ferendus, omnem enim vitæ requiem perturbat itaut ex Veteris cujusdam sententia necesse non esset, ut ad ambitiosos coercendos supplicia essent instituenda; & sufficeret illos proprie tradere cupiditati, quæ illico aliis utitur affectibus ad illos torquendos, eorumque cor laniandum per invidiam, odium, ultionem, indignationem, ægritudinem, desperationem, & per ea omnia, quæ hominem miserrimum efficere possunt. *Ibidem*.

Si Ambitiosus tyrannice dominatur aliis, mille tyranni laniant cor illius.

Lib. 1. Conf. c. 12.

Ut constet ambitiosi hominis cor miscere torqueri tumultu omnium furentium cupiditatum, satis est animum advertere ad immensos, & infinitos ambitionis conatus, quæ sæpe nanciscitur oppositum eorum, quæ cupit. Vult ambitiosus ad primos honores, ac prima subsellia sustolli, ne aliquem habeat, qui sibi imperitet, vel irroget leges: & ut parvulum exerceat imperium in eos, qui pendent ab ipso: sed statim apparet, ambitionem convertere hoc imperium in crudelem servitutem, eo quod ille ab omnibus pendere debet. Hic sibi persuadet, ubi spectabilem hunc gradum fuerit consecutus, & in eo statu optime fuerit constitutus, se ab omnibus procellis immunem futurum, atque tranquillam vitam ducturum. Sed brevi experitur, se obnoxium esse omnibus fortunæ telis, atque aliorum quidem invidiæ, & zelotypiæ, insidiis vero aliorum patere. *Idem*.

Ambitiosus frustra credit se tranquillam ducere posse vitam in nova sua dignitate.

Jam locuti sumus de servilibus complacendi studiis, quæ ambitiosus habere cogitur, ut ad eas perveniat dignitates, ad quas contendit; huic blandiri, aliis assentari, hujus libidinem, illius imperiosum ingenium pati; eorum gratiam emendicare, qui nobis præcellunt; comparare eorum suffragia, quibus ipsi præcellimus; aliorum amorem captare officiorum molesta assiduitate; cavere, ne aliis incommodemus, qui nostris desideriis moram nectere possent; nobismet vim facere, simulare, dissimulare, patientiam adhibere: his omnibus ambitiosus sese submittat oportet: *Curvatur obsequio, ut honore donetur*; S. Ambrosius ait. Sed quantumvis molesta sit ista servitus, ea nihili facit ambitio, quia multo fortior est illa. Quamobrem ethnici quoque dixerunt sæpe, honores, & magnas dignitates speciosas dumtaxat servitutes esse, quibus nemo se subjicere vellet, nisi mortalium opinio illis gloriosos apposuisset titulos, quibus commendantur; vel potius si ambitio non esset potentior in eorum animis, quam sit propriæ libertatis amor. Illud autem verum, & constans est, gradum, ad quem ambitiosi isti pervenerunt, tot ab illis exigere officia, ut non defuerint complures, qui onusti pondere catenarum suarum (hoc enim nomine illa appellabant) omnes conatus suos exeruere, ut illas infringerent, & millies privatam, particularemque vitam prætulerint. Sed cum illis sese ex mera ambitione aliquis immisceat; honores, & dignitates istæ fiunt servitus mera, quæ crescit, prout ascendimus, & elevamur. Etenim ut ibi subsistamus, atque præsidium nanciscamur, opus est contra ipsa honestatis, & conscientiæ principia, ferre aliorum flagitia, quin adversemur illis, rationem habere diligentissimam eorum, qui nobis negotium facessere possunt; dissimulare hominum querimonias, quæ de nostra agendi ratione passim fiunt, cum nostris auribus accidunt, & iniquissimis etiam rebus nonnumquam connivere. Quapropter non immerito vetus ille pingebat ambitionem in solio quidem sedentem, sed ferreis vinculis gravem; multis satellitibus circumseptam, sed inimicis, qui illi minabantur, imperantem, sed ejulantem, & subdentem cervices jugo, quod ipsa ferre tenebatur. *Auctor Sermonum in Omnia argumenta &c.*

Ambitio est vera servitus fexcentis indignitatibus obnoxia.

In Evang. Luca.

Quibus se submittere debeat.

Si rationes acquirendi gloriam, quæ proprium est, primumque ambitionis objectum, semper essent legitimæ, & culpa vacuæ; exempli gratia, si genus nostrum nos ad possessionem adducit alicujus provinciæ, vel insignis magistratus, jure hæreditatis; si perspecta merita nos evocant vel efficiunt, ut ipsi eligamur aliis imperaturi, quemadmodum non semel accidit, ut alii inviti altissimas Ecclesiæ dignitates accipere compellerentur, quas pertinacissime recusabant; alii vero divinitus ele-

Quædam ambitionis species tolerabilis est, videlicet cum aliquis par est muneri quo tendit, obeundo, & illius mens est reipublicæ juvandi.

elevarentur; quin de re hac ne cogitarent quidem, & ne gradu quidem moverentur eo perventuri: si etiam honores isti quærerentur, & peterentur, animo illos cum populi utilitate exercendi, & proximo suo opem ferendi, cum illis inhærentia munera non excedant captum, & vires eorum, a quibus ambiuntur; cum finis per se honestus sit, & utilis populo; Cum hæ & aliæ viæ, quibus illi obtineri possunt, justæ sint, nihil tunc in eorum perquisitione damnatur, ubi non aliud spectetur, quam in aliorum gratiam talenta facultatesque nostras impendere. Verum cum admodum pauci inveniantur, quorum consilia sint ab omni crimine vacua, veris meritis subrogantur sollicitationes, doli, prehensationes, & iis prærogativis, quæ desunt, & quæ ad id essent necessariæ amicorum gratia, & auctoritas substituitur. Principium virorum favor sæpe locum meriti obtinet; & calliditas, ac fraus supplent iis virtutibus, quæ ad amplissima hæc loca pro dignitate replenda requiruntur, & quæ desiderantur in nobis; & frequenter etiam accidit, argentum quod omnibus supplet, viam esse communem, ac maxime efficacem ad aditum ad illa inveniendum. Viro huic non desunt opes; ergo honos aliquis comparandus est illi; & qui plus obtulerit, honorem hunc assequetur, Hic est titulus, hoc jus, hæc via possessionem illius adeundi. Hoc generale vitium est, quod irrepit in mundum, & proculdubio apertissimum est argumentum generalis corruptionis, quæ hodierna die ibi grassatur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ambitio violat omnia jura, divina, & humana, ut ad suum finem perveniat.

Furens hic affectus, qui æque ardens, ac inexplebilis est, nequaquam contentus est communibus mediis ut fines suos assequatur, immo iis utitur, quæ sunt maxime noxia. Etenim quot mortales ad præstantissimas dignitates viam sibi sternunt servilibus assentatiunculis, ignavis infidelitatibus, turpissimis proditionibus, & enormissimis iniquitatibus? diceres illud effatum maximi, & ambitiosissimi omnium domitorum mundi, factum fuisse normam, quam omnes alii sequantur. *Si violandum est jus; regnandi causa violandum est;* quod extendi potest ad omnes honorum gradus, omnesque dignitates, quas ambitio conatur assequi. Omnia Religionis, conscientiæ, civilis societatis, ipsius etiam honestatis, & sæpe etiam naturæ, & sanguinis jura negliguntur. Quot occurrunt, qui ut filios suos ad Ecclesiasticas dignitates promoveant, licet impares iisdem sint, licet nequam, & improbi, eas emunt per simoniam, quam palliant, & melius quam fieri possit abscondunt, omnes conscientiæ stimulos aspernati? Quot qui familiarum suarum decora, & omnia primogenitis bona reservantes per summam injuriam reliquos filios, velint, nolint ablegant inter claustra, ut tot veluti victimas suæ litent ambitioni? Quot, qui ut uni magnifice consulant, qui mox familiæ honorem sustineat, reliquis se se injustos præbent, æternæque discordiæ semen in fratribus serunt? Sæpe per immodicum honoris acquirendi desiderium nonne homines omnibus honoris ipsius legibus adversantur, per assentationes indignas, turpesque submissiones? Diu repunt, antequam assurgant, & sub horum pedibus sese demittunt, ut super aliorum caput se attollant. Nullus enim ambitiosus invenitur, qui, si interrogetur, quid fecerit, ut ascenderet, non reddat illud ipsum, quod aulicus quidam apud Senecam: *Multa patiendo, & semper gratias agendo*: ascendi, inquit ille, repulsas, & indignissima quæque perpetiendo, atque illis agendo gratias, a quibus hoc pretio suffragium favoremque mihi comparabam. *Recens auctor.*

Et turpissimis etiam non abstinet officiis.

Vix ambitiosus ascendit,

Non minimum ambitionis malum est, quod quæsitis honoribus, atque dignitatibus non majori cum moderatione utitur; quam illas ambiat, quandoquidem illis abutitur in omnia vitia, quin utatur iisdem secundum Dei voluntatem. Neque enim credendum est, cum Providentia aliquem attollit, vel permittit, ut attollatur, hoc ideo solum permittere, ut ille ab hominibus habeatur in pretio, vel ut illum frui sinat pacate honore, ad quem jampridem appetebat. Deus sua de illo fovebat consilia, & hæ dignitates honoresque nonnisi gravibus conditionibus conceduntur; quas si homines serio animadverterent, illas profecto tanto cum ardore non persequerentur. Deus reipsa vocat hos, ut regant alios, eisque præbeant exemplum; illos, ut tueantur leges, & efficiant, ut justitia servetur ab omnibus; hos, ut sedem suam teneant, & curent, ut ubique sibi honos adhibeatur; illos denique, ut protegant parvulos, eosque a potentiorum oppressione tueantur. Hæc officia sunt, & munera hisce dignitatibus inhærentia, sed pravus usus, qui fit ab illis, qui ambitione aguntur, est Deum ab oculis semovere, & se ipsos etiam ignorare. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

cum dignitatem quæsitam in novorum scelerum causam convertit,

Quotusquisque in mundo vacuus est hac infirmitate magnos cupiendi status, & ingentia bona, ut eo perveniat, & in illis effulgeat! Quilibet quocumque in statu sit, studet ascendere. Quinam eo contentus est loco, in quo natus est? Nemo non invenit conditionem suam desideriis suis, suaque ambitione minorem. Gradum ascendisti? jam niteris, ut ad altiorem evadas. Jam elatus es? inquietus es, impatiens, si adhuc tibi versatur ob oculos generis tui humilitas. Nemo respicit, unde profectus sit, sed tantum quo studet pervenire. Licet ita felix es, vel dicam melius, ita callidus, ut te semper ad altiora promoveas; umquamne es tua fortuna contentus? Ambitio crescit cum annis. Quo magis attolleris, eo majorem tibi viam superesse vides; currendo frigus contrahes; & celerius ire festinans, identidem laberis. Jam fastigium tenes: quot sunt, qui vertigine laborant? Lapsus eorum qui præcesserunt, nequaquam sapientiores efficit eos, qui repunt adhuc? Credimus ipsi nos feliciores fore illis, qui minus apti nobis fuisse videntur. In singulos dies novi semper conatus exeruntur, ut progrediamur. Hæc fortunæ idea species est phantasmatis, quod imponit, & allicit. Desiderium crescendi quædam est species fascinationis. Nequicquam eas, quæ accidunt, rerum perturbationes nobis terrorem, stuporemque injiciunt; hi lapsus nequicquam illecebras auferunt. Semper nobismet blandimur futurum ut ex alienis malis proficiamus; speramus nos cautiores magisque providos fore, & prudentius consilium capturos. Curæ iterantur, vigiliæ, artes, quo magis crescere sentimus fortunæ, & utilitatis desideria. Fortuna similis terrenis exhalationibus, quæ fugiunt a persequentibus, semper illas videt præcipites in aliquem limosum gurgitem ruere. Ita Providentia hos fortunæ idololatras & omnes illos, qui aurum appetunt, irridet. Sapiens mediocri fortuna contentus est. Sit nobis hæc sancta ambitio evadendi in singulos dies magis magisque virtute præditos. Salus, sanctitas solum est objectum corde Christiano dignum. Amare Deum, servire Deo, placere Deo, hæc sola est fortuna, quam procurare debemus; & ille unus est, qui omnia desideria nostra valeat replere, *P. Croiset in Asceticis Exercitiis.*

Superbia omnium ferme mortalium idolum est; pauci sunt ab illa immunes.

Si ambitiosum sæpe sua spes frustratur, servitutem dumtaxat inveniens ubi putabat se imperium exerciturum, non minus illum fallit secunda intentio sua, quæ efficit, ut ambiat honores, quibus sese tutari possit ab alio-

Ambitiosus putans se ab omnibus procellis tutum, reperit se in fonte omnium turbarum.

aliorum injuria; & ubi adversus procellas omnes quærat perfugium. Quis enim ignorat solum timorem decidendi de gradu, quo ascendit, posse omnem tranquillitatem suam perturbare? Heu quot funestæ catastrophes non videntur quotidie hominum qui ex nihilo prodierunt, & in nihilum revertuntur adverso quodam fortunæ impetu? Profecto quin vos fatigem enarratione sexcentorum exemplorum, quorum plena sunt historiarum monumenta, eorum, qui de summo honorum fastigio in pulverem redierunt, & quorum lapsus eo graviores fuerunt, quod ex sublimiori loco cecidere: quam habere potest securitatem ambitiosus, qui votorum suorum cumulum assecutus est! Fruetur ne requie, quam per tot labores quæsivit? possidebit ne hanc securitatem, quam sibi per tot pericula voluit comparare? Nihil omnino. Accidit illi, quod olim S. Augustinus deplorabat eo tempore, quo illum sua urgebat ambitio, ut sibi in mundo insignem aliquem honorem procuraret. *Ecce per quanta pericula pervenitur ad majus periculum*; hoc est lapsum de eo statu, ad quem ambitiosus ascendit. *Auctor Sermonum in Omnia argumenta &c.*

Conf. l. 8. c. 6.

Cur æquo judicio Deus oblectetur omnia ambitiosi consilia evertere.

Deus, qui superbis resistit, oblectari videtur inanes ambitiosi conatus evertens; vel si permittit, ut hic eo, quo conatur, ascendat; id patitur, ut inde majori cum ignominia descendat. Tunc enim, quemadmodum gloria nonnihil habet dulcedinis post dejectionem; & sicuti homo ex tenebris erutus majori cum gaudio diei lucem adspicit; ita spiritus illius, qui gloriæ dulcedine movetur, acrius dolore afficitur ex ignominia, ac pudore, quo post suum lapsum suffunditur, quam nisi antea præcessisset honor. Humanus enim spiritus, qui majori pollet industria, ut sibimet crucem figat, quam ut rationes mulcendi suas curas inveniat, videns se de statu dejectum facere nequit quominus præsentem statum suum cum præterito comparet, & magis suam sentiat turpitudinem, quam si numquam in honore fuisset. Hac de causa Regius Propheta hujusmodi lapsus ambitiosorum memorat tamquam unum ex gravissimis iræ Dei indiciis, & justitiæ ejusdem suppliciis: *A facie iræ, & indignationis tuæ, quia elevans allisisti me*. Heu video, Domine, quod in ira tua elevasti me; etenim humiliasti, & contrivisti

Psal. 101.

me simulac justitia tua ambitiosis desideriis meis concedere voluit, quod ardenter optaveram. Profecto ita Deus ambitiosi desideria evertit pro levi ea quiete, quam eo in statu nanciscitur, ubi sperabat se solida securitate, & profunda pace perfruiturum. *Idem.*

Ambitiosus alios omnes despiciens, & deprimens fit objectum odii omnium.

Consideremus, quæso, quænam sit ambitiosi hominis insania. Quænam est causa vigiliarum ejus, perennium curarum, nisi ut alios, & seipsum torqueat? Cui bono tot suspiciones, tot timores, tot sollicitudines, spes, metusque, quibus vicissim discerpitur? Cui bono hæ dignitates non satis tuæ, & adeo incommodæ? adeo difficiles ad acquirendum, & ad retinendum difficiliores, quæ irritant potius desideria, quam impleant? Unius consilii exitus, non aliud est, quam alterius initium; semper recentes chimæræ, semper nova supplicia illius viscera excrucient. Sed quid timendum non est in hoc honoris vertice, quo tandem per fas, & nefas I evasit? Quemadmodum leges omnes flocci fecit, ut ad altissimum fortunæ fastigium perveniret mortales omnes injuria coinquinans; ita per hoc scopus factus est odii communis mundi totius. *Sermo sextus Academiæ anni 1675. & Recens auctor.*

Ambitiosus numquam contentus est loci illius in quo ipsum Providentia constituit.

Humilitas nostra non nisi propter superbiam nostram requiritur; hujus enim aptissimum remedium est. Altius ascendere volumus, quam debeamus; pati non possumus pares; & quin consulatur æquitas, vel ratio, vel rectus sensus, semper ex ordine nostro emergere adnitimur. Putamus semper nos commodius in alia contignatione habitaturos. Natura constitutum est, ut inquieti simus in illa, in qua nati sumus, cum aliam superiorem esse novimus. Toto vitæ spatio contendimus, ut nosmet attollamus. Incedimus, obrepimus, omniaque motuum genera tentamus, anhelamus ut illuc perveniamus, quo alios pervenisse videmus. Non cogitamus ea loca, quæ elatiora sunt, nequaquam esse tranquilliora; procellas ac tempestates semper in montium jugis dominari. Si quæ ibi invenitur malacia, hæc fallax est; de superiori loco ima non conspiciuntur, quin caput vertigine laboret. Hinc tam frequentes lapsus, & tam tristes vicissitudines proficiscuntur. *P. Croiset in Asceticis Exercitiis Tomo 5.*



AMICITIA.

Amicitia Christiana, Amicorum electio, cum viris bonis familiaritas, veri & falsi Amici.

MONITUM.



Aud ita pridem de Christiana Amicitia agi de suggestu captum est: veteres Concionatores vel nihil prorsus de hac dixerunt, vel eamdem cum proximi charitate commiscuerunt, cujus quidem pars est; licet idem & unum non sint. Ethnici philosophi hoc spectarunt tamquam præcipuum inter disciplinæ suæ argumenta, illudque tandem Concionatores adoptarunt veluti ad fidelium vitam instituendam moresque formandos utilissimum. Cum enim inter amicos omnia sint communia, & ultro citroque virtutes, & vitia sibimetipsis illi communicent; docet experientia, probam, improbamque fidelium vitam ex bona, vel mala amicorum electione quodammodo proficisci: & sane ex eadem de hominum probitate, vel secus, passim feruntur judicia.

Fatendum est tamen argumentum hoc sterile aliquantulum videri; licet enim nullum ferme sit, ubi profani Auctores uberiora, atque utiliora præceta tradiderint, atque hæc ut ita dicam fuerit eisdem virtus jucundissima: hoc tamen in loco de amicitia tamquam Christiana virtute nobis est differendum, de qua Auctores perpauci loquuti sunt. De hac sane liber extat inter Sancti Augustini opera; verum alteri cuipiam Auctori censetur ille referendus; ipse vero Augustinus in iis qui dubio procul ab eo-

ab eodem conscripti fuerunt, libris nonnisi obiter de eadem verba facit. D. Joannes Chrysostomus amicitiæ adhortationem elucubratus est, sed breviusculam, immo eamdem fere cum charitate Christiana confundit; & S. Ambrosius, qui de eadem plura in officiis habet, illam ferme tamquam virtutem mere naturalem intuetur.

Hoc autem pertractantibus argumentum illud potissimum observandum est, ne ex proximi charitate, quod quidem aliud est argumentum satis amplum & affluens, mutuemur nisi, quæ amicitiam ad Christianæ virtutis charitatem attollere possunt: mihique persuadeo utilissimam de amicitia institui posse Concionem, ubi aliquid immisceatur de recta amicorum electione, de mutuis amicorum officiis citra ullum conscientiæ detrimentum; de rationibus, quæ ad ineundam cum hujusmodi viris necessitudinem nos debent impellere; de iis defectibus, qui in hanc amicitiam possunt obrepere, atque de utilitatibus, quæ ad æternam salutem inde possunt hauriri.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum de Christiana amicitia Synopsis.



I. TRiplex bonorum genus, quibus in hac vita frui datur, in Christiana amicitia, æque, ac in civili continetur; bonum videlicet, utile, honestum, delectabile. Primo nihil hac utilius, si æternæ salutis ratio habeatur, ad quam res omnes hujus mundi sunt referendæ, & juxta quam omnem earum utilitatem metiri debemus. Secundo nihil honestatis atque rationis præceptis esse potest conformius, quam sancta amicitia. Tertio nihil suavius, nec voluptas ulla jucundior ea, qua in mutua necessitudine perfruuntur amici, ubi circa eum finem versetur, ut mutuo sese ad virtutem excitent atque inflamment. Hæc autem justæ Concionis esse potest partitio.

Primo mirum in modum prodest saluti æternæ: cum enim familiaritatem ineamus cum hominibus sanctitate ac virtute præditis; evitamus improborum necessitudinem, qui profecto inter primos & maxime perniciosos, in quos vita nostra allidere consuevit, scopulo recensetur; non satis tueri nos possumus a pravorum exemplorum vi, quæ alios quoque in scelus pertrahunt, & satis explorata, atque comperta sunt ea omnia mala, in quæ amicitia cum nefariis hominibus inita nos præcipites agere consuevit. E contra vero quæ nobis nosmet sanctificandi præbet adminicula amicitia, ubi cum hominibus virtute ac pietate florentibus ineatur? boni sermones, bona exempla, increpationes, si quid malum nobis exciderit, salutaria consilia, quæ subinde amici suggerunt, ut vitam frugi instituamus, nonne totidem subsidia sunt, ut salutem nostram cum utilitate operemur? Asseri etiam potest citra quamlibet dubitationem inter ea, quæ magis patent, nostræ prædestinationis indicia, necnon inter insignia beneficia propter quæ Divinæ Providentiæ gratias æternas referre debemus, non postremum obtinere locum amici fidelis, ac virtute præfulgentis electionem.

Secundo honestum quoque bonum in sancta amicitia invenitur. Primum hoc statuetur principium Ethnicis ipsis satis exploratum, qui præclara hac de re præcepta in Ethicis tradiderunt; nihil scilicet esse honore dignum, nihilque existimationem nostram magis mereri, quam virtutem, quæ vere ac proprie honestum bonum est: quod ipsum æque constat in Christiana morum disciplina, quæ circa supernaturalem virtutem versatur. Sed Christiana amicitia non solum virtus est æque ac amicitia civilis alicui naturali honestæque rationi innixa, verum etiam nobilissima est virtus charitatis proximi partem constituens: & præterea via est ad virtutes alias acquirendas, tuendasque, & ad sese mutuo non sine sanctissima æmulatione accendendos: cum enim bona fiant inter amicos communia, certissime inferendum est communes quoque fieri virtutes, bona videlicet reliquorum omnium præstantissima. Hinc fit, ut Christiana amicitia jure sanctum virtutum commercium vocari possit: quod quidem nobis magno cedit honori coram hominibus, & longe majori coram Deo; efficitque, ut illa viam nobis sternat ad Dei amorem comparandum, semperque magis quotidie in eo progrediendum.

Tertio, quod spectat ad bonum delectabile, quotidiana satis ostendit experientia amicitiam suavissimam, solidissimamque esse hujus vitæ voluptatem. Nemo ignorat quo solatio in tribulationibus afficiamur ab amicis; quo perfundamur gaudio, ubi quid boni cesserit, alios nobiscum lætantes intuiti. Satis est ea consulere, quæ Sanctus Augustinus testatur, de jucunditate atque lætitia, quæ sibi ab amico Alipio offerebatur, & cœlestem prorsus voluptatem qua in Sancta mutuaque necessitudine Sanctissimi viri Basilius, & Gregorius Nazianzenus perfruebantur? Tantum vero abest a religione Christiana, quæ voluptatibus omnibus indicit bellum, hanc improbari, ut immo probetur, atque celebretur; & putet hanc partem esse præmii quo ipsa virtus afficitur, ubi hæc amicitia sit spiritualis; licet terrenas increpet, odetitque amicitias, quæ sensuum duntaxat voluptatibus innituntur. Nostra igitur interest attollere amicitias, easque, ubi plerumque morales sint, Christianas, ac sanctas efficere, ut gradus sint ad salutem, æternamque felicitatem comparandam.

Amicitia, quam cum improbis hominibus jungimus, nobis nocentior, atque perniciosior est, quam odium inimicorum infensissimorum. Hoc est argumentum concionis de prava amicitia: de ea scilicet, quæ male impenditur. Veritatis hujus probatio desumi potest ex triplici bonorum genere, quod studet inimicus illi eripere, in quem odium fovet irreconciliabile. Primo. Eum perdere quærit fortunæ bonis exuens, modo clam lites excitans; modo palam vi aperta, atque per summum nefas, omnesque eas rationes, quæ odium potest suggerere. Sed in hujusmodi criminosis amicitiis in periculum vocatur innocentia, gratia, virtus, vera utique bona, quorum statim jacturam subimus. Secundo. Hæc amicitia honorem ipsum evertit. Inimicus quidem in id toto pectore incumbit, ut nomini officiat tuo; at inimico non semper aures, fidemque adhibemus; sed impiorum commercium hoc tuto præstat, ut qui, cum ipsis ineunt necessitudinem, omnem existimationem amittant; mortalibus quippe persuasum est, amicitiam inter similes facile coire; & licet non statim nequam fueris, tamen non multo post junctum amicitiæ fœdus te nefarium fore putant; ideoque omnis, qua perfruebaris, interit existimatio. Tertio. Inimicus in inimicum sævire ulterius non potest, ubi vitæ ejusdem struxerit insidias; sed amicus nequam te ad æternam mortem adducit. II.

Triplex amicitiæ genus inter homines reperitur, quorum singula ad Christianæ amicitiæ dignitatem attolli possunt, atque ut attollantur, enitendum est: quod Concionis argumentum, atque partitionem potest instituere. Prima quidem est naturalis amicitia, quæ inter parentes & filios, atque inter fratres invenitur; eaque sanguinis ejusdem innititur communioni. Hæc profecto amicitia justa est, III.

honesta, atque legitima, non tamen semper rite instituta; amor enim parentum in filios sæpe oppositus est amori, qui debetur Deo; filii vero non semper ea omnia parentibus præstant, quæ jure tenentur. Ratio autem naturalem hanc amicitiam attollendi, atque sanctificandi hæc est, ut ultro citroque sese propter Deum diligant, atque filii quidem in parentibus Deum ament, parentes vero filios in Dei timore atque servitute foveant, atque nutriant. Secundum amicitiæ genus, quod humanum est, ac rationabile, officiorum, ingeniorum, professionis, studiorumque similitudini innititur: quæ quidem amicitiæ licet honestæ ac laudibus dignæ esse possint, non tamen semper Christianæ sunt, nisi hæc necessitudo ad supernaturalem finem dirigatur, & qui hoc amicitiæ fœdus iniere sese mutuo ad virtutem, atque sanctitatem excitent. Quod quidem per amicitiam facilius est, cum ad id varias rationes suppeditet. Tertia est civilis amicitia, qualis inter Concives, inter Accolas, & ejusdem muneris socios &c. intercedit. Hoc quoque genus amicitiæ per Christianam charitatem sanctificari potest, si foveatur consensus, & mutuis invicem officiis ea sibi præstent amici, quæ Christiana charitas postulat.

IV. Ex recta amicorum electione vitæ nostræ felicitas pendet; liquet enim maximum vitæ ejusdem bonum esse amicitiam; sed amicus fidelis suavis, & cui ea omnia insint quæ ad veram jungendam amicitiam requiruntur, rarus est, & ex millibus eligendus, quem qui invenerit tandem, a Spiritu Sancto felix nuncupatur. Primum igitur ostendendum est, quanti referat hanc rite electionem facere, quomodo facienda sit, ubi hujus caracteris amicus sit inquirendus, & qua ratione colendus: deinde cum ex hac electione plerumque æterna felicitas pendeat, ostendendum est, quænam causa ad id nos possit impellere, & quo consilio necessitudo sit ineunda. Denique quo pacto ex hac amicitia, quæ primum quidem moralis virtutis fines minime videtur excedere, fieri possit virtus vere Christiana; videlicet quomodo semper charitatis intuitu agendum sit, quæcumque amicis nostris præstemus officia; non autem ex sola animi propensione vel spe aliqua, vel alia quapiam mere humana ratione.

V. Quæcumque ad amicitiam pertinent, atque efficiunt, ut mutuo hoc fœdus jungamus, ad aliquod ex tribus capitibus referuntur: primum est ingeniorum, atque naturalium studiorum conformitas, quod est amicitiæ principium: alterum, mutua secretissimarum cogitationum confidentia, quæ ejusdem est veluti essentia: tertio reciproca, quæ ultro citroque præstantur, officia, ubi ingruat occasio, quæ amicitiæ quædam est consummatio. Ostendendum igitur est, ubi jungatur necessitudo cum iis, quibus nulla virtus, nulla est conscientia, periculum adesse, ne triplici hac semita in improbitatis viam abeamus, & in nullam reditus spem intereamus. *Hoc ipsum ostendit P. Cheminais in eo sermone, ubi de amicorum electione verba facit.*

VI. Tria nos impellere possunt ad consuetudinem, & amicitiam cum illis ineundam, qui in flagitiis versantur, & quos scelestam vitam ducere intelligimus. Primo. Propensio, aut voluptas, quam ibi perquirimus. Secundo. Necessitas quæ nos omnino cogit; sæpe enim accidit ut consanguineos, fratres, atque parentes evitare minime possimus, licet plerumque eorum vivendi ratio omnino dissentiat. Tertio. Charitas etiam crebro ad id nos impellit. En autem tria officia, quæ hæc necessitudo, & societas postulant. Primum si nostris studiis, aut voluptate a nobis quæsita rapimur ad amandum; personæ hujusmodi evitandæ sunt, quin cum illis fœdus ullum ineamus; & hoc ipsum si forte initum fuerit, antequam illarum mores nobis fuerint explorati, statim est infringendum. Secundo si nos necessitas cogit, ut cum id genus hominibus versemur, neque nobis integrum est ab illis recedere; tunc illos pati oportet, atque satis existimare si moribus, ac vivendi ratione, ab iis recedamus, atque omnem navemus operam ut aliquid proficiamus ea patientia, cujus exercendæ tribuunt occasionem. Si denique zelus & charitas nos ad fœdus cum illis sanciendum impellit, pro viribus adnitendum est, ut eosdem meliores efficiamus, sensimque eos ab improbitate removeamus, quin nos eorum pravissima exempla pervertant. *Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Domin. tom.* I.

Prima Concionis pars, utilitas, quam ad æternam salutem percipimus ex amicitia cum personis virtute & sanctimonia præditis inita. Quamprimum illis evadimus similes; pericula ruendi in scelus effugimus; illorum exemplis excitati in virtute proficimus &c. VII.

Pars altera, pericula fere inevitabilia, quibus amicitia, atque arcta cum improbis necessitudo nos objicit.

Primo, amicitia, quam cum viris bonis jungimus, tutissima ratio est Divinæ amicitiæ & acquirendæ, & tuendæ; non enim apertius desiderium nostrum testari possumus inserviendi Deo, quam eos sequendo, qui amici ejusdem sunt atque fideliter eidem famulantur: ita enim nos eosdem imitari, eorumque consilia, & exempla imitari velle profitemur. Secundo, fœdus cum impiis inire, idem est ac sese in manifestum objicere discrimen amittendi amicitiam Dei, qua nihil antiquius esse decet; eamque in posterum numquam resarciendi: non enim apertius Deo bellum indicere possumus, quam in partes hostium ejusdem concedendo, & cum eisdem conjurando; amicitia enim cum improbis sancita efficere non potest quominus in omnia scelera præcipites agat, atque in flagitiorum cœno detineat. VIII.

Ad Concionem de amicitia elaborandam hoc etiam assumi potest argumentum. Primum, ostende quanti referat eos diligenter eligere, cum quibus arcto amicitiæ vinculo verseris: Secundo, quousque hoc vinculum adstringendum sit, ne Dei amicitia infringatur; & quænam sint vera amicorum officia. IX.

Maximi profecto momenti hæc electio censenda est, plerumque enim in eorum mores transimus, cum quibus consuescimus, atque peculiarem necessitudinem habemus: quæ quidem veritas nulli non comperta est, atque explorata. Interest quoque in omnem vitæ nostræ curriculum sedulo amicos eligere; nam si perperam electio fiat, illis scelera nostra probantibus, in flagitiis nostris convalescimus, senescimusque sub amicitiæ specie; si enim vitæ rationem immutare vellemus, optimorum quoque amicorum necessitudo esset infringenda. Demum salus nostra in apertissimum discrimen adducitur &c.

Quod ad amicitiæ pertinet officia, tria fere sunt: fidelitas, quæ generosa, & constans esse debet, sed suis finibus circumscripta; necnon ad religionis atque conscientiæ normam instituta: zelus, & charitas ut amicorum vitia redarguamus, eisque ad pœnitentiam diligenter instituendam feramus opem: affabilitas quæ ab adulatione atque turpi servitute abhorrere debet. *Auctor serm. in omnia moralis Christianæ argumenta. Hæc autem partitio desumpta est ex Concione pro Feria tertia post tertiam Quadrag. Dominic.*

Institui quoque sermo potest de amicitia, quæ cum impiis jungitur, atque in priori parte illa quidem ostendi bona, quibus nos exuit, Dei videlicet amicitia, speciali ejusdem protectione, particularibus gratiis; in posteriori vero, quæ nobis conflet mala in hac vita atque in altera. X.

Primo, amicitiæ naturam explicantes, prohibere debemus ne quis decipiatur; secundo, ostendentes quæ bona ex sancta amicitia hauriri possint, ad eam inquirendam debemus impellere: Tertio, ejusdem proponentes officia ad eadem adimplenda excitare debemus. XI.

Amicitiæ munera ad hæc duo potissima redigi possunt: primum ut amici tui rerum prosperitate lætantis affectibus obsistas; alterum, ut amici adversa agitati fortuna egestatibus opem feras: ubi duo hæc tanti momenti præstiteris, non parum ejusdem saluti scias te profuturum. XII.

XIII. De amicitiæ usu, I. Cum amicis conversandum est quin illorum familiaritate abutamur, ubi explicandum occurrit, quanam in re hic abusus consistere possit.

Secundo, amici servandi sunt, quin eorum vitiis, & defectibus indulgeamus. Tertio, defendendi sunt, quin eorum sceleribus faveamus.

XIV. Hæc tria sunt veræ amicitiæ argumenta, quæ eamdem vere sanctam efficere possunt. Primum. Beneficiis acceptis gratias referre. Secundum. In Consiliis, quæ petuntur, vel dantur, sincerum esse. Tertium. In secretis servandis esse fidelem, nec umquam illis, quæ nostræ fidei concredita fuerint, abuti.

XV. Primo. Quantum amicis prosit amicitia cum eorum affectiones mutuæ sanctæ sunt. Secundo. Quantum obsit cum alter alterum ad justitiæ ac pietatis leges infringendas impellit.

XVI. De amicitia, quam impii inter se conjungunt vel sceleribus, vel ex sola ingenii similitudine ostendi potest. Primo. Hujusmodi amicitiis nosmet perversioni cumulum addere ob mutuam contagionem, quam flagitiosus amicus amico simili facile communicat. Secundo. Duplex hoc pacto supplicium & duplex periculum impendere, cum peccatorum sarcina augeatur, cum præter propria scelera accedant etiam aliena. Nihil majorem adfert ad peccandum audaciam, quam si ab aliis probatus fueris: & omnia scelera quibus vel minimam adfers opem, vel auctoritatem, tu ipse facis. Certum itaque cape consilium immutandi mores; tunc enim te pati poterunt viri boni: cumque eorum societas unice tibi esse tanquam frænum possit; illa nequaquam te objiciet tot malis, in quæ eorum hominum, qui nullam infamiæ, vel interitus sui rationem habent, amicitia præcipites agere consuevit; illa immo toto Cœlo tibi suavior videbitur, atque jucundior.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque unde suppetere copia queat ad allatas Propositiones amplificandas.

Sancti Patres. SAnctus Hieronymus epistola secunda ad Nepotianum loquitur de notis, atque periculis nimiæ familiaritatis.

Idem *libro quarto in cap. 7. Isaiæ* ostendit, in mundo immo etiam inter consanguineos raro amicitiam inveniri.

Idem *lib. 2. in 9. Jeremiæ cap.* ait; veros amicos paucissimos esse.

Idem *lib. secundo in 7. Michææ cap.* satis prolixum habet sermonem, ubi veram amicitiam raram esse demonstrat.

Idem *epistola 32.* quæ est ad Abigaum Presbyterum docet; quomodo cum litteratis viris necessitudo sit ineunda.

Idem *in 4. cap. Eccles.* loquitur de amicitia.

S. Ambrosius *lib. 1. Officiorum cap.* 32. de amicitiæ officiis late differit.

Idem *lib. 3. cap. 15.* quousque hæc amicitia progredi debeat, ostendit.

S. Augustinus *tom. 4.* integrum habet librum de amicitia, ubi varias verorum amicorum qualitates, & amicitiæ conditiones recenset. Vix tamen crediderim illum libri hujus Auctorem cap. 3. de variis amicitiæ generibus loquitur cap. 12. varios amicitiæ gradus persequitur. Cap. 18. Amicorum qualitates enumerat.

Idem eo libro, qui homilias quinquaginta continet, homilia 38. recenset adhuc humanæ amicitiæ species varias.

Idem Confessionum *lib. 4. cap. 8. & 9.* de fovendæ amicitiæ rationibus differit.

Idem *epistola 121. ad Probam* sine fideli amico nihil in terris esse posse jucundum ostendit.

Idem *lib. 19. de Civit. Dei* in quavis humana necessitudine plus amaritudinis quam suavitatis inesse probat, & *cap. 18. libri ejusdem*, quam inquietudinem amicitia parere consueverit, ostendit.

Idem *quæst. 83. lib. quæst. 71. & serm. 21. de verbis Apostol.* docet, quomodo sint probandæ amicitiæ.

S. Joannes Chrysostomus *lib. 2. de Sacerdotio*, ut ostendat, quam diligenter Amicus eligendus sit, adfert exemplum S. Basilii.

Idem in *Matthæi cap.* 18. de Christianis amicitiis habet adhortationem, atque ostendit, eas raras esse, easque ab omni utilitatis specie esse debere alienas.

Idem homilia secunda in primam ad Thessalonicenses epistolam ad calcem, plurima de amicitia dicit.

S. Laurentius Justinianus de conversationis monasticæ disciplina, atque perfectione cap. 12. acriter in perniciosas amicitias invehitur.

S. Franciscus Salesius in introductione ad vitam devotam 3. p. cap. 17. fusius hoc tractat argumentum.

Rodriquez *p. 1. tract. 4. cap.* 13. Omnes vitiosæ species persequitur. Ascetici.

P. Caussinus in Aula sancta tract. de Passionibus duo habet, vel tria capita in hoc argumentum.

P. Croiset tomo 1. Considerationum Christianarum de particularibus amicitiis verba facit.

Rossignolus *de disciplina Christianæ perfectionis* lib. 4. c. 27.

P. Cheminais serm. de amicis diligendis a Christiano viro. Concionatores.

P. Aurelianensis ferm. de amicitiis.

Auctor sermonum in omnia moralis Christianæ argumenta Concionem habet de Christiana amicitia Feria 3. post 3. Quadrag. Domin.

Idem multa habet de amicitia in S. Joannis Evangelistæ Panegyrico.

Idem *tom. 1. Domin.* sermonem habet de conversatione cum impiis, & amicitia, quæ cum illis jungitur.

Qui Panegyricas Orationes de S. Joanne Evangelista scripsere.

Abbas de Monmorel peculiarem habet de amicitia tractatum.

Aristoteles in Ethnicis. Veteres ac recentiores, qui philosophice de amicitia tractarunt.

Cicero lib. de amicitia, qui inscribitur *Lælius*.

Plutarchus librum edidit de amicitia, deque amici atque adulatoris discrimine.

Themistius Orationem habet hujus argumenti.

Petrarca *l. 1. Dialog. 50. & seqq.*

Erasmus quoque de adulatore, & amico tractatum conscripsit.

P. Theophilus Renaud. lib. 4. de virtutibus, & vitiis *sect. 2. cap. 1.*

Janus Nycius Erithræus in dialogis.

Ribadeneira lib. 2. cap. 30. Principis Christiani.

P. Senault lib. de usu passionum.

De la Mothe le Vayer prolixum habet hac de re tractatum.

De Sacy tractatum pulcherrimum habet de amicitia in tres libros divisum.

P. Ludovicus Granatensis in locis communibus. Collectores.

Busæus *in Viridario tit. Amicitia.*

Idem *in Panarioiit. Familiaritas & Societas.*

Labata *in Thes. morali*) Verbo, *Amicitia*.
Lohner *in Bibl. manuali*)

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturæ ad hoc argumentum.

C*Ave ne cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam.* Exod. 34.

Diliges amicum tuum sicut te ipsum. Levit. 19.

Impio prabes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris: & idcirco iram Domini merebaris. 2. Paralipom. c. 19.

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur. Prov. 13.

Cum

Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei. Eccl. 37.

Noli amicus esse homini iracundo, neque habitaveris cum viro furioso; ne forte discas vias ejus. Prov. 22.

Omni tempore diligit, qui amicus est. Prov. 17.

Fidem posside cum amico in paupertate illius; ut & in bonis illius læteris. Eccli. 22.

In tempore tribulationis illius permane illi fidelis; ut & in hæreditate illius cohæres sis. Ibidem.

Amicus fidelis protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Idem c. 6.

Amico fideli nulla est comparatio: & non est ponderatio digna auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Ibidem.

Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis. Ibid.

Bonis amici consiliis anima dulcoratur. Proverb. 27.

Beatus qui invenit amicum verum. Eccli. 25.

Est amicus secundum tempus, & non permanebit in die tribulationis. Eccli. 6.

Est autem amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. Ibidem.

Qui timet Deum, æque habebit amicitiam bonam; quoniam secundum illum, erit amicus illius. Ibidem.

Non agnoscitur in bonis amicus, & non absconditur in malis inimicus. Eccli. 12.

Non derelinquas amicum antiquum; novus enim non erit similis illi. Ibidem c. 9.

Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat: Non feci; aut si fecerit, ne iterum addat facere. Idem c. 19.

Amici divitum multi. Prov. 14.

Divitiæ addunt amicos plurimos; a paupere autem & hi, quos habuit, separantur. Idem c. 19.

Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam. Prov. 16.

Ei qui revelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis. Prov. 20.

Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? Judic. 16.

Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus, &c. Psalm. 54.

Non est auxilium mihi in me; necessarii quoque mei recesserunt a me. Jobi c. 6.

Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis. Prov. 19.

Fili, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum. Prov. 1.

Qui communicaverit superbo, induet superbiam. Eccli. 6.

Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiseris. Prov. c. 27.

Vir amicabilis ad societatem, magis amicus erit quam frater. Prov. c. 18.

Noli fieri, pro amico, inimicus proximo tuo. Eccli. 6.

Causam tuam tracta cum amico tuo; & secretum extraneo ne reveles. Prov. 25.

Ne obliviscaris amici tui in animo tuo; & non immemor sis illius in opibus tuis. Eccli. 37.

Qui conviciatur amico, dissolvit amicitiam. Idem, c. 22.

Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. Idem, c. 27.

Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, & in domesticis tuis fiducialiter aget. Eccli. 6.

Melius est esse duos simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Ecclef. 4.

Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est animi, celat amici commissum. Prov. 11.

Est amicus solo nomine amicus. Eccli. 37.

Occasiones quærit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis. Prov. 18.

Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi unus de mille. Eccli. 6.

Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat. Idem, c. 13.

Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inveniet amicum ad animum suum. Idem, cap. 27.

Dilige proximum, & conjungere fide cum illo. Ibidem.

Qui negligit damnum propter amicum, justus est. Proverb. 12.

Sodalis amicus conjucundatur in oblectationibus, & in tempore tribulationis adversarius erit. Eccli. 37.

Ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Matth. 18.

Vos dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Joan. 15.

Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Luc. 22.

Amicitia hujus mundi inimica est Deo: quicumque ergo voluerit esse amicus hujus seculi, inimicus Dei constituitur. Jacob. 4.

Exempla Veteris Testamenti.

CElebertimum amicitiæ constantis exemplum in Davide & Jonatha vetus suppeditat testamentum; exemplum proculdubio perfectissimorum Amicorum iis omnibus anteferendum, quæ hac in re jactet gentilis antiquitas. Jonathas filius Saul, Scriptura 1. Reg. 18. inquit, *dilexit David quasi animam suam, quia anima illius erat conglutinata animæ David*, proprias vestes, atque arma eidem largitus est, nihilque habebat, quod cum Amico non esset commune. Ita quanto odio Saul Pater David persequebatur, ejusque petebat interitum; tanto eumdem amore filius prosequebatur, qui & auctoritatem & conatus omnes impendit ut illius studeret incolumitati; itaut jure liceat affirmare nullum umquam amicorum par fuisse fortius, fidelius, atque constantius. Non satis fuit Jonathæ sese in verba, pollicitationes & officia quæ frequenter inutilia sunt, effundere: sed re ipsa amorem suum apertissime testatus est pro eodem omnem operam collocans apud Regem parentem suum. Cum enim Saul secreta ureretur invidia contra David, eumque de viventium numero deturbare decrevisset; adolescens ille assiduis officiis patrem delinivit, eique ostendit relatam a Davide victoriam de Goliath, quæ in omnem late exercitum Israel terrorem injecerat, in summam Imperii dignitatem, atque utilitatem cessisse; ac neminem esse, qui præ Davide fidelius Regi adhæreret. Ceterum si manus suas militis adeo strenui, atque fideli sanguine imbueret, crudelissimum facinus patraturum, quod populi universi Regi conflaret invidiam. Saul his verbis actus Sacramento pollicitus est, se nihil contra David ausurum: *quæ cum audisset Saul, placatus voce Jonathæ, juravit: vivit Dominus, quia non occidetur*. 1. Reg. 19. David autem quo se dolore confectum fuisse testatus est, ubi auribus suis nuncium accidit mortis Jonathæ, cujus filium post charissimi parentis obitum adamavit, atque in honore habuit? Ita duorum horum Principum amicitia tamquam fidelissimæ necessitudinis exemplum haberi potest. Exempla David. & Jonathæ.

Memorabilis etiam est Cusai fidelitas erga David propter insignem operam quam illi præstitit laboranti. Hic fidelis amicus cum Regem in aperto periculo constitutum videret amittendi Regnum, ac vitam propter Absalonis defectionem, inauditum excogitavit stratagemma. Cum enim prænosceret Absaloni cuncta cessura esse e sententia, si consiliis Achitophel, qui Davidem per summum scelus deseruerat, & in rebellis filii partes concesserat, adhæreret; sapiens hic, fidelisque subditus, se quoque a Rege deficere simulavit, quod omnes fere Davidis amici præstiterant, per- Cusai fides erga David.

perniciosa eversurus consilia, quæ traditurus erat Achitophel, & quæ proculdubio certissimum Davidi interitum erant allatura. Consilium effectu non caruit, atque ita Cusai duplici ratione fidem suam testatam reliquit, primo quod fidelis Regi suo, quem reliqui deseruerant, adhæsit; deinde vero, quod perniciosa subvertit consilia Achitophel; quæ certissimum Davidis festinassent excidium.

Salomonis, & Regis Hiram amicitia. Salomonis etiam, Regisque Hiram amicitia in Bibliis memoratur, ubi legimus quomodo, ubi opus esset, Reges illi ultro citroque sibi opem ferrent. Dicendum profectoest Regem adeo sapientem, qualis erat Salomon, in Principe sibi finitimo egregias deprehendisse dotes, ut cum eodem non solum pacem adeo diuturnam, verum etiam amicitiam adeo constantem tueretur.

Fideles amici Job. Si Amicitia rebus adversis probatur, atque in illis cognoscitur, Job qui dum prospera rerum fortuna perfruebatur, tot amicorum caterva stipatus erat, in eo calamitosissimo statu, in quem deinceps redactus fuit, a plerisque amicis suis se derelictum, desertumque conspexit. Non omnes tamen ab eo recesserunt; quidam etiam illum convenerunt solatium aliquod in tanta rerum omnium egestate, atque tot doloribus allaturi; immo non defuerunt, qui cum statum in quo eumdem videbant, cum eo, in quo nuper viderant, conferentes adeo miseratione fuerint affecti, ut septem dies coram eodem adstiterint, qui verbum proferrent, oculis ut ita dicam tantummodo locuti: quod profecto gravissimum illorum mœrorem testatur.

Exempla Novi Testamenti.

Amicitia, qua JESUS S. Joannem prosecutus est. In novo Testamento nullum sanctioris, suavioris que amicitiæ magis elucet monumentum, quam amor filii Dei S. Joannem discipulum diligentis, qui in ipso etiam Evangelio vocatur *Discipulus, quem diligebat Jesus*. Familiaritas, confidentia, communicatio bonorum, hoc est favorum, & prærogativarum, quas illi concessit, hoc satis probant. S. Joannes vero minime defuit quominus tantæ dilectioni pro viribus responderet; itaut sanctæ amicitiæ nullum præstantius exemplar supersit.

Idem mundi Salvator Lazarum Marthæ, atque Magdalenæ fratrem summo est amore prosecutus. Hunc ipse etiam amicum suum vocat Joan. 11. *Lazarus Amicus noster dormit*. Super tumulum ejusdem est etiam illacrymatus, quam ob rem, qui aderant dixere: *ecce quomodo amabat eum*, cap. 11. Deinde vero sua auctoritate usus est, eumdem ad vitam revocaturus. Fidei consonum est Lazarum quoque tot beneficiis cumulatum, atque intelligentem illius dignitatem, qui ipsum sua dignabatur amicitia, ardentissima charitate omni vitæ suæ spatio Deum, Salvatoremque suum prosecutum fuisse.

Amici S. Pauli. Lacrymæ quas effuderunt amici S. Pauli eumdem ad navim usque prosequentes, eique vale dicentes Epheso Hierosolymam reverenti insignis amicitiæ testes sunt: S. Paulus etiam illis utilissime profuerat, in fide eosdem erudiens, atque in viam salutis adducens.

Applicationes quorumdam locorum Scripturæ ad hoc argumentum.

Post mortem etiam in amicorum memoria vivimus. Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis. Eccli. 6. amicus in vita civili id præstat, quod pro naturali arbor vitæ in Terrestri Paradiso præstitisset: non enim satis est illi, si ejus opera suaviter traducamus, exiguum illud annorum spatium, quo vivendum est; verum etiam nostræ aliquid confert immortalitati, ut post mortem ipsam vivamus adhuc in memoria illius, qui in terris nobis erat jucundissimus. Hæc est eruditi cujusdam Interpretis in allata verba consideratio.

Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum .... cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam. Isaia 36. Hæc verba quibusdam Interpretibus locum dedere ostendendi, quam parum amicis fidendum sit; sed confidentiam omnem a Christiano viro esse in Deo collocandam. Vide cuinam rei homo hic imprudens, & cœcus incumbat; calamo videlicet, qui symbolum est imbecillitatis, & fragilitatis humanæ. Adde quod calamus hic confractus est; quod innuit, illum ipsum, in quo spes omnis constituitur, alieno indigere subsidio. Hinc autem fiet, ut calamo huic satis sit virium ad incumbentis manum vulnerandam, atque perfodiendam, non autem fulciendam. Hoc ut plurimum amici faciunt, in quibus confidimus: possunt illi quidem in calamitatem suam nos pertrahere, non autem tueri, & ab inimicorum nostrorum contumeliis defendere.

Humanæ amicitiæ inconstantia. *Necessarii quoque mei recesserunt a me ...... fratres mei præterierunt me, sicut torrens, qui raptim transit in Convallibus*. Job. cap. 6. Hæc alia est satis elegans amicitiæ humanæ instabilitatis imago, quam S. Job torrenti comparat pertranseunti, & mox penitus arescenti. Cognoscere quippe licet hanc necessitudinem non solum esse brevissimæ diuturnitatis, verum etiam plerumque inutilem esse, & nullum ex eadem fructum percipi posse: hoc enim discriminis interest torrentem inter ac fluvium, quod fluvius jugiter fluit, ac eamdem fere semper aquarum copiam vehit, eamdemque rapitur celeritate: torrens vero nunc quidem præterfluit, mox vero exarescit. Tunc præterea torrentes tument, agrosque inundant, cum nullum aquarum est opus; imbres enim Cœlo dilapsi arboribus, satisque irrigandis sufficiunt; ubi vero opus est, tunc ipsi quoque aquis destituti prodesse non possunt. *Pineda aliique in hunc locum*.

Fictorum amicorum descriptio. S. Joannes in Apocalypsi locustas vidit ex fumo puteorum abyssi egredientes, quarum facies quidem hominum vultus referebant, caudæ vero scorpionum caudis similes erant. Hanc, Interpretes nonnulli putant elegantem esse fallacium amicorum figuram: hæc enim rustica insecta aristis, atque herbis ita inhærent, ut easdem deposcant atque absumant; quas ubi radicitus devoraverint; alibi pabulum inquirunt. Hoc ipsum amici mensæ, quemadmodum illos appellat Scriptura, facere consueverunt, illos quippe amant, a quibus saginantur; & scorpionum caudas habent: lædunt enim primi eos, a quibus recipiuntur, & illis insultant, cum nihil ultra sperari posse deprehendunt.

Amici probandi. *Tamquam aurum in fornace probavit eos*. Sap. 3. Scriptura, Amicos a Deo tribulationum, atque afflictionum igne probari docet; verum docet quoque hanc generatim esse rationem, qua Amici Amicorum suorum periculum faciunt: neque desunt Interpretes eruditi, qui Amicos fallaces ac suæ tantum utilitati inservientes mercurio comparent, qui auro quidem ita adhæret, ut inde separari non possit; sed si aurum in fusoriam fornaculam injiciatur, tunc illico recedit, & evanescit.

Corripiet me justus in misericordia. Psalm. 140. Maximum divinæ erga nos misericordiæ beneficium censendum est, ubi fidelem Amicum nostra perstringentem, & corrigentem vitia nacti fuerimus; cui nisi aurem, animumque præbuerimus, atque ex monitis ejusdem Christiana charitate refertis fructum perceperimus, hoc beneficio sumus indigni. *Bellarminus in hunc locum*.

JESUS se nostrum dicit amicum. JESUM CHRISTUM mortalium amicum appellare, quandoquidem ipsi terrarum Reges hunc titulum sua putant indignum auctoritate, ne quidem minime auderem, nisi hoc ille sibi nomen vendicasset, homines Amicos suos vocans. Ille enim Apostolos alloquens profitetur se eosdem non tamquam servos, sed veluti veros amicos habiturum, quibus cor suum aperit nullum celaturus arcanum, quod sibi fuerat a Patre communicatum. S. Joannem sponsi amicum dicit, atque ut ostendat hoc nomi-

nomine non præcursorem, & Apostolos suos tantum a se decorari testatur in amicorum suorum albo eos omnes, qui sua præcepta servaverint esse recensendos: *Vos amici mei estis, si feceritis ea, quæ ego præcipio vobis*. Joan. 4. Utrum autem admirer potius, Dei ne benevolentiam, qui ita sese abjicere dignatus est, ut mortales amicos sibi faceret; an mortalium ingratitudinem, qui tanto honore adeo parum afficiuntur? metuor equidem Domine Deus haberi tamquam inimicum tuum, nisi pro virili tantæ benevolentiæ par pari rependero, ac me dignum præbuero eo, quo me dignatis honore, me amicum tuum esse jubens.

PARAGRAPHUS IV.

Loci & sententiæ Sanctorum Patrum de amicitia.

NOlite amare vitia amicorum vestrorum, si amatis amicos vestros. S. Augustinus, in quodam Sermone.

Non omnis qui parcit, amicus est, nec omnis qui verberat, inimicus. Melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere. Idem lib. 9. Confess.

Amicitia in malo esse non potest. Idem, Epist. ad Censorin.

Amicitia pauperum certior quam divitum. Idem lib. de Amicit. seu alius quis incertus Author.

Solus est qui sine amico est. Idem l. 6. de Civit. Dei.

Amicitia vera non est, nisi cum eam Deus agglutinat inter coherentes cum illo. Lib. 4. Confess. cap. 4.

Providendum est non solum ut simus justi, sed ne cum peccatoribus moremur; quia hoc in peccati ac miseria parte ducit Propheta. S. Hieronym. Epist. 142.

Vera illa amicitia est, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia corporum tantum, non subdola & palpans adulatio, sed Dei timor, & divinarum Scripturarum conciliant studia. Idem, in Epist. ad Paulinum.

Amicitia parem aut facis aut accipit; ubi inæqualitas, & alterius eminentia, alterius subjectio, ibi non tam amicitia, quam adulatio est. Idem, super Mich.

Eadem velle, & eadem nolle, firma amicitia est. Idem. Epist. ad Demetr.

De amicitia omnis tollenda est suspicio, & sic cum amico quasi cum altero seipso est loquendum. Idem, in Epist.

Amicus diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur. Idem in cap. 7. Mich.

Amicitia quæ desinere potuit, numquam fuit vera. S. Ambrof. lib. de Offic.

Non potest homo hominis esse amicus, qui Deo fuerit inimicus. Idem cap. 16.

Quid est amicus nisi consors amoris, ad quem animum adjungas atque applices, & ita misceas, ut unus fiat ex duobus; cui te tamquam alteri tibi committas? Idem l. Offic. 5. c. ultimo.

Non vectigalis amicitia; non quæstus: quia non pecunia quæritur, sed gratia; non licitatione præmiorum, sed benevolentia. Ibidem.

Objurget amicus amicum, non jactantiæ studio, sed affectu charitatis. Idem de Offic. l. 3.

Ea amicitia probabilis, quæ honestatem tuetur; præferenda est opibus, honoribus, potestatibus. Idem l. 3. c. 13.

Pietatis custos amicitia est. Ibidem.

Solatium hujus vitæ est, ut habeas cui pectus aperias, cui arcana communices, cui secreta pectoris tui committas. Idem l. 3. de Offic.

Facilis vox & communis, totus tuus sum; sed paucioris est effectus. Ibidem.

Amicitia, & prosperas res dulciores facit, & adversas communione temperat, & leviores reddit. Idem l. 3. de summo bono.

Cum incaute malorum amicitiis jungimur, eorum culpis ligamur. Greg. in Past.

Amicus animæ custos dicitur. Idem, in Moral.

In prosperitate incerta est amicitia; nescitur enim utrum persona an felicitas diligatur. Idem.

Necessitas amicum probat. Cassiod. in quadam Epist.

Amicitia tanto certior est, quanto vetustior. Idem.

Sine amicis cogitatio est tadium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum; sine quorum solatio vivere esset mori. Idem.

Vera amicitia tantum inter bonos oritur, inter bonos proficit, inter optimos consummatur. Idem in Psalm.

Fidis amicis nil puta præstantius. S. Greg. Naz. in carminibus.

Illa est vera amicitia, quæ nihil in rebus amici quærit, nisi solam benevolentiam; scilicet ut gratis amet amantem se. S. Bernard.

Habet vera amicitia nonnumquam objurgationem; adulationem, numquam. Idem in Epist.

Paupertas verum demonstrat amicum: quod divitiis non potes scire, paupertate scies. S. Laurent. Justin. de Paupert. c. 2.

Nullum tam certum est amicitiæ indicium, atque non connivere delinquentibus fratribus. S. Chrys. Serm. 18. in Epist. ad Ephes.

Est nobis solem hunc extingui jucundius, quam amici consuetudine privari; jucundius in tenebris agere, quam amicis privari. Idem Homil. 2. in Epist. ad Thessal.

Loci ex quibusdam Profanis Auctoribus delecti.

SI amicum aliquem existimas, cui non tantum credis quantum tibi, vehementer erras, & non satis nosti vim veræ amicitiæ. Senec. Epist. 3.

Diu cogita an tibi in amicitia aliquis recipiendus sit: cum placuerit tibi, toto eum pectore admitte; cum eo omnia delibera; sed de ipso, prius. Idem.

Utilitatis causa acceptus amicus, tamdiu placebit, quamdiu utilis fuerit. Ibid.

Nullus eligeret vivere sine amicis, habens alia omnia bona. Arist. l. 8. Eth.

Non facile fit ut quis sit multus amicus valde. Idem, lib. 9.

Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam quæ latent in simulatione officii, aut aliquo necessitudinis nomine. Cicero l. de Amic.

Est is amicus quidem, qui est tanquam alter idem; alterum enim acquirit, cujus animum ita cum suo commiscet, ut efficiat pene unum ex duobus. Idem.

In hoc præstat amicitia propinquitati; quod ex propinquitate benevolentia tolli potest; ex amicitia non potest. Idem.

Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaveris; nam cum conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si a virtute defeceris. Idem.

Solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam a vita tollunt. Idem.

Omnibus rebus humanis anteponenda est amicitia. Idem.

Adversa difficile esset ferre sine eo, qui etiam illa gravius quam tu ferret. Idem.

Amicitia absentes adsunt, egentes abundant, imbecilli valent; &, quod difficilius dictu est, mortui vivunt. Idem.

PA-

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologicis, Ethicisque fontibus ad argumentum hauriri possit.

Amicitiæ definitio.

AMicitia, ex D. Thomæ sententia, amor est mutuæ benevolentiæ cognitus atque apertus in alicujus boni communicatione positus. Hæc definitio, quæ præ ceteris communior est, atque acceptior, paucioribus verbis exprimi potest: Amicitia est benevolentia mutua non latens. Quod fusius etiam ita explicari consuevit: catena est sacra, & mutua animas & corda duorum ita conjungens, ut mutuis auxiliis ultro citroque & bona sibi cupiant, & facere adnitantur. Hinc infertur: animos nostros nulla inanimatarum vel irrationabilium, rerum tangi amicitia, quas e contra respicimus, tanquam nostrarum egestatum, atque utilitatum, quas inde percipere possumus, objecta. Se enim mortalium sibilis, & probris objiceret fatuus ille, qui canem, equumve suum amicitia prosequi diceret; hæc quippe animalia blandientibus par pari referre non possunt, neque gratiam exsolvere gratia; quos tamen si tuemur, & habemus in pretio; voluptatem atque utilitatem inde perceptam tantum respicimus. Veritatis autem hujus principium est, quod amicitia ex omnium moralium Theologorum sententia virtus est ad justitiam pertinens, quæ cogit, ut in benevolentiæ genere debitis nostris satisfaciamus, atque amorem rependamus amori pari benevolentia, nec sine quadam beneficiorum æqualitate.

Affectio, Benevolentia, Amor, & Amicitia differunt inter se. Affectio quidem amoris est inchoatio nondum satis constituti, & confirmati. Benevolentia est bona voluntas, vel propensio quædam erga aliquem, licet minime satis agnoscatur, qua erga alterum quempiam non afficimur: quemadmodum accidit nonnumquam ubi ex duobus, qui inter se digladiantur, alterutrum potius victoriam referre cupimus, quantumvis nullam cum ipso familiaritatem habeamus. Amor affectio est jam confirmata in id tendens, ut objecto, quod amat, arctius conjungatur. Amicitia denique mutuus est amor benevolentiæ innixus boni alicujus communioni, unde sequitur, eos omnes, qui amant, non ideo amicos esse, sed amare omnes, qui vere sunt amici.

Multiplex genus amicitiæ.

Animadvertendum est quoque non unum esse amicitiæ genus: Primum, quod naturale vocatur, nobis est cum brutis commune. Ita Mater, filios; Filii eos, a quibus geniti fuere, diligunt; quæ affectio cum ejusdem sanguinis communioni innitatur, naturalis amor dicitur, & naturalis amicitia, si amor hic mutuus sit, quemadmodum plerumque usuvenit. Quamquam hæc amicitia ceterarum non sit perfectissima, una tamen est omnium maxime necessaria, quippe sine eadem Mundus subsistere non posset. Altera species amicitiæ humana vocatur, eam quippe ratio constituit. Innititur autem triplici bono, quo homo gaudere potest, videlicet utili, delectabili, atque honesto. Bonum utile societatem instituit inter homines, quos in mutuum commercium vocat, & mutuam consuetudinem, ut egestatibus suis vicissim consulere possint, quæ res Civitates, & Imperia constituit, atque tuetur. Bonum delectabile est illius amicitiæ principium, quæ coalescit inter politiorum artium, atque scientiarum cultores, puta, eloquentiæ, poeseos, philosophiæ, aliarumque id genus: non enim virtutibus adscribuntur amicitiæ voluptatum, commessationum, libidinumque & illæ quibus simul homines nefarii conjunguntur. Vera hominum amicitia, quæ laudabilis est, & quam philosophi omnes veram virtutem moralem esse arbitrantur, ea tantum est quæ eidem innititur virtuti; quæ proprie illud est bonum, quod honestum vocatur: Cum duo sese mutuo diligunt propter prudentiam, constantiam, fidem, ceterasque egregias dotes, quas in amico quilibet vicissim deprehendit, atque hanc necessitudinem ob id data opera contrahunt, ut sese mutuo in virtute proficiant.

Tertium amicitiæ genus, de quo Concionatoribus loquendum est, non est tantummodo honestum, insuper Sanctum est, & ratio præstantissima sese perficiendi in sanctitate. Amicitiam hanc merito Christianam vocare possumus, ut illam ab honestis amicitiis distinguamus, sed mere moralibus, quales apud ipsos etiam Ethnicos inveniuntur. Hæc igitur Christianis, ac supernaturalibus virtutibus innititur, nec non Cœlestibus donis, & gratiis, quas in illis deprehendimus, quos amicos eligimus, & cum quibus necessitudine prorsus sancta conjungimur; quæ utrisque admirabile adfert auxilium, ut in virtute proficiant.

Quid Christiana amicitia, & proximi Charitas differant.

Licet Christiana amicitia fere sit cum proximi charitate conjuncta, itaut plerumque cum eadem confundatur: non potest tamen dici unum atque idem esse omnino; differunt enim objecto, ratione, & ipsa etiam notione, quæ de utraque hac virtute est habenda. Charitas generatim universum terrarum orbem complectitur; amicitia vero intra paucorum hominum numerum continetur: Charitas, ut perfecta sit, nullam habere debet rationem qualitatum, dignitatum, aliarumque rerum; amicitia vero electionem petit, ac plurimum naturali tribuit ingenio, & propensioni: Charitas numquam excidit, quæcumque urgeat causa; amicitiam vero, cum plurima præcavenda sit, ut arcto necessitudinis vinculo conjungamur, tenemur nonnumquam infringere, & cum iis, quos amicos habebamus, communem duntaxat charitatem habere. Itaque amicitia non nihil adjicit charitati; mutuum videlicet amorem, atque nonnullas peculiares rationes, quibus fovetur. Hinc liquet Christiana religione, quæ tantopere charitatem foveri jubet, non everti amicitiam, quæ nobis cum infidelibus communis est, sed perfici, sanctaque fieri, cum nobis magno esse possit auxilio ad Dei amicitiam comparandam.

Amicitia nonnisi inter viros bonos esse potest.

Prima lex, vel prima veræ amicitiæ conditio hæc est, ut inter viros bonos inveniatur; quod ipsum Ethnici quoque, qui hac de re scripsere, confessi sunt: ita Cicero in libro, quem de amicitia elucubratus est, ait: *Hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse*. Cum vero explicat, quinam sint hi viri boni, eos esse ait, qui ita vivunt, & agunt, ut eorum recta fides, probitas, amor justitiæ, ac generosa libertas ab omnibus probata sit; neque ulla de ipsis vel avaritiæ, vel libidinis, vel temeritatis suspicio suboriatur. Ubi auctor ille palam affirmat, amicitiam, quæ virtuti nequaquam innititur, non posse subsistere; qua in re consentit non solum cum aliis scriptoribus Ethnicis, qui hoc argumentum pertractarunt, verum etiam cum omnibus Sanctis Patribus, qui de eodem disseruerunt. Quamobrem neque latronum, neque libidinosorum, neque eorum, qui ad scelus aliquod patrandum simul coaluere, societas, licet arctis vinculis adstricta, vera amicitia esse non potest: quantumvis illi mutuis fulciantur auxiliis, atque ultro, citroque sibimet opitulentur.

De particularibus amicitiis.

Cum amicitia ex altera parte inter paucos esse possit, ex altera vero vitæ nostræ adeo sit necessaria, ut quidam asserere non dubitaverint, ab hominibus amicitiam eripere, idem esse ac mundo solem auferre; undenam ergo profectum est, quod nonnulli SS. Patres vehementer invehuntur in particulares amicitias, quas ineunt illi, qui virtutem profitentur; alii vero econtra illas suadeant tamquam ad exercitia pietatis incitamentum? hac in re spiritualis vitæ magistri pro vario personarum statu, qui amicitiam iniere, judicium ferunt. Quod enim ad Monacos pertinet, qui in communi vivunt, & qui unanimes, adeo perfectam charitatem servant, ut charitatem eamdem infringeret,

geret; qui ab aliis se vellet sejungere cum aliquo initurus familiaritatem, hoc quidem neque ex recta ratione oriri potest, neque rectum gignere effectum: quam ob rem S. Basilius & alii, qui communitates, vel instituerunt vel rexerunt, amicitiam non tamquam unionem, verum potius tamquam divisionem inter fratres putant, & simulatum originem, & causam propter quam regulæ perfringuntur. Quod vero ad eos spectat, qui in Mundo, & sæculari statu versantur, ubi plurimi in vitiorum cœno volutantur, aliosque secum trahunt, vel saltem a virtute, atque exercitatione pietatis avertunt; facillima ratio ab iis secedendi, qui vitæ sanctitati, quam in mundo etiam persequi eos omnes decet, qui propriæ student saluti, obicem statuunt, hæc profecto est necessitudinem cum illis inire, quorum eadem mens est, ac idem consilium: quemadmodum docet S. Franciscus Salesius in Introductione ad vitam devotam. Quod si in ipsi etiam cœnobiis, ubi plurimi simul communem vitam ducere tenentur, aliquis tepor, vel aliqua remissio inveniretur, neque omnes eadem charitate eodemque zelo flagrarent; tunc ipsi spiritualis vitæ magistri non renuunt, quo minus illi, qui majori religionis amore succensi sunt, magis particularem necessitudinem ineant sese mutuis ad virtutem exemplis excitaturi; dummodo prudenter agatur, neque imminuatur charitas communis erga alios, neque illis rationabilis ulla scandali præbeatur occasio.

Quæ ad amicum deligendum, retinendumque requiruntur.

Antequam amicitiæ vinculis conjungamur alicui, sano, atque perspicaci opus est judicio, ut egregias illius, quem in amicum sumus adoptaturi, dotes intueamur; nihil enim nostra magis refert, quàm ne decipiamur in re hac, unde & vitæ hujus & futuræ felicitas pendet. Ubi statuta fuerit electio, nosmetipsos diligentius inspiciamus, oportet, atque videamus, utrum erga hunc, quem amicum elegimus, vere animus noster inclinetur; cum alioquin amicitia non sit diutius permansura; utrum eadem sit ingenii similitudo easdem exercitationes amantis; utrum mens ab omni spe utilitatis vacua, ne amore proprio vincamur; utrum cor satis apertum, & sine ulla exceptione, ut amico nosmet secretaque nostra communicemus, atque in eo fidem omnem constituamus; utrum ea nobis adsit sapientia, quæ requiritur, ut intra urbanitatis fines amicitiæ testimonia contineamus, ac prudenter amici nostri utilitatibus consulamus, quin eidem vel nimis indulgentes simus, vel nimis graves. Hæ si desint qualitates, nemo amicitiæ capax est, aut neminem inveniet, cum quo necessitudinem inire possit, vel qui sibi constanter adhæreat.

Igitur in amico bono hæc requiruntur; probitas, citra quam amicitia virtus non erit, neque diu subsistere poterit; officiosum ingenium; necessitudo enim benefactis fovetur, atque ea opera, quam ubi adsit occasio, ultro citroque amici sibi præstare tenentur: Constantia; quomodonam enim cum levi, atque mutabili homine, qui in singulos dies recentes quærat amicos, ac ne unum quidem verum habeat, jungi potest necessitudo? Prudentia; quam decet experiri antequam in alicujus amicitiam te tradas; etenim te ipsum deciperes, si imprudenti viro cui fidendum non est, teipsum, secretumque tuum committeres: Suave demum & affabile ingenium; inde enim consuetudinis jucunditas pendet. Quam ob rem, stabilis, & solida amicitia contrahi minime potest cum illo, qui ferox est, iracundus, ambitiosus, superbus, qui ubique dominari cupit, nemini cedere, sententiam susceptam numquam deserere, nec aliquid de suo jure concedere.

Per quæ amicitia frigescere & extingui possit.

Perfectiones, quæ ad amicitiam tuendam necessariæ sunt, eædem sunt quæ ad illam conciliandam requiruntur: quemadmodum in reliquis rebus patet, ubi singula eadem ratione servantur, qua esse inceperunt. Quæ vero amicitiam remittere, illi teporem inducere, eaque tandem penitus extinguere possunt, hæc ferme sunt: Oblivio, Negligentia, Contemptus, Diffidentia, Inæqualitas, Impatientia, & Infidelitas. Oblivio quidem cum amicum non sæpe videmus; cum eodem non frequenter versamur, vel eum non convenimus; itaut post elapsum aliquod temporis intervallum, eorum, quæ mutuo polliciti, ac professi fuimus, obliviscamur; cum enim eo tempore alter alterius societate caruerimus, sensim consuescimus, ut semper careamus. Negligentia nihil minus officit amicitiæ; argumento enim est vel ea, quæ ad amicum pertinent, nobis cordi non esse; quandoquidem eidem operam nostram præstare negligimus; vel nobis esse ignavam, atque indifferentem naturam, quæ fugit quærere occasionem amico inserviendi; vel nos e manibus eas, quæ sese objecerunt eidem gratificandi occasiones, labi passos fuisse. Contemptus, qui cordato viro ferendus non est, ita opponitur amicitiæ, ut quemadmodum amor ex præcedenti existimatione nascitur, ita contemptum semper subsequatur secessus, & aversio illius, qui benevolentia indignus existimatur. Cum itaque in Amicum electus se contemni cognoscit, vicissim in contemptum suam existimationem, in odium amorem suum convertit, quod ipsum, ubi primum sese obtulerit occasio, aperte testabitur. Diffidentia, & suspiciones ubi inter amicos suboriantur, ostendunt jam infirmatam esse amicitiam, quandoquidem deficit in quadam non postrema illius qualitate, nempe Confidentia: unde fit, ut nimia credulitas, qua aures adhibemus iis, quæ contra amici fidem narrantur, proxima quædam sit dispositio ad amicitiam infringendam, exercendumque odium, quod non multo post palam innotescet. Inæqualitas demum, & Impatientia ejus hominis, qui arbitrio regitur suo quamprimum pariet discordiam, & dissensionem: alioquin enim amicitia in turpem servitutem converteretur, si amicus omnem pati amici sui inæqualitatem, atque libidinem teneretur. Sed Infidelitas atque Perfidia cum amicitia omnino simul esse non possunt: simulac enim deprehenduntur, nulla est amplius confidentia, affectio nulla, statimque omnis tollitur consuetudo, qua in re Christianus aliquis hoc lucrari potest, ut erga infidelem, atque proditorem, qui sanctissimas amicitiæ nobiscum initæ leges violaverit, foveat charitatem.

Veræ amicitiæ signa, & effectus.

Effectus simulque certa sinceræ amicitiæ argumenta ad quatuor hæc rediguntur. Primum est Benevolentia, vel Affectio, qua prosequimur aliquem propter ejusdem merita, non autem propter eam, quam recipere possumus, vel speramus utilitatem; ut enim S. Ambrosius loquitur, amicitia mercenaria non est: *virtus est amicitia, non quæstus; non pecunia paratur, sed gratia*. Alterum est unanimis, conflatusque consensus ex S. Hieronymi sententia, qui ex veteribus philosophis hoc effatum mutuatus est: *eadem velle, eadem nolle, ea demum perfecta amicitia est*. Tertium, communicatio bonorum, quæ sunt inter amicos communia, quod morum Magistri mutui beneficii nomine indigitarunt. Quartum denique Constantia, atque Fidelitas in adversis; illis quippe potissimum veri amici, & probantur, & cognoscuntur; qui enim se amicos simulant, fortunam sequuntur; eadem recedente recedunt, & nos derelinquunt, cum se nihil a nobis ultra putant consequuturos.

Quænam sint amicorum officia satis liquet ex qualitatibus, quas in amicis requiri, supra docuimus. Illud tamen generatim affirmari potest; nos per amicitiam adigi, ut famulemur amico iis in rebus, quæ in nostra sunt potestate, dummodo divinis præceptis minime adversentur, neque nostram conscientiam offendant: hoc enim illud unum est, quod Ethnici quoque excipiendum censuerunt in ea amicitia, quam tamquam virtutem moralem tantummodo perspexerunt: quæ igitur potiori jure excipiendum est, si tamquam virtus Christiana spectetur, quæ validum nobis præbere debet auxilium, ut in perfectione, & sanctitate proficiamus?

De amicitia cum impiis inita.

Ut nihil prætermittamus, quod ad propositum argumentum pertineat, de sancta, laudabilique amicitia, ut par est, sermo institui non potest, nisi prava etiam, atque perniciosa familiaritas cognoscatur.

Hoc

Hoc autem nomine eam vocamus, quam cum flagitiosis hominibus jungimus, quæ efficere nullo modo potest, quin scelerum eorumdem fiamus participes, atque mox in illorum calamitates præcipites ruamus. Hæc sane amicitia est criminosa, & nefaria, neque satis umquam nobismet cavere possumus ne hac in re decipiamur. Criminosa quippe fit, quoniam vel placendi studio, eadem peccata committimus, vel pravis illorum exemplis cum quibus fœdus sancitum est in scelus pertrahimur. Omnes eorum improbæ cogitationes nobis sunt exploratæ; ideoque eorum omnium, quæ ab ipsis nefarie fiunt, participes sumus. Hac de causa Scriptura, & Patres hujus amicitiæ genus tamquam periculosissimum scopulum, in quem vita nostra allidere possit, considerant.

Qui amicitiam intra duos tantum coarctare adnituntur, hi in humanæ infirmitatis gratiam cuperem amicitiam spectarent, tamquam suavissimum bonum, quo fruimur, neque illius usum arctis adeo finibus circumscriberent, ut eamdem fere inutilem præberent. Tot enim dies accidunt, quæ nos ab amicis divellunt, vel quæ nobis amicos eripiunt, ut cum tantum temporis ad eos comparandos requiratur; qui unum dumtaxat nos habere jubet, in periculum abducat, ut nullum plerumque habeamus. Unitas amici gradus est perfectionis magis admirabilis, atque speciosæ, quæ in voluminibus proponatur; sed pluralitas amicorum re ipsa utilior est, atque commodior. Si enim amicorum est nostra consilia regere, conatibus nostris favere, delinire mala, voluptatem augere, cum prospera flat fortuna, moderari, cum adversa, opem ferre; nonne liquido patet hæc omnia officia plenius, atque efficacius a pluribus, quam ab uno posse præstari.

Quid veram, christianam que amicitiam constituat. Quod vero amicitiam essentialiter constituit, eamque ab reliquis omnibus societatibus, quibus homines coalescere possunt, distinguit; est profecto amicorum cognitio atque integritas rationis ejus, propter quam amico adhæremus. Frustra magna alicui conferimus bona, si eadem recipientis egestatem, meritumque ignoramus. Ut liberalis nomen jure merearis, largiaris oportet illi, qui dignus est, vel a quo minime speras, te plura iis, quæ dedisti, recepturum; quocumque enim alio modo largiaris, largiris quidem, sed citra liberalitatem. Hoc ipsum de amicitia dicendum est; ut merito dicaris amicus, amicum cognoscas oportet, eumque citra lucelli alicujus spem diligas; quocumque enim alio modo diligas, diligis quidem, sed citra amicitiam. Veruntamen ut hæc attollatur amicitia, & Christiana fiat; Deus eidem sese immisceat, oportet, & illa ob supernaturalem tantummodo rationem est suscipienda.

Honesti interest viri, amicis suis favere, illorum fortunæ adhærere, atque in eorum gratiam ea omnia præstare quæ honor & conscientia non prohibent. Immo neque satis est amicis gratificari; id apto loco, ac tempore, nec sine zelo præstandum est. Summum amicitiæ fastigium ille attigit, qui æque amicis suis adhæret, cum ab omnibus deseruntur, ac tunc cum prospera eisdem arrisit fortuna. Credo equidem inter maximas vitæ hujus voluptates hanc esse præcipuam, quod amico utilem præstare operam possis, eique dum necessitate urgetur, opituleris. Hæc docet moralis philosophia Ethnicis simul atque Christianis communis.

PARAGRAPHUS VI.

Loci ex Asceticis, Neotericisque Concionatoribus delecti.

Bonorum felicitas, qui bonos sibi eligerunt amicos. Beatus ille, qui Amicum sapientem, atque prudentem elegit, & qui perperam particularem necessitudinem non iniit cum hominibus virtute ac probitate carentibus: *Beatus qui non abiit in consilio impiorum*. Psal. 1. Profecto cum meliorem vitæ tuæ partem cum illis traducas, quos amicos elegisti, affirmari potest susceptam amicitiam de recta vel prava vitæ tuæ ratione quodammodo decidere posse: qua de re omnibus adeo persuasum est, ut alicujus mores cognoscere cupientes non aliam certiorem inveniamus viam, quam si amicorum ejusdem mores intueamur. *P. Cheminais de serm. de elect. amic.*

Videmus eos homines, qui antea nefarie vivebant, ubi Dei manu tanguntur, eorumque mens gratiæ luminibus illustratur, ablata fatali vitta, quæ illorum oculos obnubebat, incipere aliquando, amicitiam illam, quam jampridem junxerant, & quam sibi religioni minime vertebant, tamquam validum suæ conversionis obicem considerare, eosque coram Deo fatentes audimus, hanc fuisse omnium scelerum suorum originem, eamque penitus in posterum abdicare. Sin autem econtra illi, quibus cum consuevimus, vitæ parum Christianæ, ac minime frugi pertæsi ad Deum revertantur, & nos in sceleribus nostris relinquant, jam nobis invisi fiunt, atque molesti, neque illos respicimus nisi tamquam importunos actionum nostrarum censores, quorum rectum vivendi genus flagitia nostra indesinenter redarguit. Nequicquam illi prudenter, atque discrete nobis loquuntur, modesteque silentio corripere videntur ea vitia, quæ ipsorum etiam conscientiæ vulnus inferunt; eorum enim intuitus nobis molestus est, atque illis flagitiosorum hominum apud Sapientem utimur vocibus, *gravis est nobis etiam ad videndum*. Sap. 2. Morosus est, difficilis, cum quo omnis penitus necessitudo tollenda est. Hujus caracteris homines non placent; illorum etiam aspectus est gravis. *Idem*.

Amicus amicum sæpe trahit in scelus. Quemadmodum nemo est adeo nequam, ut aliquando rectum sensum fovere non possit, ita etiam nullus est vir tanta virtute præditus, qui pravæ alicui impressioni non pateat. Ita conscientia olim timida atque ad sceleris conspectum expavescens a pravo amico aliquando confirmatur, cujus consilium sequitur: ita lacessitus homo, qui inter ultionis cupiditatem, & acceptæ injuriæ oblivionem incertus hæret plerumque ad iracundiam violentis corruptorum amicorum consiliis excitatus: Ita adolescens, qui in mundum ingreditur Religionis rudimentis satis imbutus, & qui fidei veritatibus ne ulla quidem afferre vellet dubitationem, sensim impii hominis ambagibus capitur, atque difficultatibus præbens aurem, ne fide excidat, periclitatur; Ita integerrimus aliquis vir, & recti servantissimus, nulla congerere studens bona, eaque sceleribus suis se debere detrectans, ab improbo tentatus amico viam impiorum ingreditur, ut celerius ingentes divitias assequatur. Ita denique pudica Virgo, cui Sancta institutio levissimorum etiam criminum horrorem injecit, familiaris cujusdam mulierculæ lenociniis decipitur, quæ sensim omnem honestatis, atque virtutis amorem extinguit. *Idem P. Cheminais*.

Ubi curas, doloresque tuos in fidelis amici sinum effundis, eique aperis consilium ultionis v. g. persequendæ, quæ a tua passione probatur; tunc fidelis consiliarius oleum vulneri infundit, irritatos animos sensim demulcet; rationem, quæ aberraverat, ad rectum sensum revocat; seipsum statuit tamquam adversarium tibi, ut tibi prosit; aditum sibi aperit in cor tuum, atque ut ipsi libuerit, omnibus affectibus tuis moderatur. Quin reluctans, certum hunc Ducem sequeris, qui te iterum in rectam semitam abducit; in te illud exercet imperium, quod detrectare tibi minime licet: & si dum ira fervet, extrinsecus eidem videris obsistere, relinquit tamen aculeum in corde, & recedens locum præbet, ut intra te ipsum eas animo rationes revolvas, quibus iracundiam tuam delinire contendit. *Idem*.

Vitiorum amici plerumque participes sumus. Juxta communes amicitiæ regulas vel potius juxta illorum officia, qui se fideles gloriantur, præsto sis, oportet, ut omnia aggrediaris, omnia coneris; opus videlicet est, ut particeps fias jurgiorum, dissensionum, impuritatum, ultionum, iniquitatum, in quos amici libido omni religione, ac virtute carentis te studet impellere. Per hanc fatalem necessitatem, quæ nos mancipat omnibus amicorum affectibus, quam plurimi, quibus non alii insunt defectus proprii, ob eorum, cum quibus consueverunt, flagitia

giria redarguuntur. Tui Dominus es, atque in teipsum illud, quod satis est, tenes imperium, nequid tibi negotium facessat; at Amicus ambitiosus, & furens te in suam pertrahit iracundiam. *Idem*.

Cum amicitiæ commercium intra inæqualis conditionis homines invenitur, status dissimilitudo efficit, ut qui inferior est, turpem serviat servitutem, atque tibi honori vertat, si portentis Amici conatus sequatur. Quidam etiam, cujus mens divinæ leges æquitatem, & rectitudinem clarius intuetur, nec non horribilem perspicit heri sui cæcitatem a quo tamquam amicus habetur; incedit tamen furentem hunc Ducem sequens, obedit contremiscens, & id audet nonnumquam, quod horret. Frustra recedere cogitat; sua quippe fortuna ab hoc homine pendet, cujus imperia ad unguem tenetur explere; & quamcumque inde speret utilitatem, hæc plerumque esse debet criminis pretium. *Idem*.

Quidam sunt, cum quibus amicitia jungi non potest. Quonam pacto ea dilectione, quam sociabilis vita requirit, quædam hominum amari possunt ingenia, quæ inofficiosa, injucunda, immo etiam austera, atque molesta nihil oculis exhibent, nisi justa aversionis objecta, & causas, propter quas illos oderimus? quomodo amari potest homo subdolus, nefarius, sine ulla affabilitate, sine ulla morum suavitate, ac plurimis diffluens vitiis, quæ omnes in illo deprehendunt, & quæ ipse unus, uni sibi cæcus, neque videre vult, neque corrigere? numquam dixerim, aliquem teneri, ut cum id genus hominibus arctam ineat amicitiam; satis enim est eos communi charitate complecti, quæ nemini est deneganda. *P. Aurelianensis serm. de proximi charitate*.

Ficti amici. Versamur in sæculo dolorum, insidiarumque refertissimo, ubi Hieremiæ prophetia ad unguem adimpleta deprehenditur: *omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet*. Jerem. 9. Frater fratrem non observat, nisi supplantaturus, non attingit nisi vulneraturus, non amplectitur, nisi facilius suffocaturus: si ad examen ejus revocat verba, inde contentionis alicujus nanciscitur occasionem; si beneficia commendat, eidem ruborem suffundere quærit, atque post omnia ille, quem necessarium nostrum esse putamus fit simulator noster, dissimulatusque inimicus; & qui in speciem nos tueri videbatur, re ipsa latro in nos ipsos evadit. Hoc est regnum hominum nequam: illis arridet fortuna, cum interim sinceris hominibus terga vertit, quasi sinceritas crimen sit, quod subsequi debeant paupertas, calamitas, & egestas tamquam tria infortunii ipsorum instrumenta. Falsa amicitia moneta est hoc tempore vulgatissima: Licet adulterina sit, tamen de manu in manum pertransit, quin vel eidem oppositio fiat, vel nimis conquiratur. Ipsius qualitas est nota, irrisorem a vero amico non satis distinguunt; non solum inter ejusdem Civitatis incolas, & societatis membra, verum etiam in familiis, ubi qui easdem constituunt, discordias ferere non abnuunt, cum in rem suam cessuras existimant. *Serm. manuscr.*

Liquido patet, eos homines, qui venali affectu nos prosequuntur, atque suam tantummodo spectant utilitatem, in verorum amicorum numero habendos non esse; illi enim par pari non referunt, nec mutuis certare cupiunt officiis. Quamvis summo amore illos complectamur, nostræ tantum adhærent fortunæ, suam festinantes provehere. Qui si nosmet diligere ex animo profitentur, illusores sunt, sensus suos mentiuntur atque produnt veritatem. Re quidem vera manus semper apertas habent, ut nostra recipiant beneficia; sed cor eorum semper clausum est, ut nobis mærentibus solatium afferant. Vetus quidam Auctor id genus homines temporis, non autem personæ, aut virtutis amicos vocabat. Ut verbo me expediam, hi ficti sunt amici ex eorum numero, de quibus loquitur Filius Dei, & qui *in tempore tentationis recedunt*. *Idem*.

Vera amicitia constans est. Egregie quidem Salomon, vel potius Spiritus sanctus per os ejusdem testatus est, amicum verum numquam sensus suos, vel studia immutare. Quamcumque faciem amico fortuna ostendat, eumdem æque semper quavis in occasione, & quovis tempore diligit; & certum est, neque prosperitatis auram, neque lætitiæ fulgorem majorem obtinere illecebram ad cor ejusdem occupandum, quam vel nubes adversitatis, vel imbres luctus est lacrymarum: *omni tempore diligit amicus*. Asserit idem etiam amicitiam veram adeo validis, tenacibusque vinculis amicos jungere, atque connectere, ut tempus edax, quod potest quidem calybem ipsum rubigine conficere, atque æs deterrere, illa nequeat confringere; & mors eadem, quæ conjunctissimum quodque dissolvit, nequeat amicorum animas, & corda sejungere, licet corpora illorum in cineres redigere valeat. *Idem*.

Hoc amicitiæ proprium est, ut plerumque unum dumtaxat verum amicum eligat, quem unicum facit suarum cogitationum sequestrem, atque totius cordis thesaurum. Veteres omnes, qui de amicitia loquuti sunt, in hoc consentiunt; unum dumtaxat verum amicum habendum esse. Et sane quod temperamentum servandum esset, quod consilium capiendum, si cor nostrum pluribus esset amicis divisum, quorum res, atque sententiæ oppositæ sibi mutuo adversarentur? num alter prodendus esset, ut alteri servaremus fidem? Ita profecto utriusque amicitiam servare non possemus. Numquid sensus nostri tegendi vel dissimulandi? hoc ipsum leges amicitiæ perfringeret mysteriorum integumenta, & simulationum ambages abhorrentis. Adde his, cum natura unum tantummodo cor nobis præbuerit, ratio postulat, ut unum tantummodo amicum inquiramus, cui ubi semel nosmet tradiderimus, injustum est vel nosmetipsos partiri, vel collatum munus repetere. Hac de causa cum veteres amicos suos jactitant, ex quibus tanta sæculis suis gloria cessit, illos dumtaxat per paria, ac binos enumerant. *Idem manuscr. serm.*

Vera amicitia non nisi inter bonos esse potest. Vera amicitia virtus est, duos jungens homines, in communione insignium cognitionum, & affectionum sanctarum; ita illorum voluntates connectens, ut interim tamen ipsorum conscientiæ plena libertate fruantur, & nullas nectens catenas, quarum materiam quidem non suppeditet, anulos vero minime disponat Deus; *amicitia vera non est, nisi cum eam Deus agglutinat*: amicitiæ nostræ in terris, S. Franciscus Salesius inquit, componi debent ad exemplar amicitiæ Beatorum in Cœlo: semper injustæ sunt, cum Divino amori adversantur, virtutumque exercitationi opponuntur, & quemadmodum Arca testamenti inter duos Cherubim erat posita, eadem ratione adsit opus est Deus inter duo corda sese ultro citroque diligentia; & Dei gratia sacrum horum vinculorum nodum, atque amicitiæ gluten inviolabile efficiat. *Idem*.

Adulatio virus amicitiæ. Adulatio ficta est amicitia, quippe D. Thomas, omnesque morales Theologi, fatentur, hoc extremum esse vitiosum sinceram amicitiam evertens, atque suapte natura artem esse intentissimam fallendo, ac decipiendo sub inani fictarum laudum, & quorumdam officiorum specie, quæ efficit, ut vera putemus, quæ ficta sunt, & defectum ipsum perfectionis loco habeamus: *Adulatio, est fallax verborum sub specie amicitiæ deceptio*. Hæc autem adulatio illum, qui eamdem patitur in flagitiis, sceleribusque ipsius detinet; immo fictis laudibus occasionem præbet recentia peccata veteribus accumulandi, quod profecto est proximi charitatem evertere. *Idem*.

Accidit ut plurimum inter homines, ut qui ex calamitoso statu emergunt, & ad aliquem gloriæ, fortunæque eminentis gradum evehuntur, obliviscantur, atque contemnant amicos suos pristinæ paupertatis socios ac testes. Ab oculis atque memoria procul amovent, quidquid præteritæ infelicitatis imaginem, atque speciem potest excitare. Sua occupati magnitudine, atque sibimetipsis placere gestientes putant dignitatis suæ injuriam allaturos, si sese ad necessitudines adeo inæquales demiserint; & seu difficilius sit prosperam, quam adversam fortunam, pati, seu in hac humanarum necessitudinum infirmitate necessario perquiratur æqualitas; ubi pristinam relinquunt conditionem, primos quoque amicos re-

lin-

linquunt, & hoc non tam infidelitatis, atque inconstantiæ suæ inditium, quam fortunæ effectum, & præsentis conditionis decus esse arbitrantur. Adeo superbia atque avaritia omnes rationis, & amicitiæ leges invertunt. *Flechier pro die Pent.*

Amici merita, ac sinceritas præcipue dignoscenda.

Cum nimia excæcatus amicitia in amico id esse putas, quod minime est, tunc non illum amas, sed alium sub nomine illius; hoc enim non est amare quod est, sed quod minime est. Amicitia veritati non adversatur: quemadmodum justitiam, & æquitatem diligit, ita odit simulationem, atque adulationem. Ficta laus, quin sapienti viro placeat, illum rubore suffundit; quippe honorem suum non in hoc positum putat, ut laudibus, licet veris, cumuletur, sed ut eas mereatur. Amici tui perpendere debent, quid ipse merearis; tu vero, quid mereantur amici. Cum lucri cupiditas potius, quam existimatio jungit amicitiam; cum passio potius, quam sapientia necessitudinem conflat, ibi fere occurrit infidelitas: Quam ob rem ubi amicus eligendus est, sinceritas præ cæteris est inquirenda. *P. Dozenne lib. de moral. Jesu Christi.*

Sapiens, modestusque amicus, ubi consilium præbet, ægre ferre non debet, nisi hoc alii amplectantur: verum melius, aptiusque consilium illis suppetere, debet arbitrari. Hoc immo eidem placere deberet; quandoquidem de rerum eventu omnem exuit sollicitudinem, de quo, si sua sententia arrisisset, rationem quodammodo redditurus videbatur. Fatetur S. Bernardus, metum, ne quod ipse suaserat, cederet e sententia, gravissimum sibi onus fuisse. Et sane si prudenter nos ipsi luminibus nostris fidere nequaquam decet, cur contendendum est, ut alii iisdem adhæreant? *Idem.*

Inter amicos officiorum, & familiaritatis excessus vitandus est.

Amicitia semper esse debet officiosa tam in exteriori specie, quam in sensu interiori; verum quemadmodum excessum incommodæ Urbanitatis evitat, ita fugit quoque nimiam familiaritatem. Hoc solum cavet, ne bona, quæ præstat officia, sint cum aliqua rusticitate conjuncta; novit enim repulsas quasdam esse nonnumquam muneribus ipsis gratiores. Nihil tamen renuit, quod præstare queat; sed cum renuere cogitur, palam, vel per impotentiam, vel justa alia de causa se renuere demonstrat; & tunc etiam supplet suavibus verbis, hilari vultu suum gratificandi desiderium testata. *Idem.*

Quam bonum, ait Regius Propheta, *& quam jucundum habitare fratres in unum*? verum nihil prodest in eodem contubernio versari, si morum oppositione distemus; quemadmodum non officit locis abesse, si virtutum exercitatione simus conjuncti. Docet experientia, diuturnam amicorum absentiam, vel longinquitatem teporem quemdam inferre ardentioribus amicitiis, & sæpe etiam illas penitus extinguere. Non dixerim tamen consuetudinem nimis frequentem, diuturnamque in eodem loco permansionem numquam obesse amicitiæ propter contentiones & jurgia, quæ debent utrimque foveri; si enim hinc quidem alterius tepore infirmetur, inde vero alterius virtute fulciatur, licet hic infirmioris rationem habeat, eumque patiatur; infirmior tamen plerumque propriæ infirmitatis pondere vincitur, & ipsa etiam patientia, qua ab amico toleratur, eidem fit intolerabilis. *Idem.*

Cum illis tantum ineunda est amicitia, qui ad salutem nobis conferre possunt.

Ne ullam in eas necessitudinem nisi cum illis, quorum consuetudo tuæ saluti prodesse valeat; ut quo magis eadem consuetudo perficitur, eo magis ipsa etiam perficiatur amicitia. Si commercium hoc litterarum erit, & scientiæ; necessitudo honesta erit, & laude digna; si virtutis, pietatis, ac perfectionis; amicitia erit meriti atque pretii infiniti, quippe a Deo profecta nos adducet ad Deum. Quam sancta est hujus generis amicitia? ultro citroque communicare vota sua, sancta Deo inserviendi consilia; qua via quisque ad gloriam tendat; & ejusdem intuitu unum dumtaxat cor, animam unam habere; tunc reciprocus Sanctorum affectuum excitatur æstus, tunc virtutis cupiditas inflammatur, tunc nobili æmulatione certatur, quinam in virtutum via celerius progrediatur, & perfectionis meliora præbeat indicia. *Desumptum ex dict. mor. de amore proximi.*

In quo Christiana, & Mundana amicitia differant.

Mundana amicitia, & Christiana plures habent caracteres, quibus distinguuntur. Mundanæ quidem fundamentum est oris species, ingenii suavitas, hilaritas, aliaque id genus; cum christiana amicitia virtuti tantum incumbat. Mundana amicitia mentem excæcat, animumque corrumpit; hinc illa affectio morum integritati adeo perniciosa; intuitus nimium curiosi; inordinata suspiria; querelæ, quod par pari non referatur; suaves, atque meditatæ loquendi rationes; enixæ postulationes, ut apertiora amoris præbeantur indicia; quæ omnia imminentem portendunt honestatis, atque pudoris interitum. Christiana amicitia econtra puros habet oculos, desideria puriora. Amicitiæ mundanæ finis, ut plurimum tædium est, morositas, diffidentia, mortalis zelotypia, objurgatio, contumelia, nonnumquam etiam iracundia: cum amicitia Christiana semper sibi constet, semper Urbana sit, suavis, ac nullis mutationibus obnoxia. Procul ergo absint criminosæ amicitiæ, ubi ipsi etiam defectus, ac vitia in amicis quemadmodum in nobismetipsis diligimus, ubi jungimur atque mutuis fulcimur auxiliis in impudicitiis, pravisque commerciis. Hoc non est sese vicissim propter Deum, & in Deo, sed propter æternam damnationem diligere, quemadmodum inquit Sanctus Chrysostomus. *Idem.*

Hominis proprium est amare hominem; sed virtus est illum amare, quia virtute præditus est; amicitia enim, quæ innititur probitati, sapientiæ, probæ indoli, fidei, vel aliis quibuscumque virtutibus, virtus est; atque laude dignum est eas amore persequi dotes, quæ in seipsis dignæ sunt laude. Verumtamen ubi ita amaveris, hæc ipsa gentilis est amicitia: Ethnici quippe diligunt a quibus diliguntur, & qui qualitates habent dignas, quæ diligantur. Quid igitur est amare tamquam Christianum, & Christianam colere amicitiam? hoc est, ut huic mutuo amori, sese mutuis fovendi consiliis ille proponatur finis, ut quotidie majorem sanctitatem, majoremque in Dei amore fervorem adipiscamur, ac mutuis excitemur adhortationibus, ut simus perfectiores. *P. Rapin lib. de Spiritu Christianæ religionis cap. 2.*

Amicorum objurgationes condiendæ sunt.

Sic amicus corripiendus, vel admonendus est artem calleas oportet ipsis etiam monitis quidem dulcedinem quamdam afferendi, objurgationibus vero auferendi quidquid inest severitatis, atque asperitatis. Immiscendæ sunt eæ verborum ambages, quibus facile in amicorum sinum irrepimus, & quibus uti nos decet, ut amicum ab interitu vindicemus. Commoda fandi tempora, locus, & occasio, investiganda sunt; nonnulla, ubi liceat, excusanda, ne amici animus exasperetur, atque acrimonia verborum avertatur. Medici denum imitandi sunt, qui ut ægroto medeantur, cujus valetudo pretiosa est, curam adhibent, ne quidquid ad leniendum dolorem usurpant, vim pharmacorum imminuat. *Auctor Anonym. & Neoteric.*

Quemadmodum Christiana Charitas in amicitia necessario requiritur, utraque eadem habent officia, cum hoc tamen discrimine, quod amicitia vicem sibi reddi postulat, charitas vero in proprio sensu accepta alios amare cogit, licet etiam par pari non referatur. Amici itaque non solum sibimet mutuam opem, & mutua auxilia in egestatibus ferre debent: sed mutuo pro virili prævertenda sunt ipsa mala, quæ impendent; atque prohibenda ne accidant. Levamen afferendum, si penitus malum auferri non potest; nisi malum potest imminui, consolatio adhibenda; vel si neque consolatione opus est, saltem miserationi locus tribuendus. Oportet alienis affici malis, eadem imminuere sese illorum participes efficiendo; patienter alienos tolerare defectus, eisdem medelam afferre,

ferre, quin exasperentur; eosque dissimulare, si corrigi nequeant, &c. *Idem*.

Amicus probandus est, antequam amicitia jungatur.

Ubi sors, vel nostra felicitas nobis aliquem amicitia dignum obtulerit, illius periculum faciendum est non spiritu diffidentiæ, sed actu prudentiæ quæ docet, non amandum esse, ut cognoscas, sed cognoscendum, ut ames. Si enim diligentius perpendimus eam domum, quam sumus conducturi; cur non diligentissime illud cor exploremus, in quo cor nostrum, gaudium, doloremque omnem sumus effusuri? verum ea ratio, quæ monet, ne amicum nobis ex aula accersamus, monet etiam, ne illum ex conviviis eligamus, neque ejusdem, dum nobis fortuna favet, periculum faciamus. Si enim non alios habuerimus amicos, quam quos mensa, atque prosperitas tribuunt; quamprimum amicis carebimus: quicumque enim fortunam sequitur, facile ab amicis recedit. Adversitas tantum amicos probare potest; hac utamur occasione, opus est, ut eum cognoscamus. Tunc patebit, utrum ob utilitatem suam, an ob generositatem nobis adhæserit, utrum divitem, an divitias quæsiverit &c. *Lib. qui inscrib. la Conduite du Sage*.

Amicitia homini naturalis.

Amicitia proculdubio innocentissima voluptas est, qua omnes in societate perfruantur. Barbari ipsi nomen hoc reverentur; qui Urbanitatis leges contemnunt, leges amicitiæ non aspernantur; inter saltus suos, ac nemora vivere nequeunt, quin aliquem habeant necessarium, qui eorum exploratas habeat cogitationes, qui prospera eorum fortuna lætetur, & doleat adversa. Latrones ipsi, qui publicam libertatem impugnant, qui pacis tempore bellum cient, qui hunc suffocare velle videntur amorem, quem natura ipsa inseruit hominibus; ipsi etiam amicitiam colunt, intra se aliquam societatis imaginem retinent, sibique fidem servant, quamvis Reipublicæ perniciosissimam. Populi denique per hanc virtutem subsistunt, quæ si auferretur ab hominibus, Urbes ipsæ solo essent æquandæ, atque mortales iterum in deserta mittendi. Hæc legibus ipsis potentior est, quæ si in Republica satis bene institueretur, nullis amplius opus esset tormentis, atque suppliciis, ut nefarii homines in officio continerentur. *P. Senault tract. de usu passionum 2. p. 3. serm.*

Veræ amicitiæ præcepta.

Amicitia, ut justa sit, suos fines habere debet; ut vera sit, pietati debet inniti. Qui se amari cupiunt, in Fide sint oportet, eosdemque foveant sensus religionis. Illorum Amicitia debet esse studium virtutis, & mutua communicatione in id laborandum, ut meliores evadant: eorum animas confusas potius, quam conjunctas esse opus est, ex qua unione perfecta rerum omnium communio proficiscatur, bona non amplius sint divisa, penitusque tollantur frigida illa verba meum, ac tuum, quæ omnem mundi divisionem peperere. Ubi hujusmodi conditiones occurrant; nemo sanæ mentis amicitiam improbabit, quandoquidem divina potius est, quam humana, & gratiæ innixa potius, quam naturæ. *Idem*.

Amicitia est vitæ severitas, & æquior voluptas, qua in terris perfrui possimus, neque inter cæteras voluptates ullam hac innocentiorem, atque veriorem inveneris: Verum secum suos habet dolores, quibus ferendis sese disponere debet, qui incipit diligere. Absentia brevis est mors; mors vero absentia æterna; quæ tanto dolore nos conficit, quantam præsentia afferebat voluptatem. Qui amici jacturam subit, amittit dimidium sui; mortuus, ac vivus simul est, & mors cum vita consentit, ut illam efficiat miseriorem. Licet etiam fatum eorum ita fœlix esset, ut illos eadem die simul efferret, minime tamen evitare possent miserias, quæ vitam concomitantur. Cum enim affectionibus conjuncti sint, majorem tribuisse locum fortunæ videntur, animamque ipsorum ideo migrasse in duo corpora, ut majori dolore illinc divelleretur. Verum quidem est dolores hujusmodi jucundos esse, atque juxta amoris dispensationem aliqua voluptate semper esse permixtos. Dulces sunt lacrymæ, ubi illas elicit amicitia, efficiuntque, ut duo amici in communi calamitate veram voluptatem inveniant. Ita eorum calamitas secum adfert medicinam; quandoquidem, & qui illam patitur, & qui illam prosequitur lacrymis, æque mutuam fidem agnoscunt. *Idem*.

Amicitia sexus diversi.

Arduum est regere virorum cum mulieribus amicitiam, limitesque ei circumscribere affectui, qui se verum esse minime putat, nisi sit maximus. Ita plerique Theologorum illam damnant, & licet ideo tantum sit criminosa quod periculosa usum illius jure interdicunt, ut periculum evitetur. Profecto virtus hæc numquam ita pura est, ut nullis sit nubeculis perturbata; facile e spiritu in corpus descendit, & quamvis citra periculum esse posset, non esset tamen citra scandalum. Sæculum nimis corruptum est, nec sincere de hujusmodi necessitudine judicium ferre potest; quæ si palam probarentur, esse posset quarumcumque libidinum integumentum; & quilibet amicitiæ speciem prætexens amatorie mulieres deperire libere posset. Novi quidem transactis sæculis sanctas non defuisse hujus generis amicitias; at calumniis patuisse hoc quoque novi. *Idem P. Senault*.

Affectiones, quæ inter diversi sexus personas inveniuntur, raro culpa vacant. Sermonibus ipsis, quibus earum mens detinetur, voluntas impugnatur, & amor sub suavitatis, atque urbanitatis nomine in cor sensim irrepit. Ægritudo efficitur, antequam cognoscatur; & virus ipsa etiam invasit præcordia, antequam te illud hausisse cognoscas. Periculum undique par est: consuetudinum libertas viros efficit insolentiores, earum vero jucunditas mulieres audentiores. Quam ob rem eam numquam probaverim amicitiam, quæ majus afferre detrimentum potest, quam utilitatem, & quæ propter inanem sensuum voluptatem in discrimen adducit salutem animarum. In ea religione vivimus, & ab eo Præceptore instituti sumus, qui Discipulis imperat, ut oculos sibi potius evellant, præscindantque manus, quam patiantur, ut manus, oculique sibi scandalum afferant: nos vero pravam quandam consuetudinem prætexentes contendimus, ut liceat nobis nimis teneras affectiones colere, quæ ut plurimum a pravis propensionibus initium ducunt, inutilibus sermonibus foventur, & in criminosas desinunt voluptates. Pudicitia quidem plurimis periculis patet, quin eidem recentes struamus insidias; vestimentorum luxus, conversationis licentia, & id, quod urbanitas appellatur, satis apertum inferunt continentiæ bellum, quin ad eam fallendam lenocinia, doli, & artes accedant. *Idem*.

De amicitiis spiritualibus.

Fateor equidem, nonnullos statu, ac professione adigi sua, ut sæpius alterius sexus personas videant; mulieres quæ pietatem colunt, confidere debere illis qui conscientiæ ipsarum regundæ provinciam subiere, & quos illæ sibimetipsis duces elegere; fateor etiam perfectam, quam quis testatur confidentiam, esse veræ amicitiæ argumentum omni prorsus suspicione vacuum, & ab omni censura remotum. Modus tamen servandus est; ea enim adhæsio, quæ eo usque procederet, ut apud homines male audiret, probari non posset. Ut intra sanctæ spiritualis amicitiæ terminos contineaaris, diffidendum est, atque utrobique cavendum ab affectionibus, quæ nimis sensibiles sunt, ab illis absentiæ tædiis, quæ nimis sollicitant animos, a suspicionibus, zelotypiis, inanibus servitutis oblationibus, officiis, assentatiunculis, inutilibus bonæ voluntatis protestationibus, querelis, objurgationibus, quod non satis amoris rependatur; importunis munusculis, quæ gratum animum torquent, eique sæpe auferunt libertatem; cæterisque omnibus, quæ in ipsis etiam sæcularibus viris tamquam nimis officiosa, & periculosa spectantur. *Desumptum partim ex Patre Hainensue prope calcem tom. 3. de Ordin.*

In-

Amicitia inter paucos esse debet.

Inter eas rationes, quæ efficiunt, ut qui de summo fortunæ apice lapsi sunt, paucissimos veros amicos inveniant, non in postremis hæc est habenda, quod scilicet nimis multos amicos habere voluerint; qui ubi plures adsint, perfecta esse non potest necessitudo. Profecto amici plurimi potius admiratores sunt, quam veri amici, & proprie loquendo communis amicitia nihil aliud est, quam honestum pro vitæ commoditate commercium. Ne credas majorem amicitiæ voluptatem in majori amicorum copia esse positam; licet jucunda sit, nostræ prosit existimationi, immo quibusdam etiam in occasionibus afferat utilitatem. Hæc enim voluptas potissimum in veri amici electione consistit, cum quo summam habeas necessitudinem, a quo petere, cui dare consilia possis, qui ita tuis afficiatur, ut tu ipsius rebus afficeris, cui cor tuum detegere, omnia secreta committere, immo, si quæ sunt, infirmitates etiam aperire possis; verbo, qui alter sit tu. Verum ubinam hujusmodi amicus inveniri potest? *Liber cui titulus: Les conversations. Conv. de amicitia.*

Amicitia bona.

Inter veros amicos æqualis utrimque esse debet confidentia, quæ jugis est secretorum permutatio, quæ efficit, ut ubi adsit occasio, illa subsidia, quibus indigemus, ultro citroque petantur, ut gaudiorum æque ac dolorum omnium amicos in partem vocemus; atque ut verbo me expediam: heroica duorum amicitia efficit, ut duo corda in unum tantummodo coalescant. Ut autem constans, perfectaque jungatur amicitia, oportet; duos illos qui sese mutuo diligunt, vicissim quodam sympathiæ vinculo detineri, mutuam fovere existimationem, immo etiam admirationem, & habere cor generosum, molle, ac facile, ut alienis afficiantur officiis, aliosque suis vicissim prosequantur. Ad hæc ad bene amandum, constantia requiritur; oportet enim audenter omnia subire pericula, ut illi, quem amas, gratificeris; oportet eidem in quovis calamitatis genere famulari; oportet eam gloriam persequi, quæ in mutuo, ac fideli amore invenitur, atque ut omnia verbo complectar, virtus, non ineptæ voluptates, non spes utilitatis amicitiæ hujus vinculum esse debent. *Idem*.

Amicitiæ nulli insunt Amoris defectus; & nisi illa virtus æque generosa est, ac amor Christianus, & Spiritualis, semper tamen est virtus, quam Christiana religio non improbat, quam immo tamquam ad amorem purissimum, atque maxime spiritualem veluti dispositionem quamdam considerat. Quinam verbo assequi eam posset jucunditatem, quam in amicitia experimur? etenim profecto citra hanc virtutem nulla in hac vita sperari potest vera felicitas. Hæc æquissima est voluptas, qua in terris perfrui valeamus, neque ullas uspiam vel magis innocuas, vel magis veras delicias invenies. Quam ob rem Sapiens eum Beatum appellat, cui verum amicum contigit reperire: *Beatus, qui invenit Amicum verum*..... Eccli. 25. Amicitia omnes habet amoris suavitates, quin ejusdem habeat infirmitates, & mala: cum enim existimationi, atque virtuti innitatur; inconstantia, libido, fastidium, zelotypia, diffidentia, incertitudo numquam veri amici tranquillitatem perturbant. *Abbas de Bressevillle in tract. de Ecclesiastica, & Forensi eloquentia l. 4.*

Amicitia eumdem cum vita finem habere non debet.

S. Ambrosius in funebri Oratione, quam quadragesimo post Theodosii Magni obitum die habuit; *dilexi*, inquit, *& prosequar eum usque ad regionem vivorum, donec fletu & precibus inducam virum, quo sua merita vocant*. Magnum hunc Principem & dilexi, & adhuc diligo, neque ulla unquam prætermittam meæ necessitudinis argumenta, pro virili par referre studens illi affectioni, qua dum viveret me prosequutus est, donec precibus, lacrymisque illi Cœlorum januam aperiam, quo a suis ille meritis evocatur. Imitamini, o fideles, insigne hoc Christianæ amicitiæ exemplum, & quandoquidem vos bonos, verosque amicos esse gloriamini, & huic homini, dum hac luce perfrueretur, toties vos tales estis professi, ne quid prætermittatis, quin in majori necessitate promissionum vestrarum veritatem, atque animæ vestræ sinceritatem cognoscat. Ubi egestas, & necessitas ingruit, tunc veri cognoscuntur amici: *miseremini mei saltem vos amici mei*. Hunc audite, non consanguineos, non hæredes vocantem; novit quippe consanguineos & hæredes non semper esse meliores amicos; sed amicus verus semper amicus est: *omni tempore diligit qui amicus est*, præsertim vero tempore miseriæ & necessitatis. *Auctor Neotericus*.

Ut cum aliquo amicitiæ fœdere jungaris, non satis est illius existimationem fovere, quæ licet usque ad admirationem prævenire, nisi erga illum te secreta quædam attrahit illecebra, ex oris habitu, morum elegantia, totoque vitæ caractere profecta, quam facilius experiri est, quam exprimere; illum quidem toto vitæ tuæ spatio admiraberis, quin illius unquam vere amicus sis. Mores, atque ingenium optimum alicujus adstruunt opinionem; temperamentum, & officia cient desiderium eidem inhærendi: verbo, amicitia sine existimatione esse non potest, esse tamen potest existimatio sine amicitia. Existimatio judicium mentis est meritis exploratis: amicitia, cordis est propensio erga ilum; quem & mens tamquam existimatione dignum exhibet, & cor tamquam amore dignum existimat. *Sacer lib. 1. tract. de amicitia*.

Amicitia constans non est, nisi virtuti innitatur.

Amicitia constans esse debet, atque inviolabilis: stabet enim principia, quæ mutari non possunt, quemadmodum nec virtus, a qua dependet. Quomodo vepo constantiam hanc in scelestorum hominum consortio inveniri posse putemus? Quid mutationi obnoxium magis, quam avaritia, quæ quidem consortii ejusdem fundamentum est? tempora, occasiones, circumstantiæ, animorum vel negotiorum dispositio nonnumquam repente mutantur: hinc fit ut ipsum, quem olim tanta dilectione prosequi videbantur, & quem vitæ etiam discrimine tutati aliquando sunt, postmodum ob leviusculæ utilitatis speciem relinquant. Fideles vel perfidi, sinceri vel subdoli, æque ad vituperandum atque laudandum, ad impugnandum ac propugnandum, ad impellendum in interitum ac ab interitu vindicandum parati, cor suum illuc agunt, ubi sua vocat avaritia, & omnia ex propria utilitate metiuntur. Quam ob rem hoc improborum hominum consortium non alio nomine vocari potest, quam conjuratio, infamis, atque funesta societas, quam abominari, ac perhorrescere debemus. *Idem*.

Abs re puto hoc in loco immorari eas recensendo qualitates, quæ sunt in amicorum electione requirendæ. Omnia dixit, qui animadvertit amicorum ingenia satis explorari non posse, antequam cum illis ineas amicitiam; eas vero tantum amicitia dignos esse, qui virtute sunt præditi. Cætera pendent a morum similitudine, ingenio, secreta quadam illecebra, cujus rationem afferre operosum est, & quadam facilitate ineundi necessitudinem. *Idem*.

Lætitia, qua in hac cordis effusione perfunduntur amici, fortasse præ reliquis potissima est. Hinc pars, quam amicus in calamitatibus nostris sibi vendicat, earum pondus nobis imminuit; hinc voluptates nostræ protenduntur latius, cum in animo illius, quem diligimus, iterum producuntur. *Idem*.

Amico auxilium ferendum non est in iis quæ probitati opponuntur.

Quotiescumque amici nostri necessitas nos evocaverit, non currendum, volandum est: verumtamen si deprehenderis ipsum te iis in rebus abuti, quæ per honestatem, ac probitatem tibimetisi minime licerent; tunc audenter ab illo recedendum est. Satis est amicum tamquam seipsum diligere: ne tibi credas, cum illum a te plusquam te diligi, juras: hoc in natura malum est; & prudentia non patitur, ut huic malo fides

des ulla habeatur. Si nosti ex. gr. litem ab eodem susceptam iniquam esse, idque ira aperte scias, ut nullus dubitandi locus supersit; hic blande admonendus est, atque vi etiam, si fieri potest, revocandus, nihilque prætermittendum, ut in justitiæ viam reducatur: quod si inanes fuerint conatus nostri, non aliud superest, quam querela. Non enim ulterius eidem morem gerere possumus, quin participes simus ejus sceleris, quod ipsi improbamus. *Idem Sacy*.

Amicus in adversis non deserendus.

Amicitia numquam illos probaverit, qui ab amicis, dum adversa perflat fortuna, recedunt. Ipsa enim numquam lucidius nitet, numquam viridior est, quam cum adversis jactaris, non enim turpis politicæ jugo cervicem flectere potest. Cum sapiens sit, non eo usque irito labore procedet, ut tecum intereat principibus ipsis insultans: verum cum sit intrepida, si fuerit opus, te ipsum tuebitur, amicus verus potius discrimen adibit, ut tecum in præceps ruat, quam minime conetur, ut ferat opem: atque constantia, & fide sua eam merebitur approbationem, & existimationem, quam ambitiosus ignava complacentia conatur surripere. *Idem*.

Amicum deserere, ubi per infirmitatem nutat, vel labitur, hoc sane est, præcipuum amicitiæ officium contemnere. Amicorum opera nullibi magis requiritur, quam ut in ardua virtutis semita mutuis fulciantur auxiliis, & ubi alter ceciderit, alterius ope consurgat. Hoc potissimum est munus amicitiæ. Hominis est labi, lapso manum tendere, amici est; inhumanum denique eum, qui lapsus fuerit, pedibus conculcare. *Idem*.

Propinquitas amicitiæ causa.

Veritas est facile rerum experientia probanda, propinquitatem non solum esse fontem amicitiæ, verum etiam affectiones ipsas immutari pro gradu propinquitatis, qui interest cum illis, quos affectione prosequimur. Hominum qualitas, quæ nobis omnibus insita est, generalem hanc benevolentiam constituit, quam dicimus humanitatem. Si duo tantum in hoc essent terrarum orbe; hi profecto mutua dilectione seipsos complecterentur: sed cum hæc generalis propinquitas cum infinito variarum relationum numero, quæ inter homines intercedunt, commisceatur; accidit, ut illa naturalis affectio ex eadem genita evanescat in eo affectuum tumultu, quos in corde nostro tanta parit copia objectorum. In proximo nostro hominis qualitatem minime intuemur, ubi conspicimus in illo hominem invidum, ita nostræ felicitatis inimicum, ut nos suæ. Propinquitas, quæ ex ipsa nationis conditione proficiscitur, eam ut plurimum hominibus infundit benevolentiam, qua qui in patria tellure versantur non satis afficiuntur; ea quippe illorum numero infirmatur cum quibus communis est; verum tunc magis percipitur, cum duo, vel tres idem natale solum sortiti in aliena terra hospites inveniuntur. Tunc nostrum metipsorum amor, qui subsidio eget, atque solatio, quod quidem in eorum persona nanciscitur, quibus idem est negotium, eadem propinquitas; semper propinquitatem hanc diligentius attendit, nisi fortiori quapiam ratione prohibeatur. Hoc de illis dici potest, qui ex eadem familia sunt & eadem consanguinitate, necnon potiori jure hoc accidit in Christianis amicitiis, quæ inter illos intercedunt, qui eamdem religionem profitentur. *Auctor cui tit. Ars semetipsum cognoscendi.*

Si amicitiæ vis inest animas, quas natura diviserat, iterum conjungendi, hinc profecto sequitur, quod nihil amici pati possint, quin nos ipsi patiamur. Revera eorum calamitates nos torquent, dolores sollicitant, lacrymæ affligunt, vulnera feriunt; cumque una tantum anima in multis corporibus inveniatur, in omnibus necessario eum experitur dolorem, quem in uno tantummodo recipit. *Fromentieres in S. Joannis Panegyrico*.

De falsi amicis. Amicitia cum bonis tantum ineunda.

At enim inquies arcto amicitiæ nodo cum hoc sum conjunctus: ipse est fidelis meorum cogitationum sequester, huic uni committo quidquid mihi grave est, & quæcumque res me tangat, in hujus consuetudine solatium, atque perfugium invenio. Heu quam male amicos nosti: ignoras ne præcipuas veræ amicitiæ leges, quæ semper in eo, cum quo fœdus jungitur, probitatem, integritatem, fidemque supponit? Hinc sapientes inferunt numquam solidam amicitiam cum flagitioso esse jungendam: si enim Dei sui, ac propriæ conscientiæ proditor est, nulla suadet ratio, ut illum tibi speres fideliorem futurum. At homo hic elegantis est ingenii, & officiosi; ejus consuetudo ita jucunda, & ut summa voluptate perfundat; nescio quod sympathiæ vinculum me tenet, & ex omnium mortalium numero, quos novi, neminem adhuc reperi, qui mihi magis arrideat. Verum non consideras inani hac illecebra te falli, & illac dæmonem te in sua retia pertrahere? *De la Volpilliere, serm. de Bono exemplo*.

Propensio, quæ in aliis est cæca effusio naturæ, & quidam secrete impetus simpathiæ nullum ducem sequutæ, in hoc Principe prudentiæ erat deliberatio: qui ab eodem diligebatur, antea virtutibus ornatus quam amabilis supponendus erat, atque credendum, ante rationem ac mentem exploratam fuisse, quam animum. Quin enim ob infirmitatem aliquam judicium naturali studio submitteret, ipsum naturale studium ad judicii sui lumen prudentia, atque constantia regebat. Igitur illis quos tantæ mentis Princeps amicitiæ suæ honore dignabatur gloriæ cedebat, quod amarentur; hæc enim amicitia perspicuum erat virtutis eorumdem argumentum, quemadmodum illius mentem perspicacissimam esse probabat. *Auctor Anonymus*.

Non semper illi magis perniciosi inter amicos habendi sunt, qui sunt nequiores, ac student apertius in scelus impellere. Sæculum nunc temporis callidius est, atque ubi de vitiis agitur, servatur modus; urbanitas (absit verbo invidia) in vitiis etiam ipsis retinetur. Qui alicui alterius sexus impudicum aliquod facinus repente proponeret; tamquam impudens, atque imprudens statim repelleretur: sed ubi primum amicitia captatur, atque officiorum assiduitate virus fovetur, cum peccata honestorum vocabulorum involucro teguntur, & affectionis, atque inviolabilis amicitiæ nomen prætexitur; tunc homines hujusmodi eo sunt nocentiores, quominus ab iisdem cavetur, & quo magis nequitiam, & prava consilia dissimulare conantur. Hæc præsertim amicitia timenda est, inde præ ceteris innocentiæ majus periculum imminet. *Pater Bourdaloue in Sermon. qui ejus nomine circumferuntur*. *Quorum amicitia sit magis periculosa.*

Hic vere perfectus erat amicus, vos qui eumdem estis experti, vos mihi testes adeste; numquid aliquem uspiam nacti estis, qui diligentius fidem, & sacra amicitiæ jura servaret? vos, quibus ea felicitas contigit, ut summus ille vir dilectione sua dignaretur, ejusdem memoriam revocate, & dicite num aliquando vobis defuit? Num negotia vestra in nullo habuit discrimine? num fuit vestris malis affectus? excidit ne unquam illi secretum, quod eidem crediderat? ullam ne ex illis infirmitatibus invenistis, quibus Principum virorum patet amicitia, vel quæ potius efficiunt, ut summi viri jura amicitiæ non norint? Numquid ejus diffidentia, atque tepiditas vobis sollicitudinem attulit? numquid ingenii ejusdem inæqualem mobilitatem estis experti? num turpem aliquam servitutem poposcit, cum vobis sua obtulit beneficia? numquid ea tumide jactavit? . . . . . Nemo unquam tot habuit delectos amicos, adeo ab omni quæstus suspicione vacuos, qui illum propter ipsum inquirerent, atque diligerent; tot amicos ex omni statu, & conditione delectos, &c. *Idem in funebri Oratione Ludovici Condæi Principis*. *Idea, & character veri amici.*

Improbi flagitiorum societate coalescunt, cum enim æque sint criminosi, nihil habent, quod al- *Improborum amicitia, & societas.*

ter

ter alteri objiciat: ideoque in sceleribus suis mutuis sese confirmant auxiliis, atque approbationibus. Homo in vitiis, cum se solum invenit, nutat semper, & fluctuat; alieno indiget auxilio, atque auctoritate, ut convalescat, atque confirmetur: opus est ut ab aliis sua probari flagitia cognoscat, quod unum desiderat. Affectus enim non quærunt solum suis perfrui voluptatibus, sed sine pudore, sine stimulis, sine redargutione tuto frui volunt: & hoc ipsi quærunt in eorum hominum consortio, quos iisdem criminibus obnoxios esse cognoscunt. Qui inhoneste vivunt, suæ impudicitiæ socios inquirunt, ut suffocent propriæ conscientiæ ipsos corripientis objurgationes, & facilius aliqua in re aliena se conscientia tueantur. *Dans les Essais de morale tom.* 5.

Quid non profecere verba illa, quæ de nobili quodam viro narrat Augustinus, qui Sancti Antonii vitam legens ad frugem conversus est? *Amicus Dei si esse voluero, ecce nunc fio*. Hæc verba omnem obtinuerunt effectum, quem reciprocæ amicitiæ vis eisdem præbere poterat: centies fortasse eadem consideratio menti subierat; verum illa ex amici labiis emanantia audire verba, exemplo probata videre, ac mutua affectione animata, profecto tantam vim obtinet ut vix, ac ne vix quidem eidem possis obsistere. *P. Cheminais*.

Amicitia ab humanis utilitatibus inita. Ubi Amicitia humanis tantummodo ducitur utilitatibus, neque ardens esse potest, nec jugis; ad minimum contemptum, suspicionem, lucri spem, evanescit, quoniam eas radices non jecit, quæ veras tuentur amicitias, easque efficiunt stabiles, & inconcussas. Nihil humanum, atque terrestre ea potest vincula infringere, quæ omnino sunt spiritualia. Christiana amicitia, quæ virtuti innititur, solida est, constans, invicta, neque suspicionibus, calumniis, periculis, immo neque ipsa morte concutienda. Qui amat eo, quod amatur, amare cessat, statim ac se levi putat affectum injuria ab amico; at in sancta amicitia hoc numquam accidit. *Auctor recens & Anonymus*.

Amicitia in adversis tamquam necessarium bonum est existimanda, nam juxta communem hominum sententiam infelices essemus, nisi amicorum consolatio suppeteret, quæ ex omnibus consolationibus æquissima, honestissima, & jucundissima habetur. Addere etiam possumus, eamdem in prosperis etiam æque necessariam ducendam esse: dives enim felix esse non posset, nisi amicum haberet affluentiæ participem: sapienti viro, atque erudito tot eximiæ lucubrationes nullam oblectationem afferrent, si deesset amicus, cui sua communicaret inventa, & a quo eadem augerentur: qui in honore versatur, sui voti compos non est, nisi secum habeat amicum suæ lætitiæ consortem; neque tantum providentiæ debemus, quod sua nobis beneficia elargitur, quantum eidem debeamus amicum præbenti, cui eadem communicare possimus. *Liber qui inscribitur: la conduite du Sage*.

Veri, falsique amici discrimen. Sapiens ait, amantem omni tempore amare, & fratrem in adversis cognosci, videlicet eum, qui vere in prosperis amicus est, esse tamquam fratrem in adversis. Ut plurimum amicitiæ humilibus, infimisque negotiis innituntur, & propter vitæ hujus necessitates foventur: illud amamus, cujus amicitia nobis adfert honorem, voluptatem, vel utilitatem; ideo si quid adversi amico cædat, si prævideamus illum nobis onerosum futurum, qui antea utilis erat; non hoc dico; illud a nobis cor repeti quod eidem numquam tradideramus, sed ab eodem propter easdem causas recedimus, propter quas eidem accesseramus. E contra vero Sanctus Chrysostomus *Homil. sexagesimaprima in Matth.* inquit, quidquid humanas amicitias evertit, Christianas confirmat, atque corroborat. Profecto quo magis amicus jactatur adversis, eo magis amicitia nos cum illo conjungere debet, quoniam magis indiget nostri; virtus ejusdem tribulationis igne probata, nobis majorem de eodem adstruere debet existimationem, & hæc prædestinationis indicia, quæ in eodem deprehendimus, efficere debent, ut in ipsa etiam calamitate, cum veneremur. Reliqui illum vituperent, ac turpiter derelinquant; nos vero palam commendabimus eum, qui a Deo habetur in pretio, atque ostendemus charitatem, sine qua vera amicitia esse non potest, numquam evanescere, atque re nulla flammas ejusdem extingui: *charitas numquam excidit*. 1. ad Corinth. decimoquinto. Itaque seu pro illo perorandum sit, seu quæ contra eumdem afferuntur refellenda, seu consolatione, seu ope indigeat, seu mala ejusdem dividenda sint, aut nostra fortuna cum illo communicanda, æque semper firmam, generosam, invictamque amicitiam ostendimus. Quod virtus conjunxit, nonnisi crimine sejungendum est: quod solido innititur merito, temporalium bonorum jactura concuti nequit. Tales nos præbebimus, ubi amici adversa fortuna jactentur, si nostra Christiana fuerit amicitia. *Abbas de Monmorel serm. in* 2. *Evangelium Adventus*.

Cum Dei filius Apostolis dixit, eosdem gavisuros fuisse, quod ad Patrem rediret, si ab ipsis vere diligeretur; non innuit se ab iisdem nequaquam dilectum fuisse, verum significat solum amorem eorum nimis fuisse naturalem, qui si defæcatior, & magis spiritualis fuisset, ejus discessus non dolorem, sed lætitiam ipsis fuisset allaturus. Cum aliquem vere diligimus propter ipsum, & propter ejusdem utilitatem diligendus est, alioquin nosmet in amicis amamus neque amicos propter ipsos diligimus. Hic est communis humanæ amicitiæ defectus, quo Apostoli ipsi laborabant Dei Filium amantes: amabant quippe propter eam qua efficiebantur, voluptatem ex ejusdem consortio, propter consuetudinis ejusdem suavitatem, propter lenitatem, qua ipsorum ferebat infirmitates, & propter bona quæ singulis momentis percipiebant; ideoque mœrorem prohibere non potuerunt, illum quam primum audientes abiturum. Quamvis enim dixisset, nisi ipse in Cœlum ascenderet, super illos Spiritum Sanctum non descensurum, maluissent Spiritum Sanctum non recipere, quam Salvatoris aspectu carere. *Idem tomo tertio in homil. Dominic. Pentecost.*

Si fidelium amicitias ad examen revocare velimus; patebit profecto omnes fere ex vili quadam utilitate profectas, & propter vitæ hujus necessitatem dumtaxat foveri. Id si nosse cupis, perpendas licet varias causas, quæ dissentiones gignunt, & quæ in hominibus pariunt inimicitias. Cum enim amicitia humanis tantum, fluxisque rebus innitatur, ardens & jugis esse non potest: ad quamlibet contemptus, zelotypiæ, utilitatis auram evanescit: non enim animæ adhæret Cœlesti illa radice, quæ una nostras fovet amicitias, easque firmas, atque stabiles efficit. Quæ inter homines in JESU CHRISTO conjunctos intercedit amicitia, solida est, constans, invicta, nullis suspicionibus, calumniis, periculis, immo neque ipsa morte infringenda. Qui amat eo, quod amatur, ubi aliqua ab amico afficiatur molestia, non amplius amat. *S. Chrysostomus adhortatione in* 22. *S. Matthei cap.* Pauci sunt veri amici Christiani.

Vera amicitia rara est, sed licet hodie exterris projecta videatur, occurrunt in dies tamen ejusdem exempla. Corruptio non adeo universum terrarum Orbem infecit, ut nemo incolumis evaserit: bona fides, integritas, non sunt mera atque inania nomina, immo res sunt, quæ quotidie ob oculos accidunt. Has habere qualitates, & alterum, cui insint, cognoscere, satis est ut jungatur amicitia. In eo tamen tota res vertitur, ut virtus hæc ad amicitiæ christianæ dignitatem attollatur. *Abbas de Monmorel in peculiari tract. de amicitia*.

Talis est amoris natura, ut sine ulla cognitione, & sæpe fortuito nascatur, atque donec viget, sit instar Amoris, & amicitiæ discrimen.

instar ignis comburentis quidem, sed sine lumine. Hoc de amicitia dicendum non est: ex meritis, & ratione ortum trahit, existimatione alitur, & confidentia: ignis est, sed menti lucem affert, animum vero fovere potest, non urere. Cæterum hæc virtus ideo tantum rara est, quia nobilis. Profecto amicitia essentialiter requirit probitatem, prudentiam, generositatem, vel ut paucis omnia complectar, ut perfectus habearis amicus, opus est te perfecte esse honestum. Ita ratio eadem, propter quam pauci sunt in terris amici, efficit, ut propter amorem proprium quilibet se amicum esse glorietur: cum enim aliis persuadere vult se bonum amicum; innuere vult, se ideo sincerum esse, fidelem, generosum. *Idem*.

Amicitiæ bona.

Quas autem nobis utilitates parit amicitia? asserere possumus hanc in utraque fortuna vitæ oblectamentum esse, & suavitatem, bonorum quidem omnium condimentum, malorum vero medicinam. Quæ enim prosperitas placeret si sine teste gauderes? vel quam tristis esset ærumna, nisi ex condolente amico aliqua suavitate afficereris? triplex dumtaxat bonorum est genus, honestum, utile, atque jucundum: honestum honestatem parit, utile utilitatem, jucundum voluptatem: una amicitia hæc omnia simul bona largitur. *Idem in peculiar. tractat de amic.*

Utilitas, ac voluptas quæ ex amicitia percipiuntur.

Quid utilius duorum amicorum necessitudine, qui ut ita dicam mente ad mentem vel potius animo loquuntur ad animum? in hujusmodi liberis sincerisque colloquiis mutua fit cogitationum, cognitionumque permutatio, ubi lumina a singulis acquisita sine communicantis detrimento vicissim communicantur, & ubi alteruter sine alterius jactura ditescit; sed eam, quam amicitia parit, voluptatem melius experiri licet, quam exprimere. Amici cordis latebras omnes scrutari, illi cor suum tanta confidentia, quanta sinceritate detegere, illum prævertere beneficia conferendo, ab eodem recipiendo præverti, eadem affici lætitia, vel ipse de te, vel de eodem tu merearis optime; experiri doloris nostri imminutionem, ubi ille partem sibi vendicat; & lætitiæ, incrementum, cum & ipse lætatur; eidem, ubi indiguerit, celeriter opem adferre, atque illius gignere felicitatem, cum in maxima prosperitatis jucunditate nihil jucundius sit, quam amicum ejusdem facere participem, fingi ne potest gratior, majorque voluptas? *Idem*.

Certum est amicitiam inter duos tantum esse posse; difficile inter tres. Cor non ideo factum est, ut dividatur: dimidiatum dare, idem est ac nihil prorsus dare; dare pluribus, idem est ac dare nemini; plurimum deperit de confidentiæ voluptate, si dividatur; alioquin vero secretum longe minus tutum est, ubi multorum manibus teritur. Non ideo tamen dixerim, benevolentiam nonnisi inter duos esse posse, & cæteros homines nullo in discrimine habendos. Cor pro uno tantum esse potest; licet plures digni esse possint nostra existimatione, & amore, atque mereri, ut iisdem nostra præbeamus officia. Amicitia zelotypia non laborat: corda, animosque dilatat, non coarctat: permittit ut sis bonum universale, dummodo apud te Principem, distinctumque locum amicus obtineat, & omnibus anteferatur.

Dolor ob amici jacturam.

Nulla jactura cum fidelis amici jactura conferenda est. Natura universa faciem immutasse videtur; dies magis sereni nobis nubili sunt; cogitationes tristes, somnia funesta, quidquid circum nos est, displicet, vel alienum videtur. Indesinenter eo, quod amisimus, occupati, reliqua omnia nullo in discrimine nobis esse videntur. Nequicquam conaris lenire dolorem, curas ipsas, quas sedula suscipit benevolentia, fastidimus; quocumque trahimur, nos sequitur dolor, quæcumque menti nostræ cogitationes ingeruntur, eo semper revertimur, ut amici jacturam defleamus. Si mens ipsa evanescit, amicum quasi adhuc viventem inquirimus; suavis consuetudo eo nos rapit, ubi sæpius cum amico versabamur, sed illuc vix pedem intulimus, cum omnia nos mœrore conficiunt. Solitudo nobis est jucundissima societas, & si præterea aliquem patimur, ille est, qui dolori nostro non adversatur, sed illum alit, fovet, & nobiscum partitur. Illi quibus cor æneum non est, & qui hujusmodi jacturas sunt passi, quid dicam, intelligunt. *Sacy tract. de Amic.*

Ideo nulli ferme in terris inveniuntur amplius amici, quod omnes propriæ student utilitati; nulla habetur aliorum ratio, nisi quatenus prosunt. Integritas tamen est veluti anima amicitiæ; sed pauci inveniuntur amici ab omni utilitatis cogitatione vacui: qui largitur, beneficium amplificat, qui recipit, illud imminuit: leviuscula molestia appenditur in statera, ut cum maximi momenti gratia exæquetur: qui ex animo ea non pollicentur officia, quæ ex ipsis petuntur, næ illi quidem melius facerent, si omnino negarent: dolor, qui in eorum faciem sese prodit, negotium illis facessit, quibus gratificari arbitrantur. *L'Abbé Girard de Ville Thierry tract. de Adulatione.*

Amici sese mutuo admonere, & corrigere debent.

Non postremum inter præcipua amicorum officia illud est, ut ultro citroque se corripiant, atque admoneant, & monita, atque redargutiones æqui bonique faciant. Apage cœcos amicos, qui indiscriminatim quæcumque amicus fecerit, probant; amicos adulatores, qui amicorum defectus excusant, & approbant, metuentes ne si corripiant, molestiam adferant. Apage hos molles amicos qui salutaria amicorum monita recipere nequeunt, quin doleant. Hujusmodi cæcæ, atque adulatrices necessitudines mundanæ amicitiæ characterem constituunt: at viri boni prorsus aliter consueverunt. Cum enim se mutuo diligentes suum tantummodo in virtute profectum inquirant, nihil illis gratius accidere potest, quam si defectus sui ob oculos objiciantur ut corrigi possint; atque sciunt non meliorem amico operam præstari posse, quam si ubi erraverint, admoneantur. Corripe, Salomon inquit, amicum tuum, ne si temere peccaverit, se innocuum putet, atque iterum labatur in scelus, ibique perseveret, ubi illud cognoverit, quod correptus non fuerit. Addit etiam Div. Ambrosius non esse a correptione cessandum, licet amici correptionibus non moneantur; immo quamvis injuria ab amicis redargueremur, quin succenseamus, eorum zelum commendare debemus, eisque gratias habere; nisi enim illi nos vehementer amarent, operibus nostris minime invigilarent, & nos minime redarguerent. *Auctor Neotericus, & Anonymus.*

Principes amicitiam nesciunt.

Principes ut plurimum amicitiæ voluptatem non norunt. Sublimis illorum dignitas vel aliis aditum obstruit, vel alios exhibet contemptibiles. Reverentiam, quæ honori debetur, cum amicitia, quæ debetur personæ, confundunt. Se coli magis cupiunt, quam amari; vel si aliorum amorem conciliare sciunt, ipsi tamen numquam amant. *P. Massillon in Panegyrico Principis de Conty.*

Amicum alterum tenetur corripere.

Ut in amicitia generosam illam tueamur libertatem, quam Sanctus Augustinus se plurimi facere testabatur: *ubi est libertas Amicitiæ?* cum amicum aberrantem cernimus, illum statim in viam revocare tenemur. Si deliquerit, quin delictum agnoscat, leviter admonendus est, eique ob oculos malum objiciendum: neque illi unquam indulgere nos decet, cum quod cupit, adversatur Deo, & quod agit, agenti afferre potest interitum. Veri amici est tunc amico resistere; proditor esset, qui eum sequeretur. Quamvis primum quidem graviusculæ esse possint objurgationes illi, quem corripimus; hic tamen, ait Sanctus Augustinus, gratias nobis habebit postmodum, atque fatebitur, nisi eidem obstitissemus, nos interitus sui cau-

causam futuros fuisse, & una cum ipso fuisse interituros. Qui aliam agendi rationem sequuntur, & qui sua metiuntur verba, prout placent, vel displicent illis, quorum aucupantur gratiam, quod insignis est illorum auctoritas, & non inutilis amicitia; illi vere sunt, qui scandalum afferunt, & animas in præceps impellunt: quoniam illos in omnibus excusant, & ipsam etiam approbant iniquitatem, ut iniquis adulentur. Hi quidem sapientes videri possunt humana sapientia, & ab illis laudari, quorum Dux passio est, & finis utilitas; sed illos abominabuntur quicumque veritatem diligunt, immo aliquando illi ipsi, quos turpi indulgentia interire passi sunt, eos detestabuntur. *Liber cui titulus: Instructions Chrétiennes in Evangelium secunda Dominica Adventus.*

AMOR DEI.

MONITUM.



OC argumentum ex illis est, in quibus rerum copia atque varietas obruere potius, & confundere possunt Concionatorem, quam eidem materiam ad sermonem replendum suppeditare. Cum magnum sit, nihil non exquisitissimum afferendum est. Difficile tamen esset aliquid novi in hoc argumento invenire post ea, quæ Sancti Patres, Ascetici, & Concionatores ipsi attulere: ea enim omnia edita sunt, quæ vel mens excogitare, vel animus potuit experiri. Ut igitur aliquem huic rei ordinem afferamus, illud primum supponendum est, hoc in loco sermonem institui solum de amore, quo nos Deum prosequi debemus, non autem de eo, quo Deus homines prosequutus est; hæc enim duo sunt varia argumenta, licet alterum priori subnecti possit, tamquam ex potissimis rationibus una, quæ ad Dei amorem excitandum maxime valet: & hoc pacto rerum illarum, quæ aliorum collectiones adaugent, satis magnam partem abscindimus. Secundo supponendum est nos hoc in loco de charitate erga Deum dumtaxat verba facere, quin loquamur de illa, quæ proximo debetur, seorsim pertractanda, licet hæ duæ virtutes sejungi minime possint. Supponendum est tertio, ea omnia quæ locum invenire possunt in sermone de amore Dei, ad aliquod ex subsequentibus capitibus esse referenda; ad Divinæ hujus charitatis præstantiam, præceptum Dei; modum, quo est adimplendum; rationes, quæ amorem excitare, atque inflammare possunt; insignes effectus, quos gignit in nobis; quomodo sacer hic ignis foveri, atque ali debeat; ac tandem ad actum, & actualem virtutis hujus exercitationem, vel habitum, qui vulgo cum sanctificante gratia confunditur. Ad hæc omnia capita referuntur illa, quæcumque in hoc argumentum congessimus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum in hoc argumentum Synopsis.

I. 

Oncionis partitionem indigitare possunt hæc Divi Bernardi verba: *Duplicem ob causam diligendus est Deus; quia nihil justius, & quia nihil diligi fructuosius potest, suo scilicet merito, & nostro commodo.*

Punctum primum. Nihil justius. 1. quia actus est justitiæ ea amare, quæ amari merentur, & quæ bona, atque perfecta sunt. Hic uberrimus quidem patet campus de perfectionibus Dei disserendi, quæ sunt dignissimum nostræ affectionis objectum: unde inferendum est maximam, nequissimamque injustitiam patrare, qui Deum amare detrectat. 2. Quia Deus jus habet in omnes nostri cordis affectus, quatenus Creator, qui nobis & esse, & vivere dedit, qui nos tuetur, & sine quo ne uno quidem momento subsistere possumus: ubi recensenda sunt præcipua beneficia, quibus divina largitas nos cumulavit, & quorum singula omnem amorem nostrum promerentur. 3. Quia ipse prior dilexit nos, neque enim æquius aliquid esse potest, quam diligentes diligere. Hæc etiam optima est ad amorem conciliandum via alios sua dilectione prævertere. At quantus fuit Dei erga homines amor, erga nos vero præsertim &c.

Punctum alterum. Perpendendi sunt fructus, quos ex nostra erga Deum charitate recipimus. Licet in amore utilitas spectanda non sit; hæc tamen facit ut ad amandum magis magisque excitemur. Prima igitur, quæ inde in nos emanet utilitas, hæc est; quod charitas nostrum meritum, nostramque magnitudinem coram Deo constituit; hæc est mensura existimationis, quam de nobis fovet, & dilectionis, qua nos complectitur: ad hæc fons est omnis nostræ felicitatis in terris, atque in Cœlo: & propterea hanc Sanctus Bernardus animæ quantitatem appellat, quæ fit major aut minor pro ejusdem charitatis mensura... Hac in re perfectio, & sanctitas nostra consistit, itaut quæcumque aliunde merita habere possumus, nihil sint, si charitas absit. 3. Nostræ charitatis mensura in terris, in Cœlis erit gloriæ nostræ mensura. Omnium harum veritatum argumenta haud operosum est invenire, atque amplificare; moralis autem, quæ hinc est haurienda, affectu refertissima esse debet. Hæc tandem erit conclusio, Dei amorem primum esse debere atque potissimum hujus vitæ negotium, ut beatam hanc exercitationem in omnem producere liceat Æternitatem.

Altera sermonis partitio esse potest. 1. Rationes magis validæ, quæ nos ad Deum diligendum impellunt. 2. Modus, quo diligendus est; quæ justæ Concionis utramque partem conficere possunt. II.

Pars prima. Rationes, quibus Deum tenemur diligere in tribus illis Evangelii verbis continentur: *Diliges Dominum Deum tuum.* Bonum, quod est amoris objectum, triplici ratione considerari potest, unde triplex amoris species existit: si enim in seipso spectetur, perfectio vocatur, atque a nobis exigit amorem Justitiæ, quem iis omnibus debemus, quæ in se bona sunt, atque perfecta. Si hoc bonum effulgeat, atque extrinsecus sese prodat, ita ut placeat, alliciat, tunc Pulchritudo vocatur, quæ non aliud est, quam bonum, quod placet, allicit, & vim quodammodo affert, ut diligatur. Si demum bonum hoc sese communicet, atque effundat extrinsecus, Liberalitas appellatur, quæ ex benefaciendi studio proficiscitur, atque gratitudinis amorem exposcit. Cum autem

autem Deus non solum bonus sit, sed unice bonus, quemadmodum inquit Evangelium; neque tantummodo bonum, sed etiam omne bonum, quemadmodum ipse Moysi testatus est; est etiam triplicis hujus amoris objectum, Justitiæ, Affectionis, & Gratitudinis. Esse ejusdem perfectissimum nostram dilectionem meretur; hæc notio est, quam nobis effingimus de Deo, *diliges Deum*. Illius pulchritudo omnia hominum corda allicere potest, atque in illis per hanc suum imperium constituit, quemadmodum inquit Propheta: *Specie tua & pulchritudine tua &c.* quod per illa intelligere possumus verba: *diliges Dominum*. Denique infinita ejusdem beneficia omnes animi nostri gratos sensus exquirunt, quoniam per eadem totus est noster; *Deum tuum*. Quæ tria ubi fuerint diligenter enucleata, atque explicata, fieri nequit, quominus in nobis Dei amor excitetur.

Pars altera. Quomodo Deum amare nos deceat ab ipso Dei præcepto edocemur in illis Evangelii verbis; *diliges ex toto corde tuo, & tota anima tua, & omni mente tua*. Debemus illum ex toto corde diligere: hic explicandum est quomodo hæc verba intelligi oporteat; non secus ac quid sit ex tota mente diligere; & rationes afferre, quæ passim apud eos omnes occurrunt, qui istud argumentum pertractarunt; & demum quid sit illud ex tota anima, totisque viribus amare, quod cum illa cohæret S. Bernardi sententia, ubi ait veram nostri amoris erga Deum mensuram hanc esse, ut sine mensura diligamus.

III. Tertia hæc esse poterit Concionis partitio; amorem videlicet nostrum erga Deum illi conformandum esse, quo nos Deus ipse prosequitur, atque charitati nostræ, data paritate, easdem tribuendas esse dimensiones, quas tribuit S. Paulus Divinæ erga nos charitati, his verbis: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum*. 1. Deus tota cordis sui latitudine amavit; eo enim nos amore dilexit, quo seipsum amat; ideoque omnem cordis nostri latitudinem expetit: *Diliges ex toto corde tuo*, videlicet nullam patitur divisionem, exceptionem nullam: cor nostrum totum quantum est petit; itaut nihil ametur, nisi in ipso, & propter ipsum &c. 2. Amoris ejusdem longitudo omnem complectitur æternitatem: *in charitate perpetua dilexi te*: in omni æternitate, quæ præcessit, nos amavit, amabitque per omnem, quæ sequetur, æternitatem, & exigit, ut anima nostra, quæ est immortalis, quæ illum & cognoscere, & diligere potest, eumdem diligat semper; ut amor sit constans, atque æternus, namque nisi velis, nihil charitatem eripere potest: *Diliges ex tota anima tua*. 3. Sublimitas, atque profundum amoris divini illinc intelligitur; quod cum id ille sit, quod est, dignatus est in nos oculos suos convertere, nosque sine ullis meritis nostris amare: ideoque jubet; amorem nostrum supra creatas quascumque res attolli, ipsum ante cætera deligamus. Hoc autem intelligendum est per ea verba: *ex omni mente tua*: amore videlicet existimationis, & prælationis.

Deus est *principium, & finis*, atque propter duplicem hanc qualitatem ex toto corde, tota anima, mente, viribusque omnibus est diligendus.

IV. Pars 1. Deus primum principium est, propter quod sumus, ideoque ad ipsum pertinemus. Ipse jus habet in omnes nostri cordis affectiones, quod neque potest Deo reddere, quidquid debet eidem. Hoc natura ipsa nos docet; hoc leges omnes divinæ simul, ac humanæ præscribunt, & quemadmodum in ordine charitatis illi sunt anteferendi, quibus vita ipsa accepta referenda est; liquido patet Deo potissimam cordis nostri sedem esse devovendam &c.

Pars altera. Noster finis est: in illum Amore quidem necessario ferri, verumtamen libero tantum amore ad eumdem pervenire debemus. Numquam felices erimus, nisi Deum diligentes. In eo autem latius proferri debet Oratio, quod Deus propter se cor nostrum effinxit, & Deus cordis ejusdem est finis, & cor ipsum semper inquietum est, donec in uno Deo requiescat.

Sanctus Chrysostomus in Psalm. quadragesimoprimo tria esse ait, quæ hominum amorem conciliare consueverunt, scilicet perfectiones, quæ alicui insunt, beneficia, quæ nobis contulit, & amorem, quo nos prosequitur. Hæc autem tria in gradu præstantissimo inveniri in Deo, ostendendum est. 1. Quam vim Divinæ ipsius perfectiones habere debeant ad charitatem nostram inflammandam: 2. quot beneficiis quibusdam veluti vinculis nos sibi conjunxerit. 3. Quo nos amore præverterit, ut nostrum mereretur amorem.

Ostendi potest quomodo Divinum charitatis præceptum servandum sit. V.

1. Illum amare debemus amore plenitudinis omnem ipsius legem servantes: *plenitudo legis dilectio*. Qui enim in una tantum re deliquerit, charitatem evertit; hic amplificari poterunt illa Salvatoris verba, ubi se ab illis amari ait, a quibus sua præcepta servantur.

2. Amore unico diligendus est. Quinam autem hic amor est, qui uni illi debetur? Quemadmodum cultus illi unice debetur, unicus etiam esse amor debet adorationis, desiderii, jugisque perquisitionis, cui ens illud infinitum solummodo potest terminos afferre. Amor hic explicandus est; qui non est aliud quam hoc perenne desiderii, atque attentionis tributum erga postremum finem nostrum, in quem omnia consilia, actiones omnes intentæ esse debent.

3. Amandus est amore prælationis: itaut fides, quam illi debemus quascumque alias considerationes contemnat. *P. Bourdalove in iis sermonibus qui ejusdem nomine circumferuntur.*

Duplex ratio, propter quam non diligimus Deum, licet ad ejusdem amorem natura, & gratia impellamur. Prima est cæcitas nostra: non cognoscimus enim, quam amabilis Deus sit, neque Amoris, quem eidem debemus, naturam intelligimus. Lumen ergo cæcis afferendum est, atque ostendendum quo amore dignus sit Deus, & quomodo sit diligendus. Altera est nostri cordis duritia, & ingratitudo, quæ ipsi Deo hæc terrena anteponit. Adnitendum ergo, ut cordis hæc duritia molliatur cogitatione beneficiorum Dei, & amoris, quo nos ille primus dilexit. VI.

Primo injuria, qua lædimus Deum idem cor nostrum denegantes, quod tamen omni jure debetur eidem, cum noster Creator sit, Dominus, Redemptor, & ille, qui per sui ipsius possessionem futurus est summa nostra felicitas. Hæc omnia jura simul perfringimus. VII.

Secundo injuria, qua nosmetipsos afficiamus. Nos enim in nullam reditus spem in interitum præcipites damus, immo neque in hac etiam vita contenti esse possumus &c.

Præceptum amoris Dei duo præcipua complectitur officia, quæ Concionis partitionem præbere possunt: primum est Deum amandum præ cæteris rebus eo prælationis amore, ut quæcumque alia eidem posthabeantur: Alterum Deum unice amandum, hoc est; nihil aliud amandum cum ipso, nisi propter ipsius amorem ametur. *La Font.* VIII.

1. Quid sit amare Deum, uti decet, & in quo ea consistat charitas, quam Deus petit & jubet: *Diliges ex toto corde &c.* 2. Præcepti hujus æquitatem, atque justitiam expendere, rationes ejusdem afferendo. *P. Texier in Domin. Domin. 12. post Pentecost.* IX.

Cum omnis amor oriatur in nobis, vel ex cognitione meritorum, quæ insunt illi, quem diligimus, vel ex gratitudine ob ea beneficia, quæ accepimus; id amamus quod est amabile, & id amamus, a quo amamur. Quam ob rem ut ad Dei amorem excitemur, videbimus primum illum, a quo X.

a quo noster amor expetitur, esse infinite amabilem; deinde vero nos ab eodem infinite amari. *P. De la Colombiere*.

XII. De charitatis præcepto. Primo, Præceptum hoc Magnum est propter extensionem; etenim omnes homines obligat, ac nulla prætexi potest excusatio. Secundo, Magnum est propter diuturnitatem; cuncta enim amplectitur tempora. Tertio, Magnum est propter utilitatem, quam inde percipimus. *Desumpto ex Dictionario morali*.

XIII. Ut perfecta charitate diligamus, requiritur 1. Objectum, quod omnes in se perfectiones contineat; hoc autem nonnisi Deus esse potest. 2. Exemplar quod eam amoris perfectionem, quo contendendum est, nobis ostendat. Hoc autem exemplar ipse Deus est in ea dilectione, qua nos complectitur. 3. Sapiens Magister, qui nos doceat, & dirigat; hic autem est Filius Dei dicens: *Diliges ex toto corde &c. Auctor recentior, & Anonymus*.

XIV. 1. Nihil exæquat vim amoris Divini, uti videre est in Martyribus, iisque omnibus, qui eumdem vere dilexerunt. 2. Nihil exæquat eam suavitatem, qua Deum vere diligentes perfunduntur. *Sermo manusc. P. Stephani Chammillart*.

XV. Quid amor Dei in nobis efficere debeat. 1. Curam rerum omnium, bonorum, consanguineorum, amicorum &c. superare debet. 2. In omnia debet influere; namque sine charitate nihil sumus, cum charitate omnia habemus, & omnia uni Deo accepta referre debemus. 3. Regit omnia, & omnia ab amore Dei sunt regenda &c. *P. Nepveu tom. 4. considerat. Christ.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes atque Auctores, unde rerum copia suppetit ad conciones hujus argumenti elaborandas.

SS. Patres. INter Patres Sanctus Augustinus sæpius, atque passim in operibus suis hac de re sermonem instituit. In quarto operum ejusdem tomo librum integrum *de substantia dilectionis* invenies: & quamvis illius opus hoc esse minime censeatur; plurima tandem non spernenda complectitur. Ibi vero inter cætera videri potest amoris generatim sumpti divisio in amorem inordinatum, quem Auctor Cupiditatem appellat, & amorem, qui ordinem servat ab eodem Charitas nuncupatus. In libro de *Conflictu vitiorum & virtutum*, qui & ipse Sancti Augustini opus minime existimatur, sed in nono operum ejusdem tomo refertur, de duplicis amoris conflictu, amoris nempe Dei, & mundi tractatur. Idem serm. quinquagesimoquarto *de verbis Domini* tom. decimo loquitur de effectibus amoris Dei, & de amore mundi. Tomo 1. *in libro de moribus Ecclesiæ capit. decimoquinto* fusius explicat quomodo in una charitate virtutes omnes contineantur. Tomo 3. *in Enchiridio* fidem, atque spem inanes esse, omniaque precepta ad amoris Dei præceptum referri ostendit. Scripsit tractatum *de laudibus charitatis*, ubi ea omnia videntur, quæ in virtutis hujus encomium possunt excogitari. In libro *homiliarum quinquaginta homilia trigesimaseptima* agit de ordine, quem charitas habere debet; quomodo crescat, atque perficiatur. Tomo 4. *lib. de Catechizandis rudibus cap.* 4. ostendit quomodo a nobis amandus sit ille, qui prior nos dilexit. Tom. 9. libro, qui inscribitur *Manuale* Auctoris incerti cap. 24. religiosissimi sensus adsunt, atque aptissimi ad homines Dei amore inflammandos. Alibi etiam passim de Amore Dei sermo est: lib. 15. de *Trinit.* cap. 18. in Psalm. 34. 39. 53. 55. 66. In tract. 123. in S. Joannem cap. 4. lib. 10. *de Civitate Dei*, & lib. 4. cap. 28. In libro de *Agone Christiano*. In sermone 72. *de tempore*, & alibi passim.

S. Basilius homilia 16. in Psalm. 114. loquitur de vi charitatis, atque illa Apostoli amplificat verba: *quis nos separabit a Charitate Christi &c.* Idem libro *de regulis & libro de vera virginitate*.

Sanctus Gregorius *lib.* 25. *moral.* ostendit nos Amore Divino esse debere succensos. Idem *lib.* 28. illa explicans verba Job: *quis conclusit ostiis mare?*

S. Hieronymus *in Epist.* 22. *quæ est ad Eustochium* ostendit charitate labores, doloresque omnes leniri. Theodoretus eximiam habet de charitate Orationem.

S. Ambrosius *Orat. de fide resurrectionis*.

Origenes *homil.* 2. *expos.* 1. *in Cant.* docet, quinam ordo in Dei amore debeat inveniri. Idem *homil.* 3. *expos.* 2. Idem *in Epist. ad Rom.* ostendit jugum Domini per Dei Amorem levius fieri, atque suavius.

S. Chrysostomus *homil.* 52. *in Acta Apost.* latius probat gloriosum esse pati pro Amore JESU CHRISTI. Idem *homil. in Epist. ad Roman.* probat nihil obesse, vel adversari posse diligenti Deum.

S. Bernardus pulcherrimum edidit *de Deo diligendo* tractatum, ubi hoc argumentum fusius pertractat; sed inter cætera fusius persequitur multitudinem beneficiorum Dei ad amorem ipsius excitandum. Quam plura etiam habet ad hoc argumentum spectantia serm. 1. 10. 28. 43. 52. 74. 79. *in Cantica*.

Dionysius Chartusianus, *p.* 2. *Opusculorum lib.* 4. qui integer hujus est argumenti.

Si nosse cupis varios effectus, quos in animabus amor operatur, legenda sunt opera S. Dionysii Areopagitæ, quæ scilicet ejusdem nomine circumferuntur. Opera S. Theresiæ, aliique Auctores mystici, quibus hac in re peculiaris est lingua, nonnisi cum moderatione a Concionatoribus usurpanda.

Didacus Stella *libro integro de Amore Dei*. Ascetici.

Bernardinus Rossignolus, *de disciplina Religiosa lib.* 3. *cap.* 6.

Petrus Sanchez *lib. de Regno Dei*.

Jacobus Alvares *tom.* 2. *lib.* 3. *pag.* 2. *cap.* 5.

S. Franciscus Salesius ingens edidit volumen amictione refertissimum, ubi nihil prætermisit, quod ad hoc argumentum pertineat.

Ludovicus quoque Granatensis duos, eosque amplos tractatus edidit, ubi de charitatis præstantia, atque utilitate; de virtutibus & exercitationibus, quibus acquiritur; necnon de rationibus, quibus excitatur, late differit.

P. Saint Jure librum habet de cognitione, & amore Domini nostri, in cujus prima, alteraque parte de amoris hujus exercitatione, atque affectibus verba facit.

Boudon, *lib.* 3. *Christiani incogniti*.

P. Croiset tom. 2. recessum pro una die cujusque Mensis.

Plurima eaque fere infinita suppetit librorum supellex in hoc argumentum, quos referre singillatim immensi laboris esset.

Biroat in Adventu concionem habet de mundi insensibilitate damnata ab Incarnatione, quam vocat amoris mysterium, ubi ostendit quantopere Deum amare mortales teneantur. Concionatores.

Idem in Concione pro tertia Quadrag. Dominica loquitur de cordis nostri divisione propter amorem, quem debemus Deo, atque ostendit primum dividi non posse Imperium Dei, quin destruatur. 2. Injustam esse hanc divisionem, quoniam aufertur Deo, quod ad ipsum pertinet, & quod ipsi debetur.

Inter sermones Ludovici Granatensis 17. post Pentecost. Domin. sermo est de amoris Dei dignitate, atque præstantia, ubi ostenditur præceptum quo a Deo ipsum amare jubemur, maximum esse, atque primum legis præceptum; deinde vero docetur, quomodo ad hujus Divini amoris perfectionem aspirare teneamur.

Inter paucas, quæ supersunt Conciones, celeberrimi Concionatoris P. Coron, una est hujus argumenti ad hodiernam Concionandi rationem propius accedens.

Pulcherrima quoque, atque solidissima extat concio

cio inter eas, quibus P. Bourdalove nomen inscribitur; altera etiam inter morales sermones, cujus Synopsim superius attulimus.

P. de la Colombiere; Auctor serm. in omnia Christianæ moralis argumenta; Lambert. homil. in 12. post Pent. Domin. P. Douneau, P. Texier; de la Volpilliere, aliique sexcenti hujus argumenti sermones ediderunt; & nemo fere Conciones in vulgus protulit, quin aliquam in hoc ipsum argumentum fuerit elucubratus.

Collectores. Ingens etiam reperietur Auctorum numerus, qui Scripturæ, Patrumque locos de amore Dei collegerunt. Inter cæteros tamen, qui sequuntur, selectiores videntur. Granatensis in locis comm. Busæus in Viridario; Lohner; Auctor Alemannus. Præter SS. Patrum locos plurima etiam alia in hoc argumentum collecta sunt, ubi apte eligendi ratio requiritur.

La Vega in lib. de Virtutibus & Vitiis. Dandinus in lib. cui titulus *Ethica Sacra*; qui cum sit Auctor emunctæ naris nihil non exquisitum adfert in hoc argumento.

P. Nepveu in Christianis considerationibus tom. 1. pag. 120. habet multa in hoc Divini Amoris præceptum, qui etiam tom. eodem pag. 236. tom. 2. pag. 72. loquitur de multitudine beneficiorum Dei, & gratiis eidem per amorem nostrum rependendis. In eodem tomo pag. 347. ostendit, quam late pateat hoc Divini Amoris præceptum tom. 4. pag. 142. de iis verba facit, quæ hic amor in nobis efficit: & pag. 375. tom. ejusdem de cordis nostri divisione sermonem instituit.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & Scripturarum applicationes ad hoc argumentum.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Deuter. 6.

Hoc tantum diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum. Josue cap. 23.

Diligam te Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Psalm. 17.

Custodit Dominus omnes diligentes se. Psalm. 144.

Oculi Dei in diligentes se. Eccli. 34.

Ego diligentes me diligo. Prov. 8.

Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Cant. 8.

Fortis est ut mors dilectio; dura sicut infernus æmulatio ... Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Ibidem.

Præbe fili mi cor tuum mihi, & oculi tui vias meas custodiant. Prov. 23.

Ordinavit in me charitatem. Cant. 2.

Qui diligunt Deum, conservabunt viam illius. Eccli. 2.

Qui diligunt Deum, replebuntur lege ipsius. Ibid.

In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit. Eccli. 7.

Omni vita tua dilige Deum, & invoca illum in salute tua. Eccli. 13.

Universa delicta operit charitas. Prov. 10.

In charitate perpetua dilexi te. Jerem. 31.

Traham eos in vinculis charitatis. Osee 11.

Si diligitis me, mandata mea servate. Joan. 14.

Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me; qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Idem, ibidem.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ibid.

Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? Luc. 12.

Finis præcepti est charitas. 1. ad Tim. c. 2.

Plenitudo legis est dilectio. ad Rom. c. 13.

Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. 1. ad Cointh. c. 13.

Charitas numquam excidit. Idem, ibidem.

Sectamini charitatem. 1. ad Cor. c. 14.

Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? ad Rom. c. 8.

Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu. Idem, ibid.

Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. 1. Joan. 4.

Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur & simus. Ibidem c. 3.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum, & primum mandatum. Matth. 22.

Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. 1. ad Corinth. 16.

Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. ad Rom. 8.

Exempla Veteris Testamenti.

Generosi, constantis, probatissimique amoris exemplum S. Patriarcha Abraham nobis suppeditat. Numquam amor gravius periculum subiit, neque magis unquam enituit ille prælationis amor, qui debetur Deo, quam cum ille Unigenitum Isaac sacrificare fuit jussus. SS. Patrum hac in re enitet eloquentia. Non satis est Deo, S. Ambrosius ait, præcipere, ut Filium sacrificet; immo Filium ejus, vocat Filium Unigenitum, atque Unigenitum ex toto corde dilectum: *tolle Unigenitum tuum, quem diligis Isaac*: Genes. 22. id autem, ut patrium amorem torqueat, ut cor parentis optimi flectat ad miserationem intuentis filium, quem tanto amore prosequebatur, ad aras vocari. Ad hæc jubetur Abraham in longinquum montem ascendere, ibi optatissimam victimam oblaturus; ut illo in itinere magis jacturam subeundam animo reputet, ut miserationi amplior ad agendum locus tribuatur, ut benevolentiæ, atque misericordiæ vividiores sensus excitentur. Permittit præterea ut in via cum filio de Sacrificio, quod est oblaturus colloquatur, & ex parte sciscitetur filius, ubinam comparanda sit victima: quæ omnia eo consilio instituta fuerunt, ut liqueret utrum benevolentia in corde Patris excitata efficere posset, ut Dei negligeretur imperium, atque ut amor ejusdem tot variis rationibus quasi quibusdam tormentis probaretur. Mirumne esse debet, si postquam Abraham hoc pacto sui erga Deum amoris magnitudinem probavit, Deus eidem præclarum illud perhibuerit testimonium: *nunc cognovi quod times Deum*? neque putes hoc a Deo antea perfecte cognitum non fuisse: illud enim cognoverat, sed deinceps alia ratione cognovit, postquam periculum fecerat: quam ob rem Patriarcham illum deinde amicum vocavit, eum vicissim summa dilectione prosecutus est, eumque subinde suis refertissime benedictionibus cumulavit. (Probat Deus amorem Abrahæ.)

Duodevigesimo Deuteronomii capite legimus Moysi nequaquam satis fuisse ante reliqua præcepta, quæ Dei nomine promulgavit, illud statuere, quo Deum ex toto corde omnibusque viribus amare jubemur; sed summus Legislator, in cujus corde hic amor insculptus erat cum eumdem imprimere quoque vellet in corde populi, cujus duritiam cognoverat, legi ipsi eas addidit rationes, quæ maxime valerent ut Israelitæ ad illud diligentissime servandum excitarentur: Divinas videlicet perfectiones, beneficia, quæ ab ipso receperant, atque illis etiam explicavit quomodo magnum hoc præceptum servari oporteret: *& nunc Israel, quid Dominus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, & servias* (Moyses enixius hoc præceptum commendat.)

Domino tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, custodiasque mandata Domini &c. Deinde vero populo eas exhibet utilitates, quas ex hujus præcepti observantia est recepturus; videlicet patrocinium supremi hujus universorum Domini, benedictiones, quibus cumulatur, & quæcumque excogitari possunt, ut corda licet saxea flectantur ad amandum Deum, qui prior ipsos tantopere amaverat.

Josue morti proximus hoc ipsum cõmendat.

Josue qui Moysem subsequutus Israelitico populo præfuit, cum extremam sibi diem imminere prænosceret, prædecessorem suum imitatus omnes collegit vires, animumque omni populo Dei legem prælecturus, ut eumdem ad hanc servandam hortaretur, atque ut fœdus olim jam percussum cum Domino instauraret. Verum inter cætera hoc illi præsertim commendavit: *hoc tantum diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum*, Josue 23. Poterat ne summus ille vir suum erga Deum Amorem testari magis, quam ea utens potestate, atque auctoritate, quam habebat in populo, eidem præ cæteris Dei charitatem commendaturus?

Davidis exemplum

David præ reliquis fortasse veteris testamenti hominibus flagrantissimum erga Deum suum amorem nobis testatum reliquit; hoc enim præclarum eidem perhibet testimonium Ecclesiasticus: *de omni corde suo laudavit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum*. Eccl. cap. 47. Ipse quoque dicebat Deo: *diligam te Domine fortitudo mea*, Psalm. 17. Et alibi passim exprimit animi sui sensus, & desiderium quo videndi, ac possidendi Deum suum tenebatur: *quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Illum cordis sui Deum appellat, & profitetur se nihil præter illum quærere, & diligere, atque se velle fideliter legi ipsius adhærere: *quid enim mihi est in Cœlo, & a te quid volui super terram? defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.... mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam*. Psalm. 72. Denique de illo vocibus summo repletis affectu ita loquitur, ut legentibus, vel audientibus eumdem amorem inspirent.

Exempla Novi Testamenti.

Amor S. Petri erga Dominum

SAncti Petri amor erga JESUM præsertim enituit; nulla enim occasio defuit, ubi apertissime testatus non sit illum, quo flagrabat, charitatis ardorem; hoc tamen peculiari quodam modo præ se tulit: cum ter ab eodem interrogatus utrum ipsum amaret, & plusquam cæteri amaret, dolore inde confectus fuit perinde ac credidisset Salvatorem ipsum de ejusdem dilectione dubitare: ipsius autem responsio satis liquido hunc cordis sui aperit sensum, ubi ait: *Domine tu omnia nosti; tu scis quia amo te*. Joan. 21. Verum cum satis non sit profiteri verbis, quod a nobis diligatur Deus; & Deus ipse penitiores cordis latebras intueatur, tutiora ad hoc probandum requiruntur argumenta, nempe actiones. Quinam certius hoc Apostolo probavit se toto vitæ spatio dolore contabuisse eoquod Præceptorem suum, ac Dominum passionis ejusdem tempore negaverat; qui deinde laboribus confectus fuit, ut eumdem a cæteris amari adniteretur; qui demum Crucis mortem subiit, ut similis illi fieret, qui pro mortalium omnium salute illud ipsum supplicium pertulerat?

S. Joannis amor erga Dominum.

Quis dubitare posset de ea charitate, quam dilectus inter discipulos S. Joannes illum prosequutus est, a quo prius tantopere fuerat dilectus? si ille præ cæteris dilectus fuit; nonne inferendum est, ipsum ideo magis, quam cæteros dilexisse? Amicitia enim non aliud est, quam mutuus inter duos amor, quibus unum tantummodo est cor. Cum autem hujus amor discipuli responderet affectui, quo eumdem Filius Dei complectebatur; nonnisi ardentissima charitate charitatem pensare poterat; quapropter in singulos dies Domino suo jucundior, gratiorque fiebat, qui eumdem prævenerat, ac prior illum amaverat, hac unice de causa, ut se eidem præberet amabilem. Hinc jure charitatis Discipulus appellatur; quoniam eadem totum illius cor undequaque flagrabat, neque de alia quapiam re loquebatur; ipse etiam nos in quadam Epistola docuit, amorem hunc in verbis non consistere, sed factis esse testandum.

Profani amoris in divinum immutatio in Magdalena.

Necesse minime puto istic afferre Magdalenæ exemplum, cujus elogium ipsum etiam Evangelium contexuit, & quæ ex eodem Salvatoris ore hæc verba meruit audire: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Luc. 7. Gratiæ virtutem tantummodo admiremur, oportet, quæ profanum amorem, cujus sordibus illa peccatrix erat coinquinata, repente in Sanctum Divinumque amorem convertit, atque lascivam mulierem in pœnitentiæ sanctissimum exemplar immutavit.

Amor S. Pauli erga JESUM CHRISTUM.

Ut intelligamus, qua Dominicæ charitatis flamma S. Pauli cor ureretur, licet antea infensissimus fuisset nominis Christiani persecutor & hostis, satis est, Epistolas ejusdem perlegere. Modo enim omnes creatas res, & omnia vitæ hujus pericula provocat, ut experiantur, utrum ipsum a JESU CHRISTO divellere possint, cui arctis adeo vinculis per charitatem adhærebat: *quis nos separabit a Charitate Christi &c.* ad Rom. 8. Modo anathema in eum ejaculatur, qui Divinum hunc Salvatorem non diligit: 1. *ad Cor.* 16. modo se nonnisi per illum, atque propter illum vivere profitetur: *vivo autem jam non ego; vivit vero in me Christus*: ad Galat. 2. Palam testatur se non aliud nosse quàm CHRISTUM JESUM & hunc Crucifixum; in Epistolis suis non alio se nomine appellat, quam servum JESU CHRISTI: denique profitetur Salvatorem hunc omne bonum suum esse, suas opes, suam felicitatem: reliqua omnia flocci faciens, atque arbitrans tamquam stercora dummodo lucrifaciat, possideat, atque sibimetipsi conjungat JESUM CHRISTUM ardenti charitate, quæ mutuo Divini hujus Præceptoris amorem vicissim conciliat. Poteratne verbis magis disertis testari charitatem, qua erga illum flagrabat, qui summa erga eumdem usus fuerat misericordia?

Quorumdam Scripturæ locorum huic argumento applicatio.

Quid sit amare Deum amore existimationis, & prælationis.

D*Iliges Dominum Deum tuum ... in tota mente tua*. Matth. 22. *Deum in tota mente* diligere, idem est, ac eumdem prosequi amore existimationis, atque prælationis. Quid porro illud est, Deum amore existimationis diligere? profecto est eumdem præ omnibus creatis amare, illi cor suum præbere tamquam tributum, quod ens entium omnium perfectissimum decet, & cui citra injustitiam negari non potest. Anima, quæ meditatur, atque divinas perfectiones scrutatur, earum pulchritudine ita capitur, ut cætera, quæ non sunt Deus, aspernetur, atque contemnat. Intelligit quippe creata omnia in se nihil esse, & quodcumque possident a Deo recepisse, immo quodcumque in illis speciosum magis elucescit, exiguum duntaxat esse radiolum fulgoris illius, quo omnes Divinæ perfectiones circumdatæ effulgent. Insanum putat Deum relinquere, ut creatis rebus adhæreat: Supremi hujus entis magnitudinem cognoscens, atque divinis ejusdem illecta perfectionibus de eodem præstantissimas sibi adstruit ideas; ubi accidit sermo, cum laudibus, observantia, admiratione, summoque dilectionis affectu loquitur; ultro atque libenter illius mandata capessit; quidquid sibi pretiosius inest, libenter sacrificat; generatim quidquid ad eumdem pertinet, veneratur. Quemadmodum lucidissima sydera, ubi sol primos radios emiserit, evanescunt; ita quidquid in terris pulcherrimum, amplissimum, locupletissimum est cum illa idea collatum, quam de Deo ipsa concepit, adeo humile, exile, tenue, atque contemnendum videtur, ut satis nequeat mirari terrena hæc tanto in pretio esse apud mortales.

Invicta vis charitatis.

Fortis ut mors dilectio. Cant. 8. S. Augustinus

hæc

hæc explicans verba in Psalm. 47. & 121. ait; Charitatem æque fortem esse, ac mortem vel eo quod, quemadmodum morti nemo resistit, neque resistere potest quacumque arte, vel amuleto eamdem removere, vel evitare conetur; ita nihil possunt homines contra vim charitatis. Vel alio in sensu: quod sicuti mors fortis est, ut corporis vitam eripiat, charitas e contra fortis est, ut a nobis mortem æternam propulset: vel demum quod charitas quamdam mortis speciem nobis infert, efficiens, ut omnibus terrenis rebus oculos claudamus, Deo tantum, ac propter Deum vitam hanc traducturi.

Charitas comparatur igni ab Israelitis in Persidem abducendis humi defosso.

Cum Dei populus captivus abduceretur in Persidem, Propheta Jeremia suadente, Sacrum ignem occuluit secreto quodam in loco mortalium paucissimis explorato. Cum autem post plurimorum annorum intervallum Jerosolymam postliminio reversus esset, summa sollicitudine conquisitus fuit ignis ille, qui in profundo loco, quodam quasi puteo, fuerat defossus; nihilque aliud ibi contigit invenire, quam lutulentam aquam, frigidam, & crassam. Cum autem Nehemias Deo vellet offerre, sacrificia, quæ præcipiuntur in lege, hanc camdem lutulentam aquam super Altare jussit afferri, eique ligna superimponi. Tunc vero summa cum omnium adstantium admiratione ignis exarsit, quemadmodum in Machabæorum historia narratur; quod factum Interpretes nonnulli ita explicant. Hoc idem, inquiunt illi, in hominis corde accidit, qui quidem profundus est locus, ubi Deus Divini sui amoris ignem effundit, quemadmodum loquitur S. Paulus ad Rom. 8. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Cum autem sæpe contingat, ut propterea quod Cœlestes veritates neque cognoscimus, neque meditamur, ignis iste deserveat, atque penitus extinguatur; propter labem voluptatum hujus mundi, quibus sese omnino tradit cor ipsum, in lutulentam aquam convertitur. Ubi vero Justitiæ sol, qui Deus est, aliquem misericordiæ suæ radium, vel aliquod gratiæ suæ lumen in ferventi quapiam meditatione dignatur emittere; tunc flamma charitatis licet sopita, atque extincta rursus accenditur, atque iterum Deum diligere incipimus, & sacrificia nostra eidem accidunt perjucunda.

Ignis amoris, quo animæ in terris flagrant differt ab illo, quo Beati urtuntur in cœlo.

Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi. Exodi 3. Cum Dei amor in Bibliis appelletur Ignis, quo in Cœlo quidem Beati, in terris vero animæ flagrant; dici potest in Cœlo similis esse rubo illi ardenti, qui olim apparuit Moysi, ardenti quidem quin combureretur; nihil enim vel purificandum, vel comburendum ibi esse potest, ubi nihil pollutum potest inveniri. Sed charitas Sanctorum in terris est ignis comburens..... *Deus tuus ignis consumens est*: Deut. 4. neque illi satis est omnes peccatorum nostrorum reliquias Sancta contritione consumere: per pœnitentiam, & jugem mortificationem ipsa etiam consumit corpora; consumit vitas martyrum teterrimis quibuscumque tormentis; consumit vires, ac valetudinem Apostolorum assiduis laboribus, quos propter eumdem subire tenentur. Efficit, ut illi quidem omnia fortunæ, animique bona sibi sacrificent; alii vero opes suas in eleemosynas, ac bona opera impendant, suæ libertatis abrenuncient; consumit denique quodcumque humanum, vel terrenum in corde reperit.

Discrimen aliud inter beatorum, atque mortaliū Charitatem.

Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, & caminus ejus est in Jerusalem. Isaiæ cap. 31. Luculentum sensum his verbis tribuit Sanctus Gregorius. Quemadmodum enim fornax aliquid amplius dicit, quam ignis simpliciter; ignis enim in minima etiam quantitate esse potest; fornax vero accensa ignem majorem atque ardentiorem complectitur: ita quoque S. Pontifex ait; Charitatis flamma hic in terris incipit paulatim Sanctis accensa meditationibus vel rerum Divinarum contemplationibus, quod vox illa *Sion* videtur innuere; cum interim in Cœlo (quod quidem Jerusalem est, vel visio pacis) perfecta erit, & quadam veluti in fornace, ubi omnia Beatorum corda conflagrabunt, & in æternum non extinguentur. *S. Gregor. homil. 21. in Ezechielem*.

Ordinavit in me Charitatem seu vexillum ejus super me Charitas. Cant. 2. Charitas, inquit S. Franciscus Salesius, est tamquam Christianæ militiæ vexillum; est veluti vexillifera virtutum omnium, quibus contra vitia confligendum est: illam reliquæ sequi debent, atque sub ejusdem vexillo in aciem descendere; & ut paucis dicam, sub Charitatis vexillo Dei Filius, noster Imperator, certare nos jubet.

Nihil erat in Templo, quod non auro tegeretur. 3. Reg. cap. 6. Quorsum præcipit Deus, ut Templum suum aureis circumundique laminis contegatur? nemo unus ignorat, aurum esse charitatis Symbolum, atque ea tantum intelligenda Apocalypsis c. 3. verba, ut hoc innotescat: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum*? Jubet ergo Spiritus Sanctus, animam nostram purissimo charitatis auro indui, atque exornari, & nihil in eadem nonnisi micans atque refulgens inveniri.

Deus cor nostrum beneficiis sibi voluit delinire.

In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Osee 11. Deus homines trahit in funiculis Adam, ubi minas adhibet, atque suæ iræ flagella exercet ad se nos revocaturus, postquam ab eo recesserimus: cum vero beneficiis utitur, promissiones immiscet, & præmia; tunc ut nos in sui observantiam alliciat, vinculis utitur charitatis; nihil enim aptius est ad cor aliquod conciliandum beneficiis, quæ quædam sunt affectionis nostræ erga aliquem testimonia, atque ut ita dicam, cordis est lingua.

Deus quidem totum petit cor, Dæmon vero illius patitur divisionem.

Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur, 3. Reg. c. 3. Ex duabus illis mulierculis coram Salomone certantibus utrius esset quidam infantulus; quæ pati non potuit, ut hic divideretur, atque secaretur bifariam, manifesta tribuit documenta, se vere ejusdem esse parentem; illa vero, quæ divisioni assentiebatur, se ejusdem matrem esse suppositititiam ostendit: *nec mihi, nec tibi, sed dividatur*. Ita loquitur dæmon ille cordis humani usurpator. Similis fictæ huic matri, patietur ille coram Salomonis solio filium hunc bifariam cædi, quin ullo miserationis sensu afficiatur; urgebit immo atque instabit, ut hoc citius adimpleatur; cum enim sciat hunc ad se nullo jure spectare, divisum vellet: *dividatur*. Cum ad illum minime spectemus, libentissime hanc patitur divisionem, dimidium potius possessurus, quam totum amissurus. Haud ægre fert nos ab eodem ad tempus recedere, dummodo in æternum ab eo non divellamur. Hoc tamen tibi non placet Deus meus, cum supremus & unicus sis cordis nostri Dominus, nullam pateris divisionem: cum summa nos prosequaris Pater amantissime benevolentia, malles potius penitus nostrum ipsorum jacturam subire, quam intueri cor nostrum dividi, ejusque partem offerri tibi, reliquam vero mundo atque dæmoni infensissimis hostibus tradi.

Supereminentem scientiæ charitatem: ad Ephes. 3. Ex allatis verbis liquido patet, S. Paulum Apostolum existimasse, charitatem scientiæ toto Cœlo præstare; idem enim est ac si diceret: *Charitatem, quæ supereminet scientiæ*, vel ex nonnullorum sententia innuere vult, eamdem charitatem scientiam esse præstantissimam, quasi diceret: *Supereminentem scientiam charitatis*: quicumque enim illam possidet, celeriter altissimam Dei cognitionem assequitur. Inter divinarum, naturaliumque rerum cognitionem hoc discriminis interesse docet Sanctus Augustinus, quod altera quidem necessario præcedit amorem, quo terrena quæruntur; ejusdem enim est causa: Charitas vero ut plurimum antecedit ea lumina quæ a Deo recipimus, ipse enim sese communicat diligentibus illum, quemadmodum JESUS CHRISTUS Apostolis dicebat: *vos dixi Amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Quamobrem accidit, ut nonnumquam simplices intueamur homines, rudes, atque illiteratos, qui de Deo sublimiora, ac digniora sentiunt, quam eximia quævis ingenia; quoniam illi Deum ardentiori charitate com-

complectuntur; in charitate vero cognitio sequitur potius, quam præcedat amorem, & Deus mentem hominum suis replet luminibus prout cor eorumdem est charitate repletum.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, atque Sententiæ SS. Patrum in hoc argumentum.

Ponderibus suis aguntur omnia, & locum suum petunt: Amor meus pondus meum; illo feror quocumque feror. S. August. l. 13. Confess.

Minus, Domine, te amat, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat. Idem lib. 10. Confess. cap. 29.

Qui amat aliud, Deum amare non potest: occupatam habet animam. Idem, alio in loco.

O ignis qui semper ardes, & numquam extingueris! o amor qui semper uris, & numquam tepescis! Accende me, & accendar: Accende, inquam, ut totus te diligam solum. Idem, in Medit.

Quisquis cognoscit te, diligit te, se obliviscitur; amat te plusquam se, relinquit se, ut veniat ad te. Idem, in Soliloq. c. 6.

Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas a me, & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Hei mihi! parumne est ipsa miseria, si non amem te? Idem l. 1. Confess. c. 5.

Verus amor non sentit amaritudinem, sed dulcedinem; quia soror amoris dulcedo est, sicut soror odii est amaritudo. Idem, l. 13. Confess.

In te delectatur justus, quia amor tui suavis & quietus; nam pectora quæ possides, dulcedine & suavitate reples: e contra, amor sæculi & carnis, anxius est & perturbatus. Animas certe quas ingreditur, quietas esse non patitur. Idem, in Medit. c. 35.

Qui amat non laborat; & omnis labor non amantibus gravis est: solus amor est qui nomen difficultatis erubescit. Idem, l. 13. Confess.

Quomodo grave est mandatum Dei? Aut enim quisque non diligit; & ideo grave est: aut diligit: & grave esse non potest. Idem, lib. de Natura & Gratia cap. 9.

Væ animæ audaci, quæ speravit, si a te recessisset, se aliquid melius habituram! Versa & reversa, in tergum & in latera: & dura sunt omnia, & tu solus requies. Idem, l. 6. Confess. c. 16.

Cælum & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem; nec cessant dicere omnibus, ita ut sint inexcusabiles. Idem, l. 10. Confess. cap. 6.

Ipsum Deum si amare pigebat, saltem nunc redamare non pigeat. Idem, lib. de Catechiz. Rudibus.

Nihil tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Idem, lib. de Morib. Eccl.

Charitas in omnibus Dei donis ita excellit, ut etiam Deus dicta sit; Deus enim est Charitas. Idem, Epist. 143. ad Julian.

Nulla major est ad amorem invitatio, quam prævenire amantem; & nimis durus est animus, qui, si dilectionem nolebat impendere, nolit rependere. Idem, lib. de Catechiz. Rudibus.

Nescio utrum magnificentius Charitas commendari possit, quam ubi dicitur, Deus Charitas est: brevis laus, sed magna laus; brevis in sermone, magna in intellectu. Idem, tract. 5. in Epist. Joan.

Nihil prosunt cætera dona sine Charitate: adde Charitatem, & prosunt omnia; detrahe Charitatem, & nihil sunt cætera. Idem, Serm. 50. de Verbis Domini.

Ubi Charitas non habitat, non ibi habitat Deus; si autem Charitas ibi habitat, Deus ibi habitat. Idem, in Psalm. 149.

In omnibus Scripturis, supereminentissimam viam, supereminentissimum locum Charitas obtinet. Idem, in Psalm. 103.

Quidquid habeas, si Charitatem solam non habeas, nihil prodest tibi: alia si non habeas, hanc habe, & implesti legem. Idem, tract. in Epist. Joan.

Ubi Charitas est, quid est quod possit deesse? Ubi autem non est, quid est quod possit prodesse? Tract. 80. in Joan.

Quæ una Charitas si adsit, omnia recte fiunt; si autem desit illa, omnia frustra fiunt. Idem, l. 2. contra Cresc. c. 12.

Sicut corpus sine anima mortuum est, sic anima sine charitate mortua reputabitur. Idem, tract. 9. in Joan.

Charitas est animæ pulchritudo: quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo. Idem, tract. 9. in Epist. Joan.

Charitas sine gaudio esse non potest. Idem, in Psalm. 76.

Breve præceptum tibi præcipitur: dilige & fac quod vis. Idem, tract. 7. in Epist. Joan.

Nos ipsos tanto magis diligimus, quanto diligimus Deum. Idem, l. 8. de Trinit. c. 8.

Qui plenus est charitate, plenus est Deo; quia aperte scriptum est: Deus charitas est. Idem, in Psalm. 98.

Firmamentum est salutis, habere radicem charitatis. Idem, tract. 2. in Epist. Joan.

Charitas est columna, & firmamentum diligentibus Deum. Idem, in communibus, Serm. 6.

Animus velut pondere, amore fertur quocumque fertur: jubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedet ad pondus charitatis. Idem, Epist. 89. ad Hilar.

Si mundi amor habitet, non est qua Dei amor intret: recedat amor mundi, ut inhabitet amor Dei; melior accipiat locum. Ideo cum exhauseris cor tuum amore terreno, hauries amorem divinum. Idem, tract. 2. in Epist. Joan.

Non est amandum quod amanti & fruenti amatori auferri potest. Cujus ergo rei amor amandus est, nisi qui non potest deesse dum amatur? Idem, lib. 83. Quæst. quæst. 35.

Diligamus id, quo nihil melius est, hoc est Deus: cui si aliquid, diligendo, vel præponimus, vel æquamus, nosmetipsos diligere nescimus. Idem, de 50. Homiliar. Homil. 35.

Disco amare in creatura Creatorem, & in factura factorem; nec teneat te quod ab illo factum est, ut amittas eum, a quo & ipse factus est. Idem, in Psalm. 39.

Quid est amandum? Quod nobiscum potest esse æternum. Idem, Homil. 37.

Cum dicit Scriptura, toto corde, tota mente, Deum esse diligendum, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re frui velit; sed quidquid aliud diligendum occurrit, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. Idem, lib. de Doctr. Christ. c. 22.

Sero te amavi bonitas tam antiqua, & tam nova! sero te cognovi. Idem, lib. 10. Confess.

Facile quælibet bona possunt perire, quæ non possunt sine charitate prodesse. S. Ambros. lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 3.

Nihil amantibus durum, nullus labor difficilis; amemus & nos Deum, & facile videbitur. S. Hieron. quodam in Serm.

Præcipis mihi Domine Deus, ut diligam te: hoc & possum & debeo. S. Cyprian. Serm. de Christi Bapt.

Thesaurus indeficiens est amor divinus, quem qui habet, dives est; quo quicumque caret, pauper est. S. Basil. in Hexam.

Quo magis in rebus divinis versatus quis fuerit, eo magis accendit flammam dilectionis. Theodoret. in orat. de Charit.

Altare Dei est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere; quia necesse est ex illo ad Deum, flammam charitatis indesinenter ascendere. Greg. l. 15. Moral. c. 7.

Divinus Sermo cum Deum diligi præcipit, non solum narrat ex quo, sed etiam informat ex quanto, cum

eum subjungit ex toto corde; ut videlicet qui perfecte Deo servire desiderat, sibi de se nihil relinquat. Idem, lib. 10. Moral.

Numquam est amor Dei otiosus; operatur enim magna, si est; si autem operari renuerit, amor non est. Idem, Homil. super Ezechiel.

Charitas omnium virtutum apex ac veluti arx. Jo: Damasc. Orat. de Domini Transfigurat.

Nullum habere terminum debet charitas, quia nullo potest claudi fine divinitas. S. Leo, serm. 10. de Quadrag.

Ne mihi dicas; diligo Deum, etiam plusquam meipsum. Verba sunt ista: ostende hoc ipsis operibus. Si diligis eum plusquam teipsum; dilige plusquam argentum: & tunc credam, quod & plusquam teipsum illum diligas. Cum vero pecunias propter Deum non contemnas, quomodo teipsum contemnes? S. Chrysost. Hom, 5. in posteriorem Ep. ad Thessal.

Rationalis animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei, nulla nimia; in dilectione mundi, cuncta sunt noxia. S. Leo, serm. 5. de Jejunio septimi mensis.

Machina mentis est vis amoris, quæ hanc dum a mundo extrahit, in alta sustollit. S. Gregor. l. 6, in 5. cap. Job,

Cum amat Deus, non aliud vult quam amari: quippe non aliud amat nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos qui se amaverint. S. Bernardus serm. 83. in Cant.

Non sine præmio diligitur, qui sine præmio est diligendus. Idem, alicubi.

Quantitas cujusque animæ æstimatur de mensura charitatis quam habet. Serm. 27. in Cant.

Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tam non violentum? Amor est. Idem, Serm. 64. in Cant,

Vere dulcis & suavis cibus charitas, quæ fessos alleviat, debiles roborat, jugum veritatis facit suave, Idem, tract. de Gradib. humil.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Urget me ratio & justitia naturalis totum me tradere illi, a quo me totum habere sentio; & ex me toto diligere. Idem, in tract. de amando Deo.

Causa diligendi Deum Deus est. Idem, ibidem.

Dignus plane qui redametur: quia ipse prior dilexit nos. Ibidem.

Modus diligendi Deum est diligere sine modo. Idem, ibidem.

Dulcis Tyrannus amor. Gregor. Nazianz. orat, 28.

Martyrium cordis. Bernard. serm. in Signum magnum.

Sit in te charitas, & erit plenitudo scientiæ; quid enim nescit qui scit Deum diligere, qui charitas est? S. Aug. in Psalm. 79.

Non præcipit Scriptura nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem. Idem, lib. 3. de Doctr. Christ, cap. 10.

Non tam virtus potens, quam virtutum potentia dicenda est charitas, omnium intima vis ac medulla. Ricard a Sancto Victore.

Solus amor est quem a nobis Deus exigit, aut cum beneficiis obruit, aut cum flagellis corripit: denique quidquid divina lege indicitur, ad solum amorem reducitur. Solve tributum amoris, & Domino noveris esse satisfactum. Idem.

Charitas virtus est, in qua nec minimum opus respuitur, & sine qua nec maximum acceptatur; non prædicatio, etiam si fiat linguis Angelorum; non fides, etiam si montes transferat; non eleemosyna, etiam si facultates exhauriat. Idem.

Charitas sponte potest deseri, non violenter auferri; offertur omni, aufertur nulli; ita ut nullus, nisi suo vitio, illa careat. Idem.

O insuperabilis virtus charitas! quæ ipsum quoque insuperabilem superasti, dum victus amore Deus humiliavit semetipsum, formam servi accipiens! Hinc illa fidelium intrepida constantia, qua supplicia & mortem calcantes læti per medias mortis fauces ad patriam revertuntur. Idem.

Vere magnus est qui magnam habet charitatem. Lib. 1. de Imitatione Christi.

Non colitur Deus, nisi amando. Augustin. in Psalm. 77.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia ad hoc argumentum hauriri possit.

CHaritas erga Deum, ex Magistro Sententiarum 3. *dist.* 27, Amor est vel dilectio, qua Deus amatur propter ipsum: vel ex S. Augustino, *lib. de Doctr. Christ.* est motus Animæ, quo rapimur ad fruendum Deo propter ipsum. Hinc tamen potius per habitum quam per actum definienda videtur; infusa videlicet virtus, qua homo Deum amat propter ipsum, proximum vero, & reliqua propter amorem Dei, quæ quidem definitio magis congruit cum Apostoli sententia dicentis *ad Rom.* 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis,* ubi S. Augustinus, lib. de Spiritu & Littera, hæc inquit: *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit amatores suos.* Cum dicit Apostolus charitatem esse in cordibus nostris diffusam, non ea intelligenda charitas est, qua Deus ipse nos amat, sed illa, qua efficit ut ametur a nobis. At actualis amor, quo Deum amamus, non est in cordibus nostris infusus, sed potius ex cordibus effusus in Deum: hæc igitur verba de habitu charitatis intelligenda sunt; quod notandum erat, ne aliquid in hoc argumento confunderetur. *Charitatis erga Deum definitio.*

Charitas proculdubio virtutum omnium est præstantissima, Deum enim immediate respicit, & per se ad illum nos trahit. Itaque inter virtutes, quæ Theologales vocantur primum obtinet locum, atque ab ipsis Theologis reliquarum virtutum forma, anima, & vita, omniumque meritorum nostrorum fons & principium vocatur. Dicitur omnium supernaturalium virtutum forma, quoniam earum perfectio est, eisque tribuit esse, vim, & actionem, quandoquidem sine charitate nullius pretii sunt coram Deo. Illarum quoque vita est; ubi enim charitas absit, cæteræ virtutes mortuæ sunt; ideoque mortua fides est cum non operatur per charitatem, quemadmodum inquit S. Paulus; qui ubi docet nos a fide justificari, intelligendus est de fide, quæ vivificata est per charitatem. Vocatur denique etiam meritorum omnium principium, radix, vel fons; seu quod sine illa quæcumque bene fiunt, nullum in æternitate præmium merentur; seu quod minima etiam, & quæ in seipsis indifferentia videntur, summum nanciscuntur pretium, cum fiunt propter charitatem. Quapropter ut omnia quæcumque facimus in hoc spiritu charitatis faciamus, suadet Apostolus: 1. Cor. 16. *Omnia vestra in charitate fiant.* *Virtutis hujus præstantia.*

Lex universa duplici hoc præcepto charitatis continetur, ut videlicet Deum super omnia, proximum vero tamquam temetipsum diligas. Verbum Incarnatum, quod & abbreviatum dicitur, in compendium redegit, atque universam doctrinam suam in duobus his præceptis comprehendit, ad quæ cætera rediguntur: *in his duobus universa lex pendet, & Prophetæ,* Matth. 22. *Charitatis præceptum legem omnem complectitur.*

Hic est legis totius finis, quemadmodum cæmentorum, lapidum, lignorum, cæterarumque rerum congeries respicit ædificium tamquam finem, ad cujus constructionem reliqua omnia referuntur. Quam ob rem licet hoc præceptum sit unicum, virtualiter tamen reliqua omnia complectitur, & nullum est, quod per illud non compleatur, nam, quemadmodum JESUS ipse ait apud S. Joannem cap. 14. *Qui habet mandata mea, & servat illa, ille est qui diligit me.*

Præceptum hoc, quo Deum ex toto corde &c. jubemur diligere, maximum est, atque primum omnium. Maximum quidem est 1. propter necessitatem; *Cur hoc Præceptū maximum & primum vocetur.*

tem; nisi enim hoc adimpleatur, salvi esse non possumus; quam ob rem hoc unum sufficere ait Sanctus Augustinus: *Sola charitas sufficit si adsit: cætera omnia nihil prosunt, si charitas sola desit*. 2. Propter charitatis præstantiam, quam Sanctus Paulus, 1, *Cor*. 13. appellat virtutum omnium maximam, atque amplissimam: *major autem horum est charitas*. 3. Propter utilitatem; hujus enim præcepti observantia reliquorum omnium observantiam complectitur: 4. Propter facilitatem, & suavitatem, quoniam rationali naturæ conformis est, & nihil suavius, & jucundius esse potest, quam summum bonum diligere.

Amor Dei præceptum est, non consilium.

Sanctus Thomas 2. 2. *quæst*. 184. *art*. 3. post Sanctum Augustinum docet: Amorem Dei super cætera non esse consilium simplex, sed præceptum, æque late patens, ac legis ejusdem verba; licet magnum hoc præceptum in terris nequeat expleri ea cum perfectione, qua adimpletur in Cœlis: Hoc est a nobis Deus est diligendus, quantum in nobis est, atque hoc præceptum non est sicut cætera certis finibus conclusum, ultra quos non sit nisi Consilium: sed nobis Deus ex totis viribus amandus est nobisque toto pectore incumbendum ut vires ipsæ in nobis augeantur, majorem in dies gratiam studentibus assequi, ut magis, magisque in hoc amore progrediamur, quemadmodum ait S. Paulus.

Quomodo illud in hac vita adimplere possimus.

Idem S. Thomas 2. 2. *quæst*. 24. *art*. 8. considerans hominis perfectionem in Dei amore consistere, & JESUM CHRISTUM in Evangelio præcipere, ut simus perfecti, quærit, utrum in hac vita perfecta charitate Deum possimus diligere. Ad quæstionem hanc solvendam supponit, hanc amoris perfectionem spectari posse, vel quatenus ad objectum amoris qui Deus est: vel quatenus ad eum, qui diligit: hominem videlicet in hac vita positum: vel demum quatenus ad veri amoris circumstantias, & conditiones pertinet.

Quatenus ad Deum spectat, norma atque mensura hæc amantibus servanda est, ut sine ulla mensura diligant, quemadmodum ait Sanctus Bernardus. Ut igitur Deus hoc pacto diligeretur, infinito amore diligendus esset, quod mera Creatura præstare minime potest, cum Deus unus seipsum tantum amare possit, quantum meretur amari. Hoc igitur nobis est adnitendum, ut in hac re nullos nobismetipsis limites circumscribamus, sed in dies semper majorem in nobis charitatem inflammare studeamus. Quatenus ad amantem pertinet, charitas perfecta vocari potest, vel quod ad actualem atque perennem amoris fervorem, vel quod ad complementum conditionum earum quas requiri superius dictum est, & quarum rationem tertio loco spectandam esse diximus. Quod pertinet ad fervorem actualem, assiduumque, charitas in hoc mundo perfecta esse non potest, sed tantum in Cœlo; namque vitæ hujus egestates, atque occupationes non sinunt mentem, animumque semper atque indesinenter Divino huic objecto vacare. Verum enim vero si conditiones, & veræ charitatis circumstantias intueamur, quæ petunt, ut Deum ex toto corde, atque ex omnibus animæ nostræ viribus sine ulla divisione, atque exceptione diligamus: non solum potest, verum etiam debet charitas nostra esse perfecta in hac vita; atque inter reliquos Calvini errores hic quoque recensetur, quo videlicet charitatis præceptum in hoc sensu, & hoc modo desumptum, hominibus in hac vita servari posse negavit.

Præceptū naturale est Deum super omnia diligere.

Idem quoque natura nos docet a nobis Deum ante cætera esse diligendum, idque duplici ex causa: primo, quod ultro id amamus, quod in se bonum est, pulchrum, atque perfectum. Verum de Deo non aliam nobis ideam ratio adstruit, quam quod sit ens summe perfectum ea omnia possidens, quæ amorem nostrum sibi possunt conciliare. Secundo, naturali quodam instinctu id amamus, quod nobis benefacit: bruta ipsa quoque sentiunt beneficia, ut eos ament, a quibus nutriuntur. Hinc Sanctus Bernardus post Sanctos Basilium, atque Chrysostomum tenet naturali hoc præcepto infideles quoque teneri ut Deum super omnia diligant; naturæ enim vox palam sonat in imo cordis nostri, & naturalis justitia docet, ex toto corde eum esse diligendum, cui homines, omnia, atque semetipsos debere ignorare non possunt. Quod tamen de naturali tantum amore intelligendum est: supernaturalis enim nequit haberi sine habituali charitate, quam debet Deus in cordibus nostris producere, & sine actuali gratia, qua ad Deum diligendum impellimur.

Si igitur Deus amore actuali & assiduo in vita, ac semper amari non potest; quæret fortasse quispiam ad quid explicite præcepti hujus, ut a quo & in Veteri & in Novo Testamento nemo unquam liber extitit, teneamur. Respondent Theologi; teneri primum, ne quid audeamus, quod sit oppositum amori, quem debemus Deo; vel quod unum & idem est, ne huic amori quodcumque aliud bonum anteferamus; quapropter si sese nobis offerret occasio, vel subeundi bonorum, amicorum, immo vitæ ipsius jacturam, vel præceptum hoc infringendi; amor, quo Deum prosequi debemus, efficere debet, ut libentius quarumcumque rerum detrimentum patiamur. Ad hæc per intervalla exercere tenemur, atque elicere actus amoris; hoc enim præceptum non negativum tantum est, quod semper obliget, & ad semper; sed etiam affirmativum; quod aliquando in opus redigi debet, & aliquando non obligat, & obligat sæpe.

Quomodo Deus amandus.

Addit etiam Sanctus Thomas per hanc legem, atque præceptum Deum nequaquam nobis præcipere amorem benevolentiæ, atque sensibilem, qui non semper est in nostra potestate: ideoque ait ille, animi quies perturbanda non est, si nonnumquam majorem in nobis pro rebus creatis, quam pro Deo, experiamur amorem; satis est a nobis Deum ante cætera diligi, atque ut ubi concursus adsit, reliqua potius abdicemus, quam Dei charitatem. Ad hæc docet per hanc cordis, animæque totalitatem, quæ in hoc præcepto continetur, non prohiberi ordinatum rerum creatarum amorem. Hoc plane constat, nam secunda lege, proximum tamquam nosmetipsos amare jubemur: quod supponit legitime nos amare posse nosmetipsos post Deum tamquam primos; quandoquidem postulat, ut hic sapiens amor, quo nosmetipsos complectimur, sit tamquam exemplar illius, quo proximum amare tenemur. Idem docet demum, qua ratione a nobis diligendus sit Deus ex toto corde, atque ex tota anima; quod bifariam ait esse intelligendum: tamquam finem nostrum, & appretiative; videlicet Deum a nobis esse diligendum veluti postremum omnium amorum nostrorum finem, & centrum omnium affectionum nostrarum; itaut si aliud quidpiam diligimus, illud in Deo, ac propter Deum diligamus. Quod vero ad amorem appretiativum pertinet, diximus jam, Dei amorem cæteris quibuscumque rebus præferendum esse, nosque paratos esse debere, ut cætera omnia huic amori sacrificemus.

Quid charitati adversetur.

Hinc inferre possumus cum eodem Sancto Thoma 2. 2. *quæst*. 24. *art*. 12. peccata omnia, quæcumque tandem illa sint, huic amori adversari tamquam unum extremorum ejus. Peccatum mortale velut infensissimum sibi hostem respicit, cum quo ne minimum quidem momentum potest permanere; Veniale autem tamquam actum actibus suis contrarium, licet cum habitu suo minime repugnantem. Inter omnia tamen peccata venialia illa magis abominatur, per quæ creatis quibuscumque rebus ultra quam par est animus noster afficitur, & in Dei charitate tepescit. Post hæc vero, si liceat assignare extremum aliquod excessus in amore Dei, contra quem, vere loquendo, nonnisi per defectum peccatur; illud erit, nempe in excessum impingere, cum Deo amorem nostrum testari cupimus per ea, quæ eidem non placent; vel cum plura conamur efficere, quam status noster, ratio, & gratia postulent.

Essentia charitatis non secus ac fidei indivisibilis est.

Charitatis essentia non secus ac fidei indivisibilis est. Quemadmodum si ultro de uno tantum articulo ab-

ab Ecclesia ad credendum proposito, dubitaverò; nullum jam divinæ fidei articulum credo, ita cum negligo, vel infringo aliquod legis præceptum, nulla jam in me charitas est. Licet enim, ut ait D. Thomas, & major, & minor charitas sit; minor tamen æque, ac major, ad præceptorum omnium observantiam sese debent extendere, ideoque legis plenitudo vocatur non solum propterea quod hoc præceptum reliquis præstat; verum etiam particulariter, quod in unitate sua omnia præcepta complectitur, nullum excludit. Ita Amor Dei in illius anima, qui vere amat, generalem quamdam statuit dispositionem, ut ea omnia faciat, quæ jubentur, nihil vero faciat ex iis, quæ vetantur. In hoc sensu intelligenda sunt illa Sancti Jacobi cap. 2. verba: *quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

Quomodo virtutes omnes ad charitatem rediguntur.

Illis, quæ hactenus dicta sunt, id etiam addi potest, quod a S. Augustino docetur, videlicet quemadmodum præcepta omnia ad Dei amorem rediguntur: ita omnes etiam virtutes quodam in sensu unam tantummodo, eamdemque charitatem efficere, quæ multifariam variatur, atque varia desumit nomina pro objectorum, quibus adhæret, varietate. Hinc sequitur etiam omnia, quæcumque a veris fidelibus fiunt, unum eumdemque esse Divinæ charitatis actum, qui varias species, atque formas desumit: *omnia bona opera unum opus sunt charitatis:* quæ sunt Divi Augustini verba in Psalm. 89. Id vero nequaquam putes intelligendum, quasi præter charitatem alia nulla sit virtus, vel ea, quæ aliarum virtutum consilio facimus, neque meritoria sint, neque Deo accepta: hoc tamen est intelligendum, virtutes illas a charitate vel præscriptas, vel ordinatas esse debere, vel saltem cum eadem esse conjunctas, ab eo videlicet exercitas, qui habeat charitatem.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Marc. 12. 30. quæ verba a plerisque doctoribus ita explicantur. Deum *ex toto corde* diligimus, cum ad illum accedimus, & cum illo conjungimur omnibus cordis nostri motibus, atque in eumdem omnes affectus nostros convertimus. *Ex tota mente* diligimus, cum mens in ipso uno occupatur, cum ipse est præcipuum cogitationum nostrarum objectum, & in eo curam omnem impendimus, ut divinas ipsius perfectiones, æternasque veritates meditemur. Diligimus illum *ex tota anima*, cum in omni facultatum animæ nostræ usu eumdem respicimus, & in id unum intendimus, ut digne ipsi inserviamus. Eum denique *ex tota virtute* diligimus cum eidem sedulo obtemperantes in iis rebus omnibus, quas nobis præscripsit, eumdem semper ob oculos habemus, & minutissima quæque ejusdem præcepta servantes, illum nobis tanquam unicum omnium actionum nostrarum finem statuimus. Hæc tamen, quam attulimus, explicatio non obest quominus iisdem verbis aliæ etiam æque naturales applicationes deferantur, quemadmodum Concionatores non pauci præstiterunt.

Quo amore Deus sit diligendus.

Sanctus Franciscus Salesius *tract. de Amore Dei* considerat Divinum hoc præceptum amandi Deum a Concilio Tridentino dilectionis potius, quam amoris nomine indigitari; quamvis enim dilectio amor est, tamen non est simplex amor, sed amor cum electione conjunctus, uti verba significant, atque ipse etiam Divus Thomas animadvertit. Quorsum autem isthæc? ut intelligamus Deum electionis amore diligendum esse, amore videlicet, qui amoribus omnibus prævalere debet, omnibusque affectibus nostris imperitare; amore, qui ardentissimus, & generalis sit; qui toto cordi nostro dominetur; qui omnes animæ facultates occupet; qui maxime sublimis, & constans sit; qui mentem omnem repleat, & totum animum, atque virtutem exerceat &c.

Hæc omnia alii verbo explicant, dicentes: Amare Deum, quemadmodum lege jubemur, non aliud esse, quam eumdem amore prælationis diligere; videlicet illum non ex aliqua utilitatis nostræ ratione, vel aliquo sympathiæ ductu diligere: sed primam illi sedem tribuere, ipsi sexcentis de causis debitam, quin aliquid unquam cum eo comparetur; semper paratos esse, ut ejusdem amicitiam tueamur, eique in omnibus rebus placeamus quarumcumque etiam rerum impendio; itaut Dei magnitudine, atque perfectionibus rite exploratis cum Archangelo Michaele dicamus: *quis ut Deus?* Quid unquam esse potest, quod cum Deo valeat comparari?

Justorum amor in terris quibusdam in rebus superat Beatorum amorem in cœlo.

Licet amor, quo SS. Viri erga Deum in hac vita flagrant, sit toto Cœlo minor, minusque perfectus, quam Beatorum in Cœlo charitas; hoc tamen eidem privilegium inesse videtur, quod majus aliquid est amare Deum sub fidei integumento absconditum; eumque etiam nos affligentem atque percutientem diligere. Hoc saltem constat, Beatorum amorem & necessitatis, & gratitudinis amorem esse, qui non crescit amplius, nec efficit, ut illorum sanctitas augeatur: cum interim Sanctorum amor in terris amor sit electionis, & meriti, amor, qui in dies semper & recipere, & virtuti recentia dare potest incrementa.

Verum est nos, quamdiu vivimus, certos esse non posse, utrum habeamus charitatem, quemadmodum Sapiens ait: *nescit homo utrum amore, an odio dignus sit*; quod non solum intelligi potest de amore, quo nos prosequitur Deus, verum etiam de charitate, qua illum diligimus; si enim alterum liquido innotesceret, sequeretur, ut alterum etiam teneremus. Non desunt tamen notæ quædam, quæ moralem nobis amoris hujus certitudinem possunt adstruere: quarum hæ præcipuæ sunt. Prima; reputare utrum Dei præcepta diligamus: hoc enim inditium ipse Dei Filius suppeditat: *qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Joan. 14. Altera utrum parati simus non solum ad mortem potius subeundam, quam audendum aliquid quod Deo possit displicere; verum etiam ad ea omnia cum alacritate, & hilaritate præstanda, quæ eidem accepta esse cognoscimus, & non ægre ferendas Cruces, tribulationes, & persecutiones, quibus ille nos probare desiderat. Tertio denique utrum sæpe recogitemus Deum, utrum illi cor nostrum offeramus, easque occasiones inquiramus, quibus amorem nostrum eidem testari possimus cum S. Petro dicentes: *Domine tu scis quia amo te.*

Causa nostri erga Deum amoris amor est Dei erga nos.

Sanctus Augustinus hanc proponit quæstionem; utrum Deus nos amet, quod illum diligimus; an potius utrum eum diligamus, quod nos amat. Nos illum diligimus, inquit Sanctus Joannes Apostolus, eo quod ipse prior nos dilexit: unde Doctor ille concludit; donum Dei esse amare Deum, & ipsum nobis largiri, ut eum diligamus; quoniam qui ab eo dilectus non est, illum non diligit. Absit tamen quod hæc argumentandi ratio nostræ faveat infirmitati; neque putes, si frigidus es, si Divino Amore non flagras, hinc esse quod a Deo non amaris: etenim nonne Deus satis suum erga te amorem testatus est Filium suum tradens pro te? Ad hæc quot gratiis, & peculiaribus beneficiis amorem erga te suum testatus non est?

Quod spectat ad alterius vitæ felicitatem non una est Theologorum sententia: Illam positam esse putant nonnulli in manifesto Dei ipsius intuitu; credunt alii in Beatorum amore consistere; alii denique in utroque simul arbitrantur esse collocandam. Hoc tamen nemo ambigere potest, quin summa in terris mortalium felicitas hæc sit, Deum unice amare: primo quia hæc unica & necessaria est ratio acquirendæ felicitatis alterius vitæ, quæ eo major atque perfectior erit, quo noster hic in terris amor major extiterit: secundo quod postremus finis, qui summum bonum nostrum debet constituere, superare minime debet eorum vires, qui ad ipsum bonum anhelant; alioquin inutilis esset, atque inanis ea propensio, quam nobis inserit natura, ut ad summum bonum, atque postremum finem nostrum tenderemus. At nemo est, qui Divina opitulante gratia, quæ nemini unquam deest, amare minime possit Deum eo modo

quo,

quo, ab hominibus amari desiderat, cum paucissimi sint, qui illum cognoscere possint, immo etiam cum nemo eumdem perfecte in hac vita cognoscat.

Quomodo amari velit Deus.

Quod pertinet ad modum, quo Deus a nobis amari jussit: ex rationali creatura ea omnia petiit, quæ in eadem pretiosa magis inveniuntur. Omnes cogitationes proposcit, præcipiens ut ex tota mente diligeret; affectus omnes efflagitavit, imperans ut ex toto corde amaret; actiones omnes atque motus exegit, præscribens ut tota anima, quæ actionum motuumque omnium principium est, illum prosequeretur. Ita per hoc præceptum homini nullam seipso vacuam partem relinquere voluit; totum illum replevit, ut nulla alia re replendum relinqueretur: *nullam partem vacuam in ipso reliquit, ut nulla re alia velit frui*: quidam ait.

Si verum est, amorem ad perfectionem contendere, ante cætera amandus est, qui perfectos efficit se diligentes. Hoc sane præstare nequeunt res creatæ quantumvis perfectæ sint: sed amantes Deum, qui summa est perfectio, eidem similes evadimus, & in ipsum quodammodo immutamur, juxta dilecti discipuli verba: *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. 1. Joan. 4. Hæc est Sancti Augustini doctrina: Memento, inquit ille *tract. 2. in epist. 1. Joan.* te unum ac idem fieri cum objecto quod amas; si terram amas, terrenus es; si Cœlum, Cœlestis; si Deum, in Deum quodammodo immutaris, quod semper tamen moraliter intelligendum est: *talis quisque est qualis est ejus dilectio: terram diligis, terra eris: Cœlum diligis, Cœlum eris: Deum diligis, Deus eris.*

Dei amor essentialis est Religioni Christianæ.

Amor Dei ita religioni Christianæ est essentiale, ut illa in hoc potissimum differat a Synagoga, quæ timoris legem accepit servos efficientem, cum ipsa acceperit legem amoris filios gignentem. Hac de causa prima illa lapideis tabulis ad Judaici populi duritiem indigitandam: altera vero e contra ipsis hominum cordibus insculpta fuit, quemadmodum Deus per Prophetas spoponderat. Effudit ille in corda nostra amorem suum per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, quemadmodum inquit Sanctus Paulus; ideoque Salvator testatus est, se in terras ob id unum venisse, ut amoris ignem afferret: *ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur*? Luc. 12.

At enim unus ergo Deus amandus est, neque creatura alia amari potest, quin huic amori supremo, quem Creatori debemus, inferatur injuria? possumus, immo proculdubio debemus creatas etiam aliquas res amare; sed næ propter Deum, non propter ipsas amandæ sunt. Ita non dividitur cum illis amor, qui Deo uni debetur: in ipsis enim diligitur Deus. Namque cum Deum ex toto corde diligere teneamur, quemadmodum Sanctus Augustinus *in Psalm.* 123. animadvertit; opus est, ut quidquid extra Deum diligitur, ad Deum referatur: *ut quidquid aliud diligendum venerit, illuc rapiatur quo totius dilectionis impetus fluit*. Hoc modo explicantes præceptum amoris Dei, præceptum quoque dilectionis proximi, & rationem, qua diligendus est, explicamus.

Amandi modus, qui Deo uni debetur.

Unus tantummodo Deus a nobis est eo amoris genere diligendus, in quo voluntas nostra quiescit, & quod a Sancto Augustino: *Dilectio mansoria* appellatur; amor videlicet, in quo immoramur, quin procedamus, & quin eumdem ad alium finem, & aliud amoris objectum referamus eo præstantius, cujus amore tenemur. Deus unus, iterum dico, hoc amore diligendus est; ipse enim unus finis postremus est, summumque illud bonum, ad quod omnes actiones generatim, omnesque nostri cordis motus, haud temerando æternæ legis præcepto, referre tenemur. Sed creaturas alio quodam inferiori amoris genere diligere possumus, in quo voluntas nostra non quiescit, & quod ab eodem Sancto Augustino: *dilectio transitoria* vocatur; hanc enim dilectionem referimus ad superiorem affectum, qui regnat in cordibus nostris, & quo omnes animæ nostræ motus reguntur. Hac de causa magnus ille Doctor Ecclesiæ, cum dixisset alibi, nos horum tantum alterum diligere posse, vel Deum, vel res creatas, primumque amorem Charitatem dixerit, quæ bonorum omnium est principium, alterum vero cupiditatem, quæ radix est omnium malorum: ut præcepti hujus veritatem apertius ob oculos poneret, hæc addit in lib. de Disciplina Christ. c. 2. *non quod non sit amanda creatura; sed si ad Creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, sed charitas erit.*

Amor, quo Deum prosequimur, foris ostendendus est.

Cum Scriptura docet, Deum omnibus viribus esse diligendum, intelligit, amorem quo Deum prosequimur non continendum esse intra cordis angustias, sed producendum extrinsecus per actiones, & agendum, quatenus vires nostræ sinunt, ut ostendatur amor, quo Deum diligimus, non esse theoreticus tantum, atque sublimibus ideis inanibusque cogitationibus solum intentus, sed practicus, & qui non tepide, nec ignave, sed cum omnibus animæ, corporisque viribus operatur. Hoc ex nobis requirit S. Joannes ubi ait: *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*: 1. Joan. cap. 3. Non bona tantum desideria requiruntur: opera etiam spectantur, ac frustra nos ex toto corde, omnibusque viribus Deum amare censebimur, nisi amor sese per actiones prodiderit, & verbis vita ipsa fuerit adversata.

Ex quo amare possumus, possumus ne summum bonum, bonorumque omnium originem, solum ac verum bonum agnoscere, quin ejusdem amore flagremus? quid in universo terrarum orbe animum nostrum potest allicere, quod Deus minime possideat? magnitudo, pulchritudo, potentia, bonitas in creatis quibuscumque rebus nihil aliud estis, quam umbræ imperfectissimæ: Deus unus magnus est, sapiens, potens, ac bonus. In creatis rebus qualitates amabiles in variis subjectis divisæ sunt, & ibi tot permixtæ defectibus inveniuntur, ut placere minime possint, nisi eminus conspiciantur. In uno Deo perfectiones omnes inveneris sine ulla immixtione, quæ displiceat; quo magis illas videmus cominus, eo admiramur magis; nihilque reperitur, quod eorumdem amorem non cieat. Majestas quidem inter homines observantiam meretur, non conciliat amorem; Deum e contra infinita ejusdem magnitudo efficit amabiliorem. Mens quidem in infinito harum perfectionum oceano confunditur; cor vero ibi veram felicitatem nanciscitur.

PARAGRAPHUS VI.

Loci ex Asceticis, & Neotericis Concionatoribus in hoc argumento delecti.

Obligatio diligendi Deum facile patet.

CUM inter omnia Divina præcepta primum, atque magis necessarium illud sit, quo Deum amare jubemur; nullum est, ad quod servandum, liquidiori, & apertiori ratione teneamur. Videtur hoc ignorari non posse, nisi ab illis, qui ita essent cæci, atque calamitosi, ut supremum adesse rerum Dominum non intelligerent; & jure asserere possumus, si Cœli, & ea omnia quæ in universo rerum orbe continentur, indesinenter Dei gloriam enarrant; simul etiam nobis præscribere, Deum hunc esse diligendum, Quomodo enim fieri posset, ut creatarum quarumcumque rerum auctorem intelligeremus, hæc omnia miracula bonitatis, & potentiæ ejusdem effectus esse, atque ex infinito hoc omnium divitiarum fonte in res omnes emanasse quidquid pulchrum, atque bonum in ipsis elucet cognosceremus; quin putaremus nos ad eumdem diligendum teneri? *Abbas de la Trappe in*

pe in libro de Vita Monastica Sanctitate, atque Officiis capite 7.

Æque illum amare, ac adorare tenemur.

De amore Dei idem est sentiendum, ac de cultu ejusdem, dummodo eumdem amare, & colere inter se distinguantur. Suprema ejusdem majestas objectum est nostræ adorationis; infinita vero ejusdem bonitas objectum est amoris, quo ab hominibus diligendus est; quemadmodum vero Dei colendi præceptum non aliud est, quam confirmatio illius obligationis, quam omnes homines contrahunt, ubi incipiunt esse, ita ejusdem amandi præceptum eam tantummodo confirmat legem immutabilem, cum qua nascimur: & quamvis Deus illa non protulisset verba: *Diliges Dominum Deum tuum*, non ideo minus illum teneremur diligere. Verum quin generalibus hujusmodi considerationibus immoreris, temetipsum inspice, & hanc veritatem in tui cordis intimo sensu reperies multo melius, quam in hominum animadversionibus & argumentis. Moyses dicebat populo Dei, quoniam exploratam atque compertam ipsi erat cordis ejusdem duritia: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi*. Deuteron. capite trigesimo secundo. Ego vero te ad temetipsum remitto: interroga conscientiam tuam, diligenter ea omnia perpende, quæ tam in ordine gratiæ, quam in ordine naturæ tibi præstitit Deus...... Tunc viscera tua commovebuntur, neque aliud officium, aliudve præceptum cognosces, quam quo Deum amare juberis. *Idem*.

Gratitudinis amore Deum prosequi debemus.

Postquam dixit Deus, se eo usque homines dilexisse, ut nobis Filium Unigenitum traderet, ut quicumque in ipsum crederet, non periret, sed vitam æternam haberet; nullus dubitandi superest locus, qua dilectione illum prosequi teneamur. Non enim ignorare possumus, gratiam infinitam, infinitam animi gratitudinem mereri, atque exigere. Gratitudo justitiæ simul & charitatis est affectio; hic est sensus cordis, quod beneficii naturam, atque qualitatem & rationem, propter quam confertur, metitur: quibus in rebus, cum nihil non infinitum reperiatur, ad æqualitatem servandam, gratitudo infinita esse profecto deberet. Hoc tamen fieri nullo modo potest; cum enim homo sua natura finitus sit, finitus est quoque in omnibus sensibus, ac dispositionibus suis; saltem vero diffiteri non potest, se Benefactori, ac Deo suo omnem, cujus compos est, debere gratitudinem, ac se ad eumdem ex toto corde, omnibus viribus, omnibusque facultatibus suis diligendum teneri. *Idem*.

Credendum est etiam, idque non temere, Dei amorem non externa quadam doctrina comparari, sed ex ipso nativitatis nostræ momento naturam ipsam rationabilem nobis facultatem infudisse, quæ efficit, ut in nobismetipsis hanc erga Deum amoris propensionem inveniremus.... Nullis indigemus documentis, inquit Sanctus Basilius, ut ardentius diligamus ea, in quæ naturali quodam impulsu, ac domesticis considerationibus ferimur; naturæque ipsius studium nos amare cogit illos, qui de nobis meriti sunt bene. Quid magis admirandum est, quam Dei pulchritudo? possumusne jucundiorem ideam mente concipere, quam magnificentiæ ipsius ideam? quid violentius fingi potest ea cupiditate, quam ciet Deus in animabus Divina charitate vulneratis? *Idem*.

Sanctus Augustinus virtutes omnes ad unam redigit charitatem, quam varia mutuari nomina docet, prout varie movetur, & circa varia objecta versatur: hanc modo vocari Temperantiam, cum vetat, ne amor, quo Deus est diligendus, voluptatibus corrumpatur; modo Fortitudinem, cum prohibet, ne adversitas ulla nos a Dei charitate divellat; modo Justitiam, cum non patitur alteri cuipiam thus adoleri, atque diligi; modo prudentiam cum singula discernere studet, ne quo dolo, aut simulatione fallatur. *Idem*.

Quomodo cognosci queat, utrum prælationis amor habeatur.

Videamus, inquit Sanctus Augustinus *in Psalm.* 85. Videamus parumper utrum parati sitis ad Deum ex toto corde diligendum, uti opus est, videlicet ad diligendum Deum super cætera amore prælationis. Cor tuum, inquit ille, interrogo, non os tuum: *respondeat cor vestrum fratres*, dic mihi si tibi Deus omnium bonorum possessionem, honores, omnes voluptates, perfectamque valetudinem in terris concederet, atque diceret, hæc tibi trado omnia, tu hæc in æternum possidebis numquam moriturus: Verum simul edico, te numquam in gloriam meam ingressurum, neque visurum faciem meam: responde quæso; gauderet ne cor tuum? in æterna creatorum bonorum possessione mens tua conquiesceret? *an gauderes? si gauderes nondum cœpisti esse amator Dei*, inquit Augustinus: cor tuum nondum eam nactum est dispositionem, quæ ad legem Dei servandam requiritur; aliquid enim est, quod ipsi Deo censet præferendum. Gaudium illud ostendit, terrenarum rerum amorem amori Divino præstare, & nihil ultra requiritur, ut charitatis ordo violetur. *P. Texier 12. post Pentecost. Domin.*

De cordis divisione inter Deum ac Mundum.

Facile patietur mundus humani cordis divisionem cum Deo, neque tæderet hominem, invenire viam, qua & Dei, & mundi amorem conciliare posset: verum enimvero primo præceptorum suorum prohibet Deus hujusmodi divisionem. Diliges, ait ille, Deum tuum ex toto corde, ex tota mente, ex omnibus viribus tuis, tuam voluntatem voluntati ejusdem omnino subjiciens, judicium tuum in obsequium mandatorum ejus componens, omnesque facultates tuas in fideli mandatorum ejus observatione exercens. Nemo potest duobus dominis servire eodem tempore, ait JESUS CHRISTUS: si enim alterum diligis, alterum oderis opus est. Ad hæc æquum ne putas Creatorem hominis humani cordis particulam possidere tantum, ut pars altera ejusdem inimico relinquatur? quæ nos causa ad hanc divisionem ineundam potest impellere? quæ nobis utilitas cederet, si illi, quorum cor divisum est, statim intereunt? *divisum est cor eorum, nunc interibunt. Deprompium ex P. Dozenne in morali JESU CHRISTI.*



Adde his, anima mea! licet Deus tuus non esset æque amabilis uti est, nonne hac una de causa diligendus esset, quod dilexit te tunc etiam, cum a te non diligebatur? Æternus Pater amavit te ex tota mente sua tradens tibi filium suum, Sapientiam videlicet suam, ac terminum cognitionis suæ; ex toto corde suo, tradens tibi Spiritum Sanctum, personalem amorem, omniumque donorum suorum principium; ex totis viribus seipsum inseparabiliter tibi tradens, postquam omnem suam fœcunditatem exhauserat. Facere ne posses, quominus mortalium omnium novissimum diligeres, si te infinite minori charitate diligeret? *Idem*.

Amor erga Deum integerrimus esse debet.

Amorem, quo erga Deum flagrare debemus, illi similem esse oportet, quo Deus nos diligit, & quamvis ipse nos non diligeret, nos tamen illum diligere teneremur, quin aliquid ultra hanc dilectionem spectaremus. Vera charitas seipsa contenta est, & puri amoris fructus est solius amor; ergo amo, quia amo, dicebat Sanctus Bernardus, & non alia de causa amo, nisi ut amem. Adeo integer amoris sensus fructu, & mercede non caret; verum est tamen amorem minus purum, dummodo Sanctus sit, semper esse necessarium, atque perutilem. *Idem*.

Hic Divinus ignis similis est igni elementari, num-

numquam dicenti fatis; quo magis Deum fuum amat anima ejufdem amore capta, eo magis eumdem amare cupit; quoniam illum cognofcit amabiliorem. Effectus numquam votis ejufdem refpondent; ac fe nihil præftitiffe putat, cum ea omnia præftiterit, quæ viribus fuis licuerunt, atque in hoc fe a Deo recepiffe plura, quam fe eidem contuliffe, profitetur. Quia humani cordis amor objectum infinite amabile æquare non poteft, magis magifque inflammatus in dies; & cor iftud tanta flamma fuccenfum cuperet creaturas omnes eodem igne flagrare. In ea tamen ardenti cupiditate, qua anima vota adeo flagrantia nuncupat, femper tamen contenta eft, atque fatis putat, fi ea in fe perficiantur tantum, quæ Deo placuerit fibi permittere. *Idem*.

Quam felix eft anima, cum adeo præclara jecit charitatis fundamenta! Ex iis etiam, quæ obfutura videbantur, plurimum capit utilitatis: *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Nonne charitas una omnia fimul vitia impugnat, atque profligat, cum reliquæ virtutes fingillatim vitium tantummodo fibi oppofitum evertant? nonne actiones ipfas, quæ nullo in difcrimine funt, fanctas efficit, eifdem fuum fpiritum impertiens? nonne virtutes ipfas ultra ipfarum gradum extollit meritum earumdem amplificans? Perfecta vero charitas nonne eft perfectionis gradus maxime fublimis? verum hæc perfecta charitas æque rara eft, ac amor proprius communis eft; illifque Efdræ verbis quæ lib. 4. leguntur, *dabit terram multam unde fiat fictile, parvum autem pulverem, unde aurum fiat*, non temere hic fenfus poffet appingi: multum quidem amoris proprii invenitur, charitatis autem parum. *Idem*.

Confiderationes ad amorem Domini excitandum. Amori tuo Domine non fatis fuit homini tot tantaque beneficia contuliffe, fed ut tibimet fatisfaceres, opus fuit hominem Deum graviffimos dolores, & maxima fupplicia fubire. Æterne Pater pro me tradens filium tuum, mihi tradidifti illum, quem æque, ac temetipfum diligebas, ac vifus es dilexiffe me plufquam illum, eumdem pro mei amore facrificans. Oh amor, qui adeo fuavis, & bonus es erga miferrimum peccatorem, quomodo potuifti effe adeo feverus erga Sanctum Sanctorum? Oh anima mea fi illos etiam, qui te oderunt, amare juberis, quo amore eum profequi debes, qui tantopere te dilexit? Verum fi nequis fanguinem reddere pro fanguine, quis prohibet quominus pro amore reddas amorem? Domine, fi mihi integrum non eft tanto te amore complecti, quanto diligi mereris, cur faltem nequeo te tantum diligere, quantum omnes te Cœleftes fpiritus diligunt? *Idem*.

JESUS CHRISTUS ea omnia poffidere vult, quæ fuo fanguine acquifivit: cor, amoremque noftrum tanto redemit pretio, ut ipfe unus eodem perfrueretur; hanc fibi refervat gloriam cum nemine dividendam: tu vero Chriftiane vis, hujus gloriæ participem fieri dæmonem, cui per fummum nefas teipfum tradis? væ, inquit Spiritus Sanctus, væ duplici corde; verum quid inde accidit? hoc profecto, quod Deus contemptu, & injuria laceffitus, quæ fibi per hanc indigniffimam divifionem infertur, recedit ab anima, eamque totam in dæmonis poffeffione relinquit. *Ex S. Auguftino tract. 7. in S. Joann.*

Quemadmodum Deus nos ab æterno dilexit, vult a nobis amari ftatim ac per ætatem licet. Ad illum tot de caufis fpectamus, ut mirum effe deberet, nifi omnes cordis noftri affectiones inquireret. Ipfe primus nos diligere incæpit, & eo amore diligere, quo feipfum amat; amore videlicet æterno, atque infinite liberali, & magnifico. Si ejufdem providentiæ adeo cordi fumus, fi ipfius mifericordia nos poft lapfus attollit; hæc omnia uni ejufdem in nos charitati accepta referenda funt. *Ex Dictionario Morali*.

Quidam amor naturalis eft, quo filii parentes fuos, hi vero fuos filios diligunt. Alius eft fympathiæ, quo eos amamus, quibus eadem infunt ftudia; alius reciprocus, quo mutuo illos diligimus, a quibus diligimur; alius confiderationis, & approbationis, quo eos amamus, quos amabiles effe cenfemus; nec deeft tandem amor complacentiæ, quo eos profequimur, qui nobis placere geftiunt. Multiplici hoc amore Deum diligere poffumus, & charitas, quam Spiritus Sanctus effundit in cordibus noftris quamcumque amoris fpeciem attollit, ubi Chriftianæ religionis præcepta fequamur. *Idem*. *Quot modis Deum amare poffimus.*

Præceptum, quo Deum amare jubemur, Magnum Antonomaftice appellatur. Primo. Magnum eft, quoad extenfionem, omnes enim homines generaliter obligat? æger jejunii, prolixarum precum legibus folvitur, Deum vero femper amare tenetur: Egenus eleemofynam erogare non cogitur, at Divinæ charitatis lege non folvitur. Hæc ea ratio eft ex Divi Auguftini fententia, propter quam hoc præceptum a Davide Pfalm. 118. latum nimis vocatur: *latum mandatum tuum nimis*. Secundo. Præceptum hoc Magnum eft quoad dignitatem; quam ob rem paffim comparatur auro, atque igni, quorum alterum inter metalla, alterum vero inter elementa maxime præftant. Tertio. Magnum denique dicitur propter diuturnitatem; omnia enim complectitur tempora, atque in omnem æternitatem vigebit. In Cœlo nulla amplius erit fides, quandoquidem facie ad faciem videbimus Deum; nulla fpes, illum enim poffidebimus; mifericordia nulla feu fpiritualis, feu corporalis; nemo quippe mifericordia ultra indigebit: Prophetiæ, Chriftianæ virtutes ceffabunt omnes, inquit Apoftolus; charitas una minime ceffabit. *Idem*. *Cur charitatis præceptum Magnum vocetur.*

Quam præftat reliquis omnibus virtutibus charitas, quandoquidem per eamdem unum & idem evadimus cum Deo! numquid humana natura aliquid præftantius cupere poteft? tu nobis, Domine, divinam fimilitudinem tuam in ipfa creatione dedifti; afferere tamen poffumus ejufdem lineamenta nobiliori modo in noftra corruptione duxiffe per eam charitatem, quam effudifti in cordibus noftris. Primam quidem Imaginem manibus tuis effinxifti: alteram vero per Spiritum tuum delineafti. Tunc primum homines tantum fecifti, fed per charitatem tuam iterum fecifti nos filios tuos, amicos, hæredes; per hanc charitatem tuam in hac etiam vita poffidere te incipimus eodem fere pacto, quo Sancti tui in Cœlo te poffident; tu vero nos incipis poffidere, prout in dies tua charitate nos reples. Beatos igitur Spiritus, qui tibi uni vacant, imitemur, oportet; te cogitemus unum, in uno te gaudium noftrum collocemus, ab omnibus creatis rebus divellamur, quemadmodum illi fejuncti funt a terrenis quibufcumque rebus, ut jugiter atque unice tibi vacent. Ita nobis vivendum eft, ut noftrum erga te amorem teftemur, & fumma, affiduaque diligentia adnitamur eum tibi amorem probare, quo te profequimur, eamque cupiditatem, qua tibi placere conamur. *Recens Auctor*.

Amor fexcentis modis gignitur; Mens objecto, quod diligit, femper intenta numquam fatigatur, femper de eodem verba facere vellet, neque oblectatur nifi in iis, quæ eidem placent. Qua cura & follicitudine ea peragit omnia, quæ illi voluptatem cenfet allatura, quo fervore ejufdem negotia tranfigit; ejufdemque ftudet utilitati? at ex hujufmodi indiciis intelligimus ne, Deum a nobis amari? namque quin infiniti *Quam ab hominibus amandus fit Deus.*

fere

fere infidelium numeri, a quibus non cognoscitur Deus, ratio habeatur, quotus quisque est inter fideles ipsos, qui eumdem vere diligat? numquid flagitiosi omnes illi, quibus nulla ferme religio est, & qui effrænata furunt in omne scelus audacia, diligunt Deum? numquid mundi voluptatibus addicti, turpia affectuum suorum mancipia, vel suimet ipsorum Idololatræ amant Deum? amatur ne ab illis, qui eumdem quotidie fluxæ, fragilique mactant voluptati, atque turpissimo quæstui postponunt; qui legem ipsius atque præcepta contemnunt, qui ipsius amorem nauci ducunt? Ex iis autem Israelitis veris, qui genu Idolis non flectunt, quot sunt, qui vere diligant Deum? .... Me miserum! Deus adeo bonus, liberalis, atque amabilis non amatur! ipse cor nostrum petit, quod eripere vel invitis posset; sed non vult ab invitis amari; nos vero, qui ultro cor istud primo tradimus occupanti, illud ipsum Deo uni renuimus? *P. Croiset Vol. 2. Recessus pro unico cujusque mensis die.*

Oh homines ingratos! numquid non satis adhuc præstitit Deus, ut cor vestrum mereretur; dicebat Moyses populo Israel:* recentia adhuc beneficia, recentia miracula quæritis? obliti ne estis pendulos fluctus, ut ex inimicorum vestrorum manibus vos eriperet; manna de Cœlo delapsum ut vos aleret; aliaque id genus sexcenta, quæ Deus pro vobis operatus est? *popule stulte* tot beneficiis referti, tot miraculorum testes, aliud quodcumque præter ipsum diligitis! quod Deus homines diligat profecto summa, & mira benignitas est; veruntamen illos tandem homines diligit, quos creavit: quod vero homines non diligant Deum, quam prætexere possunt causam, ingratitudinem teterrimam, atque indignissimam excusaturi? ubi serius hoc impium facinus animo revolvatur, mens quidem indignatur, atque in ipsum cor suum exardescit. Opus fuit ut explicite homini præceptum amandi Deum irrogaretur? proh indignum humani generis dedecus! illi, qui ratione polleret, nonne satis erat permittere, ut Deum suum amare liceret? Cum vero præceptum accesserit, num ideo magis diligitur Deus? *Idem.*

Nescimus utrum vere diligimus Deũ, & ejus amore digni simus.

Quandonam sperare potero a me Deum ex toto corde, & omnibus viribus amatum iri? Conscientia mea numquid jucundissimum hoc mihi testimonium perhibere potest, quod una dumtaxat die ipsum dilexerit? quoties me amor proprius fefellit, ubi Dei charitate maxime flagrare arbitrabar! quoties in ardentissimis votis amor proprius delituit? quot humani respectus, cum magis puro zelo me succensum existimabam? in ipsis etiam pietatis exercitationibus, quæ humanæ affectionis permixtio fuit? profecto si homo intelligere nequit, utrum odio, an amore dignus sit, nihilo minus certum est, utrum Deus ab homine diligatur eo modo, quo est diligendus. *Idem.*

In nequissimorum peccatorum cordibus excitantur nonnumquam adeo teneri pietatis sensus erga Deum, ut omnis impietatis conatus illos nequeat extinguere. Affectus hujusmodi a Tertulliano vocantur *Eruptiones animæ*, quæ suam intelligens calamitatem, ad Deum ferri vellet, & cum eodem conjungi. Anima hæc sub ipso etiam passionum pondere, quo obruitur, nonnumquam auditur emittere gemitus, atque suspiria ad Deum suum, & aliquando concupiscere ut cum eo conjungatur. Impii etiam, ubi affectibus suis sese manciparunt, atque voluptatibus sese dediderunt, in quædam suspiria erumpentes audiuntur opem Dei sui imploraturi; in ipsis etiam corporis ægritudinibus, divina opem ferente gratia, Omnipotentis Medici manum exposcunt. Quid istud tamen? numquid ita præceptum dilectionis Dei putas adimpleri? haud ita faste: hi quidem sensus amoris sunt, non actus: opus est, ut ultra sensum actus progrediantur. Hæc non conversio, inquit Sanctus Bernardus, sed inquietudo est animæ, quam affectus sui torquent, agitantque, quorum tyrannidem vellet illa quidem effugere. Hi sunt conatus, & emissiones animæ sursum votorum suorum flammas propellentis, ac Deum amare cupientis: *Eruptiones animæ*: hoc in animabus nostris invenitur ab ipsa natura & gratia in illis insculptum. *Desumptum ex serm. quem putant P. Massillon de Amore Dei.*

Explicatio verborum quibus preceptum amandi Deum continetur.

Cum Deum ex tota mente jubemur diligere, numquid reliquis omnibus cogitationibus fuisse interdictum, existimandum est? non ita: non prohibemur aliis etiam rebus cogitationes nostras impendere; sed hujus præcepti verba significant, cogitationes nostras amore Divino regi oportere, omnesque ad ipsum referri, quod sedulo est animadvertendum: Ita cum præcipit Deus, ut ipsum ex toto corde diligamus, ideoque in ipsum omnem affectionem convertamus; numquid ideo quemlibet amicitiæ sensum vetat, omnemque jubet erga fratres nostros benevolentiam extingui? neque istud profecto: non vult hos amicitiæ, & benevolentiæ erga fratres nostros auferre sensus, cum immo jubeat ipsos a nobis amari; sed hoc tantum innuit, hujusmodi amicitias ab omni sceleris affectione vacuas esse debere, ut cum omnis dilectionis centro, qui Deus est, possint conjungi. Cum imperat, ut ipsum ex tota anima diligamus, numquid imperat, ut nonnisi propter ipsum agere & versus eumdem moveri possimus? haud quaquam non est hæc voluntas Dei, ut nihil in terris agamus; cum immo quædam sint, quæ præstare jubemur: sed hoc exigit a nobis, ut ea quæcumque agimus ita regantur, atque instituantur, ut amore Dei animari possint & ad ipsum referri. *Idem.*

Ideo repugnat, quamlibet amoris speciem cum Dei amore inveniri, quod cum humanum cor aliquod objectum diligat, alterum eodem amore complecti non potest; cor enim finitum est, plura simul capere objecta nequit, & quod alteri traditur, aufertur alteri. Quomodo ergo Deum tuum potes diligere, qui totum, quantum est, cor tuum deposcit; simulque deperire divitias, voluptates, vanitatem hanc, cui tamquam vile mancipium obsequeris? putas ne Deum, qui se zelotem esse profitetur, admittere posse amorem ex diviso corde profectum? ubi ergo imperat, ut ex toto corde, & ex omni benevolentia illum diligamus; hoc imperat, ut ipsum sine ulla divisione cordis amemus. *Idem.*

Cum preces, atque Orationes effundimus, aliquæ nobis de Deo cogitationes subeunt: sed cætera mundo devota sunt. Cum aliqua devotionis opera aggredimur, aliquid pro Dei cultu præstamus; postmodum vero omnia voluptatibus atque solatiis abdicuntur. Cum pietatis Christianæ exercitiis incumbimus, nonnihil Deo vacamus: at præterea omnia creaturis impendimus. Hoc igitur illud regnum est divisum, quod Salvator desolatum iri docuit; hæ duæ partes illæ, quæ in Evangelio damnantur. Illud tamen magis adhuc miserandum est, ac prodigii instar, quod Deo quidem sequior tribuitur pars, melior mundo; ac Deo minus, quam creaturis defertur. *Idem.*

Plerique Deum se amare profitentes ore tantum hoc dicunt.

Vos, o mundi sectatores, alloquor; cor vestrum interrogate: potestisne dicere Deo, utique Deus te amo, quomodo jubeor amare? hoc dicitis fortasse: sed intelligitis ne, quid dicatis? hæc vocabula nullam in ore vestro vim obtinent: ego vero cum hinc quidem vos terrestribus desideriis inhærere, fluxa hæc, atque fragilia

gilia deperire, ac amore proprio teneri videam; inde autem intuear præcepti hujus vim, quo Deum ex tota mente, ex toto corde, ex tota anima tenemur diligere: arguo non posse vos jure affirmare, quod asseritis: amo te Domine quemadmodum præcipis: atque flatuo, hoc a vobis dici non posse, citra mendacium; si enim dixeritis, ex tota mente diligo; quid tandem dicent omnes illæ cogitationes, quas terrenis rebus, divitiis, atque voluptatibus impenditis? &c. *Idem*.

Quam felices essemus, si cum veritate affirmare liceret, Deum a nobis amari! hoc est Christiani viri officium, hæc Sanctorum occupatio, hæc vita æterna, Deum videlicet cognoscere, & amare. Verum id putem esse amare Deum, vix ejusdem veritatem credere? verbum ipsius sine ulla cupiditate percipere? voluntatem ejusdem incuriose adimplere? numquid amare Deum est, cor suum & Deo, & mundo dividere, & vitam semi-Christianam, & semi-paganam traducere? numquid amare Deum est, cor ac mentem inanibus honorum, atque divitiarum ideis replere; fluxis, quæ possidentur bonis acquiescere, atque æternorum, quæ sperantur, oblivisci? numquid amare Deum est, obmurmurare, si quæ accidunt mala, quasi vita nostra esse deberet fortunatorum eventuum series non intermissa, & quasi ea lege soluti essemus, qua tenetur quisque conformis esse imagini JESU CHRISTI, atque passionum ejus socius, & particeps? *Flechier in Paneg. S. Augustini*.

De præcepto amandi Deum. Dei Filius novum tantummodo pondus adjecit præcepto illi, quo jam tenebantur omnes etiam antequam ille in terras descenderet. Scriptum est: diliges Deum tuum; ubi vero scriptum? insculptum est in cordibus nostris. Præceptum diligendi Deum æque vetus est ac homo ipse. Poterat ne homo ea Genesis verba legere: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris & volatilibus Cœli, & bestiis, universæque terræ*, quin putaret se teneri ad Deum amandum, qui sibi nobilem adeo formam, atque adeo ingentem potestatem contulerat? Cœli, quemadmodum inquit Propheta, enarrant gloriam Dei: Cœli, inquam, & quidquid in universorum ambitu continetur, simul nos edocent, qua charitate Deum ex toto corde amare cogamur. Numquid ignorare possumus, quinam sit horum omnium operum Artifex? hæc omnia miracula ab illius Omnipotentia esse profecta; ipsum unum esse vitæ fontem; creatas quascumque res a Deo mutuatas fuisse quidquid nitet in ipsis; nihil in terris, vel in Cœlis esse, quod Deum tamquam principium suum, supremumque Dominum non agnoscat & colat: Hæc inquam scire possumus, quin illum a nobis diligendum esse credamus? *Lambert homil. in Evang. 12. post Pentec.*

Quid sit Deum ex toto corde diligere. *Diliges Dominum ex toto corde tuo*. Hoc est, diliges Dominum magis, quam aliud quodvis objectum, neque ita injustus eris, ut æqualem & Creatori, & Creaturæ in corde tuo locum præbeas. *Diliges Deum ex toto corde tuo*: hoc est, quidquid in terris dilexeris, consanguineos, amicos; Diliges omnia propter Deum, quoniam Deus hoc tibi præcipit; & eo diliges modo quo Deus tibi præcipit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; hoc est, voluntatem ejus explorabis, ut ardentius ea quidem, quæ illi placent concupiscas, illa vero diligentius evites, quibus ipse læditur, & quæ præceptis ipsius adversantur. Hoc lex jubet; hoc in ipsa perleges; hoc ex eadem inferes, si recte sensum ejusdem scrutari velis. Oh utinam sanctæ hujusmodi veritates vestræ damnationis sententiam minime efficiant! Utinam Deus, qui se cordis nostri zelotem esse profitetur, sese nobis inexorabilem minime præbeat, eo quod ipsum rerum omnium Creatorem, creaturæ posthabendum esse censuimus. *Idem*.

Factis, non verbis probatur amor: & quicumque operam suam illi præstare detrectat, quem se diligere profitetur, palam hunc a se minime diligi ostendit. Jacob Rachelem amabat, quam ut a Labano obtineret quatuordecim annorum pertulit servitutem. Hoc exemplum fideles omnes sequi debent, ut probent Deo suo, se ejusdem amore teneri. Huic serviant, opus est, non quidem ad tempus, sed toto vitæ hujus curriculo, ut eumdem in altera vita possidere mereantur; hæc enim servitus, hæc sollicitudo, qua illius mandata servare conantur, hæc perseverantia, qua patientiæ, atque passionum ejusdem participes fieri ad ipsam usque mortem non detrectant, certissimum est amoris ipsorum argumentum: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*. 1. Joan. 3. Hic igitur lapis est lydius, quo nosmetipsos probare possumus, ut cognoscamus, utrum vere Deus a nobis ametur; videlicet Divinæ legis obedientia. *Abbas de Monmorel in hom. pro Domin. Pentec.*

Dei Filius sciscitanti scribæ quodnam esset mandatum magnum in lege, respondit, *diliges*; non ait ille, timebis: diligere enim multo magis significat, quam timere: timor quidem est initium sapientiæ, sed amor ejusdem perfectio est; & amor perfectus timorem expellit. Deus igitur non solum vult tamquam Dominum metui, sed tamquam Patrem amari. *Diliges Dominum*; illum, qui cum sit rerum omnium Dominus, jure obedientiam nostram expetere potest, & qui cum omnia terræ bona cordi nostro posthabeat, satis putat, hoc imperare, ut ametur. *Diliges Deum*, hoc est ens illud primum, atque supremum, ideoque summo dignum amore: *Deum tuum*, cui servis, qui te elegit in populum sibi, qui te omnibus terræ gentibus prætulit, qui te beneficiis cumulavit. Hæ sunt rationes, propter quas Deum amare tenemur; ubinam validiores, atque potentiores occurrere possunt? *Idem in 17. Domin. post Pentec.* Considerationes in hoc præceptum.

Proh vanissimam hominum cæcitatem! Præcipuum hoc præceptum non amplius servatur, quam postremum, atque eodem est in loco, ac si minimique momenti haberetur. Disputant quidam, utrum adimpleri possit; putant enim ita supra hominum vires esse positum, ut nonnisi in altera vita adimpleri posse arbitrentur: alii de ejusdem certant necessitate, & illud ita coarctant, ut a Christianis hominibus nonnisi quosdam actus amoris Dei, quibusdam in occasionibus, quæ perraro accidunt, exigendos esse censeant. Intelligamus aliquando præceptum hoc non esse impossibile, quandoquidem illud nobis irrogat Deus. Mandatum, quod vobis hodie propono, ait ille per Moysem, non est supra eos, neque procul a vobis ..... Sed ut illum perfecte amemus, prout nostra facultas patitur, quin amoris actus tunc proferamus tantum cum necessitas cogit; quin disputemus, utrum eos proferre teneamur, an secus; nosmet ad perfectum hunc amorem debemus attollere repetitis actibus, qui æque ferventes sint ac frequentes, nihilque prætermittere, ut in dies augeatur in nobis, ejusque perfectionem qua precibus, qua bonis operibus adipiscamur, *Idem, ibidem*.

Hoc munus explebis, ubi dilexeris Deum eo modo, quo diligendum esse docet Divus Bernardus: hoc est sine modo, sine mensura: *modus diligendi Deum est diligere sine modo*. Cum nihil habeamus, quod a Suprema Dei largitate non obtinuerimus, quæ indesinenter invigilat; ut il- Quomodo Deus amandus.

ut illud esse, quod nobis tradidit, tueatur, cumque nullum momentum elabatur, quo ille nobis non præbeat infinitæ suæ dilectionis, qua omnes homines complectitur, argumenta; exigit quoque, ut jugiter gratum animum habeamus; nobisque quidquid virtutis, atque facultatis est, exhauriendum, atque exprimendum est, ut sensu cordis nostri, atque operum, & actionum nostrarum fidelitate immensis ejusdem beneficiis, atque largitatibus gratias referamus. Amor noster nullis circumscriptus esse debet terminis præter illos, quos fragilitas nostra præscribit. Hoc pacto mandatum illud explebimus, quo eumdem ex toto corde, ex tota mente, atque ex tota anima jubemur diligere. *Abb. de la Trappe in Collect. in omnes anni Domin. Domin. decima secunda post Pentec.*

Si me amas, ait JESUS CHRISTUS, observa mandata; qui illa audit, & servat, hic me diligit; neque aliud amoris tui indicium est, quam præceptorum observantia. Nequicquam amare credis, nisi agis: verus amor iners esse non potest, neque amorem invenies nihil agentem: *Dilectio*, inquit Sanctus Augustinus, *vacare non potest: da mihi amorem vacantem, & nihil operantem*. Amor, qui sincerus est, sese prodit operibus, non illis autem, quæ ab sensuum, manuum, & linguæ adminiculo pendent, sed intrinsecis operibus, ipsis animi motibus, quorum exteriora opera non aliud sunt, quam effectus. Charitas in anima ipsa efformari debet, ibi nasci, ut cum occasio tulerit, inde tamquam ex principio suo, & fonte dimanet. *Idem. Collect. in decima nona Dominica post Pentecost.*

Mirum est, quod a Deo ipsum amare jubeamur.

Diliges Dominum Deum tuum &c. Hæc JESU CHRISTI verba numquam mecum tacitus reputo, quin cum Divo Chrysostomo obstupescam, homines, qui pro Deo facti sunt, qui propter Dei beneficia subsistunt, qui propter Dei dona locupletes sunt, qui a Dei misericordia mercedem expectant, esse nihilominus adeo cæcos, ingratos, ac ferreos, ut explicito sint constringendi mandato, ut Deum suum diligant. Hortandi non estis ut amicos, patronos, consanguineos vestros diligatis: illis omnem benevolentiam, omnemque curam impenditis, omnem operam vestram præstatis, gratumque animum testamini. Neque excitandi estis ad creatarum rerum amorem: quot enim sunt, qui easdem ad insaniam usque depereunt? siccine tu, Domine, unus es, pro quo sensus eosdem minime foveamus? siccine, licet clementissimus, potentissimus, atque amantissimus sis, beneficiis tuis adeo parum movemur, ut non monendi solum, verum imperio cogendi simus, ut te diligamus? *Joly serm. pro 12. post Pentec. Domin.*

Diliges Dominum Deum tuum. Quam jucundum hoc verbum auribus accidit! hinc intelligo, cor meum majori in pretio esse, quam arbitrabar; quandoquidem illud expetit Deus; eique injurius sum, si quid humilius perquiro. Terrena objecta, quam miser vos olim dilexi! jam abiistis, jam nullo apud me estis in pretio. Jam mihi persuasum est, Deum mereri dilectionem meam, & quidquid infra ipsum est, esse meo amore indignissimum. Ille unus est, qui est; ego sum nihil; ille Creator, ego creatura; ille Dominus, ego mancipium. Verum nihil interest: novi me ab eodem in pretio haberi, amorem meum ab ipso perquiri: profitetur ille, si quid præter ipsum dilexero, insignem sumpturum ultionem, atque in eas exarsurum iras, quibus irritatus amor corripitur, ubi contemnatur. *Auctor serm. Christian. in 17. post Pentec. Domin.*

Cum Deus unus sis,

Audi Israel, Deus, inquit in Deuteronomio, *Deus Dominus unus est*. Quid inde inferendum est Domine? hoc nempe; diliges illum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, atque omnibus viribus tuis. Qui enim esse potest nexus inter Dei unitatem, atque præceptum amandi illius ex toto corde, nisi ut doceamur alterum ex altero consequi; & cum Deus unus sit, integrum non esse nobis, cor nostrum dividere, ut partem illius creaturæ impendamus?.... Cor nostrum quantum est, totum Dei est; non petit illud a nobis tamquam vectigal, sed tamquam depositum, omnino ad ipsum pertinens, & cujus sors ipsa, & fructus spectant ad illum. *Idem Auctor.*

cor non est dividendum.

In lege veteri præceperat Deus, ut Sacer ignis in Altari semper arderet, & mandaverat Sacerdotibus, ut nova suppeditantes alimenta noctu æque, ac interdiu jugiter illum foverent. Ignis ille symbolum erat charitatis, quæ semper ardere debet in corde fidelium tamquam in ara. Ignis hic noctes, diesque alendus est bonis operibus, Sancto usu omnium vitæ nostræ momentorum jugi in Deum applicatione, prout nostra infirmitas patitur, ac summa fide, qua tot acceptis beneficiis gratias tenemur rependere. Qui ignem hunc interire sinunt, vel de cordibus suis abjiciunt, ut profano ardeant igni, nihil minus nocentes sunt, quam Nadab, & Abiu, qui contra Domini præcepta in acera communem, vulgatumque ignem attulere, quo Deo thus adolerent. Illis non minus funesta mors imminet, quam duobus his filiis Aaron, quos in sceleris pœnam flamma vorax absumpsit, atque in cineres redegit. *Idem.*

Vim sibi inferat oportet, qui Deum non amat.

Naturale est illum amare, qui bonus est: magis igitur naturale est illum diligere, qui summum est bonum, & maxime naturale Deum nos amantem amare. Ubi ab hoc objecto summopere amabili avertimus oculos, mentis nostræ lumen extinguimus, cordi nostro vim facimus; ac ne illud studium suum naturale sequatur, prohibemus. Sibimetipsi inferre vim, ne Deus ametur, & effugiatur ille, qui unus nos beatos potest efficere, nonne idem est, ac sibi necem consciscere, atque esse propriæ felicitatis inimicum? Autem præbeamus rationi, cordi vero liberam sinamus viam, ne illi vim adeo funestam nobismetipsis afferamus. Quandoquidem propter Deum cor factum est, permittamus ut ipsum inquirat, & in ipso quiescat. Cor nostrum factum est, ut diligamus Deum, atque ut ipsum unum diligamus: Numquam erimus tranquilli, numquam læta pace fruemur, donec objecta creata cor nostrum repleverint, ac per summum facinus Creatori creaturam ipsam prætulerimus. *Lambert in Sermon. de Vita Eccl. Serm. 6. de Amore Dei.*

Omnia simul collige beneficia, quibus te cumulavit Deus, titulos omnes, quibus te decoravit, promissiones omnes, omnia bona, & quæ possides & quæ te possessurum speras; cum Propheta dic, multiplicasse Dominum misericordias suas; cum eodem Propheta exclama: quis intelliget misericordias Domini? Verum quem in te gignet affectum harum misericordiarum aspectus? scio equidem, quo grati animi sensu afficereris hominem intuitus, qui de te meritus esset per quam bene; novi cor tuum, te generosum jactas, ubi audis exprobari hominum ingratitudines, atque obliviones quæ pudorem, & dedecus afferunt; fremis iræ impatiens, atque fieri minime posse putas, ut in ejusmodi vitia prolabaris. Verum Divina oblivisci beneficia, amore ejusdem non tangi, eidem denegare cor, quod unice petit ex nobis, nonne ingratitudinum omnium iniquissima est atque teterrima? *Idem.*

Nullam rationem habemus,

Verum quam rationem afferre potes, propter quam Deo cor tuum præbere recusas? cui vero tra-

propter quam Deo cor nostrũ dare abnuamus.

dis cor illud ; quod aufers Deo ? maximus te rubor suffundet cum in statera hinc quidem appendes Deum, inde vero illud, quod Deo censes præferendum. Licet enim injustitiam tuam dissimulare coneris, satis liquet hanc a te comparationem institui. Deus se tibi offert, hoc nosti, neque ambigere potes, nimis enim sæpe suum sensum explicuit: mundus quoque se tibi offert, ac sua tibi exhibet bona: tuum est, utrum mavis eligere Deum ne, an mundum. Certum est igitur, ubi sententiam protuleris, illum, cui litem adjudicabis, de corde tuo victoriam esse relaturum. Quid ais? Deumne, an mundum inimicum Dei, sequi cupis? Verum (me miserum!) quid sententiam præstolor? jam lata est; jam turpe judicium prolatum est, jam in corde dixisti mundum magis esse amabilem, quam Deum. *Idem Lambert.*

Cum de re aliqua non cogitamus, argumento est, nos eadem non affici. Hoc autem eo verius est, ubi agitur de Deo, quod ea omnia, quæ occurrunt oculis, nos monent, ut ejusdem reminiscamur: igitur si illius nos capit oblivio, dicendum sane est cor nostrum ferreum esse, neque ulla affici charitate. Nam quantumvis parum nos Divina bonitas alliceret, quomodo fieri posset, ut non sæpissime de eo cogitaremus inter illa objecta, quæ perfectionum ejusdem memoriam revocant? Creatis quibuscumque rebus sermo suus inest, & nihil est, quod de Deo non loquatur. Si audire voluero (Sanctus Augustinus ait) vocem rerum omnium, quas creavit Deus; si illas consuluero, nulla erit, quæ liceet tacite de eo mihi non loquatur, atque eumdem amandum esse non doceat. Ille sane parum amat, qui Dei sui obliviscitur, cum ea omnia, quæ accidunt oculis, ut ejusdem reminiscamur invitent. *Idem.*

Dei amor efficit, ut contemnamur omnia.

Quid igitur? Divinus amor majorem non habebit vim, quam amor sæculi, qui mera corruptio est? Vide quid amor sæculi suis mancipiis imponat, quibus laboribus, curis, tædiis, ærumnis, periculis illos objiciat? qui pro Deo id faceret, quod amatores sæculi quotidie pro inanibus idolis operantur, per apotheosim inter Sanctos recensendus videretur. Verum Dei amor minimum prophano amori concedet: qui eodem flagrabunt, virtutem ejus ostendent. Ignis est, ait Augustinus, qui non extinguetur, licet tentationes eadem vi nobis ingruerent, qua rapidissimi fluvii feruntur. *Idem.*

Una tantummodo ex passionibus legitime colenda est, amor videlicet Dei: amor, qui reliquos amores subigere debet; amor, qui reliquos amores debet in vincula conjicere; amor, qui sese debet extendere ad omnes locos, omnia tempora, cogitationes omnes, desideria, actiones, ne ullum quidem vacuum relinquens locum, ac ne permittens quidem, ut alius quilibet affectus in nobis locum inveniat. Si hujusmodi fuerint sensus nostri, nullæ amplius erunt Mundi illecebræ, quæ nos fallant, atque captivent, tristitiæ nullæ, quæ nos prosternant: ea ignorabimus omnia, quæ ibi transiguntur; rebelliones, aliique eventus ad nos usque minime pervenient, atque tunc solum ea cogitabimus, cum ante aras ea mala deflebimus. Sancta correpti impatientia propter exilii nostri diuturnitatem, ut olim Sanctus Paulus, exui cupiemus hoc mortali corpore, quo detinemur in terris; amor noster adeo invictus erit, ut ejusdem ardorem vix pati possimus; adeo vero jugis, ut nihil unquam illum intercidere valeat. Enitescet ubicumque sive in laboribus, sive in conversationibus, sive aliis quibuscumque rebus &c. *Auctor Panegyricorum quibus titulus, Actiones Christianæ Sermone de Officiis Vitæ Religiosæ.*

Quam amandus sit Deus.

Mirum profecto est, esse adhuc argumentis probandum, quod Deum digigere teneamur. Ex quo per ætatem eumdem amare nobis licuit, potuimusne, supremum bonum, bonorum omnium fontem, unicum verum bonum cognoscere, quin a nobis diligeretur? dicendus profecto est, Deus non satis cognosci, quandoquidem adeo parum diligitur. Nisi Deus nobis charitatis præceptum irrogasset, diceret fortasse quispiam, se propter reverentiam amore illum prosequi non audere; sed cum ille non permittat solum, verum etiam præcipiat amorem, quinam illum potest non amare? quænam res in terris esse potest, quæ cor nostrum afficere valeat, nisi Dei amore afficiatur? magnitudo, species, potentia, bonitas, in omnibus creatis rebus non aliud estis quam umbræ levissimæ: Deus unus magnus est, sapiens, potens, & bonus. In creatis rebus amabiles qualitates divisæ sunt, immo sunt tot permixtæ defectibus, ut sæpe non nisi eminus placeant; Deus unus omnes obtinet perfectiones sine ulla immixtione, quæ displiceat; nihil habet, quod non sit summopere amandum; majestas quidem inter homines, reverentiam conciliat; verum non semper aliena sibi corda captivat; in Deo vera infinita ejusdem magnitudo illum efficit amabiliorem; in infinito hoc perfectionum Oceano mens ipsa confunditur, sed animus ibi veram invenit felicitatem. *P. Croiset in Recessu pro die cujusque mensis tom. 2.*

Licet præclaris dotibus fulgeat, atque amorem sibi concilier objectum illud, cui cor nostrum adhæret in terris; hoc tamen ne uno quidem momento felix inde esse posset. Quot molesti eventus, quot non præmeditatæ mutationes, quot mala quietem nostram perturbant! metus ne amittatur, sollicitos tenet; amor enim rerum creatarum ab omni cura, & dolore sejungi non potest. Tu Deus, qui unus felicitatem meam constituis, meus esse potes quamdiu voluero; non ærumnæ, non mala, non potestates te ex anima mea possunt eripere. Ego vero in adeo amabili objecto nullam molestiam, nullam immutationem debeo metuere. Deus hic adeo amabilis non solum cor nostrum non dedignatur, verum etiam in ea complacet sibi, & quasi delicias suas putat. *Idem.*

Deum amare tenemur, quia ab illo diligimur.

Quinam gratitudinis, atque amoris sensus in animo nostro accenderentur, si intelligeremus potentissimum terrarum principem nosmet sua dignari benevolentia? tu, Domine, amas me! omnia probant amorem tuum erga me, ego vero te non diligam? ita est; Deus non solum infinite amabilis est, verum etiam infinito nos amore complectitur: si enim beneficia manifeste probant amorem; nonne iisdem a Deo in singula momenta cumulamur, tunc etiam cum illis contra ipsum abutimur? omnia dicunt, nos a Deo amari: quandonam vere dicere poterimus, a nobis diligi Deum? *Idem.*

Si alienus nescio quis, mihique ignotus vel minimum ex illis beneficiis, quibus quolibet momento me cumulat Deus, præstitisset mihi, summa profecto illum benevolentia complecterer, etiam si numquam illum vidissem, & nihil ultra expectarem: tu unus ergo, o Deus, neque ipsorum beneficiorum pondere & numero cor illud delinire nequis, quod aliis quibuscumque ultro prodigimus? tibi uni amorem nostrum renuimus? Hæc quidem beneficia omnibus communia sunt; non ideo tamen iisdem minus affici debemus. At desunt ne peculiares rationes quædam, quæ singulos ad Deum amandum impellant? numquid obliti sumus amabiles Divinæ providentiæ curas in qualibet ætate nostra? quænam subsidia adeo necessaria, & adeo inexpectata? quot gratiæ tunc etiam temporis, cum iisdem indignissimi eramus?... Nemo est, qui in semetipso plurima Di-

vinæ

vinæ providentiæ miracula fuerit expertus, nemo, qui ab ejusdem largitate majora adhuc minime expectet: qui vero sunt grati animi sensus, quæ charitas nostra erga Deum beneficum adeo, & liberalem? *Idem*.

Nostra nos utilitas cogit, ut Deum diligamus.

Non solum æquum est, Domine, ut tibi omnem amorem impendam, verum etiam nonnisi in te amando maximam nanciscor utilitatem. Nullum gaudium verum, nulla pax, nulla felicitas in terris nisi in te diligentium corde invenitur. His quidem me invidere profiteor: verum quid obstat cur hac ipsa felicitate ego quoque non perfruar? quid prohibet, ne diligam te? Heu quanam desperatione moriturus obruerer, nisi te dilexissem! Quam magna calamitas est morienti non amasse te? Cur ergo vivens amore tui non teneor, non capior, non uror? *Idem*.

Præcepisti mihi Domine, ut te diligerem, & non diligenti gravissimas minitatus es calamitates. Numquid calamitas ulla tanta esse potest, quæ calamitatem te non diligentium exæquet? Attamen ultro, atque libenter in hac ipsa calamitate versor, atque miserrima cæcitate sæpius in eamdem relabor. Quidnam igitur erat in Deo adeo magno, atque misericordi, quod videretur contemnendum, vel potius quod non esset infinito amore dignum? Verumtamen quasi vel de tuæ pulchritudinis illecebra, vel de cordis mei duritie diffideres; nonne imperio me adegisti ut amarem te? tu me beneficiis impulisti, gratia sollicitasti, promissionibus excitasti, imperiis coegisti; denique cum amore hoc perfectionem meam, meam requiem, gloriam, felicitatem, & hujus vitæ & futuræ conjungere voluisti. Cum Omnipotens sis, aliquid ne amplius præstare poteras, ut me ad te amandum allliceres? Ego vero plurane præstare potui, ne te amore prosequerer? miserum me! pudore enim undequaque suffusus fateri cogor me vel nondum, vel sero, vel parum te dilexisse: *sero te amavi, pulchritudo tam antiqua, & tam nova, sero te amavi!* Fac igitur Deus, ut in posterum te unum diligam, etsi adeo infelix fui, ut tot annos viverem, quin tuo amore flagrarem, ne unum quidem temporis, quod superest mihi, momentum fluat, quod amori tuo minime impendam; fac, ut amoris mei fervor id reparet, quod ejusdem deest diuturnitati; fac ut tantum te amem, quantum a me læsus fuisti; fac ut peccatorum meorum magnitudo amori meo, & argumentum præbeat, & mensuram. *P. Nepveu lib. cui tit. Ratio sese preparandi ad mortem*.

Omnium malorum maximum est, non diligere Deum.

Nisi te dilexero Domine, ingentia mihi mala minitaris, quasi gravius aliquod malum inveniri possit, quam te non amare. Haud ita Domine, si mihi terrorem incutere vis, ne intentes mihi ignes inferni, sed minitare solum me amoris tui igne minime conflagraturum; hæc enim pœna inferno ipso gravior erit. Nam infernus si cum amore tuo posset inveniri, quemadmodum inquit Salesius, verus esset Paradisus; & hæc mihi saltem esset consolatio, & lætitia, quod nullum amore tuo locum vacuum intuerer: Paradisus vero sine amore tuo, si inde exulare posset, in verissimum infernum converteretur. *Idem. In Christianis Considerat. tom.* I.

Si Sancta hac excitati essemus charitate, & Cœlesti hoc igne flagraremus, extra nosmetipsos, ut ita dicam, rapti, unice adhærentes Deo, ejusdem amore repleti, & zelo gloriæ ipsius succensi, æque contemneremus quidquid vel magis terribile, vel magis jucundum in terris est, & neque pœnis, neque præmiis alterius vitæ, vel territi, vel illecti cum Sancto Paulo diceremus: *certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit non separare a charitate Dei. In Collect. Elucub. oblat. Parisiensi Accademiæ anno* 1689.

Charitatis præstantia.

Charitas id animæ est, quod corpori cor; pars occultior, sed pretiosior; quandoquidem reliquis virtutibus pretium tribuit, & quin ex ornamentis, quibus circumsepta est, fulgorem emendicet, ipsa illis pretium confert, atque virtutem. Sine charitate Fides vitam; Spes Motum; Prudentia Lumen; Fortitudo Robur; Justitia Pondus; Temperantia Meritum; Merita vero præmium non habent; & dici potest, amisisse omnia, qui Dei amorem amisit; cætera enim nihil sunt, & ille unus rerum omnium locum obtinet. Deum uno tantum charitatis actu dilige; omnes ita jacturas reparas, efficis, ut omnia bona opera reviviscant, amissa jura iterum recipis, & debita quæcumque persolvis. *P. Nouet tom.* 2. *Medit. de Sanctis*.

Quomodo possumus non diligere Deum, qui nos tot, tantisque beneficiis cumulavit? Possumus hæc quidem recipere, & illis frui; sed illa intelligere ac recensere non possumus. Recensenda enim illa sunt juxta rerum creatarum numerum, quarum ne una quidem pro nobis creata non fuit, & quæ ideo non sit Divini erga nos beneficium, & argumentum amoris. Cœlum, Terra, & omnia, quæ in eis sunt, indesinenter clamant, ait Sanctus Augustinus, ut amem te: verum me miserum! vocibus earum aures obstruo. Hæc omnia beneficia ex omnibus vitæ nostræ momentis erunt memoranda, quorum ne unum quidem iisdem vacuum repereris: imo numeranda essent ex omnibus vitæ Salvatoris nostri momentis, & ex omnibus motibus mentis, & cordis ipsius, quorum ne unum quidem ille nobis minime impendit. *P. Nepveu tom.* 2. *Considerat. Christ*.

Vis Divini amoris.

Amori Divino invicta quædam inesse vis mihi videtur de quocumque obice triumphans. Cum homo aliquis violento amore terrenam quampiam deperit formam, quid non ille licet arduum non præstat? Licet repulsam ferat, persistit tamen; in malis patiens est, quin sciat, utrum eorum habenda sit ratio; aliis quibuscumque objectis non afficitur, licet oculis suis alia amato longe pulchriora accidant; munera large, effuseque donat; res suas maximi quamvis momenti contemnit, paratus etiam vitam suam in discrimen afferre, ut quidquid felicitati suæ adversatur, amoveat. Haudquaquam Domine; non diligimus te quomodo diligendus esses, o infinita pulchritudo, qui certa es illorum felicitas, qui in te uno perquirendo perseverant! invenerunt quidem Gentiles prodigia ad profani amoris vires amplificandas; majora sane miracula Sanctus amor patere novit. Hic effecit, ut inter ipsas Synagogæ persecutiones Apostoli, atque Discipuli Redemptoris præ lætitia exultarent; hic Divo Laurentio ardentes prunas in delicias convertit; hic effecit ut tot Virgines de omnibus mundi illecebris victoriam reportarent; hic plurimos impulit Sanctos, ut in corpus innocuum pœnas quasdam morte ipsa graviores exercerent. Hunc adeo strenuum, fortemque amorem mihi, o Domine, infunde, ut super sensus meos extollens omnes mundi illecebras negligam; infringe omnia vincula, quæ me terris mancipant, everte cogitationes omnes, quæ tibi non placent, atque compelle rebelles nostras voluntates, ut ad te redeant, & tibi obsequantur. *Auctor Neotericus*.

Discrimen quo Justi in terris, & Beati in Cœlis diligunt Deū.

Si in illa beatissima versaremur Patria, ubi Deus infinitas perfectiones suas electorum omnium oculis detegit, nullis opus esset argumentis, ut Deum amandum esse probaremus. Minimum quodvis radiolum ex Divinitate ejus emanans, in cordibus nostris excitare posset incendia, & efficere, ut æternis ardoribus illum diligeremus. Tunc tamen necessario illum diligeremus; quia nihil nonnisi perfecte amabile in ipso intueremur. Cum autem nulla in amore libertas esset, nullum quoque inesset meritum, atque non amplius in via, sed in supremi boni possessione versaremur: cumque animæ nostræ beatitudo in Dei divisione consisteret, ens illud infinite perfectum intuiti, Beatissima Gloria perfrueremur. *De la Volpilliere serm. de Amore Dei*.

Quid sit amare Deum. 1. Deum vere amare nequaquam est dicere Deo, ipsum a nobis amari, & exoptari; non secus ac Deum perfecte diligere & cupere non est dicere Deo, ipsum a nobis perfecte diligi & expeti. Hæ voces, hæ cogitationes in mente concipiuntur, ibique resident. Non ideo tamen ea omnia, quæ in mente sunt, sunt etiam in corde: quam facile esset perfectam virtutem acquirere, si omnes hujusmodi cogitationes, atque sermones veri sensus essent, & veri motus cordis nostri? cum liquido constet, ut justi simus, satis esse Deum super cætera amare; atque ut perfecte justi simus, satis esse Deum perfecte diligere; nihil est adeo facile, quam singulis momentis justificari; non enim ullum momentum est, ubi citra difficultatem dicere possimus, a nobis Deum perfecte, atque unice diligi. Non lingua, nec mente, sed corde vere ac perfecte diligitur. *Liber cui tit. Traité de l'Oraison.*

Licet quilibet Amor Dei sanctus sit, non ideo tamen verum est, nos a quolibet Dei amore sanctificari, atque peccatorum nostrorum maculas abstergi posse: hoc enim ad illum tantummodo pertinet amorem Dei, qui reipsa cor nostrum a qualibet criminosa affectione divellit; qui efficit, ut Deum quibuscumque rebus, non sterili quodam desiderio, sed certo, constantique consilio, præferamus. Hic ille Dei amor est, qui ad peccatorum nostrorum veniam promerendam requiritur. Verumtamen hunc amorem sæpe diu infirma desideria, levesque cupiditates præcedunt, quæ cum bonis cogitationibus conjunguntur, qui motus cum propter infirmitatem nondum deferant Deo nostri cordis imperium, neque solidam veramque pœnitentiam producant, neque locum præbeant affirmandi Deum vere diligi a nobis; nequaquam ad Dei gratiam reparandam sufficiunt. *Idem.*

Amor Dei præferendus iis omnibus, quæ Deus non sunt. Hoc in loco ad examen revocandum non censeo, utrum amor, qui nostram cum Deo reconciliationem operari debet, esse debeat amor puræ benevolentiæ, an concupiscentiæ; illud tantum assero, quod Scriptura, Patresque docent, eum vere diligere, qui quidquid Dei est, generatim, atque absolute præfert iis omnibus, quæ Deus non sunt, & quæ prohibere possunt, ne Deo adhæreamus, atque illi unice obtemperemus. Quin creatæ alicujus rei amorem cum Dei amore conjungamus, quin ad examen vocemus, utrum amor ille ex charitate liberali, an ex utilitate proficiscatur; rebus omnibus anteferendus est. Deus igitur eo amore diligitur, qui ex nobis quæritur, cum supra quæcumque bona diligitur, & supra quæcumque mala metuitur. Jugulemus oportet in corde nostro alium quæcumque amorem præter charitatem Dei; itaut nihil prohibeat, quominus eumdem amemus, ac metuamus uti par est: ne foveamus amplius in nobis filiorum nostrorum amorem, ac metum, ne illis displiceamus; non libertatis amorem, ac metum ne illam imminuamus; non amorem existimationis nostræ, ac metum, ne eidem officiamus; non amorem valetudinis nostræ, ac metum, ne illam evertamus; non bonorum amorem ac metum, ne illorum jacturam subeamus; nullum denique amorem, metum nullum, qui Dei nostri amore ac metu non diligatur. Hac in re cor tuum consule: suum profecto consuluerat Paulus Apostolus cum animo revolvens omnia præsentis vitæ bona atque mala inde inferebat: *certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei. Paneg. Magdalenæ impressus sine nomine Auctoris.*

Affirmo, Deum non esse amoris tui objectum, nisi illum prætuleris rebus omnibus, quæ obsistere possunt, ac prohibere, ne illum diligas; nisi abdicaveris, vel saltem nisi paratus fueris, ut abdices hæc omnia terræ bona, corpus, vitamque tuam. Deum reliquis rebus non præfers, nisi quibuscumque interrogationibus, quæ fieri possunt, præsertim vero circa vitæ hujus mala, respondere possis: sic hæc omnia ab ea charitate quam debeo Deo meo, me numquam divellent: *certus sum quia neque mors, neque vita &c. Idem.*

Dei cultus sine amore esse non potest. Nulla est adoratio sine amore, quemadmodum nullus esse potest amor supra cætera sine adoratione. Supremus amor est adorationis essentia; adoratio vero intrinseca est, vel extrinseca hujus amoris professio. Cultus ille, quem Angelis & hominibus exhibere possumus, licet sincerus, atque profundus sit, vera adoratio non est; aliquid enim est super illos diligendum, scilicet Deus. Filii sæculi, qui vehementi affectu mulierem aliquam depereunt, eo usque ut Dei obliviscantur, illam se adorare profitentur. Verus quidem illorum sermo esse potest; sed hæc vera impietas est, atque idololatriæ species, quoniam ad creaturam transferunt amorem, atque honorem, qui uni debetur Deo, amorem scilicet super cætera. *Liber cui tit. L'idée veritable d'Oraison cap. 3.*

Fierine posset, o Æterna Beatitudo, o bonitas infinita, ut cum animam tecum unione perfecta conjungis, hæc te perfecte minus amaret, quam nos amicos nostros diligamus, neque se ardentem æque ostentaret ad inquirendam gloriam tuam, ac nos eorum, quos diligimus, honori velificamur? nihil est quod intentatum relinquamus, ut amicis nostri animi sensus testemur; non solum ubi eorum societate gaudemus, sed licet absint, ab eorum amore non cessamus; si qui illos lacessunt, vel de illis honorifice parum loquuntur, illos tueri contendimus, atque de nobis ipsis agi putamus. Te unum igitur, o Deus, infirmo, tenuique amore diligemus? te unum amabimus, & gloriam tuam negligemus? Zelus domus tuæ nos non excitat amplius, adventus Regni tui nos sollicitos minime tenet; tibi contumelias inferunt, & patimur; nobis coram nominis tui Sanctitas violatur, nos vero ne tantillum quidem moveri videmur. Ubinam essemus, Domine, si ita nos dilexisses, quemadmodum diligimus te? *Idem part. 2. cap. 14.*

Amor, quo a Deo diligimus, petit ut mutuo illum diligamus. Non loquimur de perfectionibus Dei, quarum illecebris affici deberemus; ipse enim fons est omnis beatitudinis, atque felicitatis: meminerimus tantum suæ erga nos dilectionis. Ipse ultro dilexit nos, quin vel merita nostra, vel servitus, vel alia quæpiam causa ipsum impelleret: nos ille primus ab æterno, atque in tempore dilexit: dilexit ille nos ardenter atque sollicite, atque audeo dicere, sine modo; dilexit suæ etiam quietis gloriæ, atque vitæ impendio: nos ex tot gentium numero elegit, ut in nos sua effunderet beneficia, suos discipulos, amicos, filios, atque hæredes efficeret. Quid autem? amicitia adeo sincera in qua ne modus quidem servatus est, si fideles minime afficiantur, animam & cor iisdem inesse putandum est? si ut Deum diligant, non satis est cogitare se tantopere a Deo amatos fuisse, humanos prius sensus objiciant oportet antequam exuant Christianos. *Liber cui titulus Considerationes in varia Religionis, atque moralia argumenta tom. 3.*

Rationes, propter quas Deus a nobis est diligendus. Finis, atque perfectio legis in Dei amore consistunt. Patres, Concionatores, Theologi eas omnes suppeditant rationes, quæ excogitari possunt, ad cor nostrum hoc amore inflammandum, idoneæ: nihil prætermittunt, quod hac in re teporem nostrum excitare possit, Dei magnitudinem, infinitas perfectionum ejus illecebras, beneficia, misericordiæ excessum, incomprehensibilia nostræ justificationis, & redemptionis mysteria, amabilem gratiæ vim: nos ipsos ex nostra utilitate movere student, nos excitant, grati animi sensus cient, & nihil omittunt quod rationabilem, atque immortalem animam valeat excitare. Hic monet, ille hortatur, omnes indesinenter sollicitant, ut Deum diligamus: neque diligere non possumus, quin nosmet objiciamus conscientiæ nostræ redargutionibus, & creaturarum quarumcumque rerum exprobrationibus, quæ circum undique supremi Creatoris nostri amorem testantur. Quid autem hæc omnia probant,

bant, nisi nos Dei charitate non tangi; adhortationibus, sollicitationibus, præceptis indigemus, ut diligamus Deum: nulla vero arte opus est ut proximos, benefactores, amicos diligamus; quid cogitandum est? unde geniti, quomodo alti, & nutriti sumus? proh maximum nostræ infelicitatis opprobrium! *Idem*.

Homo hominum flagitiosissimus, sed tamen Christianus, huic quæstioni respondeat: nonne verum est, ea omnia, quæ amorem conciliare possunt, atque cor rectum afficere, hæc in Deo reperiri? a Deo tamquam fonte eas omnes perfectiones emanare, quæ placere possunt, ad Deum tamquam centrum referri, quidquid speciosum, & præclarum extra Deum invenitur? Næ ille quidem fatebitur, perfectionem nullam in Deo desiderari. Nihilominus Deus in quovis perfectionum genere infinitus hominem diligit; homo vero infinite imperfectus, si cum Deo conferatur, non diligit Deum!... quænam rerum subversio in anima rationabili supremam pulchritudinem, supremamque bonitatem non inquirente? huic fidei lumen affulget, & primo principio postremoque fini suo sese conjungere negat! potest ne hæc anima studium suum, officium, atque felicitatem ignorare? quomodonam fieri potest, ut ratiocinatione sua ita aberret, ut ad finem suum, quo fertur, non collimet; ut fides sua ita cæca sit, & corrupta, ut ab unico recedat objecto, quod ipsius tranquillitatem, requiem, lætitiam, felicitatem, potest constituere? *Idem*.

Illud unum quodammodo amoris nostri erga Deum teporem excusare posset, quod habita ratione & magnitudinis ejus, & nostræ humilitatis, eidem nullo in discrimine habendum videri possit, utrum ipsum diligamus, necne. Verum hunc quemcumque teporis nostri prætextum abstulit Deus: se amari patitur: immo jubet, gravissimasque minitatur pœnas non diligentibus, neque in nos irritatur, nisi cum non amatur a nobis. Cæterum amorem nostrum tanti facit, ut ad eum promerendum seipsum nobis tradiderit. Majus ne dedecus, vel contumelia major inferri Deo potest, quam illum non diligendo? appendit in statera, ut ita dicam, majestatem suam cum nostra charitate; cumque non amantes vilissimum nihil ejusdem majestati anteponimus. Tradidit seipsum nobis tamquam suæ existimationis pignus: tradamus nosmet illi tamquam pignus nostræ gratitudinis. Nos illi debemus, & quidquid sumus, & quidquid meriti in nobis est, ut illum amemus; ipse enim hæc omnia tradidit, ut ipsum amaremus. *Idem*.

Quomodo creaturæ in Creatore diligendæ. Qui omnia pulchra creavit, pulchrior sane est omnibus pulchritudinibus, quas creavit, S. Augustinus exclamat: quidquid amas, in Deo reperies, si illud amiseris, hunc inventurus. Disce creaturas in Creatore diligere; metue, ne perituris adhærens pulchritudinibus æternam pulchritudinem amittas: illas licet fluxas, fragilesque immortales effice, diligens easdem in eo tantum principio, unde egrediuntur, & ubi subsistunt, postquam tempus illas deleverit: neque tenues istæ Divinæ pulchritudinis Imagines, in quibus sese Deus ipse pinxit, tibi non præripiant prototypum pulchritudinis, cujus illæ non aliud sunt, quam levissimæ participationes; *qui pulchra fecit, pulchrior est omnibus, quæ fecit*; hæc ajebat summus ille Amator supremæ, atque immutabilis pulchritudinis Dei S. Augustinus. Voluisset ille in omnium corde admirabilem eam parere mutationem, quam in suo gratia pepererat; in omnem terram effundere scintillas charitatis, qua flagrabat; atque ut ita dicam generale incendium excitare ex Sacro illo igne, quem JESUS CHRISTUS in terras attulerat, *Abbas du Jurri Paneg. S. August.*

O Æterna pulchritudo principium pulchritudinum omnium divinarum, humanarumque? Pulchritudo tam antiqua, & tam nova? sero te amavi? Domine, quanam tenebrarum caligine obrutus eram, donec cæcus temporalium pulchritudinum adorator, non venerabar pulchritudinem tuam, cujus illæ Imagines sunt? O me infelicem! te quærebam Deus a te recedens, quin id cogitarem; umbram pro corpore amplectebar, fluxas voluptates tanquam veræ felicitatis meæ objectum persequebar, & fictitii colores, quibus mendacium sese ornare consuevit mentem æque, animumque fallebant. Heu! numquid hæc sine horrore reputare possum? te in ipso etiam scelerum centro cupiebam; funestam peccati suavitatem amabam, quæ me a te divellebat, atque tui ipsius locum tenebat in me. Attamen inter profundæ hujus noctis tenebras subinde oculos convertebam ad te, atque radii nonnulli, statim tamquam fulgura evanescentes meum mihi errorem detegebant. Quamdiu in servitute peccati illacrymatus sum? quoties genua flexi coram carneis, atque luteis Idolis? *Idem*.

Cor nunquam nisi in Creatoris amore quiescit. Cor infinitum est in desideriis suis, & quidquid Deus non est, insaturabilem illius sitim explere non posset; omnes deglutit ambitionis honores, avaritiæ divitias, libidinis voluptates. Nequicquam inani humanæ pulchritudinis specie deceptum totum sese profano tradit amori, quem illa inspirat. Perfecta, quam sibi promittit, felicitas, ubi votis damnetur, liquido ostendit, in ipsis erroribus ab eo profundam eam pacem requiri, qua beata gaudet anima, dum æternæ Dei pulchritudinis voluptate perfunditur: sed tædium illud, quod creatæ rei possessionem subsequitur, eam statim aufert illecebram, qua vis passionis, atque sensuum illusio deceperant. Suaves illæ species, quas voluptatis mancipia sæpius mendacii sermone describunt summam felicitatem amplificantia, qua duo corda ultro, citroque diligentia, perfruuntur; inanes sunt splendidæque ideæ rei, quæ in terris non reperitur. Hinc illi, de illusionibus abeunt in illusiones, & modo uni, modo alteri Idolo sacrificant. Ficta hæc, quæ colunt Numina, postmodum in verum colentium supplicium convertuntur; amaritudo deprehenditur, vel in decursu, vel in fine amoris illius, qui adeo suaviter cœperat; & cor quod pro Deo factum est, semper avidum & inquietum est, donec in Deo conquiescat, atque eo saturetur. *Idem*.

Adorare Deum, non aliud est, quam illum præ cæteris amare: non enim cordi potest, nisi eo amore, qui rerum omnium amorem excedat: illi uni serviendum est, ipse unus amandus est, vel nihil nisi propter ipsum amandum est. Deum colere, Deum amare idem est, ac quibuscumque creatis rebus illum præferre, & efficere, ut de reliquis amoribus triumphet; & male potius bonis, & honoribus hujus vitæ penitus exui, quam aliquid contra ipsius voluntatem patrare. Quandoquidem hic est modus amandi Deum, amare sine modo; & amor, quem a nobis expetit, omne cor nostrum debet occupare, omnes animæ nostræ facultates subigere, omnem mentem nostram replere. Itaque Dominum Deum nostrum adorare, atque diligere tenemur, ut præceptum illud adimpleamus, quo jubemur illum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, atque ex totis viribus diligere. Illum unum diligere non aliud est; quam sine divisione amoris illum diligere; velle enim Creatorem, atque creaturam amare, idem est; ac velle duobus oppositis Dominis inservire. *Auctor recens homil. in Evang. 1. Domin. Quadrag.*

Quam magnos coram Deo nos efficiat charitas habitualis. Da alicui universorum Imperium cum illa auctoritate, quam maximam habere potest; possideat omnes honores, divitias, voluptates, quæ expeti possunt: illi tribue perfectissimam sapientiam: fit alter Salomon, neque ignoret quidquam ex iis rebus, quas mens humana cognoscere potest: adde etiam patrandorum miraculorum potestatem; removetur, si lubet, solem, dividat maria, mortuos resuscitet, atque Divinæ potestatis particeps fiat eo in gradu, quem maxime cupis. Ad hæc accedat prophetiæ donum, spirituum discretio, secretorum cordis cognitio: affirmo tamen minimum sanctitatis gradum, qui in hoc homine reperietur, minimam actionem charitatis, quam operabitur, iis omnibus longe antecellere, per hanc magis ad su-

premum bonum accedere, atque præstantiorem apud Deum obtinere gradum, quam quem illi ea omnia conferre possent, quæ superius dicta sunt, si omnia in ipso invenirentur. *Alius Auctor recens Anonymus.*

Ideo divino amore digni sumus, quod sumus opus manuum ejus, & quod nobis ille cor tribuit, quod ipsum diligere posset: cætera sunt inutilia ac nullius pretii. Mentis acies, morum elegantia, natalium dignitas, fortunæ bona, oculos quidem suo fulgore perstringunt; verum non efficiunt cor magis aptum ac melius dispositum, ut Deum Creatorem nostrum diligamus. Ita novissimus quilibet e plebe ignorare non potest, Regibus atque Principibus nullum potius esse jus, quod præ ipso ad Dei amorem valeant afferre. Quam jucunda est hæc cogitatio! quam aperte Religionis nostræ sanctitatem probat! cum alioquin certo constet a Deo justo, & sancto illos amandos esse, a quibus amatur, quomodonam ab illo nos vere atque sincere amatum iri sperabimus, si hoc nobismetipsis testimonium perhibeamus, ipsum unicum esse votorum nostrorum objectum: nos qui gloriamur colere Deum, qui testis est secretiorum cogitationum nostrarum, & penitiores cordis nostri sinus scrutatur; nos qui sæpe experimur Deum intrinseca voluptate nos consolari, cum metuere videmur, ne diligamur ab ipso, & qui animi nostri minimam etiam exprobrat mœstitiam, quam diffidentiam testamut? *Serm. manusc. P. Steph. Chamillard.*

Deus quā amabilis sit. Intellectus omnes hanc de Deo sibi effingunt ideam tamquam entis summe perfecti, & summopere amabilis; quandoquidem omnes possibiles perfectiones complectitur, & Deus esse non posset, si quid ulterius acquirere posset. Quænam ergo, o fideles, amabilitatis origo in ipso invenitur, ut præ cæteris rebus amor ipsius anteferendus sit; quandoquidem, uti Scriptura ait de Increata Sapientia, quæ idem est Deus; creatarum quarumcumque rerum perfectiones pro nihilo haberi debeant, neque cum perfectionibus Dei sint uno modo comparandæ: *omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Prov. 3. Quidquid in hoc mundo videmus, quidquid oculos nostros perstringit, omnis illa potestas, quæ in nobis stuporem ciet, omnis magnitudo, & majestas, quam admiramur in terris, non aliud est, quam tenuissima emanatio supremi illius entis, & quæ ideo comparari cum illo non potest: *huic non valent comparari.* In quæ verba cum S. Thoma notandum est; Scripturam non solum asserere, Deum majorem esse, quam omnia bona, quæ in terris sunt; verum etiam præstare bonis omnibus, quæ mente concipi possunt, & desiderari: *omnia quæ desiderantur:* neque dicere solum, ipsum bonis omnibus antecellere: sed omnia simul bona cum ipso conferri nullo modo posse. Inter magnum aliquod bonum, & alterum licet minimum, quædam esse potest comparatio; & excessus proportio efficit, ut boni utriusque discrimen metiri possimus; sed Deus adeo perfectus est, ut proprie loquendo dici minime possit creatis rebus major: omnia enim creata simul nihil sunt coram ipso secundum illa Prophetæ verba: *omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo.* Unitas comparati potest cum millenario numero, vel cum myriade, si lubet; nam illam sæpius multiplicans, aliquando myriadem etiam æquabit: aquæ gutta cum Oceano universo comparari potest: tot enim guttæ coacervari possunt, ut efficiant mare æque late expansum ac illud, quo terræ ambiuntur: sed creatarum omnium rerum perfectiones, nullam habere possunt rationem cum perfectionibus Dei; ad quemcumque enim cumulum perveniat, semper infinita erit distantia, ideoque nulla proportio. Ita Deus olim Moysi dixit: *ego sum qui sum*; hoc est, ita perfectus sum, ut coram me nihil perfectum haberi possit. Diceres eam potentiam, quæ rebus omnibus dedit esse, hoc iisdem eripere, ubi cum ea conferantur: eam bonitatem, quæ universa ex nihilo eduxit, eadem rursus redigere in nihilum, ubi cum ea comparentur; & creata omnia quæ ex illius sinu prodierunt, evanescere, atque interire, nihilum enim sunt: ubi comparentur cum eo, qui unus magni, perfectique nomen meretur. Cum igitur aliquid aliud magis amas, quam Deum, nostin, te non solum meram umbram persequi, & verum bonum relinquere; verum etiam illud ipsum, quod amas, atque enixus persequeris, cum Deo collatum non esse aquæ guttam cum immani Oceani totius latitudine comparatam? *Author Neotericus Anonym.*

Deus omnes rerum creatarum perfectiones continet. . . . . Præterea quidquid amare potes in mundo, si tamen aliquid tuo amore dignum est, hoc invenitur in Deo, qui omnia complectitur. Quemadmodum si colligeretur quidquid magnum, exquisitum, & admirabile in terris est, ut in uno, eodemque objecto coacervaretur: in hoc reliquorum entium amorem complecteretis, & quod olim mentem, animumque tuum partiebatur, omnes admirationes, omniaque vota in illo uno conjungeret. Dicam melius, si infinitæ essent creaturæ; quarum singulæ infinitæ essent perfectæ, atque mox omnes illæ perfectiones in una tantum congererentur, hæc non solum reliquas superaret, verum etiam haberet quidquid cæteræ habere possunt: hoc ipsum de Deo dicendum est; ita mens nostra concipere potest supremum illud bonum, quod in essentiæ suæ simplicitate infinitatem infinitarum perfectionum complectitur, quoniam nihil est in Deo, quod Deus ipse non sit. Quamobrem S. Anselmus exclamat; *quid per multa vagaris homuncio, quærens bona animæ & corporis? ama unum bonum, quod est omne bonum, & satis est.* Cor humanum cur tantopere fatigaris, undique amandi causas inquirens, omnibusque te tradens objectis; illi primo, ac supremo bono adhære, qui bona cuncta complectitur, qui omnem eorum amabilitatem continet, omnesque possidet eorum perfectiones; *quid per multa vagaris?* tu hic bonum quæris, ibi aliud, hic opes, ibi honores, alibi voluptates: oh te miserum! divisus es, & quodlibet objectum te trahit in diversa. Sed si Deum dilexeris, lineas omnes in centro, rivos omnes in fonte, radios omnes effusos in sole conjunges: *ama unum bonum, quod est omne bonum*: ama Deum, qui est omnia, & simul omnia. Respice, considera, reputa quidquid tibi placere, atque tua vota inflammare potest, honores, opes, delicias; puta illas & magnitudine & diuturnitate infinitas esse; hæc omnia in Deo, sed longe perfectius, invenies: *ama bonum, quod est omne bonum, & sufficit. Auctor Idem.*

Aliqua Divinæ pulchritudinis idea. Ut Divinæ pulchritudinis illecebras vere intelligeremus, opus esset, ut Deus vultus sui majestatem nobis detegeret, atque in animas nostras unicum effunderet radium ejus gloriæ, quam ipse in Cœlo constituit; nostrum cor, quod modo tot indiger rationibus, atque considerationibus, ut ad amandum divinum hoc objectum excitetur, tunc necessario studiorum suorum pondere, atque tota votorum suorum extensione illuc raperetur; eidem prorsus adhæreret, quin ne cogitaret quidem de seipso, & quin ne ad breve temporis momentum ulla unquam re posset inde divelli. Quæso itaque quanta illecebra polleat opus est, objectum illud, quod Angelorum omnium hominumque mentes explere debet per omnem æternitatem, quin unquam fatigentur? quæ perfectiones in illo supremo ente debent esse, ut in Beatis reliquarum rerum amorem extinguant, nova semper cientes desideria citra quodlibet tædium, & societatem; immo semper e contra cum recenti admiratione, voluptate & amore? Verum enimvero cum hoc vobis exprimere posse diffitear, permitto vobis, ut mente quæcumque reputetis bona, atque ea omnia simul congeratis, quæ in creatis rebus nitent, quæ animum vestrum alliciunt, & rapiunt, atque fortasse a Dei servitute divellunt; & postquam singula lustraveritis, quæ oculos afficere possunt, imaginationi liberam finatis viam, atque animo concipiatis quidquid artis ingenium naturæ venustatibus adjicere potest: dummodo hæc mecum consideretis: heu nos miseros! hæc omnia non aliud sunt, quam rudis, atque incom-

incomposita imago speciei illius, quæ in Deo elucescit; levia sunt lineamenta, atque vestigia, quæ Deus in creatis rebus effudit, ut nos ad primæ illius pulchritudinis amorem impelleret! Ille, qui floribus, & syderibus cæterisque rebus tantam contulit speciem; quantum ipse speciosus erit? si tantum aliis tribuit, quantum ipse retinuit? si singula nos capiunt, quid ille, qui possidet, & continet universa? Divina hæc pulchritudo tanta profecto est, ut Deo ipsi sufficiat; cum propriæ pulchritudinis contemplatio illum ab æterno occupaverit, atque beatissimum effecerit: *amat Deus*, inquit S. Bernardus, *neque aliunde hoc habet, sed est ipse, unde amat*. Hujus supremæ pulchritudinis solus aspectus omnia inferorum tormenta in Paradisi delitias convertere posset: si, quis omnia damnatorum supplicia perferret, si inter flammas, quibus excruciaretur, si inter comburentes ardores, incombustus arderet; si, inquam, inter omnes calamitosissimi loci ejus horrores unicus Divinæ hujus pulchritudinis radius tenebrarum illarum densitatem perfoderet: eodem tempore infelicissimi illius hominis rabies, atque desperatio in enexplicabilem lætitiam converterentur; ad illum intuitum omnes pœnæ mitescerent, atque ipse voluptatum Oceano innataret. Animo igitur finge, si potes, quænam hæc esse debeat pulchritudo, cujus aspectus Paradisum, privatio vero infernum ipsum constituit; cumque altiorem illius ideam animo conceperis, obstupesce, atque de te ipso mirare, quod hactenus eandem tam sero, & adeo parum amaveris; *pulchritudo tam antiqua, & tam nova! sero te amavi. Idem*.

De cordis nostri inter Deum, & creaturas divisione. Petit Deus cor nostrum totum quantum est, neque ullam pati potest divisionem. Hac arte usus est Salomon in celeberrimo duarum mulierum judicio disceptrantium utrius esset puer quidam, ut veram matrem cognosceret. Vix enim Rex ille præceperat, ut puer bifariam cæderetur, cum haud ægre quæ patiebatur pueri ejusdem sectionem atque divisionem, palam ostendit se matrem esse supposititiam: ea vero quæ hanc divisionem, atque sanguinis effusionem pati non potuit, aperte probavit sanguinem illum ad se pertinere. Dœmon suppositiam matrem hanc imitatur: *dividatur* ait: illico nequaquam petit totum cor; & satis putat si vel minimam ejusdem particulam assequatur; novit quippe, se illud jam obtinuisse totum: scit enim Deum, ubi divisio fuerit instituta, totum illi cessurum. Verumtamen Deus, cui debetur totum, tuetur jus suum, nihil de illo remittit: cor nostrum totum quantum est ipsius est; ipse ergo totum vult habere. Et profecto si intelligere possent homines, quantum illud sit, quod debent Deo, viderent sane nihil esse dividendum, ubi debitum immensum est, & ubi quidquid persolvere possumus, tantillum est. Pallium est nimis arctum, ait Isaias Propheta, duos tegere nequit, ita cor quoque nostrum nimis angustum est, quam ut in plura objecta dividatur. *Idem*.

Exordium concionis de amore Dei. In ipso statim Orationis exordio menti occurrit, quod in Vitis Sanctorum Patrum me legisse memini de Veteri quodam Anachoreta, qui inter lustra ferarum, atque inter memora consenuerat, cui postremis vitæ suæ diebus cupiditas oborta fuerat scientiæ indipiscendæ, quo quidem tempore scientia in alium usum prodesse non potest, nisi ut bene moriendo ferat opem. Ad hoc igitur se contulit in celeberrimam quamdam Academiam, ubi artes ac scientiæ magis, quam alibi terrarum florebant, ibique ex Magistro sublimis veræque scientiæ, factus est discipulus, ut hominum scientiam perdisceret. Vix autem in gymnasium pedem intulerat auditurus, cum Doctor quidam speculationibus referto capite quas auditoribus suis venditaret exedras ascendit; qui statim eam, de qua agimus, quæstionem in medium protulit, utrum Deus sit ex toto corde diligendus. Sanctus ille Vir stupore percussus cum in dubium revocari videret hanc propositionem; statim loco cessit, atque gymnasium valere jubens, iterum specus relictos petiit; pietas enim ipsius lacessita fuerat, ubi audiit in utramque partem agitandum proponi primum illud principium, quod sua quidem sententia adeo erat manifestum, ut nemo unquam hominum de eodem posset ambigere. Postmodum vero lacrymis liberam aperiens viam ad hominum cæcitatem, inanemque suam curiositatem deflendam; nunc video, ait, me majori scientia præditum esse, quam existimabam; triginta enim, atque ultra elapsi sunt anni, ex quo certissime illud scio, de quo inter præcipuos sæculi Doctores hactenus disceptatur. Utinam Auditores lectissimi, idque ex corde maxime cupio, nobilis hæc audientium corona eamdem mihi hodie contumeliam afferret! mecum præclare actum censerem, atque tenui huic apud vos differendi gloriolæ libenter eam voluptatem præferrem, qua perfectionem vestram intuitus afficerer. Verumtamen satis intelligo neque vos, neque me eo usque perfectionis evasisse, ut metuendum mihi sit si vos hodierna die istic immoratus fuero de uno ex primis Fidei nostræ rudimentis verba faciens, ac probaturus Deum esse diligendum &c. *Exord. serm. manuscr. P. Castillon*.

Omnia ad Deum amandum invitant. In singulis creatis rebus quædam lingua est, ac valida vox, quæ nos ad Deum impellit, atque ad illum amandum invitat. Omnes res eloquentes sunt, inquit S. Augustinus, *in Psal.* 102. & quocumque in statu considerentur, ipsæ etiam earum imperfectiones, vel defectus, totidem variæ voces sunt, quibus Deus utitur, ut nos accersat, *vocat undique: clamat Cœlum, clamat Terra, non me diligas, sed Deum*. Ita opes illæ, quas vides, aurum quod nitet oculis tuis, thesauri omnes, quos possides, dicunt, non ipsos a te esse ex corde diligendos, sed illud unum, qui eadem largitur, & qui omnis affluentiæ fons est inexhaustus. Ut æquum non est, munera datori suo ferre injuriam; ita æquum non est, imaginem quæ nonnisi imperfecta esse potest, magis quam prototypum, diligi, & exigua quædam perituræ pulchritudinis lineamenta, supremæ, atque immortali pulchritudini amorem nostrum præripere. Quantacumque sit horum objectorum illecebra, omnia tamen fatentur, aliquid esse infinite speciosius, quod potiori jure amorem nostrum promereatur. *Pater Champigni in delector. Sermon. Collect. tom. secundo sermon. primo*.

Quæritur, utrum modus aliquis servandus sit in amore Dei, qui absolute atque essentialis necessitatis supponitur: verumtamen quæstioni huic non alia solutio adhibenda est, quam tritum illud D. Bernardi adagium, modum omnem in Dei amore servandum hunc esse, ut sit sine modo. Deum minime amare possumus, nec quantum meretur amari, nec quantum amare tenemur: igitur, quantum possumus, amandus est, nisi possumus illum amare, quantum amandus est. Gravissimus error esset, si quis hac in re, excedere posse putaret; cum enim Deus infinite perfectus sit, atque sit postremus finis noster, liquido constat illum sine modo, atque in infinitum, si fieri posset, a nobis esse diligendum. Aliquæ tamen servandæ mensuræ sunt in usu mediorum; eorum quippe aptitudo, quæ major esse potest, vel minor, & quæ suos limites habet, norma esse debet, quatenus referuntur ad finem: econtra vero amor finis nullos habet limites, quia ultra finem nihil est. Quod occasionem præbuit D. Augustino, ut ad JESUM CHRISTUM ita Orationem converteret: doce me Domine quis modus in Dei amore sit mihi retinendus; vereor enim ne vel nimis, vel parum hoc amore succendar. Amandum est ex toto corde, inquit JESUS CHRISTUS: nec satis est: ex tota anima: at ne id quidem satis: ex tota mente. Quid vis amplius? Aliquid fortasse vellem, si quid amplius esse posse intelligerem. *Auctor Anonymus*. *August. l. de morib. Ecclesiæ.*

Dili-

Explicatio praecepti amoris Dei ex D. Augustini sententia.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus tuis; itaut ad Deum omnes cogitationes, omnis intellectus referatur quemadmodum quæcumque habemus uni Deo accepta referenda sunt. Cum enim illum amare jubemur ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus; ne minimam quidem partem nobis reliquit, qua eumdem non diligere, atque ut ita dicam alteri cuicumque rei locum præbere nobis integrum esset. Sed opus est, ut amoris nostri in Deum currentis impetus, perniciosissimi torrentis, vel maximi fluminis instar secum trahat, atque illuc ferat alia quæcumque objecta, quæ ad amorem nostrum captandum sese nobis objiciunt. Neque prodest asserere, Divinæ charitatis præceptum cum affirmativum sit, obligare minime posse pro quovis tempore, & pro omnibus, singulisque vitæ momentis, hæc enim regula locum habere nequit in primo præcepto, quod ostendit necessitatem adhærendi Deo per amorem tamquam postremo fini nostro. Cum nihil sit, quod ad hunc finem referri non debeat, amandi necessitas generatim ad omnes vitæ actiones extenditur: non eo quod omnibus vitæ momentis actus amoris Dei teneamur elicere; sed quod in omnibus vitæ nostræ actionibus non alium præter hunc finem nobis proponere teneamur. *Idem*.

Cum omnis Christiani viri perfectio in præcepto amandi Deum ex toto corde, ex tota anima, omnibusque viribus contineatur, quemadmodum dubitandi locus non est; liquido constat, Christianos omnes necessario teneri, ut ad perfectionem adnitantur, atque ipsos contra primum præceptum peccare, ubicumque huic amori defuerint. Itaque ad perfectionem contendere, non aliud est, quam in dies magis magisque in amore Dei convalescere, quod tunc acquirimus, cum numquam nisi ex charitatis principio, atque motu operamur. Non alia præter hanc ratio est proficiendi, adeptamque perfectionem tuendi. *Idem*.

Non solum Deum parum diligimus, sed quomodo diligendus sit, pauci cognoscunt.

Sedulo perpendamus, amabo vos, JESU CHRISTI verba maximum præceptorum omnium irrogantis. Diliges Deum, inquit ille, ex toto corde tuo, ex tota anima, ex tota mente & omnibus viribus tuis. Numquid Deus ex tota mente diligitur, cum exiguo adeo habetur in pretio infinita magnitudo adorabilis majestatis ejusdem? profecto Divinus hic Magister aperte dixit; quod mundus illum non noverat. Si enim justam illius ideam animo conciperemus, videremus sane creata omnia nihil esse coram eo. Id enim si cognosceremus quomodo terræ bona, voluptates, honoresque ullo in pretio habere possemus? quomodo hæc illarum rerum existimatio cum Dei amore simul esse posset? At Deus amandus est etiam ex toto corde, & omnibus viribus. Oh nos miseros, quantum ab hoc præcepto abhorremus! Verum est, Avaros pecuniam, atque fluxa hujus mundi bona ex toto corde diligere; libidinosos voluptatum suarum objecta deperire; ambitiosos mundi hujus honores, atque dignitates persequi: hi ergo nil aliud cogitant; de illis, quæcumque sese offerat occasio, loquuntur; illis sunt unice intenti; terram, atque terrena diligunt, idque & verbis, & factis satis ostendunt. Sed quodnam inditium est diligi Deum? numquid aliud quidpiam majori quam Deus, oblivioni traditum est? si videre possemus, quid in hominum mente volutetur, quam parum Deo vacare, omnibus creatis rebus penitus abditos, intueremur! si audire possemus, quidquid dicunt in corde suo, quam paucos in universo terrarum orbe inveniremus, qui loquantur de Deo. Regum aulæ aulicis refertæ sunt; fora iis qui lites transigunt; officinæ Mercatoribus, atque Artificibus; agri Colonis, at quotusquisque in tot officiis exquirit Deum? quotusquisque de Deo in conversationibus loquitur? hæc tamen veritas est; ea cogitantur, quæ amantur; de illis loquimur, illis vacamus; sed mundus numquam loquitur de modo, quo Deus diligendus est, quia Deus ibi neque cognoscitur, neque diligitur. *Liber cui tit. Le Chretien Inconnù*.

Consideremus hanc legem, qua Deum amare jubemur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua*. Verba hæc plane demonstrant, Deum expetere, ut facultates omnes, viresque nostræ, quantæ illæ sunt, ipsi uni vacent. Omnia postulans nihil excludit: ideoque si Deo tribuerimus, quidquid illi tribuendum est, nihil vel pro nobis, vel pro creatis rebus, nisi ad Deum referantur, reliquum fiet. Si enim aliquid amoris nostri creaturis impendimus, quin referatur ad Deum, tantumdem vires nostras imminuimus, neque amplius Deo eam præbere possumus cordis plenitudinem, quam petit a nobis. Quod in Evangelio JESUS CHRISTUS docet, neminem duobus Dominis servire posse, nihil significat aliud, quam quod Deus hac prima lege præcepit. Non patitur Deus amorem nostrum inter ipsum, atque creaturas dividi: non patitur JESUS CHRISTUS servitutem nostram duobus Dominis impendi. Præcipit ille, ut Dei unius servitus a nobis quæratur, eique uni placere velimus; cæterum ejusdem prudentiæ unice nosmet tradamus. *Desumptum ex tom. 1. spirit. Epist. P. Surain*.

Magna hæc lex amoris Dei, *diliges Dominum ex toto corde tuo &c.* ut juxta Dei ipsius mentem adimpleatur, magna requirit officia, neque animo concipere possumus, ad quem usque limitem a nobis observari velit Deus: verumtamen in hac vita plurima passim occurrunt, ubi magnum hoc præceptum rite adimplere prohibemur. Nullum oculis nostris sese offert objectum, quod non evertat cor nostrum, nisi nobismetipsis cautius invigilemus. Creaturæ quæcumque tot laquei sunt incautis, ac nulla circumspicientibus pericula, quorum ingens est numerus: nulla enim ex illis est quæ vel illecebris suis, vel sua oppositione prohibere nequeat, ne cor humanum sese tradat Deo, quemadmodum tenetur. Heu! magna illa, quæ Deus de se nobis revelavit; mirabilia opera, quæ pro nobis operatus est; objecta illa illecebris affluentia, quæ oculis nostris objecit amorem nostrum capturus; hæc inquam omnia non merentur, ut eidem penitus adhæreamus, eique omnem benevolentiam, amoremque nostrum devoveamus? *Idem*.

Deus integrum, ac indivisum amorem postulat.

Integrum amorem, integramque cordis nostri, omniumque facultatum nostrarum incomparabili huic objecto applicationem exposcit Deus. Exposcit totum cor, quia ipse totum cor efformavit: *totum me fecisti, ut totum me haberes*. Meretur totum quia infinitas habet illecebras, quæ omnia studia nostra possunt attrahere: & quia omnia vota nostra potest explere. Quomodo vero hanc illi, quæ debemus, & quam ipse postulat dilectionem deferre possumus, si illam cum creatis rebus dividamus? Illam infinite amare deberemus, si vires nostræ id ferrent; & quamvis infinita corda nobis essent, illa omnia uni illi deberemus: sed cum unum duntaxat sit in nostra potestate, hoc illi integrum tradendum est, cujus si particulam auferamus, jam quod ille meretur, eidem nequaquam tribuimus. Hoc in aliis objectis non accidit; quorum plura simul amari possunt; cum enim finitum sit eorum meritum, finem quoque habere debet amor, quo illa prosequimur: sed Deus unus cor nostrum mereri potest, ipse enim unus infinitus est; quod privilegium si creatæ cuicumque rei deferimus; hoc ex affectione nostra potius, quam ex merito ejus contingit. Ego Deum amare non possum amore prælationis; hoc est, eo amore qui dignus sit Deo, nisi eumdem ex toto corde dilexero, & nisi amor, quo illum prosequutus fuero, nulla fuerit divisione imminutus: *amor Dei in corde esse non potest, ubi non est solus*.

Ratio

Ratio vero ex hujus amoris natura petitur, qui amor est appretiationis, atque prælationis, quæ Deum pluris æstimat, quam omnia simul creata. Ad hæc petitur etiam ex ipsius cordis natura, quæ simul habere nequit duplicem amorem prædeterminantem; atque contradictio voluntatis est velle rebus omnibus præferre Deum, & aliquid præferre Deo; *aut solus est, aut summus non est*. Cum sit amor prælationis, solus esse debet; & quamquam nobis liceat, res etiam creatas amare, cum alieni amores huic primo tamquam legitimo subordinati sint, cumque objecta cætera propter Deum tantummodo diligantur; jure affirmare possumus, amorem hunc solum esse; quoniam per hunc reliqui amores moventur. Hic amor est etiam Dominus, quoniam nihil oppositum patitur. Sentire quidem possumus internos motus amori Dei reluctantes; hæc tamen sunt seditionum primordia, & rebellionis semina, quæ amor Dei suffocare potest, antequam libertas illa probaverit: verumtamen si cor nostrum cum voluptatibus atque divitiis dividamus, si has amemus cum Dei præjudicio, & sine illa subordinatione, quam dixi superius; liquido patet nos evertere Dominans illud amoris imperium, atque Dei charitatem ex corde nostro projicere. Cur autem? quia illa nequit esse in corde nisi imperium obtineat. Hoc autem imperium Domino aufers, ubi cor tuum cum creatura dividis; absoluti Domini qualitatem adimis illi, cum aliquam adimis illis cordis particulam. *Biroat serm.* 3. *pro* 3. *Quadrag. Domin.*

Deus totum vult cor, Dæmoni pars satis est.

Discrimen illud, quod reperitur inter Deum, & hominem in cordis nostri possessione, illud ipsum est, quod intercedit inter tyrannum, atque legitimum Regem, cui certum jus, absoluta potestas, atque suprema auctoritas est. Hic petit totum imperium tamquam bonum sibi debitum, ac solus vult dominari; tyrannus vero cui nullum est jus, particulam etiam Regni obtinere gaudet, atque eidem sufficit, si dividatur. Ita Deus, qui absoluta habet jura in cor nostrum, hoc integrum deposcit, illius Dominus absolutus esse vult; Dæmon vero cum nulla sibi suppetant jura, cor integrum postulare non audet, & præclare actum putat, si particulam suffuretur dicens cum impia muliere, cujus tertius Regum liber meminit: *nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur*. Hæc dormiens filium suffocaverat, acceptoque clanculum mulieris alterius prope cubantis infantulo, suum in ejus locum substituit. Inde lis orta est, atque coram Salomone utraque hæc mater accessit. Affirmabat utraque superstitem filium suum esse; cum hoc tamen discrimine, quod Mater legitima puerum dividi noluit, maluitque eodem carere, quam bifariam cæsum intueri; fallax vero Mater cruentæ divisioni præbuit assensum. Ita de humano corde loquitur dæmon longe crudelior: *nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur*. Quantumvis capiat sibi Deus, dummodo mihi cordis hujus pars relinquatur; satis est. Verumtamen quod ipse manibus suis præstare non potest dæmon, id quotidie manibus nostris assequitur *Idem*.

Hæc divisio iniquior adhuc videtur, si illum cogitare velimus, cui cor nostrum tradimus, vel cum quo illud dividimus, Domino, cujus unice est, contumeliam inferentes. Cuinam vero illud tradimus? mundo videlicet, opibus, voluptatibus, atque ut verbo me expediam, creaturis illis, quæ non merentur illud, quæ immo indignæ sunt, neque citra iniquitatem, & Divinæ gloriæ contumeliam illud petere possunt; nihil enim in ipsis est, quod jus aliquod in cor nostrum mereatur. Ad hoc nihil habent, quod nobis tradant, & quo remunerari possint prodigam obedientiam, perfectamque animi nostri servitutem .... Aurum, atque argentum, quibus cor nostrum adhæret, esto quidem, crimine vacent, innocua sint; immo quatenus per illa vitæ nostræ egestatibus consulere possumus, esto, curam, & affectiunculam quamdam mereantur; sed heu! si hujusmodi objecta in seipsis nocua non sunt; nocua tamen fiunt ubi hominum avaritiam pertentant, & furantur cor, quod uni debetur Deo. Hæc illa instrumenta sunt, quibus utitur Dæmon ad nos perdendos. *Idem*.

Sanctus ille contemptus, quo excipimus quidquid Deus non est, & ad gloriam ejus non pertinet, manifestum argumentum est perfectæ obedientiæ voluntati Dei, atque perfectæ charitatis. Profecto quotidie videmus hominem, qui magnum aliquid molitur, vel cui violentus quipiam affectus dominatur, nihil affici iis omnibus, quæ ad consilium, affectumque suum non referuntur. Nequicquam illum dissuadere conaris, vel jucundo quopiam spectaculo, quod illi objicias, a proposito flectere; oculos habet, & nihil videt; aures habet, & nihil audit. Talis est illius animæ status, quæ nihil vult, nisi quod Deus vult; attentio ipsius in Deum, atque in gloriam ejus unice intenta, ita mentem ejus occupat, amor pro utroque ita omnes cordis vires exhaurit, ut reliqua omnia in nullo habeat discrimine. Sed quominus illis objectis afficitur, quæ passim Christianis hominibus placent, eo magis quærit quæcumque pertinent ad Deum, collectæque ipsius vires mirabiles conatus exerunt, seu ut sibi Dei possessionem certam faciant, seu ut Deum ipsum glorificent. *Desumptum ex libro manuscr.*

Qui Deum perfecte diligit, nullo habet discrimine cetera.

Nemo unus meritum charitatis ignorat; nihil prorsus adjici potest mirabilius elogiis, quibus Patres eamdem celebrarunt. S. Clemens Alexandrinus illam primum in hominis Christiani officium vocat; Sanctus Chrysostomus præstantissimum donorum Dei; Sanctus Gregorius Nazianzenus, maximum scientiæ Sanctorum articulum; Sanctus Hieronymus virtutum omnium parentem; S. Prosper, omnium bonorum operum compendium. Nemo denique est inter Sanctos Doctores, qui de incomparabili hac virtute verba faciens citra quamlibet dubitationem primas illi deferat inter ea omnia, quæ in ordine gratiæ magis sublimia inveniuntur. Cæterum hujusmodi tituli in eo majorem cedunt charitatis gloriam, quod non aliud sint, quam fidelis interpretatio eorum, quæ Apostoli, immo ipse JESUS CHRISTUS, nos docuerunt. *Ex eodem*.

Deus ab æterno cum nobis amicitiæ fœdus sancire cupit. Ipse etiam primos gressus movere, atque cor nostrum exposcere dignatur non solum apertis verbis, verum etiam tot organis, quot insignia beneficia numerare possumus, quibus nos ipse prævenit. Quid dico ipsum nobis præcipere ut eum diligamus? hoc immo unicum præceptum est, quod irroget nobis; quæcumque enim alia ad hoc referuntur, atque vias multiplices ejusdem exercendi amplectuntur. Denique teterrima ipse nobis minitatur supplicia alio amorem nostrum convertentibus. Domine, quid est homo? clamandum est cum Sancto Job: quare tanti illum facis, tanto illum amore prosequeris? Liceat per te mihi, o Deus amoris, atque misericordiæ, expetere ac efflagitare, ut rationis hujus sensum aperias, qua cum hominibus operaris. Si huic homini aliquid inesset rationis, justitiæ, atque sapientiæ, numquid posset non diligere te? cur ergo præcipis, ut te diligat? sin autem adeo ratione destitutus est, ut ad te amandum sit opus imperio, illene tanta felicitate dignus est? O incomprehensibilem bonitatis abyssum! nequaquam dignus est homo, qui a Deo diligatur; sed hæc ipsa causa est, propter quam Deus tantam illi conferre gratiam dignatur: ita non justitiam suam, sed misericordiam vult Deus ostendere; ejus vero misericordia numquam magis elucet, quam cum nil tale merentes suis cumulat beneficiis. *Auct. Neotheriens, &c Anonymus*.

Quanto nobis solatio hæc veritas esse debet? si ut nostrum amorem tibi, Domine, testaremur opulenta afferenda essent munera, difficilia facinora susci-

suscipienda ; gravissimi labores ferendi, quid fieret de egeno, atque infirmo? sed cum tibi sufficiat cor rectum; plena, atque integra voluntas, nostrum scelus est, nisi insignia amoris nostri testimonia præbemus: Quid enim tandem facilius est quam eum diligere, a quo tot, tantisque beneficiis cumulati, & cum quo arctis adeo vinculis conjuncti sumus? Hoc, Christiani, hoc sæpius animo reputandum est ut excitemus in cordibus nostris desiderium unicum illud, quod præstare possumus Deo, bonum deferendi; hoc est pro virili gloriam illius procurandi. Quid enim tandem est amare aliquem, nisi eidem velle ea, quæ putamus bona? asserere autem hoc nos bonum cupere, quin pro viribus adnitamur ipsum & quærere, & procurare, ubi sese offerat occasio; hoc sane illudere est, vel ad summum inanibus officiis immorari.

Nihil a Dei amore excusare nos potest.

Amoris Dei facilitas ex ipsa natura, atque studio cordis nostri petitur; cor sibimetipsi vim inferat necesse est, ne diligat Deum; vim, inquam, crudelem æque, ac funestam, quæ illum bonorum omnium maximo privat. In rebus reliquis, S. Augustinus ait, aliquam excusationem prætexere possunt mortales; sed quod Deum minime diligunt, sese nullo pacto possunt excusare. Dicere quidem potes, jejunare non valeo; numquid vero potes asserere, amare non possum? amor motus est humano cordi maxime naturalis, ac facilis; vim illi inferret, qui diligere prohiberet; adeo ad amorem natum est; & si natum est, ut amet, numquid illum amare non potest, qui unice amabilis est?... Nonne ingratitudinis monstrum est, S. Chrysostomus exclamat, Deum non diligere: Deum, qui licet opera nostra non egeat, nos tamen diligit? nos vero e contra illius amandi consilium inire non possumus, cum indesinenter ope ejusdem indigeamus? præferimus fortunæ bona, hominum amicitiam, corporis nostri requiem, & commoda, atque hujus mundi gloriam, illi, qui nihil nobis voluit anteferre, & qui cum unicum haberet filium, hunc pro salute nostra nobis tradidit moriturum. *Abbas de Breteville lib. cui tit. Sacra & Forensis Eloquentia lib.* 2.

Si voluptas amoris illecebra est atque esca; ille super omnia diligendus est, qui nos veris replet voluptatibus. Huic amori absentia non officit, nulla in vacuum emittuntur suspiria, nullæ effunduntur querimoniæ, quæ non exaudiantur; Deus semper est propior illis qui cupiunt ipsum; in omnibus itineribus comes est; semper cum illis permanet; immo etiam in illis; eorum amaritudines lenit; non solum verbis, verum etiam cogitationibus eorum respondet; & si quid unquam pro eodem patiuntur, pro fluxo dolore sexcentas solidas, æternasque voluptates impertit: præterquam quod quicumque Deum amat, certus est, se amari a Deo, immo se a Deo amatum fuisse antequam amaret Deum, & amorem quo Deum prosequitur, effectum esse amoris, quo a Deo diligitur. Nonne satis valida ad Deum amandum ratio est, certo scire, nos a Deo amari? *Desumptum ex collect. orationum Parisiensi Academia oblata. Anno* 1703.

Quomodo Deus sit diligendus, & charitatis præceptū servandum.

Deum *ex toto corde* diligimus, cum ad ipsum pergimus, atque illi adhæremus omnibus cordis nostri motibus, eique omnes affectus nostros impendimus. Diligimus illum *ex tota mente*, cum mens ipsa uni illi vacat; cum ille præcipuum est cogitationum nostrarum objectum; cum in eo posita est cura nostra ut illius pulchritudinem consideremus, æternasque veritates meditemur. Illum *ex tota anima* diligamus, cum in usu omnium animæ nostræ facultatum ipsum respicimus, atque uni illi inserviendo vacamus. Ipsum denique diligimus *ex tota virtute*, cum eidem exactissimam rebus in omnibus, quam nobis præscripsit obedientiam præstantes, semper ante oculos nostros habemus, atque ad unguem minimum etiam mandatorum ejus servantes illum nobis tamquam unicum operum nostrorum finem proponimus juxta illa Apostoli verba: ad Coloss. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite. Abbas Trappensis tom.* 1. *de vita Monastica Officiis. De Amore Dei cap.* 7.

Supernaturalis Christiani hominis affectio est amor Dei; amor prælationis; amor sine divisione, amor ardens, & constans. At Christianus vere ne amat Deum? illum ne magis amat, quam ea omnia, quæ in mundo sunt? Illum ne unice, ardenter, atque constanter amat? si Deum amaret, nonne Deum unum cogitaret? si Deum præ cæteris rebus diligeret, nonne cæteras mundi res oblivioni traderet, ut Deo uni vacaret? si Deum unice, ardenter, atque constanter inquireret, nonne qualibet hora, quolibet momento ad Deum suas cogitationes referret? *P. le Valois tom.* 4. *operum spiritual. exhort. de Præsentia Dei.*

Amor hic donum donorum omnium pretiosissimũ, petendus est.

Si accidit, ut Deus suas omnes sensibiles gratias amoveat, & anima, quæ illum suo amore flagrantem intuetur, nulla erga illum amoris flamma se corripi sentiat: hæc tunc summo rubore suffunditur, illius amandi tam ardentia concipit vota, ut quidquid dici & cogitari valeat, longius excedant. Me amat Deus, ego illum non amo? ille flagrat propter me, ego propter ipsum frigeo? cur ergo Deus me diligis, nisi vis diligi a me? quomodo vero te diligam, nisi tu ipse mihi tuum amorem tradideris? reliqua mihi aufer Domine, ac permitte, ut super cætera hoc a te petam, ut diligam te. *Idem.*

SUPPLEMENTUM.

Amor, quo Deus a nobis est diligendus.

Peculiari præcepto non est opus, ut rationabili creaturæ probetur, Deum ab illo esse diligendum.

Non Christiano tantum, verum etiam homini cuicumque rationis participi essentiale est Deum pro viribus amare; neque ad id particulare præceptum requiritur. Hæc necessitas in penitiori cordis sinu sedem habet: creatura, quæ usum rationis obtinuit, nata est ad illum amandum, non secus ac adorandum: & si illi adorandus est Deus, quia Majestas illius est infinita, amandus quoque est, quia bonitas ejus nullis finibus circumscribitur: ita amare, & adorare tota est creaturæ rationalis essentia. Si placuit Deo legem illius amandi irrogare, hoc præstitit, ut confirmaret immutabilem legem hanc, in qua nascimur, non autem, ut novum nobis præceptum infligeret; nam licet numquam præcepisset, ut illum diligeremus, non ideo tamen nobis diligendus non esset. Mandatum hoc in ipsa natura impressum est, & donec Deus erit infinite amabilis, præcipuum creaturæ ejus officium, quæ capax est illius cognoscendi, est illum amare.

Quomodo amandus sit Deus.

Modus vero, officium hoc obeundi hic est, quod desiderium diligendi Deum omnes cordis Christiani sensus debet occupare. Excitet fidelis, oportet, cor suum; ac illud motibus, & vividis frequentibusque elevationibus instauret; atque, quoad fieri poterit, voluntatem suam conformem efficiat cognitioni quam habet eorum, quæ ab ipso præcepti hujus magnitudo requirit. Ut Deum omnibus viribus diligamus esse debet objectum actionum mentis nostræ, ita ut cum Propheta dicere valeamus: *Providebam Dominum in conspectu meo semper*: Domine cor meum incessanter occupatum est coram te. *Psal.* 15. Opus est, ut voluntas nostra ad id omnibus motibus suis tendat, & cum eodem Propheta exclamet: Præter te, Domine, nihil cupere possum eorum, quæ in Cœlo sunt, aut super terram. *Quid mihi est in Cœlo, & a te quid volui super terram!* *Psal.* 72. Opus est, ut rationabilis creaturæ memoria omnino repleatur Deo, & huic dicat, ut casti Levitæ illi: *adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* *Psal* 72.

Homo in omnibus actionibus etiam externis, totus in Deo debet esse occupatus.

Opus est etiam, ut omnes externæ, sensibusque subjectæ actiones Deum simul habeant pro fine, & initio, ita ut non nisi propter illum agamus, & si ope-

operamur, loquimur, legimus, quamcumque tandem extrinsecus actionem exerceamus, omnes exercitationes, omnes occupationes nostræ ad Dei gloriam referantur, secundum illud Apostoli præceptum: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite*. (1. Cor. 10.) Ita Deus in tota Christiani hominis vita invenietur; in singulis vitæ suæ operibus occupatus erit in Deo, & sicuti omnes facultates animæ suæ, ita & corporis eumdem pro objecto habebunt; & vere dici poterit fore ut, homo tunc Deum suum ex toto corde, ex omnibus viribus, totaque diligat mente. *Abbas Trappensis in Explicatione Regulæ S. Benedicti.*

Creatorum objectorū amor vix noxa caret; sed amor Dei omni caret tædio.

Creatarum rerum amor affectus est inquietus, & tumultuosus, qui captivat cor, ac illud sexcentis aliis affectibus laniandum præbet. Amor Dei suavis est, atque tranquillus; inordinatus affectiones extinguit, satiat animam, eamque adducit in beatam hanc libertatem, qua Filii Dei perfruuntur. Quidquid agamus, quantumvis amabile, & absolutum omnibus numeris sit objectum, cui nostrum cor adhærescit super terram, hoc ne momento quidem nos beatos potest efficere. Quot molesti casus! quot inopinatæ mutationes! quot ærumnæ! quot adversitates requiem nostram perturbant! Timor, ne illud tædio afficiatur, certitudo illud aliquando amittendi nos turbat, atque sollicitat. Creatarum rerum amor ab animi mœroribus, ægritudinibusque vix divelli potest, atque ne vix quidem. Tu unc Deus, qui nostram constituis felicitatem, tu noster tandiu potes esse, quandiu ipsi voluerimus. Non adversa, non casus aliquis, non inimica potentia nobis thesaurum hunc potest eripere; nobisque nihil est formidandum in objecto tam amabili, non tædium, non mutatio. Ponamus etiam, inveniri posse creatum objectum amore nostro dignum; quis nobis certo posset testari, nos ab illo amore suo dignos censeri? Deus hic adeo potens, perfectus, amabilis non solum cor nostrum non dedignatur, sed ex illo delicias suas facere oblectatur; quemadmodum ipse per Prophetam testatur: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*. Obscurum genus, ingenii mediocritas, calamitas efficit, ut ab omnibus contemnamur. Verum si diligimus Deum, a Deo vicissim diligimur. Principes viri nos despiciunt, sed Deus nos amat. Invidi, & competitores nostri nos oderunt; sed Deus nos amore complectitur; nos vero animum inducere non possumus, ut amorem amori rependamus! Omnis nostra felicitas in hoc, & in altero mundo in hoc proprie sita est, ut Deum diligamus; omnia pietatis exercitia ideo habentur, ut nos magis magisque ad Dei amorem accendant; neque ullum habemus meritum, nisi quatenus diligimus Deum. En quo tendere debeant omnes devotiones nostræ, omnes pietatis actus. Excitemus in nobis tenerum hunc Dei amorem, hanc charitatem: propter amorem hunc omnia opera nostra bona facere conemur. Si pauperes ægrotos invisimus, vel detentos in carcere; si injurias dimittimus, si stipem erogamus, faciamus hæc omnia tamquam specimina, quæ Deo dare debemus amoris nostri. Attente cogitemus quantum Deus amari mereatur, infelicitatem non amantium illum, & maxima bona eum diligentium. Persuasum nobis tandem aliquando sit, omnem felicitatem nostram in eo positam, si dilexerimus Deum, sine cujus amore nihil sumus, licet omnibus præstaremus. Dicamus Deo verba hæc insignis cujusdam sanctitate viri. Da mihi, Domine, tantum amorem, & gratiam tuam, & satis dives ero. *P. Croiset in Exercitiis Asceticis.*

Mirum est humanum cor ad amorem Dei non moveri, postquam accepit mandatum illius diligendi.

Mirum sane est, opus esse, ut argumentis probetur, Deum a nobis esse diligendum; & etiam nobis irrogandum fuisse mandatum, quo sub gravissimis pœnis Deum perfecte amabilem, & nos infinite amantem, amare juberemur! Illud vero magis mirum esse debet, atque in animam rationis participem stuporem injicere, quod licet tot adsint amandi Deum probatissima argumenta, licet adeo explicito, ac positivo præcepto Deum diligere teneamur; licet agnoscamus mala omnia, omnesque terribiles pœnas, quas certissime subituri sunt, qui non amaverint Deum, Deum hunc adeo bonum, potentem, justum, beneficum, amantem; nihilominus ille non diligatur. Hoc æque incomprehensibile videtur, ac æternitas ipsa! Possumusne bonorum omnium fontem, bonum summum, solum verum bonum agnoscere, & illud non amare? Dicendum profecto est, te, o Deus, parum agnosci, quandoquidem adeo parum amaris; vel dicendum est hominis cor nequam esse, si Deum agnoscens illum non diligit. Nisi Deus nobis charitatis præceptum irrogasset, dici fortasse posset, reverentiam, qua illum prosequimur, prohibere, ne illum tanto amore audeamus complecti. Sed cum ille permittat, ut ipsum diligamus, num fieri potest, ut non pareamus? aliqua ne satis valida esse potest ratio, ut illum non toto amore prosequamur? Quid in orbe universo est, quid in creatis omnibus vel existentibus, vel possibilibus, quod cor nostrum allicere valeat, & quod Deus in eminenti gradu non possideat? Majestas, pulchritudo, potentia, bonitas in creatis objectis non aliud estis, quam umbræ imperfectissimæ; Deus unus magnus est, sapiens, potens, & bonus. In creatis rebus qualitates amabiles in varia subjecta sunt divisæ; atque tot nævis admixtæ sunt, ut non nisi eminus placeant: Deus unus omnes habet perfectiones sine ulla mixtione, quæ possit displicere. Quo propius illum intuemur, eo magis illum admiramur, nihil in eo est, quod ad illum amandum nos minime perducat. Majestas inter homines reverentiam ciet, non tamen semper eorum animos captivat; in Deo infinita ipsius magnitudo illum efficit adhuc amabiliorem. Mens quidem in hoc infinito puratum, & infinitatum perfectionum Oceano confunditur; sed cor humanum ibi veram suam felicitatem nanciscitur. Itaque summa Beatorum in Cœlo felicitas est Deum videre, & possidere. Hinc divinus ille existit amor, qui gaudio, dulcedine, pace, & ineffabilibus deliciis, Angelos & homines cumulat. Dici potest, in cœlo beatos esse totos mentem, & cor, ut non nisi Deum cognoscant, & diligant. Cur ergo ex hac ipsa vita non incipimus gustare Sanctorum felicitatem Deum ex toto corde diligentes? *P. Croiset. Ibidem.*

Non repellit Deus cor nostrum, licet diu creatarum rerum amore corruptum.

Quomodo fieri potest, ut cor, quod natura ipsa adeo propensum est erga ea bona, quæ sensibus percipiuntur, quod creatarum rerum amore corruptum est, & quod toto vitæ suæ spatio non aliud quæsivit, quam corporis voluptates, possit converti ad Deum, & flammis adeo puris accendi, postquam omnino igne alio fuit confirmatus? Non repellet Deus cor istud pollutum, atque corruptum? Illud nequaquam repellet, fideles, sed immutabit illud, & veræ charitatis igne inflammabit: & fiet nescio quid simile ei, quod olim accidit Populo Judæorum post reditum illius de satis diuturna servitute. Antequam Jerosolyma discederent, ignem sacrum in puteo defoderant, qui temporis diuturnitate in pinguem, & lutulentam aquam immutatus est. Cum vero in patriam idem populus rediit, Nehemias summus sacerdos misit, qui in loco, ubi sacer ignis defossus fuerat, hunc quærerent, ubi non nisi limum invenerunt; qui tamen aræ holocaustorum superimpositus, ubi primum sol illuxit, accensus pristinam formam cum omnium stupore resumpsit. Hoc ipsum fiet in cordibus nostris: licet hæc sensuum voluptatibus corrupta sint, & in limum conversa, si exposita fuerint solis divini radiis, si fuerint Dei perfectiones meditatæ, recipient calorem suum, & Deum unice amabunt. *P. Croiset, Tomo primo suarum solitudinum.*

Præ-

Amanti nihil est difficile in lege Dei. Præstantissima ratio omnes superandi difficultates, quæ in via virtutis occurrunt, est ex toto corde illum diligere, ad quem in arcta via hac pergimus. Lex Dei suavis est in iis omnibus, quæ præcipit, in iis omnibus quæ continet, illi, cujus cor plenum est Charitate. Amor, S. Joannes inquit, quo diligimus Deum, positus est in observantia Mandatorum illius, quæ gravia non sunt. *Joan. 5.* Si gravia nobis videntur, inde fit, quod cor nostrum ex glacie compactum est, quod plenum est amore mundi, & nostrummetipsorum, quod spiritu Dei vacuum est. Avaritia præcipit durissima, & difficillima, imperat, ut maria traducantur, ut sexcenta subeantur pericula, ubi nonnumquam vita ipsa in discrimen adducitur. Avaritiæ obtemperatur; non ambigitur, an celeriter, & avide sequendum sit, quod miser hic cupiditatis spiritus suadet, & imperat. Sed agitur ne, utrum sequi debeamus Dei mandata, quæ sunt suavia, & facilia ad exequendum? Ad id animum adjicere non possumus, & illa rejicimus. Nonne turpe est, quod mundus, tyrannus hic qui difficilia tantum, & molesta jubet, majorem habeat in cordibus nostris auctoritatem, quam Deus? Nonne turpe est, ut Deo loquente novæ semper objiciantur difficultates, & longe majores superentur, cum mundo placendum est? *Lambert.*

Quodnam tutius sit argumentum Deum vere a nobis amari. Deum pro collatis donis amare; amor est gratitudinis. Illum pro iis, quæ speramus, diligere; amor est cupiditatis. Amare illum, quamvis nihil ab eo nos consecuturos speraremus; amor esset ab omni cupiditate expeditus, amor purus, atque gratuitus: sed illum inter ipsa supplicia, inter adversa, & cruces amare; amorem hunc quocumque vobis placuerit titulo appellate; mihi sane desunt vocabula satis significantia, ac apta ad hanc amoris speciem explicandam. Docet S. Augustinus non deesse amorem temperantem, qui propter Deum vetitis abstinet voluptatibus, amorem fortem, qui propter Deum omnes sustinet persecutiones; amorem justum, qui creatis rebus nuntium mittit, ut uni Deo famuletur; amorem prudentem, qui quærit quidquid illum ad Deum potest adducere; sed quo nomine appellabit hunc, qui ab omnibus abstinere se vult, qui omnia pati vult, qui omnibus abrenuntiare vult, quæ ipsum a Deo semovere possunt; non solum cum ab illo nulla recipit præmia, verum etiam, cum ab illo tribulationibus cumulatur? *Elogia historica.* *Lib. de moribus Ecclesiæ Catholicæ c. 15.*

S. Petrus perfectissimi amoris præstantissimum fuit exemplar. Deum amas; hoc saltem dicis: & si veritas hujus amoris ab hoc pendet testimonio, nemo illum non diligeret. Ficti, & veri devoti; peccatores & justi; Babylonis incolæ & cives Jerosolymæ; tepidi, atque ferventes; qui de mundi spiritu vivunt, & qui mundo abrenuntiarunt, omnes hac in re id ipsum loquuntur. Illi immo, qui Deum impensius diligunt, præ cæteris timent, ne illum satis diligant, cum se ipsos ad pavidæ conscientiæ suæ tribunal arcessunt; cum interim qui omni prorsus amore sunt vacui, de ea virtute glorientur, cujus naturam, & officia non norunt. Visne illum cognoscere, & his officiis perfungi? oculos conjice in Principem Apostolorum, & temet ad tantum exemplar compone. Si hic Magistrum, Dominumque suum verbo tenus, & voto dilexisset; si amorem habuisset frigidum, & male calentem, numquam tam audax extitisset, ut illi diceret, *scis, quia amo te*, charitatis suæ testem assumens illum ipsum, qui testis fuisset oppositi? Sed cum vere diligit; diligit illum ex tota mente, ex toto corde, ex tota anima, omnibusque viribus suis. *Tu scis Domine, quia amo te.* *Joan. 21.* Et sane ita loquente, & minus a judicio suo, quam a Dei judicio pendente, & ab eo, quod Dei Filius in illo intuebatur, ex D. Bernardi sententia idem est, ac si diceret: *Tu scis Domine, quia amo te plusquam mea*, bona, ac personalia negotia, *plusquam meos* consanguineos, & amicos, *plusquam me*, vitamque meam. Potest ne inveniri amor hoc perfectior, & qui ideo magis idoneus, ut sit norma nostræ charitatis? *Elogia Historica.*

Deo debemus totum nostri cordis amorem; & hunc partiri est eidem injuriam inferre. Deus nobis diligendus est ex toto corde, hoc est sine ulla exceptione, sine divisione. Ratio est, quod divini amoris proprium est nullum competitorem admittere. Nobilis, & eximius ita est, ut cum terreno aliquo affectu permisceri non possit. Vult totum cor, aliter nihil omnino vult; ita ut nisi totum illi cor nostrum tribuimus, quantamcumque partem illi tribuamus, nequaquam tribuamus id, quod ipse petit. Hoc nobis mirum esse non debet; quia injurius est Deo, qui cum illo aliquid aliud amat, quod propter illum non amat: cum enim aliquid amamus, quod propter Deum non amamus, certum est a nobis Deum minus amari, & præterea a nobis Deo par fieri, quod hoc pacto amamus; quid enim Deo par esse potest? Quod si ipsi amorem eorum contemnimus, qui indiscriminatim nos amant cum aliis; sed plurimi facimus amicitiam eorum, qui nos aliis præferunt: Deus non contemnet cor illud, quod amare vult cum illo etiam creata, quæ toto cœlo ab illius magnitudine, ac præstantia abhorrent, quin hæc propter illum, ejusque voluntatem diligat? *Pean.*

Deus amandus est omnibus modis, quibus illum amare possumus. Deus triplici modo potest amari. 1. Quatenus amabilis est. 2. Actu, jugiter amoris actus eliciendo. 3. Habitu, hoc est, quantum amari potest super terram. Igitur Deus amandus est ex toto corde, hoc illi unice consecrando, & uni illi. Amandus est omnibus viribus; sine intermissione adnitendo, ut magis magisque in Sancto illius amore progrediamur. Denique amandus est ex tota mente, videlicet efficiendo, ut mens nostra semper in illo occupetur. Ita illum amabimus, si omnes sensus nostros impendimus ad illum glorificandum; linguam ad laudandum; manus ad eleemosynas erogandas, & omnia bonorum operum genera, quibus pares sumus. Quid æquius? quid utilius, S. Bernardus ait? quandoquidem Deus est nostrum summum bonum; quandoquidem nos amat ab æterno, nos jugiter suis cumulat beneficiis, nobisque tradidit Filium suum, ut nos sua morte salvaret. Nil potentius est ad alicujus amorem captandum, quam illum nostra amicitia prævertere; & sane cor nostrum omni sensu caret, & frigidum est omnino, gravius terra, & silicibus durius, si cum Deus prior nos sancto tuo amore jugibusque beneficiis summa cum magnificentia prævenerit: illi nostrum negamus amorem; si cum amare renuimus, amorem amori retribuere detrectamus? *Idem.*

Amor Dei cum nimio pavore conjunctus, semper admodum imperfectus est. Justus timidus, pavidusque vellet quidem amare Deum; sed de suo amore inquietus, non audet sibi dicere, se vere amare. Attentus omnibus noxis a se patratis, & quas in singulos dies patrare potest, ingeniosus ad sibi nova confingenda peccata; acutus in scrupulis inveniendis sibimet exagerat singula crimina, quorum fons est, vel esse putat: obliviscitur misericordiæ illa dimittentis, & justitiæ tantum illa ulciscenti inhæret. Deus illi est Deus irritatus, & terribilis. Vivit cum illo non tamquam filius cum suavissimo patre, vel tamquam cum amabili sponso conjux virtute prædita; sed tamquam famulus cum hero, & hero duro, ac molesto, qui omnia vult, & nihil condonat. Ille profecto fideliter incedit in via salutis, & mandatorum Dei; sed cum quadam tristitia, ac tarditate. In singula momenta sistit gradum, ut tentationes prævertat; has nonnumquam excitat, eas formidando, easque auget nimia contentione eas oppugnando. Nullam inde refert victoriam, quæ sexcenta ipsi scrupulorum genera non ingerat. Omnia illi molesta sunt, omnia gravia; quippe gaudium non sustinet illum; quæ causa est, ut cum non possit caput attollere a terra, videatis illum semper in viis suis cum non ferendo languore progredi. *Auctor recens.*

Quo magis Deum cognoscimus, eo majores in illo perfectiones invenimus. Deum diligimus propter perfectiones infinitas, quas in illo cognoscimus; & quales sunt cognitiones, quas de illius Majestate habemus, talis etiam est amor, quo illum prosequimur. At Deum amare non possumus, nisi cum ex toto corde diligamus, quia

quæ efficiunt ut magis eum diligamus.

quia cor nostrum dividi nequit, & Deus illud vel totum vult habere, vel nihil; nos vero illum ex toto corde amare non possumus, *ex toto corde*, nisi illum etiam ex tota mente diligamus. Hoc est; mens nostra oculorum suorum aciem supra naturam omnem attollens, vivet & detegit præstantissima bona, & perfectiones ineffabiles, quæ in Deo sunt; & hac cognitione victa fatetur, creaturas omnes licet nobiles, licet locupletes, licet omnibus numeris absolutas nihil esse si cum essentia, omnipotentia, nobilitate, omnibusque Dei perfectionibus comparentur, & præstare universorum omnium jacturam facere, quam Dei amicitiam amittere. Quod supponit intellectum sublimem considerantem Deum, velut ens infinite perfectum, ipsamque perfectionem, & quo magis cognoscit Deum, eo plures in hoc detegit perfectiones, ut ita dicam, infinite infinitas. Sed e contra creaturam amas? illam fortasse ex toto corde diligere potes, non autem ex tota mente, quia hæc non potest in illa agnoscere perfectiones, quibus nullus admixtus sit defectus; vel enim in ea majorem desideras pulchritudinem, vel mentem, vel fidelitatem: ita ut creaturam ex toto corde tuo amaturus, si tamen hoc fieri potest, necesse sit oculos claudere imperfectionibus omnibus, fieri quippe non potest, ut nullam in ipsa deprehendas. Ut ames creaturam numquam amanda tota simul consideranda est; semperque roboranda voluntas est, infirmando mentem, atque judicium, per quæ perspicue conspici possint defectus, qui in eo, quod amas, objecto inveniuntur. Amare igitur creaturam ex toto corde, hoc proficisci nequit nisi ab imbecillitate cogitationis; quo enim diligentius ad examen vocas creaturam, eo plures in illa deprehendis defectus, & causas, propter quas amoris tui tædio afficiaris: ubi e contra in Deo spiritus semper majores detegit perfectiones; propius ad illum per ipsius cognitionem accedis; præstantiora tibi videntur ejus magnalia, & digna quæ tuam mentem detineant, & plenissime cor tuum expleant, præter propter ut ille, qui absens procul ab aliquo loco videret cœlum, quo locus ille tegitur, crederet utrumque se mutuo tangere, & altitudine æquati; sed qui quo propius accederet, eo magis cœlum distare, & supra eumdem locum assurgere intueretur. Ita quo magis Dei magnalia considerantur, eo plura in illo deteguntur miracula; ita ut summopere a corde nostro diligatur, quia mens nostra illum summopere amabilem novit. *P. Antonius de S. Martino a Porta in libro cui titulus: les Conduites de la grace.*

Quo magis intuemur objecta creata, eo magis in illis deprehendimus vitium.

Cum anima nostra sit immortalis, amare non debet nisi quod sperat se æternum amaturum.

Omnia dona, omniaque exquisita creaturarum talenta, nonne a Deo profecta sunt, nonne redierie in hoc ens immensum, æternum, immutabile, infinitum, quod excellentia sua præstat aliis quibuscumque magnitudinibus, quæ animo fingi possunt; quod illecebris suis omnem superat pulchritudinem, quod virtutis suæ magnitudine, omnibus potestatibus antecellit; quod omnes injustitias sua delet integritate, omnesque lenitates suavitatibus suæ clementiæ, & longanimitatis; quod gloriæ, & luminis claritate nitet, cui claritas quælibet nitidissima si comparetur, mera obscuritas, est, ac tenebræ? Hunc nobis adstruit conceptum de amabilitate Dei S. Augustinus, quem ex his Sapientis vocibus desumit: *Qui fecit fortia, fortior est, & qui fecit pulchra, pulchrior est.* Sed cum, hoc posito, quod fieri vix, & ne vix quidem mihi videtur, aliquis mihi daretur solidis, perfectisque meritis ornatus, quibus creatum objectum decorari potest, num hæc merita constantia essent, & permanentia? ideoque essentne hæc vera merita? Merita digna affectionibus animæ, quæ cum ad immortalitatem creata sit, nihil amare debet nisi quod sperat se æternum esse amaturam? Creaturæ huic, quæ adeo formosa est, aliqua calamitas, aliquis accidat morbus, nonne statim amittit omnes spiritus sui, æque ac corporis illecebras? Dolor, qui diutius animæ inhæret nonne satis est ut subvertat optimi temperamenti œconomiam, omniaque oris decora deleat? Nonne sunt ætates, ubi species, & pulchritudo evanescit? occasiones negotiorum, ac impedimentorum, ubi mentes magis maturæ, corda intrepida agitantur, & perturbantur? ubi virtus hominum prudentissimorum, atque compotum sui, illos quodammodo videtur deserere? Tu unus, o Deus, in uno te contines quidquid opis est, ut jure hoc nostri amoris obsequium stabile, & constans exigas, quia tu unus semper es idem. *Tu autem idem ipse es. Auctor recens.*

Psal. 101.

Reges terræ non dignantur a sundictis amari; sed Deus econtra gestit amari, æque a pauperrimis & a locupletissimis.

Quantumcumque Dominus emineat potestatibus supremis mundi hujus, tamen longe nobiscum agit, quam terræ Principes consueverunt. Hi nimis beatos existimant homines sequioris conditionis, si his permittere velint, ut ad se accedant, sibique testentur obsequium, & amorem suum: Qui honor nonnisi illis permittitur, qui in subditorum numero primas obtinent dignitates. Si qui mediocris conditionis in corde suo sentiunt sinceram erga Principem suum benevolentiam; his fere non licet extrinsecum suum amorem proferre; & quamvis nihil Principi gloriosius sit, quam amari: quamvis nihil jucundius accidere possit cordato viro, quam scire, se amari: majestas Principis terræ hujus postulat obsequium, quod vix permittit, ut subditi præ se ferant, quousque procedat amor, quo illum prosequuntur. Tu vero Domine, neminem repellis eorum, qui volunt tibi cordis sui sacrificium offerre. Tu magnus es, tu fons es omnis magnitudinis: tamen nobis permittere dignaris, immo etiam præcipis, ut te diligamus; & perinde ac timeres, ne pavor nimii obsequii prohiberet, ne te amaremus, hoc palam jubes explicita lege, in qua nullam personarum acceptionem admittis. Simplex, & rudis te diligere possunt charitate æque tenera, & generosa, qua sublimissimum ingenium, & absolutissimus doctor: pauper, & artifex te diligere possunt eo amore, ob quem non minorem illis gratiam habes, quam si te Imperator diligeret. *Idem.*

Mundi amicitiæ mobiles sunt, & infideles. Dei amor erga nos semper est constans.

Timendum non est, ut in Dei amore id experiamur, quod vulgo accidit in necessitudinibus, quæ cum sæculi optimatibus, Principibusque junguntur. Libido, ingenii mobilitas, suspicio ex minima quadam occasione oborta, in qua videbimur nostro defuisse obsequio, illorum animos avertit, nauseam illis ciet, illos lacessit, nosque de eorum favore deturbat. Oblectantur sibi fingentes in nobis aliquem fidelitatis defectum, qui abrogare possit totum meritum ejus obsequii, quod ipsis impendimus; hinc enim sibi facile persuadent, non teneri amplius ad ea præstanda, quæ a se nobis retribuenda esse putabant. Deus noster magis æquus, & fidelis, non ita inanes prætexit causas, ut secedat ab amantibus se, vel ut injusto frigore, vel malis, quæ meriti nequaquam sumus, rependat sincerum amorem, quo illi adhæremus. Illud autem nos magis, magisque certos debet efficere de illius charitate, quod ille intus, & in cute omnes cordis nostri affectiones cognoscit. Nullum concipimus votum, nullum effundimus consilium, nullum proferimus gradum in illius gratiam, cujus ille testis non sit; ut illum nobis merito vertat, ac remuneretur. *Auctor recens.*

Tepor, & infidelitas nostra illum mutare nequeunt.

Tepor noster, ingrati animi vitium, infidelitas nostra possunt quidem a nobis Deum avertere, & efficere, ut nos repellat. Hoc pacto agerent mundi hujus amici, quibus esset potestas, & auctoritas de perfido ingratoque homine pœnas sumendi. Sed bonum tuum cor, Domine, efficit, ut longe alios erga nos foveas sensus. In ipsis defectionibus nostris dissimulas, & lapsus nostros excusas. Studes ex animi tui bonitate in infirmitatem nostram rejicere noxas, quæ potius nequitiæ nostræ accepta referendæ sunt: & cum facinus nimis est enorme, ut illud admittere nequeat temperamentum, quod tua misericordia vellet adhibere, differs pœnas quas illud meretur. Patientia tua ultiones tuas cohibet, ac remoratur. Licet vel levissima crimina tuæ adversentur amicitiæ, non vis, nos ne gravissimis quidem ita perturbari, ut animos prorsus despondeamus. *Idem.*

Quid

Sensus cordis sancto amore succensi.

Quid igitur faciendum superest nobis, nisi ut cum S. Augustino, lacrymis prosequamur nostram calamitatem, qui tandiu viximus quin te diligeremus, o pulchritudo semper antiqua, & semper nova! Hactenus te non amavi; si tuis largitatibus illectus, tuarumque perfectionum luce victus, quas aperti oculi mei agnoscere incipiunt, tibi cor meum devoveo; sero nimis, o Deus, hoc tibi offero sacrificium: *Sero te amavi*. Num tandiu mihi vivendum erat, quin te recognoscerem, & diligerem! Verum quomodonam te cognoscere potui sepultus in limo cupiditatum mearum, quibus memet abdideram! Excipe, Domine, licet sero nimis, obsequium cordis contriti, & humiliati, quod propter transacta flagitia dolore, ac poenitentia conficitur. Non aliis opus est poenis ad ignaviam, ac impietatem meam puniendam, quam poenitentia ob vitam hactenus in tanta caecitate peractam, & sensibus indignationis, quos contra me ipsum foveo. *Idem*.

Propositum deinceps amandi Deum sine ulla variatione.

Hodierna die incipere volo amare te, Deus meus, ut deinceps te in reliquum vitae meae spatium diligam. *Diligam te, Domine*. Sicuti amor quo me dilexisti, sterilis non fuit; volo etiam, ut ex effectibus illum agnoscas, quo deinde cor meum ardebit erga te, quin res ulla ejus flammas extinguere possit, ope gratiae tuae. Quid enim me a charitate tua divellere poterit? *Quis me separabit a Charitate Christi*? Numquid voluptatum amor, respectus humanus, honoris causa, assentatio, flagitiosorum hominum irrisio, fallacia mundi placita, quae adeo Religioni nostrae adversantur? Verum quidem est, si anteactum vitae meae genus mecum reputo, ex praeterito tempore de futuro judicium mihi ferendum est, heu! omnia mihi timenda sunt ab affectionibus, ingenioque meo, cum propria experientia me satis, superque erudiverit, quam ipse per me sim imbecillus. Sed gratiae tuae innixus subsidio, non autem viribus meis, polliceor, Domine, nil horum effecturum umquam ut sanctissimi amoris tui patiar detrimentum. Haud ita Domine; neque mortis metus, neque vitae amor, neque timor inferni, neque prospera, neque adversa me umquam a te separabunt. Tibi offero quidquid possideo, & quidquid sum. Mentem ipse mihi dedisti, ut cognoscerem te, & voluntatem, ut te diligerem; sed nil horum, quin immo omnia his opposita operatus sum. Imposterum his pro te uno uti volo; hoc bonum tuum est quibuscumque de causis, quae fingi possunt; hoc hodie iterum tibi devoveo. *Recens Auctor*.

Verus Dei amor quodam in sensu perfecte cum sui ipsius amore consentit.

Quocumque amoris, & grati animi sensu anima sit percita, numquam oblivisci potest officii sui, quo bonum illi inquirendum est, quod desideriorum suorum magnitudinem repleat; aliter non nisi misera esse potest. Nos autem in Deo invenimus & nostrae felicitatis objectum, & auctorem verorum bonorum quae possidemus, ut illum in grati animi argumentum diligamus: ita ut officium nostrum, propensio nostra, ac nostra utilitas perfecte consentiant, quocumque modo tandem illum diligamus. Omnia nos ad Deum rapiunt, & nihil ab eo nos deterrere potest, nisi nostrum scelus. *Recens auctor*.

Unicum Dei extrinsecus agentis consilium est, se creaturis communicare.

Deus qui invenit, & essentialiter possidet omne bonum, quod illius felicitatem constituit, cum extrinsecus agit, non aliud habere potest consilium, quam semet creaturis communicandi, ut de illis per quam optime mereatur; ideoque vere sine ulla cupiditate operatur. Sed creatura omnis, quae nondum possidet illum, essentialem habet necessitatem illius possidendi, cui abrenuntiare non potest, cujus numquam debet oblivisci, & pro qua nihil intentatum illi praetermittendum est: ita ut aliter agere velle; sit ignorare naturam, & ordinem Dei, qui eam cogere quaerit extra se ipsam suae felicitatis objectum. *Recens Auctor*.

Discrimen inter gratitudinis

E re puto esse, hic discrimen animadvertere, quod non contemnendum videtur inter amorem gratitudinis, vel benevolentiae, quo respondemus iis beneficiis, quae a Deo recepimus, & amorem veritatis, sapientiae, atque justitiae. Est autem quod si per grati animi sensum amamus, nos facile bonam voluntatem nostram omnibus in occasionibus palam faciemus, omniaque agemus, ut Deo placeamus, & timebimus magnopere, ne aliquid contra illius voluntatem faciamus. Attamen hic amor, qui sanctissimus est, qui nobis suadet, ut bonum operemur, & recedamus ab eo, quod mali speciem praesefert, non omnino oppositus est peccato, ejusque affectionem non immediate, neque formaliter destruit. Nobis quidem negamus voluptatem illius committendi, quia Dei voluntatem facere volumus; verum si voluptas testatum faciendi amorem nostrum Deo noxiam superat voluptatem, qua peccatum allicit cor; non ideo tamen jugulat sensum hujus voluptatis, & non efficit, ut peccatum propter ipsum oderimus. *Idem*.

amorem, quem Deo debemus, & veritatis amorem &c.

Deus amari non potest, quin nosmetipsos diligamus.

Fieri nequaquam potest, ut qui Deum amat, non amet seipsum: vel ut melius dicam, ille tantum, qui diligit Deum, scit seipsum amare, etiam sine ulla imperfectione. Ille enim optime seipsum diligit, qui serio incumbit, ut sibi veri, summique boni perfruitionem procuret; & si bonum hoc non est aliud, quam Deus, quod rectus sensus, & ratio liquido probant; quis umquam ambigere potest, utrum amans Deum, seipsum diligat; neque enim seipsum amare potest nisi relate ad Deum, in Deo, & propter Deum, qui suo dominatur amori; pro quo uno amat seipsum, ita ut Deus unus sit scopus totius amoris ipsius. *Idem*.

Bonum Fidelis, qui potest amare Deum licet omnis adversetur potestas.

Quaenam consolationis causa Christiano viro, qui novit quid sit Deus, qui novit & suavitatem, & utilitatem amoris sui, sibimet ipsi testimonium hoc perhibere: possum amare Deum, ac tantum amare illum, quantum sanctissimus quisque dilexit. Possum amare Deum; & nihil me prohibere potest, quominus diligam illum, non caracter spiritus mei, non corporis mei affectio, non negotiorum, fortunarumque mearum status. Sperare nequeo me aliquando esse adepturum lumina illa adeo fulgentia, quae in pluribus Sanctis viris enituere, & quae mortales omnes admirati sunt: nequicquam ad hanc nominis celebritatem anhelo, ad haec praecellentia munera, & cumulum hunc honoris, & dignitatis contendo, ad quem illorum non pauci meritis, virtutibusque suis evaserunt. Haec omnia illis non invideo; quae fortasse mihi essent funesta, & quibus non uterer, quemadmodum illi praeclare sunt usi. Quomodocumque sit, quin tantumdem scientiae habeam, tantumdem gloriae in terris, tantumdem existimationis apud homines: habere possum tantumdem amoris, ac illi habuerunt. Nil ultra peto, hoc mihi erit omnia, neque accidet unquam, ut conquerar donec tanti boni dominium obtinebo. Hominum perfidia, & iniquitas eripiat mihi quidquid divitiarum mihi Providentia commiserit; quidquid opum, honorisque laboribus, consiliisque meis sum adeptus; vires, bona valetudo me in ipso juventutis flore destituant; saevissimorum morborum vis efficiat, ut omnes dolores mortis experiar: hoc in statu possum adhuc amare Deum; illum tantumdem, immo etiam magis diligere possum, quam si perfecta valetudine, omnibusque fortunae favoribus fruerer. Qua igitur de re conquerar? Et quod malum omnes istae calamitates mihi possunt afferre, dummodo obex non sint, quominus diligam Deum? *P. de la Colombiere*.

Vera ratio in amore Dei proficiendi.

Quid faciendum est, ut diligamus Deum super terram pro viribus nostris? Conemur illum quam perfectissime fieri potest, agnoscere. Sublimem nobismet adstruamus conceptum summi hujus entis per ea objecta, quae hic in terris illius excellentiam nobis repraesentant. Tota fide nostra utamur, ut augeamus in nobis divinarum perfectionum illius cognitionem. Illas saepe meditemur, idque semper magna cum attentione; potissimum vero

ab eo

ab eo gratiam petamus illius cognoscendi. Hac ratione tot utriusque sexus Sancti adeo mirabiliter in Divino amore processerunt. Hæc prima illorum extitit occupatio; scrutari perfectiones Dei, hunc semper magis, magisque cognoscere, ut eo ardentius eum diligerent, quo perfectius cognoscerent. *Pater Segneri in Meditationibus Tom.* 3.

Amor Dei in Beatis extingui non potest, sed in terra periculum est, ut in justis ipsis extinguatur.

Eximium amoris Beatorum attributum est, hunc numquam extingui; in corde nostro est velut ignis in sphæra. Hoc de amore nostro dici non potest; sæpe extinguitur, idque duplici ex causa. 1. Non ministramus alimenta apta ad illum fovendum; 2. sinimus ipsum extingui per ea, quæ sunt eidem opposita. Amoris nostri alimentum sunt spiritualia exercitia; hæc illum alunt, roborant, & prohibent, ne extinguatur, nova semper suppeditando alimenta. Illi autem opposita sunt carnis desideria. Hæc nullum habet inimicum magis infensum quam amorem Dei; hunc illa studet evertere, immo una hac tantum re occupata videtur. Timendum igitur est, ut caro huic prævaleat amori, ipsi vero experientia docemur illam quam sæpissime prævalere. Justus hic timor non habet locum in Cœlo, Sancti enim certi sunt, se in æternum amaturos; quia caro ibi non solum subdita est, sed conformis spiritui; neque opus est, ut excitent ignem semper æque succensum. Ignorare non possumus quot adsint pericula, ne Dei amor in singulas horas in corde nostro intepescat. Ad illum servandum iisdem mediis utamur, quibus usi sunt Sancti, donec in terris vivebant. Ubi sacer hic ignis eorum corda pervaserat, illum ibi alebat precibus, meditatione, omnibus pietatis exercitationibus, & in hoc curam ponebant maximam, ut omnia cupiditatis vincula infringerent. Eorum exempla sequamur, & ignis divinus jugiter ardebit in cordibus nostris, sicut ignis in Altari holocaustorum: *Ignis in altari meo semper ardebit. Idem ibidem.*

Levit. 6.

Amor Dei semper est tranquillus, & immutabilis in Cœlo; in terris autem numquam est sine agitatione, & vicissitudine.

Immutabilitas extrema est perfectio amoris Beatorum, qui nulli amplius obnoxius est mutationi, sicut noster. Nulla habet amplius incrementa, vel imminutiones: quippe cum attigit terminum, qui illum potest stabilire. E contra vero amor noster inquietus est, mobilis, agitatus, quia ignis est, qui tendit adhuc ad spheram suam. Cum hic meritum nostrum constituat, agens sit oportet; agens autem esse non potest, quin mutet; cum e contra in cœlis amore præmii locum, non meriti obtinente, beati in illa felicissima sede quiescunt ubi in pace fruuntur eo bono, quod possident. Cæterum sexcenta in hoc mundo sunt, quæ difficile evitari possunt, sexcentæ vitæ præsentis necessitates nostram de Deo curam interrumpunt, quorum nihil umquam Beatorum amori obicem statuit. Non licet quidem in terris nobismetipsis promittere amorem illorum amori similem; sed possumus saltem, & debemus, quemadmodum Beati fecerunt in terra, omnes motus nostros convertere ad Deum; possumus, ut illi, eos sanctificare per desiderium in omnibus placendi Deo, nobis rebus in omnibus illius beneplacitum, & gloriam proponentes. *Pater Segneri in suis Meditationibus Tomo* 3.

Nil medium est; vel Deum æternum amare debemus; vel esse æternum odii ejusdem objectum.

Nihil medium est, vel enim æternum in Cœlis Divino amore ardere debeo; vel debeo in æternum absumi ignibus devorantibus, quos extingui Divina non patitur ira. At in hoc dubitandumne est? Ignis amoris tui, Domine, esse volo felix, æternaque victima. Illum quæso, hoc ipso temporis momento incipe in corde meo accendere; ecce me paratum ad aliam quamcumque amoris flammam extinguendam. Scio, Domine, cœli incolis reservari, te sine ulla mixtione, sine divisione ulla diligere; verum non ignoro, me, si tua mihi opituletur gratia, te posse satis diligere super terram, ut merear te deinde pure, perfecteque in Cœlis amare. Scio, donec ero super terram, meum erga te amorem semper extingui posse, imo neque omnino certum esse, illum in meo corde esse succensum: verum scio quoque te a me amari, si id ago, quantum in me est, ut amem te, & me numquam nisi ipse voluero, ab amore tuo cessaturum. Imposterum igitur in vita mea nihil aliud erit curæ mihi, nisi ut alam, & augeam in me amoris tui ignem. Non vivo, heu! vere non vivo, nisi quatenus amo te; amor tuus vera est animæ meæ vita in tempore, & arrha suæ beatæ immortalitatis. *Idem ibidem.*

Quoniam imperat Deus ut illum diligamus, nobis media suppeditat ad eum diligendum.

Quod Deus noster intendit, cum præcipit ut illum diligamus, hoc primum est, ut illi adhæreamus *ex toto corde* nostro, hoc est cum omni voluntate. Voluntas in homine est pars, quæ dominatur, & imperat; hæc est domina cordis; & ab illa Deus hoc petit. Fili, præbe cor tuum mihi. Vult etiam Deus in amorem ipsius omnes naturales propensiones nostras, omnesque facultates interiores impendi. Diliges Dominum *ex tota anima tua*, & omnibus viribus tuis. Sed cum hoc præstare minime valeamus, quin mens, quæ pars est intelligens in nobis, cum ceteris consentiat; Deus jubet, nos eadem uti, ut illum cum toto intellectu nostro diligamus. Diliges Dominum *ex tota mente tua*. Quoniam ergo Deus ipse hoc nobis præcipit, hæc magna nobis est causa lætitiæ, per hoc enim promittit se nobis omnia id exequendi media suppeditaturum. Ne igitur nectamus moras, ut id impleamus: voluntas nostra deinceps tota sit Domini; omnia in nobis ab illo motum recipiant. Si quid cupimus, cupiamus semper hærere Deo. Si dolemus, doleamus ob scelera, quibus ille offenditur; si timemus, odium illius timeamus. Illi omnes sensus nostros consecremus, omnesque animi facultates. Mens nostra vacet excogitandis mediis illius magis, magisque in dies diligendi: ita adimplebimus præceptum quod nobis irrogat: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Idem.*

Prov. 23.

Matth. 22.

Deum nonnisi in Cœlo perfecte diligemus; illū quantum possumus amemus in terra, eumdē plenissime in Cœlo amaturi.

Præceptum amandi Deum, nonnisi in Cœlo perfecte adimpletur: quod tamen efficere non debet, ut animum despondeamus. Qui enim præceptum irrogat, vult & finem propter quem illud irrogat, & usum mediorum, quæ ad finem obtinendum sunt necessaria. Deus igitur in hoc præcepto duplicem habet intentionem: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Primum mandat, ut omnino illi adhæreamus tamquam summo bono; & hic præcepti finis est: Secundo mandat, ut diligenter Sanctis Legibus suis pareamus, & hæc media sunt, quæ nos ad hunc finem perducunt. Certum est, hunc finem, perfectam hanc unionem cum Deo non posse in terris acquiri, cum reservata sit ad statum Beatorum, ad statum illum in quo Deus erit *omnia in omnibus*. Sed hoc nos deterrere non debet; sufficit modo, nos sequi regulas, quas tradidit nobis, ut ad finem hunc perveniamus; & hoc illa a nobis exigit, ut aliquando nos remuneretur. Sed cur igitur nobis præceptum proposuit, quod nonnisi in Cœlo potest perfecte adimpleri? Voluit solum per hoc significare, omnia desideria, omnesque conatus nostros in hac vita eo spectare debere, ut aliquando cum illo per perfectissimum amorem uniamur. At huccine omnes spectant nostræ cogitationes? Quam afferre possum teporis erga te mei causam, o Deus! Num tibi deest aliquid, quod opus est, ut amorem tibi concilies? Et postquam hoc mihi præceptum irrogasti, potestne quidquam deesse eorum, quæ requiruntur, ut præceptum istud adimpleam? *P. Segneri in Meditationibus.*

Dei amor in confue-

Tuta via plurimum pro cœlo acquirendo lucran-

tis operibus nostris supplet iis omnibus, quæ magna vellemus efficere.

erandi, quin hoc multis nobis fiet sumptibus, est, nosmet exercere frequentibus actibus amoris Dei; est, nosmet assuescere, ut nihil faciamus nisi acti cupiditate ejusdem placendi. Tunc non poterimus ultra conqueri, quasi pares non simus magna illa aggrediendo propter Deum, quæ admiramur in aliis. Deo enim satis est, a nobis amari, quantum hoc in statu ipsum amare possumus, nec quidquam ultra quærit. Doles, quod nequeas Domino offerre austeritates, vigilias, quæ alioquin tuis debentur criminibus: illis supple ex alia parte, his maceratonibus subroga actus amoris Dei, nihil ultra petit a te. Amoris actus ingemina, & hoc pacto cum fœnore repende quidquid austeritatum, laborumque ferre non vales. Isti amoris actus oblivioni tradent debitas tibi pœnas. Nequis illius procurare gloriam neque prædicatione, neque animarum regimine? Illum ama, nec ultra requiret. In mundo per statum implicitus es terrena negotia, domesticæ curæ, frequentis sobolis educatio meliorem temporis tui partem absumit; omnibus hisce muneribus perfungere cum intentione placendi Deo; & illi æque satisfacies, ac si ad unguem, & summa cum dignitate sublimia Apostolatus officia obiisses. *Idem.*

Sancti ad maximum sanctitatis apicem pervenerunt per amorem Dei.

Quanam, amabo vos, via cogitatis Sanctos ad tantum sanctitatis apicem evasisse? Id minus illis contigit per heroicas actiones, quas ediderunt, quam per amorem, propter quem illa fecerunt. Salvator nequaquam laudavit Magdalenam, quod multa fecisset, sed quod multum amasset. Magdalena nondum aliquam exercuerat austeritatem, qua sua deleret flagitia; sed amor Dei sui ex oculis ejus lacrymarum imbres elicuerat. *Quoniam dilexit multum.* Ita est, Domine, cor petis; ex quo hoc tenes, reliqua, quæcumque sunt, tibi sufficiunt. Scrutans renes, & corda, quemadmodum illa scrutatis, res æstimas ex amore, qui earum principium est; neque de amore judicium fers ex modico effectu, quem extrinsecus parit. Ita, Domine, minutissima, & obscurissima mei status officia, quia cum amore illa adimpleo, mihi apud te locum tenent eorum omnium, quæ possem, & vellem majora ad tui nominis gloriam operari; qua etiam in te maximus præ aliis dominis esse videris. Animum ergo adjungam meum, non ut magna faciam, sed ut magna reddam ea minima, quæ propter te faciam, cujus amore volo deinceps omnes actiones meas animare. Num homini quidquam est majus, & præstantius, quam pro unico omnium actionum suarum fine sibi proponere Dei beneplacitum: & pro unico laudum suarum argumento opera Dei? *P. Segneri in Medit.*

Quo jure præcipiat Deus, ut illum quantum possumus diligamus.

Jure suo postulat Dominus, ut quantum per nos fieri potest, & eo modo quem explicuimus, illum diligamus. Ipse Deus noster est, ideoque noster ultimus finis: nonne igitur æquissimum est, ut non aliud homini sit desiderium, vel negotium, quam illum amandi? Avarum inspiciamus, qui opes suas sibi tamquam Deum, extremumque finem suum sibi constituit. Num in mundo quidquam est, quod propter suum auri, argentique amorem non agat? *Ex toto corde* opes suas amat; potiusquam illas imminuat, ultro sibi interdicit ea solatia, quæ omni culpa vacant: immo iis etiam, quæ sibi necessaria sunt, abstinet. Illas amat *ex tota anima sua*; illuc omnes illius tendunt affectiones. Si morosus est, ideo est, quia suis opibus timet; si lætus, & hilaris, ideo est, quia illas videt augeri; omnes illius affectus, ut verbo me expediam, pecuniarum suarum amore moventur. *Illas ex omnibus viribus suis amat*: quia quin sua sibi curæ sit valetudo, totum se tradit curis opum suarum servandarum, augendarumque. Eas denique *ex tota mente* diligit; nullibi major est spiritus ejusdem præsentia, nullibi majus mentis acumen, atque ubertas, quam cum novæ excogitandæ sunt artes locupletandi. Ecce quid pro argento, proque inani idolo homo facere possit. Numquid nobis tantumdem pro Deo nostro facere non licet? Si autem licet, quid æquius esse potest, quam illud facere? JESUS CHRISTUS non dicit solum: *Diliges Dominum tuum*, sed *diliges Dominum Deum tuum*, videlicet illum, qui extremus est finis noster, qui solus felicitatem nostram constituit. Avarus unice amat thesaurum suum, quia non novit aliud bonum: numquid minus Deum nostrum amabimus, in quo reipsa omnia bona continentur? *Pater Segneri in Meditationibus.*

Nobis propter Deum pauciora facienda sunt, quam avaro propter thesaurum suum.

Avari vita, licet insipiens, nobis tamen regula esse potest in nostro erga Deum amore; quis enim amor novissimo fini debetur? Prælationis amor, & hunc a nobis expetit Deus. *Diliges Dominum Deum tuum.* Avarus omnia sacrificat, ut thesaurum suum tueatur: ut ille, nihili pendamus omnes labores, dummodo hoc pretio semper Dei nostri possessionem tueamur. Cæterum inevitabiliter in vita nostra tenemur formales elicere hujus amoris actus; actus amoris Dei super omnia. *Actus formales, inquam;* aliorum enim Præceptorum observantia semper in se aliquem Dei amorem continet: *Qui habet mandata mea & diligit ea, hic est, qui amat me.* Sed nondum hic est formalis actus amoris Dei: Mandatorum observantia indicium est amoris, quo illum diligimus, non amor ipse. Actus amoris Dei, qui a legis suæ observantia non differunt, sunt potius actus obedientiæ erga illum quatenus supremum Dominum nostrum, quam actus amoris erga illum quatenus ultimum finem nostrum. Debemus tamen hos amoris actus elicere, præsertim vero cum tentamur, vel in periculo versamur peccandi. Imposterum igitur amabo te, Domine, totusque tuus ero. Amor tuus omnes diriget motus amoris mei, qui omnes meas facultates exercebit, & qui erit omnium actionum mearum principium. Utique, Domine, amorem erga te meum testabor, beneplacitum tuum rebus omnibus præferens, neque recedens umquam pro qualibet re, a via mandatorum tuorum. *Idem.*

Præceptum amandi Deum nos cogit, ut illum rebus omnibus præferamus, & ut per actus amoris illi adhæreamus cum tentamur.

Matth. 22.

Joan. 14.

Verum est affirmativa præcepta, cujusmodi sunt jejunii, confessionis, eleemosynæ nequaquam omnibus, singulisque vitæ momentis obligare; sed congruis dumtaxat temporibus, quod ipsum dicendum est de præcepto Deum super omnia diligendi. Sed quænam sunt peculiariter temporum circumstantiæ, quibus amoris hujus actus nobis sunt eliciendi? Hæc tempora non sunt constituta, quemadmodum nobis statutum est tempus, exempli gratia jejunandi; quia tempus amandi Deum definitum non est, quia illum satis amare non possumus, quia omnia impendere deberemus in ejus amore momenta. *Omnia tempus habent*, uno excepto amore Dei, cui ista Spiritus Sancti verba non conveniunt. Scio equidem, Deus, me plene nonnisi in Cœlo te diligere posse: sed ut plene te in Cœlo diligam, opus est, ut te, quantum fieri potest, in terra diligam. Perfectus hic amor, qui felicitatem meam in æternum debet constituere, esse nequit, nisi fructus amoris, qui deceat viatoris statum, in quo sum. Possumne considerare, Domine, te Deum meum esse, Auctorem omnium, quæ possi-

Tempus amandi Deum nullis finibus continetur.

possideo, & quæ sperare possum, Creatorem essentiæ meæ, & novissimum finem mei, quin ad te omnia mea desideria convertam? Quod facit avarus pro perituris divitiis, quod ambitiosus pro inanis gloriæ phantasmate, pro te ego non faciam? *Pater Segneri in Meditationibus.*

Mandatum amandi Deum est omnium mandatorum maximum. 1. Tim. 1.

Amare Dominum Deum nostrum, primum est Mandatorum multiplici ex causa. Primum est in intentione Legislatoris, illud nobis irrogantis, ac cætera ad hunc tamquam ultimum eorum finem referentis. *Præcepti finis est Charitas.* Primum est, quoad obligationem impositam recipiendi illud. Si enim alia mandata servanda sunt, quia omnia tendunt ad Charitatem; quanto magis ipsum charitatis præceptum observandum est? Primum est denique propter nobilitatem, qua super alia quæcumque assurgit. Quodnam præceptum esse poterat nobilitati animæ nostræ conformius? Præstantissimum præceptum citra quamcumque dubitationem est illud, quod minus nostram libertatem offendit, quale hoc est: *Diliges Dominum Deum tuum.* Et reipsa solum est quod numquam inviti adimplemus. Nonnumquam pœnæ metus efficit, ut alia præcepta servemus, sed Charitatis mandatum nonnisi ab amantibus adimpletur. Si amamus, quia metuimus, jam non amamus; atque ita præcepto Charitatis non satisfacimus. Nullus actus est liber magis, magisque voluntarius, quam actus amoris, & hoc ejus dignitatem, atque præstantiam constituit. Præceptum quo Deum amare jubemur est igitur omnium præexcellentissimum. *Hoc est primum mandatum.* *Idem.*

Marc. 12.

Deum non amantes illum magna afficimus injuria.

Quam Deo injuriam afferimus, cum ipsi amorem nostrum negamus, illum abjectis creatis rebus præstituturi? Mereremur, ut nos ille damnaret, nec umquam in cœlum oculos sustolleremus, ut humi reperemus, veluti serpens antiquus, qui primum hominum parentem fefellit; quandoquidem sensus nostri, & cor terrena tantum objecta depereunt. Si Dominus explicite non præcepisset, ut illum diligeremus; nonne illum rogare, & obtestari deberemus, ut se a nobis amari haud ægre ferret; Aliquidne hoc honestius, vel gloriosius potest accidere? Cum ergo imperet, ut ipsum diligamus, nos beatos putemus cum ei morem gerimus: *Diliges Dominum Deum tuum.* *Idem.*

Matth. 22.

Preceptũ amoris Dei est omniũ suavissimum.

Charitatis præceptum non solum primum obtinet locum propter dignitatem, verum etiam propter suavitatem. Charitas mulcet, quidquid in reliquorum Præceptorum praxi asperum, & amarum est: quantam vero suavitatem Charitas ipsa complecti non debet. Quis dicendo explicare posset lætitiam, qua anima afficitur, cum amat Deum suum? Summam ipsa nanciscitur voluptatem in eo laudando, colendo, eique obediendo; sed toto cœlo majorem percipit dulcedinem in amando. Quippe animæ oblectatio oritur in ea, quæ inter se, & objectum suum invenit, congruentia, & suavissimam afficit unionem inter utrumque. Sed objectum maxime congruum animæ Deus est; hic vere cibus illius est, qui semper ei placet, & cujus tædio non afficitur. Anima quoque facultas est maxime congrua Deo: quærit enim illa incessanter unde alatur, & numquam saturatur. Ita arcta animæ cum Deo conjunctio, suavissima est, quæ cogitari possit; & hoc opus est Charitatis. *Idem.*

Sanctis discere debemus Deum amare. Cant. 2.

Id nisi estis experti, hoc discite a Sanctis, qui illud experti sunt. Omnes cum Canticorum Sponsa exclamant: *Fructus ejus dulcis gutturi meo.* Si tantumdem dicere non potestis, hoc non ex objecto, neque ex facultate proficiscitur, sed ex modica unione, quæ inter utrumque reperitur. Attendite exercitio amoris Dei, contemplationis, pœnitentiæ; & charitatis fructus gustabitis. Sed vix labiis vestris suavissimum hoc manna delibastis, cum illud abjicitis. Aliquid præterea requiritur, ut illius gustum percipiatis. Non labiis, sed palato fructus dulcis est: *Fructus ejus dulcis gutturi.* Gloriosum mihi esset, Domine, si tantum pati velles te amari a me; quanto igitur magis gloriosum est, te velle mihi præceptum irrogare amandi te, & minari mihi terrimos iræ tuæ effectus, nisi te amavero? Constituam igitur in te amando omnem gloriam meam, sed cum in hoc meam gloriam inveniam, quantum simul inveniam suavitatis? Aliud quodvis objectum me tædio afficit; tu unus cordi meo satisfacere potes, quod pro te dumtaxat fecisti. Ego amorem erga te meum testabor centies in dies singulos profitens cor meum tui juris esse. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Preceptũ amoris Dei utilissimũ est, quod observetur.

Mandatum amandi Deum primum est omnium propter utilitatem, quam inde percipimus. Merces enim, quæ ex illius observantia emanat, potius merum donum est, quam justa merces. Illam divinæ bonitati potius surripimus, quam mereamur. Nostrum esset Domino pro viribus gratias referre, quia dignatur permittere, ut a nobis diligatur; non Domini præmia nobis retribuere, quia illum dileximus. Admiremur ergo beneficii magnitudinem quo afficimur, cum illum amare jubemur. Nobis præceptum charitatis imponit, ut ostendat se velle nobis merito vertere amorem nostrum erga ipsum, eique veram mercedem adnectere. Alioquin videremur nos posse jure de merito, & remuneratione dubitare, diligentes bonum infinitum, bonum summopere amabile. Certi sumus actiones nostras maxime communes a Deo merito nobis tribui, cum a nobis fiunt per obedientiam. Hoc ipsum est de Charitatis præcepto, hoc observando meremur; quia id nobis Dominus imperavit: *Diliges Dominum Deum tuum.* Verum utinam accedente hoc etiam Præcepti aculeo illum diligamus. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Quæ subsidia mortales habent ut servent mandatum amoris Dei.

Magnum hoc est admirationis argumentum, a plerisque Fidelibus negligi præceptum, quod omnium primum est, omnimodo. Illud quidem in terris perfecte adimplere non possumus, conemur saltem adimplere illud quantum fieri potest, omniaque illius adimplendi media adhibeamus. Horum autem mediorum primum est animum adjungere ad cognitionem summi boni quod amare tenemur. Sancti illud in Cœlo vident *facie ad faciem*, ideoque illud amant perfecte: nos autem *videmus nunc per speculum in ænigmate.* Sed saltem hoc pacto bonum cognosceremus, & diligeremus illud. Quamvis a sensibus nostris longe sit fides; quæ illud nobis admovet propius, illud nobis semper summopere amabile potest efficere. Res ipsæ anima carentes nobis pro modulo suo suadere non cessant, ut Dominum diligamus. Cœlum, terra, mare, omnia opera ejus benedicunt illi, & per hoc nobis, quos ille fecit compotes mentis, & ad ipsum amandum pares, palam dicunt, ipsum a nobis esse diligendum. Nisi eorum sermonem intelligimus, inde fit, quod ad illum minime attendimus. His vocibus aures aperiamus, quæ nobis de summo bono colloquuntur, & ad illud amandum invitant. Opus est, nos admodum esse distractos, si non percipimus illas; vel sensu carentes, si illas intelligimus, quin magis Deum nostrum amemus.

1. Cor. 13.

Res insa inanima docent, Deum nobis esse amandum.

Heu!

Heu! *Ego sum creatura illa, quæ amandi felicitate privatur*. Hæc responsio fuit dæmonis, qui cum ex obsesso extruderetur corpore, dicere jubebatur quis esset. Numquid ipsi ita miseri erimus, ut nobismet ultro tantam felicitatem interdicamus? Honor amandi te, dulcedo, quæ in amore tui reperitur, o Deus, sufficiens proculdubio essent illis remuneratio, qui diligunt te. Sed divinum hoc mandatum amoris, quod justus majori cum gloria, & dulcedine adimplet, illud ipsum est, quod implet majori cum merito, & fructu. Utique, Deus, meum esset tibi aliquid solvere, pro amore, quo te complector, tu vero amorem meum magnificis retributionibus rependere vis; & hoc etiam pretio nondum obtines, ut a me diligaris. Omnia tamen mihi dicunt, Domine, te infinite magnum esse, potentem, beneficum, ideoque summopere amabilem. Omnes perfectiones tuæ, mea utilitas ipsa, & gratitudo me ad te amandum impellunt: utinam posses hodie cumulatissimam de corde meo per gratiam tuam referre victoriam, ac illud in æternum possidere. *P. Segneri Medit.*

Dei amor, qui in terra semper mixtus est, semper in Cœlo purus est,

Prima amoris Beatorum qualitas hæc est, esse purissimum. Illi Deum amant; hunc ipsi quoque diligimus: Sed illi nonnisi Deum amant, nos autem aliud ab illo, vel saltem cum illo amamus. Propter mixtionem hanc amor noster multo minus nobilis est, quam amor Sanctorum; ignis enim qualitas illius nutrimentis est congrua: *Secundum ligna sylvæ: sic exardescit ignis*. Hac de causa Beatorum amor esse nequit perfectior, quam est. Deum unum amant, ejus beneplacitum, & gloriam; vel si aliquo pacto se ipsos amant, nonnisi Deum amant in se. Dei amor ignis est devorans, qui alium quemlibet amorem absumit. *Ignis consumens est*. (*Deut. 4.*) Amorem nostrum ita expiare conemur; nihil extra Deum diligamus, & in rebus omnibus illum dumtaxat amemus. Bonum est amare creata in illo; sed perfectio est illum dumtaxat in creatis amare. Tunc amor noster non est amplius mixtus; nullum habet objectum nisi Deum, & solum Deum. In hoc sese perficere indesinenter studuit Sanctus Augustinus, ex quo primum in Dei manibus posuit cor suum. Qui Creatorem deserit, ut diligat creaturam, ajebat ille, insignem injustitiam admittit: *Injuste amatur deserto illo, quidquid ab illo est*. (*Lib. 4. Conf. c. 22.*) *P. Segneri in Medit.*

Ardor ejus a Beatis sentitur; sed justi super terram certo affirmare nequeunt, a se Deum amari.

Alia perfectio amoris Beatorum est ardor: sentiunt te amare Deum, & efficiunt, ut ab aliis sentiatur. Hinc Propheta quidam ait, non tantum cor illorum, sed & faciem inflammatam esse ad instar carbonum ardentium. *Aspectus eorum, quasi carbonum ignis ardentium*. E contra amor, quo diligimus Deum, aliis non patet, immo neque a nobismetipsis sentitur: Cum illum sincerissima dilectione prosequimur, nescimus certe utrum illum amemus. Sed licet amor noster per se ipsum nequaquam se prodat, uti amor Sanctorum: non ita difficile ex affectibus illius potest deprehendi. Justi super terram ex eorum in bono perseverantia cognoscimus. Ne celetis ergo amorem vestrum erga Deum. Putatis ne turpe esse illum amare? Si hominibus persuadere non potestis, illum a vobis amari; saltem illis persuadere adnitimini, vos vobismet gloriæ vertere amorem illius. Omnes cogitationes, omnia verba, omnes affectiones vestræ hunc unice scopum habeant diligendi Deum. Timor, ne illis displiceatis, nulla humana ratio adversetur, quominus palam testemoni charitatem, qua illum diligitis. *Idem ibidem.*

Quam amabilis sit Deus!

Quo magis crescit homo in amore erga Deum, eo magis invenit Deum mereri ut ardentius diligatur. Deus in se nequit esse vel magis, vel minus amabilis, quam est, quia infinite amabilis est: Videtur tamen fieri amabilior, videtur incessanter augeri bonitas illius erga hominem qui illum amat, & quo viribus conatur exæquare charitate sua eam bonitatem, cujus nullos limites videt; quæ illi videtur eo magis se extendere, quo magis in amore ejusdem procedit; bonitatem, quæ illum allicit, rapitque extra seipsum sua immensitate: *Accedet homo ad cor altum & exaltabitur Deus*. (*Psal. 63.*) Beati, qui cor magnum habent, qui cor habent, in hoc sensu, altum & elevatum! Magnitudinem, & elationem hanc vos adipisceremini, si intelligeretis vos unice pro Deo factos esse. Indignum est genere vestro alium amare, quam illum; hoc est humi repere, tamquam vermis in sordibus, & pulvere: *Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion*. *P. Segneri Medit.*

In Extasibus præsertim attollitur Deus, & magnitudinem suã manifestat.

Extases etiam, quas illi experiuntur, qui Orationi vacant, Prophetæ verbis exprimuntur. Duplex est extasis genus: alterum mentis, alterum voluntatis. Prius illud oritur a magna admiratione, alterum vero ex amore magno. Anima meditando attente, vel bonitatem, vel pulchritudinem Dei sui, & inveniens semper objectum suum omni cogitatione præstantius, tali afficitur stupore, ut extra se egrediatur in extasim rapta, tamquam Regina Saba, cum gloriam Salomonis intuita est. *Non habebat ultra Spiritum*. (*3. Reg. 10.*) Hoc pacto mentis extasis efformatur. Eo tempore, quo homo vacat orationi, Deus illum ex intimo corde movet, & ad se trahit per amorem ita suavem, ut anima veluti tracta quodammodo sese supra corpus attollat, ut ascendat ad sese cum illo jungendam, a quo eminus appellatur. *Surge, propera amica mea ..... & veni*. Ita extasis voluntatis efficitur. In extasi utraque attollitur homo impetu admirationis, & amoris; sed Deus magis adhuc elevatur quam homo, quia superat omnem admirationem, & amorem, cujus mens, & cor humanum compotes sunt. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*. Inter suaves impetus admirationis, & amoris mentis, & voluntatis extases efformantur; sed illi solum qui experiuntur illas, o Deus, norunt quantum magnus, & amabilis felicibus illis momentis videaris! Non peto a te, Domine, insignes has gratias; nimis indignus sum, nimisque nocens, iisque beneficiis forsitan abuterer: Peto solum, ut tibi semper ostendere possim meam fidelitatem, & amorem, ut mens simul, & voluntas omnino acquiescant iis omnibus, quæ petis a me, & quæ præcipis mihi. *P. Segneri Medit.*

Duæ causæ præcipuæ quæ nos ad amorem Dei debent impellere.

Me totum debeo Deo, Sanctus Bernardus inquit, quia me fecit, quid illi debebo, quia me refecit, quia cum tot, tamque insignibus misericordiæ argumentis me refecit? Bis me debeo illi: Sanctus iste Doctor dicere posset, infinitis vicibus me totum illi debeo. Si unum me cogito, quid illi retribuam propter ejus amorem? Quid reliquum erit mihi, quod offeram ipsi, si cupio gloriam adorabilibus ejusdem perfectionibus deferre? *Si totum me debeo pro me facto: quid jam addam pro refecto, & refecto hoc modo*? (*L. de diligendo Deo c. 5.*) Cum agitur de necessitate diligendi Deum; recentes semper inveniuntur illius amandi rationes; semper nova, quæ dicantur, occurrunt. Cur ergo opus nobis est tot gravibus considerationibus, ut certum ineamus consilium amandi Deum nos diligentem? Possumus ne nimis amare Deum? possumus, ne illum satis amare? nonne Deum amare debemus? nonne meretur a nobis propter suum amorem amari? Modus vero amandi nonne est illum

lum amare sine modo? *Causa diligendi Deum? Deus est: modus, sine modo diligere. Pater la Pesse.*

Cordis nostri angustiis supplere possumus per ardorem Charitatis.

Nonne verum est, eum qui legem implere potest amando Deum, supplere etiam posse angustiis cordis sui charitatis ardore? Si Deus nonnisi amorem nostrum petit a nobis; nonne verum est, quantumvis infirmi sumus, nos adhuc posse illum satis tenera, ac forti dilectione complecti? felicitas, quæ maxima nos afficere debet lætitia. Numquam possumus satis amare Deum; fateor, tristis, & molesta est hæc cogitatio, nobisque humilitatem inspirat; sed randem ille amore nostro contentus est. Non aliud nobis igitur consilium capiendum est, quam illi totum cor nostrum consecrandi. Ad id nos Sanctus Bernardus hortatur: *Si quantum eum diligere debes, non potes: dilige ergo eum ex toto corde.* Hæc unica via est sarciendi quodammodo quidquid debetur Deo, & nosmet in imbecillitate, nihiloque nostro consolandi. Miserum cor hoc nostrum igitur ne partiamur; jam satis parvum est; satis est frigidum. *Idem.*

Serm. 1. in Cœna Domini.

Dei amor conciliari non potest cum amore mundi.

Si amas, quæ damnat Deus, credere ne potes te amare Deum? & hoc persuadere poteris alicui, qui non rudis omnino sit in iis, quæ ad Religionem pertinent? Nequicquam te hortabimur, ut ames Deum, donec amabis ludos, periculosa spectacula, societates vino, ac voluptati deditas, donec profiteberis, te mundo adhærere, donec rationem habebis eorum, qui tibi scandalum inferunt, & humanis de causis eorum facta, moresque probabis: donec quasdam fovebis affectiones, & necessitudines, & patieris quamdam licentiam, quæ in anima tua cient impura desideria; donec christianam lædes modestiam per excessum luxus tui, & nonnisi ambitiosa animo voluptabis consilia. Quid proderit dicere tibi, Deum esse amandum, quia illi totum cor tuum debes, si jugiter vis tuis satisfacere cupiditatibus, & nonnisi de tuis voluptatibus cogitare? Deum amare, simulque aliud quidpiam amare, & simul eadem amare objecta, quæ vetat Deus, nonne est confusione, ac rubore suffundi? *Idem.*

Considerationes quæ nos debent adigere, ut totum cor nostrum sine exceptione Deo præbeamus.

Cogitemus, quæso, Deum de nobis fuisse sollicitum, nosque ab æterno dilexisse: per hujus amoris effectum creasse nos in tempore ab ipsius Providentia præstituto, præ infinitis aliis creaturis, quas in ipsarum nihilo reliquit, & quæ illi melius, quam nos deserviissent; effecisse, ut ex Catholicis parentibus nasceremur, qui sanctam nobis educationem procurarunt, donec tot aliæ sepultæ sunt in tenebris Ethnicæ superstitionis, sine ulla veri Dei cognitione. Peculiarem adhibeamus curam in meditandis illius beneficiis, cogitando quod cum promeriti fuerimus Dei odium per originale peccatum; hic idem Deus misit Filium suum, qui nos redimeret: ob hanc rem Divinum hunc hominem triginta trium annorum spatio laborasse, & ad extremam quoque guttam sanguinem suum effudisse; summa charitate pro nobis Patri suo hujus sanguinis pretium obtulisse, nos ab aliis pluribus secernendo; & orasse, ut Passionis suæ merita nobis peculiari modo applicarentur. Orationis hujus vi, quæ argumentum fuit peculiaris ejusdem amoris erga nos, ad Christianam virtutem vocati fuimus, cum interim tot barbari damnantur, eo quod miseris contigit inter idololatras nasci. Addamus his tot alias singulares gratias, quibus affecti fuimus a Deo, ex quo vita vivimus; tot sanctas cogitationes tot bonos motus, tot sancta desideria, tot varia pericula, ex quibus eripuit; sed præsertim patientiam, qua nos pertulit tunc etiam cum lædebamus illum, gratiisque ipsius abutebamur, cum non permiserit, ut moreremur in funesto hoc statu, sicut tot alios, qui licet fortasse minus sontes, quam nos, modo in abysso torquentur, ubi æternum erunt objectum indignationis Dei, & subjectum ultionum illius, cum interim simus ipsi misericordiarum ejus. *Auctor recens.*

Mera Dei bonitas his nec aliis causa Deum compulit ad nos diligendos.

Quid Deum compellere potuit, ut de me cogitaret? hoc sibi quisque dicere debet; ut ab æterno me amaret, mihi esse tribueret, me tot beneficiis cumularet? Non certe quia mei indigeret, vel aliquid amabile in me inveniret. Videbat e contra tot iniquitates, & peccara, quæ patraturus eram in ipsum: ergo sua tantum bonitas, & amor erga me illum adigere potuit, ut me tot beneficiis cumularet. Quam igitur mihi amandus est hic Deus bonitatis, & misericordiæ! Quid mihi faciendum non est, ut gratias quodammodo referam? Heu! si terræ hujus Principes aliquis minimum mihi contulisset eorum bonorum, quibus a Deo auctus sum, crederem mihi pro illo bona omnia, vitamque ipsam esse sacrificanda? Unus igitur erit Deus, cujus in me præclarissimis meritis minime afficiar? Ejus in me beneficia, num quia infinita sunt, minus animi mei grati sensus merentur? *Idem.*

Quinam bonitatis excessus, Domine, tanto amore a te me dilectum fuisse, quamvis indignitas mea tibi comperta esset, atque explorata! Quodnam vero ingrati animi vitium in me, qui adeo parum dilexi te, qui adeo merebaris, ut te diligerem! Omnia vitæ meæ momenta mihi in amorem tui erant impendenda; nullum enim est, quod aliquo insigni beneficio tuo non sit connotatum. Sed heu! vix unum, & ne vix quidem inveniam, quo te vere dilexerim. Quam *sero te cognovi, sero te amavi*, Deus cordis mei! Si quid de me bene merentur creaturæ, illæ me trahunt, alliciunt, fascinant, captivant ac facile potiuntur cordis mei! Tua vero beneficia, perfectiones, bonitates, sint licet infinitæ, cordis mei duritiem flectere non poterunt, ut diligam te? Tu illius potire, ibique sedem tuam constitue. Nonne satis diu in profunda benificiorum tuorum oblivione vivo; ingratus bonitati tuæ, gratiæ rebellis, surdus afflatibus, tuisque mandatis inobediens? Quandonam sine inconstantia te diligam? *Auctor recens.*

Erubescentia qua suffundi debemus eo quod non diligimus Deum nobis esse debet excitamentum ad eum diligendum.

Rubore sane suffunderemur; si fateri cogeremur, Deum a nobis non amari. Quid ipsi nobis aliquando non exprobrabimus? Quibus oculis tunc inspiciemus objecta, quæ nos ab illius amore averterunt? Quantum nobis pœnitebit annorum, dierum, momentorum, quæ evolare passi sumus, quin de illo cogitaremus, quin illi omnem mentem, & cor devoveremus? Quid non optabimus facere, ac pati ad errorem adeo terribilem reparandum? Non videmur tunc ferre posse creaturas quæ nobis adeo detestabilem fascinationem pepererunt. Infamis hic mundus, qui nos possedit, objectum erit maledictorum nostrorum, & abominationis. Hac in re illud præsertim animadvertendum est, cor nostrum nonnisi propter Deum factum fuisse: Deus illud pro seipso dedit nobis, & creata nullum jus habent in ipsum. Deus illius est primum principium, ejusque debet esse finis extremus: ita ut si cor nostrum recedit a Deo, recedat a fine suo; & inde verum est, quod præstaret, nihil omnino diligere, quam non diligere Deum. Est majori in discrimine, quam si omnis ejusdem ignis esset extinctus. Sed tandem quin ulterius in hujus veritatis explicatione progrediamur; si cor humanum sine aliquo amore durare non potest, hoc est nobis magnum confusionis argumentum præparare, dicere amandum esse,

& ambigere; utrum Deum diligat. *Pater la Pesse*.

Magna est ad Deum amandum dispositio, certo scire quod ille nostrum amorem meretur.

Sed quomodonam oblivisci possumus Dei? nonne circumunde fulgent radii pulchritudinis illius, & bonitatis ejus vestigia? Nonne beneficiis illius cumulati sumus? Nulla est, ut ita dicam, creatura, quæ illa non indicet nobis: Sol, Astra, divitiæ hujus terræ, undique, quovis tempore, omnia de Creatore loquuntur. Nostra ratio, fides, angustiæ, voluptates in rebus omnibus illum nobis ostendunt: ipsæ etiam animi ægritudines, sollicitudinesque, quidquid in nobis est, quidquid extra nos, nobis ante oculos exhibent Deum, veluti bonum, in quod indesinenter tendamus oportet. Igitur Dei oblivisci non possumus, & ejusdem meminisse debemus etiam inviti, & nolentes. Dicere posse nos meminisse Dei, & interea illum flocci facere, tamquam objectum recordatione nostra, & amore indignum; hoc ne teterrima quidem infidelitas affirmabit; contemnitur, quia illi creatura præfertur; sed non ideo creditur, immo neque credi potest, ipsum contemptibilem esse. Hæc igitur magna est ad Dei amorem dispositio, fateri quod ille omnem existimationem, omnemque amorem nostrum meretur, & non posse ab illius illecebris oculos amovere, quantumvis parum ad eas animum velimus advertere. Meum est videre semper objectum, quod cor meum possidere debet, & videre, hoc esse semper amabile. *Idem*.

Amor Dei nobis gravis esse non debet, quia omnia nos ad ipsum adducunt.

Nullam in amando Deo invenire debemus difficultatem; hos enim ultro amamus quod est amabile; ipsi eligimus objectum quod amare volumus: omnia, quibus adhærere possumus, nos admonent de Deo, ejusque illecebris, & ad eas contemnendas, non fidem, neque amorem habere deberemus. Cum igitur de Dei amore agitur, cor nostrum partiri nequaquam debemus: Deus est amabilis, amandusque omnibus amoris generibus, quæ animo concipere possumus. Rationes omnes, quæ nos ad aliquid amandum possunt impellere, nos Deum amare cogunt. Præceptum, quod a nobis hunc exigat amorem, est primum omnium propter excellentiam, dignitatem, necessitatem, suavitatem, & bona omnia quæ nobis adfert. Sed ab iis omnibus, quæ dixi, quid potest inferri? Mirum esse a nobis non amari Deum tot illius amandi causas habentibus! Et sane nonne magnum hoc est admirationis argumentum? Invicem nosmet amamus; perituras creaturas amamus; amamus quidquid incomposita imaginatio, quidquid corrupta voluntas quidquid rebelles affectiones nobis objiciunt: Deum vero non amamus, animum ad illum amandum inducere non possumus. *P. la Pesse*.

Deum diligere debemus, quantum nostra imbecillitas patitur.

Si possemus concipere amorum infinitatem, hos omnes pro Deo concipere deberemus; eademque ex causa illi debemus etiam his plura; deberemus illum amare infinitate amorum infinitorum, si hos cor nostrum capere posset. Sola Dei Sapientia, sola ejus Providentia, sola ejus justitia, sola ipsius misericordia totum cor nostrum petit, totam reverentiæ, & dilectionis nostræ latitudinem, & obsequium, & dilectionem immensam, quantum creaturæ infirmitas ferre potest. Hac eadem ratione de reliquis Dei perfectionibus sermo est habendus, quia omnes æquales sunt, omnesque sunt ipse Deus, cujus essentiam efficiunt. Videte quæso quantum amor noster ab illo distet amore, quem meretur Deus. Unum dumtaxat cor habemus; cor hoc parvulum est, inconstans, semper divisum, creatis rebus inhærens. Quam parum diligit Deum quem tantopere diligere deberemus! Quam ingratum est, quandoquidem adeo parum diligit Deum, cujus magnificentia illum in singula momenta tot gratiis, & favoribus cumulat! Quam frigidum est, quoniam inter tot divini amoris ignes, qui ambiunt illud, nondum incalescere potest, quid dico? ne moveri quidem potest. Deus autem a corde isto non exigit, ut ipsum diligat eo modo, qui infinitas illius illecebras deceat, neque enim par est amori adeo præstanti; sed in hoc præcipue peccat, quod Deum suum non amat eo modo, qui suam deceat imbecillitatem. *Idem*.

Cum Deus unus totū mereatur amorem nostrum, non debemus amare alia objecta quam in illo, & propter illum.

Cum unum duntaxat objectum amandum sit, cui omnem amorem nostrum debemus, & quod illum integrum meretur; cor nostrum totum in hoc objectum tendit; ideoque majori cum pernicitate in illud tendit, quia omnes illius vires collectæ sunt; Patet autem Deo uni totum cor nostrum deberi: Ille omnem hujus dilectionem meretur: illi ne minimum quidem hujus motum surripere possumus citra teterrimam injustitiam. Dei unius sumus; ille nos integros vult possidere; possidere autem nos minime potest nisi per gratiam, quæ ipsa amorem nostrum supponit. Si animus ad hanc veritatem advertatur, omnino fieri non poterit, ut cor quis suum partiatur: cum enim Deus sit finis noster, cumque versus illum tendere nequeamus, nisi tota dilectione nostra: si cor nostrum partiti fuerimus, hoc erit, velle in illum tendere solo nostrum metipsorum dimidio: Et nulla creatura ad finem suum cum uno tantum sui ipsius dimidio tendere potest. Adhuc patet, necessariam inveniri contrarietatem inter amorem Dei, & amorem creaturæ. Qui Deum amat, non amat creaturam; & qui amat creaturam non potest simul amare Deum; sola vocabula sunt perspicua, & nitida veritatis demonstratio. Animæ hæ neutræ, si ita loqui fas est, quæ putant se tribuere Deo, quod ipsi debent, inhærentes objectis naturalibus, quæ ob proclivem quamdam affectionem diligunt, in illusione æque crassa, ac nocenti versantur. Quinam earum contemptus est, cum audent quodammodo æquare Deum creaturis? *Pater la Pesse*.

Creata omnia non nisi a Deo suas habent illecebras.

A quanam creatura eas mutuata est qualitates propter quas amatur? Nonne a Deo? Omnium creaturarum rerum illecebræ sunt in Deo sine ulla labe, sine variatione, sine inconstantia, sine fine. Si nullum objectum perfunctorium bonum, vel pulchrum est a se ipso; & a Deo mutuatur quidquid pulchrum, & bonum in ipso nitet, ratio quævis etiam maxime rudis haud difficile debet inferre, pulchritudinem, & bonitatem Dei multo magis, & infinite magis mereri curas nostras, nostramque dilectionem; quia illæ sunt fons purissimus & inexhaustus deliciarum, quibus creaturæ nos fascinant. Error sine dubio incredibilis, qui nos celat Dei illecebras ibi etiam, ubi magis collucent. Qui nonnisi ex animi propensione diligunt, si rationis compotes sunt, possunt ne alio quam in Deum suum amorem convertere? Deus nonne auctor est omnium perfectionum, quæ omni spirituum generi placere possunt? Præclare qualitates in omnia creata diffusæ, nonne omnes inveniuntur in Deo & nonne hic infinite plures obtinet? & in Deo nonne omnes infinitæ sunt? *Qui fecit omnia*, Sanctus Augustinus ait, *melior est omnibus: qui fecit pulchra, pulchrior est omnibus*. Igitur in Deo invenire potestis, quidquid potestis amare. *Idem*. *In Ps. 39.*

Deus tantum amabilis est pro captu nostri cordis, quot sunt objecta in natura.

Deus non solum meretur amorem infinitum, & infinitorum amorum infinitatem, sed etiam infinitis modis amabilis est; quia effudit quodammodo illecebras suas in omnia, quæ ipsi diligere possumus. Sanctus Augustinus sententiam hanc prolixa enumeratione in Soli-

loquiis

loquiis effert. Hoc lumen, hic flos, hic fructus qui vobis placet, vos monet Deum multo magis debere placere vobis; hujus enim pulchritudo, & bonitas efficiunt amabilia cætera quæcumque. Deus vos calefacit igne, vos aqua refrigerat, vos sole illustrat, vos terræ fructibus alit. Debetis igitur amare Deum in rebus omnibus, quas amatis; & sicuti amatis res diversas variis amoribus; deberetis colligere hos omnes amores ad amandum Deum; quandoquidem illum potestis amare, & amare debetis in iis omnibus, quæ amatis. *P. la Pesse*.

Illum deberemus amare infinite si cor nostrum esset capax.

Deum amare debemus omnibus viribus, omnibus modis, in rebus omnibus; illum infinite amare deberemus, si cor nostrum ejus esset extensionis, quæ id permitteret. Quidnam in nobis est, quod dicere possimus unice hoc amore esse occupatum? Quot divisiones! quot languores! quot illusiones! quæ fallacia in exiguo amore, quo Deum nos prosequi existimamus? Sed esto illum amemus, dummodo timeamus, ne illum satis amemus. Sed habemusne hunc timorem? Semper nutantes inter officia, quæ nobis obeunda sunt, & inter cupiditates, quibus satisfacere cupimus; sæpe infideles legi Dei; parum nobismetipsis invigilantes, ut Deo, quam meretur, prælationem deferamus; parum attenti occasionibus illius glorificandi, ejusque gloriam procurandi; modo mœrore confecti, modo jucundis, vel tristibus vitæ casibus dissipati; eo ne sumus in statu, ubi possimus nobismet blandiri, quasi vel levissimam Divini amoris scintillam habeamus? Quantum nobis deest, ut pro Deo simul omnem habeamus amorem, ac benevolentiam, qua prosequi debemus amicum, herum, benefactorem, fratrem, amabilem sponsum, omnes homines, omniaque objecta, quæ nostrum amorem requirunt? Quandonam cor nostrum Deo tantum repletum est? Quandonam omnes animi nostri affectus illi subjecti sunt? Quandonam omni humano affectu vacui sumus? Fateri cogimur, sicuti nullum amare debemus, quam Deum, debere nos illum omnibus vitæ nostræ momentis diligere; quia quodam in sensu dici posset, nos aliquid singulis momentis amare vel voluptatem, vel requiem, vel aliud aliquod simile bonum; & quidquid sit, quod amamus; debemus amare Deum magis ea re quam amamus. *Idem*.

Vere dicere possumus Deo uni jus esse imperandi ut ipsum diligamus.

Si cogitaverimus quot titulis innitatur necessitas diligendi Deum, quid nobis sentiendum erit de frigore nostro? Deus unus est, si pressius loquamur, qui præcipere nobis possit, ut illum diligamus. Homines nullum jus obtinent in cor nostrum. Natura aliquos nobis charos efficit; sed Deo acceptus referendus est nexus, quem cum illis habemus. Ab uno illo recipere possumus legem, quæ omnibus affectionibus nostris moderatur, & ille nobis explicite, conceptisque verbis præcepit, ut illum diligeremus: *Hoc est primum, & maximum mandatum*; & dicere possumus etiam unicum, quod nobis fuerit impositum. Præcipit Deus, ut illum diligamus: Heu, Domine, S. Augustinus exclamat: *Quid tibi ego sum, ut amari te jubeas a me*, mihique ingentes mineris miserias, nisi te amavero? Quid interest tua possidere cor æque contemptibile, quale cor meum est? Ut in me animadvertas, satis est si me tradas cæcis affectibus meis: etenim quænam major calamitas est, quam te non amare? & sane dicere possumus, non amantem se, sui ipsius esse inimicum, & eorum omnium, quæ pertinent ad te. P. *la Pesse*.

Matth. 22.

Licet amaremus Deum ex toto corde: amor noster esset adhuc indignus illo.

Licet nos amaremus Deum, quantum ille nos amat, quod fieri nequaquam potest; amor noster tunc quoque illo indignissimus esset. Deus enim plurimas habet illecebras, quæ nos rapere debent, & Deus nullam habet nos amandi obligationem, nisi eam quam nobis imponere dignatus est. Illi debemus quidquid amabile reperit in nobis, & omni officiorum genere ipsi tenemur cor nostrum, omnesque nostras affectiones devovere. Deus per se id est, quod est, nihilque nobis debere potest. Amor autem, qui debetur; & qui nequit omnino recusari, nequaquam comparandus est cum amore, qui effectus est misericordiæ solius. Esto etiam, diligamus Deum magis quam ab eo diligamur; hæc hypothesis, juxta nostram cogitandi rationem magis a veritate abhorret quam prima: Esto inquam, illum magis amemus, quam amamur ab illo: nulla tunc quoque reperiri posset proportio inter amorem nostrum, & amorem illius; quippe nulla res est, in qua Creator, & creatura possint comparari; & frustra aliquis inter utrumque collationem quacumque ex causa, vel quocumque modo conaretur: neque alius referi posset fructus temeritatis, quam frustra laborasse, atque opprimi gloria Creatoris, cum quo infelix creatura sese conferre ausa fuisset. *Idem*.

Cumulavit nos Deus omnibus, nos vero illi gratias referre non possumus.

Maximis nos beneficiis cumulavit Deus, ipse vero nullum recepit, immo neque recipere potest a nobis. Deus prior dilexit nos, & nos æternum dilexit; ipsi vero nonnisi aliquot momenta illum diligere possumus, donec sumus in terra; amor enim, quo illum in cœlis prosequemur, est amor necessarius, qui de illo benemereri non potest; & Deum amamus; qui prior nos totam dilexit æternitatem. Deus amat nos licet illum læserimus, ipse nos beneficiis tantum cumulat. Deus nobis honorem adhibet permittens, ut eum diligamus, & nullam habet causam, propter quam habeat in pretio amorem, quem illi testamur. Nihil illi possumus offerre, quod citra injuriam nequeat respuere. Nisi haberet ille infinitam misericordiam, non solum de nobis non cogitaret, immo neque in nos oculos conjicere non dignaretur. Verum igitur est, quod licet nobis datum esset amare Deum magis quam ille nos amet, amor noster nullo modo dignus esset, qui ei conferretur amori, quo nos ille complectitur, *P. la Pesse*.

Nihil ergo melius facere possumus, quam illi totam essentiam nostram devovere.

Nobis non superest tutius, vel melius consilium, quod capiamus, quam ut Deo totum cor nostrum devoveamus. Ad hoc nos Sanctus Bernardus hortatur: *Si quantum eum diligere debes non potes: dilige ergo eum ex toto corde*. Ratio unica sarciendi Deum quodammodo, & nosmet consolandi nostram imbecillitatem, nihilumque nostrum, hæc est. Ne dividamus, quæso, miserum istud cor: jam satis angustum est, satis jam frigidum est. Ne metiamur amorem nostrum, cum amandus est Deus, qui nos sine mensura dilexit. Num veremur, ne in nostra erga illum dilectione excedamus? ne illi majorem grati animi sensum testemur, quam ea sint bona, quæ contulit nobis? Si numerare velimus ea, quæ ipsi debemus; sola misericordia nostram posset confirmare fiduciam, & non sine causa illum offendere timeremus nosmet eidem offerendo. Longissime abest, quod debita nostra erga Deum simus solvendo; igitur minuendum non est id, quod illi possumus offerre. *Idem*.

Quomodo istud? num amando aliquid cum illo? non; sed amando omnia in illo, & propter illum.

Si ea diligimus quæ damnantur a Deo, credere ne possumus Deum a nobis amari? id possumus persuadere cuiquam, qui non omnino sit hospes in iis, quæ pertinent ad Religionem? Frustra te hortabitur aliquis ad Deum amandum, donec periculosa amaveris spectacula, ludos, voluptarios cœtus, ubi tot injuriis afficitur. Donec rationem habebis eorum, qui tibi scandalum ingerunt; & ob humanas rationes eorum acta, moresque probabis; donec has fovebis necessitudines, has licentias patieris, christianam modestiam offendes nimia luxus tui magnificentia, & mente nutries inania ambitionis objecta. Quid tibi proderit, si quis tibi dixerit, Deum esse a te diligendum,

dum, quoniam totum cor tuum illi debes, si volueris semper indulgere tuis cupiditatibus, ac te voluptatibus ingurgitare? Amare Deum, simulque aliquid aliud amare; & amare simul etiam, quod amare prohibemur; hoc vocari ne potest amare Deum? *Idem*.

Deum ante omnia creata debemus amare.

Deo, & uni Deo omnes debemus amores, quos concipere possumus pro diversis objectis simul invicem comparatis. Quis negaret Deo hunc amorem, quem prælationis vocamus, & qui primus est omnium? Nonne Deus est Entium omnium origo, omniumque perfectionum, quæ in illis occurrere possunt? Nonne in divina essentia sua complectitur, quidquid ipsi æstimare, mirari, & amare possumus? De Deo loquimur, qui necessario principium est, atque centrum omnis pulchritudinis, & bonitatis. Nequissima quævis impietas rubore suffunderetur, si illum cum aliquo objecto, qualecumque hoc esset, compararet; & ipse vereor, ne id genus animadversionibus lædam reverentiam infinitæ illius debitam Majestati. Ecce quo me adducat modicus amor ille, quo Deum prosequimur. Patet ergo nobis præferendum esse Deum iis omnibus, quæ Deus non sunt. *Pater la Pesse*.

Omne gaudium nostrum esse debet, Deo amorem nostrũ testari.

Adest quædam amoris species, quam *complacentia* nuncupant: & hic amor ille est, quo gaudemus eo quod objectum a nobis amatum ita perfectum est, uti reipsa est. Quoniam de infinitis Dei perfectionibus dubitare non possumus, consonum est, ut maxima perfundamur voluptate in iis honoribus, quos iisdem adhibemus, & in existimatione, quam illæ nobis inspirant. Debet Deus nobis ita magnus videri, ut illum tamquam talem colere, & venerari nobis esse debeat lætitiæ argumento. Hic vulgatus est admirationis effectus, gaudere pulchritudine, & bonitate objecti sui; præsertim vero si objectum suum simul sit nostri amoris objectum. Quinam sunt Sanctorum sensus, cum Deo ineffabile gaudium testantur in perfectionum ejus consideratione! S. Augustinus cohibere non poterat oblectationis suæ impetum, cum effundebat cor suum intuitus magnalia, & illecebras ineffabiles Dei sui. *Idem*.

Debemus illi omnia procurare bona extrinseca, quæ ipse recipere potest.

Neque satis est Deum alteri cuipiam rei præferre; non satis est lætari propter amorem illius iis perfectionibus, quæ illi sunt essentiales; cupienda illi sunt etiam, & procuranda omnia bona, quæ potest recipere. Deus autem creatis rebus nonnisi extrinsecam gloriam potest recipere, quæ sita est in perfecta earumdem creatarum rerum obedientia; quod autem ad hominem pertinet sita est in illius amore erga Deum: Ita ut per naturalem sensuum, quos Divinitas nobis inspirat, ordinem, illum diligere teneamur, quia hæc unica gloria est, quam illi possumus procurare... Omnium Creaturarum illicia in Deo sunt sine labe ulla, sine mutatione, sine inconstantia, sine fine. Igitur si nullum transitorium objectum pulchrum, aut bonum est per se ipsum; & a Deo mutuatur, quidquid pulchritudinis, & bonitatis habet: nemo ita rudis est, qui inferendum non videat, pulchritudinem, & bonitatem Dei multo magis mereri curas, & amorem nostrum quia sunt pura, & inexhausta origo omnium harum perfectionum, quæ nos illiciunt. *P. la Pesse*.

Omnis amor, qui crescere potest non est satis perfectus ad amandum Deũ, ut illum amare debemus.

Cognoscere possumus quam parum apti simus ad amandum Deum; quia per infinita sæcula amor noster crescere potest; quin umquam perveniat ad eum ardoris statum, qui objecti sui pulchritudinem, & bonitatem exæquet. Quantum diffidere deberemus de eo amore, quem non nisi aliquot vitæ nostræ momenta alere possemus? Igitur imbecilliter tantum amare possumus Deum: illud solum considerare debemus quid ille est, quid ipsi sumus, ut veritatem hanc, quæ nos humiliat, intelligamus. *Idem*.

Amor gratuitus non respicit dona quæ a Deo nobis proficiscuntur, sed Deum.

Hoc unum a nobis postulat Deus, ut illum propter ipsum diligamus, non propter omnia bona, quæ ab illius bonitate expectare possemus. Amorem hunc minime cupidum, integerrimumque vocamus gratuitum. Omnis vero amor, qui gratuito huic amori adversatur, est, amare Deum pro quopiam alio bono, quodcumque tandem illud sit. Ita animæ, quæ illectæ sunt pulchritudine, vel bonitate Dei, vel simul utraque; quæ illum videre ardenter concupiscunt; quæ tota cordis suæ magnitudine unicum bonum hoc possidere volunt; quæ intelligunt se numquam vero gaudio perfruituras, nisi illo perfruantur, castæ sunt, veræque sponsæ, quæ ardent propter Deum igni, quo nullum puriorem in cordibus nostris charitas accendere valeat. Hoc scite animadvertit S. Augustinus, cum ait: gratis amare, esse, amare nequaquam sibi mercedis conditione proposita; merces quippe nostra magna nimis erit Deus ipse, quem gratis amamus, & quem taliter amare debemus; numquam cessandum esse quominus illum in nostro præmio desideremus, tamquam illum, qui unus vota nostra complere potest. Nequit apertius, ac melius connotari amor, qui cupiens mercedem nihilominus gratuitus est; quoniam non aliam cupit mercedem, quam ipsum Deum. *Auctor Recens*. In Ps. 134.

Deus gaudet ab omnibus amari & qui infimo loco nati sunt, misfrum suũ nequeunt prætexere.

Principes, Philosophus inquit libro secundo Ethicorum, sunt veluti sydera adhærentia firmamento throni sui, quin in amicitiæ consuetudinem admittant subditos suos, non minus quam cœlum cum elementis non admiscetur; quia cum titulus amoris mutui æqualitatem supponat, Principi adimeret jus sceptri, & auctoritatem. Tamen vidomus crebro illos subditorum obsequio defessos aliquorum necessitudine oblectari, qui cumulus est felicitatum in Aulicis. Sed potissimum Rex cordium nostrorum, qui Deus est, æque gaudet amare, & amari, ejusque amor nostram paupertatem, & humilitatem non dedignatur. Non est cur Philosophus inæqualem conditionem nostram alleget; amor enim essentialis, qui infinita bonitas est, non aliam vult causam, quam seipsum, ut se communicet... Postquam hic amor animam est ingressus, otiari non potest. *Dilectio vacare non potest*, S. Augustinus ait, & Mundi Salvator quærenti, quid sibi faciendum esset, ut cœli gloriam acquireret, respondit, *dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Nam quamvis de operibus interrogaretur, de amore respondit; opera, enim, & amor numquam separantur. *P. Antonius de S. Martino a Porta*.

De Amore, quo homines Deum diligunt.

Non minima est amandi Deum causa videre quam parum Deus diligatur. Hoc vix credi posse videtur: Deus infinite amabilis nobis permittit, ut illum amemus: quinam hic est humili creaturæ honos? cor nostrum, dicebat ille, potest ne non jugiter divino hoc amore inflammari? Quodnam aliud objectum potest illud afficere, vel illud momento applicare? ita ne cogitat omnis spiritus rationalis? Heu! Deus patitur, se a nobis amari; quis autem illi cor suum præbere festinat? Deus præcipit etiam, ut ipsum diligamus; numquid illi morem gerimus? Amor sexcentis modis producitur; spiritus nonnisi amato objecto occupatur; numquam fatigatur loquendo de eodem; nihil illi sapit, nisi quod placet eidem: quidquid sensibus illius oppositum est, nobis displicet; numquid istinc inferri potest, a nobis diligi Deum? qua cura, qua sollicitudine ea adimplemus, quæ ipsi placent? Quo animi calore ea procuramus, quæ sua sunt? quam inquieti sumus, ubi aliqua nobis oboritur suspicio nos illi displicuisse? Quam timemus, ut illius gratiæ jacturam faciamus? Num ex hisce indiciis Deum a nobis amari cognoscimus? Quin loquamur de magna illa infidelium multitudine, Deum non amantium; quotusquisque ex fidelibus diligit illum? Flagitiosi homines, quibus nil ferme Religionis est, & effrænata furunt audacia; num diligunt Deum? Mundanæ hæ personæ, vel hæc affectuum suorum mancipia, vel suimetipsarum idololatræ, numquid amant Deum? &c. *P. Croiset in Asceticis Exercitiis, Tomo 4*.

Tenemur Deum diligere, non

Cum mandatum adorandi Deum, non aliud sit quam confirmatio illius officii, quod subeunt omnes

solum propter beneficia, quæ jugiter ab illo accipimus, sed propter illud nostræ creationis pes creaturæ rationales ex ipso creationis suæ momento, quo de Creatoris manibus existunt; Ita mandatum diligendi illum confirmat solum legem immutabilem, cum qua nascimur: & licet Deus numquam protulisset ea verba: *diliges Dominum Deum tuum*, non ideo minus illum diligere teneremur. Satis est illum Creatorem esse, nos creaturas, illum Patrem nostrum, nos vero Filios illius. Ipse nobis donavit, quidquid habemus; ipse nobis tuetur quidquid nobis donavit. Cum considerantur omnia beneficia, quibus a Deo fuimus cumulati, naturali quodam impetu cogimur cum Propheta exclamare; *Psal. 102.* *benedic anima mea Dominum &c. Tourneux, in anno Christiano. Tom.* 10.

Dei amor esse debet dominans. Vin' peculiarem explicationem præcepti diligendi Deum? En tibi hanc cujusdam Sancti Viri horum temporum. Deus, ait ille, requirit a nobis, ut inter amores nostros, amor illius sit verissimus, & toto cordi dominetur; studiosissimus, totam animam occupans; generalissimus omnes facultates nostras impendens; sublimissimus, replens totam mentem; & constantissimus, omnem vim, virtutemque nostram exercens. *Idem.*

Quomodo Deum diligere debeamus. Deum ex toto corde diligimus, alius Sanctus ait, cum ad illum pergimus, ei omnibus cordis nostri motibus unimur, eique omnibus affectionibus nostris adhæremus. Illum ex tota mente diligimus, cum spiritus noster de illo occupatur, qui præcipuum est nostrarum cogitationum objectum, cumque curarum nostrarum maxima est considerare, & meditari æternas illius veritates. Illum ex tota diligimus anima, cum ad illum tendimus per usum omnium animæ nostræ facultatum. Illum omnibus viribus diligimus; cum ad extremum usque apicem ejus mandata servantes ipsum nobismet proponimus tamquam postremum finem rationis totius vitæ nostræ; juxta illa Apostoli verba: Quidquid facitis omnia in nomine JESU CHRISTI facite. *Idem, ibidem.*

Hoc primum est, & magnum mandatum. Primum, & præstantissimum, quia aliorum omnium mandatorum finis est, quia respicit primum Ens, supremumque bonum: Primum in intentione Dei, quatenus Creatoris; cum enim creaverit Cœlum, ac terram, & ea omnia, quæ cœlorum ambitu continentur propter usum hominum; hoc efficere debet, ut meminerit sibi Creatorem suum esse diligendum: Primum in intentione Redemptoris, qui ut S. Augustinus ait, non venit nisi ut Charitatem in cordibus nostris constitueret: Primum in intentione Legislatoris; alia enim mandata non alium finem habent, quam primi hujus observantiam: debet ergo similiter primum esse in corde hominis, ejusque intentione, quia ejus Creator, Redemptor, Legislator hoc ab eo petit ante omnia, & super omnia: debet igitur præ cæteris, & cum ceterarum rerum jactura, mandatum hoc quam diligentissime servare. Tenetur etiam, quia mandati hujus observantia finis est, ad quem tendere debet. Easdem ob causas magnum est vel maximum mandatum; videlicet præcipuum, quod homini irroget majorem extensionem, & obligationem. Non igitur levis noxa est tantum violare præceptum. *Idem Tomo* 10.

Veræ qualitates quibus verus Dei amor ab alio quovis amore distinguitur. Plerique Christiani se ipsos tantum diligunt, cum sibi blandiuntur putantes se amare Deum. Nil ingeniosius est in aliena persona induenda, quam amor proprius. Sed facile ne est in hoc allucinari? Amor Dei caracterem habet, quem nemo potest imitari. Purus est, integer, generosus, constans, cupiditatum inimicus, suavis, patiens, mortificatus, humilis. Cum superbi sumus, immortificati, impatientes, cum quædam dumtaxat in nobis renident fulgura fervoris, & quædam devotionis libido deprehenditur; cum propria quæritur utilitas, voluptas, gloria; numquid amatur Deus? Maxime communes amoris Dei effectus sunt, imperturbabilis lenitas, sincera humilitas, constans patientia. Illum excitant adversa, ignis persecutionum inflammat, alit mortificatio. Error est opinari, amorem Dei ignorare urbanitatis officia. Nihil majorem nobis inspirat honestatem, charitatem, elegantiam quoque, vera pietate: Ægritudines animi proficiscuntur a corde inquieto, & perturbato. Amor divinus tranquillum efficit cor, & interiorem effundit unctionem, quæ illud mulcet, flectit, lenit, spiritumque efficit flexilem, docilemque. Verbo; omnium virtutum congeries in illis omnibus invenitur, a quibus Deus vere diligitur. *P. Craiset in Exercitiis Asceticis. Tomo V.*

Amor Dei Erga Homines.

Sic Deus dilexit Mundum. Hæc loquendi ratio, quam bene exprimit amoris Dei erga humanum genus magnitudinem, quæ ad hoc extremum impulit illum, ut daret ei Unigenitum suum? Dedit illi Filium suum: sed quem Filium? Filium, qui bonus erat, sapiens, potens, ut ille; filius, qui propria illius substantia est, & qui unam, eamdemque cum illo habet naturam, denique Unigenitum. Verum quisnam sibimet persuadere posset, Deum nobis suum dando Filium cætera etiam bona sua nobis non contulisse? *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* In hoc autem ex D. Paulo consistit altitudo amoris Dei erga homines: *Quæ sit.... sublimitas.* Deus hominibus dedit id quod præstantissimum possidebat, & quod sibi charissimum; ita ne & vos cum eodem facere consuevistis? Heu! Renuitis quotidie eidem sacrificare levissimam voluptatem propter Deum, qui pro vobis omnia sacrificavit. *P. Segneri in Meditationibus.* *Sic Deus dilexit homines, ut illis dederit Unigenitum suum.* *Rom. 8.* *Ephes. 3.*

Tradidit Deus Filium suum hominibus: Cur? Numquid ut inter illos regnaret; & ab illis in honore haberetur, non ita, sed ut illis esset redemptio, eosque educeret de dæmonis captivitate per effusionem sanguinis sui: *Ut Servum redimeres; Filium tradidisti.* Hoc autem a S. Paulo jure vocatur *profundum* amoris Dei erga homines. Profecto Deus abjectas humilesque creaturas redempturus morte æque amara, ac turpi damnat Unigenitum suum Deum similem sibi. Hæc abyssus est, quo Spiritus humanus penetrare non potest. Sed quomodonam respondetis admirabili huic amori Dei vestri erga vos? stupiditate multo magis admirabili. *P. Segneri in Meditationibus.* *Deus tradidit unigenitum suum, ut eriperet homines e servitute per totius sanguinis sui effusionem.*

Quemadmodum Dominus ex mera bonitate elegit vos ab æterno, ut essetis sui amoris objectum, ita ab æterno illa excogitavit media, quibus usurus erat, ut ad se vos pelliceret. *In Charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te.* Sed quis exprimere potest quousque hac in re illius curæ processerint? Cogitate quomodo semper omnia disposuerit in vestri gratiam, ut facilius virtutem exerceretis, infinitum inspirationum, bonorumque motuum numerum, quibus vos tetigit, tot diversas vias, quas ingressus est utens modo lenitate, modo severitate, ut vos ad sui sequelam pertraheret. Posthæc nonne jure dicere possumus illum omnes conatus suos exeruisse, ut vos attraheret? Attraxi te. Utique Deus meus hoc dicere potes, & tu ipse satis superque operatus es. Cor bene factum, & generosum jampridem suum esset; meum vero ne minimo quidem dignum erat motuum eorum, quos ipse, ut illud luctareris, fecisti. Sed quoniam vis adhuc cor istud, licet illud ignavissimum noveris; ego illud tibi in æternum do, Deus meus, teque obsecro, & obtestor, ut illud te dignum efficias. *Idem.* *Quid fecit Deus ut homines attraheret.* *Jerem. 31.*

Deus quotidie nova nobis præbet paternæ suæ charitatis argumenta; qua enim largitate nostris necessitatibus prospicit? quæ bona quotidie ab illius liberalitate recipimus? Qua sedulitate curam gerit salutis nostræ? Ex quot periculis nos eripuit? In quos alia non incidissemus, nisi ejus bonitate fuissemus suffulti! Si existimatione, bonis, valetudine, amicis fruimur, nonne hæc omnia Deo accepta referenda sunt, tamquam fonti omnium bonorum, ex quo in caput nostrum tot benedictiones manaverunt? Quandonam illum quæsivimus, quin inveniremus? Quando illum invocavimus, quin votis *Varia paterni amoris, quos nos complectitur Deus argumenta.*

votis damnaremur? A nobis lacessitus, quid prætermisit, ut veniæ petitionem extorqueret a nobis: & cum inter misericordiæ ipsius ulnas confugimus, quanta clementia fuimus excepti? Heu! Verum est, ipsum esse Patrem nostrum, & erga nos nonnisi paternos sensus fovere: *Numquid non ipse est pater tuus? Sermo Manuscriptus P. Bourdalove.*

Deut. c. 32.

Deus infinite nos amat.

Ita est: Deus non solum infinite amabilis est, verum etiam infinite nos amat. Beneficia apertissima sunt amoris indicia. Nonne in singula fere momenta illis nos cumulat, cum ipsi iisdem abutamur, ut illum afficiamus ingiuria? Cui te, vitamque tuam debes? cui debes ea omnia, quæ ad vitam hanc servandam conferunt? Cœlum hoc, sydera, hæc terra, & fructus nonne manifesti sunt divinæ erga te largitatis effectus? Hæc omnia tua sunt, & propter amorem tui a Deo creata sunt. Num invenis aliquid in te, vel extra te, quod ab illo non acceperis? quod illius donum non sit? Heu! Omnia dicunt, omnia prædicant nos a Deo amari: quandonam ipsi dicere poterimus, a nobis amari Deum? Sed quodnam præstantius beneficium, quam illud redemptionis? Si Rex se captivum constitueret, ut subditum suum e jugo servitutis eximeret, nonne illi insigne amoris testimonium præberet? Nonne inde aliquos animi grati sensus jure expectares! Deus hic, qui nullius indiget, ut sit infinite beatus, homo factus est, servi formam induit, suamque tribuit vitam, ut homines beatos efficeret. Hic Dei amor erga nos, incomprehensibilis est, fateor, at num minus incomprehensibilis est ignavia, frigus, ingratitudo nostra erga Deum? Vitam, mortemque Salvatoris consideremus: Omnia Religionis nostræ percurramus Mysteria, Eucharistiam, & omnia Sacramenta, & finem horum omnium mediorum, beatam videlicet æternitatem. Hæc fecit Deus, ut tibi amoris sui magnitudinem testaretur; numquid hoc illi cessit e sententia? Quid tibi videtur? Num ille satis operatus est? an aliquid præterea supererat, ut ostenderet quousque te diligat? *P. Croiset in Asceticis Exercitiis.*

Dei erga nos amorem cognoscere quodammodo possumus ex amore David erga Absalon.

Deus odit peccatum, non diffiteor; verum non ideo minus diligit peccatorem: illum vehementer amat; & satis esse videtur, illum peccatorem esse, ut amor ejusdem sit particeps. Cur autem non diligat? quia licet peccator, adhuc tamen illius creatura, & opus est; quodque amplius est, ejus est filius. Cujus rei imaginem expressam habemus in eo Sancto Rege, qui ab inhumano filio de regni solio deturbatus, servabat adhuc erga illum patris affectum, licet pro vitæ suæ securitate teneretur contra illum ad arma confugere, eumque tamquam rebellem persequi. Absalonis crimen gravis esse non poterat; nihilominus Davidis amor major esse non potest. Tenetur hic contra rebellem filium suas immittere copias, eique bellum inferre; sed potissima illius ante pugnam cura hæc est præcipiendi Ducibus, militibusque suis, ut filium sibi incolumem servent. Filius hic ambitiosus, crudelis, ingratus, perfidus, ille filius est, quem David amat adhuc, & quem sospitem cupit, quamvis non fine regni, vitæque suæ periculo facere possit. Attamen, ut constat, filius hic perit in prælio; & David de rebellibus agit triumphum; sed triumphus hic illum gaudio nequit afficere lacrymis filii interitum prosequentem. Obliviscitur, se per hanc mortem indignissimi filii regno, vitæque suæ fuisse consultum. Obliviscitur hæc omnia, ut de morte cogitet, quæ cor suum angit. Lacrymarum imbres effundit, faciemque tegit, ne ultra lucem adspiciat. Clamoribus ejus tota personat aula, aulicique turbantur; vellet regno, vitaque carere potius, quam filio. Fili mi! dilecte fili mi! Heu! *quis mihi det, ut ego moriar pro te?* Tales sunt sensus amoris, quos erga nos fovet Deus Pater noster, tunc etiam cum per peccatum ab illo deficimus. Peccatoris enim figura est ingratus Absalon, & in Principis hujus scelere nil tam iniquum est, quod in rebellione hominis peccatoris contra Deum non inveniatur. Verum si peccator hic æque nocens est ac Absalon: Deus non minus amat, quam David. Quæ enim cura in hoc amabili Deo! quæ cura, inquam, pro peccatoris salute, cujus mortem, excidiumque universa conclamant! Illum mihi videor audire clamantem ad omnes vitæ, salutisque nostræ inimicos: Servate mihi filium meum Absalon, servate illum, illi parcite. Heu! illa in occasione prope fuit, ut morbo interirem, vel gravi aliquo casu ruerem: Tunc eram in peccato, & si mortuus essem, de me in omnem æternitatem actum erat; sed Deus meus, & Pater meus, tu sollicitus es pro mea vita, sollicitus pro salute mea, & inter has amoris tui sollicitudines imperasti, ut creaturæ tuæ mihi ferrent opem; misisti Angelos tuos, ut protegerent me; dixisti; hic est filius meus Absalon; servate illum, servate filium hunc quem unice diligo. *Auctor Recens.*

Extrema Dei erga nos bonitas nobis designatur bonitate Regis ejusdem erga inhumanum filium.

Creata omnia sunt veluti tot vincula, quibus nos sibi vincire voluit Deus. Serm. in Cantic.

Quænam virtus est amoris Dei? S. Bernardus ait, *Quid amore violentius? triumphat de Deo amor.* Dicamne vobis quomodo Deus per gratiam se nobis uniat? Quomodo per gratiam hanc nos filios suos faciat, nobisque quodammodo suam communicet divinitatem? Quomodo per sacramenta maneat in nobis, & quomodo in illo maneamus? Quomodo ille non recedat a nobis nisi per culpam nostram? quomodo omnia, quæ nos alliciunt objecta totidem tela sunt, quæ Dei amor ejaculatur ut nos trahat, & sibi lucretur? Nihil prætermittit Deus, ut insolubilem faciat amicitiam, quam nobiscum sancire desiderat. Creata omnia, quæ nos ambiunt varia sunt vincula, quæ præparavit, ut nos sibi adjungeret. Omnes vitæ casus totidem sunt voces, quæ nos ad ipsum evocant, nosque docent, nihil magis esse nobis pertimescendum, quam ne ab eo procul absimus. Infinitos motus, afflatus, lumina, desideria, timorem, spem, ipsas etiam nostras infirmitates, dubitationes, incertitudines; lapsus, errores, crimina: omnia usurpat, vel prohibiturus, ne infringamus vinculum, quod inter ipsum, & nos esse vellet perenne, vel coacturus, ut illud sarciamus, si quando ita infelices fuissemus, ut illud infringeremus. Suus amor non patitur, ipsum nullo in discrimine habere creaturas sibi inutiles; nostram salutem, & felicitatem negligere. Deus tandem nos sibi tot, atque tam fortibus catenis devinxit, ut ne ipse quidem illa possit perrumpere. Vehementissime diligat, opus est, qui huc usque procedit. *P. la Pesse.*

Pater nobis dedit Filium suũ in amoris argumentum: poterat ne gravius testimonium suæ dilectionis nobis præbere?

Eo usque Pater cœlestis dilexit nos, ut Unigenitum suum traderet nobis, qui nos erudiret, regeret, animaret, redimeret. Propter amorem nostri hunc Filium eo usque deseruit, ut illum viderit pauperem, contemptum, morientem, eo usque ut illum viderit mortuum, crucifixum, contumeliis, ac plagis affectum. Filius iste propria erat ejus substantia; eumque dedit, ut redimeret servum suum, & felicem faceret inimicum suum. Illum autem tradens tamquam alienum hominum injustitiæ tradidit, & crudelitati. Mundus fecit quidquid voluit in hoc adorabili Filio. Hic ab omni mortalium genere affectus fuit contumelia. Interrogemus illum de causis patientiæ suæ, de causis dolorum suorum, de eo consilio, quo se ipsum nefario tot carnificum furori objecit; & respondebit, amorem, quo nos complectitur, ad hæc extrema illum redegisse; amorem, quo nos prosequitur, extitisse causam propter quam tot tantaque perpessus est, quæ nullatenus evitare voluit, ut nobis testatam faceret suæ erga nos dilectionis magnitudinem; amorem hunc sustinere non potuisse, ut nos in dæmonis compedibus versaremur, ut a Cœli gloria extorres, toti patris sui iracundiæ essemus expositi. Hæc causa fuit, quæ illum coegit, ut peccatoris formam acciperet, ac pro nobis victima fieret. *Idem.*

Deus amavit homines, qui nihil ad illius felicitatem conferre poterant, & prævidens eorũ plerosque ingratos futuros, illos tamen dilexit.

Quid amavit Deus extra se? Amavit Mundum, hoc est hominem. Si quis nostrum suum impendit affectum animantibus, arbustis, aliisque id genus, quæ illius amorem adeo parum merentur; semper tamen hoc agunt, quia inde commodum aliquod percipiunt. Quid autem ab homine receperat Deus, vel recipere poterat? Num gloriam? Sed tot Sæculorum myriades abierant,

abierant, quia essent homines, qui illum glorificare possent; numquid tunc ille minus felix fuit? Cæterum prævidebat Deus plerosque homines ingratos futuros, & illum ne agnoscere quidem dignaturos. Hoc obfuit, quominus universe amorem suum ad omnes extenderet: *Dilexit Mundum*, hoc est omnes homines dilexit, non autem aliquot tantum ex illis. Verum quidem est ab illo præsertim amari, qui prædestinati sunt: *Jacob dilexi*: & quodammodo etiam per comparationem dici posse ipsum odisse illos, qui tales non sunt: *Esau autem odio habui*. Sed absolute loquendo omnes homines diligit omnesque salvos esse cupit: *Vult omnes homines salvos fieri*. Fovet erga omnes paternam dilectionem volens, ut Filius suus, qui est Sol justitiæ, super bonos, & malos oriatur, omnesque illius luce illustrentur. Ecce quænam sit *latitudo*, ut Apostoli verbis utar, amoris Dei erga homines. Christianos, idololatras, justos, peccatores, Deus omnes nemine excepto dilexit. *Dilexit Mundum*. *P. Segneri in suis Meditationibus*.

S. Joan. 3. — Rom. 9. — 1. Tim. 2. — Eph. 3.

Sicuti amor Dei erga homines nullum habuit principium, ita nullum habebit finem. — Psal. 102.

JESUS CHRISTUS non dixit solum, Deum diligere Mundum, sed dilexisse: *Dilexit*. Videlicet Dei amor erga homines nullum unquam habuit principium, & æque vetus est, ac ipse Deus. Sed hic amor ab æterno est, ideoque non desinet unquam, donec ipsi huic respondere voluerimus. *Misericordia autem Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum*. Præterea duratio, & constantia hujus amoris talis est, ut cum culpa nostra Dei amicitiam amittimus, illam quam primum nobis reddere quærit. Paratus semper est, ut gratiam nobiscum sarciat, quasi indigeret nobis; & a nobis nonnisi facti pœnitentiam expectat, ut illico omnium injuriarum quibus a nobis affectus fuit, obliviscatur: *Fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te*. Hæc a S. Paulo *longitudo* divini amoris erga homines vocatur. Deus illos semper dilexit, & paratus est, ut in æternum eos diligat. Ita ne tu eum diligis? Hodie illi servis, cras deseris illum. Pudeat te tuæ levitatis, & inconstantiæ. *Idem*.

Jerem. 3. — Ephes. 3.

Peccatorē esse, quin sit desperationis causa potius est causa sperandi in Misericordia Dei, quæ facta non est pro justis.

Deus peccatorem amat, quamvis peccatorem; qua de re si dubitamus, cogitemus qua bonitate illum errantem revocet, ut ad se ipsum reducat. Animadvertite, si vobis lubet, venisse ipsum, ut quæreret peccatores; illi pro quibus mortuus est, sunt peccatores; illi quos vocat, sunt peccatores; illi, quos vehementius urget, sunt peccatores, illi, quos clarioribus clamoribus revocat, si ita dicere fas est, illi sunt, qui magis ab illo recedunt. Peccasse, multum peccasse, enormia patrasse flagitia non est igitur causa credendi a Deo repulsum iri illum, qui a peccatis cessare voluerit. Quis unquam arbitratus est, id, quod efficit misericordiæ materiam, illius obicem futurum, effecturumque, ut illa erga nos defervescat? Verum est Deum nostrum defessum appellando cum clementia, & lenitate peccatores, qui blanditiis illius minime afficiuntur, illis minas intentare, eosque exprobrare; plenæ sunt Scripturæ. Sed hoccine prohibere debet ne fidenter accedamus ad illum? Haud ita, dubio procul; e contra hoc melius etiam ostendit, quam ille abhorreat a pœna nobis infligenda. Conqueri enim, exprobrare, minitari, hic sane non est sermo Dei irritati, & non parcentis; non ita profecto loquitur ira in eo, cui facile est pœnas reposcere, & ulcisci. Ex dissimulatione, ac silentio procedit ultio tamquam fulgur ex nubis caligine erumpens. Minari est admonere, differre, ac tempus evitandi pœnas tribuere. Nonne hi totidem sunt affectus Misericordiæ? *Auctor recens*.

Quamvis peccatores simus, non ideo credere debemus, Deum in nos ultionis tantum, & odii sensus fovere. Miseri, & peccatores objecta sunt misericordiæ ipsius: attributi hujus proprium est parcere. Cuinam vero parcet misericordia? Num innocentibus? an nocentibus, qui ob scelera sua rubore suffusi ad illius tribunal non alia afferunt merita, nisi humilem miseriarum suarum confessionem, sincerumque inde emergendi desiderium? In hoc misericordia gloriosius suam potestatem exercet. Expertus sum, dicebat S. Paulus Apostolus de sua conversione loquens, expertus sum effectus misericordiæ, quam non merebar; quia voluit hæc ostendere in me magnitudinem suam, ut illis essem exemplo, qui erant in JESUM CHRISTUM credituri. Peccatores omnes, non secus ac Apostolus Divinæ misericordiæ effectus experirentur, nisi ipsi vel diffidentia, vel præsumptione obicem statuerent. Igitur, dicam iterum, Divinæ misericordiæ obex non est esse peccatorem, magnum esse peccatorem: immo videtur e contra causam esse, propter quam sit nobis magis adhuc sperandum. *Idem*.

Cum Jesus Christus pro nobis sese morti tradiderit, de amore illius dubitare non possumus. — Galat. 2.

Fortasse numquam satis intelleximus, quousque nos dilexerit Deus. Cogitemus itaque ipsum sese morti tradidisse pro nobis. *Tradidit semetipsum*. Non usus est alieno ministerio. Ut opus nostræ redemptionis perageretur, non credidit salutis nostræ curam Angelis esse committendam. Ille seipsum obtulit, ille voluit esse victima, cujus sanguis nostra peccata deleret; hoc pretium fuit nostræ libertatis. Non tradidit illum perfidus Judas; non tradidit illum in carnificum manus populus Judæorum: ipse obtulit semetipsum, ipse suis inimicis occurrit: *Tradidit semetipsum*. *P. Segneri in Meditationibus suis*.

Deus nos amat non quod in nobis ullū reperiat bonum, sed quia in nobis bonum ipse potest collocare.

Diligit Deus longe aliter ac nos; ad amandum nos allicit bonum, quod in objecto amoris nostri deprehendimus; sed cum Deus sit fons bonorum omnium, amor suus nullum supponit bonum in objectis, quæ diligit, neque amat illa, nisi ut cumulet bonis. Sculptor videt ingentem arboreum truncum; hic illi non placet propter id, quod in illo est, sed propter id, quod fieri potest per opus suum. Ita Deus nos amat propter id, quod per illius bonitatem evadere possumus; sed Deus ipse nos pares efficit recipiendis beneficiis suis, cum nequeat Sculptor aptum efficere truncum, ut figuram recipiat; ideoque nobis dicit Dominus: *in Charitate perpetua dilexi te*: Fundamentum amoris erga nos sui, est ipse suus amor. Amas hominem propter ejus ingenium, propter bonum cor ejus, propter illius virtutem; reperis in illo fundamentum amoris tui; sed non potest Deus in te reperire, unde te diligat, & opus fuit, ut hoc in seipso inveniret: *In charitate perpetua dilexi te*. Respondimusne adhuc amori Dei nostri. *Idem*.

Jerem. 31.

Dei amor erga nos æque antiquus est, ac ipse Deus.

Amor Dei erga me fuit æternus, videlicet æque vetus est ac Deus ipse. Deus nullum umquam abire passus est momentum, quo de me singillatim non cogitaverit; semper me ante oculos suos sibi proposuit, dilexit me æque cito, & æque constanter, absit invidia verbo, ac se ipsum dilexit: *In charitate perpetua dilexi te*. Quomodo fieri potest, ut ego tanta non afficiar dignatione? Si quis, quem ignorarem, mihi gratificaretur, ac de me per quam bene mereretur, nonne nihil intentatum relinquerem, ut ei referrem gratiam, vel saltem haberem? Quid igitur faciendum est mihi ut hanc referam Deo, qui me amavit antequam ego in mundi hujus lucem prodirem, immo antequam mundus ipse factus esset? Num dicetur Deus numquam cessasse, quo minus me amaret, ego vero ex quo vitalis hujus auræ usura fruor, ipse dicar, numquam animum appellere potuisse, ut illi cor meum præberem? Deus igitur unus est, erga quem me ingratum esse posse puto? *Idem*.

Deus pronior ad parcendū est, quam ad puniendum.

Hoc Deus ipse docere voluit per Prophetam Jonam, se magis oblectari etiam cum nequissimis utendo misericordia, quam exercendo in illos rigores justitiæ suæ. Hoc autem dicendi occasionem sumpsit ex tristitia, quam Propheta idem conceperat ex interitu arbusti cujusdam, in cujus umbra paulo ante lætabatur; dixitque illi: Doles interitu arbusti, quod neque tuum est, neque tu plantasti; ego vero quomodo non doleam ob civitatis excidium, ubi tot homines sunt, immo etiam tot innocentes? Homines isti sunt opus meum; mei sunt; sunt filii mei; ego illis vitam largitus sum, quomodo ergo eorum humiliatione flecti non patiar? Illis minas intentavi, ut eos ad pœnitentiam accerserem; cum illam agant, quid ultra mihi est cupiendum? Numquid ego perdam populum

pulum docilem; & humiliatum? Ita Deus in ipsis accusationibus, minis, exprobrationibus suis misericors est, & misericos erga omnes peccatores; ita sincere illos revocat, & metuit, ne se ad illos puniendos teneri videatur. Igitur multa scelera admisisse non est causa credendi, nos nequaquam futuros ultra divinarum misericordiarum participes. *Auctor recens.*

Magna illius erga nocentes misericordia id probat.

Nihil est, quod melius Dei erga peccatores dilectionem valeat ostendere, quam magna illa clementia, qua utitur erga illos. Non enim per impotentiam hoc id agit: e contra Scriptura testatur, illum quia infinitus est in potentia sua metuere, ne videatur suam potestatem exercere; ideoque eam retinere, ut locum tribuat pœnitentiæ. Omnia posse, vulgo apud homines, ratio est, propter quam qui omnia potest nullius misereatur; sed in Deo ratio est, propter quam parcit, & rationem habet imbecillitatis suarum creaturarum. Domine, Sapiens inquit, misericors es, quia es omnipotens; & potentia tua efficit, ut infirmitates nostras dissimules. Quænam autem major patientia, & quæ bonitas major, quam habere in manibus suis inimicum, posse in illum animadvertere sine periculo, sine labore, sine injustitia, & illi parcere tunc etiam, cum furit, & provocat? *Idem.*

Nullum finem inveniremus, si omnia referre vellemus argumenta infinitæ Dei erga homines charitatis. Nonne verum est, Deum eo usque dilexisse mundum, ut illi Unigenitum suum daret? Quid autem mundum esse putatis? Hic est infestissimus Dei inimicus; quia, ut Sanctus Joannes ait, plenus est nequitiæ. Si quis diligit mundum, idem Apostolus inquit, amor Patris, videlicet vera charitas in illo non est. Nihil magis oppositum est Deo, S. Jacobus ait, quam amor mundi; & quicumque vult esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur. Cum ergo Deus mundum dilexit, eumque in finem usque dilexit, tunc infensissimum sibi dilexit inimicum, sed ideo illum dilexit, ut eum sibi conciliaret amicum: Etenim mittens ad eum Filium suum, non aliud sibi proposuit hic Princeps Pacis, quam illi dare Mediatorem, qui gratiam sarcire posset, & hoc innuebant Angeli cum in Salvatoris nativitate clamabant: *Gloria in Exelsis Deo, & in terra pax hominibus.* Luc. 2. Amavit igitur Deus mundum peccatorem; & per Filium obtulit omnibus peccatoribus media pacis secum reconciliandæ, evitandarumque pœnarum illis debitarum, qui ab illo secedunt. Quid autem mundus? Mediatorem, atque Salvatorem suum recipere noluit; in illum insurrexit, & quin sua expiaret scelera, illis cumulum abdidit. Mediator vero, quin pœnas reposceret, bonum pro malo rependit; precatus est propter inimicum suum; oravit, *& exauditus est pro sua reverentia,* inquit Apostolus; ad Heb. 5. ejusque oratio propter infinita orantis merita exaudita fuit; vel ut aliis placet Interpretibus, exauditus est propter summam reverentiam, qua orationem suam comitabatur. Expectavit Deus, donec Mundus Apostolorum prædicatione conversus ageret pœnitentiam; pepercit illis quorum sincera erat pœnitentia; pertinaces vero, obduratosque peccatores, postquam diu illos sustinuit, tandem in eos animadvertit, eosque in infernum egit præcipites. *Cardinalis Bellarminus in Tractatu de septem verbis Domini in Cruce.*

DE AMORE
INIMICORUM, ET INJURIARUM VENIA.
MONITUM.



UAMQUAM præceptum, quo Deus inimicos diligi jussit, sub generali Charitatis præcepto contineatur, quo Proximum amare tenemur; attamen argumenti amplitudo causa est, ut Concionatores seorsum duo hæc argumenta pertractent, quorum alterum ab altero supponitur, vel augetur, atque ad altissimum perfectionis apicem attollitur. Qua in re Filii Dei consilium sequuntur, qui ut Christianis omnem auferret ansam sese ab amore Inimicorum excusandi, hoc peculiari mandato diligendos præcepit: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros. *Matth. 5.*

Hoc tamen præceptum, quod seorsim consideramus, quatenus præcepti de Proximi Charitate partem constituit, duo habet præcipua membra, quæ hoc in loco propter arctissimam eorum connexionem confundimus; primum scilicet partem ejusdem præcepti seorsim sumptam, qua Deus nobis injuriarum præcipit veniam; alterum vero positivum mandatum, quo inimicos etiam amare jubemur; non enim alios existimamus nobis inimicos, quam illos, a quibus lacessiti fuimus, & aliqua injuria affecti, & quamvis facilius veniam illis elargiri vellemus, semper tamen licere nobis arbitraremur aliquam nancisci causam, qua ab illis positiva charitate diligendis excusaremur. Ad hoc igitur argumentum pertractandum: quacumque insistatur via, hæc duo tamen semper sunt conjungenda; quemadmodum generatim prætermitti non potest sermo de effectu, ubi de illius causa pertractandum est; neque vicissim satis bene explicari potest natura effectus, quin de causa ipsius verba fiant; tunc vero præcipue cum de iis agitur, quæ ad morum pertinent disciplinam: quod tamen non prohibet quominus inter utrumque aliqua fieri possit præcisio. Verum cum in duobus hisce præcepti ejusdem partibus varii adhuc extensionis gradus sint considerandi; quæritur enim quid illa complectantur, & quousque ea sese extendat obligatio, quam nobis injiciunt, quandonam pressius, quando mitius præceptum hoc obliget, & quænam sint officia sublimiora circa eadem objecta, quæ consilii tantummodo sunt, atque perfectionis; hic afferam quidquid aptius, ac fructuosius mihi undequaque colligere contigit, ut rite pertractari queat argumentum ex universa Morali Christiana maxime necessarium, & quod numquam satis de suggestu tundi, retundique potest.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum structura de Amore inimicorum, & venia injuriarum.

I. RO concionis argumento, ac partitione duo hæc possunt assumi, quæ ad veram, perfectamque reconciliationem sarciendam maxime requiruntur. Primum est injurias, quibus affecti fuimus remittere, & eos diligere, qui nobis aliquod sensibile incommodum attulere, vel qui ad hoc inferendum parati sunt, propter odium, quo flagrant in nos, & qui nobis vere sunt inimici. Alterum est, exterius nosmet cum illis reconciliare, cum quibus jam necessitudinis vinculum fuerat, & quorum adspectum effugiebamus. Horum alterum ostendet, a Deo internum odium prohiberi, alterum vero, præcipi, ut exterius resarcitæ gratiæ manifesta quædam præbeamus indicia. Ex illis, qui se parcere velle jactitant alii sibi persuadent satis esse, si minime in fratres suos odium testentur, cum interim, animo mortales foveant inimicitias, alii sufficere arbitrantur interius veniam concedere, quin ipsis negotium facessat exterior reconciliatæ gratiæ species, post insignem inimicitiam, quæ ingens scandalum attulit. Duplex error duplici Concionis hujus parte impugnandus.

Primum autem ostendendum est, nihil vulgatius esse, quam secretum odium fovere sub exteriori benevolentiæ specie. Non enim in aulis tantum usus est dissimulatione, ubi hilari vultu excipiuntur illi, quos male perditos cuperes; sed in omnium conditionum genere accolæ accolas, consanguinei etiam consanguineos; hi competitores suos, illi homines, quibuscum non alia odii suppetit causa, quam antipathia, internecino odio prosequuntur. Numquid simile nobis inest? Omnino ex animo revellendum est, ut vere gratiam resarciamus. Hic afferendæ rationes sunt, hanc necessitatem probantes; formale, præcisumque Salvatoris præceptum exponendum est, quo non odisse tantum, verum etiam inimicos nostros amare jubemur: *Diligite inimicos vestros*: Matth. 5. mox hujus mandati perfectio ostendenda; superat enim quamcumque Philosophorum moderationem, quaslibet Politicæ regulas, quævis urbanitatis officia. Charitas ipsam mali scrutatur originem, atque illud radicitus convellere studet. Cum Proximo reconciliari debemus, quemadmodum Deus nobiscum reconciliatur; obliviscitur injuriarum, nullam fovet simultatem, & nos eadem excipit hilaritate, quasi nulla unquam a nobis fuerit lacessitus injuria. Hinc ostendendum est, quomodo alioquin ad ultionem sensim procederemus, ubi sese offerret occasio: hoc præceptum justum esse, atque futurum ut alioqui nos jugiter odio, & invidia erga Proximum agitemur &c.

Secundo. Neque minus certum est, gratiam penitus esse resarciendam, licet hoc nihilominus in dubium vocetur. Omnes diluendæ sunt causæ, quæ prætexi possunt ab hominibus, ut se ab hoc præcepto excusare adnitantur: videlicet nos injuriam minime intulisse, hanc immo nobis illatam fuisse; nostrum non esse gressus primos ad amicitiam reconciliandam movere; illum hac nostra infirmitate abusurum; ceterum vero, si ille accesserit prior, a nobis summa cum benevolentia exceptum iri, aliæve id genus, quæ omnibus compertæ, exploratæque sunt, & quæ passim usurpari consueverunt.

II. Deo iracundiam, atque ultionis cupiditatem remittentes maximum gratissimumque offerimus sacrificium, quod quamdam habet cum antiquæ legis sacrificiis similitudinem.

Primum erat holocaustum, ubi victima tota penitus erat absumenda; quod accidit, ubi Deo ultionem sacrificamus. Cum enim bona existimatio, facultates nobis ereptæ fuerint, vitaque nostra in summum fuerit discrimen adducta, si nihilominus præsto sumus, ut ex animo condonemus omnia, neque inde ultionem ullam expetamus, nihil jam superest nobis, quod offeramus Deo. Sacrificium istud integrum est, nihil de victima reliquum est.

Alterum erat sacrificium Propitiatorium, quod vulgo *Sacrificium pro peccato* appellatur; quo nomine jure vocari potest ultionis nostræ sacrificium; neque enim, nisi inimicis acceptarum injuriarum veniam concesserimus, numquam a Deo scelerum nostrorum veniam consequemur; e contra vero si ex animo pepercerimus, nulla sunt crimina, vel numero, vel magnitudine adeo gravia, quorum venia optanda non sit. Hic autem uberrimus Oratori ad dicendum campus aperitur.

Tertium erat *sacrificium in honorem;* non quod reliqua etiam sacrificia ad Dei honorem minime pertinerent; sed quod hoc nomine distinguuntur a propitiatorio sacrificia quæcumque ab Holocausto diversa, in quibus victimæ pars vel ministris Tabernaculi, vel illis, quorum nomine offerebantur, cedebat. Quamvis autem verum sit, eos qui ex corde injurias remiserint, & illos, a quibus lacessiti fuerunt, dilexerint, offerre Domino sacrificium integerrimum illius præsertim rei, quæ maxime negotium facessit, & quæ honoris punctum vocatur; hoc tamen non prohibet, quominus fidelis, qui generose hujus oblationis quodammodo sumptus erogat, partem consequatur sibi reservatam a Deo honoris ipsius, qui pleno affectu immolatur, vel potius, non prohibet quo minus ex hac præclara actione alium toto cœlo suaviorem, nobilioremque honorem excipiat, ex primi cineribus quodammodo existentem. Itaque hæc venia, hic amor & Deo, & homini maximo honori cedit; Deo quidem propter rationes, quas in parte priori vidimus: non enim melius suprema illius dignitas, ac summa auctoritas recognoscitur, quam in re tam difficili eidem obtemperando: homini vero, quia nihil majus, nihilque magis heroicum præstare potest, eo quod nobismetipsis majorem honorem, & coram Deo, & coram sapientioribus viris possit acquirere: Itaque jure cuicumque fideli propter cœlestem pacem, insignemque voluptatem ex hoc sacrificio emanantem id dicere possumus quod Spiritus Sanctus in Scripturis ait de sedulis observatoribus legis, qui statis temporibus accedebant in Templum sacrificia sua Sacerdotibus oblaturi: *Et epulaberis in omnibus, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.*

In præcepto de injuriarum venia, & amore inimicorum Deus a nobis magna, & difficilia petit; sed obtemperantibus longe majora, nobisque utiliora promittit. Hæc esse potest Concionis partitio, quæ quidquid in hoc argumento spectabilius est, complectetur. III.

Pars prima. 1. Petit sinceram injuriarum, quibus affecti fuimus, veniam, neque operosum est ostendere quantopere huic rei nostra repugnet natura, & eam explicare difficultatem, quæ superanda nobis est, ut in hac re nosmetipsos vincamus.. 2. Sincerum erga inimicos nostros amorem; contra quod præceptum omnes affectus nostri rebellant. 3. ut illis bona velimus, & pro viribus procuremus, qui nobis mala, & volunt, & faciunt. Hoc magnum quidem est; magnæ victoriæ, magnæ actiones.

Pars altera. Quid nobis vicissim promittat Deus? 1. Omnium scelerum nostrorum veniam: 2. Suam cum divina adoptione amicitiam: tertio æterna præmia, æternasque coronas. IV.

Quan-

Quantumvis difficilis sit lex a Filio Dei irrogata de remittendis injuriis, diligendisque inimicis; rationes tamen, quibus ad eam diligentissime observandam impellimur, potentes sunt, atque praeferendae quibuscumque considerationibus, quas natura, consuetudo, ac leges Mundi Evangelicis contrariae opponere possunt.

Prima vero, & validissima ratio est suprema legem hanc irrogantis auctoritas; jus, quod penes ipsum adest eamdem ferendi; quid nos illi debeamus, facultas, quam habet imperandi, minas, quibus utitur, nisi paruerimus &c.

Altera est pars illa, quam in nostris inimicitiis sibi vendicat; videlicet quid bonum, malumve, quod Proximo afferimus, sibi allatum putat; quod odia, ultiones, contumeliae, quibus inimicos nostros prosequimur, in ipsum quoque redundant; & quod illum nostris odiis insectamur, & tamquam inimicum excipimus. Principium hoc diligentius enucleandum atque evolvendum est, quod illius innititur verbo, qui eadem est Veritas.

Tertia, injuria, qua nosmetipsos afficimus exiguum Proximo nostro debitum remittere detrectantes; cum nobis persuasum esse debeat, Deum alioquin in nos misericordia minime usurum, neque remissurum immensa debita, quae cum ipso contraximus, peccata videlicet, quae commisimus.

V. In eo praecepto; quo a Filio Dei injurias condonare tenemur, adorabilem hunc Legislatorem considerare debemus, tamquam Dominum, Patrem, & Exemplar; has enim ipse qualitates assumit nobis hoc praeceptum imponens.

Primum, tamquam Dominus nostram poscit obedientiam in re aequissima, ubi de publica, ac nostra peculiariter agitur utilitate, & quae ad rectum etiam Rerumpublicarum ordinem est necessaria.

Secundo, tamquam Pater vult nos sibi similes esse ea una in re, in qua aliquam cum ipso similitudinem habere possumus; scilicet in misericordia: *Ut sitis filii Patris vestri*, Matth. 5. atque ut alio in Evangelii loco scriptum est: *Ut sitis similes*.

VI. Tertio tamquam Exemplar, ingentia enim nobis exempla praebet parcendi, & imperat, ut ea sequamur, & imitemur.

Ut praeceptum hoc eo modo servetur, quem praecipit JESUS CHRISTUS, duo nobis superanda sunt, quae Concionis partitionem possunt efficere.

Primo superandi sunt affectus validiores, & qui difficilius vincuntur; ita, quae nonnumquam etiam aequior videtur; odium; ultionis cupiditas, quae nobis naturalis est.

VII. Secundo praetextus magis speciosi, & qui videntur aequissimi. Quinam autem ii sint, satis constat.

Triplex hominum genus huic obtemperare legi detrectant, quam Dei filius irrogavit, & quam voluit diligentissime observari.

Dicunt quidam: non possumus; his ostendendum est, praeceptum hoc nequaquam esse impossibile quemadmodum Ethnici quidam, & nonnulli Haeretici crediderunt, & licet difficile sit, Deum tamen ad illud servandum vires suppeditare.

Dicunt alii: non debemus; atque opponunt rationem, consuetudinem, mundi opinionem, honorem nominis, suae conditionis officia. His vero demonstrandum est, quam arcta sit haec in Christiana Religione obligatio; quam aequa lex haec.

VIII. Dicunt alii tandem non volumus. Hi perfrictae frontis sunt homines audacissimi, omni vitiorum generi mancipati, cujus obstinatio superanda est, illis exempla, promissiones, & minas Filii Dei ob oculos statuendo.

Dei elucet Misericordia, atque Justitia in hoc praecepto, quo imperat, ut inimici diligantur, & remittantur injuriae.

1. Misericordia quidem in eo, quod cum sola nos cogere possit auctoritate ad sanctissimam legem hanc adimplendam, nos ad hoc invitat, pollicitus nos similiter criminum nostrorum veniam consecuturos, ejus gratiam iterum adepturos, tamquam filios suos exceptum iri, atque Coelesti haereditati esse reservandos. Ideoque quin lex haec habeatur tamquam reliquarum Christianae Religionis una omnium severissima; e contra, ubi ad examen vocetur, laudibus celebranda illius misericordia, quae effecit, ut tantulo impendio tot bona mereri, & adipisci possemus.

2. Neque Divina minus elucet Justitia in hac lege, quandoquidem in hac etiam vita adeo terribilem in illos ultionem exercet, qui eidem obtemperare detrectant. Uxores enim iisdem afficit suppliciis, quibus in rebelles filios utitur Ecclesia, illos de sinu suo ejiciens, & anathemate illos percutiens; eos enim ab altaris sacrificio removet, orationum Ecclesiae facit expertes, in filiorum suorum albo non recenset amplius, omnemque consequendae veniae spem illis adimit, nisi ipsi inimicis suis veniam inceperint elargiri.

Nosmet continere possumus in ea tantum praecepti parte, qua inimicos diligere, iisque parcere jubemur, atque ostendere. IX.

1. Quia magna, & inevitabilis nobis incumbat necessitas inimicos amandi, ac illis parcendi; & cuinam rei illa innitatur.

2. Modum, quo Deus vult parci, & amari desumptum ex suavitatis ejus exemplo, qua nos recipit, nobisque misericordiam suam implorantibus, large, effuseque suae erga nos benevolentiae tribuit argumenta.

Hae duae propositiones Concionis argumentum esse possunt. X.

1. Deus severus est vindex in eos, qui ulciscuntur.

2. Deus misericors est in eos, qui parcunt; atque ita nobis talem sese praebet, quales nos fratribus nostris, a quibus contumelia fuimus affecti.

Hae item duae propositiones a praecedentibus minime abhorrentes. XI.

1. Ut inimicis parcamus, normam capiendam esse ab ea venia, quam nobis concessit Deus propter ea scelera, quae contra divinam ipsius Majestatem commisimus. Nobis ille plurima, & gravissima condonavit peccata; pluries nobis pepercit; cujus figura sunt decem illa mille talenta, quae servo nequam Pater familias remisit; denique nobis, licet ipsius misericordia indignissimis pepercit. Haec norma est, hoc exemplum, quod sequi debemus.

2. Propter peccata, quae imposterum fortasse patrabimus, Deum exemplum desumpturum ex venia, quae iis, a quibus lacessiti fuerimus, a nobis vel concessa fuerit, vel denegata.

In haec Scripturae verba. *Mihi vindicta, & ego retribuam*. Quaeri potest, quid retribuet Deus, & quid se retributurum polliceatur; ac deinde afferre, & explicare Dei responsionem. XII.

1. Illis, qui ulciscuntur, vel ultionis sumendae consilium iniere, promittit ultionem pro ultione relaturum, sed ultionem longe terribiliorem. Explicandum autem est quaenam sit haec ultio futura.

2. Illis, qui nos laeserint, ultionem se desumpturum pollicetur; dummodo integrum hoc illi relinquamus, neque per nosmetipsos jus nostrum persequi adnitamur.

3. Erga illos, qui pepercerint, omnesque ultionis sensus extinxerint, misericordia usurum, eisque aeternam mercedem elargiturum.

Duae peculiares leges, quae in hoc eodem praecepto continentur; lex scilicet injuriarum remittendarum, & lex inimicorum diligendorum locum tribuunt duplici veritati enucleandae. XIII.

1. Quod injurias condonare, & illis, a quibus laesi sumus, parcere, est Deo maximum obedientiae nostrae argumentum, maximumque observantiae testimonium praebere.

2. Sincere inimicos diligere, licet propter illatas contumelias ratio naturalis expeteret, ut illos odio persequeremur, est ad altissimum, quo Christianus admitti possit, perfectionis apicem pervenire.

Ad ostendendam magnitudinem sceleris, quod in ultione committitur, solido probari potest duplex XIV.

haec

hæc propositio, quæ locum aperiet dicendi, quidquid in hoc argumento in animos hominum majorem impetum facere possunt.

1. Illum, qui ulciscitur, majus delictum committere, quam qui prior fratrem injuria affecit.

Hic satis erit eas adferre rationes, quas P. Delingendes attigit Sermone 4. de amore Inimicorum.

2. Peccatum illius difficiliorem invenire veniam, & graviori supplicio puniri.

XV. Conditiones veniæ, quæ inimicis est concedenda. Hæ autem ad tria potissimum capita referuntur.

1. Hæc venia sincera esse debet, qualis esse debet charitas, quam Proximo nostro debemus.

Ubi referri possunt plerorumque Christianorum illusiones, qui se parcere putant, & numquam parcunt.

Joly eas collegit in propositione pro 22. post Pentecosten Dominicæ.

2. Hæc venia universalis esse debet respectu omnium hominum, occasionum, & injuriarum.

3. Prompta esse debet, neque diu differri; si enim aliquando, cur non statim parcendum est?

P. Delingendes 1. *Serm. de amore inimicorum.*

XVI. Duæ leges sunt a duobus rogatæ Legislatoribus circa inimicos, & veniam iis concedendam.

Prima Mundi lex est: nullam ferendam injuriam esse, sed ultionem de iis, a quibus læsi fuimus, exposcendam. Ostendendum hic est, quantopere Deo injuriosa, humanæ societati perniciosa, singulis vero hominibus injusta sit hæc lex.

Altera est JESU CHRISTI: *Injurias remittendas esse*, & diligendos inimicos. Hic legis hujus necessitas, atque justitia est ostendenda; citra quam Urbes, & Regna subsistere non possent, atque universa Christiana Religio corrueret. *Idem Serm.* 4.

XVII. Dei Filius Dominus est, Exemplar, & Judex.

Primum tamquam Dominus, omni usus est auctoritate sua rem adeo difficilem, qualis est injuriarum venia, præcepturus.

Secundo tamquam Exemplar pulcherrima, ac præstantissima hujus rei specimina præbuit.

Tertio tamquam Judex maxima nobis pollicetur præmia legem hanc observantibus, eidem vero obtemperare detrectantibus gravissima supplicia minitatur. *Joly in* 20. *post Pentecosten Dominica.*

XVIII. 1. Nihil quodam in sensu difficilius, quam inimicos diligere.

2. Nihil tamen jucundius, nihil, quod majus afferat solatium, & cui magis ex animo nosmet subjicere debeamus.

XIX. Deus, ut nos ad amorem inimicorum impellat, triplici utitur voce, quæ ab omnibus hominibus exaudiatur.

1. Vox est Auctoritatis, qua præcipit ut parcamus.

Altera vox est Amoris, ad hanc veniam suadendam afferens argumentum amoris, quo nos prosecutus est, & qui meretur, ut quod ipse postulat, elargiamur.

3. Vox est Promissionis, & Minarum, si pepercerimus veniam scelerum nostrorum promittens; Nisi parcere voluerimus gravissima quælibet intentans supplicia. *Biroat* in Quadragesima.

XX. Evangelii leges Mundi legibus circa ultionem opponi possunt.

1. Mundus ultionis cupiditatem facile concipit pro minima quapiam injuria, & quasi pro nihilo. Hanc violenter exequitur, nihil cavens, & omnibus sese periculis objiciens. Eam pertinaciter fovet, ac retinet.

2. Dei Filius in Evangelio tria prorsus opposita præcepta constituit. Imperat, ut sentiamus quidem injurias, sed statim sensum ipsum jugulemus. Prohibet omnino ob acceptas contumelias ulcisci. Injuriarum ne memoriam quidem servari jubet. *Idem in Adventu.*

XXI. A venia concedenda nosmet excusamus, vel quod injusta est, vel quod nimis difficilis, vel quod veniæ obligationem ad quædam coarctamus officia, quibus ægre acquiescimus. Ostendi autem potest

1. Justitia hujus legis; quæ tam justa est, quam ultio injusta; id vero ratione habita Dei, Proximi, Magistratus, & illius etiam, qui ulciscitur.

2. Facilitas ejusdem, ubi omnia singillatim perpendantur, quæ ad legis hujus pertinent observantiam: Hic ostendenda sunt pericula, & curæ illius, qui ulcisci cupit, aliæque rationes, quæ lenire possunt rigorem præcepti, quod quidem per se omnibus favet, sed quod primo statim intuitu nihil non durum, & grave præsefert animo ad ultionem concitato.

3. Legis ejusdem extensio, quæ nullam excipit injuriam, quæ dimittenda non sit &c. *P. Cheminais Tomo Tertio sermonum.*

Veræ Reconciliationis Conditiones. XXII.

1. Gratia citius quam fieri potest resarcienda est; hæc urgens est obligatio.

2. Gratia bona fide est resarcienda; eaque obligatio est inevitabilis. *Ex Diction. Morali.*

Bona, quæ parcendo nobismetipsis comparamus. XXIII.

1. Legem a Deo nobis impositam adimplemus.

2. Nostram cum Deo statuimus reconciliationem, per gratiam sanctificantem.

3. Nos dignos exhibemus gloria, quam ille spopondit. *Ibidem.*

Actionis hujus magnitudo, ac præstantia duplici hac propositione potest ostendi. XXIV.

1. Nihil vero Fideli dignius esse, quam inimicos diligere, quia si Christianus est, & Dei filius, illum imitari tenetur; si amicitia Dei dignus est, eam tueri debet veniam hanc concedendo; si cœlestibus gratiis cumulatus est, in grati animi indicium Dei gloriam procurare tenetur, quod melius, utiliusque facere non potest, quam heroicam hanc veniam elargiendo.

2. Nihil rationabili homine dignius est, quam parcere inimicis. Sermo MS. *P. Stephani Camillard.*

Ostendi potest necessitas obtemperandi præcepto diligendi inimicos; quæ quidem desumi potest. XXV.

1. Secundum arctam illam obligationem, quam Dei Filius imposuit: *Nisi remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

2. Secundum Religionis nostræ principium, ubi omnia nos ad inevitabile hoc officium compellunt.

3. Secundum propriam utilitatem cum lege permixtam. *Desumptum ex sermone, qui P. Massillon attribuitur.*

1. Ostendi potest legis hujus æquitas contra inanes prætextus, quibus ultio probari videtur. XXVI.

2. Deinde illius ostendi potest necessitas, atque extensio contra eos, qui illam impugnant, vel male interpretantur; Hoc est, in priori parte lex ipsa probanda est; in posteriori vero regulæ illius præscribendæ.

JESU CHRISTI exemplum duo nos docet. XXVII.

1. Parcere, uti nobis parcit.

2. Parcere, quia nobis parcit. In priori parte Dei exemplum nobis esse debet pro prototipo; in posteriori, Dei exemplum esse debet pro causa. *P. Giroust in Quadragesima.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri queat copia ad has Concionum partitiones pertractandas, & exornandas.

Origenes Homilia 9. in librum Numerorum. Ex SS. Patribus.
Idem Homilia 2. in Psal. 37.
Idem Homilia 1. in Psal. 38.
Idem Homilia 16. in Matthæum cap. 20.
S. Basilius oratione 9. de ira.
Idem Oratione de Inimicitiis.
Idem Homilia 10. & 29. in varia argumenta.
Idem Homil. 24. ad adolescentes, ubi eos docet, quomodo ex Ethnicor. libror. lectione proficere possint.
S. Jo. Chrysostomus Homil. 9. & 52. in Genesim.
Idem ex oratione, ubi ostendit, neminem nisi a semetipso injuriam pati posse.

Idem

Idem Homil. *de Simultate*, ubi ostendit, cum nullo dispensari posse, ne parcat; quomodo potest, ne jejunet, ne oret, & sic de aliis pietatis officiis, ubi legitimæ urgeant causæ.

Idem Homil. 30., & 78. ad Populum Antiochen.

Idem Homiliis 16., & 22. de diversis.

Idem in tribus Homiliis de David, & Saule, ubi disertissimis verbis amplificat victoriam, quam David parcendo Sauli, quem occidere poterat, ampliorem reportavit.

Idem Homiliis 2. 80. & 88. in Matthæum.

Idem Homil. 38. in Joannem.

Idem Homilia 2. de *Cruce, & Latrone*.

Idem Homil. 1. in Epistol. ad Philemonem.

S. Cyprianus libro *de bono Patientiæ* de injuriarum venia late disserit.

S. Ambrosius lib. 5. in Lucam hæc illius explicans verba cap. 6. *Diligite inimicos vestros*.

Idem lib. de *Officiis* prioribus sex capitibus.

S. Gregor. lib. 10. Moralium c. 11., & lib. 22. c. 6.

Idem Homil. 27. in Evangelia.

S. Hieronymus Epistola ad Demetriadem.

Idem in Commentario in cap. 5. S. Matthæi.

Idem lib. 2. in cap. 3. Lamentationum Jeremiæ.

Idem in Psalm. 119.

S. August. Epist. 5. quæ est ad Marcellinum.

Idem libro *Contra Adamantium*.

Idem Serm. 59. *de Tempore* ostendit præceptum hoc non esse impossibile, & Serm. 59. fusius de venia injuriarum verba facit.

Idem Serm. 2. *de Sanctis*, & Serm. 5. de S. Stephano.

Idem Serm. 68. de Tempore de amore, quo inimici excipiendi sunt, loquitur.

Idem in Psalm. 7. hæc explicat verba: *Domine Deus meus si feci istud .... si reddidi retribuentibus mihi mala*.

Idem in Psalm. 54., & 62.

Idem Tractatu primo in primam Canonicam S. Joannis Epistolam.

Idem Serm. 6. de Verbis Domini.

S. Petrus Chrysologus Serm. 132. hortatur, ad parcendum, ut Deus nobis parcat.

Cassianus *Collat.* 16. *cap.* 29. *& collat.* 9. *cap.* 21.

Bellarminus lib. de septem JESU CHRISTI verbis de Cruce, in verbi primi explicatione.

Recupitus in 6. *Prædestinationis signo*.

P. Ludovicus de Ponte. Tomo primo de Perfectione Tractatu 1. c. 6.

P. Caussinus. Tractatu 2. Aulæ Sanctæ Axiomate 12. de Vindicta.

P. Saint Jure lib. 3. de Domini nostri cognitione, & Amore cap. 12. sect. 2. 3. & 4.

Cornelius a Lapide in cap. 12. Epist. ad Romanos.

Didacus Stella in cap. 6. Evangelii S. Lucæ; ubi ostendit actum esse magis meritorium coram Deo inimicos, quam amicos diligere.

Bartholomæus Carranza. Tractatu de Oratione Dominicali.

Molinier. Sermone pro 6. feria Cinerum.

Ex Concionatoribus. Osorius Sermone primo de septem verbis Domini de Cruce.

Idem Sermone pro 6. feria Cinerum.

P. Delingendes 8. habet Sermones ad hoc argumentum spectantes Tomo 1. Quadragesimæ.

Joly duas habet conciones, alteram pro 21., alteram pro 22. post Pentecost. Domin.

Auctor Sermonum in omnia Christianæ Moralis argumenta Concionem habet pro Adventu, & alteram pro Quadragesima hujus argumenti.

P. Faber tertia operum suorum parte Serm. 2. pro Domin. 21. post Pentec.

Engelgrave in *Luce Evangelica* Tom. 2. Embl. 49.

P. Texier. Sermone pro 21. post Pentecosten Dominica.

Idem in Quadragesima pro feria sexta Cinerum.

Maimbourg. Concione pro eadem die.

Fromentieres in Quadragesima.

Lambert Homil. 52. pro 21. post Pentecost. Domin.

De la Font in ejusdem Dominicæ Evangelium.

P. Duneau in idem Evangelium.

Idem pro feria sexta Cinerum.

P. Giroust in Quadragesima pro feria 6. Cinerum.

Sermo, qui Patri Massilon attribuitur, in hujus Quadragesima pro die eadem.

Pater de la Colombiere, & P. Aurelianensis uterque Sermonem habent hujus argumenti.

P. Cheminais 3. Tomo Sermonum.

P. Reina Sermone pro feria 6. Cinerum præcipuas adfert causas, quibus ad veniam injuriarum elargiendam impellimur.

Omnes fere qui morales edidere Sermones, aliquem habent hujus argumenti.

Alii quoque Auctores de hac re locuti sunt, ut Petrarca in Dialogo de Ultione, Seneca passim in Epistolis, & in libris de Ira.

Ludovicus Granatensis in locis Communibus. Qui collectanea adidere.

Busæus in Panario (verbo) *vindicta*.

Dandinus l. 6. c. 3. Sanctorum Patrum rationes, & auctoritates in hoc argumento adfert.

Peraldus, *Summa Prædicantium*.

Labatha, Lohner &c.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Scripturarum applicationes huic argumento.

MEA *est ultio, & ego retribuam*. Deuteron. c. 32.

Non oderis fratrem tuum in corde tuo ..... ne habeas super illo peccatum. Levit. 19.

Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Ibidem.

Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Psalm. 7.

Non extendam manus meas ad eum; quia Christus Domini est. 1. Reg. c. 24.

Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus. Proverb. 7.

Qui dissimulat injuriam, callidus est, (id est prudens.) Proverb. 12.

Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum. Ibidem, c. 24.

Omnis injuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus injuriæ. Eccli. 10.

Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata solventur. Ibidem, c. 28.

Homo homini reservat iram, & a Domino quærit medelam! Eccli. 28.

Memento novissimorum, & desine inimicari. Ibid.

Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam: & peccata illius servans servabit. Ibid.

Altissimus impiis & peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in diem vindictæ. Eccli. 12.

Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum. Matth. 5.

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui est in cœlis. Ibid.

Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt? Ibid.

Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Idem, c. 6.

Si dimiseritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Ibid.

Si

Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Ibid.

Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Luc. 6.

Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? si quidem & peccatores hoc faciunt. Ibid.

Diligite inimicos vestros .... & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Ibid.

Dimittite, & dimittemini. Ibid.

Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Idem, c. 3.

Benefacite persequentibus vos. Ad Rom. 12.

Si esurierit inimicus tuus, ciba illum .... hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ipsius. Ibid.

Mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus. Idem, Ibid.

Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. Idem, Ibid.

Nulli malum pro malo reddentes. Idem, Ibid.

Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat. 1. ad Thessalon. 5.

Estote invicem benigni, & misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis. Ad Ephes. 4.

Supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. Ad Coloss. 3.

Comendat charitatem suam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Ad Roman. 5.

Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. Jacobi 2.

Positis autem genibus, clamavit voce magna (Stephanus), *dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum; & cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.* Act. 7.

Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. 1. Joann. 2.

Qui non diligit, manet in morte; omnis qui fratrem suum odit, homicida est. Idem, c. 3.

Ne dicas, quomodo fecit mihi, sic faciam illi; reddam unicuique secundum opus suum. Prov. 24.

Ne dicas, reddam malum: expecta Dominum, & liberabit te. Prov. 20.

Bibliorum Exempla ad hoc argumentum spectantia.

Permittit Deus, ut alii eadem nos mensura metiantur, qua alios metiti fuerimus.

CUm duo Madianitarum Reges Judæos quosdam mortem deprecantes ultimo supplicio affecissent, in Gedeonis manus tandem cecidere; qui cum ad se illos jussisset adduci, eosque interrogasset, quinam illi fuissent, quos in Thabor occiderant; responderunt, illos *similes* Gedeoni fuisse, unum ex illis quasi filium Regis sibi visum fuisse. Bene dicitis, tunc Gedeon Judic. c. 8. respondit: *Fratres mei erant*; ac per Deum juro, si vos illis vitam minime abstulissetis, me vos hodie morti nequaquam adjudicaturum fuisse: sed quoniam in illos crudelitatem vestram exprompsistis, vos ipsi moriemini, atque consurgens & in eos irruens gladio confodit.

Davidis erga Saulis Domum clementia.

David post Saulis mortem omnibus illis favit, & gratificatus est, qui regem hunc aliquo cognationis vinculo attingebant, quantumvis ab illo summis fuisset affectus injuriis. *Numquid superest aliquis de domo Saul, ut faciam cum illo misericordiam Dei?* inquit ille. 2. Reg. Et bene *misericordiam Dei* dixit, si enim hominis fuisset non Dei, cito exhausta & exinanita fuisset.

Davidis erga Semei clementia.

Idem rex omnes ultionis sensus repressit contra Semei, a quo calumniis, & lapidibus impetebatur, cum in summa afflictione squaleret summus ille Princeps, cui hæc injuria nequaquam videbatur ferenda. Immo cum illi, quorum corona stipatus erat, in obtrectantem insurgerent, insignemque de illo vindictam deposcerent, eos inhibuit dicens: 2. Reg. 16. *Quid mihi, & vobis filii Sarviæ? Cur efficimini mihi hodie in Satan?* Sinite illum, ut lubet sævire; ex quibus verbis satis liquet, quo usque Davidis Religio procederet. Maledicta, quibus a scelesto hoc homine obruebatur, Dei putabat mandatum, cui obsistere nefas esse arbitrabatur; & Dei voluntati potius, quam Semei improbitati acceptum referebat, quidquid ab hoc patiebatur.

Amor, quem erga Absalonē licet rebellem testatus est.

Dolor, quo Rex idem affectus fuit ex Absalonis morte, satis ostendit, quomodo cor ejus ad lenitatem facile flecteretur; quandoquidem defectio filii, qui omnem naturæ sensum exuerat, minime potuit paternum amorem, vel suffocare, vel extinguere. Testatus quippe est palam, sibi charum adhuc fuisse hunc perfidum, ingratumque Filium, qui Patri cum vita imperium conabatur eripere, tunc enim cum Absalon ardentius illum persequebatur, cogebatque, ut fuga sibi consuleret, David omnem in illum patris affectum fovebat, eaque mandata dabat, ut si victus in manus exercitus sui cecidisset, servaretur incolumis: *Servate mihi puerum Absalon.* 2. Reg. 18. In quem vero doloris sensum erupit, ubi auribus suis mortis ejusdem nuncium accidit?

Quomodo se gessit David in Saulem.

Maximum tamen Davidicæ lenitatis exemplum illud est, quod omnes inhibuerit ultionis sensus adversus Saulem crudelissimum, apertissimumque inimicum. Plurimis lacessitus injuriis tandem aliquando illum David nactus est in specu quodam, ubi eumdem impune confodere poterat, atque per ejusdem interitum certum sibi facere imperium, & pacatam ducere vitam, ab omni penitus metu vacuam. Attamen satis illi fuit oram pallii ejusdem secuisse, ut ostenderet sibi fuisse integrum, si voluisset ipsi necem inferre: quod moderationis exemplum adeo apud inexorabilem Saulem valuit, ut cum Davide gratiam vellet resarcire. Hoc tamen diuturnum minime fuit, postmodum enim odium, quod primum ex invidia profectum fuerat, rursus exarsit; cum interim amor, quem semper integerrimum David erga Unctum Domini aluerat, eo usque processit, ut inimici hominis mortem lacrymis prosequeretur, & præmiis illos afficeret, qui exanime Regis cadaver exequiis, ac funebri pompa decoraverant 1. Reg. 31. S. Joannes Chrysostomus eloquentiam depromit suam generosum Davidis animum celebraturus; quam etiam P. Delingendes integro Sermone commendat; & Reina quoque in concione de diligendis inimicis summis encomiis extollit.

Exemplū Job.

Sanctus Vir Job ante ipsum Davidem heroicæ hujus virtutis insigne documentum præbuerat, inimicos videlicet esse diligendos, ac malum pro malo retribuendum non esse; Deum quippe testem vocat, se nihil unquam mali iisdem optasse, & si quid illis adversi contigisset, se numquam eorum infortuniis fuisse lætatum: *Si latatus sum ad ruinam ejus, qui me oderat, & gavisus sum, quod invenisset eos malum: non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus.* Job 31.

Venia a Patriarcha Josepho fratribus concessa.

Nihil unquam in Veteri Testamento repereris, quod legentis animum afficiat magis quam venia a Patriarcha Josepho suis fratribus concessa, & humanitas, qua ab eodem illi excepti fuere, postquam in illum adeo inhumane sævierant. Legi profecto illius siccis oculis nequit historia. Non enim solum illis eam remisit injuriam, qua tamquam vile mancipium venundatus fuerat; verum etiam eos plurimis muneribus cumulavit. Illud autem magis notandum occurrit; quod cum fratres ejus veriti, ne ipse post Parentis sui Jacob decessum, de acceptis injuriis ultionem esset expetiturus, ad eum accessere, testaturi, inter cætera, quæ Pater moriturus pronuntiaverat, imperasse, ut nomine suo illum orarent, ne meminisse vellet, quod olim Ismaelitis venditus per summum scelus fuisset: hilari

hilari vult Joseph respondit: *Nolite timere; vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illum in bonum: ego pascam vos, & parvulos vestros. Consolatusque est eos, & blande, ac leniter locutus est.*

Deus Labanum deterret de Jacob ulcisci cupientem.

In Genesi legimus etiam, cum Patriarcha Jacob clanculum de Labani Soceri sui domo aufugisset, secumque filias, ac Deos ejusdem abstulisset, hunc collecta servorum manu, eaque omni armorum genere instructa fugientem fuisse insectatum, atque tandem in monte Galaad assecutum, ita illum allocutum fuisse: Vides, inquit, te esse in potestate mea ac mihi integrum tandem esse insignem deposcere ultionem ob eam, qua me affecisti, contumeliam: sed *Deus patris vestri heri dixit mihi: Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius*; Gen. 32. Statimque rursus icto amicitiæ fœdere, confirmatisque prioris affinitatis vinculis recessit.

Odium Esau adversus fratrem suum Jacob.

Habemus etiam irreconciliabilis odii exemplum in Esau adversus Jacob fratrem ipsius. *Oderat semper Esau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater.* Odium hoc erat inveteratum, & alte jam radices jecerat in animo illius. *Oderat*: dicebatque intra se; diem extremum obibit tandem pater, atque tunc nihil ultra vetitus insignem de fratre meo ultionem deposcam: *Dixit in corde suo: venient luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Gen. 27.

Odium, quo Saul contra Davidem flagrabat, adeo erat ingens, & inexorabile, ut late sese ad eos omnes extenderet, qui Davidi gratificarentur. Cum enim Achimelech ei extrema victus inopia laboranti sanctificatos aliquot panes dedisset, Saul non solum eum cum octoginta quatuor Sacerdotibus, qui erant in Nobe, interfecit; verum etiam insano furore correptus quoscumque Sacerdotalis illius civitatis incolas internecione delevit, quin vel lactentibus pueris, vel ipsis pecoribus parceret. 1. Reg. 33. Tantum erat odium, & vindictæ libido, quibus Regis animus torquebatur.

Exempl. J. C.

In Lege nova Dei Filius primum, pulcherrimumque præbuit veniæ injuriarum, inimicorumque dilectionis exemplum, ita ut dici possit, quemadmodum ipse præceptum dilectionis ejusdem proposuit, ac illud novum appellavit; ita novum etiam toto vitæ suæ tempore exemplum præbuisse; in morte vero potissimum; cum enim cruci esset affixus, vulneribus confossus, & sævissimis doloribus excruciatus, primo, quod protulit, verbo pro suis crucifixoribus veniam deprecatus est. Luc. 23. *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.*

Exempl. S. Steph.

Primus, qui Salvatorem in facto adeo laude digno imitatus fuerit, S. Stephanus enumeratur, qui pro illis, a quibus lapidibus petebatur, orabat, & genibus flexis deprecabatur, ut illis veniam facilius consequerentur: *Positis genibus oravit, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Actor. 7. Ubi S. Augustinus opportune animadvertit, illum pro se orantem stetisse, pro inimicis vero deprecantem genua flexisse, ut summam obtinendæ pro illis veniæ cupiditatem testaretur.

S. Paulus apud Philemonem pro servo intercedit.

Satis ostendit S. Paulus sibi curæ fuisse, ut optimi Fideles hoc Salvatoris præceptum, dimittendi videlicet acceptas injurias, diligentissime tuerentur; quandoquidem apud Philemonem intercedit pro Onesimo, qui ejus servus fuerat suffuratus. His autem verbis scribit ad Philem. *Si habes me socium suscipe illum sicut me; si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, mihi imputa. Ego Paulus scripsi manu mea: ego reddam: ut non dicam tibi, quod te ipsum mihi debes.*

Parabola Servi, cui decem talentorum millia fuerant remissa.

Parabolam, quam Salvator in Scriptura proposuit, eorum suppliciorum, quibus Pater familias sævit in servum, qui alicui e conservis suis exiguum remittere debitum detrectavit, cum sibi a Domino longe majus dimissum fuisset; hæc inquam, Parabola instar omnium est exemplorum, ut ostendatur Deus nequaquam usurus misericordia in eos, qui Proximi sui misereri noluerint, atque severissime in eos animadversurus, qui alii parcere detrectaverint. Parabola hæc satis est cognita, eamque refert S. Matthæus cap. 18. Ibi vero diligenter adnotanda sunt verba, quibus utitur Pater familias adversus inhumanum hunc creditorem: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit, & te misereri conservi tui?* Gratiam, quam tibi concesseram, revoco. *Sic*, concludit Salvator, *& Pater meus cælestis faciet vobis* &c. Matth. 18.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum.

Quid nobis sentiendum, cum ad ultionem sumendam urgemur.

NOn extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est. Hæc secum Sanctus David ajebat tunc cum Saulem, quem in spelunca nactus erat, occidere poterat, at propter illius dignitatem, manus continuit. Hic Christus est, hic est Unctus Domini; absit, me in illum manus injicere. Hoc nos quoque cogitare deberemus, hoc animo reputare, cum ultionem sumpturi sumus ob injurias, quibus nos affecit inimicus. *Christus Domini est:* Christianus est, frater meus est, gerit imaginem Dei mei; consecratus quodammodo est Sanguine JESU CHRISTI, cujus nomine insignitus est, & cujus patrocinio suffultus. Absit, me illi manum inferre, ac ne levi quidem malo illum afficere.

Obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum. Gen. c. ult. Hæc sunt verba, quæ Jacob moriturus referri jussit Joseph filio suo, & quæ hujus fratres eidem retulere veriti, ne ob illatam injuriam ulcisceretur. Nos autem cogitare debemus JESUM CHRISTUM Patrem nostrum de cruce moriturum nobis hæc eadem verba dicere, ubi ob acceptam injuriam in fratres nostros ultionem meditamur. *Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum.*

Nobis etiam eodem in sensu applicare possumus verba, quæ Labanus dixit Jacob socero suo, quem persequebatur eam ulturus injuriam, qua se ab eodem affectum præseferebat: *Deus Patris vestri heri dixit mihi: cave ne loquaris contra Jacob quicquam durius.*

J. C. exemplum sequi debemus.

Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Exod. 25. Hoc dici potest homini ultionem anhelanti post exemplum, quod nobis in Calvario tradidit JESUS CHRISTUS. Quid ille a carnificibus, atque illis, qui contra vitam ipsius conjurarunt, perpessus non est? At numquid vos ut ille morti adjudicati fuistis, numquid ut ille cruci suffixi? numquid venundati, flagellis dilaniati? Hoc tamen divinum exemplar imitamini; parcite; & facite, quod ille fecit.

Quo in sensu, qui fratrem odit, fit homicida.

Qui odit fratrem suum, homicida est. Cujus autem homicida? quærit S. August. hæc S. Joannis Evangelistæ verba interpretaturus. Non illius, quem odit; non enim semper ultor eo rapitur odio suo, ut inimico auferat vitam; sed, Pater hic ait, homicida est suiipsius, animæ suæ, cui per enorme scelus mortis vulnus infligit. Hoc in sensu illud intelligendum est, quod quidam ex amicis Job, ait: *Vere stultum interficit iracundia*; & alter hic S. Joannis locus; *Qui non diligit (fratres) manet in morte. Lanuza in tractatu de dilectione inimicorum.*

Commendat charitatem suam Deus in nobis (inquit S. Paulus ad Rom. 5.) *quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Sedulo ponderandum est, ait D. Thomas, hoc verbum *commendat*, quod immensam Dei erga nos charitatem significat, eo quod pro ingratis, ac inimicis suis mori voluerit; tunc enim commendabilis charitas est, cum est gratuita, & sine ulla spe remunerationis. Quomodo autem melius ostendi potest infinita Dei Charitas erga nos, quam probando eamdem omnino fuisse gratuitam, propter obices illos, qui eamdem prohibituri videbantur, & propter inauditos misericordiæ, ac largitatis excessus, qui eamdem semper sunt subsecuti? Inter nos, aliosque homines verum adhuc est asserere, mirum esse, si pro dile-

dilectione dilectio retribuatur; at nihil est, quod magis gratuitum videatur, & quod ob id ipsum magis commendandum sit, quam suos inimicos diligere. *Idem Lanuza*.

De præcepto dilectionis inimicorum Interpretes explicant ea regii Prophetæ verba: *Latum mandatum tuum nimis*; & ad hoc S. August. allusisse videtur ubi de præcepto eodem loquitur: *Si coarctantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis*. Si carnalis hominis cor nimis angustum est, quam ut amicos simul, & inimicos complecti valeat, opus est, ut gratia charitati afferat latitudinem, ut id etiam diligat, quod sensibus nostris, immo & rationi eidem minime videtur amabile. Sensus, ratio, natura præcepto huic adversari videntur; sed christiana charitas, quæ latior est, & meliori lumine illustrata amicum ab inimico non distinguit, æque utrosque complectitur: *Si coarctantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis*.

J. C. Sanguis non misericordiam, sed ultionem contra ultores deposcit.

Vox Sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Gen. 4. Vox sanguinis Abel ad Cœlum usque ascendit ultionem expetitura fratricidii in se perpetrati. Aliud vero prorsus contingit in Sanguine CHRISTI JESU pro nostris sceleribus, ac per nostra scelera effuso; hic enim sanguis, qui contra inimicos ultionem deposcat, pro illis misericordiam deprecatur: *Clamat in nobis verba pacifica*, quemadmodum ait S. Cyprianus. Verum addi potest, illum nequaquam emissurum esse hanc misericordiæ vocem pro inhumanis ultoribus, qui parcere detrectant, & cædem, atque vindictam anhelant. *Desumptum ex Biroat*.

Domine retribue pro me, ajebat Deo S. Rex David Psal. 137. quibus verbis hunc sensum tribuit S. Augustinus in eumdem Psalmum: Ego, Domine, ultionem de inimicis meis, qui me injuste persecuti sunt, expetere nolui; hanc tibi integram reservavi; tibique curam reliqui, ut cognosceres justitiam meam, eamque merereris. Melius, quam ego, tu nosti, quam pœnam illi mereantur; & quemadmodum jus hoc tibi reservasti, illud mihimet usurpare minime volui. *Domine retribue pro me: ego non retribuam, tu retribues pro me. Sæviant inimici quantumlibet, tu retribues, quod ego non possum*.

Injurias remittere maxima est misericordia, quæ valeat exerceri.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Magna hæc misericordia, quam a Deo petit David, venia est peccatorum suorum. Hæc quidem maxima est misericordia, quia status peccatoris maxima est miseria, ad eam autem obtinendam preces effundimus . . . Hæc autem Dei misericordia illis tantum promissa est, qui & ipsi maximam omnium misericordiarum exercuerint, hoc est, qui contumelias, quibus affecti fuerunt, remiserint: quemadmodum enim idem S. Augustinus affirmat, hæc actio est maximæ, præstantissimæque misericordiæ, quam Christianus valeat exercere. *Desumptum ex Auctore Neoterico*.

Cur Deus oriri faciat solem suum super bonos & malos.

Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos. Quærere fortasse quispiam posset, cur Dei Filius horum maluerit meminisse beneficiorum, quæ promiscue bonis & malis impertit; quod scilicet Solem suum oriri faciat super bonos, & malos, & pluat super justos & injustos. Sed responderi potest. 1. Deum nemini id genus beneficia renuere, ut innuat, neminem a beneficiis nostris removendum, quantumvis nefariam in nos foveat voluntatem. 2. Quia hæc sunt præcipua: ne & nos de inimicis nostris benemereri refugiamus, ubi urgeat occasio. 3. Quia per hæc alia quæcumque victui nostro necessaria bona præbet; ut intelligamus, nihil eorum, quæ in nostra sita sunt potestate, esse cuiquam negandum. 4. Quia hæc sunt beneficia communia, ut discamus, si minime tenemur peculiares gratias erogare; tamen facere non posse, quin erga inimicos ea præ nobis feramus officia, quæ debemus omnibus. 5. Quia Deus hujusmodi bona tribuit affluenter, ut doceat, quid nobis cum Proximo agendum. *Desumptum ex P. Deligendes Sermone 3. de injuriis remittendis*.

Nobismet jus dicere non licet.

Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius Judici &c. Matth. 5. Hæc verba ex nonnullorum Interpretum sententia in memoriam revocare debent, nos nequaquam esse inimicorum nostrorum judices; ideoque nostrum non esse, in causa nostra judicare; sed communem adesse judicem, qui utrosque judicabit, ac nos certissime damnabit, si illis parcere, & quamprimum parcere detrectaverimus. *Ibidem, Sermone primo ejusdem argumenti*.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum in hoc Argumento.

Christus addidit legem, certa nos sponsione constringens, ut sic nobis peccata dimitti postulemus, sicut nos debitoribus nostris dimittimus. S. Cyprian. de orat. Domin.

Quale crimen est nolle dimittere; quod martyrio non potest exorari! Idem, ibidem.

Patienter expectemus ultionis diem; nec ad vindictam doloris nostri, querula festinatione properemus. Idem, de bono patientiæ.

Omnis injuria, cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungitur, quo telum aliquod constantissima duritia libratum & obtusum: concidit enim ibidem irrita opera, & infructuosa; & nonnunquam repercussum in eum, qui emittit, reciproco ictu saviet. Tertull. lib. de Patientia.

Quid refert inter provocantem & provocatum; nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur, at ille postremo? Idem, ibidem, c. 10.

Christianus, nullius est hostis. Ibidem, l. ad Scapul. c. 1.

Ad rationem obsequii prior est Majestas imperantis. Idem.

Amicos diligere omnium est; inimicos autem, solorum Christianorum. Idem, ad Scap. c. 1.

Quid est ad pacem Dei accedere sine pace; ad remissionem debitorum, cum retentione? Quomodo placabit Patrem, iratus in fratrem? Idem, l. de Orat. cap. 5.

Qui cito movetur injuria, facit se dignum videri contumelia, dum vult indignus videri. Ambros. l. 1. Offic. c. 6.

Beneficium se putabat accepisse augustæ memoriæ Theodosius, cum rogaretur ignoscere; & tunc propior erat veniæ, cum fuisset commotio major iracundiæ, & optabatur in eo, quod timebatur in aliis. Idem, de obitu Theodos.

Si te non læsit frater, obsequium meretur ut diligas; si læsit, magis obsequium meretur ut vincas: hæc enim nostræ Christianitatis summa est, ut amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Idem, Serm. 10.

Christus cum posset ulcisci, maluit immolari. Idem.

Qui referre injuriam nititur, eum ipsum a quo læsus est, gestit imitari. Lactant. lib. 6. institut. cap. 18.

Magnificentissimæ bonitatis est signum, ut tuum quoque inimicum diligas, & ei, qui tibi malum vult & facit, tu bona semper velis, faciasque, dum possis. Augustin. in Enchirid. c. 73.

Si non dimiseritis, non dimittet Deus. Ad tam magnum sonitum qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est. Idem, ibidem, c. 74.

Nihil mirabilius in rebus humanis, quam diligere inimicos. Idem in Confess.

Quem vis contemnere, pretium ejus attende, & cum morte Christi totum mundum appende. Idem de verbis Domini.

Quisquis pacem differt, occasionem quærit nunquam ignoscendi. Idem.

Recole in omnibus justificationibus Domini; nihil mirabilius, & difficilius est, quam ut suos quisque diligat inimicos. Idem, Serm. 7. in Psal. 113.

Sciendum est Christum impossibilia non jubere, sed perfecta, quæ David fecit in Saul & in Absalom. Idem, Serm. 58. de Temp.

Per amorem hominis inimici efficeris amicus Dei, imo non solum amicus, sed etiam filius. Idem, Serm. 5. de Sanctis.

Sacrificium Christianorum. Idem, lib. de 50. Homil. 29.

Licet hominem vindicari, & nondum est Christus vindicatus. Ibidem, Homil 42.

Non est aliud majus sacrificium, quod Deo debeamus. Ibidem, Homil. 6.

Si ergo prior dimisi, dimitte vel postea: invenis Patrem; imitare Patrem: si enim imitari non vis, exhæredari disponis. Idem.

Non putes te fortem, quia percutis pugno, victus convicio: non est ita fortitudo si conviciatus percuties, quoniam ab ira victus es; & valde stultum est hominem victum, fortem dicere. Idem, in Psal. 92.

Hoc est imaginarium, Deum credere esse propitium iis, qui iram portant in corde. S. Gregorius.

Charitas vera est cum & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus. Idem, Hom. 38. in Evang.

Illud imperium beneficium est. (loquitur de mandato diligendi inimicos.) Hieronym.

Dum negas fratri misericordiam, tibi claudis Patris indulgentiam. S. August. Serm. 182. de Tempore.

Qua fronte dices Domino, remitte mihi multa mea peccata, si tu pauca conservo tuo non remiseris? Cyrill. Hierosol. Catech. 2.

Si quando animus tuus acceptæ injuriæ dolore exarserit, fac tibi Christus, Christique vulnera in memoriam veniant; quantulaque pars hæc sint eorum, quæ Dominus tuus perpessus est: hac ratione animi dolorem, velut aspersa aqua extinxeris. Gregor. Nazianz. in Sentent. tetrastich.

Imitatione Dei gloriosius est injuriam tacendo fugere, quam respondendo superare. Idem.

Vindicta cœlestis, inimicum diligere. S. Paulinus.

Magna & ineffabilis misericordia! cum in se quidem peccatum est, ad nudas tantum preces servo remittit; cum autem in conservum videt crudelem, suam revocat liberalitatem. (alludit ad servum cui Dominus remiserat decem millia talenta.) Chrysost. Hom. 27. in Genes.

Nihil Deus ita odit & aversatur, ut hominem ultionis avidum, & in animo suo perpetuas inimicitias servantem. Tantum ejus peccati damnum est, ut misericordiam Dei revocet, nec locum habere sinat. Idem, ibidem.

Si tantummodo non lædis eum qui te læsit, avertas te tamen ab eo, nec libenter eum videas; manet sine dubio vulnus in pectore, & dolor augescit in corde. Idem, de Compunct.

Nihil facit homines ita Deo similes, sicut inimicis parcere. Idem, Homil. 27. in Genes.

Qui vindictam adornat, seipsum tormento afficit, iram sibi uti carnificem apponens, sua ipsius viscera dilanians. Idem, Homil. de Simultate.

Non exactor sit vindictæ qui petitor est veniæ. S. Leo, Serm. 5. de Quadrag.

Imitatio Dei, dilectio est inimici. Cogita te non inimico, sed tibi ipsi benefacere; non inimicum diligere, sed Deo obedire. Chrysostom. Homil. 7. in Epistol. ad Ephes.

Qui inimico infensus est, semper habet peccatum, vivitque in peccato. Joann. Damascen.

Libera conscientia ante tribunal Christi dicere poterit: Dimitte, Domine, quia dimisi. Cæsarius, in Admonit. 2.

Quantumvis dimitti tibi cupis, dimitte; imo, homo, intellige, quod remittendo aliis, veniam tibi tu ipse dedisti. Petr. Chrysol. in Sermonib.

Se peccatorem & peccaturum homo cogitet, & tunc incipiet amare veniam, non amare vindictam. Idem, Serm 139.

Remitte peccanti, remitte pœnitenti, ut cum peccaveris, repensetur in veniam. Idem, ibidem.

Vicit pœnam, judicem prævenit, evasit judicium, qui remittendo, ante, sibi veniam, quam delinqueret, jam providit. Idem, ibidem.

Homo, penes te est potestas veniæ, in te est indulgentiæ jus, tu tibi remissionis author es constitutus. Idem, Serm. 71.

Mihi adversus eos qui intulerunt injuriam, satis gravis pœna est referendæ pœnæ potestas. Gregor. Nazianz. in Orat. ad 150. Episc.

Malum inferre, peccare est, reddere malum, gravius est. Origenes.

Qua fronte volo ut Deus mihi dignetur dimittere multum, cum ego non acquiescam dimittere parum? S. Leo.

Mira res! Judæi clamabant Crucifige, *& Jesus clamabat* Ignosce. (S. Bernard.)

Vincar injuriis, vincam obsequiis; invitis præstabo, ingratis adjiciam; honorabo & contemnentes me. Idem, Epist. 253.

Diligere inimicos magis divinum est quam humanum. Idem, Tract. de Passione.

Flagellis cæsus, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, omnium tamen injuriarum immemor, Ignosce, ait, illis, quia nesciunt quid faciunt. Idem, Serm. 4. de Pass.

Magna virtus est si non lædas a quo læsus es; si cui nocere potuisti, parcas; nobile vindictæ genus est ignoscere victo. Hugo Victor. l. 7. de anima.

Nulli Christiano, quemcumque odisse permittitur. S. Leo.

Amare amicos humanitas est, inimicos Christianitas. S. Hieronym.

Non dedignetur, quod fecit Christus, facere Christianus. S. August.

Multa deliquimus, in multis offendimus, & Dominus ex sua humanitate dedit hanc viam reconciliationis. S. Chrysost. Hom. de Simultate.

Dominus jussit: dura jussit, sed magna promisit. S. August. Serm. 254. de Tempore.

In eo quod malus est quis eorum, utrum usque in finem perseveraturus sit ignoramus; & plerumque cum tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis. Idem in Psal. 54.

Grave præceptum, sed grande præmium. August. Serm. de sancto Stephano.

Diligere inimicos, culmen est bonitatis, pietatis fastigium, divinæ Philosophiæ documentum. S. Chrysolog.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu depromi possit in hoc argumento de inimicis diligendis, ac remittendis injuriis.

CUm Charitas Proximi generatim ea complectatur omnia, quæ sub hoc nomine continentur; eadem auctoritate, iisdemque de causis, quibus Proximum amare tenemur, tenemur quoque inimicos diligere, quamcumque illi nobis injuriam attulerint; unde inferendum est, non licere nobis aliquem ab ea excludere charitate, quam omnibus debemus; neque ulli eam veniam denegare, quam inimicis præstare jubemur. Hic erat Pharisæorum error, qui Proximi nomine amicos tantum censebant esse intelligendos: *Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Inimici etiam nomine Proximi continentur, ideoque diligendi sunt.

Ut charitatis præceptum adimpleatur, opus est, ita erga inimicos nostros affectos nos esse, ut semper eisdem opem, operamque nostram præstando parati simus, quæcumque urgentis necessitatis occasiones occurrant; alioquin dici posset nullam nos in eos charitatem fovere; quæ res Evangelii præceptum palam infingeret. Præter autem gravissimæ necessitatis occasiones, nisi scandalum adsit, atque nimis manifestum inimici ani-

animi indicium; perfectionis est, non necessitatis ad salutem consequendam, eidem propter Dei amorem gratificari.

Quo inimicos diligere possimus.

Charitas igitur praecipit, ut inimicos diligamus, non tamquam inimicos, vel quatenus inimicos; hoc enim esset participes fieri peccati illorum, eorumque damnationem velle; sed illos amare debemus quatenus proximos nostros, ad ejusdem beatitudinis perfruitionem, ac nos evocatos; quae distinctio a Theologis adoptata est post S. Clementem Alexandrinum 4. Strom. Verum non inde potest inferri, ut illos quatenus inimicos odisse possimus; quippe illorum personas amare jubemur, quaecumque in illis vitia, atque defectus deprehendantur. Distinctio altera: illos debemus amare propter Deum, non propter egregias qualitates, quae in ipsis alioquin effulgere possent; eisque unice propter Dei charitatem injurias dimittere. Illos enim naturali studio prosequi, & erga illos eadem affici benevolentia, qua erga amicos afficeremur, hoc ut plurimum a nobis praestari non posset; ideoque ad hoc JESU CHRISTI praeceptum nequaquam extenditur.

Attamen in dubium revocari non potest, utrum Fidelis extrinsecus aliquot prae se ferre debeat hujus amoris notas erga inimicos, eas saltem, quae communes sunt, & quae universis debentur; puta, dolorem testari, si quid illis mali acciderit; laetari, si quid boni evenerit, praesto esse, ut illis opem ferat, ubi opera nostra indiguerint, aliaque id genus. Verum hoc etiam persuasum esse debet, amorem, quem illis debet, non in solis verbis immorari debere, sed ubi adsit occasio, effectus etiam requiri. Quod vero spectat ad peculiaris affectionis notas, & benevolentiae demonstrationes, quibus erga necessarios utimur, iisdem erga inimicos uti, consilii dumtaxat est.

Notae, ex quibus gratiam nequaquam bona fide resarcitam fuisse deprehendimus.

Notae vero, ex quibus facile judicari potest, injurias ex animo vere non dimissas fuisse, neque veram foveri charitatem erga eos, a quibus contumelia fuimus affecti, hae ferme sunt: Fugere eorum conspectum, contra quos ad iracundiam excitati fuimus, nisi prius illi sese nobis subjecerint, nostroque dolori fecerint satis: cum illis non nisi in speciem habere necessitudinem, atque ita cum ipsis in gratiam rediisse, ut invitos, & aegre id fecisse innotescat; ubi adsit occasio nihil eorum praestare, unde illi intelligere possint, nullam inesse animo nostro amaritudinem; de illis non nisi per contemptum sermonem instituere; cum illis non colloqui, vel ubi id evitari minime queat, non sine indignatione quadam, frigide, eoque vocis tono, & oris habitu id facere, unde mentis nostrae perturbatio liquido cognoscatur: Illorum occursum evitare; & nullam cum ipsis vel societatem, vel rem habere velle.

Ex animo illis parcere, a quibus laesi fuimus, est ita acceptas oblivisci injurias, ut cum iisdem aeque nosmet geramus, ac si nulla ab ipsis affecti fuerimus contumelia; cupere, ut nullas criminis poenas luant; & non solum non expetere, ut vel nos ipsi, vel alii ultionem de illis repetant, verum etiam ne optare quidem ut in illos divina ultio desaeviat, atque in corde eamdem erga inimicum fovere dilectionem, ac si numquam ab amicitiae nostrae officio recessisset.

Ita nobis parcendum est, ita enim cuperemus nobis a Deo parci, atque ita ille reipsa parcit, ubi nostra tactus poenitentia nos gratiae suae reddere dignatur. Ita etiam Dei Filius testatur futurum ut nobis eadem mensura remetiatur, qua alii mensi fuerimus.

Parcendum etiam antequam veniam petat inimicus.

Abs re autem hic puto animadvertere, cum Deo dicimus, nos illi parcere, a quibus lacessiti fuimus, non esse in hoc sensu intelligendum, quasi satis esset, nos praesto esse veniae illis concedendae, ubi inimici deprecati fuerint, quemadmodum oramus Deum, ut nobis parcat; debemus enim illis parcere, antequam petant. Hoc aperte docuit JESUS CHRISTUS apud S. Marcum cap. 11. *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester, qui in caelis est dimittat vobis peccata vestra*. Quod S. Augustinus his verbis confirmat lib. 2. de serm. Dom. cap. 28. *Illo prorsus praecepto, quo jubemur orare pro inimicis nostris, non pro his jubemur, qui veniam petunt: Jam enim qui tales sunt non sunt inimici. Nullo modo autem quisquam vere dixerit orare se pro eo, cui non ignoverit*.

Quamvis Theologi nonnulli docent, Deum nonnumquam revocare veniam illis concessam, qui parcere detrectant, quorum sententia inniti videtur Parabolae servi nequam, qui conservo suo exiguum remittere noluit debitum, postquam Pater familias ingentem auri vim ab hoc sibi debitam remiserat: tamen, quemadmodum numquam poenitet Deum gratiae, quam peccatoribus elargitus est, & ipsius beneficia, teste Apostolo, immutari non possunt, hac in re nihil certius afferri potest, nisi, repulsam hanc, qua homo homini parcere detrectat, adeo enorme delictum esse, ut quadam oratione omnia, quae dimissa jam fuerunt, exaequet peccata; & licet non revocet Deus olim concessam peccatori misericordiam, qui aliorum misereri non vult: hunc tamen ob unum istud delictum mereri adeo severa supplicia, ac si praeterita scelera a Deo ipsi minime remissa fuissent: Et profecto hoc illi peccatum Deum dimittere non vult; quod quidem manifesto est argumento, peccatum hoc majorem Dei ciere indignationem, & magis quam caetera, divinae misericordiae adversari. Hoc autem non abludit ab eo, quod S. Jacobus Apostolus epist. 2. inquit: *judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam*. Quamobrem Dei Filius Parabolam his verbis concludit Matth. 10. *Sic & Pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis, unusquisque fratri suo, de cordibus vestris*.

Praeceptum hoc non est impossibile, ut nonnulli dictitant.

Caeterum praeceptum hoc licet arduum, ac difficile, non est tamen impossibile, non secus ac alia quaecumque nobis a Deo irrogata fuere; & qui secus assereret, Deum injustitiae nomine redargueret; hominibus enim ea praecepisset, quae adimplere in eorum potestate non esset. Quapropter supponendum est semper, Deum nobis vires sua gratia praebere ut sibi obtemperetur ea in re, qua nihil ipsi videtur antiquius. Ad haec quidquid Ethnici quidam, atque nonnulli ultionis cupidi sua excaecati iracundia, effutierint, liquet tamen, quod ob humanas tantum rationes parcere ne ipsas quidem naturae vires excedit, quandoquidem extitere nonnumquam infideles, qui bona fide gravissimas sibi illatas injurias remisere, atque eos dilexere, a quibus probris, atque conviciis affecti fuerunt.

Praeceptum hoc diligendi inimicos, ac injurias dimittendi, quantumvis arduum, & difficile videatur, justum est, & aequitati naturali conforme. 1. Licet enim solam illius spectaremus auctoritatem, a quo fuit irrogatum; ad aliquid enim probandum, scire sufficit, Deum id velle, quin alia afferenda sit ratio; illi jus fuit legem hanc imponendi, ergo justa est. 2. Ad haec non defuit aequissima ratio, propter quam hoc nobis praeciperetur, videlicet nequis eam sibi vendicaret auctoritatem, quae unum Deum decet, nempe nequis esset in propria causa judex; quod omnia simul divina, humanaque jura prohibent; alioquin enim terra caedibus ac rapinis esset referta, quae proculdubio contingerent, si cuicumque integrum esset ultionem suam persequi. 3. Quia Deus unus & injuriae magnitudinem, & huic debitam poenam cognoscit; & si quis in causa sua judex esset, facile in poenis infligendis excederet, & ultiones aeternas persequeretur. Ita & publico, & privato bono a Deo haec lex constituta est; qui enim praecipit nobis, ut Proximo nostro parcamus, praecipit etiam Proximo, ut vicissim nobis parcat, & hac ratione publicae securitati consultum est.

Qua via liceat petere ut jus sibi fiat, ob acceptas injurias.

Cum Dei mandatum vulgo satis validum non sit, ut ultionem coerceat, cumque alioquin homines, qui vellent omnes, quæ sibi inferrentur, contumelias dimittere, eorum paterent insultibus, qui Dei metum penitus exuerunt; communicavit Deus suæ auctoritatis radiolum Judicibus, & Magistratibus, ut scelera persequerentur, & prohiberent, ne viri boni ab improbis opprimerentur. Hinc autem sequitur, quod licet, immo nonnumquam etiam decet ob gravem injuriam acceptam jus suum repetere; ideoque opus esse, ut ad id viæ quædam forenses pateant, quibus interdictum non sit. Quamobrem in veteri Testamento quædam erant justificationis stationes a Deo constitutæ, & nunc quoque constituti sunt Judices, & Tribunalia, ad quæ confugere licet, seu ad semet defendendum, seu ad propulsandam injuriam; non enim semper dissimulare jubemur vel silentium tueri, quæcumque se offerat occasio; & dummodo necessaria moderatio retineatur, atque charitas servetur, licet jus suum persequi, & petere, ut jus sibi reddatur, ob probrum, quod fuerit illatum.

Ne quid hoc in argumento ultra fas, & æquum videamur asserere, fatendum est, habita quorumdam Spectabilium virorum ratione, qui atroci aliqua injuria fuerunt affecti, nulla eos necessitate teneri, ut suum præveniant inimicum, eidem licet non petenti veniam largientes: hac enim fortasse notam quamdam dedecoris inureret eorumdem dignitati, & occasionem præberet ut ex eorum facili lenitate ansam arriperent homines improbi alienæ humilitati illudendi. Verumtamen ex hac doctrina non decet generale aliquod effectum constituere, quo plurimi possent abuti.

Quomodo inimicos diligendo simus Filii Dei.

Quemadmodum hoc præceptum parcendi, immo etiam gratificandi inimicis est difficile, atque huic ipsa natura adversari videtur, Salvator illud lenire dignatus est præmiorum magnitudine, inter quæ hoc facile primum sibi vendicat locum, quod per hoc Dei Filii, & eidem similes evadimus. Licet enim per Baptismi gratiam simus Filii Dei, ejusque familiam ingrediamur; hæc tamen filiatio, quæ nobis cum omnibus Christianis communis est, nullius nobis erit utilitatis, nisi eo fulciatur amore, quo inimici sunt diligendi. Diligite illos, Salvator ait, ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est; non igitur eritis filii, nisi illos dilexeritis, S. Joannes Chrysostomus concludit.

Dei Filius, ut nos ad injurias dimittendas impelleret, hanc tamquam inevitabilem conditionem constituit ad scelerum nostrorum veniam consequendam; ita ut fieri nulla ratione possit, ut delictorum nostrorum veniam obtineamus, nisi prius inimicis pepercerimus. Hoc autem ex pluribus rationibus consequitur. Primo Deus tamquam supremus gratiarum suarum arbiter, quamcumque sibi libuerit conditionem potest apponere; at peccatorum nostrorum veniam veniæ injuriarum connectere placuit, quemadmodum ex pluribus Evangelii locis plane colligitur. Secundo. Quia fieri nequaquam potest, ut vero criminum nostrorum dolore tangamur, donec hoc adversus inimicos foveamus odium, quod gravissimum scelus est. Tertio. Quia hoc peccatum in se peculiariter opponitur Misericordiæ Dei, indesinenter parcentis. Ita cum velit Deus, nos sibi similes esse; in hoc præcipue similes esse cupit; quia non in potentia, vel majestate, reliquisve perfectionibus, sed unice in misericordia illi similes esse possumus. Ut autem ad id nos inducat ratione ex eodem, quod urget, argumento desumpta, pollicetur futurum, ut si parcere voluerimus, in nos misericordia sua utatur, qua tantopere indigemus, quam alioquin nullo pacto obtinebimus; & quam ne petere quidem ab eo possumus, quia nos ipsi in nosmet condemnationis sententiam feramus.

Quid peccati hujus gravitatē constituat.

Iracundia, & acceptarum injuriarum recordatio ob hoc præ ceteris sceleribus nequiores sunt, quod sunt diuturniores, atque fere sine intermissione perseverant, neque in memoriam contumelia revocatur, nisi ut rursus peccetur. Rei hujus rationem S. Joannes Damascenus affert; videlicet quod aliorum peccatorum actus paulisper durant: qui cædem, furtumve committit, cito explet votorum suorum summam; & illa peccata inter breve temporis spatium complentur, quo expleto actus non durat. In hujusmodi etiam peccatis, ut plurimum pœnitentiæ intervallum relinquitur; & licet peccati idea subinde excitetur, non ideo tamen illico probatur, & hanc ob causam non committitur scelus; sed ultionis cupidus singulis peccat momentis, quibus non parcendo perseverat; Numquam acceptas recogitat injurias, quin ultionis suæ cupiditatem foveat, atque exasperet, aliosque non addat recentes actus peccati. Unde inferendum est ipsum, donec eo in statu permanserit, nihil boni agere posse, sed potius iniquitati addere iniquitatem: *Qui inimico infensus est, semper habet peccatum, vivitque in peccato*: Pater hic ait.

Ultio quam sit injusta.

Ultionem, si effectus illius perpendamus, injustam esse liquebit: primo quia fere numquam inter offensam, & supplicium servatur æqualitas; pro una injuria, sexcentæ referuntur; pro exigua obtrectatione, per fas, & nefas, opportune, ac importune aliena existimatio laniatur. Secundo, quia ad ultionem quacumque via curritur, omnia contra inimicum licere videtur, & cupimus, ut iracundiæ nostræ sensu quicumque afficiatur. Tertio ultor injustus est ratione habita Magistratus, cui publica adhæret auctoritas, cum justitiæ postulet ordo, neminem in propria causa judicem esse. Quarto injustus est erga seipsum: licet enim pressius loquendo, justitia, & injustitia semper referantur ad alterum, hoc minime prohibet, quominus tibi insignem inferas injustitiam, in te Divinam ultionem extorquens.

Qui ulciscitur, contra omnia rationis principia operatur. Rationi adversatur, sibimetipsi lethale vulnus infligere, ut illi, a quo lacessiti fuimus, leve malum inferamus. Rationi adversatur nolle parum dare, ut plurimum referas. Rationi adversatur, obedientiam Deo detrectare, ut suæ pareas iracundiæ. Rationi adversatur, se se crudeli tradere inimico, qui nos in æternum perditurus est, ut inimico injuriam afferamus, qui in salutis nostræ negotio nobis nequit officere. Si ultionis cupidus adhuc sane alicujus cogitationis est compos, tandem aliquando rationis consilio aures non deneget.

Quo in sensu vim vi repellere liceat.

Cum dicitur, per leges licere vim vi repellere, hoc minime significat, licere contumeliam pro contumelia respondere illi, qui prius nobis injurius fuit, atque ut dici solet, par pari referre, sed cum tibi infertur injuria, temet opponere posse, & prohibere, si fieri potest, ne inimici hominis conatus e voto cedat; non autem, ubi dedecore affectus fueris, integrum esse tibi ultionem reposcere: Alioquin liceret tibi eorum etiam depopulari Domos, qui injuste sua bona diripiunt. Quot eheu inde existerent mala! Ideo Lex, quæ vim vi repelli patitur, non spectat nobis illatam injuriam, sed tantummodo, quam alii inferre contendunt.

Hoc ne prohibet quidem, quominus jus nostrum in foro persequamur, eaque repetamus bona, quæ per vim, & scelus nobis rapta fuerunt; ac tandem quominus legitimum pro Republica bellum suscipi possit. Charitas enim Justitiæ non adversatur, & fieri potest, ut exteriores effectus in hujusmodi occasionibus notæ sint apparentis odii, cum interim verus amor in corde regnet; Verum cum hoc arduum sit, ac difficile, merito Patres, Theologique testantur, periculosæ opus plenum aleæ esse litem intentare, ac bellum indicere, neque hæc extrema tentanda esse remedia, nisi postquam reliquæ omnes tentatæ viæ fuerint, & postquam nihil prætermissum est, ut omnia ultro citroque amice transigantur.

Ho-

Ultio opus fortitudinis non est.

Honoris species, ac nostræ existimationis amor ut plurimum ultioni causam substernunt; times enim ne ignatus videaris, nisi vitæ ipsius impendio jus tuum persequeris. Huc autem afferam veritates nonnullas, quæ fusioribus indigent argumentationibus, & quæ diligentius enucleantur a P. Delingendes in tribus postremis sermonibus, quos de Inimicorum dilectione elucubratus est. Prima, actum esse non christianæ solum, verum etiam moralis fortitudinis, ferre injurias, easque dimittere; Aristoteles id probat quarto Ethnicorum, & rationes adfert. Altera; nullum esse fortitudinis caracterem persequi ultionem injuriæ; solus enim naturæ impetus, & iracundia, quæ infirmiorum propria est, eo nos impellit. Tertia; verum honorem ex sapientum virorum existimatione, & judicio esse existimandum; unde inferendum est, singulare certamen furentis potius esse, quam fortis.

Quemadmodum nullum præceptum est hoc utilius, ita nullum est cujus observantia quidem enixius commendetur, violatio autem gravioribus suppliciis puniatur. Inde hominum præsertim societas, & rerum bonus ordo procedit: oportuit igitur, ut Dei filius nihil missum faceret, quod homines ad illud adimplendum adigeret. Verum non alia potior adinventa fuit ratio, quam proprium ejusdem exemplum, cum ab inimicis suis mortem unam omnium maxime sævam perpessus, inter gravissima, quibus afficiebatur, tormenta pro illis deprecatus est, a quibus torquebatur.

PARAGRAPHUS VI.

Loci ex Asceticis, Neotericisque Concionatoribus delecti.

Nemo ab injuriis dimittendis excusari potest.

PLurimi ad hanc quoque diem contendunt hoc inimicorum diligendorum præceptum observari minime posse, quod olim Ethnici nonnulli censuere. Haud ita Fideles; hæc, quam prætexitis, impotentia non ex seipsa, sed ex animi vestri improbitate profecta est. Nullam hic excusationem afferre potestis, veluti cum jejunare vos minime posse dicitis vel propter infirmitatem, vel propter temperamenti imbecillitatem; bona enim, vel adversa valetudo hic locum non habet. Neque de eleemosynis agitur; ubi egestatem vestram causari possitis. Non arduum, ac laboris plenum opus exigitur, non altæ meditationes, quas extra vestrum captum positas dicatis; id unum quæritur, ut illi, a quo lacessiti fuistis, parcatis. Injuria vobis illata, personalis est; eam potestis remittere; neque alio vobis stabit impendio, quam exigua vis vobismet ad cœlum acquirendum illata; quæ in terris etiam uberrimum sane fructum nanciscetur, animi videlicet requiem, quam parcendo assequimini. *P. Cheminais Sermone de injuriarum venia Tomo* 3.

Hic locus esset describendi animum, quæ ultionis cupiditas tenet; verum cuinam id facilius esse poterit, quam vobis qui vires illius estis experti? Nonne præcox infernus est, die ac nocte ardentibus uri flammis, quæ indesinenter in memoriam illius imaginem revocant, quem persequimini, tamquam sævissimum monstrum; quæ acceptam injuriam amplificant, iracundiam cient, atque ad inimici conspectum vehementius urunt? Quis dolor si felix est, omnesque illi e voto conatus cedunt! Quæ indignatio, si bene audit! Quæ disperatio, si in honore habetur! Quæ invidia, si potens est? Quis metus, si superior! Quæ suspicio, si prudens, & callidus! Quæ cura, ut ea evites consilia, quæ molitur in te! Quæ affectuum sibimet indesinenter succedentium procella! Proh quoties clanculum optastis, numquam hanc vobis peperisse tempestatem, neque eum movisse lapidem, qui tot in caput vestrum mala pertraxit. Attamen humani respectus causa loco non ceditis; curas duplicatis, nihil intentatum relinquitis; omnia adhibetis, pecuniam, amicos, existimationem, vires, dolos, & post incredibiles exantlatos labores, ut ultionem vestram persequeremini, dicitis, non possum parcere, quia hoc est nimis difficile. Si lege lata, præcepisses, Domine, ut mortalis eos omnes perferret labores, quibus ultionis cupidus torquetur, quis eam observaret? quis se omnino id non posse testaretur? quis legem tuam, tamquam tyrannica non condemnaret? *Idem*.

Parcendũ est exemplo JESU CHRISTI.

Si quis unquam jure suo ultionem exercere potuit, hic sane fuit JESUS CHRISTUS, qui tot iisque gravissimis opprobriis fuerat affectus. Illum videtis sine honore, Cruci affixum, inter latrones, nudum, felle potatum, maledictis impetitum, & tamquam hominum abjectissimum habitum . . . . . Si magnitudo injuriæ crescit pro ratione personæ cui infertur, non obliviscat profecto dignitatis, sanguinisque vestri; at ne vos quidem meriti ejusdem obliviscamini. Ille tandem minime ignorabat quanam in re honor verus situs esset, neque falli poterat hac de re ferens judicium. ***Vidisti pendentem***, S. Augustinus ait, ***audi clamantem***. Injuriæ omnem intelligitis magnitudinem; hæc efficit, ut vestra fides ipsa quasi labefactata concutiatur: ***Audi clamantem***. Quod ille dicturus est hoc in statu, non jam dicit post acceptum dedecus, sed in ipso injuriæ fervore, in ipso convicio, in accessu mortis turpissimæ vestram procul dubio iracundiam infringeret: ***Pater dimitte illis***. Non ait: O viventium æque, ac mortuorum judex, oppressæ innocentiæ vindex; his ad odium excitandum aptissimis vocibus non indiget; Pater; Sed Patris utitur nomine ad illius benevolentiam excitandam, & id, quod petit facilius assequendum. ***Dimitte illis***: Dimitte proditionem, perjurium, calumnias, vim, invidiam, denique infame, quod perpetrant, Deicidium; ***Pater dimitte***; omnia hæc obliviscere crimina, quorum sola species suam iram extimulat, & id unum cogita, te meum Patrem esse, & te a moriente Filio rogari. ***Illis***; Sed quinam illi? Populo huic ingrato, quem omnibus terrarum gentibus prætuli, Judæ, qui me prodidit, Pharisæis, qui me tradiderunt; Pilato, qui me morti adjudicavit; Herodi, qui me fatuum censuit; carnificibus, qui me cruci affixerunt: Pater dimitte illis: ***Nesciunt enim quid faciunt***. Sceleris sui magnitudinem nesciunt. Hæc, o Christiani, ultio est, qua Deus vester mortem suam persecutus est pro inimicis preces effundens. *Idem*.

Quandonam parces? Cur non statim, in ipso Templi exitu? Expectas ne, quoad mors iracundiæ tuæ finem injiciat, ac odium tibi in corde deprehendat? Cur differs? Hoc vulneri virus addit: ***Quisquis pacem differt, occasionem quærit numquam ignoscendi***, S. Augustinus ait. Hic accidit, inquit S. Chrysostomus, uti in osse, quod motum est, quod statim facile suo redditur loco, at si multum temporis elabatur, majori cum difficultate medica manus adhibetur. At enim jam pridem invicem non occurrimus, neque nos videmus. Quid ergo! putatis ne, odium præscriptionem habere posse, & inimicitias legitimas fieri, eo quod inveteratæ sunt. Quænam hæc coram Deo excusatio! Sed e contra quænam ædificatio Proximo cedit, cum illi, quorum simultates tantum civitati scandalum afferebant, ad officium redeunt, atque invicem reconciliantur? *Idem*.

Ultionis cupidus Dominicã orationem recitare non potest, quin se ipsum condemnet.

Dei Filius ea in oratione, quam quotidie effundimus peccatorum nostrorum veniam exoraturi, hæc inseruit: ***Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris***: ita ut Fidelis, qui aliqua fuit affectus injuria, & qui illius ultionem exquirit, inimico suo parcere detrectans, hanc Orationem proferens Deum rogat, ne sibi parcat. Hæc oratio orantis fit condemnatio; & Deus illi secreto dicit: ***Ex ore tuo te judico***. Me rogas, ut tibi parcam, quemadmodum parcis iis, qui te læserunt; tu autem non vis illis parcere, rogas ergo, ne tibi parcam. Hoc & ego volo; tuis precibus flector, tuam orationem exaudio. Ita cum ultionis cupidus hanc pre-

precem effundit; odium adhuc fovens in inimicum suum; Deus profert damnationis ejus sententiam. Ita S. Chrysostomus ait, vult Deus, ut a nobis ea pendeat venia, quam nobis concessurus vel negaturus est, atque in nostra manu statuit eam sententiam, quam aliquando est prolaturus. *Auctor Neotericus.*

Amor inimicorum proprie est J.C. disciplina.

Neque Socratis, neque Moysis disciplina; neque Philosophia, neque Lex antiqua veritatem hanc cognovere. Præceptum diligendi inimicos est novi Testamenti; mandatum hoc adeo sanctum non nisi ex Ecclesia Dei emanare potuit, adeo supra homines positum est. Itaque illius auctor est JESUS CHRISTUS, hic ore proprio nos edocet. Matth. 5. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.* Hæc verba sunt Salvatoris mundi, hæc nostra fides, nostrum Evangelium, nostra disciplina, ac verus Religionis nostræ character. Aliæ Christianæ Religionis notæ, pietas, pœnitentia, spes in Deum, humilitas, ipsum quoque Martyrium æquivoce erunt fortasse; at unius inimicorum amor ambiguus non est; per hunc tantummodo verus Christi fidelis distinguitur; & qui Fidem amplectitur, subit onus diligendi persecutorem diligendo persecutionem. *P. Rapin in libro de Christianæ Religionis Spiritu cap.* 2.

Cum Mundus in eo collocet dignitatem suam, si minime pepercerit, atque ultionem ipsam loco virtutis habeat; cumque in eo positus sit altissimus Christianæ perfectionis apex, ut inimicum suum diligat, hac in re Christiani hominis charitas præcipue debet enitescere. Philosophia hujusce evadere nondum potuit; & hoc in Christiana fide majoribus difficultatibus, quam cætera obnoxium est. Sed postquam JESUS CHRISTUS hac in re nobis suam voluntatem aperuit, & exemplo, & verbo; Christianus omnem debet iracundiæ sensum, omnemque naturæ infirmitatem exuere, ut illatam sibi dimittat injuriam, si tamquam Christianus velit operari. Verum est inter gentilitatis tenebras quamdam veluti umbram hujus virtutis Ethnicis affulsisse; cujus quidem in insignioribus illorum rebus gestis rudia apparent vestigia; verum enim vero si intus, & in cute hæc omnia explorare velimus, ob quemdam jactantiæ, & vanitatis spiritum illos pepercisse, patebit; eorumque elementia non aliud erit quam secreta superbia, fastum, & existimationem requirens. Christiana vero clementia e contra non aliud quærit, quam illius utilitatem, cui parcit, & nihil magis, quam vanitatem perhorrescit. *Idem cap.* 3.

Quid dicam de æternis odiis, inveteratisque aversionibus, quæ tanto cum scandalo foventur? Cum eo, a quo læsi fuimus, loqui non possumus, immo illum ne oculi quidem patiuntur, & credimus justam esse iracundiam eo, quod fuimus lacessiti. Quid hoc magis adversatur Spiritui Religionis, qui nullum pati potest teporem; nullam frigiditatem? Ipsam etiam conscientiam nostram fallimus, ubi odia, atque simultates innutrimus; credimus, nos nequaquam odisse, neque velle mala illi, a quo detrimento fuimus affecti; sed ubi huic adversitas ulla contigerit, præ lætitia exultamus; cumque dicimus: Illum non odi, sed eum videre non possum, neque ullam cum eo necessitudinem pati: hoc illum christiana prosequi charitate vocatur. *Idem cap.* 6.

J. C. nobis præbuit exemplum amoris inimicorum.

Amor, quo Filius Dei homines prosecutus est, numquam magis, quam in ejusdem Passione eluxit: quippe illa eadem nocte, qua homines contra vitam illius conjurabant, clementissimus ille Deus id unum cogitabat, quomodo hominibus charitatem suam testaretur. Sacratissimum corpus suum illis in animarum cibum tradidit eodem tempore, quo unus e discipulis suis per summum nefas eum inimicis prodebat, a quibus erat crucifigendus. Moritur autem opprobriis, & contumeliis oneratus, cumque de Tribunali ad Tribunal raptatus fuisset, a suis derelictus, desertus ab omnibus, non sine gravissima infamiæ nota cruci affixus inter terras carnificum blasphemias moritur; sed ea moritur animi tranquillitate, suavitate, patientia, silentio, pace, ut carnifices ipsi mirarentur .... atque inter mortis crudelissimæ turpissimæque funestos horrores, licet tristitia, & amaritudine confectus non aperit morientes oculos, neque illos sursum ad Cœlum attollit, nisi ut Patris sui misericordiam imploret pro illis, a quibus male torquetur; sanguinem suum effundit, ac moritur pro impiorum, a quibus cruci affigebatur, salute. O magnam charitatem humanis mentibus numquam satis percipiendam! Jure affirmabat S. Chrysostomus, maximum Divinitatis JESU CHRISTI argumentum fuisse, quod eos etiam, a quibus enecebatur, diligeret: oportet enim Deum esse, ut hoc modo, qui adeo hominis captum excedit, diligere valeas. *Idem cap.* 1.

Præcaveri possunt inimici ob id etiam, quod nos persequuntur.

Insignis quidam vir egregia sanctitate conspicuus, licet injuria ab inimicis suis damnaretur, dicere consueverat, illis fortasse secretam aliquam rationem adesse, cui nihil fortasse habuisset, quod respondere ret, si hanc sibi aperire voluissent. Hoc sane est illum perfectionis apicem attigisse, quem elapsa retro sæcula minime cognoverunt. Patientiæ vocabulum non satis est amplum ad egregiam hanc animi lenitatem, quæ omni penitus caret exemplo, indigitandam. O vos, quos minima quæcumque irritat injuria, & qui levissimas ob causas internecina odia, numquam intermoritura, suscipitis; vos, quos nulla umquam lenire potuit vindicta, insigne hoc tandem exemplum intuiti, rubore suffundiminor, ac vosmet æquiores, mitioresque præbete. *Desumptum ex Auctore Anonymo, & Neoterico.*

Inimici diligendi sunt ex animo, neque ii imitandi, qui quodammodo sibi vim afferunt, ut Deum pro inimicis suis deprecentur, & qui id meditate faciunt, non ex vera animi propensione, ac ea voluntatis plenitudine, quam Dei Filius exposcit: *Nisi remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Illi inimicos suos ore potius amant, quam corde. Non vult Deus, illos a nobis invitis amari, atque peccato odii inanem gloriam fictitiæ charitatis adjungi. Scrutatur ille, ac penetrat cordis nostri latebras penitiores, & quemadmodum per Apostolum suum dixit homicidam esse, qui fratrem suum odit, inter Christianos ingentem conspicit numerum homicidarum, quorum quidem manus innocuæ sunt, cor vero atro veneno perfusum. *Liber cui titulus, Vita Sanctorum veteris Testamenti, in vita Sancti Patriarchæ Joseph.*

Quæ mala ingruerent si ultio licita foret.

Ut intelligas hanc Religionis legem cum naturali æquitate consentire, hæc mecum considera: Si fas esset cuilibet ultionem persequi, quænam late in rebus publicis, atque imperiis mala grassarentur? Judices essent sine imperio, Magistratus sine auctoritate, societates sine disciplina, urbes sine regimine. Cum enim ultio semper acceptam injuriam excederet, omnia injustitia replerentur; cumque in ea, quæ exigitur reparatione, semper injuria gravior ultione ipsa haberetur; semper inter homines ira, furorque debaccharetur. Cæterum cum aggressor semper jus sibi esse putaret contra illum, quem aggressus est, fieretque judex in causa propria; numquam gratia resarciri posset, nemo pœnes se injuriam esse mallet, atque inde in familiis irreconciliabiles inimicitiæ, & in conjugii divortia proficiscerentur. Ad hæc si privato cuicumque liceret ultio adversus parem, vel inferiorem, licere quoque deberet in superiorem. Quænam tunc esset rerum omnium perturbatio! quis Judex pro Tribunali jus dicere auderet? Quis enim se jure damnatum existimaret? Quis Magistratus &c. atque proinde quomodo omnia susque deque permiscerentur! Ultiones quotidie percrebescerent; mundus nihil amplius esset, quam furentium cætus semper sibi invicem infensorum, atque alternis alienum meditantium interitum, ac in id intentorum, ut viam sibimet

ultro citroque excidium inferendi quærerent. *In Sermonibus, qui P. Massilon attribuuntur, Sermone de injuriarum venia.*

In injuriis quibus afficimur Dei percutientis manus est consideranda.

Hoccinne improborum insolentiam probare, violentiam, atque impotentiam, & contumelias invehere putabitur, eam legem statuere, quæ tot prohibet mala, quæ familiis requiem, Rebus publicis pacem procurat, atque ubique rectum ordinem, atque consensionem constituit? O pii, atque Sancti homines primorum temporum! numquid inter vos turbæ, atque inimicitiæ vigebant? Christus ex omnibus unam tantummodo animam, cor unum efficiebat, easdem cogitationes, eamdem voluntatem, sensus eosdem. Hæc lex charitatis omnes bonis, virtutibus, voluptatibus exæquabat, & quin conditionis inæqualitas obsisteret, justitiæ, & misericordiæ qualitas in ipsis dominabatur. Nulli erant inimici, nullæ vindictæ, nullæ iracundiæ. Hoc hodie quoque veniæ lex gigneret, si diligenter observaretur. *Idem.*

Cum inimicus tuo gaudet excidio, teque supplantat, ut de acquisitis honorum gradibus decidas, cum alius detractionibus suis omnem tibi abrogat fidem, & existimationem, atque fortunam tuam, quæ uni fortasse nominis tui famæ innitebatur, subvertit, si in illum irasceris, næ tu quidem vehementer erras. Non illi accepta referenda sunt ea, quæ tibi mala cedunt, sed illo utitur Deus, vel peccata tua puniturus, vel probaturus virtutem. Horum infortuniorum causæ in terris quæruntur, cum eorum auctor in cœlis sit; atque illinc ea egrediatur invisibilis manus, a qua percuteris. Sursum oculos attolle, ac intelliges Deum esse, qui inimicorum suorum passionibus utitur, ut per eorum convicia munderis. *Idem.*

Numquid JESUS CHRISTUS mortem suam tamquam opus iniquitatis inimicorum suorum respexit? numquid in illos culpam omnem rejecit? quin immo nonne carnifices ipsos excusavit, quasi ignorarent id, quod faciebant? Sævissimam hanc necem non alium esse putavit, quam amarum calicem, sibi ab æterno Parente ab ipso sæculorum primordio præparatum. Talis etiam fuit justorum sententia erga illos, a quibus sævissime torquebantur, & ea venerabantur flagella, quibus ad eos plectendos Dominus utebatur. Primi Fideles reverebantur manum se percutientem; Cæsarum potentiam Religioni infensissimam colebant; & gladios fratrum suorum cruore imbutos tamquam gloriæ suæ instrumentum, & divinæ erga se misericordiæ notas spectabant. Denique primi illi Christiani nullius erant inimici, Tertullianus ait atque mortales omnes indiscriminatim diligebant. Tu illos docuisti, Domine, homines quantumvis infesti sint inimici, nihil tamen in servos tuos posse, nisi illis desuper potestas fuerit collata. Fidelis igitur in terris exagitatus in acceptis contumeliis amicam manum spectare debet, quæ ipsum percutere, & humiliare conatur, ut eumdem puriorem, atque gloriosiorem efficiat. *Idem P. Massillon.*

Erubescere non debemus imitantes hæc in re Salvatorem.

Quorsum autem tenues imitari Salvatoris de Cruce pendentis exemplum, atque pro carnificibus suis veniam petentis? Numquid rivuli Sanguinis de illius corpore fluentis ultionem miserorum hominum, ad quos redimendos in terras delapsus est, extinguere non poterunt? Cur hoc lancea vulneratum, lethalibusque plagis confossum nequit Fidelium cor erga fratres ipsorum aperire? Hæc moriens lingua novissimum conatum exerens carnificum salutem ex æterno Patre petitura non excitabit JESU CHRISTI discipulos, ut leves injurias dimittant? *Idem.*

Ad sedandam in Christiano viro ultionis cupiditatem, illi quidem sufficeret dicere, mea sententia: Memento, quinam tui sensus sint erga Deum, ubi a te lacessitus fuit, & inde percipies, quem debeas fratri tuo sensum, a quo injuria affectus fuisti. Peccans Deo injuriam attulisti; ideoque factus es ultionis ejusdem objectum; a justitiæ ipsius pendes arbitrio, ac ille te plectere potest, ubi eidem placuerit. Nonne verum est, te ex animo cupere, ut tibi parcat Deus? tibi maxime sollicitudinis causam esse, quod de ipsius erga te misericordia dubitare teneris? te nullam pacem invenire posse, donec ille tibi fuerit inimicus? Te irritavit frater tuus contumelia; tu vero illi parcere detrectas: vix intelligere possum, quomodo ex corde veniam optare possis, qua indiges coram Deo, atque simul obstinato, obduratoque animo negare veniam, quam debes. Numquid aliqua causa est, propter quam Deus se tibi præbere debeat indulgentiorem? numquid injuria, cujus ultionem persequeris, illa gravior est, cujus ultionem expavescis? Vis, Deum oblivisci sceleris tui, tu vero hominis errorem oblivioni tradere negas? Tanta est sensuum tuorum confusio, ut inde satis indignitatem suam percipere valeas. Probare possem, juxta Christianæ Religionis principia apertissime inter se opponi hanc duplicem voluntatem, qua & coram Deo obtinere vis misericordiam, & erga Proximum tuum misericordia uti non vis; ideoque tibi negotium minime facessere, utrum Deus ulciscatur, nec ne, cum tu ultionem exoptas. Verum satis esse puto ex te quærere, quomodo nam possis simul conjungere ideam veniæ, quam cupis, cum idea veniæ, quam renuis. *Liber, cui titulus, Considerationes in varia Religionis, ac morum disciplinæ argumenta. Tomo 3.*

A Proximi dilectione cessare non licet, quia ab amando Deo cessatur.

Dei Filius Dominus est & lædentis, & læsi, ipse sanguinem suum effudit, ipse pro utroque mortuus est, & hoc misericordiæ suæ testimonio ita utrumque conjunxit, ut cessare a mutua dilectione non possint, nisi ab ejusdem amore cessent. Ad ipsum æque pertinent, neque possunt se se mutuo prosequi odio, ac ultro, citroque detrimentum inferre, quin injurii sint Domino, a quo redempti sunt, & cui eamdem debent obedientiam. Non satis fuit Dei Filio eos simul conjungere, eodem redimens pretio; se ipsum illis conjunxit vinculis, quæ frangi non possunt, quin fœdus illius contemnatur, & persona contumeliis coinquinetur. Se se hominem faciens illos Dei filios effecit, ac ipse factus est frater eorum; ita ut per hanc affinitatem ictus, qui in alterutrum feruntur, in ipsum relabantur. Nullus Fidelis adeo nequam est, ut honori suo minime vertat hoc fœdus, quod Salvator cum ipso percutere dignatus est; non desunt tamen fideles adeo nequam, ut fœdus hoc in Proximo dedecorare non vereantur. Hic, quem persequeris, quem perditum cuperes, æque ac tu, frater est JESU CHRISTI: quo igitur ore, ut illatam injuriam ultione persequaris, in ipsum JESUM CHRISTUM audes irasci? *Idem.*

Conemur Sanctorum Patriarcharum, primorumque Martyrum, quorum laudes magnificis encomiis Scriptura celebrat, sequi vestigia. Josephum illum imitemur, qui insigni injuriæ, qua a fratribus lacessitus fuerat, beneficia rependit: Moysem, qui deprecatus est pro rebelli populo, qui jugiter seditiones, ac jurgia serebat: Davidem, qui semper Sauli Regi pro malo bonum reddidit; Sanctum Stephanum, qui cum etiam lapidibus obrueretur, pro tortoribus suis veniam petebat; S. Paulum, qui, indesinenter pro Judæorum conversione laborabat, qui illum crudeliter persequebantur. Insignia hæc exempla nonne efficere debent, ut Dei unius intuitu de ipsis etiam sævissimis inimicis mereri perquam bene adnitamur? *Auctor Anonymus, & Neotericus.*

Parcendo fatigari non debemus.

Credebat S. Petrus, multum sibi oneris assumere, qui septies usque se injurias dimissurum esse pollicéretur. Proh infirmum humanæ rationis lumen, quam arctis finibus coerceris! O infelix cupiditas, quam ægre tibi vim facis! Qui septies pepercit, nihil adhuc præstitit, sed usque *septuagies septies* parcendum esse Petro JESUS CHRISTUS respondit: quod juxta S. Joannis Chrysostomi

expo-

expositionem significat, Fidelem numquam fatigari debere, ac semper paratum esse oportere, ut fratri suo parcat, quotiescumque ab eodem lacessitus est, quin unquam vel injuriæ magnitudine, vel inimici hominis ab injuria minime cessantis improbitate deterreatur? Ut hanc veritatem intelligeremus, proposuit JESUS CHRISTUS misericordiam, qua ea, quæcumque debemus, dimittit, in servi nequam exemplo, qui domino suo decem millia talenta debebat. *Lambert Homil.* 5.

Sedulo cogitemus conditionem illam, quam Salvator illi inseruit orationi, qua a nobis Patrem rogari vult dicendo: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Patebit obtinendæ peccatorum nostrorum veniæ facilitas, ubi intueamur, velle Deum, ut quodammodo a nobismetipsis dependeat: nobis enim jus est a Domino scelerum nostrorum veniam exigendi, si Proximo illatas nobis injurias dimiserimus. Non satis laudari potest hoc JESU CHRISTI consilium. Cum enim in id semper intendisset, ut inter hominem certam, firmamque charitatem statueret, ad id usus est ea necessitate, qua propter infelicitatem nostram ad magnam illius misericordiam confugere tenemur, hoc est nobis maximum ex suis muneribus voluit elargiri, nostrorum videlicet peccatorum veniam, quandoquidem status peccati infelicissimus est: quam tamen ut nobis elargiretur, hanc nobis conditionem imposuit, ut Proximo vicissim maximum, quod a nobis exhiberi possit munus, hoc est injuriarum, quibus ille nos lacessivit, veniam offeramus. Ita ut hoc quoddam sit veluti tacitum pactum nobiscum initum. Vultisne me erga vos maxima uti miserationum mearum, hoc est, vultisne vobis peccatorum vestrorum veniam concedam? Id ego quoque volo, hæc tamen proposita conditione, si maxima, quam præstare vos ipsi possitis, miseratione vicissim erga fratres vestros usi fueritis, hoc est si cuicumque injurias, quibus fuistis affecti, dimiseritis, easque prorsus oblivioni tradideritis. *Bartholomæus de Carranza, Tractatu de Oratione Dominicali.*

Ita, ex S. Joannis Chrysostomi hom. 19. in Matth. sententia, efficit Deus, ut a nobis pendeat venia, ab eodem vel concedenda, vel neganda: ita nos arbitros efficit Sententiæ illius, quam aliquando prolaturus est: quemadmodum fratrem vestrum judicaveritis, ita vos judicabo. Quæ cum ita sint, quam excusationem prætexere poteritis, fratri vestro parcere detrectantes? Numquid sine causa vos ab eodem injuria affectos fuisse? Hoc autem supponitur, quoniam illi parcere jubemini. Si facta injustitia abesset, & peccatum abesset: petitur ergo, ut hanc illius iniquitatem, peccatum hoc dimittatis: quandoquidem propter similia, vel etiam fortasse majora peccata petitis, ut a Deo vobis parcatur. Verum antequam vobis veniam concedat, vobis gratiam impertit efficiens, ut hac ratione petatis, ac docens quomodo in fratres vestros lenes, ac misericordes esse debetis. Quibus igitur suppliciis erimus vapulaturi, si postquam Deus salutem nostram in nostra potestate constituit, sponte in interitum ruimus, nosmet ipsos prodentes? Quomodo audemus rogare Deum, ut nobis indulgeat, ut misereatur nostri, si in ea re, quæ a nobis pendet, in nosmetipsos crudeles sumus, atque inhumani? Ut vere parcamus illis, a quibus læsi fuimus, ex ipsa memoria delendæ sunt injuriæ, quasi numquam illis affecti fuerimus, atque ex animo eadem fovenda charitas erga illos, a quibus affecti fuimus, quasi numquam ab amicitiæ officio recessissent. *Idem.*

Sensus verborum, dimitte nobis debita &c. Vox hæc *sicut* bifariam intelligi potest: vel enim vim habet comparationis, & similitudinis, & hoc in sensu a Deo petimus, ut quemadmodum injurias nobis illatas dimittimus, ipse nobis peccata dimittat; vel conditionalis est particula, quo in sensu a JESU CHRISTO usurpatur: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester Cœlestis delicta vestra.* Sed in utrovis sensu accipiatur, æque indigitat necessitatem parcendi; & si cupimus, ut a Deo peccata nostra dimittantur, opus esse, ut dimittamus illis, a quibus fuimus lacessiti. Vult enim Deus, ut mutua sit dilectio; quandoquidem objicit, contemnitque eorum sacrificia, & oblationes, qui cum fratribus suis in gratiam non rediere. Hæc quoque naturæ lex est præcipientis, ut nos tales erga alios præbeamus, quales alios erga nos sese præbere exoptamus. *Ex Catechismo Tridentini Concilii de Oratione Dominic.*

In ipso etiam veteri Testamento nequaquam satis erat Domino intueri manus populi sui fraterno sanguine minime imbutas, fœdatasque; sed exigebat adhuc, ut eorum cor odio careret. Ita enim undevigesimo Levitici capite loquitur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo*, hoc est, uti S. Augustinus explicat; non satis est violenter factis hominum societatem non perturbare; non satis est manus fraterno sanguine non imbuere, oportet etiam cor esse tranquillum, sine felle, sine amaritudine, & quemadmodum eo in amore, quem a te peto, non exteriorem obsequii speciem, sed veram animi dilectionem intueor: ita ex corde tuo primum odii, atque inimicitiæ sacrificium exposco, ne oderis inimicum tuum. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo. Sermo Manuscriptus.*

Non postremum amoris nostri erga Deum testimonium est inimicum diligere propter illius amorem, qui præcipit, ut illum diligeremus. Ratio autem petitur ex ea difficultate, qua illum amamus, a quo læsi fuimus. Nequaquam operosum est amare, nos eo inclinat natura; alios homines amare haud est difficile, hoc nobis ratio suadet: sed inimicum diligere, hic labor, hoc opus est, videtur quippe naturæ contrarium, rationi oppositum, atque omnibus mortalium opinionibus prorsus reluctans. Quemadmodum autem in fidei materia, quo difficiliores in se ipsis sunt veritates, quas novimus, eo majorem testamur reverentiam verbo, & luminibus Dei, quæ toto cœlo mentem nostram excedunt; idipsum dicendum est de charitate: quo enim odio nostro digniora ea videntur objecta, quæ amamus, eo majorem erga Deum charitatem testamur, qui amoris nostri causa est. Hunc autem amorem fortissimum esse opus est, ut omnes quæ adversantur, difficultates eludat. Quod terribile objectum est inimicus, qui nos afficit contumelia, inquit Augustinus, *ubi nil oculus videt, nisi quod displicere videtur!* ubi nihil occurrit, quod amorem nostrum conciliat, ubi omnia odium fovent; ubi omnes naturæ qualitates, quæ illum amabilem efficiebant, deletæ, & ut ita dicam absorptæ sunt injuriis, quibus nos cumulavit. *Biroat Sermone pro sexta feria Cinerum.* *Cur Deo accepta sit inimicorum dilectio.*

Admirabilem dispositionem, S. Gregorius Nyssenus exclamat, quæ quodammodo participes nos efficit potestatis Dei, cujus unius est peccata dimittere! Ego peccata dimitto, eaque mihimetipsi dimitto, cum inimico eam injuriam dimitto, quam intulit mihi. Rebus in reliquis Deum imitari debeo tamquam exemplar; in hac autem Dei Misericordia ad me ipsum imitandum impello, cum sancto hoc doctore dicens: *Fac, quod feci, imitare servum tuum: peccata dimisi, & tu dimitte.* Feci quod præcepisti; imitare veniam meam tua: injurias, quibus lacessitus sum, dimisi, tu mea dimitte peccata: Fidem tuam testor, & promissionis tuæ effectus præstolor. *Idem.*

Hoc prorsus est nimis torquere hominem, dicet fortasse aliquis in ultionis persequendæ cupiditate obstinatus; parcere nolo, & satis, atque abunde causarum mihi suppetit, ne parcam. Non vis parcere? O funestam vocem, & quæ ex dœmonis potius quam Fidelis ore egressa videtur. Sed antequam ulterius procedamus: nostin' quid dicas? Non vis parcere inimico? Non vis ergo, Deum tibi parcere; aliter enim fieri non potest, ut peccatorum tuorum veniam *Nisi perceri mus, nulla pro nobis erit misericordia.*

veniam assequeris, nisi injurias, quibus affectus fuisti, dimiseris. Nec dicas hanc de te victoriam referre non posse; improbum cor tuum ante omnia superandum est; hoc & propter charitatem, & propter obedientiam præstare debes: sin autem repetis, te nolle; scias oportet, certissimam esse reprobationem tuam, eo quod parcere inimico detrectas. O miserum! quid de te fiet, postquam vitam in peccatis traduxeris? Si hac vita excesseris peccatorum venia non impetrata; nonne de te actum erit? Si in tua pertinacia mordicus persliteris, quam misericordiam spetare poteris, cum proximo tuo misericordiam denegaveris? *Idem.*

Deus tamquam supremus mundi gubernator publicæ societati consultum efficaciter voluit, ideoque se ipsum præbuit tamquam patronum vitæ, bonorum, & honoris hominum; & quoniam infensissima societati huic est ultio, omnem impendere voluit auctoritatem suam, ne quod illa detrimentum pateretur. Hanc enim irrogavit legem, ut vicissim ab alternis nos tueretur injuriis. Si hic præcipit, ut inimicos diligamus, inde imperat, ut ab inimicis diligamur; si inimicos protegit nostros, ut ab ira nostra eos tueatur; nos etiam protegit, ut ab eorum furore defendat; & ex hac mutua protectione publica procedit securitas, quam Deus in Mundi conservatione requirit. Propter eam utilitatem, quæ nobis ex hoc præcepto redundat, ad illud diligentissime servandum S. Hieronymus nos adhortatur: *Ingrati animi sumus, si resistimus ei, cujus imperium beneficium est. Idem.*

In inimici persona J. C. spectare debere-mus. Cum nobis & facultas suppetit pœnas de inimico homine deposcendi, tunc dicere debemus, quod olim David militibus suis eumdem hortantibus, ut tandem de Saule insignem sumeret ultionem: *Non extendam manus meas ad eum, quia Christus Domini est*; inter sceleris ejusdem nebulas, video Deum ipsum hoc mihi prohibentem; hæc est causa, propter quam illi parco. Eheu! si qui nobis ignaviam exprobraverit, si percontatus fuerit, cur inimico parcamus, huic Christum Cruci affixum ostendentes dicamus: hæc unica ratio est concedendæ veniæ; intra, atque extra hunc hominem considero *Jesum Christum* hærentem Cruci; hic Dominus est præcipiens, ut parcam.

Scio equidem, vellemus posse Salvatoris sanguinem a cruore inimici sejungere, cuperemus licere nobis alterum ab altero dividere. Cogitatione saltem Dei jura, a jure hominis adnitimur separare, ut liberius hominem odio persequi liceat, seorsim illum tamquam separatum a Deo considerantes. Sed nos docet Evangelium hujusmodi sejunctionem fieri non posse, *Jesum Christum* proximo nostro inhærere, ideoque alterum odisse non possumus, quin & alterum eodem scelere involvamus; eadem, præter propter, ratione, qua Eucharisticæ species profanari non possunt, quin simul lædatur Corpus Dominicum, quod ibi continetur, & sub earum integumento celatur. Inimicum tuum odisse vis: at odium, & ultio in fratre tuo non subsistit; ignorare nequis, Filium Dei impune abire non pati eum, a quo læsus fuerit, & odium, quo hunc persequeris hominem ad Deum usque pervenire; ac te in hominis illius persona odisse Deum tuum. *Idem in Adventu.*

Quam violenta, & periculosa sit ultio. Ultio affectuum omnium nequissimus est, atque perniciosissimus. Illam Scriptura duabus comparat rebus, quæ in rerum natura maxime violentæ sunt, tempestatibus maris, & igni, ut duplici hac similitudine duplicem ultionis statum exhibeat. Donec est in corde, similis videtur furenti procellæ, mare perturbanti, atque fluctus omnes susque deque evertenti: hæc imago est animi ultionem meditantis; sexcentis agitur desideriis, sexcentis turbatur curis, totidemque conscientiæ stimulis dilaniatur, atque ut pœnas de inimico reposcat se ipsam crudeliter torquet: *Cor impii, quasi mare fervens.* Cum vero sese extrinsecus prodit ultio, ignis vim, impetumve obvium quodlibet depopulantem, absumentemque imitatur. Modo ex oculis erumpit, atque obtutu minas in illos intentat, in quos exarserit iracundia; modo linguam occupat, atque obtrectationibus alienam existimationem lacessit; sed ut furori cumulus accedat, eorum, quos animat, manibus arma distringit, ut inimico inferat cædem. Hæc temperat venena, hæc gladios acuit, hæc interneciones parit, singularia certamina, parricidia. O Miseram Galliam! quæ toties & testis, & theatrum fuisti violentæ hujus passionis effectuum; geris adhuc in sinu suo funesta violentiæ hujus monumenta filiorum tuorum imbuta sanguine, qui tot in præliis jugulati sunt; nec satis unquam delenda eorum lacrymis, qui supersunt hanc vastitatem deploraturi, ejusque originem damnaturi. *Idem Ibidem.*

At enim ignavum est injuriam pati, ac dimittere; cum contumelia illata toleratur, alia statim imminet contumelia; ubi vero de eadem ultio sumitur, ultionem sequitur gloria. Ita cum ratio his corrumpatur effatis, & gloriæ cupiditas se se cum vindictæ desiderio commisceat, hoc malum incurabile fit in ipsis Fidelium animis, & efficit, ut mundus quamdam Inferni exhibeat imaginem, ubi ultiones semper subsistunt, & odia æterna sunt. *Idem.*

Periculum, cui nosmet objicimus veniam procrastinantes. Ex duobus his alterum, vel enim decrevisti aliquando parcere inimicis suis, vel illis numquam illatas injurias dimittere. Numquam illis parcere, quæ insania est! quis furor! Licet tot effunderes lacrymas, quot aquæ guttæ in mari inveniuntur, licet corpus tuum ad sanguinem usque laniares, licet gravissima quæque perferres supplicia; si inimico numquam parcere decrevisti, tibi numquam parcet Deus: hoc est articulus fidei. Sin autem decreti aliquando parcere, cur non parcis hodie? Cum differs gratiam resarcire, differs in Amici loco habere illum, quem vis, ut aliquando tecum amicitiæ fœdere jungatur. Ad hæc ad illud usque tempus, quo parces, manifesto damnationis periculo temet objicis; si enim te mors inopina deprehenderit, quis tibi affirmaverit, Deum rationem habiturum propositæ, atque futuræ reconciliationis, cum liqueat, Deum secundum præsentem statum, quo te repererit, esse judicaturum. *Dictionarium Morale. Sermone altero de amore inimicorum.*

Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Quæ lex! Lex tamen qua nemo se potest exolvi. Nisi jejunaveris, causam afferre potes ex stomaci imbecillitate, ac virium infirmitate desumptam; at nisi inimico peperceris, nullam prætexere causam potes, quæ prohibeat, ne cum illo redeas in gratiam. Æquissima lex, atque plurimas ob causas diligentissime adimplenda. 1. Ob eamdem irrogantis auctoritatem; qui Deus est: quis enim impune illi parere detrectavit? 2. Ob eam partem, quam sibi vendicat Deus in ementitis inimicitiarum nostrarum causis. Inhumane quippe in eum sævimus, qui nos persequitur, sed si fidei nostræ oculos intenderimus, viderimus Deum persecutiones has permittentem, atque pro nostra utilitate immittentem. 3. Ob injustitiam, qua afficimus Deum, nobis jus illud arrogantes, quod ad ipsum tantummodo pertinet. 4. Ob injuriam, quam nobismet ipsis infligimus, inimicis exiguum dimittere debitum detrectantes, quod si dimitteremus, ea quæcumque Deo deberemus, atque jure suo ipse a nobis expetere potest debita, dimitterentur. *Idem in considerationibus de eodem argumento.*

Actum est de salute illius, qui parcere detrectat. Qui injurias dimittere detrectat, spem omnem abjicere debet veniæ peccatorum suorum, ideoque & saluti suæ, quandoquidem inutiles effici, efficacissimas etiam salutis suæ procurandæ rationes. Ipse sibimetipsi dicit anathema; nullæ preces, nulla sacramenta, nulla pro ipso amplius sunt sacrificia: remedia saluberrima eidem sunt noxia; orare non potest, quin seipsum condemnet, oratio in teterrimam illi imprecationem convertitur, non aperit os, nisi ut a Deo suam damnationem exposcat.

poscat. Quænam Oratio!.... Numquid vel inimicus, vel ipse dæmon majus illi vel inferre, vel optare malum potest, quam quod ipse sibi & optat, & infert? Nonne opus est, ut ultionis cupiditas hominem excæcet in hanc illum insaniam redactura? Hæc non est amplius passio, insania est, furor est. *P. Nepeveu, in considerationibus pro singulis anni diebus Tomo secundo.*

Auctoritas Dei præcipientis, ut parcamus.

Nihil hominis naturæ magis conforme, quam ubi læsus fuerit ulcisci velle; ideoque nihil difficilius est quam injuriam dimittere, & inimicum diligere, licet hoc nihil magis necessarium inveniatur. Deus unus hoc nobis imperare potest, & nemo nisi verus Fidelis hoc potest adimplere. Ita videmus Dominum, prout Deum loqui, cum ait Matth. 5. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros*. Vox illa Ego magnas rationes continet; innuit enim: Ego qui sum Deus vester, qui omnia vobis imperare possum; cui vos obtemperare debetis: Ego, qui mihi vindictam reservavi, quam vobis vendicare non potestis, quin jus meum usurpetis: Ego, qui quod justum est, vobis retribuam, nisi hoc vobis præripere ausi fueritis, & qui erga vos non utar misericordia, nisi hac erga fratres vestros usi fueritis: Ego, qui adeo gravia scelera vobis dimisi, neque aliud peto, nisi ut leves injurias vobismet ultro citroque dimittatis. Debitores decem mille talentorum, quæ dimisi vobis, ægre dimitteretis centum denarios fratri vestro, me postulante; Me, qui eodem tempore, qui imperio meo vobis præcipio, ut parcatis, qui ad id & exemplo meo impello, & adjuvo gratia? Me, qui vobis, si peperceritis, æternam felicitatem polliceor; si tenueritis, æternam calamitatem intento? Ullum ne adeo ferreum, ac durum est cor, quod his rationibus non molliatur? quantumvis frigidum sit, potestne omnibus his flammis minime incendi? *Idem Tomo 1.*

Injuriarum venia acceptissimum est Deo Sacrificium.

Non aliunde melius humana mens intelligere potest Dei, tamquam primæ Veritatis auctoritatem, quam cum cogitur per fidem judicium ferre omnibus præjudiciis suis oppositum, & veritates credere, quæ sibi concipi nequaquam posse videntur; nihil similiter adeo palam Dei tamquam primæ Legis imperium ostendit, quam cum hominem agere cogit contra omnia studia ipsius, & amare, quod amabile non est; immo quod odio penitus dignum videtur; hoc est inimici personam. Deus hoc dixit; sensus, & ratio repugnant; attamen credendum est. Deus hoc præcepit; animus, atque affectus omnes adversantur: attamen faciendum est. Rationis captivitas acceptissimum, perfectissimumque sacrificium est, quod homo Deo, tamquam primæ legi possit offerre. Quodvis aliud sacrificium sine hoc, illi displicet atque rejicit.... Si hoc tibi magno stat sacrificium, cogita illud offerri Deo, sed illi Deo, qui sese obtulit pro te sacrificium, quod quidem quanto illi stetit impendio? *Idem.*

Exemplum JESU CHRISTI, Hominis Dei, in Cruce morientis magis quam cætera nos debet afficere; ibi enim fulgidius ipsius nitet clementia; non enim solum inimicis parcit, & carnificibus, a quibus cruci affixus fuit; verum etiam vitam ipsam pro iis sacrificat, qui tanta sævitia hanc illi eripiunt, ita ut major sit læsi erga lædentes charitas, quam erga ipsum lædentium sit rabies. *Vide pendentem*, S. Augustinus ait, *audi precantem*. Vide Salvatorem cruci suffixum, vide illius patientiam, vide charitatem erga inimicos ipsius, vide, & hoc exemplum imitare: *Audi precantem, & tamquam de tribunali præcipientem.* Exemplum hoc sanctum excitavit Stephanum, ut adeo constanter suis parceret inimicis: quamobrem exemplum hac in re ab homine profectum liquido ostendit, quod ipsius Dei Exemplum imitari possimus. *Idem.*

Ad quid nos obliget Religio erga inimicos nostros.

Licet lex, qua inimicos amare cogimur, atque injurias dimittere jubemur, non esset adeo sancta, ac necessaria, sola tamen Religio illam ita nobis commendat, ut facere nequeamus, quin eam, quam diligentissime custodiamus. Hæc enim in omnibus hominibus quemdam nobis exhibet Divinitatis caracterem, quem omnes in fronte gerunt insculptum; quem cum nulla res in aliquo ex fratribus vestris delere possit, delere nequaquam potestis ex animo reverentiam, & amorem, quibus erga eosdem vos affici oportet. Peccatores, & justi; nobiles, & ignobiles, omnes divinitatis signo signati sunt: omnibus inusta est nota opificis sui, a quo ex nihilo educti fuere. Sunt quædam veluti animata magni hujus Regis simulacra, a quo sculpta sunt, & quæ fædare contumeliis non potestis, quin illi afferatis injuriam, ac vos iracundiæ ipsius præbeatis obnoxios. Quocumque damno, quacumque ignominia vos affecerit inimicus, gerit semper notam divinitatis, neque illum odisse licet, quin simul oderis, quidquid dignius in ipso constituit Deus. Quantumvis crudelis, & nequam sit, semper tamen inductus est hac divina similitudine, quam suus, ac vester Creator sibi contulit, quam si nescitis, profecto nescitis præcipuum vestræ Religionis officium. *P. Massillon Sermone de injuriarum venia.*

Inimicum odisse ultio est prorsus inutilis, & quæ uni tibi obest. Si quem odisti, minus potens non est; animi tui acerbitas, atque iracundia nihil statum ejus immutat; tu unus fers omne pondus odii; præterquam quod hoc odium ultio est tibi perniciosa. Te frater tuus oderat, non ideo tamen minus acceptus eras Deo. Si hanc injuriam patienter tulisses, ipse unus sceleris sui pœnas luisset; tu injuriam ipsam consecrasses, & per hoc tua conditio ipsius statum longe superasset. Sed ex quo ulciscendi mentem suscepisti, ac illum odio persequeris, tu omnem injuriæ pœnam pateris, quæ alioquin tibi quidem utilitati, fratri vero tuo detrimento cessisset. Odium denique, quo in fratrem tuum succensus es, sententia est, quam contra temetipsum profers, non enim magis Deus tibi parcet, quam tu fratri peperceris. Hanc in te protulit sententiam JESUS CHRISTUS; tu vero eam certam, ratamque facis injuriarum ulciscendarum cupiditate. *Idem.*

Quam sollicitudinem pariat ultionis cupiditas.

Nostis Saulis Historiam; ullus ne unquam Rex fuit tanta iracundia jactatus? licet Rex esset, quis unquam meliorem nactus est occasionem dies suos in summa rerum tranquillitate ducendi? Ad thronum evectus, cum a subditis amaretur, a finitimis Regibus metueretur, cum illi Dominus opem ferret, & Samuel sapientissimis consiliis opitularetur, quid unquam optandum erat? quid ultra petendum ut tranquillitate summa perfrueretur? Ille tamen de David ultionem sumere cupit; & hæc una ultionis cupiditas eum mortalium omnium infelicissimum efficit. Hinc odium illud, quo laniatur, hinc furiæ, quibus torquetur, hinc insignes, apertæque ultiones, quæ totius Israel odium, invidiamque in ipsum conflarunt; hinc tristes illæ sollicitudines, atque insani furores. Nemini credit, ita ut de se ipso etiam ferme diffidat; sexcentas cogitationes animo fovet, vita quoque ipsi gravis est, ita ut odium ne unum quidem momentum relinquat, quo Regni tui gloriosa voluptate fruatur. Felix vixisset, si sine odio vixisset: ultionis cupiditas illum reddidit infelicissimum. *Idem Pater Massillon.*

Tuam ipsam conscientiam appello, cum odisti inimicum, ac de illo pœnas reposcere decrevisti: nonne illud odium gravissimum pondus est cordi tuo, quo impeditur, agitatur, plurimisque curis distrahitur? Hæc ultionis libido nonne secretum est animæ virus, quod voluptates omnes amaritudine inficit, quod inter ipsa solatia tristem, inquietum, amicis importunum, ac tibi metipsi gravem reddit, efficitque, ut in re quacumque tibi passionis tuæ objectum occurrat? Si ultionis deposcendæ consilium iniisti, quot tibi præcavenda sunt? quot curæ animo versandæ antequam illud exequaris? quæ sollicitudo, ut exequendi opportunum temporis spatium nanciscaris? quæ artes, ut injustitiam tuam celes? quis labor, ne inimicus, vel qui eidem favent,

faveat, fraudes tuas, & illos, quos struis, laqueos, intelligant? O Deus! licet lege lata non præcepisses, ut inimicos diligeremus, nonne hanc nobismetipsis legem irrogare debuissemus? *Idem*.

Davidis virtus, & fortitudo inter omnes Reges Israel maxime enituit: Leones discerpti, Gigantes victi, Reges profligati, debellatique minorem triumphorum ipsius partem constituebant; omnia gloriæ illius inserviebant; & si Victor aliquis inimicum persequi, atque acceptas ab eodem injurias debuisset ulcisci; huic proculdubio hoc fuisset efficiendum. Ubi vero Saul illius manus decidit; hic non est amplius invictus ille Palestinæ domitor, gentiumque terror, sed agnus, lenitate sua inimicum deliniens, ac mulcens; atque David lenis, & patiens majores sibi benedictiones, laudesque promeretur, quam David fortis, atque terribilis; & Princeps, qui leniter fert injurias sibi ab inimico illatas, gloriosior est quam inter Filiarum Israel lætum peana, festivasque acclamationes. *Idem*.

Acceptam injuriam semper cogitatio nobis majorem exhibet.

Ille, a quo te læsum putas, id ne scit quidem, neque cogitavit unquam. Te judicem facis eorum, quæ in animo suo tantum versantur; verba ipsa innocua, & simplices actiones in sequiorem partem a te detorquentur, illis virus adspergis, atque tetros adeo colores, mentemque adeo improbam allinis, ut, qui te audit conquerentem, putet, hominem illum in id unum incumbere, ut te afficiat incommodo. *P. Cheminais. Sermone de injuriarum venia*.

Quodcumque lethale peccatum debitum est mille talentorum, ut Evangelicis utar vocabulis, cui solvendo cum minime pares simus, æternis possumus adjudicari suppliciis. Deus misericors, & clemens hæc toties nobis dimisit debita, quoties eumdem rogavimus: Quæso autem, æquumne est ut severi simus exactores adversus fratres nostros cum in nobis Deus adeo liberalis extiterit? Centum denarii, quos aliquis ex fratribus nobis debet, potestne comparari cum tanta myriadum copia, quam potenti huic Creditori debemus? Injuriæ, quibus nos frater affecit, nostras in Deum injurias exæquat? Illius ingratitudo aliquidne cum nostra similitudinis habet? Me contumelia affecit: esto: me flocci fecit: non abnuo: mihi plurimum debebat propter egregiam, quam toties ipsi operam præstiti; oblitus est; plurimis a me cumulatus fuit beneficiis; ingratus est; mihi debet, quidquid habet, substantiam, honorem, vitam: hoc multum quidem est; verum quantulum illud est si cum præclaris, innumerisque beneficiis comparetur, quæ in te Creatoris largitas contulit? Quomodo fratrem condemnare audeamus, Dei judicio quærentes absolvi? Quomodo in animo nostro fovebimus odium contra illius imaginem, cujus amicitiam inquirimus? A Deo petimus ut immensam debitorum vim nobis dimittat; & pro tantula re nosmet rigidos adeo exactores præbebimus? *P. Duneau Sermone pro 21. Dominica post Pentecosten*.

Pauci sibi acceptam referunt illatæ contumeliæ causam.

Nonnullorum agendi ratio evitanda est, qui acceptam ob injuriam conqueruntur, sed minime dolent, quod per imprudentiam eamdem sibi conflarunt; qui nequitiam eorum, qui sibi officiunt, redarguunt, sed numquam eam rationem insimulant, qua eamdem sibi promeriti sunt; qui succensent, si quid accidit, quod sibi displiceat, sed qui numquam id acceptum referunt incuriæ suæ, qua illi vel occurrerunt; vel eamdem a se deflectere conati non sunt. Non ideo credendum est, eos, qui virtutibus præditi sunt, insensibiles esse, tamquam veteres Stoicos; donec virtus nosmet invulnerabiles non præbuerit, non obsistet, quominus aliquem dolorem testemur; sed aliud est, animum suum gemitu secreto levare, aliud inire consilia ulciscendæ injuriæ, quam nobis illatam fuisse dolemus. *Liber cui titulus, la Conduite du Sage*.

Nequicquam aliis irrogamus leges, si has ipsi adimplere negligamus, & fere semper in Christiana Morum disciplina id accidit, quod in Politica, leges, quæ bono auctorum suorum exemplo non confirmantur, in populo querelas tantum, obmurmurationes, ac seditiones excitare. Sed ubi mandatum aliquod exemplo regitur, & præmio, omnia consentiunt ad illius faciliorem observantiam adstruendam, & nemo illud jure potest detrectare. Hoc ipsum præstitit Dei Filius, ubi nobis præcepit, ut inimicos diligeremus. Primum quidem legem tulit Matth. 5. *Diligite inimicos vestros*, quæ quidem adeo absoluta, atque universalis est, ut amor proprius nullam prætexere causam possit, ne illam observet; sed primus etiam legi adjecit exemplum pro nequissimis peccatoribus moriens, orans pro illis, a quibus cruci fuerat affixus, precesque pro tortoribus suis ad Patrem effundens. *Auctor Sermonum Christianorum, sermone pro 21. post Pentecosten Dominica*.

Præceptū diligendi inimicos & veteris & novæ, Legis est.

Præceptum de inimicis diligendis, nullo illis inferendo malo, omnibus, etiam procurandis in eorum gratiam bonis olim jam in veteri Lege irrogatum fuerat: quandoquidem prohibet Deus per Zachariam, ne quis recogitet corde injuriam, qua a fratre fuerit affectus: *Malum vir fratri suo non cogitet in corde suo*. In Levitico etiam edicto cautum est, ne quis injuriarum a concivibus suis sibi illatarum ultionem persequatur, imo ne earum meminerit, & Proximum oderit: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo; non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*. Per Os Sapientis vetat, ne quis ex inimici interitu, vel excidio lætetur: *Cum occiderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus non exaltetur cor tuum*, & alio in loco præcipit, ut si inimicus fame, vel siti laboraverit, illi esca, & potus præbeatur: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, & si sitierit, da illi bibere....* At in Lege nova majorem huic præcepto contulit latitudinem, voluitque, ut longe perfectius observaretur. Ut enim in terris nemo sit, qui hujus amoris sit expers, præcipit, ut homines sese mutua prosequantur charitate, quæcumque in ipsis qualitas consideretur; quin amicorum conditio inimicorum qualitati præpolleat; namque pro utrisque mortem æque subiit. *Idem*.

Judæi ex gregibus eas victimas Deo immolabant, quæ iram, atque ultionem significabant, quam interim animo fovebant; hodie vero hujusmodi figuræ, atque victimæ nullæ sunt; sed præcipit Deus, ut in cordibus nostris eos jugulemus affectus, qui ab illis significabantur. Diligite inimicos vestros. Præcepti hujus complementum adeo est ad salutem necessarium, ut Deus non sine misericordiæ excessu intermitti velit cultum, quem quis ad aras sibi offerre inchoaverit, ut abeat gratiam prius cum inimico reconciliaturus. Quod procul dubio innuit, acceptissimum, quod ipsi offerri possit sacrificium, esse ultionis affectum. *Idem*.

Justa defensio, ab injusta ultione distinguenda est.

At enim docet natura, ne ab aliis nos opprimi, atque conculcari patiamur, neque sinamus, aliquem impune nobis quodcumque detrimentum afferre, quo dolorem nostrum testemur. Hoc nobis jus est, ad quod nati sumus, & quod abdicare non possumus: bruta etiam animantia, natura duce, ea ferre non possunt, adversus quæ antipathia quadam rapiuntur, quin irruant in illa, ut unguibus, dentibusque dilanient. Aliquid simile occurrit, cum nobis obvius fit inimicus: statim enim ac oculis accidit nostris, excitatur iracundia, biles incalescit, sanguis fervet & ultionem tantummodo anhelamus. Hæc futilis, ac nefaria argumentatio ex ea tantum proficisci mente potest, quam excæcavit ira Justam defensionem cum injusta vindicta confundens. In defensione justa nihil damnandum est; vis vi propulsari potest, idque nos docet natura; sed acceptæ injuriæ ultionem persequi nequaquam decet. Licet quidem tibi prohibere, ne quis te lædat; at prohibet divina lex, ne læsus ultionem perquiras. Judicum, ac Magistratuum a Deo institutorum est, illis, qui læsi fuere, jus dicere. *Cardinalis Bellarminus*

minus in Opuſculo de ſeptem verbis Jeſu Chriſti in Cruce.

JESU CHRISTI hac in re exemplum potentius eſt rationibus omnibus, quæ poſſint afferri. Propheta ait, ipſum os ſuum non aperuiſſe ut conquereretur, tamquam Agnum, qui coram tondente obmuteſcit; & S. Petrus addit illum nequaquam reſpondiſſe contumeliis, quibus afficiebatur; neque minas intentaſſe illis, qui eum conviciabantur, ſed ſeſe tradidiſſe poteſtati, ac ſubjeciſſe ſententiæ Judicis, a quo adeo injuſte damnabatur. Sed tum patientiæ ſuæ cumulum adjecit; cum in cruce infirmus, omnibuſque viribus exhauſtus propter totius ſanguinis effuſionem, tanta licet eſſet imbecillitas ſua, ſumma tamen vi exclamavit, non ultionem contra inimicos ſuos, & carnificum ſævitiam expetiturus, ſed pro illis veniam deprecaturus, atque crimen illud excuſaturus, quod adeo inexcuſabile videbatur. *P. Nepveu libro de Chriſtiana Religionis Spiritu Tract. 5. cap. 3.*

Vis, quam in nos Dei mandatum habere debet parcendo nos obliget.

Ego ſum, Dei Filius ait, Ego ſum, qui loquor vobis: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros;* Ego id vobis præcipio, ut inimicos veſtros diligatis. Si quis mortalium hoc vobis præſcriberet, objicere eidem poſſetis injuriæ magnitudinem, & iracundiæ veſtræ æquitatem. Si quis a vobis in honore habitus hoc diceret, eidem forſitan redderetis vos aliis in rebus ipſi obtemperaturos, at in hac nimio dolore affectos vos eſſe. Si Princeps, aut Rex hoc juberet, ultionem forſitan differretis, & aliqua etiam extrinſecus præberetis levia reconciliatæ gratiæ documenta, cum interim occultam animo foveretis ſimultatem, ſerius, ocyus ſeſe prodituram. At Deus vobis loquitur; Deus jubet: *Diligite inimicos veſtros, & benefacite iis, qui oderunt vos.* Tam manifeſto mandato quid habetis, quod reſpondeatis? *Ad rationem obſequii prior eſt majeſtas imperantis*, Tertullianus ait. Ex omnibus illis rationibus quibus parere cogimur, princeps illa eſt, majeſtas videlicet, ac infinita dignitas jubentis. Affectus igitur tacete, humanæ rationes, ultionis libido, injuriæ atrocitas, indignitas inimici tacete; Deus loquitur; huic obſequi neceſſe eſt. *Joly. Propoſitione pro 21. poſt Pentecoſten Dominica.*

Ne dixeris: Hoc diligendorum inimicorum præceptum eſt difficile. Numquid minus erat difficile Davidi, vel Stephano? Difficile quidem eſt: ſed illud irrogat Deus, difficile eſt, ſed una ejus voluntas omnes has auferre debet difficultates. Si in violenta Fidei perſecutione, ut olim ex tot Martyribus, ex te vitam tuam expeteret, ſi omnem ſanguinis tui effuſionem depoſceret; nonne illum hilariter, ac libenter offerre deberes? Præcipit autem, ut inimicum diligas, eique parcas: hoc ſatis eſt, ut mandatum illius adimplere tenearis. *Idem.*

Inimico venia danda antequam nobis ſatisfecerit.

Tandem aliquando agnoſcendus, & evellendus eſt perniciofus æque, ac vulgatus error, foveri poſſe odium adverſus inimicum, donec nobis non ſatisfecerit, vel oſtendere a nobis ſatis æquis oculis videri non poſſe, donec ea non præſtiterit, per quæ nobiſcum in gratiam redire mereatur. Præceptum quo inimicos amare jubemus novum eſt, & ab ipſo JESU CHRISTO nobis irrogatum: *Mandatum novum, Mandatum meum.* Si præcedentem ſupponeret ſatisfactionem inimici, hoc neque mandatum novum eſſet, neque mandatum, quod Salvator primus tuliſſet; hæc enim lex eſt, quam nos natura docuit, humanitas nobis præſcripſit, & cui Ethnici quoque ipſi ultro paruere. Oportet igitur, mandatum Filii Dei, ut aliquam novitatis gratiam obtineat, peculiares aliquot habere circumſtantias, quæ in aliis præceptis numquam extitere; hæc autem peculiaris circumſtantia eſt, ut eos diligamus, qui oderunt nos, & quin reparare velint injurias, quas intulere, pertinaciter nos perſequuntur. *Idem.*

Quotidiana docemur experientia, gratiam plerumque per hypocriſim, ac diſſimulationem reſarciri. Ultio differtur, ulciſcendi opportunitas expectatur, inimicitia, atque odium diſſimulatur, aliquot extrinſecus amicitiæ, & benevolentiæ ſigna tribuuntur; ſed intus rodit invidia, fervet iracundia, & ſæpe Dei honor ultionis cauſa prætexitur, ut injuriam nobis illatam perſequamur. Biblia hujuſmodi amicitiis, politiciſque reconciliationibus plena ſunt. *Idem.*

Deus in inimicis conſiderandus.

Fides, quæ efficit, ut JESUM CHRISTUM in Chriſtianis omnibus inveniamus, efficere debet, ut eumdem etiam in inimicis noſtris agnoſcamus, delentem, quidquid ibi grave eſt, divinitatis ſpeciem afferentem iis omnibus, quæ humana ſunt, ac ita perſonam eorum penetrantem, ut illos nulla ex parte aggredi valeamus, quin nobis occurrat Deus prohibens, & clamans. *Diligite inimicos veſtros. Fromentieres Sermone pro ſexta feria Cinerum.*

Inter ea omnia, quæ nobis præcipit Evangelium, nihil ſanctius, nihil ſublimius eſt, quam quod amorem inimicorum, & injuriarum veniam reſpicit. Hoc non natura, non ratio, non conſuetudo, non mundi ſapientia; ſed ſola Chriſtiana Religio nos docuit. Hoc præceptum prorſus divinum eſt, hæc lex eſt a ſuprema Dei auctoritate, non aliunde profecta, & non niſi ſupernaturalis gratiæ ſubſidio obſervanda. *Diligite inimicos veſtros.* Hæc eſt Evangelii diſciplina; non conſilium tantummodo, ſed præceptum, quod Dominus, ac Magiſter noſter ore proprio promulgavit, vere dignum illo, qui in Bibliis Princeps Pacis nuncupatur; præceptum utique par illi, quam profitemur, religioni; præceptum, quo nemo ſolvi poteſt, quippe quod in amore poſitum eſt, neque cor ullum amando impar eſt; præceptum naturæ quidem difficile, gratiæ vero virtuti facillimum. *De la Volpilliere ſermone de amore inimicorum.*

Dei ſapientia in hoc mandato refulget.

Admirabilem Dei Sapientiam, quæ in Mundi regimine, Eccleſiæque ſuæ inſtitutione artem invenit omnes ſimul animos conjungendi, atque alios ab aliis tuendi inter inimicitias, quæ inter ipſos ſuboriuntur, atque inter injurias, quas ſibi ultro, citroque inferunt in ea ſocietate, in qua indeſinenter verſantur! Æquiſſimam Providentiam, quæ hac lege charitatis Fideles omnes ita arcte conjunctos tenet, ut illos invictos omnibus Infernorum conatibus, atque de omnibus terræ poteſtatibus victores efficiat. *Idem.*

Cum amicos noſtros diligimus, magnas in illis nanciſcimur illecebras, quæ noſtrum amorem alliciunt: nos amant, nobis gratificantur, ſecretas quaſdam, atque ut ita dicam, magneticas vires habent, quæ corda noſtra pertrahunt, nodoſque occultos, quibus nos nectunt; ſed cum inimicos amamus, nihil in illis deprehendimus, quod noſtram ſollicitet charitatem; immo defectus tantum occurrunt, qui contemptum merentur, inimicitias fovent, odium excitant; contumelias nobis inferunt, quæ nos provocant ad iracundiam, ita ut vim naturæ ipſi faciamus, cum imperamus cordi eorum dilectionem. Non eſt ergo ambigendum, quominus noſter amor ſupernaturalis ſit, atque divinus. *Idem.*

Rationes propter quas Dei Filius hoc ſuum mandatum appellat.

Dei Filius præceptum hoc ſuum adpellat: *Hoc eſt præceptum meum*, ſeu quod ipſe unus juridice legem hanc præſcribere poſſit per imperium, quod obtinet in corda noſtra, & poteſtatem, quam habet amorem ibi quidem accendendi, odium vero extinguendi; ſeu quod cum venerit hominibus pacem allaturus, eoſque cum Deo in gratiam revocaturus, ipſius cum jus eſt pacem inter homines conſtituere, atque illos invicem reconciliare; ſeu demum, quod hæc una Lex eſt, quam ipſe in terris promulgaverit. Non enim liquet ex Evangelio ipſum aliam tuliſſe legem: ubique enim alibi monita, & conſilia ſuggerit; iſtic vero præceptum facit, legem inſtituit, tamquam Dominus loquitur, & tamquam Legiſlator mentem ſuam aperit. *Idem de la Volpilliere.*

Ut hæc

Ut hæc charitatis lex facilior adhuc videatur: cum præcipit Deus, ut inimicos vestros diligatis, atque oretis pro iis, qui vos persequuntur, nequaquam jubet, vos eadem benevolentia illos complecti, qua amicos prosequimini, neque omnia illis officia præstare, quæ benefactoribus vestris, neque jubet depositis odiis, & iracundia, omnia etiam deponi jura: permittit enim, ut legitimis rationibus læsæ existimationis vestræ reparationem persequamini, & bona injuste rapta repetatis: at prohibet hoc vel inimicitiæ affectu, vel vindictæ libidine fieri. Patitur, ut ad judices auctoritatis suæ ministros confugiatis obicem alienæ impotentiæ oppositurі; sed prohibet, ne hostilitatis vel ultionis actum suscipiatis, veritus, ne passio, quæ ut plurimum in excessum ruit efficiat, ut omnes rationis cancellos, omnesque leges æquitatis contemnatis. *Idem*.

Difficultas parcendi inimicis, eo modo quo jubet Evangelium.

Christiana reconciliatio longe plures complectitur difficultates, quam simplex venia injuriarum. Non parcitur Christiani more, quomodo parcitur more Ethnicorum. Cum Ethnicorum more venia conceditur, neque in omne tempus, neque omnibus in circumstantiis conceditur, parcitur, cum ita despectus est inimicus, ut neque iracundiam nostram mereri ducatur; parcitur, cum ipsa fortuna curam ultionis persequendæ sumpsisse videtur, nobisque libidinem abstulit officiendi illi, quem jam satis superque suis infortuniis afflixit; parcitur, cum eum fortunæ gradum attigimus, unde pudet descendere, ut obscuram, ignobilemque ultionem quæramus, in qua non nisi humili, atque contemptibili cruore manus fœdari possunt; parcitur, cum inimicus jam victus, nostramque clementiam implorans, neque facultatem nocendi habet, neque voluntatem; sed inimico potenti, ac felici; inimico feroci, superbo, atque armato non parcitur. Aliter consuevit Fidelis: Fidelis in omne tempus, omnibus in circumstantiis, omnibus æque personis indiscriminatim, seu nobilibus, sive ignobilibus, inferioribus, paribus, subjectis, rebellibus debet parcere; præcipit enim Deus ut omnibus æque parcat. Præterea aliquid adhuc accedit. Cum Ethnicorum more parcimus, dimidiata solum venia conceditur; parcimus enim injuriam vel oblivioni mandantes vel contemnentes, vel erga inimicum frigiditatem quamdam servantes: non ita vero parcit Christianus; reconciliationis præceptum neque oblivionem meram, neque contemptum, neque frigiditatem permittit. Amandum est, ut ante; ubi opus adsit, opem ferre decet, ut ante; sese mutuo videre, & colloqui secum ut ante. *P. Aurelianensis serm. de inimicitiis, & reconciliatione.*

Quid sibi velit perfecta reconciliatio.

Jampridem hunc errorem de mortalium mentibus auferre, conantur Oratores, non peccari videlicet contra reconciliationis præceptum, ubi nemini scandalum inferatur, servata extrinsecus societatis specie, intus retinetur fomes iracundiæ, qui sese qualibet occasione prodat: vel cum ad servandum charitatis præceptum depositis intrinsecus omnibus vindictæ desideriis, extrinseca societatis officia mutuo præstare detrectamus. Errorem inquam: non enim servatur reconciliationis præceptum, nisi injuria dimittatur ex animo; nisi ad litteram præceptum charitatis expleatur: non expletur autem, nisi sincere, & ex animo diligamus; & ut omnia verbo complectar, nisi tamquam nosmetipsos amemus. *Idem*.

Suprema Legislatoris hujus auctoritas, atque absolutum Numinis imperium cui, & esse, & vivere debemus, nos adigunt, ut cum reverentia præceptum ejus audiamus; numquid enim possumus eidem respondere id, quod est apud Ecclesiasten c. 8. *Sermo illius potestate plenus est, nec dicere quisquam potest, quare ita facis?* Silete sensus injusti, ultiones, iræ, indignationes; Deus enim loquitur: Soph. 1. *Silete a facie Domini*. Verbum illius tempestates frænat, fluctuum impotentiam infringit, non poterit autem odiorum vestrorum metus, furoresque iræ vestræ comprimere? *P. Texier serm. pro fer. 6. Cinerum.*

Quid in nobis J. C. exemplum debeat efficere.

JESU-CHRISTI exemplum intuitus S. Stephanus genu flectit pro iis, a quibus lapidibus petebatur deprecaturus, S. Sabinus Spoleti Episc. cruenta adhuc brachia ad Cœlum attollit veniam carnifici, a quo manus sibi præcisæ fuerant, impetraturus; & ut verbo me expediam, martyres omnes tot ora, quot vulnera, aperuere pro persecutorum suorum salute preces effusuri. Nos vero cum Magistri ejusdem simus discipuli, & Crucifixum æque ac illi adoremus æterna fovere possumus odia, atque ultra sepulcrum, & cineres nostras proferre inimicitias? Fieri ne posset, JESUM CHRISTUM morientem flectere potuisse Patris sui justitiam, eumque compellere, ut Deicidis parceret, clamando, *Pater ignosce illis*; eumdem vero de Crucis ara ad nos eadem dirigentem verba: *Fili ignosce illis*, animorum nostrorum duritiem superare, & quod cupit, obtinere non posse? Si modo quadam novitate miraculi Crucifixus hic Dominus loqueretur, iisque omnibus, qui odii sensum animo fovent, diceret, obtestor vos per illius amorem, cujus ego simulacrum sum, ut hæc odia deseratis, atque inimicis vestris parcatis, quinam esset, adeo ferreo, & obdurato corde, qui miraculo non afficeretur, & ex animo non parceret? O vos miseros! Vos imago moveret, & JESU CHRISTI ejusdem verba non movent? *Idem*.

Injuriarum oblivio, & amor inimicorum adeo nobilis virtus est, ut non nisi Dei ipsius os illam homines posset edocere; opus erat, ut illi divini exempli auctoritas accederet, ac ipse JESUS eamdem exercens moveretur, ut illius amorem, atque existimationem infunderet. Illa autem adeo nobilis est, & adeo difficilis; ut Ethnici, qui ejusdem pulchritudinem admirati sunt, ejus difficultatem extimuerint, neque intelligere potuerint, quomodo divina lex ex humana imbecillitate hanc debuerit exigere. Ita hic extremus est charitatis conatus, cumulus perfectionis, & christianæ disciplinæ complementum; *Culmen est bonitatis, pietatis fastigium, & divinæ Philosophiæ documentum*, S. Chrysologus inquit. *Pater Senault in S. Andreæ Panegyrico.*

In ultionem natura proni sumus; illuc tanta pernicitate rapimur, ut sæpe nobis auferat rationis sequendæ, vel etiam consulendæ facultatem. Hinc fit ubi hujusmodi occasiones adsint, non Dei solum, sed & nostri obliviscamur; & ad ultionem sine metu, sine armis, ac nihil nobismetipsis præcaventes curramus. Quam nobismetipsis vim inferamus oportet, ut huic naturæ vi resistamus?... Ad hæc ægre iracundiam dissimulamus, ubi vel utilitas, vel ambitio, vel majoris mali metus videntur exposcere: ac vehementes exerendi conatus sunt, ne vel factis, vel dictis noster sese prodat affectus. Quæcumque adhibeatur cura, ut cordi serenitas redeat, quodcumque post acceptam injuriam temporis spatium effluxerit; solus adspectus illius a quo læsi fuimus, vel simplex injuriæ memoria nonnumquam momento rationis, temporisque opus evertit, & rursus naturam excitat, quæ jam credebatur extincta. Vel invitis nobis sanguinem incalescere deprehendimus; conturbantur oculi, faciei color immutatur, artus omnes contremiscunt, mens ipsa confunditur, ac sui ipsius compos non est. *Pater de la Colombiere, in Meditationibus suis de Passione.*

Mala quæ ultio in animo gignit.

Eo tempore, quo injuria afficimur, vel cum acceptæ injuriæ memoria adhuc est recens, non satis exprimi possunt ii motus, qui seu in anima, seu in corpore a natura excitantur. Ego quidem videre mihi videor mare, in quo furentes debacchantur Austri, & quod sævæ tempestatis vi sexcentis modis susque deque miscetur: modo ad cœlum usque attollitur ac mox in abyssum dehiscit; modo in littus tanto impellitur impetu, ut uno tantum fluctu continentem omnem absorbere videatur; mox tanta pernicitate recedit, ut alveum imum-

immutare, vel in Inferno submergi velle credatur; non aliud vides, quam præruptos aquæ montes, nubibus ipsis minitantes, sese invicem confringentes, atque terribili fragore sese collidentes. *Idem*.

Religiosi homines iracundiam suam tegere adnituntur zeli, vel justitiæ colorem prætexentes, sed paucissimi sunt, qui illam conentur extinguere. Improbi insignem ultionem palam deposcere non verentur; qui se pie vivere profitentur, occulte ultionem suam persequuntur, quin ne illi ipsi eamdem agnoscant; illi armis, ac vi passim utuntur, ut suum jus experant; hi silentio nonnumquam, & quadam modestiæ specie ulciscuntur. Illi denique, qui per se ultionem persequi minime possunt, per alios nonnumquam ultionem sumere quærunt; si viderint, illum, qui ipsis officere conabatur in eos, quos alteri parabat, laqueos cecidisse, lætantur; si illius vitam ab honestis viris improbari audierint, gestiunt; si quid adversi eidem acciderint, gaudent. Id profecto non aliud est, quam verissimam ultionem exercere.

Charitas amicos, simul & inimicos complectitur.

Jure profecto S. Augustinus asseruit, novum hunc amorem, quem Dei Filius in terras tulit, novam dedisse hominum cordibus latitudinem. *Latitudinem charitas facit*. Cor hoc antea erat coarctatum, angustisque finibus circumscriptum: Deus ibi exiguum obtinebat locum, Proximus fere nullum, & Inimici nullum omnino; vel siquis pro illis patebat locus, hunc odium sane, atque vindicta occupaverat; verum tandem sacer ille ignis, quem ut accenderet, in terras JESUS CHRISTUS descendit, cor ipsum de ipsius angustiis eripuit, atque in eam latitudinem redegit, quæ & Deum, & amicos, & inimicos recipere posset. *In Collectione Abbatis de Breteville*.

Ratio nobis suadet ultionem; sed Filius Dei rationem hanc reformat; exemplum suum opponens exemplo Mundi. Si ullum sequendum exemplum est, patet profecto Dei potius quam hominum exemplum amplecti oportere. JESUS CHRISTUS sævissimis pepercit inimicis, eisque atrocissimas dimisit injurias, & qui internecino illum odio persequebantur, amavit. Humana ratio, non ultra tibi aures accommodo! non aliud mihi quod sequar exemplum est, quam Dei. Docet Mundus ulciscendum esse, oppositum Deus docet: præceptum illud a Mundi sectatoribus servatur, sed a JESU CHRISTO damnatur, uter eorum rationis nostræ suffragium mereatur, exemplum ne Filii Dei, an Mundi exemplum? *Idem*.

Præcepti hujus difficultas.

Ex omnibus Dei mandatis nullum mea quidem sententia hoc difficilius est, quo inimicum diligere, & injuriam dimittere jubemur. Nihil vel in natura, vel in humana ratione, vel in Mundi prudentia invenitur, quod persuadere possit tamquam nosmet ipsos diligendum esse inimicum, qui nos internecino persequitur odio; ac multo minus occurrit aliquid, unde mandati ejusdem praxi facilitas aliqua accedat. Natura docet vim vi repellere, non autem injuriæ acceptæ oblivisci; experientia, ratio, prudentia, politica, humani respectus nequaquam estis impenetrabile scutum telis irritati furoris: vobis nullum satis validum suppetit argumentum, quo animum adversus iræ, atque ultionis aggressiones regatis, ac roboretis. Sæculi prudentia docet, injuriam tunc dissimulandam, cum ultioni reposcendæ interclusus est aditus; minime vero parcendum. Docet utilitas, compescendam esse vindictæ libidinem, ubi hoc rei nostræ, atque existimationi profuturum speramus; at quid sit injuriam pati, atque inde virtutis occasionem nancisci; hoc prorsus ignorat. Demum ratio docet, suspiciosum esse non debere, neque levem ob causam succensere; sed iracundiam coercere, illum a quo injuria affeceris, diligere; pro malo bonum eidem reddere, hoc omnes illius vires, hoc omnia longe naturalia lumina excedit: ut enim te in hujusmodi occasionibus vincas, id perferendum est, quod in natura magis est molestum, atque difficile. *Pater Novet in Meditationibus suis*.

Si rationes omnes, quas hucusque attulimus, nondum satis validæ sunt ut vos commoveant, Calvarium ascendite, ibique Salvatorem vestrum in agone positum contemplemini, magnos clamores emittentem, ut veniam peccatorum vestrorum ex Patre deposcat atque in Cruce permanentem, ibique vos obtestantem, ut fratri vestro ignoscatis? Mitissimam ejus vocem audite. *Pater dimitte illis*; hoc abs te peto ego læsus. O Divinæ charitatis magnitudinem! O humanæ crudelitatis portentum! Deus ignoscit, homo vero ulcisci desiderat! Deus misericordiam efflagitat; Homo illam negat! O cor rupibus ipsis durius non audis hanc vocem de Christi tui vulneribus exeuntem? Ad te illa mittitur, abs te petit, ut misereatis: Ignosce, inquit Salvator moriens, ignosce fratri tuo, mihi hanc injuriam largire, vel si tibi certa voluntas est ultionem sumendi, ex me illam sume, has manus propter amorem tuum perforatas percute; hos clavos tunde, hos hiatus dilata &c. *Idem*.

Zeli species nonnumquam fingitur.

At enim propter justitiæ, divinæque gloriæ zelum non parcis; at vereor ne zelus hic sit fallax, neque secundum scientiam; sed arrogantiam tuam veram esse, charitatem inanem, atque fucatam, animi amaritudinem realem, ac te sequi indignationis tuæ motum, non æquitatis consilium, & in oculum fratris tui paleas altius intrudere, non inde auferre. Deus nullam tibi missionem dedit, ut causam suam susciperes, ac illatas ipsi contumelias persequereris; nihilque petit abs te, nisi ut miseratione ac benevolentia utaris, ut eum, qui per summam infelicitatem ab officio recesserat, ad illud pro viribus revoces. *Abbas Trappensis in Collationibus*.

Singula J. C. verba pro inimicis prolata in Cruce ponderanda sunt.

Ponderemus singula verba, quæ Cruci affixus Salvator pro inimicis protulit. *Pater*. Illum Patrem vocat, non Deum, non Dominum; hac enim in occasione Patris indiget bonitate, non Judicis severitate. *Ignosce*: quasi diceret, ego qui filius tuus sum, ignosco, licet singulis artubus ingentes dolores patiar; tu quoque illis ignosce. *Illis*; qui videlicet adeo injuste, adeoque crudeliter sævierunt in me. Pilato, qui contra quod ipse sentiebat, me tamen morti adjudicavit; Principibus Sacerdotum, qui per odium, & invidiam me illius manus tradidere; carnificibus, qui me cruci confixere; toti populo, qui mortem meam depoposcit; omnibus hominibus, qui ejusdem causa fuerunt. *Non enim sciunt, quid faciunt*. Eorum scelus excusare vult, ideoque eorum causatur ignorantiam. O admirabilem JESU CHRISTI charitatem, quæ omnem sensum exsuperat, inquit Apostolus! huic uni vacare, ut illis procuret bona, a quibus æqua, iniqua, fanda, infandaque omnia passus est, atque tunc vacare, cum majoribus & suppliciis, & contumeliis afficitur; hæc sane charitas est æque fortis ac mors; charitas est omnia sustinens, & quam omnes tribulationis aquæ nequeunt extinguere. *Neotericus Auctor in Homiliis de Passione*.

Deus est, qui præcipit, sed Deus, cui debitores sumus. Dicit Evangelium, Servum quemdam Regi suo decem mille talenta debuisse, ipsi vero conservum centum tantummodo denariis fuisse obæratum. Quantula summa est centum denarii, si cum decem talentorum millibus comparetur? Hac utitur similitudine Dei Filius, ut intelligamus, id quod fratres nobis debent, nihil esse, ubi cum iis, quæ debemus Deo, conferatur. Deus tamen dummodo centum denarios dimittamus, nobis decem talentorum millia remittit, & abnuimus! Deus nobis peccata dimittit, dummodo fratribus ignoscamus, & conditionem hanc respuimus! Nimis dura videtur, malumus a Deo non ignosci, & in manus ejus decidere, ne ignoscamus. Hæc est Evangelici servi, & eorum, quorum sævitia manifesta est, injustitia. *Lambert Homil. 12. 21. post Pentec. Domin.*

Illi

Explicatio Parabolæ de Servo nequam.

Illi minime parcunt, quibus vis facienda est, ut inimicos videre compellantur, vel qui, cum ignoscunt, eas afferunt restrictiones, quæ satis arguunt cor eorum esse exulceratum. At enim dicet aliquis, mihi inimicus illudet; verum si peperceris, boni viri laudabunt; & nisi id feceris, Dei Filius iis te mancipabit suppliciis, quæ multo difficilius erunt perferenda, quam flagitiosi, irreligiosique hominis probra. At ille nimis gravi me affecit injuria; sed nonne tu graviorem attulisti Domino præcipienti ut ignosceres? Ego vero jam pluries peperci; at oblitus ne es, quid D. Petro JESUS responderit: Amen dico tibi non usque septies, sed usque septuagies septies? At ego lacessitus fui; nemo hominum est, qui eamdem prætexere causam nequeat; hoc idem loquitur inimicus tuus; qui nonne & ipse causam sibi meliorem esse, quam tibi gloriatur? Cur non convenies fratrem tuum illum JESU CHRISTO lucraturus, omnia semoturus scandala, quæ ut plurimum inimicitias consequuntur, ac tot, tantaque flagitia, quæ tibi tua exprobrat conscientia, expiaturus? Vereris quippe ne nimis JESU CHRISTO præstes, qui pro te tot, tantæque protulit? Si Christianus es, inimicum prævertere, ne præstoleris donec ipse veniat ad te; ad illum perge, ei salutem dic, illum amplectere. *Idem*.

Perpenditur venia a J. C. inimicis in Cruce concessa.

Si spectator fuisses miserrimæ necis, quæ in Calvariæ vertice patrata fuit, videns Dei Filium affixum cruci, capite spinis coronato, pedibus, manibusque clavis perforatis, corpore flagellis dilaniato, ulceribus referto, & sanguinem diffluente, coram carnificibus doloribus, atque contumeliis irrisiones, & cachinnos addentibus; si illum clamantem audivisses, quin intelligere potuisses, quid diceret, quidnam putasses illum hoc in statu a Patre suo petiisse? Credidisses profecto, illum poposcisse, ut gravissimis, quibus angebatur, malis liberaretur, vel ut ultionis suæ effectus in eos depromeret, a quibus tanta indignitate, tot doloribus, & probriis afficiebatur; sed quam longe a vero aberrasses! *Audi clamantem: ignosce illis* ...... Hoc unum abs te peto, Pater, ut meis inimicis ignoscas, mihique pro illis deprecanti concedas, ut impunes abeant ob eas, quibus me affixere, contumelias &c. *De la Font dans les Entretiens Ecclesiastiques pro 21. post Pentecosten Dominica*.

Salvator dic novissimæ cœnæ postquam Apostolorum suorum pedes abluisset, dixit eis: Si ego me ad pedes vestros abjeci Dominus, & Magister, nonne ubi feret occasio, hæc eadem ultro, citroque vobis præstare debetis officia? Hæc eadem mihi videtur de Cruce clamare: Si Judæis mortem meam dimisi inter tot convicia, & opprobria, nonne similiter dimittere debetis fratribus vestris illatas vobis injurias? nisi hoc propter amorem illorum præstare vultis, nonne hoc facere debetis propter vocem, imperium, exemplumque meum? Quodnam discrimen est inter conditionem vestram, & meam; inter contumelias quibus & vos, & ego fuimus affecti? Ego illos verbo dumtaxat disperdere poteram, vos autem mancipia estis, & nihilum flatu meo animatum. Si ergo inimicis meis ob adeo indigna scelera peperci, quomodonam ferventem adeo, diuturnamque iracundiam fovere potestis ob injuriam levem, & quam plerumque falso vobis illatam existimatis? Quæ unquam institui comparatio potest inter ea, quæ ego pertuli mala, & ea, quibus vos affectos doletis? Quæ ratio inter hæc opprobria, & contumelias, atque inter leves injurias, propter quas tantopere succensetis? Numquid diuturnum adeo fovendum est odium pro re adeo levi? Cur diutius differenda est cum proximo reconciliatio, ob voculam acutius dictam, vel ob gestum cum aliquo contemptu conjunctum? *Idem*.

Quandonam veniam petere non tenemur.

Fateor tamen, ut plurimum non adeo arcta necessitate nos teneri, ut inimicum prævertamus, ac priores moveamur; cum eo in gratiam redituri, a quo injuria fuerimus affecti; hoc enim, ex Sancti Augustini sententia, inimici alere ambitionem, ac foveret iniquitatem, prohibens, ne ille, quod perperam fecit, intelligat. Animadvertendum est, inquit Sanctus Augustinus, Dei Filium non præcipere, ut inchoatum sacrificium intermittatur, nisi cum frater tuus habuerit aliquid contra te; hoc est cum a te læsus fuerit; cum enim tu læsus fuisti, nulla teneris necessitate illud prævertendi, & veniam ab eo petendi, a quo tibi illata fuit contumelia. Tunc autem a nobis non aliud exigit Deus, nisi ut in corde, nullum odii, atque vindictæ sensum foveamus, & parati simus ignoscendo. *Idem*.

Si Deo nulla satis justa fuisset causa præceptum tam difficile hominibus irrogandi, putaresne, ullam tibi legitimam esse causam posse non obtemperandi, & injuriam, qua affectus fuisti, ulciscendi? Nonne Deo imperandi potestas est, & cogendi, ut imperata facias alioqui mortis supplicium subiturus? Cur autem non ita ipsius etiam honoris impendio, si de hoc ageretur? Nonne Deus honoris, æque ac vitæ tuæ Dominus est? At enim hae in venia, quam concedere jubeor, nominis mei existimatio laborat: esto, licet hoc falsissimum sit: at agitur quoque de honore Dei, cujus interest, ut ejusdem imperio pareas: Numquid autem Dei honor minori in pretio habendus, quam honor tuus? Æquumne est, te quidem honorem tuum retinere, Deum vero amittere suum? Sed rectius ratiocinemur: numquid est honorem amittere, illum in discrimen adducere propter adeo legitimam causam, qualis est supremi hujus Domini legibus obtemperare? Tandem vero putasne te honorem hunc tueri posse, contra Dei voluntatem, & ejusdem providentiæ mandatum? Numquid alia deest via; quia hunc tibi honorem eripiat in pœnam superbiæ tuæ, qua tuum suo honorem prætulisti? *Qui contemnunt me erunt ignobiles*. Vitam reddere potest, & cum fœnore iis reddit, qui eamdem prodegerunt, ut eidem famularentur, & causam ipsius tuerentur: cur non poterit æque centupli fœnore eum reddere honorem, qui propter ipsius honorem fuerit neglectus? *P. Dolingendes in quodam ex sermonibus suis de inimicorum amore*.

Deo debemus, quod adeo utilem legem irrogaverit.

Ut hoc ipsis etiam rationis luminibus consideremus, non parum debemus Deo quod hanc de injuriis dimittendis legem statuerit. Et sane fingamus animo, Deum tulisse legem prorsus oppositam, atque præcepisse, ut ultionem persequamur, eodem rigore, quo imperat, ut inimicis ignoscamus: in quæ pericula sæpius adduceremur. Si enim te potentior, injuria te affecit; si ab æquali insigni aliqua contumelia lacessitus fuisti, si plures simul conjurarunt, ut te pessum mitterent, quomodonam ultionem ex illis deposcere posses? Ubi Sanctus Isidorus Pelusiota animadvertit, in infinitum procederent inimicitiæ, injuria enim ultionem provocaret; hæc ultio non sine recenti injuria fieri posset, cui altera ultio succederet, quin huic injuriarum, ultionumque vicissitudini, quas sese mutuo, & necessario exciperent, finis unquam imponeretur; cum interim qui patienter suffert, eodem tempore inimicitiam extinguit &c. *Idem*.

Si fas est ultionem persequi, legibus tacendum est; eorum inutile est ministerium, justitium indicendum est; quilibet peculiare sibi tribunal extruit, ac tamquam Judex in propria causa, ea exequitur judicia, quæ pronunciavit. Non illud mihi propositum est, ut hujus mali enarrem effectus; satis enim eos quisquis intelligit, ubi acceptæ injuriæ factus æstimator, quo usque liber, illius reparationem protendit; & libra, gladiusque, quos Justitia in Magistratuum manibus collocaverat, in fortissimi, audacissimique manus transferuntur. Omnes homines alii in alios armati civilem societatem in primam confusionem rejiciunt, unde tanto labore Legislatores illam educere

conati sunt. *De Saci lib. 3. Tractatu de Amicitia.*

Nulla nobis speranda venia est, nisi inimicis pepercerimus.

Hac in re, o Christiane, cognosce quid tibi faciendum sit, & quod tibi consilium ineundum supersit. Deo parcere non vis. Non metuis ab illo deficiens in te illius fulmina, atque anathemata detorquere? Numquid saluti tuæ abrenuncias? Numquid damnari vis? Eheu frater, quæ insania, quis furor? Verum si ita placitum, abi, ulciscere. Si Religio, Cœli indignatio, animæ tuæ negotium; æterna damnatio, si hæc omnia satis virium non habent, ut iram tuam compescant, non satis video, quidnam habere possit, ac te tibimetipsi desero. At nondum huc pervenisti? nondum omnes Christianæ pietatis sensus exuisti? Te Dei minæ movent; & ejus supplicia cupis effugere? Ut verbo me expediam; cogitas ne, quomodo saluti tuæ consulas; & serio cogitas? Felices dispositiones! Eas sequere; fratrem tuum festinanter quære, atque cum illo in gratiam redi. Ad id ipsam quoque aram, inceptumque sacrificium relinque; maximam, atque acceptissimam, quod offerre Deo valeas victimam, est cor tuum: quomodo autem? eam litem obtruncans, quæ ex quadam potius animi aversione, quam ex juris assertione profecta est; eam auferens dissensionem, quæ nimis processit, atque in singulos dies semper magis procedit; eos criminales actus, sectasque minas relinquens; atque illum etiam amplectens, cujus excidium quæsiveras, illum excipiens, atque prævertens. Hac in re consilium cape: delibera; media nulla via est, quam sequaris. *P. Girouſt in Quadragesima Feria sexta Cinerum.*

Ad lenitatem, inquis, flectere nequeo, ut ignoscam: abi ergo, fel tuum in inimicum evome, qui oculis tuis gravis est, & cujus adspectum fastidis. Quid tamen inde? Ictus eodem tempore recidet in te. Tu illum, te Deus odio persequetur. Tu illum; te Deus percutiet. Tu illum, te Deus disperdet. Numquid Christiane, hoc, uti par est, animadvertis? Hoc satis intelligis? Non possum ultionem persequi, quin duos simul habeam inimicos; alterum videlicet, quem persequor, alterum, nempe Deum, qui me persequitur. Ille, quem perdere conor, mihi potest obsistere: ego vero nequeo obsistere Deo; alter quidem ex manibus meis elabi potest, ego vero ex manibus alterius non effugiam? In me omnem Dei potentiam, omnemque justitiam provoco; ego igitur omnes impotentiæ meæ pœnas luam magis quam inimicus, quem effectus illius experiri desidero. Cur hac terribili idea repleti non sumus: Deus inimicus, Deus vindex! Quantum iræ meæ motus vel sequor, vel coerceo; tantum terribilem iram suam in me vel sævire sinit, vel cohibet; si gladium, ut feriam, assumo; ipse fulmen arripit, ut me interimat. Ubi autem ad rectam judicii trutinam bonum, malumque appendantur, & ponderentur; numquid adeo magnum, atque optabile bonum videbitur inanis cupiditas ultionis explendæ inimici interitu, qui æque ac ego homo est, cum interim severis me objicio suppliciis Dei, qui toto cœlo major me est? *Idem.*

Cum legem a Deo latam minimé observas, non dicis, hoc nequeo, sed hoc nolo. Ex quo Deus hoc præcepit, jam illud potes; nihil enim præcipit, quod fieri non possit. Difficile quidem est, non diffiteor; sed tantum erit difficile quantum tibi placuerit. Deus jubet, satis est. Potes etiam, immo hac uti difficultate debes, ut majorem obedientiæ laudem feras. Tu hoc vis, Deus, non abnuo; satis videt quanti hoc stet animo meo. Sensus omnes, ii etiam, qui sunt magis naturales, suffocandi sunt; opus est, me a memetipso quodammodo divellam, ut hoc verbum proferam, ut novum hoc amicitiæ testimonium præbeam cui propter te instaurandæ præsto sum, & quæ justissime fracta videbatur: sed quo major est difficultas, quo magis repugnat animus, eo magis rationem habebis conatuum, qui ut id evincam, mihi sunt exerendi. Tibi ostendere volo amoris mei magnitudinem, id amans, quod, ut mihi videtur, minus est amabile. Si minus mihi decertandum esset, ac minor difficultas superanda, minor tibi cederet gloria, ac minor mihi fidei meæ testandæ pateret occasio. Quod facio, parum est; veruntamen cum tu infirmitatis meæ testis sis, palam intelligis me nihil majus præstare posse. *Idem.*

Humani respectus contemnendi, ut parcas.

Quid ad me quodcumque blatteraverint homines, si tibi, o Domine, placeo? mihi illudent, me in jocum, fabulamque vertent, quid ad me? Quamquam omnem in me unum notas censorias traducant, eam, Domine, quam debeo, præstabo tibi obedientiam; hæc agitur salus mea, qua quid mihi esse debet antiquius? Nonne videmus eos qui magis obstinato sunt animo, sese morti proximos reconciliare? Cur vivam eo in statu, in quo mori nollem? cur non eadem est mihi hodie constantia, quam tunc maxime cuperem? Qui morti proximus est justo afficitur terrore judiciorum Dei, qui unius mandati inobedientiam æternis suppliciis persequitur; at hic idem Deus hodie minus terribilis est? mandata illius sunt ne minus terribilia, ac severa? Tu hæc mihi nuntiari voluisti; tu ipse, Domine, locutus es, & loqueris adhuc; illa ignorare non valeo; neque mihi alius restat actus, nisi, ut eadem diligenter adimpleam. *Idem P. Girouſt.*

Injuriarum venia nos Patris cœlestis Filios esse declarat.

Ex hoc prorsus divino charactere Deus vos suos filios agnoscet. *Ut sitis filii Patris vestri.* Non significant verba hæc, tunc vos, ob id Dei filios futuros, sed futuram ut pro filiis Dei agnoscamini. Non semper id esse videmur, quod sumus; non enim vivendi ratio, atque actiones cum ea congruunt dignitate, qua sumus induti, sed ignoscentes ostenderis vos peculiari nomine ad Deum pertinere, quoniam Dei geretis imaginem, atque magis distincta, insignique nota notabimini: *Ut sitis filii Patris vestri.* Quid enim facit Pater hic communis? Oriri facit solem suum super bonos & malos, pluit super justos, & injustos; atque ut aliquid magis particulare addamus; nos licet rebelles patitur, neque satis est nos pati, prævertit etiam, neque illi satis adhuc est, si præverterit, nos etiam tunc præstolatur, cum majori nequitia a nobis contemnitur; denique postquam diu fuerit præstolatus, eo nos recipit momento, quo secum in gratiam redire volumus. Præclara sane præcepta! Præcepta personalia, quoniam hæc omnia nobismetipsis accidunt, Præcepta, ut ita dicam, quotidiana, & semper præsentia! His sedulo studeamus, non solum ut intelligamus illa, verum etiam ut opere compleamus. *Idem.*

Quam delicati sunt homines, cum agitur, uter prior ad resarciendam gratiam primum movere lapidem debeat? si quis reconciliationi consensum præstat, numquam vult cogi, ut prior inimicum conveniat, & alloquatur; quilibet rationes jactat suas, neque de jure suo cedere patitur. Quænam agitantur consilia, ut conveniendi, & colloquendi ratio neutri indulgentior inveniatur? Quærendus est locus indifferens, ac neuter; gressus omnes hinc inde mensurandi sunt, & voces omnes, quibus utrimque utendum, æqua lance ponderandæ, atque omnia diligentissime præcavenda, atque movenda. At Deus noster, licet maximus, licet Omnipotens nonne e contra prior nos invitat, revocat, quærit? *Idem.*

Quid J. C. illis exprobrabit qui parcere noluerunt.

Eheu! quid respondebitis, Fideles, cum Deus evocatis ad Tribunal suum vobis dixerit, quod olim Evangelicus ille Paterfamilias; *Serve nequam omne debitum dimisi tibi*, omnem pro te severitatem meam abjeci: *Nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui*? Nonne igitur & tu eadem erga fratrem tuum uti indulgentia debueras? Loquere: quam afferes excusationem? Dignitatem fortasse, honoremque tuum? At quinam ego sum! qui tu? Ego tamen quamvis Deus, tibi peperci. Numquid injuriæ magnitudinem? At num æque indigne exceptus, æque injuste contemptus fuisti, ac ego a te ipso? ignovi tamen. Quid tu? Tuæ temere tradidisti iracundiæ;

diæ; nihil frænare potuit furorem tuum; sed timorem injicere conatus es, & profecto te nimis formidabilem effecisti; nullæ intercessiones, nullæ satis validæ sollicitationes fuere, ut te ad lenitatem vocarent? Hanc igitur imposterum sequar regulam, ubi de sorte tua mihi erit judicandum; eadem utar mensura; eam deseram, quam sequebar, ac tuam ipsam amplectar. Toties dixisti: Dimitte, sicut dimittimus; voti damnaberis, non ignovisti, ut ego; non ignoscam ut tu: nulla mihi erit amplius indulgentia, lenitas nulla, sed eadem, ac tu, severitate utar, ut ex te rationem exigam, atque omnia reposcam; nulla amplius erit pro illo venia, apud quem nulla fuit venia. *Sic Pater Cœlestis faciet vobis.* Nos hæ attentos efficiant minæ, quippe hactenus pro nobis minæ sunt: earum prævertamus effectus, & adnitamur, ut aliquando vere, & sancta cum severitate possimus dicere Deo: Fac, Domine, quod feci; dimisi, dimitte. *Idem.*

Perpendite diligenter causas, unde odium proficiscitur, inanes esse plerumque, futiles, ac pueriles; vox aliqua, repulsa, non præstitum obsequium, & aliquid etiam fortasse minus his. Si duo simul accersetentur inimici, atque ex illis simultatis causa quærerentur, hi plerorumque adlaborarent, ut aliquam satis æquam causam afferrent. Nihilominus, quot obtrectationes, quot calumniæ, quot fictæ hinc inde relationes! quot intentatæ minæ, quot damna ultro citroque illata! quam inundationem late peperit fons adeo exiguus, & hic quo vos non abripiet? ... Adhuc tempus est illius coercendæ, odium ex animo protsus abjicite, ex sancto hoc loco pedem non afferte, nisi prius illud penitus extinxeritis; de vobismetipsis eam reportare victoriam cum nullo dividendam, & tanto minus vanitatis nomine suspectam, quod illi Deus unus testis accedet. *Sermo Manuscriptus P. Francisci Catrene.*

Tenemur exteriora præbere resarcitæ gratiæ indicia.

Non minus extrinseca resarcitæ gratiæ tenemur inditia præbere, quam intus ex corde ignoscere; sed audeo dicere, hoc in dubium vocari consuevit: inter eos enim, qui cum scandalo servant inimicitias, major est resarciendæ gratiæ difficultas, quam ignoscendi. Ita loquuntur ii, qui obstinato animo fovent odia; Ego, inquiunt, non odi, nullam intus in animo simultatem gero; si exterior habitus oris, ac gestus haud ita lenes videntur, saltem cor omni culpa vacat; totius iracundiæ meæ sacrificium obtuli Domino, hoc ad Aram ipsius illud instauro. Verum cum hujusmodi homines hortamur, urgemusque, ut reconciliationem æque publicam faciant, ac eorum dissidia cum scandalo fuere conjuncta; tunc omnem naturæ suæ revocant superbiam, ac inanes peccatorum suorum excusationes inquirunt. *Idem.*

Videamus utrum Dei Filius præceptum reconciliationis solis animi sensibus circumscripserit, an exteriorem etiam quamdam speciem quæsiverit. Ita ille ait: *Vade reconciliare fratri tuo.* Vade: Jam hoc non est amplius præceptum, quod in solo corde terminetur; sed aliquid etiam ulterius agendum est. Nec satis; descendit etiam ad peculiares loci, temporisque circumstantias; temporis quidem, cum frater aliquis nobis justam fovendæ simultatis occasionem acceperit: loci vero; ara enim relinquenda, sacrificium intermittendum, ubi irritatus animus leniendus est: *Relinque munus tuum ante altare.* Quasi diceret Dominus: licet Sanctuarium, ubi offers munus tuum, locus sacer sit, & cultui meæ sanctitatis devotus; licet ad aram meam offerendum sit odii holocaustum, cordis tamen sacrificium mihi non sufficit. Abi, relinque, & munus, & Sanctuarium, fer osculum pacis fratri tuo, antequam temerarium os ad mensam meam adferas; neque accedas ad me, nisi prius accesseris ad fratrem tuum: *Relinque munus tuum.* Præceptum igitur constans est, at nihilo minus justum est. *Idem.*

Perfectio Legis J. C. exteriorẽ poscit reconciliationem.

Utique, auditores, Christi Lex imperfecta fuisset, nisi exteriorem, publicamque reconciliationem præcepisset. Namque in præceptis, quorum immediatum objectum est Deus, cor sufficit, & externi actus inutiles sunt. Te a me amari jubes; Domine; tu amorem meum in intimis etiam cordis mei latebris intueris: satis est hic amor, ut dignus fiam & justificatione; & dilectione tua. Sed in iis præceptis, quæ ad Proximum referuntur, cor unum non sufficit, sed manus etiam requiritur. Deus, qui ad societatem nos effinxit, charitatis præcepta proposuit, quæ ejusdem societatis utilitati prodessent. Quid autem mea refert, utrum fratris mei cor odio vacet, si ille mihi urbanæ vitæ officia, solatia, opem, & consuetudinem negat? Quodnam monstrum in Republica est videre filium a patre, uxorem a viro, fratrem a fratre, a cive civem diffidentem? Oportebat igitur præcipere, ut eo modo quo secesserant, iterum mutuo in unum redirent. *Idem.*

Numquid aliquid est, quod melius conferre possit Mundi totius felicitati, quam sedula legis adeo sanctæ observatio, qua injurias dimittere, & inimicos amare jubemur? Si ille, qui odii objectum est, quem injuste, atque indigne persequimur, diligit persequentes; si de nobis mellito ore loquitur, si nobis benefacere gestit; aliquidne magis idoneum excogitari potest, quod prohibeat, ne vulneretur ictibus inimicorum, quod omnes evellat inimicitias, omnem ultionis libidinem, ac tumultus, quos natura in eorum corde excitare posset, ibique pacem tueri, quam felix hæc insensibilitas? Quid aptius fingi, vel potentius potest ad inimici iram flectendam, vehementem affectus perturbationem, quo agitatur, leniendam, furorem pacandum, tunc etiam cum ad extremum usque illius evaserit iracundia, quam suavitas illa, qua excipitur, quam charitas, quæ illi pro illatis contumeliis retribuitur? Hoc sane est aquam super ardentem materiam effundere, ignitosque carbones super inimici caput congerere. Ita inimicus homo victus ea bonitate, quæ erga ipsum adhibetur, omnem, qua tumebat, dissipat iracundiam: *Abbas Trappensis in Moralibus Considerationibus in Evangelium Sancti Matthæi.*

SUPPLEMENTUM.

Injuria, Injuriarum Venia.

Ex corde parcere inimicis certum est argumentum, Deum a nobis amari.

EX quo injurias vobis illatas, propter Dei amorem dimiseritis, jam certi estote a vobis amari Deum. Nescio utrum sententiam hanc meam assequamini; hæc vera est, nulli obnoxia dubitationi; & pro anima, quæ potest adhuc aliquos religionis sensus fovere, nihil video quod illam majori afficere valeat consolatione. Rem apertius explicemus. Potissima consolatio, qua frui possim in terris, hæc est, credere posse non sine ea certitudine, qua nulla major haberi potest in terra, a me Deum amari; eumque amari non eo amore, qui suspicione non careat, & in mera tantum specie subsistat, sed vero, & reali. Nam quantum certus sum amoris erga illum mei, tantum certus sum amoris illius erga me. Ex omnibus autem argumentis, quæ hac de re cupere valeam, nullum est minus ambiguum, magisque tutum, quam inimico parcere: cur? quia nonnisi Dei amor, & purissimus amor me ad hanc veniam impellere potest. Neque enim hoc suadet natura quæ immo ex diametro adversatur, neque mundus est auctor, mundus enim prorsus oppositos fovet sensus; unde sequitur Deum unum esse hujus rei causam, unicum Dei amorem ejusdem esse principium; & cum dicimus Deo; ego te diligo Domine, & in hujus dilectionis meæ testimonium bona fide dimitto injuriam hanc, qua affectus fui; ita loquendo sum immunis ab omni illusione. *P. Bourdalove in Dominicis.*

Arbitrari turpem esse injuriarum veniã ignorantia est, & imbecillitas mentis.

Superba ignorantia, & extrema imbecillitas mentis radices sunt, unde existit honoris summa, quæ inflammat ultionis desiderium in Mundano corde, & quæ efficit, ut salvatoris nostri dogmata de injuriarum venia rejiciat. Et profecto quænam est superbia præsumere, se melius ipso

ipso JESU CHRISTO dignoscere, quanam in re vera posita sit hominis gloria? Quænam cæcitas est, putare turpe esse Deo sacrificare ultionem injuriæ, in quo nemo sapiens, & ab omni cupiditate vacuus facere nequit, quominus veram animi magnitudinem deprehendat? Sed quomodonam judicium suum regit in re hac mundi sectator? Sequitur videlicet judicia aliorum hominum, qui æque ac ille, cæci sunt, corrupti, cupidique; verbo, Mundi sequitur Judicium. Mundus igitur adeo parum perspicax, adeo plenus erroribus ita ad arbitrium suum vestra regit judicia? Putatis turpem esse injuriarum veniam hac potissimum de causa, quia hoc mundus putat? Leve lucrum, hilum, nihilum, verbum, gestus vobis æquissimæ videntur causæ odio habendi fratrem vestrum, illum etiam perdendi cum animæ vestræ periculo; quia ita Mundus putat? Vera mentis imbecillitas, sed imbecillitas nequaquam crimine vacua post ea, quæ JESUS CHRISTUS operatus est, ut nos illuminaret, noluerunt cedere veritati, S. Paulus ait, quæ JESU CHRISTI doctrina est, & secuti sunt iniquitatem quæ est mundi doctrina. Pars illorum erit Dei indignatio. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Operandi gratia nobis non deest, nisi quia ipsi non utimur gratia precandi, quæ nobis non deest.

Fieri nequit, dicitis, exempli gratia, ut sincere amicum vestrum diligatis, & bona fide dimittatis injuriam, qua fuistis affecti; cumque vobis persuasum sit, id fieri nequaquam posse, excusare contenditis omnes odii, & ultionis sensus, quos corde fovetis. Ita infelix Mundi Spiritus, qui spiritus est infidelitatis, vos excæcat. Sed audite S. Augustini verba sermoni huic longe opposita: vel potius totam audite Ecclesiam in novissimo Concilio congregatam, S. Augustini verbis utentem. Falleris Frater mi; laudatus Doctor ait a Concilio citatus, falleris. Deus, qui Legislatorum omnium optimus est, ac sapientissimus, præcipiens ut diligas inimicum tuum, nihil præcipit, quod fieri non possit: sed per hoc adorabile præceptum te admonet ut id facias, quod potes, & petas, quod minime potes, & ipse tibi fert opem, ut possis. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* En tibi duobus verbis, vel erroris tui confutatio, vel licentiæ tuæ probatio. Nondum sentis temet omnipotenti ea gratia præventum, quæ charitatem erga inimicos inspirat, & hæc tibi deest gratia; jam video. Sed aliam habes gratiam, quæ tibi numquam deest, gratiam aliam, quæ hujus locum tenet, & cum qua non tibi licet de illius defectu conqueri. Quænam vero hæc est altera gratia? prima quam Deus in manibus tuis posuit tamquam instrumentum, cum quo potes omnia, & quo uti, ab uno te pendet, ut tibi promerearis gratiam heroicæ charitatis, & amoris inimicorum, quem non habes. Parcere non potes, sed orare potes, & potestas orandi tibi est certum pignus, & arrha ut cognoscas, te parcere posse. Sufficit enim, ut alterutrum possis, vel potius, ut alterum pro altero possis; & ex eo momento, quo alterutra harum potestatum tibi concessa est, jam possibilis tibi est venia injuriarum. Post JESU CHRISTI promissionem alterutra tibi certa est, tibique comparata, alioquin S. Augustinus non dixisset tibi. Et facere quod possis, & petere quod non possis; alioquin extra potentiam tuam esset tam petere, quam facere. Non desit igitur opus est tibi gratia efficiendi, nisi quia non uteris gratia petendi, & orandi. Hæc est, optatissime Auditor, ars quam te doceo, & quæ perfecte illustrat Theologiam Patrum Ecclesiæ, cum hoc in argumento aliquas proferunt propositiones, quæ duriusculæ quidem videntur, sed quæ admirabilem inter se habent connexionem. *P. Bourdalove in Dominicis.*

Nullam testari indignationem in illos, qui nos lacessunt hoc est illos

Maxima rabies, quæ ultorem animum afflictare valeat, est putare contumeliam a se illatam vel contemptam fuisse, vel ne intellectam quidem. Hic autem patientiæ, & dissimulationis affectus est. Sed præstantior adhuc victoria, & quæ magis adhuc inimicum valeat confundere, est, patientiæ addere beneficia, & vincere, ut ait S. Paulus, in bono malum: *Vincere in bono malum.* Hoc pacto, inquit ille, *carbones ignis congeres super caput illius*; Hoc est, faciem ejus rubore suffundes; facies, ut erubescat, quasi esset in igne; efficies, ut hac flamma gelu, & frigus cordis ejus liquescat. Quod enim cor satis durum, ut sustinere possit odium suum contra inopinata beneficia; cum nos ab illis protectos videmus, quos perdere volueramus; in honore habitos, & laudibus cumulatos ab illis, quos affecimus contumelia! Nullum fel est, quod non mitescat illecebris actionis adeo generosæ. Hinc autem duplex tibi cedit utilitas non solum quod inimicum tuum confudisti; verum etiam quod illum lucratus es, & obtinuisti, ut licet invitus sese magnanimitati tuæ omnia debere confiteretur. Ita Saul cognita virtute David ita commotus fuit, ut lacrymis non abstinuerit; cum Princeps hic ab illo ad necem conquisitus bis nactus est occasionem sese ab ejus odio liberandi, cruentas illi manus injiciens; sed non aliter ultus est quam se ad pedes Regis prosternens. Fili mi David, exclamavit Saul, *justior tu es, quam ego.* Elogium hoc ex ipsius inimici corde extortum nonne Davidi suavius, & gloriosius est, quam sanguis, quem cruento parricidio fundere poterat? *Pater de la Rue in Quadragesima.*

confundere, immo etiam lucrari. *ad Rom. 12. Ibidem.* *1. Reg. 24.*

Vindicta ad unum pertinet Deum, præterea ad neminem.

Potuit Deus legem ferre, ut homines ad illatas sibi injurias dimittendas cogeret, quia cum sit supremus rerum omnium Dominus, regere potuit nostra jura, sibique uni reservare auctoritatem judicandi de iis, quæ ad nos pertinent. Omnes ex æquo illius creaturæ sumus, & mancipia; & lædentes, & læsi non aliud inire debent consilium, quam quod Deo placet illis præscribere. Debuit Deus legem rogare, ut fideles omnes inimicis suis parcere tenerentur. Quoniam ille hanc legem tulit, dicere quodam in sensu ipsum hanc ferre debuisse. Cæterum autem, cum malum, quod fratribus infertur sejungi nequeat ab injuria, quæ fit Deo, ac præcipuam enormitatem suam ab hac injuria desumat; Deus unus metiri debet ultionem reposcendam. Nos satis agnoscere non possumus vel nequitiam noxæ, qua læsi fuimus, neque pœnæ, quam meretur, qualitatem. Ergo Dei unius erat alterum ex altera metiri; commune quippe bonum requirebat, ut neque aliquis læderetur, neque læsus impune ultionem suam persequeretur. Salvator igitur legem hanc irrogavit, & per hanc Christianam a reliquis Religionibus distinxit; quapropter Tertullianus ait: *Amicos diligere, omnium est; inimicos, solorum Christianorum. Pater la Pesse.*

Quibus verbis nobis imperet Deus, ut inimicos amemus.

Cum Legem suam Deus Judæis tradidit, legi eidem proposuit hæc terribilia, & minacia verba, S. Chrysostomus inquit; Audi, Israel, Ego sum Dominus, & Deus tuus. Sed JESUS CHRISTUS dilectionis inimicorum legem instituens, vel potius majorem illi tribuens extensionem, quam antea, his utitur verbis bonitate, atque misericordia refertissimis: *Ego autem dico vobis.* Illos diligite, ego hoc vobis dico, hoc ipse flagito, qui sum legislator vester, atque Redemptor; ego, qui spretis contumeliis quibus me affecistis, blasphemiis, atrocibusque injuriis, quibus me decorastis, majorem erga vos foveo bonitatem, quam vos in me nequitiam, & ingrati animi vitium; ego hoc dico vobis, ego a vobis hoc peto: facite pro illis, quod ipse feci pro vobis. Numquid gloria vestra vobis magis erit curæ, quam mea mihi fuerit? Num minus mihi irascendum erat ob illatas injurias, quam vobis ob illas, quibus affecti fuistis? *Dictionarium Morale.*

Matth. 5.

JESUS CHRISTUS suo nos docet exemplo parcere inimicis.

Christianus ipsos quoque inimicos diligere debet. Hoc ad nostram doctrinam fecit Salvator, cum pro suis inimicis oravit. Poterat ne longius procedere charitas ejus, quam parcendo impiis, qui crudeliter illum persequebantur, & non parcendo. Solum verum etiam illos excusando, illos Judici eorum commendando, atque apud eumdem contendendo, ut hanc pro illis gratiam

niam obtineret? Quis umquam tantum bonitatis audiit excessum? Homo in cruce moriens, homo-Deus, cujus vulnera sunt adhuc recentia, dolores vero acutissimi, sui ipsius obliviscitur, & de illorum salute sollicitus est, a quibus sibi eripitur vita, & quærit ab eorum capitibus avertere fulmen imminens, cum interim ipso inspectante, & ad pedes crucis ipsius, sibi illius vestimenta partiuntur: & post tale exemplum invenientur Christiani ultionem spirantes, & qui nequeunt adhuc consilium inire suis parcendi inimicis? *Bellarminus in opusculis*.

Quovis tempore injuriæ dimittendæ fuerunt & inimicum diligendú.

Injurias dimittere, & parcere inimicis præceptum est, auditores, omnibus divinis legibus prolatum, & æque vetus ac vera religio in lege naturæ, in lege scripta, in lege gratiæ. Hic inimicorum amor ineluctabilis fuit necessitatis; & cum Judæis diceba tur, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum; non Deus hoc illis dicebat, ut S. Augustinus animadvertit, sed qui perperam Dei legem interpretabantur. Non erat hæc Moysis traditio, sed Pharisæorum, qui Moysis legem corrumpentes credebant, præceptum amandi proximum illis facultatem permittere odio habendi suos inimicos. Igitur JESUS CHRISTUS non instituit novam legem, cum omni usus legislatoris potentia dixit; diligite inimicos vestros, eisque dimittite; sed instauravit solum legem hanc, quæ de hominum memoria erat quodammodo obliterata; explicavit solum hanc legem, cui caliginem quandam offuderant ignorantia, & crassi mortalium errores; confirmavit solum auctoritate sua legem hanc, quæ per plerorumque mortalium corruptionem obsoleverat. Diligamus igitur inimicos nostros, eisque injurias, quibus ab ipsis nos affectos fuisse credimus, generose dimittamus. *Pater Bourdalove in Dominicis*.

Cum nobis pepercerit Deus inexcusabiles sumus, si ipsi non parcimus. *Matth. c. 18.*

Frustra conquerimur, & jura nostra jactamus; nulla umquam data fuit, dabiturque responsio argumento, quod nobis sub imagine Evangelici Patris familias proposuit. *Omne debitum dimisi tibi; nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui?* Ego inimicos meos dilexi, & peperci illis; ego etiam dilexi vos, & quoties peperci vobis? nonne igitur par est, ut me in hoc imitemini, & ut ego, parcatis? Ratio, quæ nobis os obstruit, quæ nos auctoritatis suæ pondere obruit, utque illam sedulo ad examen vocetis, quacumque ex parte vobis placuerit, intueamini. Considerate injurias utrinque, comparate personas quæ illas vel inferunt, vel recipiunt, potestatem modumque ulciscendi, utilitatem quæ in ipsa venia danda percipitur, finem, qui utrobique proponi potest, appendite, inquam, hæc omnia; ibique videbitis, quomodo exemplum Dei vos condemnat; & hoc unum exemplum vobis satis esset, ut nocentissimi habeamini, nisi illum sequi velitis. Hinc ultiones vestræ vobis videbuntur plenæ injustitia, infirmitate, ignavia, cæcitate, ingratitudine erga Deum, & oblivione vestrummetipsorum? *Pater Bourdalove in Dominicis*.

Inimicis benefaciédum est, & hoc gloriosum est.

Charitas erga illos, qui nos oderunt, sterilis esse non debet, similis ficulneæ, quam JESUS CHRISTUS maledicto percussit. His benefacere debemus. Primum autem est illis benefacere, injuriis injurias non propulsare; eisque nos lædentibus parcere. Amor proximi nihil agit, quod noceat; & hoc præcepti est. Secundo inimicis benefacere, est, pro illis singillatim orare, illis opem ferre, illis servire, & hoc consilii tantum est, cum lex charitatis non jubeat, aliunde illis opellam nostram præstare; tunc enim opem illis detrectare, esset ultionem sumere, quod numquam licet. Ceterum quam gloriosum est beneficia sua super inimicum æque, ac amicum effundere! hoc est imitari Patrem cœlestem, qui lucere facit solem suum super bonos, & malos. Ethnici nonnisi amicos suos diligunt, ac illis inserviunt; sed Christianus amat ipsos inimicos, & de illis benemeretur. Talis gloria est *Matth. 5.* religionis illius, quam profitemini vos, quibus datum est, discipulos esse JESU CHRISTI. Quanta est animi magnitudo in illis, qui seipsos ita vincunt, ut injuriæ veniam opponant, amicitiam odio, beneficium contumeliæ! Quam bene meretis, o Deus misericordiarum, generosa hæc christiani cordis sacrificia, tu qui adeo frequenter nobis parcis, qui licet repetitis provocatus criminibus, indesinenter nos tuis cumulas gratiis, qui tandem in die ultionum tuarum nobis permittis eamdem indulgentiam, qua ipsi erga fratres nostros usi fuerimus? *Pater Segneri in Meditationibus*.

Inimicis parcendú est quocumque pretio, id nobis statutum sit.

Vult Deus vos parcere, & ex corde parcere; hoc est non vult vos arbitrari satis esse externam quamdam servare speciem, & non erumpere in itas; sed jubet vos ex cordibus vestris omnem indignationis sensum, omnem voluntariam cordis emotionem extrudere. Deus hoc vult, & nomine ipsius hoc vobis annuntio: *Ego autem dico vobis*; *Matth. 5.* quibus verbis nihil potestis opponere, quod non corruat ex se. At enim Sacrificium hoc magno mihi statutum est pretio: ex quo necessarium est, non est quærendum, utrum parvo statutum sit, an magno; quippe nihil est, cujuscumque tandem pretii hoc futurum sit, quod Deo sacrificare non debeas. At conatus hic est supra naturam: sed non exigitur a te secundum naturam, sed secundum gratiam, quæ tibi numquam est defutura, & quæ satis potens est, ut te sustineat. Verum sentio in me difficultatem, quam superare non possum, & quomodo tantam mihi inferam? Erras, erras, S. Hieronymus inquit, cum id præcipit Deus, jam id a te fieri potest; quandoquidem nil præcipit Deus, quod fieri non possit; & quid facilius a te potest fieri, quam quod a te, tuaque pendet voluntate? Istic nequaquam ut in aliis præceptis prætexi potest, vel locorum distantia, vel ætatis infirmitas, vel affectæ valetudinis causa, vel aliæ id genus. *P. Bourdalove in Dominicis*.

Amandi sunt inimici propter JESUM CHRISTUM præcipientem. Hoc neque contra naturæ legem est, neque supra vires nostras ubi accedat gratiæ subsidium.

Durum proculdubio, & quod vix fieri possit vobis videtur, amare illos, qui oderunt, & benefacere iis, qui vos persequuntur: Lex naturæ vobis prorsus oppositum suadet. Sed JESUS CHRISTUS non præcipit vobis ut inimicos diligatis, propterea quod vobis sunt inimici, eisque faveatis propterea quod vobis incommodant; sed jubet illos a vobis amari, quia ipse jubet: *Ego autem dico vobis*. Quid illius causa vobis faciendum non est? Plures Martyrum myriades propter illius amorem passi sunt quidquid truculentius est in igne, & ferro, quibus ingeniosus Tyrannorum furor usus est: Martyres illi numquid in hoc fecerunt legi naturæ contrarium? Hæc docet filium propriam objicere vitam, ut illi consulat, a quo vitam accepit; quomodo ergo timebitis illam violare obediendo præcepto JESU CHRISTI, cui debetis, quidquid estis? Ceterum hoc non jubet Salvator, quin simul conferat nobis ea media quibus facile imperata facere valeamus; gratia illius de natura triumphat. Denique ubi essemus, si quilibet sibi jus esse putaret proprias injurias ulciscendi. Quæ rerum esset perturbatio! quæ scelera! Deus ergo qui ultionem prohibet, infinitæ sapientiæ suæ effectu nobis inimicorum præcipit dilectionem: nam odisse, & ultionem reposcere non posse supplicium est dignum inferno. *P. Segneri in Meditationibus*.

Quid sit parcere ut Christi fidelem decet.

Parcere, ut Christifidelem decet, est parcere quemadmodum præcipit Christianorum Evangelium: non solum non obesse, & non odisse: sed amare, sed amori addere beneficia; ubi adsit occasio rem inimici procurare æque, ac amici: illius nominis æque ac tui, curam gerere. Parcere, ut Christifidelem decet, est parcere, ut pepercit JESUS CHRISTUS; implorare ut ille Dei misericordiam super eos, qui te persequuntur, excusare, ut ille eorum ignorantiam, vel cupiditatem potius quam rationes quærere sese magis exacerbandi. Parcere ut Christifide-

lem decet, est parcere ut pepercit Sanctus Stephanus omnium Martyrum Christianorum antesignanus: est videre in inimicis medium inter probra, & contumelias. Est oculos, mentemque attollere ad mercedem præparatam in cœlis Christiani militis fortitudini. *Intendens in cælum vidit gloriam Dei. Pater de la Rue, Sermone pro die festo S. Stephani.*

Act. 7.

Reconciliationes in morte factæ vix sinceræ sunt.

Cum mortis horam expectas, ut gratiam sarcias cum inimico, tunc non Christianus parcit, sed ægrotus: non charitas, sed febres: non gratiæ virtus, sed naturæ infirmitas, non voluntas, sed necessitas, non JESUS CHRISTUS veniam consequitur, sed funestum illud momentum, quo redactus est ille, qui moritur. Deus, qui stringit fulmen, quo illum percutiat, non flectitur obedientia, quam potius extorquet virium defectus in homine tot malis obruto, quam cordis bene affecti benevolentia. Reus qui honoraria afficitur mulcta, est ut ita dicam homo totus æquivocus, si lictor lateri ejus non adstaret, nisi tristi pompa ad patibuli locum duceretur, nequaquam ita loqueretur. Justitiæ satisfacit, sed illam execratur, blasphemiæ veniam petit, sed adhuc submissa voce blasphemat: elata etiam blasphematurus voce si liber dimitteretur? Judicis sententia recitatur illi, hanc cum terrore audit, & videtur pœnitentiam agere criminis, quod patraret adhuc fortasse, si ex legum severitate posset elabi. Talis, præterpropter, dummodo publicam excipias infamiam, est ægroti hujus spiritus. Decrescant febris ardores, ardores ultionis convalescent. Non condonabit ille sibi imbecillitatem, qua pepercit, & natura exprobrabit religioni turpe factum, quod sibi suasit, diabolicam subrogans superbiam assertæ generositati Christianæ; parum abest, quominus audacter de Evangelio conqueratur, & ex fide sua rationem suæ ignaviæ deposcat. Hoc tamen illud erat, quod ex eo tempore sibi laudi vertebat. Num gratiam inde illi habere debuisset Deus? Num ille Deo suo obediisset, propterea quod ipse loquebatur: *Ego autem dico vobis. Abbas Boileau in Quadragesima.*

Ob acceptam injuriam dolere infirmitas est.

Injuria metienda est non intentione quidem illam inferentis, sed illam patientis imbecillitate. Exempli gratia, evomit quidam in te contumeliosa verba: si hanc spernis contumeliam, ad te minime pervenit, & lingua hæc virulenta tibi non efficit. Si corpori nostro esset adamantina duritics, frustra in illud sexcenta jacula torquerentur. Non enim manus, vel telum inferunt vulnus, sed corpus, quod se telo confodi sinit. Ita non inimicorum nostrorum impotentia nobis facit injuriam, sed imbecillitas, qua illam toleramus. Quod si te nulla affici videaris injuria, plus efficis detrectanti, quam ille tibi; & hæc detractionis sagitta redit in eum, a quo contorta fuit, eique profundum vulnus infligit. *Sanctus Chrysostomus Homil. 2. ad Popul. Antioch.*

Rationes, quæ nos cogunt, ut inimicos nostros conveniamus, ut cum illis redeamus in gratiã.

Læsus fuisti; esto. Omne penes te jus est; in hac injuria persequenda maximam præ te animi moderationem tulisti; sed cur non convenies inimicum tuum, ut illum JESU CHRISTO lucreris, ut tollas scandala, funestum, ac necessarium dissidii effectum, ut tot alia expies peccata, quæ tua tibi exprobrat conscientia? Timesne, ut nimium facias pro CHRISTO JESU, qui pro te tradidit se ipsum? Si Christianus es, inimicum præverte; ne illum ad te venire præstoleris, illum adi, & complectere. Si ille amoris erga te tui testimonia æqui, bonique non fecerit; nonne oblectaberis, te quod tuum erat, fuisse, & saltem Deo obtemperasse? Nonne satis amplam a Divino hoc Salvatore mercedem referes? Ut tibi ostendat, sibi satis esse obedientiam tuam, remittet illi, quæ debes, decem talentorum millia. *Lambert.*

Doctrina JESU CHRISTI

Nihil est pietati magis conforme, quam hæc JESU CHRISTI doctrina de injuriis dimittendis. Pietas enim pro objecto Deum habet; & proximum. Efficit, ut consideremus Deum quidem tamquam Patrem nostrum, cui reverentiam, & obedientiam debemus, proximum autem tamquam fratrem nostrum, qui vera, solidaque charitate a nobis est diligendus. Cum autem illis, qui de nobis male meriti sunt, parcimus; magnam testamur animi nostri erga Deum observantiam, illi permittendo curam ulciscendi nos, & puniendi scelera filiorum suorum: *Mea est ultio, & ego retribuam in tempore.* Testamur quoque perfectissimam obedientiam, acerrimos naturæ sensus voluntati illius sacrificando. Parcendo exercemus quoque perfectissimam charitatem; tunc enim fratres nostros diligimus cum sunt amore nostro indignissimi. Duobus hisce rationibus adeo solidis, apertisque quid sensatum, & a ratione minime abhorrens mortalis afferre potest? *Pater Segneri in Meditationibus suis in locos delectos &c.*

de injuriarum venia tribuenda, adversari est pietatem omnem tollere.

Deut. 32.

Pauci inveniuntur Christiani, qui sincere inimicos suos diligant.

Corrupta natura fremit, ubi amorem inimicorum audit; omnesque vires illius nimis exiguæ sunt ad servanda hucusque exempla, quæ cum in nova lege esse deberent frequentissima, quia hæc lex est amoris; non ideo minus sunt infrequentia. Videntur boni Judæi amicos suos diligentes. Videntur Ethnici honesti, qui fratribus suis salutem dicunt, eosque amplectuntur. Videntur etiam Catones Sapientes præ superbia dissimulantes injurias sibi illatas, qui ideo summis laudibus cumulantur; Christiani vero, qui sincere diligant eos, quibus in odio sunt; qui de male meritis optime mereantur, & qui pro persequentibus, & calumniantibus se preces effundant; adeo sunt pauci, ut sint prodigii loco habendi. Ne putetis hæc magnifica esse verba, emphaticasque locutiones, quibus humana eloquentia nonnumquam ad nos perstringendos uti consuevit. Illam e contra exactissimam veritatem cogitate: Patres enim asseruerunt Moisem majus patrasse miraculum, cum petiit veniam pro Israelitis, a quibus toties affectus fuerat contumelia, quam cum elicuit uberem aquarum fontem ex saxo durissimo; & Davidem admirabiliorem extitisse, cum pepercit Saul, quam cum prostravit Goliath; & JESU CHRISTI in cruce positi orationem majus esse portentum, quam Solis Eclypsim in plenilunio. *Abbas Anselmus.*

Præceptũ parcendi inimicis nobis durum nequaquam videri debet.

Diligite inimicos vestros, vobis dicitur, & hoc vobis durum videtur; sed cogitate legem hanc non pertinere ad vos tantum, sed tantumdem iis quoque dici, qui vos oderunt, & juxta primam Creatoris intentionem omnem simultatem, ac inimicitiam ex terris esse eliminandam. Hoc vobis durum videtur; si hæc mutuæ charitatis lex ad unguem servaretur, suavis, & jucunda quies ubique regnaret; nulla invidia cor vestrum disrumperet, nullum ex ore vestro contumeliose dictum prodiret, nullus lethifer ensis manus vestras cruentaret. Haberetis, ut S. Petrus ait, jugem, mutuamque charitatem in vobis: *Mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes.* Hic non esset amor extrinsecus, & meræ urbanitatis, esset enim in vobis: *in vobismetipsis.* Hic non esset amor divisus, aliis quidem liber, aliis onerosus, sed mutuus; *mutuam.* Non esset amor ad tempus, & intervalla: Sed juge, & æternum. *Charitatem continuam habentes. Abbas Boileau in Quadragesima.*

1. Petr. 4.

Mundi Salvator eximium est nobis exẽplum ut discamus illatas injurias dimittere.

Dei Filius pro suis inimicis oravit, ne uno quidem excepto: ideo pro nobis omnibus etiam oravit; quoniam cum omnes essemus inimici Dei, Sanguis Unigeniti filii sui cum illo nos conciliavit. Igitur antequam nasceremur, magnus hic Pontifex, æternus iste Sacerdos dignatus est meminisse nostrum, ac intercessit pro nobis apud Patrem suum in sacrificio quod sui ipsius obtulit in cruce. Quid facere potes peccator pro illo, qui, antequam etiam nascereris, tantum fecit pro te? Nondum prodieras ex nihilo, cum Dominus hic tanta repletus bonitate, qui futurum noverat, ut aliquando in inimico-

micorum ejus partes concederes, præveniens pœnitentiam tuam, & non expectans, ut ejus misericordiam implorares, Patrem suum deprecabatur, ut tibi tua peccata dimitteret. Nonne saltem tibi de illo cogitandum esset? Nonne attentus esse deberes, ne ulla tibi elaberetur occasio eidem inserviendi? Nonne æquum est, ut tantum lenitatis exemplum te cieat non solum ad parcendum libenter inimicis tuis, verum etiam ad hortandos homines, ut hoc ipsum erga suos operentur? Utique, Domine, hoc æquissimum est; fateor, & jam hoc efficiendi consilium inivi, dummodo exemplum secutus tuum, inveniam gratiam tuam, quæ mihi in re adeo difficili, viresque meas excedenti opituletur. Salvator orationi suæ per hæc verba finem imponit. *Nesciunt enim quid faciunt*. Ut suæ intercessioni major virtus, ac pondus accedat, quantum fieri potest, inimicorum scelus imminuit. Excusare non poterat Pilati injustitiam, sævitiam militum, Sacerdotum, Scribarumque invidiam, populi cæcitatem, & ingrati animi vitium, denique falsorum testium perjuria. Quam igitur aliam pro illis afferre poterat excusationem, nisi ignorantiam? Profecto jure dixit Apostolus: illos si regem gloriæ cognovissent, numquam illum fuisse crucifixuros. *Cardinalis Bellarminus in septem verba Jesu Christi in Cruce*.

Ultionis cupidus Dominicā Orationem recitans suæ damnationis profert sententiā. Matth. 6.

Ut ostenderet nobis Deus, nisi injurias dimiserimus, nullam ab eo gratiam sperandam esse; voluit quoddam nobiscum pacifici fœdus, cujus memoriam in dies singulos sæpe refricaremus, enixe ab eo petentes, ut ipse ea ratione nobis dimittat, qua ipsi dimittimus aliis: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. In quæ verba vos oro, obtestorque, ut animadvertere velitis: quænam major cæcitas quam hominis ira orantis, quin velit inimico parcere, aut qui a parcendo alienus est? Etenim cum a Deo petat, ut nisi id ipse fecerit, sibi ille non parcat; oratio sua semper sententia est, quam contra se palam pronuntiat. Quid aliud hic expectare sibi potest, nisi quod illi dicat Deus: *Serve nequam, ex ore tuo te judico*. Me rogas, ut tibi eo pacto parcam, quo tu parcis? hoc ipsum ago. Ita cum ultionis cupidus orationem hanc fundit, in corde habens iram, furoremque; Deus damnationis ejusdem sententiam pronuntiat. *Auctor Anonymus*.

Luc. 9.

In ipsa Christianissimi luce quotid e JESU CHRISTI doctrina de injuriarum venia oppugnatur.

Nulla in Evangelio lex invenitur, quæ plures habeat oppugnatores, hac de inimicis diligendis. Fallax summæ honoris lex illi e regione adversatur, & huic summæ honoris nemo est, qui sibi abrenuntiandum esse arbitretur. Sed quodnam igitur oraculum est, cui inhærentes censeamus turpe esse dimittere injurias? Hæc est hominum congeries, quæ dicitur mundus; & cui ignavum, ac turpe videtur ob sibi illatam injuriam pœnas non reposcere. Hic autem homines, qui mundum componunt, & qui nihilominus Christianam religionem profitentur, negare possunt, postquam disertissimis verbis hoc Dei Filius asseruit, amorem inimicorum eum esse caracterem, qui facit, & secernit veros Domini filios: *Diligite inimicos vestros, & eritis filii Altissimi*. Cæterum itane cæci essent, ut differentur, qualitatem filiorum Dei talem esse, ut nihil in terris homini accidere possit optatius, atque gloriosius? Si mundanus in hac sententia versatur, cur adhuc sua de hac summa honoris placita jactat? Hæc insana est contradictio, in quam labitur, & quæ prohibere debet, ne umquam pro norma illam sequamur. Ignavus fidelis non habet vim sequendi JESU CHRISTI dogmata, ideoque sibi opposita comminiscitur placita. Evangelii præceptis non adversatur, nisi quia nimis superbus est, ita ut eum pudeat propriam fateri imbecillitatem. *P. Segneri in Meditationibus*.

Luc. 6.

Salvatoris exemplum sufficiens est præceptum injurias dimittendi. Tit. 3. Petri 2.

JESUS CHRISTUS nonne suis pepercit inimicis? Nonne hoc ipsum pro vobis fecit? *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Deus vester eo usque vestrum misertus est, ut humanam carnem pro vobis indueret, ut pro vobis in cruce animam efflaverit, licet ingratis: potestisne vos non misereri illorum, qui vos lædunt, non benefacere illis, non illis optare bona, licet indignis? Huc usque venire potestis si vobis lubet. O vos beatos si hoc re ipsa feceritis ope illius gratiæ, quæ vobis data est. In hoc certissimum habebis vestræ salutis pignus: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Deum colo, qui ita amavit ingratos, ut pro illis mortem sit passus; qui mortem suam carnificibus suis condonavit; & pro illorum salute obtulit sanguinem, quem illi effundebant. Quid ergo requiritur ad ultionis furores mulcendos, si hoc non sufficit exemplum? Heu! Quocumque id mihi statutum sit pretio, ad pedes crucis Salvatoris mei, vos omnes superbiæ sensus, impatientiæ motus, ultionis desideria immolabo. Deus moriens pro me, & moriens inultus hoc mihi præcipit. Ego veniam obtinere nequeo, nisi hanc ipse etiam meis inimicis concessero; hanc etiam nonnisi hac proposita conditione postulo. *Pater Segneri in Meditationibus*.

Matth. 5.

Deus nobis dimittet, sicut nos fratribus nostris dimiserimus.

Nihil optatius accidere potest patri familias, quam intueri pacem, atque concordiam in tota familia. Familia pace fruens, paradisus est; Familia pace carens infernus est: ideoque Pater cœlestis vult nos fratribus nostris parcere. At quænam sunt debita, quæ ipsi fratribus nostris dimittere possimus, si cum iis conferantur, quæ ipsi nobis a Deo optamus dimitti? centum denarii sunt, ut Evangelicæ parabolæ verbis utar comparati decies millibus talentorum; nihil est cum re pretiosissima collatum. Cæterum Deus nobis nostra dimittit debita cum infinito amore, facilitate, gaudio, integra oblivione: *projiciet in profundum maris omnia peccata nostra*; nos autem fratribus nostris debita remittimus frigide, cunctanter, ægre, & quin eorum omnem memoriam oblivioni tradamus. Deus quodammodo nobiscum eadem utetur norma, qua ipsi erga debitores nostros usi fuerimus. Nam prout ipsi cum charitate parcimus; nobis quoque amantissime parcet Deus. Si injurias dumtaxat dimittimus; Deus nihil amplius præstabit nobis, ubi illum oraverimus, ut noxas nobis dimittat. Sin autem veniæ injuriarum aliquid addiderimus, si beneficiis ultionem fuerimus persecuti: Cumulabit nos Deus bonis suis, simulque nostras iniquitates dimittet. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*.

Mich. 7.

Matth. 7.

Injuriarū venia nos ad pœnitentiam disponit.

Quantumvis necesse sit injurias dimittere, si a Deo scelera nostra dimitti volumus, hæc tamen non aliud est, quam mera conditio, sine qua veniam sperare non possumus; cujus quidem complementum satis esse non potest per se, ut nobis crimina dimittantur; præterea omnibus aliis inordinatis affectibus nobis est abrenuntiandum. Verum est injuriarum veniam per se non esse opus sufficiens ad scelerum nostrorum veniam consequendam; verum certissimum quoque est; hoc maximum esse factum, factum Heroicum, actionem in Dei oculis pretiosissimam, quam numquam præmiis vacuam abire sinit, & quæ una magis illius lenit iram, quam aliæ plures simul junctæ actiones Christianæ. Propter injuriarum veniam potissimum nos ad pœnitentiam adducit, nobis sanctos motus inspirat, ac inserit in nos affectiones aptas ad impetrandam ab ipso peccatorum nostrorum remissionem. E contra vero Dominus reprobaret omnes, qui & præcepta, & Evangelica exequeretur consilia, nisi parceret inimicis. Nihil igitur intentatum relinquamus, ut hac in re morem geramus Patri cœlesti; qui omnino vult ac ante omnia, ut pax regnet in filiis suis. Et sane dicendum est, o Domine; nihil tibi antiquius esse, quam intueri concordiam inter filios tuos regnantem, quandoquidem voluisti, ut venia injuriarum esset nobis causæ ad peccatorum nostrorum veniam obtinendam. Per

hanc sic quodammodo arbiter gratiæ ejus, quam peto, certus me illam esse consecuturum, si ipse fratribus meis illam concessero. *Pater Segneri in Meditat.*

Fidelis parcens de inimicis refert victoriam.

Quàm gloriosa est hæc victoria, quam refert Christianus de inimico suo parcens illi, illi benefaciens, & veræ amicitiæ præbens argumenta! Potestne ipse inimicus, quem sua lenitate, & præclaris in eum meritis vincit, potestne, inquam, se victum negare? Tuum erat, Domine, tradere nobis adeo præclaram pugnandi rationem, nobisque animos facere, ut eadem uteremur. Sed licet hanc ipse docueris, atque exemplo tuo confirmaveris, & certa spes adsit præsidii tui, quomodonam usus hic est adhuc perrarus apud Christianos? Dæmon solus est inimicus, quem odisse mihi liceat: sed illi officere nequeo, nisi illo invito bona opera faciens, & nonnisi bona opera faciens eum vincere, atque prosternere possum: hæc una mihi ultio conceditur, hanc unice exerceam. Quo ad homines, qui se præbebunt dæmonis instrumenta, ut me ad malum patrandum impellant, illis boni praxim apponam. Illos in bono vincere adnitar; sed adnitar tantum ob ipsorum utilitatem, utque liberem illos de tyrannide crudelis Domini, qui eorumdem opera abutitur. Superest adhuc, o Deus, domesticum, quem vincam, inimicum; estque hic illa mei ipsius pars, quæ semper parata est, ut adversus spiritum deficiat. Per constantem bonorum operum praxim dominabor illi, eamque in officio compescam. Sancti huc cum gratia tua pervenerunt; utinam ego quoque eidem fidelis sim, ut illi fuere. *Pater Segneri.*

Deus nobis veniã promittens suadet, ut & ipsi parcamus inimicis.

Quid, Domine, polliceris te abjecto mancipio gravissima dimissurum peccata ut illum redire cogas in gratiam cum fratribus tuis; & hæc ab illo renuetur conditio? Hanc, ipse ex toto corde accipio: hoc ipso temporis momento omnem tibi iram sacrifico; nihil prætermittam, ut parcam, & opem ferente gratia tua hoc ipsum exequar. Scio, Domine, eo quod inimico peperci, non ideo tamen tecum in gratiam rediisse; sed amor tuus non differtur potiri eo corde, quod odium suum tibi didicit sacrificare! Quot gratias non promeretur hoc sacrificium, ut perfecta fiat pœnitentia? Si nosmet credimus adhuc nimis infirmos, ut ex cordibus nostris actu evellamus hujus injuriæ sensum, conemur saltem, cupiamus saltem hoc facere; tunc fidenter poterimus rogare Dominum, ut nostras nobis noxas dimittat; quia vere cogitamus & ipsi fratribus nostris dimittere, quia id cupimus, quia ad id omnes conatus nostros exerimus. *P. Segneri in Meditationibus.*

Vincere in bono malum, est benefacere inimico pro accepta contumelia. Rom. 12.

Proprius horum Apostoli verborum, *noli vinci a malo, sed vince in bono malum*, sensus hic est, noli amittere pacem animæ, cum hanc inimicus tibi eripere studet per eam, quam tibi infert injuriam, sed illum tua agendi ratione fac ut ad officium suum revertatur. Hoc nuncupatur non vinci a malo, sed vincere in bono malum. Si ergo cedis sensui contumeliæ, quæ tibi infertur, jam vinceris: e contra vero si tunc tibi imperare nosti, si etiam contumeliæ auctori aliquod rependis beneficium, jam efficit, ut suam sentiat injustitiam, suum agnoscat errorem, tibique victoriam concedat. Cur homo, qui ultro alios superare contendit, non superat inimicum suum eo, quo diximus pacto? Quia vincere malum malo, quoddam est genus victoriæ, quod nobis cum brutis animantibus est commune. Sed

Dominus noster parcit inimicis suis.

hominis tantum est vincere in bono malum. Quod facere adeo præclarum est, ut si liceret discrimen aliquod statuere inter merita actionum Dei, perfectissima proculdubio illa esset habenda victoria, quam Salvator de inimicis suis reportavit; cum jamjam in cruce animam efflaturus, iis benefacere voluit, a quibus cruci fuerat suffixus, quos cum in nihilum redigere posset, super eos adeo uberem gratiarum copiam effudit, ut plurimi confusi, contritique pectus suum tunderent, ut ostenderent, se pudere, ac pænitere ejus sceleris, quod paulo ante patraverant. *Percutientes pectora sua revertebantur.* Luc. 23.

Id genus factum quam longe omnem ultionem excedit? *P. Segneri.*

Quo magis de inimico benemeremur, eo perfectior est nostra de illo victoria.

Beneficia, verum est, non semper inimicum lucrantur; sed ingratitudo, quam ille addit injuriæ, prohibetne, quominus vincatur? Tibi geminatur gloria, cum satis non es ratus illi pepercisse, de inimico bene mereris; illi vero geminatur confusio, cum ille nihilominus in odio suo perseverat. Quomodocumque sit, cum te frater tuus lædit; hoc illi semper est iniquitatis opus; cum vero parcis illi, hic semper heroicus est pro te virtutis actus. Itaque jure semper tibi laudi vertitur relata de eodem victoria. *P. Segneri in Meditationibus.*

Sperare non possumus fore ut Deus nobis parcat nisi fratribus nostris ipsi pepercerimus. Matth. 18. Enchyrid. c. 74.

Dei Filius omnem nobis adimit veniæ spem, si ipsi obtemperare renuimus præcepto, quo parcere jubemur. Vin' tibi dimitti? dimitte: *Sic & Pater meus faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Ecce S. Augustinus exclamat, terribilis ictus fulminis; *Ad tam magnum tonitruum, qui non expergiscitur, non dormit: sed mortuus est.* Audisti hoc tonitru; præceptum hoc tibi cognitum est: hærebit ne tibi aqua, utrum temer illi subjicias? Nonne hæc illa lex est, cujus vim, ac latitudinem ostendere volens Dei Filius Principi Apostolorum quærenti, quoties fratri parcendum esset, respondit: *Non dico tibi usque septies: sed usque septuagies septies.* Matth. 18. Quibus verbis Salvator determinavit numerum injuriarum ita magnum; ut in Apostoli sui persona doceret nos, nullam esse occasionem, in qua a venia danda dispensari valeamus; cujuscumque generis, vel numeri essent injuriæ, quibus a fratribus nostris affici possemus. *P. la Pesse.*

Quam levis sit injuria, quæ nobis infertur collata cum illis, quibus ipsi affecimus Deum.

Cum proximo tuo parcendum est, non agitur de peculiari aliqua injuria, qua affectus fuisti, de verbo, vel contemptu, quem de te ille testatus est, de lite, quam intulit tibi, de vi aliqua: Et cum pollicetur Deus futurum ut tibi parcat, non statuit fines clementiæ suæ inobedientiam, quam admittis nolens parcere proximo tuo. Bonitati suæ non alios fines constituit, quam innumera, quæ patrasti peccata. Nonne est perinde ac diceret tibi: Ne oderis fratrem suum propter hanc inurbanitatem, obtrectationem, injustitiam, contentionem, & ego promitto tibi me oblitutum libidinum tuarum, omnium impietatum, scelerum omnium, cum prodibis coram me ad veniam obtinendam. Dicito mihi, ulla ne fieri potest comparatio inter id, quod Dei Filius pronunriat, & id quod imperat tibi? Dicere ne potes, tibi magis irascendum esse ob tibi illatam injuriam, quam illi ob tot enormia flagitia, quibus illum indesinenter lacessis? Ad id oporteret, te ignorare, & nihilum tuum, & Dei Majestatem, quod cogitare non audeo de te, qui Filii Dei discipulum, ejusque Ecclesiæ Filium profitens sequi debes exempla, quæ hic Deus Salvator tibi dedit, veniæ injuriarum, cum ipse quoque pepercerit illis, a quibus Cruci confixus fuit, necnon pro illis oraverit. *Pater la Pesse.*

Quomodonam qui Deo tenuit noxam dimittere proximo suo, petere audet a Deo, ut ille sibi parcat? Injustum sane est, velle id obtinere, quod alii ex duritia cordis nostri nequeunt obtinere: imo non deest in hoc non ferenda superbia. Conferamus paulisper, amabo vos, petitionem, quam singulis diebus funditis, & eam, quam ipse vobis adhiber, Deus per amorem, quem nascens, ac moriens pro vobis ostendit; petit, ut fratri vestro dimittatis debitum, noxam, quæ fortasse inanissimum commentum est; vos autem a Deo petitis, ut vobis ea dimittat scelera, quæ illi Sanguine, ac vita steterunt. Respuitis fratri vestro veniam quæ fortasse illi nullius est utilitatis, & veniam illius injuriæ, quæ gravis non est, nisi quod eam

talem

talem ipsi putatis: Et minitatur vobis Deus se in omnium æternitatem negaturum plurimorum scelerum veniam, quorum unum supplicii æternitatem meretur. Nonne fatebimini, illum de sanæ mentis usu dejectum esse, qui velit æternum potius Dei odium subire, quam levem dimittere noxam, quæ magis in imaginatione, quam in damno consistit, quo a proximo suo vere fuit affectus? *Idem*.

Nulla admitti potest excusatio dicentium se nõ posse amare proximum suũ. *Homil. de simult.*

Præceptum, quo inimicis nostris parcere, eosque amare jubemur, nullam patitur exceptionem, nullam excusationem. *Quod odium retineas, nullam habes excusationem*. Præceptum hoc indispensabile est, quoniam legem gratiæ a lege veteri secernit. Nullam illius infringendæ legitimam causam prætexere possumus; illius quippe observantia pendere debet ab internis animæ nostræ sensibus. Ad illam adimplendam non quæritur auctoritas, non divitiæ, non ingenium, non scientia, non bona valetudo, non dignitas. Venia procedit ex corde, & omnibus in circumstantiis cordis arbitrium penes nos est. Si aliquem inimicitiæ sensum servamus, nobis adversus nostram pravam voluntatem est succensendum: & nihilominus præceptum, quo nos parcere jubet Deus, ita apertum est, tantæque necessitatis, ut satis admirari non possimus, non deesse familias sibi invicem adeo oppositas, atque iratas, ut receptarum injuriarum memoria post plura sæcula ita sit recens, atque de generatione in generationem ita per manus veluti tradita, ut non abhorreat a fide, odium, sibique invicem nocendi desiderium usque ad sæculorum consummationem ibi esse permansurum. *Idem*.

Injurias dimittere maximum est christianæ Charitatis opus, & quare.

Injuriarum venia est veluti præstantissimum christianæ charitatis opus; quippe nos avellit ab iis, quæ nobis jucundiora sunt, cogitque nos ad praxim virtutum sanctissimarum lenitatem, & humilitatem. Hæc venia nos avellit ab iis, quæ nobis accidunt jucundiora: Patet eum, qui nos affecit contumelia, qui gravem nobis intulit injuriam, qui nos in mundo notavit, terribilem attulisse existimationi nostræ ruinam; cumque honore nihil nobis antiquius sit, difficillimum est illum sacrificare sincere parcendo inimico, qui nos per ora, ac cætus hominum traduxerit tamquam alios ab illis, qui sumus. Illud vero, quod injuriarum veniam adhuc difficiliorem reddit, hoc est, quod non agitur solum de extimatione illa, qua apud homines fruimur, verum agitur etiam de lenitate, & humilitate virtutibus humanæ superbiæ prorsus oppositis, quæ, cum sæculo minime arrideant, eas diligenti virtutes, quæ maxime nitent, flocci fiunt, imo etiam honesto viro indignæ putantur; quod efficit injuriarum veniam difficiliorem, quia hæc una pietas obscura, & ab hominibus vulgo ignorata efficere potest, ut obediamus præcepto, quo Deus mandat, ut dimittamus. *Idem*.

Variæ spiritus odii, & simultatis subtilitates.

Dicitis vos ex corde parcere inimico, a quo acrius læsi fuistis; verum certine esse possumus, vos sincere parcere, nullumque amplius superesse in corde vestro simultatis fermentum? Quoties affectata simulatione, atque nequiria reconciliatæ gratiæ speciem homo præsefert? Tacetis, verum est; sed fortasse ut magis inimicum confundatis, qui violento, atque furenti est ingenio; ut servetis hanc mentis præsentiam, atque perspicuitatem, quæ est necessaria, ut, melior sese vobis obtulerit occasio, acrius in illum invehamini. Fortasse hac dissimulatione efficere vultis, ut illa suam intelligat injustitiam, atque ut ipse tortor sit sui. Telum, quod in illum contorquere meditamini, nondum paratum est, neque satis adhuc exacutum. Modestiæ consilium arripitis, sed fortasse ut deinde majori cum effectu in iras erumpatis. Ultionem differtis, sed ut hæc vobis e voto contingat, ut pœnas ad arbitrium sumatis, ut inimicus has det graviores, acerbioresque. Etenim quot prætextus honoris, necessitatis, æquitatis, rectitudinis, zeli, quotidie afferuntur, ne ultionum cupidi videamini? Quot cunctationibus, ambagibusque utimini, ut securius ultionem persequamini? Et quotusquisque inter ipsos Christianos est, qui aliqua affectus injuria omnes non excogitet vias, quibus ultionem sumere valeat! *P. la Pesse, & Recentior quidam*.

Gloriosius est injurias dimittere, quam par pari inimicis rependere.

Docet Apostolus dignam Christiano victoriam esse, cogere inimicum, ut nostræ cedat lenitati, ac mansuetudini: *Noli vinci a malo*, ait ille, *sed vince in bono malum*. Igitur ex D. Paulo est, turpiter ab alio se vinci permittere, cum quis obesse studet illi, a quo fuit affectus injuria. Esto quidem inimicus homo de te victoriam retulisse glorietur negotium tibi facessens, ac injuriam inferens: Nonne tu ipse illum superabis gloriosius, si acceptis damnis beneficia opposueris? Hoc facto, quod facto illius e regione adversatur, efficies, ut illum pudeat injustitiæ suæ, & ille te amore complecti teneatur. Quin in ejus corde iracundiæ flammam nutrias malum pro malo retribuens, ibidem flammas Charitatis accendes. Pudor illum beneficiis tuis gratiorem præstabit, ac tandem lucraberis illum, & ex inimico tibi adjicies amicissimum. *P. la Pesse*.

Quo graviores sunt injuriæ quibus affecti fuimus, eo gloriosius, utiliusque est parcere.

Nihil fideli utilius est, nihilque magis ad acceptas injurias dimittendas illum potest impellere, quam gloriæ suæ incrementum, quod eo majus est, quo difficilius est parcere propter magnitudinem injuriarum, quibus fuimus coinquinati. Nam quo majus in te odium testatus est inimicus, eo contumeliosius te affecit injuria; minusque meretur, ut sui ratio habeatur. Si jugulas iracundiæ sensum, quem, ut natura fert, concipere potes contra illum, & ex corde noxam omnem illi dimittis; magis magisque enitescet generositas tua; moderatio animi tui victoriam tuam commendabit, magisque mereberis coram Deo, qui tibi legem irrogavit de dimittendis injuriis. Nimis beati essemus, o Domine, si charitas regnaret in nobis; sed cum vivere teneamur cum cupidis mortalibus, qui tot rationibus pacem nostram tollunt, nonne beati sumus, cum nostram tibi valeamus testari fidelitatem, vincentes nosmetipsos eum servaturi amorem, quo jubes illos a nobis amari. Cum gratia tua de ipsa natura triumphamus, quæ contra imperium tuum ad rebellionem nos provocat. Corrigimus impetum proximi nostri, quem nostra lenitate commotum pœniteat sibi non paruisse. Confundimus Mundum; qui testis observantiæ nostræ erga leges tuas, cogitur sapientiam, & præstantiam virtutis, quæ in illis emicant, revereri. Dignare, Domine, æqui, bonique facere victimam, quam offerimus tibi, illatas nobis injurias dimittentes, ac permitte, ut ita fidentius adeamus ad tribunal tuarum misericordiarum. *Idem*.

Christianismo abrenuntiet opus est, qui credit fas esse, ulcisci.

Mundus non censet honorificum esse parcere inimico, licet supremus Salvator noster palam, conceptisque verbis id imperaverit. Quem igitur conceptum fovet mundus de hoc adorabili Domino, qui hoc nobis mandatum inflixit, cum tam audacter affirmet injuriarum veniam cum veri honoris principiis conciliari non posse? Teneat opus est, vel Dei Filium hæc ignorasse, vel voluisse illis obsistere necessitatem injuriarum dimittendarum infligendo; & reipsa præcipiendo ut omnem iracundiæ sensum jugulemus, nos coegisse, ut ea quæ vilia, ac turpia sunt, committeremus. Mundus hanc illationem probare tenetur: Blasphemiam non ferendam, Fideles! Turpe est ob illatam injuriam pœnas non reposcere: hæc est mundi sententia: Ineluctabilis necessitas est homini Christiano veniam dare: hoc est JESU CHRISTI præceptum. Si parcis, jam periit extimatio tua, & in mundo inglorius, & infamis haberis; si minime parcis, in æternum perdis animam tuam. Elige; utram partem censes anteferendam? Num dubitandum est? Illinc quidem jactura ad tempus est; hinc

hinc in omnem æternitatem: patet illatio dummodo aliquid Religionis supersit. *P. la Pesse, & recentior quidam.*

Si rerum pretium penderet ab opinione mundi, vitium honorificentius esset virtute.

Quamcumque causam prætexant illi, qui in sæculo homines honesti vocantur, & jactitent hoc mundi placitum, injuriam inimico dimitti non posse citra infamiam, & ignaviæ notam: facile est illis respondere, ultionem, cum palam sit actio prava, Christiano gloriosam esse non posse. Cur hoc? Quia mundi argumenta nullo pacto infirmare possunt legem Dei veniam præcipientis; neque valent boni, malique essentiam mutare, adeoque nec gloriæ, & ignominiæ rationem invertere. Si enim hoc locum haberet, furtum, fœnus, adulterium, omniaque scelerum genera honori verti possent hominibus, si Mundo placeret sceleribus istis aliquam gloriæ notam tribuere. Quænam inversio in rerum natura, si ab hominum sensu penderet vitiis pretium deferre? Ulla ne satis remota essent loca, antra adeo secreta, ubi fideles effugere possent eam malorum colluviem, quæ ex hujusmodi legibus sequeretur? Ultio palam offendit legem Dei, qui illam prohibuit, & qui illam sibi uni reservavit: offendit charitatem Christianam, quam illa necessario jugulat: hinc igitur sequitur, ultionem dedecore suum auctorem afficere. *Idem, & recens Auctor.*

Unde cognosci possit utrū sincere venia fuerit data.

Dicitis vos ex animo parcere, vos in gratiam rediisse cum illo, qui litem vobis intentavit, qui vos in judicium arcessivit, qui vos in ludibrium traduxit, qui aliqua in re vobis fucum fecit; verumtamen vos habere non posse erga illum charitatem. Igitur illum amatis, cum de illo sermo non accidit, cum illum non videtis; sed statim ac illius occurrit mentio, aut ille vestris incidit oculis; accenditur ira vestra, eaque in ore vestro picta videtur. Ne loquamini mihi, dicitis, de hoc homine; ne velitis me cogere, ut verser cum illo, neque ut in illius societate intersim. Illi pepercí; pacem cum illo sancivi; sed nequeo audire de illo apud me verba fieri; illum convenire, & videre nequeo. Sed cur istud? quia ejus adspectus animæ vestræ requiem perturbat. Cur in iras exardescitis? Vix capere valeo, vos sincere pepercisse, quandoquidem ira taliter adhuc cor occupat vestrum, ut undequaque scintillas emittat: omnino necesse est in gratia sarcienda nullam interfuisse sinceritatem. *P. la Pesse.*

Rationes, quæ nos impellere debent ad injurias dimittendas.

Qui non omnino in Christiana Religione rudis, atque hospes est, facile videre potest rationes omnes, quæ nos impellere possunt ad dimittendas injurias, quibus a proximo nostro fuimus affecti. Si nobis peccatorum nostrorum veniam concessit Deus; si adhuc quotidie paratus est ad eas nobis dimittendas, quæ recens committimus: nobis quoque dimittendæ sunt proximis nostris, cum ab illis offendimur. Si Deus, ut nobis iterum suam impertiret gratiam, omnes superavit obices, qui ejus benevolentiæ adversabantur: grave ac molestum nobis videri debet oblivisci injuriarum, quibus nos fratres nostri affecerunt? Deus de nobis pœnas non poposcit; ipsi poscemus? Deus suis pepercit inimicis, nos illos perdemus? atque iracundiæ nostræ satisfacturi naturalis æquitatis principia obliviscemur? Venia, quam toties ab infinita Dei nostri misericordia recepimus, nonne efficere debet, ut facilem fratribus nostris veniam præbeamus? Quænam esset nostra in ipsum ingratitudo, id proximo nostro negare, quod ipse toties præstitit nobis? *Idem.*

Non solum turpe non est injurias dimittere hoc nonnisi gloriosum esse potest.

Quam satis validam rationem afferre potestis, ne fratri vestro dimittatis injuriam, quam Deus permisit, quam fortasse præcepit etiam, ut Scripturæ verbis utar? Deus nonne dominus est? Nonne ad libitum de vobis disponere potest? David pati non potuit, ut minæ intentarentur, ut plagis afficeretur Semei, qui ipsum maledictis petebat: quinimmo succensuit filiis Sarviæ, qui illum contra calamitosum hunc hominem protegebant. Nolite prohibere, dixit illis, quominus mihi maledicat: *Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David.* Si tibi aliquis est Christianæ Religionis, quam profiteris, sensus, næ tu quidem haud nocebis fratri, qui incommodavit tibi. Nonne ille in hoc ipso felicem tibi obtulit occasionem tua crimina expiandi, illius injustitiam dimittendi? Injuria illata nonne tibi in honorem cedet, si illam propter Salvatoris amorem pertuleris? Neque satis esse videatur nullum illi malum pro malo rependere, immo ne optare quidem; illi benefac, ea, quæ bona sunt, precare, & si quæ tibi occurrat de eo benemerendi occasio, hanc e manibus elabi non sinas. Ita testaberis te ex animo parcere, tantumque aberit, ut injuriæ acceptæ aliquod tibi inferant damnum, sincera amicitia, quam illi profiteberis, tibi cedet in gloriam. *Idem, & recens Auctor.*

1 Reg.

Homo ultionis cupidus se ipsum damnat, cum petit a Deo, ut sibi parcat.

Intelligamus hodie quod a Deo petimus quotidie: *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui aliqua affectus est injuria, ejusque ultionem persequitur, quin velit inimico parcere, suam pronunciat sententiam, cum hanc orationem pronunciat; cogit enim Deum, ut sibi dicat: Serve nequam ex verbis tuis te judico: oras me, ut tibi parcam, ut tu ipse iis parcis, a quibus læsus fuisti; tu parcere non vis; non vis ergo, ut parcam tibi. Te votis damno: tibi non parco. Quæ insania est, habere inimicum, quem pati nequis, quem neque videre, neque audire vis; neque amare, & cui animum inducere non potes, ut parcas, cum interim Domino dicere audes: dimitte, sicut dimitto. Nonne hoc idem est, ac si diebus omnibus dicas; Noli me amare; odio me habe; lætare iis, quæ mihi accidunt adversa, ne recta sit tua erga me voluntas: fac, Domine, mecum sicut ipse cum meis ago inimicis? *Modus recitandi orationem Dominicam.*

Quando, & quomodo dimittere debeamus injurias.

Amor inimicorum, vel injuriarum venia argumentum est in tota Christiana morum disciplina difficillimum; verum simul etiam maxime necessarium; & Filius Dei præcipit, ne illius observantia differatur, nam alioquin recitari non posset Dominica Oratio, in qua non petimus, neque peccatorum nostrorum veniam speramus, nisi ipsi dimiserimus proximo injurias, quas nobis potest inferre. Mundi Salvator ad id validissimis causis impellit. Operæ pretium autumo, hic animadvertere trifariam posse dimitti: 1. Non concipiendo, neque fovendo aliquem odii sensum in illum, a quo læsi fuimus. 2. Illi remittendo pœnam, quam ejus meretur injuria. 3. Aliquo exteriori signo ostendendo veniam, quam intus in corde concessimus. Dei Filius nos semper paratos esse vult, ut modo primo parcamus, licet etiam frater, a quo lacessiti fuimus, veniam non peteret. Prudentiæ, & Charitatis interest judicium ferre, quando, & quomodo parcendum sit modo altero: sæpius enim perniciosum esset peccanti aliisque, debitam sceleri pœnam remittere, quotiescumque id ille petierit: quod autem spectat ad sarciendam gratiam, atque extrinsecus aliquo signo ostendendam veniam, quæ jam intus in corde concessa fuit, JESUS CHRISTUS ea parabola, singulisque ejusdem circumstantiis, uti legitur in S. Matthæi Evangelio, docet nobis signum hoc fratribus nostris, saltem petentibus, numquam esse negandum. *Tourneux in Anno Christiano Tomo undecimo.*

Qui hæc proferunt verba quin velint injurias dimittere, damnationis suæ proferunt sententiã.

Dimitte nobis debita nostra &c. Exigua illa cura, & attentio, modica illa observantia, & humilitas, qua hæc excepi verba, me nocentem coram te, Domine, constituunt! Cum enim omnia præteritæ vitæ meæ peccata complectantur, mihi proferenda fuerunt sensu animæ sub crinium suorum pondere oppressæ; cumque illa proferre non possem, neque hanc orationem dicere: *Dimitte nobis debita nostra,* quin cogitarem te a me gravissime, & sæpissime læsum fuisse, nonnisi trepidans, atque

atque contremiscens illam pronuntiare debuissem. Quomodo igitur tibi dicere potui, ut dixi: *Dimitte nobis debita nostra*? Me ita abusum fuisse tanta cum indignitate eo adminiculo, quod mihi ad peccatorum meorum veniam obtinendam tribuisti, nonne idem est, ac me tua misericordia, & venia indignissimum præbuisse? Sed toties dixisse, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, & nihil umquam dimisisse, nonne hoc idem est, ac toties damnationis meæ sententiam pronuntiasse? Nonne est præbuisse tibi locum dicendi, ut olim servo nequam: *Ex ore tuo*
Lu. 9. *te judico*? Secretas semper fovisse simultates, secretumque odium in eos, qui me affecerunt injuria: ita ut laudes eorum nonnisi ægre, & gravate audire queam; ita ut lætitia afficiar ubi audio, qui illis detrectant; ita ut non sine contemptu de illis verba facere valeam, & interea dicere Deo: Dimitte, sicut dimitto: quid hoc est, nisi attollere manus ad Deum, ut ab eo veniam expetam, easque attollere contra proximum, ut illum plagis afficiam? Nonne hoc est dicere Deo: Domine, sicut ipse minime parco, tu quoque cave, ne mihi parcas? *Ex libro cui titulus, Modus recitandi Orationem Dominicalem*.

De Ultione, & Ulciscendi libidine.

Non possit Religio, ut injuriarum sensu non afficiamur, sed ut ulciscendi libidinem coerceamus.

Ultio superbo cordi virus est adeo blandum, ut difficillimum sit ulciscendi libidine nequaquam trahi. Virtus etiam probatissima vix posset hunc nobis sensum auferre; & si ut diligas inimicum, opus est non affici eo animi motu, quem ultro parit injuria: a nobis id peti mihi videtur, quod vires nostras excedit. Secundum hanc ineptam, nullaque ratione suffultam sententiam ipsi nobis eam parcendi necessitatem confingimus, quæ non magnum facessit negotium humanæ ulciscendi cupiditati. Sed cum fideles hortamur, ut suis parcant inimicis, non exigimus quidem ab illis, ut omni careant sensu, neque ut impenetrabiles se præbeant telis, quibus læduntur, neque ut quidam stupor eos liberet a morsu doloris, quo se læsos intuiti conficiuntur. Christiana Charitas sensum nobis non aufert, sed jugulare debet in cordibus nostris progressum illorum motuum, quos in illis excitat contemptus, aut violentia inimici. Illa non semper hos prævertere potest; sed cum isti excitantur, illa hos arcere debet, neque in illis immorari. Illa nequaquam in hoc sita est, ut injuriam, quæ non sentitur, contemnat, sed in hoc, ut dimittat injuriam, quæ nobis infert dolorem. Et sicut lumen numquam nitidius apparet, nisi in tenebris sibi oppositis; ita virtus subsistere nequit, nisi inter opposita vitia, quibus adversatur; & nullum habere potest meritum, nisi de opposito suo referat triumphum. *Pater la Pesse Tomo 5.*

Salvatoris exemplum sequi debemus in danda venia injuriarum, quibus provocamur.

Difficultas injuriæ dimittendæ oritur ex difficultate eam sustinendi. Si nos contemptos videmus, bonum nostrum per injustitiam, atque impotentiam amittimus; calumnia nostram nobis aufert existimationem; honor noster per contumeliam læditur; periculum in rem nostram per cuniculos conflatum, efficit, ut fortuna nostra labefactetur, & corruat. Hæc mala in nobis gravissimos cient motus. Ut Deo obediamus, hæc animi perturbatio nobis sedanda est, & anima nostra in eum statum est adducenda, ut videat illum qui nobis negotium facessit, nec oderit. Arduum hoc est, non diffiteor; sed consideremus lenitatem, qua Deus utitur nobiscum, licet quotidie offendamus illum. Servo numquam arctum videri debet imitari herum suum, neque militi ducem suum, quin pro ignavo traducatur. Venia, quam tribuit Deus suis inimicis, efficere debet, ut ipsi quoque nostris parcamus: & si, ut Christianos decet, loqui volumus, post tot exempla, quæ Salvator nobis reliquit dimittendi gravissimas contumelias, atque adeo mortem ipsam: nemo est, qui secundum hoc exemplar credere non debeat, parcendum esse inimicis. *P. la Pesse. Tom. 5.*

S. Rex David nobis magno est exemplo ne ulciscamur illatas nobis injurias.

Cum de Saul verba fiebant coram David, cui non deerant causæ propter quas illum horreret, quin hic irritaretur recordatione omnium injuriarum, quas ab illo fuerat affectus, quin illum iratum animum testaretur, de eo libenter, & non sine quodam honore loquebatur. Pius hic princeps novas subinde cupiebat occasiones ostendendi, se illum a se vere diligi, & personam æque, ac memoriam illius sincere in honore haberi. *Numquid superest aliquis*, ajebat, *ut faciam cum eo misericordiam Dei*, quemadmodum nobiscum fecit Dominus, & eam nos facere jussit? Ita oblectabatur David ipsum etiam sævissimi persecutoris sui nomen colere in illius progenie. Voluisset omnibus benefacere, qui ex illius domo fuerant; vos autem mundi sectatores, spiritus furentes, & ultionis cupidi, nisi vestri ratio haberetur, nisi summa sedulitate foveretur recens inita gratia, statim odio vestro locum daretis; & consanguineos, affines, amicosque ipsos damni, vel injuriæ, quam recepistis, omnes ad unum internecione deleretis. Vis legis, præcepta Dei, timor amittendæ animæ non satis validum esset vallum furori vestro, nisi utriusque partis amici indesinenter adlaborarent, ut sartam tectam tuerentur instauratam necessitudinem? *Pater la Pesse. Tomo 5.*

Deus non ulciscens docet nobis non ulciscendum de injuriis acceptis.

Natura nos docet amicos diligere, & fides inimicos. Nolite retribuere malum pro malo, dicit Dei Filius, neque contumeliam pro contumelia reponere, benedicite illis, qui vobis obtrectant. Quibus verbis nos docet ultionem a nobis non esse reposcendam de illis, qui nos oderunt, quinimo de iisdem benemerendum esse. Deus, verum est, per justitiam suam malum pro malo retribuit, cum punit mortalium peccata iis pœnis, quas fuere promeriti. Sed per misericordiam suam bonum pro malo retribuit, cum oriri facit solem suum, & dimittit imbres suos super bonos, & malos. Posuit judices ministros justitiæ suæ, sed reliquis hominibus suam dumtaxat misericordiam ad imitandum proposuit; quod nobis ostendit, quam procul esse debeamus non solum ab ultione, sed ab ipsa ultionis cupiditate. Non licet igitur amplius hominibus seipsos ulcisci; non licet illis; non dico malum inferre, sed ne cupere quidem illis, a quibus contumelia afficiuntur. Verbo tenentur diligere inimicos suos; non officimus illi, quem diligimus, vel etiam e contra illi prosumus. Hanc ob causam post JESUM CHRISTUM Apostoli vetant, ne malum pro malo quis audeat rependere, & præcipiunt, ut pro malo bonum rependatur. *Auctor recens.*

Jugulare in corde suo ultionis desiderium acceptissimum est sacrificium, quod offerri possit Deo.

Ubinam cogitatis David, magnum illum Regem Israel, illum secundum cor Dei virum, majorem præ se fortitudinem tulisse? Ne putetis hoc tunc accidisse, cum leones contrivit, cum Gigantes prostravit, cum potentissimos Reges subegit. Animæ illius magnitudo admirabilior longe mihi videtur, cum in manibus suis videns sævissimum inimicum, qui ad illum perdendum toties posuerat insidias, dixit solum, in sua potestate fuisse
illum vicissim perdere: *Non extendam*, ait ille, 1. Reg. 24.
manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est. O verba tanto corde dignissima! Cur vobis in anima insculptæ non sunt? Illis, ubi feret occasio, uteremini, ubi aliqua adesset de fratribus conquerendi causa? Homo hic, dicitis, suspicatur me scelus hoc patrasse: ille se occupari adversum me passus est; apud alios me tanquam nefarium hominem traduxit, ac per summum nefas maculam nomini meo offudit, existimationem, ideoque rem, familiamque meam labefactavit. Ecce nunc sese mihi offert occasio pœnas ob multiplices hasce contumelias reposcendi. Nunc in memoriam revocandum est admirabile Sancti hujus Regis exemplum, dicendumque cum illo: *Non extendam manum meam .... quia Christus Domini est*.

ul est: Vir iste nequam, creatura mea est, illum ex nihilo eduxi; beneficiis meis cumulatum eum, qualis est, ipse feci; ille me abusus est. Omni honore carebo, nisi ulciscar; tutissimam ulciscendi nactus sum viam; & hoc mihi videtur æquissimum. Verum non ita: hoc membrum est Salvatoris mei; totus est illius sanguine ablutus: *Non extendam manum meam*. Perfidus ille litem mihi intentavit, corruptisque judicibus me de bonorum possessione dejecit; & modo ego, & familia mea ad egestatem redacti sumus. Quid mihi faciendum est, Domine? Importuni ejulatus filiorum in incunnabulis vagientium poscere mihi videtur sanguinem illius, qui mihi vivendi subsidia præripuit: Sed non ita, omnes isti ultionis sensus in ipso ortu sunt jugulandi. Affectus quiescite; humani mores, ulciscendi libido, inimici nequitia, humana ratio tacete. Omnes hæ cogitationes huic uni cedant. Homo hic est Salvatoris imago; Salvatoris sanguine in baptismo consecratus est: *Non extendam manum meam .... quia Christus Domini est*. *Auctor recens*.

Melius ulciscimur inimicis parcendo quam iram in illos nostram exercendo.

Ita est, ipse testor, Fidelis ultionem suam melius persequitur inimicis parcendo, quam si turbidos belluinæ cupiditatis suæ impetus sequeretur; & patientia, quam illi suadet religio, nobilior ultio est ea, quam illi sua indignatio, & iracundia suadent. Inaudita hæc sententia est, sed nihilominus verissima! O vos qui in hac afferta honoris summa estis adeo religiosi, adeo faciles, & proni in iras, adeo docti in hominum commercio, ut judicetis, ac sitis arbitri gratiæ farciendæ, attendite, quod dicturus sum. Ultio, si inde bonum aliquod percipere studes, duas habere debet qualitates; gloriosa esse debet illi, qui affectus injuria fuit, & gravis, atque molesta afficienti. Duo requirit, satisfactionem, & punitionem: satisfactionem, quæ reparet punitionem, quæ animadvertat: satisfactionem, quæ mulceat dolorem illius, qui læsus est; punitionem, quæ coerceat gaudium, quo exultare potest, qui læsit. At obliviscendo injuriæ, illam contemnendo, ac silentio, atque animi moderatione testando, illam negligi; qui eadem affectus quodam in sensu majorem nanciscitur satisfactionem, quam si acerrime persequeretur ultionem suam; qui vero affecerunt illa videntes hanc ab illo, cui facta fuit, negligi, & nullo in discrimine haberi, magis, magisque humiliantur, ac puniuntur, quam si pœna sibi infligeretur. Dicamne? Qui injuriam attulere, sibi assumunt dolorem, quem passurus erat ille, cui fuit allata, & qui recepit injuriam, ea fruitur lætitia, qua se fruituros sperabant, qui illam attulere. Aggressor habetur velut homo, qui non meretur, ut quis de belluina feritate sua pœnas reposcat; nihilque ultra requiritur, ut ille præ pudore, ac dolore tabescat. Contemptus injuriæ gravior semper est inferenti, recipienti vero gloriosior. Qui de inimico meritus est male, qui illum dedecore affecit, non aliud cogitabat, quam illi negotium facessere, illum ad iracundiam provocare, crucem illi figere. Lætatus erat, ubi id agendi nactus est occasionem; neque hanc sibi elabi passus, illi incommodaverat; sed ubi intellexit, ultionem ejus contemni, suaque tela in irritum cedere; lætitia ipsius in furorem conversa est. Verum esto, si in furore suo aliquod inveniret solatium in spe sese ulciscendi; sed cum hoc careat solatio, quod ultio sperata illi pollicebatur, nihil accidere potest, quod majorem afferat mærorem agressori, majorem laudem, ac nobilitatem illi, cujus patientiam fatigare, & frangere meditabatur. Cur nefarius ille inimicus te lædebat? Ut videlicet dolore afficereris. Expectationem illius frustratus es, tu non afficeris dolore, opus est ut ille afficiatur. Cum malum eo, quem sperabat effectu vacuum fuerit, opus est ut in auctorem redeat. *Abbas Boileau in Quadragesima*.

Prohibet Deus ne ulciscamur.

Dicitis desiderium ultionis insculptum esse in anima, ab ipsa natura animantibus insitum; oportere non esse, nec spiritum reciprocare, ut sensum, qui altas adeo radices jecit, exuamus: Hoc dicit natura. Ego vero, dicit Dominus, qui naturæ sum auctor, & qui rationem ad illius motus inhibendos formavi, dico vobis, parcendum esse: *Ego autem dico vobis*. Dicitis, ultionem rationi inniti, nisi vis vi repellatur, futurum ut bonorum simplicitas semper improborum audaciæ pateat: Hoc vobis afferta hæc ratio dicit: Ego vero, penes quem rationis est norma, & arbitrium, dico vobis, potestatem improbos coercendi publicæ tantum justitiæ committendam esse, numquam autem privati homini læsi iracundiæ: *Ego autem dico vobis*. Dicitis legem mundi mandato meo esse oppositam. Sed ego mundi Dominus sum; opus ergo est, ut mundus, & vos, mihi tamquam Deo vestro obediatis: *Ego autem dico vobis*. Dicitis, mandatum hoc vires vestras excedere, neque tantum vobis esse in vosmetipsos imperium, ut obediendi consilium capere valeatis. Hoc vestra dicit ignavia: Ego vero qui novi mensuram virium vestrarum, æque ac mensuram auxilii, quod vobis allaturus sum, dico vos posse imperata facere; & in vobis situm esse obedire. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*. Inde autem elato hoc vocis sono utitur Filius Dei, quod quamvis totus coopertus sit umbra humanitatis, quamvis filius hominis videatur, & Deus ipse, qui legibus hoc principium, hunc exitum affigebat: *Ego sum Dominus, & non est præter me*. Tamquam solus supremus Dominus, & legislator, est, etiam supremus Judex; & omnis pœna, non secus ac omne judicium pendet ab eo. Ultio igitur ad ipsum unice pertinet, eamque sibi reservavit tamquam potissimam imperii sui partem: *Mihi vindicta, & ego retribuam*. Hæc legis origo est. Hanc ille Principibus, atque Magistratibus permittit: illis suam auctoritatem impertit. *Non sine causa*, inquit S. Paulus, *gladium portat, Dei Minister vindex in iram*. Sed tu illum nequicquam, ac temere portas, cum illum adversus fratrem tuum exeris; tibi vindicas jus Dei; & licet omnes mundi, naturæ, utilitatis, honorisque voces clamarent, ultionem esse prosequendam; Deus parcendum esse clamat. Omnia jura, ubi vox ista resonat, clamant hac una de causa, quia loquitur Deus. *Ego autem dico vobis*. *P. de la Rue in Quadragesima*.

Matth. 5.

Eccli. 36.

ad Rom. 12.

ad Rom. 13.

Mandatum Judæorum populo irrogatum idololatras gentes exterminandi non probat ultionem inter Christianos. Deut. 25. 19.

Ne ulciscendi jus in eo constituatis præcepto, quo Deus mandavit populo Israel, ut sine venia exterminaret Idololatrarum gentes in finibus suis, & ut reminisceretur injuriarum, quibus Patres sui fuerant affecti: *Memento, quæ tibi fecerit Amalech*, neque earum oblivisceretur umquam; *cave ne obliviscaris*, ut tandem nomen eorum de terra deleret: *Delebis nomen ejus sub Cœlo*. Præceptum hoc nihil continet, quod nostram palpare valeat cupiditatem. Hebræi non jubentur de terra exterminare inimicos suos; idololatræ isti nullum ipsis damnum intulerant; sed inimici erant Dei, quandoquidem idolorum cultui sese mancipaverant, atque nequissimis flagitiis sese ingurgitaverant. Deus eligebat Hebræos suæ justitiæ ministros, & armabat brachium eorum adversus inimicos gloriæ suæ. In illos suam transferebat auctoritatem ob finem hunc, quemadmodum illam in Principes, atque Magistratus transfert, videlicet ad publicam licentiam coercendam, & sicuti Judex est improbus, cum per corruptionem, infirmitatem, indulgentiam permittit, ut nocens eam, quam meretur pœnam effugiat: Hebræi, & Reges ipsi in Dei indignationem incidebant, cum post victoriam vitam servabant, vel etiam bona populorum reprobatorum. Sed omnino vetabantur, ne de civibus, aut fratribus pœnas sumerent. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo. Non quæras ultionem; nec memor eris injuriæ civium tuorum*. Lex autem Evangelica tollit hanc Civium, & Exterorum, Fidelium, & Infidelium distinctionem: & hanc Judæorum legi adjicit perfectio-

Levit. 19.

ctionem. Dictum erat antiquis: Diligite amicos vestros; inimicos autem odio habere, inimicos nempe Nominis, & Legis Dei. Ego autem JESUS CHRISTUS ait, dico vobis diligite inimicos vestros, illis benefacite, orate pro illis, quicumque tandem illi sint, fratres, alieni, Christiani, Hæretici, Idololatræ. Omnibus affero legem Misericordiæ, & gratiæ, nemo excipitur, hæc ad omnes extenditur. Neminem ergo excipietis a veniæ gratia, non secus ac a vestra charitate. Amabitis omnes, parcetis omnibus, jus mutuum erit inter omnes; hoc ipse sancio. *Ego autem dico vobis*. Intelligitisne hæc verba? Eorum sensum assequimini? *Ego autem*. Opponite vim hujus præcepti, *Ego*, omnibus rationibus, omnibusque in contrarium argumentis. Invenietis illum omnibus respondere hac voce. *Ego autem dico vobis. Pater de la Rue in Quadragesima.*

Interest Reipublicæ quod privati nõ ulciscantur.

At enim honoris interest vestri, ut insignem persequamini ultionem: sed interest reipublicæ, ordinis, tranquillitatis, securitatis Mundi totius, ut inulti sitis, ut cor non habeatis plenum amaritudine, ut etiam, si opus est, honore careatis. Licet deberetis ultionem dimittere, contemptui esse urbi, & orbi, ab inimicis opprimi; hæc sane pro vobis est injustitia; sed injustitia hæc justa est, utilis, immo etiam necessaria propter publicam utilitatem, ac bonum. Vobis enim ulciscendi facultate concessa; particularis hæc indulgentia obtinebit effectum licentiæ generalis, & signi ultionis, & crudelitatis. Corda semel sejuncta, numquam ultra coibunt, odia erunt internecina; & per parem, mutuamque inferendi, propulsandique injurias æmulationem, odia ipsa veterascent & magis, magisque inflammabuntur. Amici, & proximi per hanc contagionem irreconciliabiles fient inimici. Discordia migrare videbitur de dominibus, & familiis ad Provincias, & Nationes; cruor e vulneribus manabit, & donec patres hæredum suorum; domus præsidiorum, Regna, & imperia strenuissimorum ducum jacturam deflebunt; Mundus totus pacis, & publicæ securitatis excidium plorabit. Libram accipite, & appendite hinc quidem tot, tantaque mala, inde vero ultionis dulcedinem: horribile illud malorum pondus, & inanem hanc voluptatem; utrumque comparate. Heus! Utri potiora sunt jura. Vobisne qui vestram oblectationem, & voluptatem quæritis, an reipublicæ, quæ cum vestræ voluptatis detrimento suam quærit tranquillitatem, & securitatem? Hæc duo simul ad trutinam revocare adeo abhorret a rationis sensu, ut Ethnici quoque hac in re tanti momenti ipsius Christianismi æquitatem anteverterint. Neminem latet censura Socratis, & Platonis in hoc placitum adeo improbum; amicis serviendum, persequendum esse inimicos. Placitum excogitatum, inquiunt illi, non Sapientum consilio, sed Tyrannorum, & hostium humani generis sævitia. Hujusmodi Ethnicæ Philosophiæ decisio merus erat rationis eorum fructus; quem ipsi fructum a nostra percipimus? Quid illa nos docet, nisi acumina excogitare, ut justitiæ fucum allinamus belluino furori, qui contra civilia, atque politica commoda nos docet perennare inimicitias, eo usque, ut ignoremus ea, quæ noverant Ethnici, solam inimicitiarum extinguendarum viam esse sinceram veniam, & injuriarum oblivionem. Hoc pacto, inquit Tertullianus, telum ab inimicis contortum in cor armatum patientia eumdem habet effectum, quem sagitta in rupem aliquam emissa. *P. de la Rue, in Quadragesima.*

Plato in Critone, & L. 2. de Rep.

De Patientia c. 18.

Promissio, qua pollicetur Deus se nobiscum acturum, sicut ipsi egerimus erga eos, qui nos læserunt, omnem in

S. Joannes Chrysostomus, cum Antiochenum populum ad injuriarum veniam hortaretur, describebat illi funestum illum statum, cum Augustæ simulacro everso, provocarunt in se Theodosii Cæsaris iracundiam, & urbem suam in extremæ vastitatis periculum redegerunt. Jam accensi erant ignes, ait ille, jam carnifices nocentium corpora laniabant, jam undique circumstrepebant gemitus, & clamores; quisque sibi timebat, quod alios pati intuebatur. Inter tantam hanc cædem, trepidationemque, S. Chrysostomus inquit, si Præco Cæsaris nomine eisdem edixisset: Mutuo vobismet parcite; obliviscimini injuriarum fratrum vestrorum, & obliviscetur imperator vestræ seditionis; Quonam ardore vicissim visi fuissetis ruere in mutuos amplexus, & oscula, immo etiam ad pedes, & genua? Numquid vel brevi momento venia fuisset dilata? Numquid in conciliandis animis ulla difficultas extitisset? Num a venia petenda pudor ullus deterruisset? Numquid cor refugisset extrinseca testimonia sincere in gratiam redeuntium? agebatur de læsi Principis ira sedanda. Si hoc pretio ille proposuisset nocenti populo gratiam esse redimendam, heu! pretium hoc nulli nimium fuisset visum; nihilque ad illam obtinendam difficile existimatum fuisset. Fratres mei, S Chrysostomus adjiciebat; ego quoque dico vobis, quod non fecit imperator cum seditiosis civibus, hoc vobiscum, & cum rebellibus omnibus facit Deus. Omnium scelerum vestrorum obliviscitur, pœnas omnes remittit vobis, dummodo vos etiam fratribus vestris dimittatis. Quod autem vobis remittit, non est carcer, exilium, verbera, mors, nec quidquam eorum, quæ ultio humana in inimicum exercere potest; Vobis remittit Infernum, æternitatem pœnarum, id quod solus Deus mortalibus potest infligere. Ita ne ulciscendi libido vos excæcavit, ut satis intelligere nequeatis, quantum oblatio vobis a Deo hac in re facta propositam ab eodem vobis conditionem excedat? Sed cum conditionem dixi, non satis acu rem attingo, hæc enim conditio est, cui assensum tribuistis, quam vos ipsi accepistis; quæ in contractum migravit inter vos, Deumque sancitum. Conditionem hanc gratiam reputastis, atque illius complementum a Deo petiistis solemni oratione, quam illi quotidie recitatis. *Dimitte nobis debita nostra*, vos dicitis, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Hic igitur immoremur. Deus quoque & ipse dicit vobis, ego quoque faciam, quod vos facietis. *Sic pater meus cœlestis faciet vobis*. Hoc pactum est utrinque sancitum, nemo inde recedere potest. *P. de la Rue in Quadragesima.*

nobis jugulare debet ultionis desiderium.

Matth. 18.

Ulcisci vis: quis id crederet? Tu qui fuisti Dæmonis mancipium, & cui Deus licet iratus contra te, sanguinis sui pretio te in libertatem vindicavit? Ulcisci vis, tu qui in nullam reditus spem perieras, nisi Deus, a quo eras deserendus, se ipsum constituisset in locum tuum, ut salvum te faceret? Ulcisci vis, & JESUS CHRISTUS tibi vult parcere: ne adjicias tot aliis criminibus crimen, quod ultionem reposcendo patrares. *Vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamentum conficientem*. Sanguis Dei nequaquam petentis ultionem adversum vos, nonne satis efficax est medicina ad iracundiam tuam extinguendam? Sanguis adorabilis, pretiose sanguis, ego te effudi, & adhuc vivo? tibi omnes, quascumque assecutus sum gratias debeo, tu fons es omnibus bonorum meorum. Hic sanguis, hic idem sanguis cohibuit iram Dei jamjam tela in caput tuum contorquentis, & petentis veniam, quam inimico negasti. Te inexorabilem adhuc præbebis? Voci adeo elatæ aures tuas obstrues; avertes oculos a vulneribus, quæ tu ipse tuo Redemptori intulisti, ut ea solum videas, quæ fratri tuo machinaris inferre? *Pater la Pesse in Sermone, ubi ostendit quam facile parcere debeamus fratribus nostris, cum Deus ipse nobis parcat.*

Argumenta ad ultionis desiderium ulciscendum aptissima.

Aug. serm. 2. de Sancto Stephano.

Homines superbi, & ultionis cupidi, ecce vobis rationem, cui nihil objici potest, & cui resistere nullo modo potestis. *Mihi vindicta, & ego retribuam*, dicit Dominus. Ulcisci, idem esset ac diffidere de justitia Dei vestri, qui se pro vobis pœnas expetiturum pollicetur; idem esset ac

Ultio spectat ad Dominum.

sub

sub acceptæ injuriæ fuco, Deo injuriam afferre, vosmet judices in propria causa constituendo. Jus hoc unius est Dei. Unus enim Deus neque cupiditate ulla, neque avaritia potest corrumpi. *Morales animadversiones cum notis in Epistolam S. Pauli ad Romanos.*

Ulcisci est præ se ferre infirmitatem, ignaviam, vel feritatem.

Ad ultionem sumendam satis est obnoxios esse dolori, & iracundiæ, ad id nulla opus est virtute, nec ratione. Hinc ignavissimi, ac infirmissimi ex hominibus non secus ac pueri, & populi, qui minus exculti sunt, facillime irritantur, & vehementissime ulciscuntur. E contra vero ad parcendum, ad iram, ultionemque moderandam, & ubi opus fuerit, extinguendam: hic opus est virtutis, atque rationis, hic requiritur constantia, & heroica fortitudo; & hic ideo vera sita est honoris summa. Si hic est vera honoris summa; ergo oppositum, videlicet summa honoris, quæ in hoc statuitur, ut præter æquum, & fas immodicæ pœnæ de inimico sumantur, & ultio quæratur, non aliud est, quam ignavia, infirmitas, vel sævitia. *Pater de la Rue in Quadragesima Sermone de venia injuriarum.*

Fas est se se defendere; nefas autem ob acceptam injuriam ulcisci. *Deut. 32.*

In justa defensione nihil est reprehendendum: Vis potest propulsari, & hoc natura ipsa nos docet; sed nemo rationem debet per se ipsum reposcere ob acceptam injuriam. Licet nobis prohibere, ne quis nobis inferat contumeliam, sed vetat Dei lex ulcisci. Ad Judices, & Magistratus a Deo constitutos interest, illis, qui læsi sunt, justitiam administrare: *Mihi vindicta*, Rex Regum inquit, *& ego retribuam*. Quod bruta animantia sese mutuo dente, cornu, calce petant, atque dilanient, nil mirum est; dicere satis est; illa ignorare, neque secernere posse quid sit in natura vitiosum ab ipsa natura. Homo vero, cui judicium inest, & ratio, debet distinguere opus Dei, videlicet personam, quam ipse Deus, quatenus Auctor naturæ creavit, a vitiis, & peccatis illius, quæ cum per se mala sint, a Deo esse non possunt. Cum igitur inimicus aliquam illi infert contumeliam; amet hic, opus est, personam, & detestetur injustitiam; misereatur magis opus est, quam abominetur nocentem, atque Medicos imitetur, qui benevolentia prosequentes ægrotos suos, oderunt ægritudinem, nihilque inausum relinquunt, ut illam radicitus convel-
Matth. 5. lant. Hoc mundi Salvator nos docuit. *Ego autem dico vobis; diligite inimicos vestros; benefacite iis, qui oderunt vos, & qui vos persequuntur. Auctor recens.*

Primi iræ motus jugulandi sunt, ne ad ultionem usque procedant.

Spiritus Sanctus per Prophetam nos admonet; nobis quidem justam esse posse iram; sed cavendum, ne illa malos gignat effectus. *Irascimini, & nolite peccare.* Hoc S. Paulus quoque Ephesiis commendat: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Quorsum hoc? Quia ira, quæ diutius permanet, secum affert ulciscendi cupiditatem, quod homini Christiano minime licet. Apostolus igitur innuit; si bilis inter tot occasiones, & causas iracundiæ effervescat, conemur primos illius impetus inhibere, ac jugulare, ne animo acrimoniam foventes ad ultionem usque procedamus. Extinguenda est igitur prima ejus ignis scintilla, quæ iram in cordibus nostris studet accendere; quia aptissima est ad magnum incendium excitandum. Gratia igitur ante solis occasum est sarcienda, ne labamur in gravissimum scelus videlicet, Dei simul, & proximi lædendi; quod proprie esset utramque Legis Tabulam frangere, & in Dei odium certissime incidere. *Auctor recens.*

Turbæ, & sollicitudines ultionem quærentium.

Quot turbis, quot sollicitudinibus, quot timoribus, quot curis agitur cor, ultionis libidine occupatum! Odium semper incipit a laniena cordis, quod odio inflammatum est, antequam suam exerceat crudelitatem in inimicum quem persequitur. Quemadmodum ignis proprio subjecto suo prius inhæret, quam alieno; ita dicere possumus ultionem de inimico repetentem primam esse ultionis suæ victimam. Nonne præcox infernus est interdiu, noctuque comburi igne ardenti, qui indesinenter ciet memoriam illius, quem persequimini, tamquam monstri infestissimi, qui injuriam amplificat, qui vos indignatione inflammet, qui ad solum inimici intuitum vos irritat; Quisnam dolor, si felix sit, si omnia e voto illi contingant? Quæ rabies, si in honore habeatur? Quæ desperatio, si potens? Quænam invidia, si bene audit? Quis timor, si superet? Quæ anxietas, ut fugiatis, vel in irritum abire efficiatis, quidquid ille, fortasse etiam contra vos, meditatur? Quænam affectuum sibimet jugiter succedentium procella? Heu! quoties optatum fuit intus in animo, numquam tempestatem hanc excitasse, numquam illud agitasse negotium, quo impediti estis? Ultionem sumpsistis; ad tempus aliquod experti estis improbam quidem voluptatem; sed profecto admodum amaram. Quid maligna hæc parit oblectatio? metus semper recentes, funestas inimicitias, quæ sese in familiis perennant, & illas sæpissime evertunt. Bone Deus! quibus ægritudinibus, ac ærumnis non liberat nobilis, & Christiana generositas, quæ propter Deum omnem sacrificans iracundiam, acceptam injuriam, atque contumeliam dimittit? *P. Croiset in Asceticis Exercitiis pro singulis Anni diebus.*

Non ulcisci argumentum est animæ magnæ. *Homil. 17.*

Quilibet homo concipere potest ulciscendi desiderium, & re ipsa ulcisci, Magnus Basilius, inquit, in pulcherrimo sermone illo, quem de ira conscripsit. *Vindictam sumere cujuslibet hominis irascentis est.* Quare? quia omnis homo irritari potest, cumque ira effectus sit impatientiæ, impatientia palam effectus est infirmitatis. Ut quis irascatur, ut ulciscatur satis est sequi ingenium suum; satis est secundum naturam suam agere, sine animadversione, sine modo, sine regula, quæ res non excedit abjectissimæ cujuslibet animæ imbecillitatem. At cohibendane ira est, quæ ex omnibus animi ægritudinibus una est, quæ facilius exardescit, quæ celerius rationem antevertit nostram, nisi summam gesserimus curam ejus scintillæ, quæ illam potest excitare? Magna opus est præsentia spiritus, magno opus est animo, magna constantia, animi magnitudine, magnanimitate; superior sis oportet & illi, qui te lacessere vult, & tibimetipsi, qui velles commotus videri, & ægritudinem tuam inimico significare. Ultio eumdem gerit caracterem imbecillitatis, quem ira; eamque iram jugem vocare possumus. Nemo ulciscitur, & hic vestram appello experientiam; nemo ulciscitur sine animi perturbatione, sine animi motu, sine iracundia. Non ergo sui compos est, qui ultionem persequitur. Igitur ultionem minime persequi animæ magnæ argumentum est. *P. la Pesse, Sermone de vi, quam venia injuriarum petit.*

Non ulcisci; sed e contra inimicum diligere, secernit Christianos ab aliis Religionibus.

Dei Filius Fidelibus legem imposuit, qua de inimicis ultionem non reposcere jubentur. Soli Christiani suos diligunt inimicos, reliqui amicos tantum, Tertullianus ait, *Amicos diligere omnium est: inimicos solum Christianorum.* Præceptum quod nobis interdicit ultionem apertissime nobis, ac vehementissime significatum fuit: *Dictum est antiquis*, idem Salvator ait, *diliges proximum tuum: & odio habebis inimicum tuum; Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Essene potest mandatum apertius, ac fortius? Hoc nonne est omnino prohibere ne quis, quovis modo, ulciscatur? Amare illos, qui nos amant, ac de nobis benemerentur; si hoc tantum a nobis Salvator exegisset, nos cum Publicanis, Ethnicisque confudisset: Sed præcipiens ut nostros diligamus inimicos, idque ultionem interdicens, nos in discipulorum suorum ordine constituit. *Pater la Pesse.*

Quænam impudentia sit rogare Deum, ut nobis par-

Difficile est Fideles suæ Religionis præceptis imbutos posse rogare Deum, ut sibi sua dimittat scelera, quin simul cogitent, quo pacto illi se

ant cum interim ultionem molimur.

li se gerant cum inimicis suis, & timeant, ne suam damnationem petere videantur, si adhuc ultionis desideria foveant in corde. Undenam hæc oritur diffidentia, & hic timor? proculdubio ex prohibitione, qua Deus cavit, ne ulcisceremur, & ex naturali præjudicio, quod omnibus nobis est; Deo uni Jus esse, atque auctoritatem ulciscendi se, atque nos ipsos. Quæ igitur audacia vestra est, spiritus ultionis cupidi, irreconciliabiles inimici, audere, Deum precari, ut vestra vobis debita dimittat, cum intra vosmetipsos meditamini quomodo valeatis de inimico pœnas reposcere? Quomodonam audetis Divinam implorare misericordiam, cum interea ignem flammasque evomitis præ furore, quo ultionem persequi cupitis? Potestisne igitur aliquam a Deo gratiam repetere, donec ferreum vobis est cor erga proximum vestrum? Nullo charitatis sensu commoti per summam impudentiam acceditis ad thronum Dei! Sed eo in statu, in quo estis, quid assequimini? Tantum abest, quod aliquam gratiam mereamini, ut immo cumulum sceleribus vestris adjiciatis. *Pater la Pesse, & Auctor recens.*

Quantum periculosius sit ulcisci, quam parcere.

Conferamus, quæso, paulisper, detrimentum, quod ulciscentes recipere potestis, cum illo, in quod incidere potestis repetentes ultionem illatæ vobis injuriæ. Ultionem deserentes Mundus fortasse vos insimulabit ignaviæ, stupiditatis, & jacturæ, si lubet, honoris. Sed malum, quod proximo vestro inferre meditamini, comparatine potest cum malo, quod ab ira Dei vobis est expectandum? Nonne furor est, velle damnari, potiusquam iræ sensum jugulare? Terrenus Rex, Sanctus Chrysostomus inquit, omnem cohiberet ultionem mortem minitando; frustra vero minitatur Deus æternum exitium ultionem quærentibus? Ultores, Dei minæ in irritum minime cedent; vos quidem ulciscemini; sed Deus ulciscetur. Perperam inimico vestro litem nullis innixam argumentis intentabitis; & Deus vos in æternam dabit infelicitatem. Hominis hujus existimationem perdetis, qui fortasse nihil obfuit vobis; & Deus vos æterna suffundet ignominia. Efficietis, ut accola, quem odistis, domo sua, & patria etiam fortasse cedat; Deus autem vobis cœli aditum obstruet, *Pater la Pesse.*

Quam rerum perturbationem in mundo pateret valeat privati unius ultio, & unius familiæ contentio.

Quæ turbæ, quæ mala non in privatorum dumtaxat familiis, verum etiam in Provinciis, regnisque contingerent, si cuilibet fas esset ulcisci; non enim hic agitur de privata re civium aliquorum, sed de re publica Mundi totius. Si vobis liceret ulcisci, ille, de quo ultionem reposcitis vicissim non cessabit, quominus priori recentem adjiciat contumeliam, ut vos pœniteat mali, quod illi rependistis. Ita in dies ingravescent inimicitiæ: domorum negotia secundum cognationum, & familiarum latitudinem totam fortasse urbem inflammaret, & post unius familiæ interitum, tota interire posset provincia. Æquissimo igitur jure factum est, ut adorabilis Dei nostri Providentia voluerit, ut bonum omnium generatim necessarium haberet nexum cum bono cujuslibet privatim. Merito igitur infinita ejus Sapientia ultionem prohibuit; qua privatorum calamitas facile post se publicam trahit calamitatem. Justissima ergo de causa Deus frænum injicere voluit infelici huic cupiditati, qui nos impellit, ut pro malo malum retribuamus; quia offensionem sequi posset ultio, & ultio posset in infinitum procedere. *Pater la Pesse, & recens Auctor.*

Homo homini insultat, insigni illum afficit contumelia, fortasse etiam, qui injuriam intulit contemptibilior, & nequior illo est, cui illata fuit; Servus negotium alteri servo facessit: Ecce quare te ipsum perdere vis, perdens inimicum ultione tua: neque enim, si recte intelligatur, homo est, quem lacessis ulciscens; sed ipse Deus a quo esse, & vivere accepisti. Ab hoc petis quotidie, ut tibi dimittat debita tua, sicut tu dimittis aliena; ergo perjurus es, cujus oratio potius irrisio est a te Creatori tuo facta, quam oratio. Quænam est audacia tua, abjecta creatura, ut ita velis de fratre tuo ultionem sumere ob leve detrimentum, quod accepisti, cum Deus te adhuc patitur post tot flagitia, quibus Majestatem illius dedecorasti. Esto etiam, homo ille, qui te affecit contumelia, tuis cumulatus fuerit beneficiis, & tu sexcenties de illo per quam bene meritus fueris; sed numquid ille tantum te amare tenetur, quantum tu ipse teneris diligere Deum, & obtemperare illi, illi, inquam, qui palam præcepit tibi, ut parceres? Resipisce igitur, & animadverte injuria te putare, pœnes te jus esse pœnas reposcendi a fratre tuo propter levissimam quamlibet acceptam injuriam; cum noluerit Deus illas sumere de te, qui decies centena criminum millia patrasti contra illum. *Auctor recens.*

Christianus semper injuria de fratribus suis sumit ultionem cum interea Deus non sumat de injuriis quibus afficitur.

Ulcisci vultis, ut dicitis, ulciscemini igitur, antequam Salvator ultus fuerit de injuriis, quibus a vobis affectus fuit; perdetis inimicum vestrum, antequam Dei Filius inhibuerit cursum gratiarum, quas vobis largiri vult, antequam vos salvet. Servus miser igitur, injuste, atque crudeliter exiguum fratris sui debitum exiget; dum JESUS CHRISTUS Dominus illius ipsi per misericordiam infinita debita dimittit? *Vindicari vis Christianus? Nondum vindicatus est Christus.* Christianus igitur persequetur ultionem, inulto Domino. Quid? profitemini credere Deum vestrum fuisse infami trunco confixum; adoratis vulnera, quibus ille confossus fuet, & sanguinem, qui ex venis illius effluxit; scitis illum nulla in carnifices suos ejaculatum fuisse fulmina; sed e contra pro illis deprecatum fuisse; & vos adhuc producitis passionis ejusdem ignominias, de fratre vestro ultionem expetentes? *P. la Pesse.*

Validissima ratio, quæ nos cogi posset, ut iracundiam nostram jugulemus.

Ulcisci cupitis; injuria, qua fuistis affecti, nimis magna est, quam ut æquo animo tantum damnum ferre, ac dimittere valeatis. Verum sanguis Dei non repetens a vobis pœnas, non est satis efficax medicina, ut vestram juguler iracundiam? Tamen hic idem sanguis, sanguis hic adorabilis inhibuit iram Dei, quæ jam jam in caput vestrum erat lapsura, & a vobis veniam petit, quam inimico negatis. Numquid inexorabiles eritis? Numquid voci adeo potenti aures obstruetis? Avertetis oculos a vulneribus, quæ vos ipsi Salvatori intulistis, ut vosmet ulciscamini de injuriis, quæ a fratribus vestris vobis illatæ fuerunt? Opusne igitur est, ut furori vestro obsequamini, & frustra in vobis charitatem accendere cupimus; quoniam Deus, qui vobis parcit, & qui pro mortuis passus est, frustra petit a vobis, ut parcatis? Surdi estis vocibus Ministrorum Dei: omnia potentissima remedia rejicitis. Abire ergo, ultionem poscite, verum simul cavete, ne Deus quoque de ultione vestra insignem sumat ultionem. *P. la Pesse, & Auctor recens.*

Quæ mala in mundo glicerent si cuivis ulcisci liceret.

Quemadmodum posseris de fratre vestro judicium ferre vos, quos vel minimus casus perturbat, quos superbia confundit, quos rapit iracundia? Qui fieret mundus, si quivis, eamdem ac vos, licentiam sibi vindicaret? Nihil ubilibet inveniretur, nisi proditiones, tumultus, civilia, externaque bella, nihil nisi diffidentia, confusio, rerum publicarum subversio, luctus. Tu vero, qui te inexorabilem præbes, jamdudum fortasse immolatus fuisses ultioni inimici tui, si ille æque inexorabilis fuisset, ac tu. Quid igitur, ut nostræ pareamus iracundiæ, societas tota perturbari debet? opus est, ut homines invicem se mutuis confodiant vulneribus perinde ac bruta ferocissima? Abite, explete cupiditatem, quæ vos excæcat, sed mementote quicumque vos estis, quos crudelis hic ulciscendi furor rapit, vos nequaquam evitaturos ultionem Dei, qui cum vobis interdixerit hæc flagitia, quæ totam civilem vitam perturbant, noverit vicissim de vo-

de vobis sumere ultionem eo magis terribilem, quo majori cum patientia vos toleraverit. *Pater la Pesse*.

Subtilitas spiritus ultionis.

Non deest quædam versutorum, callidorumque ultorum species, qui per vanitatem simulant se ex animo parcere. Cur ita? Quia non deest quædam gloriæ species in quibusdam occasionibus non perturbari, in quibus fierent mundi fabula, si se læsos esse testarentur. Laude enim quodammodo dignum est, pati sine ulla emotione malum, quod communes animas turbat, & quidquid ægritudinis contemptibiles, abjectæque animæ nobis parere possunt: quia gloriosum est ostendere, nos minime concuti his cupiditatum fluctibus, qui turbare consueverunt mortales male institutos; & nos ab illis adeo abhorrere, ac taliter inimicis nostris præcellere, ut illius jacula, ad nos usque ne pertingere quidem valeant. Hæc vanitas nonne videtur proficere, ut ab omni ultione abstineamus? Ita fane: verum hæc satis crudelis est ultio, licet dissimulata. Hic enim ultionis cupidus, qui talis videri non vult, non dignatur cum illo versari, & consuescere, quem odit, hunc videre non potest; huic terga vertere adfectat, simulac eminus illum prospicit; eumque tamquam si numquam cognovisset intuetur: cum eo agit tamquam cum homine pretii nullius; simulat etiam nihil sibi esse cum illo. Quo nomine hoc appellabitis, si ultio non est? Malignum hoc frigus, superba hæc stupiditas dici ne potest Christiana Charitas? *Pater la Pesse & recentior quidam*.

Quot ambagibus utitur ultor, ut fines suos assequatur.

Ne putetis istic nobis os sublinire, asserentes vestrum in gratiam reditum sincerum esse: vos nemini malum optare. Scimus identidem, & per intervalla vobis elabi verba quædam aculeata, acerbasque irrisiones. Haud nos latet, vos nullas prætermittere occasiones adversus inimicos vestros aliorum odia excitandi, negotium illis facessendi, ubicumque iracundiæ vestræ fucum aliquem valeatis alline-re. Sæpe narratis ea, in quibus vos inimico vestro superiores fuisse gloriamini, in simulata hac gratiæ reparatione; quomodo illi ex mutuo consensu veniam petierit. Contenditis omnibus in rebus illis incommodare; propius omnia eorum vestigia scrutamini; omnia in probrum eorum convertitis, veteremque contentionem instauratis, ubi aliquid ipsum peccasse arbitramini. Si hæc vera est reconciliatio, & non simulata ultio: profecto nescio quonam alio modo ulcisci consueverint illi, qui sub externa charitatis specie sævissimum proximi sui odium abscondunt. *P. la Pesse*.

Quæ cæcitas sit pro cupiditate ulciscendi animas suas perdere.

Quinam fieri potest, ut oblectatione qua fruimini, de inimico ultionem sumentes, magis afficiamini, quam timore, ne de vobis ulciscatur Deus? Num vobis igitur stat, perdere potius animam vestram quam oblivisci injuriæ, quæ fortasse commentitia est, & quæ ita vobis contemptibilis videretur, ut ne levem quidem animi vestri perturbationem mereatur, si eo modo, quo Christianos decet, loqueremini? Igitur abrenuntiatis cœlesti hæreditati; dummodo pœnas sumatis ob injuriam, quæ plurimum conferre posset vestræ sanctificationi, & saluti, si eam in rectum usum convertere velletis. Difficile est intellectu, quomodo pro honoris summa, quæ inane nomen est, quomodo pro re quapiam, quæcumque tandem illa sit, possitis animas vestras negligere, & vosmetipsos eo usque odisse, ut propter leve aliquod damnum a fratribus acceptum subire velitis periculum, ut a Deo in omnem æternitatem reprobemini. Fatendum tamen est, cæcitatem vestram huc usque procedere; quandoquidem per mutuas inimicitias, per inexplebilem ulciscendi libidinem nullo in discrimine habetis terribilem Dei jure in vos irritati ultionem, quæ prope est ut in caput vestrum dilabatur. *Pater la Pesse, & recens Auctor*.

Ultionis cupidi, qui sub externa adfectatæ reconciliationis specie alitis in cordibus vestris hoc virus ultionis est, quod vobiscum periturum non est; quam vobis de vobismetipsis diffidendum est in adeo terribili negotio, ubi non agitur de re nullius momenti, sicut arbitramini, agitur enim æterna salus animarum vestrarum. Tamen conscientia vestra quiescit, dummodo extremis labiis parcatis inimico, ad quem furori vestro sacrificandum estis parati, ubi primum propitiam nacti fueritis occasionem. Numquid non timetis terribiles minas, quas intentavit Deus similibus vestri, qui hoc ultionis monstro obsessi sperare nequeunt se habituros partem cum Deo hoc misericordiæ, qui illam mortalibus omnibus interdixit? Si fratri vestro non parcitis, quid a justitia Dei expectare potestis? Nihil istic medium est, vel parcendum est inimico, & omne ultionis desiderium jugulandum est, vel opus est, ut anima, quæ toto vitæ spatio inflammata fuit desiderio ulciscendi, teneat se hoc eodem igni combustum iri per omnem æternitatem. *Recens auctor*.



AMOR, ET CHARITAS ERGA PROXIMUM.

MONITUM.



Llud primum in hoc argumento notandum occurrit, Amorem Proximi, Charitatem; qua illum complecti jubemur, plurima comprehendere officia, quæ unico Sermone pertractari non possunt, cum singula satis affluentem materiæ copiam suppeditent, ut integra concio expleatur. Hoc igitur in loco de charitate erga Proximum verba facturi sumus generatim tantummodo sumpta; alioquin cum ex Apostoli sententia præcepta quæcumque nostram cum proximo vivendi rationem respiciunt, ad hoc unum redigantur, qui omnes hujus partes complecti, easque sigillatim persequi vellet, ne ille quidem argumentorum omnium latissimum, atque diffusissimum pertractandum aggrederetur. De inimicorum dilectione, correctione fraterna, aliisque erga Proximum charitatis officiis sigillatim loco suo pertractabimus, atque ad dicendum supellectilem ornatissimam afferemus; hic vero nobismetipsis eos cancellos constituimus, ut de solo fratrum diligendorum præcepto, hoc est de ea sincera dilectione, qua illos prosequi tenemur, & arcta, insolubilique necessitate eosdem semper fratrum loco habendi verba faciemus.

Alterum vero notandum haud abs re puto, hanc scilicet virtutem sejungi nequaquam posse neque ab iis rationibus, quæ nobis illam exercentibus debent observari, neque a mediis eamdem acquirendi, neque ab officiis, quæ Proximo præstare debemus, itaut quemadmodum de illa sermonem nequit institui, quin vitia eidem opposita ostendantur, ita fieri nequaquam possit, quominus hæc omnia licet obiter, & generatim attingantur, quin tamen aliqua particularis species ex professo tractetur; neque concinnemus orationem vel de Eleemosyna, vel de injuriarum venia, vel de Obtrectatione, vel de temerario judicio, licet hæc omnia charitatem respiciant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum de Charitate erga Proximum sistema.

I. 

Ro textu, atque divisione Concionis illa assumi possunt Apostoli 1. *ad Corinth.* 13. verba: *Charitas patiens est, benigna est;* atque in parte priori ostendi; in hoc positam esse charitatem, ut feramus in proximo, quidquid ab illius amore nos divellere posset, si ex solo naturæ, vel rationis etiam sensu ageremus; in altera vero, virtutem eamdem in eo consistere, nequam nos patiendi occasionem proximo tribuamus. In exordio charitatis supra cæteras virtutes bona explicari possunt, eaque elogia afferri, quibus Scriptura, Sanctique Patres eam decorarunt: veluti cum ajunt hanc totius Christianæ perfectionis fundamentum esse, ac vinculum, quo omnia in statu suo continentur; hanc a Dei filio testamento Apostolis relictam fuisse postrema ea concione, quam ad ipsos habuit; ipsumque voluisse, ut hic esset character, quo Discipuli sui a cæteris hominibus distinguerentur. Verum cum amor non in corde tantum debeat includi, sed extrinsecus etiam sese prodere factis, hæ duæ sunt rationes (illæ videlicet, quas supra memoravimus) omni plane ambiguitate carentes.

Prima autem, quæ primum punctum constituit, est pati, 1. personales proximi defectus, ejus inæqualitatem, imperitiam, asperitatem, insuavitatem. 2. injurias, vel injustitias, quas nobis infert, & quas licitis rationibus prohibere non possumus. Latius hic sermo institui potest de delicato hominum ingenio, qui ultro, citroque pati nequeunt vel minimum aliquid, quo se lædi putant; ac ostendi, charitatis esse, quantum fieri potest, proximi facta excusare, modo quod lædendi mens illis non fuerit, modo quod inscienter id fecerint, & ex errore magis, quam ex prava voluntate peccaverint. 3. ingrati animi vitium, infidelitatem, ea etiam mala, quæ minus excusari posse videntur, & quæ magis obsucre, ideoque animi nostri impetum frænare, ac proximum, licet nos oderit, amore complecti; ita ut ubi in naturalibus amicitiis amor amorem conciliat, in charitate christiana odium, quo Proximus nos prosequitur, ratio sit, propter quam majori illum affectione prosequamur, atque illius misereamur, eumdem vitio adeo rectæ rationi adversanti videntes obnoxium.

Altera christianæ charitatis nota, quæ alteram concionis partem constituit, hæc est, ne cui nos ferendi occasionem præbeamus. *Charitas benigna est;* quod quidem assequemur, 1. si ea diligenter evitabimus, quæ proximum lacessere valeant; neque putabimus ea minimi esse momenti, ac flocci facienda, sed eadem ex nobismetipsis existimabimus, sæpe enim, quod nos leve censemus, alios graviter lædit. 2. si omnes proximo gratificandi occasiones, ac malum bono vincere quæremus: 3. si eas, quæ forte a nobis illatæ fuerunt injuriæ, reparabimus. Præ cæteris numquam nobis est oblivioni tradendum præcipuum illud charitatis præceptum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Alia Concionis delineatio ea omnia colligens, quæ de Charitate aptiora, atque utiliora dici possunt est, 1. ostendere necessitatem, qua generatim proximum amare tenemur; 2. officia, ad quæ hoc amore obligamur. II.

Pars Prior. Necessitas proximum diligendi innititur primo explicito Domini præcepto, cujus æquitas, utilitas, ac necessitas possunt ostendi; ubi ob oculos proponendum est; hoc peculiariter esse JESU CHRISTI præceptum, mandatum novum, & quibus de causis. 2. Rationibus, quæ Proximum nobis amabilem exhibere debent, nulla quamvis ipsi bona qualitas naturalis insit, quæ affectionem nostram promereatur. Ipse factus est ad imaginem Dei, cujus similitudinem gerit; Filii Dei sanguine redemptus est, & Deus illum eo usque dilexit, ut pro eodem vitam suam traderet.

Præter naturæ similitudinem, quam habet nobiscum, habet quoque similitudinem gratiæ a nobis longe majori habendam in pretio; eidem, ac nos, finis est destinatus, nobis fidei, & religionis vinculis, eorumdemque Sacramentorum communione conjunctus adhæret.

Posterior pars, Charitatis officia generatim ad hæc duo referuntur. Primum alteri damnum ne inferatur; quod explicatur per ea, quæ in prima ad Corinthios Epistola cap. 13. fusius S. Paulus enumerat. Alterum, ut illi optemus, & pro viribus omnia procuremus bona; illius negotia foveamus, ejus faveamus utilitati; si quid boni eidem acciderit, lætemur; econtra vero si quid mali, condoleamus, eique solatium, atque opem feramus; atque ut me verbo expediam ei quidquid boni pro virili parte possumus, seu temporale sit, seu spirituale, sponte, atque hilariter afferamus. Opera misericordiæ utriusque speciei satis cognita sunt, eaque leviter, obiterque attingere haud abs re fortasse videbitur.

III. Pro Concionis de Fraterna charitate argumento, ac divisione duplex hæc assumi potest veritas, quarum probationes faciles sunt, atque perspicuæ.

1. Quicumque fratrem non amat, ab hoc Deum vere non diligi; quamcumque prætexat causam, ut suæ vel non satis enixæ dilectioni, vel odio suo, quo in illum æstuat, a quo se lacessitum fuisse existimat, & quamcumque sibi adesse rationem putet, ne fratrem diligat: duplex enim hæc charitas erga Deum, & Proximum sibi invicem cohærent, atque altera ex alterius mensura æstimatur. Ad hæc Dei mandatum satis apertum est &c.

Altera; Deum reciproco amore eum prosequi minime posse, qui fratrem suum oderit, vel eumdem non dilexerit; nam præterquamquod harum veritatum altera consequatur alteram; arctis inter se nexibus conjunctæ sunt; ac Deus hanc semper conditionem suæ gratiæ substernit, quæ ab ejusdem amicitia sejungi nullatenus potest.

IV. Evolvi, & enucleari ea possunt officia, quibus charitatis christianæ preceptum nos subjicit.

1. Ut Proximum in JESU CHRISTO diligamus, hoc est dilectione sancta, & vera, cujus hic finis sit fratrem virtutibus ornatiorem efficere, eique quantum in nobis est, æternam felicitatem procurare, eidem ut sese sanctificet & consilia, & auxilia præbendo; ita enim unanimi consensu a Sanctis Patribus explicatur.

2. Ut illum pro JESU CHRISTO diligamus, hoc est propter amorem, quo Salvatorem prosequimur, hunc in fratribus considerantes, ac illi omne procurantes bonum hoc animo, quasi Salvatori nostro præstaremus; ubi latior ad dicendum campus aperitur: *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*.

3. Denique ut illud amemus, quemadmodum eum JESUS CHRISTUS ipse dilexit, qui omnia fecit, omnia passus est, omnia propter ipsius amorem suscepit. Hoc sane est charitatem ipsam ad altissimum ipsius cumulum provehere; ea non solum quæ præcepti, sed quæ consilii sunt, etiam observantes.

V. Dei Filius, qui severe adeo præcepit, ac sæpe amorem Proximi commendavit, docuit etiam qua ratione hic a nobis esset amandus; quod ipsum nobis Concionis argumentum potest suppeditare. Hæc enim ratio generatim tria spectare potest exempla, quæ nobis tria officia demonstrant.

Proximum nostrum diligere eo amore, quo nosmetipsos amamus: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Matth. 22. Hoc sane plura complectitur; præsertim vero significat, quemadmodum amor, quo nosmetipsos amamus, cæterorum maximus, fortissimus, ac potentissimus est, similem esse debere nostram erga Proximum charitatem.

Alterum est illum diligere quemadmodum nos ab illo diligi cupimus: *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Luc. 6.

Tertium illum amare, quemadmodum a JESU CHRISTO amati fuimus. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Scis autem quousque nos dilexerit Deus &c. *Desumptum ex P. Nepveu in Christianis Considerationibus*. Joann. 15.

Pro concionis argumento, ac partitione assumi possunt præcipue qualitates christianæ erga proximum charitatis. VI.

1. Supernaturalis esse debet in fine, quæcumque enim proximo præstamus ad illius salutem sunt referenda.

2. Universalis esse debet in extensione; scilicet christiana charitate omnes homines sunt diligendi quicumque illi sint, cujuscumque regionis, fortunæ, conditionis, dignitatis &c.

3. Constans esse debet in duratione; numquam enim ab amore cessandum, licet proximus nobis odii, ac simultatis tribuat occasionem.

Charitas vult ea nos Proximo præstare, quæ amor proprius nobisinetipsis facere suadet. Sedulo ea quærimus, quæ ad nos pertinent; vitæ hujus commoda, utilitatem, honorem; illa summa sollicitudine appetimus; si quis illi obstiterit, ira concipimur; si quis abstulerit, mœrore gravissimo obruimur. At erga proximum omnino oppositum accidit; nulla tangimur cura sive quid boni, sive mali cedat, immo inflexibiles sumus, invidi, & maligni. At charitas, uti dictum est, docet, ut his omnino contraria operemur: vult in nos duros esse, indulgentes in alios; vult ut illis dolentibus condoleamus, & gaudeamus, si quid ipsis feliciter cesserit; vult, ut ipsorum minimas etiam res cordi habeamus, ac sæpius in eorum gratiam aliquid de jure nostro concedamus. Hæc sunt charitatis consilia; ubi duplicem considerare possumus utilitatem, quam illi percipiunt, qui ita affectibus suis dominantur, ut eadem exequi valeant. Inde autem duo concionis puncta possunt efformari. VII.

Punctum primum. Id si fecerimus, metuendum non est, ne per excessum delinquamus, ut opera nostra facile justos cancellos prætergrediantur, veluti cum de nobis agitur; 1. limites enim præscripti, ubi pro nobismetipsis agitur, multo sunt angustiores, quam cum proximo inservimus; neque alicui unquam Sancto viro probro versum est, si quid in aliorum præstitit gratiam, quod sibimetipsi licere non credidisset, quin nimis sibi blandiretur. 2. Hæc facilitas, & largitas generalis, atque fratribus omnibus communis ex aliqua passione oriri non potest; passio autem illa est, quæ efficit, ut adeo facile modum negligamus, ubi de nostra agitur utilitate, vel eorum, quibus vel sanguinis communione, vel alio quopiam naturali, & peculiari nexu sumus conjuncti; qui ut plurimum ex philaucia proficiscitur.

Punctum alterum. Metuendum non est, quin opera nostra meritoria non sint, & ad æternam salutem consequendam inutilia, quod ut plurimum accidit, cum commoda nostra nimia sollicitudine quærimus. Quærere requiem suam, voluptatem, fortunam, gloriam, licet etiam hac in re in nullum impingeremus extremum, quod ex se vitiosum videretur, quidnam adeo supernaturale invenitur? At robus in iisdem pro fratribus suis esse sollicitos, & ea angi cura, quam nobismetipsis nequaquam licere arbitraremur; mortificatos in iis omnibus, quæ ad nos pertinent, erga alios suaves esse, atque indulgentes; quidquid illis placere potest, prævertere, cum aliunde nefas minime sit; hoc sane nonnisi ex supernaturali principio, & ex generoso amore, quem voluit JESUS CHRISTUS

Chri-

Christianorum notam esse, ac proprium caracterem, potest oriri.

VIII. Quid sit amare, ut Christianum decet; & Charitate supernaturali diligere.

1. Amare est id, quod in se nihil habet amabile, ideoque amare Proximum, licet imperfectum, ingratum, infidelem, proditorem; quemadmodum in fide id credimus quod ratio comprehendere nequit; & numquam vividior Fides est, quam cum obscurior; ac plurimi obices superandi sunt. Dilectione prosequi, ac lenes, suavesque sese præbere erga illos, qui in nos severi, durique sunt, velle, & facere bene illis, qui nobis, & volunt, & faciunt male, hoc est amare, uti decet discipulos illius, qui nos adhuc peccatores dilexit, ac se ipsum tradidit pro nobis: *cum adhuc peccatores essemus*.

2. Licet plurimos in fratribus defectus deprehendamus, aliquod tamen in ipsis amabile invenire, errata excusare, quod in ipsis minus erroneum est invenire, & matres imitari, erga filios suos, industrios, & indulgentes oculos habentes; præsertim vero spectare supernaturalem, ac verum finem, qui in his omnibus rebus nos dirigit, in Proximo Dei imaginem contemplari; eam intueri partem, quam in eadem obtinuit redemptione, vocationem illius ad eumdem finem pertinentem, prædestinationem ejusdem fortasse statutam, decretamque, licet adhuc in errorum suorum cœno volutetur &c.

IX. Charitas erga Proximum efficere debet, ut fratres nostros in Christianæ Religionis, vel JESU CHRISTI spiritu diligamus.

Punctum Primum. Explicare fusius quinam sit hic spiritus, qui amorem ab omni utilitate vacuum, benevolentiæ, & non cupiditatis, amorem cordis, purum, sanctumque deposcit: *de corde puro, & de conscientia bona*, quemadmodum ait S. Paulus 1. *ad Timoth.* 1.

Punctum alterum. Ostendere paucissimos esse, qui christiana, ac vera charitate proximum diligunt, easque varias recensere rationes, quibus homines sese ultro citroque amant; quarum quidem aliæ malæ sunt, & criminosæ, aliæ indifferentes, ac mere morales, quæ nullius sunt meriti. *Quam Mercedem habebitis*? ipse ait JESUS CHRISTUS: *Nonne, & Ethnici hoc faciunt*? Matth. 1. Ostendendum igitur per hoc charitatis officia non adimpleri.

X. Ostendere, Deum charitatis nostræ finem, & exemplum.

1. Finis esse debet: proximum enim propter Deum debemus diligere. Hic enucleandum est, quid sit, & quid significet amare Proximum propter Deum; quemnam finem nobis proponere debeamus proximum diligentes, & quænam inditia sint, ex quibus cognoscere valeamus, utrum ipsum vere propter Deum diligamus.

2. Exemplar quoque esse debet. Proximum amemus, quemadmodum Deus ipse nos amavit. Amavit autem 1. nos prævertens, ac prior amorem nostrum inquirens. 2. nos diligens sine ulla specie utilitatis, quin nostri indigeret, cum ipse per se beatissimus sit. 3. nos immenso amore complectens; nihil enim omisit, ut nobis ardentem amorem suum testaretur: *Hoc argumentum pertractatum fuit ab Auctore Sermonum in omnia Ethicæ Christiana argumenta, in Adventu*.

XI. Christianæ Charitatis conditiones.

Prima. Amor esse debet sincerus, & verax, ex ipso corde profectus, neque in solis verbis, exteriobusque officiis consistens, quæ omnia nullo sunt in discrimine habenda.

Altera. Esse debet universalis, neminem excipiens, sed paratus, ut omnibus seu pauperibus, seu divitibus gratificetur, quin locum iis cogitationibus præbeat, qui cor, charitatemque ipsam coarctant; licet in eadem charitate ordo servandus sit, & ubi plures adsint, qui eamdem operam nostram exoptent, alios aliis præferre possimus, immo debeamus etiam; e. g. alienis consanguineos &c.

Tertia. Debet esse Practicus, & Efficax, qui nos ad opera charitatis erga Proximum exercenda, eorumque exercendorum perquirendas occasiones impellat. *Ex morali Dictionario*.

In Charitate erga Proximum considerare possumus. XII.

Primo; præcepti naturam, quod nos eumdem sincere diligere jubet, quin unquam eidem officiamus, & quæcumque illi possumus, pro virili bona procurare.

Secundo; Ordinem, qui per præceptum præscribitur, seu rationem, qua diligendum est.

Tertio, mentem præcepti rationes indicantem, propter quas proximum diligere debeamus. *Ibid.*

Bona, quæ ex charitate percipimus, & quæ in his Sapientiæ verbis contineri mihi videntur: *Est in illa spiritus intelligentiæ, Sanctus, Unicus, Multiplex*. Sapient. 7. XIII.

Primo: Unionis, & Charitatis spiritus, quem Dei Filius dedit discipulis Dei, ut illos a reliquis hominibus secerneret, spiritus est Sanctitatis: *Sanctus*: neque dubitari potest, quin nos sanctificet; per illum enim, ut ait S. Paulus, alia Evangelii præcepta observamus, & omnes Christianæ Religionis virtutes, omniaque dogmata exercemus, ubi Charitatem exerceamus.

Secundo: *Spiritus unicus*. Charitas Christianorum corda, & voluntates conjungens unicum tantummodo cor efficit, unicam voluntatem: *Cor unum, & anima una*. Act. 4. quod de primis fidelibus dictum est, & hoc pacto quilibet cæterorum bonis, & felicitatibus gaudet; fortis est, dives, potens ex vi, ac opibus eorum omnium, quos diligit, & a quibus mutuo diligitur. Quænam felicitas! Quæ bona!

Tertio: Spiritus Charitatis nos ita conjungens, nosmet eodem momento multiplicat; efficit enim, ut in tot personis agamus, quot illi sunt, qui nobis suavi, ac pretioso hoc vinculo devincti sunt; cum quilibet alienarum virtutum, bonorum operum, ac meritorum particeps fiat: *Spiritus multiplex*.

1. Christianus proximum suum propter Deum, & amore supernaturali diligere debet. XIV.

2. Illum amare tenetur amore universali, qui neminem quacumque de causa ab ejus excipit dilectione. Hi sunt christianæ charitatis caracteres, qui sermonis partitionem efficere possunt. Supernaturalis esse debet, & universalis.

Fratres nostros amare debemus: 1. quia amantur a Deo, hic eos etiam, ut nos, ad imaginem suam, & ad eumdem, ac nos, finem creavit &c. 2. quia illos diligit JESUS CHRISTUS; eodem redempti sumus pretio; pro illis æque ac pro nobis mortuus est eamdem sequimur legem, eadem habemus Sacramenta, eidem famulamur Domino &c. Hæc totidem vincula sunt, quibus invicem sumus conjungendi. 3. quia Deus, & JESUS CHRISTUS præceperunt, ut proximum diligeremus. Ita Deus Creator, Deus Redemptor, Deus Legislator jubent Proximum a nobis amari. XV.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri valeat rerum, sententiarumque copia ad proposita Concionum systemata explenda.

Sanctus Gregorius Magnus *l.* 3. *moral. c.* 4. præceptum Charitatis explicat, ac fusius de illis differit qualitatibus, quas S. Paulus huic virtuti adscribit. Ex S. Patribus.

Idem *Hom.* 8. *in Ezechielem* loquitur de vi, ac robore, quod hæc virtus nobis contra Dæmonem tribuit.

Idem *lib.* 10. *moral.* explicat, atque ostendit utriusque præcepti charitatis unionem; quid faciendum, evitandumve sit erga Proximum, ut divinæ legi obtemperemus.

Idem *hom.* 38. *in Evangelia* explicat quid sit Charitas, & in quo consistat, & quid sit diligere Proximum propter Deum,

S. Augustinus de hac passim verba facit *in Psalmo* 21. 47. 65. 67. 98.

Idem *lib. de Unitate Ecclesiæ contra Epist. Petil. in lib. de Natura, & Gratia; & in lib. de Spiritu, & Littera.*

Idem *in tractatu* 65. *in S. Joannem, in tract.* 7. *in primam Canonicam ejusdem Apostoli epistolam; in sermone* 21. *de Verbis Apost.*

Idem *in Epist.* 59. *ad Paulinum, in Epistola* 62. *ad Cælestinum*; præsertim vero in *Epistola* 137. *ad Volusianum*, ubi ostendit, omnia Politicæ præcepta; omnemque statuum societatumque omnium felicitatem, ac perfectionem, in charitate, & concordia tantum consistere, & per easdem vigere. Denique de hac virtute pluribus in locis verba facit.

S. Ambrosius *serm.* 9. *de unitate charitatis*, ostendit conjunctionem, & propinquitatem, quam Christiani habent in JESU CHRISTO ipsa etiam consanguinitate esse majorem.

Idem in Epistolam ad Romanos ea explicat Apostoli verba: *Quis nos separabit a Charitate Dei?* ad Rom. 8.

Idem in primam ad Corinthios epistolam hæc explicat verba: *Scientia inflat, charitas ædificat.* 1. ad Cor. 8.

S. Hieronymus *in Regul. Monach. ad Paulam, & Eustochium*, latius de charitatis merito disserit, sine qua reliqua omnia nihil sunt.

S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 32. *in epist.* 1. *D. Pauli ad Corinth.* loquitur de Charitatis præstantia, de modo, quo Proximus diligendus est, de præcepto, quo a Deo illum amare jubemur, & de Charitatis hujus officiis.

Idem *Homil.* 33. fusius eas persequitur qualitates, quas Charitati tribuit Apostolus: *Charitas patiens est, benigna est*, &c. ac adfert exempla ex sacris Bibliis deprompta. Alibi etiam passim de hoc loquitur argumento.

S. Bernardus, vel quicumque Auctor est Tractatus *de diligendo Deo*, primis quatuor capitibus de Charitate etiam erga Proximum loquitur.

S. Bonaventura aliquot habet hujus argumenti sermones.

S. Leo sermonem habet de laudibus Charitatis, ubi de omnibus ejus speciebus verba facit.

Hugo a Sancto Victore, *in erudit. Theol. de Sacram.*

Infiniti propemodum laboris esset omnes istic Sanctorum Patrum locos afferre, ubi de hoc argumento sermo est; quid autem alios auctores recensere? Eos tamen potissimum memorabimus, qui Concionatoris majorem rerum copiam possunt suppeditare.

Ascetici. Granatensis in memoriali ostendit unam eamdemque virtutem esse Dei, & Proximi dilectionem, ac deinde eas adfert causas, propter quas Charitatem habere tenemur; quod fusius adhuc in Peccatorum Duce pertractat, ubi virtutis hujus ostendit Officia.

Alphonsus Rodriguez satis amplum hac de re tractatum elucubratus est, ubi de hac ipsa virtute, ac fraterno amore verba facit: cujus utilitatem, ac necessitatem aperit, & quomodo foveatur, edocet, nihil prætermittens quod ad hoc argumentum referatur.

Ludovicus de Ponte satis prolixe de hac re loquitur: *tom.* 2. *tractatu* 3. *tomo tertio tractatu* 1. *cap.* 5. *alibique.*

Petrus Canisius. *Tract.* 1. *c.* 3.

Petrus Sanchez *in Regno Dei p.* 6.

P. Rapin in hoc argumento librum composuit, quem inscripsit, *Spiritus Religionis Christianæ*, ubi octo capitibus, quidquid magis notandum est, scite collegit.

P. Nepveu in libro, qui eodem inscribitur titulo, de Charitate erga Proximum agit, ubi capite primo de illius Natura, & Effectibus, in secundo de regulis charitatis a JESU CHRISTO traditis; in tertio de JESU CHRISTI de hac virtute Doctrina; in quarto, de ejusdem Exemplis; in quinto de rationibus, quæ nos ad Charitatem erga Proximum inflammare debent; & in sexto denique loquitur de mediis hanc virtutem acquirendi, atque conservandi.

P. Senault in libro de Homine Christiano *cap.* 5. *&* 6.

P. Saint Jure libro 3. de cognitione, & amore Domini nostri, ostendit quinam sit proximus noster, & quinam in charitate servandus sit Ordo.

P. Haineufue in libro de Ordine 3. parte sermone 20.

PP. Arias, Pinelli, Lancisius, aliique plurimi argumentum hoc pertractarunt, & paucissimi sunt Ascetici libri, qui de eodem minime disserant.

Ex Concionatoribus. P. Faber *Domin.* 12. *post Pentecost.*

P. Texier sermone pro 3. Quadragesimæ Dominica, ubi de Fidelium per charitatem unione verba facit.

P. Aurelianensis.

De la Font. propositione pro 12. post Pentecosten Dominica.

Lambert, Sermone de Ecclesiastica vita sextodecimo.

Abbas de Monmorel Homilia in 17. post Pentecosten Dominica.

Auctor sermonum in omnia Moralis Christianæ argumenta 2. tomo Adventus.

Idem sermonem concinnavit de concordia, & charitate, quæ in Cœnobiis esse debet. Tomo 4. Sermonum peculiarium.

P. de la Colombiere. *Tomo* 4. *Sermone* 71. qui est de Christiana charitate.

Essais des Sermons pro Dominicis. Serm. pro 17. *post Pentec. Dominica.*

Idem, Dominica quinta post Pentecosten loquitur de lenitate Christiana, quæ in eo posita est, ut 1. nullus odii, vel simultatis ad Proximos sensus habeatur, 2. ut adnitamur, ne aliquis ex malignis id genus affectibus sese prodat exterius.

Idem. *Sermone pro* 4. *feria post quartam Quadrag. Dominic.*

Qui de charitate collectanea ediderunt. Granatensis in locis communibus.

Busæus *in Viridario (verbo) Charitas Dei, & Proximi.*

Drexellius, *in Rosis p.* 1. *c.* 3.

Stella in Expositione in 10. S. Lucæ caput.

Labata *in Apparatu (verbo) Dilectio Proximi.*

Didacus de la Vega. *cap.* 5. *de Charitate.*

Peraldus. *Tom.* 1. *de Charitate, cap.* 8.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Bibliorum ad hoc argumentum.

Diliges ..... *proximum tuum sicut teipsum.* Luc. 10.

Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri feceris. Tob. 4.

Numquid non Pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum? Malach. c. 2.

Dili-

Diligetis advenam quasi vosmetipsos. Levit. 19.

Dilige proximum, & conjungere fide cum illo. Eccli. 27.

Universa delicta operit charitas. Prov. 10.

Qui despicit proximum, peccat. Ibid. c. 14.

Ordinavit in me charitatem. Cant. 2.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Ibid. c. 8.

Ne avertas faciem tuam a proximo tuo. Eccli. 41.

In his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ. Matth. 22.

Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Idem, c. 24.

Diligere proximum tamquam se, majus est omnibus holocautomatibus, & sacrificiis. Marci 12.

Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Luc. 6.

In hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Joann. 13.

Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Idem, c. 15.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Ibidem.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Ibidem.

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem; sicut dilexi vos. Idem, c. 13.

Charitate fraternitatis invicem diligentes. Ad Roman. 12.

Necessitatibus Sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Ibidem.

Qui diligit proximum, legem implevit. Ibidem, c. 13.

Plenitudo ergo Legis est dilectio. Ibidem.

Dilectio proximi malum non operatur. Ibidem.

Dilectio sine simulatione. Idem, c. 12.

Unusquisque vestrum proximo suo placet in bonum, ad ædificationem. Idem, c. 15.

Multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem, alter alterius membra. Idem, c. 12.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Ibidem, c. 13.

Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, &c. 1. ad Corinth. 13.

Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Ibidem.

Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum... Et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, nihil mihi prodest. Ibidem.

Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, ... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ibidem.

Alter alterius onera portate; & sic adimplebitis legem Christi. Ad Galat. 6.

Patientes estote ad omnes. 1. ad Thess. c. 5.

In charitate radicati, & fundati. Ad Ephes. 3.

Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos. Ibid. c. 5.

Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Ad Coloss. 3.

Finis autem Præcepti est charitas, in corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. 1. ad Timoth. 1.

Ante omnia, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes; quia charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Petri c. 4.

Omnis Lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ad Galat. 5.

Charitas fraternitatis maneat in vobis. Ad Hebr. 13.

Implete gaudium meum; ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes. Ad Philipp. 2.

De charitate fraternitatis non necesse habemus scribere vobis; ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem. Ad Thessal. 4.

Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. 1. Joann. c. 3.

Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas in nobis perfecta est. Ibidem.

Qui diligit fratrem suum, in lumine manet. Ibidem c. 2.

Hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Ibid. c. 3.

Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Ibid. c. 4.

Qui non diligit fratrem suum, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Ibidem.

Si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Ibidem.

Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Ibidem, cap. 4.

Diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est. Ibidem.

In hoc apparuit charitas Dei in nobis; quoniam ille pro nobis animam suam posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Ibid. c. 3.

Exempla Scripturæ in hoc argumento.

Exempla Abrahæ. Abraham quemadmodum in Testamento veteri fuit Pater fidelium propter fidei suæ meritum; haberi quoque potest tamquam exemplum perfectæ erga proximum charitatis; quandoque stabat præ foribus domus suæ, ut occasionem præstolaretur, alienigenis panem frangendi. Statim ac eminus illos prospiciebat, non solum illis obviam ibat, sed currebat etiam, S. Joannes Chrysostomus inquit, ne ab alio quopiam in hoc opere charitatis præverteretur. Rogabat illos, ut sibi liceret eisdem cœnam instruere, putabatque, Saræ uxori suæ consultum per quam bene, si eidem præberetur occasio manus suas in hoc opere charitatis exercendi, quemadmodum se inde maximum gloriæ fructum percipere arbitrabatur. Charitas ipsius erga Loth fratrem suum insignis est; ut enim illum de eorum manibus liberaret, qui eumdem cum tota familia, omnibusque bonis in servitutem abduxerant, audacissimum quemque ex servorum suorum numero collegit, atque exigua militum manu in aciem educta, persecutus est raptores fratris sui, qui hoc titulo eidem charus fuisset, licet etiam adeo arcto consanguinitatis vinculo eidem conjunctus esset; & de eorum manibus prædam extorsit. Suam quoque apud Deum interposuit auctoritatem, *Genes.* 14. ut Sodomorum cives præsenti periculo liberaret, ac prohiberet; ne illorum civitas cœlesti igne demisso in cineres redigeretur; qua in re licet damnatus voti non fuerit, non defuit tamen quominus omne charitatis meritum obtineret.

Charitas Job. Sanctus quoque Job perfectum esse posset charitatis exemplar, nisi patientia, quæ in ipso maxime enituit virtus, illum celebriorem effecisset, sane quæ præ virtutibus reliquis omnium in se oculos, mentesque convertit. Hoc tamen minime prohibet, quo minus ipse acceptam referre debeat charitatis operibus sanctitatem suam, amorem illum, quo Deus ipsum complectebatur, & eam nominis celebritatem, quam sibi apud homines comparaverat; ipse enim de se fatetur, misericordiam, quæ quidem est aliis benefaciendi studium, quo alienis egestatibus opem ferre gestimus, secum natam fuisse, ac secum pro annorum suorum numero adolevisse. Deum etiam testem vocat operum charitatis, quæ ille exercebat, cum cæci oculus esset, claudi pes, atque omnium calamitosorum hominum asylum.

Charitas Moysis. Hæc etiam virtus Moysem populo Israelitarum commendavit, non eo solum quod illum de Ægypti jugo subduxerat, & de Pharaonis tyrannide liberaverat: verum etiam quod suas apud Deum preces ef-

fuderat, ut justitiæ ejusdem brachium coerceret: postquam populus ille per summum nefas aureo vitulo thus adolevisset. Magnus hic legislator, qui in Bibliis mediatoris etiam nomine designatur, sese tamquam victimam obtulit, iram Domini leniturus; & eo usque ipsius charitas exarsit, ut deleri mallet de libro vitæ, quam oculis suis justa ultionem intueri, quam Deus de rebelle hoc populo se sumpturum fuerat minitatus: *Obsecro, Domine, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Exod. 32.

Exemplū Nehemiæ. Talis etiam fuit Nehemiæ charitas, quæ in illius sollicitudine enituit, qua libertatem procuravit populo Dei, qui erat adhuc transmigrationis residuum, nec non in iis omnibus, quæ in populi sui gratiam operatus est, cum jam rediisset Jerosolymam. Hæc autem in secundo Esdræ libro narrantur.

Tobiæ charitas. Tobiæ quoque charitas insignis eluxit, uti liquet, ex operibus illis, quæ cum suis concaptivis operabatur: quod illi conflavit invidiam Sennacherib, qui eumdem perdere statuerat, nisi sanctus ille vir aufugisset, atque cum tota familia in latebras sese recepisset.

Cætera exempla prætereo, quæ ad alias virtutes referri possunt, & quæ singula locis suis proferentur. Novum quoque Testamentum longe plura nobis suppeditat, quorum præcipua ad charitatem generatim spectantia hic afferemus.

J. C. maximum charitatis exemplum erga proximum. Primum, maximumque hujus virtutis exemplar est Verbum incarnatum, qui quatenus Deus est ipsa charitas, & quatenus Homo Deus illius præstantissima in omnibus vitæ suæ partibus dedit exempla: ut enim illius nativitatem, atque mortem prætermittamus, quæ charitatis ipsius præstantissima sunt documenta, cam præsetulit. Primo. Discipulorum, Populorum, & Pharisæorum defectus tolerans, cum aliorum ignorantia, aliorum importunitas, & ingratitudo, reliquorum vero odium, & nequitia sexcentas ipsi in singulos dies occasiones præberet. Secundo. Cujusvis generis hominum seu corporales, seu spirituales morbos miseratione ductus ad sanitatem revocans. Tertio. Omnibus summa cura, & dilectione benefacere gaudens. *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri*, quemadmodum loquitur Apostolus *ad Timoth.* 3.

S. Pauli charitas. Admirabilis fuit Sancti Pauli Charitas, neque enim major esse poterat, quam cupere, ut pro fratribus suis a JESU CHRISTO esset anathema: licet enim genuinus horum verborum sensus longe sit alius ab eo, qui vulgo illis soleat appingi, semper tamen zelum, & charitatem, qua erga fratres suos succensus erat, significat: *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem*, ad Rom. 9.

Evangelicus Centurio. Si Evangelici Centurionis fides in se JESU CHRISTI admirationem convertit, & ab eo meruit laudari; ejusdem profecto charitas & nostram admirationem, & elogia nostra meretur, quod cum adhuc Ethnicus esset, ipse ægrotantis servi sui curam suscepit, ac JESUM adiit illum oraturus, ut laboranti servo medelam, ac salutem allaturus accederet. *Matth.* 8.

Primorum fidelium charitas. Quænam fuerit primorum fidelium concordia, & insignis charitas, nemo unus ignorat. Sacer textus illis unum cor, unamque animam fuisse testatur: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.*

Quorumdam Scripturæ locorum huic argumento applicatio.

TErribilis ut castrorum acies ordinata. Cant. 6. Sanctus Gregorius hæc explicans verba, ait hac locutione ingentem sensum contineri; scilicet, quemadmodum exercitus in aciem productus instructusque tunc hostibus formidabilis est, cum ordines coarctantur, quin vacuum, vel intervallum relinquant, qua lacessentibus aditus pateat; ita & nos salutis nostræ inimicis terrorem incutimus, cum vinculis charitatis invicem sumus conjuncti.

Charitas universalis est. *Latum mandatum tuum nimis*, inquit Regius Propheta *Psal.* 118. quæ verba S. Augustinus explicat de charitate dicens, non alios charitati nostræ cancellos esse statuendos, quam terræ totius terminos, si vere JESUM CHRISTUM diligimus, membra enim ipsius ubique diffusa sunt. Si eorum, qui ad ipsum pertinent, partem amas, ait ille, divisus es, & si ita divisus es, non es amplius membrum corporis ipsius; & si non es amplius membrum corporis hujus, non es amplius sub hoc Capite: *Tract. 1. in Epistol. 1. Joann.*

Quomodo christiani sibimet simul adhærere debeant. Ecclesia in Scripturis ædificium vocatur, cujus christiani omnes totidem sunt tamquam vivi lapides, qui sese mutuo fulcire debent: quemadmodum enim si in ædificio lapis quidam ab aliis sejungeretur in fornice, totum corrueret ædificium fornici incumbens, ita in Ecclesia, ac in Fidelium societate contingeret, si illi, qui eam componunt, dividerentur. Nisi, eos arctius conjungat charitas, quæ tamquam calx est hujus ædificii, quomodonam hoc ædificium subsistere poterit? Ita SS. Augustinus atque Chrysostomus hunc Scripturæ locum interpretantur.

Eodem in sensu jubetur Ezechiel Propheta dicere casurum esse illud ædificium, in quo calx arenæ commixta non fuerit: *Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit.* Ezechiel. 13. Quid hæc verba significant, eruditus nescio quis Interpres interrogat; nisi charitatem calcem esse, sine qua simul connecti lapides nequeunt, quibus ædificium spirituale construendum est? Alioquin hoc opus primo venti flatu labefactatum corruet, quoniam omnes illius partes simul agglutinatæ non erunt.

Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Luc. 1. Significat autem proximum nostrum a nobis vera charitate esse diligendum, non eo solum pacto, quo res necessarias, atque utiles amamus, puta panem, Domum, aviculam, aliaque id genus, quæ nostram utilitatem, vel oblectationem respiciunt, neque diligendum tantummodo tamquam nos ipsos, sed propter nos: Amandus quippe est eo modo, quo nos ipsos diligimus summa dilectionis integritate, non autem tantummodo propter nos. Hæc animadversio est S. Bernardini Senensis *Tomo 2. Serm.* 7.

Cur charitatis præceptum novum dicatur. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Joan. 13. Plures occurrunt rationes, propter quas Dei Filius mandatum hoc novum appellavit, inter quas hæc quoque invenitur ad nos ipsos pertinens; videlicet earum legum, quæ recens irrogatæ sunt diligentiorem observantiam efflagitari, cum reliquæ temporis spatio nonnihil de sua severitate remittant, eo neque ut desuetudo sæpius contra æquissimas, saluberrimasque leges præscribat. At JESUS vult charitatis præceptum novum esse, hoc est eamdem semper obtinere vim, atque omni tempore diligentissime observari, quin alia quælibet lex, vel contraria consuetudo contra illud umquam præscribere valeat. *Gilbert. serm. 19. in Cantic.*

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. Joann. 13. Reges, atque Principes passim leges irrogant studiis suis, ac naturali ingenio conformes; ita Dei Filius, qui suopte ferebatur ingenio, ut omnibus hominibus benefaceret, & qui tanta flagrabat erga homines charitate, ipse quoque legem rogavit benefico illi suo studio conformem, quod effecerat, ut de Cœlo in terram descenderet. Eo modo quo arbor ex telluris sinu prodiens satis ostendit seminis ab olitore defossi naturam, ita lex ista, quid in corde Salvatoris continetur, aperte

aperte demonstrat. *Lanuza in quodam ex Tractatibus de Amore inimicorum.*

In charitate radicati, & fundati. Ad Ephes. 3. Duplici hac ex arboribus, ædibusque desumpta similitudine ideo Apostolus utitur, Sanctus Thomas inquit, quia ut utraque solide constitutæ sint, arbores quidem radicibus, ædes vero præaltis indigent fundamentis. Christianus autem bonis operibus suis, dum vivit, attollit ædificium, ita enim in Scripturis loquitur Spiritus Sanctus: oportet igitur, ut huic ædificio charitas pro fundamento substernatur, quo recte facta omnia fulciantur, quæ alioquin nullius essent meriti habenda. Ad hæc Fidelis, ait JESUS CHRISTUS, arbor est, quæ fructus pro vita æterna producere debet: nisi hæc arbor pro radice Charitatem habuerit, quamprimum evertetur, vel erit arbor emortua, quæ cito exarescet. *Idem Lanuza tract.4.*

Fratres sumus unum inque habentes Patrē, & invicem tamquam fratres nosmet amare debemus.

Pater noster, qui es in cœlis. Matth. 6. Noluit Dei Filius, eum qui hanc a se nobis traditam orationem recitaret, dicere *mi Pater*, sed *Pater noster*, ut, Sanctus Joannes Chrysostomus inquit, cogitantes nobis omnibus in cœlis communem esse Patrem, re ipsa tamquam fratres nosmet cogitaremus, & quatenus fratres eo ferventiori charitate ultro citroque diligeremur, quo vehementior esse debet gratia, quam natura. Et profecto ejusdem vocationis ad vitam supernaturalem vincula, & ejusdem cœlestis hæreditatis spes procul dubio majorem habere vim debent, quam ejusdem sanguinis vincula, si præter hæc non alia ratione connecteremur. *Sanctus Joannes Chrysostomus Orat. de instituenda secundum Deum vita.*

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Ad Roman. cap. 12. Deus nostrum Dominus est, cui propter supremam ipsius in nos dominationem, aliaque sexcenta jura, quæ obtinet in nos, amorem, quemcumque cor nostrum capere potest, unice debemus. Ideo illud a nobis exigit, atque explicite id nobis imperat, ita ut si cor capax esset amoris infiniti, hunc Deo supremo unice deberemus. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Hujus vero infiniti debiti, quod ea excedit omnia, quæ unquam præstare possumus, & ideo efficiet, ut Deo semper debitores futuri simus, ipse partem cedit fratribus nostris, quæ quidem pars ejusdem sit naturæ, ac pars altera, quippe jus est in eodem fundamento consistens; numquam eidem satisfacere poterimus, ad omnimodam debiti extinctionem; neque magis hoc erga proximum, quam altero erga Deum debito liberari.

Alia ratio propter quam mandatum hoc novum appellatur.

Mirum profecto est, quod JESUS CHRISTUS de charitatis præcepto verba faciens illud mandatum novum appellaverit. *Mandatum novum do vobis.* Quid enim recens est in hac lege, quæ æque, ac humanitas ipsa videtur antiqua? Ex quo homines sumus, ideoque in hominum societate versari tenemur, nonne ex ipsius societatis, cujus membrum sumus, natura ea omnia cogimur præstare charitatis officia, quæ JESUS legis novæ vocabulo indigitat? Ante JESUM CHRISTUM numquid nefas erat proximo eam afferre contumeliam, quam nemo sibi allatam cuperet? Numquid omni semper tempore, ac ab ipsis usque Mundi primordiis jus fuit, indigenti fratri opem ferre, illius existimationem obtrectationibus non lacessere; domesticam, vel civilem pacem odiis, simultatibus, criminosisque furoribus non perturbare? Hæc proculdubio sunt omnium temporum, locorum, religionum, legumque omnium officia. Cur ergo hoc præceptum suum *mandatum novum* appellat? Quia charitatis præceptum simul & antiquum, & novum est, antiquum quoad substantiam, ac materiam præcepti; sed novum propter rationem, qua voluit a nobis fratres amari; scilicet propter Deum; non amplius simpliciter tamquam propter Legislatorem, ac Dominum præcipientem, vel propter Patrem id indicantem; sed tamquam propter Patrem id sollicite urgentem, Redemptorem id enixius obtestantem eo usque, ut se nobis debiturum, ac sibi fieri, quidquid fratribus præstitum fuerit, existimaturum profiteatur.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum in hoc argumento loci, atque sententiæ.

Non diligis proximum tuum, si non ad bonum, ad quod ipse tendis, adducis. S. August. de Morib. Eccles.

Nihil æque amicum probat, quam oneris portatio. Tantum quisque portat, quantum amat. Idem in Apocal.

Ut sciat homo diligere proximum tamquam seipsum, prius debet, diligendo Deum, diligere seipsum. Idem in Psal. 118.

Redeat unusquisque ad seipsum; & si ibi invenerit charitatem fratris, securus sit, quia transiit de morte ad vitam. Idem, Tract. 5. in Epist. Joann.

Nihil nocet corporis separatio, ubi est animorum vera & sincera conjunctio. Idem, Serm. 42. de Tempore.

Aut cupiditate amatur, aut charitate; non quod non sit amanda creatura; sed si ad Creatorem referatur ille amor, jam non cupiditas, sed charitas erit: tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur creatura. Idem, l. 9. de Trinit.

Dilectio proximi certus gradus est ad dilectionem Dei. Idem l. contra Adimant. c. 6.

Omnibus pari dilectione vita æterna optanda est, si non omnibus eadem possunt exhiberi dilectionis officia. Idem, in expos. Epist. ad Galat c. 6.

Charitas quanto plus impenditur, tanto plus debetur; & nos tanto magis eam debemus, quanto amplius impenderimus; cujus nos perpetuos debitores ostendit Apostolus. Idem, Epist. 35. ad Severum.

Semper debeo charitatem, quæ sola, etiam reddita, semper detinet debitorem: redditur enim cum impenditur; debetur autem etiam si reddita fuerit; quia nullum est tempus quando impendenda non sit, nec cum redditur, amittitur, sed potius reddendo multiplicatur. Idem, Epist. 62. ad Cœlestin.

Proximus, non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est. Idem, Epist. 52.

Omnis homo homini proximus. Non est cogitanda longinquitas generis, ubi est natura communis. Idem, l. de Doctr. Christ.

Charitas est glutinum animarum, societas fidelium, otio non frigida, actione non fracta, non fugax, non audax, non præceps. Idem, l. de Doctr. Christ.

Charitas aliis blanda, aliis severa, nulli inimica, omnibus mater. Idem, l. de Catechiz. Rudib.

Per amorem Dei, omnes ei adhæremus; per amorem proximi omnes ad invicem unum sumus: ut bonum commune omnium, fiat singulorum, & quod quisque in se non habet, in altero possideat. Idem, lib. de spiritu, & littera.

Talis est natura sancti amoris, & veræ charitatis, ut erogando crescat, & quantum in aliis plus expenditur, tantum in se abundantius cumuletur. Idem, Ser. 206. de Tempore.

Charitas & cupiditas simul esse non possunt; nisi una radicitus evulsa fuerit, alia plantari non poterit. Sine causa aliquis conatur ramos incidere, si radicem contemnit evellere; radix enim malorum omnium est cupiditas. Idem, lib. 50. Homil. 8.

Per amorem Dei amor proximi gignitur; & per amorem proximi amor Dei nutritur. Greg. l. 7. Moral. c. 10.

Quid diligit Deum, non eum contemnere potest, præcipientem diligere proximum: & qui sancte ac spiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum? August. Tract. 65. in Joann.

Nemo cæteris virtutum exercitationibus magnum quid se consequi putet, nisi recte fratres diligat. Cyrill. Alexandr. l. 9. c. 24. in Joan.

Proximum diligere pure non potest, qui Deum non diligit. Oportet ergo diligi Deum prius, ut in Deo diligatur & proximus. Bernard. lib. de dilig. Deo.

Non recipio consolationem, ubi video fratris desolationem. Idem, Epist. 70.

Mandatum charitatis proximi simile est mandato charitatis divinæ: quoniam hoc illud inducit, & ab illo rursus munitur. Chrysost. Homil. in Matth.

Hoc in primis habet charitas, quod cum utilitate, sit facillima, atque jucundissima. Idem, Homil. 2. in Job.

Quemadmodum multi Religiosi per charitatem sunt unus, ita per eamdem charitatis unionem, singuli sunt multi. Idem, Homil. 77. in Joann.

Charitatis debitum, etiamsi semper solvatur, semper debetur. Idem, Epist. 22.

Tanta charitatis vis est, ut cœlo latiorem faciat animam; unde Paulus dicebat: dilatamini. Idem, Hom. 44. in Act. Apost.

Alius amat quia redamatur, alius quia honore afficitur, alius quia utilitati sibi esse aut fore hominem putat; Christi vero causa difficile quemquam invenies, qui amicum, ut oportet, diligat: omnes fere secularium vinculorum nexu vinciuntur: Idem, Homil. 61. in Matth.

O nimiam Dei clementiam! o ineffabilem charitatem! Premium nobis pollicetur, si nos mutuo diligamus, & ea nobis præstemus, quibus nos invicem indigemus; & nos ingrato animo renitimur ei, cujus imperium beneficium est. S. Laurent. Justinian.

Tale est bonum pacis quod ex mutua charitate oritur, ut in rebus creatis nihil delectabilius concupisci, & nihil utilius possideri possit. Idem.

Par est latitudo charitatis & mundi; unam Rempublicam, cælum fecit & terram. Hildebertus Episcopus Turonensis.

Bonum utile, & jucundum est sola charitas. Hoc privilegium soli charitati servatum est, ut cum sit, non solum bonum, sed omnium bonorum maximum, sit quoque jucundissimum. Omnis quoque alia virtus pœnam habet annexam. Sanctus Thomas a Villanova in Conc.

Charitas in adversis non deficit, quia patiens est; inimicis non rependit, quia benigna est; felicitas eam aliena non cruciat, quia non æmulatur; conscientia mala non pungit, quia non agit perperam, &c. Bernard. Tract. de Charit.

Charitas, quæ Christi causa fundatur, firma, stabilis, atque invicta est; nec ulla re conquassatur: non obtrectatione, non periculis, non morte, &c. Chrys. Homil. 61. in Matth.

Quicumque proximum suum, ut seipsum diligit, quidquid boni sibimet cupit, & illi cupit pariter. S. Justinus dialog. cum Trit. Judæo.

Apud Christianos, lex & norma amicitiæ quisque ipse est; atque eadem proximis velle, quæ & sibi ipsis. Gregor. Nazianzen.

Hæc plane est charitatis, quæ est secundum Deum, omnes complecti. Si autem hunc quidem diligis, illum vero minime, est amicitia secundum hominem: sed nostra non est hujusmodi. Chrysost. Homil. 7.

Maxime propterea Christus advenit, ut cognosceret homo quantum eum diligat Deus; & ideo cognosceret, ut in ejus amorem, a quo prius dilectus est, inardesceret. August. de Catechiz. Rudibus.

Facies & imago Christi nobis insculpta, qua sui esse cognoscimur, charitatis gloria est. Cyril. in Joan. cap. 15.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu in hoc de Charitate erga Proximum argumento depromi possit.

Charitas erga Proximum virtus est, qua Proximum diligimus propter Deum: ita ut ex D. Thomæ 2. 2. q. 25. sententia amor Dei, & amor Proximi unus dumtaxat sit habitus, qui tamen principium est diversorum actuum; hoc est, ut Theologicis verbis utar, amor, quo persequimur Deum, & qui dilectio vocatur, non uni adhæret Deo, sed in Proximum quoque sese effundit, seu quod qui diligit Deum, debet particulariter eos omnes amare, quos Deus sibi amicos elegit; seu quod actus qui ex se ejusdem speciei esse inveniuntur, vel (quod idem est) qui ad eumdem principalem finem rediguntur, ad unum eumdemque habitum pertinent. At actus, quo Deum diligimus propter ipsius infinitas perfectiones, & actus, quo diligimus Proximum, quatenus æque ac nos ad Dei amicitiam vocatum, & æque ad infinitæ hujus bonitatis possessionem anhelantem, inter se simul adeo conjuncti sunt, cum uterque ad hanc eamdem bonitatem referantur, quæ utriusque postremus finis est, ac præcipuum objectum, ut idem habitus, qui ea virtute pollet, ut ex nobis primum eliciat, facere non possit, quo minus eliciat & alterum. Ex hac rationis superabundantia, quæ ciet in nobis actus charitatis erga Deum, qui inde tamquam sine ullo conatu, & non ægre procedunt, charitatis etiam actus erga fratres nostros oriuntur. Hæc si deesset Proximi dilectio, charitas vera non esset, non enim esset Theologica virtus, neque aliam charitatem proprie dictam cognoscimus, quam quæ in trium Theologicarum virtutum numero recensetur. Hinc fit, ut hæc duplex charitatis species ratione diversorum operationum habita, tamquam duplex, eaque diversa virtus consideretur, utque duplex rivus ab eodem fonte emanans; duplex linea ex eodem centro ducta, ideoque in eodem conjungenda; duplex annulus catenæ ejusdem, duplex ejusdem arboris ramus jure optimo vocetur; & ut verbo me expediam duplex actus, vel duorum actuum effectus ex eadem habituali virtute proveniens. (Quid sit charitas erga proximum.)

Hinc infertur, horum amorum alterum sine altero subsistere nequaquam posse; eadem enim charitas, qua diligimus Deum, efficit, ut proximum diligamus tamquam perfectissimum atque charissimum opus illius, imaginem, atque objectum affectionum ejusdem: & ea, quæ efficit, ut proximum diligamus, efficit quoque ut simul, atque, ut ita dicam, actu eodem diligamus Deum, quoniam non diligimus proximum nisi propter amorem Dei, & propter ea bona, quæ in eodem constituit Dominus, illud vero præsertim, quo ipsum æternæ beatitudini destinavit, quæ re ipsa non aliud est quam ipse Deus. Ita amor Dei necessario proximi amorem producit; tunc vero præcipue, cum explicitum accedit præceptum, quo invicem amari jubemur, cum fieri nequaquam possit, ut Deum sincere diligamus contemnentes seu legem hanc, quam irrogavit, seu magnum hoc exemplum fratres diligendi, quod tradidit: Et amor proximi alit, fovet, roborat amorem Dei, non enim fratres nostros, uti opus est diligeremus, nisi hunc amorem referremus ad Deum, & proximum in Deo, & propter Deum amaremus. Hoc disertissimis verbis docet S. Gregorius l. 7. Moral. c. 10. *Per amorem Dei amor proximi gignitur, & per amorem proximi, amor Dei nutritur.* (Amor Dei, & amor Proximi separari non possunt.)

Quamquam propter necessarium nexum, qui inter duplicem hunc amorem invenitur; alter ex altero inferatur; hoc tamen inter utrumque discriminis est, idque S. Augustinus in Epistola ad Galatas animadvertit, quod facili negotio homines sibi (Facile est intelligere non amantes Proximum non amare Deum.)

sibi falso persuadent; a se diligi Deum; quoniam non adeo sæpe occasiones occurrunt hunc amorem probandi: quod vero ad proximi amorem pertinet, justitiæ, ac rusticitates, quas quotidie in illum vel exercendi nobis occasio suppetit, vel sæpe etiam exercemus, nimis aperte significant, ipsum a nobis nullo in discrimine haberi; & quemadmodum Deus ab iis, qui proximum odere, amari non potest, ex quo nos erga fratrem simultatem, vel odium fovere deprehendimus, statim tuto inferre debemus, illum qui utrosque creavit, non diligi a nobis.

Charitas ad creaturas ratione carentes sese extendere nequit; ipsa enim natura sua est amicitia in mutuo amore consistens, quo vicissim ultra, citroque cupitur, & pro viribus, ubi adfuerit occasio, verum bonum procuratur, hic enim agitur de charitate Christiana, cujus homines tantum compotes esse possunt. Irrationabilia quidem amare possumus, propter utilitatem, quam inde percipimus, propter honestam, licitamque voluptatem, quæ inde cedit; immo debemus etiam hæc omnia ad sublimiorem finem referre, qui est Dei honor, & nostra salus; verum amanda sunt ita, ut nimis iisdem non adhæreamus, quod inordinatam, & criminosam affectionem nostram efficeret. Præterquamquod licet illa æquo, compositoque amore diligimus, ea propter nos non autem propter ipsa diligimus. Itaque ex iis omnibus, quæ circa nos sunt, homo tantum proximi loco est habendus, ideoque ipse unus esse potest veræ charitatis objectum.

Angeli proximi nomine non continentur.

Verum est, Angelos non solum communicare nobiscum, & participes esse ejusdem beatitudinis, quæ Christianæ amicitiæ fundamentum est, verum etiam hoc illos præ nobis excellere, quod beatum hunc finem jam sunt consecuti; ideoque, uti Sanctus Thomas animadvertit, omnem nobiscum proximitatem habere necessariam, ut participes esse possint charitatis ejus, quam proximo debemus: attamen Sancti Patres Proximi nomine hominem solum comprehendunt, quia majores profecto in hoc amore superandæ sunt difficultates, propter quas necesse fuit, ut hoc præceptum irrogaretur, & frequentes, usitatæque occasiones illius observandi homines tantum respiciunt.

Quid intelligendū ut per proximitatem, qua alter alterum tamquam proximum habere, ac diligere tenetur.

Non satis est nosse, quid proximi nomine intelligendum est, nisi teneatur etiam quid hanc efficiat proximitatem, & unde proprie accipienda, ut sit ratio amoris, quo fratres nostros prosequi debemus. Hæc autem proximitas, quemadmodum S. Thomas ait, proprie a natura minime desumitur, sed ratione gratiæ consideratur. Non ex eo quod originem ab illis duximus, qui nos genuere, proximitas sanguinis appellatur, sed ex hoc, quod omnes divino caractere notati sumus, omnes ad Dei similitudinem creati, omnes eodem sanguine redempti, omnes ad obediendum eidem Patri, & Domino eidem serviendum vocati, omnes ad hoc nati, ut aliquando bonum idem, hoc est æternam felicitatem possideamus. Hoc efficit, ut charitas omne hominum genus amplectatur generatim, & singulos peculiariter, tamquam proximos suos consideret, quin aliquis excipiatur, licet pluribus diffluat imperfectionibus; cum amicitia humana, naturali tantum alicui qualitati innixa, sæpe objecti sui tenuitatem intelligat; præterquam quod falli possumus id amantes, quod non meretur, vel etiam nobismetipsis fingentes aliquas inesse alicui perfectiones, quæ numquam fuere: sed proximum diligentes propter Deum, quicumque ille sit in semetipso, semper dignus est dilectione nostra, eumque semper considerare debemus tamquam proximum nostrum, quem a Deo jubemur amari, licet mortalium omnium imperfectissimus esset, & maxime contemptibilis.

Peccatores quidem amare possumus, non peccata.

Hinc sequitur, quod Proximi nomen omnes homines indiscriminatim comprehendit ex S. Augustini sententia; ideoque peccatores etiam, quandoquidem non solum homines sunt, uti nos, nobisque naturæ vinculis conjuncti, sed etiam uti nos ad beatitudinis participationem vocati, quæ, rursus dicam, totius charitatis est fundamentum. Hoc tamen sedulo est animadvertendum, illos a nobis nequaquam diligendos esse propter peccata; peccatum enim ad beatitudinem impedimentum est, & particeps fieret sceleris eorum, qui iisdem conniveret. Quamobrem duo in peccatore sunt distinguenda: primum ipsius natura, & persona; alterum vero ipsius peccatum, quorum alterum amare opus est, alterum odisse, odio illo perfecto de quo loquitur Propheta: *perfecto odio oderam illos*, hoc est præscindendo ab illius natura, & persona, quæ a Deo profecta ad Deum est reditura. Cæterum altera quoque distinctio facienda est inter hæc duo vocabula naturæ, atque personæ. Natura numquam esse potest odii nostri objectum, & hujus habita ratione nefas est ipsum etiam Dæmonem odisse; hoc enim in sensu non aliud exhibet, quam Dei creaturam; & Deus ea omnia, quæ creavit non solum bona, sed valde bona invenit, ideoque hoc in sensu nihil odit eorum, quæ fecit. Sed in peccatore, ut cum Sancto Augustino loquamur, duo sunt, humana natura, quæ homo est, quod est opus Dei, & status, seu qualitas peccatoris, quod unice hominis opus est. Hæc autem peccatoris qualitas absolute pertinet ad personam cui quodammodo sese commiscet: persona omnes recipit denominationes morales, atque cum illis quamdam veluti essentiam omnino diversam constituit. Et sane Deus Dæmonis odit personam, licet naturam nequeat odisse, ac nos ipsi dignum evadimus divinæ abominationis objectum, ex quo graviter peccamus, quæ quidem abominatio non in peccatum tantummodo, sed etiam in peccatoris personam refertur. Quæ cum ita sint, certum est tamen, hominem, donec est in via, in qua salutem consequi potest, eo non est veluti dæmon, qui illam assequi nullo modo potest, in quem jam lata sententia est, & cujus persona apud Deum æque ac apud nos horroris, & abominationis objectum est; hominem, inquam, donec est in via a nobis in sensu absoluto esse diligendum; adhuc proximum nostrum esse; habet enim adhuc in natura, & persona sua id, quod inter ipsum, & nos hanc proximitatem constituit, quæ efficere debet, ut illum diligamus, donec viget, & quæ in hoc posita est, ut possit ad beatitudinem pervenire. Licet nobis liqueret, ipsum jam reprobatum esse, illi tamen superest adhuc sese convertendi facultas; & nisi aperta intercesserit revelatio, nescimus, utrum ille, non secus ac plurimi, qui se justos putant, per conversionem suam ad beatam pervenire valeat immortalilatem.

Charitatis, humanæ amicitiæ discrimen.

Quemadmodum ea ratio, qua proximum amare tenemur, est ipse Deus, hinc sequitur, neque omne amoris genus, quo illum prosequi possimus, neque omnem amicitiam, quæ inter homines potest intercedere, licet arcta sit, & arcto necessitudinis vinculo conjuncta, atque etiam honesta, non semper veram esse charitatem Christianam, vel eam, quam Dei Filius tantopere a Christianis exegit. Quidam amor est, qui a studio quodam mere naturali proficiscitur; amicitia quædam quæ temperamenti, studiorumque similitudini innititur, per quam cupiuntur, vel etiam mutuo temporalia bona, valetudo, pax, divitiæ procurantur. Hæc amicitia, si aliunde honesta sit, in se vituperabilis nequaquam est; quandoquidem moralis est virtus, quam Ethnici sæpius excoluere, majori etiam perfectionis in gradu, quam ipsi Christiani, cui si aliqua accedat ratio a Fide proveniens, eamque supernaturalem efficiens, jam hæc esse poterit sancta, & salubris amicitia. Verum si hæc ratio ex ipsa Fide mutuo accepta, quantumvis sublimis sit, ea non est, quam explicuimus, hæc iterum dico, non erit christiana charitas falsum in magis proprio magisque vero sensu desumpta.

sumpta. Quod si illi Fides nequaquam sese immiscuerit, omnem jam omisimus mercedem, ut ait JESUS CHRISTUS; & generatim tantum de charitatis nostræ merito deperit, quantum humanarum rationum eidem immiscemus; quæ eamdem vel corrumpunt, vel infirmant.

Sanctus Joannes Epistola prima cap. 4. ait, illum, qui audeat asserere, a se diligi Deum, donec oderit fratrem, mendacem esse, atque manifestum mendacium proferre. Hujus veritatis ratio, præter ea quæ jam dicta sunt, ex pulcherrimo Theologiæ principio desumitur, videlicet christianarum virtutum principia esse indivisibilia, & æque ubicumque inveniantur, agere debere. Ita in principio suo fides invisibilis est, illud quippe est auctoritas Dei, quæ nobis sanctas illius veritates aperuit. Si principii hujus consideratione ducti aliquem fidei articulum credimus, intellectum nostrum in divinorum Oraculorum obsequium subjicientes, nosmet subjicimus etiam reliquis, qui similiter revelati fuere. Ita fidem suam dividere velle, alium quidem credere articulum, alios vero non item, idem est ac fidem destruere, ac nullam efficere. Hoc ipsum de charitatis principio dicendum est, qui ipse est Deus, quem toto corde, totisque viribus amare debemus. Hæc autem ratio indivisibiliter super Deum, ac super Proximum nostrum se extendit; ideoque separare velle amorem quem Proximo, ab eo, quem Deo debemus, idem est ac utrumque tollere, & nullam charitatem habere.

Cur Deo irroganda fuere præcepta amoris videlicet & Dei, & proximi.

Quemadmodum amor, quo Proximus diligendus est, in eo continetur amore, quo diligendus est Deus; videtur e re futurum fuisse, si non duo, sed unum tantummodo præceptum de utroque irrogatum fuisset; hanc quæstionem proponit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 42. *art.* 2. Sed quamvis charitas, quæ Deum, Proximumque complectitur, una sit, & eadem virtus, necesse fuit tamen duo diversa præcepta proponere; hæc enim virtus duo diversa habet objecta, quorum alterum alteri subordinatum est, Deum videlicet, & Proximum: ac proinde generatim etiam duos habet diversos actus, quorum alter alterum, tamquam finem suum respicit. Ad hæc adjicere possumus, non omnes homines intelligere posse, alterum in altero contineri, quemadmodum in speculativis scientiis omnes illi qui aliquod principium norunt, non ideo tamen omnes norunt conclusiones, quæ virtualiter ibi continentur. Hac de causa necesse fuit, ut seorsim, ac sigillatim utrumque irrogaretur præceptum, non enim ab unius cognitione ad cognitionem alterius adeo facilis transitus patet; cum ad hoc ratiocinatione opus sit, quam non omnes possunt efficere.

Operæ itaque pretium est adnotare, in Evangelio alterum hoc præceptum diligendi proximum, primo illi, quo Deum amare jubemur, esse simillimum. Simillimum autem est, namque, ut S. Chrisostomus ait, illius effectus est, & ex illo consequitur; huc respiciunt, qui utrumque mandatum confundunt, & ex duobus unum efficiunt; utrumque enim congruit in principio, qui Deus est, & in finem, ad quem tendunt. In hoc sensu dicunt, uti una tantum fides est, una spes, ita etiam charitas una, ideoque unum tantummodo pro eadem mandatum. Quamobrem illam repræsentant, non jam simpliciter, quatenus ad habitum spectat, ut jam superius dictum est, sed quatenus ad exercitationem ejusdem, cum semper eadem sit virtus, duo tamen extensa habens brachia, quorum altero Deum, altero complectitur Proximum. Dominus, ait D. Augustinus, ita duo hæc præcepta ordinavit, ut illud, quod Deum spectat, sit tamquam finis; alterum vero, quod Proximum, sit tamquam medium, quod nos ad finem illum deducere debet. Ita illa simul conjuncta sunt, ita sibi mutuo cohærent, ut alterum servari minime possit, quin simul servetur & alterum.

Cur Dei Filius præceptum hoc vocaverit suū.

Quæri potest, cur Dei Filius hoc amandi Proximi præceptum vocaverit Mandatum suum: *Hoc est preceptum meum, ut diligatis invicem.* Joan. 15. Huic quæstioni responderi potest. 1. Præceptum hoc illi magis cordi fuisse, illud præ cæteris enixius commendasse, illud diligentius servari voluisse, illud sibi fuisse acceptissimum, atque illud maxime necessarium ab ipso existimatum fuisse. 2. Quod omnem auctoritatis, quam a Patre acceperat, plenitudinem, & omne jus, quod suo Sanguine acquisiverat, impendit, ut nos ad illud diligentissime servandum obligaret; quod efficit, ut pollicitationes etiam, ac minas adhibeat, atque quocumque pretio velit, ut huic legi homines sese subjiciant. 3. Illud ita appellat, quia voluit, hujus præcepti observantiam notam esse, atque caracterem, quo Discipuli sui a cæteris hominibus dignoscerentur. 4. Quia voluit hoc præceptum peculiariter haberi pro suo, quoniam illud, tanquam Evangelii sui fundamentum constituit, atque curavit, ut quæcumque alia nobis irrogavit mandata, in illo uno continerentur.

Cur Mandatum hoc novum dicatur.

Si præterea quæras quonam in sensu novum dicatur: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem;* respondeo. 1. Præceptum hoc novum esse in causa sua, non enim fluit ex veteris Testamenti Spiritu, D. Thomas inquit, sed ex spiritu Testamenti novi, qui amoris, & suavitatis est Spiritus. 2. Novum esse in effectu, qui est homines innovare, ut docet Augustinus: *Novum quia innovat homines:* nam, ut addit Sanctus hic vir, amor Proximi per JESUM CHRISTUM instauratus effecit populum novum ex omnibus gentibus, quæ Idolis thus adoleverant, & ex omni genere humano in tot sectas, opiniones, inauditasque, ac nefarias superstitiones diviso: *Hæc dilectio proximi gentes, de universo genere humano, fecit novum populum. D. August. Tract. 65. in Joan.* 3. Novum esse, quod illos, a quibus servatur, in *Novas Creaturas* convertit, hoc est, homines miræ prorsus vitæ, ac sanctitatis, quæ olim in Ethnicis ipsis tantam excitavit admirationem. 4. Novum esse in Idea sua, ut ajunt SS. Chrysostomus, atque Cyrillus; illi enim novam veluti formam tribuit, voluitque, novo ac toto cœlo perfectiore modo servari, quam olim in lege veteri observari deposceret: *Mandatum novum, quia modo novo servandum.* Olim tamquam amoris, quo Proximus diligendus erat, exemplar propositus ille fuerat amor, quo nosmetipsos amamus: *sicut seipsum*; at Salvator exemplar hoc nimis imperfectum esse censuit, & nos ignorare, quomodo nosmetipsos, uti oportet, amemus: ideo legem hanc innotavit, tutius, ac perfectius proponens exemplum, amorem videlicet, quo ipse dilexit nos: *Sicut dilexi vos, (ut & vos diligatis invicem*;) & nobis eam proponens amicitiam, quæ inter ipsum, atque Patrem suum intercedit: *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus .... ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.* 5. Novum quoque esse propter rationem, qua Proximum nostrum amare jubemur; videlicet propter amorem JESU CHRISTI, qui sibi factum duxit, quidquid minimo suorum famulorum factum fuerit: *mihi fecistis*: & propter amorem Dei in hoc etiam sensu peculiari, quod lex Evangelii tot modis duplicem hunc amorem semper conjungit, quod sane minime expressum est in lege per Moysem rogata. Aliter locutionis hujus explicationem tradidimus supra Paragrapho secundo, ubi vidimus quamobrem Salvator novum appellet hoc fratrum amandorum præceptum. Jure igitur præceptum hoc novum vocatur.

Quod intelligendum hoc, quod proximum sicut nosmetipsos amare jubemur.

Verba, quæ addit JESUS CHRISTUS, tamquam explicationem hujus præcepti, quo proximum nostrum amare jubemur, majorem involvunt difficultatem: *Diliges proximum sicut te ipsum.* Hæc verba, S. Thomas ait, *non æqualiter, sed similiter significant*; Deus enim non jubet proximum æquali, ac nos ipsos dilectione esse complectendum;

ordi-

credimus quippe charitas a nobismetipsis incipit; et cor, utpote rationale, sibi meliorem partem assumit; sed hæc similitudo, ex ejusdem Doctoris sententia, significat, quemadmodum me ipsum amare debeo justo, sancto, & vero amore; ita amori, quo proximum complecti debeo, easdem inesse debere conditiones. S. Gregorius *lib.* 10. *Moral.* docet, præceptum hoc per duo magna naturalia præcepta esse explicandum, videlicet, ne alteri fiat, quod æque, ac rationabiliter nobis factum minime vellemus; sed econtra, ut illi eam præstemus operam, quæ secundum sapientiæ, atque justitiæ ordinem præstari nobis cuperemus. Hæc explicatio Sapientis auctoritate probatur, qui *Eccli. c.* 31. docet nobis cognoscenda ea, quæ proximo debemus, ex iis, quæ nobis deberi existimamus. Credimus nobis adversa jactatis fortuna miserationem, indigentibus opem, prospero rerum eventu lætantibus gratulationem deberi; censere debemus hæc ipsa a nobis erga proximum nostrum esse præstanda. At non credimus, cum utrinque paria concurrunt jura, a proximo nostro sibimetipsi nos esse præferendos; erga nulla nos cogit necessitas, ut proximum nobis præferamus.

Ex verbis iisdem, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, inferunt Theologi, nos posse, immo debere nosmetipsos per charitatem diligere. Deus enim nos minime cogeret, ut proximum sicut nosmetipsos diligeremus, nisi juberet simul & nosmetipsos eodem amore diligere. Charitas, qua proximum nostrum prosequi debemus, debet ad illius charitatis normam componi, qua nosmetipsos prosequimur. Verum quidem est, amorem hunc, qui in nosmetipsos refertur, proprie non esse amicitiam; amicitia quippe duas supponit personas, cujus corda, animosque connectit; sed cum cætera sint paria cum amicitia, amor hic præstantior est, atque perfectior; innititur enim unitati; quæ illud est principium, cui quælibet unio propius contendit accedere. Sed quemadmodum bene institutus nostrum metipsorum amor, non principium solum est, verum etiam norma illius amoris, quo alios complecti debemus; D. Thomas 2. 2. q. 25. *art.* 7. explicaturus, quid sit iste verus amor, duplicem in nobis deprehendit amorem, quo nosmetipsos diligimus, quorum alter vulgo amor proprius vocatur, quo omnia ad nosmetipsos referimus, vel quo exteriorem tantummodo diligimus hominem, hoc est, nostrum corpus, cui omnes voluptates, omnia vitæ commoda procuramus, qui nefarius est, atque inordinatus; alter vero, quo interiorem hominem amamus, & quo omnem vitæ nostræ viam secundum rationis legem instituimus, qui a Sancto Doctore amor ordinatus, bonus, & justus vocatur. Ad hujus amoris normam charitatem erga proximum nostrum instituere debemus. Hæc autem sapiens consideratio non est solum D. Thomæ, sed ex Sancto Augustino desumpta videtur, qui ait l. 1. de Vit. Conf. c. 15. *Prius vide, si nosti diligere te ipsum, & tunc tibi commendo proximum, quem diliges sicut te ipsum*, cui S. Prosper addit: *Tunc diligimus proximum, quando ad bonos mores, & ad vitam æternam sequendam, sicut nobis, eorum saluti consulimus*. Hinc sequitur charitatis præceptum ab eo non expleri, qui amat proximum sicut semetipsum, eidem procurans voluptates noxias, eique præbens manum, ut ea, quæ turpiter, ac flagitiose concupiscit, obtineat: amor enim, qui proximo debetur, non patitur, ut ipsi malum inferamus, quemadmodum nolle deberemus nobis inferri, at malum ne majus inferri potest alicui, quam ejusdem sceleribus velificando?

Quid sit vere proximum tamquam semetipsum diligere.

Quod attinet ad rationem, qua proximus est diligendus, ut vere dici possit, a nobis tamquam nosmetipsos amari; procul dubio & corde, & opere diligendus est; corde quidem, illi ea omnia desiderando bona, quæ ipse sibimetipsi cupere potest: opere vero pro virili ea procurando. Quicumque proximum sicut semetipsum diligit, inquit S. Augustinus, illi cupit bona eadem, quæ sibimetipsi desiderat; & ubi adfuerit occasio, eidem omnia illi procurabit bona, quæ sibi, si posset, procuraret. Verum cum unicum sit bonum, quod esse debet omnium votorum nostrorum meta, felicitas nempe Deum in hac vita diligendi, eodemque in altera fruendi: amare proximum tamquam nosmetipsos idem est ac propter illum facere, quæ nobis propter nosmetipsos facienda sunt; hoc est, illud, quantum in nobis est ad perfectum Dei amorem inflammare, ut illuc, quo nos contendimus, assequatur. Aliter illud amare, si nihil admittatur, quod illum ab amore Dei deflectat, vel illum objiciat, ut ab hoc principali fine secedat, sed sit satis efficere, ut temporalia vitet mala, vel innocuas voluptates obtineat; hæc esse potest amicitiæ species, quemadmodum dictum est, longe inferior; fallaci vero misericordia, vel fallaciori affectione motos ei opem ferre, ut animæ suæ dedecus afferat, vel interitum; hoc omnino est proximum non amare.

Inter charitatis ergà proximum effectus alii negativi sunt, alii positivi. Negativi in eo consistunt, ut oppositi charitati defectus evitentur; quorum meminit S. Paulus in prima ad Corinthios Epistola, videlicet ira, simultas, inofficiosa verba, contumeliæ, temeraria judicia, invidia, superbia, ambitio, iniquæ suspiciones, malignæ intentionum proximi nostri interpretationes, secreta, atque maligna propter illius infortunium lætitia, ac denique immoderatus nostræ utilitatis amor. Effectuum positivorum objectum est tam bonum, tum malum proximi; malum quidem cujuscumque generis sit, ut ab eo liberemus, bonum vero, ut hoc illi procuremus. Si charitas illum a malo liberare non potest, eidem consolatur; si consolari nequit, illius miseretur; defectus illius, ubi medicinam afferre nequit, tolerat; omne bonum, quodcumque potest seu spirituale, seu temporale, pro viribus efficit; quod si efficere nequeat, saltem desiderat.

Præcipuæ rationes, quæ nos ad proximum amandum impellunt.

Rationes, quæ nos agere debent, ut proximum nostrum eo modo, quem Deus petit, & quem explicuimus, diligamus, sunt 1. Quia imago Dei est, in creatione delineata, atque ex eo tempore destinata, ut gratiæ subsidiis longe melius perficeretur, unde sequitur, si diligimus Deum, hanc etiam illius ad vivum expressam imaginem, quam propriis effinxit manibus, & quam ideo creavit, ut ab ipsa amaretur, & cognosceretur, esse diligendam: 2. Quia proximus noster redemptus fuit Sanguine JESU CHRISTI; propter illum enim Salvator æque ac propter nos mortem oppetiit. Si ergo Dei Filius huc usque illum dilexit, ut pro illo vitam suam traderet, atque totum suum cruorem effunderet; quo amore illum nos complecti debemus; quandoquidem Divinus ille Redemptor præcipit, ut vicissim nosmet diligamus, quemadmodum ab ipso dilecti fuimus? 3. Quia membrum est mystici corporis Salvatoris, ipsius videlicet Ecclesiæ; qua ratione præsertim Apostolus *ad Rom.* 12. utitur: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*, & ad Cor. 12. *Pro se invicem sollicita sunt membra. Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*.

Non natura solum, & qualitas amoris, quo proximum nostrum prosequi debemus, exprimitur, uti jam dictum est, in iis verbis præcepti: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; verum etiam gradus, vis, magnitudo, & perfectio, ad quam hic amor attollendus est, in ea notione, quam tradidimus, continetur. Cum enim velit Dei Filius, amorem, quo nosmetipsos amamus, per generales conditiones suas, & principium, quod illius essentiam constituit, esse mensuram, normam, & exemplar charitatis, qua erga proximos sumus afficiendi; vult etiam talem esse & per ferventem amorem, atque per constantiam suam. At constat generatim affectum, quo nosmetipsos fovemus, reliquorum amorum, qui nos hic in terris cum quopiam conjungere valeant, majorem esse, perfectiorem, potentio-

tiorem, ad agendum paratiorem, & quodammodo difficiliorem, qui dissolvatur: Talis ergo, ut jam diximus, data paritate, esse debet amor, quem a nobis exigit Deus erga proximum nostrum. Quamobrem non ait ille, proximum a nobis esse diligendum eo modo quo amicus ab amico diligitur, nec quo frater amatur a fratre; fraternus enim amor sæpius in odium internecinum convertitur: nec demum quo pater filium, vel filius patrem diligit: satis enim frequentia occurrunt odii, atque inimicitiarum exempla, quæ omnes etiam naturalis charitatis sensus extinguunt; sed proximum amari jubet eo modo, quo nosmetipsos amamus; reliqui enim naturales amores huic uni cedunt, qui magnus est, ac simul constans, fortis, extensus, profundus, & vastus.

Quam perfecta sit hæc virtus in semetipsa.

Sin autem, quin singula diligenter ad examen vocentur, scire cupimus, quam perfecta in semet hæc virtus sit, judicium ferre debemus ex eo pretio, in quo a se illam ostendit haberi Dei Filius, qui hanc tamquam fundamentum legis suæ, & signum, atque caracterem, ex quo veri ipsius agnoscuntur discipuli, constituit. Satis est etiam cum S. Paulo perpendere ipsam vinculum esse perfectionis: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*. ad Coloss. 13. Et sane illa simul connectit, continet, & conjungit plurimas virtutes, quæ sine illa minime exercerentur, patientiam, & humilitatem, in injuriis misericordiam &c. Ita ut non solum in nostro corde charitas habitualis deficiat, quam quidem defecisse certo scimus, ex quo aliquem ex fratribus nostris oderimus, & reliquæ virtutes nostræ, licet multæ eæque insignes essent, meritum suum amittant, dissipentur, & evanescant: *Nihil mihi prodest*: verum etiam ea non præstemus proximo officia, quæ charitas ipsa suadet, iisque desimus, quæ a nobis Deus præstolatur. Fraternæ charitatis officia, atque effectus adeo late patent, ut una illa plurimas peculiares virtutes exerceat. Omnes secundæ Tabulæ leges ad ipsam pertinent; ideoque Apostolus, ubi eas recensuit, affirmat omnem præceptorum turbam in hoc fraternæ dilectionis mandato contineri: *Et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Dilectio proximi malum non operatur. *Plenitudo ergo legis est dilectio*. Nihil etiam nos prohibet, quominus affirmemus charitatem erga proximum absolute esse vinculum omnis perfectionis, quia non solum est amor proximi, sed propter effectum magnæ illius causæ, qua animatur, est etiam verus amor Dei, & hoc pacto facere nequit, quominus omnia conjungat: cum duplex hic amor sit tamquam centrum, quo leges omnes tendunt, & virtutes omnes collimant.

Ordo in proximi charitate servandus.

Cum omnis Christianæ Religionis perfectio in charitate ferme consistat, quæ omnium officiorum nostrorum est forma; hæc propterea virtus præ cæteris christianis virtutibus maxime ordinata esse debet; nihil enim in ipsa magis essentiale est, quam ordo. Hæc sunt, quæ unanimi, conflatoque consensu hac in re docuere Theologi. 1. Hic ordo metiendus est ex ea propinquitate, vel distantia, quam diversa habent objecta ab eo summo principio, quod super cætera diligendum est. Itaque ubi de Deo agitur, atque de proximo, liquet, Deum proximo esse anteferendum; quoniam Deum amare debemus magis, quam cætera. Attamen cum ea bona officia, quæ proximo præstare possumus ad Deum ipsum aliquando pertineant; neque desint occasiones, ubi Deus ipse relinquendus est, ut fratribus inserviamus; hoc a S. Augustino *Tract.* 17. *in Joann.* affertur temperamentum. *Dei dilectio prior est ordine præcipiendi; proximi autem dilectio prior est ordine faciendi*. Hoc igitur primum præceptum est, Deum supra cætera amandum esse; in illum mentem, animumque nostrum statim ferri debere, ac illum unum indesinenter cogitare. Cæterum si vult Deus, cultum suum deferi, vel potius differri, non ideo tamen relinquendus est amor, qui uni illi ante quodcumque objectum debetur, sed praxis officiorum fraternæ charitati adhærentium, tunc pressius urget, atque ubi hæc adsit circumstantia, Deo ipsi, Dominorum omnium suavissimo, atque mitissimo placet magis, quam si iis vacaremus exercitationibus, quæ magis directe ad ipsum referuntur. 2. Post Deum, nosmetipsos ante proximum debemus amare in iis, quæ ad animam pertinent; sed ubi spirituale proximi concurrat bonum cum bono temporali quod ad nos ipsos referatur, tunc possumus, ac debemus nobismetipsis proximum anteferre, & nonnumquam etiam propriam vitam in discrimen adducere, ut spirituali fratrum incolumitati consulamus. Adi, si lubet, casuistas, apud quos videre est occasiones, & circumstantias, ubi hoc liceat, vel deceat, & omnino faciendum sit: quæ ut de his istic disceptaremus, ad examen essent diligentissime revocandæ. Ubi occasiones adsint, in quibus temporalia tantum aguntur inter nos, fratresque negotia, ad ipsos, nosque solum pertinentia; charitas generosa est, lites non amat; plura sibi demandari petit; in nos austera, commoda in alios, licet semper prudens, non utitur pro nobis eo jure prælationis, quod spectare velle possemus: sed in hoc etiam magis ostendit prudentiam suam, eligit enim, atque minutis lucellis antefert eam causam, quæ longe majorem spiritualem utilitatem complectitur. 3. Ubi diversarum personarum egestates concurrant, cæteris paribus, charitas opem suam regere debet, juxta sanguinis, vel affinitatis propinquitatem, amicitiam, patriam, aliosque nexus magis, minusve arctos, communes, vel particulares, qui cum hominibus possunt occurrere. Cæteris inquam paribus; alioquin habenda ratio est majorum egestatum, bonorum virorum, eorum, quibus magis devincti sumus, & occasionum, ubi Deo majorem gloriam cessuram prænoscimus.

PARAGRAPHUS VI.

Loci delecti ex Asceticis libris, & Concionatoribus Neotericis.

Quam late patet charitatis præceptum.

PRæceptum charitatis est adeo universale, ut nemo quovis colore sese eodem exsolvere possit. Hæc legis est plenitudo, disciplinæ essentia, summa Evangelii, atque ut cum Tertulliano loquar totius Christianæ Moralis compendium, ita ut Domino cum Propheta dicere valeamus, *latum mandatum tuum nimis*. Arbor est in plures sese dividens ramos; charitas ipsa semper agit; pro his quidem laborat, pro aliis miseratione ducitur; pro his sese submittit, pro aliis sese attollit; erga alios mitis est, quin aliquid de suo jure concedat; erga alios austera, quin tamquam inimicos habeat; omnibus tamquam bona, & communis mater, benefica. *Fromentieres Sermone de Episcopi consecratione*.

Duo hæc separari non possunt; si Deum diligo, oportet, & fratres diligam, seu quod ad ipsos Deus jus suum extendit, ut D. Chrysostomus inquit, seu quod amor meus JESU CHRISTI amorem imitaturus est, qui Patrem suum diligens, nos quoque dilexit, ut ait S. Augustinus. Fax est duos in uno illuminans cubiculos; si pro altero hanc facem extinguere velim, hanc pro altero quoque extinguam necesse est; eo quod æque illuminat utrumque: *Hoc mandatum habemus, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*. Hoc idem præceptum est, idem amor; si Deum amo, & proximum amo, si proximum non amo, nec Deum amo, neque amplius in me illa charitas est, qua me animari necesse est.

Sæpe difficile est Deum in rebus creatis amare.

Quorsum ait S. Joannes Apostolus: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt quomodo potest diligere*? perinde ac difficilius esset amare Deum, quam proximum suum, & supernaturalis charitas non esset fraternæ charitatis, vel principium, vel exemplar? Videtur enim ani-

mæ

quæ cælesti lumine afflatæ non esse valde operosum amare Deum, licet non videatur. Infinitæ illecebræ, quæ in hoc invisibili objecto affluenter abundant, adorabiles perfectiones, quæ in hoc Ente summopere bono, atque amabili elucent, pulchritudo hæc semper vetus, & semper nova, majestas hæc propriæ essentiæ radiis circumornata alliciunt, rapiuntque animam tot rationibus, ut licet miraculi habeatur loco, quod igne divino succensa flagrat, prodigii instar habendum sit, inquit S. Bernardus, si eodem minime comburatur. Hoc vero non accidit, cum Deum in creatis rebus amare jubemur; his quippe paucissimæ sunt perfectiones, eæque etiam tot defectibus conjunctæ, ut defectus ipsi magis contemnendum efficiant animum, cui insunt, quam ab omnibus, quibus præditus est perfectionibus amabilis efficiatur. Quid enim difficilius est, quam has diligere perfectiones in egenis, vel ægrotantibus, ubi oculi nostri nihil non miseratione dignum intuentur, ubi aures nostras ejulatus, & querelæ percellunt? Attamen quid hoc magis est necessarium? *Fromentieres Sermon de Nostre Dame des Anges*.

Si illi, qui numquam antea Gallici Regis magnificas ædes vidisset, easque tandem intuitus percontaretur, cujus nam ea nobilis esset domus, responderetur: Nescis hoc Regis esse habitaculum? At quid hæc verba significant? Numquid Regem unum ibi immorari? Haud ita profecto. Quid enim ibi solus ageret? Significant ergo, eos omnes, qui ibi incolunt, peculiarem habere cum Rege ipso rationem, tamquam illius Domesticos, atque Ministros. Ita interrogantibus cujusnam sit hoc cor? respondetur: in parvuli hujus ædificii fronte eam perlege epigtaphem visibilibus inscriptam caracteribus: *Domini ego sum*. Numquid ergo Deus unus eo in corde moratur? Numquid amicis, consanguineis, filiis aditus omnis interclusus est? Haud ita sane, verum nihil illuc ingreditur, vel habitat ibi; vel potius nihil ibi immorandi jus obtinet, quod ad Deum minime referatur. Hæc est S. Francisci Salesii similitudo. *P. Texier in Dominicali*.

In Proximo spectandus est J. C., ut ille amabilis inveniatur.

Sciscitare ex Sancta Elisabeth Thuringiæ duce, ac Hungarici Regis filia, quid ipsa amabile invenerit in leprosa anicula, cujus curam ipsa gerere voluit; quam illa deprehendit illecebtam in egeno infantulo, quem illa una pati potuit? Ipsa enim tibi reddet: ne ita loquaris; nonne inter hæc vulnera, tabidumque squalorem vides JESUM CHRISTUM? Hæc leprosa mulier divina specie coruscans mihi videtur; puer hic Domini mei cruore perfusus est. Sciscitare etiam ex tot piis hominibus charitatis igne fragrantibus, quot amoris rationes, quot illecebras in ignotis pauperibus, & in vulneribus, sanie, taboque fluentibus inveniant? Reddent illi, hæc a te minime cognosci; se vero Fidei lumine illustratos videre hæc eodem amore dignissima, quem debent JESU CHRISTO. *Idem*.

Ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. 1. Joan. c. 3. O christianæ Religionis Officium quam parum intelligeris! Illi profecto officium hoc minime intelligunt, qui ubi rogantur, ut aliquantulum de suo jure decedant, ut asperum alicujus, cum quo vivere tenentur, ingenium patiantur, ut aliqua erga proximum utantur indulgentia, superbe, ac iracunde respondent: quinam hic aut ille? Cur illi cedam? cur illi, quod petit, clargiar? Volo, sciat, me illi nihil debere. O nos miseros! Hoc si verum est, falsum ergo est, quod S. Joannes affirmat, cum ait: *debemus*. Jure quidem interrogas; quinam hic, aut ille? liquet enim a te non cognosci. Percontare primum ex Christiana Fide, quam profiteris, quinam sit; reddet illa, hunc esse hominem, quem licet tibi gravis, & molestus videatur, proposito æternæ damnationis supplicio amare teneris. At enim nihil te huic debere, instas; at respondet Fides, si Christi Fidelis es, te illi pro odio amorem, & pro ingratitudine beneficia debere: *Benefacite iis, qui oderunt vos*. *Math.* 15. JESUM interroga, quinam hic sit, & dicet tibi, hunc esse hominem, cui ipse contulit, quidquid sibi debetur a te. Si ergo huic nihil debes, ut ais; nihil ergo vel debuisti umquam, vel debes adhuc JESU CHRISTO. *Idem*.

Nihil nostra erga Proximum melius ostendit officia, quam mandatum illud, quo hunc tamquam nosmetipsos amare jubemur; hæc regula omnem tollit prætextum, omnem aufert dissimulationem. Quæso, enim, aliquid ne in mundo meliori fide diligitur, quam quivis a semetipso? Amor proprius nobis persuadet, nos multo meliores esse, quam reipsa simus; excæcat nos, proprios defectus contegit; minima, quæ patimur, mala efficit ut longe graviora videantur; nosmet erga nos teneros efficit, delicias ipsas petit &c. Hæc ea sunt, quæ Proximo nostro præstare tenemur. — Præcepta amandi Proximũ, sicut nosmetiplos.

Quam suave hoc mihi præceptum Domini videtur! quam humanum! quam divina Sapientia, ac bonitate dignum! Quam æquum est, eos homines, quibus eadem natura est, Religio, idem Pater, qui in eadem vivere societate tenentur, qui sunt tamquam ejusdem itineris socii, qui eadem via, ad eumdem terminum tendunt, qui in Cœlo simul æterna sunt beatitudine perfruituri, quam æquum est, inquam, ut sese hic in terris incipiant amari, atque mutuo ea omnia officia præstare, quæ sibi quisque præstari desideraret! *Idem*.

Omnes homines fateantur necesse est, a Deo constantem, immutabilemque ordinem constitutum fuisse in iis, quæ pertinent ad charitatem; & quamvis ipse unicum sit nostræ dilectionis objectum, ac noster futurus sit finis, quemadmodum est principium; hoc tamen non prohibet, quin alii aliis nobis sint propinquiores, alii aliis remotiores, quos amare nobis licet, & per quos opus est, ut affectus, & vota nostra tamquam per medium transeant, ut ad ipsum usque veluti finem extremum ascendant. Si quid enim extra illum diligimus, quod propter ipsum non diligamus, ordinata non est nostra dilectio, quemadmodum docet Sanctus Augustinus. Itaque circa diversa hæc objecta certus est ordo, atque immutabilis, secundum quem diversos occupant gradus in cordibus nostris, & alia aliis præferenda sunt, quod officiorum nostrorum distinctionem, & inæqualitatem constituit. Deus igitur præcipuum objectum est, ac primum in charitate obtinet gradum; de iis, quæ nobismetipsis debemus, non loquor; inde succedunt parentes, fratres, consanguinei, aliique. Hæc officia universalia sunt; nihil ea immutat, vel tollit; neque eorum aliquod aliis obesse potest. Accidit tamen sæpe, ut horum officiorum praxis, & eorumdem explendorum ratio aliquem inveniat obicem, ita ut omnibus simul satisfacere nequeamus; ita ut subsidium, quod fratribus nostris cuperemus impendere, ab eo prohibeatur, quod ex nobis exigunt parentes; & cultus, quem Deo præstare debemus a quibuscumque exterioribus officiis nos revocet. *Abbas Trappensis Tomo secundo de Monasticis Officiis*. — Ordo in charitate servandus.

Charitas non in eo solum posita est, ut Proximi mala prohibeat, verum etiam ut ei omnia bona præstet, quæ plurima potest. Charitas enim, teste S. Paulo, benefica est; efficitque ut Proximum in pretio habeamus, colamus, sincero amore prosequamur, eique testemur tum existimationem nostram de eodem cum laude, & honore loquentes, tum observantiam, officiis cum eodem certantes, tum amorem omnia illi cupientes bona; ob ea, quæ possidet, lætantes, ea, quibus indiget, illi procurantes; nihilque eorum, quæ a nobis expectare possit, denegantes. *Pater Neveu in Christianis considerationibus*. — Præcipua charitatis officia.

Alia, qua nobis CHRISTUS JESUS tradidit, regula

regula est Proximum nostrum ea charitate complecti, qua nos ab eodem cuperemus amari, ipsumque eadem ratione excipere, qua ab illo nos excipi expeteremus. O divinum præceptum! Adeo visum est Ethnico Principi admirabile, & æquum, ut satis validum esse censuerit argumentum ad Religionis nostræ veritatem, ac sanctitatem probandum. Hoc tueamur, & justi, sanctique erimus. Hæc in re norma ex nostro amore proprio desumenda est; qui licet inordinatus sit, illius tamen motus debemus consulere, & sequi; & licet injustus, efficiet tamen nos erga alios æquissimos. Cor igitur nostrum, eosque motus, quos pro nobismetipsis inspirat, consulamus; ubi cum Proximo acturi sumus, sæpius nosmetipsos interrogemus, vellemne, hoc, vel illud mihi fieri? in me alios asperos esse? me ab aliis contemni? mihi obtrectari? me improbe illudi, & irrideri? levissimos etiam defectus meos in apricum proferri, & amplificari; virus intentionibus meis inspergi? De me ipso ex levi aliqua specie nequissimum judicium ferri; alios defectus meos minime pati? infirmitatibus meis non indulgere? mei nullam rationem haberi? Nonne oppositum immo servari cuperem? Cur ergo cum aliis oppositum non servabo? *P. Rapin libro cui titulus: Christiana Religionis Spiritus.*

Tertullianus ait, charitatem magnum esse Fidei Sacramentum. Significat autem, quemadmodum in Sacramentis Deum colimus sub figuris, quæ per se viles sunt, atque contemptibiles; ita præter propter in charitate, illum amandum esse in iis etiam personis, quæ odio potius, & contemptu dignæ videntur..... Si quæsiveris ergo, cur abs te peto amorem erga eum, quem odio, atque abominatione dignum arbitraris; respondebo, in illo magnum moralis nostræ Sacramentum contineri, cujus quidem ille cortex est, sub quo docet fides Deum delitescere voluisse. *P. Aurelianensis Sermone de amore Proximi.*

Deus in Proximo considerandus.

At enim hic homo, quem amare jubeor, nihil habet amabilitatis in se. Esto quidem, at nonne satis est, Deum profiteri, eumdem a se diligi, ut illum diligere tenearis? Quomodo autem cogitare potes, nihil amabile in eo reperiri, quem Deus tanta dilectione prosequitur? Potestne ille temere amare? Immo potestne aliter amare, quam infinita ratione ductus? O amplissimam eorum diligendorum rationem, quos ratio omnis nequaquam diligendos esse suaserit! *Idem.*

In Proximi charitate perfectio est.

Proximi charitas perfectionis est apex. Cum enim perfectio in Dei amore consistat, & Dei amor perfectus non sit, nisi cum sese extendit ad Proximum; satis liquet in perfectione, amorem proximi contineri, & sine hac proximi dilectione nullam esse perfectionem. Ita Deus nobis tradere volens perfectionis exemplar in primis nascentis Ecclesiæ Fidelibus, non meminit fere virtutum aliarum præterquam quod ejus concordiæ, propter quam dici poterat in ipsis, *Cor unum, & animam unam, Actor.* 4. inveniri. Non loquitur nisi de hac ardenti charitate, quæ omnia illorum bona communia reddebat, efficiebatque, ut divites bona sua venundarent, ne quis esset pauper. *Idem.*

Verus Christianismus subsistere nequit cum aliqua rerum earum, quæ Proximi charitatem evertunt; non cum simultatibus, asperitatibus, aliorumque contemptu, immo neque cum amore frigescente, & quadam, ut ita dicam, indifferentia. Frustra mundo, & pompis, & commerciis illius abrenunciastis, si in eo, quem constituitis, cætu fovetis adhuc odia, quæ patent, invidiam, quæ sese prodit, & seditiones, quæ scandalum afferunt. Frustra voluptates abdicastis, si rei vestræ solliciti curatores ex eorum estis numero, qui nullam habent alienæ utilitatis rationem. Frustra in precum vestrarum fervore devotio lacrymas elicit, si inter illos adscribendi estis, quorum impatientia, pravum ingenium, asperitas, ne unum quidem veræ lætitiæ momentum suis domesticis relinquunt. *Idem.*

Defectus charitati oppositi.

Si vere hoc spiritu charitatis animaremur, non adeo maledici in colloquiis essemus; non adeo in irrisionibus aculeati, non adeo aliorum contemptores in officiis, non adeo censores in judiciis, & asperi in verbis; nequaquam oblectaremur hujus quidem defectus in lucem proferentes, illum ad iracundiam provocantes, eos, qui nobis displicent, contumeliis afficientes.... Alienæ infirmitatis miserti, ac ferentes invicem, ut ait S. Paulus, mutuos defectus, ea, quæ displicent evitaremus, hominum ingeniis parceremus, infirmiorum rationem haberemus, ne alteri graves essemus, caveremus; non solum a nobis, quod ignoratur, nimia cura non perquireretur, sed eorum etiam, quæ novimus, oblivisci conaremur; non solum ea, quæ non sunt conjectando non divinaremus; sed iis etiam, quæ sunt, oculos clauderemus; non solum virus iis, quæ culpa vacant, non immisceremus; sed ipsis etiam, quæ virulenta sunt, dulcedinem, ac salubritatem afferre studeremus; & non solum nostris questubus, & clamoribus insanabile malum non fieret, cui quidem patientia, & dissimulatio mederi possent; sed patientia, & dissimulatione nostra antidotum pararemus contra odium, & mala, quæ illud subsequuntur. *Idem Sermone de inimicitiis.*

Charitas, ut vera sit, alienis malis affici debet, eorumque miserescere. Gloriabatur Job, miserationem secum genitam fuisse, & secum ab adolescentia crevisse. Sive hæc innata esset indolis ipsius bonitas, seu futurarum ærumnarum præscientia, quo plures ærumnosos intuebatur, eo majori miseratione cor ipsius frangebatur. Deus per Prophetam suum nobis, & misericordiam, & miserationes præscribit; supponit autem nobis plures esse miserationum species, & plura corda erga proximum, sive ut eorum necessitatibus opem feramus, seu ut quæ prævidentur ærumnæ, avertantur, seu ut afflictos consolatione recreemus, seu ut infirmis subsidio aliquo opitulemur. Charitas enim, ait S. Augustinus, his omnibus patet affectibus, pro alienis sollicitudinibus, angoribusque suas habet curas, & turbas; pro periculis, quæ præsentit, suos metus; pro miseriis, quas novit, suos mœrores; & quemadmodum multiformis est gratia Dei, ut spiritualibus infirmitatibus nostris medeatur, Charitas Dei multas habet, easque varias misericordias, ut temporalium omnium pœnarum, atque afflictionum misereatur. *Flechier Sermone pro Comitiis statuum Linguedocca.*

Charitatis erga Proximum elogium.

Charitas hæc secundum obtinet locum inter divinas Leges; immo proprie secundus est amor Dei extra Deum; & licet non æque nobilis videatur, ac altera, dici tamen quodammodo potest, huic aliquid magis admirabile inesse. Licet enim S. Joannes Apostolus dicat, illum, qui fratrem suum, quem videt, non amat, vix diligere posse Deum, quem minime videt; non videtur tamen tantæ operæ, ac difficultatis esse amare, & colere Deum, ubi in seipso spectetur. Hoc pacto ibi pulchritudines omnes sine ullo defectu inveniuntur, ibi nihil non splendore, & majestate fulgens deprehenditur, & tantum abest, ut miraculum habendum sit, si quis hoc divino igne flagret, ut cor sine amore ad hujus objecti conspectum, majus esset prodigium, quam homo sine corde. Deum autem in illius creaturis, quibus exilis adeo species, & decor inest, cum tot defectuum caterva conjunctus, diligere; eumdem in iis amare, qui per se odio, & contemptu sunt digni; illum in pauperibus, vel ægrotis amare, eique famulari, ubi oculis nostris squalor, ac sanies tantum accidit; illum amare in peccatoribus, ubi divinæ pulchritudinis species nisi fœdata, saltem conjuncta est cum iis, quæ in inferno magis sunt horribilia; hoc sane eximium amoris opus est, atque miraculum. Ibi vero voluntas nostra, licet naturaliter reluctetur, amore suo complectens objecta adeo fœda, ac insuavia, majori cum laude exer-

interere videtur præceptum, quo Proximum, immo ipsos etiam inimicos amare jubemur. Attamen hoc illud est, quod charitatem constituit; eodem tempore, quo homini accommodat alas, in Dei usque sinum volaturo, ut sese cum eodem conjungat, illi simul grave onus imponit, quo deprimitur, ac terram versus retorquetur. Hæc virtutum Regina, quæ humanum cor ingressa, illi nobilitatem adfert, eique jus tribuit ad immortales coronas, illud ipsum hominum minimo subjicit, atque dum Creatoris amicum facit, creaturarum famulum reddit. *Abert Abbas de Cerest in Vita Cardinalis de Berulo l. 3. c. 9.*

Cum naturalis affectus, ac studium, vel utilitas potius, quam ratio, & gratia, nos ad aliquem amandum impellunt; cumque huic majora, quam vel officium, vel vires nostræ sinant, bona studemus comparare; satis patet hoc extremum esse, quo vera charitas non pertingit, quæ Deum unum diligere debet. Verum cum etiam cor nostrum omnibus hominibus obstruimus, & nosmetipsos tantum amamus, cæteros nullo in discrimine habentes; vel si alicujus amore ducimur, alios tamquam affectione nostra indignos dedignamur, neque tangi volumus sensu adeo rationabili, & necessario; cum de iis conquerimur, a quibus vel exigua afficimur molestia, & defectus nostros ab aliis ferri cupimus, quin eosdem in aliis ferre teneamur; cum inofficiosi sumus, & aliis gratificari abnuimus; cum amicis adulamur potius, quam eorum vitia libere redarguere audeamus; cum illis qui felices sunt, invidemus; & eos, qui miseri sunt, aspernamur, ac levi nimis de causa homines odimus; nequaquam difficile est judicare, hos actus a Proximi charitate nequaquam produci. *P. Hainensve in lib. de Ordine Serm.* 20.

S. Joannis dilecti discipuli exemplum.

Dilectus discipulus, qui divinum tantummodo amorem cogitabat, & de hoc uno loquebatur, jam moriturus Discipulis suis ajebat, *filioli, diligite alterutrum*, quod toties in vitæ suæ decursu ad satietatem usque illis repetere consueverat. Diligite alterutrum, hoc enim amantissimi Præceptoris, ac Domini nostri mandatum est. Profecto hoc illud est amoris præceptum, quod JESUS CHRISTUS peculiariter suum appellabat, cum asserebat, sese ad id in terras venisse, ut novam hanc legem irrogaret. *Idem.*

Cum dicimus Proximum ob supernaturales tantum causas esse diligendum, non dicimus naturæ sensus omnino esse extinguendos, ut gratiæ inspirationibus regamur; atque ut spirituales simus, non alio amore esse afficiendos. Poscit ratio, ut fratres, & consanguineos diligamus, ut iis, qui de nobis optime fuerunt meriti, gratum animum, amicis vero studium nostrum testemur: Neque obstat gratia: verum opus est, ut hæc naturalia studia, hæ affectiones semper rationi, & gratiæ motibus pateant, atque in consanguineorum affectione magis adhæreamus legi Dei, qui consanguinitatis gradus constituit, quam carni, & sanguini; atque in amicorum nostrorum necessitudinibus officium potius nostrum, quam animi studium cogitemus .... Hoc in sensu loquebatur Dei Filius, cum ajebat opus esse, ut patrem, matrem, fratres, sorores, eosque omnes, qui nobis chari esse debent, oderimus. Non enim intelligit hos adeo justos naturæ sensus in nobis esse abolendos; verum nihil illis contra Dei legem permittendum esse, eorumque excessum penitus esse rescindendum. *Idem.*

Ideo Filius Dei factus est Homo, S. Bernardus ait, ut simul Deum, & Proximum amare possemus, incarnatam illius Personam diligentes; & ut soliti hunc amare Hominem, quem adorare debemus, haud ægre propter illum cæteros homines diligeremus. Nescisne amorem, quem illi debes, & ea ignoras bona, quibus de te perquam bene meritus est? Quantumvis ingratus sis, illi tamen adeo justum debitum negare non potes. Ille autem suum jus cessit illis omnibus, qui a te gratiam aliquam, & amoris testimonium dignoscunt; ipse nequaquam hoc indiget. Tibi etiam significavit, quidquid ipsi debes, se remissurum, dummodo egenis quos ad te misit, opem feras; testatus est, se æque tuto in pauperum manibus, ac in suis pecuniam quam illi debes, collocaturum; quæcumque subsidia afflictis hominibus contulerit, sibi collata, arbitraturum, atque tibi obnoxium futurum æque, ac si a te beneficio fuisset affectus; ipsum tibi pro creditore debitorem futurum, si hoc sibi debitum a te persolutum fuisset, centupli fœnus etiam in hac vita tibi præstiturum; atque in altera æterna mercede pro iis omnibus, remuneraturum. *Idem.*

Dei Filius vult, Proximo eam impendi dilectionem, quam ipsi debemus.

Dici potest, hoc Proximi diligendi mandatum, ordinem temporum quodammodo secutum fuisse, suumque habuisse principium, progressum, ac plenitudinem; principium quidem in naturali lege; progressum vero in lege scripta; plenitudinem denique in lege gratiæ. Deus semper homines huic præcepto parere voluit; non semper tamen eadem de causa, neque in eodem gradu perfectionis. Illius in lege naturæ fundamenta jecit, cum enim plures homines creare posset, ex uno tamen omnes prodire voluit, ut nos ad unitatem revocans, inter nos concordiam, & charitatem servare teneremur..... In lege scripta hæc mutuæ charitatis officia latius adhuc patuere.... Verum in lege gratiæ, quid prætermissum fuit a JESU CHRISTO, ut huic amori latitudo, & perfectio omnis accederet? Non enim solum confirmavit, quod jam fuerat institutum; sed recentes addidit rationes, validasque considerationes præcipiens, ut Proximum ea charitate prosequeremur, qua hic Homo Deus nos dilexerat. *Desumptum ex Morali dictionario Sermone primo de Proximi amore.*

Hujus præcepti utilitas.

Produc, si licet, Moralem sapientius institutam, atque societati utiliorem. Cum enim Proximo meo præcipitur, ut me diligat, mihi opem ferat, mihi cor suum præbeat; ego quoque simul jubeor iisdem certare officiis, hæc ipsa eidem persolvere. Officia mutua sunt, nihilque ulterius requiritur, ut societas suavis, atque æterna jungatur. Præceptum hoc Rerum publicarum propugnaculum est, publicæque tranquillitatis, & quietis principium; & si fraternæ charitatis præceptum diligentissime servaretur, nullum jam furtum esset, nulla cædes, nullum adulterium; pax, & concordia ubique dominarentur; Proximus meus negotia mea æque ac sua procuraret, mihique gratificari adniteretur, quemadmodum & ego de eodem benemereri conarer. Nullum mihi negotium facesseret fortunæ adversitas; nulla metuerem opprobria, eademque charitate me ab omnibus his malis tuente, in aliis idem fraternum cor invenirem, quod erga alios & ipse foverem. Verum proh humani cordis nequitiam, atque tyrannidem! proprio amore tumentes ab omnibus diligi cuperemus omnes nobis inservire, nobis obsequi vellemus, nos vero fratribus nostris hæc eadem charitatis officia negabimus! Ex charitatis præcepto ea nobis vindicamus, quæ nobismetipsis utilia sunt, idem vero privilegium Proximo nostro renuimus! Quid nequius? *Idem Ser.* 2.

Adsunt fortasse nonnulli, quos tamquam nosmetipsos diligimus, sed noster erga illos amor quolibet odio pejor est, eos enim inordinate diligimus. Talis est amor, quo pater suum prosequitur filium, quem eo collocat in gradu, a quo propter ingenii imbecillitatem procul abesse deberet, vel in ea conditione, ad quam divinitus evocatus non est. Hoc amoris genere hominum plerique ultro citroque diliguntur, quod sane opus est cupiditatis, vinculum a carne, & sanguine efformatum, atque ex mutuis avaritiæ, voluptatis, vel libidinis etiam rationibus proveniens. Inde vero minime intelligimus injuriam a nobis ita diligentibus Proximo illatam, quod ita nos quoque metipsos amamus, & ab aliis optamus amari. Ut huic malo medi-

medicina afferatur, illius origo est repetenda, atque discendum, quomodo sit diligendus; hoc est salutem ipsius cæteris quibuscumque rebus esse præferendam, quemadmodum pro nostra quidquid charissimum, ac pretiosissimum nobis adest, devovere nos decet. *Abbas de Monmorel Homil. pro 17. post Pentecosten Dominica.*

Diligentius exploranda est causa, propter quam Proximo gratificamur,

Quis nostrum gloriati potest, se uti par est, charitatis præceptum servare? Quidquid fit, S. Augustinus inquit, vel ex charitate, vel ex cupiditate procedit: sin autem singillatim omnium actionum nostrarum principium diligentius scrutari velimus, has plerumque ex cupiditate proficisci innotescet; ideoque tot opera bona, quæ testimonium perhibent, a nobis Proximum diligi, eleemosynas erogatas, ægrotantes ope recreatos, operas indigentibus summa cum eorum utilitate impensas, detentos in carceribus utili visitatione confirmatos, æquivoca esse charitatis indicia; quippe quæ ex hypocrisi, amore proprio, ac vanitate tamquam ex causa procedere possunt. Ne spectemus igitur actiones nostras in ipsis magis, quam in principio, unde existunt; ac inveniemus proculdubio, nos iisdem sæpius abuti. *Idem.*

Spectanda proculdubio diligenter est ratio, qua charitas (erga fratrem suum) exercetur, ne lædatur potius, vel illi detrimentum inferatur, cum eidem prodesse studemus. Aliquem enim periculo liberare, aspere nimis ejusdem factum exprobrando; hoc sane est nimiam voluptati amaritudinem immiscere, quam ut jucunda accidere possit; occultis æqualis alicujus hominis egestatibus opem ferre, nimium sibi auctoritatis in ipsum vendicando; de eodem male mereri est, cum illum tibi inferiorem efficere studeas; pauperi solatium afferre, ejusdem paupertatem illudendo; est virus cordi illius adspergere, dum corpori esca præbetur: nimis leniter ea pertractare mala, quæ vim, vigoremque deposcunt; est vulnus fovere, quod ferrum, & ignem efflagitat: aspere nimis, ac severe iis malis occurrere, quæ suavitatem petunt; exacerbare est, non curare. Hæ satis ostendunt circumstantiæ, si multi sunt, qui charitatem erga Proximum fovent, & qui de eodem bene mereri adnituntur, paucissimos tamen esse, qui rite hoc munere perfungantur. *Desumpt. ex Anonymo auct.*

Proximi amor ad omnes homines sese extendere debet.

Communis erat apud Judæos error Proximi amorem in sola consanguineorum charitate, vel in sola gentis, populique sui dilectione coarctare, & omnes alios excludere. Fatebantur quidem, lege divina præcipi, ut fratres suos tamquam semetipsos diligerent; sed per legis corruptionem, vel mendosam ejusdem interpretationem Proximum arctis adeo finibus circumscribebant. Hanc illi qualitatem auferebant iis omnibus, quos, sibi adesse aliquam putabant causam non diligendi, & apertissima charitatis fractura amor, quo nationis suæ homines prosequebantur, in causa erant, ut quoscumque alios terrarum populos odio persequerentur. Quamobrem cum Dei Filius injustam hanc ex illis mentem eripere vellet, ipsis ostendit, omnes homines nemine excepto eum esse Proximum, quem diligere oportet, nullum habendum esse discrimen amicum inter, & inimicum; concivem & alienigenam; fidelem, & infidelem; pauperem & locupletem; sed veram charitatem nullis unquam finibus posse contineri, & quin ulla ratio habeatur, vel longinquitatis locorum, vel diversitatis religionum, vel oppositionis ingeniorum, omnes homines esse diligendos: *Nullum hominem excipit, qui præcipit, ut diligas proximum: omnis homo omni homini proximus est; nec cogitanda longinquitas generis, ubi est natura communis. De la Font dans les Entretiens Eccl. pro 12. post Pentecosten Dominica.*

Amor, qui Proximo debetur effectivus esse debet.

Teneris, quatenus Christi fidelis amare Proximum tuum tamquam temetipsum; hac de re non ambigis: verum illud advertendum est, Dei Filio præcipiente, ut fratres diligamus, non satis esse illi sterilem amorem, quem frustra animo te fovere gloriaris; sed juberi amorem practicum, qui sese extrinsecus prodat, & fructus suos proferat. Qui credit sibi tantummodo se natum esse, qui sui ipsius tantum curam gerit, qui Proximo prodesse non quærit, ubi potest, minime adimplet præceptum illud, quo fratres amare tenetur ..... Qui Proximo inutiles sunt, vel qui eidem opem ferre non curant, similes sunt Sacerdoti, ac Levitæ, de quibus loquitur Evangelium: prætergressi enim sunt, quin opitularentur viatori, qui, cum in latrones incidisset, bonis omnibus expoliatus, vulneribus confossus, ac semianimis relictus fuerat. At qui charitatem operantur, qui semper erga fratres suos sancta miseratione ducuntur, & proximo suo prodesse lætantur, Samaritano similes sunt... Egregium hoc nobis exemplar ipse JESUS CHRISTUS proponit dicens, si nostram erga fratres charitatem testatam facere velimus, Samaritanum illum esse imitandum: *Vade, & tu fac similiter.* Luc. 10. Hoc est, si cum frater tuus in squalore versatur, pertransis, quin illi opem, solatiumque feras, quemadmodum Sacerdos ille, ac Levita; næ tu amoris erga Proximum præceptum minime adimples. Ut huic legi satisfacias; Proximus, ubi eguerit, adjuvandus est; amor effectivus sit oportet; nobisque persuasum esse debet nos in hoc mundo ideo vivere, ut ultro citroque mutuis fulciamur auxiliis. *Lambert in Sermonibus de Vita Ecclesiastica Sermone 6.*

De Proximi charitate idem dicendum est ac de amore Dei. *Non omnis, qui dixerit: Domine, Domine*; hoc est, non omnis, qui a se Deum amari affirmaverit, intrabit in Regnum Cœlorum, opera, & hujus amoris argumenta quæruntur: ille solum in Regnum Cœlorum ingredietur, qui Cœlestis Patris voluntatem perfecerit. Hoc ipsum de Proximi charitate dicamus. Non satis est dicere, Proximum diligi; hic amor operibus probandus est, & tamquam Christi fidelis, necessario Proximum tuum amare teneris; quem liquido patet a te non amari, cum paratus non es, ea illi omnia præstare, quæ potes. *Idem.*

Charitas debitum est, quod numquam dissolvitur.

Amor Proximi, juxta S. Pauli verba, debitum est, quod ut alia nequaquam dissolvitur; ibi enim nihil debetur, ubi semel ære alieno fueris liberatus. Quidquid feceris pro fratribus tuis, semper illis obstrictus es: quamobrem S. Paulus ait, nos semper amorem debere, quem vicissim nobismet præstare tenemur. Quo majorem amorem, & charitatem impendimus, eo majorem debemus, inquit S. Augustinus. Qui non credit, se debere semper charitatem Proximo suo, S. Fulgentius ait, gaudere non debet, quasi debitum hoc dissolverit, sed mœrere, tamquam charitate destitutus. Ne credamus ergo fratribus nostris gratificari, cum illis amoris nostri argumenta præbemus; meminerimus, hoc debitum esse, a quo persolvendo excusari non possumus. Fratribus nostris debitores sumus, propter nexum, qui inter nos, ac ipsos intercedit; Sumus ejusdem corporis membra; si charitas in nostro corde non est, hunc nexum infringimus, cumque fratribus nostris non amplius adhæreamus, non habemus amplius pro Capite JESUM CHRISTUM. *Idem.*

Opus non est, hoc in loco ea describi, quæ Redemptor operatus, ac perpessus est, ut amorem, quo homines prosequebatur, ostenderet; ad quem statum suæ majestati, atque gloriæ contumeliosum sese demiserit, quot in vita labores, quot in morte opprobria, ac tormenta pertulerit, ut illos de servitute dœmonis eriperet. Adeo illustria amoris sui erga homines testimonia, nonne validæ rationes sunt, quæ nos ad illos amandos impellant, quin eorum defectibus deterreamur? & S. Joannes nonne jure inde argumentatus est, quod *si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere*? ... 1. Joan. 3. Impostерumne leve aliquod subire incommodum renues, ut fratribus tuis gratum facias, & egestatibus eorum opem feras, cum ea videris

quæ

quæ pro illis Dei Filius operatus est? *De la Fone propositione pro 12. post pentecost. Dominica.*

Quod parum charitatis hodie in Fidelibus invenitur. Si Christianæ Religionis Spiritus in charitate consistit, fateamur necesse est, in ipso Ecclesiæ sinu vix hunc spiritum inveniri; & raro charitatem, quæ sit universalis, deprehendi. Unquam ne tot odia, simultates, invidiæ, zelotypiæ, diffidia, immortales inimicitiæ, inter proximos tanta extitit indifferentia, parva adeo inter concives, vel Societatis alicujus membra concordia viguit? Quis affirmaret hujus ævi Fideles successores esse fidelium primorum temporum, quibus, teste S. Luca, cor unum erat, & anima una, quorum charitas, Tertulliano auctore, adeo insignis erat, atque flagrans, ut ipsi quoque Ethnici Christianos ab aliis ex hac nota dignoscerent, sibi mutuo dicentes: *Videte quomodo se diligant!* Videte quomodo mutuis certent officiis, sibi invicem opitulentur, & perfectæ charitatis munere perfungantur. At non ne potius dicendum est, fideles non spectare sese amplius tamquam fratres, ac nos jam ad novissima illa, & calamitosa tempora, a mundi Salvatore prænuntiata devenisse, ubi homines sese mutuo debebant odisse, jugiter bella, diffidia, & assiduas exercere inimicitias primigenio Christianæ Religionis spiritu penitus extincto? *Idem.*

Vera charitas, ex S. Paulo, pura, ac integerrima esse debet; in amore, quo Proximum complectitur, nihil esse debet, quod ad suam utilitatem referatur. *Non quærit quæ sua sunt.* 1. ad Cor. 13. Talis non est, qualem postulat Deus, nisi omni propriæ utilitatis suspicione careat, vel si eo bono, quod cupit, vel pro viribus Proximo suo procurat, aliam petat mercedem, quam gratificandi voluptatem. Cum tu te amas, inquit S. Augustinus, te ne propter alterius amorem amas? nonne te propter te amas? Ita Proximus tibi amandus est; neque enim eum diligere decet, quod ille tibi utilis est, & quod inde bonum aliquod speras te percepturum. Si illum diligis, quod bonis diffluit, minime diligis, uti opus est; te tantum diligis, ad te unum eam refers dilectionem, quam Proximo tuo testaris. Secundum hanc regulam (ne dissimulemus, quod satis constat) quid quæso sunt omnes mundi amicitiæ, nisi vel utilitatis, vel politicæ commercia, nisi sordida beneficiorum mercatura, quæ præstantur spe referendi paria, vel longe etiam majora? Cor in hujus commercii partem non venit. Amor qui omnia vel ad propriam utilitatem, vel ad suam voluptatem refert, ullum ne caracterem habet, minimamque notam singularis, integerrimæque illius charitatis, quam inter homines instituturus Dei Filius in terras descendit? Ipse amor, quo plerique proximum suum complectuntur, innixus est carni, & sanguini, nihilque habet illius charitatis, quam nobis imperat Deus. *Idem.*

Deus Proximo cedit partem juris illius quod habet in nos. *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Matth. 25. Quemadmodum JESUS CHRISTUS in proximum nostrum ea transtulit jura quibus amorem, operamque nostram exigere potest, S. Joannes ex eo amore, quo nos diligit, infert obligationem, qua Proximum nostrum amare tenemur, tamquam illum, cui a Deo jus suum cessum fuit. Ubi creditor alteri cuiquam redit pecuniam, quæ sibi debetur a te, efficit, ut æs alienum cum ipso conflatum illi persolvere tenearis, cui hanc cessionem fecit, tamquam sibimetipsi. Quorsum autem? quia cessionarius ille primi creditoris personam refert, illius obtinet jura, & in ejus locum subrogatur. Nosti infinita jura quæ in nos habet Dei Filius; te illi debere quidquid habes, & quidquid es, eo quod te per suam potentiam creavit, atque per amorem redemit. Verum cum minime possit effectus nostræ gratitudinis excipere, illos transtulit in fratres nostros, voluitque, ut his dissolveremus, quæ sibi a nobis debentur. *Idem.*

Charitas minime prohibet, quin coram Judice jus nostrum tueamur, & pro Republica in legitimo bello arma sumamus: charitas enim justitiæ non adversatur; vitia ipsa odisse possumus vitiosos amantes, & fieri potest, ut exteriores effectus notæ sint odii, quod in specimen tale videtur, cum interim verus amor dominetur in corde. Perfectum hoc odium conceperat David, cum dicebat: Ps. 138. *Perfecto odio oderam illos*; & hoc illud est, quod nobis præcipit JESUS CHRISTUS. Nisi Proximum amas, S. Augustinus ait, animam tuam odisti; & si peccatorem odisses, in te odium tuum relaberetur. *P. Dozenne in lib. de Morali J. C.*

Primorum Fidelium charitas. Charitatis hujus primitiæ nitent in Actis Apostolorum, quæ Historia est institutionis Fidei nostræ. Quemadmodum enim Historicus inquit, Christiani adeo concordes erant, ut *cor unum*, *animamque unam* habere viderentur. Bonorum proprietas, quæ passim mentes sejungit, concordiæ huic non erat obstaculum; quippe illorum bona erant communia. Redditus, possessiones, contractus, & omnes divitiæ, quas quisque singillatim possidebat, certatim ad pedes Apostolorum conferebantur. Hæc a rebus omnibus alienatio magis magisque eorum consensum confirmabat: illis unus erat Spiritus, quia unum omnibus erat negotium. *P. Rapin in libro, cui titulus, Spiritus Christianismi.*

Ethnici de Fidelibus loquentes, dicebant, officiosi sunt, benefici, misericordes, ergo Christiani sunt; quia eorum fides, morum disciplina, evangelium est diligere Proximum suum, atque omnibus benefacere. Nova hæc Religio vera credebatur, quia docebat Proximi amorem, atque Ethnici in Religionis Christianæ castra transibant, videntes eam consensionem, quæ inter omnes Fideles vigebat. Eorum lenitas, probitas, affabilitas, modestia, gratificandi studium, melius, quam miracula, eam persuadebant doctrinam, quæ adeo beneficam virtutem profitebatur; & fides maxime profecit per eam opinionem, quæ apud populos percrebuit de sanctitate illius, qui adeo puræ legis auctor fuerat, juxta illud, quod Salvator de fidelibus loquens a Patre suo petiit: ut, ajebat ille, in nobis illi conjuncti sint, & mortales hanc mirati consensionem, putent, me a te, o Pater, missum fuisse. *Idem.*

Hic autem unionis, & charitatis spiritus enituit præcipue in quadam terribili peste; quæ atrox civile bellum subsecuta fuit, quo parum abfuit quominus Alexandriæ civitas sub Imperatore Gallieno funditus everteretur, & cujus meminit in historia sua Eusebius Cæsareensis. Videbantur fideles, Eusebius ait, morientibus adstare, & morti sese forti animo objicientes illos hortari, ut præclarum vitæ suæ, & voluntatis sacrificium offerrent Deo, cumque extrema collegissent cum voluptate morientium suspiria, eorum abluebant corpora, osculabantur, efferebant; cum interim apud Ethnicos accola accolis suspectus fieret, amicus de amico diffideret, consanguinei a consanguineis in ultimo spiritu desererentur; pater filium relinqueret, & matres amantissimæ filiorum suorum corpora de fenestris projicerent. Christiani, qui in adeo ferventis charitatis officiis mortem oppetiere, tantam apud populos venerationem promeriti sunt, ut Alexandrina Ecclesia illos in Martyrum albo descripserit. *Idem.*

Amor erga proximum quam sincerus esse debeat. Charitas sincera est. Amemus, inquit S. Joannes, sed amorem nostrum factis, non verbis profiteamur. Humanæ dilectionis character consistit tantum in urbanitatis officiis, inanibus servitutis oblationibus, amoris protestationibus, fictis necessitudinibus, coacto complacendi studio; fucatis verborum lenociniis, fallacibus promissionibus, cæterisque id genus simulationibus, quæ vulgatissimam humanæ vitæ consuetudinem constituunt. Sed Christiana charitas fucum omnem, & simulationem abominatur; ea dicit, quæ cogitat; ea cogitat, quæ sentit; ea sentit, quæ perficere cupit. Verba illius actionibus non opponuntur, actiones sunt semper menti conformes; quippe sincera est, nec alias habet mentis suæ explicandæ rationes, quam opera. *Charitas de corde puro .... & fide non ficta 1. ad Tim. c. 1. Idem P. Rapin.*

Charitas æqua esse debet.

Vera charitas Deum unum respicit, & uni illi placere studet. Itaque numquam agit ob humiles terrenasque causas, propter quas homines egere consueverunt.... Cum benefacit in id unum est intenta, ut sese tegat, ne agnoscatur. Si eleemosynam erogat, illam abscondit in sinu Pauperum, ut ait Scriptura; velum obducit beneficiis suis, ne ab aliis intelligantur, ac si fieri possit, libenter ea, quæ confert beneficia, ne ipsa quidem vellet cognoscere, sed silentio involvere cuperet, ne suæ officerent modestiæ. Voluptas, qua benefaciendo perfunditur, mercedis amplissimæ locum habent; & hanc omnibus mortalium encomiis censet anteferendam. Cum propter Deum agat, illum testem unicum actionum suarum petit. Ille unica est bonorum operum causa, & satis amplam mercedem se putat consecutam, eo quod omnia sunt oculis ejusdem aperta. *Idem.*

Spiritus æquitatis præcipuus esse debet Christianæ charitatis caracter, & præ omnibus virtutibus nulla illi antiquior est, quam justitia, quæ prodest, ut æquam servet inter se, & Proximum trutinam. Vulgatum illius munus est, tueri, opem ferre, inservire fratribus suis; id vero tanta affectione, tantoque zelo præstat, ut nemo quodam in sensu tam se ipsum diligat, quam verus Fidelis amat Proximum suum. Illi enim magis cordi est res Proximi sui, quam sua; & minus propria afficitur gloria, quam fratrum suorum. Quidquid utilitatis Proximo cesserit, sibi cessisse putat; aliena gaudia in suam lætitiam convertit; & admirabili affabilitate se in fratrum suorum ingenium transformat, & ipsam ut ita dicam, illorum mentem nonnumquam assumit. Hic ille est universalis homo, qui ut S. Paulus, est omnibus omnia. Hic mœrentium solatium est, debilium fulcrum, egenorum subsidium, profugorum asylum, laborantium consilium; denique nulla est unquam infirmitas, cujus non misereatur; nulla calamitas, qua minime afficiatur. *Idem.*

Nulla in Religione Christiana virtus est, cujus usus magis sit universalis, quam charitas: ubique illius exercendæ occurrit occasio, ubique enim calamitosi homines inveniuntur; & malorum excessus, quibus homo est obnoxius, tantus est, & tam late patet, ut ad omnes conditiones sese extendat. Ita charitas erga divites, & pauperes, erga felices, & infelices, erga gnaros, & ignaros, superbos, & humiles, viventes, & mortuos exerceri potest. Hæc publice, hæc privatim, domi, foris, in foro, & in solitudine locum invenire potest; & ex omnibus conditionibus illa præ cæteris Christiano vero est jucundissima, ubi charitatis exercendæ passim invenitur occasio; quemadmodum ex omnibus talentis illud est anteferendum, quod Proximo esse potest utilissimum. *Idem.*

Charitas prudens esse debet.

Charitas numquam cum imprudentia conjuncta esse debet; imprudentia quippe ordinem subvertit, quo charitas est exercenda. Per imprudentiam ea omnia accidunt importune, quæ hanc virtutem evertunt. Hinc sæpius contingit, ut post publicas obtrectationes eo modo existimatio reparari quæratur, qui obtrectationibus ipsis magis est metuendus, & qui vulnus exasperat potius, quam cicatricem inducat. Hinc aliis opem ferre cupimus, cum nobis integrum non est, ut dives ille nequam, qui mortuus curam gerere videtur salutis fratrum suorum, eosque flagitiorum suorum monitos cuperet, qui dum viveret, charitatem ne de nomine quidem cognoverat. Hinc eleemosynæ erogantur, at æs alienum non dissolvitur; illis, qui detinentur in carceris squalore, subsidium fertur, & domestici deseruntur; morituris postremis tabulis plurima pie, sancteque leguntur, & familiæ pax, atque consensus aufertur; illi, qui vere pauper est, ea denegentur, per quæ ex paupertate posset emergere, cum interim large, effuseque in erronis nescio cujus sinum congeruntur opes, ad illius inertiam alendam, atque fovendam &c. *Idem P. Rapin.*

Charitas secundum

Sedulo evitandus est spiritus imperii, atque dominationis, qui passim in charitatis exercitationem irrepit. Haud ægre in omnium bonorum operum partem accedis, dummodo tamen penes te eorum sit cura, & directio; nulla opera charitatis fiunt, quorum non sis particeps propter eam suavitatem, quæ cum quadam auctoritate conjuncta in rebus regendis percipitur, & propter voluptatem parvuli hujus imperii exercendi, quod quidem exerces, in Proximi ægestatibus cognoscendis, atque stipe illis eroganda. Vulgo interes cœtibus piorum virorum, occasionem præclaram aucupaturus te te prodendi; ac ubi nova quædam pie instituuntur, rei familiari non parcis, ut ibi regnes. Hoc eodem spiritu actus audenter negotium omne capessis; sollicitus te tamquam necessarium haberi cupis: turbas amas, ut in conciliandis hominibus, atque in suscipiendis arbitriis quæras temperamenta; charitatem ostentas, te quibuscumque rebus immisces; mentem versatilem geris, atque consiliis uberem, ut omnibus consulas, & liberaliter sane, quid omnibus, quid singulis faciendum sit, sententiam tuam promere gaudes. Hic est caracter charitatis, quæ hoc tempore viget; illa dominari quærit, & omnia moderari. Hic idem spiritus effici, ut zelo flagres pro iis tantum bonis operibus, quorum es auctor; & ea solum probas, quæ bene a te fiunt; & sæpe inveniuntur homines, qui pati nequeunt protegi virtutem, nisi ab ipsis lumen, ratio, methodusque petatur. Cætera, quantumvis bona, improbantur; & quia eorum pars aliqua non sumus, illa nullo in discrimine habemus. *Idem.*

Apostoli non est ambitiosa.

Charitatis obices.

Maximus charitatis obex est Spiritus mundi ex diametro spiritui JESU CHRISTI oppositus, hæc prudentia carnis, hæc mundana sapientia, quæ tot nefaria tradit consilia, dolo, ac insidiis Proximi existimationem labefactandi, apud eos, a quibus in honore habetur, in contemptum vocandi, sanctissima jura infringendi, omniaque susque deque miscendi, dummodo propositus finis obtineatur. Eodem hoc spiritu nobiles adolescentuli edocentur, ultionem nobilium virorum virtutem esse; nihil esse ignarius, quam injurias acceptas oblivisci. Odia, invidiæ, inimicitiæ, libidines, ambitus, magna negotia, vehementes animorum perturbationes, quæ vulgo effectus sunt spiritus ejusdem, adeo regnant in mundo, ut nulla ibi esse queat charitatis scintilla. Qui enim, inquit Apostolus, mundi hujus amicus esse voluerit, inimicos Dei constituitur. *Idem P. Rapin.*

Tuta, atque certissima ad hanc virtutem assequendam via est paulatim operibus illius exercendis assuescere: detentum enim in carceribus invisentes, afflictum consolantes, egenis opem ferentes, ignarum erudientes, quæ quidem quotidie & facere possumus, & debemus, ex quo Christiani sumus, sensim charitatis habitum induimus, & cœlestem sapientiam acquirimus, quæ pars est humilium, & quæ sine studio, & discursu effundit in cor interiorem unctionem spiritus Dei, quo docemur, quomodo Proximus sit diligendus. *Idem.*

Quomodo charitas inter Fideles intepuerit.

Si Christianæ Religionis spiritus non alius est, quam spiritus charitatis, quod ex huc usque dictis satis innotescit; videamus, utrum charitatis spiritum habeamus, ut inde judicium feramus, utrum simus vere Christiani: etenim lex charitatis, lex est novi Testamenti per Sancti Spiritus impressionem in cordibus nostris insculpta. Itaque mirum esset, si fideles in schola charitatis eruditi, iisdem præceptis imbuti, eodem redempti sanguine, eodem pane nutriti, quibus una fides est, una spes, & qui aliquando eadem simul gloria sunt perfruituri, eumdem spiritum non haberent, & sese mutuo non amarent. Verum cum hæc ita se habeant, quid inde? Num charitas vicissim viget? utilitas, ambitio, flagitium in omnes sæculi mores late diffusum, nonne quocumque dissensionis, atque discordiæ spiritum effudere? Quodnam autem judicium ferendum est de Christianis novissimorum horum temporum, ubi simultates, invidiæ, lites,

ætes, jurgia, injustitiæ, ultiones late grassantur? Unquam ne tot in familiis discordiæ, tot in conjugiis secessiones, tantus inter consanguineos tepor, atque indifferentia extiterunt? Nullam habemus charitatem erga illos, quos novimus, quam autem habebimus erga illos, quos ignoramus? Qui nobis sanguine conjuncti sunt, hos non diligimus, quomodo autem, qui nullo nobis vinculo adhærent, diligemus? In domesticos graves, ac sævi sumus, quomodo suaves, ac mites erimus in alienos? Numquid Christiani sumus, mores adeo languidos habentes? Hæc novissima illa tempora, quibus homines mutuo se se odisse debent, quibus fidelium charitas debet extingui; illa inquam tempora, quæ JESUS CHRISTUS ventura portendit, numquid jam accessere? *Idem*.

Si Concionatores hanc Christianis hominibus charitatis legem persuadere possent, civitates omnes instaurarentur, omnia exularent vitia, virtutes omnes reflorescerent. Proh Deus! quanam illi perfunderentur lætitia, si adeo felici eventu suam missionem explerent! Nulla esset amplius avaritia, nulla erga pauperum egestates duritia, nulla vexatio, nullum scandalum; invidia, odium, ultio nulla; Civitates hoc pacto instauratæ, ac reformatæ essent Jerosolymæ cœlestis imago, in qua pax, & consensus maxime vigent, quod perfecta inter cives beatissimos charitas invenitur. *Pater Texier Sermone pro tertia Quadragesimæ Dominica*.

Dilectis Discipulis docuit, si vel unicum nobis insit bonum, quod pro dilectione Proximi nolimus impendere, amorem nostrum veram nequaquam esse charitatem. Quid, quæso, ex omnibus terrenis rebus nobis debet esse antiquius? Vita profecto. Non possumus ergo majorem Proximo nostro charitatem testari, quam pro illo vitam nostram in periculum adducentes, ut idem Discipulus ait: *Majorem hac charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Joan. 15. *In hoc* autem, idem Apostolus in 1. cap. 1. 3. subdit, *cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*. Quæ cum ita sint, idem ibidem ait, Salvatoris vestigia secuti. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere*. Apertiusne loqui poterat? *P. Bourdalove iis in sermonibus, qui ejusdem nomine circumferuntur*.

Quædam occasiones occurrunt, in quibus vitam pro salute Proximi tenemur objicere, quemadmodum inquit S. Cyprianus in Tractatu, quem de lue conscripsit, quæ ævo illius omnes homines in Chartaginis urbe late depopulabatur. Quidnam efficit hoc malum? *Pestis illa explorat animas, & voluntates singulorum*. Ostendit, quid fratres fratribus debeant, quid filiis parentes, quid parentibus liberi, & ut verbo me expediam, quid sibi ultro citroque homines debeant; hoc est subsidia, & mutua charitatis officia. Et quoniam fratres in periculo versantur, quoniam ubi in extremis laborant, illis opem ferre decet, licet non sine periculo nostro illis opitulari valeamus, periculum tamen subire tenemur. *Idem*.

Utrum contra charitatE sit in foro lites persequi.

Licet ne jus meum in foro persequi? hiccine amor Proximi jubet, me sibi, dum hæc sese obtulerit occasio, omnes res meas sacrificare? Discite, auditores, quid debeatis. Hæc ex iis quæstionibus est, quæ maximi momenti habentur. Utique, licet vobis, ubi justitia cum charitate consenserit. Cum enim charitas læditur, lis est injusta, quia vobis temporale bonum procurans, efficit, ut summum, æternumque bonum amittatis. Hoc autem sexcentis accidit in circumstantiis, ubi simul & jus suum, & charitas servari non potest; veluti, cum non aliud nobis propositum in litibus consilium est, quam adversarium sumptibus ad paupertatem redigere, quod passim usuvenit; tunc enim, etiamsi penes nos est justitia, jus omne non injustum dumtaxat evadit, verum etiam barbarum, & crudele. Hæ duæ virtutes iterum simul esse non possunt, si ubi ingenii nostri periculum fecerimus; scimus nos litem persequi minime posse, quin iracundia, contemptus, odium, obtrectationes, calumniæ sese immisceant; tunc enim charitas nobis magis pretiosa esse debet, quam omnes simul hujus mundi divitiæ. Itaque omnes improbare lites, ignari est; non secus ac omnes probare, prævaricatoris; hoc tamen constat litium usum charitati semper esse perniciosissimum; eo quod cum gravissimo periculo conjunctum. *Idem*.

Charitas debet esse ab omni avaritiæ sensu remota.

Spiritus Sanctus perfectam animorum, affectuumque consensionem in Fidelibus instituturus, primum voluit illis omnem temporalium bonorum amorem eripere, atque omnem quæstus cupiditatem auferre. Hæc integritas ab omni avaritiæ sensu remota fuit tamquam primitiæ charitatis illius, cujus spiritus deinceps viguit in Ecclesia. Legimus enim, postquam fidem receperunt, & per Baptismum fuerunt regenerati, ita secundum Spiritum fuisse renovatos, ut non iidem amplius essent, qui prius; Etenim adeo unanimes erant, ut seipsos tamquam fratres existimarent, & reipsa ita seipsos vocarent, vere tamquam fratres vitam ducentes, & nihil proprium habentes. Illorum Domus, agri, hæreditates, redditus, omnesque facultates communes erant, ut quibus unus erat spiritus religionis, una etiam esset vivendi ratio, ut ait S. Augustinus, & omnia illius essent communia, quibus una erat fides, & quibus JESUS CHRISTUS erat omnia. Ultro citroque sibi opem ferebant, eo quod amicitia, quæ in JESU CHRISTI amore fundatur, fortior est, quam sanguinis vinculum, & arctius corda mentesque conjungit. *Essais Sermone pro feria quarta post quartam Quadragesimæ Dominicam*.

Exhibe quadam veluti in tabula depictam Proximi tui Effigiem ita deformatam, ut nihil fædius fingi queat; ad mentem illius delineandam teterrimos adhibe colores; dic si lubet, animam illius ignaram esse, perfidam, ambitiosam, avaram; illud violentum esse, impudicum, nullam ipsi inesse fidem, nullum honorem, nullam Religionem. Licet talis ille sit, eum tamen Deus patitur, illi benefacit, eum diligit, ac abs te jubet amari. At enim me persequitur, me odit, mihi necem molitur. Eum nihilominus diligit Deus; & quidquid amat Deus, meretur amari; eo autem magis, quod ille cum Deo æque, ac tecum agit; illum lædit, dedecorat, prodit, & nihilominus amatur a Deo .... Quodnam autem cor nostrum esset, quis sensus noster, si amore nostro indignum eum censeremus, qui a Deo amabilis existimatur? *P. de la Colombier Tomo 4. Sermone de charitate christiana*.

Ratio charitatis erga Proximum universalis est, & quomodo.

Ratio christianæ charitatis, quam proximo debemus, est universalis, hoc est sese super omnes homines extendit, quemadmodum fidei ratio æque ad omnes fidei sese extendit articulos; ut & quomodo ut fidei jactura fiat, satis est de uno tantum Religionis articulo dubitare, ita ad charitatis jacturam subeundam satis est si unum oderis hominem. Si mortales omnes amore complecteris, uno tantum excepto, dicendum est, quamdam te habere aliorum amandorum causam, quæ in uno hoc non invenitur. Hæc autem causa naturalis est, si enim supernaturalis esset, ac divina, sese ad illum etiam, quem minime diligis, extenderet; ideoque cum propter Deum minime diligas, hæc profecto charitas christiana non erit. *Idem*.

Primis Ecclesiæ temporibus, licet fideles præclara ederent omnium virtutum exempla, illorum tamen præcipue charitas elucebat. Profecto narrat Tertullianus, Ethnicos hanc præ ceteris in Christianis hominibus observasse, & admiratos fuisse: *Videte*, ajebant illi, *Videte, ut se invicem diligant, & alter pro altero mori sint parati*. Videte quæso, ut homines ipsi sese mutua dilectione prosequantur, quomodo præsto sint, ut alter pro altero operam suam collocent, ac si forte alter alteri inju-

injuria intulerit, mutuo sibi veniam largiantur: *Videte, ut se invicem diligant!* Nonne admiramini suavissimam hanc facilitatem, qua suo jure cedunt, ac nequaquam eos persequuntur honores, quos jure exigere possent? Nonne diceretur hæc una esse familia, illis unum esse cor, anima una? Quam sancta ea Religio esse debet, quæ adeo perfecte animos conjungit omnis ætatis, qualitatis, professionis! .... At me miserum! Nonne de ævi nostri fidelibus in sensu penitus opposito ironice dici posset. *Videte, ut se invicem diligant!* Videte, quæ charitas inter fideles vigeat, & quomodo JESU CHRISTI spiritum servaverunt! Quænam illius modo supersunt vestigia? *Videte ut se invicem diligant!* Videte potius quomodo obtrectationibus sese mutuo lacessant, quomodo adnituntur, ut sese vicissim perdant, ac destruant! Videte quomodo alter alterum fallere, alter alterius nomini officere adlaborent! quomodo obloquantur, & mutuo bona, & honorem sibi conentur eripere! Videte, quomodo facti sint hodie scandalum Infidelium, quibus olim erant admirationi. *Idem*.

Charitas in nos quidem severitatem, in alios vero indulgentiam petit.

Cogit nonnumquam charitas, ut in Proximum austeri simus, talis ea debet esse, superioris erga subditos; ubi ad eorum defectus corrigendos, salutemque eorum procurandam hoc profuturum censetur. Verum cum homines plerumque rerum ordinem invertant, accidit, ut severitatem omnem in proximos, indulgentiam omnem in nosmetipsos reservemus. Illis nihil concedere, nobis semper parcere volumus; cum e contra christianæ charitatis postulet ordo, ut austeritatem, severitatemque in nosmet exerceamus per pœnitentiam, rigidamque mortificationem; (quippe juxta Evangelii præcepta tunc nosmetipsos vero amore prosequimur); cum autem charitas, Apostolo docente, benigna sit, præcipit, ut omnem erga Proximum indulgentiam expromamus, dummodo in turpem adulationem, quæ vitia fovet, tandem non migret. Nos vero hac abutimur doctrina; Severas Evangelii leges, ubi nostræ utilitati adversantur, in mitiorem sensum detorquemus; ubi vero de proximo agitur, mitiores quascumque explicationes expungimus. In alios ea utimur severitate, qua Deus in nos uti jubet; pro nobis vero eam habemus suavitatem, quam erga alios haberi præcipit Deus. *Essais de Sermons pro 17. post Pentecost. Dominic.*

Charitas nota est, qua J. C. Discipuli dignoscuntur.

Dei Filius profitetur ex fide præsertim, qua charitatis præceptum servabimus, cognitum iri, nobis spiritum suum inesse, ac suos esse discipulos, hoc est veros Christifideles; quasi innuere vellet, quemadmodum S. Augustinus animadvertit, non ex potestate ejiciendi dæmonia, mortuos resuscitandi, omniaque patrandi miracula, neque ex dono linguarum, vel Prophetiæ Discipulos suos agnitum iri; alii enim etiam, qui nequaquam sunt veri ejusdem Discipuli hæc dona consequi possunt, sed ex charitate, quam illi inter se mutuo coluerint. Et profecto Salvator ipse prædicit futurum, ut novissimi Judicii die, dicant non pauci: Domine nonne prophetavimus, Dæmonia ejecimus, & plura in nomine tuo miracula operati sumus? quibus reddet, se illos nescire. Cur autem illos nesciet? Quod eo nequaquam notati erunt charactere, qui discipulos suos ab aliis distinguit, videlicet charitate. *P. Nepveu libro, qui inscribitur: l' Esprit du christianisme. Tractatu de charitate.*

Naturalis affectio præcipua est, atque simul vulgatissima ex illusionibus, quæ in spiritum charitatis irrepant: Proximus diligitur, verum est, sed propter quas dilectione dignus videtur; atque ex ea tantum parte respicitur, quæ magis arridet, & quæ nobis jucundissima accidit. Mens, dignitas, temperamentum, ingenium perpenditur, & magis hac carnis, & sanguinis illecebra, quam virtutis, & gratiæ præstantia homines afficiuntur. Putant, se diligere Proximum uti opus est, & charitatem diligentissime tueri cum omnibus, si nemini molesti sint, si aliorum habeant rationem, erga omnes urbanitatis exerceant officia, atque extrinsecus amicitiæ nonnulla edant indicia, quæ intus perspecta nihil significant. Sanctissimum charitatis nomen coinquinat, qui eodem appellat actiones, quæ plerumque motus sunt propensionis corruptæ, & affectus meri habitus, quo suum sequuntur ingenium. *P. Rapin libro de Spiritu Christianismi.*

Christianos omnes cujuscumque tandem regionis, & conditionis fuerint, tamquam pares, & fratres existimare debemus, cum pateat omnes ex eadem origine profectos, omnes JESU CHRISTI sanguine divinitus in Baptismo regeneratos, eumdem cum nobis habere Patrem, qui Deus est, eamdemque præstolari hæreditatem. Hæc fuit mens JESU CHRISTI, cum nos ad Fidem suam evocavit, ut videlicet in cordibus nostris charitas, & mutua dilectio regnarent; homines omnes inter se æquales fecit, ut omnes æque dicerent Deo: *Pater noster*. Itaque communis hæc est omnium Ecclesiæ Patrum sententia, Deum per hoc extinguere voluisse inimicitias, superbiam cohibere, invidiam eliminare, & charitatem in animos nostros invehere. Hæc autem æqualitas, quam Dei Filius inter Fideles constituere voluit, illi innititur unioni, quam inter se habere debent, eo quod omnes simul JESU CHRISTI corpus componunt. Hoc docet Apostolus per ea verba: *Omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi; & omnes in uno Spiritu potati sumus*. Hoc est, cujuscumque conditionis simus secundum mundum, nos, qui in JESU CHRISTO baptizati fuimus, pauperes, vel divites; nobiles, ignobiles; liberi, servi; omnes quatenus filii Dei, sumus æquales, omnesque tamquam fratres amare tenemur. *Bartholomæus Carranza Tractatu de Oratione Dominicali.*

Charitas pati debet proximi defectus.

Ut hanc habeamus charitatem Proximi defectus ferentem, quot nobis victoriæ sunt referendæ de affectibus, ingenio, ac temperamento nostro! quid ferendum non est? Quot eorum quibus cum vivimus, prava studia, quot molestias pati debemus? quot importuna, morosa, ingrataque officia toleranda? Quot simultates, & naturales antipathiæ superandæ? Ut hanc assequamur charitatem, quoties nobismetipsis vis est inferenda? Exempli gratia quoties tacendum est; ubi maxime loqui cuperemus; quoties quiescendum, ubi resistere tentaremur, excusandum, ubi omnia ad examen revocare optaremus; quærendum potius, minus affabiles, facetosque in hominum cœtu videri, cum falsis jocis aliquem perstringere cuperemus? Quoties de ipso jure nobis concedendum est? Quotnam in rebus, & occasionibus, in quibus facile nobis lis adjudicaretur, pro pacis bono, cedendum est, & recedendum? *P. Bourdalove in sermonibus suis, secundo adventu, Sermone de severitate Evangelica.*

Magnum intercedit discrimen inter humanam amicitiam, & charitatem christianam.

Proximum suum diligere, Auditores lectissimi, lex est necessaria, quam humanitas ipsa animabus nostris insculpsit, & quam, ut ita dicam, ex cordibus nostris elicuit Creator, ut inde hominibus exterius, ac sensibile mandatum irrogaret: *Diliges proximum tuum*. Hoc principium est, cui ne unus quidem adversatur; Scytha, Barbarus, Judæus, Gentilis hac in re cum Christiano consentiunt. Debitum ergo sese diligendi, mutuam opem ferendi, ubi in aliqua societate vivimus, ex ratione atque natura pendet, ibique nullam partem obtinet Religio. Verum enim vero certo certius est; Christianam Religionem perfecisse naturam in charitate, S. Augustinus ait: quia, neque enim fallimur, magnum interesse debet discrimen inter necessitudinem, quam Ethnici ultro citroque aluerunt, & charitatem, quæ inter Fideles vigere debet. Illis inhærere terminis, quos natura generatim univer-

præ-

præscripsit, ubi de amore sermo est, hoc nimis parum est JESU CHRISTI discipulis: naturali affectu diligere; amorem, operamque suam iis reservare, cum quibus sympathia, vel nativitatis sors ipsa conjunxit, Christiano viro satis non est: *Nonne, & Ethnici hoc faciunt?* Matth. 5. Si ergo mihi hodie ipsam tantum rationem allocuturus essem, satis putarem, in cordibus vestris humanitatis sensus excitare: diligite, clamarem, eos, cum quibus sanguinis jura vos conjunxere, & quos fortuna intra ejusdem urbis mœnia conclusit; consanguineos, affines, concives vestros; tunc enim hæ humanæ causæ rationi proculdubio sufficerent. At longe aliam hodie instituo viam; de mutuo consensu, qui inter nos esse debet, verba faciens vestram alloquor fidem; ideoque non legem humanitatis, sed christianæ charitatis præceptum revoco ad examen. *Sermo Manuscriptus P. Catrou.*

Nostra erga Proximum charitas esse debet universalis. Charitas Dei, ut divinam imitetur, quæ illius esse debet exemplar, universalis sit oportet, ac late ad omnes sese homines extendat, quemadmodum Dei cura ad omnia, quæ creavit, extenditur. Et sane Deus tamquam Creator deestne umquam egestatibus creaturarum? Impiorum agri nonne imbribus æque irrigantur, ac eorum, qui fide summa illius mandatis adhærent? Mundi servator nonne dona naturæ æque & super justos, & super injustos effundit? *Qui pluit super justos, & super injustos:* Matth. 5.; Talis esse debet Christiana Charitas; justos, vel injustos omnes complecti debet. *Justos:* Illis censuræ virus minime adspergam; virtus mihi validissima erit illecebra, ut omnes necessitudines meas conjungam, & amicos mihi consociem. *Injustos:* Minus perfecti a mea charitate non aberunt; flagitiosissimo cuique amorem meum non denegabo; criminosis parcam; in illos non invehar; neque animo meo solatium afferam virtutes meas cum vitiis eorum conferendo. Si improborum conventum effugere cogar, recordabor simul, illum a me diligendum esse, neque christianæ charitatis subsidium eidem esse negandum. Hæc duo præcepta minime opponuntur. Nisi mihi hæc demandata fuerit provincia, ut peccatores ab iniquitatis ad virtutis viam convertam, flagitiosorum hominum commercium effugiam, ut meæ saluti caveam; at in eos minime fovebo amaritudini zelum, quo exasperentur; illos potius qua precibus, qua exemplis juvare adnitar; ac pro illis mea apud Deum vota, measque orationes impendam. *Idem.*

Validissimam nobis suggerit rationem Apostolus, propter quam fratres nostros amare debemus, ubi JESU CHRISTI nomine inquit: *Commendat charitatem suam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores essemus .... Christus pro nobis mortuus est:* ad Rom. 5. Satisne intelligitis, quid hæc sibi velint verba? Si fratres nostros amare tenemur, quia pro illis mortuus est; omnes profecto a nobis amandi sunt, quia pro omnibus Christus mortem oppetiit. Fratrem meum Sanguine Dei sui imbutum video; huic rationi quænam inimicitia, quod odium præpollere poterit? At enim improbus est, sexcentis me contumeliis affecit; me internecino persequitur odio, nomini meo labem conatur offundere, me in hominum invidiam rapit sexcenta mihi ingerens crimina; illius furores, atque rusticitates neque mihi præsenti parcunt! Verum tamen illum diligit Deus meus; pro illo æque ac pro me Salvator sanguinem suum effudit; cur hoc minime erit mutuæ necessitudinis vinculum? Me amas Domine; hunc etiam, quem abominor, amas. Communis amicus remotissimos etiam conjungit, & sævissima etiam odia placat. Ita erit imposterum: nullum habebo inimicum, nemo quippe mihi inimicus esse potest, qui Dei mei, ac Salvatoris mei amicus non fit. *Idem.*

Charitas Christianorum nota. Nequaquam fallimur: Charitas una sine fuco, sine simulatione nota est, qua Christianus dignoscitur. Hic certus est pietatis character; cætera æquivoca sunt: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Joan.* 13. *In hoc;* Non ex modestu oris habitu, vel mortificata exteriori specie de veræ pietatis soliditate judicium feram. *In hoc*, non ex pio, orationis pacatæ atque tranquillæ sensu hominis alicujus contemplationibus addicti sanctitatem dimetiar. *In hoc:* non ex austeræ pœnitentiæ severitate, neque ex altissimæ devotionis subtilitate &c. Sed ex charitate omni terreno affectu per supernaturalem causam defæcata, atque ad omnes æque sese extendente, omnibusque ea quæ potest, officia præstante &c. *Idem.*

Per Baptismi, & regenerationis gratiam facti sumus Patris ejusdem filii; per consecrationem, adoptionemque nostram facti sumus ejusdem ædificii lapides, ejusdemque corporis membra. Unum jam sumus, inquit Apostolus, unum omnes Salvatorem habemus, unum Creatorem, unum Deum. Eodem brachio suffulti, omnes conjuncti sumus in JESU CHRISTO, qui nos omnes suo redemit sanguine, omnesque ad eamdem dignitatem evexit. Omnes ad eamdem contendimus beatitudinem; omnes ad eamdem facti, institutique sumus. Salvator murum separationis, qui inter nos erat, evertens in omnibus populis linguam eamdem posuit, & ex omnibus Tribubus, atque nationibus, unum dumtaxat corpus constituit. Denique Christiani omnes in illo, ac per illum in unum coaluere, & charitatis vinculo conjuncti sunt. Idem, quem a nobis exigit, cultus, eadem, ad quæ nos evocat Sacramenta; eadem, qua nos ali vult, doctrina, disciplina eadem, qua nos regit; omnia conducunt ad omnes homines simul jungendos, atque arcto charitatis vinculo simul connectendos. *Sermo, qui P. Massillo attribuitur, pro feria sexta Cinerum.*

Prima tuendæ charitatis ratio est patientia. Prima tuendæ charitatis ratio, quam Apostolus reliquis omnibus præceptis, tamquam unam omnium magis necessariam, atque utilissimam anteponit, est patientia: *Charitas patiens est.* Velle pacem servare in cætu, quicumque tandem ille sit, quin aliqua hinc inde ferenda sint, hoc sane est humanam infirmitatem, ac fragilitatem ignorare. Fieri ferme non potest, ut homo semper adeo caute loquatur, & agat, ut vel per incuriam, vel per jocum numquam illi vocula excidat aliqua, vel operatio, qua nos lædi putemus. Licet cætus ille e Sanctis viris conflatus esset, & licet singuli caveant diligentissime, ne quem lacessant, adhuc tamen nonnulla invicem erunt ferenda. Numquam mentes, atque judicia sibi adeo quadrant, ut quod uni æquum videtur, alteri quoque necessario tale videatur. Majora Ecclesiæ lumina, ipsi etiam Apostoli nonne aliquando dissensere, & altercati sunt? Si ergo ubi hujusmodi occasiones ingruunt, patientia deesset, statim charitas ipsa labefactaretur. *Auctor Anonymus.*

Quid dicam de communi Christianorum cætu, & de occasionibus, quas ultro, citroque sibi præbent charitatis vincula infringendi? Quot amara, contumeliosaque verba, quot iræ, furores; quot irrisiones & contemptus; quot lites, jurgia, doli, insimulationes vel malignæ, vel imprudentes? Charitas tamen, S. Paulus ait, ob hæc non irritatur, atque invictam adfert patientiam, ut omnia sustineat. *Non irritatur; omnia sustinet.* 1. ad Cor. 13. Notate quæso, Apostolum, ubi charitatis characterem describit, a patientia initium ducere, ac in patientia desinire. Cur autem? quia, S. Cyprianus inquit, Patientia charitatis fundamentum est, fulcrum, & radix, & citra patientiam charitas, neque subsistere potest, neque sua officia adimplere: *Tolle charitati patientiam & desolata non durat; tolle sustinendi, tolerandique substantiam, & nullis radicibus, & viribus perseverat. Idem.*

Christianus quilibet per Christiani omnes per spiritum gratiæ in unum corpus Mysticum, cujus JESUS CHRISTUS caput

charitatis unionem afflictionibus aliorū compati debet.

caput est, coaluerunt. Hæc est S. Pauli doctrina. Quomodo autem in naturali corpore, si quod membrum dolore afficiatur, reliqua etiam compatiuntur; opus est etiam in Mystico Ecclesiæ corpore fideles singuli eorum, qui laborant, misereantur. Hoc autem addit S. Augustinus. *Si pes*, inquit ille, *pars omnium a capite remotissima, vulneratur, statim lingua conqueritur, & sibi dolorem inferri clamat; auris non clauditur; oculi vulnus respiciunt, manus ad illud extenditur, inclinatur caput, & membra singula ad læsæ partis dolorem condolent.* Vulnus quidem membris omnibus non est commune; sed omnia membra pro eo, quod torquetur, miseratione tanguntur. Hæc tamen tunc tantum accidunt, cum membra corpori conjuncta adhærent; si enim eorum aliquod divulsum sit, & reliqua dilanientur, vulnerentur, torqueantur, illud minime compatitur, quoniam amisit vitæ spiritum, eamque naturalem societatem, propter quam aliorum malo afficiebatur. Hoc ipsum de Christifidelibus sentiendum est, sanctus hic doctor inquit. Donec in uno, eodemque corpore conjuncti sunt sub Filio Dei, qui eorum caput est invisibile, donec animati sunt Spiritu Charitatis, qui illis vitam impertit, aliorum invicem infortuniis afficiuntur; & hic Spiritus amoris sanctam illis miserationem communicat, quasi calamitas, qua minima sacrati hujus corporis particula afficitur, esset communis. Cum autem Fidelis omnem compatiendi affectum amisit, & aliorum membrorum Ecclesiæ malis non tangitur; jam ab illa divulsus est, amisitque charitatis spiritum, a quo animabatur. Spiritus Filii Dei recessit; jam membrum est, atque invisibiliter a fidelium corpore recisum; quæ separatio eo magis funesta est, quod secreto ad JESU CHRISTI Tribunal lata est ejus sententia. ***Abbas d' Aubignac, de Eleemosina.***

Consideremus, Fratres mei (S. Basilius ait) amorem, quo unius corporis membra sese invicem diligunt, sese mutuo tuentur, sibi auxiliantur, se protegunt, si quod dolet, alia etiam dolore eodem afficiuntur. Talis esse debet Fidelium consensus, quos JESUS CHRISTUS in se tamquam tot ejusdem corporis membra conjunxit. Unionem hanc spiritualem Tertullianus quamdam secundæ naturæ speciem appellat omnes homines connectentem, & conjungentem: ***Naturificata jam spiritualis conditionis germanitatem.*** Hoc illud est JESU CHRISTI mandatum, quod super omnia præcipit, ut proximum tamquam nosmetipsos diligamus: Hoc illud mandatum est, quod S. Bernardus summam, & quodammodo spiritum totius Evangelii appellat: ***Hoc præceptum totius Evangelii Breviarium. Idem.***

De priorū Fidelium charitate.

Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Eadem credebant, unum tantummodo amabant, eorum, ut ita dicam, una mens erat, una voluntas. Verum quomodonam inter se poterant ita conjungi, nisi quod in Deo omnes conjuncti erant? Charitatem Fraternam divina charitas producebat; credebant eadem; una quippe illis erat fides; unum tantummodo amabant, quoniam unice Dei amore tangebantur. Itaque easdem amplectebantur veritates, ad eadem bona anhelabant, & hæc erat necessitudinis illorum causa. In mundo eadem velle, plerumque dissidium parit. Inter eos, qui Mundo sese addixere, cogitationum, votorumque conformitas est perniciosa; cum enim simul possidere nequeant bona eadem, quæ cupiunt, & ad quæ toto pectore incumbunt, inde inter ipsos oriuntur inimicitiæ. Eadem habent principia, eumdemque appetunt finem, sed tamquam rivales, sibimetipsis satisfacere nequeunt, quin alterum alter spe dejiciat. In Religione e contra cogitationum, votorumque conjunctio conjunctionem parit voluntatum. Cum Deus idem omnibus sufficiat, omnes eidem inhærent objecto sine zelotypia, ideoque sine dissensione. Unanimi voluntate, conflatoque, ut ita dicam, consensu ad æternitatis acquirenda bona adlaborant; stadium ipsum percurrunt, at mutuis sese adhortationibus excitant ut bravium consequantur. ***In collectione Orationum Accademiæ Parisiensis anno 1673.***

Quot fratribus suis gratificantur, humanis dumtaxat rationibus ducti! Videri volumus amore flagrantes, atque benevolentia ducti erga Proximum, ut hac amoris, & suavitatis specie id assequamur, quod petitione nimis libera, vel impetata obtinere non possumus. Omnia in commercium vocantur; causæ, vigiliæ, officiosa verba, servitutis oblationes, labores, munuscula, blanditiæ; & si de aliquo bene mereri studemus, avaritiæ causa latet. Huc usque amoris proprii simulatio & dolus procedit. Nulla virtus est, quam in speciem non imitetur; hic de avarorum manu largitiunculas aliquas in egenorum subsidium extorquet; hic nobilissimos etiam viros ita demittit, ut carcerum tenebras, squaloremque dignentur invisere, ac illis exteriorem humilitatis, & miserationis habitum tribuit: Omnes vitæ status varii considerentur, quamplurimi occurrent, qui Proximo faventes, uni sibi prodesse contendunt. ***Ibidem.***

Veræ charitatis character.

Numquam vel iniquitas, vel ingratitudo mortalium prohibent, ne vera charitas sua eroget beneficia. Nihil illi antiquius est, quam summi Opificis gloriam, ideoque Operis ejusdem curam non intermittit; atque amor, quo Creatorem prosequitur, sese super creaturas non cessat effundere, licet imperfectissimæ inveniantur. Imitatur quodammodo charitatem Dei, qui eorum, quos diligit, nulla supponit merita; sed hæc in illis constituit, eosque amabiles efficit sua dilectione. Egenis tabo, sanieque fluentibus, a quibus non sine quodam horrore mortales avertunt oculos, qui charitate ducitur, compatitur, eorumque miseretur. Fides quippe huic in ipsis detegit characteres obsequio excipiendos: Sanguis JESU CHRISTI, quo abluti sunt, illis decorem impertit, atque in oculos ejus jucundos efficit; & quo magis natura ab hujusmodi objectis, quæ adeo parum amabilia videntur, abhorret, eo magis ea gaudet in pretio habere, ac illis inservire. ***Ibidem.***

Sæpe diligimus homines, quin ullam qualitatis eorum rationem habeamus, & de illis benemereri gaudemus, quin expectemus, ab iisdem beneficiis præverti, & gratia præoccupari; at conqueritmur, illos molestos esse, atque difficiles. Autem præbeamus Apostolo docenti: ***Supportantes invicem in charitate. Ad Eph.*** 4. Non debet ergo intepescere charitas propter defectus, quos in aliis deprehendimus, neque cessandum est, quominus gratificemur alicui, eo quod gravis sit, molestus, & imperfectus; hæc enim ferentes charitatem exercere debemus. Virtutis quippe constantia in hoc maxime nitet, si infirmiores patiamur juxta illa S. Pauli ad Rom. 15. verba: ***Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere***, quemadmodum corporum robur in eo deprehenditur, si ea quæ corpori gravia sunt sustineantur, ita spiritus fortitudo, & charitatis virtus elucet, si quæ spiritui gravia sunt, atque molesta, ferantur. Si charitatem in eos tantum exercere cupis, qui suaves sunt, affabiles, grati, ac propter virtutem amabiles, hac in re charitate opus non est; id sola præstare potest concupiscentia, ideòque præstat quotidie; nequaquam opus est Christianum esse, satis est hominem esse. Ethnici quoque sese mutuo amore prosecuti sunt, ac vicissim opera sua alii aliis juverunt. ***Liber, cui titulus Instructiones Christiana institutione pro decima sexta post Pentecosten Dominica.***

Charitas erga proximum constans esse debet.

S. Paulus *Ephes.* 3. a Deo petit, ut Fideles sint ***in charitate radicati, & fundati***, hoc est, ut eorum charitas firma sit, atque constans. Charitatem habere possumus, quin in ea radices jecerimus; quod

quod aperto docet Evangelium Lucæ c. 8. ubi de quibusdam ait: *Et hi radicem non habent*. Omnem similiter pietatis speciem habere possumus, quin hæc solido fundamento innitatur, quemadmodum alia testatur Evangelii Parabola. Hæc igitur ex præcipuis circumstantiis, ac potissimis conditionibus christianæ erga Proximum charitatis est, ut nihil illam unquam concutere valeat: *In Charitate radicati, & fundati*. At nos miseros! Si hanc regulam secuti de charitate plurimorum nostræ hujus ætatis Fidelium judicium ferre volumus, crederene possumus illam veram esse, cum adeo sit infirma, atque incostans, ut sanctissima illius vincula ob minimam quamlibet causam, quæ nobis dolorem afferat, aut molestiam, repente infringantur? *Ibidem secund. part.*

Liquet, quid vulgo dici soleat, ut homines a Proximi dilectione sese excusent. Hic, inquiunt, adeo flagitiosus est, tot vitiis diffluit, ut nullo amoris erga illum sensu affici valeamus. Verum enim vero in hac erga Proximum charitate numquid animi nostri propensio quærenda est, ut eorum infirmitates patiamur, an JESU CHRISTI præceptum a nobis sedulo est custodiendum? Non opus est, Christianum esse, ut hoc pacto diligatur, satis est hominem esse. Amor, quem JESUS CHRISTUS nobis præcipit, est, ut quæcumque in fratribus nostris deprehendantur vitia, eos tamen tamquam nosmetipsos, & quemadmodum nos a JESU CHRISTO amati fuimus diligamus: *Sicut dilexi vos*. Cum JESUS CHRISTUS nos dilexit, numquid omni defectu carebamus? Aliquidne amore dignum inerat nobis? Si adorabile Redemptoris corpus in Eucharistia, in fœdo aliquo loco & minime illius sanctitatem decente inveniretur, non ideo illud obsequio, & cultu nostro censeremus indignum? Ita JESUS CHRISTUS est in Proximo nostro, quantumvis flagitioso, & nos illum amare respuimus: Igitur Proximi defectus minime considerentur; eos omnes charitas contegit, & ea, quam debemus JESU CHRISTO, reverentia, efficere debet, ut illis ne animum quidem advertamus. Ubi sic peccato remedium attulerimus, affirmare licebit, nos unum ex illis defectibus exuisse, in quos facilius ruimus, & qui difficilius agnoscuntur. Præterea palam charitas læditur, quia Proximum tamquam nosmetipsos amare debemus; cum igitur debemus pati quemadmodum nosmetipsos patimur. Et notandum est, Apostolum, cum omnem legem ad unum Proximi amorem redegisset, omnem deinde Proximi charitatem in eo constituisse, quod alter alterius defectus pateretur. Ille, inquit, qui Proximum suum diligit, legem adimplet; alibique: Alter alterius onera portate; & sic adimplebitis legem Christi. *Idem*.

Charitas, qua primi Fideles bonis suis sese mutuo juvabant. Primus motus, quem nobis charitas tribuit, cum fratres nostros diligimus, est, illis adesse, eosque in bonorum nostrorum partem vocare. Amor avarus esse non potest, immo ita omni avaritiæ suspicione vacuus est, ut nihil nisi in communi valeat possidere. Ideo S. Joannes affirmat fieri nequaquam posse, ut charitas, quam præcipit Deus, in nobis permaneat, si hujus mundi bona possidentes, ac fratrem in egestate constitutum videntes, illi opem ferre negamus. Profecto primis Ecclesiæ temporibus, cum charitas hæc plena erat, atque integra, videmus Fideles omnia bona, quin aliquid sibi reservarent, dedisse, quemadmodum totum cor suum impendebant. Quamobrem in Apostolorum Actis legimus, cum credentium multitudini unum esset cor, & anima una, neminem ea, quæ possidebat tamquam propria censuisse, sed omnia inter illos fuisse communia. Hinc fit, primo illo Ecclesiæ tempore, nemo fuit apud Christianos locuples; qui enim divites erant, agros, domosque vendebant, ac pretium ad Apostolorum pedes afferebant. Immo apud illos neque pauperes inveniebantur, quoniam divitum alebantur bonis, quæ cum facta essent communia, singulis pro eorum necessitatibus distribuebantur. Mutua hæc dilectio, qua Christiani ultro, citroque se ipsos complectebantur, adeo erat insignis, atque tot effectibus probata, ut Ethnicos latere non posset: Videte, ajebant illi, quomodo se mutuo diligant! *De Sancta Martha Thomo 2. Tractatus Asceticorum. Tractatu de Eleemosyna eroganda obligatione*.

Nullum fere superest vestigium charitatis, quæ olim inter primos Fideles vigebat: omnes quærunt, quæ sua sunt, quæ aliena minime curant. *Charitas inter Fideles frigescens.* Nos novissimis his temporibus accidimus, ubi propter peccatorum nostrorum multitudinem, cum intepuerit charitas, ne una quidem reliqua est ignis ejus scintilla, quem JESUS CHRISTUS in terras attulit. Nullam erga fratres nostros charitatem habemus; amore proprio omnes repleti sumus; & fideles nomine tenus Christiani videntur, nihil enim habent, quod Christi discipulis est essentiale. Nulla fere professionis ipsorum nota in eorum moribus deprehenditur. Ethnicorum more sibi vicissim inferunt bella; fratres suos calumniis, litibusque opprimere certant, sexcentas rationes inveniunt iniquitatis patrandæ; neque eam patrare abnuunt, ubi suæ fortunæ suffragari posse arbitrentur. Itaque si Ethnici modo mores nostros perpenderent; næ illi quidem minime, ut olim, dicerent; Videte quomodo se mutuo diligant! sed neque illud: Videte quomodo parati sunt, ut alii pro aliis vitam in discrimen objiciant! Sed potius: Videte quomodo se ad necem usque persequantur! Non admirarentur amplius videntes, quomodo se tamquam fratres vicissim excipiant: sed illis exprobrarent, quod facti sint invicem inimici, ac tandem a JESU CHRISTO per summum nefas defecerint, amorem hujus abdicantes, partibus illius adhæsuri, qui ab ipso mundi primordio fratres suos odit. *Idem*.

SUPPLEMENTUM.

Charitas.

Vitia Charitati opposita. Gentium Doctor inter charitatis, cujus præstantiam commendat, characteres, fusius, conceptisque verbis docet illam esse patientem, benignam, beneficamque; hanc non æmulari, non furere, non irasci; non cogitare mala de proximis, non amare injustitiam, neque eadem gaudere: Denique illam omnia sufferre, sustinere omnia. Hinc sequitur, si ego ignorem me ipsum in occasionibus moderari, & juxta Evangelicam locutionem possidere me ipsum in patientia; si mihi non adest ea omnis lenitas, qua opus est ad pacem in familia fovendam, servandamque inter proximos: si quin de omnibus benemereri, omnibusque placere studeam, clanculum contra aliquem secretas alo inimicitias, invidiamque, & contra alios palam succenseo; si facile malis suspicionibus, atque præjudiciis, quæ illis obsint, cum quibus mihi vivendum est, vel qui mihi parent locum præbeo, si æquum putans quidquid zelus cæcus suadet, in id incumbo, ut proximo meo molestiæ sim, ut illi adverser, eumque prosternam; & dolor illius, quo & ipse commovendus essem, e contra mihi lætitiam adfert; me incassum preces precibus, exercitationes asceticas exercitationibus addere, omnis pietas mea evanescit, nihil sum; vel ad summum nihil aliud sum, quam æs sonans, & cymbanum tinniens, quia charitatem non habeo. *P. Bourdalove in Dominicis*.

Ratio proximi diligendi. Hoc est præceptum meum, dicit Dominus, ut vos invicem diligatis, sicut ipse dilexi vos. Hoc est præceptum optimi Domini nostri, S. Joannes addit, quod si fecerimus, acta jam omnia sunt. Nota, Dei Filius inquit, ex qua omnes cognoscent, vos meos esse discipulos, hæc est, si vosmet invicem diligatis. O præstantissimam ratio-

nem, qua ad fratres diligendos impellimur? Num alia ratio inquirenda est? Hoc singulare præceptum est, & JESU CHRISTO acceptissimum; hoc signum est, ex quo discipuli ejus agnoscuntur; nihil hoc jucundius accidere potest JESU CHRISTO. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Si non diligitur proximus, frustra sibi blandiris diligere Deum. Quinam error est, arbitrari, Deum diligi a vobis, nisi proximum vestrum diligatis? Licet unus tantum esset in Mundo, quem non amaremus sicut nosmetipsos, frustra, nos Deum gloriamur diligere. Devotio falsa est, amor Dei commentitius, dum in corde manet adhuc nonnihil invidiæ, acrimoniæ, vel odii. Quænam igitur sors erit eorum, qui aliena retinent bona, vel qui fratrum suorum nomini nebulam quærunt offundere? Quid sibi expectare possunt improba corda, violenti spiritus, qui ad ostendendam ultionem, vel saltem invidiam suam, vel aliam quamlibet animi ægritudinem, putant se non odisse nisi vitia, sibique merito vertere volunt omnem ficti zeli sui improbitatem? *Idem.*

Mandatū, quo proximum diligere tenemur simile est illi, quo nos Deum diligere jubet. Cogitate cujus momenti sit primum legis mandatum; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Alterum, quod præcipit, ut proximum, tamquam nosmetipsos diligamus, priori simile est. Hæc duo sunt præcepta, sed præterpropter, unum dumtaxat imperatur; quandoquidem dicere possumus, amorem, quo Christiani sese invicem diligunt, unam, eamdemque virtutem esse, & amorem eumdem cum amore, quo Deus ipse vult amari. Unum, & idem ipsi diligimus, seu diligamus Deum, seu christiana charitate hac fratres nostros diligamus; quia nonnisi Deum in fratribus diligimus; & quia fratres nostros nonnisi propter Deum ipsum diligimus. Quam bonus est Deus, qui duo præcepta arcte adeo conjunxit. *Idem ibidem.*

Vitia charitati opposita, virtutesque illam foventes. Vitia charitati opposita sunt superbia, ira, impatientia, & zelus imprudens. Inter superbos non desunt uspiam jurgia. Homines iracundi, impatientes, vel ardentiori, quam prudenti zelo animati ubique discordiæ flammas accendunt. S. Paulus hujusmodi vitiis opponit virtutes, quibus oppugnantur, ac primum superbiæ humilitatem. Humilis de se humiliter tantummodo sentit, ac fratribus suis se inferiorem semper existimat. Ejus humilitas extrinsecus etiam deprehenditur ex simplicitate totius habitus oris, ex verborum modestia, ex observantia erga alios: sed humilitati lenitas accedat oportet. Virtus hæc fovet pacem, quam ira perturbat: *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.* (Eccli. 3.) Patientia inseparabilis est a christiana lenitate. Compescit illa motus iracundiæ, qui sæpe turbant charitatem, injicitque frænum imprudenti zelo, quo rapimur, ubi fratrum nostrorum crimina intuemur. Cæterum non ideo dixerim, nos esse a correctione fraterna immunes: hoc munus est maxime necessarium, si ob eum, quem tenemus, locum aliorum nobis concredita cura est; sed patientia, & mansuetudo debent moderari zelum nostrum, & charitas efficere debet, ut feramus id, quod corrigere in nostra potestate positum est, quin illam extinguamus. Scrutamini modo diligenter cor vestrum, fideles; utrum zelus imprudens, an patientia; itane, an superbia dominetur illi? Ad JESU CHRISTI pedes provoluti confitemini qua in re peccetis; promittite illi, vos deinceps juxta exemplum illius futuros humiles, mites, patientes, & plenos Charitate. *P. Segneri in Meditationibus.*

Amor proximi prædestinationis indicium. Particularis singulorum prædestinatio secretum est, quod sibi Deus reservavit; & nisi adsit revelatio, nemini fas est hoc penetrare mysterium. Tamen, Apostolus inquit, volo dare vobis vestræ prædestinationis indicium parum ambiguum: & est amor, perfectaque charitas, qua fratres nostros complectimur: *Quoniam diligimus fratres.* Hic est caracter, ex quo Salvator vult suos agnosci discipulos: *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis.* Hoc præceptum est, præ ceteris ab illo dilectum: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Peculiare præceptum meum est, ut vosmet mutuo amore prosequamini, quemadmodum ego dilexi vos. *Qui non diligit, manet in morte.* Dixerat S. Joannes, nos transivisse de morte ad vitam inæstimabili redemptionis beneficio: istic declarat, frustra hac de re gloriari, qui non amat proximum suum tamquam se ipsum: sine hac Christiana Charitate sumus in perditionis statu: qui non amat, manet in statu mortis. Et profecto Deum amare non est, fratres suos non diligere. Quæ illusio, quis error, bone Deus, putare, se Deum diligere, & Deo acceptum esse, & in animo fovere secretum odium adversus proximum suum. *P. Croiset in Asceticis tom. 4.*

Exemplū perfecti amoris erga proximū. Joan. 3. *In hoc cognovimus Charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Vultisne cognoscere, utrum vere fratres vestros diligatis, dicit S. Joannes; utrum illos christiana charitate, quæ tantopere vobis commendata est, illos prosequamini? Videte, utrum ita affecti estis, ut pro illorum salute parati sitis ad vitam vestram pro eorum salute profundendam: quemadmodum JESUS CHRISTUS suam prodegit, ut nos salvos faceret. *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere. Id. tom. 4.*

Falsus amor proximi. Quicumque bona mundi hujus possidens viderit fratrem suum in necessitate positum, & clausa habuerit viscera sua erga illum, quomodo nam habet in se amorem Dei? Divites Mundi hujus, qui duri estis erga pauperes; nobiles Mundi, qui in luxu, splendidis conviviis, equis, superboque famulorum comitatu insumitis, quod satis esset ne quamplurimi calamitosi fame interirent; gloriari ne potestis, christianam Charitatem habere? & sine hac potestisne sperare, vos salutem vestram operaturos? *Idem tomo 4.*

Christiani omnes tāquam ejusdem corporis mēbra sibimet alternis esse debeat auxilio. Cum omnes unum dumtaxat corpus in JESU CHRISTO constituamus; sumus invicem alii aliorum membra, ut nobismet opem feramus secundum munus unicuique membro proprium. Ita cum singuli diversa habeamus munera secundum gratiam, quæ nobis data est, opus est, ut unusquisque in communem utilitatem sua exerceat talenta. Non secus ac in uno corpore singula membra sua habent peculiaria officia, quæ exercet sine aliorum membrorum invidia: ita in Ecclesia Christiana, quilibet fidelis a Deo accepit donum sibi proprium; nec aliis invidere debet, quod acceperunt, sed contentus esse ea gratiæ mensura, quæ sibi concessa fuit. Charitas communes efficere debet favores omnes, quibus cumulati fuerunt fratres nostri; neque illis invidendum est magis quam manus invideat oculo videndi facultatem, vel pedi illam ambulandi. Adesse oportet aliorum aliis subordinationem, atque communicationem illi similem, quæ in variis corporis ejusdem membris invenitur. Vicissim ergo nosmet præoccupemus, juxta Consilium Apostoli, mutuis officiis, ac beneficiis: ipsa urbanitas, & elegantia morum non adfectata, & sine fuco charitatem commendant, & vulgo assident illi. Charitas divitum præcipue virtus esse debet, non secus ac patientia, & humilitas pauperum. Divites bonis cumulati fuerunt hanc unam ob causam, ut ferrent opem indigentibus, quibus fere omnia desunt. Ipsis etiam inimicis benefacite, hucusque Charitatis perfectio debet procedere. Hæc heroica virtus est, quæ efficere debet, ut christianus iis omnibus afficiatur, quæ vel prospera, vel adversa fratribus accidunt. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus pro Dominicis, festisque mobilibus.*

Proximo non solum in omnibus reddēda justitia est, sed nobis pro virili de illo optime merendum est. Rom. 13. Apostolus docet ubicumque omnibus temporalibus debitis erga proximum perfuncti fuerimus, unum adhuc superesse, quod in omne vitæ spatium subsistit: est autem amor proximi: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Charitatis

ritatis officia, quæ hactenus populo præstitimus, non officiunt, quominus adhuc illi præstare teneamur recentia. Cum amori erga Deum charitas erga proximum innitatur, alterumque præceptum simile

Matt. 22. est priori: *Secundum autem simile est huic*: lex ineluctabilis est, æque ac universalis, & ab hoc officio neque ipsum ingrati animi vitium dispensat. Sit nequam, sit improbus proximus meus, vitia illius

1. Petr. 4. odisse debeo, personam vero diligere. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, S. Petrus Apostolus inquit; illorum adspectum animabus etiam Christianis eripit. Cum vere diligitur Deus, ne dignoscimus quidem aliorum vitia, nostris dumtaxat inten-

Rom. 13. ti: *Qui diligit proximum, legem implevit*, idem subjicit; hoc est facere nequit quominus adimpleat id, quod lex erga proximum præcipit. Rationem adfert Apostolus; alia decalogi præcepta, quæ ad proximum spectant ad id rediguntur, ut prohibeant,

Ibidem. ne quapiam in re illi noceatur. At amor proximi prohibet ne quid fiat, quod illi nocere possit: *plenitudo ergo legis est dilectio*, & in dilectione consistit. Videlicet, Charitas erga proximum est consummatio perfectaque legis observantia, in eo, quod ad nostra erga proximum spectat officia. *P. Croiset. Ibidem.*

Mensura amoris erga proximum eadem esse debet qua nosmetipsos amamus.

Vetat lex aliquam proximo injuriam inferre: hoc satis non est; imperat etiam ut illi benefaciamus; ideoque cum Magno Gregorio dicere possumus, omnibus præceptis Legis non aliud esse objectum nisi charitatem: *Omne mandatum de sola dilectione est; & omnia unum præceptum sunt.*

Homil. 27. in Evang. Diliges Deum tuum, Salvator ait, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis: hoc est magnum Mandatum, & primum. Sed & alterum est huic simile, hoc est æque ineluctabile; videlicet, vobis diligendus est proximus vester, non secus ac vosmetipsos diligitis. Amor, quo quilibet seipsum amat, esse debet mensura, ac prototypus amoris habendi erga proximum; eadem cura in removendis, prævertendisque iis, quæ illi possunt obesse, idem ardor, eademque sollicitudo in illis benefaciendo. Ex hoc principio inferre possumus paucissimos esse, qui vere proximum diligant. Numquid illum eodem, quo nosmetipsos amore complectimur? Hæc nihilominus mens præcepti est, & amoris nostri mensura. *P. Croiset in Exercitationibus Asceticis, Tomo 1.*

Charitas proprie debitum est a nobis toto vitæ spatio persolvendũ.

Charitas debitum est insolubile, quod verus Christianus semper persolvit, & numquam dissolvit. Charitas enim vitæ totius debitum est. Nullus est ex fratribus nostris, quem diligere non teneamur, nullus, quicumque tandem ille sit, qui non sit a nobis semper diligendus. Potest ille quidem se indignum præbere amore meo propter vivendi genus nequam, improbum, ingratum, immo etiam gravi scandalo non immunem: verum nequit ille me eximere ab illius amandi necessitate. Factum illius improbare licet, pravos mores damnare, sed illum non amare, non licet. Hoc Religionis munus est, nemo ab illo potest dispensare. Clament, provocent amor proprius, & humana ratio contra hoc debitum; hoc præceptum est illi simile, quo Deum amare jubemur æque positivum, æque apertum, æque permanens, æque indispensabile, & dicere possumus officium hoc quodammodo esse Religionis nostræ characterem. Bone Deus! quænam pacis suavitas, quæ tranquillitas, quæ in civili vita unanimitas, si præceptum hoc servaretur! Bella, contentiones, lites, simultates, invidiæ, mala fides; omnia a christiana societate exularent. Sed quam male hoc præceptum servatur! Præcepta reliqua in uno præcepto Charitatis inveniuntur, & colliguntur. Non alia in terris lege opus esset, si rite Charitatis lex servaretur. *P. Croiset ibidem.*

Charitas realis esse debet, non simulata.

Opus est Charitatem nostram practicam esse, & veram, non autem in verbis, labiisque positam. Multæ in mundo sunt amicitiæ significationes, officia multa, multæque officiorum oblationes: & inter has omnes simulatas protestationes, & præclaros miserationis, sollicitudinis, atque adeo benevolentiæ sensus, quam parum Christianæ Charitatis inest? Officiosissima quidem verba, prætereaque nihil. *Idem, tomo 4.*

Amor noster in solis verbis non consistat.

Deum, proximumque nostrum verbo tenus diligere simulatio est, hypocrisis, contemptus; addi etiam potest, impietas. Numquid ignoratur, Deum ad unguem cognoscere veros cordis sensus, & sine cultu interiori pro nihilo habere linguæ, labiorumque motum exteriorem? Dicere Deo, ipsum a nobis amari, cum interea cor verbis non consentit, credere est, Dominum in cognitionibus suis adeo circumscriptum esse, ac hominem, adeoque facilem, ut fucum sibi fieri patiatur? Hinc conjicite quænam sit hæc impietas: Nobis persuasum esse, cor nostrum a Deo videri, & quidquid illic agitur, ab eo perfecte cognosci; & tantum nobis esse impudentiæ, ut illi dicamus, ipsum a nobis amari? *Idem, tomo 4.*

Amicitia parum sincera erga Deum, & homines.

Si ita sinceri sumus cum Deo, num mirum est, si adeo parum cum hominibus sinceritatis habeamus? Verum est dissimulationem, improbamque fidem hodierna die inter vulgatissimas, maximeque communes mundanorum qualitates haberi. Sed plus ne sinceritatis invenitur in officiosis testificationibus, & amoris significationibus apud eos, qui pietatem profitentur? Uspiamne plus urbanitatis, officiositatis, & elegantiæ visum est, sinceræ autem amicitiæ minus? Avaritia potissima est hujus rei causa. Bone Deus! Christiana Charitas, cujus præceptum irrogasti, præceptum tibi acceptissimum, quod professis, simile esse debere præcepto diligendi Deum, uti lex tota insistit; hæc inquam inevitabilis charitas, fere a mundo proscripta est, & a vitæ civilis consuetudine pulsa in exilium; Subdolus sermo dissimulationis, officiosæque urbanitatis, sed vacuus, ac sterilis in locum illius subinvectus est. Humanum cor, ubi primum sui compos factum est, ultro sese mancipiat amori proprio suisque cupiditatibus. *Idem Tomo 4.*

Quomodo proximus est diligendus? Audite eum, qui antonomastice Theologus appellandus est. Ne ametis, inquit ille, verbis tantum, sed & operibus, & in veritate; & in veritate diligimus, si cor nostrum coram Deo persuadeamus, secundum Apostoli hujus doctrinam amoris excellentiam in hoc positam esse, ut fratres, corde, verbis, & factis amemus. Illos amamus corde, cum eorum prospera lætamur fortuna, adversa dolemus, & cum illis benefacere non valentes, ea quæ bona sunt, desideramus. Charitas, S. Augustinus ait, proprie non est, nec solum est in opum largitione; residet in corde. Qui bonis caret, habere tamen potest ardentem charitatem, & Deus in his voluntatem coronat, quemadmodum in aliis liberalitatem remuneratur. *Coronat Deus intus voluntatem ubi non invenerit facultatem.* Opus est, *D. August. in Ps. 103.*

viscera nostra clausa non esse, ut S. Pauli verbis utar; sed opus est, ut cor nostrum se extendat, ac dilatet per amorem quo fratres nostros complectimur, ita ut plurimos capiat; cor enim Ethnicum amicos tantum amat, Christianum vero ipsos etiam inimicos. Hujus amoris præstantia sese prodit in officiosis verbis, quibus utimur, ut fratribus nostris gratificemur, eorumque leves noxas excusemus; in verbis lenibus, quæ, ut sapiens ait, augent numerum eorum, qui nos diligunt, ac mulcent furorem eorum, qui nos oderunt; in verbis illis, quæ perseverans parit mansuetudo, comes individua charitatis sinceræ, de qua S. Paulus loquitur. Sin autem erudire, & corrigere tenemur, hoc numquam faciendum est cum acrimonia; quandoquidem, S. Augustino teste, charitas, quæ suapte natura felle vacua est, sanctam novit induere severitatem, ubi id proximi utilitas postulet. *Sævit quodammodo charitas sine felle*, *In Joann. Tract. 7.*

Sed

Sed amoris hujus probatio in operibus præsertim elucescere debet; verum enim signum, S. Joannes ait, a nobis fratres nostros amari, hoc est, quod illos in necessitate positos intuiti, eos in bonorum nostrorum partem vocemus. Quod adhuc nonnisi primum Charitatis est specimen; cujus perfectio eo usque procedit, efficitque, ut pro illis, etiamsi essent inimici, moriamur, & sicuti cognovimus amorem Dei erga nos in hoc, quod tradidit pro nobis vitam suam, cognoscemus etiam amorem, quo fratres nostros prosequimur, si pro illis vitam nostram impenderimus. *Abbas Anselmus*.

Amor, quo nos complectitur Deus, exemplum est amoris nostri erga proximũ.

JESUS CHRISTUS dilexit nos eousque ut objiceret, traderetque vitam suam, ut nos ab æterna morte liberaret; & hic amor illius erga nos exemplar est illius, quem ipsi vicissim erga proximum fovere debemus. Mandatum, inquit ille, quod dedi vobis, hoc est, ut diligatis invicem sicut ego dilexi vos: atque intelligamus, ubi velit, nos amorem illius imitari, addit, majorem charitatem nemo habet, quam ut ponat quis animam suam pro amicis suis. Hucusque illius amor pervenit, & huc etiam amor noster tendere debet. Nihil est, cui faciendo præsto esse non debeamus pro externa proximi nostri salute: Si illum diligimus sicut nosmetipsos, illi cupientes hanc gloriam, ad quam ipsi contendimus; si illum diligimus, quemadmodum nos dilexit Filius Dei; si Salvatorem in illo diligimus, eumque respicimus tamquam pretium Sanguinis illius; hic amor dubio procul, nos ad omnia facienda, patiendaque disponet; ad omnia exponenda & ne huic quidem temporali hujus corporis vitæ parcendum propter salutem, æternamque vitam corporis, & animæ fratrum nostrorum. Ad hanc animi dispositionem nobis contendendum est, propter Mandatum, & exemplum JESU CHRISTI. *Recens Auctor*.

Verus amor proximi situs est in sensu quodam malorum illius & in auxilio, quod illi præbetur.

Amor, quem proximo debemus, duo postulat; sensum cordis, & subsidium manus. Eget frater tuus: primum illud, quod debes ei, miseratio est: alterum, auxilium. Fortasse deest tibi, unde illi feras opem; non desunt tamen viscera, ut malorum ejus miserearis. Hæc miseratio necessitatis est; & miseratio vera non erit sterilis. Illa donat, si habet, quid donet; consolatur, alibi quærit opem, quam per se dare non potest. Verbo, S. Augustinus ait, non deerit tibi unquam unde fratri tuo benefacias, cum cor tuum plenum erit bona voluntate erga illum. Cum ita modico amore quomodonam audebimus vivere vitam, quæ tota esse debet amoris plena? Fac Domine, ut de morte transeamus ad vitam, efficiens, ut ab odio, vel incuria fratrum nostrorum migremus ad hanc charitatem, in qua omnem Christianam virtutem constituisti. Ne infinitus amor, propter quem vitam tuam pro salute nostra impendisti, nostræ fiat causa damnationis: fac, ut per gratiam tuam omnibus viribus tendamus ad illum pro virili imitandum. Da nobis sensus; da nobis opera; da te ipsum nobis, quandoquidem ipse centrum es hujus charitatis, quam nobis etiam, atque etiam commendas. *Auctor recens*.

Dei amor esse non potest sine amore proximi.

Æque impossibile est, nos affici amore Dei, quin simul proximi amore afficiamur, ac Deum simul amare, & non amare. Notatum fuit, dilectum discipulum cum primis Fidelibus de ea dilectione tantum loqui consuevisse, quam illi sibi mutuo debebant, quin, nonnisi raro, verba faceret de illa, quam Deo debebant. In Epistola prima dicit, eum, qui fratrem suum diligit, manere in lumine, & scandalum in eo non inveniri. Dicit etiam, si quis se Deum diligere jactat, & adhuc fovet odium adversum fratrem suum, esse mendacem. Qui non amat fratrem, quem videt; quomodo Deum, quem non videt, amabit? Et infra: hoc mandatum est, quod a Deo ipso accepimus; diligentem Deum, fratrem quoque diligere. Hoc ipsum dicit in Epistola secunda; ideoque conatur in cordibus nostris fidelem, sincerumque erga omnes homines amorem imprimere. *Recens Auctor*.

Amor proximi non superat amorem

Neque existimet quispiam, ut scite S. Augustinus animadvertit, Apostolum hunc nos dispensare velle a primo, & inevitabili præcepto diligendi Deum ex toto corde, omnibusque viribus nostris; amor enim proximi, cum omne meritum ab hoc primo amore, qui unica illius est causa, percipiat; gravissima esset illusio duo separare, quæ lex, & ratio reddunt inseparabilia; sed benevolentia, qua erga fratres nostros pleni sumus, cum illam supponat, qua Deus a nobis diligendus est, Creator, & omnium Pater: Apostolus totam nostræ charitatis extensionem comprehendit in suavi, & inevitabili mutuæ charitatis officio. Ad hæc cum charitatis hujus occasiones sint frequentiores propter reciprocas necessitates, quibus invicem jungimur, quam ille, in quibus postular Deus nostri erga se amoris testimonia; sæpius ad proximi, quam ad Dei ipsius amorem fuimus hortandi. Præterquamquod amor, quo prosequimur homines, cum per sensibilia sese producat officia, efficit, ut melius nostræ cognoscantur affectiones erga Dei Majestatem, quam ille, qui pro unico objecto Deum habens, non alium præter illum testem haberet. *Idem*.

Dei: sed plures nobis adsunt occasiones illũ exercendi, quã hunc.

Proximi vitia ab illius amore nos deterrere non debent.

Liquet quid vulgo dici consueverint homines ut sese excusent ab amore proximi. Hic, dicunt, adeo imperfectus est, atque tot noxis obnoxius, ut nosmet ad illum amandum nequaquam agi sentiamus. Sed in hoc amore quærimusne animi studium, quo ad fratres diligendos impellimur, & ad aliorum infirmitates ferendas, an præceptum, quod nobis JESUS CHRISTUS irrogavit? Numquid in illis nosmetipsos amare volumus, an Deum? Necesse non est Christianum te esse, ut ita diligas; satis est Etnicum esse, Amor quem nobis præcipit JESUS CHRISTUS est, ut quotcumque vitiis fratres nostri sordescant, illos semper quantum nosmetipsos diligamus; *Sicut dilexi vos*, Filius Dei inquit. Numquid vitiis omnibus carebamus, cum dilexit nos Deus? Num aliquid amore dignum in nobis erat? Si adorabile Salvatoris corpus in Eucharistia inveniretur in aliquo turpi loco, qui illius Sanctitatem minime deceret, num ideo cessaremus quo minus illi honorem adhiberemus? Attamen JESUS est in proximo nostro licet criminibus affluente, & illum rejicimus. *Liber cui titulus: Christiana rudimenta*.

Charitas pati nequit, quod proximi vitia considerentur.

Hic autem immorandum non est, in considerandis videlicet proximi vitiis: Charitas hæc omnia tegit: reverentia quam JESU CHRISTO debemus, efficere debet, ut hæc omnia negligamus. Cum ipsi huic peccato medicinam adhibuerimus, dicere poterimus, nos vitia quædam abstulisse, in quæ sæpissime labuntur homines, & quæ parum agnoscuntur. Præterea palam contra charitatem peccatur, quia proximum tamquam nosmetipsos tenemur diligere; illum etiam tolerare debemus, sicut nosmetipsos toleramus; & notandum est, quod cum Apostolus legem universam ad solum proximi amorem redegerit, tandem amorem proximi redigit ad vitia ultro citroque perferenda. Qui proximum diligit, ait ille, legem adimplet, & alibi, Alter alterius onera portate, & adimplebitis legem Christi. *Ibidem*.

ad Galat. 6.

Quam parum observetur præceptum Charitatis erga proximum.

1. Joann. 4.

Charitatis præceptum non amplius agnosci, observarique videtur in mundo; quis enim putat, vel sibi persuadet, charitatem, qua proximum suum tenetur diligere, illi esse conformandam, qua nos Dei Filius amavit? *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos*. Quænam intercedit similitudinis ratio inter eminentem hanc Charitatem, qua dilexit nos Deus, & eam qua ultro citroque nosmetipsos diligimus? Diligimus quidem amicos, sed ea, quæ sincera dicitur amicitia vix, & ne vix quidem inter homines invenitur. Ita bona sua, fortunas, negotia, existimationem, vitamque ipsam pro amici utilitate deserere, id est cujus nulla videmus exempla; illos vero cum quibus nobis peculiaris non intercedit necessitudo, nullo in discrimine habemus, tamquam advenæ existimantur; pro his ne obolum quidem impenderemus, ne momentum quidem nostri solatii in ope illis ferenda insumeremus, ut eos de gravi aliquo periculo eriperemus, vel aliquid eorum tranquillitati conferremus. Demum ubi de illorum agitur negotiis, non reminiscimur amplius præcepti, quo illos tenemur diligere, nec modi; quo illud servan-

servandum est, perinde ac Dominus numquam locutus fuisset. *Idem*.

Notæ, ex quibus vera erga proximum Charitas dignoscatur.

Cum habemus Charitatem Dei, judicamus, uti judicat Deus, ac sentimus, quomodo sentit Deus: ita omnes homines habemus in pretio, videntes, animas eorum pretiosas esse in oculis Dei, videmus in illis Dei imaginem, & similitudinem. Videmus illas esse objectum curarum & amoris Dei, & hæc videntes illorum afficimur charitate. Pauperes, ac miseri Deo chari sunt. Hic illorum miseretur, & cum charitas in nostro corde vivit, cujuscumque miseriam indiscriminatim videre non possumus. Huic solatium afferre studemus; proximi necessitates tamquam aliquid gravis momenti respicimus, earumque miseremur. *P. Surin, tomo* 1. *dialog. Ascetici, lib.* 2. *cap.* 5.

Ut Christianæ fratres nostros diligamus, diligendi sunt in Deo, & propter Deum. *Ephes.* 4.

Mutua necessitudo, quam Apostolus Ephesios hortatur, ut inter se inviolabiliter servent nequaquam ex illis est, quas nectunt caro, & sanguis: Spiritus illius vinculum esse debet; *sollicití servare unitatem Spiritus*. Ita eadem unitas, quam inter Religiosos, virosque bonos videmus, quamvis nodus illius sit virtus, nondum est ea Charitas imperata nobis, nisi Deus unicum sit principium illius. Ut igitur Christiano ritu fratres nostros diligamus, in Deo, & propter Deum sunt diligendi. Hujus generis amicitia mundum universum complectitur, alienos æque ac proximos; inimicos æque ac eos, a quibus diligimur. Sed juxta normam hanc, quam parum Charitatis in hominibus reperitur! Mea vero heu! quantum deficit. Præsta, Domine, ut ex toto corde te diligam; inde enim pendet obedientia legi, quam irrogas mihi, proximum meum propter te ipsum diligendi. *P. Segneri in Meditationibus*.

Varii gradus Charitatis erga Proximum.

Fratrum nostrorum vitia sustinere, eorum necessitatibus consulere, eorum officia partiri onera sunt, quæ nobis JESU CHRISTI lex injicit, tamquam membris, quorum ille caput est. Primum igitur eorum ferre debemus noxas, malum ingenium, infirmitates, agrestes mores, ingratitudinem, impetus, superbiam, irrisiones, mobilitatem, & inconstantiam. Hoc proculdubio illud est, quod sarcinam constituit nostræ naturali impatientiæ graviorem: verum perveniemus tandem ad non ægre ferendam hanc sarcinam, quæ modo nequaquam ferenda videtur, cum serio cogitaverimus hominem vitiis, atque imperfectionibus cumulatissimum non minus ideo fratrem esse nostrum in CHRISTO JESU, & amabilem hanc qualitatem in corde nostro vim majorem habere debere, quam sensus omnes naturæ. Secundo proximi necessitatibus subveniendum est, ægrotantibus adsistendum, infirmitates illorum patienter sustinendæ, in adversis solatium præbendum, in rebus dubiis consilium dandum, erudiendus est, ad ea, quæ bona sunt hortandus, ac tandem omnia illi subsidia procuranda, quæ possumus. Tertius denique charitatis erga proximum gradus est, partem onerum illius nobis vindicare; quemadmodum scimus Sanctos jejunasse, atque severissimas exercuisse pœnitentias, ut peccatoribus essent auxilio, ut Divinæ satisfacerent justitiæ, Deumque flecterent ad lenitatem. Quænam in hoc mundo suavitas! Quæ morum integritas! si Christiani mutua hujusmodi charitate aliquid ad perfectam animorum consensionem conferrent! *P. Segneri in Meditationibus*.

Omittenda sunt aliquando ipsa etiam religionis officia, ut christianæ charitati satisfiat.

Charitas coram Deo tanta est, ut quibusdam in occasionibus hic jubeat illius exercitium ipsis etiam Religionis officiis esse anteferendum: *Diligere proximum... majus est omnibus holocautomatibus*. Quis non miretur Creatoris bonitatem efficientem, ut honor sibi debitus cedat necessitati creaturæ, cum nos minime pudeat inanes quæstus facere non sine detrimento earum rerum, quas illi debemus? Saltem discamus hinc quanti nos Fraternam Charitatem facere oporteat. *Idem*.

Qualitas ejus qualitatis, quæ Christianos distinguere debet. *Joan.* 13.

Quænam nota est, quam JESUS CHRISTUS elegit, ut discipulos suos a ceteris hominibus vulgo secerneret? Hæc quidem non sunt miracula, non scientia, non sapientia, neque aliæ simul prærogativæ; sed est mutuæ charitatis vinculum: *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. Sed charitas hæc, quæ Christianum distinguit, esse non potest Charitas vulgaris; sed differre oportet a charitate Gentilium, Turcarum, Judæorum. Non desunt in natura secreta vincula, quibus omnes homines simul nectuntur, & quibus bruta quoque animantia junguntur; sed alia prorsus est Christianæ Charitatis natura. Supernaturalis est in principio suo, pura in causa sua, generalis, & constans in effectibus. Aliquid habet adeo distinctum, ut non adeo facile simulari possit; cumque non est in corde, arduum est, speciem ejus haberi; qua in re longissime differt ab aliis Christianis virtutibus, quarum externum habitum hypocritæ sæpe mutuantur, ut fucum faciant hominibus. Ex his charitatis vestigiis, quæ christiani hominis caracterem constituunt, agnoscisne tuam? *P. Segneri ibidem*.

In primæva Ecclesia Christiani internoscebantur ex eorum mutua charitate.

Et sane primis Ecclesiæ temporibus idolorum cultores dignoscebant JESU CHRISTI discipulos ex eorum mutua charitate; & beatis illis sæculis sæpe audiebantur præ admiratione clamantes: *Videte quomodo se invicem diligant*. Nulla umquam societas eam animorum consensionem præ se tulerat, cujus adeo præclarum exemplum Christiani dedere. Luis etiam tempore visi sunt deservire tyrannis, quos ipsorum domestici dereliquerant. Nonnumquam etiam omnium bonorum suorum hæredes proprios carnifices scripserunt. Ite, omnes religiones in universum terrarum orbem late effusas consulite: nulla umquam peperit miracula illis Christianæ Charitatis similia. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. *Idem*. *Joan.* 13.

Fraterna Charitas Christiani caracter est.

Vivere eo modo, qui dignus sit vocatione nostra; ex Apostoli sententia est mutuam invicem Charitatem exercere; & si nobis deest hæc virtus, quæ omnia corda conjungit, christiani nomen non meremur amplius. Hæc est Religionis nostræ Fundamentum, juxta JESU CHRISTI voluntatem. Voluit hic, unum illi caput esse, quia membra omnia, quibus constat, unum dumtaxat corpus debebant efficere; & voluit omnes unum dumtaxat corpus efficere, quia omnes uno erant spiritu animandi. Peto, dicebat Patri Æterno Salvator antequam in Cœlum ascenderet, Peto *pro eis, qui in me credituri sunt*, ut unum, idemque sint, quemadmodum & ipsi unum sumus. *Joan.* 17. Fingi nequit conjunctio major. Verum etiam hæc regnare debet inter homines, qui pro capite habent JESUM CHRISTUM, ita ut si illi inter se divisi sunt, jam tamquam membra illius non censeantur. Spiritus ergo Charitatis proprius est Christifidelium character: *Pro eis, qui credituri sunt*. Dignare Domine, hunc mihi largiri caracterem, quia sine hoc meæ vocationis officia obire non possum; quia cum non sim amplius unum cum fratribus meis, nequeo unum esse cum JESU CHRISTO Filio tuo. *P. Segneri in Meditationibus*.

Charitatis finis est amare proximum tamquam seipsum.

Fines, quos Deus fraternæ charitati constituit, generatim sunt, diligere fratres *sicut seipsum*. Hic tamen aliquod subordinationis genus inveniri debet, juxta diversam qualitatem bonorum, quæ aliis, vel nobismetipsis cupere possumus. Quod pertinet ad spiritualia bona, gratiam Dei, humilitatem, obedientiam, aliasque christianas virtutes, amor proximi non quærit, ut sinamus a quoquam superari. Debemus e contra nobili æmulatione cum fratribus nostris, secundum Apostoli consilium certare ut summa contentione ad eminentiorem harum virtutum gradum perveniamus: *Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia*. *ad Cor.* 14. Hæc est horum bonorum natura; hæc nobis vindicantes, illa eripimus nemini, & non prohibeamus quominus ab aliis integra possideantur. Quod ad temporalia attinet bona, quo magis proximum locupletamus illis, eo magis noster pro æternitate thesaurus augebitur. Illa cum alterius detrimento non usurpare, justitiæ munus est, sed illas alacriter in alienas manus traducere, & seipsum locupletiorem nequaquam putare, quam cum ea proximus possidet affluenter, hic finis est ad quem perfecta charitas debet procedere. *Idem ibidem*.

Ratio

proximo ferentes opem, beneficia, quæ debemus, Deo rependimus.

Ratio vera par pari referendi Deo, propter omnia ipsius in nos beneficia, hæc est, proximo ferre opem. Plurima debemus Deo. Ille nos ante sæcula prædestinavit ad gloriam, ille nos creavit, ille hucusque nos servavit, ille præstitit, ut in Christianæ Religionis luce oriremur; quotiescumque illum læsimus, toties nos ad pœnitentiam expectavit, toties peccatorum veniam nobis concessit; verbo, propter nostram salutem in cruce spiritum efflavit. Hæc memorantes beneficia, possumusne grati animi sensum non fovere? Sed quid ipsi præstare possumus Deo nostro, qui infinite potens est, infinite beatus? hoc nempe, animas illi lucrari quotcumque possumus. Cum enim rei nullius egeat, in proximum nostrum traducit jura, quæ habet in gratitudinis nostræ effecta: vult nos fratribus nostris omnia procurare bona, quæ ipsi illi facere teneremur, nisi esset ipse omnium bonorum nostrorum origo. *P. Segneri*.

Subveniamus proximo in spiritualibus necessitatibus: graviora illius mala ea sunt, quibus minus afficitur.

Succurrite proximo vestro, illi videlicet, quem amare deberis tamquam vosmetipsos secundum JESU CHRISTI præceptum: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Si nulla præter hanc ratio suppeteret, ut Deum diligere deberetis, hæc una sufficeret. Præceptum igitur Charitatis nos cogit, ut proximi nostri malis æque afficiamur ac si nostra essent; sed spiritualibus ejusdem malis acrius afficiendi sumus. Hæc sunt maxima illius mala, quoniam infernus, ad quem adducunt, suprema est omnium calamitatum: sed hæc mala curare non admodum laborat. Videbimus ne ipsi proximi nostri miseriam, quin nos miserescat? Sinemusne illum in interitum ruere, quin omnem exeramus conatum, ut illi subveniamus? Æger, qui adhuc seipsum novit, sibimet auxilio esse potest petens auxilium; sed peccator nullam sibi fert opem. Plerumque animæ suæ mala non sentit: quomodo autem petat medicinam? Verum si tenemur ipsi corporalibus proximi nostri necessitatibus opitulari, tunc etiam cum non omni caret spe, & ille sibi valet adhuc solatia comparare: quo potiori jure tenemur subvenire necessitatibus animæ ejusdem, quam stupiditas sua digniorem efficit miseratione. Heu! Largire, Domine, ut proximo meo succurrere potissimum valeam in malis, quorum dolore minus afficitur, & quæ nihilominus gravissima sunt; ut liberem illum a servitute Dæmonis, ut eum tibi reddam, qui illum Sanguine tuo redemisti; da mihi omnia adminicula, ut illum in salutis viam valeam revocare. *P. Segneri in Meditationibus*.

Christianæ charitatis erga proximum officia.

Proximum diligere est illi animæ corporisque bona cupere, quemadmodum illa nobismetipsis desideramus: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Ex hoc autem principio tria sequuntur; quæ ad observantiam præcepti Charitatis erga proximum pertinent. Non possumus propter amorem erga proximum indulgere iis, quæ iniqua, & injusta sunt; tunc enim hoc non esset amare, sed odisse; esset illi tantum malorum optare, quantum illi Dæmones cupiunt, infestissimi illius inimici, quoniam hoc esset animæ ejusdem interitum quærere. Debemus proximo bona cupere illius quidem causa, non nostra. Cum igitur illum diligimus, vel propter voluptatem, quam ab illo percipimus in ejus consuetudine, vel propter utilitatem, qua fruimur in ejus commercio; si minus præceptum violamus, saltem non adimplemus. Tunc enim nostram voluptatem, nostramque utilitatem amamus; verbo, nosmetipsos diligimus, non illum, quem a Domino jubemur diligere: *Diliges proximum tuum*. Amare proximum hoc modo est, illum amare tamquam servum, quem nonnisi propter nosmetipsos amamus. Dominus autem *proximi* vocabulo data opera utitur, ut intelligamus, sub hac qualitate, ac ratione nobis omnes homines esse diligendos, ideoque tamquam nobis æquales. Homo hic seu dives, seu pauper, seu justus, seu peccator, seu civis, seu advena, seu amicus, seu inimicus, nihil interest, proximus noster est; quia eadem, ac nos obtinet jura ad æternam hæreditatem, & hanc æque ac nos assequi potest. Unus hic titulus cum nobis parem facit, eique honorem proximi nostri ad tumulum usque concedit. *P. Segneri*.

Amorem proximi nostrum operibus debemus ostendere.

Proximum amare debemus, non autem voluntate languenti, infirma, inefficaci; non enim hoc esset illum amare tamquam nosmetipsos: *tamquam te ipsum*. Cum de re nostra agitur, satisne nobis est, desiderium frigidum ac sterile? Quo ardore ad ea ferimur, quæ nobis utilia esse arbitramur? Ita etiam nobis agendum est cum proximo nostro. Frustra nobismet blandimur, quasi charitatis præceptum observaverimus; quia nos non male erga proximum nostrum affectos sentimus: ut te ipsa servemus illud, opus est, ut intentio nostra sese operibus prodat. *Idem*.

Pauci Christiani hodie proximum amant, uti opus est.

Si de Fidelium factis juxta hos canones judicium ferendum est, quotusquisque legem Charitatis erga proximum servat? Alii proximum inordinato amore diligunt, atque ita illum oderunt, cum illum sibi amare videntur. Alii proximum amore cupiditatis prosequuntur; ideoque non proximum, sed se ipsos diligunt. Plerique proximum complectuntur amore invalido, & inerti: nihil agunt, nulla in re sibi incommodare volunt, ne pedem quidem moverent, si hoc aliquo staret pretio, ut proximo gratificarentur. Igitur non diligunt illum tamquam se, videlicet ardenter, & efficaciter; amant illum, tamquam ea, quæ in modico, vel etiam nullo habent in discrimine. Heu! ad quid hodie redigitur suavissima lex Charitatis erga proximum! paucissimi Christiani illam observant, cæteri eam transgrediuntur. Attamen præceptum amoris proximi maximum est, ac præstantissimum omnium uno excepto amoris Dei, cujus est simile. *P. Segneri in Meditation*.

Si desit charitas erga proximũ, virtutes aliæ coram Deo pro nihilo habentur.

Quot mortales, qui pii videbantur, post sexcentas pietatis exercitationes, post dies suos in solitudine traductos, post bona, vitamque in proximi gratiam consumpta, manus vacuas habebunt mortis tempore, eo quod neglexerint se ipsos in christiana charitate perficere? Quid illis proderit corpus suum pœnitentiis trivisse, in semet tantum exercuisse crudelitatis, quantum Tyranni in Martyres exercuerunt; si nequeunt fratrum suorum perfectiones, & imperfectiones sustinere? Gesto omnes cruces meas invicta fortitudine; nulla me deterret persecutio; lætor inter adversa, quæ accidunt mihi; sed quæ aliis accidunt prospera mihi dolorem cient, & aliena mihi negotium facessit felicitas: *Nihil sum*. Tota affecta virtus mea pro nihilo computatur. Gaudeo, pauperibus opitulari; me ipsum humilio, meque ipsum haud ægre contemno, sed summo afficior gaudio cum alios video humiliari: *Nihil mihi prodest*. Fallax hæc est pietatis species, hypocrisis est, nolite metiri pietatem vestram ex vestra charitate. Consilium hoc ipso temporis momento capite, ope divinæ gratiæ in christiana charitate excellendi; hoc est solum, visitandi, juvandi, in honore habendi pauperes tamquam fratres vestros, sed imposterum cum omnibus hominibus honeste, officiose, leniterque versandi. Abjicite superbum hunc oris habitum, contumeliosa hæc verba, hunc vocis tonum iratum, hos mores duros; mementote famulos, atque domesticos vestros esse fratres vestros; summæ vobis curæ sit res, atque existimatio aliorum. Proximum vestrum semper excusate, malis illius condolete, prosperitatibus ejusdem lætamini; habetote erga omnes charitatem beneficam, constantem, universalem; proprius amor vester, ut ita dicam, sit regula vestræ charitatis. *P. Croiset in Asceticis exercitiis. Tomo* 2.

Omnia legis præcepta in sola Charitatis præcepto continentur.

In quovis peccato agitur contra charitatem, quia hæc Dei Præcepta, non *mœchaberis*, non occides, non furtum facies, & reliqua compendiose in hoc uno verbo continentur; diliges proximum tuum sicut te ipsum; legis enim complementum amor est. Proximus non amatur, nisi amatur Deus. Si igitur, qui postquam legi universæ paruit, uno tantum in apice violat illam, reus quasi eamdem in omni-

omnibus violasset: hoc accidit, quia unum dumtaxat Legis præceptum violando operatur contra charitatem, a qua tota lex pendet, & fit omnium reus, cum lædit illud quod complectitur omnia. *Tourneux in anno Christiano. Tomo 10.*

Nulla opera bona sunt nisi Charitate condiantur.

Sine Charitate nulla virtus, nullus licet Religionis actus meritorius est, ac Deo placet. *Si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem &c. & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Visi sunt Christiani Heroes palmis, & laureis onusti jamjam immolandi, & nihilominus a Deo reprobati eo quod cum fratribus suis in gratiam redire noluerunt. Nullum Deo acceptum est sacrificium, si charitas desit. Quid autem cogitandum est de assertis devotis illis, qui in corde servant pertinacem acrimoniam inter inanem operum bonorum fulgorem? Quid porro de Sacrorum Altarium ministris, qui Deo litare cum irato corde auderent? *P. Croiset in Exercitiis pietatis, tomo 5.*

Amor Proximi non in verbis, sed in operibus consistit.

Charitas hodierna die non solum intepuit; sed omnino fere extincta est. Raro in iis etiam invenitur, qui eamdem familiam constituunt. Visum ne usquam est plus negligentiæ, antipathiæ, minus charitatis? Si virtus hæc posita esset in verbis officiosis, in vanis observantiæ oblationibus; non ita infrequens esset; nullum umquam sæculum officiosius fuit, elegantius, atque abundantius ostentationibus amicitiæ. Sed hodierna die, subdolus hic loquendi modus cognoscitur; commercium est simulationum, & mimicarum fictionum, & omnes ultro citroque eodem pignore certant. Sed revera hæc inanis est dissimulatio, & hypocrisis. Horreamus vitium hoc adeo commune, & spiritui Christianæ religionis oppositum. Curemus veram fovere erga fratres nostros charitatem, quocumque astu, vel dolo ipsi nobiscum utantur. Neminem excipiamus, atque omnibus in occasionibus id palam testemur. Vera Charitas semper veros fructus parit; in inanibus verbis sita non est, ac sese per effecta prodit. Charitas sterilis numquam vera Charitas fuit. *P. Croiset, ibidem.*

Charitas una generales suggerit nobis rationes amandi omnes homines, ac nosmet illis subjiciendi: Amor proprius efficit, ut eos tantum diligamus, qui nos amant, nobisque utiles sunt: nos illis tantum subjicit, qui potentiores sunt nobis, & e contra suadet, ut quantum fieri possit, aliis dominemur: Sed Charitas amore, & submissione sua omnes complectitur. Omnes respicit tamquam opera Dei, quem adorat, tamquam Salvatoris sui sanguine redemptos, tamquam vocatos ad Regnum ad quod contendit. Hæ qualitates sufficiunt, ut eos amet, immo ut illos tamquam Dominos a nobis haberi jubeat; quandoquidem ipsi nos nimis beatos existimare debemus, cum in minimis etiam rebus operam nostram impendimus membris JESU CHRISTI, & Electis Dei. Ipsa igitur possidet in se veros urbanitatis fontes, videlicet amorem, interioremque erga alios submissionem, quos cum extrinsecus profert; hæc naturalis est effusio motuum, quos imprimit in corde. *Specimina Ethicæ. Tomo 2.*

Miseratio nostra, non secus ac illa Patris Cœlestis universalis esse debet, & sine exceptione.

Libentius illis opem ferimus, qui citra culpam calamitosi patiuntur. Tamen ex calamitosis magis plorandi sunt, qui suam amant calamitatem. Nos aliter judicamus, atque ob errorem hunc corrigendum Dei Filius ait: *Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est.* Ille eorum miseretur, qui soli sunt malorum suorum auctores: Miseretur peccatorum, ac attentior est necessitatibus eorum, quam illis hominum aliorum. Æque igitur misereamur malorum & amicorum, & inimicorum nostrorum, ac parati simus ad opem utrisque ferendam, ut imitemur misericordiam Patris nostri, qui in Cœlis est qui pluit super justos, & peccatores. Misericordia o Salvator! quam a nobis requiris non est prorsus humana, & naturalis; sed divina, & supernaturalis, quæ oritur ex Charitate, & ab eadem animata est; denique misericordia quæ pro exemplari habeat Patris cœlestis misericordiam. *P. Segneri in Meditationibus.* *Ibidem.*

AMOR SUI.

Inordinatus amor sui ipsius, utilitatis suæ cura, Præceptum quo nosmet odisse jubemur, &c.

MONITUM.



UANTUMVIS vastum, atque indeterminatum primo adspectu hoc videatur argumentum, peculiaris tamen concionis fieri materia potest, ubi Amor Proprius in semetipso consideretur, quin latius evagemur in effectus illius, qui plurimi profecto sunt, & quorum non pauci variarum concionum esse possunt argumentum. Notandum itaque

Primo, Amorem Proprium nomine tenus, vel ad summum ex varia contra divinam Legem agendi ratione a Concupiscentia distingui. Concupiscentia enim, quæ peccati Originalis effectus est, ea est propensio, ac naturale studium, quo ad sensibilia rapimur bona, ibi nostram voluptatem inventuri; Amor vero proprius efficit, ut cuncta ad nosmetipsos tamquam ad eorum finem referamus, & nosmet in rebus omnibus, quæ sese nobis objiciunt, perquiramus.

Secundo, Amorem Proprium, de quo hic sermo, non esse omnino idem ac Amorem sui; prior enim in sequiorem partem accipitur, nec unquam culpa vacat, semper enim inordinatus est amor sui; alter vero virtus est, ubi rite instituatur; quandoquidem in ordine Charitatis nos post Deum obtinere apud nosmetipsos locum debemus.

Tertio, Quamvis adniti ut Amor proprius radicitus convellatur, atque evertatur, idem sit ac mortificationem exercere, affectus subigere, seipsum vincere, atque corruptæ naturæ studiis adversari; hoc tamen Proprii Amoris nomen, quod magis est generale locum præbet, ut magis directe vitia omnia, tamquam in unum redacta simul impugnentur, & satis amplam ad dicendum suppeditat copiam, quin evageris verba faciens de sensuum mortificatione, affectibus, propria voluntate cæterisque rebus, quæ aliquam cum hoc argumento similitudinis rationem habere possent.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum in hoc argumento Structura.


Probari potest Amorem Proprium infestissimum esse animæ nostræ inimicum, quoniam maximum statuit obicem. 1. Saluti nostræ. 2. Perfectioni Christianæ, idque præsertim in statu Religioso: unde inferendum, I. nobis toto vitæ nostræ tempore adlaborandum, quantum in nobis est, ut illum eradicemus, eique irreconciliabile bellum inferamus.

Pars Prior. Fidelis, ut salutem suam operetur in id generatim debet incumbere, ut a malo divertat, & bonum faciat. Inordinatus autem Amor sui (qui proprie loquendo non aliud est, quam concupiscentia illa, & naturale studium erga sensibilia bona, quod nobis ingenitum est, & nobiscum semper perseverat, tunc etiam cum originale peccatum per sacram Baptismatis undam ablutum est) Amor, inquam, inordinatus sui, quem Amorem Proprium dicimus, nos ad malum rapit, ideoque nobis est gravissimus, atque perniciosissimus hostis; primo, quia ipse principium est malorum omnium, hoc est omnium peccatorum, ac vitiorum, quæ maximum, & unicum sunt nostræ salutis obstaculum. Ipse igitur est primus inimicorum omnium, & qui ceteros deinceps in prælium accersit. 2. Domesticus est inimicus, qui in nobis castra sua posuit, quem nobiscum quocumque gerimus, qui nostræ insitus est naturæ, & ideo qui nonnisi cum nobis extinguitur. 3. Inimicus est callidissimus, & ad fallendum aptissimus, æque ac pertinacissimus. 4. Inimicus nonnisi maxima cum difficultate superandus, qui infirmari, & subigi quidem potest, omnino deleri non potest. Hinc arguendum est, hunc majorem salutis nostræ obicem esse, quam institutionem, quam pravum ingenium, qnam pravum exemplum; hæc enim omnia vim non habent, ut nos in interitum tradant, nisi quatenus amorem proprium fovent, alunt, & nutriunt.

Alterum, quod est omnino ad salutem necessarium est facere bonum: *Declina a malo, & fac bonum.* Psal. 3. Nemo Fidelis de hoc potest ambigere; licet in praxi plurimi a se præclare gestum putent, nisi ea patraverint scelera, ac nefaria peccata, quæ & superi, & Mortales odere; alteram vero officii partem negligant, quæ est bona opera exercere, ad quæ adulti non minori necessitate tenentur; unde communis & vulgata illa extitit divisio præceptorum in negativa, quæ obligant semper, & ad semper, & in positiva, quæ quibusdam tantummodo in occasionibus, & circumstantiis obligant. Hoc posito quinam potest ambigere, quo minus amor proprius magnum sit obstaculum christianarum virtutum exercitationi? 1. Nos inde avertit difficultatibus, vel realibus, vel fictitiis, quæ vel occurrunt, vel metuuntur, eadem enim animi propensio, quæ efficit, ut nostra inquiramus commoda, efficit quoque ut laborem, ac difficultatem effugiamus. 2. Omnia corrumpit bona opera, quæ necessario operari debemus, ibi propriam gloriam, hominum approbationem, illis placendi cupiditatem, vel aliam quamlibet humanam rationem inquirentes, cum eadem propter Deum, vel bonam aliquam causam efficere teneamur. 3. Optima etiam opera, quæ in se vere laude sunt digna, in gravissima convertit scelera, quæ zeli curæ, pro Dei gloria susceptæ nomine regit &c.

Pars altera. Amor proprius maximum est ejus perfectionis obstaculum, ad quam nobis est contendendum, & quam Deus petit a nobis eo in statu, in quo nos Divina Providentia constituit. Ut hoc nobis persuasum sit, notandum est, perfectionem, cui adipiscendæ adnitendum est, in tribus rebus positam esse, videlicet in affectuum omnium mortificatione, in sedula, ac regulari omnium status sui officiorum observantia, ac tandem in fervore charitatis, quæ efficit, ut cum gaudio, sancta lætitia, ac pati celeritate in vita Sanctitatis ambulemus. Tribus autem hisce rebus amorem proprium adversari, facile probari potest: 1. Quod spectat ad affectuum mortificationem: neque enim dubitandi locus est, quominus ille perfectissimus censendus sit Christianus, ac Religiosus, qui illis dominatur, qui constanti, ac jugi mortificatione illos omnino perdomuit. At quidnam est Amor proprius, & quanam in re sese prodit? in quo ille consistit, nisi in hoc, quod affectuum suorum sequatur motus, cupiditatibus suis satisfaciat, atque in affectionibus inordinatis nullam rationem, nullumque modum retineat? 2. Si in eo posita est perfectio, ut ad unguem, & diligentissime status quisque sui adimpleat officia; numquid amor proprius ibi torquetur cum nulla modo pati possit, hanc vivendi rationem, quæ ipsi adversatur, eumque coercet? 3. Quod pertinet ad fervorem qui ad perfectionem acquirendam requiritur, & qui efficit, ut animus numquam fatigetur, sed constanter suum stadium percurrat: quis ignorat amorem proprium, propter quem voluptates, bona, & commoda nostra diligimus, nos ignavos, atque inconstantes efficere? &c.

1. Amor proprius oppositus est amori, quem Deo, II. Proximo, nobisque metipsis debemus, omnemque charitatem evertit.

2. Oppositus est gratiæ, seu habituali propter criminosam prælationem, qua nos, resque nostras, Deo, divinisque rebus anteferimus, seu actuali, cum cœlestes rejiciuntur afflatus, vel illis resistitur, ut naturale studium sequamur, quo ab bona sensibilia rapimur.

3. Oppositus est virtutibus omnibus, omnibus bonis operibus, omnibusque pietatis actionibus, ne sibi vim inferat, quæ necessaria est ad eam difficultatem, laboremque superandum, qui cum recta vivendi ratione conjunctus est.

Amor proprius, & amor sui non semper est unum, III. & idem, licet uterque satis crebro confundatur; quemadmodum enim superius admonuimus, amor sui, ubi ordinatus ac rite institutus sit, virtus est, & charitas, quam sibi quisque debet; at amorem proprium semper intelligimus concupiscentiæ perturbationem, qua rapimur, ut rem, voluptatemque nostram quæramus. Hac explicata difficultate ad Auditorum instructionem, ac spiritualem directionem ostendi potest:

1. Quid amor proprius habeat commune cum charitate, quam nobismetipsis debemus, ut detegantur fraudes, ac doli inordinati hujus amoris, quibus fallimur, atque decipimur, ac semper nobismetipsis invigilemus, ne nobis auferat bonorum operum fructum, & meritum. Primo quidem nihil poscere videtur quod non sit fas, ac deceat; sed non subsistit in iis, quæ sibi proponit, sensim cancellos, quos sibi circumscripserat latius protendit, atque perniciosas aperit vias &c.

2. Non differt quædam statuere principia, & præseferre cogitationes palam nefarias. Hoc etiam explicandum est, & perficiendum, ut liquido innotescat discrimen illud, quod inter utrumque hunc amorem interest, quorum alter æquus est a Deo imperatus, alter iniquus, & Evangelica lege prohibitus; nec non ostendendum, quænam sint veræ notæ, quibus dignoscuntur, ut alter quidem confirmetur, alter vero evellatur.

Amor ut plurimum exhibetur oculos vitta obnuptos habens, ut cæcus esse intelligatur, sed quod Ethnici de amore generatim dixere, liquido in amore proprio deprehenditur, qui omnes ferme homines excæcat cæcitate eo magis funesta, atque periculosa, quo minus cognoscitur, atque intelligitur. Ut autem in liquido appareat, & medicina ei afferatur morbo, qui insanabilis videtur, cum Tertulliano animadvertendum

tendum est, duplicem esse cæcitatis speciem, quæ amori proprio conveniunt: videlicet: *non videre quod est, & videre, quod non est.*

1. *Non videre quod est.* Amor proprius efficit, ut defectus nostros non intueamur, licet ab omnibus palam videantur: ideoque ut illos examus alienis oculis utendum est, ac amicorum consiliis, & hortationibus eorum, qui in nos auctoritatem obtinent, fidendum est.

2. *Videre quod non est.* Auget virtutes nostras, talenta, perfectiones, ac nos nobismetipsis exhibet longe alios ab iis, qui sumus. Ex duplici hac cæcitate proficiscitur superbia, atque arrogantia, quæ prohibent ne nosmetipsos agnoscamus; ita ut de iis gloriemur, quæ non habemus, vel quæ laudem non merentur; neque nos pudeat eorum, quæ efficere deberent, ut humiliter de nobismetipsis sentiremus.

V. 1. Amor proprius est origo, causa, & principium vitiorum omnium, quemadmodum vera charitas ex D. Augustini sententia causa est, atque principium virtutum omnium, eas continet, se in illas transformat, eas omnes animat, atque vivificat; quod ostendi potest per inductionem, quæ ex Tractatus hujus decursu innotescet.

2. Illud vero deplorandum est, & causa, ut hic idem proprius amor sit intentus, atque reprobationis nostræ principium, quod donec sequimur hujus inordinati in nosmetipsos amoris motus, numquam vitia nostra relinquimus, neque defectus nostros emendamus. Horum etiam tamquam custos, & fulcrum est, non solum principium.

VI. Duæ etiam concionis partes institui possunt juxta duplicem hanc Evangelii veritatem, circa quam tota JESU CHRISTI doctrina verti videtur.

1. Amorem proprium verum esse odium sui; cum enim inordinato hoc amore nosmet diligimus, Dei legem infringimus, Domini odium, iram, & ultionem in nos ipsos conflamus, ideoque æternam damnationem, infelicitatum omnium cumulum. *Qui amat animam suam, perdet eam.*

2. Odium sui, quale ab Evangelio præcipitur, verum esse erga animam, corpusque nostrum charitatem; utrique enim æternam comparat felicitatem, bonorum videlicet omnium cumulum: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

VII. Amor proprius apertissimus est inimicus Dei, evertit enim consilium ipsius, propter quod homo factus est, obicem statuens saluti nostræ, quæ laborum, passionum, & mortis ejus finis est.

2. Hic infensissimus est nostrummetipsorum inimicus; non enim solum est fons omnium, quæ nobis accidunt mala propter originale peccatum, quod ex ipsa hausimus nativitate, cujus quidem ille particeps fuit; verumetiam scelerum omnium, quæ actu committimus; Dei enim legem infringimus, ut rem nostram, atque voluptatem quæramus.

VIII. Ut Auditor ad agendum impellatur ob rationes christiano homine, ac eo viro dignas, cui aliquis honestatis, atque pietatis sensus est; duplex hæc probari veritas potest.

1. Mentem nostram non alia re magis excæcari, quam amore proprio, qui omnia ad seipsum refert; ideoque illum sequi ducem, & tamquam vitæ normam sectari idem esse ac vitam incertam, injustam, ac infelicem efficere. Hoc in prima parte videndum est.

2. Cor nostrum non alia re magis corrumpi, quam hoc ipso amore proprio, qui res suas omnibus antefert cogitationibus tum Dei, ac Religionis, tum Proximi iis in occasionibus, ubi eorum nobis ratio habenda est diligentissime. Ita cæcitas mentis, & cordis corruptio cum sint gemini effectus, qui suimetipsorum amatores & coram Deo fontes, & coram hominibus invisos præbeant, concionis etiam partitionem efficient.

IX. Quæritur cur concupiscentia, & amor proprius, quem liquet originalis peccati effectum, immo etiam pœnam esse, adhuc in omnibus persistat hominibus, postquam peccatum illud deletum fuit; & vulgo respondent, ut virtuti nostræ exercitationis campus præbeatur, quæ alioquin nullum haberet hostem, quem oppugnaret, nullam difficultatem, quam superaret, ideoque nullam occasionem sibimet vim inferendi, ad cœlum, æternamque felicitatem promerendam, quandoquidem post primi parentis peccatum Cœlum nobis nonnisi tamquam merces, ac præmium promissum est. Cæterum cum hic inordinatus amor nostri indesinenter salutem nostram in discrimen adducat, hoc in sermone hæc duo vobis ostendam 1. Nobis justissimam esse causam metuendi domestici hujus inimici, cavendi ne ab illo fallamur, & quomodo ea evitare possumus mala, quæ nobis potest inferre. 2. Bona, quæ inde acquirere possumus.

1. Ut videamus rationes, propter quas inimicum adeo periculosum metuere debemus; eique minime adhibere fidem, sufficit inimici hujus qualitates ad examen vocare. Interior est, domesticus est; dominus est quodammodo arcis, quam obsidet; sibi devinctas habet creaturas omnes, omniaque exteriora objecta; plurimos habet dolos, & fraudes, quibus diligentissimam etiam fallat vigilantiam, secretam sovit cum ipsis animæ nostræ facultatibus conjurationem, quæ solæ ipsum reprimere possunt; ac tandem nos undique aggreditur.

2. Bona, quæ inde acquirere possumus, probantur, quia in singula momenta occasionem tribuit afferendæ, atque testandæ nostræ erga Deum fidelitatis, semper virtutibus, & meritis proficiendi, acquirendi conscientiæ requiem, & pacem victoriis, quas reportamus, ac denique coronas coronis pro cœlesti gloria quotidie accumulandi.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque unde hauriri queat rerum copia ad has concionum structuras exornandas.

Sanctus Augustinus *lib. de substantia amoris* ostendit, amorem instar fluminis esse sese in duos fluvios dividentis, quorum alter charitatem, alter cupiditatem, vel amorem proprium constituit. Sancti Patres.

Idem *l.* 14. *de Civit. c.* 28. elegantem instituit allegoriam, qua sub Jerosolymæ, ac Babylonis nomine de duplici amoris genere loquitur, quorum alterum bonum est, amor videlicet Dei, alterum malum, hoc est amor sui inordinatus.

Idem *tract.* 123. *in Joann.* hæc S. Pauli explicans verba: *Erunt homines seipsos amantes*, ostendit omnia vitia, de quibus illic Apostolus loquitur, ex hac amoris proprii origine fuisse profecta.

Idem in Psalmum 122. qui incipit, *Ad te levavi oculos meos* ostendit illum vere placere Deo, qui displicet sibi.

Idem, vel quicumque auctor est libri *de Spiritu, & Anima* ostendit ex amore sui rite, vel secus instituto, virtutes, & vitia procedere.

Sanctus Bernardus *Serm.* 3. *de Resurect. Domin.* acriter invehitur adversus propriam voluntatem, quæ idem est, ac amor proprius, vel saltem ejusdem effectus.

Granatensis passim de amore proprio verba facit; in Peccatorum Duce, l. 2. c. 6. ubi ostendit peccata omnia ex D. Thomæ sententia originem ab amore proprio duxisse: in Memoriali lib. 7. cap. 5. ubi ostendit, amorem proprium potissimum esse obstaculum ad Deum diligendum, atque in Tractatu de Amore Dei cap. 3. ubi docet primam divini amoris acquirendi rationem esse amoris proprii victoriam. Ascetici aliique.

Alvares de Paz Tomo 2. egregium, prolixumque tractatum habet de Amoris proprii mortificatione.

Thaulerus *Conc.* 2. *de Sanctiss. Sacram.* ostendit fieri non posse, ut cor Deo adhæreat, nisi amore proprio vacuum fuerit.

Julius Fatius. *De mortif. Considerat.* 5.

Drexellius, *in recta intent. l.* 2. *c.* 6.

Nicolaus Lancinius Opusc. 10. c. 17.

Ber-

Bernardinus Rosignuolius *de Discip. Christ. Perfectione*.

Thomas Stapletonus *Conc.* 10. *in Dominic.* 1. *Quadrag.*

Raynerius de Pisis. Titulo, *Amor generalis*.

P. Senault *in usu Passionum* parte secunda, sermone secundo, ubi de pravo Amoris usu loquitur, & sermone quinto, ubi de usu Odii verba facit.

Idem in *Homine Criminoso* 5. Sermone, ubi de Concupiscentiæ natura loquitur, ostendit mala, quæ amor proprius gignit, & Sermone 7. probat amorem proprium non aliud esse, quam ipsam concupiscentiam.

P. Saint Jure in lib. cui titulus *Homo Religiosus* cap. 8. ubi verba facit de annihilatione sui ipsius, fusius loquitur de amore proprio.

P. Camaret libro, qui inscribitur, *Purus atque Perfectus Christianismus* obstaculo 4. ad Domini nostri imitationem hoc argumentum funditus pertractavit.

In libro cui titulus *Les Essais de morale* Tomo 3. Tractatus secundus circa Charitatem, & amorem proprium versatur.

P. Guillore lib. 2. ubi agit de viis, quæ ducunt ad Deum, axiomate quarto loquitur de sui destructione; quod de amoris proprii eversione intelligendum est.

P. Du Sault Tomo secundo Operum Spiritualium, Tractatu, cui titulus *Spiritualis institutio* Considerat. 11. & 12. loquitur de amore sui ipsius.

Pean Tomo tertio Spiritualium sermonum, unum habet de amoris Proprii, & alium de propriæ voluntatis mortificatione.

Liber, cui titulus Ars cognoscendi seipsum, peculiariter de amore proprio agit, qui prohibet, ne quis seipsum bene norit.

Ex concionatoribus inveni neminem præter auctorem sermonum in omnia Moralis Christianæ argumenta, qui hac de re sermonem instituit sub titulo *l'Esprit d'Interet*. Invenitur autem tomo secundo Argumentorum particularium.

Qui collectanea ediderunt.

Granatensis in *locis Communibus*)
Labata *in Thesauro*)
Lohner Titulo) *Amor Proprius*.
Spaner *Polianthea Sacra*)
Busæus *in Panario*)

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & Bibliorum applicationes huic argumento.

Sensus & cogitatio hominis, ad malum prona sunt ab adolescentia sua. Genes. 8.

Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Psalm. 13.

Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Proverb. 16.

Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Psalm. 10.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. Matth. 16.

Si quis venit ad me, & non odit ..... animam suam non potest meus esse Discipulus. Luc. 14.

Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. 1. ad Corinth. 10.

Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis. Ibidem.

Charitas non quærit quæ sua sunt 1. ad Corinth. 13.

Non quæro quæ vestra sunt, sed vos. 2. ad Corinth. 12.

Omnes quæ sua sunt quærunt. Ad Philipp. 2.

Ego non quæro gloriam meam: est qui quærat & judicet. Joann. 8.

Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Joann. 12.

In novissimis diebus erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, &c. 2. ad Timoth. 3.

Veteris, Novique Testamenti Exempla in hoc argumento.

Per amorem proprium parens hominum in Creatorem suum peccavit.

De Fide est, originale peccatum malorum omnium fontem esse, atque principium: sed si recte perpenderimus cujus naturæ fuerit primum illud peccatum, cujus omnes homines pœnas luunt, innotescet fuisse amorem proprium primi parentis, qui explicito Dei præcepto suam prætulit voluptatem, maluitque suam explere cupiditatem, qua se Deo similem futurum opinabatur boni, ac mali scientiam acquirens juxta suæ conjugis votum, quam Deo illam, quam debebat, suæ mentis, atque animi submissionem, obedientiam, honoremque præstare.

Quid amor proprius fecerit in Cain.

Qui omnia recensere vellet exempla amoris proprii, qui in filiis Adæ primus est peccati originalis effectus, omnia illi recensenda essent flagitia, quæ post primi parentis lapsum in mundo extitere; singula enim inde orta sunt, atque ejusdem amoris proprii sunt effectus. Sufficit autem exemplum afferre Cain, quod primum est, & gravissimum inter ea, quorum Biblia meminerunt. Cain, & Abel Deo offerebant sacrificia, ut honorem, & cultum, qui Creatori debebatur præstarent, sed natu major in ipsis etiam Mundi primordiis ostendit, in oblationibus suis potiorem, melioremque partem amorem proprium sibi vindicare, quam amorem, & gratitudinem, quam supremo rerum omnium Domino debebat. Nam Abel offerente quidquid optimum habebat in grege, Cain e contra cum facere non posset, quin observantiæ suæ quædam præberet testimonia, sibi reservatis iis omnibus, quæ optima existimabantur, Deo illa offerebat, quæ tabida, & macie, senioque erant confecta; ex eo usque tempore ostendens proprii amoris ingenium in iis, qui mundo, vanitati, ac libidini suæ eamactant, quæcumque sibi in bonis, filiis, cæterisque rebus charissima sunt, Deo vero id offerunt, quod nequius, ac majoribus defectibus scatet, & quorum jactura ne minimam quidem ipsis sollicitudinem affert. Hoc autem in causa est, ut Deus in illos, ut in Cain, animadvertat, nullam munerum eorumdem rationem habens, cum interim accepta illa habeat, quæ sincero, & vero amore offeruntur, & in quibus Dei, tantum gloria, & cultus respicitur. Sed quinam sunt, ut plurimum inordinati hujus amoris effectus? Invidia, zelotypia, ira, quæ sæpe sævam ultionem parit, quemadmodum in Cain reproborum antesignano constat evenisse.

Discrimen proprii, verique amoris in affectione qua Isaac, & Rebecca prosequebantur Esau, & Jacob communes suos filios.

Videtur autem Scriptura eo in amore, quo Patriarcha Isaac, & Rebecca prosequebantur, alter quidem Esau, altera vero Jacob filios suos, proprii, sincerique amoris indigitare voluisse discrimen. Hæc sunt sacri Textus verba Gen. 25. *Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur*, & paulo post: *Rebecca diligebat Jacob*, quin hunc amorem, vel ad ipsam diligentem referat, vel ad lætitiam, quam ex hoc filio tam mitis, ac suavis ingenii capiebat. Affectus Isaac erga Esau ferebatur; sed non modicam sibi vendicabat partem ratio utilitatis, vescebatur ejus ferina; & voluptas, quam inde percipiebat, causa erat, ut non paucos filii defectus contemneret, qui naturalem patris dilectionem erga hunc primogenitum, quem familiæ principem constituturus erat, potuissent imminuere. Rebecca e contra maxima charitate Jacob complectebatur; sed amor proprius, quemadmodum eruditus quidam interpres animadvertit, nullam hujus affectionis particulam usurpaverat, quæ quidem magis mystica videbatur, quam naturalis, quippe ab ejusdem naturæ Auctore inspirata, ut illud expleretur, quod ipse de Jacob proposuerat.

Amoris proprii exempla in Saule, & Absalon.

Alia etiam suppetunt in Scripturis exempla melius adhuc distincta impotentiæ, injustitiæ, amoris proprii, non secus ac officiorum in omne obsequium se se demittentium, in Saule, & Absalon. Cum enim Saul ex Samuele didicisset se a Domino abjectum fuisse, a quo, si summa fide imperata fecisset, regia dignitas in familia sua servata fuisset; Saul inquam dolorem aliquem testatus est ob peccatum suum, at non

vero

vero pœnitentiæ sensu, sed amoris proprii affectu conturbatus est. Eo enim tempore, quo sceleris magnitudinem cogitare debebat, in id unum incubuit, ut Samuelem oraret, ut eumdem, quem antea consueverat, sibi honorem adhiberet, eamdemque observantiam, ne sua in populo existimatio jacturam pateretur, & alia regni decora, quoad viveret, tueretur.

Aliud quoque exemplum, unde liquido patet amorem proprium imitari, vel potius personam charitatis gerere, in Absalone deprehenditur, qui blandis, officiosisque verbis excipiebat populum, eosque omnes, quibus aliqua apud Regem erat controversia, pollicitus se illis suffragaturum auctoritate sua; hac arte illos ad defectionem sollicitare studens atque in suas partes allicere, ut eorum opera ad regnum occupandum, ac Patrem de solio deturbandum uteretur. Amor proprius, qui crudelem hanc illi ambitionem immisit, nullas fraudes, nullosque prætermisit dolos, ut voti damnaretur. Neque arduum fuit cor filii nequam in hanc mentem injicere; sed huic omnia suggessit consilia, ac omnes artes ad populi animos in eamdem nequitiam impellendos.

Exempli integerrimi Amoris in persona David.

Quemadmodum amor Dei, & Proximi amori proprio tamquam ex diametro opponitur, non desunt illustria in Bibliis eorum virorum exempla, qui aliis bona vel procurantes, vel cupientes, quin ibi suam spectarent utilitatem, Deum tantummodo, vel illos de quibus bene mereri conabantur, respexere. Inter hos David est recensendus, qui cum vidisset exterminatorem Angelum, plurima hominum millia interficientem, atque urbes, agrosque vastantem, in pœnam vanitatis ejus, propter quam scire voluerat numerum eorum, quos suæ adscribere militiæ, & vires, quas hostibus suis opponere potuisset, si forte ingruisset bellum, pati non potuit, ut alii præter se peccati sui pœnas luerent acerbissimas. Ideo ad Dominum conversus clamavit 2. Reg. 24. *Ego Domine, sum qui peccavi, ego inique egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Ita Esther, & Mardochæus sese mortis periculo objecerunt, ut Judæorum populum salvum facerent, & in Novo Testamento S. Paulus nihil frequentius memorat, quam ea mala, quæ passus est, quin aliud spectaret, quam Dei cultum, & salutem eorum, pro quibus libenti, ac generoso animo sese in tot discrimina adduxerat. Alii etiam Apostoli, Sanctique Martyres, aliique quamplurimi sese integerrimæ charitatis exemplo pro suorum proximorum salute devoverunt.

J. C. in mundum venit, ut proprium amorem everteret.

In Lege nova Dei Filius, qui ejusdem auctor est, & qui ad eam constituendam Charitatem pro fundamento jecit; Dei Filius, inquam, in Mundum venisse ad id unum videtur, ut amorem proprium absolutum ibidem exercentem per tot sæcula imperium everteret. Ideo ille palam edixit, opus esse, ut quicumque eum sequi, atque in Discipulorum suorum albo vellet adscribi, seipsum abneget, hoc est inordinatum sui amorem abjiciat, atque in sanctum odium convertat. Profecto quid dicto, vel facto intentatum reliquit, ut hunc tyrannum prorsus everteret? Ipse amavit homines ea dilectione, qua non alia vel major, vel perfectior excogitari potest, ac ea dilectio illum coegit omnia pro hominum salute & facere, & pati, quam omnium cogitationum suarum objectum, laborum finem, & mortis fructum sibi proposuerat; ita ut cum Deus sese integerrimi amoris proposuerit exemplum; nobis bigis, atque quadrigis adnitendum est, ut in nobismetipsis hunc evertamus amorem proprium, qui inimicus est amoris, quo Deum ipsum debemus diligere.

Amor proprius in Sanctissimorum virorum votis, & factis nonnumquam occurrit; cumque videmus in Principe Apostolorum, qui præ cæteris Domini Discipulis charitate flagrabat. Namque in Transfigurationis Mysterio, cujus eum J.C. testem esse voluit, summo perfusus gaudio, quod exiguam gloriæ particulam ex beatissima Salvatoris anima in corpus ejusdem adhuc mortale resilire intuebatur, totus illi vacabat felicitati, qua perfruebatur, quin animum ad eos labores, atque ærumnas adverteret, per quas sibi aliisque stabilis æternaque gloriæ possessio erat acquirenda. Quamobrem jure addit Evangelium, ipsum ignorasse, quid diceret; sui enim amor, ac præsens, qua gaudebat, felicitas effecerant, ut oblitus esset illius conditionis, qua proposita Dei Filius illum ad Apostolatum evocaverat.

Neque minus Apostoli ipsi etiam Jesu Christi Cognati hoc amoris proprii veneno caruerunt; in Evangelio quippe legimus, illos videntes mira prodigia, quæ Salvator operabatur, atque ægre ferentes, adeo insignes actiones inter privatos parietes ignotas, occultasque delitescere, illum urgebant, ut sese proderet, ac majorem in lucem tot egregie facta proferret, An quæso, hujus Divini Hominis illi gloriam spectabant, atque cupiebant? Haud ita sane, D. Chrysostomus inquit; sed ipsi etiam proprio urgebantur amore, ut has illi exprobrarent latebras, minime dubitantes futurum ut gloriæ, quam inde ille consecuturus erat, radius in ipsos etiam reflecteretur, & nominis celebritas, quam in terris erat comparaturus, eorum quoque existimationi prodesset. Amor proprius effecit ut J. C. cognati illum urgerent, ut sese proderet.

Ita Scribæ, & Pharisæi si quid ipsis faciendum esset, amorem proprium tantummodo consulebant, & suam quærebant utilitatem, licet inde & conscientia, & Deus detrimentum pateretur. Hoc autem præsertim in celeberrimo illo enituit consilio, quod habitum fuit, ut ratio quæreretur tenebras offundendi Miraculis JESU CHRISTI, & prohibendi, ne populus, a quo tamquam Propheta habebatur, illum tanto studio sequeretur. Unica odii ratio, quo eumdem persequebantur, erat amor sui, ac metus, ne suam existimationem amitterent prout novi hujus Prophetæ fama invalescebat; & color, quo sunt usi, ut odium suum celarent, fuit commentitius ille timor, ne Romani gentem ipsorum internecione delerent.

Quorumdam Scripturæ Locorum ad hoc argumentum applicationes.

Ejice ancillam, & filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Gen. 21. Sancti Patres, vitæque spiritalis magistri duplicem nobis detegunt amorem, utrumque in duobus Abrahæ filiis expressum Ismaele, & Isaac. Ismael quidem filius erat ancillæ Agar, Isaac vero Dominæ Saræ; ille major, hic minor natu, quæ sunt per allegoriam dicta, ex D. Pauli Sententia. Quod autem hic generatim explicat de duobus Testamentis: de Lege scripta, vel Naturali, & Lege Gratiæ, atque Charitatis, id SS. Patres peculiariter nostro applicant argumento. Hi duo sunt amores nostri, amor videlicet proprius, & ordinatus amor sui, qui a Dei, & Proximi Charitate non differt. Amor proprius ex originali concupiscentia ortus est: *Secundum carnem natus fuerat*, ad Galat. 4. peccato videlicet corruptam, & hic est filius ancillæ. Amor vero sui ordinatus, & Amori divino conformis, ex recta, ordinataque charitate proficiscitur: *secundum repromissionem*; Hic est filius gratiæ e servitute peccati erutus, & natu minor. Sed quemadmodum tunc Isaac, qui natus erat secundum spiritum, gratiæ, & repromissionis filium, addit S. Paulus, Ismael filius ancillæ persequebatur: hoc hodie quoque accidit: hic amor proprius ex concupiscentia natus, peccati filius, persequitur filium gratiæ, ex divina genitum charitate, quæ quidem est amor nostri ordinatus, secundum Deum, non autem secundum carnem, & sanguinem natus. At quid inquit Scriptura ad Galat. 4. Quid Abrahæ imperatum fuit? *Ejice ancillam, & filium ejus* &c. ut videlicet ancillam, ejusque filium ejiceret; non enim ancillæ filius hæres erit cum filio liberæ. Hoc autem mysterium in nobis adimplendum est; hæc S. Pauli conclusio; procul a nobis ejiciendus est hic amor proprius, cum originali concupiscentia, quæ in nobis remanet post acceptam Baptismatis gratiam, cujus vi non sumus amplius filii naturæ corruptæ, neque servi peccati. Allusio ad quamdam Historiæ sanctæ locum, comparatio Ismaelis & amoris proprii.

Amor proprius per Ismaelem repræsentatus, allusio altera.

Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum. Genes. 16. Hæc de Ismaele dicit Scriptura, qui amoris proprii figura est. Hic Ismael secundum Angeli prædictionem factus est magnus, & potens in mundo, neque cessavit unquam quin fratres suos persequeretur. Hæc quidem, uti dictum est, figura est amoris proprii, de quo, uti de Ismaele dici potest, in omnes fratres suos insurgere, & numquam ab iis exagitandis cessare: verum enim est, hunc amorem proprium liberi arbitrii nostri, nostræque concupiscentiæ filium, semper adversari amori & Dei, & Proximi, & charitati, quam nos nobismetipsis debemus, cæterisque aliis virtutibus acquisitis, cunctisque bonis operibus, quæ sunt tamquam, gratiæ, liberique arbitrii nostri productiones, & filii: sed opus est, ut verus amor amori proprio resistat, eique jugiter reluctetur. *Dure accepit hoc Abraham*, Gen. 21. Naturalis affectio, qua Abraham Ismaelem filium suum prosequebatur, effecit, ut ipsi grave nimis, ac onerosum videretur imperium illud, quo a Deo filium ejicere jussus fuit, nihilo tamen serius imperata fecit. Ita Cor humanum ægre proprium amorem convellere nititur; sed vim sibi inferat oportet ut id aggrediatur: gratia illum nihilominus cogit. *Non tibi videatur asperum: omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus*. Genes. 21. Gratia, charitas divina dominetur oportet, non concupiscentia, & natura per peccatum corrupta, cujus illa durissimam subiit servitutem.

Non veni pacem mittere, sed gladium. Matth. 10. Gladius hic, Sanct. Paulus ad Hebr. 4. ait, pertingit *usque ad divisionem animæ* ad separationem, & abscissionem rerum omnium, quibus anima nostra hærere non potest: aufert amori proprio quidquid illi satisfacere potest, eique bellum infert, tamquam bonorum omnium inimico: *Inimici hominis domestici ejus*. Matth. 10. Quomodo inimicus excipitur? quam male habetur! Eorum, quæ vult, vel nihil vel minus, quam fieri potest illi conceditur. Ita cum nobismetipsis agendum. Amori proprio ea neganda omnia sunt, quæ negari possunt; hic infestissimus hostis est, illi, & quæcumque possumus, sunt auferenda, nihil permittendum, & si fieri potest in singulas horas, immo in singula momenta victoria aliqua ex eo reportanda, & referendæ manubiæ.

Demum crux ferenda est, ut amor proprius vincatur.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam &c. Matth. 16. Ut amor proprius vincatur, illius oppositum, hoc est, Dei amor illi objiciendum est. Heu quam libenter calamitosus ille amor proprius mundi, ac dæmonis cruces gestabit, in illis gloriabitur, has levissimas putabit; idque cum animæ, salutisque nostræ detrimento; propter turpe aliquod lucellum, propter exiguam, pudendamque utilitatem, propter commentitium honorem; renuet autem subire crucem JESU CHRISTI, nos vero obmurmurationibus, & querimoniis aures præbebimus, eique molli, effeminataque indulgentia parcebimus.

Amor proprius idolum est, quod omnes adorant.

Quorum Deus venter est. Ad Philipp. 3. Si nosmetipsos sedulo inspexerimus, propriumque amorem diligentius exploraverimus, minime dubitabimus de infinito eorum numero, a quibus in terris colitur, quoniam *Nosmet* fallax est objectum, quod ab omnibus adamatur, idolum est, quod adoratur ab omnibus, & adorandum esse censetur. Hoc S. Augustinus lib. de vera Relig. c. 69. docet, ubi illos irridet, qui nihil adorare volebant, & nihil etiam adorandum esse putabant. *His rebus, quibus quisque beatus vult effici, serviat, necesse est, velit, nolit*. Suimetipsorum idololatræ sunt, earumque rerum, quas amant, cultores: nemo enim velle potest absolute beatitudinem suam in rei alicujus possessione statuere, quin illius necessario sit famulus, & adorator. Innuit autem Doctor ille, intra nosmetipsos idolum proprium delitescere, videlicet *nosmet*, quod amamus; & præterea quidquid creatum extra nosmetipsos amamus, hoc etiam nobis esse idolum. Hæc si vera sunt, nonne Mundus idolis refertissimus est? At si omnes, illi saltem, quibus mundi spiritus inest, tenent, ipsos semet diligere posse, atque inhumanitatem esse seipsos non amare; nonne hæc universalis quædam est conjuratio, qua & idololatria fovetur, & contenditur, ut creatura qualibet, quam dilectione prosequimur, sit verum idolum? Quemadmodum enim putamus nobis adesse jus nosmetipsos diligendi, credimus etiam jure amare posse creaturas, quas nonnisi propter nosmetipsos amare possumus, quin illas in tot idola immutemus.

Disperdam habitatorem de campo Idoli. Amos 1. Campus hic Mundus est: idolum creaturæ omnes, quæ ibi amantur. Dei vero filius legem constituens, qua nosmetipsos abdicare jubemur, nullum in mundo reliquit idolum, quia idolum amoris proprii nequit everti, quin idolum amoris Mundi evertatur; & fieri non potest, ut si *Nosmet*, quod primum est idolum, fuerit eversum, illum aliud supersit; cum primum illud sit tamquam cæterorum principium; hoc est cum fieri nequeat ut in mundo aliquid diligamus, nisi nosmet dilexerimus; cum nostrummetipsorum amor sit causa omnis amoris, quo & mundum, & quæcumque creata diligimus.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum in hoc argumento.

D*Uo amores, alter bonus, alter malus, alter dulcis, alter amarus, non se simul in uno capiunt peccatore; & ideo si quis præter te aliud diligit, non est charitas tua, Deus, in eo*. S. Augustinus, in Meditationibus.

Sic condita est mens humana, ut numquam sui non meminerit, numquam se non intelligat, numquam se non diligat. Idem, de Trinit. cap. 14.

Magna sane ac mira sententia quemadmodum sit hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat: Si male amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti. Noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Idem, tract. 51. in Joann.

Disce amare te, non amando te. Idem.

Prima hominis perditio fuit amor sui. Idem, Serm. 47. in c. 7. Matth.

Si totum hominis bonum est amare Deum, totum hominis malum erit amare seipsum. Idem cap. 26. Manual.

Fecerunt civitates duas amores duo; terrenam scilicet, amor sui usque ad contemptum Dei; cælestem vero, amor Dei usque ad contemptum sui: illa in seipsa, hæc in Domino gloriatur. Idem, lib. 14. de Civit. c. 28.

Nescio quo inexplicabili modo, quisquis seipsum, non Deum amat, non se amat; & quisquis Deum, non seipsum amat, ipse se amat. Idem, tract. 123. in Joann.

Vitium illud (amor sui) *maxime cavendum, a quo tanta mala procedunt*. Idem, ibidem.

Fieri non potest, ut seipsum, qui Deum diligit, non diligat; imo vero solus se novit diligere qui Deum diligit: siquidem ille satis se diligit, qui sedulo agit, ut summo & vero perfruatur bono. Idem, l. de moribus Eccles. c. 26.

Anima, per odium mundi & sui, proficit in amorem Dei & proximi. Idem, sive quis alius Auctor, lib. de spiritu & anima.

Majus est contemnere seipsum, quam mundum, quem multi propter vanitatem contempserunt. Idem, ibidem.

Tibi Deus placere non poterit, nisi tu tibi displicueris. Idem, in Psalm. 122.

Cum recte diligimus, nihil in rebus conditis, anima nostra carius amamus. Gregor. l. 3. Moral. in Job 11.

Sci-

Scimus quia vehementer claudit oculum cordis, amor privatus. Idem, Homil. 4. in Ezechiel.

Fortasse laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semetipsum: minus quippe est abnegare quod habet, valde autem multum est abnegare quod est. Idem, Homil. 32. in Evang.

Tanto amplius se quisque amat, quanto amplius se pro Dei amore non amat. S. Leo.

Quam difficile reperiuntur qui ordinato amore velint diligere se! Nemo certe diligit se, qui Dei mandata negligit, qui ipsius voluntatem implere non satagit. Laurent. Justinian. de Discipl. Monast. cap. 22.

Ille profecto sanctus est, qui voluntati propriæ renunciavit. Joannes Climacus.

Fuge sanguisugam hanc, & omnia reliquisti: hæc enim omnia trahit ad se: pone hanc, & jugum quam multiplex abjecisti. S. Bernard. Serm. 71. in Cantic.

Stipendium amoris proprii mors est; initium omnis mali. S. Basilius.

Scito quod amor tui ipsius magis nocet tibi, quam aliqua res mundi. Ex lib. de Imitat. Christi, l. 3. cap. 27.

Ex hoc vitio, quod homo seipsum nimis inordinate diligit pene totum pendet, quidquid radicaliter vincendum est; quo devicto & subacto, pax magna & tranquillitas erit continua. Idem, l. 3. c. 53.

Melior & sanctior nostri amor locum in nobis accipiat; nec enim fuerit quo intret ad te amor Dei, nisi exulet amor tui. Idem, l. 3. c. 5.

Non se diligendo magis diligit, qui propterea non se diligit, ut eum diligat, de quo vivit. S. August. Serm. de S. Laurentio.

Habent parvuli originale peccatum, non per animam, sed per carnem utique contractum, animæque refusum: carni namque ita unitur anima, ut cum carne sit una persona. Idem, l. 6. contra Julianum.

Concupiscentia seu libido, nihil est aliud quam rei creatæ desiderium, cujus impetus mortiferos, anima ante gratiam patitur, invita compellitur pati post gratiam. Idem.

Concupiscentia nato quidem inest, & obest; renato autem inest quidem: sed obesse non potest. Idem, l. 2. de Gratia & Peccato, c. 38.

Peccatum vocatur (scil. concupiscentia) *quod & peccato facta est, & quod peccatum, si vicerit, facit.* Idem, l. 1. ad Bonifac. c. 23.

Admodum legitime factum est, ut homo, qui noluit obedire Domino suo, non ei serviret caro ejus. Supra te Dominus tuus, infra te caro tua; servi meliori, ut serviat tibi inferior: contempsisti superiorem; torqueris ab inferiore. Beda, in Epist. ad Rom. cap. 8.

Hoc peccati nomine appellas, unde oriuntur cuncta peccata; id est ex carnali concupiscentia: quidquid enim est peccatorum, in dictis & cogitationibus, in factis, non exoritur nisi ex mala cupiditate. Idem, ibidem.

Lex peccati dicitur concupiscentia, quia suadet peccata, atque ut ita dixerim, jubet. August. l. 1. Operis imperfecti.

Nonne hinc apparet, in quod velut pondere suo, proclivis & prona sit vitiosa natura? August. l. 22. de Civit. c. 22.

Voluntatem dico propriam, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus. Bernardus, Serm. 3. de Resurrect.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia ad hoc argumentum depromi valeat.

Amoris proprii notio, & definitio.

AMor proprius, generatim loquendo non aliud est, quam naturale studium voluntatis, quo rapimur ad id inquirendum, quod nobis utile commodumque fere censemus; quamobrem amor concupiscentiæ vocatur, ut distinguatur ab amore amicitiæ, quo bonum aliquod cupimus, non propter nos quatenus nobis est utile, sed quatenus utile est alteri cuipiam, quem benevolentia complectimur.

Duplex amoris proprii species, altera proba, altera improba.

Ne quid in hoc argumento confundatur, duplex distinguendum est amoris proprii genus, quorum alterum rationi conforme, justum est, & rectum, charitas videlicet, quam nobismetipsis debemus; iniquum alterum, cum nosmet inordinate diligimus, atque in id unum incumbimus, ut per fas, & nefas cupiditatibus nostris satisfaciamus. Hoc in sensu amor sui plerumque usurpatur, licet generatim in utramque partem accipi queat. Amor sui ordinatus, & conformis Legi Dei naturali præcepto jubetur, quod JESUS CHRISTUS supposuisse videtur præcipiens, ut Proximum tamquam nosmetipsos diligeremus: inde enim sequitur, nos posse, immo debere rationabili amore nos prosequi; quandoquidem illius amoris, quo Proximus diligendus est, illum statuit tamquam exemplar, ac normam. Neque mireris, quod Deus nullum explicite præceptum irrogaverit amoris hujus æqui, ac rationabilis, quem nobismetipsis debemus vel in veteri, vel in nova lege; cum quippe satis docet lex naturalis; verum necesse fuit prohibere nimium ejusdem amoris effectum; quod enim ad principium ejusdem attinet, nobiscum natum est, & naturæ nostræ quodammodo insitum.

Hinc sequitur, quemadmodum Fides, Theologia, & experientia nos docent, hunc amorem proprium, quatenus in malum, ac sensibilia bona nos rapit, esse in omnibus hominibus generatim, quin aliquis, una excepta Dei Matre, quantumvis sanctitate, & gratia floruerit, eodem immunis in hac vita fuerit, vel sit; hic enim est originalis peccati effectus, qui omnem naturam humanam corrupit atque perturbavit: (*in quo omnes peccaverunt*, Sanctus Paulus inquit) & hujus peccati effectus adhuc permanet in nobis post Baptismum. Hinc inferendum est quemlibet hominem in omni, & toto eo quod est, esse corruptum, animam cum omnibus facultatibus suis, corpus cum sensibus omnibus esse perturbatum, ac totum hominem jacturam fecisse rectitudinis ejus, qua originalem justitiam servare poterat, & illius facilitatis, qua ad Deum omnibus factis, votis, & cogitationibus poterat evehi. Ita amor, quo seipsum prosequitur, non solum permanet semper, sed in illo radices jecit, ac sese tamquam virus effudit in omnem animam, & corporis, & ipsam etiam illius essentiam pervasit, cum nulla sit actio vel animæ vel corporis, vel interior, vel exterior erga Deum, erga nos, erga Proximum nostrum, erga quamlibet creaturam, ubi amor proprius sese non immisceat, ac suum venenum inspergat.

Amor proprius non aliud est, quam concupiscentia.

Quamvis Theologi concupiscentiæ tot affinxerint nomina, quot peccatorum est causa, & quilibet illam exhibeat prout vel in aliis deprehendit, vel in seipso experitur, in hoc tamen omnes consentiunt, inter omnia illius nomina hoc amoris proprii esse præstantissimum, ac præ cæteris melius ejusdem naturam exprimere. Quemadmodum enim Charitas virtutes omnes complectitur, ita amor proprius omnia vitia comprehendit; quemadmodum Charitas nos Deo conjungit, ac nos a nobismetipsis divellit, amor proprius, illius inimicus nos a Deo separat, ac nobismetipsis adnectit, quemadmodum denique Charitatis nihil antiquius est, quam Deum amare, & ut ab omnibus ametur, efficere; amor proprius non violentius in homine gignit desiderium, quam ut seipsum diligat, efficiatque ut ametur ab omnibus, & omnes illius cupiditatibus velificentur.

Voluntas nostra cum propter libertatem, & imperandi facultatem sibi a Deo concessam, sit tamquam omnium facultatum nostrorum motrix, & quidquid in nobis est ab illa, ejusque mandatis pendeat, illius error pro amoris proprii errore sæpe desumi-

sumitur: & profecto quidquid amori proprio tribuitur, reciproce tribui potest propriæ voluntati, uterque eadem mala parit, eosdem gignit effectus; ideoque Sancti Patres, atque Theologi passim utrumque confundunt, ut dictum est, ita ut, vel unum, & idem sunt, vel alterum ex alterius motu operatur, & utrumque eadem cura regere oportet.

Amor proprius tanta calliditate seipsum tegit, ut vix deprehendi possit.

Inde autem fit, ut amor proprius perniciosissimus sit inimicus noster, quod licet in nobis sit, atque, ut ita dicam, nobis medullitus inhæreat, tamen adeo occultus, & abditus est, tam callide, atque subdole se ipsum tegit, ut oculos nostros fallat, & summa cum difficultate deprehendatur, primum enim, quod animæ infert malum, cæcitas est, ne videat artes, quibus utitur, ut eo, quo contendit, perveniat, ita ut sine peculiari Dei gratia, atque lumine speciali, illum anima detegere nequeat tunc etiam, cum agit ex illius consilio, ejusque sequitur motus. Quæ cum ita sint, illa nequaquam omnes suas exerit vires, ut, quem non novit, evertat; immo sæpe illum virtutem esse putans, fovet, & nutrit.

Quamvis amor proprius omnino charitati adversetur, vel potius illius sit apertissimus hostis, nihil tamen adeo charitatis effectus imitatur, quam effectus amoris proprii; ita enim eadem insistit via, ut illa, in quam charitas nos impellere debet, melius nequeat intelligi, quam si illa videatur, quam amor proprius suam quærens utilitatem, atque ad finem, quem sibi proposuit contendens amplectitur. Bonum cupit, odit malum; quærit, capitque consilia, quibus illo quidem fruatur, hoc autem effugiat; zelum furoremque suum testatur, ut propositum sibi finem assequatur, numquam fatigatur, bonum a malo scite discernit, & electio consiliorum, quibus utitur, satis ostendit, eidem scientiam, atque prudentiam non deesse. Totum ergo inter utrumque discrimen positum est in causa, & fine, quæ ex duabus actionibus, quæ eædem prorsus videntur, alteram vitium, alteram virtutem constituit; exempli gratia; charitas alienis subvenit necessitatibus propter Deum, qui jubet beneficiis suis nos referre gratias proximo ferentes opem: similiter illis amor proprius opitulatur propriam spectans utilitatem: quæ actionum conformitas? Certe dici potest, nulla esse bona opera, quæ nobis suadet charitas Deo placere studeas, quæ ipse amor proprius suadere minime possit; ut hominibus placeamus. Itaque unus est acutus, & perspicax oculus Dei, qui exteriori non afficitur specie, sed judicat de intentione, & qui bonum a malo, & a vitio virtutem discernit.

Unde amoris proprii error proveniat, & in quo consistat.

Deus unus, qui universa creavit; cum rebus omnibus tribuerit essentiam; illas extra se produxit, tamquam eorum principium, & propter se, tamquam eorum ultimum finem: *universa propter se operatus est Dominus*. Ita in innocentiæ, & rectitudinis statu, in quo a Deo creatus fuerat homo, quemadmodum a Deo proficiscebatur, ita recta tendebat ad Deum, ac seipsum cum omnibus facultatibus suis ad illius gloriam referebat; voluntas ipsius Deum super omnia diligebat, atque ad illam actiones, votaque omnia dirigebat. Seu comedisset, seu quievisset, seu aliud quodpiam fecisset, ita dispositus erat, ac si secundum naturæ suæ propensionem in ea rectitudine creatæ sibi in rebus omnibus proposuisset Deum tamquam finem suum, & non quæsivisset se ipsum. Peccatum vero rectum hunc ordinem subvertit, atque admirabilem hunc concentum perturbavit, ita ut homo qui cum in primo illo statu rectus esset, Deum suum super omnia diligebat, & ad supremi hujus Entis gloriam se ipsum, & omnia referebat, mox erga seipsum incurvatus se magis quam Deum, & reliqua omnia diligit, atque hujus amoris proprii vi sibi uni vacat, se unum cogitat, ac in rebus omnibus se unum perquirit.

Amor proprius est principiū omnis peccati secundum D. Thomam.

Vera, & immediata peccati causa inde repetenda est, quod cor nostrum inordinate creaturis, vel fluxo, & perituro alicui bono adhæret, idque in causa est, ut actio quælibet criminosa procedat ex inordinato boni alicujus naturalis amore, qualis est voluptas, divitiæ, honores. Hæc sunt ipsissima S. Thomæ verba 1. 2. qu. 77. art. 4. ad 5. *Inordinatus amor sui est causa omnis peccati: in amore autem sui includitur appetitus boni, unusquisque enim appetit bonum ei, quem amat, unde manifestum est, quod inordinatus appetitus boni est causa omnis peccati*. Dixerat autem superius. *Quod autem aliquis appetat inordinate aliquod temporale bonum, procedit ex hoc, quod inordinate amat seipsum: hoc enim est amare aliquem, velle ei bonum. Unde manifestum est, quod inordinatus amor sui est causa omnis peccati*.

Amor proprius quodam in sensu est, quælibet passio, quodlibet vitium, & quodlibet peccatum: est enim inordinata affectio bonorum cujuscumque generis, quæ sensus, imaginationem, appetitum, mentem, animumque illiciunt; idque contra conscientiam, quodcumque obstet interdictum, quodcumque immineat periculum lædendi Deum, & Proximum; & econtra odium est eorum omnium quæ sensibus, commodis, voluptatibusque propriis opponuntur. Desiderium est boni, quod non obtinetur, & quod cupitur, & fuga eorum omnium, quæ dolorem tædiumve in Divinæ legis observantia possunt afferre. Timor est mali, quod prævidetur, ac imminere putatur, quod æquo animo, ac libenti ferendum esset secundum Deum; ideoque simul est temeritas flocci faciens eas omnes difficultates, eosque labores, qui ferendi sunt, ut quis sibimet satisfaciat. Ira est, quæ furit in id omne, quo prohibetur, vel quod optati boni possessionem, vel differt, vel præripit. Gaudium est, quod in ejus boni possessione percipitur quod vel nefas est, vel fas tantum, si referatur ad Deum; eademque de causa tristitia est, vel dolor mali, quod quis ægre patitur, & invitus. Spes est boni; quod nos assecuturos confidimus, licet plurimæ obstent difficultates viribus nostris freti. Addi etiam potest hanc sæpius esse desperationem: sed ad extremum hoc malum non perveniri, nisi per excessum amoris, quod cupidissime persequimur, & quod obtinere non possumus. Simili inductione ostendi etiam potest, amorem proprium quodlibet esse vitium, atque peccatum; nonne enim Superbia *appetitus est excellentiæ inordinatus*; Avaritia *inordinata appetitio divitiarum*; Luxuria *delectationis carnalis appetitus*; Invidia, & zelotypia amor proprius ex alieno bono condolens: *Tristitia de bono proximi*; Gula, *cibi, & potus inordinatus appetitus*; Ira amor proprius ultionem quærens, *appetitus vindictæ*; Acidia, amor proprius quietis; *Tristitia & tædium actionum laudabilium &c.*

Amor proprius omnibus virtutibus adversatur.

Si quodlibet vitium est amor proprius, ergo quælibet virtus est amoris proprii abnegatio, contrarium enim numquam magis elucescit, quam ex contrarii sui comparatione, si alterum alteri opponatur. Igitur si cognoscitur malum, quod affert amor proprius, hoc nempe vitium universale privatione boni virtutum omnium, quas aufert, quælibet virtus spectari debet tamquam amoris proprii destructio, qui infirmatur, & aliquam quodammodo sui partem amittit, ubi vitium aliquod singillatim evertitur. Cum autem ille quocumque irrepat, atque omnibus bonis etiam operibus nostris se immisceat, & parum absit, quominus illas intentiones, quas inspirat, impuritate depravet, atque corrumpat, seu in ipso actionis primordio, seu, si non ita feliciter cesserit, in medio, vel fine, opus est, ut cujuslibet virtutis habitus corrigat, atque rectificet omnes actiones nostras ita ut omne vitium radicitus evellatur, quemadmodum amor proprius justitiam omnem convellere adnititur.

Spiritualis vitæ Magistri absolutissimam, quam anima de amore proprio victoriam reportat, sui abnegationem appellant. Neque ratio deest, cum enim inordinatus amor in anima, & corpore nostro alte adeo radices jecerit, illum impugnare non possumus, nisi omnium facultatum animæ nostræ, sensuum-

suumque omnium corporis mortificatione, neque victoriam referre, nisi postquam utraque & rationi, & Divinæ Legi subjecerimus. Ad id autem omnis auferendus est earum rerum usus, quæ Legi Dei adversantur, ac interdicenda quæcumque voluptas ex creatis objectis percipi potest; quod in Scripturis sui abnegatio, & mortificatio vocatur, & profecto mortis species est quædam, nam per hanc vim, quam sibi quisque facit, moritur vitæ sensuum, ut vitam spiritus vivat. Ita Evangelium, & Sanctus Paulus loquuntur: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*. Matth. 16. *Si facta carnis mortificaveritis, vivetis*, ad Rom. 8. Nosmetipsos deserimus, & quodammodo annihilamus, ita ut nos non simus ultra nos ipsi, amorem proprium, & corruptæ naturæ studia abdicantes.

Illud autem nos cogit, ut hunc amorem proprium mortificemus, quod non alia nobis ratio suppetit internæ pacis acquirendæ, sine qua Deum possidere non possumus. Homo in statu innocentiæ maxima tranquillitate perfruebatur, cum inferior animæ pars omnino rationi pareret; donec calamitosus ille Dei mandata perfringens repente hac caruit prærogativa: tunc enim anima illius, quæ antea suavissima hac pace perfruebatur, tumultu, & confusione fuit perturbata. Profecto æquum erat, ut quia Domino suo defecerat, concupiscentiæ suæ, in quam antea absolutum obtineat imperium, rebellionem experiretur; & qui pacem cum Deo fregerat semper ea agitatione, quam amor proprius in eodem parit, irrequietus versaretur. Sed ratio efficiendi, ut suavis hæc tranquillitas reviviscat, & felix status ille reflorescat, hæc est, ut amor proprius ita mortificetur, ut animæ nostræ pacem ulterius nequeat perturbare; cum enim illum non cohibemus, ipse dominatur nostri; econtra vero cum per mortificationem illum Divinæ legi subjicimus, efficimur domini nostrummetipsorum, atque totidem veluti Reges; quandoquidem hoc nomine Scriptura eos appellat, qui passiones, & concupiscentias suas subegere.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, Neotericisque Concionatoribus loci in hoc argumentum.

Amor proprius, qui & originali peccato nascitur fons est omnium malorum.

EX Originali peccato nascitur tyrannicum amoris proprii imperium, qui in seipsum redit, inordinata affectione se magis, quam reliqua, immo magis quam ipsum Deum diligens. S. Thomas ait, falsum hunc amorem peccatis omnibus, quæ in terris patrantur, immisceri, eorumque originem, & causam esse: quod verissimum est; nemo enim peccat, nisi ut eo, quod amat, & quod Deo, ac præceptorum ejus observantiæ anteponit, bono perfruatur. Flagitia quæcumque in mundo grassantur, mali sunt fructus ex hac mala arbore nati. Hinc fluit ingens illa sollicitudo, qua omnes homines res suas quærunt, & mira ea negligentia, qua quidquid pertinet ad Deum flocci faciunt; hinc illa facilitas ad iracundiam, ubi vel minimam suo honori labem inferri putent; cum interim parum Dei honore moveantur. Hinc adeo sunt ardentes in iis, ubi res agitur sua, & adeo ignavi in iis, quæ ad Deum pertinent; nulli unquam labores ipsis videntur difficiles, ubi aliquam sperant utilitatem, & propter Deum ne pedem proferre quidem volunt: ob minimum temporalium bonorum acquirendum omnem operam, ac nervos intendunt; at negotium illis minime facessit animæ bonorum, quæ ad immortalitatem provehunt, jactura; tantopere voluptates, & solatia depereunt; laborem, virtutemque aversantur, atque ut verbo me expediam, indesinenter laboribus exercentur, ut præsentis vitæ commoda inquirant, futuræ autem vitæ beatissimam requiem ne cogitant quidem. *Granatensis lib. 6. Memorialis Sermone de cognitione sui.*

Amoris proprii descriptio atque character.

Amor proprius est amor sui ipsius, & rerum omnium propter se; homines efficit sui idololatras; nullam extra se requiem nanciscitur, neque in externis objectis immoratur, nisi tamquam in floribus apes, ut, quod melius, exsugant. Nihil vehementius votis ipsius, nihil efficacius consiliis; ejus artes describi nequeunt, ejus transformationes, atque metamorphoses concipi minime possunt, & inviæ sunt viæ illius. Profunditas ejus nequit attingi, neque abyssorum ejus tenebræ penetrari; lyncei quoque oculi illum explorare non possunt; sibi invisibilis, concipit, nutrit, fovet, quin id sciat, plurimas affectiones, & odia, quorum quædam adeo turpia, ac monstris similia parturit, quæ ubi pepererit, ne cognoscit quidem, vel adduci nequit, ut illa cognoscat. Ex hac, qua obruitur caligine, ea proficiscuntur, quæ de se sibi ficta, & ridicula persuadet, & inde errores, ignorantiæ, & ineptiæ hac in re. Hæc tamen densa caligo, quæ illum sibimetipsi tegit, non obest, quominus perspicue ea deprehendat, quæ sunt extra ipsum, qua in se oculis nostris simillimus est, qui omnia vident, & se videre non possunt. Et sane ubi de re sua agitur, atque in iis, quæ sua maxime intersunt, ubi votorum suorum vis omnem intentionem deposcit, videt, sentit, audit, suspicatur, penetrat, omnia divinat &c. Vota ipsa ab illo potius, quam a specie, meritisque objectorum cientur; gustus ipsius pretium est, quo commendantur, & fucus, quo decorantur; denique post seipsum currit, & suam persequitur voluptatem, ubi illa sequitur, quæ ipsi placuere. Imperiosus est, & obediens; sincerus, & dissimulatus; misericors, & crudelis; variaque habet studia pro temperamentorum varietate. Inconstans est, & præter mutationes, quæ illi ab externis accidunt causis, plurimæ in ipso, & ex ipso nascuntur. In omnibus vitæ statibus, & conditionibus repetitur: ubique vivit, ex omnibus vivit, & ex nihilo; & ubi vincitur, & jam deletus existimatur, in ipso cædis suæ triumpho invenitur. *Le Duc de la Rochefoucault*.

Cogita, quam difficile sit seipsum rite cognoscere, & e contra quam facile decipi, atque nimis lene de semet judicium proferre. Quis nescit amorem proprium rebus personam inducere, & naturale studium, quo nosmetipsos plurimi faciamus, efficere, ut defectus nostros fere non videamus, virtutes vero nostras, nimis etiam, ut ita dicam, videamus? Duplex nobis pondus est, & statera duplex, altera pro peccatis, quæ pro viribus imminuimus, illa extenuantes, excusantes, & ad nihilum fere redigentes; altera pro bonis qualitatibus, quos summa animi lætitia exageramus illas sexcentis undequaque petitis coloribus linientes, ut oculis nostris perplaceant, atque infinite ultra naturalem ipsarum ideam amplificantes. Refert igitur nostra serio nosmetipsos introspicere, ne in hujusmodi illusiones prolabamur. *Liber cui titulus, Examen suimetipsius*.

Nos amor proprius excæcat.

Quæcumque ex te habere possis lumina, ubi hæc tantum non alia sequetis, periculum adest, ut vel erres, vel labaris. Amor proprius, qui nos quocumque sequitur, ubique incerta effundit lumina, quæ efficiunt ut in singulos gressus cespitemus. Modo secreta vanitas nos excæcat, & ad id adducit, quod ridiculum est, credentes id, quod magnum est aucupari; modo concupiscentia aliquid nobis exhibente sub ea specie, sub qua illud intueri gaudemus, injustitiam facimus, cum illam pati putamus. Modo agendi nimis sollicitus ardor nos præcipites in ea mala tradit, quæ facili negotio evitassemus, si lentius agere placuisset. Modo ambitio breviorem arripere viam contendens, atque efficiens, ut agamus, antequam certum consilium initum sit, eo nos trahit, quo pervenire numquam cupiebamus. *De Sacy l. 2. Tractatus de Amicitia.*

Sapientes omnes postquam hominem diligentius inspexere, intellexerunt, primum, & fortasse unicum etiam hominis studium esse amorem proprium. Quodcumque consilium capiat, quidquid dicat, vel faciat, seipsum tamquam objectum, centrumque con-

constituit, quo omnia collimare, ac referri deceat. Hic proprius amor sexcentas induit personas, ex quibus aliæ minus, aliæ magis horribiles sunt, sed sub earum varietate eamdem semper retinet potestatem. Donec ille non abjiciatur, numquam recta capi consilia poterunt; humanum cor ea ex parte vertendum est, quæ illius spectat utilitatem, si motus illius vividos esse cupis, atque diuturnos. *Idem*.

Amoris proprii illusiones.

Amor proprius, qui deceptos homines in omnibus eorum gressibus sequitur, illis ita os sublinit, ut eis persuadeat, ipsos juxta recta principia operari, eorumque opera justa esse. Secreta voluptas, qua perfunduntur, ubi se laudari audiunt, amor ille, quo vitæ commoda depereunt, tristitia illa, qua ad minimam paupertatis suspicionem anguntur, inordinata ubique dominandi cupiditas, omnesque in sententiam suam redigendi; denique illa oblectatio, qua identidem sua facta intuentes complacent sibi, illis nequaquam probro dignæ videntur. Si illos audis loquentes; nihil rectius fingi potest ipsorum vivendi ratione. Cum laudantur, in ipsis laudatur Deus; cum eorum facta celebrantur; ea bona est opinio, quam meritis suis charitas tribuit: cum laborem, & curas aufugiunt, id agunt, ut sese penitus devoveant Deo; cum supra cæteros superiorem aliquem gradum affectant; tunc ob proximi utilitatem operantur. *In Orationum collectione, quæ Accademiæ Parisiensi oblatæ fuere anno 1685.*

Hodie fictæ virtutes veris vitiis minime sunt pauciores; & charitas præsertim, quæ in praxi magis est necessaria, latiusque patet, pluribus etiam illusionibus est obnoxia. Hæc hodierna die in plerisque fidelibus non est amplius cœlestis illa virtus, quæ omnia refert ad Deum & propter illius gloriam operatur; mera quippe est amoris proprii mercatura; hominibus non gratificamur, nisi quod cum fœnore par pari relaturos speramus; si illis nostra præstamus officia, vicem exigimus, ipsaque amicitia in lucro ponitur. Nonnumquam solum animi studium nos rapit; alienis tangimur ærumnis, eisque vel secreta propensione, vel naturali miseratione opem ferre studemus. *Ibidem Serm. 6.*

Videntur etiam nonnulli immortificati iis etiam in præceptis mortificationis, quæ aliis tradunt, ubi propriis tantum commodis student. Difficile est mente assequi quo usque progrediatur amoris proprii calliditas in Religioso viro imperfectionibus obnoxio, & sanctitatis auram aucupante. Quodnam studium ad ea omnia diligentissime semovenda, quæ in statu suo molesta sunt? Quænam secretæ præcautiones? Quænam ars, ut in omnibus suam faciat voluntatem? quænam sollicitudo, ut eo, quo conatur, perveniat? quænam curæ, quot labores, quot simulationes, ut omnia commoda sibi perquirat? Affluentia, atque delitiæ in ipsa etiam paupertate inveniuntur. Omnia ad optatum finem detorquens ipsa egestate sua sibi reverentiam conciliat; quo vero mirum videri debet, illud est, quod gloria Dei propriæ illius gloriæ subordinata color est perpetuus, quo suos etiam defectus probat, ac tegit. Inde illa consuetudo ea omnia, quæ ad vitam necessaria sunt, sollicite perquirendi, ac modeste conquerendi, si quid molestum acciderit: inde secretum illud odium, atque simulata invidia, qui eumdem vitæ statum ingressi, eumdemque zelum professi majoribus nitent meritis, atque virtutibus; inde ille insolens cacoethes labores suos indesinenter exaggerandi, & bona opera sua opportune importune laudibus extollendi. Qui hunc hominem audiat, miraculi instar, putet, opus est, illum pondere nequaquam vinci, & zeli sui ardoribus non absumi; Qui vero illum diligentius intus, & in cute perpendat satis inertem, atque inutilem esse deprehendet, Proximi sui salutem ob id inquirentem, quia propriæ utilitati conjunctam, ac zelum suum ad urbanitatis, ac sanitatis consilia regentem. *P. Croiset in Spiritualibus Operibus.*

Amor proprius fons vitiorum, & passionum.

Omnia animæ vitia, & passiones diligentius excute; in illis tandem amorem proprium invenies. Hinc illa ortum ducunt, & omnes vitiorum causæ hinc repetendæ sunt, quod ea quærimus, quæ nobis placent, & quæ ad illud *Me* referuntur, quod primum obtinet locum inter cognitionum, affectionumque nostrarum objecta, & quod illis vitam æque affert, & aufert. Ubi enim duæ passiones violenter digladiantur, hinc exempli gratia metus, inde ultio, anima sese colligit, at amorem proprium tantummodo consulit, utrum sequatur, & prout amor proprius faciendum censuerit, atque ultionem necessariam esse, vel secus judicaverit, tunc illa vel ultionem sumendam, vel moderatione utendum esse decernit. Dici immo potest, amorem proprium in virtutum, ac vitiorum definitione essentialiter adeo inveniri, ut sine illo neutra satis valeant intelligi. Generatim quippe vitium est prælatio suimetipsius reliquis omnibus, & virtus prælatio videtur aliorum sibimetipsi, videtur, inquam, re enim vera liquet virtutem esse modum semetipsum amandi præ cæteris magis nobilem, atque sensatum. Quid vero dici potest de ea passione, ad quam incomposita omnia studia nostra referuntur, ad quam vitia omnia rediguntur, & quæ his & ortum, & occasum tribuit, eaque frænat, & cohibet, nisi eam esse generalem perturbationem, unde omnia nefaria opera proficiscuntur, atque primam esse omnis nequitiæ, & corruptionis nostræ radicem? Liber cui titulus: *Ars cognoscendi seipsum: Parte secunda.*

Oculos habemus, sed nobis; nos ipsos videmus, & oculis circumferimus; quod nobis prodest, inquirimus, in quolibet negotiorum genere nosmet, & quæ ad nos pertinent, intuemur. Utilitas animi, vitæque nostræ magnes est; illa actionibus nostris motum impertit, ita ut in iis etiam bonis, quæ magis spiritualia, & defæcata censentur, nosmetipsos a nobis amari innotescat. *Idem*.

Amor proprius efficit ut commodis nostris afficiamur.

Ea res, qua maxime cor humanum afficitur, utilitas est; cætera, quæ extrinsecus accedunt, illud concutere possunt, non autem possunt ipsum determinare, nisi quatenus adhærent supremæ huic passioni amoris proprii; nam ex quo homo peccans se ipsum tamquam finem assumpsit, se ipsum tantummodo diligit, & si quid extra se diligit, propter se, & propter speratam inde utilitatem tantummodo diligit. Gratitudinis, amicitiæ, ipsius etiam justitiæ rationes suos habent fines; aliquando nos movent, aliquando vero nos tantum attingunt, prout illis nostra refert; sed insignis alicujus utilitatis ratio fere semper nos trahit, ac in aliarum caussarum æqualitate semper præponderat; neque potest quispiam vehementius ad aliquod consilium ineundum impelli, quam cum propriæ utilitatis ratio proponitur. *Desumptum ex Tractatu de Religione contra Atheos.*

Amor proprius, qui tot personas gerit, qui modo pium, ac zelotem, modo mortificatum, ac pœnitentem simulat, gestit præsertim verum humilem imitari, & funesto hoc dolo in nobismetipsis superbiam nostram occulimus gloriam quærentes, tunc potissimum, cum illam aspernari videmur. Ita peccatum hoc suo nos veneno corrumpit, ac putamus majores esse, quam aliis videamur, neque turbamur, nisi quod quibusdam ex causis majores plausus, & elogia mereri putamus, quam quæ ab aliis nobis deferunt. *Desumptum ex sermonib. moralib.*

Amoris proprii perturbatio.

Quemadmodum Deus est rerum omnium principium, ita & finis earum est, & sicuti omnia ab illo procedunt, ita omnia ad eumdem reverti debent. Nos tamen universa ad nos revocamus, atque jugiter ad nos redeuntes, omnia ad nosmetipsos referimus. Miram amoris proprii perturbationem, qui nihil supra se suscipit, & non aliud principium, neque finem alium præter se videtur agnoscere? *De la Volpilliere.*

Ex primo illo momento, quo primus hominum parens oblectatus est dolosa illa audiens verba, quæ ipsi Diabolus suggessit. *Eritis sicut Dii.* Genes. 3. se tamquam sui ipsius Deum constituit; amor proprius locum usurpavit amoris Dei, & fuit tamquam pondus, quo undique ad centrum suum, videlicet ad semet-

metipsum rapiebatur; cum antea in Deum unice tenderet, ac Deum in omnibus operibus suis unice inquireret. Ex eo omnium calamitatum primordio, in se ipsum tantummodo tendit, ac se unum in omnibus quærit actionibus, & quomodo antea a Deo declinare non potuit, nisi vi facta; ita in præsentiarum non nisi vim adhibens ad Deum potest attolli. *Liber, cui titulus: Interioris Christiani Exercitationes.*

Verumne, Deus, est, amorem proprium in operationibus suis adeo celebrem esse, ut voluntatem ipsam prævertat, quæ lentius incedit, & antequam statuerim actionem meam ad majorem nominis tui gloriam dirigere, ejusdem primitias ab illo delibatas fuisse; ac necesse esse, ut si opus meum tibi offerre voluero, illud tamquam de latronis manu violenter eripiam? Me miserum! quænam mihi doloris, & erubescentiæ occasio esse debet cogitanti, quotiescumque naturali studio rapi me patior, quin mihi eam adhibeam violentiam, quæ rapit regnum Cœlorum; nihil a me effici, nisi propter me, & amoris proprii consilio? Quot actiones in vitæ meæ spatio sine ullo merito exantlatæ, eo quod non satis ipsis peragendis invigilaverint! &c. *Idem.*

Amor proprius plerasque virtutes fictitias efficit.

Non amplius ambigitur, quin humanarum virtutum pleræque fictitiæ sint, atque mendaces. Liquet ipsam ab omni quæstu integritatem ut plurimum callidissimam esse avaritiam; liberalitatem, ambitionis esse mercaturam, quæ donatæ rei donandi gloriam censet anteferendam; modestiam, artem vanitatem suam dissimulandi; urbanitatem adfectatam, quam ipsi facimus, aliorum prælationem, ut ea cooperiatur prælatio, qua vero nos ipsos omnibus anteferimus, pudorem, adfectatum studium non proferendi verba eas res significantia, quæ cum voluptate reputamus; de aliis benemerendi cupiditatem, secretum esse desiderium de semet benemerendi eosdem sibi devinciendo; omnes etiam virtutes generatim totidem satellites esse, quorum opera utitur proprius amor prohibiturus, ne vitia quæ intrinsecus latent, extrinsecus agnoscantur ...... Experientiam consule; docebit illa si efficaciter vitium aliquod fueris persecutus, aliud a te iri confirmatum, si avaritiam delere volueris, illam impugnandam iis rationibus esse, quæ foveant superbiam; si superbiam, rationes ex avaritia esse petendas. Amor proprius tollatur; illi omnia bona, quibus mordicus adhæret, auferantur, illatum reparare damnum conabitur, vel omnia fortunæ bona contemnens, vel calamitates suas patienter ferens. Amor proprius in solio Tyrannos facit, in pulvere Philosophos, id, quod obtinere minime queunt, contemnentes. Dispositione minime immutata mutabit objectum: superbia illius post ipsius interitum superstes viget, & licet cladem suam nequeat avertere, dissimulat tamen, atque hilari vultu periturus triumphat. Quidnam vere mortem inferet hydræ huic ex ipsa cæde renascenti? Christiana profecto morum disciplina, non aliud. *Desumptum ex Tractatu de Christianæ Religionis veritate.*

Amoris proprii ingenium.

Mediocri profecto humani cordis cognitione opus est, ut scias, amorem proprium cuncta ad se referre, ac nosmet in Dei loco statuere, cui uni tendere debent universa. Ille sibi omnia sacrificat, omnia cupit, ac propriis affectionibus deceptus, ea vult, quæ sibi adversantur. Omnes ipsius motus particulares sunt rationes ad hunc finem tendendi, desideria eorum, quæ ad ipsum non pertinent, conatus ad gloriam, vel ad voluptatem, quæ duo præcipua sunt ejus objecta; mystici incessus, ut illuc assequatur, vel integritas simulata, quæ ea omnia contendit arripere, quæ renuit. Quid refert, utrum corpus sese ingurgitet voluptatibus, an superbia animam gaudiis inebriet, illi dominetur avaritia, hypocrisis fallat, ea quærat ambitio, quæ ad eamdem minime pertinet? Quodcumque rebus nomen tribuatur: in humano corde virtutes, & vitia non aliud sunt, quam mera amoris proprii mercatura. Quidnam fieri potest, ut error hic auferatur, atque statuatur virtutis principium æque legitimum, atque solidum, illius scilicet fontem esse impurum, ac illegitimum amorem proprium? *Idem.*

Non alius agentibus nobis propositus finis esse debet, quam Deo placendi, ac unum illum quærendi: verum nisi jugi, ac seria cura nobismetipsis, omnibusque motibus nostris invigilaverimus, nisi nobismet contra amorem proprium cautum fuerit indesinenter; adeo prope nosmetipsos sumus, ut nosmet sinere, ac deserere nequeamus. Proprius amor ad nos fallendos ita industrius est, nos vero adeo faciles, qui decipiamur, ut tunc etiam cum ille ultro videtur egredi, vias norit, qua clanculum redeat, neque magis adsit, quam cum longius abesse videtur. Ut defectum hunc effugiamus, sæpe sed bona fide cum agimus, nosmet interrogemus: in hac, vel illa re numquid unice Deum quæro? *Pater Nepveu 3. Tomo Considerationum.*

Qualiter verus, ac legitimus sit sui ipsius amor.

Omnes affectiones nostræ ex ordinato nostrummetipsorum amore sunt regendæ. Nihil est adeo æquum, naturale, ac necessarium, quam seipsum diligere, dummodo, ea, quam Deus petit, ratione peragatur. Quidam enim, ex D. Augustini sententia, amor est nostrummetipsorum, qui rectius loquendo verum est odium, & quoddam sanctum est nostrummetipsorum odium, quod verus est amor. Qui omnia suis permittit affectibus, se magis amare videtur, quam qui omnia illis renuit; attamen liquet, omnia illis renuentem, ut salutem suam operetur, seipsum magis amare; omnia sibi permittente, ut in interitum ruat; quemadmodum ægro permittens ea, quæ noxia, quia illi jucunda sunt, hunc magis amat, eidem renuente ea, quæ jucunda sunt, quia noxia. Tandem enim verus amor sui in hoc situs est, ut quis sibi vera procuret bona, & vera mala fugiat: verum de bonorum, malorumque veritate judicare non possumus, nisi ex eo fine, quo nos illa deducunt; ita ut bona, quæ ad summum nos detrahunt malum, mala sint, & mala, quæ ad summum nos bonum adducunt, sint bona. Hinc inferendum facile est, ea tantum amanda, quæ saluti nostræ inserviunt, ita ut plus, minusve amabilia videri debeant prout plus, minusve huic ultimo fini per eadem accedimus. Si magnum hoc Ethnicæ Christianæ principium nobis, ut par est, probatum esset, infideles, prudentiores essemus, atque in affectionibus nostris æquiores; non detineremur tot vinculis inutilibus, vanis, perniciosis: ubi in corde aliqua ex affectionibus his suboriretur, serio coram Deo ponderaremus, utrum inde aliquem ad sanctitatem fructum possimus percipere; & statim in ipso ortu conaremur eos amores extinguere, qui difficili negotio evelli possunt, ubi diutius convaluerint, ac radices suas jecerint. *Essais de Sermons. Pro Sexagesima Dominica.*

Amor proprius scitus est veneficus, fucum allinens objectis omnibus, quæ nobis exhibet, & efficiens, ut nobis prorsus alia ab iis, quæ vere sunt, videantur. Verum fatendum est numquam majori cum periculo esse conjunctum, quam cum de pietate agitur. Quemadmodum enim gratia nonnumquam nostris se se accommodat studiis tanta cum facilitate, ut natura sola operari videatur; ita hic amor proprius adeo callide gratiæ operationes imitatur, ut gratia nos deducere putetur, dum amore proprio maxime ducimur. Penitiores igitur cordis vestri latebras scrutemini, atque ostium occludite cuicumque rei, quæ severum conscientiæ vestræ examen posset perturbare. Amorne proximi causa est, ut jugibus vigiliis, assiduisque studiis vitam meam feram, ut illius prosim eruditioni? Numquid vera a mundanis rebus avulsio efficit, ut vitam in solitudine transigam? Stimuli conscientiæ, quibus agor, proficiscunturne ex vero dolore scelerum, quibus Deum lædere ausus sum? *Ibid. Sermone pro Domin. Passionis.*

Quid sit amor proprius, ejus natura, & effectus.

Non sufficit amoris proprii nomen scire, ut illius effectus, & naturam intelligas; pluribus enim modis amari potest; & aliæ addendæ sunt circumstantiæ, ut veram illius ideam tibi adstruas. Hæ autem sunt, corruptum hominem non solum semetipsum amare, sed sine

sine ullo fine; ac modo seipsum amare; se solum amare, ac omnia ad se unum referre; omnia sibi bonorum, honorum, ac voluptatum genera cupere; eaque sibi uni, vel propter unum se cupere; se ipsum rerum quarumcumque centrum statuere, ac rebus omnibus dominari velle; & optare, ut quæcumque creata fuere, in id unum vacent, ut ipsius vota expleant, laudes celebrent, atque admirentur. Hæc tyrannica dispositio omnium mortalium cordibus insculpta illos violentos efficit, injustos, crudeles, ambitiosos, adulatores, invidos, insolentes, litium amantes, & ut verbo me expediam, omnium scelerum semina continet a levissimo ad maximum. Hoc illud monstrum est, quod in pectore gerimus. Absolute vivit, & regnat in nobis, nisi Deus ejus imperium subvertat, alium inserens cordibus nostris amorem. Hoc principium est omnium actionum quæ a natura corrupta proficiscuntur: & quin nobis horrorem ingerat, ea quæ extra nos sunt, non amamus, neque diligimus, nisi prout studiis illius conformia sunt, vel adversantur. *Essais de morale Tomo 3. tract. 2.*

Quilibet primos statim occupare annititur gradus ea in societate, in qua est; ad quos si aditus intercludatur, ad illos, qui statim subsequuntur, advertitur animus; & ut brevi dicam, pro virili quisquis extollitur, & nonnisi ægre cogitur subsidere. In quolibet statu, & conditione aliquam semper dignitatis, auctoritatis, jurisdictionis, speciem affectamus, atque potestatem latius, quam fieri potest extendimus, alter alterum deprimere, ac de gradu deturbare conamur; & si bella ultro, citroque illata æque cruenta non sunt, ac illa, quæ a Regibus bellantur, non ideo tamen minus acres, vividæque sunt passiones, sed ut plurimum ea metuuntur supplicia, quæ leges illis intentant, qui violenter armis utuntur. Ita amor proprius illos quidem ad conatus audaces impellit, hos retrahit. *Ibidem.*

Amoris proprii in honoribus quærendis astus.

Ea quæ vel ex metu humano, vel ex crassa fiunt avaritia, sæpe facili negotio ab iis secernuntur, quæ ex motu charitatis procedunt: idem nihilominus nequaquam dicendum est de ea cura, qua hominum amorem, atque existimationem inquirimus. Hoc studium adeo callidum est, atque simul tam late patet, ut nihil sit, quo obrepere nequeat; & belle adeo charitatis personam gerere didicit, ut arduum omnino sit cognoscere, quanam re ab ea distinguatur. Eadem enim insistens via, eosdemque pariens effectus, mira calliditate omnia delet vestigia, omnesque characteres amoris proprii, a quo profectum est; intelligit enim se nihil eorum, quæ contendit, consecuturum, si deprehendatur. Ratio vero in promptu est, nihil enim magis perhorrescimus, quam amorem proprium; qui sese prodere nequit, quin odium cieat. Hoc autem nos ipsi experimur, ubi amorem proprium in aliis deprehendimus; quem statim ac innotescit, ferre non possumus, unde conjicere liquet, neque alios in nos gratiosiores fore, ubi amorem proprium in nobis detexerint. *Idem.*

Dici potest, secundum Sancti Augustini sententiam, omnes fere morales virtutes cum amore proprio, vel secreta superbia esse conjunctas, qui ubicumque adsit, semper tamen notas, atque effectus suæ perturbationis relinquit. Videmus quamplurimos constanti, insignique probitate conspicuos, eam sibi existimationem apud omnes conciliantes, qua a reliquis distinguuntur: illos probamus; in illis hanc integritatem, qua commendantur, admiramur, verum ubi propius ad examen vocamus, quid in ipsis excellat, cum eorum facta ad sanæ doctrinæ trutinam ponderantur, tunc apparet, ubique illusiones adesse, deceptos illos, nos quoque decipi; & virtutis nomen illis rebus tribui, quæ temperamenti, affectuumque suorum effectus sunt. *Abbas Trappensis collatione pro die Omnium Sanctorum.*

Amor proprius verax est nostrummet ipsorum odium.

Quemadmodum æquum, sanctumque sui odium, quod nos docet JESUS CHRISTUS, fons est bonorum omnium, omniumque virtutum parens; econtra amor proprius fons est omnium malorum, vitiorumque universorum principium. Possumusne apertius testari nos esse nobis infestissimos hostes, quam irruentes in omnium calamitatum, ac flagitiorum abyssum, quo amor proprius nos adducit necessario? Nonne est seipsum odisse, animam suam in omnem æternitatem amittere, atque ob turpes, fluxasque voluptates sese infinitis æternumque duraturis, mancipare suppliciis? Dicebat S. Paulus ad Ephes. 5. *Nemo carnem suam odio habuit*; at quomodonam hæc probari possunt verba de plerisque fidelibus, qui corporibus suis æternos ignes, æterna supplicia succendunt? Nonne fatua diceretur illa muliercula, atque sui ipsius inimica, si ut formæ suæ decorem adjiceret, atque in se omnium oculos in chorea quadam ad duas horas converteret, eo facto uteretur, quo oculi sui sanie essent corrumpendi, ac facies turpissimo ulcere fœdanda? Sed heu quidnam est hæc vita præsens? nonne duabus etiam his horis brevior, si cum æternitate conferatur? Nos tamen propter fluxas, fragilesque voluptates corpora, animasque nostras æternis non veremur adjudicare suppliciis? Dicamus ergo cum S. Augustino, justos omnes sese non amantes seipsos melius amare hac ipsa de causa, quia se nollunt amare, ut Deum ament vitæ suæ principium; & econtra peccatores omnes sese in speciem amantes vere non amare; nam se amore proprio diligentes, diligunt suæ mortis principium, & suæ infelicitatis originem. Oderimus ergo verum hoc odium, quod sub amoris specie contegitur; ut amplectamur, atque exerceamus solidum hunc amorem, qui in apparentis odii severitate deprehenditur. *P. Texier in S. Laurentii Panegyrico.*

Duo sunt, quæ nobis auferre possunt veritatis intuitum, & cognitionem, vel nimia objectorum propinquitas, vel eorum nimia longinquitas. Cum objecta oculos attingunt, illa nequaquam intuemur; ubi vero nimis recesserint, eos similiter, nisi confuse, non videmus. Amoris autem proprii character est, nosmet nobis ita prope connectere, & ab alia quacumque re ita procul semovere, ut cum nullum relinquatur liberum spatium nos inter ac nos, ut de nostra agendi ratione judicemus, nimiumque statuat intervallum inter nos, ac alios, ut similiter de eorum actionibus, præsertim vero de animo eorum aliquid statuamus, defectus nostros intueri non possumus, at in aliis deprehendere annitimur; non videntes ea, quæ sunt, & ea quæ minime sunt videre credentes. *Liber cui titulus; Christiani sermones pro diebus Dominicis sermone de Humani spiritus improbitate.*

Homo adeo naturaliter amat se ipsum, ut Deus, quin hunc illi amorem præciperet, Scripturam præceptis repleverit, quibus hanc illi affectionem interdiceret, ac nimium ejusdem excessum cohibere contenderet. Qui se nimis amat, haud ægre violat quidquid in Religione sanctius est, ut sibi faciat satis. Cupiditas, quæ in illius corde imperitat, malorum omnium est radix: ignis est omnia in seipsum convertens, & sufficit sibimet nimium indulgere, ut omnes simul humanitatis sensus amittantur, quos a nobis erga fratres nostros christianæ charitatis exigit ordo, atque ut omnia nostræ utilitati, ambitioni, & voluptatibus sacrificentur. Satis est oculos conjicere in eam charitatis descriptionem, quam S. Paulus proposuit, ut hæc nobis probentur. Charitas enim ex ejusdem sententia: *patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert &c.* Quomodo vero his perfungi licet officiis, si cor amore sui fuerit repletum? *Idem.*

Gravissima est doloris causa ei viro, qui cum multis laboribus, atque sumptibus domum a se incolendam ædificaverit, eam ab hoste occupatam reperit, januam obstruente, ac aditum domino prohibente. Ita amor proprius agit in Deum. Condidit Deus corda nostra, ibi sedem suam, atque delitias suas constituens, eorum potitus est amor proprius inimicus illius, ipse vero sanguinis, vitæque suæ pretio redemit illa; Amoris proprii proditoria injustitia.

& po-

& postea ubi sese obtulit, ut reciperetur, improbus ille amor proprius ostium clausit, quemadmodum videtur Deus ipse conqueri vocibus ad affectus ciendos aptissimis, atque amaro sensu refertis. Quis vineam plantavit, & de fructu ejus non vescitur? quis agrum coluit, & segetes ejus non demetit? Nonne hæc illa injuria est, & contumelia, qua Deus ab amore proprio lacessitur? Deus enim indidit cordibus nostris omnia bona studia; ipse omnia virtutum semina jecit; ipse eas colit, & suarum gratiarum irrigat rore, cum tamen interim omnes fructus illius amor proprius decerpat. *P. du Sault Tomo 2. Operum Spiritualium.*

Amor proprius semper intra se conclusus est, unde si quando per aliquod præclare factum, videtur egredi, puta per aliquam humilitatis actionem, illuc tamen statim per laudem, quam hinc se putat consecuturum revertitur. Quamobrem Propheta Regius ait: *Impii in circuitu ambulant;* statim enim ac extra seipsos egrediuntur, illico redeunt referentes quidquid ad propriam gloriam, suamque voluptatem explendam fecere: cum Dei amor semper extra se feratur, quidquid ait, cogitat, facit ad majorem Dei referens gloriam. Apertius loquar: amor proprius propter seipsum est; suas respicit utilitates, & nihil facit, nisi ut sibi aliqua cedat utilitas: amor vero Divinus quæ sua sunt minime quærit, sese omnibus tribuit; Dei gloriam, & proximi salutem tantummodo spectat, paratus utrique procurandæ cum jactura etiam eorum omnium, quæ possidet. *Pean. Tomo 3. Spiritualium 3.*

Amoris proprii victoria initium ducere debet a corporum mortificatione.

Ut proprium hunc amorem cohibeamus, & subigamus, a corporis nostri mortificatione initium sumere oportet; ut enim huic inserviamus, ejusque voluptatibus satisfaciamus, laboribus angimur; nihilque intentatum relinquimus, ut nihil illi desit, omniaque illius commoda comparemus. Profecto non desunt, qui ita amant, atque anxie, sollicitequе sua commoda quærunt, ut in terris ad id unum versari videantur, ut volutentur in croceis, atque valetudini suæ unice studeant, verbo, qui ita suis corporibus curandis vacant, ut ne ipsum quidem mortificationis, & pœnitentiæ nomen agnoscant. Quod in causa est, ut facile secum ab omnibus Ecclesiæ jejuniis, cæterisque Christianæ Religionis austeritatibus dispensent. Ut igitur Christianæ vitæ initium aliquando fiat, ejiciendus omnino est inordinatus hic amor, quo corpus hoc nostrum complectimur, quod quidem nostri pars est, licet abjectior, & contemptibilior, sed plerumque potissimum curarum nostrarum objectum. *Idem.*

Peccatum naturam nostram subvertit, & naturalem, erga bonum, amorem in amorem proprium convertit, bonorum omnium fontem in originem malorum omnium immutans. Quippe in innocentiæ statu homo propter Deum se tantummodo diligebat, & natura ita belle cum gratia consentiebat, ut omnia illius studia essent cum sanctitate conjuncta. In beata illa conditione charitas cum amore proprio erat permixta & homo non verebatur, quin se ipsum amans proximo inferret injuriam; ast post inobedientiam, amor illius naturam mutavit, qui eodem affectu & aliena & propria spectabat negotia, hæc separare occæpit, & oblitus, quid deberet Deo, seipsum in Deum extulit; omnes innocentiæ leges confudit perinde ac solus esset in mundo; societatis suavitatem abdicavit; consilium iniit affectus suos ad propriæ utilitatis normam instituendi, neque aliud amandi, quam quod sibi vel prodesset, vel placeret. Hæc autem perturbatio sese tamquam virus in omnem naturam effudit, & nisi gratiæ subsidium adsit, ratio sese inde expedire non potest. *P. Senault in usu Passionum Tractatu de amore, & odio. Sermone secundo.*

Dei Filius venit in Mundum ut amorem proprium everteret.

Dei Filio in terras advenienti, ibique docenti non alia proposita ratio fuit, quam proprii amoris excidium. Illum omnibus præceptis suis impugnat, neque ullum ferme ex divino illius ore procedit, quod illi vulnus lethale non inferat; atque profitetur, se in Discipulorum suorum albo non relaturum, qui amorem proprium in sanctum sui ipsius odium non converterit; neque se passurum aliquem in regno suo, qui præsto non sit, ut pro Domini sui gloria vitæ quoque suæ detrimentum patiatur. Opum excessum, honorumque desiderium non damnat, nisi quod inordinatum hunc affectum fovent, & alunt, neque jubet inimicos ipsos amari, nisi ut nos ipsos odisse discamus. Mortificatio, & humilitas, quæ sunt doctrinæ ipsius fundamenta in id tantum collimant, ut inordinatam illam affectionem evertant, qua ingenium, corpusve nostrum diligimus. Denique nobis tribuit charitatem, ut amorem proprium tolleret, & in cruce mortuus est, ut mortem inferret huic inimico, qui tot dissidia, & mala peperit. Ita fatendum est in hoc malo cætera contineri omnia, nullumque in terris flagitium esse, quod inde suum non ducat initium. *Idem.*

Non solum reor, eum, qui se immodice diligit, bonum Christi asseclam fieri non posse; verum juxta politicæ, ethicæque leges, virum bonum, bonumque civem fieri non posse profiteor: justitia quippe omnino in his omnibus conditionibus necessario perquiritur, & hæc virtus cum amore proprio subsistere nequit. Postulat justitia, ut æquus homo spiritus sui studia studiis corporis anteferat, & illi omnia auctoritatis suæ jura tueatur; amor vero proprius, qui carni maxime suffragatur, vult dominum a servo regi, & corpus spiritui imperitare. Postulat justitia, ut vir bonus numquam ea vota nuncupet, quæ merita sua, vel generis sui ordinem excedant, doceatque ut felix, & innocens sit, desideriis suis limites esse circumscribendos: amor vero proprius econtra præcipit, ut nostra sequamur studia, & ad vanitatis nostræ normam desideria foveamus; alit ambitionem, & ut in animum irrepat, ea quæcumque placent, licere docet. Postulat justitia, ut bonus civis publicam domesticæ præferat utilitati, præsto sit bonorum subire jacturam, ac vitam ipsam in discrimen adducere, ut reipublicæ consulat incolumitati: amor vero proprius efficit, ut homo suæ tantum gloriæ, atque voluptati serviat; illam omnium actionum ipsius finem constituit, eumque intra seipsum ita concludit, ut ne integrum quidem illi permittat ea, quæ ad rempublicam pertinent cogitare; cui si opellam aliquam præstat, propriæ tantum inservit utilitati. *Idem.*

Tres inordinati amores ex amore proprio profecti.

Ex amore proprio tamquam malorum fonte tres emanant fluvii terras omnes inundantes, atque terribile diluvium efficientes, ex quo fuga est difficilis: nam ex inordinato hoc amore tres alii amores oriuntur, qui animabus omnibus suum virus inspergunt, atque virtutes omnes ex mundo extorres ejiciunt. Primus est amor formæ, qui incontinentia vocatur; alterum amor divitiarum, qui dicitur Avaritia, tertius amor gloriæ, & Ambitio nuncupatur. Hi tres infestissimi humanæ salutis, & quietis inimici, quidquid in ipso est corrumpunt, eumque fontem in anima, corpore, bonisque constituunt. Difficile quoque est, quodnam ex triplici hoc monstro difficilius sit ad vincendum; quia præter naturales eorum vires alienas quoque recipiunt, quas ex nostris studiis, vel habitibus hauriunt, & quæ illa adeo terribilia efficiunt, ut citra miraculum superari vix possint.

Imperat Dei Filius, ut odium sui sit doctrinæ suæ fundamentum. Nullos in schola sua Discipulos excipit, quibus hoc præceptum minime tradat: Videtur hoc illi esse consilium, ut scilicet amorem proprium prorsus eliminet, inconditamque affectionem hanc in sanctum odium convertat: Nos monet fontes esse, & si Divinæ justitiæ zelo flagramus, odisse debere, quod illa detegatur, & in id animadvertere, quod illa punit: Denique odium, & amor duæ illæ virtutes sunt, quæ in ejus schola addiscuntur; sed has ita vult institui, ut amorem omnem proximo impendentes nobismetipsis odium tantummodo reservemus. Verum tamen est præceptum hoc in speciem magis, quam reipsa esse severum, quantumvis

vis enim severitatis præseferre videatur, semper tamen suavissimam redolet charitatem, sub odii nomine nomen celans amoris, præcipiens quippe, ut nosmetipsos oderimus, imperat, ut nos recte diligamus. *Idem Sermone sexto de bono usu Odii.*

Descriptio malorum, quæ concupiscentia, & amor proprius parit.

Hic tyrannus est, qui ex peccato natus illius imperii fines proferre contendit, atque omnes homines tamquam servos eidem subjicere. Thronum illius in anima statuit, ejus tenebras menti offundit, nequitiam in voluntatem effundit, & memoriam omnium iniquitatum recordatione refercit. Omnibus corporis nostri partibus abutitur, curas omnes ad consilia sua exequenda impendit, tanta calliditate sese omnibus desideriis nostris immiscet, ut egestatibus nostris satisfacere cogitantes, illius pareamus tyrannidi, & rem æquam facere putantes, iniquissimam perpetremus. Si vescimur, excessus, & nimia voluptas adest, si dormimus, somnum non necessitas, sed mollities in diem multam producit; si loquimur, non charitas, sed obtrectatio verba depromit; & quod pro valetudine nostra præstare putamus, sæpius nostræ voluptati tribuimus. *Idem in Homine criminoso. Sermone de corruptione Naturæ per peccatum.*

Potest quidem gratia concupiscentiæ, atque amoris proprii in hac vita vim imminuere; sed hunc omnino tollere vix potest. Sancti quoque sub legum illius sævissimo gemunt impetio, & contra inimicum viribus adeo ferocem mortis invocant subsidium; & scientes, animam, donec in hoc inclusa est carcere, eodem liberari non posse, inde egredi flagitant. Denique pro cumulo malorum effectuum, quos nobis nefarius hic habitus parit; quemadmodum rami, & radices, flores, ac fructus in uno semine continentur; ita cædes, parricidia, obtrectationes, blasphemiæ, adulteria, & incestus in concupiscentia, & amore proprio comprehenduntur. Quicumque hoc monstrum in sinu suo gerit, omnia secum fert peccata, quæ licet explicita non sint, sunt tamen, ut loquuntur Philosophi, in potentia, & quodammodo inchoata; & quamvis nos minime noxios efficiunt, semper tamen efficiunt calamitosos. Dæmon cum hoc fideli improbitatum suarum ministro nihil non conatur; scit ille, quocumque ille recedat, semper tamen sibi unanimem esse, sibique assentiri. Nemo salutis suæ certus est, donec domestico huic inimico locum præbuerit; ac spes nostra semper cum metu debet esse conjuncta, donec gratia infelicissimum hunc nostrummetipsorum amorem prorsus extinxerit. *Idem.*

Amor proprius viam instituit charitati penitus oppositam.

Maximum charitatis consilium, ac præcipuus effectus est hominem Deo ita arcte conjungere, ut nihil illum divellere possit, ac tantum amoris in illius anima accendere, ut ibi amorem proprium extinguat, vel in tantum sui ipsius odium convertat. Divina hæc virtus nihil perfectius conari potest; præclara est metamorphosis, præstantissimus est virium ipsius conatus; neque potest Deus aliquid ulterius petere ex illis, a quibus diligitur, qui ut perfectius eum diligant, ad ipsum suimetipsorum odium pervenere. Amor autem proprius viam ingreditur viæ charitatis ex diametro oppositam, atque rationibus prorsus oppositis hominem a Deo conatur divellere, ac illum sibi, vel creatis rebus conjungere; atque pro virili delere adnititur studium illud, quo anima in Deum suum fertur; quod si nequit extinguere, inflectere conatur, ac videns humanum cor vacuum esse non posse, illi creaturarum exhibet formas, ac pulchritudines, ne Creatoris eximia specie capiatur. *Idem.*

Nobis semper adnitendum ut divinæ gratiæ subsidio amorem proprium in nobis evertamus.

In hoc etiam amor proprius, & charitas opponuntur, quod huic non aliud inest vehementius desiderium, quam efficiendi, ut Deus ab omnibus diligatur, atque in omnia mortalium corda divini hujus amoris flammæ effundantur. Anima enim divino hoc igne succensa sciens a se Deum tam amari non posse, quam amabilis est, cupit, ut omnes sui corporis partes in corda, & ora convertantur ad amandum, laudibusque celebrandum unicum sui amoris objectum; verum quemadmodum videt vota sua in irritum cedere, ut suæ suppleat impotentiæ, cupit, ut omnes homines omnibus viribus suis illum adament, quem ipsa suis satis amare non potest. Amor vero proprius econtra, qui hominem cogit, ut ex semet sibi Deum efficiat, illi desiderium immittit efficiendi, ut ipse ab omnibus diligatur, quamobrem se tamquam idolum proponit adorandum, & putat verissimam, maximamque terræ hujus felicitatem in eo esse positam, si ab omnibus ametur, laudetur, existimetur, colatur. *Idem.*

Cur amor proprius tale in nos exerceat imperium, omnia depravet, optimasque actiones corrumpat, adniti procul dubio debemus, ut illum evertamus, & perniciosa illa vincula infringamus, quibus se nobismetipsis devinxit, quod divina favente gratia obtinere possumus, nisi plene, integreque, saltem quantum opus est ad vires illius infirmandas, atque prohibendum, ne nobis fructum auferat eorum omnium quæ a nobis bene fiunt; illud tamen scientes, animos abjiciendos non esse, si post omnes conatus, omniaque contra domesticum hunc inimicum suscepta, victi aliquando fuerimus, ac sæpius ille rebellaverit. Arcte adeo nobis vinctus est, vel ut dicam melius, in nobis altas adeo radices jecit, ut quicumque conatus fiat, in hac vita omnino convelli non possit. Ideo quodcumque adhibeatur temperamentum, quodcumque remedium usurpetur, quos natura nostra pati queat, hæc semper natura ex semetipsa corrupta est, ac illi agro simillima, qui, quamvis summa adhibeatur ad malas herbas colligendas, evellendasque cura, recentes semper subinde producit. Quamobrem in altera tantum vita adimplebitur illud, quod Deus per Isaiam cap. 15. pollicitus est: *Ecce ergo creo cœlos novos, & terram novam*, homini tribuens corpus ex limo quidem effictum, sed ex peccati servitute, ac studio illo, quo naturaliter fertur in malum liberatum. Quod unum in hoc mundo facere & possumus, & debemus, est, terram hanc sarculo emundare, malas herbas convellere; quin posse cogitemus omnino illi eam auferri dispositionem, quam erga peccatum habet, & amorem proprium penitus tolli. Hoc temperamento intelligenda sunt ea, quæ de sui ipsius abnegatione, vel abdicatione, & de christiana mortificatione dicuntur &c. *P. S. Jure in libro primo Hominis Religiosi.*

De amore proprio id dici potest, quod Sanctus Bernardus ait de propria voluntate: nullum videlicet futurum infernum, si nullus esset amor proprius; nullum quippe peccatum esset, cum nihil est amori, ac voluntati Dei oppositum. Quodlibet peccatum est amor proprius, quemadmodum hic amor proprius in potentia est quodlibet peccatum, cum amori Dei sit prorsus oppositum. Et profecto hic amor est propriæ rei contra rem, & ut ita dicam, cum jactura rerum omnium Dei; amor est propriæ voluptatis cum Dei ipsius dolore, ac tristitia. Hoc ipsum de iis quæ ad proximum pertinent, dicendum est, cujus nullam rationem habet amor proprius. Utrum aliqua in re proximi agatur utilitas, honor, voluptas nec ne, hoc nihil ad amorem proprium: hæc omnia ille contemnit, dummodo suæ consulat rei, atque utilitati. Hinc licet conjicere quantum sit mali amor proprius, ac propria boni sui voluntas, quin ulla Dei, ulla Proximi ratio habeatur; ita ut de ipso dici queat, quod Judex ille nequam de semet dicit in Evangelio Lucæ 18. *Deum non timeo, & hominem non revereor*. Pater Camaret *libro cui titulus. Purus, Perfectusque Christianismus Tom. 2. Obstaculo 4.*

Amor proprius primo adversatur præcepto; ideoque species est idololatria.

Primum Legis mandatum est Deum unum adorare, tamquam nostrum primum principium, nostrumque ultimum finem, ens summum, & absolutum, & a quo reliqua omnia entia dependent essentialiter; quod ea cogit, ut primum illud Ens debita veneratione, qua ipsum unum, ut colendus est, recognoscant. Contra primum hoc mandatum amor proprius insurgit; quin enim ad Deum, tamquam finem nostrum referat quidquid habemus, & sumus, quippe qui nihil habemus, vel sumus nisi per essentialem ab hoc prin-

principio dependentiam; ad seipsum refert supremum hunc honorem, nosmetipsos in Dei locum constituens. Ita longe decipimur si non aliud esse idololatriæ genus arbitramur, quam quæ parvo thure perficitur, quod ante simulacrum aliquod adoletur. Quam materialis est hæc idololatriæ species, quam fatuus hic cultus, si in hoc uno consistit! Putatisne, animæ, cordisque humani sacrificium nihilo pretiosius esse quam aliquot granorum thuris oblationem, atque interiorem hominem, qui existimationis, & affectionis prælatione sese devovet nihilo magis faciendum esse, quam capitis inclinationem, vel etiam totius corporis prostrationem, vel aliud quodpiam exterioris cultus indicium? Deus, qui merus est spiritus spiritualem ab hominibus expetit cultum. Hunc vero ipsum nonne amor proprius denegat Deo, ut illum homini, rei suæ, honori, voluptati impendat, ad seipsum tamquam postremum finem, ubi conquiescit, omnia mundi referens bona, ac ita se ipsum creaturarum idolum efficiens? *Idem*.

Quis est ex omnium fidelium numero, qui Divina fretus gratia dicere nequeat: Omnes provoco inimicos meos, ut mihi vel minimum gratiæ, virtutis, gloriæ gradum eripiant, vel minimum mihi afferant detrimentum, nisi voluero? Unus est amor proprius, qui nobis hæc bona valeat auferre. Licet enim Infernus omnes suas vires exereret, & mortales omnes conjuratione facta omnes conatus, artesque omnes adhiberent, nihil tamen valerent adversum me, nisi amor proprius boni alicujus ficti specie, ac fraude deceptus in eorum partes concesserit. Dæmon quidem tentare potest, Mundus vim potest inferre, caro illecebris sollicitare potest; verum nisi amori proprio assentiri voluero, quid inde? Totidem immo gratiæ gloriæque gradus lucrabor; tantum aberit, ut aliquid patiar detrimenti. Unus igitur amor proprius ignava sensibilis alicujus boni illecebra captus, vel mali alicujus violentia victus efficere potest, ut spiritualis boni, quod quidem bonorum omnium est maximum, jacturam patiar. *Idem P. Camaret*.

Amor proprius saluti nostræ præ cæteris adversatur.

Si rerum earum, quæ saluti nostræ magis noxius existimamus, inductionem instituere velimus, ubique nobis amor proprius occurret. Prava educatio magnum profecto malum est; & inter maxima, quæ in Christianis hominibus vigeant, recensendum; verum universum illius venenum, in quo positum est, nisi ut amor proprius excitetur, foveatur, roboretur voluptatibus, & corporis commodis, & oblectamentis; opibus, honorumque fulgore, & illecebra, ad quos nos mala institutio educat contra ea, quæ in Baptismo sumus polliciti? At enim pravum naturæ studium magis est metuendum! Numquam satis mortificatur, semper reviviscit; & insignia nobis mala parit. Esto, id licet se ita habeat, quidnam pravo huic naturæ studio vires addit? vel quomodonam, nisi per amorem proprium, vires exerit suas? Ubi singula excusseris, invenies tandem bonum, malumque naturæ studium non aliud esse, quam bonum, malumve amorem. Diximus jam amorem proprium omnem esse affectum, omne vitium, omne peccatum. Numquid ulterius requiritur, ut nullum nobis inferiorem esse inimicum credamus, nullumque majus saluti nostræ obstaculum esse, quam amorem proprium? *Idem*.

Adversus internecinum hunc hostem concipere debemus odium in omne vitæ spatium permansurum. In memoriam revocate solum eorum, quæ intulit, vel inferre vobis potest, malorum partem, atque fatebimini vobis majorem esse causam propter quam amorem proprium magis quam omnia Mundi mala, ac perniciosissimos hostes oderitis. Tandem enim quod odium meretur perfidus ille, qui vobis assentatur, ac lethale vulnus infligit, proditor qui vos amplectitur, atque suo in amplexu vos jugulat; tectus, & dissimulatus inimicus, qui vos deosculatur, & osculo virus infundit? Hæc omnia præstat amor proprius, sed ratione eo majori cum periculo conjuncta quo rectior est, atque occultior; semper enim est vobiscum; graditur, assidet, vigilat, dormit prope latus vestrum; cibum, & requiem capit non solum prope vos, sed in vobis. Nihil majori dignum est odio, quam proditor; at quinam in terris nequior proditor esse potest, quam amor proprius, qui toties vos prodidit? Nebuloni, ac fraudulento viro numquam fidem habemus; at vos miseros! quis vos sæpius in fraudem induxit quam amor proprius, qui nunc etiam, dum vos alloquor, vobis illudit? Detestamini statim omnem hujus inimici nequitiam, omnes seductoris hujus artes, ac dolos, omnes proditoris hujus perfidias. *Idem*.

Pro viribus mors inferenda est huic amori proprio, qui nobis necem conatur inferre.

Neque satis est, odio, immo irreconciliabili odio amorem proprium persequi, quædam mala necessaria sunt, & ferri debent, quodcumque eorum malorum odium conceptum fuerit; at aliter cum amore proprio est agendum. Econtra enim id consilii tantum capiendum est, ut totis viribus eum conemini evertere, vos alioquin eversurum. Videte cum quonam hoste vobis res sit: nisi illum de medio abstuleritis, vos auferet; alterutrum horum necessarium est, vel clades vestra, vel illius; vel interitus vester, vel illius. Numquid mora opus est ad consulendum, & ut certi sitis, quid consilii capiendum? Nondum ne vobis persuasum est, hostem hunc ea omnia, quæ potest, vobis inferre mala? attamen ille nihil potest, nisi velitis, ac vestrum ipsi præbeatis assensum. Nonne hic ille est, per quem maximam, eamque optimam gratiarum Dei partem amittitis? Nonne hic plerasque virtutes, atque meliores actiones vestras corrupit efficiens, ut in illis aliquem oblectationis fructum decerperetis? Cum prohibere minime potuit, quominus gratiæ cooperaremini, nonne aliquid inanis gloriæ, atque voluptatis immiscuit? Quoties propter Deum incœpistis, atque propter vos desiistis? Hoc pacto forsasse melior bonorum operum vestrorum pars interiit. *Seminastis multum; intulistis parum*. Aggæi 1. Multum adlaborastis, & nihil perfecistis; cumque eritis morituri, inanes, vacuasque manus vestras invenietis; omnia enim vobis amor proprius eripuit. Nonne absoluta necessitas est illum prorsus exscindere? Quid vero dicendum, si vestros affectus excitat, si ad vitia, & nequissima scelera vos rapit; neque illum perdere conamini? semper ille magis convalescet, ac in dies roborabitur; vos autem quotidie infirmabimini, & gratia, semper minus fortis erit, & efficax, *Idem*.

Amoris proprii, charitatisque discrimen ex operum utriusque, ac motuum diversitate dignoscitur. 1. Amor proprius efficit, ut ille, qui motus ipsius sequitur, in iis, quæ bene agit, se unum spectet, ut sibi clanculum plaudat, vel ut omnes ipsum palam admirentur, alienas vero laudes non nisi cum dolore, ac tristitia audit: econtra vero charitas facit, ut aliorum virtutes, tamquam singulare aliquid laudemus, atque admiremur; sin autem in se oculos convertit, se putat veluti objectum cœlestibus ultionibus dignum. 2. Amor proprius violentus est, vehemens, ferox, imperiosus, vult, quod jubet, & cupit illico adimpleri: charitas autem, ex Apostoli sententia, suavis est, lenis; facile cedit aliis, & operum suorum ac divinæ largitatis effectus patienter expectat; cumque adversis agitur, iis benedicit, a quibus patitur persecutiones. 3. Amor proprius semper intra se conclusus est, & si quandoque factis illinc egreditur, eo tamen redit quamprimum acceptam, vel speratam laudem secum ferens. 4. Amor proprius pro se tantum est, sua unice curat, nihil aggreditur, nisi ut aliquam percipiat utilitatem: Charitas vero *non quærit, quæ sua sunt*, sed Deum tantummodo respicit. 5. Amor proprius est singularis, eas tantum cogitationes admittit, quæ a communi, & vulgo abhorrent: peculiares etiam devotiones adoptat; rebusque in omnibus distinctionem quærit, & diligit; charitas autem quodcumque singulare videtur, odit, ac nihil vult, quod sibi sit peculiare. 6. Amor proprius in pietatis exercitationibus suavitatem, & requiem inquirit, cumque hæc desint, despondet animos, ac

omnia deserit; sed charitas in iis, quæ ad pietatem pertinent, Dei voluntatem quærit, quod præstat, ut æque fidelis, & constans sit in ariditatibus, & desolationibus, ac in spiritualibus consolationibus. 7. Denique amor proprius non alium pati ducem potest, quam arbitrium, voluntatemque suam; cum interim charitas Dei semper mandatis subjecta sit, & eorum consiliis, quorum est eam regere, & ad æternam salutem instituere. *Desumptum ex Auctore Anonymo.*

Vigilandum semper est contra dolos amoris proprii.

Sibimet, omnibusque cordis suis motibus jugiter est invigilandum, ut inhibeantur plurimæ rationes humanæ, ac proprii amoris effectus fere imperceptibiles, sed fere juges; tot secretæ rerum suarum perquisitiones; tot astus amoris proprii, qui sanctissimis etiam hominibus elabuntur, nisi sibimetipsis sedulo invigilent; denique tot rationes minus defœcatæ, quæ sese sanctissimis actionibus immiscentes, meritum earum imminuunt, ac efficiunt ut plurimi seipsos torqueant, & parum proficiant. Putamus a nobis Deum unum quæri, cum semper nosmetipsos tantum inquiramus; commoda, existimatio, occulta superbia, amor proprius secreta sunt, ac magna machinamenta, quæ plerosque homines movent. *Idem.*

Nihil magis verum est, quam quod ait Sanctus Paulus, omnes videlicet quærere quæ sua sunt, non quæ JESU CHRISTI. Nihil profecto amamus, nisi nosmetipsos, & ea, quæ ad nos referuntur: sumus tamquam centrum, quo quidquid ferri debet. At numquid magis oppositum Evangelio fingi potest, quam hic amor, hæc relatio, hoc centrum? Numquid apertius est, atque magis explicitum quam hæc principia. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum .... Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, qui autem perdiderit animam suam propter me inveniet eam*, Matth. 16. Natura, gratia, ratio, fides apertissime docent, quod cum quidquid sumus, ex mera Dei largitate simus, ut inquit Apostolus, tenemur omnino esse Dei, a quo cum omnia habuerimus, omnia jure ad eum referre debemus, atque hac in re fluvios imitari, qui jugiter fluctus agunt suos, ut tandem eos mari, a quo eosdem recepere, restituant. *Liber cui titulus: Colloquia Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.*

Amor proprius in omnibus ætatibus invenitur.

Amor proprius numquam senescit: cum annis regni sui ejusdem crescit auctoritas: adolescentibus non sine quodam impetu, senibus vero cum quadam specie tyrannidis imperat. Inde illa pertinax obstinatio in sententiis suis mordicus asserendis; & consilio numquam mutando. Tunc mens nequaquam sola ratiocinatur; passio, naturale studium, habitus prima semper suppeditant principia; cor majorem ibi semper obtinet partem, quam mens; hinc senibus numquam contradicimus, quin eos exasperemus, & offendamus. Cordis præventiones semper vehementiores sunt, atque pertinaciores; studia, quæ nobiscum adolescunt, ac nutriuntur, sunt omnium præjudiciorum origo. *P. Croiset tomo 2. Considerationum Christianarum.*

Amor proprius principium est omnium malorum, quæ in nobis sunt; omnium criminum scelera in se continet; & cæteros homines neque amamus, neque odimus, nisi prout eorum erga nos vivendi ratio amorem nostrimetipsorum vel allicere, vel lacessere nobis videtur. Hic ergo inordinatus amor impugnandus est. Neque satis esse debet, illum in effectibus suis impugnare, hoc est nosmet corrigere, omnesque defectus auferre, in quos ille nos illexit, & impulit, sed ille ipse pro viribus oppugnandus, hoc est in ipso etiam ejusdem principio infirmandus est. Amor proprius non solum in nobis parit voluptatum amorem, & cupiditatem, sed seipsum quodammodo in corde nostro reproducit hoc in sensu, quod cum nos mortui esse videmur iis omnibus, quæ propter ipsum deperibamus, non possumus hoc inire consilium, ut tandem nobis etiam metipsis moriamur. *Liber cui titulus De filiorum educatione, per J. Pic.*

Amor proprius omnium quæ facimus malorum origo.

Amor proprius non solum ea omnia producit mala, quæ a nobis proficiscuntur; verum ea etiam bona, quæ agimus, omnia corrumpit: hic fons immundus, ac lutulentus, in nobis existens generatim ea omnia depravat, quæ inde emergunt; hæc omnium incompositorum affectuum anima est; hic amor ille prædominans, ac universalis, qui semper ubique reperitur, & qui ubi reperitur, imperitat. Affectus reliqui eas tantum vires habent, eum motum, quem ab illo recipiunt: odium eorum omnium, quæ nobis utilia sunt, & amor eorum, quæ nobis sunt noxia, duo sunt hujus proprii amoris effectus. Ut illum in nobis infirmare conemur, illum in utroque hoc effectu oppugnemus oportet; superandum est odium, quo ea quæ nobis sunt profutura, perhorrescimus; auferendum est illud studium, quo in ea ferimur, quæ nocent; prout sese nobis obtulerit occasio.

ANIMA HUMANA.

Ejus Excellentia, Pretium; Quæ illius cura sit habenda &c.

MONITUM.



E Anima nostra natura, dignitate, perfectionibus, pretio, cæterisque dotibus, quibus a brutorum anima distinguitur, sermonem instituens videbor fortasse argumentum egredi nimiis speculationibus refertum, nimis vagum, vel generale, atque a Philosopho, vel Theologo potius, quam a Concionatore pertractandum. Verum si animus advertatur ad eam rationem, qua potest tractari, ad eas veritates, quas complectitur, & morales conclusiones, quæ inde possunt hauriri, nescio, utrum aliud invenietur argumentum ad morum disciplinam utilius, ad homines ad sanctum vitæ genus amplectendum impellendos aptius, quam illis ob oculos, ut par est, objicere, ipsorum animam manuum Dei eximium opus esse, ab eo creatam, ut ipsum agnosceret, diligeret, eique hac in vita famularetur, eodem postmodum in Cœlis perfruitura. Ita enim excitari anima Christiana potest, ne terrenis rebus adhærens dignitati suæ summum dedecus afferat, ut suum finem, ad quem creata est, secum crebro recogitans ad Cœlestem gloriam assequendam sedulo, atque indesinenter incumbat.

Quæ quidem veritates cum præcipua sint Ethicæ Christianæ fundamenta; licet conjicere, argumentum hoc non utile tantum, ac necessarium esse, verum etiam aliter, aliterque posse pertractari ita tamen, ut semper vana ejusdem pertractandi rationes ad mentem, animumque fidelium excitandum maxime prosint. Earum autem præcipua a nobis in medium proferentur. Illud tamen cavendum est, si peculia-

culiarem de hac re concionem velis instituere, ne cum aliis, cum quibus multum similitudinis intercedit, hoc argumentum permisceas; hujusmodi porro sunt salutis nostræ negotium, cura, qua tutam, certamque æternam felicitatem procurare tenemur, dignitas Apostolici muneris, quod est ad salutem animarum incumbere, aliaque id genus; quod facilius evitari poterit, si tibi eos cancellos statuas, ut de Anima hujus dignitate, pretio, fine; ejusdemque irreparabili excidio, ubi illius jactura fiat, quanti a nobis æstimanda sit, & quanti ab ipso Deo æstimetur, loquaris. Consulenda sunt insuper argumenta, quæ materiam hanc propius videntur attingere, quorum singula proprio loco tractabimus. Operæ tamen pretium puto, scire, in Scripturis Animæ vocabulum ad hominem significandum passim usurpari, & eas prærogativas omnes, quæ homini tribuuntur, huic ob id unice convenire, quod ad Animam, partem ipsius nobilissimam pertinent.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum in hoc argumento Scriptura.

I. RO textu illa afferendo verba, *Cujus est imago hæc, & superscriptio?* Matth. 22. tres institui quæstiones possunt, vel tres verbis iisdem sensus appingi, qui justam concionis partitionem suppeditent.

Primus sensus, vel prima quæstio: *Cujus est imago hæc?* Quem repræsentat, ad quem prototypum efficta est? Hæc sane Dei ipsius est imago perfecta, hæc illum refert; unde inferri potest, quod cum juxta præstans adeo exemplar efformata fuerit, nihil nisi magnum, ac sublime potest repræsentare. Deinde ostendendum est, quanam in re illum repræsentet, natura videlicet, operationibus, libertate, duratione, vel etiam quomodo tres animæ potentiæ vere constituant imaginem Entis illius infiniti, intelligentis, omnipotentis &c. atque inde inferendum quemadmodum anima naturæ divinæ perfecta imago est, ita eumdem exprimere etiam debere moribus, & sanctitate, quæ quidem ultima sunt lineamenta, quæ addere oportet; & ad hoc a Deo animam fuisse creatam.

Quæstio secunda: *Cujus est imago hæc?* Quis ejus est auctor? Quemadmodum egregiam aliquam intuentes tabulam quærere consuevimus, cujus sit, quinam artifex adeo eximium opus elaboraverit? Tunc vero respondebitur; Dei esse, Deum animam creasse, eamque ad imaginem, ac similitudinem suam compegisse. Ubi de animæ præstantia judicium ferre est; ex eo modo, quo creata fuit, qui enarratur in Bibliis. *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Genes. 2. Hinc ostendendi aditus patet, illam spiritualem esse, ac præ brutorum anima nobiliorem; eamdemque mox a Deo per gratiam, quæ longe præstantiorem pulchritudinis gradum tribuit, quam omnes simul naturæ perfectiones conferre possint, fuisse reformatam. Unde arguere licet, sedulo inspiciendum esse, ne illa iterum per peccatum coinquinetur &c.

Tertia interrogatio: *Cujus est imago hæc?* Ad quem pertinet? Quinam illius Dominus est? quis de illa disponere potest? Facilis patet responsio, ejus esse, qui eam creavit, & creavit sibi, propter gloriam suam, & ut sibi ancillaretur; ut opifex, qui in usus suos, & secundum mentis suæ arbitria opus aliquod perficit. Hinc sequitur, non licere nobis, nosmet alteri cuipiam tradere; animam nostram pro Deo factam esse, nihilque præter unum Deum eidem satisfacere posse, eumque animæ nostræ, tamquam rei suæ ex nobis rationem expetiturum.

II. De exiguo eo pretio, in quo ab hominum plerisque habetur anima, quod triplici testantur abusu, qui in eorum vivendi, agendique ratione deprehenditur.

1. Nobilis, & pretiosa est, quoniam ad Dei imaginem, & similitudinem effiсta, eamque Deus quibuscumque creatis rebus anteponit: attamen nonne parvo a nobis habetur in pretio? Quis non videt, qua negligentia virtutes quæramus, quæ ejusdem ornamentum sunt, ac divitiæ? quam parum caute peccata, quæ illam coinquinant, atque dedecorant effugiamus? &c.

2. Libera est actionum suarum Domina, immo ad id facta, ut quibuscumque rebus hujus terræ dominetur: & nihilominus miseram servit servitutem, passiones suas sibi patitur dominari, sese corpori subjicit, atque ut Sanctus Paulus ait, facit voluntatem carnis, ac sub Dæmonis servitute versatur per peccatum ejusdem imperium acquirentis.

3. Immortalis est; ideoque facta, ut bonis perfruatur æternis. Plerique tamen vivunt, quasi Anima una cum corpore esset interitura, ac nihil aliud sperandum in altera vita superesset.

Hoc ipsum argumentum aliter efferri potest ostendendo 1. Animam cum in substantia sua sit spiritualis, a nobis dejici, ac de suæ dignitatis gradu deturbari terrena tantummodo cogitantibus. 2. Illam factam esse, ut præsit corpori, eoque iis in actionibus utatur, quibus finem suum, hoc est æternam felicitatem potest acquirere; illam tamen sese huic corpori subdere, quod semper suis subjectum imperiis habere deberet, prohibens, ne contra spiritum rebellet. Tertio creatam esse, ut æterna in Cœlis gaudeat felicitate; quæ tamen æternum permanere vellet in terris, eo quod per summum nefas terrena diligit, atque illis inhæret. III.

Quo in pretio a nobis anima sit habenda, & quibus de causis iis omnibus, quæ Deus minime sunt, sit præferenda. IV.

1. Illud exquisitum, & tamquam maximi pretii habendum est, quod tale æstimatur ab illis, qui rite illud noverunt, & qui præstantiæ, ac meriti ejusdem judices esse possunt.

2. Quod invidiam ciet possidenti; & quærunt alii quavis ratione hoc tantum bonum eripere.

3. Quam in magnam illius cedit utilitatem, ad quem pertinet. At ex hoc triplici loco anima summo est a nobis habenda in pretio. Plurimi æstimatur a Deo, eam quippe suo sanguine censuit redimendam, eamque omnibus mundi hujusce rebus anteferet. Dæmonum invidiam ciet, qui nihil intentatum relinquunt, eidem interitum allaturi; Infinita nobis parit bona, Cœlum videlicet, ac ipsius Dei possessionem.

1. Anima nostra acquisitio est, ac possessio Filii Dei; hic illam suo acquisivit sanguine, eamque redemit; hanc igitur illi intactam servemus, oportet; & ab hostibus ipsius, qui hanc inde eripere conantur, tueamur. V.

2. Illius est Sponsa, eique integerrimam servare fidem tenetur; ipse enim pati nullo modo potest, ut per affectionem creato cuipiam adhæreat bono, & cum eodem cor, amoremque partiatur, &c.

3. Ejusdem est Templum, ut ait S. Paulus 1. *ad Corinth.* 13. & 2. *ad Corinth.* 6. Cavendum igitur est diligentissime, ne polluatur, ambitionis, avaritiæ, voluptatis &c. idolis sacrificans.

Primo. Hoc maximum bonum est, quo donati fuerimus a Deo, cæterorum enim bonorum origo est, & fundamentum. Oportet igitur a nobis in eo- VI.

in eodem haberi pretio, in quo apud Deum est, ut & beneficii magnitudinem intelligamus, & eam, quam idem gerit, ipsius curam geramus.

2. Hoc maximum quoque munus est, quod vicissim Deo possimus adferre. Oportet igitur navare operam, ut illud quam fieri potest, eidem acceptum, eoque dignum præbeamus, Animam hanc virtutibus, meritisque exornantes.

VII. 1. Sublimis conceptus, quem habere debemus de Anima nostra, ejusque nobilitate, præstantia, ac pretio; non ut inflemur, atque superbia efferamur, sed ne nosmetipsos dejiciamus nosmet rebus indignis demittentes.

2. Ostendenda est existimatio, atque idea, quam de eadem concepimus, ex ea cura quæ a nobis suscipienda est, Animam hanc excolendi virtutibus, quæ illam Deo efficere possint gratiorem.

VIII. Anima est imago Dei, ad ejus similitudinem facta; illum quippe spiritualitate sua repræsentat; nihil enim materiale in illius natura invenitur, vel ad ejus productionem concurrit; eum sua libertate imitatur, quæ ipsam actionum suarum dominam facit; eique bonum, malumque faciendi tribuit potestatem: ejus denique exhibet immortalitatem; illius quippe vita omnium sæculorum stadium excedit nullum umquam finem habitura: Debet ergo 1. bona quærere spiritualia, eaque materialibus quibuscumque rebus anteferre. 2. Uti libertate sua debet, ut bonum operetur, & peccatum, quod unicum in Mundo malum est, perhorrescat. 3. Æternis dumtaxat rebus esse debet intenta, quin hæc terrena, fluxa, & fragilia cum tempore labentia ipsam immorentur.

IX. 1. Animæ nostræ felicitas in hac vita est Deum per gratiam possidere, illum cognoscere, amare, eique famulari.

2. Hujus Animæ infelicitas est Creatorem suum offendere, & subire periculum ejusdem amittendi, eoque in altera vita in æternum carendi.

X. Natura, gratia, & gloria Animam nostram efficere debent majorem in modum pretiosissimam, ac nos cogere, ut illius curam quam diligentissimam suscipiamus.

1. Natura; hæc enim nobis ejus aperit præstantiam in ortu, ac fine ipsius; Deus enim omnia propter illum creavit; ipsa vero propter Deum creata est.

2. Gratia; hæc enim illam ornat, eamque amore, ac sollicitudine Dei dignam præbet.

3. Gloria; facta enim est, ut sit æternum beata, quod bonum cæterarum rerum impendio ipsi est perquirendum. *Hæc est partitio Biroat in suo Quadragesimali.*

XI. Deus creavit animam hominis, quæ illum cognoscere, atque amare posset. Hoc illi cum Angelis est commune, & in hoc potissimum ejus præstantia, ac dignitas sita est; sed cum corpori inhærens peccati labe inficiatur, tres ad hunc finem nanciscitur obices, nonnisi summo studio, ac labore infringendos. Primus est altissima rerum ad salutem suam spectantium ignorantia. Secundus, incredibilis erga sensibilia bona propensio. Tertius, inordinatus, nimiusque proprii corporis amor. In hac igitur vita in id vacare debet, ut Deum agnoscat, ut sese a terrenis rebus divellat, ut carnis suæ amorem compescat, illum subigendo, atque spiritui subjiciendo.

XII. Anima considerari potest. 1. Quoad Deum, qui eidem esse dedit, & cui tamquam Creatori domino esse debet subjecta, & omnino ab ejus nutu pendere. 2. Quoad corpus, cui adhæret, cui dominari, non famulari ipsam decet. 3. Quoad Mundum, in quem ingressa est, & cujus potissimam partem constituit, debet enim super eumdem se attollere, neque se eidem mancipare; quandoquidem hæc sua patria minime est, neque diutius isthic est permansura.

XIII. Quandoquidem Anima nostra ad Dei imaginem, atque similitudinem creata est; Tria in Deo perpendere possumus: Esse ejusdem spirituale, ac necessarium: operationes ejus, quæ sunt intelligentiæ, ac libertatis; ejus denique durationem, quæ æternitas est. Ostendi autem potest, quomodo triplicem hunc Animæ caracterem communicet, ac inde justæ illationes possunt depromi. Videri potest; 1. Ejus essentia in Animæ spiritualitate. 2. Operationes in intelligentia actionum Animæ. 3. Æternitas in Animæ immortalitate.

De Animæ nostræ pretio judicium ferri potest ex magnitudine jacturæ, quam subimus, eamdem amittentes. XIV.

1. Jactura hæc est universalis; cum enim ea sit creaturarum quarumcumque rerum finis; omnia quippe propter illam creata fuere, eamdem amittentes reliqua amittimus omnia, quæ in illius gratiam dumtaxat facta sunt.

2. Hæc jactura est irreparabilis ac nullo umquam pretio resarcienda; unam enim habemus Animam: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Matth. 16. Cætera vero, vel in seipsis, vel in æquivalentibus possunt reparari.

3. Hæc jactura est infinita; anima quippe amissa Deus ipse, æterna felicitas, æternæque Cœli divitiæ amittuntur: vel ipsa est infinito æstimata pretio, quippe quæ divino sanguine redempta. *Desumptum ex Auctore Sermonum in omnia Moralis Christianæ argumenta Tomo* 3. *Dominic.* 3. *post Pentecost. Dominica.*

Hominum plerique ex eorum numero sunt, quos Propheta dicit, animam suam in vanum recepisse. XV.

1. Alii eam inutilem efficiunt, illius saluti nequaquam studentes, neque æternam illi beatitudinem procurantes, qui quidem ipsius finis est: quamobrem in Mundo sunt, quasi non essent; cætera quippe floci facienda sunt: *Hoc est enim omnis homo*, Sapiens ait Eccles. 12.

2. Alii eadem abutuntur illis rebus intenti, quæ fini animæ suæ opponuntur, & eadem indignæ sunt: *Cui laboro, & fraudo animam meam bonis?* ut Sapiens loquitur Eccles. 4.

3. Alii denique thesauri hujus sunt prodigi, eumque dissipant, Animam suam temporali bono, fluxæ voluptati, rebusque pretii nullius posthabentes. *Ibidem.*

Cum anima facta sit ad imaginem Dei, & sit præstantior corporis pars; toto cœlo spiritualem pulchritudinem anteferre debemus formæ corporis, ex qua homines sibi, ac aliis idolum constituunt. XVI.

2. Cum anima facta sit, ut Deo perfruatur, eumque æternum possideat: hæc nobis unica, & potissima cura esse debet, ut tantum boni eidem procuremus.

1. Ostendere possumus, Animam nobilem esse in Creatione; quoniam Deus illam suis manibus condidit, & ob alias circumstantias, quæ in Scriptura afferuntur. XVII.

2. Animam pretiosam esse in sua Redemptione; quoniam Deus illam redemit sanguine suo, nihilque prætermisit, ut eam lucrifaceret.

3. Animam felicem esse in sua glorificatione, quoniam Deus illam propria beatitudine coronavit: *Hoc argumentum non longe abhorret ab illo, quod superius allatum est a D. Biroat; Desumptumque est ex Patre Simeone a B. Virgine, concione de animæ dignitate.*

1. Anima est imago Dei; ne illius lineamenta vitiis, atque peccatis coinquinemus. XVIII.

2. Anima est acquisitio Dei; infinito illi stetit impendio; ne igitur vili pretio eamdem abjiciamus. Non enim alteri eam tradere possumus, quin tantum nobis offerat, quantum obtulit Deus, qui seipsum tradere voluit, ut eam possideret.

3. Anima est Sponsa Dei; ne igitur hanc fœdari contemnamus. *Ex eodem loco desumptum.*

1. Omnem Animæ nostræ curam nos gerere oportet; XIX.

ret; unicum hoc nobis est in terris negotium; cætera nihil prosunt, dummodo anima servetur.

2. Eam animæ alienæ curam gerere debemus, quam majorem possumus; hoc enim Deus ipse præcepit, ex nobis rationem expetiturus, si per nostrum scelus illa interierit.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, atque Auctores, unde rerum copia hauriri queat ad proposita Concionum lineamenta pertractanda.

SS. Patres. Sanctus Gregorius Nyssenus eximium de Animæ immortalitate sermonem est elucubratus.

Sanctus Ambrosius librum composuit, qui *de bono mortis* inscribitur.

Sanctus Augustinus quoque librum integrum habet *de Immortalitate Animæ*.

Sanctus Gregorius Magnus in Moralibus per hanc immortalitatis animæ nostræ considerationem, meritum illius, qui animæ saluti cooperatur, illi probat anteferendum, qui corpus liberat ab interitu.

Sanctus Bernardus eodem innixus fundamento tres animarum Sanctorum status repræsentat. Primum est in corpore corruptibili; alterum sine corpore; tertium in gloria, atque in consummata felicitate.

Idem quasdam de Anima proposuit Meditationes.

Sanctus Basilius fusius hoc argumentum in oratione vigesima secunda prosequitur.

Tertullianus libro de Animæ testimonio.

Sanctus Joannes Chrysostomus Orationem de Anima composuit, quæ in Tomo quinto invenitur.

Idem Tomo eodem Epistola 5. loquitur de Animæ pulchritudine, ac ostendit formæ corporis esse præferendam.

Idem Homilia 8. ad populum Antiochenum, hortatur ad Animæ curam reliquis quibuscumque rebus anteponendam.

Idem Homilia 12. in Genesim animæ dignitatem, & quantum hæc corpori antecellat, ostendit.

Idem in Sanctum Matthæum Homil. 60. invehitur contra plurimorum in animæ gerenda cura negligentiam.

Idem in primam ad Corinthios Epistolam egregium habet de zelo animarum sermonem, alterumque ejusdem argumenti invenies *Serm.* 10. 12. 22. *cap. Genesis*.

Sanctus Gregorius Magnus in Ezechielem *cap.* 40. ostendit, quomodo per animæ nostræ cognitionem ad Dei cognitionem ascendere possumus.

Sanctus Augustinus, vel quicumque auctor est *Serm.* 48. *ad Fratres in Eremo* loquitur de cura, quam de anima nostra habere debemus.

Sanctus Bernardinus Senensis *in Serm. de diversis* loquitur de affectionibus animæ, variisque nominibus, quæ illi tribuuntur.

Idem *Tom.* 1. *Serm.* 51. de Animæ dignitate, atque præstantia verba facit.

Sanctus Laurentius Justinianus *lib.* 1. & 2. disserit de morte Animæ per peccatum, deque illius spirituali resurrectione.

Sanctus Hieronymus *Epist.* 46. de Animæ origine loquitur.

Ascetici. Gerson *Part.* 3. *Tractatu de vita spirituali animæ*.

Henricus Harphius *in Theolog. Myst. l.* 1. *part.* 2. loquitur de vulneribus, quæ Animæ originale peccatum inflixit.

Guillelmus Parisiensis de Anima librum composuit.

Dionysius Chartusianus *in Oper. min. tom.* 1.

Joannes Franciscus Picus de animæ immortalitate tractavit.

Lessius Tractatum de eadem conscripsit; at prætermittimus Theologos Scholasticos, qui argumentum hoc pertractarunt ea ratione, quæ ad Cathedram magis, quam ad suggestum pertinent.

Sillhon alium gallice conscripsit, ubi hanc veritatem per Dei existentiam, cæterasque rationes ostendit.

Richelieu in libro de perfectione Christiana caput habet de Animæ immortalitate, alterumque, quo incipit egregium librum de cura, quam salutis suæ gerere debent Christiani ex consideratione dignitatis animæ suæ.

P. Senault Presbyter Oratorii libro de corruptione naturæ per peccatum tractatu 2.

P. Caussinus tract. 2. Aulæ Sanctæ pro Religionis fundamento veritatem de animæ immortalitate constituit.

P. Antonius de Sancto Martino in libro, cui titulus *Conduite de la Grace* parte 4. eamdem probat veritatem.

P. Guilleminot libro, qui inscribitur, *Sapientia Christiana*.

P. Delingendes Sermonem habet de anima a corpore secreta. *Sermone* 4. pro feria 6. post quartam Quadragesimæ Dominicam.

Biroat sermone 2. pro feria 4. Cinerum de Animæ præstantia loquitur.

Eusebius Nierembergius Homilia 8. tomo Homil. plures habet, easque præclaras in hoc argumentum animadversiones.

Mathias Faber in Festo Dedicationis *Sermone* 6. *num.* 4. & *Sermone* 8. *num.* 3. *ac sermone* 10. *per totum*.

Joly Tomo 1. Operum mixtorum Sermone ultimo de animæ dignitate, & salutis ejusdem cura verba facit.

P. Simon a Virgine Carmelita Reformatus Tom. 2. Actionum Christianarum hujus argumenti sermonem habet.

Auctor Sermonum in omnia Christianæ Moralis argumenta: hoc non prætermisit. Illudque pertractavit *Tomo* 3. *Dominic. sermone pro tertia post Pentecosten Dominica*.

Idem Tomo 1. Argumentorum particularium sermone 2. de Ecclesiæ dedicatione de Anima loquitur tamquam de Templo Deo consecrato.

Idem Tomo 2. Dominic. sermone pro secunda post Pascha Dominica de zelo salutis animarum loquitur.

Qui collectanea ediderunt. Granatensis in locis Communibus *Verbo anima*.
Summa Prædicantium. V. *Anima*.
Beschorius V. *Anima*.
Drexellius *in Trismeg. l.* 3. *c.* 1.
Labatha V. *Anima*.
Theatrum vitæ humanæ. V. *Anima*.
Pantheologia Raynerii de Pisis. V. *Anima*.
Lohner Bibliotheca manualis. V. *Anima*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & applicationes Scripturæ huic argumento.

Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Genes. 1.

Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Genes. 8.

Educ de custodia animam meam; me expectant justi, donec retribuas mihi. Psal. 141.

Justorum anima in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis; visi sunt oculis insipientium mori; illi autem sunt in pace. Sap. 3.

Est vir animæ suæ sapiens. Eccli. 37.

Fili, in vita tua tenta animam tuam, & si fuerit nequam, non des illi potestatem. Idem ibid.

Peccantem in animam suam quis justificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam suam? Idem c. 10.

Recupera proximum tuum, secundum virtutem tuam. Idem c. 29.

Ful-

Fulgebunt.... qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas aeternitates. Daniel. 12.

Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Sapient. 9.

Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Matth. 10.

Quid prodest homini si mundum universum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Idem 16.

Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam qua perierat. Luc. 15.

Lucratus eris fratrem tuum. Matth. 18.

Factus est homo in animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem. 1. ad Cor. c. 15.

Ego libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris. 2. ad Corinth. c. 12.

Scientes quod non corruptibilibus, auro vel argento redempti estis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati. 1. Petri 1.

Empti estis pretio magno. 1. ad Cor. 6.

Qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum. Jacobi c. 5.

Miserere animæ tuæ placens Deo. Eccli. 30.

Scripturæ exempla, atque testimonia de Animæ immortalitate.

Ratio, qua homo creatus fuit, animæ dignitatem ostendit.

SOla ratio, qua homo divinis manibus compactus fuit, ex Tertulliani sententia satis aperit animarum nostrarum nobilitatem, præstantiam, atque immortalitatem. Videmus enim in Genesi, cum cætera creata fuere animantia, eorum corpora, & animas una, eademque simul actione fuisse producta; atque inde ea, quæ sunt, repente extitisse. *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas; factumque est ita*. Gen. 1. At ubi Deus hominem voluit effingere, tunc duplicis actionis penitus diversæ fit mentio; alterius quidem, cum ejus corpus e limo efformatum fuit; alterius vero, cum Creator in effectum corpus inspiravit animam viventem; qua fuit animatum. *Formavit Deus hominem de limo terræ*: hæc prior actio fuit, posterior vero: *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ; & factus est homo in animam viventem*. Gen. 2. Ita anima hominis e limo efformata non fuit, neque ex alia quaquam re materiali desumpta, sed ab uno Deo creata: & inspirationis verbo utitur Scriptura, ut ostendat, animam corpori ab extra accessisse, ac divino afflatu in corpus jam dispositum, atque compactum infusam fuisse: ita ut cum nihil materiale, corporeum nihil in illius formatione inveniatur; tota sit spiritualis, ideoque immortalis, & naturæ prorsus a cæterorum animantium animabus diversæ.

Animæ nostræ nobilitas, ac dignitas est, ad Dei imaginem fuisse creatam.

Neque minus est dignitatis, atque spiritualitatis animæ nostræ argumentum, ex sacro Textu intelligere, quod Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam efformaverit, quod hominis corpori convenire non potest: nihil enim materiale in Deo est, qui purus est Spiritus. Dicendum est ergo, animam hominis in omnibus facultatibus suis ad Creatoris imaginem fuisse efformatam, in intellectus, atque perspicacitatis extensione, in voluntatis libertate, quæ est actionum suarum domina, atque ut omnia verbo complectar in naturæ similitudine; nam purus est spiritus, ut Deus. Hinc oritur quod nulla creatura illi auferre possit essentiam, quam eidem tribuit Deus; ideoque everti, & annihilari non possit.

Quod anima post corporis interitum adhuc subsistat, apertissimo probatur exemplo, quod Biblia 1. Reg. 28. suppeditant in anima Samuelis, quæ apparuit Sauli; satis enim est eas perpendere voces, quibus utitur Scriptura, ubi de eadem loquitur apparitione, ut intelligamus non phantasma quoddam, sed Prophetæ animam huic Principi apparuisse: Spiritus enim Samuelis repente apparuit, & antequam Pythonissa, quam Saul personatus adierat, illum evocasset, atque consuetas cantiones adhibuisset; hoc pacto ostendens se illuc accedere a Deo quidem missum, non autem Magicarum notarum virtute excitatum. Ita Ipsa quoque obstupuit videns hunc contra aliorum morem assurgere, atque timore conterrita exclamavit; *Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul*. Ad hæc ratio, qua Samuel locutus est: *quare me inquietasti, ut suscitarer?* Saulis responsio, prædictio Prophetæ, qua portendit, & illum quoque crastina die ad plures abiturum; hæ omnes circumstantiæ dubitandi locum auferunt, quominus ea esset Samuelis anima post corporis obitum adhuc superstes.

Præcipui loci ex veteri testamento, qui animarum nostrarum immortalitatem supponunt.

Sexcenti occurrunt in Veteri Testamento loci probantes, vel supponentes animarum nostrarum immortalitatem; hi autem præcipui sunt. Primus ex illis desumitur verbis; *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob*, ex quibus ipse Dei Filius apud S. Lucam infert: *non est Deus mortuorum, sed vivorum*. Si animæ illorum eumdem cum corporibus finem habuissent, numquid Salvator ita fuisset locutus? Hæc eadem veritas inferri potest ex eo loquendi modo, quo sæpius utitur Scriptura de Regibus Juda loquens, quorum mortem somnium appellat. *Dormivit cum Patribus suis*; cum ita monere voluerit Spiritus Sanctus; ipsos usque ad sæculorum finem quiescere, & aliquando tandem novissimi Judicii die esse resurrecturos.

En rursus alii ex veteri Testamento insigniores loci qui totius Religionis fundamentum vocari possunt. 1. Verba illa Sancti viri Tobiæ: *filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus quam Deus daturus est his, qui fidem suam numquam mutant ab eo*. Tob. 2. Impiorum, reproborumque verba quibus Sanctos intuentes felicem horum conditionem, hanc cum sua conferunt. Hæc autem in Sapientiæ libro cap. 5. referuntur. *Nos insensati vitam eorum putabamus insaniam &c.* Quæ verba nonne supponunt post mortem alteram pro justis, pro scelestis alteram vitam superesse? 3. Alia hæc item verba ex eodem Sapientiæ libro decerpta nonne illud ipsum aperte confirmant? *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori .... Illi autem sunt in pace*. Sap. 3. 4. Generosus ille Martyr, de quo sermo est 2. Machabæorum ea ne ratione Tyrannum, cujus imperio ad necem rapiebatur, fuisset allocutus si animam suam cum corpore credidisset interituram? *Et si in præsenti tempore*, ajebat ille, *suppliciis hominum eripiar, sed manu Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam*. 5. Responsio sanctissimi senis Elazari, qui cum ab eodem Tyranno torqueretur, ac quadam simulatione uti ab aliis suaderetur, ut gravissimis, quibus afficiebatur, suppliciis liberaretur; nonne eamdem supposuit sententiam, quæ in lege veteri, æque ac in recenti semper habita fuit tamquam certissima?

Exempla, ac Testimonia ex novo Testamento desumpta.

Cæteræ omnes Christianæ Religionis veritates hanc supponunt.

UNiversa Lex Filii Dei, omnia ab eodem constitutæ Religionis præcepta, non aliud, ut ita dicam, sunt, quam variæ ex hac veritate illationes; alteram scilicet adesse vitam, animasque nostras esse immortales. Salvatoris resurrectio adeo fulgens, ac tot probata argumentis, frequentes ipsius coram Discipulis apparitiones, crebri de Cœlesti Regno sermones, æternæ beatitudinis promissiones, æternorum suppliciorum minæ, virtutes, quarum præclara præbuit exempla, mortui, quos suscitavit, præcepta, quæ hominibus irrogavit, causa, propter quam in mundum descendit, ac mors, quam pro nobis subiit, nonne totidem sunt hujus veritatis argumenta, de qua nulla Christiana Fideli dubitatio suboriri potest.

Epulonis Historia, vel Parabola, quæ de justorum quidem in altera vita felicitate, reproborum suppliciis nos admonet, mera esset fabula, nisi corporibus superpe-

periisset anima, nec immortalis non esset. Parabola villici qui heri sui bona dissipaverat, nonne Filio Dei occasionem præbet suadendi, ut amicos nobis conciliemus de mammona iniquitatis, hoc est opibus injustis rationibus acquisitis, ut post obitum nos in tabernacula æterna recipiant? Quid hæc innuerent, si eodem saxo anima simul cum corpore tegeretur.

Apostolis, ac Discipulis JESU CHRISTI satis erat hæc veritas probata, nonne enim, ut salutem animarum procurarent, Evangelium toti Mundo annuntiarunt? S. vero Paulus præsertim nonne fragrantissimum testatur desiderium, quo sibi hujus corporis vincula dissolvi cupiebat, ut cum JESU CHRISTO æterna felicitate perfrueretur? Nonne enixius urget? *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ad Rom. 7. his innuens verbis futurum ut felici vita, & ab omnibus mundi hujus ærumnis prorsus vacua fruatur.

Quarumdam Scripturæ locorum huic argumento applicationes.

Alienarum animarum saluti qui studet, hic studet suæ. *Lucratus eris fratrem tuum.* Animæ & suæ, & proximi sui salutem concupiscere duo sunt ita arcte inter se conjuncta, ut separari minime posse videantur: alienæ vero saluti studere, certissima fere ratio est, propriæ consulendi. Si enim Jonathas olim a Patre suo morti adjudicatus, eo quod virga favum mellis tetigerat, dum victoriam de Philistiim persequeretur, enixis populi precibus, qui adolescentis Regii virtute de præsenti discrimine fuerat ereptus, supplicio liberatus est, Patre severissimam hanc sententiam revocante. Certum profecto est, quantumvis magnum scelus peccator admiserit, quantumvis gravem in illum Deus sententiam protulerit, si quid ille animarum saluti profuerit, has ad solium Omnipotentis accessuras, ut ejusdem misericordiam inflectant & æque elata voce conclamaturas, ac olim populus a Jonatha servatus, æquum non esse, ut qui tot alios servavit, intereat.

Reddet animam pro anima. Deuter. 19. In veteri lege hominis anima repetebatur pro anima fratris ipsius, hoc est, illi vita auferebatur, qui vitam proximo abstulerat; quod hodie quoque in humano jure servatur; sed in quodam applicationis sensu dici potest futurum, ut Dei justitia potiori jure animam pro anima petat; hoc est, si quis animam fratris sui perdiderit, vel scandalis, vel negligentia eidem non ferens opem, ubi indiguerit, iis in rebus, ubi possit juxta charitatis præceptum: *Unicuique mandavit Deus de proximo suo.* Eccli. 17. ambigi nequit, quominus anima sua animæ illius jacturam reparare teneatur, & interitus ejus animæ, quæ ob nostrum defectum, vel pravum exemplum perierit, æternam nobis damnationem sit allaturus. *Reddet animam pro anima.*

Deus, et Dæmon animas poscunt. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Genes. 14. Hæc ajebat Rex Sodomorum Abrahæ a quo homines tantum sibi reddi poscebat, reliqua nullo in discrimine se habere significans. At hæc verba nunc JESU CHRISTO applicari possunt, qui ex omnibus hujus mundi bonis animas tantum quæsivit, cætera vero contempsit; nunc dæmoni quoque, omnem persentanti rationem, qua animas perdere possit. Hic exhiberi potest, tamquam si Ecclesiasticis sese offerret, quibus Deus curam animarum commisit, eisque diceret: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Illis ultro relinquit opimos beneficiorum redditus, dignitates, honores; eos finit his omnibus rebus frui, dummodo eidem animas deserant, quas unice petit. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.*

Erue a framea Deus animam meam, & de manu carnis unicam meam. Psalm. 21. Animam videlicet; hæc enim unica nobis est, unicumque bonum a nobis servandum: vel unica, & primogenita, quæ a nobis diligenter tuenda, & amanda, tamquam res unica, cujus in hoc Mundo curam ge-

rere teneamur. Sed oppositum prorsus accidit: nihil enim magis negligitur, omnibusque periculis objicitur, quam anima, quin animadvertatur, non aliam suppetere, quæ in illius locum subrogetur, ubi ejusdem passi fuerimus detrimentum. Hæc fuit responsio, quam Summus quidem Pontifex Oratori nescio cui urgenti, ut Regi suo permitteret aliquid, quod ille citra conscientiæ suæ detrimentum permitti minime posse censebat, reddidit. Si duas haberem animas, inquit ille, alteram libenter pro Rege tuo in discrimen adducerem; sed cum unam tantum habeam, ægre ferre non debet, si per quam diligenter caveo, ne ejusdem patiar jacturam.

Anima nostra thesaurus est in vase fictili. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* 2. ad Corinth. c. 4. Quidam locum hunc explicant de gratia Dei, quæ fragilis est, atque jugibus obnoxia periculis, donec inter vivos versamur; alii vero de virtutibus, quarum jactura est facilior. Verum optime explicari posse reor de anima nostra, quæ cum reipsa in fictili corpore contineatur, omnibus illius infirmitatibus patet, & donec in illo permanet, similis est thesauro in testaceo vase recondito; ita ut summa cura custodienda sit, tamquam aliquid pretiosum simul, & fragile.

Anima mea in manibus meis semper. Psalm. 118. *& animam meam porto in manibus meis.* Job. 13. Sanctus Thomas in hæc Regii prophetæ verba, hoc dictum putat, ut intelligamus quanto in pretio habenda sit anima nostra, & quam metuendum, ne, illius jacturam subeamus. Quemadmodum enim quod habemus in pretio, ac metuimus ne vel auferatur vel elabatur, semper in manibus tenemus, atque tunc illud in tuto esse arbitramur; ita animam nostram tueri opus est; in manibus habere semper, ne affectuum illecebris decipiatur, ac mundi contagione fœdetur, & contabescat. *Anima mea in manibus meis semper.*

Deus unicam animam tam diligit, quam simul omnes. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam?* Luc. 15. In hæc verba Tertullianus ait, gregem universum unica ove non esse cariorem. *Grex una ovicula carior non erat.* Eam amissam quærit, ac illa una amissa, gregem omnem se amisisse putat. Et S. Chrysostomus in Epistolam ad Galatas in animarum nostrarum solatium hoc animadvertit, animas singulorum a Deo ita amari, perinde una tantum esset anima in toto terrarum orbe; ideoque unum hominem æque Deo carum esse, & acceptum, ac omnes simul mortales. Quamobrem Dei ipsius exemplum secuti, addit ille, eamdem animæ nostræ curam gerere debemus, ac si illius saluti totius humani generis salus esset conjuncta, atque a singulorum profectu in virtutis via, omnium hominum perfectio, & sanctitas proficiscerentur. Hoc autem disertissimis verbis a S. Ambrosio confirmatur: *Christus pro omnibus quidem mortuus est, hoc est quantum in ipso est, ejus momenti est, unius, cujus momenti est omnium perditio.*

Empti estis pretio magno. 1. ad Corinth. 6. In quæ verba S. Augustinus ait, Deum ex pretii quo animam nostram redemit, magnitudine satis ostendisse, quantopere hominem diligat; id autem, ut intelligamus, quanta fuerint ab ipso expianda delicta; non enim ad hominem redimendum misit Angelum, neque Arcangelum, sed Unigenitum suum, qui omnem sanguinem ad extremam usque guttam prorsus effunderet. Quapropter cum anima nostra tanto steterit impendio, tantoque a Deo habeatur in pretio, pudendum est, cum toties animam hanc pro vili, fluxaque re tradiderimus, & illam, quæ coram Deo tanti pretii est, pro bonis adeo fragilibus, ac perituris, qualia sunt omnia vitæ hujus bona, vendiderimus. Ita memoratus Pater allata explicat verba.

Anima servanda est cæterarum rerum detrimento. *Verumtamen animam illius serva.* Job 2. Hæc dixit Dæmoni Deus, cum illi permisit, ut Sancti Job virtutem experiretur; illi quippe contulit potesta-

rem in omnia ejusdem bona, filios, ac pecora; at ne vitæ ejusdem detrimentum afferret, prohibuit. Hoc enim anima ibi significat: *Verumtamen animam illius serva*. Verum nihil aptius videtur, quam verba eadem de anima nostra explicare dicendo corpus quidem nihil esse, hujus vitæ bona flocci esse facienda, ac ipsam etiam vitam nullo in discrimine habendam, dummodo animæ consulatur; eaque rerum quarumcumque impendio servetur: *Omnis homo in anima est*, inquit S. Ambrosius; si animæ jactura fiat, cætera quæcumque pereunt; ideoque sedulo servanda est: *Verumtamen animam illius serva*.

Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo. Ecclesf. 12. Omnis homo in hoc positus est, ut metuat Deum, legem illius servet, atque ita animæ suæ salutem operetur. Ita quicumque es, S. Ambrosius inquit, *attende tibi; tibi inquam, non possessionibus tuis; tibi inquam, non viribus corporis; tibi inquam, hoc est animæ tuæ, in qua te potiorem esse nosti*. Hoc verbum altius menti figendum est; nulla unquam oblivione deleatur ex animo; scias a te rationem Deo esse reddendam hujus thesauri, quem sibi servandum commisit. Nulli parcendum labori est; negotium hoc tibi uni concreditum est, cujus curam Deus tibi ita imposuit, ut tu unus illum procurare tenearis, de eodem rationem redditurus.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ SS. Patrum in hoc argumentum

IN vanum accipit animam, qui sola præsentia cogitat, & quæ sequuntur in perpetuum, non attendit, & qui ejus vitam negligit, & ei carnis curam anteponit; non autem accipiunt eam in vanum, qui ad ejus utilitatem, intentione continua referunt, quæcumque corporaliter operantur. S. Greg. Moral. 7. c. 19.

Si magnæ mercedis est, a morte eripere carnem, quamquam morituram; quanti est meriti a morte liberare animam in cœlesti patria sine fine victuram? Idem Hom. 26. Moral.

Sic conditi mirabiliter sumus, ut ratio animam, & anima possideat corpus. Idem.

Totum hominem animus circumfert, & quo vult transfert. Tertull. l. ad Martyres.

Quod majus lucrum potest esse, aut quod pretiosius, quam si humanam animam quis lucretur? S. Hieron. in Epist. ad Titum.

Pretium unusquisque animæ suæ consequitur, cum concupiscentiæ satisfecerit. Cyprian. in Symbol. Apostol.

Animus author culpæ, caro autem ministra. S. Ambrof. Offic. 1.

Deus operis sui idoneus æstimator. Idem l. 7. in Luc.

Anima hominis aut a Deo, aut a Diabolo regitur. S. August.

Animas mortuas multi in corpore vivo habent: Id.

Animæ mortuæ sepulchrum est corpus. Idem.

Vis ut anima tua caro tua serviat? Deo serviat anima tua; debes regi, ut possis regere. Idem.

Væ animæ audaci, quæ speravit, si a te recessisset, se aliquid melius habituram. Versa & reversa, in tergum & in latus; & dura sunt omnia, & tu solus requies. Idem l. 6. Confess.

Sicut Deus omnem creaturam, sic anima omnem creaturam naturæ dignitate præcellit. Idem de Gen. ad litteram.

Omnis anima aut Christi sponsa, aut Diaboli adultera est. Idem ibidem.

Quemadmodum fatendum est animam non esse quod Deus est; ita præsumendum, nihil intra omnia quæ creavit, ipsi Deo esse propinquius. Idem l. 10. Confess.

Cum te Deum quæro, vitam beatam quæro. Quæram te, ut vivat anima mea; vivit enim corpus meum de anima mea; & vivit anima mea de te. Idem, ibidem.

Ut vita carnis anima est, ita vita beata hominis Deus est. Idem Epist. 56. ad Dioscorum.

Anima habet mortem suam, cum vita beata caret, quæ vera animæ vita dicenda est. Idem l. 14. de Trinit. c. 4.

Mors animæ fit cum ea Deus deserit: sicut corporis mors cum eam deserit anima. Ergo totius hominis mors est, cum anima a Deo deserta, deserit corpus. Idem l. 3. de Civit. c. 2.

Immortalis est anima tua, & vivificat mortalem carnem tuam: immortalem dico animam tuam ad utrumque; si credit, immortalis est ad vitam; si non credit, immortalis est ad pœnam. Idem l. 3. de Symb.

Quando me intellexi Christi sanguine emptum, nolui amplius me exhibere venalem. Idem.

Christus pependit in ligno vitæ; vide quanto emit; & videbis quid emit. Idem in Ps. 43.

Imago Dei, Dei capax & particeps; capax per cognitionem, particeps per amorem. Idem l. de Trin.

Magna res est anima, quæ Christi sanguine redempta: gravis animæ casus, qui nonnisi Christi cruce potuit reparari. S. Bernard. Epist. 54.

O anima! insignita Dei imagine, decorata similitudine, desponsata fide, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, rationis particeps, quid tibi cum carne, qua haud aliud vilius sterquilinium invenisti: Idem in meditat.

Ad imaginem Dei facta est anima rationalis; cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest; capacem enim Dei, quidquid Deo minus est, non implebit. Idem Serm. de Dedicat.

Totus quidem iste mundus, ad unius animæ pretium, æstimari non potest. Idem in meditat.

Sublimius est animæ pretium, quæ nonnisi sanguine Christi redimi potuit. Idem ibidem.

Quid majus his tibi facere potuit, quam ut ad similitudinem suam conderet factor tuus? attende igitur diligenter primæ conditionis tuæ excellentiam. Idem Serm. 67. De inter. domo.

Dignissima compensatio effusi sanguinis Christi. Id. (sic animam vocat.)

Mira res anima, quæ Christi sanguine redempta est. Idem Epist. 54.

Damna animæ totum penitus secum auferunt; nec quicquam homo omnino habere potest, qui seipsum damno animæ pereuntis amittit. Salvian. l. 3. ad Ecclesf. Cath.

Quis furor, viles a vobis animas haberi: quas etiam Diabolus putat esse pretiosas? Idem ibidem.

O anima! quid miraris syderum altitudines, & profunditatem maris? Animi tui abyssum intra, ac mirare si potes. Isidor. l. 2. de summo bono.

Salus creaturæ lucrum est Creatoris. S. Hieronym.

Anima cara & amica possessio Dei, cujus causa formatum est Cœlum, & extensum est mare, fundata est terra; propter quam Sol oritur & occumbit. Aug. Serm. 223. de tempor.

Anima Civitas Dei est, de qua tam gloriosa dicta sunt, quod ad imaginem Dei facta est. Idem l. de Spirit. & anima.

Unusquisque animam suam Diabolo vendit, accepta tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis. Idem in Epist. ad Rom.

O anima! erige te; tanti vales! Idem in Psal. 102.

Si animam negligamus, nec corpus salvare poterimus; non enim anima pro corpore, sed corpus pro anima factum est. S. Chrysost. l. de recuperat. lapsi.

Vis scire quantum sit pretium animarum? redempturus eas Unigenitus, non mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, sed suum pretiosum Sanguinem: vidisti magnitudinem pretii. Quando

ergo

ergo tuam tanti emptam perdideris, quomodo poteris eam deinceps emere? Idem in Psalm. 48.

Nihil est quod animae possit aequiparari, ne universus quidem mundus. Itaque si immensas pecunias eroges pauperibus, plus tamen effeceris, si unam converteris animam. Idem Hom. 3. in 1. ad Corinth.

Pecuniam qui amisit, aliam pro amissa potest afferre; similiter qui aedes, qui servos, qui caetera hujusmodi amisit: animam vero si perdas, aliam pro ea dare numquam poteris. Idem Homil. 56. in Matth.

Pretiosum depositum, quod sibi Christus Sanguine proprio pretiosius judicavit. Bernard. Serm. 3. de Tripl. Advent.

In hac anima totus es homo; quia sine hac nihil es, sed es terra, & in terram resolveris. Ambros. l. 6. exam.

Nobilem vult esse vitam tuam, qui tibi commisit imaginem suam. Euseb. Emissen. in Homil. 2. de Symbol.

Quam pretiosus sis, si fallori forte non credis, interroga redemptorem. Idem ibidem.

Tam copioso munere redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur. Idem Homil. 6.

Transiisse ipsum vides in pretium meum. Idem Homil. 6. de Pasch.

In trutina Crucis, non aurum, vel argentum, sed semetipsum passus est auctor salutis appendi: ut homini, naturae suae dignitatem, vel ipsa ostenderet pretii magnitudo. Idem de Symbol.

Ergone majus erit suscitare carnem iterum morituram, quam animam aeternum victuram? Ergone majus erit carnem revocare ad gaudia mundi, quam animae restituere gaudia Coeli! O qualis dos! quanta dignitas, talem gratiam a Deo accipere! Richard. a S. Vict. l. Benjam. c. 44.

Opinio immortalitatis animae fundamentum religionis & honestatis; quam quis non credit, tollit spem alterius vitae, & nihil restat nisi prostitutio virtutum. Guill. Parif. l. de Immort. anim.

Cum optimus quisque posteritati serviat; esse aliquid verisimile est, cujus is post mortem sensum sit habiturus. Cicero Tuscul. quaest. l. 1.

Praestantes viri numquam tanta conati essent, quae ad posteritatis memoriam pertinerent, ni animo vidissent, posteritatem ad se pertinere posse. Idem in Cat. maj.

Animorum nulla in terris origo inveniri potest; nihil enim mixtum atque concretum; aut quod ex terra natum, atque fictum esse videatur: nec invenietur unquam unde venire possint nisi a Deo. Idem l. 1. Tuscul. quaest.

Mihi quidem numquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent, vivere; cum exiissent, emori. Idem l. de Senect.

Hoc habet argumentum divinitatis suae, quod eam divina delectant. Senec. l. 1. natural. quaest.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus ad hoc argumentum possit hauriri.

Animae definitio, & finis.

SAnctus Augustinus Animam definit, substantiam creatam, invisibilem, spiritualem, ac immortalem in se Creatoris sui imaginem referentem; unde infert, postquam in tempore vixerit, quod suis, certisque finibus circumscriptum est, ex naturae ipsius privilegio in aeternitate, quae nullis finibus continetur, eidem esse vivendum. Cum enim Deus animarum nostrarum sit auctor, easque ad imaginem suam efformaverit, aequum est, ut aliquando ad auctorem suum revertantur, ita ut cum ipse sit efficiens hominis causa, non alium esse debeat felicitatis ejusdem objectum; unde sequitur ex ejusdem Doctoris sententia, Animam nullam invenire posse requiem, nisi ad Deum ipsum redierit.

Animae dignitas, & praestantia.

Animae dignitas consideranda est, vel ex ejus origine, vel natura, vel fine, vel pretio, quod pro ipsius redemptione persolutum est. Haec quatuor non solum supra caeterorum animantium animas, verum etiam supra purissimas quoque creaturas illam extollunt, ac afficiunt, ut Deus ipsa, tanquam praestantissimum operum suorum eamdem respiciat. Propter illam enim Coelum, terramque condidit, ac in illa nobilissimos similitudinis suae characteres impressit. Ita cum de hac anima propter scelus actum esset, ipse venit in Mundum, vitam suam tradidit, totumque effudit sanguinem, ut illam redimeret; quod monet, ne nos illam flocci faciamus, neque iterum de gradu ipsius deturbemus peccato, quod praeclara delet divinitatis lineamenta, eamque tandem in calamitosissimum interitum praecipitem tradit.

Ejus spiritualitas.

Primus Divinitatis character, qui animae nostrae inustus sit, quoddam veluti intellectus & immortalitatis suae fundamentum, atque principium, spiritualitas est; videlicet independentia a materia, cui inhaeret, & quae nihil ad ejusdem contulit existentiam; cum anima toto coelo corpori praestet, atque supra quaecumque sensibilia ordinem praestantiorem obtineat. Fateor quidem, difficile esse hanc mentis nostrae sublimitatem intelligere, anima quippe corpori adhaeret, & ut plurimum per ejusdem organa cognoscit; & quia operationes suas extrinsecus facit, qua in re habet aliquid cum brutis ipsis commune. Hinc mentes magis obaesae, ac rudes de animae nostrae dignitate dubitant; verum eamdem ipsis apertissime ostendere possunt, & mentis operationes, quae penitus eamdem aperiunt, & secreti instinctus, anterioresque sensus, quos in nobismetipsis experimur, qui efficiunt, ut animae spiritualitatem non cognoscamus solum, verum etiam sentiamus.

Ad haec si verum est, intellectum nostrum operari quaedam sine quovis corporis adminiculo, verum quoque est operationes quasdam ipsius mere spirituales esse, ideoque ipsum quoque spiritualem esse debere: quoniam actio qualibet suo principio conformis est, neque supra ejusdem naturam sese potest attollere juxta tritum illud Philosophorum axioma, operatio sequitur essentiam. At certum est, intellectum nostrum quasdam habere operationes, quae a corpore minime pendent, & spirituales sunt; quandoquidem cognoscit Deum, & Angelorum naturam, quae sane objecta sunt mere spiritualia, & nonnisi spirituali actione intelligenda.

De Animae libertate.

Alter divinae imaginis character, quam Dei manus omnipotens insculpsit animae nostrae, libertas est; atque ita duas Theologorum opiniones de imagine Dei in anima nostra dissidentes conciliare possumus. Dicunt quidam illam positam esse in imperio, quod in mundum universum obtinemus; alii vero eam statuunt in ratione, atque intelligendi vi, qua haec anima praedita est. Sed nihil obest, quo minus utramque sententiam conciliemus dicentes, per rationem, atque libertatem hominem fieri Divinae dominationis participem, atque imperii speciem quamdam in omnia Mundi objecta fuisse assecutum: nam cum exempli gratia in nobismet motus, & studia quaedam experimur, quibus ad res sensibus nostris subjectas rapimur, & ad illas sequendas impellimur, nobis integrum est & affectui parere, & illius vim propulsare. At quaeso undenam haec in utramque partem libertas? Tuto respondere possumus, eam ex illa libertate emanare, qua anima a Deo donata est, atque ab praeclara illa dignitate, qua a materia, quae natura sua est determinata, distinguitur.

Ejus immortalitas.

Tertius, ac postremus divinae in anima nostra imaginis character est immortalitas, quae ex S. Joannis Chrysostomi sententia totius Religionis nostrae fundamentum est; nam omnes promissiones, Prophetarum vaticinia, Evangelicae minae hanc aeternitatem respiciunt, sine qua fides nostra est inanis, & vacua; si enim anima nostra immortalis non esset;

hæc omnia effectu carerent, ac meræ illusiones essent. Quamobrem Deus tum intra nos, tum extra tot faces accendit, quæ hanc nobis veritatem ostenderent; ad quam probandam, atque confirmandam omnia fidei, ac rationis lumina confluunt. Hujus rei probationes fusius apud Theologos, atque Auctores, quos supra memoravimus, videre est, qui hac præsertim de re singulares tractatus, ac volumina ediderunt; quorum quidem nonnullas minus abstractas, ac magis morales afferemus.

Quicumque animæ nostræ immortalitatem impugnant, errorem suum alio errore confirmant, rati animam nostram esse materialem. Verum cum liquido probetur ex animæ operationibus, spiritualis esse, immortalis quoque inde esse probatur. Nemo Philosophorum hanc illationem improbavit, quæ negari non potest; cum constet, ea omnia, quæ intereunt, suam amittere essentiam, vel propter contrarium usum, vel propter causæ illa servantis defectum, vel propter subjecti sui corruptionem. At ob nullam ex tribus memoratis rationibus substantia spiritualis potest interire; non ex prima, spiritualis enim substantia nihil habere potest contratium, quo destruatur; cum qualitates omnes, quæ eidem oppositæ censentur, sint materiales; ergo anima, quæ spiritualis est, nihil in natura sua habet, quod earum actionem, & vim pertimescat: non ex altera; cum enim Deus spirituum Creator sit, eorumdem est quoque servator, neque illis deesse potest, nisi absoluta voluntate, quæ una creata quæcumque penitus delere potest: neque tandem ex tertia; hoc enim agitur de spirituali substantia; & ea tantum accidentia, quæ perituris inhærent subjectis, esse desinunt, ubi subjectum ipsorum esse defierit.

S. Thom. l. 2. contra Gen. c. 76.

Probatur animæ spiritualitas, unde ipsius infertur immortalitas.

Nemo unus ignorat, materiales facultates singularia tantum objecta cognoscere: exempli gratia, visum intueri tantummodo colorem peculiarem, qui est in subjecto; gustum percipere solum saporem illum, qui in hac, vel illa esca invenitur: auditum nonnisi sonum illum, quod auribus accidit, percipere; quod de cæteris quoque materialibus facultatibus dicendum est, quæ numquam in objecta universalia operantur. Intellectus vero universalia concipit, & generatim definit, quod sensus particulariter tantum cognoscunt; quod innotescit in scientiis, quæ non aliud habent objectum, nisi id, quod est universale. Ita rationis vis inferre nos cogit, intellectum nequaquam esse facultatem materialem. Præterquamquod non solum cognitionis suæ objectum, sed ipsam quoque cognitionem suam cognoscit, in quam in infinitum suas considerationes extendit; cum interim materialis potentia actionem suam cognoscere nequeat; exempli gratia, nequeat oculus videre actionem, quam videt, sed tantum objectum quod ab ipso videtur.

Ea quæ vera omnibus semper sæculis a sapientissimis quibuscumque habita sunt, tamquam vera, citra quamlibet dubitationis aleam habenda sunt. Hoc docet Philosophus disertissimis verbis initio Ethicorum suorum: error enim, qui ex nonnullorum tantummodo ignorantia procedit, numquam in iis reperitur, quæ universe prudentissimi, sapientissimique viri crediderc. At si huic axiomati inniti velis, immortalitas animæ certissima est existimanda; hæc enim omnibus sæculis ab omnibus terrarum gentibus, licet regionum infinitis propemodum spatiis distantibus, nullo unquam commercio conjunctis, Religione, opinionibus, sententiis, motibusque prorsus oppositis credita fuit. Unde vero hæc adeo vetus, adeo conformis, adeoque universalis sententia fluere potuit, nisi ab Auctore naturæ, qui eam in cordibus nostris insculpsit? Sin autem extitere quidam, qui hanc impugnaverint opinionem, præterquamquod hi numerabiles profecto sunt, utpote pauci, ac nominis fama laborant, atque a cæteris exploduntur in ipsis etiam Ethnicæ religionis tenebris; semper tamen animadversum est vitæ ipsorum flagitia, ac libidinosissimum vivendi genus hanc ipsis injecisse mentem, ut cogitationem, metumque suppliciorum, quæ sceleribus suis debebantur averterent: *Malunt enim extingui, quam ad supplicia reservari*: Minutius Felix inquit.

Si homini non alia adesset vita prater eam, quam in hoc mundo traducit, impii, qui sese criminosis ingurgitant voluptatibus, præ bonis longe feliciores essent; omnesque jure in id unum vacarent, ut summam felicitatem in terrenarum suavitatum perfruitione staturent, atque vitia sua pro virtutibus ostentarent; cum enim vita hæc eorum esset finis extremus, jure apud illos virtutis locum obtinerent. Hæc moralis ratio tantam vim habet, ut D. Chrysostomo locum præbuerit asserendi, negare animæ immortalitatem, ac Dei existentiam negare, unum & idem esse; hoc enim pacto Deum injustum esse crederemus, qui bonos quidem sine præmio, eo quod omnes hujus vitæ voluptates abdicaverint, impios vero sine pœna, quod omni flagitiorum genere sese protulerint, relinqueret. At in Deo injustitiam admittere, idem est, ac tollere divinitatem.

Quæ mala ex oppositæ sententia orirentur.

Si verum est nihil in terris inveniri, quod ad ultimum aliquem finem minime tendat, ubi bonum, ac requiem suam nanciscatur, quam tamen assequi nequit; quod ignis sursum, lapidis vero deorsum tendentium exemplis confirmatur; nonne anima quoque ad illud bonum contendere debet, quod sibi satisfacere, ipsamque felicem efficere possit? At naturali docemur lumine, bono alicui, ut hunc parere possit effectum, duplicem inesse debere conditionem; alteram quidem, quod in se ea omnia contineat bona, quæ anima expetere possit; alteram, vero, quod illa tuto possideat, quin eorum jacturam sit subitura. At ex omnibus creatis bonis nulli duplex hæc inest conditio; nemo enim aliorum perfectiones possidet, immo neque æternum eas possidet, quæ sibi sunt propriæ, ac peculiares; ideo animæ requies, & felicitas in alicujus creati boni possessione consistere nequit. Confugiendum est ergo ad increatum bonum, quod Deus est; qui tamen cum in hac vita possideri minime possit, eo modo, quo opus est, ut felicitas adsit; requiritur necessario, ut hoc bonum in altera vita inveniatur ab anima, ubi Deum, æternum, ac summum bonum perfecte, atque in æternum possideat; quod profecto esse non potest, nisi anima sit immortalis.

Ad hæc videmus, naturam omnibus hominibus immortalitatis desiderium injecisse; unde sequitur, ut nemo naturaliter mortem non timeat, ac in æternum vitam traducere minime cupiat. Anima violentum hoc sentit desiderium; cumque nequeat semper in terris versari, contendit tamen in hominum memoria saltem vivere, & quamdam nomini suo comparare æternitatem; quod quidem alii præclaris rebus gestis, alii vero scientiis, editisque operibus conantur acquirere. Hinc fit, ut ambitiosi semper altius provehi cupiant, & avari in futurum tempus opes congerere studeant. Pauci tamen horum motuum causam intelligunt, quæ non alia profecto est, quam violentum illud desiderium, quo anima nostra quocumque in loco, & omni tempore esse cupit, atque per hanc inquietam sollicitamque cupiditatem satis ostendit, ipsam eumdem cum tempore finem nequaquam habituram, sed ad eum finem contendere, qui non habet finem, quemadmodum loquitur S. Augustinus. Hoc igitur desiderium adeo violentum, atque universale frustra esse non potest, non secus ac instinctus ille, quem naturæ Deus omnibus animantibus indidit; & inclinationem illam, quam entibus omnibus impressit, ut ad suum finem ferantur.

Anima habet naturale immortalitatis desiderium.

Longe plures rationes supetunt, aliæque probationes immortalitatis animæ nostræ seu plussicæ, seu morales, quas Theologi flagitiosorum hominum quæstionibus, atque objectionibus responsuri fusius pertractant; quarum singulis licet neque metaphysice perspicuitas, neque mathematica insit demon-

demonstratio, omnes tamen simul adeo validæ sunt, tantumque roboris habent, ut Ethnicos ipsos persuadere potuerint, eosque cogere, ut victi manus darent, ubi vel crassæ ignorantiæ tenebris obruti, vel cæcæ obstinationis perfidia obdurati non essent. Quod tamen ad Christianos homines pertinet, præter Scripturæ locos, quos superius attulimus, nemo unus ignorare potest, hunc fidei nostræ, ac symboli articulum esse; eamque veritatem ab universali Ecclesia fuisse definitam sexta Generali synodo, ac deinde Lateranensi Concilio confirmatam ita ut de eadem ambigere, idem censendum sit, ac eodem tempore & rationalis, & Christiani hominis qualitatem exuere.

De anima in sua naturali essentia considerata.

Sciendum est, juxta S. Pauli doctrinam, in nostrum unoquoque duplicem quodammodo reperiri hominem, interiorem scilicet, atque exteriorem, animam videlicet, & corpus; quæ cum in nobis duplex vitæ genus constituant, duplici mortis generi sumus obnoxii. Corporalem habemus vitam cum brutis communem; & animæ vitam, quæ nos Angelis similes efficit. Hæc quidem spiritualis est, pura, sancta, & ab iis omnibus, quæ terrena, & carnalia sapiunt, expedita. Principium vitæ corporis, anima est; animæ vero Deus, qui in anima per gratiam inhabitans efficit, ut supernaturalem, divinamque vitam vivat, quemadmodum anima præstat, ut corpus naturali vita fruatur. Ita non secus ac postquam anima secessit corpus moritur, ita moritur anima eodem temporis momento, quo ab illa recedit Deus. Cum autem anima longe præstantior sit corpore, & Deus infinite superior anima, cum Deus animam deserit, & ab illa divellitur, hæc mors animæ per Dei secessionem inflicta proculdubio gravior est, ac magis deflenda, quam mors corporis, quæ tunc contingit; cum a corpore anima excedit.

Peccatum animæ vitam aufert.

Si quid in terris est, propterquod peccatum tamquam malorum omnium maximum perhorrescere teneamur id præcipue censendum est, quod mortem animæ nostræ infligit, nobis gratiæ vitam eripiens, nobisque Deum auferens, summum videlicet, unicumque bonum, quod in æternum nos felices efficere valeat, & quod deinde nos iis omnibus meritis exuat, quæ virtutum exercitatione potuimus acquirere; quod illi cum naturali morte commune est, homini omnia bona, omnesque divitias auferente.

Notandum est, juxta Christianæ Religionis principia, animæ nostræ duplicem essentiam inesse, alteram quidem naturalem, supernaturalem alteram, eamque secundum supernaturalem essentiam non esse immortalem, quemadmodum S. Hieronimus inquit, potest enim amittere gratiam, quæ vita ipsius est supernaturalis; immortalem vero esse secundum naturalem essentiam ex naturæ suæ statu; suæque substantiæ incorruptione. Nullum habet vel intra, vel extra se principium, quo deleri possit, Deus unus illam in nihilum redigere potest: immo neque in se ullum habet corruptionis principium, essentia illius est forma simplex; neque ulla exterior est causa, quæ illam possit destruere, quia spiritus est, & materia in spiritum agere nequit, cumque proprietates ejus sint essentiæ simplicis, indivisibilis, atque incorruptibilis, dubitandum non est, quominus sit immortalis.

Anima naturaliter immortalitatem desiderat.

Illud autem ostendit animam naturæ legibus obnoxiam non esse, quod naturale ipsi inest immortalitatis desiderium. Quorsum homines magnificas ædes extruunt, belli tot pericula subeunt, tot posteris scripta relinquunt, tumulis suis exquisitissima inscribunt Epitaphia, nisi ut in hominum existimatione superstiti immortalitate fruantur: At hoc naturale desiderium inane penitus esse non potest: nequeunt homines mentes suas in æternitatem extendere, immo neque æternitatis cogitationem concipere possunt, nisi illam animæ ipsorum valeant possidere. Igitur immortales sunt, idque voluit Deus, ut magnificentia, atque justitia sua æternum enitesceret, magnificentia quidem in cumulatissimo gloriæ suæ præmio, justitia vero in sævissimo scelerum omnium supplicio.

PARAGRAPHUS VI.

Loci ex Asceticis libris, Neotericisque Concionatoribus delecti.

De animæ præstantia, quæ ex se dignitatem suam intelligere non potest.

Sanctus Gregorius Nyssenus ait, quemadmodum oculi, qui reliqua objecta quæcumque intuentur, seipsos tamen nisi speculo intueri non possunt, ita animam, quæ omnia cognoscit, se ipsam, tamen cognoscere minime posse nisi in speculo scripturarum de ipsius creatione loquentium. Ibi illa discit, se manu Dei elaboratam fuisse, hunc flatu suo humanum corpus animasse; ibi intuetur, Deum, qui in cæterorum operum creatione est usus imperio, in homine efformando, deliberatione usum esse, atque consilio: ibi etiam intelligit, Dei imaginem in se insculptam fuisse, atque cognoscit tot caracteribus dignitatis suæ se fuisse consecratam: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*. Gen. 2. *Biroat*.

Fieri ne potest, inquit S. Bernardus, ut anima, quæ omnia ferme hæc terrena cognoscit, ignoret, quomodo, & quem ad finem creata sit? Vel si cognoscit, sciens se ad imaginem Dei sui factam fuisse, & ob id factam, ut illum in æternum possideat, haud ægre hoc tantum boni relinquat carnis corruptionem secutura? Ad hæc, si Dei sanguis nostræ redemptionis est pretium, & si ratio vult, ut rem, quæ redempta fuit, ex illius sanguinis pretio æstimemus; possumusne animarum nostrarum salutem contemnere, quin sanguinem Filii Dei contemnamus, scientes illum mortem oppetere voluisse, ut hanc revocaret ad vitam? Nonne in nosmetipsos barbari, ac sævi essemus animabus nostris minime consulentes, ita ut vitam morte adeo pretiosa acquisitam illi conservare non possemus? *Richelieu l. de Perfectione Christiana cap. primo*.

De animæ morte per peccatum.

Si verum est, uti anima vita corporis est, ita Deum esse vitam animarum nostrarum, vellene ipsa poterit recedere a Deo, non solum vita sua; verum etiam vitæ suæ felicitate? Præcipue vero si consideret, se peccatis mancipari non posse, quin sæviorem patret necem, quam qua animas a corporibus sejungit, necem, quæ locum præbuit S. Bernardo exclamandi: gloriari ne potestis aliquem vobis inesse Christianæ pietatis sensum, si corpus intuitos, a quo recessit anima, vos miseret, non miseret vero ejus animæ, a qua Deus recessit? Si amici alicujus interitum videre non potestis, quin in inutiles lacrymas erumpatis; animæ vestræ mortem siccis oculis spectare poteritis? Eos defletis mortuos, quos lacrymæ suscitare minime possunt, quin animarum vestrarum mortem defleatis, quas per pœnitentiæ lacrymas ad vitam revocare potestis? *Idem*.

Quænam animarum nostrarum dignitas putanda est, quandoquidem Dei ipsius imaginem referunt, ejusque spiritualitatem, intelligendi vim, immortalitatem imitantur? Verumtamen existimatio, quæ de anima habenda est, non simpliciter theorica, sed etiam practica esse debet, ita ut animam nostram pro ipsius dignitate habeamus in pretio, atque subinde nobismetipsis dicamus id, quod olim CHRISTUS JESUS Judæis: *Cujus est imago hæc?* Quoniam vero Dei imago est, eam illi, quæ par est, reverentiam præstemus. *Nobilem vult esse vitam tuam, qui tibi commisit imaginem suam*. Vult Deus, ut nobilem, divinam, dignamque Deo vitam ducamus, quandoquidem nobis hanc dedit imaginem, ut illius curam geramus, eamque diligentissime custodiamus. *Biroat* 2. *Sermone pro feria quinta Cinerum*.

Quanti a Deo fiat anima nostra.

Dicendum profecto est, existimasse Deum, hanc animam in seipsa admodum pretiosam esse, ac plurimum gloriæ suæ conferre posse; quandoquidem tot, tantaque subiit, ut illam quocumque scelere ablueret. Quemadmodum si pictorem quempiam vide-

viderem omnia bona sua tradere ad tabulam a se depictam, licet luto coinquinatam, atque delatam redimendam: inde arguerem, opus illud ab auctore suo præstantissimum existimari, atque inter tot macularum fœditatem pretiosum aliquid ab ipso deprehendi, cum tanto illud velit pretio comparare: ita cum video, Deum ex ipso vitiorum cœno, atque flagitiorum volutabro animam eruere, illam tanta anxietate perquirere, tot, tantaque mala pati, vitamque suam ad illam redimendam impendere, tunc quidem intra me dico, quantum pretiosa, atque excellens hæc esse debet, quandoquidem tot adspersa maculis tanta cura perquiritur, tanto labore, tantoque pretio redimitur? Tunc cum S. Bernardo concludo: *Mira dignatio Dei quærentis, sed mira dignitas hominis quæsiti! Idem.*

Hac de causa Apostoli ardentissimo zelo succensi animarum salutem quæsiverunt, atque cum S. Paulo dicere potuerunt: *Ego autem libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* 2. ad Cor. 12. Ite Apostoli, maria percurrite, provincias peragrate hac una spe ducti futurum, ut aliquam animam salvam faciatis. Præclara est laborum vestrorum merces; ipsa enim Dei, tamquam Creatoris imaginem refert; ipsius virtutum particeps est, tamquam Redemptoris; & per hanc redemptionem digna fit, ut in æternum fruatur aspectu ejusdem tamquam Glorificatoris. *Idem.*

Quanta sit animæ dignitas, & quanti momenti ejus salus.

Intellige, quanti momenti sit salus, & cognosces, quanta sit animæ dignitas. Si illius spectas originem, ex Dei manu prodiit; ab illo, quidquid ipsa est, accepit; ille hanc fecit non tamquam infirmum aliquod suæ potestatis indicium, ut cætera animantia rationis usu carentia; sed tamquam suæ cognitionis, atque sapientiæ vivam imaginem. Si ejusdem naturam perpendis, ipsa est invisibilis, spiritualis, immortalis substantia, in se Creatoris sui imaginem gerens, quæ ex ipso conditionis suæ privilegio, postquam in tempore vixit, quod statis finibus circumscribitur, in æternitate nullos habitura fines vivere debet. Si illius finem respicis, hæc ideo creata est, ut in æternum Deum laudet, & colat. Itaque quidquid Deus non est, illam detinere quidem potest, replere non potest; Deus unus illi satis esse potest; & licet tranquilla pace frui videatur, numquam tamen vera quiete fruetur, nisi iterum cum principio suo conjungatur. Sin autem pretium consideras, quod pro eadem redimenda persolutum est, invenies illam fructum esse passionum JESU CHRISTI, sanguinis ipsius pretium, & quamdam veluti novam novi mundi Creaturam, ussus Deus est Creator, atque Redemptor. *Flechier in adhortatione prima pro Clericis.*

Anima nostra Dei opus est: de effectu ex ejusdem causa judicandum est. Ipsa imago Dei est; ejus dignitas ex ipsius similitudine censenda est. Facta est, ut diligat Deum; ejusdem præstantia ex munere suo est intelligenda. Pretium est sanguinis, & mortis Dei, quanti valeat, ex pretio ipsius reputandum est. Nihil hac nobilius, nihil præstantius; nihil tamen magis illa negligitur quoad officia, quæ animabus præstare tenemur. Illæ seducuntur erroribus, falluntur illecebris, vulnerantur scandalis, modo pravis consiliis, modo nefariis exemplis necantur; ipsarum libidini traduntur, in sua nequitia foventur; in ignorantia deseruntur: & satis misericordes esse putamus, si corpus, a quo recessit anima, prosequimur lacrymis, cum animam, a qua recessit Deus, siccis oculis intueamur. *Idem.*

Quot animæ famelicæ, ac Dei verbum esurientes petunt panem, neque inveniunt aliquem, a quo sibi frangatur? Quot cæci quibus si oculatus adstitisset dux, tuto in Domini vias fuissent ingressi, una cum cœco duce præcipites cadunt in foveam? Quot oves errantes, & vagæ, quas pastor sollicitus, ac vigilans, vel salubri lenitate, vel prudenti severitate coegisset in pascua, eo quod omni caruerunt auxilio, tandem misere laniantur ac devorantur? Quot languentes, ac macie confecti paralytici in ipsa piscinæ ora contabescunt, quod hominem non habent, a quo, ubi Angelus Domini eorum conscientias attigerit, in eam conjiciantur? Anima JESU CHRISTI Sanguine redempta sexcentis Mundis pretiosior est; quam igitur rationem redditurus eris de tot animabus, quæ sua, fortasse de causa interierunt? *Idem.*

Verbum æternum incarnatum est ut animas salvas faceret.

Scrutare quotcumque libuerit Divini Verbi Incarnationis causas, omnes ad unicam salutis animarum nostrarum causam rediguntur. Deus venit in mundum; cur? Ut animas a peccato, ac dœmonis servitute eriperet: ut illis veras sanctificationis earumdem rationes detegeret, ut eas in statum illum vocaret, ubi perseverent in gratia, quam ipsis promeruit. Quanta erit gloria tua, si quid conferre poteris saluti animarum, quas ut salvas faceret, mortales exuvias induit; si spirituali, ac temporali subsidio easdem de peccatis eripere poteris! Omnia quidem nostræ Religionis arcana sublimia sunt, & admirabilia; verum audacter dicam, nullum utilius, nullum divinius est, quam saluti animarum prodesse. Hoc est *divinorum omnium divinissimum*, quemadmodum a S. Dionysio appellatur. *Joly in mixtis operibus, sermone de Anima dignitate.*

Summa captus admiratione S. Augustinus animadvertit animam, quæ ea omnia cognoscit, quæ sunt extra se, plerumque nescire, quid ipsa sit, & quanti valeat; immo etiam negligere hanc cognitionem: *Qualis est ista, quæ tam multa cognoscit, seipsam nesciens?* Omnia extra se posita, videt; quæ vero intra sunt, nescit! Nihil est in Cœlo, vel in terris, nihil vel in superiori Empyreo, vel in inferiori abysso, quod nolit detegere; & adeo cæca est, ut sese in omnia effundens objecta sui ipsius obliviscatur, ac se non cognoscat. *Qualis est ista....* Cum vero naturam suam minime noverit, intelligetne unquam quanti valeat, & quot quantaque sint creationis suæ privilegia? *Idem.*

Quomodo in te Anima sit imago Dei, & dignitas ejus.

Quid est anima humana, Tertullianus interrogat? est, inquit ille, flatus ex Dei sinu prodiens, atque emanans, qui in spiritualis, liberæ, & immortalis essentiæ productione quiescit. Deus ex natura sua spiritualis est; anima mea quoque ex privilegio, atque divini spiritus infusione est spiritualis. Deus liber est in operationibus suis; anima quoque mea in suis libera creata est. Deus in sua duratione est immortalis; anima similiter mea immortalis est, & licet hoc discriminis intercedat, quod anima quidem in tempore inceperit, Deus vero sit ab æterno; illa tamen æque ac Deus subsistet in omnem æternitatem. O flatus Dei, quam potens es! O anima hoc flatu vivificata, quam magna es? *Idem.*

Cur Deus flatu, non voce usus fuerit in animæ humanæ creatione.

Quorsum putas, Deum ad hominem efformatum respiratione usum fuisse non voce? Ideo, S. Gregorius ait, ut suum amorem, suamque existimationem, qua animam complectebatur, testatum relinqueret. Nequaquam egit cum illa tamquam cum opere communi, & contemnendo, sed eam veluti summum, perfectissimumque opus respexit. Illam non eduxit ex nihilo, ut reliquas creaturas voce imperantis, sed amantis suspirio: *non per vocem jussionis factus, sed respiratione creatus.* Cætera quæ fecerat, vidit solum, probavitque: *Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: Verum hominis animam longe majori habet in pretio; hæc enim suus flatus est, hæc suspirium, hæc sui amoris effusio. *Idem.*

Licet mihi cum S. Chrysologo exclamare: *Quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo?* O homo? cur te parvi adeo pendis, vel potius cur vilis adeo videris in oculis tuis, & adeo contemptibilis, cum Deo tuo tam carus sis, atque pretiosus? *Quare sic honoratus a Deo, te ipsum taliter inhonoras?* Cur tot honoribus a Deo affectus, tot privilegiis cumulatus per summum dedecus, & probrum te ipsum dedecoras? *Quare quæris unde factus sis, & ad quid factus sis, non requiris?* Cur tantopere nonnumquam fatigaris, ut scias, unde effectus fueris, neque tibi negotium facessit, qua de causa, & quem ad finem creatus fuisti. *Idem Joly.*

Quanti

De animæ nostræ pretio.

Quanti valet anima? hoc non ex ambitioso homine quæro qui pro inani honoris aura animam suam vendidit; nescit ille quanti valeat; dicere quidem potest, ubi pro inani quadam honoris specie eam in captivitatem asseruit, se id ignorasse cum S. Paulo; *ignorans feci*. Neque ex avaro id percontor, qui pro tenui quodam lucello eam tradidit; satis ille prodidit cæcitatem suam, cum rem infiniti pretii pro adeo modico valore distraxit. Ut illius meritum, atque præstantiam intelligam neque ex libidinoso quopiam id suscitor; jampridem namque a Spiritu sancto didici, hominem suis deditum voluptatibus nequaquam cognoscere quæ Dei sunt, quæ procedunt a Deo, quæ ad Deum sunt reversuræ: *animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt*; 1. ad Cor. 2. Ad quem ergo confugiam, quanti anima valeat edocendus? Ad te, o Creata Sapientia, quæ per Apostolum tuum ejusdem pretium nobis aperuisti: *Non corruptibilibus auro vel argento, redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati*; 1. Petri 5. Obliviscimini ergo, quid estis jure terrenæ nativitatis vestræ; illius enim memoria superbiam tantummodo vestram alere, & jactantiam fovere potest: Obliviscimini, quod mentis, atque industriæ vestræ subsidio nunc estis: hæc enim cogitatio plerumque noxiam vobismetipsis gignere solet philauciam; obliviscimini omnes vel naturales, vel acquisitas animi vestri dotes: & hoc unum scitote, quod ex animo vestro nulla unquam oblivione delendus est, animas scilicet vestram nequaquam vili quodam, & contemptibili pretio, quale argenti, aurique pretium est, sed pretio adeo magno, inæstimabili, infinito, quale est Sanguinis JESU CHRISTI pretium, vos fuisse redemptas. Intelligite aliquando, animas vestras Salvatori æque pretiosas visas fuisse ac Sanguinem suum; hunc enim sanctissimum sanguinem ad eas redimendas effudit. *Idem*.

Unicus, Domine, oculorum tuorum intuitus, unicum suspirium tuum, unicus gressus, vox unica tua omnium hominum salutem poterat operari: attamen sublimem adeo concepisti dignitatis animarum nostrarum ideam, ut nequaquam nimis te dare crediderís totum sanguinem tuum ad extremam usque guttam pro earumdem redemptione effundendo; immo si in toto terrarum orbe unica tantum redimenda fuisset anima, minime dubitasses infinitum hoc sine pretio pretium erogare, ut eam salvam faceres. *Idem*.

Omnia dona, & supernaturales gratiæ ad Animam proprie pertinent.

Animæ nostræ proprie æternæ gloriæ capaces sunt, atque pro eadem creatæ. Prædestinatio, vocatio, justificatio directe ad animas nostras referuntur. Has prædestinat Deus conformes fieri imagini JESU CHRISTI filii sui; in ipsis actuales, habitualesque gratiæ recipiuntur; illæ Deum cognoscent, videbunt, amabunt; illæ ad eum anhelant, illum inquirunt, neque votorum suorum compotes erunt, nisi penitus hæreant huic unico suæ felicitatis objecto; illis, tamquam amicis suis annuntiat Deus, se ipsarum possessionem futurum, & ipsas ad Deum usque attolli posse. *Idem*.

De animæ cognitionibus in vita hac idem fere usuvenit, ac de sacro Ismaelitarum igne, tempore Babylonicæ captivitatis. Illi enim antequam patria excederent terra, ignem in puteo occuluere; atque postliminio reversi, pro igne aquam tantummodo invenere. Deus in nobis rationem, tamquam sacrum ignem constituit, quo in iis uteremur, quæ & ejusdem gloriæ, & nostræ saluti prodessent; hunc ille quærit ignem, at lutulentam invenit aquam, videlicet sensus omnino terrenos. Quod probrum est, animam corporibus omnibus, quæ extra se sunt, absolute dominari, corpori vero suo, cui inhæret, turpiter ancillari? Nullum corpus est, cui per rationem anima nequeat imperitare: fluida moratur corpora, attollit gravia, sejungit solida, emollit dura, domat rebellia, sed eorum dominatrix, quæ absunt, infelix ancilla est eorum, quæ eamdem propius attingunt. Legi peccati subjecta est. *P. Simon a Virgine Carmelita, Sermone hujus argumenti*.

Cura quæ de anima habenda est.

Vides, ubi aliquis ægrotat, quanam agatur cura, quanam solicitudine agatur, quot eroget sumptus, ut corpori suo medeatur? nihil intentatum relinquitur, ubi spes adsit affectæ valetudinis reparandæ. Cur autem animam nostram negligemus? Numquid minime meretur, ullum adhiberi pharmacum, atque ejusdem incolumitati omnem operam enixius impendi? Si tot corpori subsidia afferuntur, æquum non est, ut anima in quadam veluti oblivione deferatur, in morbis suis consenescat, & propter incuriam intereat. Nulla æqualitas est, immo nulla institui comparatio potest inter duas hasce partes; caro enim in omnia vitiorum genera prona est, ac nos semper ad terram tamquam primam originem suam trahere conatur; cum anima descendens a Patre luminum suapte natura in cœlum contendere debeat. Hæc anima in nobis constituit imaginem Dei, ipsa est pretiosissimum donum, quo divina potentia, ac largitas nos cumulaverit, per hanc præcipue divini amoris objectum divinorumque beneficiorum, gratiarumque subjectum sumus. Animam nostram tueri, eamque intra cancellos eidem circumscriptos continere, idem est ac servare depositum a Deo nobis concreditum, cujus rationem est aliquando expetiturus. *Ex epistola secunda S. Eucherii*.

Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Nulla ergo utilitatis ratio subsistere potest, ubi de certa animæ jactura agatur; omnes quæstus, utilitates omnes nauci æstimandæ sunt, ubi damnum aliquod saluti æternæ inferatur; quomodo enim lucrum, vel quæstus aliquis, quicumque tandem ille sit, percipi poterit, cum anima non amplius eo in statu versetur, in quo illum valeat experiri? Præsens vita æternæ vitæ oblivionem inducere nobis non debet; hæc enim tradita nobis est, ut illam jugiter recogitemus, singulis ipsius momentis nosmet eidem præparemus, atque eamdem bonis operibus promereamur. Ferendum ergo non est, ut hæc vita quæ in singula momenta labitur, opponatur vitæ illi, quæ nullum est finem habitura; ne, cum ad illam gradus esse debet, fiat molestissimum eidem obstaculum. *In Epistola eadem*.

De arcta Animæ, & corporis conjunctione.

Ubi corporis carcer atteritur, illum anima reparat, cum ruinam minitatur, illum fulcit, cum tempus, & mala eum labefactant, eumdem constanter defendit; in eo sese munit, & numquam inde egreditur, donec exiguum aliquod punctum inveniat, ubi delitescere valeat. Hinc violentæ agoniæ, & inquietæ agitationes, ubi loco cedere cogitur. Et constat ratio; cum enim anima, & corpus duæ partes sint, altera propter alteram mutuo creatæ, ut utraque simul totum idem constituant; perfectionem suam non obtinent, neque suum finem attingunt, nisi ubi conjunctæ sibi cohærent. *P. Aurelianensis sermone de Beatissima Virginis Assumptione*.

Præstaret æternas potius soli tenebras offundere, in omnes aquarum fontes virus injicere, oculos sibi effodere, effossisque oculis circa præcipitis alicujus loci oram versari, quam perperam immortalitatis animæ fidem evertere, & vel sophismate quopiam extinguere, vel pravo aliquo affectu lumen hoc adeo generale, & necessarium suffocare. Hunc inter mortales errorem inferre, idem est ac radicitus religionem omnem convellere, virtutum radices obtruncare, potissimum societatis humanæ principium dissipare. *Sillhon Tractatu de Animæ immortalitate*.

De dependentia animæ a corpore.

Qui videt arctam hanc, inevitabilemque dependentiam animæ a corpore, & organis ejus, eamque contagionem, quæ ad altissimam etiam regionem, ipsasque mentis operationes ascendit, animam evigilare, atque sese exsolvere prout corpus adolescit, atque illius temperamentum consolidatur, somnum sensibus soporem inducendo rationem quoque vincire, & catenas quodammodo injicere illi facultati, quam divinam vocamus, vini fumum, hypocondriæ vapores, ardorem febris, & capitis vulnus

vulnus illius sermones perturbare, atque agendi rationem invertere, animam ipsam ætatis senio quodammodo confici, & cum organorum atteri detrimento, ita ut cum corporis defectu, atque temperamenti labefactatione, deficere, ac labefactari videatur: qui videt inquam miserrimam vastitatem, cum ob mentis oculos jugiter hoc spectaculum versetur, in eam sensim mentem impellitur, ut, animam non alterius esse conditionis, quam cæteras formas existimet. At aliunde, ubi rationis consideratur imperium in ipsam naturam, & metamorphosis, qua mores ipsos contra ipsam humorum temperiem immutat; sublimes illæ, divinæque cogitationes, quæ hominem supra sensuum objecta, atque omnem naturæ extensionem attollunt; desiderium illud felicitatis, quo naturaliter rapitur, & quod efficit, ut ubique, ne id mente quidem reputans inquirat: hoc inquam desiderium, quod omnia terræ bona, & quidquid sub cælo est explere non potest, fidem adstruit, necessario aliquid divinum, atque immortale eidem inesse, quod corporis, & materiæ ordinem prorsus excedat. *Idem*.

Moralis demonstratio ex multarum rationum, argumentorumque congerie perficitur, quorum singula recte quidem evincunt, quod contendunt, non tamen satis plane, atque perspicue ..... Intellectus colligit, & undequaque coacervat, quidquid lucem afferre potest ei rei, quam intelligere quærit; in auxilium omnes suas vires accersit, cum quovis armorum genere digladiatur, pluribus tormentis, atque machinis utitur, ut victoriam obtineat, & propositum sibi assequatur effectum; rationes rationibus agglomerat; rationes ipsas auctoritate confirmat; opinionem, quam statuere admititur, considerat, oppositæ vero incongruentias, & quæ inde sequerentur absurda, perpendit. Moralis igitur demonstratio, ubi de animæ agitur immortalitate, nequaquam posita est in primo examine, quod facit intellectus rationum, & argumentorum hanc inferentium veritatem, neque in primo experimento virium eorumdem, quod seorsim, ac singillatim instituit; sed in peculiari quadam consideratione, qua rationes omnes in quoddam veluti corpus congestas intuetur, & in posteriori ratiocinatione, quæ ex toto eo corpore infertur. Hoc pacto fidei consonum nequaquam est, ut tot, & tam varia argumenta ad eam probandam opinionem, quæ sit fallax, valeant inducere. *Idem Sillhon*.

Discrimen inter hominis, ac brutorum animas.

Si nihil corporeum, nihil materiale in Angelorum substantia invenitur, seu illorum conditionem, seu modum, quo sunt, respicere velis, quis ambigere poterit, utrum animæ nostræ substantia ab omni materia immunis sit, atque vacua; sed prorsus spiritualis, atque alterius ordinis, qui longe omnem corporis, & materiæ ordinem antecellat? Quod spectat ad substantiam animæ brutorum, quemadmodum non videmus, illam in operationibus suis supra materiam attolli, eamque sensuum suorum objectis affici tantum, ab illis necessario moveri, & agitari; illam temperamenti, & organorum ancillam esse, ac eo semper contendere, quo ab illis impellitur, & eo sequi, quo illi eamdem inclinant; jure affirmamus esse corpoream, atque per se solam, & a materia sejunctam non posse subsistere. *Idem*.

Quomodo anima Deo sacra polluitur.

Sacra nullo pretio possunt æstimari; quemadmodum citra impietatem pollui non possunt, ita neque emi, neque venundari citra simoniam, nisi iisdem pretium tribuatur æque magnum, ac ipse Deus? At quidnam tam Deo sacrum, quam anima, eidem ob tot rationes dicata? Hæc Dei solium est, hæc templum, hæc hæreditas, hæc thesaurus, ubi suum cor, suasque delitias constituit. Quanti valet igitur anima? Si justum illius pretium nosse cupis, vide quanto steterit impendio Redemptori. Dicendum profecto est, hanc magnum esse thesaurum, ditissimumque depositum; quippe æterna Sapientia, quæ falli non potest; illam suo sanguine pretiosiorem judicavit, inquit S. Bernardus: *Pretiosum Depositum, quod sibi Christus proprio Sanguine dedicavit. P. Novet, Meditationum parte 5.*

O bone Jesu! ne permittas nos in adeo miseram labi cæcitatem, qualis est hujus mundi bona animæ nostræ præferre, ac fucatas, fluxasque divitias veris, æternisque thesauris anteponere. Nonne tot, tantaque passus es, ut animam nostram salvam faceres, animam hanc, quæ tanto tibi stetit pretio, animam hanc, pro qua totum Sanguinem tuum effudisti? Quæ miseria igitur, vel dicam melius, quæ insania, si pro inani aliqua re illius detrimentum patiamur? Quid enim in Mundo est, quod illius pretium exæquet, vel *quam dabit homo commutationem pro anima sua*? Matth. 18. Filius ait: Igitur eam majori habeamus in pretio, quam cætera; reliqua omnia tradamus, ut eam servemus, eique veras solidasque divitias procuremus. *Desumptum ex libro, cui titulus: Essais de sermons de l' Abbé de Breteville.*

Mirum vobis videtur, quod Anima sit corpori superstes, mirum vobis sit potius, quod illa cum subjecto ab ipsius præstantia tantopere abhorrente cohæreat. Animæ unionem cum corpore, non animæ a corpore secessionem admirari debetis. Intelligite, si potestis hoc fœdus rei locum occupantis, datam extensionem habentis, cancellis suis circumscriptæ, & in præsens tantum, atque in præsentia subjecta agentis, cum re nullam figuram, nullam extensionem, colorem nullum, non fluiditatem, non soliditatem habente, quæ aliquo in sensu est ubique, quin partes habeat locum occupantes, quæ in præteritum, in futurum, in se, in ipsam agendi rationem eo miraculo operatur, quod licet invitos de illius spiritualitate persuadebit. *Desumptum ex Tractatu de Religione.*

Nequaquam tanti facimus animam nostram, quanti Deus, & dæmon illam faciunt.

Ausim ne ex te quærere, utrum Dei sensum circa animæ tuæ pretium intelligas? eam ne tanti facis, quanti ille? Si enim tantidem faceres, numquid in singulos dies periculum adires eamdem pro fragili, inanique re amittendi? Diceres ne Dæmoni, quod olim Judas: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eam tradam*? Matth. 26. Da mihi honorem hunc, lucellum illud, & anima mea tibi erit. Nisi animam tuam tanti facis, quanti Deus, saltem eam tanti fac, quanti eam Dæmon facit. Cur illam flocci pendis, cum ipse hanc adeo pretiosam existimet? Omnia facit, omnia donat, omnia pollicetur, ac nihil intentatum relinquit eam obtenturus; tu vero nihil vis facere, nihil pati, nihil dare eam servaturus! Numquid minus res agitur tua, ut animæ tuæ studeas incolumitati, quam dæmonis, ut ejusdem quærat interitum? *P. Nepveu Tomo 4. Considerationum.*

Nemo unus ignorat, animam esse imaginem Dei, illius gerere similitudinem, atque ab ipso Deo eidem divinitatis suæ caracteres impressos fuisse; *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*: Gen. 1. Sed me miserum! homo hanc imaginem sceleribus suis adeo fœdavit, ut modo minus fere Deo, quam brutis similis videatur: *Comparatus est jumentis, & similis factus est illis*. Psalm. 48. Eheu! quantum discriminis interest inter animam de Creatoris manu prodeuntem, & hanc ipsam tamquam in lutea domo, in corpore conclusam! Priori in statu omnino pura, cælestis, supremo lumine amicta fulgebat; in altero vero omnino terrestris est. Proh summum dedecus! Deus quidem præstantissimam divinitatis suæ imaginem illam creavit, homo vero illam scelestissima fœditate deturpat. Quam nitebat, elucebatque, ubi illam propter se Deus efformavit! ac in corpore, licet sit spiritualis, quam terrea est, infirma, languescens! Sexcentis ibi est obnoxia passionibus, quæ misere eam perturbant, atque coinquinant. *Sermo manuscriptus.*

Deus animam non corporeis

Vides quanti Deus faciat animam, quandoquidem eamdem præfert quibuscumque rebus a se crea-

quibuscumque rebus, sed Angelis etiam praefert. creatis, quarum singulas in genere suo optimas, atque perfectissimas judicavit. Hoc satis intellexerat Dœmon, cum Animæ reliquarum omnium præstantissimæ relaturus obsequium, & cultum, universa terræ hujus pollicebatur imperia: *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Matth. 4. At me miserum! cur animam hanc cum corruptibilibus hujus mundi rebus confero? Dicam potius, eam pluris quodammodo fieri a Deo, quam Angelicos spiritus adeo nobiles, & ab omni sensu, ac materia expeditos, quandoquidem ad id sunt destinati; ut animæ hujus curam quam solertissimam gerant: *Omnes sunt administratorii spiritus*. ad Hebr. 1. Uti enim Regum Præfecti nequaquam ejusdem sunt dignitatis, ac Reges ipsi, ita Angeli, qui destinati sunt, ut animarum sint Custodes, atque Rectores, hoc in sensu animabus ipsis inferiores censendi sunt. Quænam igitur est hujus animæ dignitas, cujus lateri Cœlestis aulæ Princeps invigilat, ut illam regat atque custodiat? *Idem*.

Videtur Deus animam ipsi etiam Filii sui vitæ prætulisse. Quidam etiam ex Sanctis Patribus procedunt ulterius; non enim se nimis exaggerare crediderunt animæ hujus pretium Deo ipsi quodammodo æquantes: *tam copioso munere redemptio agitur, ut anima Deum valere videatur*, inquit Eusebius Emissenus. Patet profecto, nullam esse inter Deum, & creaturam, inter Dominum, atque mancipium comparationem; sed si ex pretio, quo Deus animam redimere voluit, judicium ferendum est, aliquam fieri comparationem posse inveniemus. Cum enim mecum tacitus reputo Dei dolores, mœroresque, & quidquid passus est, ut hominem ex peccati eriperet servitute, tunc video omnibus hac in re consentiendum esse, animam videlicet plurimi valere, quandoquidem Deus illam eo habuit in pretio, ut proprii Filii sui cruore eamdem censuerit redimendam. Verum quæ cæcitas! quod plurimorum hominum probrum! nauci pendere animas suas, quæ tanto steterunt impendio ipsi Deo, qui tanta illas dilectione prosequitur, ut sudorum, laborumque suorum præclaram se referre mercedem putet, si per illos animæ unius possessionem obtineat? At animam nostram, ut ita dicam, vendentes pro fluxis fragilibusque rebus; cur saltem pretium dignum illa non poscimus? Cur adeo prodigi sumus boni tantum pretiosi; cur adeo iniqui æstimatores, mercatoresque sumus, ut pro vili pretio eam distrahamus! *Idem*.

Immoremur paulisper ea considerantes, quæ pro nobis Deus in tempore fecerit; ibi enim latissimus patebit campus intelligendi, quanti fecerit animas nostras. *Venite*, Propheta ait, *Venite, & videte; & narrabo mirabilia, quæ fecit Deus animæ meæ*. Si verbum æternum de cœlo descendit, & humanam carnem assumpsit, hoc ille præstitit, ut animæ meæ saluti consuleret; si dignatus est in stabulo, atque inter vilia animalia nasci, pondus amoris, quo animam meam prosecutus est, causa fuit, ut ita suam demitteret magnitudinem. Prima illius cura, cum venit in mundum, hæc fuit, ut animam nostram servaret. Proculdubio illum vehementer amamus, cui primas amoris nostri curas impendimus; tu hoc fatere, qui cor tuum miserrimæ creaturæ dilectione depravas. At primam hanc curam, qua Dei Filius animas nostras salvas facere studuit, numquam abjecit, eam semper tulit secum, numquam dereliquit. Quæ cum ita sint, liceat mihi ad vos, Auditores dilectissimi, hæc Apostoli ad Philip. 2. verba convertere: *hoc ergo sentite in vobis, quod & in* CHRISTO JESU: ad animæ vestræ salutem omnes actiones vestras referte, primas curas vestras in hoc unicum, & necessarium objectum impendite. Numquid hæc est consuetudo vestra? numquid animæ vestræ salus prima est cura vestra? *Idem*. *P. Nepven*.

Dolorem affectatur Deus ob animæ jacturam. *Fili serva animam tuam, & da illi honorem secundum debitum tuum*; considera animæ tuæ dignitatem, quæ tanti æstimatur a Deo. Quanto majori habemus aliquem in pretio, tanto majori dolore ob illius jacturam afficimur. Deus de animæ unius amissione ita conqueritur, ut vel ferreum cor ad miserationem flecti possit: *Dedi dilectam meam in manu inimicorum ejus*, ait ille per Prophetam: tu mihi aufers hæreditatem meam; ego illam deserere cogor. *Ergo in vanum laboravi*, ut eam possiderem; o frustra susceptos labores meos, o vires meas nequidquam exhaustas; o irritos mei amoris conatus. Heus vos moveant, Fideles, Dei querimoniæ, quas pro vobis, pro vestra effundit utilitate! *Miserere animæ tuæ placens Deo*. Idem.

Certum est, animam hanc esse adeo præstantem, ut creatas quascumque res antecellat, quandoquidem ad imaginem Dei creata est, ac de illius sinu prodit tot exornata perfectionibus, ut inter cetera principatum obtineat; & reliqua propter ipsam tantummodo facta videantur, ac sint quædam veluti umbræ, & quarum oppositione pulchritudinis ejusdem fulgor magis eluceat. Sed Gratia maximam illius perfectionem constituit; per hanc vivit, per hanc eam formam acquirit, qua in se Dei ipsius oculos, amoremque convertit; eo usque, ut S. Catharina Senensis, cui Deus animæ decorem ostenderat, dicere consueverit, sibi non amplius mirum videri, si Deus homo factus fuerit ad eam redimendam, & ad eamdem abluendam totum sanguinem suum voluerit effundere. *Idem*.

Cum anima quædam sit participatio Divinitatis, non est solum *velut umbra divinitatis*, ut ait Tertullianus; sed ejus imago est; substantiæ suæ unitate naturæ divinæ unitatem repræsentat; tres vero personas exprimit tribus facultatibus suis, memoria videlicet, intellectu, ac voluntate. Post hæc ne obstupescas, si audis, Angelos sollicitos esse, ut eidem famulentur, & gloriæ sibi vertere si eam tueantur, atque contra ejusdem inimicos propugnent. Quorsum istuc? Quia in fronte divinitatis imaginem gerit; quo caractere Deo ipsi commendatur; cujus cum sit egregium exemplar ejusdem misericordes oculos in se convertit. *Idem*.

Deus hominem creans libertatem illi tradidit, quæ ipsi essentialis est, & primum veluti naturæ suæ privilegium, quo a brutis animantibus distinguitur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui*: Eccli. 15. Simul ac creatus fuit, Deus illi impertiit, Tertullianus inquit, supremam potestatem, eumque voluntatum suarum dominum absolutum constituit: *adscripta est illi potestas, & libertas arbitrii*. Hoc privilegium est, quo non aliud antiquius hominibus est; & non defuere tamen homines adeo propriæ dignitatis inimici, ut animæ hanc supra cetera animantia prerogativam in dubium vocarent; quidam enim Philosophi crediderunt, fatum aliquod adesse, quod superari nullo modo posset, ac neminem esse, qui contra imperiosæ hujus necessitatis leges reluctari valeret. Liquet etiam non deesse quosdam Hæreticos, qui humani arbitrii libertatem, cum gratiæ vi, atque potestate conciliare non possunt. Verum liquido constat nihil sese magis prodere, quam hanc libertatem, & dubitarem potius, utrum duos haberem oculos, & cor unum, quam utrum mihi integrum sit ea facere, quæ unice in mea sita sunt potestate, qualia sunt loqui, & tacere. Libertas hæc, quam obtinet anima in omnes suæ voluntatis actus, est adeo absoluta, ut nihil in terris eam cogere possit. Possunt quidem tyranni corpus catenis obruere, illud in carceres trudere, ac in servitutem conjicere; at potentiam, sævitiamque suam in animas quoque proferre non possunt. Hæ cogi nequeunt, nequeunt constringi; quibuscumque suppliciis excrucientur corpora, libertatem suam tuentur, quod inter sævissima tormenta Martyres ostenderunt. *Idem*. *Pater Nepven*. Animæ excellentia in hoc posita est, quod est divinitatis imago.

Nonnulli Sancti Patres jure affirmaverunt, veritatem immortalitatis animæ primum esse fidei nostræ fundamentum; *anima immortalis est primarium fidei fundamentum*: alii vero non dubitarunt asserere, illam Credere animæ immortalitatem Religionis fundamentum est.

illam esse *totius religionis causam*. Et sane cur peccatum evitamus? Cur vitia perhorrescimus? Nonne ut pœnas æternas effugiamus, quas Deus impiis minitatur? Cur virtus excolitur? Cur veri Fideles sanctam vitam ducunt, Pœnitentes vero in cinere, & cilicio versantur? Cur tot labores, tot vigiliæ, tot jejunia? cur Martyres sanguinem suum ad novissimam usque guttam effudere? cur tot sævissima sunt perpessi tormenta? Ob id profecto, ut vitam mererentur æternam huic inconcussæ fidei incumbentes, animas suas hanc immortalitatem manere. *Idem*.

Notandum est, juxta Christianæ Religionis principia animæ nostræ duplicem essentiam esse, alteram naturalem, supernaturalem alteram; eamque juxta supernaturalem essentiam immortalem non esse, quemadmodum S. Hieronymus docet; potest enim gratiam amittere, quæ vita est supernaturalis: sed esse immortalem secundum naturæ statum prope substantiæ suæ incorruptibilis conditionem. Nullum habet in se principium, quo destrui possit; Deus unus illam potest annihilare, nullum in se corruptionis habet principium; essentia ipsius est forma simplex. Immo neque ullæ sunt extrinsecæ causæ, quæ illam delere queant, quoniam spiritualis est, & materiales quæcumque res in spiritum agere nequeunt; cumque hoc illi proprium sit, ut simplex, indivisibilis, & incorruptibilis sit, dubitari non potest, quominus sit immortalis. *Idem*.

Nihil in hoc universo invenitur, quo anima luminum suorum aciem minime convertat. Modo abyssus ipsas scrutatur, modo ad Cœlos attollitur, omnia cognoscere vult, sydera considerat, eorum motus metitur, influxus perpendit, neque harum cognitionum contenta in Divinitatis usque sinum ascendit, cujus naturam, atque perfectiones contemplatur. Attamen æquissimum, maximumque subjectum, quo Sanctus Augustinus hæc animo reputans stupore perculsus fuit, illud est, quod anima ea omnia cognoscit, quæ ipsa non est, quod autem ipsa est, prorsus ignorat. Quænam est (inquit magnus ille Doctor) hæc adeo sapiens, adeoque ignara, quæ omnia cognoscens unam se non cognoscit? *Idem*.

Quomodo anima fiat vitiorum, ac affectuu suorum ancilla.

In Judicum libris narratur, Samsoni, cum inter Dalilæ amplexus, cui robur suum in capillis capitis positum esse prodiderat, sopore captus fuisset, perfidam hanc mulierculam, cæsariem secuisse, eumque postmodum hostibus ejusdem tradidisse, qui ejus effoderunt oculos, ferreis vinculis eum constrinxerunt, ac tandem morti adjudicarunt. Hæc figura est nobis exhibens, ubi anima libidinis sinu, & voluptate carnis sopore perfusa quiescit, hanc infidelem omnes eidem cogitationes auferre, quæ circa Deum, salutem ejus, Dei judicia, æternamque gloriam versabantur; hæc enim per capillos indigitari Patres testantur. Deinde eam tradidit inimicis ipsius, hoc est affectibus, qui eidem vincula injiciunt, illam in servitutem detrudunt, ac denique enecant morte peccati, quæ quidem mors est turpissima, & funestissima. *Idem*.

Eheu Fidelis! ob id create, ut æterna felicitate frueretis, hanc saltem Senecæ Ethnici Philosophi sententiam excipe: *Major sum, & ad majora natus, quam ut mancipium corporis mei fiam*. Anima mea propter Deum creata est, atque ut corpori meo imperitaret, non autem ut illius esset mancipium; Cœlo, non terræ nata est, Deo facta, non creaturis. Anima hæc ex natura sua immortalis, opus est, ut sit etiam immortalis propter gratiam; si enim propter naturam immortalis fuerit; hæc illi luctuosa, & funesta immortalitas erit; quipppe ob id unum erit immortalis, ut æternis excrucietur suppliciis, ut æternis lanietur, ac torqueatur doloribus videns se Deo suo in æternum cariturum. Itaque *miserere animæ tuæ placens Deo*, Eccl. 30. animam hanc ne abjicias, ne deseras. Si per summum opprobrium in scelus cecidisti, statim ex horribili hac servitute animam eripe. Speciosa hæc Dei imago deformata fuit, atque fœdata; at vineam reformare, eique pristinum decorem acquirere? Te sincere pœniteat. *Idem*.

Animæ bona, & prærogativæ.

Plurima sunt, eaque satis perspicua discrimina, quibus anima humana ab animabus brutorum distinguitur. Unum tantummodo attingam, quæ libertas est, & illa indifferentia, quæ in omnibus actionibus occurrit, quæ ex judicio, ac ratione procedunt; cum bruta sint ad ea, quæ agunt, prædominari, quo trahuntur, instinctu determinata. Hinc irrogatæ sunt leges ad singulorum cautionem publicamque tranquillitatem tuendam. Hæ autem humanæ libertati innituntur; neque ullum in natura locum haberent, uni, eidemque rei determinata. Hinc etiam virtutes oriuntur, quæ in recto libertatis usu, & legum obedientia sunt positæ: hinc vitia, quæ in illius quidem abusu, harum vero inobedientia consistunt: hinc denique præmia, & supplicia, quæ sunt merces æquissima virtutum, atque vitiorum. Hæc omnia ex libertate hominis profecta sunt, & generatim affirmare possumus, hominem perspicue, ac plane in omnibus suis actionibus distingui ex quodam rationis charactere, qui ab illis separari non potest, & quem qui non videt, prorsus ratione destitutus est. *P. Mauduit Presbyter Oratorii, Tractatu de Religione contra Atheos*.

Si ratio spectatur, quæ est veluti character animæ, liquet, illam omnia tempora excedere, eaque omnia complecti memoria, intuitu, prævidentia. Memoria quidem præterita quæcumque tempora lustrat, ea tamquam fluentia sibi effingit, licet effluxerint; illa quodammodo figit, & historiæ adminiculo semper efficit præsentia. Ad hæc nemo unus ex hominibus est, qui æterna vita, ac felicitate frui non desideret; nemo qui post obitum etiam infamiæ notam non timeat, nemo, qui nominis sui præclara monumenta posteris tradere minime velit: immo, & ipsi illi, qui animæ negant immortalitatem, immortalem suo nomini apud homines vitam concupiscunt. Undenam vero vehemens hoc oritur desiderium, nisi quod prænoscitur, futurum ut post mortem eo in statu simus, ubi intelligere possimus eos honoris sensus, quibus nominis nostri memoria excipietur, ut inde lætitia afficiamur? Cui enim bono aliquam tui ideam in amicorum mentibus relinqueres eo tempore, quo in te ipso nihil amplius esses! Quid ad te, utrum tui meminerint, an obliviscantur, cum nihil horum te afficere posset, si penitus interiisses, atque in nihilum redactus esses? Ceterum mirum ne videri debet, animam esse immortalem, cum terra, & pulvis, quem animat, ipse quoque sit immortalis; videlicet, cum pulvis, & terra hæc in nihilum minime redigatur? Cum mors nequaquam sit corporis annihilatio, sed animæ ab illo sejunctio, ejusque in elementa ipsum componentia dissolutio; ita mors non est animæ annihilatio, sed illius a corpore separatio, ejusque cum Deo, tamquam cum origine sua iterata conjunctio: *Ut revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, Eccles. 12. *Idem*.

Hæc præjudicia sunt animæ immortalitatem ita probantia, ut ad rationabiles homines persuadendos sufficere valeant. Illius claram, distinctamque habemus ideam; mens eam prævidet, voluntas illam sibi beatam cupit, & totus homo ad eam indipiscendam laborat. Hæc omnia supponunt saltem, eamdem esse ex earum rerum numero, quæ fieri possunt, neque oppositum aliquis tenere posset, nisi id æque palam, ac perspicue cognosceret, quemadmodum si propriis oculis aliquam in nihilum redactam fuisset intuitus, quod numquam accidit, neque accidet unquam. Attamen si quid rationum vi deest, supplet Religio novam afferens certitudinem; & explicite, ac distincte docens animæ immortalitatem. Quid si tot rationum perspicuitati aucto-

auctoritatis ejus robur accesserit? Sexcenta jam occurrunt discrimina, quæ hominem supra reliqua animantia attollunt, & quæ dissimulari minime possunt; aliquane igitur prætexi causa potest, ne præter cætera unum adhuc credatur, licet adeo liquido non pateret, animæ videlicet immortalitas, cum reliqua palam ad hanc referatur, cumque hæc ipsius Religionis auctoritate fulciatur, cum rationes omnes, quibus hæc ipsa confirmatur, satis ostendant animarum nostrarum immortalitatem, quæ ejusdem quoddam est veluti fundamentum? *Idem*.

Dei existentia, & immortalitas animæ, duæ sunt veritates arcte simul connexæ.

Nullæ res arctioribus inter se vinculis continentur, quam hæc duplex veritas; Deum scilicet esse, & animam nostram non interire. Animæ immortalitatem probare non potes, quin ejusdem principium Deum immortalem constituas; neque Dei existentiam potes fateri, qui omnia sapientia sua condidit, & qui æternum viget, quin animam nostram respicias velut æternum illius divinitatis radium, nonnisi ex Creatoris sui voluntate periturum, quandoquidem per ejusdem voluntatem subsistit. Quamobrem sexcenties admiratus sum videns tantam incredulorum multitudinem, qui Dei existentiam confitentes, nihilo minus animæ negant. immortalitatem; quoniam nihil æque sibi cohæret, quam hæc duo simul principia. *Desumptum ex quodam Tractatu de Religione*.

Facile dignosci potest, animæ nostræ naturales quosdam sensus inesse, quæ eamdem de æterna ipsius duratione, non secus ac de ipsius cœlesti origine erudiunt. Ostendi potest, hanc nulla fovere inutilia desideria, atque naturaliter æternam vitam optare, stimulis conscientiæ nostræ nos falli non posse, hi quippe sunt sensus naturales nulli obnoxii illusioni; ac tandem nos his stimulis certos fieri de nostra immortalitate: & per eosdem effici, ut mortem etiam post ipsam mortem timeamus. *Idem*.

Hominis dignitas considerata, quatenus propter animæ suæ perfectiones est imago Dei.

Summam Dei bonitatem? Tantone, Domine, a te habetur in pretio mortalis, ut illum ad tam sublimem verticem gloriæ provexeris? *Domine quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum*? Psalm. 8. Non dicendum est amplius: *minuisti eum paulo minus ab Angelis*; nullibi enim dicuntur Angeli tuam imaginem gerere, neque fidelia esse Divinæ tuæ essentiæ exemplaria, eamdem ad vivum exprimentia. Dicamus potius cum versione alia: *minuisti eum paulo minus ab eo*: ab eo scilicet, qui antonomastice Homo est, Redemptor, atque omnium hominum prototypus; qui quidem quatenus Deus imago est substantiæ tuæ, uti ait S. Paulus; & quatenus homo nihil ab aliis hominibus differt. At hoc inter illos discrimen est; & hæc simul etiam comparatio. Filius tuus est essentiæ tuæ per naturam, homo vero per gratiam similitudo; Filius tuus primum exemplar est, nos vero ad hujus normam elaborati. Tu gignis personam omnino tibi æqualem per æternam Filii tui generationem, nos vero tibi similes efficis in nobis divinarum perfectionum tuarum exprimens lineamenta. Ita cum sis unice propter Filium tuum, ac Filius tuus propter te, atque omnis æternitas in mutui hujus amoris reciprocatione impendatur; similiter non sine quadam proportione homo, cui temet penitus dedisti, homo, in quo omnes similitudinis tuæ caracteres impressisti, homo inquam sese omnino, atque totum, quatenus est, tibi auctori suo tradere debet, & quin superbia efferatur, atque intumescat, uti malorum Angelorum Antesignanus, eas intuitus perfectiones, quibus a te fuit cumulatus, debet, inquam, tamquam fluvius ex magnitudinis tuæ profectus oceano, illuc per amorem reverti, ac in eo sese felicissima immixtione confundere! *Auctor Neotericus*.

Quid debeamus Deo, quatenus imagines ejus.

Docet ratio, imaginem ad eum omnino pertinere, cujus est imago. Si enim habet essentiam, hæc profecto a prototypi sui essentia dependet, si aliquam habet perfectionem, nonne inde habet; quod in exemplari, atque prototypo invenitur? si pretiosa est, nonne inde est, quia objectum, quod per ipsam exhibetur, habetur in pretio? Si curiosius, & cum admiratione respicitur, nonne acceptum referendum iis est perfectionibus, quæ in ipsius autographo elucescunt? Si demum colitur, in honore habetur, floribus redimitur, lapillisque pretiosis circum undique ornatur, num propter ipsam id accidit, an propter objectum illud, cujus imaginem refert? Itaque si sensu prædita foret, hæc omnia ad illius pedes offeret, a quo eadem accepit, atque solemni confessione affirmaret, quidquid in te pretii est, pulchritudinis, decoris, perfectionis, quidquid sibi exhibetur obsequii, & reverentiæ, illi uni conferenda esse, ac se hæc non possidere bona, nisi quod ab eodem accepit. Cæterum cognoscens se eo perfectiorem, majorique in pretio futuram, quo magis objecto suo esset conformis; pro virili adniteretur levissima etiam imitari vestigia, quæ in eodem nancisceretur; ac in illud ipsum transformari vellet, ut ibi novam essentiam assumeret, & felici prodigio, fuimetipsius prototypus fieret. Quid ergo? nos minori gratitudinis sensu afficiemur, quam marmor, nisi careret anima? Sumus imago Dei, sed vivens imago; & uni illi acceptas referendas non esse putabimus perfectiones omnes, talenta, privilegia, quæ, quatenus Dei imagines, possidemus? Ne imiteris rebelles Angelos inani ambitione, quasi hæc omnia ex temetipso obtineas; Deo da gloriam; hæc omnia defer Creatori tuo, qui te ad suam similitudinem effingere dignatus est, & qui ideo te fecit imaginem suam, ut in te, ac per te glorificaretur. *Idem*.

Asserere homines ad Deum pertinere, idem est ac aliis verbis affirmare homines esse homines; certum est enim homines nihilo magis necessario homines esse, quam ad Deum pertinere, qui illis rationalem animam contulit, quæ cum ignorare non possit, se Creatori suo debere quod est, & vivit, illius imperio nequit non parere, neque supremam illius dominationem detrectare. Illud vero a nobis jugiter animo repetendum esset, quod cum Deus nosmet nobis quodammodo per liberi arbitrii nostri possessionem tradiderit, ideo tradidit, ut nos ultro, ac per amorem nosmetipsi traderemus. Hoc igitur præstare tenemur, alioquin alieni boni usurpatores habendi. Et sane, quandoquidem ex D. Augustini sententia sumus moneta Dei, ejus nota insigniti, ejusque gerentes imaginem; verum quoque est dicere, nos ex infinitis thesauris ejusdem fuisse depromptos per bonorum suorum communicationem, atque per usum nostræ libertatis. Nonne eidem reddere tenemur, eique, ut Principibus assolet, debitum tributum persolvere, in thesauris ipsorum pecuniam reponentes, cui pretium dedere, & qua in commerciis uti permittunt. *Idem*.

Quomodo peccatum deleat in Anima Imaginem Dei eamque polluat, ita ut a Deo ipso contemnatur.

Peccatum non solum nos exuit supernaturalibus bonis, quæ animam nostram exornant, eamque in oculis Dei acceptam efficiunt; verum etiam labes est animam eamdem coinquinans, atque imaginem, quam ibi impresserat Deus, miserere deformans. Credunt nonnulli maculam hanc qualitatem esse propriæ ipsius substantiæ adhærentem, eamque horribilem efficientem, qualis esset nigredo, qua facies aliqua fœdaretur; alii vero tenent, peccatis imprimi vestigia quædam, & characteres, qui sese produnt deformitate sua, quos S. Ambrosius vulneribus, informibusque cicatricibus comparat. Verum quomodocumque res se habeat, certum est, ibi maculas a peccatis relinqui, quas S. quidam Pater melius exprimere non potuit, quam illas diabolicæ fœditatis lineamenta vocans; ita ut de anima per hanc maculam coinquinata, atque deformata dici queant hæc Isaiæ c, 1. verba: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Tu signaculum similitudinis, perfectus decore,*

omnis;

omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Anima Christiana Divino Sanguine abluta phosphoro ipso micantior, quæ gerebas lucidissima lineamenta similitudinis Creatoris tui; & coram qua syderum ipsorum lux patiebatur eclypsim, undenam abiit jubar illud quod Dei ipsius amorem promerebatur? O stella, quæ mane micabas, quomodonam tartareis ipsis tenebris facta es obscurior? Quidnam tantam parere potuit mutationem? Hoc sane; *inventa est iniquitas in te*: ibid. Peccatum in te deprehensum omnem delevit pulchritudinem tuam; quæ adeo contemptibilis est in oculis Dei, qui eamdem tanti facit, quanti vilissimum limum, quod pedibus teritur: *In terram projeci te, & dabo te in cinerem, nihili factus es. ibid. Auctor Sermonum in omnia Moralis Christianæ argumenta.*

Deus, qui abjicere minime potest imperium, quod in universas obtinet creaturas, illud tamen videtur exuere, dæmoni jus, ac possessionem animæ, quæ ante peccatum ad se pertinebat, cessurus: *Voca nomen ejus, non populus meus*, dicebat olim de populo suo, a quo fuerat lacessitus: Populus hic non est amplius meus; illum tradidi in manus ipsius; ad me non pertinet; inimicus meus eodem potius est; atque huic illius integram possessionem relinquo. Hæc anima, quam olim diligebam tamquam ad meam similitudinem factam, nullas gerit amplius notas, quibus ii, qui ad me spectant, distinguuntur; noluit me cognoscere Dominum suum, ac mihi Dæmonis prætulit servitutem. Quod dedecus, quod opprobrium? *Usquequo peccatores gloriabuntur*? Psalm. 93. Usquequo gloriam quærent, cum ipsis adeo justa sit causa erubescendi? Licet enim hæc servitus, ac Dæmonis possessio invisibilis sit, & illi, quibus maxime sui dominantur affectus, se majori libertate frui, ac aliorum dominos esse arbitrentur; hi sæpius hac ipsa in re servi sunt, & crudeliorem serviunt servitutem, unde nisi divinæ potentiæ miraculum inveteratorum habituum catenas perfregerit, nequeunt emergere. *Idem*.

Cavendum est sedulo ne quis animarum jacturæ sit causa.

Quisnam tuto affirmare potest, se numquam alicujus animæ excidium peperisse? Quis certus est, ad suum remissæ pietatis exemplum, alium quemlibet virtutem remissius coluisse, ac mox in secretam vivendi licentiam lapsum fuisse, ubi tandem per summam infelicitatem interiit! *O damnum! o jacturam*! exclamat Pater, nescio quis, in hoc argumento. Inde tamen hoc malum gravius, & infelicius est, quod in nullam spem reditus illum perdidisti; etenim poteris ne illam animam ab inferno eruere, quo illam dedisti præcipitem? Preces quidem effundere potes, illius exitum misereri, lacrymis prosequi: sed nequicquam divinam pro illa fatigas Misericordiam, ubi damnationis ejusdem lata fuerit sententia. Quænam exprobratio a Deo tibi expectanda non est, cui id eripuisti, quod charissimum, & pretiosissimum ipsi erat in terris? Illum frustratus es fructu Sanguinis ipsius, quem pro ipsa effuderat; mortem, & cruciatus illius irritos effecisti, ideoque injuriam ea in re illi attulisti, qua nihil ipsi erat antiquius. Verum post hæc quid faciendum erit, ut illius iram demulceas? Ullane tibi superest spes misericordiæ? Animæ illius excidium, quam perdidisti, nonne vicissim tuum expetet interitum? Eheu quid metuendum est! Non ideo tamen desperandum est; non enim morbus omni caret medicina. Quænam autem hæc erit? hæc sane, adniti pro viribus, ut illata Salvatori jactura, quæ adeo gravis est, reparetur, aliarum animarum studendo incolumitati, quæ ejusdem sunt pretii; atque totidem laboribus, vigiliis, exemplis, & subsidiis, quæcumque præstare poteris, tot ad ejus cultum revocando, quot vitæ tuæ scandalis, atque sollicitationibus ab ejusdem servitute avocaveras. *Idem*.

In hominum commercio nefariæ leges occurrunt; at in Fidelium commercio quasdam longe nequiores inveniri dicere possumus. Anima ipsa nundinis etiam interest, & contractuum particeps est. Si dignitas aliqua est obtinenda, si beneficium acquirendum, quid intentatum relinquitur? Id si aliter assequi minime liceat, animam ipsam tradimus. Si qua voluptate frui desideramus, neque alia ad eam assequendam suppetit ratio, animam dæmoni mancipamus; illam nullo in discrimine habemus, dummodo voti damnemur. Hoc impii corde affirmant, licet ore non audeant asserere. At miseros homines! Si quid ex vobis enixius cupientibus, ut illud obtineretis, omnia vestra bona expeterentur, numquid ideo ea traderetis? Et pro fluxa fragilique voluptate, quæ statim evanescit, animam vestram, universum videlicet thesaurum vestrum impenditis? Tu, Deus, totum effudisti sanguinem tuum pro anima; & homines calamitosissimi hanc pro nihilo tradunt, minime cogitantes, se ejusdem æternam subire jacturam, eamque æternum infelicem futuram. *Biroat Sermone de Anima, pro feria quinta post Cineres.*

S. Paulus ita 1. ad Corinthios c. 3. exprobrabat: *Nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis*? Vestra agendi, vivendique ratio nonne satis ostendit, nihil inesse vobis spirituale; omnia carnalia esse, & vos carnalibus dumtaxat rationibus duci? At non ne hoc ipsum vobis objici posset? *Nonne carnales estis*? Vosmet colligite, animas vestras ad examen revocate: ejus cogitationes, ac vota interrogate: numquid ea, quæ ad salutem vestram pertinent cogitatis? Sin autem quin sursum contendatis in Cœlum, vosmet indesinenter deorsum ad ea, quæ sunt terrena, demittitis, quin Deo vacetis; creatis rebus vosmetipsos mancipatis; quin saluti vestræ cogitationes, curasque impendatis, sensibus tantum satisfacere cupitis, atque affectibus vestris obtemperatis: *Nonne carnales estis*? Num aliquid spirituale in vobis est? Num divinum aliquid? Nonne deletis speciosissimos, atque gloriosissimos ejus, quam cum Deo habetis, similitudinis caractères? Quibus deletis quid vobis est reliquum, nisi hominis similitudo bibentis, epulantis, ac viventis, quin sciat quomodo, & quare? *Auctor Neotericus.*

Anima corpori captivatur.

Corpus, Tertullianus ait, animæ traditum fuit tamquam instrumentum, quo in variis vitæ officiis utatur: *Caro addita animæ, ut supellex, ut instrumentum in officina vitæ*. At nequissima inversione anima corporis mancipium fit, atque illius desideriis cogitur obtemperare. Si oculi nefaria intuentur objecta, anima iisdem lucem afferre cogitur; si quid manus rapiunt, vel aliquam cædem committunt, tenetur anima earum actioni concurrere; si lingua evomit contumeliosa verba, eaque aures percipiunt; illas animare debet anima; si os sese ingurgitat escis, animam illi adhærere opus est, ita ut, quemadmodum inquit Philo, sensus omnes animæ satellites fiant, qui illam in omnem flagitiorum nequitiam trahunt, atque in vitiorum captivitatem abducunt: *Satellites sunt animæ, visus, auditus, gustus, & tota sensuum cohors*. Idem.

Unicum negotium nobis est animæ salus.

Quid omnia vitæ hujus proderunt bona, si per hæc animæ vestræ jacturam faciatis? *Quid inane quærimus lucrum pretiosæ animæ detrimentum*? Numquid vobiscum aurum, argentumque auferetis? Domus vestræ, & agri sequentur vos? Creaturæ illæ, quibus per summum dedecus adhæsistis, a vestra societate minime divellentur? Anima vestra sola post extremam diem coram Deo prodibit: hujus igitur solius in vita ratio habenda est; huic uni vacare debetis; videlicet unico salutis vestræ negotio vobis est incumbendum, ut nihil intentatum relinquatur, quod ad illud rite procurandum conducat. Cætera enim tandem inania sunt, nihilque potest cum anima vestra comparari. *Porro unum est necessarium*. Luc. 10. Idem.

Vere igitur diligamus animam nostram, atque nostrum erga eamdem testemur amorem maximum, quo frui valeat, bonum eidem procurantes.

imam tuam quocumque pretio, qui- oribus salvanda sit. De reliquis re- ue eveniat, ne quæras; bona ipsa issipentur opes, quid ad te? dummo- saluti consulatur. Cætera feliciter cus; fortuna tibi faveat, vel adver- ossideas bona, vel pauca; nihil tibi facessere debent; Illud vero unice et, atque in id unum omnes men- ue nervos contendere, ut animam cias. *Salva animam tuam*. Gen. 19. *ermonum in præcipua Ethicæ Chri- ta, de Anima sua amore, & exi-*

ut serves animam tuam, animam uni- mmortalem, creatam, ut æterna fe- . *Miserere animæ tuæ placens Deo*. re animæ, quæ Dei Imago est, & fuit, ut ipsum amet, ac in æter- Miserere animæ hujus, cujus miser- CHRISTUS, & cujus miserentur, ur periculum, cui tu illam objecisti: *ua*; Adhuc semel animæ tuæ, quæ potest, nisi sit in æternum infelix. petit Deus, Salvianus inquit, Deus pretium novit, & quid, amissa il- intelligit. Hanc ex te quærit ani- creavit, quæ sibi stetit vitæ suæ sanguine abluit; animam hanc, quam incredibili dilectione prosequitur, Scio equi- dem a te flocci æstimari; at hac ipsa de causa eam Redemptori tuo negare non debes. Te orat; ut mi- sercaris tui, atque te inexorabilem reperit; tuam apud te agit causam, nec flecteris. *P. de la Colom- biere ad calcem Serm.* 46.

Deus quodammodo zelotes est animæ nostræ, pro qua fecit omnia.

S. Augustinus egregiam nobis adstruit ideam existi- mationis ejus, quæ de anima nostra habenda est, ubi ait: *Intelligamus totam spem salutis nostræ es- se zelum Dei*. Vult enim, omnem spem in zelo, quem pro anima nostra Deus habet, a nobis con- stitui. Deus enim adeo zelotypus est, ut nihil omi- serit, quo eamdem sibi conciliaret, atque in suam servitutem pertraheret. Quæ nobis utilitas est, Deum, ut ita dicam animæ nostræ zelotypum esse, ejusque zelotypiam in ipsa una terminari, perinde ac extra se unam illam & diligeret, & pati non posset, ut sibi aliusquipiam de ejusdem possessione certaret, vel hanc cum ipso divideret? Hanc ille respicit tamquam gratiæ suæ centrum, atque om- nium operum suorum ab extra finem; quamobrem D. Thomas asseruit, hominem Dei Deum esse vide- ri. Nihil enim extra se operatus est, quod non præ- stiterit homini, eousque ut seipsum quoque inter o- pera sua adnumerari voluerit sese hominem faciens, ut totum se illi devoveret. Cor suum illi tradidit. quoniam hæc una ex creatis rebus est, cui magnum illud amoris præceptum irroget, a qua totum cor petat, & cui totum cor ipse largiatur. Quam felix igitur esset anima, si suam cognosceret felicitatem! Nonne hæc una cogitatio omnia Mortalium corda posset inflammare? *P. D' Argentan Capuccinus in Collationibus suis de Magnalibus Dei, Collatione* 27. *de Zelo, quem habet Deus pro animabus nostris*.

Proh Deus! quanam perfundi lætitia opus est, animam illam, quæ scit, se Dei amorem mereri, & sibi a Deo tantum meriti tribui, ut ipsam dili- gat! Quænam vero illi cedit gloria, cum ipsam ad zelotypiam usque diligat Deus, non ferens, ipsam ab alio quoquam possideri, quasi censeret, non a- lium præter se dignum esse amatorem illius! Ve- rumne igitur est, anima mea, te tanta frui felicita- te? Verumne est, te dignam esse, quam tanta dile- ctione Deus prosequatur, ut te ab alio quopiam pos- sideri non ferat? Intelligisne magnam hanc felici- tatem? Percipisne eximiam hanc veritatem? O bea- tos nos, si hanc, uti par est, perciperemus! posse- musne oculos habere ad objectum aliquod intuen- dum, vel dilectionem aliquam ad aliud quidpiam amandum præter hanc infinitam Majestatem, tanta propter animæ nostræ pulchritudinem zelotypia fla- grantem? Nonne creatis quibuscumque rebus, quæ lenociis, illecebris, pollicitatiunculis amorem no- strum delinire studerent, dicere deberemus quod o- lim Beata Agnes illis, qui speciem ipsius deperi- bant? *Discede a me pabulum mortis, quia jam ab alio amatore præventa sum*. *Idem*.

Quid de semet sentire debeat anima, videns a Deo tantopere amari.

Quænam ergo est hujus animæ natura, ut sic Deus eam tanta dilectione digneris? Nonne edu- cta est ex nihilo, unde cætera quæque eduxisti? Nonne toto cœlo distat a te, quantumvis cæteris creatis rebus nobilitate antecellat? Nonne semper liquido constat, hanc, cum ex nihilo prodierit, per se nihilum posse? Quam mirum igitur hoc privilegium est, ut cum nihil esset, tu adeo no- bilem, atque excellentem effeceris, ut ipsa omni- potentia tua nihil producere possit, quod illam va- leat explere! Hæc infiniti boni possessionem deside- rat, quam se capere posse cognoscit. Tu vero, bo- ne Deus, temet illi tradere dignaris ejusdem bo- num, ac possessio in omnem æternitatem futurus. O anima mundi hujus illecebris decepta! quousque te abjicis, ac demittis, ubi aliquid Deo minus in- quiris? Nonne majori erga Deum zelotypia flagra- re deberes, si fieri posset, quam Deus flagret in te? *Idem*.

Quemadmodum Cæsar suam imaginem repetit; ita & Deus suam, Sanctus inquir Augustinus, eam- que repetens a te repetit animam tuam, similitu- dinis suæ lineamentis notatam; ac animam repe- tens totum te repetit, quoniam totus homo Dei imago est. Duplici autem jure imaginem hanc re- petit JESUS CHRISTUS; cum enim nos ad ima- ginem suam efformaverit, jure utitur suo id re- poscens; quod nobis tradidit; secundo quod cum prima hac dignitate excidissemus per primi homi- nis peccatum, & alia scelera, quæ nos ipsi adje- cimus, iterum per gratiam, sanguinemque suum de- lineavit in nobis priorem illam imaginem, quam peccatum prorsus deleverat..... Occurrunt quidem non pauci, qui Deo reddere videntur, quod Dei est, ejusque imaginem in anima gerere, quippe qui multa pie agunt, atque exteriorem Religionis cul- tum diligunt; Verumtamen si introspiciantur, atque penitiores cordis eorum latebræ excutiantur, tunc ip- sos mirum in modum adhærere mundo, immodi- cam sese provehendi ambitionem fovere, nullam sa- lutis suæ curam gerere, omniaque libidini, & ja- ctantiæ suæ sacrificare innotescet. *Liber cui titu- lus, Christiana Documenta &c.... pro 22. post Pen- tecosten Dominica*.

De Animæ nobilitate ac præstantia.

Certum est, animam nostram adeo esse præstan- tem, ut creatis quibuscumque rebus antecellat. Deus illam supra res cæteras extollere dignatus est; ipsa ad imaginem Dei creata fuit, S. Augustinus in- quit, ipsa de sinu Dei tot perfectionibus cumula- ta prodiit, ut inter hujus mundi res primum ob- tineat locum, & creaturæ aliæ pro eadem tantum- modo efformatæ videantur, ut ex earum collatio- ne, tamquam ex appositis umbris animæ decor magis magisque eluceret. At majorem illius perfectionem gratia constituit; per hanc vivit, hæc illi eam pul- chritudinem impertit, quæ Dei oculos, & amorem ipsi conciliat: Hæc quidem animæ gloriam con- stituit; at peccatum illam pudore, & erubescentia suffundit. *P. Giroust*.

Ut liquido ostenderetur anima humana spiritualis esse, sufficeret sane illud connotare discrimen, quod inter humani corporis, & animæ productionem in- tercessit. Cum Deus hominem condidit, ad hoc o- pus efformandum lutum accepit; inde effictum cor- pus est materiale; at ubi animam creavit, *inspira- vit in faciem ejus spiraculum vitæ*, in hanc terræ massam insufflavit, eique spiritum suum communi- cavit. Itaque cum anima sit Spiritus Divini commu- nicatio, & emanatio, ideoque spiritus, luminibus admirabilis, productionibus fœcundus, & in actio- nibus suis universalis; Spiritus est, cujus natu- ra, & qualitates ad Dei similitudinem efformatæ

sue-

fuerunt. Cum igitur anima sit participatio Dei, non solum est, *Velut umbra divinitatis*, ut ait Tertullianus, sed ejusdem imago; ipsa unitatem substantiæ illius repræsentat, ipsa tres Personas tribus suis facultatibus exhibet, memoria videlicet, intellectu, & voluntate. Post hæc ne mireris, si audis, Angelos certatim festinare, ut eidem famulentur, & gloriæ sibi vertere si eamdem contra inimicos ipsius protegant, atque tueantur. Quorsum autem? Quia imaginem Divinitatis suæ insculptam fronti gerit, quo caractere insignita Dei ipsius meretur amorem, & misericordiæ illius in se convertit adspectum. *Idem*.

Anima per peccatum, & flagitia de nobilitatis suæ gradu dejicitur, & homo ad brutorum conditionem redigitur, quemadmodum Regius Propheta testatur: *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus*. Homo qui Angelis, immo Deo ipsi similis erat, essentiæ suæ nobilitatem, atque præstantiam neglexit, sese vitiis mancipavit, atque tunc brutis animantibus similis factus est. *Erubesce anima mea*, S. Bernardus ait. Cur autem? *Divinam in pecorinam immutasse naturam*. Erubesce, quoniam quæ divina eras imago, belluina facta es. Cum hæc anima gratia animata esset, atque induta, divinæ pulchritudinis caracterem gerebat; sed quoniam suis sese tradidit affectibus, dæmonis caracterem, & belluæ formam assumpsit. *Idem*.

A T H E I.

Atheismus, Deista, Impii, infideles, Argumenta Dei existentiam probantia.

MONITUM.



Theorum nomine eos proprie impugnamus, ac refellimus, qui de Religione parum sollicitì liberiori vivendi ratione vagantur, quamvis diversis nuncupentur nominibus, neque eorum una sit species. Hi quidem neque Deum, neque Providentiam agnoscunt, & omni prorsus Religione carent; qui profecto perraro occurrunt, & ambigi potest, utrum in terris ulli hujus via extiterint viri. Illi Deum rerum omnium Auctorem confitentur, sed illum Providentia, atque justitia vacuum sibi fingunt, non aliam præter hanc vitam futuram rati, & animam una cum corpore interituram existimantes. Alii, qui in Religionis facto Pyrrhonici vocari possent, Christianæ Religionis veritates neque credunt, neque inficiantur; sed hac in re neutro inclinantes operiuntur, donec rem probet eventus post ultima fata, interim vitæ hujus voluptatibus perfruentes. Omnibus vero id commune est, quod reipsa ita vivunt, ac si veri essent Athei, omni scelerum genere sese coinquinantes, & nullum Religionis sensum habentes.

Notandum autem est, quod homines hujusmodi superbia, atque affectuum suorum caligine excæcati reliquos in Dei timore, nostrorumque Mysteriorum fide innutritos exiguæ mentis, & infirmos Spiritus vocant; qua in re non minus ridiculi sunt, quam impii: & sese Spiritus Fortes *appellant, qui pueritiæ præjudicia abjecerunt, eos exuentes sensus, quos ex ipsa educatione imbiberunt, ut ea tantum credant, quæ sensibus accidunt, vel quæ ipsi ratione assequi possunt. Quamobrem cum neque Evangelium, neque Dei verbum admittant, & nihil habeant cum Fidelibus commune, non alio armorum genere, quam ratione cum illis est decertandum; quæ etiam unica ratio est, qua ad eos evincendos, uti debeant Concionatores.*

Ad hæc notandum quoque, Sanctos Patres parcissime locutos esse de Atheis quales hodie cognoscimus, eosque cum Idolorum cultoribus confudisse; quapropter pauci suppetunt Sanctorum Doctorum loci eorum impietatem impugnantes; nam ab ipsis usque Christianæ Religionis incunabulis paucissimi hujusmodi opiniones amplexi sunt, & qui nullum Deum venerabantur, apud Ethnicos quoque in contemptu habebantur. Hoc tamen sæculo eorum hominum multitudo, qui omni prorsus Religione carent, numero caret; quamobrem Concionatores omnem zeli sui vim exerunt, ut illos confundant, eisque horrorem cieant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Structuræ variæ Concionum hujus Argumenti.

I. 

Stendi potest: Atheos, & illos qui eo usque impietatis processere, ut Dei fidem, & omnes Religionis sensus penitus suffocarent, damnari. 1. Ad naturæ Tribunal, cujus audire voces detrectant, ubi creata omnia fatentur, Deum esse, quamvis illi suffragium suum denegent, ac in aliam sententiam concedant. 2. Ad Tribunal Conscientiæ suæ, quæ illis interius ostendit, supremum Judicem, scelerum suorum ultorem non defuturum. 3. Ad Tribunal Dei ipsius, qui propter commentitias eorum difficultates nihilominus illorum Dominus est, omnia eorum observat vestigia eosdem severissime judicaturus: qui ubi illos inexcusabiles esse ostenderit, sese ipsum prodet efficiens, ut suæ potestatis, atque justitiæ terribiles, diuturnosque experiantur effectus.

Primum Punctum. Ad naturæ Tribunal ergo primum sunt accersendi, eisque ostendendum, structuram, & ordinem universorum, multitudinem, & varietatem partium cœlos, terrasque componentium illis etiam, qui excæcati, ac pertinacissimi erant, probasse supremam adesse Potestatem, quæ hæc omnia ex nihilo eduxit, infinitamque Sapientiam, quæ singula ad suum finem perducit. Quod si lumen naturale docet, primum unum Ens esse, toto cœlo majus, ac superius nobis, docet quoque esse debere unam Religionem, qua ille colendus est, atque adorandus.

Punctum alterum. Impius, atque Atheus, accusatur, judicatur, atque damnatur ad propriæ Conscientiæ tribunal, quæ generatim sumpta non aliud est, quam lumen a Deo animabus nostris insculptum, ut ait Propheta: Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui*. Hoc autem lumen interius, quod eodem in sensu appellatur Synderesis, nos peculiariter de nostris officiis, antequam quidquam aggrediamur, erudit; corripit, arguit, atque secretis exprobrationibus condemnat, ubi supremi hujus legislatoris mandata perfregimus; qua in re præcipue judicium conscientiæ exercetur. Quorsum autem hoc, nisi ut Dei auctoritatem, supremam illius potestatem, ideoque ejusdem essentiam intelligamus? Peccator vero licet invitus potest ne hoc non intelligere, quandoquidem actus isti ab ipso proficiscuntur, & hoc ipsi sua dicit con-

conscientia; hoc ipse sibi in imo cordis sui dicit? Cum ergo præcipuum officium nostrum sit, Deum colere, illum palam profiteri, eique parere; ad flagitiosum hominem condemnandum, qui eum diffitetur, eique obtemperare detrectat, non alius accusator, aut Judex inquirendus est, quam propria ejusdem conscientia.

Punctum Tertium. Impii denique, & Athei, qui Dei fidem suffocarunt, ne quid sibi negotium facesseret noxias voluptates quærentibus, primi erunt qui ad supremi Judicii tribunal justissimo damnabuntur judicio, tamquam peccatorum omnium maxime inexcusabiles; cum enim ignorare minime possent finem propter quem creati fuere, amplecti noluere viam, illuc deducentem, quæ Religio est, actiones suas ad arbitrium dirigentes, aliumque sibi finem proponentes, videlicet bonorum, ac voluptatum vitæ hujus perfruitionem: & expectantes, nisi resipiscant, judicium suum, quod si nondum prolatum est, tamen signatum est, & quodammodo conclusum: *Qui non credit, jam judicatus est*.

II. Pro Concionis argumento, ac partitione ex, quæ sequuntur, duæ propositiones possunt assumi. 1. Cordis corruptionem, morumque licentiam parere licentiam Spiritus, & suffocare in anima sensus Religionis, quos ab ipsa natura, institutione, Fide arripuimus, hausimus, expressimus: ita ut nequitia vitæ, impudicitia, atque flagitiosi affectus sint causa incredulitatis, & cæcitatis Spiritus, quæ in Atheis invenitur.

2. Vicissim incredulitatem, atheismum, fideique defectum homines ad extrema usque flagitia pertrahere, cum eorum animos neque judiciorum Dei metus, neque infamia, quæ cum sceleribus est conjuncta, deterreat.

III. 1. Athei, & qui Religione carent a salutis statu quam maxime remoti sunt, ac omni ferme reditus, & conversionis spe vacant, eo quod fidei, rationis, & prudentiæ lumina deseruerunt, & eas etiam interiores, exterioresque gratias rejiciunt, quæ ipsos erudiunt, ac in ipsa cæcitate aliquod lumen ipsis afferunt.

2. Quomodo, & quanam via in adeo miserum statum labantur? Impudicitiis nempe immodicis, atque audacissima curiositate, qua scrutari, ac penetrare contendunt Religionis mysteria, quæ venerari, atque humiliter credere opus est; ac tandem flagitiosorum hominum societate, ac frequentia, qui sermonibus, & exemplis impios sensus suos nobis inspirant.

IV. Tria sunt Atheismi genera, notante Guillelmo Parisiensi, quæ triplex Concionis punctum possunt constituere.

1. Atheismus est mentis, & intellectus; eorum videlicet, qui Deum minime norunt, quod nonnisi ex terribili stupiditate proficisci potest, cum impudicitiæ, & flagitia mentem infatuarunt, & lucidissima rationis lumina extinxerunt. Hoc Atheismi genus rarum est, atque ut ait D. Augustinus, paucissimi huc insaniæ feruntur: *hæc insania paucorum est*.

2. Atheismus est voluntatis, eorum nempe, qui seipsos excæcant, atque ut impune in omne ruant nefas, atque vitæ hujus voluptatibus indulgeant, seipsos fallunt, atque credere nolunt, Judicem esse criminum omnium ultorem.

3. Memoriæ Atheismus vocari potest, qui proprie illorum est, qui in jugi Dei, divinarumque legum oblivione versantur; & proinde ita vitam instituunt, ac si nullus esset Deus. Triplex etiam distingui potest Impiorum, incredulorum, vel infidelium genus, qui hodie in mundo vivunt, quin sese palam audeant prodere.

V. Primi sunt Athei, qui Deum esse non credunt, eumque pro virili a mente rejiciunt, qui in extremam impietatis abyssum proruerunt, venumdati iniquitati, ut ait Scriptura, & penitus a Deo derelicti.

Secundi sunt Deistæ, qui rationis suæ lumine adacti fatentur quidem, esse Deum, & supremum aliquod Ens; sed illum providentia, atque justitia carere putant; eique perfectiones omnes auferentes, Idolum faciunt, nihilo minus criminosi, quam si nullum omnino Deum confiterentur.

Tertii sunt indifferentes, qui Religionis nostræ Mysteria neque credunt, neque respiciunt, & ea tamquam Problemata quædam putant suam habentia probabilitatem; sed illa minime sequuntur, eo quod crucem, laboremque ibi nanciscuntur. Hi proprie sunt hujus temporis Christiani. Ostendenda est cæcitas, qua primi laborant insania, in qua secundi versantur, & periculum, cui tertii obnoxii sunt.

Tria æquum, cordatum, rationisque sensu non expertem virum ab impietate debent avertere, eumque impellere, ut Religionis sensus amplectatur potius, quam atheorum, flagitiosorumque hominum exempla sequatur. VI.

Ratio prima: quod enim ad intellectum pertinet plures occurrunt difficultates, ac res incomprehensibiles in eorum sensu, qui negant, quam eorum, qui unam credunt Divinitatem: si enim pleraque Mysteria fidei nostræ supra rationem posita sunt, non sunt illi tamen contraria; cum in Atheorum sententia nihil sibi constet, omnia sibi adversentur, ac sese mutuo evertant: Mundus factus ab æterno, sine ullo auctore, & fortuito factus &c.

Ratio altera. Sententia Atheorum insana est; qui eam amplexati, & secuti sunt, semper contempti fuere, & ab omnibus sapientibus fatui, insipientes, flagitiosi, perversi, depravatique Judicii fuerunt habiti; cum e contra aliorum opinio universali sapientum omnium, omnium populorum, sæculorumque consensione probetur.

Ratio Tertia: Religionis partes amplecti omni caret periculo, agitur immo, & nostra hujus, & futuræ vitæ felicitas; cum e contra nihil in irreligione metuendum non sit. Itaque licet utrinque pares afferrentur rationes, quod omnino dici, fingique non potest; flagitat prudentia, ut in re tanti momenti, eas, quæ tutissimæ partes habentur, amplectamur.

Tria liquido probant existentiam Dei contra Atheos, & Impios. VII.

1. Natura, quæ est omnium creatarum, visibiliumque rerum congregatio. Oculos circum undique fer, Cœlum adspice, terram, eorumque omnium, quæ oculis accidunt, ordinem, varietatem, proportionem, ususque perpende: hæc omnia liquido probant, adesse Creatorem omnipotentem, qui ex nihilo hæc eduxit universa; neque supremam desiderari sapientiam hæc omnia regentem, atque ad finem suum deducentem.

2. Societas, quæ hominum est multitudo sub regiminis alicujus forma coalescentium, quæ sine Religione subsistere nequit.

3. Cor humanum, atque conscientia, quæ secreto veritatem hanc respuere minime potest. *Abadia tria hæc seorsim pertractavit in libro de Christiana Religionis veritate*.

1. Quemadmodum Athei commentitiam spiritus vim jactant, & spiritus fortes haberi volunt, qui vulgarium opinionum torrente rapi non sinunt, illis est ostendendum; Atheismum, atque Irreligionem notam esse imbecillitatis, ac stuporis, cujus vix capax existimari potest, qui humani sensus expers omnino non est. VIII.

2. Quemadmodum hanc illi sententiam secuti sunt, ut in terris beatam vitam traducerent, ac tranquille omnibus sensuum voluptatibus perfruerentur, ostendendum est, illos hominum imprudentissimos esse, quippe qui æternæ sese objiciunt infelicitati ob exiguum adeo lucellum, quale est fluxa voluptatum hujus vitæ fruitio. *Hæc partitio desumpta est ex auctore Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta, in Dominicali. Sermone pro Sanctissima Trinitatis Dominica*.

Osten-

IX. Ostendendum, incredulitatem, atque infidelitatem impiorum plerumque ex duplici fonte manare.

1. Ex superbia, atque præsumptione spiritus, qui scrutari, atque assequi contendit, quod fidei obsequio credendum est; ideoque ea tantum credunt, quæ sensibus accidunt, vel quæ rationis vi comprehendere possunt; quod sane est fidei naturam evertere.

2. Ex corruptione cordis, quod eas veritates gustare non potest, quæ cum flagitiosa vita simul esse non possunt. *Idem in Dominicali Tomo 4. Sermone pro tertia Dominica, quæ superest post Epiphaniam.*

X. 1. Deplorabilis status, ad quem Atheus, & exlex redigitur, derelictus a Deo, cujus fidem, metumque suffocat in corde, objectum horroris, & execrationis mortalium omnium, qui eum abominantur tamquam fide, conscientia, Religione carente, indignum, qui versetur in mundo; nescit enim quam ob causam ibi versetur, videlicet ut æternam felicitatem acquirat.

2. Præcipuæ causæ, quæ Atheos, ac impios in hoc tantum mali dejiciunt, videlicet, turpes obscœnique affectus, quibus indulgere decreverunt; cæca, & pertinax curiositas, quæ id penetrare voluit, quod Deus credi jussit; defectus perpendendi finem, propter quem creati fuere.

3. Remedia hujus mali; & viæ ex hoc statu emergendi; nempe a peccatis abstinere, serio Fidei veritates, ac rationes, propter quas Religio nostra credibilis est, animadvertere.

XI. Pars prima. Athei, & qui vivendi licentiam jactant, solum se rationis lumen sequi profitentur; iisque ostendendum est, rebellionem suam inter ea omnia consilia, quæ in re tanti momenti capi possunt, unum omnium a rationis sensu remotissimum esse, periculosissimum, atque nequissimum.

Pars altera. Credunt se hac ratione sine metu in scelestibus suis volutari posse, & sine cura sese omnibus vitæ hujus voluptatibus ingurgitare; ideoque ostendendum, quin hunc finem assequi possint, se ideo præsertim maxime semper agitatum iri, & in utraque vita calamitosos futuros.

XII. Duplex est incredulorum, impiorumque genus in duplici concionis parte impugnandum.

Primi sunt, qui nihil prorsus credunt, qui sunt sine Deo, sine Lege, sine Religione; vel qui non alium habent Deum, nisi voluptatem, non legem aliam, nisi voluntatem, non aliam spem, nisi vitæ hujus bona. Quid credendum, cogitandumve est de vita hujus hominibus?

Alii id tantum credunt, quod sibi placet; industrii in fide affectibus studiisque suis accommodanda; vel qui putant, se omnibus Religionis suæ officiis satisfacere posse, quin ab ulla se abstineant re, quam illa prohibeat. Hi docendi sunt, ipsos eo in statu versari, qui nihilo melior vel minus periculosus est, quam ille in quo superiores versantur.

XIII. 1. Sine Religione nulla vera esse potest probitas in terris; omnes exularent virtutes.

2. Sine probitate, vitæque sanctitate Religio severioris damnationis est causa. *P. Bourdalove.*

XIV. Quandoquidem Athei, & qui vivendi, credendique licentiam profitentur suam spiritus vim jactitant, atque rationem provocant;

Ostendendum primo illis, qui nihil credunt, eorum in credendo indocilitatem maximum esse mentis errorem.

2. Illis vero, qui seipsos excæcare quærunt rebelles veritatibus, quas nequeunt ignorare, & quas cor suum clanculum confitetur, rebellionem hanc meram esse cordis corruptionem. *Desumptum ex P. Aurelianensi. Sermone de Religione.*

Negare Deum, & fidem omnem extinxisse, est

XV. 1. Error omnium maxime inexcusabilis, & nequissima ignorantia; non enim esse potest, nisi affectata, & voluntaria post tot argumenta, ac testimonia, quibus Deus ipse essentiæ suæ veritatem comprobavit: *Non sine testimonio se ipsum reliquit.* Hæc autem argumenta fusius possunt enucleari.

2. Teterrima improbitas est, gravissimumque peccatum; hoc enim est de Mundo virtutes omnes, bonam fidem, omnemque justitiam auferre.

Impietatem, atque credendi licentiam scelus esse honori Dei maxime oppositum, apertissimumque Religionis inimicum, qui eamdem, quantum in ipso est, penitus delet, hac inductione probari potest. XVI.

1. Vult Deus ab hominibus cognosci; at impietas fugit, vel delet Entis illius cognitiones, easque veritates, quas ille docuit, & revelavit.

2. Vult Deus ab hominibus coli tamquam supremus eorum Dominus; impietas vero illum dedecorat, ei thus adolere detrectat, Justitiæ, ac potentiæ ipsius timorem amittit.

3. Vult Deus homines sibi obtemperare, atque submissionem testari; impietas vero eidem tenuit parere, ut impune illius leges perfringat, & justitiam effugiat. Contra impios, & irreligiosos, qui tantopere se spiritus fortes esse gloriantur, ostendi potest, nullam ipsis notam inesse, quæ hanc spiritus fortitudinem probet. XVII.

1. Spiritus fortitudo in hoc sita est, ut quis facile illa assequatur, quæ supra communem sensum sunt posita.

2. In hoc, ut strenue, ac generoso animo eas superet difficultates, quæ cogitationibus nostris magnis, & justis adversantur.

3. In hoc, ut prudens fiat earum rerum electio, quæ nobis utiles sunt; quibus in rebus impios deficere, non operosum est demonstrare.

Punctum primum. Mala, in quæ impingunt homines increduli, ac flagitiosi; cæcitas spiritus, animi obduratio, quam cogitatio nulla unquam flectere potest, ac denique finalis impœnitentia, atque æterna reprobatio. XVIII.

Punctum alterum. Quanam in re hæc illorum consistat impietas, & quænam sint illæ notæ, unde valeat cognosci. 1. Nullam ex Religionis nostræ veritatibus credere, easque, ubicumque sese obtulerit occasio, impugnare. 2. Sanctas res, atque veneranda fidei mysteria in jocum traducere. 3. Sacramenta, & quidquid sanctius est, polluere. In his eorum consistit impietas, ac inde cognosci possunt.

Impius se spiritum fortem appellat, sed ejus infirmitas, atque cæcitas inde apparet, quod XIX.

1. Fidelis certis, invictisque innititur principiis; impius vero rationi, quæ errori patet.

2. Fidelis validissimis auctoritatibus, atque irreprehensibilibus testimoniis comprobatur; impius e contra peculiaribus hæret opinionibus, non aliam quam flagitiosorum hominum sibi similium, auctoritatem habentibus.

3. Fidelis constans est in cognitionibus suis per morum innocentiam, vitæque integritatem; impius vero semper hæret in ambiguo affectuum suorum perturbatione agitatus, & a Deo derelictus. *Desumptum ex P. Texier in Adventu cui titulus: impius infelix.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde peti rerum copia valeat ad has Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres.

SAnctus Cyprianus *de Idolorum vanitate, & in Proleg. de Operibus Cardin.* ostendit, Dei cognitionem esse naturalem.

Tertullianus in Apologetico c. 17. hoc ipsum probat.

Origenes *Lib. 1. Peri-archon.*

S. Irænæus *lib. 4. c. 14.*

Auctor *libri de divinis nominibus c. 7.*

Lactantius *lib. de falsa Religione.*

Eusebius *lib. 7. de Præparat. Evangelic.*

S. Atha-

S. Athanasius *in Orat. contra Idolat.*
Arnobius *lib.* 8. *contra Gentes.*
S. Gregorius Nazianzenus *Orat. de Theol.*
S. Gregorius Nyssenus *lib. de Vita Mosis.*
Idem Homil. 11. *in Cantic.*
S. Cyrillus *l.* 2. *&* 3. *contra Julianum.*
S. Basilius *Homil. quod Deus non sit auctor malorum.*
S. Augustinus *lib.* 2. *de Civit. Dei c.* 4.
S. Hieronymus *in Psalm.* 95.
S. Chrysostomus. *In Psalm.* 13. *&* 143.
Idem. *Homil.* 4. *in Genesim.*
Idem. *Homil.* 9. *&* 49. *ad Popul. Antioch.*
Philo Judæus *lib. de Opific. Mundi, & lib. de Monarch.*

Salvianus *lib.* 2. *ad Eccles. Cathol.* verba facit de modica Fide, ac Religione, quæ in Christianis videtur.

Idem lib. 3. in eos invehitur, qui ævo suo in iis, quæ ad Religionem pertinent, licentiam præseferebant.

S. Bernardus. *Sermone* 32. *in Cantic.*

Ascetici, & Dogmatici. Granatensis. Catechismus.
Lessius. *De Divinis perfectionibus.*

Silhon. Tractatu de Animæ immortalitate, cujus præcipua pars in probanda contra Atheos Dei existentia versatur.

P. Mauduit, Presbyter Oratoris Tractatum edidit de Religione contra Atheos, & Deistas.

P. Antonius Girard e Societate JESU. Ex P. Leonardi Lessii Operibus duo fundamentalia salutis decerpsit principia, alterum de unius Dei veritate, alterum de veritate Religionis contra Hæreticos.

Dialogus de Existentia Dei cum tribus aliis editus de Immortalitate animæ, de Providentia, & de Religione, sine nomine auctoris.

Marchio de Planetia egregium de Religione tractatum edidit, ubi integrum caput circa Atheorum insaniam versatur.

Cambolas, Presbyter Tholosanus in libro, cui titulus, Vitæ Christianæ Exemplar, cap. 1. de spiritibus fortibus, ac in iis, quæ ad Religionem attinent, libere credentibus.

P. Antonius de S. Martino *de la Porte*, Carmelita reformatus in libro cui titulus, *Les conduites de la Grace*, Tractatu 4. fusius de spiritibus fortibus verba facit, eorumque detegit infirmitatem.

De la Bruyere in Caractetibus Morum hujus seculi Operi suo finem imponit caractere spirituum fortium, atque Atheorum, & Dei unius probat existentiam.

P. Caussinus in Aula Sancta lib. 2. primo ad salutem obstaculo, prolixum habet Sermonem de Atheismo, & Impietate.

P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus, unam adfert de Atheismo, & vivendi, credendique licentia.

Liber, cui titulus, Sapientia Christiana editus a P. Guilleminot e Societate JESU de eadem re fusius loquitur.

Liber, cui titulus, Animadversiones in varia Religionis, Ethicæque argumenta Tomo 2.

Liber, qui inscribitur *Essais de Morale* Tom. 2.

Concionatores. P. Aurelianensis Tomo 1. Sermonum concionem habet de vera Religione, ubi Atheos, ac irreligiosos oppugnat.

Abbas de Breteville Tomo 4. Sermone pro Dominica infra octavam Nativitatis Dominicæ.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Moralis argumenta, in Dominicali, Sermone pro Dominica Trinitatis, Dei contra Atheos probat existentiam.

Idem Tomo 2. Sermonum particularium Concionem habet de Incredulitate contra Impios.

In eorum numero, qui collectanea Moralia ediderunt unum reperi Dandinum, qui in hoc elaboraverit argumentum, & ea, quæ reperire potuit, collegerit. Adi librum ejus tertium ubi de peccatis fidei oppositis verba facit.

Ex Ethnicis. Cicero *lib.* 2. *de Natura Deorum.*
Seneca *lib. de Providentia.*
Stoici apud Plutarchum *lib.* 2. *de Placitis Phil. c.* 6.

PARAGRAPHUS III.

Bibliorum loci, exempla, & applicationes huic argumento.

EGo sum qui sum. Exod. 3.

Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. Deuter. 32.

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Psal. 4.

Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Ps. 13.

Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam, &c. Psal. 18.

Quomodo scit Deus, & si est scientia in Excelso? Psal. 72. (sic loquuntur impii.)

Viduam & advenam interfecerunt, & pupillos occiderunt, & dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. Psal. 39.

Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Psal. 32.

Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, a seculo usque in seculum tu es Deus. Psal. 89.

Interroga jumenta, & docebunt te; & volatilia Cœli, & indicabunt tibi; & narrabunt pisces maris: quis ignorat quod manus Domini hæc omnia fecerit? Job c. 12.

Deus, cujus iræ nemo potest resistere & sub quo curvantur qui portant orbem. Idem, c. 9.

A Magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterat Creator horum videri. Sap. 13.

Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem. ibidem, c. 16.

Non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus. Ibidem, c. 12.

Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Ibid., c. 1.

De his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est; neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex. Ibidem, c. 13.

Ego primus & novissimus, & absque me non est Deus. Isaiæ c. 44.

Plena est omnis terra gloria ejus. Idem, c. 6.

Ante me non est formatus Deus, & post me non erit. Idem, c. 43.

Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis: sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium. Eccles. 11.

Numquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus. Jerem. 23.

Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joann. 1.

Non sine testimonio Deus seipsum reliquit, benefaciens de cœlo. Act. 14.

Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cum sit Dominus, non in manu factis templis habitat .... indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia. Act. 17.

In ipso vivimus, movemur, & sumus. Ibid.

Invisibilia ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur. Ad Rom. 1.

Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ad Rom. 7.

Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Ad Rom. c. 1.

Exempla veteris, novique Testamenti.

ANte diluvium quamvis mortales ad extrema usque impietatis scelera devenere, non liquet tamen in generali ea corruptione Dei fidem penitus deletam fuisse. Mundi creatio, & primi parentis recordatio, quem eorum complures viderant, & cujus fatum alii didicerant, dubitandi locum minime re- (Probabile non est ante diluvium veros Atheos extitisse.)

linquebat, utrum primum Ens, & supremus Universorum auctor, ac Dominus esset, quamvis vitium, atque mores corrupti omnem illius metum sustulissent, omnemque cultum, ac Religionem antiquassent. Itaque inter Mundi Creationem, & Dei Creatoris existentiam, qui unus illum ex nihilo potuit educere, talis nexus invenitur, ut alterum ex altero necessario consequatur; & Atheus, qui ex corde suo Dei fidem expunxit, mundi quoque creationem debeat negare, & asserere, hunc ab æterno eo in statu mansisse, in quo videtur, vel saltem partes omnes, ex quibus constat, fortuito Atomorum concursu ita coaluisse, ut tot, tamque præclara opera efficerentur. Utrum hæc fidem mereri possint, recti sensus est dijudicare; quod occasionem tribuit dicendi opus esse ut rationis sensum omnem abjecerit, qui vere Atheus est. Sed satis est, rationem aut flagitiis, aut affectuum violentia fuisse corruptam, ut affirmare possimus numquam defuisse Semi-Atheos, hoc est homines Dei timore, conscientia, & omni Religionis sensu carentes.

Exemplũ Cain.

Primum, quod in Bibliis occurrat exemplum hominis Religione, ac Dei metu carentis est antesignanus reproborum omnium, infelicissimus Cain, qui dubitare non potuit, utrum Deus esset Creator Mundi. Cum enim filius esset patris, qui fuerat primus hujus orbis incola, & qui non nisi Dei ejusdem manibus efformatus esse potuerat, prætulit nihilominus animum impium, ac titubantem in fidem Providentiæ illius, a quo omnia creata fuisse cognoverat. Quamobrem quidam ex Sanctis Patribus illum primum, & Patriarcham Atheorum appellant; neque veritus est asserere S. Bernardus, fidem illius ante mortuam fuisse, quam ab illo mors fratri inferretur. Supplicium, quod de illius impietate divina poposcit Justitia, eos omnes deterrere deberet, qui illius exemplum sequuntur; eumdem enim exitum debent præstolari.

Alia eorum exempla qui vel Athei vel sine Religione fuerunt.

Dici possunt, tot impii, ac nefarii homines, de quibus loquitur Scriptura, totidem fuisse saltem semi-athei, velut Esau, qui primogenita sua vendidit, ut suæ voluptati indulgeret; Saul, qui in desperatis rebus Pythonissam consuluit; tot Reges impii, qui populum ad Idolorum cultum impulerunt, & alii, qui Deum Patrum suorum deseruere, ut Idolis thus adolerent. Profecto inter Idololatram, Atheumque hoc discriminis interest, quod hic nullum prorsus Deum cognoscit, ille vero ficta veneratur numina, vel creatam aliquam rem sibi proponit in Deum. Par est utrobique impietas; ac asserere possumus Idololatriam Atheismo viam sternere, quemadmodum hodie Atheismus idololatras facit suarum voluptatum, ac quæstuum.

Ille, cujus non solum vivendi, agendique ratio probavit, quod nullum Deum esse putaret, ac Dominum majorem se, verum etiam apertissime professus est, se neque Deum ullum nosse, neque ulli obtemperare velle, Pharao est, nequissimum illud cæci, obdurarique cordis exemplum: *Nescio Dominum, & Israel non dimittam*. Exod. 5. Admirabilia portenta, quæ coram ipso operatus est Moyses, illi persuadere debebant, adesse Deum supremum naturæ totius Dominatorem; attamen qua pertinacia protestatus est, se penitus ignorare Deum hunc, cujus verbis Moyses ad eum loquebatur, ac se non passurum, ut populus Israel, quem duro servitutis jugo premebat, in desertum concederet, solemni eum sacrificio adoraturus? Hæc figura est, vel potius prototypus rebellionis Atheorum, quibus non ratio, non miracula, non minæ, non divinæ justitiæ flagella persuadere possunt, Deum esse scelerum omnium ultorem.

Nabuchodonosor aliud est impiæ hujus rebellionis exemplum, licet superbiæ suæ pœnas luens tandem confessus sit magnitudinem, supremamque illius potestatem, cujus nomen aspernabatur. Rex ille magnitudinis suæ fulgore excæcatus contra omnia rationis lumina sese extulerat supra Deum, pro quo simulacrum suum coli jubebat; sed debitas sceleris, ac impietatis suæ Deo pœnas dedit; qui illi rationis usum ademit, atque ad brutorum conditionem redegit eum, qui sese supra mortales omnes evehere studuerat. Hic idem ille status est, quo Athei quodammodo rediguntur. Hi omnia rationis suæ lumina extinxerunt, ne agnoscerent Deum quem creata omnia ratione, & sensu carentia palam prædicant, ac profitentur, & ipsi quoque brutorum similitudinem induunt, ut brutalem vitam traducant, terrena solum, & sensuum voluptates cogitando, quod dignum impietatis ipsorum supplicium S. Paulus ad Rom. 1. appellat. *Mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.*

In novo autem Testamento in Herodis Ascalonitis persona quamdam Atheismi speciem intuemur; non solum enim in omni vitæ suæ ratione palam ostendit, se non aliud Numen, quam fortunam suam credidisse, & eos, qui eumdem in throno, quem usurpaverat, tueri possent; sed cum audivisset Deum in mundo, ac in oppido ditionis suæ natum esse (Messiam videlicet, quem Prophetæ nasciturum prædixerant, & Judæi præstolabantur) quamquam mira narranti nuntio fidem non adhiberet, turbatus est tamen, nihilque intentatum reliquit, ut Messiam hunc recens natum, quicumque tandem esset, de medio tolleret, eo usque ut occidi juberet pueros omnes qui in Bethleem invenirentur, & quos ejusdem præter propter ætatis esse autumavit. Athei quidam non dissimile præstant; scelera quippe sceleribus aggerentes suffocare conantur in corde suo Dei metum; & cogitationem, eumque, si fieri posset, de mundo auferre; quoniam uti S. Augustinus inquit, maxime interest eorum, ne quis sit vindex scelerum & impietatum.

Cum S. Paulus Areopagum ingressus est, Fidei lumen allaturus, & illum proditurus ignotum Deum, quem Athenienses colebant: antequam de lege Evangelica verba faceret, adnisus est ideam illis adstruere veri Dei, & creatoris Cœli, ac terræ prorsus aliam ab ea, quam illi conceperant; non enim minus aberrant a veritate fictis nominibus thura adolentes, quam si nullum penitus Deum cognovissent; & quia Religionis Christianæ ratione habita idem est idololatram esse, ac Atheum; & quia denique, ut ait Tertullianus vel nullus est Deus, vel unus tantum est; nisi quod facilius est errorem auferre Idolorum cultori, quam Atheo, propterea, quod virium, affectuumque perturbatio majores tenebras hujus offundit menti, & Atheismus, ac impietas ex morum licentia proficiscentes majorem illius conversioni obicem statuit.

Deus ignotus, quem Athenienses venerabantur.

Cum Atheorum, flagitiosorumque hominum vulgatus sermo sit, neminem ex alio mundo accessisse, & docuisse quid ibi fiat, quod profecto impii in Sapientia dicunt; illis ea reddenda sunt, quæ S. Patriarcha Abraham diviti nequam respondit, de medio flammarum suarum flagitanti, ut aliquis ex mortuorum numero in mundum mitteretur, qui fratres suos Atheorum more viventes commoneret; respondit quippe Moysem, & Prophetam missos fuisse, & hoc illis satis esse debere; si enim sese non debebant testimoniis veritatis, quæ Deus illi præbuerat, neque habituros fidem illi, qui ex mortuis resurrexisset, neque prodigio cuilibet; & omnia hæc tamquam inanes illusiones existimaturos.

Applicationes.

AT illi, ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse. Marc. 6. In Atheorum, flagitiosorumque hominum mente accidit aliquid simile iis, quæ de Apostolis legimus, qui, cum illis apparuisset JESUS super aquas incedens, putaverunt esse phantasma. Impii hoc ipsum dicunt de omnibus Religionis nostræ veritatibus; cum hoc tamen discrimine, quod hoc illi dicunt non per errorem, ut Apostoli, sed per voluntariam cæcitatem, quam illis vitia sua peperere. Licet enim Christianæ veritates eorum oculos perstringant, easque solidis inniti principiis cognoscant; nihil tamen credere decreverunt, ne illa sequi cogantur. Vel Apostolos eosdem in Do-

Athei Evangelicas veritates visiones putant.

in Dominicæ Resurrectionis fide titubantes imitantur, quibus piæ illæ mulieres, quæ ad Sepulcrum processerant Domini corpus balsamis inuncturæ, ea quæ viderant, & audiverant, nuntiavere: *Visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista*, inquit S. Lucas Evangelista c. 24. *& non crediderunt eis*. Quod illæ nuntiaverunt, visum est Apostolis mentis imbecillitatem, ac insaniam sapere, ideoque illis fidem non habuere. En quousque flagitiosorum hominum cæcitas procedat! eo usque ut maximas etiam, maximique momenti veritates fabulas putent.

Regius Propheta ait: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam*. Psal. 18. Eruditus quidam Interpres priorem hujus loci partem fidelibus applicat, qui fidei luminibus illustrati sunt; alteram vero impiis, qui infernorum tenebris sunt insepulti. De Prioribus tamquam filiis lucis dicendum est, ingens Evangelii lumen lucere in animabus suis, ut veritatem annuntient; credunt enim, quod illis verbum Dei revelavit; cum in tenebris Inferni æterna nox posterioribus eas veritates, quas credere noluerunt, aperiat per scientiam illam experimentalem, quam illis imprimit, efficitque, ut inviti Deum, alteramque vitam, æternaque supplicia cognoscant.

Jonas propheta in utramque stertebat aurem ea in navi, quam conscenderat, ne Dei mandata exequeretur; cum atrox procella illum jamjam submersum, cum omnibus, qui eadem vehebantur rate, videbatur. Tunc nauta præsentis periculi magnitudine territus illum excitavit, dixitque: Tu dormis, & jam perimus: Evigila statim, ac Deum tuum invoca, qui fortasse recordabitur nostri, ac nos liberabit. Interim cum violentibus tempestas debacchatetur, Propheta somno fere captus adhuc in mare projicitur. Hoc accidit, sed eventu toto cœlo dissimili, flagitiosis hominibus, qui alto inertis vitæ, impudicitiis, & voluptatibus deditæ somno insepulti sunt. Mundi hujus pelagus fragili atant rate semper in æternæ mortis periculo, numquam cogitantes invocare Deum verum, quem minime norunt, vel quem fugiunt, ne illius imperio obtemperare teneantur. Tandem vero ingruit super illos æternæ reprobationis procella, ac in calamitatum omnium barathro sepeliuntur.

Dixit impius in corde suo, Non est Deus. Psal. 10. Scite eruditus interpres animadvertit, Dæmonem Divinæ gloriæ invidentem, dum Gentilitatis tenebræ mundo erant affusæ, terras plurimis idolis, fictisque numinibus replevisse, quibus ut honorem præstaretur, adnitebatur, certus hanc tutissimam esse viam cultus abolendi, qui Deo vero unice debebatur. Hodie vero cum homines satis illuminati sint, neque in eos laqueos impingere possint, ut opera manuum suarum, quemadmodum olim veteres idolorum cultores, venerentur; Dei, hominumque hostis arma immutavit; persuadet enim flagitiosis hominibus, non jam amplius Deos esse irritandos, qui scelera, atque impudicitias suis probent exemplis; sed nullum omnino esse Deum justum scelerum vindicem. Artem tantummodo mutavit illos in oppositum errorem impellens, qui tamen nihilo minus perniciosus est innocentiæ, & qui æque, homines in nullam reditus spem perdere potest.

Dæmon Atheos alia ratione decipit, quod olim idololatras.

Noluit intelligere, ut bene ageret. Psal. 35. *In Circuitu impii ambulant*. Psal. 11. Hic infamis ille est circulus, in quo ambulant impii, & unde non egrediuntur. De fidei veritatibus volunt ambigere, eo quod impudicitiis dediti sunt, & hæ veritates illos in impudicitiis ipsorum exagitant; iique brutorum more sese mancipant impudicitiis, eo quod Fidei veritates non credunt. Cum illos urges, ut pravos habitus tandem aliquando relinquant; respondent, se omni vi eos infringere conaturos, si certi essent, eorum quæ a nostra Religione docentur; ubi vero illis probata sunt ea, quæ docet Religio, tunc ajunt, se pravos habitus suos infringere nequaquam posse: *In circuitu impii ambulant*.

Impiorum circulus infamis.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum hoc in argumento loci, atque Sententia.

HÆc est summa delicti nolentium agnoscere, quem ignorare non possunt. Tertull. in Ap.

Totus mundus inscriptus est, & ab omni conscientia legitur. Idem, ibidem.

Ubi Deus non timetur, nisi ubi non est? Idem, de Præscript c. 41.

Nihil adhuc de Deo discens, Deum nominat; nihil aliud de judicio ejus admittens, Deo commendare se dicit. Idem, l. de Carne Christi.

Quidquid de Deo cogitatum fuerit, minus ipse erit; quidquid omnino de illo retuleris, rem aliquam ipsius magis & virtutem, quam ipsum explicaveris. Idem, de Trinit.

Anima, a primordio conscientia Dei, dos est. Idem, l. 1. de Contr. Marc.

Patent oculi (Atheorum) *nec vident; hiant aures, nec audiunt; cor stupet, & saliens animus nescit quod agnoscit*. Lib. 2. ad Nat.

Deus in aperto constitutus est. Idem, l. de Pœnit.

Tantis operibus Deus notitiam sui armavit! Idem.

Tunc aliquid de Deo cognoscimus, cum illum cognosci non posse sentimus. August.

Errat quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat. Idem, de Agon. Christ.

Pauci inveniuntur tantæ impietatis, ut impleatur in eis quod scriptum est; Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Idem, in Psal. 13.

Videre velle, ut animum purges, cum ideo purgetur ut videas, perversum certe, atque præposterum est. Idem, lib. de Utilit. credendi.

Si hæc pulchra sunt quæ videmus in mundo, quid est ipse? si hæc magna sunt, quantus est ipse? Idem, in Psal. 26.

Deus est illud ipsum, *de quo Psalmista: cætera si cum ipso conferantur, nec ipsa sunt, nec illa, sed merum nihil*. Idem, in Psal. 90.

Si me ipsum nescio, si anima mea substantiam & naturam ignoro, si eorum quæ intra me sunt rationem non intelligo; qua audacia supra me erigam oculos, ut videam principium sine principio, & finem sine fine attingam? Cyprian. in præf. de Card. Operib.

Deus nec videri potest; visu clarior est: nec comprehendi; actu purior est: nec æstimari; sensu major est: & ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Idem, lib. de Idol. Vanit.

In paginis elementorum ac voluminibus temporum, communis & publica institutionis doctrina legitur. S. Prosper, lib. de Vocat. Gent. c. 4.

Humanæ infirmitatis religiosa professio est, hoc solum nosse quod Deus est. Zeno Veronens. Serm. 1. in Psal. 128.

Negat quodammodo Deum, quisquis rationibus humanis Deum metiri conatur; defensio enim nonnisi imbecilli præstatur. Idem, Serm. de Fide.

Parentem omnium, & omnium Dominum non minoris sceleris est ignorare, quam lædere. Idem, ibidem.

Absque notitia Dei quæ potest esse felicitas? Idem, ibidem.

Nemo Deum negat, nisi cui expedit Deum non esse. August.

Nihil est ordine perfectum, quod possit sine moderatore consistere. Lactant. l. 3. c. 10.

Esse omnium est ipsa Divinitas. S. Dionys. de Div. Nominib.

Non est gens, neque lingua, quæ hanc vocem Cœlorum, & creaturarum intelligere non possit, quæ Deum omnes clamant. Chrys. Homil. 9. ad Popul. Antioch. explicans illud Davidis: *Cœli enarrant gloriam Dei, &c.*

Nihil agis, ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturæ; quia nihil natura sine Deo est;

est; sed idem est uterque, nec distat officio. Seneca lib. de Benef.

Si Deum e mundo sustuleris, fidem & societatem de genere humano, & una excellentissimam virtutem justitiam, auferre necesse est. Cicero, de natura Deorum.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus hauriri possit in hoc argumento contra Atheos &c.

Impii dividuntur in Atheos, Deistas, & Pyrrhonicos vel Indifferentes.

IMpiorum, flagitiosorum, eorumque qui se Spiritus Fortes jactant, nomine, ut jam dictum est, triplex hominum genus continetur, qui dici possunt nullam Religionem habere, sunt autem Athei, Deistæ, & Pyrrhonici. Singuli sua seorsim habent argumenta juxta eos Articulos, quos impugnant. Deistæ, qui Deum unum fatentur, contra Religionem ea objiciunt, quæ ipsis nequaquam communia sunt vel cum Atheis, qui Deum esse negant, vel cum Pyrrhonicis, qui de ejusdem ambigunt existentia. Athei melius se fecisse putant omnem auferendo Divinitatem, cum qua simul evertunt, quidquid certitudini existentiæ ejus innititur, puta Religionem, & quæcumque inde consequuntur alia, tum ad hanc, tum ad alteram vitam pertinentia. Pyrrhonici, qui in Religionis materia indifferentes vocari possunt, nihil positive affirmant; verum ne prohibent quidem, quominus rationes oppositæ suam habeant probabilitatem. Affirmandi, negandique particulæ nullo ipsis in discrimine sunt, dummodo inter utrasque mens semper hæreat anceps. Utrique spirituum fortium nomen, & gloriam sibi vendicant, quasi supra humanas infirmitates positi, neque vulgi opinionibus irrepti, quibus imprudenter homines injiciuntur in Religionis servitutem, quæ nullam pati potest licentiam.

Veri Athei vel nulli sunt, vel paucissimi.

Rationes Dei existentiam probantes adeo planæ, perspicuæque sunt, & ut inquiunt Auctores, creatarum quarumcumque rerum testimonio ita probantur, ut nullus reliquus sit dubitandi locus, utrum veri Athei inveniantur, nisi terribilis accedat stupiditas, quæ omnia ferme rationis lumina extinguat. Nihilominus quamplurimi sunt Athei non mente, sed corde, qui sibi persuadere conantur nullum esse Deum, ut hoc pacto conscientiæ suæ stimulos suffocent, tranquille voluptatibus vitæ hujus perfruantur, & impune in omnia scelerum genera ruant. Ita Deus nullum unquam miraculum operatus est ad probandam Divinitatem, quæ ab omnibus creatis rebus prædicatur. Illi solum, quorum interesset nullum esse Deum, hoc negant: mens vitiis referta illos in hunc errorem impellit; omnesque conatus exerunt, ut quod cupiunt, sibi persuadeant, aliosque in suos sensus alliciant, quoniam vellent, quod numquam assequi poterunt, hoc sibimetipsis probare.

Inveniuntur tamen plurimi nefarii homines, qui non solum vivunt tamquam Athei, sed qui loquuntur etiam æque ac si vere essent Athei; qui sese continere nequeunt, quominus in cœtibus sua dogmata jactitent, licet reipsa aliter credant. Hoc nonnumquam simpliciter accidit, ut ingenium eorum late possit excurrere, atque improbam percipere voluptatem rudes homines torquendo, eorumque menti caliginem affundendo, quibus non satis luminis inest, ut fallaciam, atque imbecillitatem eorum quæ afferuntur, detegant argumentorum; quo fit, ut qui de Divinitate minime ambigunt, alios veros Atheos possint efficere. Nihil ergo æquius est, quam studere, ut Fideles contra perniciosa eorum sophismata, inanesque rationes sibi caveant diligentissime.

Causæ vulgariores Atheismi.

Tres præsertim sunt Causæ Atheismi, seu mentis, seu cordis: parum interest, quomodo Athei labantur, eadem enim scelera patrant, ac in eamdem denique decidunt infidelitatem. Prima est, nefaria conscientia diuturno obscœnorum criminum habitu obdurata. Fides paulatim infirmatur, ac tandem penitus extinguitur; curatur etiam, ut hoc accidat ad secretos conscientiæ stimulos, atque redargutiones, quibus anima eo in statu torquetur: ita ut, ne timore judiciorum Dei, & suppliciorum, quæ impium altera in vita manent, deterreatur, anima ipsa, quantum in illa est, fidem extinguat, vel saltem memoriam eorum nitatur abolere, ab oculis suis hæc terribilia objecta rejiciens. Altera secreti hujus, vel manifesti Atheismi causa est obscœna venus, nequissimæ impudicitiæ, voluptatum amor, quæ animam ita dejiciunt, ut nullus illi Dei, vel Religionis sensus supersit, eo usque ut nihil in altera vita sperans, felicitatis suæ cancellos in hac ipsa constituat, atque omnes abjiciat cogitationes, quæ voluptatum suarum perfruitionem possent perturbare. Tertia mali hujus origo est inquieta curiositas, & secreta superbia, quæ altiora Religionis mysteria scrutari contendit: quo cum homo infirmis rationis suæ luminibus pervadere nequeat, vel fictum putat, vel impossibile quidquid ultra mentis suæ jactum positum est. Hæc ipsa superbia veteres Philosophos deterruit, ne sacris nostris initiarentur, eosque sæpe ita excæcavit, ut nihil credere vellent, quod intelligere non possent.

Impii illi, qui serio loquuntur, alia insistunt via Religionem eversuri. Quemadmodum vident illam secretissimas actiones nostras, ipsa etiam desideria dirigere, eam politico acceptam referendam esse putant consilio, ut populi videlicet in officio, quod Principibus suis debent, contineantur. Verum si bona fide operarentur, e contra arguerent, unam tantummodo Religionem esse, quæ Reipublicæ securitati consulere noverit, ordinem, submissionem, & pacem tuens; regens humanæ societatis officia: mendacium enim, fictæque suppositiones tantum bonum gignere nequivissent, præterquam quod mendacium, & fraus semper latere non possunt. Sed cum metus justitiæ ultoris Dei, & alterius vitæ supplicia, non secus ac bonorum operum præmia hanc vim obtinuerint producendi tantum boni quantum est universalis humanæ societatis conjunctio, dicendum est, Religionis opus esse mundi civilis pacem, atque ordinem: non autem opus esse Politicæ, hoc est ingenii prorsus humani, quod Religio introducta fuerit, & constituta.

Cum Atheis ea describuntur flagitia, atque scelera, quæ grassarentur in terris, nisi Deus esset, atque Religio; hoc unum respondere possunt, tunc homines gubernatum in ratione, & vitium, quod rationi adeo oppositum est, licet a Religione minime prohiberetur; eos nihilo secius esse abominaturos. At quid est ratio per se, ut sola exundantium affectuum torrenti opponatur? Quis non videt quotidiana doctus experientia illius imbecillitatem, atque inertiam in tot hominibus, qui suis affectibus dediti, dummodo suis satisfaciant voluptatibus, rationi, atque conscientiæ aures obstruunt? Nonne vident rationis, virtutisque considerationem, quæ alioquin parum valeret, iis inniti, quæ nos Religio docet de Existentia Dei, & de mandatis, quæ nobis irrogat Deus? Quod si supponeretur Deus inane tantum esse nomen, ac inanis idea; nullum amplius esset vitium, nulla virtus; & virtus, vitiumque ex hac parte mera essent nomina nihil significantia?

Lumen ipsum naturale partem earum veritatum prodit, quas Athei in dubium vocant.

Naturale quoque lumen nobis ostendit non deesse rerum omnium auctorem. Nascimur non sine quibusdam instinctibus, & affectibus; nascimur cum quibusdam luminibus, & cognitionibus; quemadmodum non desunt objecta, quæ naturaliter cupimus, ita non desunt quædam quæ sine studio, atque doctrina cognoscimus: Deus, animæ immortalitas, bonorum operum præmium, & supplicium, quod scelera manet, ex iis sunt veritatibus, quarum doctrina non indigemus; ita ut nulli essent in hujusmodi articulis infideles, si ut fideles essemus, satis esset cogno-

cognoscere, quid Fides de illis docet, & ratio sine voluntate sufficeret. Hæ sane veritates ab institutione minime proficiscuntur. Temporum vices, diversa populorum negotia, Nationum commixtio, varia hominum studia institutionem immutant, ac varias honoris, atque urbanitatis regulas statuunt. Sed hæc sententia, unum Deum esse, vitam alteram, virtutum præmia, scelerumque supplicia; hæc, inquam, sententia inter omnis societatis mutationes immutabilis perseverat; corde quid aliud licet arguere, nisi, iterum dicam, sententiam hanc a simplici educatione minime profectam esse, sed alicui innixam esse naturali proportioni, quæ inter has veritates, nostrumque intellectum intercedit.

Mala, quæ ex Atheismo oriuntur.

Si locum haberet Atheorum sententia, virtus chymæra quædam esset, ac nomen inane: probitas vanus esset scrupulus; bona fides simplicitas, vel hypocrisis: omnis inter homines confidentia desineret; quis enim fideret hominibus, qui cum Deum non cognoscant, non sanctiorem, quam propriam utilitatem legem agnoscunt? Si hæc sententia obtineret, conscientia præjudicium esset; lex naturalis, illusio; jus, error; benevolentia, qua sese mutuo prosequuntur mortales, nullum amplius fundamentum haberet; societatis vincula jam adimerentur; amicus amico, civis patriæ, patri filius prodendo paratus esset, ex quo sibi cum utilitate hoc perficiendi oblata esset occasio: & auctoritate, vel silentio, quæ sceleri perfugium præbere possunt, contra leges te tueri posse confideret, sacratissima denique jura, atque imperia, tamquam mera somnia, & visiones haberentur. Nec ratio deest; cum enim quilibet homo se tamquam finem sibi proponeret, non aliam haberet Legem, quam voluntatem suam, non aliam regulam, quam sua desideria & vim ea, quæ vellet exequendi, vel ea, quæ sibi utilia forent, usurpandi, quod inter bruta contigit animantia.

Fateor equidem nihil mihi adeo ridiculum, atque absurdum esse unquam visum quam credere, virtutes omnes, bonam fidem, probitatem, justitiam, humilitatem, temperantiam, fidelitatem, omnia societatis vincula, æquissimas leges, ea, quæ summa cum æquitate sancita sunt, Tribunalia, quæ summa cum justitia sunt constituta, rectum rationis usum, affectuum imperium, sapientiam, conscientiam, legem naturalem; quidquid demum hominem ab aliis animantibus distinguit, hæc omnia inquam ab errore esse profecta, ex eo nempe sensu, quem habemus de Existentia Dei; econtra vero scelus, licentiam, injustitiam, malam fidem, societatis perturbationem, quæ Rerum publicarum æque, ac familiarum secum trahit eversionem, pravum rationis usum, flagitia, affectus, nequissima vitia, fœdissimas libidines ex ea veritate originem ducere, quæ ab Atheorum sententia non abhorreret, si locum habere posset insana eorum suppositio.

Liquido etiam patet, ubi existentiæ Dei veritas fuerit explosa; non eas solum difficultates occurrere, quæ sunt communes in dogmatibus, verum sexcentas alias, quæ immediate ex Atheismo proficiscuntur. Mundus, qui factus reperitur sine ullo Auctore ab æterno, vel ex fortuito atomorum occursu; æterna hominum, aliorumque animantium successio, quin aliquis primus extiterit, qui secundo vitam tribuerit: infinita hominum multitudo, qui in terris extitissent quin unquam eorum fons, & principium inveniri posset. Hæc omnia ænigmata sunt, & paradoxa; vel potius omnia in ideis nostris perturbata sunt; fulgidissimum lumen nobis est caligo densissima. Sapientia, quæ lucet, oculosque nostros perstringit multo magis, quam rerum confusio; quod factum videmus perspicuis rationis illustratæ notis distinctum, efficit, ut ita dicam, ut propriæ rationis usum amittamus, ex quo Deum non cognoscimus amplius; nullum enim amplius invenimus principium, ad quod omnia hæc miracula referre possimus.

Quibus principiis & rationibus Athei innituntur.

Athei, flagitiosique homines id tantum credere volunt, quod suis accidit sensibus; & quod rationis suæ vi concipere valent; videlicet Fidei luminibus rationem solam substituunt, immo sensus ipsos, quos unice consulunt, quemadmodum S. Augustinus animadvertit. *In homine carnali tota ratio intelligendi, est consuetudo cernendi?* Nunc autem quæro, aliquidne esse potest infirmius, errori magis obnoxium, quam ratio sola, ita suffulta, & aliud quodcumque fulcrum respuens? Quantumvis magna sit humana mens, & aciem habeat perspicacissimam, magnas tamen naturaliter habet infirmitates propter nexum, quem habet cum sensibus, & cum materia, & quod nonnisi per corporis organa potest operari. Nonne verum est, quamplurimas res, easque maxime communes, & obvias illius conatus fallere, eamque cogere, ut inscitiam suam profiteatur? Post tot sæculorum ambitum numquam æstus marini, atque eorum, quæ in febri ordinata deprehenduntur intervalla, vera causa potuit inveniri & post tot meditationes, & placita nihil adhuc de continui compositione certum potuit afferri. Quid fiet igitur, Sapiens ait, si ad rerum mere spiritualium cognitionem conemur attolli? *Difficile æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore; quæ autem in Cœlis sunt, quis investigabit?* Sap. 9.

Atheis Dei incomprehensibilitas negotium facessit, & quasi hæc Deo esset contraria, inde arguunt, non esse Deum; videlicet insanissimo errore, rei proprietate abutuntur ad rem eamdem evertendam. Ceterum, cum incomprehensibilitas ad humanam mentem referatur, quæ nimis arctis finibus continetur, quam ut Deum intelligere valeat; quis non videt, nolle credere Deum esse, eo quod natura ipsius nequit comprehendi; idem esse ac inscitiam suam pro argumento usurpare contra Deum, & contra Religionem; quod absurdum nihilo minus irridendum est, quam si quis neget, solem pleno meridie lucere, eo quod hebetem oculorum aciem in eum nequeat intendere? Præterquamquod donec fateri cogemur ignorantiam nostram in earum rerum natura, quæ oculis subjiciuntur, ac fere semper præ manibus versantur, citra dementiam contendere minime licebit Divinitatis arcana, penetrare velle; & ubi illa nequeamus assequi, ea negare eorumque fidem evertere; quasi hæc juste esset existentiæ Dei negandæ ratio, asserere, illum mente nostra capi non potuisse, qui ne caperetur, non infinitum, sed paulo nobis majorem esse sufficeret; quod in quolibet sensu non est adeo facile.

Ipsa Dei incomprehensibilitas Dei probat existentiam.

Hæc impotentia penetrandi Opera Dei, tantum abest, ut argumento esse possit ad illius divinitatem explodendam; quod immo illius nota est maxime perspicua; tandem enim mens nostra major est, quam objecta, quæ in se comprehendit: & quemadmodum illam esse angustissimam intelligimus ex ea difficultate, quæ ad facillimas naturæ res evolvendas occurrit; non adeo magnus Deus esset, quem spiritus arctis adeo finibus circumscriptus, qualis noster est, comprehendere posset: cujusmodi objectum si Deus esset, explere ne posset vota nostra, ac nos beatos efficere? Itaque ideam Deo dignam comprehendere non possumus, quin eum nobis incomprehensibilem exhibeamus; & si quæ inveniretur Religio, quæ nobis Deum cognoscendum tradere conaretur; hæc statim fallax esset Religio, & Deus, quem nobis illa proponeret, esset commentitius; incomprehensibilitas enim vero Deo non est minus essentialis, quam potentia, bonitas, & sapientia, eo quod si Deus est, hic profecto infinitus est; si infinitus, fieri nequaquam potest, ut a finitis mentibus, quales nostræ sunt, comprehendatur.

Athei ad Mundi Creationem evitandam, quam intelligere nequeunt, sese expedire putant, Mundi credentes æternitatem, quæ illum nequaquam creatum esse supponit. Sed quæso, Mundi æternitas faciliusne intelligi potest, quam ejusdem creatio? Difficiliusne credere, Deum infinita, qua pollet, potestate entia quælibet ex nihilo eduxisse, quam concipere quomodo ab æterno sine auctore existere potuerint, quoad prin-

principia eadem componentia, ipsorumque genera, & species; quod vero spectat ad ordinem, ac successionem, omnia ita potuisse subsequi, quin eorum successio, ordo initium ullum, & causam habuerit? Satis ne sapientiæ, & luminis in ea opinione deprehenditur, quæ Mundi asserit æternitatem, ut cum æternæ damnationis periculo illi sit præferenda, quæ ejusdem creationem affirmat?

Deistæ nequaquam minus impii sunt Atheis.

Deistæ Deum esse fatentur; sed credunt animam ipso mortis momento in nihilum redigi, & ita putant, divinæ ultioni locum omnem auferri. Ita parum refert utrum Deus sit, necne: ut enim verbo me expediam, si nullus est, nihil ipsis metuendum est; si Deus est, mors, qua rediguntur ad nihilum, illos a Divina ira tuetur. Nihil ergo præter humanas leges ipsis esset metuendum, sed quam tenue, ac imbecillum hoc vallum est contra furentem maris æstuosi tempestatem! Provocarent illi statim ac possent, legem vis, quæ potentiori indulget, ac statuit jus penes illum, qui victoriam scit usurpare. Qui non videt, quot ex hoc fonte mala orirentur, næ ille quidem cæcus est.

Increduli ignorent, per nos licet, ea naturæ secreta, quæ insignes sapientia viri scrutari minime valuerunt; quæstiones maxime familiares dumtaxat illis proponam: Nobis ostendant quomodo planta vel arbor in exiguo semine contineatur, & quænam sit in quoque semine dispositio, ut hanc potius, quam aliam plantam, arboremve producant. In horto pugillum seminum variorum jacio; quæcumque inde exierint plantæ, ex eodem terræ succo efformabuntur, imbre eodem irrigabuntur, iisdem solaribus radiis fovebuntur; ideoque quæcumque in illis aderit differentia non ex hisce elementis, quæ ubique erunt eadem, sed vel ex varia partium, vel ex diversa earum dosi proficiscetur. Hoc intelligimus quidem, illud autem quod non videtur, est causa proxima, ita hæc partiens elementa. Quinam hanc seminibus virtutem impertiit, quo artificio has dispositiones divisit? nisi hoc naturæ Auctor præstitit, dicant illi, quinam alius, & quomodo hoc efficere potuit?

Aliquot argumenta Existentiæ Entis supremi.

Adeo valida, & manifesta afferri possunt argumenta Dei existentiam probantia, ut omnem humanitatis sensum abjecisse dicendus sit, qui ea minime videat; sed omnino perditæ, deploratæque conscientiæ animique corrupti ille est, qui eisdem non cedit: ita vulgo dicunt, vel rationis usum prorsus amisisse, vel ad extremum usque impietatis apicem profectum fuisse, qui eam negat veritatem, quam solum naturale lumen, omnes homines, omnesque populos edocet. Inter hæc argumenta quædam metaphysica sunt, quædam physica, nec desunt alia ex morali disciplina desumpta; omnia valide, invictéque probantia, sed non omnia omnium mentium captui accommodata. Auctores quidam eas, vel saltem præcipuas Gallice exposuere; inter quos Silhon in Tractatu de animæ Immortalitate, Marchio de Planitie in Tractatu de Religione Christiana, P. Mauduit Oratorii Presbyter in Tractatu de Religione Christiana contra Atheos. Adi, si lubet, hos auctores, atque Tractatus, ubi hæc argumenta reperies. Eorum nonnulla hic afferam, quibus SS. Patres usi sunt, quæ mihi & manifesta magis, & concionatoribus magis accommodata videntur.

Mundi hujus adspectus Deum esse docet.

* Homo, ut liquido agnoscat Deum esse, oculos aperiat, satis est, & Universum hunc Mundum contempletur. Quæcumque ibi videt, elata voce prædicant, supremum Ens adesse. Immensæ illæ sphæræ, quæ tanta concentus illecebra, tantoque in orbibus suis peragendis ordine supra caput nostrum circum ire conspicimus; Sydera in illis posita, quæ tantam cient admirationem magnitudine sua, specie, ac fulgore, quorum motus pernicissimus est, periodus recte instituta, vicissitudo constans, & effectus multiplex, & mirabilis, nonne, Domine, tuam gloriam eloquentissime prædicant, ut inquit Propheta, Psalm. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei?* Tot, ac tam variæ in terris Plantæ, quarum singulis suæ adsunt proprietates, tot animantia, singula suum instinctum habentia; tot Agentia, quæ licet diversis, & oppositis sæpe etiam studiis ferantur, unanimi tamen agunt consensu, & ad eumdem finem tendunt; hæc omnia diversa opera nonne clamant illis, qui aures suas nolunt obstruere, ne audiant illa: se a Domino facta fuisse?

Quisnam magnificas ædes conspiciens, juxta regulas artis affabre ædificatas, superba supellectili locupletatas, pretiosis tabulis exornatas, in conclavia æque magna, & commoda divisas, illas forte, atque ex fortuito atomorum concursu coaluisse putaret? At quænam ædes unquam eam præferre potest, formam, magnificentiam, partium venustatem, ac ordinem, quem in Mundi structura admiramur? Quis igitur hujus esse potest Architectus, nisi Deus? Qui vero illum cœcæ sorti acceptum referat, nonne magis cœcus est?.... Hic autem Mundus, qui toto æternitatis spatio in nihilo delituit, unde ut emergeret, omnipotenti manu opus fuit; Mundus hic adeo in partibus omnibus admirabilis ex se subsistere poterit; cumque seipsum creare nequiverit, semet poterit tueri; fingi ne potest Universum cœlorum, terrarumque orbem constanti, atque tuta hac ratione forte regi? Hæc omnia nonne palam ostendunt, eximium aliquem adesse spiritum, aliquod ingenium infinita potentia præditum, quod hæc omnia dimensum est, eaque numquam satis celebranda providentia gubernat?

Corporis humani structura se Dei opus esse docet.

Ut homo Deum cognoscat, oculos in seipsum conjiciat satis est. Quid unquam magis admirabile inveniri potest, quam hæc multitudo, varietas, ordo, venustas, proportio, relatio, quam inter se habent tot organa tam varia, seu materiam spectes, seu figuram, situm, motum, officia, quæ tamen omnia mirabili adeo certoque consensu ad eumdem finem feruntur. At si meipsum introspicio, ut ibi animam meam considerem, quæ ibi quoque vestigia, quæ argumenta reperiam apertius adhuc Dei unius veritatem probantia? Universale hoc, ideoque naturale studium, quo in bonum ferimur, odium illud, quo malum abominamur, nonne liquido probant quemdam adesse primum, atque universalem Motorem motum hunc omnibus hominibus imprimentem? Hæc conscientiæ exprobratio, quæ efficit, ut nosmetipsos secreto judicio damnemus ob quædam facta, licet nos insimulet nemo, nonne palam ostendit, nos ipsos agnoscere supremum aliquem judicem, a quo provocare non liceat? Intuitus illi adeo celeres in Cœlum sublati, qui singulis, ne cogitantibus quidem accidunt ubi aliquo dolore premuntur, nonne testantur fidem nostram, qua Deum in Cœlis esse credimus, qui possit in rebus adversis ferre opem? Jugi hic cordis motus, quod semper suam felicitatem exoptat, quin tamen omnia, quæ in terris possidentur bona, illud explere valeant, nonne liquido probat, infinitum esse cordis ejusdem captum; ac nonnisi infinito, summoque bono replendum?

Deus est: universalis populorum omnium in omnibus locis, omnibusque temporibus consensus, licet in reliquis rebus maxime discrepent, apertissima est veritatis hujus demonstratio; naturæ vox est, quæ mentiri non potest. Profecto esse nequit fallacis præjudicii effectus; nullum enim præjudicium adeo commune esse potest: sensus, imaginatio, & effectus, quæ sunt inanium præjudiciorum causæ, gratuito Dei unius ideam non adstruerent, quæ illis non favet, sed obest, illaque oppugnat. Hominis unius oppositio universæ Humani Generis consensioni adeo inaudita est, ut, nonnisi miræ cæcitatis, inauditique supplicii esse valeat effectus. Ceterum ullane veritatis est species; quod populorum omnium sententia, quæ naturæ ipsius vox quædam est, vanitati innitatur? Si hic instinctus adeo rationi congruus, si hæc naturalis sententia mendax est, inde profecto sequitur, lumine, quo regi debemus, nos falli ac in errorem induci, & rationem per se nos in gravissimum errorem

rem impellere, quem alii longe plurimi consequerentur. Ad hæc si universalis hominum de Divinitate sententia a vero abhorreret; hæc princeps esset scientiarum omnium scientia, scire videlicet nullum esse Deum. Quomodo vero Atheismus adeo præclara veritas esset, cum scelerum, flagitiorumque omnium sit causa? Quomodo accidere posset, ut credere Deum, error esset; quandoquidem hoc est moralium omnium virtutum principium; rerum publicarum fundamentum, ac humanæ societatis vinculum?

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, Neotericisque Concionatoribus hujus argumenti Loci.

Solum naturale lumen Deum esse docet.

NEmo in terris est adeo rudis, vel nequam, qui solo naturæ lumine Divinitatem minime agnoscat; & illi ipsi qui adfectata dementia dicere audent, nullum esse Deum, hoc non mente dicunt, sed corde; sua enim refert nullum esse, & effugere cupiunt Testem adeo oculatum, ac Judicem adeo severum. Nam quandoquidem quod in nihilo est, inde per se non potest emergere, quæ mens unquam rationis compos inficias ire posset, non adesse æternum aliquod Ens, qui necessario semper fuerit, & qui aliquando non esse non potuit? *In Præfatione libri, qui inscribitur, Mundus a seipso damnatus.*

Quidquid vivendi licentia excogitavit, ut causam jampridem deploratam tueretur, aliquidne potest in corruptis mentibus parere, quam futiles quasdam dubitationes, quæ semper metum relinquunt fallendi? Ea autem sollicitudo, qua in partes suas suffragatores conantur pertrahere, nonne satis ostendit, eos adniti, ut interiorem suffocent vocem, quæ illis errorem vellet auferre? Æquum ne igitur est, ut superbia spiritus arrogantis, & corrupti cordis impietas universæ omnium populorum, omniumque sæculorum consensioni prævaleant? Athei, si quis tamen vere Atheus esse potest, se Deum quærere jactitant, eumque reperire non posse gloriantur; at illum facile invenirent, si bona fide & in cordis simplicitate illum quærerent, neque illum invenire metuentes oculos clauderent. Ipsæ etiam illorum difficultates, ipsæ sollicitudines, & arma, quibus Divinitatem impugnant totidem sunt voces, quæ ad eos loquuntur, atque sufficere possunt, ut illis Deum esse persuadeant. *Idem.*

Cognitio Divinitatis nationibus omnibus communis est.

Hæc veritas nequaquam ex eorum est mysteriorum numero, quæ ratio pervalere nequeat; impressio est luminis omnibus terrarum nationibus communis. Verum licet ea omnia quæ ratione detegimus, non satis essent, ut omnino persuaderent spiritum contra reliquorum hominum sensus rebellem, numquid ille nobis aliquid apertius, & ad persuadendum efficacius posset afferre? Certus sum, si velit sincere loqui, atque conscientiæ suæ fidem habere, illi confitendum fore, conscientiam suam hac in re sibi illud ipsum asserere, quod fides Christiana nos docet. *Idem.*

Si quis ut sese nequissimis manciparet affectibus, sanctarumque legum, quas nobis Religio irrogavit, jugum excuteret, sapientum omnium sententiæ auderet reluctari; credibilene foret veritatem ibi potius adesse, ubi vitium, quam ubi virtus invenitur? Ita sane censuit S. Augustinus unus ex his spiritibus magis fortibus, qui unquam in terris extiterint. At dicine potest hunc, cum Sanctus factus est, in spiritum infirmum immutatum fuisse; eumque, cum illi vehemens, & flagitiosa dominabatur libido, magis aptum fuisse, quam mox, ut de veritate judicaret? *Idem.*

Si ad rectam judicii trutinam vocaveritis id, in quo posita est hæc vis Spiritus, quam Athei præseferunt, eam tandem in hoc sitam esse intelligetis, ut ineptiam aliquam amplificent, sanctissima quæque in jocum traducant, vulgatas vias deserant, leges omnes, canonesque Ecclesiasticæ Politiæ in ludibrium vertant, unanimi, ac universali Sapientum omnium sententiæ se numquam dedant; quæ mera pertinacia est, ac rebellio spiritus, & quæ fortes hos spiritus in corda affectibus suis abditissima, atque vitiis omnibus dedita invertit. Ita cum hi Spiritus fortes contra Religionis veritates insurgunt, Dei existentiam impugnant vel animæ immortalitatem, vel alium quempiam fidei articulum, eo quod illum intelligere nequeunt, idem est ac si diceres, solem non esse, quia cæci jurant, se illum numquam vidisse. Numquid cœcis habenda fides? Credendumne est hujusmodi ingeniis, quæ contradicere gestiunt, & quæ mentis acie non satis pollent, ut fulgorem patiantur cœlestium veritatum, quæ nobis ab Homine Deo revelatæ fuerunt, & exceptæ ab illis, qui maxima intelligendi vi in terris donari eluxerunt? Dicamus potius assertos hos Spiritus fortes in proprias impegisse sententias, ut in sua ignorantia, atque tenebrarum suarum caligine delitescerent, inde numquam evasuri. *Desumptum ex Auctore Anonymo, ac recenti.*

Atheorum absurda.

Absurda, in quæ decidunt Athei, ac illi qui credendi licentiam præseferunt Religionem negantes, longe minus probari possunt, quam veritates illæ, quorum sublimitas eos torquet; qui ne incomprehensibilia mysteria comprehendant, alii post alios incomprehensibiles errores sequuntur. Quid ergo est hæc eorum prodigiosa incredulitas, quam error sine fine, temeritas, quæ omnia in periculum adducit, voluntaria stupiditas, atque ut verbo me expediam, superbia, quæ medicinam pati non potest, hoc est, legitimam auctoritatem, cui omnis spiritus rationis compos sese submittere debet? Superbus hic putat, sese supra omnes homines, ac supra seipsum attollere cum sese attollit, ita quippe illi videtur, supra Religionem, quæ tandiu ab ipso in honore habita fuit; se inter eos adnumerat, qui pristinos errores abjecere; intra se irridet infirmos spiritus, qui alios tantum pecudum more sequuntur, quin ipsi per se quidquam inveniant.... *Bossuet in Panegyrico Annæ de Cleves &c.*

Nulla est in Religione veritas, quæ adversarios non repererit, qui aliquot sæculorum spatio satis amplam discipulorum, ac Patronorum catervam jactarunt: tamen hic Existentiæ Dei articulus unus est, cujus error oppositus certam instituere sectam non potuit. Si quod impietatis monstrum extitit subinde, quod illum asserere fuerit conatus, ipsi etiam minus religiosi viri hunc tamquam humani generis horrorem putarunt. Quorsum autem istud? nisi quod veritas hæc humano spiritui est insculpta ita, ut deleri minime possit, nisi ratio ipsa, & humanitas evertatur? Cur ignorantia, superbia, morum corruptio, impunitatis cupiditas tot sectis veram perfectionum Dei obstulerunt ideam, non ideo tamen omnino ideam existentiæ illius penitus antiquarunt, nisi quod minime potuerunt? Cur, licet opponeretur metus, cui impius quidam Poeta Divinitatis fidem acceptam referebat, existentia Dei in dubium vocata non fuit, ut illius Providentia, & justitia; nisi quod licet rudes, corruptique homines essent, hac in re cœci esse non potuerunt? Cur denique ex erroribus omnibus hic unus est, qui sectam instituere, ac fovere nequiverit, nisi quod inter homines tot monstra non sunt, ut plures simul in sententiam monstro, ac portento similem coalescere possint? *P. Aurelianensis Sermone de Religione.*

Ex omnibus dubitationibus nulla magis mentem torquere debet, quam quæ circa Religionem versatur. Dubitare, utrum anima sit immortalis, ac utrum eumdem cum me finem sit habitura; dubitare, utrum Deus æternas sceleribus meis pœnas reservet; dubitare, utrum Religio mea via sit, quam sequi oporteat, ut ad æternam felicitatem, atque salutem perveniamus, O crudelem ac terribilem dubitationem! O acerbissimam incertitudinem! Putare falsa, fictaque ea omnia quæ in præcipuis his argumentis nos docet

Religio: si omnes rationes vestræ non aliud possent efficere, quam ut de illis ambigeretis, error vester adhuc utilior esset vestra dubitatione; error enim spem vestram foveret, dubitatio vero desperationis tantummodo rationes vobis suggereret. *Idem*.

Mundus repletus est notis, ac probationibus existentiæ Dei.

Veritas existentiæ Dei in omnibus partibus, ex quibus Mundus iste conflatus est, nitentibus adeo caracteribus est insculpta; ut quemadmodum Tertullianus ait, ab omni conscientia legantur: *Totus Mundus inscriptus est, & ab omni conscientia legitur*. Cœcus est, qui illos minime videt; cœcus, qui non intelligit præclarum hunc omnium rerum ordinem, hanc symmetriam, hunc consensum esse non posse fortuitum; cœcus qui acceptam referre potest tantam hanc qualitatum, virtutum, usuum varietatem; tot fines, tot media, tantam & mediorum, & finium proportionem; tot causas effectus suos gignentes certis, constantibus, æternisque legibus, ac numquam aberrantibus; cœcus inquam, qui hæc omnia accepta referre potest alteri cuipiam principio præterquam supremæ illi intelligendi vi, quæ potest omnia, quæ in se universa ea continet, quæ essentiam possunt recipere, quæ omnia cogitat, quam nihil latet, & fallit; cœcus, qui ridiculum hoc fortuitæ congregationis, ac generationis systema commentus est! *Idem*.

Sors, quæ hoc miraculum peperisset, magis adhuc incomprehensibilis esset, quam ipse Deus; & Athei, qui sorti potius quam Deo acceptum referre malunt ingens hoc opus, næ illi quidem palam ostendunt, si Deum credentes sibi persuadere possent, nihil deinceps esse metuendum, Deum potius, quam sortem, Mundi Auctorem credituros. Ita fides eorum cordis potius desiderium est, quam mentis opinio. Profecto illi ipsi incomprehensibiles essent, si citra cordis corruptionem mente sententiam hanc ab homine adeo alienam concepissent. *Idem*.

Quomodo in Atheismum lapsus fiat.

Non nisi post incertitudinem, quam diutius aluit, post diffidentiam, quam fovit, post probatas dubitationes, post affectatam in omnibus Religionis officiis, quæ maxime sunt essentialia, indifferentiam, post secreta vitæ flagitia, post lethalia vulnera per habitum peccati animæ inflicta, post voluntatis teporem in iis omnibus, quæ Religionis exercitationem respiciunt, nonnisi post hæc omnia inquam, inter præsens, & futurum hærere quis incipit. Ubi vitæ hujus voluptatibus sese nequissime abdiderit, in cordis obdurationem labitur, & ex obduratione in tenebricosissimæ cœcitatis caliginem ruit, quæ eo magis insanabilis fit, quo magis fit voluntaria. Per funestam hanc cæcitatem primo Fidem, mox etiam Dei metum prorsus amittit. *P. Rapin in tractatu de Fide*.

Audiendi ne sunt Athei, ac flagitiosi homines, ubi dicunt, Deum incomprehensibilem esse, & se non posse credere, nisi quod ratione assequuntur, quasi ea non esset rerum natura, quarum magnitudo immensa est, ut sese præbeant considerandas ea tamen conditione, ut intelligendæ non sint, ut se simul & celent, ut perspicacissimas mentes gloriæ suæ fulgore perstringant, easque pondere suæ majestatis obruant? Talis est supremi hujus Entis magnitudo, ut nonnisi ab ipso plene concipi valeat, & ut simul in diei lucem, tenebrasque noctis conjungat. Hoc S. Petrus in Thabor, hoc S. Paulus in ipso Cœlo experti sunt, ubi nequicquam conati sunt ea explicare mysteria, quæ sibi fuerant detecta. Ita Deus in terris coli vult, & flagrantissimo desiderio illum omnibus cognoscendum tradendi, & absoluta impotentia id ipsum præstandi; & nescio, utrum humilitas silentii eisdem accepta sit magis, quam laudes omnes, quibus potest celebrari. *P. Dozenne Libro de JESU CHRISTI Divinitate*.

Mores hominis Religione carentis.

Qui religionis est expers, omni caret probitate, modo, virtute, æquitate, fide, misericordia: Qui non aliis legibus paret, quam injustis cogitationibus suis, non aliis præceptis, quam furentibus desideriis; qui non aliud numen habet, quam seipsum, non alium cultum quam suorum affectuum amorem; hic filius est impius, conjux infidelis, crudelis dominus; putat enim, cum post mortem nulla sint metuenda supplicia, præmia nulla speranda, suis esse affectibus obtemperandum; amicus perfidus, credit enim, omnem amicitiam sibi post mortem inutilem futuram. Quis unquam sese credere poterit vobis, homines impii, qui nullum agnoscentes Deum, illum post mortem vobis Judicem futurum non creditis? Quod tantum scelus vobis horrorem injicere potest, ex quo post hujus exitum vitæ nihil præstolamini, & æquo in discrimine vitam, & mortem habetis? Omnia vobis paria sunt, bonum, & malum, probus, & improbus; quandoquidem universalis rerum annihilatio quamprimum pium, simul & impium in sepulchri squalore confundet. *P. Massillon Sermone de Religione*.

Philosophi quidam nobis omnibus quamdam inesse præventionem, vel persuasionem ex ipsa natura profectam deprehenderunt; per quam seorsim ab omni ratiocinio, & ante reliquas cognitiones lumine quodam, nobis ingenito, fateri cogimur, aliquod adesse Numen, a quo pendemus. Præter hoc præjudicium, maturatumque lumen, quo cum ipsa nativitate donamur, ratio ipsa nos certissimis illationibus ad Dei agnitionem adducit; & mirum sibi vim inferre deberet, qui inde nullum Deum esse vellet arguere. *Tournay in libro, qui inscribitur memoires de la Religion*.

Constructio, & forma hujus Mundi liquido ostendit, Deum esse.

Forma, figura, distinctio, vicissitudo, atque subordinatio eorum, quæ in vasta hac mundi extensione conspicimus, satis ostendunt, non deesse mentem; ordo quippe rationis est opus. Hoc autem per ea palam probatur, quæ in humanis ab arte elaborata sunt. Numquam videmus casu, vel solius naturæ opificio ædes, simulacra, vestes, picturas, aliaque id genus sexcenta, quæ plurimi ducimus, fieri: ars humano spiritu duce, ac magistro hæc omnia præstat; cur autem ea, quæ in natura videmus, & quæ toto cœlo majora, ac perfectiora sunt, non fatebimur facta esse superiori quadam intelligendi vi, quæ captum nostrum prorsus excedat? *Idem*.

Numquid perspicacissima impietas aliquid potest objicere nexui tot veritatum, quarum aliæ aliis fulciuntur? & potest dubitari de illius Divinitate, in quo miracula probant Prophetiarum complementum, & Prophetiæ miraculorum veritatem confirmant? Tandem aliquando fateamur necesse est; non tantum Mysteriorum fidem, quam virtutum, & disciplinæ, quam illa proponit exercitationem a Christiana Religione impios arcere, hoc illis crucem figere, hoc torquere; & futurum ut Mundus longe magis Fidelium, atque Christianorum copia difflueret, si credendum esset dumtaxat, neque tot facienda essent, atque servanda. *Idem*.

Nulli sunt veri Athei, & si qui sunt, corde sunt, non mente.

Propheta nullos vere Atheos in terris esse putat. Mundi species, & ordo, ait ille, hominibus omnibus persuadet, unum tantummodo supremum Ens esse, quod semper sua providentia gubernat ea, quæ sua potentia creavit; atque inde concludit, si quis unquam Atheus est, hunc corde quidem, non mente esse Atheum: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus*. Psalm. 13. Videlicet impius Divinæ legi obtemperare detrectans, & suos tantum sensus, vel ad summum, rationem suam consulens, pro conscientiæ suæ tranquillitate credere vult, vel saltem cupit, nullum esse Deum. Plerique fidelium hujus sæculi sunt in fatali hac dispositione, quæ ad Atheismum accedit. Speculativæ veritates illos non movent; pro practicis vero quæ incredulitas! quæ dubitatio! Quæ incertitudo! *Noluit intelligere, ut bene ageret*. Psalm. 35. *Fromentieres, Sermone de Ascensione*.

Per gradus jugum excutitur: De Religionis veritatibus disceptatur: hæc pœnarum æternitas, quæ nobis intentatur, satis ne probata est? Datur ne vere Infernus, ut dictitant? Quis illinc nuntius accessit? Neque sufficit dubitatio, ut tranquilla pace fruamini, sed veritatum harum ipsa etiam cogitatio penitus auferenda est. *Exinanite usque ad fundamentum in ea*. Queruntur illi, qui vivendi

cre-

credendique licentiam præferunt; impia volumina, omnesque Atheorum blasphemiæ cupidissime perleguntur; rerum omnium ratio exposcitur, sancta ipsa Mysteria in jocum traducuntur, & nebulonis irrisionibus major habetur fides, quam cordatissimorum Doctorum auctoritati. *P. Cheminais tomo* 3.

Quamcumque spiritus vim impii, atheique jactitent, nequaquam majora habent lumina, quam quæ S. Augustinus obtinuerat; hi nequaquam diligentius Religioni studuerunt; neque longius a fide aberraverunt; illum tamen hujusmodi considerationes ad frugem revocarunt. Videbam, ait ille, vitæ huic nullam habendam esse rationem; si mihi contigerit morte deprehendi, ajebam; undenam ediscere potero eam veritatem, quam nescio? Quo in statu mihi ex hac vita abeundum erit, quin id didicerim, quod nonnisi suis sumptibus discitur? Si Deus adest impietatis ultor, quemadmodum ambigere nefas est, quomodonam pœnas effugiam negligentiæ adeo nefariæ, qualis hæc mea est, debitas in re tanti momenti? *Idem*.

Atheorum cæcitas.

Deus non est absconditus, Tertullianus ait, ipse sese omnibus prodit, qui ex visibilium operum illius cognitione ad invisibilium magnalium ipsius cognitionem sese attollere cupiunt: *Deus in aperto constitutus est*. Quicumque de veritate essentiæ ipsius disceptare voluerit, huic erit confligendum contra creatarum omnium rerum cohortem, quas Deus ad sua stipendia evocavit, ut hominem ad Creatoris sui cognitionem cogeret: *Tantis operibus notitiam sui armavit*. Atheus ille, qui haberi vult tamquam perspicacissimus, ac majori illustratus lumine, quam vulgo, cæteris majori laboret cæcitate opus est; deest quippe ipsi illud ipsum lumen, quod populis etiam barbaris intra saltuum opacissimos horrores affulget; atque Dei, primique principii cognitionem amisit, quæ animæ ab ipsa creatione indita fuit, ita ut quamvis ipsa oculos claudat, & se per nequitiam excæcet, Deus tamen sese illi exhibet, eamque cogit suam justitiam metuere. *P. Texier in Adventu, qui impius infelix inscribitur*.

Impia Deistarum dogmata.

Cœli! credidissetisne in Ecclesiæ sinu divino sanguine irrigatæ, ac sudoribus Dei, qui factus est Homo, oblitæ, inter uberrimos gratiæ fontes, prope saluberrimas baptismatis undas, inveniri posse animas adeo perditas, ut Christianam Religionem cum Turcica, Ethnicaque conferrent? Minori zelo succensi pro JESU CHRISTO, quam vel Mahometanus pro Mahomete, vel Japonensis pro Cami, & Fotochis suis invehere ea dogmata, easque argumentationes audent, quas ne barbari quidem vellent admittere. Deus magnus est Dominus, inquiunt; gloriæ suæ interest, si sexcentis variis, variisque rationibus colatur: bonus est Dominus; & misericordiæ suæ refert ad se suas creaturas allicere ea via, quam nulla earum ignorare non potest: Deus potens est dominus, & absolutæ potestatis ejusdem est negligere, quid a nobis istic agatur. Potest ne lædi, cum ille sit, qui est? Vult solum sciri, quinam sit, vult adorari; integrum relinquens hominibus, prout ipsis placuerit, eum venerari. Religionum ergo varietas non aliud est, quam viæ illæ, quas sibi homines constituerunt, sed quæ omnes ad eumdem finem deducunt. At per vos mihi liceat, hæc iniquitatis præterire mysteria, non quod argumentum hoc nimis exagerare verear; rudi enim ac imperfecta ratione ea tantum adumbravi, quæ quotidie in impiorum hominum societatibus transiguntur. *Sermo manuscriptus P. Stephani Chamillart in Resurrectionis mysterium*.

Perniciosæ illationes quæ ex Socinianismo consequuntur.

Non eam mihi depoposci provinciam, ut horum impiorum fallacia argumenta singillatim exploderem; hoc mihi solum proposui, ut eos fateri cogerem, nequissimam sectam hanc sibi nequaquam placere, nisi quatenus eam Religionem amplexi, jure impii esse possunt, impudici, scelesti; dummodo virtutis speciem præseferant, atque extrinsecus honesti viri videantur. Si enim eorum placita, ac doctrinam admisero, atque juxta eorum doctrinam arguere voluero, illis dicam: Nonne verum est, mulierem illam, quæ bene audit, integros annos in occulto adulterio versari posse? Nonne verum est Judicem illum, qui Provinciæ terrorem injecisse videtur, summo zelo, quo justitiam ab omnibus servari studet, alienis potiri bonis posse, quotiescumque sese obtulerit occasio clanculum, ac secreto jus infringendi? Nonne verum est, bellicosum hunc virum, cui quidam est inimicus fraterna cæde posse manus imbuere, dummodo id temporis momentum arripiat, quo omnes fallat, ita ut cædis auctor certissime lateat? Illi necessario omnibus his perniciosis illationibus subscribent; tunc enim ob eorum oculos propria ipsorum objiciam principia: Nonne Deus infinite supra nos est, nec Deus esset, si quid illi detrimenti peccata nostra possent afferre? hæc scelera prohibentne, quominus colatur, & reliqua Religionis officia adimpleantur? Verum enim vero adeone perfrictæ frontis erunt, ut nequissimas has illationes approbent, atque confirment? Nequaquam temere judicavero, si hac in re non tam principium, quam quæ inde consequuntur, quæri ab illis credidero. *Idem*.

In Religionis facto magis, quam alibi homini naturaliter non placet cæcorum more ambulare, & fortuito laborare; Cum sciat se post mortem æternitatem ingredi, quæ potest esse vel beata, vel infelix prout vitam in terris bene, vel male gesserit, summæ res plena lætitiæ est, certum esse, eam se ingressum esse viam, quæ ad beatam ducit æternitatem, ac spem suam certis inniti rationibus. Hinc illæ turbæ, sollicitudines, dubitationes, interrogationes, interpretationes frequentes adeo, licet doctus, ac sapiens sit; ita ut numquam illum beatiorem existimem, quam cum hac in re eam habet persuasionem, quæ in hac vita maxime perspicua potest haberi, & rationabilem habet causam non ambigendi. Hoc illud privilegium est, quo ego, & vos fruimur omni tempore in Religione Christiana, cum illi, qui extra Ecclesiam sunt, sive per hæresim, sive per schisma, sive per infidelitatem plurimarum dubitationum tyrannidi sint obnoxii, statim ac licentia, obstinatio, ac adolescentiæ præjudicia eos in falsa Religione non retinent amplius, eisque liberum relinquunt spatium eas recogitandi rationes, quibus sibi persuasum est, se in errore versari. Inviti etiam tunc norunt, se nihil solidum, cui uti nos, innitantur, habere. *Idem*.

Quicumque sine Religione est, licet aureo fulgeret in solio, ac terris omnibus dominaretur, in honore non est, neque existimatione ulla dignus habetur. Non solum ii, quibus cum illo nulla res est, eum contemnunt, & fugiunt: sed ipsi etiam amici, ipsi adulatores, voluptatum, ac libidinum socii de illo nihil non humile, abjectum, & contumeliosum sentiunt. Eum fortasse præsentem aliquibus laudibus excipiunt, coram illo fortasse aliquantulum thuris adolent summo cum quæstu redimendum; sed intra se eum contemnunt, & omni existimatione indignissimum putant: Hic, inquiunt, sine Religione est, sine fide, sine lege. Si Magistratum obtinet, omnes illum judicem respuunt, ac verentur, ut in manus ejus decidant: si mercaturam facit, nemo pravæ illius fidei credit, omnes falli metuunt; ex quo enim aliquis est irreligiosus, & exlex, omnibus sceleribus, atque perjuriis par esse censetur. Si accola est, omnes illius occursum evitant, & tamquam anathemate perculsus, vel gentilis habetur, *P. de la Rue in manuscripto sermone de Religionis veritate*.

Athei omnes vitiosi sunt.

Pauci sunt Athei (si qui tamen sunt) qui vitiosi non sint; nemo enim Deum negat, inquit Augustinus, nisi cujus interest, nullum esse Deum. Corporis corruptio tabem cordi communicat, cordis vero lues mentem inficit. Salomonis incontinentia eum idolorum cultorem effecit, neque lapideos, æneosque Deos thure coluit, nisi postquam carneos adoravit. *P. Neveu tomo* 2. *Considerationum Christianarum*.

Nonne videmus Christianos nunc temporis sese in voluntariæ infidelitatis tenebras immergere? Quo enim alio nomine appellem stupidam tot mortalium indifferentiam, qui fortuito solum Christiani esse videntur, qui nativitatis suæ felicitatem, ac dignitatem num-

numquam recogitant: quo improbam semidoctorum perspicaciam, qui de omnibus ambigunt, atque de suis dubitationibus gloriantur; quo irreligionem tot Prophanorum, qui parum adeo caute, immo nulla reverentia accedunt ad Altaria; quo scandalum tot flagitiosorum hominum, qui fidem suam impudicitiis mentiuntur: quo secretum tot impiorum Atheismum, qui externum oris habitum publicæ Religioni conformant, intrinsecus vero aliud sibi omnino peculiare systema constituunt alterius Religionis, quæ a Christiana prorsus abhorret? *Desumptum ex MS. sermone P. de la Rue de Religione.*

Insignis flagitiosorum hominum imprudentia.

Licet etiam universum Religionis Christianæ systema probabilis opinionis fides minime excederet, licet tot ad eam evertendam rationes suppeterent, quot ad illam probandam concurrunt, licet affirmatio, & negatio eadem in statera appensæ ejusdem ponderis viderentur, quod profecto non est; quænam prudentia, vel potius qui sensus esset, omne dubitationis hujus subire periculum; videlicet affirmativam sententiam negligere, ubi impune errari potest, & optare negativam, ubi nequit errari, quin errori æterna calamitas hæreat? Non enim de hac idem sentiendum, ac de aliis opinionibus, quæ hominum mentes distrahunt in diversa. Quæcumque æstus maris sit causa, quid ad me, nisi rem acu tetigero? At utrum Paradisus existat necne, utrum anima mea sit immortalis, an secus; hac in re non nisi cum animæ ipsius detrimento errare possum. Ad hæc: si credidero, & ea, quæ mihi a Christiana Religione proposita sunt, adimplevero, atque mortis tempore ea vera esse, quæ crediderim, invenero; nihil profecto in vita amisero & e contra honestatis existimationem, laudem, & honorem, quem virtus meretur, adeptus fuero. Si voluptates omnes mihi interdixero, illis turbis, ac sollicitudinibus, quas illæ secum trahunt, me ipsum expedivero, & jugi, suavique rectæ conscientiæ tranquillitate gavisus fuero &c. *Idem.*

Urique Fideles: nostris his etiam temporibus adsunt Athei complures; hoc enim nomine appello eos Spiritus Fortes, qui ut sese ab aliis distinguant opinionibus inauditis, novisque sententiis, præcipuas Religionis nostræ veritates in ludibrium vertunt, intra se fictas, ineptasque rationes excogitantes, ut illud ipsum, quod sæpe & illi sentiunt, explodant, & ut inanibus argumentis magna hæc Christianæ Religionis dogmata eludant, quæ Tertullianus scite vocat, testimonia animæ naturaliter Christianæ &c. *Desumptum ex Sermonibus moralibus.*

Christianorum plerique Atheos mutuantur neque magis, quã illi, Religioni adhærent.

Quid fecerunt Athei, ut in tantam cæcitatem laberentur, quod hodie quoque quamplurimi Christiani non faciant, & fortasse, vos quoque faciatis? Dei Veritatem in injustitia retinuerunt: nonne vos ipsi hanc eamdem veritatem in servitute retinetis, cum in vobis eos non parit effectus, quos deberet, vitæ videlicet reformationem, inordinatorum affectuum mortificationem, horrorem peccati, omniumque occasionum, quæ vos in illud impellunt? Antiqui illi, S. Paulus ait, cum Deum cognovissent, eidem minime eam, quam merebatur, gloriam tribuere; numquid hanc illi tribuitis obedientia vestra, cultu, gratitudine, amore? *Idem.*

Quamvis natura, & ratio Atheos non patitur, & nequissimi peccatores hoc nomen oderunt, qui quamtumvis parum Religionis habeant, honoris, & conscientiæ suæ interesse putant, fateri Deum; verum est tamen asserere, si nulli sunt Athei mente, plurimos esse corde, & si raro inveniuntur homines adeo perditi, frontisque adeo perfrictæ, ut Dei negent existentiam, plurimos tamen cœcos esse, & insipientes, qui ita agunt, ita vitam instituunt, quasi non esset Deus. Ita eos voco, quos carnis voluptates brutis animantibus adeo similes effecere, ut affectuum suorum nexus, & rationis sopor illos quodammodo letargicos præbuerint; qui Paradisum, ac Infernum adesse credentes, ad illos animum nihilo magis advertunt, quam qui magnis hisce Fidei nostræ veritatibus imbuti non fuere. *Joly 2. Tomo Propositionum suarum.*

Mala, quæ ex Atheismo consequuntur.

Nonne verum est, futurum ut si nullus in naturã Deus esset, virtutibus omnibus indiceretur exilium; sceleribus omnibus venia permitteretur, dummodo delitescerent; inhonestæ qualibet actiones tamquam non malæ haberentur, si possent humanæ justitiæ pœnas effugere? Profecto quodcumque scelus, licet gravissimum nisi prohibeatur, & nisi suprema potentia illud pœnis coerceat, licet. Sin autem nullus in Mundo Deus est; nullus profecto Dominus est, qui contra scelera leges irrogaverit, & qui debitas illis pœnas infligere valeat. Sequitur ergo necessaria illatione; scelera quæcumque licere, si Deus non est: si divinitas somnium est, nullus est legislator supremus, nullæ sunt leges: si leges nullæ; nulla jam inobedientia, nulla rebellio. *Liber qui inscribitur, Divinitas contra Atheos propugnata per Abillon.*

Ex voluptatis abysso in Atheismi abyssum fit lapsus: Sanctissima fidei mysteria in jocum traducuntur; ubicumque impietatis dogmata effunduntur, & postquam abierunt in viis peccatorum sedent in cathedra pestilentiæ, ubi sermonibus æque, ac exemplis vitium palam docetur. Si impii certi essent, nullam hominis partem post mortem superesse, non injuria fortasse voluptatibus sese manciparent, cum nihil melius, quod sperarent, haberent: at saltem illis dubitandi locus est, atque insania est omni venia indignissima, incertæ dubitationi tanti momenti negotium committere. Malunt nequissimis Atheorum, qui in singula sæcula prodiere, ineptiis, quam Prophetarum oraculis credere; malunt sequi corrupti cordis errores, quam lumen rectæ rationis. *Auctor Anonymus.*

Rarum est, peccatorem, cui propositum est nihil sibi metuendum, fidelem adhuc veritatibus Religionis hærere; quæ profecto nimis terribiles sunt, quam ut ab impurissimo credantur. Flagitiosi illius, qui inter libidinum æstum malacia vult frui, ac impietatem sibi tranquillam efficere, nimium interest terribiles has exuere ideas, quæ ipsi jugiter exhibent Deum ultorem, ignesque ad scelera sua punienda succensos. Rationis licet illi lumina abjicienda essent; fidei lumina abjicit; licet insanus, ac fatuus videri deberet, conscientiæ suæ silentium indicit, cordi tantum suo præbet aures, quod unum ex universa rerum natura, Deum nullum esse, testatur. Et quamvis prodigiosus hic error æque incomprehensibilis esset, ac omnia fidei nostræ mysteria; quandoquidem irridet, ac nostris velificatur affectibus, certissime præfertur. *Alius Auctor Anonymus.*

Irreligiosus feram probitatẽ intueri non patitur.

Admiraris fortasse hunc Spiritum fortem, perspicax hoc ingenium, qui per incredulitatem suam se putat in eorum transisse castra, qui omnem abjecerunt errorem, qui per superbiam sese supra ceteros, & per impietatem supra Religionem ipsam se attollit; & qui per virtutem omnibus etiam naturæ infirmitatibus se superiorem affectat: sed fode parietem, abyssum cordis ejus scrutare, ac invenies honestum hunc hominem nulli addictum Religioni, reipsa non aliud esse, quam fictum sapientem, qui personam gerit; hypocritam, qui alium se simulat, nebulonem qui nobis imponit: phantasma ex inani specie conflatum, cui nihil reale præter dolum est, & qui postquam mortales decepit, post se non alium relinquit, quam famosum nomen cum horrore conjunctum. *Idem.*

Si primus ille deesset Motor, qui est veluti anima, ac mens hujus Mundi, omnia hujus movens machinamenta, exiles æque, ac magni naturæ motus cessarent, studia, odia, antypatia, ac sympathia tot entium diversorum suspenderentur; tot entium inquam, quæ simul quibusdam velut catenis vincta, tamquam tot rotæ aliæ aliis conjunctæ, vel mutuo sese trahunt, sibique adhærent, vel se propellunt, ejiciuntque; tot entium, quæ specie quidem sibi adversari videntur; re autem vera consentiunt, & harmonico dissensu ad Mundi hujus conservationem, perfectionemque conspirant. *Desumptum ex libro cui titulus; Veritas Religionis Christ. Marchionis de Planetia.*

Pri-

Dei cognitio animabus nostris impressa est. Primi illius Principii cognitio adeo naturalis est, ac ita per se patet, ut nullus umquam extiterit populus, nullumque sæculum, cui communis minima fuerit. Lumen hoc omni tempore effulsit non solum ob doctorum, verum etiam ob oculos imperitorum, ac rudium. Homines negantes Divinitatem, monstra sunt, raro occurentia, vel potius proprie loquendo nulli sunt Athei; cum qui se Atheos esse præseferunt in speciem tantummodo sint, ut aliquo prætextu ea sibi licere putent flagitia, quæ Dei fide prohibentur. Illi ipsi apertissimi Divinitatis hostes inviti sæpius, ac ne cogitantes quidem illam fatentur, ubi eos aliqua premit egestas, & malum aliquod accidit, ubi facere nequeunt quominus illius opem implorent, quem se nequaquam cognoscere profitentur. *Idem*.

Væ Mortalium mentibus sua malitia occæcatis! Væ cordibus insipientium tenebris peccatorum obsitis! O Domine! Cœlum, & terram imples, & tamen a pluribus non agnosceris: omnibus intime præsens ades, & ignoraris. Omnia creas, formas, nutris, perficis, sustentas, gubernas; & te horum omnium fontem, & auctorem negant. Omnibus das esse, & te esse non credunt. Infinitis modis tuam potentiam, sapientiam, bonitatem, misericordiam, & justitiam prodis, omniumque oculis ingeris, & tamquam cæci non percipiunt. Omnis se natura rerum prædicat, & ad prædicationem illustrem obsurdescunt. *Cœli enarrant gloriam Dei & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*. Psal. 18. Omnia clamant; *ipse fecit nos, & non ipsi nos*: Psal. 99. Ipse, non fortuitus atomorum concursus. Ipse sua potentia nos ex nihilo in hanc lucem eduxit, ipse sua sapientia formavit, & hanc speciem, & pulchritudinem impressit; ipse sua bonitate conservat, sua providentia gubernat, & in suum finem dirigit singula. Clamor ipse totius creaturæ toto orbe personat, ut neminem latere queat, nisi qui Dœmone surdo obsessus tenetur. *Leosius ad finem libri de Immortalitate animorum*.

Nihil iniquius, nihil nequius est ea libertate, quam audacissimi quidam sibi vendicant, qui Religionis principia audent rejicere, ut infirma ratio sua triumphet, atque tenui suo lumine sese supra Sanctissimas leges, ac sacratissima Christianæ Religionis Mysteria constituant. Nihil magis superbum inveniri, vel fingi potest, quam hi Spiritus fortes, qui audaces oculos non verentur in eas veritates conjicere, quas Apostoli quoque se intelligere minime posse confessi sunt, & in quibus humiliter oculos suos inclinarunt; hi nomine tenus Christiani, teterrima infidelitate revocant jusjurandum, quod in Baptismate protulere, ac Apostatæ fiunt. Attamen quid in terris vulgatius est, quam hæc licentia, quam sibi arrogant in dubium accersendi Religionem Christianam, quia cum affectibus suis consentire non potest, præsertim vero quid hoc usitatius apud eos qui inter divitiarum affluentiam, & omnia vitæ commoda versantur? nihil enim in hac Religione invenitur, quo ignarum, ac mole hoc vivendi genus non damnetur! *Sermo manuscriptus*.

Impiorum caracter. Mecum, quæso, animadvertite quinam sit horum audacissimorum, rebelliumque hominum, qui nostram Religionem audent oppugnare, caracter, & quodnam tempus arripiant, ut de miraculis, ac doctrina ejusdem disceptent. Hi plerumque flagitiosi homines sunt, qui tristem mortis recordationem evitaturi, animas immortales esse non credunt, qui ne voluptatibus, quarum illecebra gaudent, moras nectant, suam in hoc mundo felicitatem constituunt, atque affectibus suis, quorum quodam sopore illecti capiuntur, blandituri neque Paradisum, neque Infernum, neque Cœlum, neque Æternitatem credunt rati omnia cum morte esse interitura. Non hic morabor, ut vobis ostendam iniquitatem eorum argumentorum, quæ in facto Religionis ab impiis hujusmodi afferuntur; ex quo enim hujusmodi sensus alunt, satis intelligitis omnia ipsorum argumenta rejicienda esse. Hi libidinosi homines sunt, qui JESU CHRISTI disciplinam rejiciunt ea tantum de causa, quia ipsorum impudicitiæ, atque libidini adversatur, & qui sancta Religionis dogmata idcirco impugnant, quod illa observare detrectant. Hi denique sunt Christiani obdurati, atque impœnitentes, qui nolunt credere, CHRISTUM JESUM passum, ac mortuum pro ipsis fuisse, sciunt enim se damnatum iri, eo quod cruciatus illius in fabulam traduxerunt. Hoc illud est, quod flagitiosos hos homines in temerariis visionibus suis debet confundere; sed quod illos magis adhuc efficere debet contemptibiles, tempus est, quod ad hujusmodi veritates impugnandas arripiunt. Quando enim de mysteriis nostris verba facere gestiunt? Nempe in scelestorum hominum cœtu; cum libido fervet, cum inter scyphos & pocula teterrimis intemperantiæ vaporibus inebriati sunt; aut voracibus impudicitiæ flammis succensi, tunc tenebricosas rationes suas Christianæ Religionis veritatibus gaudent objicere; & cum maxime affectuum calor æstuat, tunc vel contra eos audent disceptare, cum quibus humiliter versari deberent, & versarentur, nisi horum intuitus sceleribus suis graves essent, atque molesti, vel nisi ridiculam spirituum fortium auram tueri gauderent. *Idem*.

Nihil vulgatius est, quam Christianos intueri fidem suam impugnantes, sed audeo dicere nihil forrasse rarius esse, quam invenire, qui illam penitus in corde suo extinguant. Difficile est palam, aperteque omnia Religionis nostræ mysteria videre; sed longe difficilius tegere falsitatem inanium argumentationum, quæ adhibentur ad illius memoriam, & cogitationem penitus abolendam; ita ut possimus quidem propter temeritatem, corruptionem, audaciam, iniquitatem omnes Fidei articulos in dubium vocare, nequeamus tamen eam nobis pacem, & tranquillitatem conciliare quæ conscientiam nostram tutam efficiat. *Non*, dicit per Isaiam c.48. Dominus, *non est pax impiis*. Possunt quidem omnes Religionis amovere sensus, ut citra conscientiæ stimulos corruptionem, ac impietatem animo foveant; Deus illos semper excitat. Nequicquam conantur vim Evangelicarum veritatum suffocare; Dominus enim efficit, ut omne illarum pondus maxime sentiant; & si in eorum supplicium non statim illis ostendit, ipsos falli, ostendit saltem, ipsos falli posse. Ut conscientiæ suæ tranquillitati consulant, adnitantur illi quidem ex turbata mente tristes mortis, judicii, severitatis Dei ultoris, æternique exilii quæ omnia merito peccatoribus intentata sunt, ideas abolere, ebrietas hæc, qua soporem conscientiæ stimulis conantur immittere, non diu viget: non desunt adhuc intervalla quædam rationis, quibus permittit Deus ut terribiles has secum repurent veritates, ut in hac quoque vita pœnas luant suæ rebellionis, & impietatis, *Idem*. *Impii, atheique nequaquā ea spiritus tranquillitate fruuntur, quam præseferunt.*

Potens dextera, quæ vastos Cœlorum orbes extendisti, quæ tam affabre molem hanc elaborasti, atque motus omnes scite, atque constanter adeo instituisti, ut post sex annorum millia, nihil adhuc immutatum sit! Brachium omnipotens, quod gravem hanc molem pendulam in aere sustines, quod illi uberrimam fœcunditatem tribuis adeo justa, ac necessaria temporum vicissitudine! Magnus Opifex, qui ex nihilo hominem effinxisti, cujus admirabilis structura tot actionibus, motibusque variis apta invenitur: qui illi animam inspirasti facultatibus prædiram, ad sexcenta officia apte dispositis, quorum singula perspicacissimas mentes confundere possunt; fierine potest, ut reperiatur, qui quærat adhuc, utrum sis? Te in minutissimis flosculis invenio, in abjectissimis insectis, & ut verbo me expediam, in minimis quibuscumque rebus, & adhuc homines adsunt, qui existentiæ tuæ quærant argumenta, neque credant a te universa hæc gubernari? Nonne fidei consonum est, hujusmodi homines cœcos esse, atque temeritatem suam ipsis communis sensus usum ademisse, & majestatem tuam, quam propius adspicere voluerunt, gloriæ suæ pondere illos oppressisse? *P. de La Colombiere, in Christianis considerationibus*. *Sincera confessio existentiæ Dei.*

Quid frustra teritis tempus, o Præcones Evangelici? Nequicquam argumenta argumentis, ac demonstrationes demonstrationibus agglomeratis, Deum

Deum esse probaturi; quem enim tot laborum fructum percipitis? Scio equidem, quid impii dicant. Se enim nequaquam credere dicunt, neque vobis rem esse cum pusillis, infirmisque spiritibus, qui facile impingant in retia, ac mancipia fiant fidei æque incommodæ, atque chymericæ; se vero jampridem excussisse jugum, ac se sine ulla cura, ac metu vitam beatam traducere. Hoc dicunt quidem, sed frustra nobis id persuadere conatur. Si minime crederent, & fides jucundissimis voluptatibus suis jugiter amarum aliquid non inspergeret, si omnes religionis sensus penitus extinxissent; næ illi quidem toties non audirentur in quæstionem accersere existentiam Dei, & animarum immortalitatem; suas dubitationes proponere, quæ toties solutæ fuerunt, ad mortis cogitationem infrendere; ac ubi soli sunt, in phrenesim incidere. Omnia illis de divinitate loquuntur; & si aures minime præbent tot vocibus indesinenter hanc incudem tundentibus; nequicquam speratis illos rationibus vestris expugnatum iri. Illis persuadendum est, ut tandem e vitiorum suorum cæno emergant, in quo donec volutabuntur, satis quidem luminis habebunt, ut damnationem suam mereantur, at numquam satis, ut suas dissipent dubitationes. *Idem P. de la Colombiere.*

Ratio desumpta ex ordine, quem in mundo admiramur.

Præclara adeo præcipuarum Mundi partium dispositio, ratio, ac mutua inter easdem dependentia, infinita particularium entium varietas, quorum singula suum usum obtinet, atque officium, mirabilis viventium corporum structura, specierum eorumdem differentia, proprietatum, effectuumque suorum diversitas, jugis generationum successio, quæ Mundi jacturas reparat, efficitque, ut semper in eodem statu subsistat, illud identidem per intervalla restaurans; hæc omnia liquido ostendunt Mundi regimen fortis effectum non esse; sed infinite sapientem, ac potentem providentiam, ideoque Dei existentiam demonstrant... Tandem enim ullumne viguit umquam sine Rege imperium, ullane sine Magistratu Respublica, ulla sine capite familia? Quinam ergo Mundus ex partibus adeo diversis compositus, inter quas magis admirabilis, magisque constans ordo refulget, quam in qualibet societate, nullum Regem habeat, nullum Consilium, cujus imperio regatur? Quinam fieri posset, ut omnia fortuito contingerent, & fors ea præstaret omnia, quæ nonnisi mens infinite sapiens posset efficere? At quid hos incredulos perdat, satis intelligo; libidinosæ, ac liberæ vitæ voluptas, impiorum librorum lectura, & perditissimorum hominum consuetudine suffulta eos in hanc impulit mentem, & illud experti sunt, quod Propheta inquit: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus*, & statim, *corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis. P. Mauduit, Oratorii Presbyter.*

Nobis hoc in loco res non est cum impiis origine, ac professione, nullibi enim terrarum inveniuntur; namque omnes homines ab teneris usque unguiculis in aliqua Religione alti, ac eruditi sunt; sed de lapsis Christianis loquor, de secretis Apostatis, qui olim Christianis veritatibus imbuti in impietatem proruerunt, quemadmodum vulgo accidit vel propter licentiæ amorem, vel propter sociorum nequissimorum scandalum, vel propter impiorum librorum lectionem. Non desunt hominibus hujusmodi lumina; facile reminisci eorum possunt, quæ olim didicere, & hodie quoque id credere, quod semper usque ad corruptionis suæ tempus credidere: illis excitanda tantummodo fax est fidei, quam extinxerunt, ac repetendæ veteres Religionis ideæ, quas deleverunt. *Idem.*

Quid cogitandum de impiorum irrisionibus.

Irrisio cautio parum tuta est, ut flagitiosum hominem a Dei justitia, atque ultione incolumem præstet; ridet, ac illudens ait, Deus fortasse adeo severus non est. In altera lance statuo Nationum omnium, quæ supremum hoc Ens agnoscunt, consensum, admirabilem partium Mundi hujus ordinem, ordinatum Cœlorum motum, organorum in animantibus œconomiam, sexcentaque alia statuo, de quibus inutile est verba facere, ipsa enim satis per se loquuntur: *Cœli enarrant gloriam Dei*: in altera vero impius irridens hæc tantum collocat verba: *Hæc fortasse vera non sunt.* Nos quoque illi reddimus: *Hæc fortasse sunt vera.* Quam terribile est hoc *fortasse*! & quot quantisque rationibus innititur! Ille ut antea quadam subsannatione respondet; ac vox per jocum prolata omnem hanc illi parit severitatem. *Desumptum ex Tractatu de humanis respectibus P. l'Anglois.*

Ut Religionis nostræ veritas deprehendatur, satis est oculos aperire, & animum advertere ad ea, quæ statim omnium hominum ratione pollentium animos perstringunt. Quæ majestas, quinam fulgor in Mysteriis! qui nexus totius doctrinæ! quæ eminens ratio! qui candor! quæ morum innocentia! quæ vis invicta testimoniorum, quæ trium sæculorum spatio perhibita fuere a multiplici fidelium myriade, qui tunc sapientia, ac modestia præ cæteris in mundo florebant, & quos ejusdem unius veritatis sententia in exilio, atque in vinculis contra mortis, extremique supplicii terrorem sustinuit! Historiam adi, lege, ipsam usque mundi originem altius repete; aliquidne simili tot sæculorum spatio reperies? Quo eundum est, quid consulendum, ut non dicam aliquid hoc melius, & ne quod ad ipsum vel eminus accesserit, inveniatur? Poteratne Deus mihi melius imponere, si me in errorem inducere voluisset? *De la Bruyere in Caractere Spirituum Fortium.*

Periculum Atheorum, si nostra Religio vera est ac certissima est.

Religio aut vera est, aut falsa. Si inane commentum est, jam homo ille frugi ac pius, Religiosus ille, vel solitarius, sexaginta, si lubet, annos perdidit, non aliud illi imminet periculum: verum enim vero si non aberrat à veritate, hæc tunc impio teterrima pernicies est. Sola malorum, quæ hic sibi conflat, imago, mentem mihi perturbat; cogitatio nimis infirma est, quam ut illa intelligere valeat, ac verba nimis exilia sunt, ut eadem significent. Licet etiam in terris minor adesset certitudo, quam re ipsa adsit, circa Religionis veritatem: nullum tutius, utiliusque homini consilium capiendum est, nisi virtus. *Idem.*

Nescio utrum illi, qui negare audent Deum esse, mereantur, ut hunc illis probare adnitamur; ignorantia, quæ eorum caracter est, illos efficit principiis maxime perspicuis, ac argumentationibus melius institutis percipiendis ineptos.... Eorum vero, qui hac in re neutram partem sequuntur, stupiditas eo usque procedit, ut illos frigidos, atque indifferentes efficiat in præcipuis etiam articulis fidei, nempe circa animæ suæ naturam, & ea, quæ veram Religionem consequuntur. Hæc neque negant, neque admittunt; ad illa ne cogitant quidem ea mentis stupiditate, quæ vix credi posset, nisi quotidie oculis nostris accideret. *Idem.*

Athei quibus rationibus innitantur.

Rationes nostræ ex iis omnibus desumuntur, quæ ipsi comprehendimus, rationes vero Atheorum ex iis, quæ ipsi non intelligunt. Totidem habemus argumenta sententiæ nostræ veritatem probantia, quot ea sunt, quæ nobis aliquem sapientiæ caracterem ostentant: Athei e contra nullas rationes habent, quæ ad hæc præcipua capita non redigantur: Deum non video, illum non comprehendo; perinde ac necessarium illud discrimen, atque intervallum, quod inter eorum mentem, ac supremum Ens intercedit, legitimum efficere possit pro illis præjudicium, vel quasi hic non esset caracter maxime essentialis divinitatis ejus, quæ toto cœlo supra creata omnia se attollit. *Desumptum ex Tractatu quodam de Religionis veritate.*

Veritati magni hujus principii, primum videlicet Ens esse, certe gloriosum est, pusillos tantum spiritus corruptos vanitate imitandi eos, qui magis enitucre, ac ostentandi eam vim, quam non habent, vel homines impudicitiis abditos, ac turpia affectuum suorum mancipia, profiteri, se de hac re semper ambigere. Inde enim patet sub affectuum regno, ubi passim errores, ac illusiones existunt, non autem sub sanctæ, rectæque rationis imperio monstrum hoc oriri consuevisse. *Idem.*

Si cui de hac veritate, Deum videlicet esse, omni-

omnino persuasum non sit, ille numquam virtutes exercere videbitur, desideria temperantia regens, suos affectus cohibens, ut sese pietatis operibus abdat, præsens quidem suis officiis rite obeundis impendens, atque bono præsentis temporis usu futuro prospiciens, Deo pravas cupiditates suas sacrificans, seipsum abnegans propter amorem illius, a quo omnia recepit, sese supra tempus, ac mundum attollens motu sublimi spei in solidiora tendentis objecta, quam tempus ipsum, ac mundum; & hæc omnia referens ad Deum tamquam suarum cogitationum, atque actionum finem nobilissimum. *Idem*.

Cur impii Dei negent existentiam.

Si ex me quæritis essentialem rationem, propter quam impii tot luminibus oculos claudunt, statim reddam, hos homines, cum minime possint hanc vivendi licentiam, qua fruuntur cum Dei fide conciliare, male hujus negare existentiam, quam Numen admittere, cui tantum sit sapientiæ, ut sua valeat peccata cognoscere, atque justitiæ tantum, ut eorumdem velit debitas pœnas reposcere. Hoc Salomon ipse fecit, qui omnia notat: Idolis pellicum suarum thus adolens, Dei sui cognitionem amisit. Non abnuit lapidea, æneaque adorare Idola, eo quod carnea primum adoraverat, ac præstantissimas, purissimasque cognitiones, quas divinitus acceperat, amisit, eo quod se creaturarum mancipium, atque idololatram præbuerat. *P. Bourdalove Sermone de Impudicitia*.

Quærens S. Augustinus quanam in re potissimum Ethnicorum cæcitas erga idola sua consisteret, tandem in eo positam ait, quod cum ipsi Deos suos sibi effinxissent, eos tales sibi somniarunt, quales maxime optabant, ea in re flagitia, affectusque suos consulentes. Etenim ne Dii illi nimium verecundiæ, aut modestiæ ab ipsis exigerent, ne censores essent nimium incommodi, nimiumque severi judices scelerum suorum, hoc iniere consilium, ut sibi Deos corruptos, ac vitiis diffluentes constituerent, ut scelera patrantes se Deos suos colere eosdem imitantes arbitrarentur, & ipsa etiam peccata secundum S. Cypriani dictum peccatis fierent religiosa: *fiebant miseris religiosa delicta*. Athei, ac impii Deum crederent, si illum sibi aptare, ac vitiorum suorum patronum efficere possent; at eum pati nequeunt, qui flagitiorum suorum sit judex, & censor. *Idem*.

Atheorum pœna ex cognitione Dei, quem in hac vita cognoscere detrectarunt.

Quoniam non defuerunt impii, qui Deum esse negarunt, licet Dei cognitio prima sit dos animæ rationalis, juxta Tertulliani verba, Deus in illis hanc cognitionem constituet non lumine naturali, sed ultionis suæ exercitatione. Te miserum, Deus inquiet in imo Athei hujus corde: Cœlum, ac terra tibi existentiam meam non probarunt; at efficaciam, ut sentias, quis ego sim; nisi Deus tuus, ut benefaciam tibi, saltem judex tuus, ut te puniam. Mea potentia, sapientia, misericordia non satis me tibi viventi prodiderunt, sed præstabo, ut in æternum me ex mea justitia cognoscas: *Et scietis, quia ego Dominus*, Isaiæ 49. Judicia, ac ultiones quas in omnem æternitatem exercebo in te efficient, ut damno tuo intelligas quinam sim. *Idem P. Bourdalove*.

Tertullianus in Apologetico ait, Dei proprium esse, & magis, & minus, quam entia omnia cognosci, & addit: *hæc est summa delicti, nolle agnoscere eum, quem non possunt ignorare*. Cœcitas hæc est commune Atheorum, impiorumque peccatum, quibus cum ea suppetant lumina, quæ satis superque sufficiunt, & ut ita dicam infinita sunt, quorum adminiculo cognoscant Deum, volunt nihilominus de industria sese excæcare, ne illum cognoscant. Ita quoque Hæretici fide mala quovis tempore egerunt; non desunt enim, qui, quidquid accidat, sese numquam dedere decreverunt; quod Sanctus Augustinus Manichæis exprobrabat. *Idem Sermone de Cæcitate*.

Athei, impiique semper incerti sunt de iis, quæ de altera vita opinantur.

Quidquid conentur Athei, ut credant, nullum esse Deum, rationalem animam immortalem esse, ideoque nequaquam expectandam esse alteram vitam; mens tamen cor mendacii redarguit: vident ea, quæ dicunt, ex votis suis proficisci, se velle quidem, ac optare, ut ita se habeant res, sed re ipsa ea omnia esse incertissima. Hinc licet aliter sentire videantur, mortem metuunt &c. *Idem Sermone de Morte*.

Nihil est impiis metuendum magis, quam quod illis post mortem eveniet, & si quæ cura in terris eos torquere debet, hoc profecto est, quod cum hic iis omnibus gavisi fuerint voluptatibus, quas cupere poterant, vident nihil lætum, faustumque se a Deo oppetiri posse, neque ullam sibi adesse certitudinem illius nihili, in quod post mortem se reversuros arbitrantur. Omnis quippe ipsorum certitudo in levi, ac labanti mentis suæ opinione consistit; vehementibus dubitationibus in utramque partem agitantur, atque hinc inde hærent incerti, quod in causa est, ut periculum subeuntes in terribilem teterrimarum calamitatum æternitatem ruant, & id metuentes, quod credere nolunt præ reliquis mortalibus vitam miserrimam ducant. *Idem*.

Certo scis, uti ais, post vitam hanc, alteram non adesse; credis nullum esse Deum vel bonorum operum remuneratorem, vel ultorem malorum: at cuinam rei hæc tua innititur certitudo? Nempe imbecillitati opinionis tuæ, ac insanæ temeritati tuæ, quam sapientes omnes, qui in terris extiterunt unquam, improbant, ac refellunt. Si ergo in iis, quæ te scire profiteris, tu falleris, si mors ad infelicissimum exitum te adducit, & qualem mereris, si quidquid sapientissimus quisque, etiam ex Ethnicis, de iis, quæ ad alteram vitam pertinent, credidere, verum est, quid fiet de te? Si præsentes te occæcant affectus, qui tunc erit cogitationum tuarum tumultus, quæ perturbatio? *Idem P. Bourdalove*.

Impii sensus in morte cognoscendi alteram adesse vitam.

Si post vitam hanc status adest felicitatis æternæ, quo impii anima æternum est caritura & locus æternæ calamitatis, cui in æternum erit adjudicanda, quis concipere poterit infelicis hujus animæ sensum, quæ de corporis carcere egressa incipit videre, omnes argumentationes suas inanes fuisse illusiones, quæ præter expectationem novum nanciscitur mundum, & licet invicta rursus immortalem vitam vivere instituit, quam, quidquid conabitur eidem mortem allatura, numquam extinguere poterit? Quis assequi mente potest erroris, in quem illa incidit, magnitudinem, illud amplexa consilium, ubi periculum adeo patebat? Quæ insania tantum provocare discrimen, ubi de rebus omnibus, deque ipsa æternitate ageretur? idque ut levem hanc voluptatem caperet suis in Religionis negotio ideis adhærendi, quin ullam sequeretur, nisi propriæ rationis, auctoritatem! Quid! inanissimam hanc oblectationem, aliaque vitæ hujus solatia beatissimæ æternitatis pretio redemisse? semet pro adeo fragili, fluxaque re venundedisse, ac secum Deum ipsum, omnesque divitias Dei, quæ in infelicissima hac permutatione involutæ fuerunt! se æternis intueri suppliciis addictam, iisdem persoluturam adeo brevem fluxarum deliciarum perfruitionem; ac tandem in malorum omnium barathrum iri projectum, eo quod pertinaci obstinatione nihil voluerit credere, nisi quod potuerit intelligere! Quæ rabies, quæ desperatio illius erit tot undique malis inopinato ingruentibus obrutæ! Nullus color, nulla dicendi vis par esse potest dolori, quo illa conficienda erit, exprimendo. *Desumptum ex Tractatu de Religione contra Atheos, & Deistas P. Mauduit Presbyteri Oratorii*.

Omnes humanæ prudentiæ viæ mirum in modum sunt in impietatis commercio subversæ: utilitas infinite parva, & exilis est, non enim lucraris nisi præsentis hujusce vitæ bona, quæ simul ac acquiruntur, intereunt, & evanescunt. Hujus tantum vitæ bona lucraris; nulla tibi futurorum spes est, & omnis utilitas, quæ ex præsenti percipitur, hæc est, si hilariter traducatur. Id autem dicendum nequaquam est de eo, quod subis, periculo; gravius, ac terribilius esse non potest; atheorum viam sequens periculum adis, ut cœlestem gloriam amittas, atque in inextinguibiles flammas projiciaris. Ita omnia periclita-

clitatis, & nihil speras; æternam, infinitamque beatitudinem deseris, ac non aliam mercedem speras, quam nihilum, cum illa, quam in vitæ hujus deliciis percepisti, jam abierit, neque sit unquam reditura. *Idem*.

Martyrum, primorumque fidelium testimonia contra Atheos, & impios.

Tot invicta veritatis Religionis nostræ argumenta, præsertim vero tot mortalium testimonia, qui ob eam tuendam sanguinem suum effuderunt, nullum Atheis, atque Deistis timorem incutiunt? nihil habent, quod illos excutere valeat? At jure insipientium, fatuorumque exemplis non excutiuntur. Quid enim? Omnes illi quorum sapientia, ac modestia ubique nitebat, repentene in solo Religionis negotio insipientes, furentesque evadebant, præsertim vero in iis, quæ æternam felicitatem ab eadem promissam respiciunt: insipientes inquam, ut commentitiæ felicitatis spe sibi alludi paterentur; furentes inquam, ut huic chymeræ quidquid in terris pretiosissimum habebant, sacrificarent? Athei, ac Deistæ integrum fortasse unicuique relinquent credere quidquid libuerit, hoc tamen non dicunt; numquid enim hoc integrum esse, ipsis persuasum est, quantumvis sint impietatis suffragatores? nonne ut hanc testium turbam, qua omnibus sæculis, omnibusque in terris damnantur, confutent, hæc una ratio esse potest, si dementiæ omne humanum genus redarguant, ac seipsos tamquam solos hujus orbis sapientes producant? *Idem*.

Nullus unquam extitit populus, qui Numen aliquod non veneraretur, & aliquod justitiæ genus pro bonis, ac malis post hanc vitam futurum non crederet. Nonne liquido patet, hunc generalem populorum omnium consensum in alicujus Divinitatis, fide, & aliquibus rationibus, quibus ejusdem felicitatis fieri possint participes, eamdem semper obtinere vim, ut utrumque contra impios pro certo constituatur, quantumvis aliis in rebus dissenserint?... Nequicquam dicerent Athei, omnes hos populos sibi invicem oppositos esse circa suæ Religionis objectum, ac rationes eas, quibus ad propositam sibi felicitatem perveniant: nequicquam affetent, hos quidem unum dumtaxat Deum, alios plures esse Deos opinari: hæc enim iis est inter ipsos disceptanda, neque impiis tantillum favet; quælibet societas veram sequi Religionem contendit, licet una tantum possit inveniri, Athei, atque impii nihil ex his sententiis quod sibi faveat, possunt elicere: omnes enim populi in ea re consentiunt, in qua nobis Athei opponuntur. *Idem*.

Exiguus Atheorum numerus sectæ eorumdem vanitatem ostendit.

Jure Atheis objicitur, quod ne unus quidem est populus, civitas, oppidum, immo ne una quidem fortasse domus integra, quæ illorum adhæreat sententiæ; quod satis ostendit in eorum secta tot esse absurda, ut numquam in communem hominum sensum potuerit obrepere. Illis exprobratur, quod eminus, ac per intervalla tantummodo in mundo videntur, & numquam simul consociati incedunt, tamquam bruta ex diversis speciebus simul mixta, quæ sese nequeunt multiplicare. Hic extensionis defectus validissimum contra ipsos est præjudicium. Licet enim si Religiones aliæ a Christiana diversæ conserantur simul, ex earum extensione absolute judicium ferri non possit de earumdem veritate; certissima vanitatis nota est, nullam penitus extensionem habere. *Idem P. Mauduit*.

Deismus, atque Atheismus, non sunt eorum Religio, qui patiuntur, qui victum sudoribus sibi quæritant, vel qui nulla in terris voluptate fruuntur. Has impietates amplectuntur juvenes locupletes, felices, robustæ valetudinis, & quibus vitæ hujus commoda suppetunt affluenter. Quævis alia conditio nihilum valet; immo hæc quoque semper florescat oportet; si enim forte perturbato rei familiaris statu in egestatem ceciderint, si gravi morbo confecti laboraverint, si ad senium pervenerint; sententia illa, quæ pridem ipsis æquissima videbatur, repente insipiens, insanaque fiet; quod illis erat verum in adolescentia, in calamitatibus, vel in provectiori ætate falsum videbitur. *Idem*.

Insana Atheorum imprudentia.

Quin loquamur de Beatitudinis æternæ jactura, cui Athei sese objiciunt terræ hujus voluptates illi præferentes, inde eorum maxime redarguitur imprudentia quod non solum inæstimabili jacturæ se objiciunt, sed periculum subeunt in malorum omnium gravissimum sine ulla reditus spei decidendi. Minimus vero timoris gradus, qui de tanto hoc exitio, posset oboriri, cuilibet cordato viro satis esse deberet, ut cum horrore eam, quam amplexatus fuisset, sententiam abjiceret, licet alioquin ipsi gratissima accidisset, nulla enim terrena suavitas tanta est, ut minimum terribilis adeo mali periculum valeat exæquare. *Idem*.

Humani cordis natura solummodo cognoscenda est, ut judicium ferri possit de iis, quæ ab impiis, qui bona fide acturi sunt, fieri debeat, ne imprudenter quid ab ipsis agatur, cum etiam omnino ipsis de impietatis dogmatibus persuasum fuisset. Fatentur illi, Christianam Religionem præ cæteris præstare, si vera sit, quod satis est, ut toto studiorum suorum pondere in eam pertrahantur. Quid enim in hujusmodi re minus facere possunt, quam serio omnia illius argumenta cognoscere, ac omnes mentis suæ præoccupationes exuere, ut æquum judicium valeant instituere? Nonne omnes cordis sui secretas aversiones debent abjicere, ut melius dignoscere valeant, quamnam illæ in opinionibus suis partem obtineant; sæpe enim putamus a mente quædam probari, quæ cordis persuasione creduntur? Perpendere igitur diligentissime debent, utrum persuasio spiritus veritatem sequentis, an cordis licentiam amantis corruptio in hanc mentem illos perduxerit; & utrum falsitas, an potius disciplinæ severitas illos a Christiana Religione deterreat. *Idem*.

Quibus gradibus homines nequam in impietatem labantur.

Omnis natura clamat, Deum esse, cœlos, terrasque opus ejus esse, neque populum adeo barbarum inveniri, ut inquit Regius propheta, apud quem hæc vox non intonuerit. Ubi rationis usum attigimus, Ecclesia nos docuit, naturam nostram peccato fuisse corruptam, nobisque opus esse medico, qui medeatur, ac nos cum Deo reconciliet, atque extra Ecclesiam nullam salutem esse sperandam. Athei, ac Deistæ, qui in Ecclesiæ hujus sinum ingressi sunt, vocem hanc audivere, & his ab infantia præceptis fuerunt imbuti, non secus ac reliqui omnes Christiani. Quomodo vero eam non servarunt? quomodo secuti sunt opinionem illi oppositam, quam in scholis didicerant, & exemplis omnibus publicis, ac domesticis, quæ oculis accidebant, damnatam? Difficile non est divinare flagitia, ac nequiter vivendi licentia illos eo perduxit; adolescentiæ ipsorum crimina tot tamquam gradus fuere, per quos in imum usque hujus barathri descenderunt, malorum hominum consuetudo, & cordis sui corruptio eos primum in libidinem inclinarunt, habitus vero adeo convaluit, ut in naturam alteram sese converterit. *Idem P. Mauduit*.

Numquid flagitiosissimum vivendi genus, quod sequuntur Athei, & qui licentiam agendi, credendique affectant, ratio esse potest contra Deum, ac Religionem? Numquid ideo minus vera historia est Evangelium, eo quod sese tamquam mancipia dederunt affectibus, quos illud jubet coerceri? Quidquid Atheorum, Deistarum, Pyrronicorum invenitur ita sese voluptatibus mancipare possunt, ut brutis similes fiant, qui ideo tamen veritas minimum immutetur. Antequam sese flagitiis abdidissent, & cum adhuc honestam, christianoque viro dignam vitam ducebant, Deus aderat Cœlum, terræque Creator, & JESUS CHRISTUS animarum nostrarum Redemptor; Anima erat immortalis, & si illis in laudabilibus cæptis persistere placuisset, hæc tutissima via erat, ut Fides, ac Religio in eorum mente, & corde persisteret. Ipsi vero nequam facti sunt, ac omnia pro illis faciem mutarunt. Nullus amplius Deus est, non JESUS CHRISTUS, non Angeli, non Dæmones, non Animæ; nullus spetandus Paradisus est, nec infernus metuendus. Hæc omnia repente evanuerunt, vel adeo obscurata sunt, ut

nihil

nihil ex illis supersit; & quod magis adhuc mirum est, perspicue tunc solum hæc intueri inceperunt, cum res creatas deperire inchoarunt. Quomodonam harum omnium cogitationum absurditatem non sentiunt? *Idem*.

Justa timoris causa, quam habent Athei, & Deistæ.

Quomodonam Atheus, vel Deista, cui dubitandi causa est, utrum omnipotentem Deum violaverit, & Creatori suo gravissimam contumeliam attulerit, minas illius in jocum traducens, leges infringens, ac illum tamquam inane phantasma, quod in læsis tantummodo imaginationibus hominum vigeat, existimans, atque eo invito quodcumque jugum detrectans: quomodo inquam tantum mali accidere posse, cogitare valet, quin gravissimo timore corripiatur, & in re dubia tanti momenti lucem aliquam quærat? Sin autem in hac ipsa tanti exitii dubitatione tranquilla pace frueretur, ullane unquam similis insania huic inventa fuisset? aliæne illi afferendæ rationes essent, ut probaretur, sententiam, quæ adeo temerariam illi mentem injecerat, mendacissimam esse æque ac insanissimam? Hæc agendi ratio nonne suam secum fert damnationem? *Idem*.

At enim flagitiosus aliquis inquiet, neque immortalitatem eligo, neque nihilum, neque Christianum esse volo, neque impium, sed neutrum inter utrumque consistere. Hoc fieri nullo modo potest, illi respondebo, ex oppositis sententiis altera omnino eligenda est; immo electionem in ambiguo morari, hoc est, satis superque mentem suam prodidisse. Ex quo JESU CHRISTI Religionem non sequeris, jam contra illum te stare profiteris, ac solus fidei defectus te præstat infidelem. Qui non est mecum, inquit ille, contra me est; parum enim refert, quo pacto illi cultus, quem flagitat, denegetur, utrum suspensione judicii, an aperta contrariæ sectæ adhæsione; utrobique enim semper illi negatur, quod jure ab omnibus mortalibus illi debetur, & quod inter duo illa extrema nihil medium dari potest. *Idem P. Manduit*.

Quid impios, atheosque cogat ab eo systemate, quod ceperunt, recedere.

Impii, atque Athei, quin aures præbeant rationibus omnibus, quæ impietati suæ fidem aliquam possunt adstruere, statim, & sine ulla dubitatione abjicere debent systema periculosæ plenum aleæ, ubi nihil lucrari possunt, & periculum subeunt, ut gravissimum detrimentum patiantur. Ne momento quidem in adeo terribili dubitatione hærendum est; furiosum esse, ac sui met inimicum oportet, qui sese objicere vult æternæ damnationis periculo. Impietas incerta est in principiis quibus innititur, falsa ergo esse potest. Certissima econtra est in horribilibus periculis, quibus occurrit; & si falsa inveniatur, in gravissimam, infinitamque calamitatem decidendum est; sine mora igitur ex terribili hoc dubitationis statu emergendum est. *Idem*.

Quidquid in impietatis gratiam fieri potest, dubitare est; dic, ut lubet, mundum æternum esse, generationum successionem nullum unquam principium habuisse, nec finem ullum habituram, rationalem animam esse mortalem; hos etiam sensus in eam, quæ major excogitari possit, lucem adfer, illos numquam demonstrare poteris, neque extra dubitationis aleam statuere, & licet te invito, semper inter simplicium opinionum fines continebuntur. At quantumvis exigua dubitatio supersit, omnino debes abjicere, gravissima enim esset dementia incertæ opinionis periculo æternæ salutis causam velle committere. Ex quo illa opinio sola est, falsa esse potest; & cum falsa esse possit, ubi eam sequeris, te ipsum periculo objicis gravissimam subeundi calamitatem. *Idem P. Manduit*.

Athei Dei existentiam rejiciunt, quod illum non vident; ejus Mysteria negant, quod illa assequi mente non possunt: at quæso hæccine causa rationabilis est? Nonne ipsi centies rationum defectui suppleverunt, affectibus suis, vel magistrorum suorum auctoritate, ut irreligionis dogmata crederent? non ne, ut ita dicam, tot actus fidei eliciuerunt, quot occurrunt sensus qui in mundi æternitate, atque independentia animarum percipi nequaquam possunt? Cur non præstent hoc ipsum in Religionis gratiam, quæ innititur auctoritati infinitorum miraculorum naturam ipsam excedentium fulgore probatæ? Id saltem pro Religione efficere detrectabunt, quod quotidie in scientiis, ac civilis vitæ commercio efficere consueverunt? *Idem*.

Ex impiis, & flagitiosis hominibus id solum credere volentibus, quod capere possunt, vel vident, cum minimas eas res, quæ sensibus eorum subjectæ sunt, minime intelligant, quæramus utrum explicare valeant causam perpetui motus in corde, aliisque corporis nostri partibus; quibus gradibus, ac modis esca, qua vescimur, naturam suam exuat, ac ita in nostram substantiam immutetur, ut qui in ore nostro panis erat, mox humana caro fiat naturalis caloris ope, licet ignis calor ea destruat, in quæ agit, objecta: utrum docere possint quomodo visio cum aliis sensuum perceptionibus fiat; utrum artificium, quo humanum corpus conditum est comprehendat? putare enim hæc omnia satis explanata fuisse, ubi illa naturæ opera esse dicuntur; hoc sane est verbis acquiescere, ac verba pro rebus assumere. Satis etiam est illis proponere, quod in natura simplicissimum occurrit; quomodo fiat arboris, vel plantæ alicujus folium talis coloris, ac figuræ, ac talem habens vim calefaciendi, refrigerandi; nutriendi, occidendi; utilitatem, vel incommodum afferendi? Hæc omnia non impiis tantum, verum etiam omnibus hominibus sunt inexplicabilia. Qua igitur audacia, qui ea, quæ oculis vident, & manibus attrectant, non intelligunt, spiritualia mysteria, & quæ sub sensibus minime cadunt, se intelligere velle contendunt? qua fronte maxima Divinitatis opera credere detrectant, nisi ea perspicue, planeque intellexerint, cum cæci minima etiam naturæ opera non comprehendant? *Idem*.

Quæ mala Atheismū consequantur.

Athei, impiique neque Dei Providentiam, neque Animæ norunt immortalitatem. Quid porro ex hac doctrina consequitur? Hoc primum certe, quod sese iis omnibus, quibus pares sunt, ingurgitare voluptatibus debent. Hoc inde infert Sapiens, qui illos ita loquentes inducit: *coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra; nemo nostrum exors sit luxuria nostra, ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors*. Hæ conclusiones nemini adhuc injuriam videntur inferre; sed intra hos fines minime continentur; Magna solatia magnos postulant sumptus, sumptus vero locupletissimas etiam opes exhauriunt; aliquid ergo præterea requiritur, ut libidinosum hoc vivendi genus producatur. Hoc alterum illud est, quod ex Atheismo, atque impietate consequitur: *Opprimamus pauperem justum*, sequuntur illi, *& non parcamus viduæ... sit autem fortitudo nostra lex justitiæ*. Hi sunt duo naturales impietatis effectus; luxuria, & pauperum oppressio. Si verum est non aliud numen esse, quam naturam, & animam cum corpore interire, nullum jam erit amplius inter homines jus, quam quod inter bruta viget, vis nempe. *Idem*.

Quid! Extremi Judicii, Infernique metus non deterret tot Christianos impudicos, hæc timentes, ne sexcentis sese polluant sceleribus: ubi vero hoc vallum evulsum, attritumque fuerit, fidei consonum est, homines in omne licentiæ genus prolapsuros non esse? Affectus vehementia in anima eorum absentis, futurique mali superat metum; & credam, eumdem minime liberius grassaturum, ubi nullus metus, nullum periculum fuerit superandum? Ad id melius intelligendum esset hominum ingenium, qui a jucundis abstinent, eo quod timent; & ea, quæ difficilia sunt amplectuntur, quod sperant. *Idem*.

Vobis, qui eo quod nimium rationis habere cogitatis, neque fidem, neque Religionem habetis, qui id credere solum vultis, quod vestræ accidit imaginationi; qui Deum ipsum licet infinitum intra mentis vestræ fines comprehendere contenditis; & nihil credere vultis, quod vestram mentem excedat; ali-

quando

quando ipsa vestra ratio atheismum, impietatemque vestram confundet. Hæc vobis exprobrabit, quod rationis prætextu omnem rationis usum abjecistis; quod in sæculi hujus negotiis vim spiritus vestri lædere non credidistis, fidem quamplurimis rebus indifferentibus, incertisque adhibentes; in iis vero, quæ ad Cœlum pertinent, vobismetipsis injuriam inferre putastis, si quid credidissetis; quod urbanitati deesse metuistis, si affirmantibus hominibus fidem minime habuissetis; in iis vero quæ ad Deum spectant, honorem vestrum agi censuistis, si increduli essetis. Vos spiritui vestro vim fecistis, ut sibi falsa irreligionis principia proponeret, atque meditata vivendi licentia gauderet. *Desumptum ex specimine sermonum Abbatis de Breteville.*

Corporum nostrorum structura docet supremam esse intelligentiam, quæ omnes illius partes disposuit.

Quot quantaque infinitæ potentiæ, sapientiæ, ac providentiæ vestigia in corpore humano elucescunt! Quinam in matris utero, mille venas, ossa ducenta, ducentas, atque ultra, cartilagines, quadringentos musculos, sine ulla confusione singula locis suis apte disponere potest? Quis puerorum oculos adeo sibimet similes efficit, quis illos in ellipticam formam disponit, atque opticum nervum tanta industria cavum efficere novit? Quis alterum brachium, vel pedem alteri parem facit, ut alter alterum minime excedat? Quis uniformem, unde gignimur materiam partim in cor, partim in jecur, partim in cerebrum, pulmones, carnem, ossa, sanguinem, venasque distribuit? Citra mendacium in dubium revocari non potest, utrum hæc miracula supremæ intelligentiæ accepta referenda sint; nemo enim rationis compos credere potest, opus adeo egregium effectum esse causæ cognitione, ac sapientia carentis. Hæc igitur causa vel parentibus referenda est, vel intelligentiæ toto cœlo majori, ac sapientiori. *Silhon Tractatu de Anima immortalitate.*

Postulat prudentia, ut in Religionis negotio tutior sententia eligatur.

Licet hæ propositiones; Deus est, Deus non est; anima nostra immortalis est, & non est immortalis æque essent ambiguæ; licet intellectus non majorem hic, quam illic lucem esse deprehenderet: si ratio, atque prudentia suadet, ut tutior sententia arripiatur; si religio, ac pietas docent, ut alteri vitæ nosmetipsos præparemus; cur hæc non erit fides probanda, cum in hac nullum periculum adsit, nihil metuendum sit, si Deus minime sit, si mortalis sit anima humana; cum econtra in opposita sententia plurima pericula occurrant, & gravissimum immineat malum, æternumque supplicium, si verum est, Deum esse, animamque esse immortalem? *Idem.*

Conscientiæ vox sonora est; exprobratio illius tam inevitabilis est, quam secreta; ejusque testimonium tam irreprehensibile est, quam domesticum. Natura alte adeo in anima nostra Dei timorem insculpsit, ut deleri minime possit, ut inquit Salvianus; & nemo fere est licet impius, ac rebellis, qui inopinato deprehensus periculo oculos manusque in Cœlum minime attollat, opem entis omnipotentis imploraturus, a quo Cœli electi sunt, ut ibi gloriæ suæ opes ostententur. *Abilon, libro de Veritate contra Atheos propugnata.*

In Religionis negotio quantumcumque luminum obtinuerimus, fieri nequit, ut nonnisi in fidei obsequio spiritus requiem inveniamus. Hæc est Sancti Augustini sententia, quam & ipse sequor. Homo enim, qui nihil credere vult, ac fidem abjicit, cuinam rei potest inniti, ut mentis requiem inveniat? Opus est, ut Atheorum more sine una religione vitam traducat, vel peculiarem sibi religionem, more Philosophorum constituat. Si vixerit, ut impii, ac flagitiosi, hoc est, quin ipsi negotium facessat, Deus sit, necne; Beatitudo sit, necne; quomodonam illam assequi poterit? Nostis status hujus infelicitatem; lumen naturale satis est, ut satis intelligatur. Quod monstrum magis horrendum fingi potest, quam intueri hominem eo stupiditatis evasisse, ut rebus ipsis, quæ maxime sunt essentiales minime afficiatur? homo, qui nescit, quid ipse sit, cur sit, & nihil credens, nihil potest sperare? *Desumptum ex Sermone P. Bourdalove.*

Periculi, in quo Athei versantur.

Atheo libenter dicerem: in hac sententiarum oppositione, quis nostrum sese objicit periculo; tu ne, qui nihil eorum credis, quæ docet Religio, an ego, qui me eidem subjicio? tu ne, qui nihil vis credere, ut in omnem licentiam ruas, an ego, qui credo vitam meæ fidei conformaturus? Mihi ea, quæ credo credenti, nihil pejus accidere potest, nisi quod tamquam simplex, ac rebus omnibus adhibens fidem traducar; & me meæ fidei conformans, quibusdam carebo voluptatibus, quæ ab ipsa ratione prohibentur: hoc mihi periculum imminet. Tu vero, si quod minime credis, nihilominus verum est; certissimum damnationis periculum subis; reprobatio tua inevitabilis est. Te autem hac, me alia ratione viventibus, uter majori quiete perfruitur, uter vitam vivit tutiorem? *Idem.*

Nihil ultra quæreretur, ut Athei pudore suffunderentur; sed nos miseros, quam inanis spes est! Si in eorum mentibus tantum cæcitas inveniretur, eam ratio posset dissipare, sed cum cordi præcipue sit offusa, incurabilis facta est. Credere nolunt, ne id exercere teneantur, quod credunt. Hi Athei sunt, corde, ac voluntate credere detrectant, ne facere cogantur. Si credere potes, & vivere vitam adeo parum tuæ fidei conformem, cum S. Hieronymo dicam, se monstrum esse ex duabus naturis compositum. *Fromentieres.*

Fieri ne potest, o fideles, ut spiritus, qui homini datus fuit, ut eum tegeret, ac ad salutem perduceret, illum fallat, ac perdat? Reperiuntur hodierna die quamplurimi, qui spiritum habent, ut sese æternæ addicant damnationi, qui lumen habent, ut seipsos excæcent; ac scientiam habent, ut in crassiori salutis suæ ignorantia versentur. Hoc præter propter hominum hujusmodi cor est. Hominis esset nimium rudis hoc tempore Deum non agnoscere, ac brutorum stupiditatem imitaretur, qui primum Ens, necessarium reliquorum Entium principium negaret; cæterum cum fides Dei, & primi Entis generatim meræ sit speculationis, quin aliquid in praxi requirat, homines illi, de quibus loquor, haud ægre Deum esse fatentur, atque ingenii laudem captare contendunt id apertissimis demonstrationibus ostendentes, ideoque sibi gloriæ vertunt, quod Deistæ vocantur. Verum ubi credendum est, Deum hunc hominem factum, ac pro ipsorum salute mortuum, ut eos pœnitentiam agere edoceret; hæc fides, quæ practica est, eos torquet: Deus patiens, Deus crucifixus illis non arridet, ac Deus voluptuosus magis illis placeret. Ita consilium ineunt negandi Deum hominem factum, ac tranquille dicunt Religiones politica esse adinventas, ut populi in officio contineantur. *Desumptum ex libro, cui titulus Essais de Morale in Evangelium Dominicæ infra Octavam Nativitatis.*

Non desunt inter Christianos Athei vel saltem increduli.

Christianæ Religionis aspectus idem semper videtur; ii enim omnes, qui Christi fideles vocantur, in eadem templa conveniunt, iisdem Sacramentis utuntur, easdemque sensibiles ejusdem Religionis notas præseferunt; at non deest occasio gemitus effundendi coram Deo, ubi horribilis spectetur sententiarum diversitas, quæ sub hac similitudinis specie contegitur. Non desunt quidam, quibus nihil inest Christiani præter nomen, & qui sub baptizato capite cor impium, & fidem Ethnica ipsa nequiorem gerunt; quod malum quotidie increbrescens eo magis metuendum est, quo occultius est, ac publicam lucem fugit, ne impugnetur; cancrenæ simillimum, quæ externam salutis speciem præseferens, jugiter insignes progressus facit, quibus nihil opponitur. Aliquis pro animarum salute zelus haberi non potest, quin ob hoc tantum mali dolore afficiamur, & aliquam afferre medicinam adnitamur, pro virili conantes ad veritatis sinum eos revocare, qui per libidinosæ vitæ cupiditatem inde egressi erraverunt, vel saltem fluctuantes quosdam spiritus confirmare, quos impiorum sermones ac propriæ tenebræ in hanc

abyssum jajam sunt provolutura. *Desumptum ex Tractatu de Religione contra Atheos, & impios P. Mauduit.*

Quanam in re Athei Fidelibus præstare videantur. Hoc illud est, in quo impietas triumphat, atque Atheorum conditio nostræ præstare videtur; Christianus enim, ut religiose legem suam servet, centies in singulos dies abrenuntiare tenetur iis, quæ in mundo sibi charissima sunt, jugiter sibi vim facere, ne amet, quod sibi videtur amabile, & ne cupiat, quod amat; se ipsum torquere, ut semetipsum oderit, inimicos vero suos diligat, atque affectus omnes intra arctissimos legis severæ fines omnia regentis, ac nemini indulgentis, coerceat; cum interim Atheus, qui nihil sensibus, & cordi suo nefas esse putat, qui nihil ipsis eorum denegat, quæ cupiunt, summa fruatur felicitate, quam neque præsentes stimuli, neque futurorum malorum terrores perturbant. *Idem.*

Nihil adeo ineptum, ac leve, quam horum impiorum argumentationes, quæ omnes ad temeraria judicia rediguntur innixa fallaci, vel æquivocæ spei, inanibus divinantium blaterorum sermonibus, pertinaciæ id solum credendi, quod suis oculis vident, & quod intelligere possunt, ac demum cuidam irrisionis speciei, & politicæ rationi, quam Religioni tribuunt; & super his tamquam fundamentis æternam sortem suam ædificant. Cæterum exiguo labore iis sese expediunt difficultatibus, in quas perspicua, & aperta veritatis Religionis nostræ argumenta illos conjiciunt; arbitrantur enim eas diffiasse, ubi quælibet historica facta Religionem ipsam probantia negaverint; & hac in re omnia explodunt Auctorum testimonia, quæ in alia quavis facile reciperent, eosque vel tamquam calumniatores, vel tamquam pusillos, & incredulos increpant. *Idem.*

Nemo est rationis compos, qui sexcenta non credat, quæ numquam viderit. Ipsi etiam impii ex hoc numero sunt, ubi de humanis, vel naturalibus tantum rebus agatur. Quis unquam Atheus Antipodes, quos numquam vidit, non credit? Quis Deista, vel Pyrrhonicus fidem renuit elapsorum sæculorum historiis, quæ ab Auctoribus suspicionis nota carentibus enarrantur; & hac sola ratione renuit, quod nihil simile sibi videre contigerit? Attamen quis numquam testes fuerunt miraculi alicujus, vel quia miraculum aliquod venditatum est, quod falsum deprehensum est, inde generatim concludunt reliqua omnia fabulas esse, atque commenta, quin ea quæ Biblia, & Sancti Patres enarrant, censeant excipienda, quasi ea, quæ ipsi concipiunt, essent norma eorum, quæ accidere possunt, & quæ sunt credenda. Luminis defectus non est apta ratio contra rerum existentiam, quæ esse possunt, quin ab illis videantur. Hoc ipsum de possibilitate dicendum est. Non intelligo, inquis, quomodo hoc fieri possit. Quid hoc probat, nisi mentis tuæ aciem nimis tenuem esse, ac infirmam? sed defectus hic intelligendi ratio non est, qua aliquid fieri non posse probetur. *Idem.*

Non desunt in scientiis humanis mysteria, quæ nos assequi minime possumus; in Religionis autem negotio quædam sunt multo altiora. Si increduli, ac impii hujusmodi propositiones rejicerent, inscitiam suam testarentur, quæ non solum ipsos ineptos efficeret recte de re quacumque disceptando, sed etiam indignissimos præberet, ut quis curam susciperet illis errorem hunc auferendi, vel cum illis disputandi. Illi tamen hanc sibi licentiam arrogant de altissimis Divinitatis Mysteriis judicium suum proferendi; immo tanta pollent temeritate, ut ea suis subjiciant decisionibus, illi, qui provocari possunt, ut formicæ naturam explicent, ejusque motum sequantur. Si ipsorum ignorantia incredulitatis eorum errorem non aufert, inutile est eos erudire; quomodo enim crederent, si adeo rudes, ac ignari ea scire volunt, quæ credere debent? *Liber, cui titulus, Animadversiones in varia Religionis, Ethicæque argumenta.*

Corde melius, quam mente ad Dei cognitionem pervenimus. Cognitio plus, minusve perfecta, quam in hac vita de Deo habere valeamus ex nostro corde potius, quam ex mente dependet. Sensus, imaginatio, intellectus ideam formant, quam de creaturis habemus: at dici potest, Deum per voluntatem in nobis eam delineare ideam, quam de infinitis perfectionibus suis concipere possumus? Omnes homines aliquam illius imaginem solis rationis luminibus sibi effingunt. Ubinam est homo adeo ferus, & excors, qui Divinitatem minime deprehendat saltem in operibus ejus, atque in admirabilibus sapientiæ, atque potentiæ ejusdem effectibus! Satis est oculos habere, ut videantur vestigia sapientiæ, ac dexteræ illius omnibus, quæ circa nos sunt, objectis insculpta. Vero simile non est, neque fieri potest, ut qui ratiocinari potest, Deum possit ignorare. Verum, ut supremi hujus entis magnitudo, atque species intelligantur, exiguam nobis afferunt opem naturalia principia, nobis Deum esse ostendentia. Cognitio, quam de Deo habemus, inanis curiositatis conatu, ac labore nequaquam perficitur; præter quam quod Deus spiritibus, qui superba cupiditate ducti essentiæ illius investigandæ, eumdem cognoscere quærunt, sese ostendere non dignatur, ac sæpe in eorum temeritatis pœnam, eos cogitationum suarum erroribus tradit. Sed in eos, quibus cor magis est simplex, ac mundum majori in copia, magisque sensibilia lumina effundit, ut ab iis cognoscatur. Nobis sese communicat pro amoris gradu, quo illum diligimus, quo magis a creatarum rerum amore divellimur, eo magis nos ad se attollit, ac ipse nobis accedit. Quæcumque sit Sanctorum in humanis scientiis ignorantia, illis immittit Deus jucundum adeo, tutumque de seipso sensum, ut de eodem nobilius, aptiusque cogitant, quam omnes, qui se aliquid scire profitentur. *Idem, tomo 1. titulo 1.*

Si ex Atheo quæram, quomodo scire possim, ipsum vivere; non enim video animam, qua animatur; responderet ille quidem mihi, se agere, loqui, ambulare, ideoque vivere. Sed machinarum ope ambulari, agi, verba proferri possunt, nihilque video, quod mihi persuadeat, ipsi aliquod inesse principium, qui ex natura sua motum & arripere, & dare queat. Saltem in hoc hærere mordicus possum, ac petere ex eo interioris hujus, quo movetur, principii probationem. Intelligendi, considerandique vis, ac libertas quæ hæc omnia extrinseca vitæ signa concomitantur, dubitandi locum minime relinquunt, quin animæ eorum caussa habenda sit; ille mihi responderet. Neque diffiteor; immo id fateri cogor. Cur ergo creaturas admittens, Creatorem non colit? Creaturæ semper agunt; ex semet hunc admirabilem, qui in illis viget, consensum tueri minime possent. Haud ille profecto inquiet, eas cogitare, ut tanta diligentia, quod proprium sibi est, atque conveniens inquirant: ut eas figuras, situs, quæ nullo apud ipsas in discrimine sunt, & quæ in duratione sua fortuiti casus semper effectus esse non possint, arripiant. Agnoscat igitur insipiens Ens istud supremum, cujus sapientia, ac potentia adeo palam in universo orbe collucent. *Hoc argumentum est S. Augustini in Psalm. 73.*

Discrimen inter Atheum, & insipientem. Scriptura Atheum ab insipiente nequaquam distinguit: uterque tamen longe alia ratione operantur. Insipiens cogitat, quod dicit, & dicit, quod cogitat; cogitationes, & verba Athei non sibi conveniunt; verba quidem sensum, sensus vero Sermonem ipsum mendacii redarguunt. Divinitatem in corde negat, at fallor, eam negare vellet; sed negare non potest; sensum hunc proferre non audet, non enim audet illum concipere. Conatus omnes, quoscumque exerit, ut metum Dei actionum suarum testis eludat, desinunt in ideam vagam, confusam, atque obscuram fidei, quæ illum licet invitum brutis similem efficit. Heu dementiam! velle rationi tuæ vim inferre, ut ratiocinationem amittas! *Idem.*

Ratione careat, opus est, qui eam veritatem vult oppugnare, quam ratio omnibus temporibus omnibusque in locis amplexa est. Deus adest; hoc omnes populi confitentur; omnesque Deum esse cognoverunt a se colendum. Cognitio hæc non est educationis effectus: educatio quidem secundum climatum varietatem varia est; neque commercium de hac in aliam gentem illam effudit; omnes omnino gentes in hac re consenserunt, quia mutuo luminum suorum indigerent auxilio. Politicæ artis principia hanc gignere non potuerunt: Tot enim reipublicæ administrandæ rationes adeo inter se oppositæ eidem non ita facile sese accommodassent; Principes, atque subditi resistere potuissent naturali impressioni, quam in omni spirituum genere efficiebat. Numquid studium eam peperit? Nequaquam; crassissima etiam ignorantia hac in re scientiæ, ac litterarum culturæ non cedit. Non quæro, ajebat Tertullianus, non quæro ad Divinitatem probandam testimonium animæ, quam Scholæ formaverint, quam Bibliothecæ aluerint, quam Academiæ erudierint; simplicem animam appello, barbaram, animam videlicet, qualis e Creatoris sui manibus prodiit. Si quis primus supremi hujus, at dominantis Entis existentiam detexit, atque annuntiavit; quænam, amabo, tellus ejus incunabula vidit, quæ natio illum in lucem protulit; insignis adeo, atque necessariæ veritatis origo diligentissime non connotari non potuit. At enim idolorum cultus late dominatus est; Regna, & Imperia variis numinibus rhuta adoleverunt: scio equidem, neque aliud asserere contendo, quam universalem Numinis cognitionem. Si quis Atheus in terris est, fatebitur ille idololatriam ex semetipsa subverti, atque errorem illius sibilis esse excipiendum. At una ratio omnes assequi non potest Divinitatis perfectiones, quæ illius aciem perstringunt, & quas ignorare non potest, quemadmodum omnes homines ad felicitatem tendunt, quam naturaliter amant; sed sine Fidei subsidio possuntne circa illius qualitates, atque essentiam consentire? Quam vim sibi inferre teneretur Spiritus, ut universali sententiæ sine exceptione adversaretur. Hæc autem vis nonne apertissimum esset illius, quam negare vellet, veritatis argumentum? *Idem*.

Atheismus summa parit flagitia.

Nemo magis vitiis diffluere potest, quam qui consulto, ac post tranquillam, ac voluntariam deliberationem de industria sese in omne flagitiorum genus nequissime tradit. Talis sane est, qui Divinitatem negare studet, qui hoc profitetur, in hoc gloriatur. Non sors, non cæcitas, non consideratio, non scientia, neque ipsa vivendi licentia, sed voluntas sola ipsum in teterrimum hunc errorem conjecit. Nascimur ignari, infirmi, inconstantes, in vitium proni, verum cum iis omnibus præjudiciis, quæ Atheismum impugnant, nascimur: si quis esse potest Atheus, ideo potest, quia vult. Verum est, hanc voluntatem ex vivendi licentia, ac scelere proficisci, sed hæc voluntas ipsa est scelus nequissimum, ac maxime incredibile. In profundam vitiorum abyssum, non paulatim, & per quosdam veluti gradus aliquis immergitur; sed ex quo Deum negare incipit, jamjam saltu quodam in præceps ruit. *Idem*.

Corruptæ, occæcatæque rationis errores percipi nequaquam possunt. Idololatra hoc Ens quærit, quod supra se, ac super omnia, quæ naturalia, & humana sunt, positum sentit; extinguere nequit lumen, quod sibi in operibus visibilem hunc mundum constituentibus ostendit Divinitatem; suffocare nequit testimonium, quod propria conscientia huic perhibet Divinitati, quam detegit quidem, verum non satis perspicue; illam quæritat, sed ea ratione, quæ ipsi præventioni, propter quam illam inquirit, adversatur. Neque illam se inventurum sperat in metallis, lignis, lapidibus; & fateri cogitur, creatas has res non mereri, ut ipse se coram illis prosternat. Quid autem facit, ut illas decenter adoret, quin seipsum demittat? Creatas has res adhuc efficit contemptibiliores; cumque illis naturalem ipsarum formam tribuere minime valeat, alienam tradit, quæ illas cultu nonnisi efficere potest indigniores. Idolum ipsi ridiculum videtur, ubi considerat illud eo in statu, quem vires suæ eidem nequeunt tribuere. Possetne unquam metalli, lapidis, lignive frustum efficere? & hoc ipsum Idolum Deus illi videtur, postquam digitorum opera secundum ideæ suæ arbitrium, nova aliqua forma indutum est; ita ut proprie loquendo ipse sui tantum operis sit adorator. Spiritus nequitia ulterius progredi nequit. Idololatra conatur occurrere supremo huic enti, ex quo se necessario pendere cognoscit; & supremum hoc ens a voluntate, ac opificio suo pendere contendit! *Idem*.

Pauci sunt infideles spiritu, multi corde.

Fatendum est inter Christianos paucissimos Infideles reperiri; creditur: cordis corruptio non adeo facile menti suum virus communicat; ac tantum superest boni sensus, & rationis; ne quis Atheus fiat. At nequam est, & se esse cognoscit; & licet moribus flagitiosus sit, ex quo ratiocinatur, sibi displicet hoc esse, quod est, sed nihilo minus cessare non vult, quo minus hoc sit. Licet cordis corruptio effectus sit, vel causa cæcitatis spiritus; semper tamen in anima tantum luminis remanet, quantum satis est, ut improbus terribiles eas veritates intelligat, quas minime credere vellet; & terroris, ac tumultus tantum, quantum sufficit, ut hæc a se credi palam cognoscat. Quam misera est hominis conditio, qui seipsum occæcare studet, ut sævissimos terrores eludat, quos incutit eorum malorum adspectus, in quæ se præcipitem egit! Sed mens non diu gerere potest cordis personam; efficiat, quodcumque lubet, anima naturaliter christiana est, & nisi ratio penitus extincta sit, omnes Religionis sensus numquam suffocantur. *P. Croiset in considerationibus*.

Illum pudori, & confusioni impiorum adjiciet cumulum, cum Deus scelerum nostrorum alte repetens causas, easque nobiscum revolvens, nos agnoscere coget duplicem nostræ infidelitatis originem, licentiam videlicet mentis, & licentiam cordis: mentis quidem licentiam, quæ de omnibus judicare voluit, ut nihil crederet, quæ fidem abjecit non ut meliorem sententiam amplecteretur, sed ut ne ipsa quidem quid sequeretur, quid non intelligeret; ut omnia sorti committeret, ut in religionis negotio perniciosissimam indifferentiam profiteretur; dicam melius, ut nullam omnino Religionem haberet: licentiam cordis, quod se a fide torqueri ægre patiens, paulatim nos coegit, ut illius jugum excuteremus, atque servitutis vincula infringeremus; quod facile probabit Deus ostendens, donec mores nostri casti, integrique fuerunt, fidem nostram fuisse integerrimam; hanc vero tunc primum labefactatam fuisse, cum mores ipsi depravari inceperunt. *P. Bourdaloue in veris Sermonibus suis. 1. Advent. Sermone de extremo Judicio*.

Ratio sola persuadet adesse Deum.

Ratio naturalem tantummodo sequatur instinctum, satis est, ut sibi Deum esse persuadeat, Creatorem rerum omnium, quæ videmus, ubi oculos conjiciat in motus adeo belle institutos ingentium eorum corporum, quæ supra nostrum caput volvuntur, in hunc constantissimum naturæ ordinem, qui numquam mutatur, in admirabilem variarum partium nexum, quorum aliæ aliarum ope fulciuntur, & quæ nonnisi mutuo subsidio consistunt, in hanc lapidum, metallorum, plantarumque varietatem, in admirabilem animatorum corporum structuram in eorum generationem, ortum, incrementum, interitum. Fieri non potest, ut tot hæc miracula intuitus spiritus secretam hanc vocem non audiat: hæc omnia fortuiti casus opus non esse, sed causæ alicujus eas in se perfectiones omnes habentis, quas in hoc insigni opere deprehendimus. Nequicquam conaretur aliquis admirabilis hujus molis machinamenta explicare, dicens nihil esse aliud, quam materiam in extensione sua maxime ingentem, & magnum motum, qui illam disponit, atque

atque ordinat; semper enim dicat, opus est, quaenam est hujus materiæ, & hujus motus causa; quod fieri nullo modo potest, quin ad immateriale aliquod ac intelligens principium, quod utrumque produxerit, ascensus fiat. *Essais de Morale Tomo 2.*

Numquid minus cæci sumus quam Ethnici? Numquid unquam plura extiterunt idola, quam hodierna die? Merito cum Tertulliano asserere possumus, Ethnicos quidem manibus suis sibi idola efformasse, Christianos vero ea sibi mente effingere. *Mente fabricantur idola.* Quilibet sibi Deum suo affectui conformem proponit ea tantum jubentem, ac vetantem, quæ quisque vult, singuli Deo suo eum characterem appingunt, qui sibi maxime placeat, efficiuntque, ut suæ libidini, utilitati, & sceleribus etiam famuletur. Hoccine Deum colere est? Nonne jure dicere possumus: *Mente fabricantur Idola? Essais de Panegyriques Tomo 1.*

Si illi tantum Athei vocantur, qui nullum omnino Deum credunt, teneo nullos id genus Atheos in terris reperiri. Verum quidem est plurimos conari ut Athei sint, & nihil intentatum relinquere, ut vere sint: sed numquam illis e voto continget, ut sint; & licet contra conscientiæ suæ stimulos adnitantur, ut inde hunc divinitatis sensum evellant, quam natura altius illis insculpsit, numquam tamen voti damnabuntur. Non deerunt unquam temporum intervalla, quibus Deus sese agnoscendum invitis præbebit in corde, licet impudentissimas blasphemias, ac omne impietatis genus ex ore evomuerint. Numquam grave aliquod, inopinatumque periculum ingruet, quin suum errorem detestentur, & illis aliqua excidat vox, quæ commentitii Atheismi sui temeritatem redarguat; numquam disruptis nubibus tonitru horribili fragore, quo natura omnis contremiscit, eorum auribus accidet, quin manus ad Cœlum attollant, ut supremo rerum Domino ibi sedenti, veniam suæ improbitatis deposcant. Sexcentæ occurrunt occasiones, ac momenta, ubi hominum omnium nequissimus Dei causam contra seipsum debeat tueri, atque secreto, & inevitabili motu metuere illum, quem se contemnere simulat. Sed illi appellandi sunt Athei, qui licet conscientiæ suæ stimulis torqueantur, quos pro virili suffocare adnituntur, ea furunt impudentia, ea audacia, ut Deum negent, ita agant, atque loquantur, quasi Deum omnino non esse putarent, illius Providentiam lacessant, & ipsam etiam animarum immortalitatem impugnent; licet hæc ipsa anima suam probet immortalitatem rationibus iisdem, quibus illi ad eam in dubium revocandam abutuntur. *Auctor Anonymus.*

Qui pauci antiquitus Athei fuerint. Quid putaretis de Fideli viro, qui eo usque procederet, ut ipsam negaret divinitatem, eo quod sex, vel septem impii eam, saltem in speciem, impugnare minime timuerunt? Etenim post diligentissimas perquisitiones habitas, vix totidem inventi ex Antiquis fuere, qui se Atheos profiteri, vel ausi sint, vel potuerint. Eorum nomina vobis, auditores, proferrem, nisi nimium illis honorem deferre, ac meæ erga vos observantiæ deesse metuerem. Quid putaretis ergo de Fideli, qui omnem divinitatem negaret, eo quod nequissimi illi homines eam negare ausi sunt, licet totius naturæ, omniumque creatarum rerum, earum etiam, quæ sensu penitus carent, eloquentissima voce redarguerentur; licet propria ipsorum ratio, & conscientia oppositum testarentur? Possetisne illis contemptum, ac indignationem tanta hac insania satis dignam testari? Quanam in re ficti illi fideles, quorum superius characterem vobis exhibui, æquiores videntur? ..... Ut dividant, & eligant, uti faciunt Christianæ Religionis veritates, nonne vel terrenæ politicæ, vel impiæ superbiæ, vel impudicissimæ voluptatis impetum illi sequuntur? *Pater la Pesse Tomo tertio sermonum; Sermone de Fide.*

Improbi quorumdam improbiorum libellorum, qui in tenebris concepti, in lucem editi, educatique fuerunt, lectores, cuinam rei inepta adeo fidei hæc vestra innititur idea? Numquid malignis, incertisque dubitationibus, nequissimis irrisionibus, fabulis importunis, ac nugacibus historiolis impii alicujus, atque dementis? Lucretii phrasis, Epicuri sophisma, argute dictum audacis, temerariique Scripturis efficient, ut mens aliqua veritatis radiis sit inaccessa; & sæculorum omnium, Doctorum, atque Accademiarum consensus ..... infinitus miraculorum numerus, ac invictissima Religionis argumenta mentem hanc movere non poterunt! *Idem.*

Duo audaciæ, quæ in Religionis materia judicant, & loquuntur, fontes: ignorantia, & vitium. Undenam ea procedit ambitio, qua affectata incredulitate præ aliis in mundo emicare contendunt? Diu cogitandum non est, ut intelligatur. Primum enim ex eorum ignorantia, deinde vero ex eorum vitiis proficiscitur. Veritas, vel vivendi licentia eos contra fidem rebelles facit; vanitas coercenda est efficiendo, ut suam sentiant inscitiam; licentia est improbanda, flagitiorum turpitudinem detegendo. *Idem Tom. 2. Sermone de reverentia, quæ veritatibus Religionis debetur.*

Inter flagitiosos homines, qui in Religionis negotio sese tamquam sapientes obtrudunt, non desunt qui neque scire, neque legisse profitentur. At enim, cui bono contendis eorum probare ignorantiam, qui se nihil scire fatentur? Sed per vos mihi liceat, sermonem meum persequi ..... Sive illi propriis utantur luminibus, seu similium sibi sententiis sese subjiciant, se bene ratiocinari putant, cum ratiocinationem suis studiis accommodant: oris habitus ad difficultates contemnendas compositus, ac festivi joci studio, quo caruere, supplent. Alii se multa legere jactitant .... utrique meditatis præjudiciis sibi præcavere contendunt contra hanc imbecillitatem, quæ adeo facile res incredibiles credit .... Noctuæ contemptibiles, vestrumne est de Solis fulgore ferre judicium? Primum quidem Religionis veritates mysteria non sunt, nisi quatenus rationi nostræ sunt inaccessibiles &c. *Idem.*

At videamus aliquando magis peculiares ignorantiæ ipsorum rationes. Audaces ipsi nostrorum mysteriorum judices legerunt ne Sacra Biblia, Prophetas, Apostolos, ut intelligerent Dei erga populum suum, omnesque gentes providentiam, Prophetiarum complementum, eventus omnes, ubi supremum illius dominium effulget, illius judicia, ultiones, misericordiæ? Evolverunt ne Christianos Doctores, ut nostrorum mysteriorum medullam a cortice, & christianarum virtutum essentiam ab inani specie secernerent? ...... At esto longum hoc, immensumque studium absolverint, intellexeruntne ea omnia, quæ legerunt, immutaruntne incomprehensibilium veritatum essentiam, ut eas sua mente continerent, atque magistrali jure de illis deciderent? Næ hos quidem plusquam Patres, Ecclesiæque Doctores vidisse oportet..... Post hæc autem impii isti sese non comparabunt, uti reor, Athanasiis, Gregoriis, Basiliis, Chrysostomis, Hieronymis, Ambrosiis, Augustinis; qui in libris consenuerunt, expalluerunt, jejunarunt, orarunt, & corpora sua afflixerunt, ut aliquam Religionis cognitionem assequerentur, quam temerarii illi per otium, atque licentiam se adeptos esse gloriantur! *Idem.*

Placet magis Religione moribus, qui mores Religioni accommodare. Fides irreprehensibilis testis est indesinenter contra fidelem impium testificans; Religio moribus accommodatur, ubi mores Religioni accommodare non juvat. Nimium grave esset criminis stimulos sustinere in faciem, ut ita dicam, veritatum Evangelii; rebellis conscientia doloribus suis solatium afferre studet, extinguens, vel caliginem aliquam effundens luminibus, quibus illustratur. Christiani tamquam infideles loquuntur quibusdam in articulis fidei, eos subdolis dubitationibus involvunt, illos in jocum traducunt; neque aliud ipsis adest

adest consilium, quam amittendi verecundiam ob peccata, amittendo verecundiam male credendi. *Idem*.

Dic, quæso, quod sentis: nisi sincero tuimetipsius sanctificandi desiderio teneris, audies fortasse id genus homines, cum illis necessitudinem inibis, & propter egregias naturæ dotes suspicies, aliquam voluptatem ex ipsorum consuetudine percipies; interim tamen secreta erga illos vigebit in te diffidentia, quæ efficiet, ut vel invitus eorum caracterem extimescas. Æstimatio tua sympathica, omnisque necessitudinis initæ suavitas te nequaquam satis confirmare possunt, ne eam verearis licentiam, qua in iis, quæ ad fidem pertinent, sua proferre dogmata, atque principia fidelibus omnibus communia impugnare non metuunt. Esto quidem eas sibi interdicant voluptates, quibus perditissimus quisque se ingurgitat, quæ tamen apud hujus viæ homines rara est moderatio; esto ea non capiantur opum aggerendarum illecebra, quæ eo pervadit, quocumque potest; eaque ipsis æquitas insit, ut pro meritis? atque secundum honestatis leges laudes suas, & vituperationes impendant ... Licet omnia in speciem satis ad virtutem composita videantur, interlucebunt aliquando tamen sensus animæ, a qua diligentissime præcavendum est. *Idem*.

In hoc moror paulisper, ut ratione probem, Christianum hominem eos fidei articulos, qui sibi minime placent, temere rejicientem nonnisi nequam, & impium esse posse. Hunc audire, intueri, ac ea, quæ illius agendi consuetudinem intuentibus naturaliter occurrunt, serio perpendere satis est. Quæ enim res illum impellere posset, ut principia suæ Religionis inverteret, nisi ut studiis suis liberiorem aditum aperiret? Immodica ille tumet superbia .... plausus sibi conciliare quærit singulari perspicacia iis in rebus, quæ pertinent ad Fidem. Ille fortunam suam tamquam numen aliquod colit ..... Hic religionem tamquam inane phantasma respiciet, quod propriæ utilitatis ratio, pro ut negotiorum conditio tulerit, vel attollere, vel deprimere potest; Dei Providentiam tamquam inertem eorum, quæ accidunt in vita, spectatricem putabit; & dummodo vel in fortuiti casus incertitudinem, vel in fati necessitatem minime impingant, Evangelii principia eidem negotium nequaquam facessent. Ille non aliam novit felicitatem, nisi quam in impudicitiis invenire potest; quibusnam blasphemiis severissimo etiam pudori maculas offundere non adnitetur? &c. *Idem*.

Tumultus qui impiū morti præcipue proximum agitant.

Quam unquam tranquillitatem hujus vitæ Christiani in vita sua perficere possunt? quinam vero eorum terror erit in morte? Satis fortasse rationis illis superest, ut videant, se Fidem suam non impugnare, nisi ut vitiis suis velificentur: in hoc rerum statu non ne jugibus, mordacibusque curis debent exuri? Nolo illi memet submittere veritati, quæ animi mei studium torquet: illa non ideo tamen minus est veritas: mihi quidem eas causas abscondo, propter quas metuere deberem, at illas non deleo, & licet meorum argumentorum pondere oppugnentur, vigent tamen. Spiritus imbecillitati verto tot illustrium fidelium credulitatem; sed illi tuto ambulant, cum ego interim in maximo periculo verser. Docilior essem, sentio equidem, si minus essem nequam; verum quid mihi prodest ejus mali, in quod certissime ruam, adspectum avertere? O funestissimos dies, qui in adeo crudeli incertitudine, ac in æternis cum propria conscientia certaminibus transiguntur! Ubi omnibus curis fuerint exagitati, quibus anima torquetur, quæ seipsam fallere conatur, ex hac terra abeundum erit. *Quis finis eorum*, ait S. Petrus, *qui non credunt Dei Evangelio*? Quam horrendum spectaculum est, hujusmodi fideles animam exhalantes conspicere! Ex hac Vita egrediuntur, quin æquam conceperint ideam eorum, quæ in altera accidunt, ac terribile subeunt judicium, quod toties sibilis, & cachinnis exceperunt; Neque aliud præstolari possunt, quam pœnas eas, quas contempserunt. Oculi eorum, qui terrenis rebus clauduntur, aperiuntur fidei, ut æternitatis illius, quam in ludibrium verterunt, terrores intuiti spem omnem prorsus abjiciant. *Qui finis!* horrenda videlicet mors. *Idem*.

Ut de Religionis veritate constet, non requiritur, ut omnes sigillatim difficultates diluantur.

Per vos hic mihi testari liceat, vestras oppositiones, & rationem eam, qua illæ efferuntur a vobis, nequaquam indicare mentem dubitationibus agitatam. Charitatis quodam principio ductus credo equidem .... numquid eo quod omnibus Sceptici alicujus difficultatibus respondere non possum, inde jure sequitur nihil in terris certum inveniri? Hinc judicium ferte de injustitia cogitationum vestrarum, qui vultis, ut antequam ad examen vocentur maxime essentialia Fidei Christianæ argumenta, singillatim infinito peculiarium difficultatum, quas objicitis, numero, respondeamus... Si difficultates tantæ non sunt, ut argumentorum vim valeant infringere, Christianæ Religioni acquiescendum est vobis, licet etiam non omnes dilui possent objectiones, quæ fieri possunt contra ea, quæ in Sacris Bibliis continentur. Attendite, quæso. Nemone habere posset hanc fidem, per quam salvi sumus, nisi plures Chronologiæ locos, qui in Sacris Bibliis occurrunt, explanare noverit, nisi rationem reddere sciat cujusque Legis, ac peculiaris Judæorum consuetudinis; nisi Prophetiarum caliginem penetret, ac difficillimos locos evolvat? Quod si quis credere potest, & salvus fieri, quin has novit circumstantias; cur contra Religionis Christianæ principia proferuntur? Eumne ferre posseris, qui materiam extensam negaret; fieri enim vix, ac ne vix quidem potest, ut plures enucleentur difficultates, ad materiæ hujus extensionem, atque divisibilitatem spectantes? Nobis tantum rationis suppetit, quantum satis est, ut animæ nostræ existentiam credamus, quamvis ignoremus qua ratione materialis substantia, & immaterialis, quales sunt anima, & corpus simul conjungi possint, ut reipsa in homine conjunguntur? .... Denique nihil ne constans esse potest, nisi ibi distinctos, apertissimosque veritatis vel mendacii, quæ in rebus omnibus inveniuntur, characteres deprehendamus? Videris ergo ea etiam quæ verissima sunt, suis esse obnoxia difficultatibus, & nihilominus, ut de harum rerum veritate certitudo habeatur, non requiri, ut omnes illæ difficultates diluantur... Sed ea quæ objicitis non adeo solida sunt, ut censetis ..... *Epistola cui titulus, Christiana Religionis, & Sacra Scriptura contra Deistas defensio*.

SUPPLEMENTUM.

Athei Infidelitas, Licentia in fide, &c. Dubitatio, incredulitas, nullus Religionis zelus.

Auditor mi, unum habeo quod ex te quæram. Cum mens tua rationi reserata fuit, ac secernere occœpisti quid sit esse, ab eo quod est non esse, & cognoscere per animadversionem, quod eras, & quod non semper fueras; ex tunc invenisti Deum tuum, ut ita dicam in possessione essentiæ suæ in mente, & fide mortalium; videlicet nactus es homines in usu publico credendi, esse Deum eorum omnium, quæ sunt principium. Nihil tibi tunc in mentem subiit, quod prohibere deberet, ne crederes. Satis diuturnum posthac temporis spatium abiit, quin aliquis fidei tuæ turbaverit tranquillitatem. Ex quo igitur tempore diffidentia, ac timor ut falleceris credens, mentem tuam pervasit, eamque in dubitationem, & incredulitatem conjecit? Id ignoras? Ecce in his verbis David; mentire, si audes. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*? Sed Psal. 13. 1. quando hoc dixit? Quænam fuit judicii hujus causa, quinam effectus? Quod cor illius jam

jam corruptum erat, & deinceps abominabilibus affectionibus, & cupiditatibus deterius corruptum fuit: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis. Pater de la Rue in Adventu.*

Psal. 15.

Ejusdem argumenti continuatio.

Quænam adeo valida ratio potuit igitur ita mentem tuam percellere, ut præteritam fidem tuam, primas pueritiæ tuæ impressiones, & generalem omnium generis humani persuasionem mentireris? Hoc non est; nequaquam: hoc minime est, quia Deus oculis nostris videri non potest. Inanem prætextum! Fatere veram tuæ incredulitatis causam. Hæc est, quia si Deus est, si æternitas, si spiritualis, & immortalis anima, fieri nequit, ut ultio Dei, æternumque animæ tuæ nefariæ supplicium evitetur. Miram perturbationem mentis in peccatore! Delendus est Deus de numero earum rerum quæ sunt; quia si est Deus, peccator est miserrimus: Opus est humani generis redemptionem, Divini Verbi Incarnationem, illius Crucem, Mortem, Resurrectionem fabulas esse; si enim hæc vera sunt, totidem sunt contra peccatorem sententiæ. Opus est Evangelium, ejusque dogmata esse commenta; si enim hæc veræ sunt leges, & seria officia, peccator est rebellis, & impius. Opus est infernum, ac ignes illius esse puerilia terriculamenta, si enim vera sunt supplicia, sunt pro peccatore, si illis damnatur. Sola igitur hominis ambitiosi, voluptuosi, ratio erit regula veritatis, publicæque fidei in mundo? Impune igitur dicere licebit: Deus nullus est, si peccator felix non est? Ecce, o peccatores, vestræ argumentationes, vestræ cogitationes: sed potius vestri errores, insania vestra. Postquam diu lectionibus, perquisitionibus, animadversionibus vacaveritis, tristis fructus is erit, vosmet improbis luminibus vestris excæcasse. *Idem.*

Deplorabilis status eorum, qui spiritus fortes vocantur.

Nomen Christi geritis: tamen in Christianismi fide mentis vestræ torturam invenitis. Semper ratiocinari vultis, semper scrutari, recentesque animadversiones facere: vobismet semper objicitis quæstiones, has aliis agglomeratis, ac vultis ex fanatico amoris proprii tribunali definitivam proferre sententiam de impenetrabilibus fidei Christianæ mysteriis. Quæritis vestram cum Deo securitatem; vultis, ut palam vobis loquatur, quasi vobis esset timendi causa, ut vos fallere velit. Putatis igitur perveniri posse ad cognoscendam naturam, verumque Dei cultum, alia via, quam eo lumine, quo illi placet nos illuminare? Curiositas, & scientia umquam ne huc pervenerunt? Aliquidne hac in re produxerunt, quod sine ulla oppositione valeat admitti, & quod e contra non sit erroribus, & illusionibus cumulatissimum? Postquam integer Mundus fessus incertitudinibus, atque tot eruditorum sæculorum observantia pro duce fidem sibi adoptavit, & ab illa se omnino regi passus est; nonne tempus est, ut tu quoque jubeas spiritum tuum sese illi submittere? Numquid laboriosius tibi erit credere, quam semper dubitare? Cum simplicitate sequi lumina fidei, quam semper quærere naturæ lumen, & illud numquam invenire? quam in tenebris ambulare, & nescire quo vadis. Si fides tibi timorem injicit, num te confirmat incredulitas? Et non credenti nullane timendi causa supererit? Et negante te Deum tuum, numquid hic Deus esse cessabit, neque efficiet ultra, ut sentias quis ipse sit? saltem tibi auferendo fallacem tranquillitatem, quam tua tibi rebellio promittit? Cum his omnibus animadversionibus dicere nequis: Obediam, & agnoscam Deum in Dominum nostrum? Cui igitur obedies? Nam quisquis es, tibi domino opus est; & quisquis iterum es, non alium habere potes neque imperiosiorem, neque importuniorem te ipso. Si Dei legem non sequeris, sequeris legem cupiditatum tuarum, amoris proprii tui, tuæ libidinis, & hi potius erunt tibi tyranni, quam Domini. Te cogent, ut velis, quod noluisses, nisi eorum esses mancipium. Hæc servitus est, in quam nostræ nos conjiciunt cupiditates. Contra crudeles hos dominos, Deus unus nos sustinet; & huic uni obsequentes liberi possumus permanere. Non alia libertas est præ illa Filiorum Dei. *P. de la Rue in Adventu.*

Animadversio in parum sciam fortium spirituum agendi ratione, & in difficultates, quas contra Christianam Religionem objiciunt.

Quænam sunt hæ difficultates, rationes, argumenta, quæ adeo certa videntur assertis hisce spiritibus fortibus? Dicamne, quin erubescam? Labor aliquis, quem invenient in concilianda Dei Magnitudine, & Majestate, cum profundis dejectionibus, quas illi nostra tribuunt Mysteria; severitate æternarum pœnarum cum illius misericordia; prædestinatione paucorum Electorum cum justitia, quam omnibus debet mortalibus; mala, quæ accidunt in orbe terrarum, cum sapientia Providentiæ ipsius. Fortasse aliqua verisimilitudo, quam sibi comminiscuntur in Religionum varietate propter varios modos colendi Deum in infinitis ipsius perfectionibus. Fortasse scandalum, ac discrimen inter mores eorum, qui Ecclesiam moderantur, atque Religionis sanctitatem. Fortasse aliqua species oppositionis, & ambiguitatis, quam in sacris Bibliis deprehendi crediderint. Hæc ea sunt, quibus flagitiosi homines, & æquo liberiores mentem suam implent, & quæ nobis semper obtrudunt. At inter hæc, quid evertere, vel eludere potest ineluctabile miraculum propagationis fidei? Nam quin singillatim respondeamus his rationum umbris, una tantum animadversio eas omnes exsufflat. Hæc autem est. Omnes istæ difficultates, quæ modo prohibent, ne credatis, habebant, sine ulla comparatione, majorem vim contra fidem in ore Gentilium, primis Ecclesiæ temporibus: at prohibueruntne, quominus fides triumpharet? In ipsis Ecclesiæ incunabilis, Porphyrii, Juliani contra illam scripserunt libros nequiores, ac magis virulentos, quam, qui hodie in vobis tumultum, & dubitationem cient. Libri illi deterruerunt ne Philosophos, ignaros, principes, subditos, familias, regna, mundum universum, ne in Ecclesiæ sinum ingrederentur? Et nunc hæ chimæræ a misero centuriatore in unum collectæ post quindecim, vel sexdecim imbecillitatis, & inutilitatis tempora vim obtinebunt efficiendi, ut licet fidem sitis professi, ab ea recedatis? Hæc omnia, quæ profertis dubia impedire non valuerunt fidei in universum mundum propagationem, eamque in mentibus vestris evertet? Hoc Evangelium, quod ex omnibus antiquis Philosophis victoriam retulit, obliterabitur in vobis ob commenta hominis nefarii, qui nihil adfert, quod mundi totius conversione confutatum non fuerit? Hoc ipsum non sufficit, ut de ipso mentis vestræ lumine diffidatis, quod adeo infirmum est, ut iis trahatur chimæris, quæ nullam vim habuere apud tot Sapientes post duo fere annorum millia, & ut Evangelio adversemini, quod apud omnes fere populos fidem invexit? Quæ libido! quæ insania! Credere volo illi, quod neminem fere movit; & resistere illi volo quod omnem fere mundum pertraxit? Credere volo flagitiosi hominis imaginationibus; & cedere nolo miraculis JESU CHRISTI tot sæculorum præconio probatis. Quinam error ratiocinandi! *P. de la Rue in Quadragesima.*

Assertorē spirituum fortium insania.

Si credo, & facio, quidquid mihi Christiana religio proponit; & mortis meæ tempore inveniatur verum quidquid ipse credidero: æternam beatitudinem adeptus ero. Et licet falsum inveniretur quidquid credidero; nullam ideo in vita jacturam fecero, immo etiam mihi honesti viri nomen, laudem, & observantiam, quam virtus meretur, conciliavero. Si voluptatibus abstinuero, memet præservavero a malis, quæ illas subsequuntur; & conscientiam meam in jugi sua-

vique tranquillitate servavero : hæc enim ea sunt, quæ legis observantia producit. Sed qui nihil credit, si moriens nanciscitur, se jure nihil credidisse; quod inde lucrum refert, quandoquidem cum illo moriuntur omnia ? Sin e contra intelligit sibi credendum fuisse, ubinam ille est ? Si Religio fabula est, in morte nil profecit, quam qui illam pro veritate acceperunt; sin autem veritas est, quid de illo fit, qui eamdem fabulam existimavit ! Huc igitur Magnæ mentes sensum vestrum vocate ? Fierine potest, ut in iis tantum, quæ ad Religionem pertinent, sitis imprudentes ? Agitur de alea, vel mercaturæ periculo. Si vobis cedit e sententia parum lucramini ? Sin autem irreparabilis est jactura, audebitis, ne vosmet tanto periculo objicere ? Sed agitur de Religione. Si nulla est, quem inde fructum percipitis : si aliqua, damnatio vestra inevitabilis est. Quæ prudentia, dicam iterum, in discrimen adducere salutem vestram, licet etiam Religio æque esset ambigua, ut certa est ? *P. de la Rue in Quadragesima.*

Deus est. Quid ex hac veritate sequatur.

Ita est, Athee, Deus est. Huc afferenda non sunt inania sophismata, ut tuam fulcias dubitationem; vellet quidem cor tuum nullum adesse dubium. Sed cum nubes rumpitur, ac tonitru ad pedes tuos labitur, cum etiam quamplurimis obnoxius es periculis multo minoribus, audio tamen veluti impietatis tuæ abjurationem, clamorem hunc, qui tibi excidit invito : *Deus meus!* Ecce atheismum tuum inermem. Deus est, utique; Deus est, qui nec fallere, nec falli potest; nec damnare innocentem, neque nocentem absolvere. Deus qui creavit omnia, & qui omnia potest in nihilum redigere: Deus, qui inania hominum irridet consilia, qui de bellorum summa est arbiter, qui mutat Imperia, qui nos in lucem emittit, cum vult, ac inde deturbat, ubi vult. Deus, quem nec fugere, nec corrumpere possumus : qui nos videt, qui nos audit, qui nos judicat, &c. *Abbas Boileau in Quadragesima.*

Negari nō potest Dei universorum creatoris existentia.

Quidquid conentur Athei ad delendam impressionem, quam magni hujus mundi adspectus suapte natura in omnibus hominibus parit, adesse videlicet Deum, auctorem illius, non ideo tamen illam omnino possunt obliterare, adeo altas, validasque in animos nostros radices egit ? Si hæc invicta non est argumentatio; hæc sententia est, & prospectus, cui non minus, quam omnibus argumentis, est vitium. Vis nobis inferenda non est, ut illi cedamus, sed ut illi adversemur. Ratio sequatur, satis est, naturale studium, ut sibi persuadeat, esse Deum creatorem earum rerum omnium, quas videmus, cum oculos attollit ad mirificos motus ingentium corporum, quæ super caput nostrum circumaguntur; ad hunc naturæ ordinem, qui numquam perturbatur; in admirabilem nexum diversarum partium, sese invicem sustinentium, ac subsistentium mutuis auxiliis, quibus ultro citroque firmantur; in eorum ortum, augmentum, & mortem. Fieri nequit, ut mens contemplata hæc omnia miracula non audiat secretam vocem clamantem, hæc omnia non esse casus effecta, sed causæ alicujus omnes possidentis perfectiones, quas in magno hoc opere deprehendimus. *Ex Sermone quodam de existentia Dei, & animæ Immortalitate.*

Personæ religione carentes in ipso politico regimine sunt periculosæ.

Religio basis est regiminis etiam politici; sine illa homo malus est subditus, civis molestus, vel potius homo non est. Ex quo conscientia caret, jam caret submissione, bona fide, humanitate. Atheus, qui in semetipso se arctat, & non curat futurum, quod minime credit, non aliud quærit, quam præsente frui : ejus utilitas, & voluptas Dii sunt, quibus omnia sacrificare non ambiget. *Auctor Anonymus.*

Morum licentia parit licentiam fidei.

Cur homines secreto sibi concinnant systemata fidei, vel ut melius dicam impietatis, atque infidelitatis, secundum quæ vivitur ? Nisi quod hominis protervi interesset religionem esse nullam; nihilque verum esse, nisi quod illi blanditur, & placet. Non intelligimus aliquando, quomodo Ethnici ita rudes esse possent, ut Deos adorarent infames, incestos, adulteros, sed se id assecutum esse, Sanctus Augustinus testatur: ratio est, inquit ille, quia illorum intererat Deos his similes habere, eisque proderat eodem momento, quo turpi alicui parebant cupiditati, se ipsos posse tali exemplo excusare. Hæc tota est Idololatriæ, Ethnicæque religionis œconomia. Sed non est, cur adeo longinqua repetamus; & satis est, si nosmetipsos consulamus. Nam quantumvis obstinatus sit homo justo liberior, numquam diffitebitur; si vera voluerit respondere, se tunc de altera vita dubitare occæpisse, cum interfuit sua, ut omnem in hac haberent finem: Infernum illi vulgarem visum fuisse errorem, cum interfuit sua, nullum esse infernum; se numquam existimasse scelera, nugas, ineptiasque, nisi cum interfuit sua, peccatum non esse amplius peccatum; & si huc processit, ut tamquam Atheus in corde suo constitueret, Deum non esse, hoc tum tandem accidisse, cum interfuit sua Ens divinum ad nihilum redigi. *P. Bourdaloue in Dominicis.*

Universi hujus orbis adspectus Dei probat existentiam.

Deus, fateor equidem, sese oculis nostris non ostendit, sed quocumque illos circumferamus, mirabilia intuebimur, quæ nonnisi potentiæ, & sapientiæ illius effecta esse possunt. Ille Creator, & Dominus est : est intelligendi vis superior, æterna, a nullo pendens. Hoc primum est argumentum meditationum, quas gignit rerum creatarum intuitus. Fatemini increduli, has considerationes suffocandas fuisse sub pondere dubitationum, quæ adfectatæ fuerunt, & suppositionum gratis assertarum. *Quis est Dominus* ? Vos illum ignorare dicitis ? dicite potius hunc a vobis satis superque cognitum fuisse, & nisi id jussisset timor, quem illius vobis injicit justitia, vos numquam illi negaturos fuisse supremam ejusdem essentiam. *Morales Animadversiones cum notis in Epistolam S. Pauli ad Romanos.*

Probari non potest, mundum fortuito factum.

Numquid sanæ mentis habendus esset, qui asserere auderet, navim cum funibus, velisque omnique nautico instructam apparatu semet ædificasse, semet movere, semet inter Oceani fluctus regere ? Ædes magnificas non alium habuisse Architectum quam fortuitum nonnullarum atomorum concursum ? Tabulam terrestrem globum referentem cum animalibus, arboribus, & plantis, quibus ornatur, ex se factam fuisse citra quamlibet Pictoris curam ? Quin manus ulla operum suam locaverit ? quod dicere non auderetis de exemplo, quod non aliud est, quam imago levissima, quomodo dicere auderetis de autographo, ac re ipsa ? Quomodo hoc casui acceptum audetis referre ! *Non desunt, qui fortuito res omnes factas esse asserant; at quid miserius, quid insipientius*? S. Ambrosius ait, *De la Chetardie in Homiliis.*

Confutatio assertorum spirituum fortium, quo ad JESUM CHRISTUM, & redemptionem hominis.

Ad quid redigitur scandalum assertorum spirituum fortium de JESU CHRISTO, hominisque redemptione ? Sibi persuadere non possunt Deum ita sese exinanivisse, atque humiliasse; verum affirmo nihil Salvatoris officio fuisse convenientius. Quare ? Quia non erat super terram, nisi ut pro hominibus satisfaceret Deo : Sed illatæ injuriæ satisfactio secum gerit humiliationem, & dejectionem satisfacientis nonne naturalem ordinem sequitur? Illis non sapit Dei filium in religione sua adeo severa dogmata proposuisse, odium sui ipsius, abnegationem sui, austeritatem in se. At aliane erant ipsi proponenda, Sanctus Hieronymus inquit, constituens Religionem hominum; qui se peccatores, ac sontes fateri debent ? Quid enim peccato magis congruum pœnitentia? Pœnitentiæ vero quid magis conforme, quam in seipsum rigor, & austeritas ? Nonne ratio sola factum hoc probat ? Mirantur, quod JESUS CHRISTUS paupertatem, tamquam beatitudinem cele-

celebraverit; quod hominibus tamquam illicia quædam proposuerit, ut ipsum sequerentur; quod contemptus amorem omnibus sæculi honoribus prætulerit: Ego vero in his omnibus profunditatem consilii ejusdem admiror. Quid enim melius facere poterat? quandoquidem agebatur mundi salus per ejus reformationem; quam ad illum reformandum bellum inferre cupiditati, sensuum voluptati, superbiæ mundi hujus? Sed cur opus erat, ut animarum nostrarum medicus epotaret pharmaca ad morbos nostros curandos necessaria? Opus erat sane ut ejus exemplum nos impelleret ad hæc ipsa pharmaca adhibenda; alioquin sine hoc exemplo, quo suaviora fiunt, potuissemusne illorum amaritudinem ferre? Si ille sibi delitias usurpasset, nobisque cruces dumtaxat reliquisset, quid de hac divisione cogitassemus? Volens ille paupertatem, atque humilitatem commendare, quas mundus horrebat, quanam adinventione magis efficaci uti poterat, quam illas in persona sua consecrare, ut humilitas hominis, quæ per se infirma est, in Dei humilitate nanciseeretur, unde semet confirmare posset, atque contra superbiæ incursus tueri? *P. Bourdalove*.

Absurda in quæ incidunt Athei. Hoccine est rationis esse compotem, asserere nullum dari primum principium, ideoque fateri, mundum ex seipso factum, propriis viribus ex nihilo emersisse; atque in Mundum fuisse, antequam esset? Nonne hoc est sibi pugnare turpiter, nonne hoc est, ex creatura facere creatorem, & sub alio nomine, id, quod negatur admittere? Quid, Sanctus Joannes Chrysostomus inquit, hic Cœlorum concentus, hic fulgens syderum cursus, hæc concors invicem Elementorum discordia, hæc immutabilis anni temporum vicissitudo, hæc perpetua dierum noctiumque successio, admirabilis hæc arborum plantarumque varietas, hæ species, quæ numquam confunduntur, hæc magnificentia, & proportio partium magni hujus Orbis, hæc omnia adeo præstantia, & completa summe fortuiti casus effecta? Nulla potentia illa produxit, nulla sapientia ordinavit, nulla providentia regit? quid immensa hæc moles, quæ circumagitur, & lucentes globi suum obeuntes cursum cum tanta majestate, rectitudine, pernicitate, ipsa etiam ratione, ut cum Psalmista loquamur: *Qui fecit cælos in intellectu*, & qui nihilominus nullo animati sunt vitæ principio quod illi insit, nullum habebunt secretum motorem, neque motuum adeo uniformium ordinatorumque moderatorem? Nullo egebunt superiori intellectu, qui eos a confusione præservet, qui eos in ipsorum essentia sustineat contra eam proclivitatem, qua creata omnia feruntur in nihilum; qui influxu, virtute, indefessa agendi cura, veluti jugi quadam, iterataque creatione prohibet ruinam, vel magni hujus compositi solutionem. *De la Chetardie in Homiliis*.

Opus est adesse Deū mundi creatorem. Vel Mundus se ipsum fecit, vel ab alio factus fuit: sed fieri nequit, ut aliquid præsertim inanimatum seipsum faciat, seipsum creet, sibimet impertiat essentiam itaut per se ex nihilo prodeat. Nam hoc si præexisteret, esset simul, & non esset; & hoc dicere non de una tantum re singulariter, sed de innumera multitudine rerum, quæ etiam singillatim sumptæ sunt adeo perfectæ, ut plane videantur sibi invicem referri, ut partes sint, & unum tantummodo totum conficiant: quod satis validum argumentum est, ut probetur, illa effecta fuisse non quidem fortuito, at consilio præmeditato, atque in opus redacto ab intelligentia, quæ extensione, vi acumine immensa est: Dicere, inquam, hæc omnia per se facta fuisse, materiam anima carentem, concursum chimæricarum atomorum illas produxisse; nonne hoc est oppugnare purissima sensus communis lumina? Hoccinne est rationabilem esse? Denique hoc nonne est sese conjicere in labyrinthum difficultatum magis incomprehensibilium, quam sint veritates, quas tanta cum simplicitate fides proponit? Nonne hoc est velle credere quod majus est, quia credere non vis, quod minus est? *Idem*.

Absurda systematis horum assertorum spirituum fortium. Quid viderunt rara hæc ingenia, quid plus aliis viderunt? Quænam est illorum ignorantia! & quam facile esset illos confundere, si infirmi, & audaces nollent erudiri; quia cogitant se melius vidisse difficultates, eo quod illis succumbunt, & quia alii qui eas viderunt, illas contempserunt? Nihil vident, nihil intelligunt; nihil etiam habent, unde probent hoc nihilum, quod post hanc vitam sperant, & misera pars hæc illis certa non est. Nesciunt utrum inventuri sint Deum propitium, an contrarium; utrum illum vitio, & virtuti æqualem faciant: quodnam idolum? *Bossuet Meldensis Episcopus*..

Argumenti hujus continuatio. Undenam conjiciendo divinatum est, ea, quæ de prima essentia cogitantur nullo esse in discrimine, omnesque Religiones, quæ super terram videntur, æque bonas esse? Quia non desunt falsæ, num inde sequitur nullam esse veram: vel non posse amplius amicum verum dignosci, quia fallacibus septi sumus? Num omnes, qui errant, bona fide errant? Homo non potest secundum consuetudinem suam sibimetipsi imponere? sed quæ supplicia non merentur obices illi, quos præventionibus suis opposuerit luminibus defæcatioribus? Undenam auditum est, pœnam, & præmium non esse, nisi propter humana judicia, & justitiam non esse in Deo, cujus illa quæ in nobis relucet, nonnisi scintilla sit? Si talis adest justitia, suprema, ideoque inevitabilis, divina, ideoque infinita: Quis dixerit illam numquam agere secundum naturam suam, & justitiam infinitam; in finem non exerceri per supplicium, sin minus infinitum, saltem æternum? Ubi ergo sunt impii, & quam habent certitudinem contra æternam ultionem, quæ illis impendet? Deficiente meliore perfugio, tandemne in Atheismi abyssum sese conjicient, suamque requiem constituent in furore, qui nullum fere locum in mentibus invenit? Quisnam illis resolvet hæc dubia, quandoquidem illa hoc nomine gestiunt nuncupare? Ratio, quam ducem sequuntur, menti eorum conjecturas dumtaxat offert, & impedimenta. Absurda in quæ incidunt negantes religionem, magis improbabilia fiunt, quam veritates, quarum altitudo illis stuporem ciet; & quia credere nolunt Mysteria incomprehensibilia, unus post alium sequuntur errores incomprehensibiles. Quæ igitur est hæc misera illorum incredulitas, nisi error sine fine, temeritas quæ omnia adducit in discrimen, ultronea stupiditas; verbo superbia non ferenda sine medicina? *Idem*.

Opus est aliam esse vitam præter hanc. Si post mortem nihil nostri superesset: boni, & nequam omnes uno eodemque in statu essent involuti, & inveniretur etiam priores illos minus beatos esse, quam posteriores: cum enim omnes pares essent post mortem, impii saltem præ illis præstarent, eo quod in hac vita pace, & felicitate sua gavisi fuissent, boni vero nonnisi mala fuissent perpessi. Sed quisnam est Tyrannus adeo crudelis, quis homo adeo inhumanus, quis barbarus qui adeo crudeliter sæviat in eos, qui sibi serviunt, & obediunt? Satis aperte videtis quinam sit hujus erroris excessus, & quo usque nos transferat impia hæc argumentatio. *S. Chrysostomus in Commentario in S. Matthaeum*.

Fides a Guillelmo Parisiensi vocatur generositas intellectus; quia sicut generositas voluntatis efficit, ut adjiciamus cor nostrum ad res amandas, quæ amaræ sunt, & arduæ, & quibus nihil inest amore dignum, nisi quod ipsi illis tribuimus per nostri amoris exercitium: ita vis, & constantia requiritur, ut spiritus noster perveniat ad rerum sublimium fidem, quæ tantis septæ sunt difficultatibus, ut vix possint persuaderi, quia nullam habent probabilitatem nisi in dicentis testimonio. *P. Antonius a S. Martino a Porta*.

Et contra est infirmitas, ac durities intellectus nolle credere post tot SS. Martyres, & tot Episcopos, & sapientes viros.

Hi spiritus, qui fortes vocantur, haberi debent potius tamquam spiritus pertinaces & proprio sensui inhærentes. Et profecto si videritis magnum Mathematicorum cætum, qui communi consensu testarentur, Solem terra majorem esse, & contingeret, ut rusticus quidam, illorum demonstrationibus fidem non habens illis adversaretur, & quo magis illi rationibus veritatem hanc probare adniterentur, ille mordicus id credere nolle perseveraret; hæc fides habenda non esset spiritus fortitudo, sed duritia mentis, & ingenii imbecillitas. Hoc ipsum dicendum est de assertis hujusmodi spiritibus, qui Evangelicas rejiciunt veritates, licet ex ipsius veritatis ore emanaverint; licet sanguine tot Martyrum confirmatæ fuerint, ac probatæ a tot Episcopis, sapientibusque viris, qui illas sedulo ad examen vocarunt. Post hæc omnia, si hi spiritus fortes consensum suum præstare nolunt, dici jure non possunt spiritus fortes, sed duri, ignari, pertinaces vocandi sunt. *Idem.*

Frustra rejicimus, quod intelligere non valemus.

Si motus, & secreta machinamenta cordis horum spirituum plus æquo pertinacium, rite scrutari velimus, ita vel præter propter dicere, & agere consueverunt. Intelligere nequeo, quomodo pro momentaneo delicto Deus juste possit aliquem æternis flammis addicere: igitur ut mentem meam hac liberem cura, extinguere volo lumina fidei hujus importunæ? Intelligere nequeo Deum mori voluisse, & hoc aggredi potuisse: igitur nihil unquam credam? Hæc talis pertinacia potestne alteri causæ accepta referri, quam desperationi? Nonne hoc id facere, quod olim Aristoteles, (si tamen illi cum magno hoc ingenio comparandi sunt) qui cum assequi non posset Æstus Marini causam in Euripo, præ verecundia, inscitiam suam pelagi fluctibus mersit. Igitur quod ab hisce improbis hominibus fortitudo spiritus appellatur, non aliud est, quam crassa ignorantia, quæ illis fidei nostræ improbabilitatem suadet. *Idem.*

Præcipua ignorantiæ, & infirmitatis horum religionis contemptorum origo fluit ex libidine explendi cupiditates suas, ne recordatio Dei, & alterius vitæ, repræsentatio judicii, ignisque æterni ad scelerum suorum pœnas repetendas instituti, voluptates ipsorum perturbet, eisque libertatem eripiat in omnibus flagitiis sese volutandi, ita ut funesta hac recordatione perciti consilium capiant sese liberandi omnem fidem abdicantes, & excutientes importunum fidei jugum, quod illos captivat, utilius censeant hoc vinculum frangere, quod consuetæ vivendi rationi magnum negotium facessit; quia Deum credentes, debent quoque simul credere in ea Religione, in qua vivunt, quædam quæ intelligere nequeunt, & pœnas suis sceleribus debitas; & ut verbo omnia complectar, sibi vitæ rationem esse mutandam, & omnibus suis flagitiis nuntium esse mittendum? *P. Antonius de S. Martino a Porta.*

Fides, ut sit meritoria præcedere debet rationem, non sequi.

Cum naturalis ratio, vel auctoritas hominum auxilio est, atque concurrit, non quidem ad actum fidei; cum non sit ratio apta ad efficiendum, ut credamus veritatem, sed ad persuadendum illam a Deo fuisse revelatam, nihil in hoc adest, quod divinæ officiat fidei; nam longe differt credere, exempli gratia, animam esse immortalem, quia hoc docet ratio naturalis, & credere, Deum revelasse, animam esse immortalem. At ratio humana, quæ nobis auxilio est, ut credamus animam esse immortalem, destruit meritum fidei; sed cum auxilio est, ut credamus hoc a Deo dictum esse, & illum præcepisse, ut hoc credamus: hoc non solum non destruit fidem, sed illi auxiliatur, illamque auget, & perficit, eo quod hæ rationes humanæ efficiunt, ut homo firmius credat quod Deus revelavit; ideoque actus fidei, qui totus verbo Dei innititur fortior est, constantior, ideoque magis meritorius. *Idem.*

Post tot argumenta divinæ revelationis nulla superest ratio non credendi Christianis Veritatibus.

Magna illa Patrum Ecclesiæ copia qui erant antiquitatis sapientissimi, & qui Christianam fidem amplexi sunt; Admirabilis institutio, extensio, & duratio, necnon Ecclesiæ triumphi; prodigia innumera, quod Cœlum ad illius incolumitatem operatum est, simplicitas, & paupertas Apostolorum adeo valentium ad Reges convertendos, atque persuadendos Philosophos; vis invicta tot Martyrum; hæc omnia mirabilia effecta, quæ nonnisi divina virtute fieri poterant, nonne satis manifesta sunt argumenta, non quidem fidei, quæ nullum quærit, sed maximas adesse causas credendi, christianas veritates fidei nostræ propositas, a Deo ipso proficisci, & ab illo revelatas esse, ideoque nobis necessitatem injicere illis offerendi rationem nostram in obsequium, easque submisse credendi? *Testimonia tua*, Domine, *credibilia facta sunt nimis. Idem.*

Quia mysteria nostræ rationi superiora sunt, ideo illis fidem habere debemus.

Religionis nostræ mysteria, ejusdem contemptores inquiunt, cum ratione conciliari non possunt: ergo illa credere nequeo. At nonne hoc est idem, ac propriam spiritus imbecillitatem fateri? Quia si ratione probari non possunt; ita etiam ratione everti non possunt; & quidquid in oppositum afferri potest, numquam falsi crimine insimulare potest veritatem, quam illa nobis proponunt: ita ut si in hac vita minime possumus frui lumine, & clara, & perspicua cognitione mysteriorum, ut quid illa in se met sint intelligamus, saltem nulla naturalis ratio est, quæ sublimes hasce veritates mendacii valeant redarguere, vel contradictionis. Eas autem dicere super rationem ipsam elatas, atque inexpugnabiles, invictasque rationi; hoc est illas statuere, quales sunt, easque incomprehensibiles prædicare; ideoque credendæ sunt, & in hoc sita est vera fortitudo Spiritus Christianorum, sese fidei virtute supra rationem attollere usque ad primam virtutem, quæ nobis proponit veritates ad credendum, licet naturali lumine nequeant comprehendi. *P. Antonius de S. Martino a Porta.*

Si ipsi vicissim aliorum testimoniis e fidem habemus, eo magis fides habenda est testimoniis Dei ipsius.

Fortes hi spiritus, qui nihil credere volunt, quod minime videant, nonne coguntur pro certis atque extra omnem dubitationis aleam positis res mere naturales, de quarum veritate non aliam habent, nisi humanæ fidei sponsionem? Cur ipsi denegant eamdem veritatem Deo in rebus supernaturalibus? Sed dicite, quæso increduli spiritus, quid fieret de commercio, ac civili societatis consuetudine, nisi in eam per fidei januam ingredimur? Si fidem negatis probitati Taciti, vel T. Livii, aliorumve Historicorum in iis, quæ de præteritis sæculis memoriæ mandarunt, quid fiet de Historia? Bona fide, quæso, aliamne habetis certitudinem, illum, quem parentem vestrum esse putatis, re ipsa talem esse, nisi fidem prorsus humanam? Quænam esse potest inter amicos necessitudo, si desit fides? Denique omnino dissolvendum, infringendumque est hoc statuum vinculum, & homines in deserta rursum ejiciendi sunt, ut cum feris habitent, quin ullam invicem ineant societatem; vel necessario admittenda est fides civilis, quæ sit vinculum commune in negotiis, & homines ultro, citraque in societatem conjungat. Sin autem fidem civilem, humanamque admittamus; quamnam ob causam rejiciemus fidem divinam, fidem supernaturalem; quæ homines primæ illius fidei virtute conjuncti, eosdem mox cum primo ipsorum principio concilient, qui Deus est, primus Auctor, & Motor omnium humanarum societatum? *Idem.*

Genuina descriptio religionē contemnētis.

1. Timoth. 6.

Spiritus Religionis contemptor, qui credere non vult, nisi quod sibi placet, & qui in omnibus mysteriis vitiligare non cessat, a S. Paulo dicitur, *Spiritus languens circa quæstiones*. Cur hoc præceptum fuit? Cur hoc interdictum? Cur hoc jejunii mandatum? Cur Quadragesimalis a carnalibus abstinentia imperata? Cur tot præcepta, quæ nostras imminuunt voluptates, vitæ nostræ crucem figunt, nostramque mancipant libertatem? & sexcentæ id genus quæstiones, quæ non aliud evincunt, nisi quod ostendunt animum Dei Verbo rebellem, & Ecclesiæ mandatis reluctantem? *Idem.*

Fidei mysteria licet velo tecta

Si de Spirituum vi ut de illa corporum ratiocinandum est, quemadmodum ista consistit in gravibus

evidentiora sunt omnibus Philosophicis Argumentis.

bus fascinis ferendis, quin cedant humeris, ita illa in hoc posita esse debet, ut omnibus resistat difficultatibus, quæ occurrunt in Religione Christiana. Tres autem, inter cæteras, difficultates menti occurrere possunt in veritatibus, & mysteriis ejusdem excutiendis. 1. Objectorum sublimitas. 2. Eorum obscuritas. 3. Adhæsio illa, qua sensibus nostris inhæremus. Obices hos superare non posse, & in solis Philosophiæ naturalis, soliusque rationis humanæ principiis subsistere, hoc est esse infirmum; de his omnibus obicibus, & difficultatibus triumphare, & licet sensus, & ratio dissuadeant, attollere mentem nostram ad ea credenda, quæ nobis proponit; hæc Christianarum veritatum penetratio, vis est, & vera spiritus fortitudo. Quod enim spectat ad objectorum sublimitatem, nos Christi fideles, S. Paulus ait, volatum nostrum, nostramque elevationem desumimus ultra rationes humanæ Philosophiæ, quas in Fidei materia pro fabulis, nugisque accipimus, & Domini spiritu confirmati, ac elati detecta facie, ablatoque omni integumento, necnon prope, quantum volumus, Domini gloriam contemplamur. Quoad obscuritatem, verum est fidem esse in nube, sed non minorem habet certitudinem, quam visio Beatorum. Non illustrat illa quidem difficultates, quas proponit, esto: verum in hoc ipso hoc habet boni, ut per umbras penetret, nobisque majorem adstruat certitudinem ea, quam ipsa secum adsert evidentia. Quoad illam adhæsionem, qua a sensibus, & a ratione pendemus; fides spiritui præbet vim illam superandi, & persuadet illi, nec vivendum, neque sciendum esse, ut cœlestes veritates intelligamus. *Idem.*

Satis deplorari nequeunt mala, quæ in Ecclesia hæreses pariunt.

Hæresis non diruit solum tecta, atque parietes magni ædificii Ecclesiæ, sed ipsa etiam subruit fundamenta. S. Antonius aliquando per revelationem cognovit illam, quam Arius meditabatur, & quæ brevi erat eruptura; qua re ultra quam fingi potest dolore affectus fuit. S. Athanasius ita narrat hanc revelationem Sancto illi Eremitæ factam. Cum Sanctus Abbas una cum fratribus suis in orbem circum ipsum sedentibus manuum labori vacaret, repente oculos in Cœlum sustulit, & grave ab imo pectore suspirium emisit; cumque Deus paulo post illi incœpisset ostendere ea, quæ erant eventura; tanto mœrore correptus fuit, ut totis artubus contremuerit. Illico in genua procubuit, & coram Deo prostratus cum fluentibus lacrymis obtestatus est, ut per infinitam misericordiam suam tantum nefas jamjam patrandum averteret. Fratribus autem illum interrogantibus quidnam videret, verba singultibus interrumpens respondit: Imminet Ecclesiæ teterrima vastitas, quæ umquam extiterit. Quidquid sanctissimum est in Christianismo per belluinos, impiosque homines esse evertendum. Visionem probavit eventus; etenim post biennium Arianismus exarsit. Hoc refert S. Athanasius. Sed dicere possumus, nostris hisce diebus recentes Sectarios conflasse Ecclesiæ non minus funestam persecutionem iis omnibus, quæ præteritis sæculis sæviere; & utinam Isaias, vel Antonius nobis suggerere possent lacrymas ad tantum hoc malum plorandum! *Cardinalis Bellarminus de gemitu columbæ.*

Homo carnalis fidē negat iis, quæ sensibus subjecta non sunt.

Inter Religionis contemptores, qui se in illius doctrina jactant excellere, nonnulli ne profitentur quidem scientiam, & eruditionem. Putant se belle ratiocinari, cum argumenta sua cum suis conciliant cupiditatibus. Arrogans corporis habitus, fidens oris adspectus, verba festiva supplent studiis, quibus caruere. Sunt, qui legere gestiunt, præsertim vero eorum Auctorum opera, qui celebrantur, quasi systema aliquod novum invexerint majori industria, communes sententias majori cum verisimilitudine impugnaverint, impiosque errores suos faceto, satyricoque sale adspersos in lucem emiserint. Liber nefarius qui per semotas vias in eorum manus inciderit, præcipuum erit Musæi ipsorum ornamentum. Utrique satagunt se adsectatis munire præjudiciis contra hanc infirmitatem, quæ adeo facile credit res adeo incredibiles. Quænam hæc religio est, inquiunt, quæ in hoc sita est, ut dicatur *Credo*? Carnales animæ, S. Augustinus ait, non alios habent fidei suæ canones, quam sensus suos. *In homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi. Quod solent videre, credunt, quod non solent, non credunt. P. la Pesse. Tomo 2.*

Ejusdem argumenti.

Si adsueris in horum spirituum ad imprudentissimam infidelitatem prostitutorum cætu, illos audies sermonis sui initium facientes a ridiculo quodam adagio, quod in imaginatione tua ludicrum imprimet veritatis phantasma, eamque ad mentem tuam trahendam disponet. Hæc præfatio aditum aperiet veneno, quod mox effusuri sunt. Si se illius occasio obtulerit, efficiendi, ut aliquem in institutionibus alioquin sanctissimis, atque christianis animadvertas abusum, incertitudinem in modo, quo divinæ ultionis effectus explicantur, oppositionem in variis Catholicorum Doctorum interpretationibus; diversitatem in articulis disciplinæ jampridem in diversis Ecclesiis constitutis; obscuritatem in iis punctis etiam quæ in Christiana Religione maxime essentialia sunt; ecce liberum campum, per quem cæcam cupiditatem suam late spatiari permittant. Contemptibiles noctuæ! num vestrum est de Solis pulchritudine ferre judicium? Lectores nequam libri nequioris, vestrum est de terribilibus fidei mysteriis ferre sententiam? Audite. Religionis veritates ideo mysteria sunt, quia ratio nostra illas comprehendere nequit. Qui illas non credit, non potest illas detegere. Ex quo supernaturalia lumina in judiciis nostris deserimus, judicamus dumtaxat secundum sensuum testimonium, secundum imaginationis libidinem, secundum nostram cupiditatem. Sensus, imaginatio, cupiditas assequi ne ea possunt, quæ suapte natura illorum captum excedunt? Veritas, quæ testem habet totam urbem, integramque Provinciam, sexcentis ex locis inspicitur; omnes multifariam illam interpretantur pro varietate ingeniorum: quomodo vero enucleandæ sunt veritates, quæ nullam habent cum oculis, auribusque nostris rationes? Fides sola, S. Augustinus ait, submissione sua honorare potest mysteria, quæ humana ratio cogitationibus suis assequi minime potest. *Quæ captum humanæ mentis excedunt, ex fide honoranda sunt.* Submissio a fidelis charactere separari non potest. Non potuisset Deus decenter sua exponere secreta infirmitati, & errori spirituum nostrorum. Illi humilianda, & confundenda erat omnis nostra naturalis sapientia, ut ipsi submissionem nostram sentiremus, & per fidei jugum, legis jugo subjiceremur. *Idem. Tomo 2.*

Lib. 1. contra Julianum.

Mundanorum non est dogmata tradere.

Religionis contemptores, qui hodierna die impiis doctrinis suis Christianismum deformant, invectivis suis longius processissent. Homines, quorum festiva est consuetudo, qui in mundi luce refulgent, qui postquam legerunt aliquos suorum Poetarum versus, aliquot lineas Auctoris omni Religione carentis in Mulierum nobilium cætu versantur; id genus homines data opera facti videntur ad Divinitatis tenebras dissipandas. Licet fidei Mysteria minus essent nostris ratiocinationibus invia, vestrum sane non esset, de illis judicare. Quo enim ore gloriari potestis studuisse, scrutatos esse, penetrasse principia, atque secreta Religionis? Deus ipse ad sui cognitionem vocavit, fortasse dicetis: Verum ulteriusne ingressi estis in abyssum sapientiæ, providentiæ, potentiæ, justitiæ, misericordiæ, omniumque infinitarum perfectionum illius? Sed, quandoquidem unum creditis Deum, scitis ne, quid sibi velit illum in veritate adorare, illum fidenter vereri, illi sine præsumptione famulari, illum sine illusione diligere? Quandoquidem unam creditis Religionem, scitis ne quid sibi velit illam profiteri, dogmata illius revereri, præcepta in honore habere, & muneribus ejusdem persungi? *P. la Pesse Tomo 2.*

Si rerum naturaliū rationem reddere

Merito his fidei contemptoribus, qui sibi vindicant judicium de Religionis veritatibus ferre secundum libidinem suam, exprobramus sanctarum, superna-

non possumus; quanto minus divinam?

pernaturaliumque rerum ignorantiam. Numquid respondere possent, si interrogarentur, quid sit ipsorum cogitatio, anima, corpus? Quid si ab illis quæreremus quid sit arboris folium, coliculus graminis, effectus aliquis vulgatissimus naturæ in formatione plantarum, in splendore luminis, in aeris agitatione, in corporis motu, in elementorum mixtura? Hoc quærere nimis est, sed minutissima fidei veritas, si ita loqui fas est, magis quam hæc omnia, humano spiritui est impenetrabilis. Dicant saltem ex quibus rebus constet arenæ granum. Miseri insipientes. Miseri decepti! quid nostis? quid creditis? Nostisne, quæ creditis? Creditisne, quæ nostis? Vosne has quidem quæstiunculas intelligitis. Nam cum quo locutus sum? cum homine, cujus potissimum negotium est inordinatis cupiditatibus suis satisfacere, cum mundana muliere, cujus omnes affectus ob ornatum aliquem irritantur, cujus omnes animi ægritudines pro ethnica, & fortasse etiam infami voluptate inflammantur. Ecce illos Theologos, qui jure nos provocant ad indignationem; qui vel in ardore spectaculi, quod depereunt, vel egressi de intimo conclavi, quod impietatis, & impudicitiæ secretum est contubernium, dicent vobis nil tale opinantibus, nimis credulum esse qui putet, Deum nobis horribiles pœnas pro nostris impietatibus præparare. Id genus sunt placita, quibus ingenii sui impressiones, sæculi scelus, Auctoris fide, lege, & Deo fortasse carentis, impudentia illos imbuerunt. *Idem ibidem.*

Spiritus humiles, docilesque apti sunt ad intelligenda mysteria Christianæ Religionis.

Quomodo credere possum, aliquis inquiet, mysteria Religionis adeo a sensibus remota, adeo humanæ rationi suspecta, adeo supra mentium nostrarum captum posita? Quomodo fidem adjicere tot rebus, quæ secum pugnare videntur, quæ sublimissimis etiam mentibus sunt incomprehensibiles? Quomodo? Fatendo infinitam longinquitatem quæ inter Mysteria, & argumentationes nostras intercedit; humiliando humanæ Sapientiæ superbiam sub jugo Christianæ docilitatis, imitando sanctos, atque sapientes homines, tot etiam Heroas, si sibi gloriæ verterunt repuerascere; ut digni fierent discipuli. Sed iterum quomodo credere possum res adeo impenetrabiles? abjiciendo omnia sæculi præjudicia; Deum flagitando, ne nos tradat nostro sensui. Heu! si quis ex vobis est, qui sibi honori vertat de communibus ambigere veritatibus, illos obsecro, obtestorque, ut suam fateantur inscitiam. Tunc gratiæ subsidio fient Sapientes, ex quo semet submittere voluerint; quoniam circumundique luminibus septi sunt; sed donec in suis conceptibus confident; languebunt in tenebris; gratia enim agere nequit nisi in animos dociles, & ad illam recipiendam paratos, non autem in spiritus superbos, qui illam rejicere consueverunt. *Pater la Pesse Tomo secundo.*

Incredulorum pœnitentia, quã inutilis erit in inferno.

Quid respondebunt extremo Judicii die omnes isti peccatores insignes, Superbi isti Mundi cultores, & impotentes religionis contemptores, qui sua scelera ostentabant. Quid illis profuit effrænis licentia, quam sibi vindicabat disputandi, irridendi, omnia mysteria nostra contemnendi? Triumphans eorum protervia, superbus sanctissimarum legum contemptus, hæc criminum suorum ostentatio cum illis in inferno consepulta est. Quanam audacia in jocum traducebant gravissimas Omnipotentis Dei minas? Qua impietate maxime terribiles Religionis veritates irridebant? Hi humanæ impietatis ardores prope mortem deferbuerunt. Violenti accessus nefariæ licentiæ in tumulo extincti sunt. Ignes inferni rationem revocarunt, reduxerunt bonum sensum, fecerunt, ut ita dicam, ut revivisceret fides antea quodammodo sceleribus insepulta; atque hinc exclamarunt: *Quid nobis proficit superbia?* Quem percepimus fructum ex superba impietate, propter quam contemnebamus exempla, & salutaria monita, quæ nobis præbebantur? Quam hodie sumimus utilitatem ex funestis voluptatibus, ex infensis oblectationibus? Voluptas abiit, Pudor, & sterilis pœnitentia non præteribunt. *P. Croiset in Asceticis exercitationibus. Tomo quinto.*

Infideles Christiani nihil inausum relinquunt, ut fidem & in se, & in aliis obscurent.

Fides irreprehensibilis testis est, qui indesinenter contra Christianum nequam testificatur. Religionem suis moribus accommodant, cum Religioni mores suos accommodare detrectant. Nimis magno staret pretio scelerum morsus ferre coram, ut ita dicam, terribilibus Evangelii veritatibus. Rebellis conscientia quærit quomodo suam sublevet pœnam, suffocans, vel extinguens lumina, quibus illustratur. Christiani infidelium more loquuntur in quibusdam articulis fidei: sese subdolis involvunt dubiis, ea etiam in ludibrium vertunt: qua in re non alia ipsis mens est, quam amittendi peccati erubescentiam, amisso male credendi pudore. Oblata solemnitatis alicujus occasione, disputationis, miraculi, piæ alicujus actionis eos auditis, clamantes hodierna die maximum agitur negotium remotissimas opiniones conciliandi: Mundus alter regio est nobis ignota: ubique comœdiis opus est, ad otiosos homines fallendos: non modicum deducendum esset, si ad probationes esset deveniendum. Hæc illi libero, festivo, fidentique oris habitu jactant, ut obstupefaciant parum cordatos impiis sermonibus suis, semetipsos obstupefacientes in sceleribus suis. *P. la Pesse Tomo 2.*

Quàm terribilis erit mors Christianorum, qui nihil credere voluerunt in vita.

Quàm tranquillitatem infideles Christiani gustare possunt in vita? Et quinam eorum terror erit in morte? Fortasse tantum illis rationis superest, quantum satis est, ut suam vitam condemnent, ut videant, se fidem impugnasse duntaxat, ut vitiis suis gratificarentur. In hoc terribili rerum statu, nonne indesinenter tumultu debent agitari? *Quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?* *Epist. 1. Petri.* Quam horribile spectaculum est intueri id genus fideles animam efflantes! Ex hac abeunt vita, quin rationabilem sibi proposuerint imaginem vitæ, quæ illos manet, Subeunt terribile illud judicium, quod familiare illis fuit irrisionum argumentum. Expectare nequeunt, nisi eadem supplicia, quæ contempserunt, & quorum fidem jugulare conati sunt. *Væ quibus hæc prius experienda sunt, quam credenda! Væ qui hæc lugenda imposterum, vivenda nunc deputant.* *Eusob. Emiss. Homil. de Jud.* Oculi eorum, qui humanis rebus clauduntur, aperiuntur fidei, ut illos in desperationem conjiciant aperientes illis terrores hujus æternitatis, quam in jocum verterunt. Qui finis! O mors horribilis! *Idem ibidem.*

AVA-

AVARITIA.

Divitiarum amor, Usura &c.

MONITUM.



Icet plurimum intersit necessitudinis inter Avaritiam, & divitiarum abusum, qui, ut plurimum, usuvenit, itaut duo hæc argumenta simul conjungenda videantur, satis tamen inter utrumque discriminis invenio, ut eadem seorsim pertractentur: Dives enim esse potes, quin sis avarus; & avarus, quin dives; solo videlicet inordinato opum acquirendarum desiderio, vel nimia dilectione, qua exiguum illud boni, quod possides, prosequi potes. In hoc præsertim sensu Avaritiam accipimus, pro inordinato nempe divitiarum amore, & earumdem imminuendarum metu, atque pro aviditate illa, qua injustis opum acquirendarum, vel augendarum rationibus adhæremus: & quemadmodum inter has infestissimum, teterrimumque scelus est usura; & amor ille, quo eamdem prosequimur, criminosissima est avaritiæ species, eamdem sub hoc genere comprehendi posse arbitratus sum, quod tamen minime obstat, quominus de eadem seorsim concio possit institui, ad quam replendam, exornandamque uberem hoc in loco rerum copiam invenies.

De divitiis, & bono, vel malo earumdem usu (quamvis de illis Sermonem instituere vix possit Concionator, ac ne vix quidem, quin contra immodicum earum amorem, & nimiam earumdem augendarum curam, atque sollicitudinem invehatur) alio in titulo verba faciam. In hoc posita erit ars Concionatoris, si avaritiam præcipuum statuerit sui Sermonis argumentum, ut opes tamquam avaritiæ objectum, atque materiam consideret: è contra vero si in concione directe circa divitias versatur, de avaritia Sermonem non habeat, nisi quatenus vitium est quod illas plerumque subsequitur, vel quatenus ratio est earumdem aggerendarum, ut habeat, unde alat luxum, aliosque nequissimos usus easdem possidentibus satis communes.

Hoc nos ipsi observabimus pro utroque argumento seorsim materiam afferentes, quod non obstabit quominus, qui eorum alterutrum pertractaturus est, utrumque consulere possit; fieri namque potest, ut in concionis textura, vel partitione duo hæc argumenta vel confundantur, vel ita permisceantur, ut quod alterius proprium est, ad alterum probandum inserviat. Sed quodcumque sibi proposuerit Orator, non deerit, unde vota illius expleantur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum de Avaritia Systemata.

I. 

Varitia, vel amor divitiarum licet jure quæsitarum gravis semper est injustitia. 1. erga Deum. 2. erga proximum. 3. erga seipsum, quæ concionis partitio esse potest.

Punctum primum. Avarus injustus est erga Deum, a quo ea, quæcumque possidet, bona recipit: 1. quia qui hoc affectu occupatus, atque agitatus est, ne minimam quidem eorumdem bonorum partem in benefactoris sui cultum impendit, neque ullam suæ gratitudinis notam eidem præbet: 2. quia pecuniam conflatam sibi in idolum convertit, eamque tamquam Deum suum respicit, in eadem omnem spem constituens, eidem ea omnia, quæ debentur Deo exhibens officia, illam sibi suum finem constituens, & illi curas omnes devovens: 3. quod acquirendi, tuendi, augendique bona sua curam ipsis etiam religionis officiis, & divino cultui anteponit.

Punctum alterum. Avarus injustus est erga proximum: seu primo illum violentis rationibus bonis exuens, vel colore justitiæ fœnoribus, litibusque ad paupertatem redigens; seu 2. illum in egestatibus, opibus suis recreare detrectans propter animi duritiam, quæ alienis non afficitur calamitatibus, & qui avaritiæ effectus est maxime familiaris.

Punctum tertium. Avarus erga seipsum injustus est: 1. sibi negans, vel sæpe rescindens sordida parcitate ea, quæ sunt maxime necessaria: 2. sese plurimis objiciens laboribus, atque periculis, ac nullam requiem inveniens, ut suæ faciat satis cupiditati. 3. præsertim animæ suæ salutem contemnens, quæ longe injustitias omnes antecedit.

Aliter quoque hoc argumentum efferri potest: 1. Avarum ingratum esse coram Deo, cujus beneficia non novit. 2. Injustum erga proximum, quem, ut ipse ditescat, illicitis rationibus bonis exuit, vel cui ferre opem recusat. 3. Crudelem erga seipsum, cui vitæ hujus magis honesta commoda denegat, quem curis, ac inanibus sollicitudinibus torquet, & quem æternæ tandem adjicit infellicitati.

Avarus avaritiæ suæ tamquam numini omnia sacrificat. 1. illi suam requiem sacrificat tot exercitus curis, sollicitudinibus, atque laboribus ad opes cogerendas, servandas, augendasque, quæ eidem sexcentas pariunt difficultates ac omnes vitæ hujus labores. II.

2. Illi suum honorem, atque existimationem sacrificat. Hæc enim turpis avaritiæ nota depravat, atque corrumpit quæcumque bona in aliquo inveniri possunt, eumque omnibus infensum, invisum, & contemptibilem efficit.

3. Illi suam conscientiam, animam, æternamque salutem sacrificat, eorum scelerum multitudine, in quæ ab avaritia pertrahitur.

Mala, quæ parit avaritia in iis, qui eidem sunt obnoxii. 1. Cæcitas, quam eorum menti offundit; nihil enim apud ipsos ultra discriminis est inter fas, & nefas, cum res agitur sua, cum vel jactura aliqua subeunda est, vel insigne aliquod lucrum comparandum. III.

2. Corruptio, qua replet cor illorum. Nihil amant, quærunt, in pretio habent, nisi pecuniam, ad quam acquirendam præsto sunt, ut scelus omne aggrediantur.

3. Insensibilitas erga ea omnia, quæ ad Deum, & salutem pertinent propter amorem, quo peritura hujus mundi bona depereunt.

Duæ considerationes palam ostendunt nihil in terris detestabilius esse Avaro, nihilque nequius amore divitiarum, ut loquitur Scriptura. IV.

Primo. Avaritia avarum efficit mortalium omnium infelicissimum in hac vita propter perennes illas sollicitudines, quibus utitur, atque vexatur.

2. Eum-

2. Eumdem longe efficit infeliciorem in morte, & post mortem propter ultionem Dei, quam evitare non poterit. *Desumptum ex Dictionario morali.*

V. Tria debent efficere avaritiam mortalibus omnibus infestam, atque illis gravissimum horrorem immittere, ea videlicet, quæ ipsa efficit, ut amittant, faciant, patiantur.

1. Efficit, ut animi requiem, cordis pacem, Dei hominumque amicitiam amittant.

2. Eos ad sexcentas iniquitates patrandas impellit. In causa est, ut famulorum detrat stipendia; artificibus mercedem, vel differat, vel auferat, & iis sumptibus parcat, qui ad filios erudiendos, instituendosque maxime sunt necessarii &c.

3. Efficit, ut sexcentas injurias patiantur, plurimis curis exerceantur, & gravissimis, atque non ferendis laboribus torqueantur. *Ibidem.*

VI. Avaritia contumeliosa est Deo, perniciosa humanæ societati, ac funesta illi, qui affectum hunc sibi patitur dominari.

1. Deo contumeliosa est; quandoquidem Apostolo ipsi visa est Idololatriæ species, quæ Deo cultum eripit, & avarum Providentiæ contemptorem, & beneficiis Creatoris sui ingratum constituit.

2. Reipublicæ, vel civili societati maxime est perniciosa propter fœnora, extorsiones, & oppressiones, quæ ad pecuniam congerendam quam sæpissime eveniunt.

3. Longe magis funesta est avaro, quem in sexcenta scelera impellit, quorum ipsa radix est, & mox certissimæ adjudicat damnationi.

VII. 1. Avarus homo est sine conscientia committens, vel paratus ad quæcumque scelera committenda, ut locuples fiat, namque ut Apostolus ait: *Radix omnium malorum est cupiditas.*

2. Avarus est sine religione, non aliud numen agnoscens quam aurum, cui reliqua omnia sacrificat: *quod est idolorum servitus.* Ita Sermone uno hæc duo complecti possumus, quæ Apostolus docet de Avaritia; ubi in altera parte præsertim ostendendendum est, avarum minime tangi iis omnibus, quæ ad æternam salutem conducunt.

VIII. Avaritia scelerum omnium sævissimum est, & inhumanissimum; vel quod avarum efficit.

1. Crudelissimum erga proximum, tum quod illius egestatibus non afficitur, tum quod in illum vim, extorsiones, ac fœnora exercere consuevit.

2. Crudelissimum erga se, sive quod magis necessaria hujus vitæ solatia sibi renuit, seu quod se ipsum curis, solicitudinibus & angoribus conficit, seu quod seipsum æternæ subjicit infelicitati, ut suam expleat avaritiam.

IX. Tria huic inhærent vitio mala, quæ illud & Deo, & hominibus infensissimum reddunt.

1. Dedecus, & infamia, quæ efficit, ut nemo se hujus sceleris reum fateatur, neque pati possit, ut vel ab aliis hoc nomine redarguatur, vel de se apud alios hujusmodi suspicio oboriatur; quod liquido ostendit, vitium hoc turpissimum esse, atque honesto viro indignissimum.

2. Impietas, & irreligio eousque ut Apostolus avaritiam Idolorum servitutem appellet. Plurimæ hujus rei afferuntur rationes; sed ea potissima est, quod omnia religionis negligantur officia, ut quis congerendis, augendisque divitiis vacet, reliquis omnibus prætermissis.

3. Crudelitas erga egenos, qui opprimuntur, & erga se.

X. Tria malorum genera, quæ omnes in hac vita maxime timent, & quæ summo conatu evitare contendunt, hæc sibi conflat avarus inordinato hoc affectu, quo possidetur.

Primum est dedecus, & infamia, non enim aliquis pejus audit, quam cum avaritiæ nota laborat.

Alterum servitus est. Qui in vinculis detinetur, quid intentatum relinquit, ut compedes infringat, & libertatem acquirat? Quænam vero servitus crudelior, ac turpior est, quam avaritiæ? sed qui divitiarum amore tenentur, haud ægre eam ferunt, ac libenti animo se illi subjiciunt.

3. Dolor est, inquietudo, labor, quæ vitam ipsam gravem præstant. Attamen nemo est qui æque duris, gravibusque laboribus torqueatur, eosque animo æquiori ferat, quam avarus.

Nullum peccatum est, quod animam in æternæ damnationis apertius discrimen adducat, quam avaritia: idque triplici ex causa. XI.

1. Quia ex omnibus affectibus non alius magis augetur, ac temporis diuturnitate majores vires acquirit.

2. Quia non alius affectus est, qui crescendo, & convalescendo magis insatiabilis fiat.

3. Quia non alius minus sese parem exhibet medicinæ, quæ salutem afferre posset; ideoque nullus est, qui hominis Christiani saluti, & conversioni majus afferat impedimentum. *Joly Propositione pro 16. post Pent. Dom.*

Primo ostendi potest, avaritiam, atque bonorum terræ hujus amorem maximum esse ad æternam salutem obstaculum. XII.

2. In paucissimis fidelibus amorem hunc non inveniri, quod docet experientia, in omnibus fere statibus, atque vitæ hujus conditionibus. *Hoc generale est argumentum ejusdem propositionis Joly.*

Avaritia fons est malorum omnium pro hac vita: quæ prima potest esse concionis pars.

Avaritia fons est malorum omnium pro vita altera, quæ concionis erit pars altera. *Hæc est partitio Sancti Chrysostomi adhortatione 63. in Matthæum Tomo 3.* XIII.

De usura, quæ nequissima species est Avaritiæ. Refelli eæ possunt causæ, quas usura prætexere consuevit. XIV.

1. Nullam inferri proximo injuriam, quia invitus non cogitur ea, quæ non vult.

2. Eidem immo gratificari, quia ex præsenti miseria, atque egestate, in cujus squallore versatur, educitur.

3. Eousque procedunt, ut afferant; se ex mera Christiana charitate hoc præstare.

In idem argumentum: primo generatim ostendi potest usuram nequissimam esse, infestissimamque injustitiam. XV.

2. Illius crudelitas præsertim in lucem afferri potest eo quod proximum opprimat, atque bonis exuat, tunc cum se eidem opem afferre glorietur: quæ species irrisionis dupli magis oppressionis indignitatem adauget, & malum ipsum non ferendum efficit. *Desumptum ex moralibus sermonibus.*

Quandoquidem sapiens affirmat nihil iniquius esse, quam opes diligere, quia inordinatus hic amor, in omnem injustitiam impellit: in Avaritia, hoc est in hoc divitiorum amore inordinato tria possumus præsertim mala deprehendere. XVI.

Prima est injustitia Fulgoris, quæ palam in magnis sæculi negotiis apparet, Concussiones videlicet, violentiæ, oppressiones.

2. Injustitia Prætextus, quæ palam quidem malum facit, sed non sine quadam rectæ conscientiæ simulatione.

3. Injustitia inventionis, quæ clanculum exercetur dolosis ambagibus, quibus homines plerique abutuntur, ut fiant locupletes.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, atque Auctores, unde hauriri copia queat ad has concionum ideas elaborandas.

SAnctus Ambrosius lib. 2. de Officiis loquitur de Avaritiæ peccato, & malis, quæ parit in mundo. Sancti Patres.

Idem *lib. de Nabuth.* c. 7. hæc S. Lucæ verba expli-

explicans: *Anima habes multa bona*, & capitibus 12., & 15. de hac opum quærendarum cupiditate fusius verba facit.

Idem in Epistolam ad Ephesios c. 5. ubi hæc verba interpretatur: *Avarus, quod est idolorum servitus*. Item in Epistolam ad Colossenses, & in primam ad Timotheum.

Idem lib. 1. *de Abel, & Cain*, Avaritiæ egregiam affert hypotiposim.

Idem vel potius Ructor Sermonum, qui ejusdem nomine circumferuntur, *Serm. 59. de Avaritia, & de Anania*, ostendit, quam cæcus sit hic affectus, & nihilominus quam perspicax, ut omnes locupletandi rationes inveniat; ubi de fœnore fusius verba facit,

S. Hieronymus lib. 1. in Proph. Habacuc cap. 2. Tomo 1. in ea verba. *Ve ei, qui multiplicat non sua; usqueque, & aggravat contra se densum lutum?* acriter contra avaritiam invehitur. Idem in caput 30. Proverbiorum, & in illa Sapientis verba: *Sanguisuga duæ sunt filia dicentes: affer affer:* hæc de luxuria, & avaritia interpretatur. S. Gregor. Magnus lib. 8. Moralium cap. 32. in ea verba Job. cap. 8. *Tabernaculum impiorum non subsistet*; ostendit, avaros tabernaculum suum in terris statuere; Illud vero tutum non esse. Idem Moralium lib. 15. cap. 14. hæc Job ejusdem verba cap. 20. *Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æream*, de variis rationibus loquitur, quibus ad opes cumulandas utitur avaritia. Idem in libro eodem cap. 34. fusius de Avaritiæ malis habet Sermonem.

Idem lib. 18. cap. 12. in hæc verba cap. 27. *dives cum dormierit nihil secum auferet. Cum dormierit, aperiet oculos & nihil inveniet*. Avarum morti proximum confert homini, qui in somnis se locupletem esse somniatus est, & qui cum evigilaverit, nihil se possidere nanciscitur.

Idem lib. 27. cap. 7. Egregium adfert moralem sensum in illum Scripturæ locum ubi filii Ruben, & Gad iis contenti bonis, quæ citra Jordanem possidebant, ingredi noluerunt Terram Promissam trans flumen illud positam.

S. *Augustinus lib. de salutaribus documentis* pluribus Scripturarum exemplis ostendit, Avaro venalem esse animam; eamque ab ipso pro divitiis venundari.

Idem *lib. 4. de civitate Dei cap. 25.* rationem adfert, cur Apostolus avaritiam Servitutem Idolorum appellet.

Idem Sermone 25. *de Verbis Domini*, avaritiam inexplebilem esse demonstrat.

Idem Sermone 22. *de verbis Apost.* mentis corporisque pœnas, quas avaritia parit, exaggerat.

Idem in illa *Psalmi 51. verba, Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum*, de avari salute actum probat.

Idem Sermone 50. *de Sanctis*, ad avaritiam ea transfert, quæ S. Paulus dicit de Charitate. *Quis nos separabit a studio conquirendi divitias, & ab illarum amore? an persecutio, an gladius &c.* Quem sensum fusius, & eloquentius amplificat.

Idem, vel auctor Sermonis 48. ad *Fratres in Eremo*, ea omnia enumerat scelera, ad quæ impellit avaritia.

Idem in Psalm. 128. Avaritiam Dei inimicam esse demonstrat.

Idem Sermone 43. *de diversis*, Luxuriæ servitutem comparat cum Avaritia, ubi refert curas avarorum sæpe inutiles, atque ostendit senes præ aliis esse huic vitio magis obnoxios.

Idem lib. 50. Homil. Hom. 48. ostendit Avarorum spem inanem esse, atque dolosam.

Idem Sermone 25. de *verbis Domini* ostendit, Avaritiam esse vitium cui bruta obnoxia non sunt, & quod hominem afficit summo dedecore.

Idem lib. de *disciplina Christi* fusius loquitur de Avarorum cæcitate.

Idem, vel potius incertus auctor libri *de conflictu vitiorum & virtutum* ostendit avaritiam esse inexsaturabilem.

Idem lib. 50. Hom. Homil. 30. explicat, & rationem affert, propter quam Salvator opes thesaurum iniquitatis appellat. *Mammona iniquitatis*.

Sanctus Cyprianus Tractatu contra Demetrianum ostendit, Avaros impudentiores esse furibus, tenebras & remota quærentibus loca ut suffurentur. De hac re loquitur etiam in Epistola ad Donatum.

S. Chrysologus Serm. 162. Effectus avaritiæ ad vivum describit,

S. Bernardus Sermone primo de Adventu comparat avaros illis, qui in naufragio submerguntur: hi enim amplectuntur, & constanter tenent, quidquid obvium sibi fit.

Idem Serm. 80. in Cantica avarum describit tanquam vilem animam, & more pecudum terræ inclinatam.

Idem Serm. 3. in Psalmum. *Qui habitat in adjutorio Altissimi*, illa Psalmistæ avaritiæ applicat verba, *liberavit me de laqueo venantium, & a verbo aspero*.

Inter eos Sermones, qui S. Zenonis Veronensis nomine circumferuntur duo, tresve deinceps inveniuntur hujus argumenti, ubi auctor plurima adfert, eaque præstantissima.

Cassianus *lib. 7. de institutionibus Monasticis* fusius verba facit de hoc vitio.

S. Basilius *Homil. 2. ex variis* loquitur de malis, quæ ubique parit avaritia.

Idem in *Homil. 11. ex variis contra divites avaros*, quæ tota in hoc argumento versatur, omnes affert, ac refellit excusationes avarorum, & hanc materiam exhaurit, de qua loquitur etiam 14., & 15. orationum suarum.

S. Asterius, cujus opera cum S. Maximi operibus inveniuntur, tres habet ejusdem argumenti orationes, in quibus varias avaritiæ species, earumque effectus, & mala describit,

S. Chrysostomus præ cæteris ardentius contra avaritiam invectus est; & vix Sermonem, vel adhortationem aliquam reperieris, ubi de hac non loquatur. Præcipui autem loci ferme sunt,

Sermone, vel adhortatione 3. in Epistolam ad Romanos ostendit avaritiam simul, & mentis ebrietatem esse & cordis idololatriam. Item Serm. 2., & 3. in eamdem Epistolam.

Idem integram habet Homiliam de Avaritia Tomo 5.

Idem Homilia 64. in S. Matthæum febri æstuosissimæ hoc vitium comparat.

Idem Homilia 18. in Epistolam ad Ephesios rationem reddit cur ab Apostolo avaritia idolorum servitus appelletur.

Idem Homilia 9. in S. Matthæum ita hoc vitium describit, ut omnibus horrorem injicere possit.

Idem Homilia 82. in eumdem S. Matthæum avarum cum Energumeno comparat, & quod narrat S. Joannes Satanam ingressum fuisse in Judæ cor jam antea avaritiæ spiritu obsessum.

Idem Sermone 2. ad populum Antiochenum ostendit quomodo locupletes bonis suis uti debeant, ne in avaritiæ scelus impingant.

Idem adhortatione in 2. S. Matthæi caput, ostendit qua cura hoc vitium sit oppugnandum.

Idem adhortatione in cap. 20. ejusdem Evangelii, vitium hoc fide superandum esse probat; & adhortatione in cap. 28. avari adfert Hypotiposim.

Idem adhortatione in caput 28. ejusdem Evangelistæ contra usuram invehitur.

Idem adhortatione in cap. 19. ostendit avaritiam esse malorum omnium hujus, ac futuræ vitæ originem.

Idem lib. *de compunctione cordis*, qui in Tomo 5. invenitur, probat eum, qui terrena sequitur, cælestia cogitare non posse.

Idem denique in adhortationibus 58. 80. 83. & novis-

novissima in Evangelium S. Matthæi; Homil. 7. in secundam Epistol. ad Corinthios, & 17. in primam Epistolam ad Timotheum &c.

Ascetici. Granatensis *in peccatorum duce lib. 2.*

Canisius *part. 3. de 7. vitiis capitalibus §. 4.*

Jacobus Alvares *Tom. 2. lib. 1. part. 2. cap. 7., & 8.*

Bernardinus Rosignolius *lib. 2. de discip. cap. 16.*

Marchantius: *Tract. 2. de turba Sacerdotali.*

P. Lobbetius e Societate Jesu Tractatu de Avaritia elucubratus est.

P. Dandinus Societatis ejusdem fusius de eadem loquitur.

P. Croiset considerationum Tomo 2. peculiarem habet titulum de avaritia, atque alium de opum acquirendarum desiderio.

Concionatores. Theologi omnes, qui de vitiis, ac virtutibus pertractarunt.

Mathias Faber: *Conc. 1. in Domin. 8. post Pentecost. & conc. 4. in Dom. 16.*

Biroat in Adventu suo de mundi damnatione. *Sermone* 13.

P. Jeune Presbyter Oratorii.

Joly *Propositiones pro 16. Dom. post Pent.*

Auctor moralium Sermonum Sermonem habet de avaritia, & alium peculiariter de usura.

Auctor Sermonum in omnia Moralis Christianæ argumenta Tom. 2. Sermonum particularium Sermonem habet de spiritu avaritiæ, & alium de fœnore.

Qui collectanea, & locos communes ediderunt, plura habent in hoc argumento, tamquam uberrimo, & maxime necessario.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

D*ivitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Psalm. 61.

Injustitias manus vestræ concinnant. Psalm. 57.

Infernus & perditio numquam implentur; similiter & oculi hominum insatiabiles. Proverb. c. 27.

Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam. Ibidem, c. 15.

Qui festinat ditari, & aliis invidet, ignorat quod egestas superveniet ei. Ibidem, c. 28.

Sic semitæ omnis avari, animas possidentium rapiunt. Ibid. 1.

Qui odit avaritiam, longi fient dies ejus. Ibidem, c. 28.

Qui festinat ditari, non erit innocens. Ibidem, c. 20.

Avaro nihil est scelestius. Eccli. 10.

Viro tenaci & cupido, sine ratione est substantia; & homini livido, ad quid aurum? Idem, c. 14.

Nihil est iniquius quam amare pecuniam; hic enim animam suam venalem habet. Idem, c. 10.

O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis! Idem, c. 41.

Avarus non replebitur pecunia, & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. Eccle. 5.

Divitiæ conservatæ in malum Domini sui. Ibid.

Qui aurum diligit, non justificabitur. Eccli. 31.

Non erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere. Prov. 23.

Insatiabilis oculus cupidi; non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam. Ibidem, c. 14.

Non fœneraberis fratri tuo ad usuram, pecuniam, nec quamlibet aliam rem. Deut. 23.

Omnes in viam suam declinaverunt; unusquisque ad avaritiam, a summo usque ad novissimum. Isaiæ 56.

A minore usque ad majorem, omnes avaritiæ student. Jerem. 6.

Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam, quam fecisti. Ezech. 22.

Ubi sunt .... qui argentum thesaurizant & aurum, in quo confidunt homines? Ad inferos descenderunt, & alii loco eorum surrexerunt. Baruch 3.

Væ ei qui multiplicat non sua! usquequo & aggravat contra se densum lutum? Numquid non repente consurgent qui mordeant te, & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis? Habacuc 2.

Si genuerit filium .... egenum & pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem ..... ad usuram dantem, & amplius accipientem; numquid vivet? Non vivet ... morte morietur. Ezech. 18.

Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Matth. 16.

Ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit. Idem, c. 6.

Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Idem, c. 26.

Non potestis Deo servire & mammonæ. Idem, c. 6.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Matth. 6.

Videte & cavete ab omni avaritia; quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet. Luc. 12.

Avari regnum Dei non possidebunt. 1. ad Corinth. 6.

Hoc scitote intelligentes, quod omnis .... avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei. Ad Ephes. 5.

Avaritia, quæ est simulacrorum servitus. Ad Coloss. 3.

Avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Ad Ephes. 5.

Sint mores sine avaritia contenti præsentibus. Ad Hebr. 13.

Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. 1. ad Timoth. 6.

Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. 1. Joann. c. 2.

Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra a tinea comesta sunt; aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit: thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. Jacobi, c. 5.

Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. Exod. 22.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? .... qui pecuniam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit. Psalm. 14.

Si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. Luc. 6.

Exempla veteris Testamenti.

Exemplū Cain. Genes. c. 4. CAin ex Chrysostomi sententia fuit avarorum omnium antesignanus: cum enim facere non posset, quin Deo offerret sacrificia, ut supremum illius dominium testaretur; quidquid in grege pingue, & optimum erat, retinebat pro se, Deo autem cui debebat omnia, id tantum offerebat, quod sibi minime placebat. Itaque Deus illius munera abjecit, neque illa respicere dignatus est; unde profecta est furens invidia, quam in fratrem suum concepit, qua excæcatus ipsum præter humanitatem confodit, in illiusque terrarum primordiis ostendens, quousque futurum erat ut sæculorum decursu huic vitio homines indulgerent.

Exem-

Exemplū Achan. Josue c. 7.

Exemplum Acham satis ostendit imperium, quod hic affectus in illos exercet, qui eidem se mancipant; quemadmodum enim Sanctus Ambrosius animadvertit, potuit Josue solem morari, & prohibere, ne suum stadium absolveret; sed explicitum Imperatoris hujus edictum, quo cautum fuerat, ne quis hostiles manubias attingeret, prohibere non potuit militis, qui hoc nomine appellabatur, avaritiam, quin regulam auream, purpureumque pallium subriperet; quod facinus Dei succendit iram in populum suum, quæ non deferbuit nisi postquam nequissimus sub lapidibus obrutus fuit.

Exemplū Saulis. 1. Reg. c. 15.

Saulis exitium non minus avaritiæ, quam inobedientiæ præceptis Domini acceptum referendum est: quandoquidem Deus æque vetuerat, ne bello Amalecitas lacesseret, antequam Samuel sacris operatus fuisset, & ne aliquid de hostium devictorum spoliis sibi reservaret. Verumtamen Rex non solum tædio affectus eo quod Samuel adventum distulerat, movit arma: sed avaritia ductus contra explicitum Domini imperium quidquid optimum, ac pretiosissimum in pecoribus, aliisque hostilibus exuviis nactus est, sibi reservavit: & satis liquet Regem hunc a Deo rejectum, & de solio deturbatum fuisse, quod per avaritiam Divinis non paruerit edictis.

Avaritia Giezi lepra permissa. 4. Reg. c. 5.

Giezi ægre ferens, quod Eliseus Dominus suus pecuniam, & munera sibi a Naamano oblata repudiasset, turpi actus cupiditate, ut opulenti, atque liberalissimi Principis largitatis particeps fieret, illum abeuntem subsecutus est; & munerum partem obtinuit; Imperator enim illum donis large, effuseque cumulavit. Verum enim vero ubi famulus suam avaritiam explevit, quomodonam ab Eliseo fuit receptus? lepra, qua Naaman fuerat mundatus, huic avaro totique ejusdem posteritati adhæsit propter maledictum, quod Propheta in hunc est ejaculatus.

Exemplū Achab. l. 3. Reg. c. 21.

Affectus istius furor in persona Achab præsertim elucet. Regi huic non sufficiebant opes amplissimæ, quas jure poterat possidere; perinde ac aliena bona aliquam haberent illecebram ad ipsius avaritiam explendam. Pace frui minime potuit, nisi prius pauperrimi Naboth vineam rapuisset ut hortorum suorum fines latius protenderet. Qua in re Sanctus Ambrosius animadvertit, nequaquam credendum esse unum Achab in terris extitisse: Recentes quotidie inveniuntur Achab Regis hujus improbitatem imitantes, qui numquam bonorum suorum contenti, tunc beatos se futuros putant, si aliena rapiant atque possideant.

Exempla novi Testamenti.

Ananiæ, & Zaphiræ Exemplū. Act. 5.

ANaniæ & Zaphiræ exemplum in Actis Apostolorum allatum satis ostendit, ad quem usque impietatis excessum, sacrilegum mendacium, turpemque hypocrisim avaritia potuit pertrahere homines, ob quorum oculos præclarissima oppositæ virtutis fulgebant exempla, & maxime mirabiles præsentiæ Spiritus Sancti emicabant effectus. Inde etiam liquet quantopere necessarium existimavit Deus prohibere, ne perniciosissimum hoc scelus in nascentem Ecclesiam obreperet; & quanto odio illud persequeretur; quandoquidem morte, & morte adeo celeri, atque apta terrori incutiendo duos hos avaros percussit, qui sibi retinuerant partem pretii ex venundata hæreditate conflati, quod se Deo per manus Apostolorum daturos spoponderant.

Pharisæi Legis.

Avaritia vitium illud est, quod Dei Filius præ cæteris sæpius Pharisæis exprobravit, quorum exemplum satis ostendit affectum hunc cælestibus gratiis maxime oppositum fuisse, in iis, qui illud vivendi genus profitebantur, quod alioquin Divinis favoribus dignissimum videbatur. Verum licet hoc malum vix medicinam pati possit; tamen haud insanabile hoc esse nos Zachæi, Luc. 19. docet exemplum; & generosum consilium ab ipso initum satis ostendit, quid agendum sit, ne hic affectus, quem Publicanus ille superavit, nos præcipites agat in gravissimam eam calamitatem, in quam Scribæ, & Pharisæi ceciderunt.

Avari parabola.

Neque omittenda est parabola, quam Dominus adfert apud S. Lucam cap. 12. *Hominis cujusdam*, ait ille, *divitis uberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se dicens: quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? & dixit, hoc faciam: destruam horrea mea, & majora faciam; & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi & bona mea; & dicam animæ meæ: anima mea habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: stulte hac nocte animam tuam repetent a te, quæ autem parasti cujus erunt?* Hic est status illius, qui sibi congerit opes, & in Deo locuples non est.

Quid inferendum ex eo, quod accidit adolescenti, qui J.C. sequi volebat ut se salvum facere. Matth. 19.

In historia Evangelica exemplum habemus summa simplicitate enarratum difficultatis, qua homo terræ hujus bonis inhærens sese Deo tradit. Est autem turba illa, & animi confusio, in quam Dei consilium, quamvis saluberrimum, illum adolescentem conjecit, ex eo sciscitantem, quid sibi faciendum esset, ut vitam æternam possideret. Cum enim Salvator illi dixisset, serva mandata, & hic audacter reddidisset, omnia hæc custodivi a juventute mea; atque instaret quærens quid ergo sibi faciendum superesset: Dei filius, qui in hujus adolescentis corde secretam noverat cupiditatem, & summum bonorum suorum, quamvis legitime quæsitorum, amorem, illi auctor fuit, ut ea pauperibus distribueret, ac ipsum sequeretur. Ubi hoc audiit adolescens, abiit tristis, atque tristitia sua, quæ evidens erat avaritiæ nota, & effectus, ea probavit, quæ a nobis de hoc vitio dicuntur. Tunc autem Salvator veris discipulis suis dixit; divites, hoc est quemadmodum deinde ipse explicuit, eos, qui in suis divitiis confidunt, & in illis cor suum constituunt, summa cum difficultate in regnum Cœlorum ingressuros. *Quam difficile!* ajunt duo alii Evangelistæ. Ad quam difficultatem apertius innuendam Salvator hac utitur similitudine: *Facilius est camelum per foramen acus transire.* Marc. 10 & Luc. 18

Exemplū Judæ. Matth. 26.

Judas nobis præbet exemplum nequissimi sceleris, quod avaritia suadere valeat. Si principium quærimus interitus Judæ non aliud inveniemus, quam infelicem divitiarum cupiditatem, propter quam eousque occæcatus est, ut accepto pretio magistrum suum venderet. Sed vix illum vendidit, cum desperatione captus argentum retulit, & se laqueo suspendit. Utilissimum avaris documentum, qui numquam perpendunt, quomodo lucrentur pecuniam, quam possident, & quamdiu eadem sint perfruituri! Summis laboribus, & curis opes congerunt, sed iisdem vix congestis mors irruit, opes vitamque ablatura, quin ferro indigeant, ut seipsos interimant.

Applicationes quorumdam locorum huic argumento.

Cur avaritia sit species idololatriæ.

A*Varus quod est idolorum servitus. Ad Ephes.* 5. S. Paulus verbo complectitur omnia avaritiæ mala hanc idololatriæ speciem appellans. Quorsum autem? nam eo quod avari sexcentarum clavium custodia pecuniam suam servant, quemadmodum Ethnici Deos suos sexcentis catenis cohibebant? Dicamus potius, grave hoc nomen inditum avaritiæ, quod avari divitias suas, tamquam Deos colunt. Parum interest, utrum aurum colatum sub simulacri specie, an sub nummi forma, etenim nisi hæc fidei, saltem actionis est idololatria. *Biroat Advent. Sermone* 13.

Avarus quod est idolorum servitus. S. Paulus crudelem hunc affectum idolorum servitutem appellat: non ait idolum esse, sed pluribus idolis servire

vire. Ita est, o avari! Totidem vobis idola sunt homines illi, ac illæ res, quibus vos vestræ alligant opes, vel vosmet alligandi tribuunt occasionem; iis enim objectis omnes curas vestras, & cultum impenditis. Non laboribus, non vigiliis parcitis, ut illi placeatis, per quem dignitatem vestram augeri posse censetis: ambitionis idolum veneramini; etenim divitiæ vestræ ad honores viam vobis sternunt, & summarum dignitatum possessionem acquirunt. Vos ita sacrificatis eadem de causa idolo voluptatis, magnitudini, gloriæ, &c. quæ vere est idolorum omnium servitus.

Quomodo avari sint idololatræ.

Avarus, quod est idolorum servitus. Donec te hic insatiabilis terrestrium bonorum affectus tenuerit, omni prorsus, nisi fortasse in speciem, religione carebis. In eadem quippe cæcitate versaris, in qua primorum sæculorum fideles nonnulli, quos acriter redarguit Tertullianus dicens. *Argentum, & aurum in Deos conversum execraris, & ipsum argentum & aurum in corde tamquam Deum colis*. Obstupescis Ethnicos videns aurea, & argentea habentes simulacra, eisque velut Diis thura adolentes; sed obstupescere potius debes, teipsum in corde simile videns idololatriæ scelus patrantem.

Radix omnium malorum est cupiditas. 1. *Ad Timoth*. 6. Hæc similitudo duo innuit; Avaritiæ videlicet ingenium, & improbitatem. Quid præstat arborum radix? Ad se trahit humorem, & imperceptibiles terræ partes, quæ circumstant, ut fructum suum ferat, & augeat: in suam convertit utilitatem, operisque sui perfectionem quidquid ex terræ laboribus haurire potest. Tale est ingenium cupiditatis habendi. Attrahit enim undequaque quæcumque potest, ut suas opes augeat: pauperum spoliis locupletatur, & orphanorum lacrymæ sunt instar imbrium infelicem hanc arborem irrigantium. Verum hæc eadem similitudo affectus hujus pariter exprimit improbitatem: sicuti enim arboris radix germinat indesinenter, & ubertatem suam in omnes ramos effundit, ut flores, fructusque ferat, ita desiderium opum congerendarum efficit, ut corporis, animæque facultates laborent; & est origo omnium actionum avari. *Bireat eodem Serm. Adventus* 13.

Divites avari vocantur viri divitiarum.

Viri divitiarum. Avari similes sunt illi simulacro, quod Nabuchodonosor in somniis vidit aureum caput habens, pectus, & brachia argentea, ærea femora, crura ferrea, & luteos pedes. Viri enim divitiarum efficiunt monstrum moraliter ex multiplici hac materia compositum: cujus caput, seu cogitationes, atque sensus; pectus, seu affectiones; femora, & crura seu spes, qua fulcitur, soliditate sua non utuntur, nisi ut aurum argentumque fulciant, quæ mox degenerant, & convertuntur in lutum. *Idem*.

Radix malorum omnium cupiditas. Quare? Quia, S. Thomas inquit, sicuti arboris radix arborem sustinet, & nutrit; ita amor pecuniæ omnia alia nutrit, & fovet peccata. Ambitio nonne affectus hujus impendio subsistit? Nonne sumptibus ejusdem luxus, & vestium pompa fovetur? Nonne illa suppeditat, unde templum voluptati ædificetur? Nonne illius aras exornat, & ipsa alit idola? Denique nonne Deus divitiarum mollitiem, atque intemperantiam fovet? Sine hoc viderenturne mensæ adeo opipare instructæ, & exquisitissimis epulis affluentes?

Quomodo Avaritia illos excæcat, quibus dominatur.

Supercecidit ignis, & non viderunt Solem. *Ps*. 57. Quemadmodum cupiditatis est proprium, illos excæcare, quos possidet, in illis adimpletur Regii Vatis oraculum. *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem*. Cupiditas cor illorum pervasit; mens illorum excæcata est: Præoccupati opum acquirendarum desiderio in publicis negotiis nihil amplius vident nisi propriam utilitatem, non vident amplius veritatem, sed aurum, quod amant. Hoc ubique inveniunt atque in illud convertunt, non ut fabulosus ille Mydas, quidquid attingant, sed quidquid dent: *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem*.

Repleta est terra argento, & auro, & non est finis thesaurorum ejus.... & repleta est terra ejus idolis. *Isaiæ*: *c*. 2. Animadvertendum est, Prophetam hunc, postquam dixit terram auro, argento, infinitisque thesauris esse refertam, subjicere statim tamquam necessariam illationem, eamdem simul Idolis fuisse repletam; namque homines aurum, & argentum in Deos suos converterant, & quemadmodum plurimi erant thesuari, ita etiam erant quamplurimi cultus sacrilegi. *Reina Serm*. 3.

Perniciosi effectus avaritiæ contra sua mancipia.

Ova aspidum ruperunt & telas araneæ texuerunt. *Isaiæ* 59. Quid sibi vult Propheta hac similitudine, nisi quemadmodum qui frangit aspidum ova, sese vitæ periculo objicit propter morsus aspidum, qui illic existent; ita illum, qui reditus suos augere, & bona bonis cumulare festinat, sinu suo anguem fovere, qui sibi mortem consciscat? Quæ enim desperatio comparari potest cum hominis illius desperatione, qui subito fortunæ tumultu, vel omnino, vel ex parte iis divitiis exuitur, quas tot laboribus collegerat? Attamen unum sufficit momentum, ut de manibus ipsius illæ evellantur, quemadmodum telæ aranearum primo ictu franguntur. *Telas araneæ texuerunt*. *Abbas de Monmorel Serm. in Ev. Dominic*. 14. *post Pentecost*.

PARAGRAPHUS IV.

Loci & Sententiæ SS. Patrum de Avaritia.

Avarus, non solum est qui rapit aliena, sed etiam qui cupide servat sua. S. Augustinus, Serm. 196. de Tempore.

Avari frui volunt nummo, uti autem Deo; quoniam nummum, non propter Deum intendunt, sed Deum propter nummum colunt. Idem, l. 7. de Civit. Dei.

Insatiabilis est sola avaritia divitum: semper rapit, numquam satiatur, nec Deum timet, nec hominem reveretur. Idem, de Verbis Domini.

Dura jubet avaritia, labores, pericula, tristitias, & dolores. Idem, tract. 10. in Ep. Joann.

Pereat avaritia, & dives est natura. Idem.

Avaritia quæ captivavit Discipulum comitem Christi. Idem, in Psalm. 63.

Quisquis, quod se deterius est, sequitur, fit & ipse deterior. Idem, de Morib. Eccl. c. 3.

Si terram amas, terra es. Idem.

Contradicit Deus avaritiæ, & vult nihil ab avaritia possideri. Idem, in Ps. 128.

Est inimica Christi avaritia. Idem, in Psalm. 96.

Divitiæ amatoribus suis quanto fuerint ampliores, non afferunt scientiam, sed plus habendi cupiditatem. Idem, lib. 50. Homil. Homil. 30.

Quid tibi prodest quod eges facultate, si ardes cupiditate? Idem, in Psalm. 51.

Non est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas. Idem, lib. 3. de Doctr. Christian. c. 18.

Ille possidet quæcumque habet, qui Dominus est rerum suarum: Dominus autem est, qui non est irretitus cupiditate; qui autem cupiditate tenetur, possessus est, non possessor. Idem, in Psal. 48.

Vides viventem (divitem); *quid hic habeat attendis; quid secum tollat, attende. Quid secum tollit? Multum auri habet, multum argenti habet, multum prædiorum; moritur: venerunt illa, nescio quibus*. Idem, in Psalm. 48.

Avarus, antequam lucretur, perdit seipsum, & antequam aliquid capiat, capitur. Idem in Serm.

Neque enim auri vitium est avaritia, sed hominis perverse amantis aurum, justitia derelicta, quæ incomparabiliter, auro debuit anteponi. Ibidem, l. 12. de Civit.

Non essent homines amatores pecuniæ, nisi eo se putarent

putarent excellentiores, quo ditiores. Lib. 4. de Genesi ad litteram.

Cupidus similis est inferno: infernus quantumcumque plus devorat, tanto magis cupit & desiderat: sic & avarus numquam satiabitur. Idem, seu potius alius quis Auctor Sermonum ad Fratres in Erem. Serm. 62.

Cum cetera vitia senescente homine senescant, sola avaritia juvenescit. Hieron. in Serm.

Inflammatur lucro avaritia & non extinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditatis habet: quo plures ascenderit, eo ad altiora festinat: unde fit gravior ruina lapsuro. S. Ambrof. in Nabuthe.

Perfidiæ, idololatriæ, & sacrilegiorum materia est auri cupiditas. Idem, in Apolog. Davidis, c. 4.

Rapiendi nullus modus est, ubi nulla mensura cupiendi. Idem, lib. de Abel.

Avaritia non expletur opibus, & quanto amplius habuerit, plus requirit, & neque copia, neque inopia minuitur. S. Hieron. ad Eustoch. c. 10.

Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet; quia, aut non habita concupiscit, aut habita metuit ne amittat. l. 2. Epist. Epist. 2.

Apud barbaros quosdam, quia vernaculum est aurum & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent, & divitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores. Tertull. de Habitu Mulierum.

O detestabilis cæcitas mentium, & cupiditatis insana profunda caligo! Cyprian. 1. Epist. ad Donatum.

Venit avaritia, & dicit: Argentum & aurum quod habes, servitutis tuæ pretium est; possessio quam tenes, juris tui emptio est. S. Ambrof. in Psal. 18.

Pauperiorem se judicat omnis abundans, quia sibi deesse arbitratur, quidquid ab aliis possidetur. Idem, de Nab.

De avaritia proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, & violentia oriuntur. S. Gregorius, l. 31. Moral. c. 32.

Peccatum avaritiæ, mentem quam infecerit, ita gravem reddit, ut ad appetenda sublimia attolli non possit. Idem, lib. 14.

Magna est securitas cordis, nihil habere concupiscentiæ sæcularis; nam si ad terrena adipiscenda cor inhiat, tranquillum securumque esse nullatenus potest. Idem, lib. 22.

Longa nostra desideria increpat vita brevis: incassum multa portantur, cum juxta est quo pergitur. Idem, in Homil.

Non est census in crimine, sed affectus. Idem, lib. 10. Job. c. 17.

Si cuncta mundi relinquere non potes, sic tene quæ hujus mundi sunt, ut per ea non tenearis; ut terrena res possideatur, non possideat. Idem, Homil. 16. in Evang.

Nullum est justitiæ in illo corde vestigium, in quo avaritia fecit sibi habitaculum. S. Leo in Serm.

Morbus insanabilis, fornax quæ numquam extinguitur, tyrannis per totum orbem terrarum diffusa. Chrysost. Homil. de Avaritia.

Qui pecuniæ servit, & præsentibus compedibus constringitur, & futuris paratur. Idem, super Matth. 28.

Avaritia insatiabilis ebrietas. Idem, ibid.

Avarus communis omnium hostis. Idem.

Qui relinquenda servat, alienorum custos est, non Dominus suorum. Idem, Homil. 6. in Matth.

Periculosa cura velle ditescere, & grave onus innocentiæ subit incrementis opum occupata. S. Hilarius, c. 19. in Matth.

Didici terram calcare, non adorare. Clement. Alex. Admonit. ad Gentes.

Arx vitii inventa est pecuniæ cupiditas. Idem.

Sicut nulli alii præterquam Deo soli cultum tribuere pars est; sic etiam neque ulla in alia re spem nostram constituere debemus, quam in Deo. S. Basilius, Orat. 2. de Princ.

Quod est ceteris vitiis remedium, hoc est avaritiæ irritamentum. Idem, Homil. in Avaros.

Fœnus super fœnus, malorum parentum mala soboles. Idem.

Quod velis ei nomen imponas, usura est (loquitur de variis modis pecuniam cum fœnore locandi) S. Ambr. l. de Tob. c. 14.

Ne fias humanarum calamitatum cauponator: (loquitur de iis, qui ex damnis publicis lucrum faciunt.) S. Basilius Homil. 6.

Beatus ille, qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Bernard. Epist. 103.

Divitiarum amor insatiabilis; quarum acquisitio quidem, laboris; possessio, timoris; amissio plena doloris invenitur. S. Bernard. de Conversione ad Cleric.

Non es pecuniæ tuæ Dominus, sed servus. Idem, Serm. in Cantic.

Cupiditatis lex sive genius est, non habita præ habitis esurire, & præ non habitis habita fastidire. Idem, de diligendo Deo.

Avarus largus in alieno, sed parcus in proprio; gulam evacuat, ut arcam repleat; corpus extenuat, ut lucrum extendat. Innocentius, de Vilit. Conditionis humanæ.

Cunctos pene homines agitat avaritia, nullum de his quietum esse permittit. S. Maximus Taurinensis.

Non facile de avaritia triumphat, de quo semel ipsa triumphavit. Petrus Blesensis.

O pestis maligna avaritia, semper bonis animis detestanda! Quid illa sunt, quid inconcussum dimittit? S. Chrysol. super Matth.

Avaritia quam facile arguitur ab omnibus, utinam possit tam facile non amari! Zeno Veron. Serm. 2. de Avaritia.

Non habentibus divitias, habendi injicit cupiditatem; habentibus, adimit satietatem; ita omnes in rabiem una tempestate præcipitat, ut ubinam sit major ignores. Idem.

Aurum argentumque, Christiane, si vera dicenda sunt, execraris in simulacris solis, non in penetralibus tuis. Nam & illic, aureis argenteisque innumerabilibus veluti exemplis, tereti moneta percussis, inesse similiter regnum vultus, signaque cognoscis: nihilque aliud distat, nisi quod in domo tua minuta sunt, in templo majora; quæ si erogaveris, pecunia est; si servaveris, simulacra. Idem, ibid. alludens ad illa verba. Idola gentium argentum & aurum.

Inde est .... quod omne genus humanum, suo interitu, suisque calamitatibus delectatur; viliorem habens animam quam pecuniam. Ibidem.

Vultis scire quale calamitatis sit genus? sane plus in eum qui eam dilexerit sævit. Idem, de Avar. Ser. 3.

Quid tibi tua tollis infælix? Quid extraneo facias qui in te avarus es? Idem, de eadem Ser. 1.

Misero est miserior, qui miseriis ditatur alienis. Idem, Ser. de Justit.

Receptaculum omnium vitiorum, & inextricabilis nequitiæ fomes. Cassianus.

Nemo se avarum intelligit, nemo cupidum sentit. S. Gregor. Magnus.

Hoc ab homine colitur quod præ ceteris diligitur. S. August. super Epist. ad Philipp.

Avarus ipse miseriæ suæ causa est. Seneca in Proverb.

Inopiæ pauca desunt; avaritiæ, omnia. Idem.

In nullum avarus bonus est, in se pessimus. Idem, Epist. 208.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia ad hoc argumentum possit afferri.

AMor divitiarum, qui avaritia vocatur, duplex habet nomen in Bibliis, modo enim amor opum; modo cupiditas appellatur, videlicet desiderium plura habendi, quam quæ ratio, & necessitas postulant. Avaritiæ Definitio.

Quamquam autem idea, quæ in posteriori hoc nomine continetur, latius patere videatur, ea quam prius adstruit; utrumque tamen idem significant affectus; hujus naturam explicant, & inexaturabilem hanc exhibent cupiditatem, quæ avaritia vocatur. Pecunia enim, quam avari depereunt, ad ea omnia inservit, quæ esse possunt hujus cupiditatis objectum. Verumtamen cupiditatis nomen, quo extensio affectus melius indigitatur, aptius avaritiæ congruere videtur. Hæc enim affectio universalis est, & fine exceptione res omnes hujus mundi complectitur, ad quarum perfruitionem, quodam, ut ita dicam, furore fertur cor humanum, quin in iis, quæ utilia sibi videri possunt, desideriis suis ordinem, finesque præscribat. Quænam vero in terris res est, quam avarus dummodo suum sequatur ingenium, utilem sibi non putet futuram!

Duo continet avaritia. Primum vehementem earum rerum, quæ possidentur, amorem, quas distrahere nolumus, hanc prætexentes causam, quod aliquando fortasse futurum est, ut illis indigeamus; Alterum desiderium habendi & acquirendi plura iis, quæ possidentur, sumptibus parcentes, majoremque ex reditibus utilitatem, non sine justa, legitimaque causa quærentes. Fatendum est tamen affectum hunc, non semper nefarium esse in iis, qui bonis non diffluunt, quibus scipsos, familiamque sustentent; quamvis contra Charitatis legem peccent, si hoc abutentes colore, pro viribus non ferant opem illis, quos inopia laborare cognoscunt. Sed gravissimum scelus est eorum, qui plurima possident bona, putare illa sibi nondum satis esse, eaque pro se retinere, & erga egenos durum, atque misericordia carentem animum præseferre.

Desiderium, vel amor exteriorum rerum homini naturaliter insitus est quatenus ad finem, cui ordinatæ sunt, utilium, & necessariarum; & cupiditas illa innocens est, donec se intra finis hujus cancellos contineat: ultra quos statim ac egreditur peccatum est, aut grave, aut leve pro ratione excessus, quo cor humanum iis rebus adhæret.

Duplex avaritiæ genus.

Duplex est genus avaritiæ, quorum alterum justitiæ adversatur, & huic furti, & latrocinii semper adjacet culpa: Alterum oppositum est liberalitati, quod non aliud, nisi intrinsecam, sed inordinatam divitiarum affectionem significat. Hic autem immodicus rerum temporalium affectus lethale peccatum est, ubi antefertur amori, qui Deo, vel Proximo debetur. Verum ubi neutrum evertit (quod difficile est, præsertim si vehemens sit; tunc enim fieri non potest quominus aliquod Charitatis officium prætermittatur) venialis tantum est culpa.

Quamvis non ita facile sit medium statuere inter sapientem temporalium bonorum parcitatem, & avaritiam; propterea quod sæpius alterum pro altero usurpatur: satis tamen perspicue generatim indigitari potest duplicis hujus rei discrimen in hoc positum, quod alterum quidem officium est, & debita cura res suas tuendi, iisque sapienter utendi; Avaritia vero est iisdem nimio affectu adhærere eo usque, ut ad hæc bona retinenda vel acquirenda præceptum aliquod infringatur.

Scelus non est possidere bona; sed illa nimio amore prosequi, scelus est. JESUS CHRISTUS, qui divites reprobare videtur, non reprobat illos, quatenus divites; sed quia, qui dives est plerumque avarus est. Scriptura bonorum possessionem non damnat; damnat cupiditatem, quæ efficit, ut nimia cura, vel nimia festinatione augeantur opes, quod a Sancto Paulo radix omnium malorum vocatur.

Quo in sensu avaritia sit malum incurabile.

Cum avaritia dicitur esse malum incurabile, hoc non ita est intelligendum, ut defectum medicinæ ex parte Dei proficisci putes suam renuentis gratiam, & auxilia, quæ nos convertere, & ad pœnitentiam valeant revocare: sed hoc ex iis procedit defectibus, quibus magis obnoxii sumus, quo ætate sumus provectiores; ejusmodi sunt consilii capiendi incertitudo, futuræ egestatis metus, timor, ne minori in honore habeamur; quæ res quotidie magis augescunt &c. Hi autem defectus efficere quidem possunt, ut avaritia criminum omnium sit periculosissimum, non autem, ut gravissimum: peccatum enim quod medicinam non patitur propter divinæ Misericordiæ, vel Justitiæ contemptum, qui quidem est peccatum contra Spiritum Sanctum, proculdubio est peccatorum omnium gravissimum.

Avaritia ex S. Gregorii sententia capitale vitium est; objectum enim avaritiæ quod generatim sunt opes, nobis per se pollicetur sufficientiam, & affluentiam cujuscumque generis bonorum, quæ per illam facile assequimur. Cum autem hæc sufficientia, vel affluentia bonorum una sit ex conditionibus beatitudinis, vel felicitatis; cumque omne vitium, cujus objectum particeps est naturæ felicitatis ejusdem, capitale sit, quatenus hominem ad alia plurima trahit scelera, quæ ad illum ipsum propositum finem collimant; hinc profecto est, quod avaritia inter ea scelera numeratur; quæ ratio ex D. Thoma desumpta est.

Quomodo avarus Deum sibi faciat ex pecunia sua.

Quæri potest quomodo avari opes suas in Deum sibi convertant; hoc enim vulgo dicitur, & plurimi SS. Patres innixi verbis Apostoli hoc loquendi genere utuntur. Rationem superius attigimus; eadem enim ferme est, ac illa propter quam avaritiam ex capitalibus vitiis unum esse docuimus. Cum enim Deus supremum sit ens, quod tamquam postremum finem, & summæ beatitudinis nostræ objectum respicimus, cui sacrificamus, & in quo spem omnem statuimus: avari hos omnes sensus erga divitias suas fovere videntur. Eas quippe tamquam postremum finem respiciunt, quin illis tamquam medio ad finem suum consequendum utantur; cum naturalis rerum ordo postulet, ut opibus non secus ac rebus aliis utamur, ut Deo tantum perfruamur. Avarus autem hunc ordinem invertit: *non utitur, sed fruitur*, quemadmodum loquitur S. Augustinus: suis fruitur opibus, in illis sibi complacet, in illis tamquam suo fine immoratur, quin iisdem utatur tamquam medio. Quod si Deum diligit, eum diligit propter divitias, quas ab eo petit, & quas per eum se sperat assecuturum: *non Deum amat, sed argentum*; & si Deum colit, propter argentum colit. Illud vero efficere potest ut jure dicatur avarus Deum sibi efficere ex eo, quod quærit, quod eidem toto pectore obstinatissime inhæret. Præterquam quod superius etiam vidimus hujus peccati materiam eamdem esse, ex qua conflantur idola. Hac de causa Apostoli phrasis ab omnibus usurpatur, & avaritia, cultus, vel idoli servitus vulgo appellatur; non eo quod hæc verba ad litteram sint intelligenda, non secus ac ea quæ diximus de charactere divinitatis, quem avarus in opibus suis videtur agnoscere; in quibus unice suam constituit felicitatem. Ea enim verba aliquam dumtaxat innuunt similitudinem in hoc positam, quo idololatra creaturæ sese subjicit; avarus autem similiter subjicit divitiis cor suum: Idololatra omnia præstolatur a Deo, quem colit; avarus omnia ab opibus suis, non sine tamen quodam discrimine, quod Idololatra creaturam divino, supremoque cultu veneratur; avarus e contra cor suum quidem argento sacrificat, inexaturabili opes cumulandi aviditate, non tamen illud adorat: unde infertur, avaritiam scelus æque grave non esse, ac Idololatriam.

Vitia quæ ex avaritia nascuntur.

Proditio, fraus, dolus, perjurium, inquietudo, violentia a S. Gregorio Magno avaritiæ filiæ nuncupantur, quoniam ab illa nascuntur, atque ad eumdem finem contendunt, si enim hujus amoris, quo opes suas avari depereunt, perturbatio in hoc consistit, ut eas retineant, ac tueantur, quin ne minimam quidem particulam tribuant egeno; inde oritur cordis sævitia, quæ opponitur misericordiæ: sin excessus consistit in iis laboribus, quibus torquentur, ut divitias congerant, congestasque custodiant; tunc oritur spiritus inquietudo: sin autem hæc spiritus inquietudo circa alienarum rerum acquisitionem versatur; tunc avarus fraudibus utitur & dolis; eaque proditio est, deceptio, mendacium.

Ita porro variæ hujus vitii species exprimuntur. Aliquis avarus est; hoc simpliciter significare potest, ipsum

ipsum nihil largiti; si parum largiatur parcus dicitur; si nihil omnino, tenax; si aliquid largitur, sed ægre cum dolore, ac tristitia; hic vulgo sordidus appellatur & eo sordidior est, quo magis sumptibus parcit esuique, ut sibimetipsi ea neget, quæ sunt necessaria. Quod si avarus peccat, seu lucrum pudendum, ac infame quærens, seu operam suam in abjectis, turpibusque rebus impendens; hæc est alia sordida avaritiæ species: si ex iis rebus quæstum capit, unde fructus percipiendus non esset, veluti fœnerator; si monopoliis, vel concussionibus utitur; si variis nominibus rapit, & suffuratur, injustus est; si magnis sese laboribus torquet, ut aliquid exigui pretii adipiscatur; hæc insipiens est avaritia; & in hoc sese apertius prodit insanæ aviditatis dementia.

Discrimen inter hanc, aliasque animi ægritudines.

Naturaliter terræ hujus bona diligimus, idque eo ardentius, quo magis illa nobis esse necessaria arbitramur. Ita facillimum est, hac in re decipi, & hanc prætexendo causam longius suas curas, & vota protendere, & avarus esse potest aliquis, quin esse putet. De aliis affectibus nequaquam dicendum est idem, veluti de ambitione, & voluptatum amore: hi quidem ob res superfluas æstuant; sed quamvis in eo, quod est avaritiæ materia, non parum superfluum sit, hoc tamen ita commixtum est cum eo, quod est necessarium, ut illegitimum ardorem, quo alterum cupimus, tegi queat legitima cupiditate, qua alterum quærere possumus. Illud autem mali hujus facilitatem adauget, quod reliquorum omnium affectuum interest hunc fovere, & alere; opes enim, quas avaritia persequitur, ad reliquas omnes affectiones explendas maxime conferunt.

Paradoxum non est, sed veritas in qua Theologia, atque Ethicæ, Biblia, & Patres consentiunt, eos tantum, qui sua bona possident, divites esse; atque ut illa possideant opus esse, ut illis sine inordinato amore fruantur: ideoque non divitem, sed avarum esse, qui hæc bona nimia affectione prosequitur; hoc enim non est ea possidere, sed ab iis possideri, atque sordidum esse mancipium tyrannici hujus affectus, qui mentem, animum, & corpus omnia simul conjicit in servitutem.

Quid cavendum.

Ad avaritiæ peccatum evitandum, in terræ bonis quatuor sunt diligentissime præcavenda. Primum ne multa possidere cupias; hæc enim sola cupiditas ostendit opes nimium diligi, & affectum hunc animum tuum jam pervasisse. Alterum, ne quid injustis rationibus, vel habeas, vel habere contendas; hujus enim vitii effectus est, per fas, & nefas opes congerere. Tertium ne divitias jure acquisitas, nimium diligas, nimiaque sollicitudine tuearis. Quartum denique, ne iis rationibus tua bona conserves, vel augeas, quæ sensim te alliciant, ut injustitiam, violentiam, usuram, dolos, &c. exerceas.

Quod usuram pertinet, quæ nequissima est species avaritiæ, hujus loci non est decidere, utrum hic, vel ille contractus sit cum turpi fœnore conjunctus: hac in re multiplex partim opinio viget, neque desunt Doctores, quos probare, vel refellere æque periculosum est. Neque illud a nobis quærendum est, utrum in usura semper occurrat injustitia, sed a nobis distinguendum dumtaxat est, quid vere sit fœnus, quid non, juxta unanimem Doctorum sententiam: omnes enim Patres, atque Theologi unanimi, ac penitus conflato consensu docent, ex quo mutuo, vel contractui adjacet usura; per se vitiosum esse, neque ulla lege probari posse, aut permitti.

Actus, qui avaritiam indigitant.

Actus avaritiæ proprii, & qui ostendunt aliquem hoc affectu possideri, hi ferme sunt. 1. Intra se magnam divitiarum existimationem concipere, ac fovere; quemadmodum nonnullos videmus, apud quos in honore non sunt, nisi qui opimos reditus habent, & qui de aliorum meritis ex eorum divitiis judicium ferunt, quasi quo ditiores sunt eo majori virtute essent prædití, & opulentia reliquarum omnium qualitatum locum obtineret. 2. Juge bonorum acquirendorum desiderium fovere, unde prodeunt curæ, sollicitudines, & molesti illi motus, quibus se torquent avari. 3. Indesinenter ad examen, & calculos revocare omnia, ut inveniantur, vel excogitentur opum acquirendarum rationes; & nihil intentatum relinquere, ut hoc cedat e sententia. 4. Æs alienum solvere nolle, aut solutionem differre, vel artificibus, quorum opera usus es, stipendium negare. 5. Pauperum egestatibus non affici, stipem illis non erogare; vel opinari, quod opem ferendo minime tenearis. 6. Denique erga te ipsum crudelem esse, tibi victum, aliaque vitæ commoda renuere, quin alia adsit ratio, quam dolor, & metus, ne conflatus auri cumulus imminuatur.

Sancti Patres atque inter alios S. Chrysostomus plures nobis rationes suggerunt, quibus affectum hunc subigere possumus, quarum hæ ferme potissimæ sunt. 1. pro certo tenere, hujus terræ bona, licet jure parta, semper esse periculosissima, atque eorum producere interitum, non solum, qui palam iis abutuntur, sed qui vehementi affectione eadem possident. 2. coercere divitiarum acquirendarum cupiditatem; hæc enim efficit homines servos divitiarum suarum. 3. Bonis, quæ in nos Divina manus effudit, uti secundum mentem Dei, hoc est, ut assiduis egestatibus nostris consulamus, & ex iis, quæ supersunt, iis feramus opem, qui inopia laborant. 4. sæpius animo reputare eam calamitatem, in quam tot divites avari prolapsi sunt, æternis addicti suppliciis propter peritura bona, quibus uti poterant, ut æternam sibi felicitatem acquirerent. 5. Demum iis contentos esse bonis, quæ Deus largitus est, illius Providentiæ mandatis nosmet subjicientes, eaque in illos usus impendere, in quos in ipso mortis articulo eadem impendisse cuperemus.

Gula, & sollicitudo a divitiis adjungi non possunt.

Labor, sollicitudo, & curæ quonam modo inhæreat possessioni divitiarum, & earum acquirendarum cupiditati; quæ res avarorum conditionem efficit calamitosissimam: *sollicitudo divitiarum: ita* Dei Filius opes appellat, non *divitias, sed sollicitudinem divitiarum*, ut eas curas innuat, quas secum naturaliter ferunt divitiæ: quas alibi spinis pungentibus, & dolorem afferentibus comparat. Hoc ipsum morum Philosophia nos docet, & quotidiana confirmat experientia: Et sane quinam dolor cum illo comparari potest, quo avarus afficitur? quibus curis illius cor non torquetur, vel metuentis, ne amittat quæ possidet, vel adlaborantis, ut quæ non possidet, acquirat? Quænam illius est desperatio, cum aliqua fortunæ procella, aliquis inopinatus eventus, vel, ut, quemadmodum fidelem virum decet, loquar, secretum Providentiæ consilium ea bona aufert, quæ tot laboribus parta fuerunt?

S. Thomas insigne animadvertit discrimen inter concupiscentiam, & cupiditatem quæ passim confunduntur. Illa enim, cum in appetitu sensitivo sedem habeat, suos habet fines; hæc vero cum resideat in spiritu, nullis finibus coercetur. e. g. Concupiscentia ad comedendum & bibendum impellit. Sed ubi saturatus fueris, jam desinis epulari: hoc non accidit in cupiditate; nullos cancellos habent vota sua; cujuscumque rei possessio non sufficit; desideria in infinitum quodam modo tendunt. Hinc accidit, ut licet expleri possit concupiscentia, expleri cupiditas minime possit, quam ob rem Sapiens Eccli. 14. ait; *insatiabilis est oculus cupidi*: quod habet, illi non sufficit, quod possidet, illius irritat desideria, & efficit, ut ea cupiat quæ non habet, & licet in rerum omnium affluentia versetur, aliquid semper tamen ipsi deest, quod non minori cupit aviditate, quam si nihil haberet ad illud indesinenter anhelans.

Nota, unde cognosci potest utrum quis auro adhæreat.

Quemadmodum auri, ac divitiarum amor avaritiam constituit; quidquid facimus, vel patimur, ad opes, vel acquirendas, vel tuendas, illum ostendit amorem, quo eas deperimus; & affirmare possumus non aliam suppetere certiorem regulam, qua de hoc amore judicemus. Ita vulgo loquentes vere dicimus nihil in terris optari magis, quam opes: nihil enim est, pro quo tantis laboribus exerceamur. Si pro Deo faceremus, vel pateremur dimidium eorum, quæ pro divitiis facimus, aut patimur, profecto ad magnum sanctitatis apicem eveheremur.

De avaro divite dicere possumus, paupertatem, quam opibus congerendis evitare contendit, equissimum esse sui criminis supplicium; ipsum Divina Providentia damnari, ut nihil habeat, quia omnia habere vult; ipsum paupere eodem esse pauperiorem, si enim plura desunt paupertati, avaritiæ desunt omnia; Ipsum denique monstrum esse, quippe in eadem persona & divitis fortunam, & pauperis calamitatem conjungit. Verumtamen non ideo statim de illius conversione desperandum est, atque inferendum, mundi locupletes æternis jam adjudicatos esse suppliciis. Dicere satis sit; illos summa cum difficultate cœlesti beatitudine potiri posse; cum e contra, qui ultro pauperes sunt, jam aliquod obtinent jus ad eamdem felicitatem.

PARAGRAPHUS VI.

Loci ex Asceticis, & Neotericis Concionatoribus, in hoc argumentum delecti.

Avaritiæ prætextus. HOmines semper ajunt sibi non esse, unde præsentibus, & futuris consulant necessitatibus, sibi plurima deesse in usus & suos, & eorum, quibus ab ipsis consulendum est. Reditus suos non satis amplos esse, ut eum, quem obtinent gradum, pro dignitate tueantur, atque ad eos honores perveniant, quos meritis suis deberi arbitrantur. Idcirco indesinenter opes congerunt, bona bonis accumulant, & cupiditate inani excæcati cum suis aliena bona confundunt. Sibi omnia vendicant, quæ prodesse putant, atque sibi persuadent se jure possidere, quidquid subdole possunt acquirere. *De la Volpilliere serm. de Restitutione.*

Avaritiæ ingenium. Quemadmodum pluribus rebus indiget avaritia, ita plurima fovet desideria: cumque egestates illæ, & hæc desideria repleti minime possint iis, quæ in ipsa inveniuntur, sese effundit extrinsecus. Nihil est, quod non conetur, læsis etiam proximorum juribus; nulla fraus est, qua non utatur, ut suam contegat injustitiam, nulla ars, nulla versutia, quam non exerceat, ut fines suos assequatur. Hinc prodeunt simoniæ, falsa testimonia, ficti contractus, lites, & in litibus persequendis tot ambages, & doli, &c. *Abbas de Breteville in libro, cui titulus Essais de Sermons pro 22. post Pent. Dominica.*

Quid intentatum linquit avaritia? quid non audet, ubi cupiditas habendi est adimplenda? Ullane amicitia non violatur, ullane societas non frangitur, ullane fraus non nectitur, scelusne ullum non patratur? Avaritia hodie num eris adhuc tot fidelium idolum? funestum salutis virus, adhucne tot Christianos homines in interitum dabis? si Spiritum Sanctum audio, omnes fere huic affectui velificantur: Pauper simul, & dives: *omnes avaritiæ studень. Jerem.* 6; Quid sibi nefas putat avarus Judex? quo furore viduam, atque orphanum premit, ubi argento se corrumpi sinit? quibus impudicitiis sese puella, vel mulier non tradunt, ubi ditescere cupiunt, vel ex squallore paupertatis emergere? Quæ fraudes in mercatura non accidunt? quæ perjuria? quæ mendacia? *Fromentieres.*

Avaritia inexplebilis. Quid in mundo videtur præter inexplebilem avaritiam, & inordinatam bonorum acquirendorum cupiditatem, quæ efficit, ut neque conscientiæ aures præbeantur, neque Dei leges serventur; sed amici ipsi per summum scelus prodantur, deserantur consanguinei, & pro turpi quæstu veneant amici? Adeo furit avaritia, ut statim ac utilitatis, vel lucri spes adest, nullus amplius Deus adsit, nulla religio. *P. Texier in Quadragesima.*

Quid prodest fideli viro, ait S. Zeno Veronensis in præstantissimo tractatu, quem de avaritia conscripsit, quid prodest aurum, & argentum in idolis, quæ Ethnici colunt, perhorrescere, si utrumque in arca colueris? *Aurum, & argentum execrans in simulacris colis in penetralibus tuis.* Discrimen quod adest inter idolos, & avarorum divitias, hoc est, quod in templis idola majora sunt, opes vero in scriniis idola sunt exigua. In domo tua minuta sunt; in templis majora. Ne nos decipiamus: Sanctus hic Doctor inquit: si pecuniam in rebus justis, & æquis impenderimus pecunia est; sin autem supervacanea cura, & inordinato affectu servaverimus, ex Dei Judicio idolum est: *quæ si erogaveris, pecunia est, si servaveris simulacra. Idem.*

Cupiditas facit, quæ charitas facere deberet. Quænam charitas esset domum integram pro altero ædificare, illam pretiosa supellectili instruere, eamque alteri tradere, & claves ejusdem committere? hoc ipsum haud ægre præstabit cupiditas. Quæ charitas ex Indiis usque pretiosissima accersere medicamenta, abjectissima obire ministeria, aliisque humillimam quamvis opellam impendere? Cupiditas non invita hæc omnia facit: nihil ergo est, ex quo majora obtineri possint beneficia, quam ex hac eadem hominum cupiditate. Verum, ut hæc illa præstet, aliqua re opus est, quæ illam retineat; si enim libera sit, nullum finem, nullam novit mensuram, & quin humanæ serviat societati, illam evertit. Nihil est, quod non audeat, cum nullis vinculis coercetur; suo enim studio, ac ingenio ad furtum rapitur, ad cædes, ad injustitias, ad maxima quæque flagitia. Invenienda igitur fuit ars, quæ cupiditatem ipsam compesceret: hæc vero ars in ordine politico posita est, qui illam continet, & rebus societati utilibus applicat. Admiratemur profecto illum hominem, qui artem excogitasset, qua leones, tigrides, aliæque feræ cicures fierent, & in vitæ nostræ usus converterentur. Hoc ordinis politici miraculum est: Homines enim cupiditate furentes pejores leonibus sunt, atque feris, & nihilominus ex illis eæ omnes humanæ hauriuntur utilitates, quæ ex purissima charitate possent hauriri. *Liber cui titulus: Principis educatio.*

Quisnam describere posset ea mala, quæ in servis suis parit avaritia? tenebras, quas mentibus eorum offundit? corruptionem quam in eorum cordibus relinquit? Dei, officiorumque suorum oblivionem, quam illis suadet? turbas, atque labores, quibus eos obruit? durum atque intolerabile jugum, quod illis imponit? Impœnitentiam, & desperationem, in quam eos passim præcipites agit? Hic sane ad vivum peccati hujus graphidem delinearet, & hujus oraculi probaret veritatem: *Non potestis Deo servire, & mammonæ. Desumptum ex moralibus sermonibus*, Matth. 6.

Affectus hujus perturbationis. Crudelis habendi cupiditas, quacumque via possit haberi! cupiditas, quæ in mediocribus æque, ac in magnis conditionibus viget! cupiditas, quæ licet tot mala in summis æque ac imis producat; non ideo tamen minus corruptionis relinquit in anima! Cupiditas tumultuosa, æstuosa, inquieta, quæ fere numquam eo, quod habet, contenta est, & perraro iis continetur finibus, quibus contineri deberet? *Ibidem.*

Avaritia in omnibus regnat a summo ad imum, inquit Jeremias: quilibet majora semper nititur possidere, cumque hujus mundi bona non multa sint, atque arctis finibus circumscripta; eaque inter plures divisa sint; nemo non conatur alienis ditescere sumptibus. Artifex decipit, mercator adulterinis ponderibus utitur, & mensuris; Dominus subditorum agros occupat; subditi meliorem partem juris Domini eludunt; famulus hero suffuratur, herus famulo negat stipendia. *Idem.*

Necessitas eadem, quæ in saltibus, vel in via quadam infrequenti latronem efficit; in arcibus etiam civem reddit injustum, aulicum usurpatorem, Ecclesiasticum avarum, & lucri cupidum. Hæc fatalis occasio conatus exerit; & plurima suggerit consilia. Inde innumerabiles illæ fraudes, quibus aliena sibi vendicant bona, illi opificum doli, illæ occultæ versutiæ. Mutuantur, numquam redituri; artificum sumptibus vivunt; eleemosynæ præceptum ignorant, quandoquidem tantum abest, quod in bonis suis aliquod superfluum inveniant, ut immo numquam inveniunt ea, quæ ad luxum fovendum sunt necessaria. JESU CHRISTI patrimonium cum suo confundunt; amicorum quoque, & consanguineorum substantias commiscent, in quibus dominium aliquod sibi habere viden-

dentur, licet jam absorptum sit ære alieno, cui solvendo non sunt. *P. Cheminais Tomo* 3.

De fœnore.

Nihil crudelius est, nihilque turpius frequenti hominum usura. Fœnerator ex aliorum interitu lucrum quærit, & ex aliena paupertate ditescit; immo fructus reperit, quasi suæ charitati debeantur. Omni carens misericordia, misericors haberi cupit; de paupere optime videtur velle mereri, sed illum opprimit; & in gravissimam redigit egestatem: manum illi tendit, sed manu altera in præceps eumdem propellit. Periturо opem ferre videtur, sed quin illum in portum adducat, eumdem in scopulos, & rupes allidit: *Desumptum ex Hom. S. Chrysostomi in S. Matthæum.*

Quid ex terrestrium amore cõsequatur.

Ubi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit, ait JESUS CHRISTUS. Licet alia quæcumque avaritiæ mala evitaretis, non minimum esset malum sordidus hic amor, quo terrena deperitis: quoniam cum liberi sitis, servi fieretis, & in deplorabilem interitum rueretis de summo Cœlo in imum usque terræ, ubi aurum vestrum occuluistis, neque nobis amplius integrum esset ullam spiritualium rerum cogitationem fovere; mens enim vestra semper argento, lucro, usuræ, & sordido quæstui vacaret. Quidnam hoc statu calamitosius fingi potest? nulla tristior servitus est quam illius, qui se crudelissimo subjicit tyranno, & id prodit, quod in se nobilissimum est, animæ videlicet suæ dignitatem. Donec animus vester adeo turpiter adhæserit opibus vestris; quæcumque ad salutem vobis monita suggerantur; omnia vana erunt, & inutilia. *Idem.*

O detestabile fascinum avaritiæ! Pecunia hodierna die rerum omnium obtinet locum, atque inde ea profecta est corruptio, & generalis confusio, quæ in mundo late grassatur. Si quis felix dicitur, statim de opibus ejusdem habetur sermo; si alius se infelicem esse queritur, statim suam deflet paupertatem: atque in mortalium colloquiis illud unum ferme argumentum est, ut quæratur, quanam ratione ille divitias congesserit, hic redactus fuerit ad egestatem. Si quis militiam sequi cogitat, vel aliud quodpiam obire munus; statim ad examen vocatur, utrum sua intersit, utrum cum utilitate illud vivendi genus amplectatur. *Desumptum ex Auctore Anonymo.*

Ingeniosa est avaritia.

Certum est avaritiam præ ceteris affectibus majori industria pollere. Inde illæ speciosæ ambages, quarum usus in opibus congerendis, inde maximæ quælibet violentiæ, sapientia in negotiis, prudentia in mercaturis, ratio in Principum aulis vocantur: inde prudentissimus in mundo ille putatur, qui locupletandi artem didicit &c. *In specimine sermonum Abbatis de Bretteville.*

Qui in terræ hujus bonorum amore immersus est eo usque procedit, ut spiritualium, æternarumque rerum paulatim obliviscatur. Semper suæ intentus utilitati sensim cætera flocci pendit, atque cupiditas sua circa ea tantum versatur, quæ sunt suæ existimationis objectum. Hac congerendarum opum voluptate captus, idque necessarium esse putans, non invitus, ac nulla ductus pœnitentia in quodlibet scelus ruet; eam, quam proximo debet charitatem, & eum, quem pro Dei, & religionis honore habere debet zelum, extinguet. Putasne iis adhærentem opibus, quas cumulare festinat, animæ suæ vacare posse, & ad ea animum advertere, quæ necessaria sunt, ut in corde suo Dei metus foveatur; sensus suos ea scrutari vigilantia, quam ipsius sanctificatio efflagitaret; meditari Evangelica dogmata, & ex iis gustum percipere? Illum tamquam ebrium vides, & audeo dicere, brutis similem factum propter turpe studium, quo rapitur; maximum ejusdem periculum in hoc positum est, quod periculum suum non intelligit. Affectus, quo ducitur, licet tumultum cieat, illi soporem inducit, non excitat; illum excæcat, & vinculis obstringit, atque eodem tempore, & vinculorum sensum, & tenebrarum adimit cognitionem. *Liber qui inscribitur Remarques sur divers Sujets de Religion, & de Morale Tom.* 2.

Vitia quædam scandalum licet, horroremque inferant, non ideo tamen difficillima sunt, quæ corrigantur: furentes eorum motus sæpe horrorem excitant, & quodammodo suam secum afferunt medicinam. Non desunt alia vitia occultiora, & secretiora, quæ animam agitant minori cum tumultu, & quorum habitus nonnisi raro perfringitur. Talis est avaritia: hæc in omni vita regnat, hæc totum cor occupat, & possidet; intelligitur quidem amor, quo lucrum quærit, illius turpitudo detegitur; doli & fraudes deteguntur, metuitur ars, sordes contemnuntur: sed aliquando occurrunt avari, qui alioquin virtutem nequaquam abominari videntur, satis modesti, frugi, in iis officiis diligentes, quæ ad præcipuam illorum cupiditatem non pertinent. Hos sua regit cupiditas, quin illos violentis fatiget motibus, qui alios aliquando peccatores ex suis erroribus excitant: illius mancipia sunt quin servitutis tyrannidem sentiant; illius jugo premuntur, quin de pondere conquerantur; ita ut ob periculum, in quo versantur, nullo timore afficiantur. *Idem.*

Cum avaro de horribilibus inferni suppliciis loquere: ne minimam quidem habet earum rationum ideam, quæ ipsi terrorem deberent incutere; sua illum utilitas excæcat, neque patitur videre, quod sibi immineat periculum. Huic immensa Paradisi bona describe, hæc illi fere ignota accidit beatitudo, eamque ne agnoscere quidem cupit: hæc enim ignorantia, hic contemptus naturales sunt immodicæ affectionis effectus, qua temporalia bona prosequitur; Quæ autem ineunda via est, ut convertatur? Raro accidit, ut avarus suum amorem relinquat ante obitum. Quis affirmare potest, se unquam hoc gratiæ miraculum conspexisse? Via quidem gratiæ in obduratissimorum peccatorum conversionem admiramur; Dei misericordiam benedicimus, qui tanta virtute, ac suavitate corruptissima etiam corda convertit: avarus autem pertinaciter efficacissimis gratiæ resistit illecebris, & plerumque ad tumulum usque secum fert nequissimam opes congerendi cupiditatem; Hæc autem avari insensibilitas in iis, quæ ad salutem pertinent eo funesta magis est, quo minus eam perpendere potest, & minori timore ejusdem afficitur. *Idem.*

Avari conversio rara, & difficilis.

Cum eorum sensus scrutamur, qui tanto amore hujus terræ bonis adhæserit, fateri cogimur ipsos oblitos omnino esse veritatum fidei, neque aliter facturos esse, si nihil penitus crederent. Suam requiem, voluptatem, & felicitatem requirunt in earum rerum copia, quas circa se, & domi suæ congerunt; sed eam numquam inveniunt: prout enim ipsa augetur copia, desiderium, ac spes semper plura congerendi augetur; crescit eorum sollicitudo cum eventu, & in consilio suo nihil ipsis magis negotium facessit, quam rationes illæ, quas præ manibus habent, ut omnia sibi cedant e sententia. *Idem.*

Numquam satis primitivæ Ecclesiæ felicia aurea sæcula capere possumus. Fideles tunc nihil proprium possidebant, sed ex quo meum, ac tuum distinguere voluerunt, & frigida illa verba, ut loquitur S. Chrysostomus, audiri inceperunt, quæ tamen in frigiditate, & per frigiditatem suam tantum in mentibus calorem cient; omnis ille fervor Christianus deferbuit, & fideles in maximam morum corruptionem dilapsi sunt. Quærentes sua, didicerunt aliena invenire, & invenientes aliena, hæc sua fecerunt; hinc tot divisiones, lites, fraudes, concussiones, oppressiones, usurpationes, abusus in ipsum usque sanctuarium obrepserunt. *P. Bourdaloue in variis sermonibus suis sermone de severitate Evangelica.*

Avaritia præcipua sollicitudinum humanarum causa.

O homines mundo mancipati, quænam est sollicitudinum, curarumque vestrarum, crudeliter adeo vos dilaniantium, origo? fatemini quæso: hæc est cupiditas, habendi libido, infelix, atque damnabilis terrenorum bonorum affectus: ibi vitæ hujus suavitatem quæritis; at summus ille ardor, quo conflagratis, vitam vestram excruciat. Et sane quænam sollicitæ curæ, ut illa acquiratis; quæ pœnæ, ut ea servetis, qui metus, ne illa amittatis, quæ vota, ut illa augeatis! quæ tristitia, quod vel confictam egestatem vestram explere, vel superfluis sumptibus vestris satisfacere neque-

nequeatis? quis dolor, quis mœror, quæ perturbatio, quis tumultus! cum vobis invitis evanescunt, & vel infelici negotio, vel inopinato eventu auferuntur! Quis pudor, si per hoc non in egestatem solum, verum etiam in opprobrium decidendum est! quæ præteriti temporis pœnitentia, quis præsentis dolor, quæ futuri sollicitudo inter tot pericula, quæ in hoc mundi commercio evitari non possunt, inter tot revolutiones, atque tumultus, quorum vos testes estis, & quibus quotidie vos ipsi estis obnoxii! Non alia superest medicina, quam Evangelicum illud consilium, quo omnia hæc terrena flocci facere jubemur. Da mihi pauperem corde: nihil hunc turbare poterit: videlicet da mihi hominem vere ab omnibus sensibilibus bonis divulsum, quodcumque periculum de illo fecerit Deus in adversis æque, ac in prosperis, in inopia, æque ac in copia lætissima pace fruetur. *Idem sermone 1. in Nativitatem Domini*.

Dæmon illius potestatis effectu, quam spiritus habent in corpora, supra excelsi montis cacumen transtulit JESUM CHRISTUM, eique omnia mundi ostendit imperia, sive oculis ejusdem quæcumque objecta subjiciens, seu veram regnorum omnium imaginem exhibens; vel potius inanes eorum species objiciens, dixitque illi: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Quæ unquam vulgatior, atque potentior illecebra esse potest, quam habendi plura his, quæ habentur, cupiditas? *Hæc omnia tibi dabo*? Quid ille verborum horum virtute non obtinet? nonne per hæc venalis quotidie prostrat justitia, pudicitia corrumpitur, evertuntur imperia, & suavissimi etiam amici produntur? *P. de la Rue sermone de Amore Dei*.

Divitiæ malæ non sunt, sed malum nimium eas possidendi desiderium.

Divitiæ malum non sunt, inquit S. Paulus Apostolus, qui de illis sanius ferebat judicium, quam falsi illi antiquitatis sapientes; sed inordinata divitiarum cupiditas est malorum omnium origo. Hæc igitur cupiditas damnanda est, non ipsæ divitiæ. Non divitiæ, sed qui illis abutuntur easdem immodica cupiditate cupientes, iniquis rationibus acquirentes, in improbe factis assumenentes, cum nimio affectu possidentes, cum sollicitudine conservantes, cum dolore, & desperatione amittentes, hi scelus admittunt, *Sermo manuscriptus*.

Propter opes scelera omnia patrantur; *tibi dabo*, ait tentator JESU CHRISTO. Proh Deus! quantum virus ad hanc quoque diem hæc verba in terras effundunt! quot mercenariis promissionibus se flecti patiuntur! Famulus Dominum suum corrumpit, cum eodem ea dividens, quæ sub ejusdem auspiciis, atque ejusdem existimatione suffultus rapuit; *tibi dabo*; Reus Judicem suum corrumpit, eidem partem fructuum suæ iniquitatis distribuens: *tibi dabo*. Impudicus innocuam fallit virgunculam, eidem magnas opes pollicitus: mulier ad suas voluptates pertrahere famulum ingenti oblatione conatur: *Tibi dabo*. *Idem*.

Terrestrium bonorum amor efficit, ne cogitemus cœlestia.

S. Augustinus ait, hunc divitiarum amorem esse viscum, quo cordis nostri alæ glutinantur, atque ne liberum ad Cœlum volatum arripiant, impediunt: secretum virus est in animam fluens, eique vim adimens, qua salutem suam operetur. Funesta illecebra est, quæ fallaci specie mentes nostras decipit, easque inani vanitatis fulgore perstringit. Cum quis in hoc infelici statu deprehenditur, & divitiis adhæret, menti quidem ejus caligo offunditur, cor vero inordinata affectione corrumpitur; relinquitur veritas, ut umbra quæratur; videlicet peritura tantummodo vitæ hujus bona depetimus, quin cœlestia cogitemus; temporalibus negotiis vacamus, quin salutis nostræ curam geramus; & hæ inquietæ sollicitudines nobis illud eripientes tempus, quod concessum est, ut cœlestem lucremur felicitatem, nihilominus inani titulo decorantur, & seria negotia, & magni momenti studia vocantur! *Desumptum ex sermonibus oblatis Accademiæ Gallicæ anno 1675*.

Avaritia cujusvis injustitiæ origo.

Cupiditas potissima est omnium iniquitatum nostratum causa; hæc numquam ait satis; hæc multa sibi necessaria esse comminiscens, semper est insatiabilis; hæc efficit, ut sudemus, elaboremus, & ad virium usque defectum festinemus; hæc, ut eruditus quidam ait, omnibus vitæ nostræ actionibus præest, & nos jugibus agitationibus torquet. Quemadmodum pluribus indiget, ita plurima fovet desideria, cumque hæc nequeant expleri iis, quæ in ipsa inveniuntur, necessario effundit sese extrinsecus. Nihil est quod non conetur etiam cum proximi detrimento, nulla non invenit jura, nullis non utitur artibus, ut sua fœnora contegat, nullos dolos, nullas intentatas relinquit fraudes, ut finem suum consequatur. Hinc existunt simoniæ, hinc falsa testimonia, hinc falsi contractus, hinc lites, hinc in litibus ambages, & astus. Hæc nequissima cupiditas vere cum S. Jacobo appellari potest *universitas iniquitatis*; ex ea quippe omnia vitæ civilis mala proveniunt; hæc efficit, ut fœnus tamquam aliquod prudentis industriæ inventum censeatur; hæc varias opum congerendarum rationes excogitat: Hæc una, inquit S. Zeno Veronensis, nefaria cupiditas in religione sanctissima nequissimas quæsivit rationes, quibus opes plurimæ conflarentur. Scimus argentum vilem esse humum, & nihilominus numquam satis est: *Pecunia tantum lutum, & numquam tali luto plenus est avarus*. Objiciendane vita est furentibus pelagi fluctibus? ignota sunt adeunda maria; Provinciæ, & regna peragranda; Interdiu, nocteque laboratur, vigilatur, nulla quies est, & hæc etiam in omnia cum quadam voluptatis specie transfiguntur. *P. Bourdaloue sermone de Restitutione*.

Esto, si hic nefarius affectus legitimis tantum rationibus uteretur: sed nihil intentatum relinquit, fas sit an nefas, æquum, an iniquum. Nonne propter hunc inordinatum amorem ne sanctissimis quidem parcitur rebus? in Sanctuarium quoque mercatura pervadit, & venale prostrat quidquid divinissimum est? nonne hic nefarius amor invenit artem ex beneficiis pensionum assequendarum, de illis mercaturæ exercendæ, atque paciscendi? nonne per hunc JESU CHRISTI patrimonium suffuratur avarus; & vitæ pauperum fit homicida? nonne per hunc inter bona sua fidelium adnumerat bona, quasi ad eadem jus aliquod obtineret? nonne ideo subditus Dominum suum fallere gestit, Dominus vero subditum opprimit, atque evertit? ita est; ideo utraque manu rapitur, pupillorum bona auferuntur, vidua, & orphanus bonis spoliantur, urbes, atque provinciæ vastantur. *Idem*.

Quid mercatorem cogit adulterare merces, ut simplices fallat atque illas pluris quam valent aliis venumdet? Quid illum cogit falsis ponderibus, falsisque mensuris suas merces distrahere, & illud latrocinium committere, quod in Scripturis abominatio coram Deo nuncupatur? *Pondus, & pondus abominatio coram Deo*? Hæc sane cupiditas est ditescendi, hic ille affectus est, quo quisque rapitur ad opes cumulandas, domum suam augendam, ac filiis affluentissimam rerum copiam relinquendam. Quid efficit, ut dives ille pecuniam suam in fœnus collocet? hæc sane est inexaturabilis avaritia; quæ numquam voti compos est. Plurimas habet opes, effecit Providentia, ut ex locupletibus parentibus oriretur, eam junxit affinitatem, propterquam magna facta est suis bonis accessio, plurima per industriam, atque calliditatem comparavit; attamen nondum contentus est, & quamvis in senectute frigescat, ejus non senescit avaritia, immo quotidie convalescit. Hoc illud discrimen est, quod S. Hieronymus inter hoc, & reliqua vitia animadvertit, quæ senescunt, & vires amittunt prout peccator senio conficitur. Impudicus doloribus, & infirmitatibus obrutus, quæ sunt suorum flagitiorum effectus, non potest amplius vacare libidini, & illud execratur scelus, propter quod tot malis afficitur? ambitiosus, ac superbus senectutis ægritudinem sentiens, non amplius luxum, & vanitatem ostentat. Matrona, quæ in adolescentia tot amasios jactabat videns pulchritudinem suam senio deflorescere secessum cogitat, & vacat pietati. Ita vitia quæcumque senescunt, & prout homines viribus destituuntur, & ipsa deficiunt. Una non senescit avaritia; immo

Avaritia in conditionibus, ætatibusque omnibus invenitur.

immo tantum abest, quod senescat, atque infirmetur, ut eo magis adolescat, & confirmetur, quo magis senescit, & infirmatur avarus. *Desumptum ex sermone manuscripto.*

Alia pleraque vitia quamdam habent turpitudinem, quæ primo intuitu rationem ipsam offendit, & conscientiæ, atque virtuti affert dolorem. Impudicitia dedecus suum tegere nequit: intemperantia eos trahit effectus, qui verecundiam cient, atque illius turpitudinem ostendunt; ultio satis in violentis motibus patet. Avaritia vivida est, & tumultuosa, sed perturbatio, quam parit, non adeo facile deprehenditur: strepitus, quem edit obtusus est, & fere numquam exauditur; mentem suis ideis accommodat, suam persequitur viam, quin ne cogitet quidem se errare. Amor, qui ejus caracterem constituit, non adeo noxius videtur, ut hominem terreat, & hic sensim in terræ hujus bonorum dilectione submersus eo usque procedit, ut æternorum bonorum obliviscatur. *Auctor Anonymus, & Recentior.*

Discrimen inter avaritiam aliasque animi ægritudines.

Reliquæ animi ægritudines cum ætate deteruntur; hæc vero convalescit: reliquæ ex boni, quod exoptarunt, possessione quiescunt; hæc ignis est devorans qui quo majora sibi suggeruntur alimenta, eo magis accenditur: reliquæ intra suæ activitatis sphæram continentur, paucissimæ ad omnia scelerum genera ostenduntur; hæc autem omnia fere complectitur. Cum avarus es, injustus es, violentus es, durus, suspitiosus, subdolus, infidelis, irreligiosus, & exlex. Ignorans, vel obliviseeris leges naturæ, gratitudinis, pietatis; neque Deum, neque consanguineos, neque amicos cognoscis; Deum quidem unum cognoscis, videlicet utilitatem tuam, hunc veneratis, huic omnia sacrificas, honestatem, conscientiam, salutem, & vitium hoc, quod tot mala parit, mox excæcans nobis eadem abscondit. *P. Nepveu Tomo 2. Considerationum Christianarum.*

Qui nimio ardore opes deperit, statim Deum amare desinit: statim suæ salutis obliviscitur, qui ditescere festinat: æternorum bonorum desiderio, & spe non afficitur, qui coacervandis bonis temporalibus vacat; & quam metuendum est, ne Christianus esse desinat, qui nimia sollicitudine locuples fieri festinat! Plurimi, S. Paulo teste, eo quod sese huic cupiditati addiderunt, eo usque processerunt, ut spiritualium omnium divitiarum fontem amitterent, nempe fidem. Cum avari facti sunt, facti sunt idololatræ, & plerique, cum divite illo apud Osee c. 12. fateri possunt; *Dives effectus sum, inveni idolum mihi.* Divitiæ factæ sunt objectum amoris mei, meæ adorationis, in illis spem omnem, & confidentiam constituo. Non audebis hoc fortasse, tuis labiis proferre; at si nimium tuis adhæres opibus, nonne palam hoc dicit animus tuus? nonne tu ipse hoc tua vivendi ratione fateris? *Idem.*

Actiones, quæ avarum produnt.

Avari non solum publici sunt inimici in iis omnibus, quæ ad opes conquerendas conantur; verum in hoc etiam sunt, quod justitiam, & charitatem non tuentur. Etenim quinam avari dicuntur, & propter quas actiones hoc nomen adeo infensum merentur? Ii sunt, qui æs alienum minime dissolvunt, nisi ægrius, & serius, quam possunt; qui quascumque litium tricas, & ambages exercent ut frustrentur creditores suos; qui sordida, atque inhumana avaritia opificum, aut famulorum stipendia, vel mercedem imminuunt; qui libenter vexuram faciunt; qui nemini gratificantur; eleemosynæ nullæ, nulla charitas, quamvis citra incommodum plurima erogare possent; qui denique jugiter acquirunt domos, agros, reditus, quasi omnia habere velint, & nihil cuiquam relinquere. *Cor eorum, & oculi ad avaritiam.* Jer. 22. *Liber cui titulus: Bellum vitiis.*

Aliquidne magis infensum videtur in Ecclesia, quam Ecclesiasticus, qui avaritiæ spiritu obsessus eos coacervat reditus, qui ad alendа JESU CHRISTI membra deberent impendi? Videtur quotidie non sine gravissimo Ecclesiæ scandalo, qui nullum familiæ suæ bonum possidentes, & beneficium non admodum optimum obtinentes ingentia bona congerunt: videntur Presbyteri, quibus plerumque non suppetunt, quæ ab honestum Ecclesiastici hominis victum sunt necessaria; & nihilominus exigua stipe ita parce utuntur, ut post mortem in arca ingentem auri copiam relinquant. Verum, ut hoc tantum boni congerant, quibus curis, quibus laboribus exercentur? fame intereunt, scissis vestibus male teguntur, jura sua tanta animi duritie repetunt, ut populi totius in se conflent invidiam; id quod sibi debetur, pauperi inedia pereunti nequaquam remitteret, & lucelli alicujus spes, illum ad sordidum quodcumque vitium demitteret. *Lambert sermone de Vita Ecclesiastica.*

Quomodo avaritia eorū, quos possidet, corda captivet.

Novi equidem affectus omnes tot esse tyrannos imperiose cordis libertatem, & ipsam hominis mentem captivantes. Fatendum est tamen, Scripturas, atque Patres avaritiæ præsertim vincula, & catenas tribuere, ad illum Tyrannidis genus exprimendum, quod illa exercet ratione prorsus particulari. Sanctus Augustinus ait bonorum terræ hujus amorem visco similem esse, cordis nostri alas moranti, ac prohibenti, ne libero volatu in Cœlum ascendat: *amor rerum terrenarum est Spiritualium viscum pennarum*; & alibi addit, Judam fuisse avaritiæ mancipium, & in vinculis Tyrannidis ejus, Christiani, & Apostoli libertatem amisisse. Sed vehementius hoc S. Paulus exaggerat, cum omnes animi morbos recensens avaritiam tanquam sacrilegam servitutem singulari voce designat; *quod est idolorum servitus.* Quorsum autem hæ loquendi rationes? ad innuendum videlicet duplicem Tyranni hujus characterem, vel duplicem catenarum ejus qualitatem. Summa cum facilitate in illas mortales decidunt, & summa cum difficultate illas infringunt propter violenta studia, quibus erga hujus mundi bona rapiuntur. *Biroat in adventu suo de mundi damnatione.*

Patrum sententia est, ex omnibus animi perturbationibus hanc diutius persistere, & minus pati remedia. Affectibus ea applicari possunt pharmaca, vel quæ ipsorum votis adversentur, vel quæ iisdem faciant satis; sed utraque avaritiæ sunt inutilia. Si JESUS CHRISTUS, & Evangelii, & gratiarum suarum adhibet vocem, quæ remedia sunt affectibus adversantia, amor, quo cupidum cor terræ adhæret, prohibebit, ne has cœlestes voces exaudiat. Mirum! S. Ambrosius *lib.* 2. Offic. c. 26. inquit Josue solem remorari potuit ac prohibere, ne suum stadium absolveret, at non potuit coercere militis avaritiam, & prohibere, ne quid ex hostilibus exuviis eriperet! *Ad vocem ipsius stetit hoc, Avaritia non stetit. Idem.*

Hic affectus in hominis cor constantem, & habitualem dispositionem inducit illum præparans ad omnia flagitiorum genera perpetranda quæ necessaria putabit ut inexplebilem, qua possidetur, repleat cupiditatem. Hæc est Sancti Ambrosii sententia, rationem adferentis propter quam Apostolus avaritiam malorum omnium radicem vocavit. Hæc enim, inquit ille, omnium scelerum genera committere potest, atque ut voti damnetur, nullum scelus intentatum relinquit; si per illud optatum finem se potest assecuturam. Qui sibi proposuit opes congerere, atque fortunam suam statuere; jam paratus est cuicumque sceleri perpetrando, quod ad id necessarium existimaverit. Aliquane signanda est injustitia? hæc signabitur, ut aliquod beneficium obtineatur: exercendane est simonia? hæc exercebitur: nullum peccatum est quod fugiatur, dummodo hoc opibus acquirendis inserviat. *Idem.*

Cur avaritia malorū omnium radix vocetur.

Terræ hujus bonorum affectio cum Dei amore simul esse non potest, Salvator inquit: *Non potestis Deo servire, & mammona.* Hanc singulariter animi ægritudinem exprimit ad innuendum odium irreconciliabile, quo illam persequitur. Profecto S. Augustinus ait, non ita de nobis ille meritus est, ut vellemus cum ipso amore avaritiam, & in corde nostro duos adeo oppositos simul amores conjungere; *Non est Christus dignus cum quo diligas avaritiam*; tu, ut ais, Salvatorem diligis; odisse ergo debes quidquid ille suo dignum odio putat. Avaritia Salvatoris est inimi-

nimies; cur legibus ejus obtemperas Domini tui præcepta contemnens? *Idem*.

Primum avaritiæ malum est spem suam in terræ hujus bonis statuere, uti Sapiens ait: *Sperabit in pecunia, & thesauris*; qua in re S. Basilius præstantissime ita ratiocinatur. *Sicut nulli alii nos præterquam Deo soli cultum tribuere par est; sic etiam, neque ulla in alia re spem nostram constituere debemus quam in Deo*. Unde concludit avarum, qui in suis opibus sperat, non posse vere dicere Deo: *In te Domine confido*. Infelix! duo simul objecta habere nequis, quæ sint summum tuum bonum: spem tuam collocas in divitiis; illam ergo in Deo collocare non potes: Deus non erit amplius possessio tua, quandoquidem non est spei, & amoris tui objectum. *Idem Biroat*.

Avaritiæ proprietates. Avaritia duas habet qualitates ignem imitantes; in habendi cupiditate insatiabilis est, & in motibus suis perniciosissima: cumque brevis sit omnium vita, celeriter festinat acquirere opes, quas optat. Verum enim vero fieri non potest, ut Christianus sequatur, & duplici huic cupiditatis suæ perturbationi satisfaciat, quin plurimas iniquitates committat. Aviditati, qua bonum deperit, numquam facere satis potest: duo simul conjungit, quæ simul esse nequaquam posse videntur, copiam, & inopiam; efficit enim, ut dives spei suæ magnitudinem semper protendat, & nihilominus numquam suæ mendicitatis, & egestatis sensum abjiciant: *Ita duo intolerabilia simul jungit, ut spem divitiis augeat, & non deponat mendicitatis affectum*. *Ambrof. l. 1. Nabuc. c. 2.* Quid ab hujus viæ viro expectandum est? Huic liciti questus non sufficient, sed quemadmodum illius cupiditas insatiabilis est, ita indiscriminatim æquos, iniquosque requiret; ubicumque lucrum quæret, ac nullis laboribus parcet, dummodo suæ satisfaciat cupiditati: *Rapiendi nullus modus, ubi nulla mensura cupiendi*: ait S. Ambrosius lib. de Abel. *Idem*.

Avaritia non solum sese abdit, verum etiam iniquitatum, quas patrat, immutat nomina; Sacrilegum simoniæ pretium honestam remunerationem appellat; Usurarium contractum scientiam dicit ex argento fructum quærendi, sed quocumque nomine fœnora tua voces semper usurarii sunt, & criminosi, inquit S. Ambrosius: *Quod velis, ei nomen imponas, usura est*. Vel ita lucrum quærere fas est, vel nefas: si fas, cur nomen vitas? cur aliorum vocabulorum integumento factum involvis? si nefas, cur conscientiæ tuæ sumptibus acquiris? *Idem*.

Avari suas injustitias conscientiæ suæ accommodare conantur. Quædam sunt scelera, quæ non sine quodam conscientiæ prætextu avaritia committit. Hujusmodi sunt versutiæ in negotiis, simoniæ in Beneficiis, usuræ, quantum vulgatissima est consuetudo. Quid autem fideles, quibus aliquis adhuc reliquus est sensus religionis? Conantur, ut ait Propheta, Psal. 17. injustitias suas ita aptare, ac instruere, ut auferant horrorem peccati, & eas sibi licere persuadeant: *Injustitias manu vestra concinnant*. Conantur moralem suæ accommodare cupiditati, consulunt Casuistas, si quem laxiorem invenerint, qui hoc licere arbitretur: volunt utilitatem propriam suæ normam esse conscientiæ. *Idem*.

Affectus omnes industrii sunt, & ubi dominati fuerint rationi, ejusdem luminibus abutuntur, ut quidquid sibi magis terrenum, ac brutale inest, hoc maxime expleant. Quamvis avaritia tota est terræ insepulta, ingenium nihilominus habet, & sexcentas artes excogitat, quibus opus acquirat. Hæc vocatur ratio utilitatis quærendæ in negotiis; hoc dicitur scire, rem suam gerere in contractibus; Aulæ tricas intelligere; mundum nosse; sed hoc à Deo abominatio vocatur. *Idem*.

Prætextus colligendi bona pro filiis. Hanc prætexunt causam plerique patres familias, qui sibi avaros esse licere putant, ut filios relinquant hæredes bonorum ingentium, quæ ipsi congesserint, quin cogitent, utrum bene vel secus usuri sint: sed certum est hanc opum coacervandarum aviditatem non esse tantum amoris, quam avaritiæ argumentum. Non tam relinquendi bona, quam iisdem fruendi voluptate afficiuntur: quæ si morientes secum auferre possent, ne illi quidem hæredum suorum spem frustarentur. *Flechier sermone de Eleemosyna*.

Avaritia est insatiabilis. Si quis est avarus, avidus, & in opibus congerendis sollicitus, huic quantumcumque divitiarum velis, tribue; Hoc nihil erit: quo plura illi contuleris, eo minus illius cupiditatem explebis: *insatiabilis oculus cupidi, non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam*. *Prov. 23.* Oculus ejus saturari non potest, ea omnia possidere vellet, quæ videt. Munus, quod optat, & quod tandem assequitur, gradus est, ut ad ulterius perveniat; hæreditas, quam tamdiu cupiit, ac tandem obtinet, est dispositio ad eas, quibus inhiat usurpandas; adde aurum auro, munera muneribus, non satiabitur. Corpus illius vigiliis, atque jejuniis attritum sit, caro assiduis languoribus exarescat; hic cumulandi, & thesaurizandi affectus vigebit semper, & licet prope sit, ut animam efflet avarus, nullas habebit inducias, nullam requiem. *Joly Propositione de Avaritia*.

Fœneratorum calliditas. Cum fœnerator pecuniam dat mutuam, loquitur de contractibus, agrorum oppignorationibus, pecuniæ ad certum tempus restitutione, lucro ultro sortem, & magno quæstu, quem fecisset, si alibi argentum collocasset. Hæc omnia definunt in explicita stipulatione, vel saltem in spe lucri ingentis, quod ex mutuo se putat assecuturum. Hinc prædia nobilium virorum, vel filiorum familiæ oppignorantur; eaque adeo callide recenti mutatione involvuntur, ut e manibus fœnerantium nequeant elabi. Hinc dure ea repetuntur, quæ liberaliter mutua data fuere; hinc sumptus imponuntur, eorum reditus petuntur, agri Prætoris decreto subjiciuntur & multiplicatis usuris extorquentur: hoc enim industriæ fœneratoris ingenium est. *Auctor sermonum moralium de fœnore*.

Avaritiæ crudelitas. Unquam ne cum horrore infamem illum Tyrannum Adonisedech considerastis, qui cum septuaginta regibus coronam, sceptrumque arripuisset, eisque summas manus, pedesque obtruncasset, in cœnaculum suum adduci illos jubebat, ut quidquid de mensa decideret, colligerent, & veluti canes projecta ossa corroderent? Heu lugubre spectaculum videre calamitosos Reges vestibus denudatos, cogente fame venire in terram demisso sub tyranni mensa repere, ac inter se de panis ossa, vel obsonii particula a tyranno projecta decertare! In hac historia deprehendere mihi videor illius tyrannidis imaginem, quam in miserrima sua mancipia exercet avaritia, postquam illis libertatem, & cœli coronam rapuerit. Illis pedes, manusque abscindit; pedes non habent, ut in via, quæ ad Cœlum ducit, incedant; manus non habent, ut bonis operibus mereantur; in hoc unum intenti sunt, ut humi repant, inter se decertent, ultro citroque sibi morsus infestat pro exigua auri particula, pro bono exiguo, quod invitare quidem illorum potest desideria, saturare non potest. *P. Texier in Quadragesima*.

Deo & Mammonæ servire nō licet. O Domine, tu dixisti, & tu ipsa veritas es; neminem duobus dominis servire posse, opibus, & Deo. Frustra putant homines confictam neutralitatem probare; frustra inanem cordis separationem ostentant: quo plura habent bona, eo magis illis adhærent; quo plura avaritiæ suppeditantur alimenta, eo magis illa inflammatur, ita ut difficilius sit divitem ea contemnere, quæ possidet, quam pauperem non cupere ea, quæ essent contemnenda .... Deus ne, qui passim paupertatem Christianam commendat inordinatam bonorum acquirendorum cupiditatem probaret? Evangelium ne, quod pauperes spiritu, & corde beatos dicit, inexplebilem avari cupiditatem ferret? providentiam ne quæ vult hominem in humili, ac devota mandatis suis obedientia versari, illius sese subjiceret aviditati? *In sermonibus Moralibus sermone de Usura*.

Cum Avaritiam Apostolus vocet idololatriam. Apostolus avaritiam idololatriam vocat, quia avarus omnem spem suam collocat in divitiis. Spes enim honor est, quo Deum colimus tamquam bonorum omnium originem, & quædam est providentiæ con-

confessio omnibus egestatibus nostris invigilantis. Avarus nihil a Deo exspectat; in suis thesauris confidit; hæc illius spes est, hæc confidentia, ideoque hæc ejus idolum. Locuples avare opibus ne abutaris: si auro, argentoque in pauperibus alendis usus fueris, aurum est, argentumque; sin autem custodieris in arca, idolum est. Ethnicus hoc in templis adorat, avarus in nummis. *P. Crasset Tomo 1. de fide victrici.*

O avaritia! usquequo fidelium mentes fascinabis, ne videant fidem, quæ illis suadet, ut omnia terræ bona sacrificent, toto cœlo præstare fortunæ, & iniquitati, a quibus divites fiunt? Quousque prohibebis, ne intelligant, nihil ipsis profuturum omnia mundi acquirere bona, si per hæc animæ suæ detrimentum patiantur; atque thesauros suos non secus ac divitum gloriam nequaquam cum ipsis esse efferendam? Attamen o inauditam cœcitatem! minus salus amatur sua, quam fortunæ; minus justitia, quam opes quæruntur: fruuntur fructu iniquitatum suarum, cupiditatis suæ progressibus plaudunt, & nihil unquam adnituntur, ut sua fides, & charitas progrediantur. Quam parum igitur norunt, quid sibi prosit! festinant ea lucrari bona, quæ tuto ne momento quidem possideri possunt, congeruntur opes, quæ relinquuntur in morte, quas aliena manus noctu potest eripere, quas hæredes intra paucos annos obligurient, & ob id æterna malunt amittere bona, quæ numquam satis possunt æstimari! *Ex manuscripto sermone.*

Quæ scelera avaritia suadet. Hæc insaturabilis divitiarum aviditas efficit, ut omnes iniquitates, omnes versutiæ in commerciis, infidelitates in promissionibus perpetrentur: omnia hæc mala parit ardor ille omnia comburens, qui neque viduæ, neque pupilli miseretur, qui sanctissimas naturæ leges perfringit, ut immensam suam expleat cupiditatem. Hinc vota illa familiæ suæ opibus augendæ, nominis ad maximum celebritatis apicem, ipsis etiam religionis, atque Ecclesiæ sumptibus evehendi. Hinc coacta illa sacrificia, quibus Domino offeruntur filii, qui minus amantur, ut qui magis diliguntur, fiant locupletiores; hinc invitæ illæ victimæ, quæ ad Domini aram statuuntur, quin earum voluntas consulatur; hinc temeritas illa in familia statuendi Pontificem, qui ad sacrum ministerium tanquam Aaron vocatus non fuit; hinc illa audacia invadendi patrimonium pauperum, & dilaniandi, ut ita dicam, hæreditatem JESU CHRISTI, ne sua dividatur. *Desumptum ex sermone P. Massillon.*

Hic morbus est, ex quo nemo convalescere potest citra peculiaris gratiæ subsidium. Cum quædam animi ægritudo per se non habet, unde possit expleri, passim suppetias ex alia petit, quæ sibi fert opem, atque tunc facile id obtinet quod contendit. Ultio exempli gratia, effuso sanguine extinguitur; adversa fortuna plerumque ambitionis insolentiam infringit, libido cum effœto corpore senescit; sed hæc omnia augent avaritiam. Ambitio illam excitat, eam allicit voluptas; effœtum senectute corpus voluptatibus frigescens bonorum fit insatiabile. Defessum cursu, & jamjam in sepulchrum demittendum quotidie novos commeatus comparare festinat pro itinere, quod cito absolvendum est. Avaritia divelli nequit ex illius corde, quem possidet. Unicus JESU CHRISTI oculorum conjectus Petrum movet; vox una convertit Paulum, Thomas incredulus simul ac JESU CHRISTI resuscitati vulnera attingit fidelis exsistit; sed nec adspectus, nec vox, neque osculum avarum Judam convertere potuerunt. *Idem.*

Consideratio super insatiabilitate avaritiæ. Heus! frater mi, si domi tuæ rivulum habes ad extinguendam sitim, cur alium, æque immensum, ac mare quæris, qui fortasse sitim faciet ardentiorem? Si satis bonorum habes, ut tuis egestatibus consulas, cur plura quæris? qui flagrat hujusmodi desideriis, opes habet, & non habet: habet quidem, quia jam locuples est, & thesauris thesauros accumulavit; non habet autem, licet enim habeat, omnia desunt illi, qui nimia fide suas opes tuetur. Ita vivit, quasi omni careret pecunia; ac tandem pauper obiit, postquam vixerit dives; nihil ergo illi prosunt opes suæ, pauperibus enim ipsis pauperior ex hac vita decedit. *Idem.*

Nonne in terras JESUS CHRISTUS descendit, ut funestæ ac perniciosæ huic animorum nostrorum ægritudini mederetur? Nonne ut de fidelium corde crudelem hanc avaritiam expelleret, amori paupertatis, & beatitudinis nomen, & principem locum attribuit? Nonne, ut mortalibus hunc errorem auferret pro terrenis, cœlestia se elargiturum bona pollicitus est? Cumque in terras venire posset plena bonorum omnium affluentia circumdatus, quippe qui supremus est rerum omnium Dominus, nasci tamen voluit in stabulo, ac majorem dierum suorum partem in officinæ squalore transigere, nudum in Cruce animam efflare, atque inter Judæos maxime rudes pauperem, simplicemque Religionem statuere? *Idem P. Massillon.*

Visne effectus avaritiæ cognoscere? qui hac possidentur, plurimis, gravissimisque doloribus excruciantur; *Inseruerunt se doloribus multis*: doloribus interdiu, avarus enim opibus congerendis, augendisque tantummodo vacat; doloribus noctu; singulis enim momentis somnus ejus intercidit metu, ne ea, quæ possidet, bona surripiantur: *doloribus multis*; interdiu fur ingeniosus, & pirata crudelis fratris sui vineam invadere, & auferre conatur; noctu, timidus pecuniæ custos ipse quoque fures & piratas metuit, ne bonis exuatur. Hi igitur dolores tantummodo sunt, laboresque. Quæ enim cura ut quærantur opes! Quinam dolor, atque mæstitia, ubi amittuntur!..... Verum est, inquit Scriptura, opes spinas esse manum eorum pungentes, qui illas nimis arcte claudunt. Avarus autem, qui bona possidet, nonne ita ea claudit, ut difficile dictu sit utrum magis ipse argento serviat, an ipsi argentum? donec sub imperio hujus cordis nostri dominæ avaritiæ vivimus, ipsa nos ad arbitrium regit: bona hæc modo luxus dissipat, modo exhaurit intemperantia. Fur illis repente potiri potest, mors setius, ocyus eadem rapit, & quemadmodum hæ divitiæ cito vel sero cor nostrum dilaniant; ne in præsentiarum illud discerpant, nonne æquum est, illis minime adhærere? *Idem.*

Hominum plerique hodierna die in eadem cæcitate versantur, in qua olim quidam primorum sæculorum fideles, quos acriter Tertullianus corripiebat. Cur ajebat ille, *aurum, & argentum, Deus conversum execraris, sed ipsum aurum, & argentum in corde tamquam Deum colis*? Miraris, quod Ethnici aurea, & argentea habeant simulacra, quæ tamquam Deos suos venerantur; sed mirari potius debes, videns similem a te ipso tanto ardore aurum, argentumque depereunte idololatriam perpetrari. Hoc efficit, ut non sis verus cultor Dei, quandoquidem *avaritiam in templum dedicasti*: Gentilium idola sunt idola mortua, sed idola tua idola sunt in tuo corde viventia, & hac te solum ab Ethnicis differs. *Idem sermone de exiguo electorum numero.* — Quomodo avaritia est idololatria.

Nullus in terris avarus est, & pœne dixerim nullus dives, qui avaritiæ numini suam requiem, honestatem, vitam, conscientiam, & salutem non devoveat. Ita est; avarus divitiarum Deo suam requiem sacrificat. Quot enim laboribus, & curis exercetur, ut sua augeat bona? quot sollicitudinibus, ut illa tueatur? Certum est majori tormento ab avaris pecuniam, ut possidetur possideri, quam eamdem amitti. Locuples avarus de hoc modo diffidit, de alterius modo ambigit fide; atque ita propter mentis suæ perturbationem nullam in seipso requiem nanciscitur. Quorsum autem? quia requiem suam avaritiæ devovet, & Deus avaros non patitur impunes: *Ipsa sibi pœna est avaritia*; *inquit Cassiodorus. Sermo manuscriptus.*

Tam deest avaro, quod habet, quam quod non habet, Sanct. Ambrosius ait: Putat avarus se per avaritiam multas opes congerere; sed tandem æque — Egestas avari.

se pau-

se pauperem invenit, ac si nihil possideret: non quod illi bona desint, sed quod ipsum ita sua rodit avaritia insaturabili concervandi opes opibus desiderio, ut in maxima servorum omnium copia, quin se beatum putet, sibi semper inops videtur: quod efficit, ut bonis illis, quæ possidet, non audeat uti, & si eorumdem particulam adhibere cogatur, non gaudeat, sed summo mœrore afficiatur. Undenam hoc? quod nempe voluptatem ipsam suæ sacrificat avaritiæ. *Idem*.

Sed multo majora præstat avarus; sacrificat enim sordido huic affectui suam etiam honestatem, ita ut seipsum reddat infamem, cupiens potius fanda, infandaque omnia perpetrare, quam infestissimam hanc cupiditatem relinquere. Sese alienis contemptibilem, suis non ferendum, mortalibus denique omnibus invisum præbet. *Idem*.

Avari status in morte.

Quænam erit mentis perturbatio avaro morienti, quandoquidem, ut inquit Scriptura, sola mortis cogitatio, quam vivens evitare non potest, ipsi est amarissima? *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* Eccli. 4. Quis erit animæ tumultus, cum moriens iis omnibus exuetur bonis, quæ possidebat in terris! se putant locupletem; sed in morte se pauperem esse cognoscet; eo quod generatim res omnes ipsi auferentur; eritque similis illi qui in somnis magnas sibi opes videtur habere, sed qui ubi evigilaverit, nihil invenit in manibus suis, Psalmo septuagesimo quinto: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis*. *Idem*.

Impossibile est, Salvator ait, hoc est difficillimum, locupletem ingredi regnum Cœlorum. Heu quot divites reprobati sunt, eo quod intelligere noluerunt effatum hoc non minoris momenti, ac illud; scilicet neminem duobus servire posse, & divitiis, & Deo: hoc enim idem est, ac facere quod cupiebant Philistiim, qui Dei viventis arcam, cum idolo Dagon consociare volebant, ideoque utrumque in eodem templo prope collocaverunt. Ita mortales faciunt; Deum cum Dæmone avaritiæ conciliare contendunt. Quasdam comminiscuntur, & prætexunt causas, ne aliquid pauperibus erogent, ne æs alienum dissolvant, atque ut creditores, famulosque suos justa mercede frustrentur. Iis sese illaqueant negotiis, in quibus salutis periculum adest; filios Ecclesiæ devovent, ut ingentes reditus adipiscantur, & quod mirum est, in hac re virtutem, prudentiam, & charitatem suam gestiunt commendari. Verum hæc mera illusio est; ut enim hoc virtutis, & charitatis opus habeatur, oportet Deum in eorum corde solum regnare, quemadmodum arca Dei olim de Idolo Dagon egit triumphum. *Idem*.

Dives avarus semper est pauper.

De divite avaro dici posset, paupertatem, quam conatur effugere magnas undequaque colligens divitias, justam esse sui sceleris pœnam; ipsum a providentia damnati, ut nihil habeat, quia omnia vult habere, ipsum paupere esse pauperiorem; si enim plurima desunt paupertati, omnia desunt avaritiæ: ipsum denique monstro esse similem, quippe qui in persona sua, & divitis fortunam, & infortunium pauperis conjungit. *P. Dozenne in libro, cui titulus, Moralis JESU CHRISTI*.

Mortificate, inquit Apostolus, visibilium bonorum cupiditatem; hæc species est idololatriæ cultum, qui Creatori debetur, ad creaturam transferentis. Et sane nonne videmus hominem, cui dominatur avaritia, cor suum Divinæ Majestati surripere, ut suæ voluptati offerat holocaustum? nonne huic idolo sacrificat suam requiem, valetudinem, honestatem, conscientiam? nonne in terræ hujus bonis fidem, spem, amoremque constituit? nonne tres has virtutes præcipuas in totidem teterrima vitia convertit? Dei præceptum, ubi cum illicito quæstu conferantur, nihili penditur, & mallet avarus potius Dei ipsius, quam tenuis lucelli jacturam subire, pro quo Judam imitatus JESUM CHRISTUM illius hostibus prodit. *Idem*.

Avaritia necessitatem prætexit.

Infelix ista cupiditas specioso necessitatis prætextu se protegit: hæc enim dictitant vulgo: Verum est, nos quatenus Christianos esse Dei filios, ut bonorum operum meritis vitam æternam assequamur; sed vivendum est, ingentes habemus familias, quærendum est, unde filiis famulisque victum tribuamus; Ideo nobis laborandum est, neque facere possumus, quin vita nostra multis laboribus exerceatur, & animus curis, & sollicitudinibus agitetur. Quomodonam aliter fieri posset? Hanc vulgo afferunt homines excusationem, quæ sane præ cæteris videtur æquissima; verumtamen laborat. Hæc necessitas, in qua versamur, omnes mentis agitationes, omnes cordis affectiones, curas omnes, & omne vitæ spatium impendit, ita ut fere nihil Deo relinquatur; & audeo dicere, ex omnibus tentationibus, quibus utitur Dæmon, ut nos a cura nostræ salutis avertat, & a vera pietate detorqueat, hanc pro vitæ necessitatibus sollicitudinem telum infestissimum esse, ac validissimum. Et ratio constat: secretam enim celat avaritiam, qua cor tamquam vinctum tenetur, ita ut jugiter inopiæ timore agitatum seipsum torqueat, ac laniet. Gemit, queritur, obmurmurat, omnia ad corporis necessitatem transfert, & cui sufficere posset simpliciter necessarium suo labore acquirendum, superflua congerere cupit; semper copiam, & excessum expetit; timet enim, ne decidat in necessitatem. *Desumptum ex libro Homiliarum moralium Homilia decima quarta post Pentecosten*.

Qui vere Christianus est, seu in rerum copia, seu inopia versetur, cor habere debet à terræ hujus bonorum vinculis expeditum. Quid efficit Charitas? Miraculum facit cupiditatis miraculo ex diametro oppositum. Cupiditas facit, ut locupletes in rerum affluentia pauperes sint & egeni; Charitas facit, ut pauperes in sua egestate sint divites. Cupiditas facit, ut qui in bonorum copia versantur, ea non possideant, sed ab iis possideantur, quam ob rem in Scripturis dicuntur: *Viri divitiarum*: sunt enim divitiarum suarum servi, non domini, & illis minime fruuntur: Charitas e contra facit, ut Sancti viri, qui omnia reliquerunt, ut pauperem JESUM CHRISTUM sequerentur, nihilominus omnia possideant. Hæc perpendens Sanctus Augustinus Sermone quadragesimo secundo de Tempore admiratione captus exclamat: *Magna divitiæ charitatis, sine qua dives pauper est, cum qua pauper dives est. Quodnam est cupiditatis miraculum? Omnia possidentes, & nihil habentes:* primo Corinth. sexto: facit, ut qui omnia possident, nihil habeant omnino. Quodnam e contra miraculum Charitatis? *nihil habentes, & omnia possidentes*; facit ut, qui nihil habent, omnia possideant, & res nul à illis deficiat. *Moralis Christiana auctoris ejusdem, Tomo 6. Sec. 1. Articulo 6.*

Pauperes ipsi nonnumquam avari.

Pauperes iisdem periculis sunt obnoxii, quibus locupletes, eorumque paupertas, quin sit salutis ipsorum fundamentum, erit fortasse causa damnationis illorum: quamvis enim sint pauperes, non ideo, saltem plerique, avaros esse desinunt, atque bonorum terræ hujus sunt inexplebiles, non secus ac locupletes. Hoc autem liquido in eorum pluribus innotescit, quorum cor tanta æstuat cupiditate, ut pro turpi lucro, pro re abjecta, & nullius pretii ad Dei, & Ecclesiæ præcepta infringenda parati sint: nullum enim peccatum est, quod passim non patrent; dummodo lucrentur; mentiuntur, jurant, pejerant, fratres suos produnt, iniquis ponderibus, & mensuris merces suas distrahunt, laborant, suaque exercent commercia diebus illis, quibus ea transigere nefas est. Quid non audent? Avaritia falsum necessitatis colorem prætexens malorum omnium radix est, & origo. *Idem*.

Si pauperum summam in communi accipimus, omnes

omnes fere interiorem cupiditatem necessitatis prætextu dissimulant. Hinc discruciantur tantopere, ut turpem quæstum ferant, & hanc prætexentes causam, quod ad victum sibi comparandum laboribus vacare debent, & Divini cultus, & propriæ salutis obliviscuntur. Nimiam hanc sollicitudinem Salvator in Evangelio redarguit: hic enim est insanus bonorum temporalium amor, hæc avaritia est illi similis, qua mundi hujus locupletes laborant. Inter utramque enim hoc tantum discriminis interest, quod divitum avaritia circa superflua bona versatur, quorum quacumque via quærunt incrementa: pauperum autem avaritia in eo tantum posita videtur, ut necessarium acquirat. Cæterum quæ scelera divites patrant, ut augeant thesauros suos, & opibus opes aggerant, in eadem pauperes ruunt ob levissimum, ac tenuissimum quæstum. *Idem*.

Avaritiæ character. Primus Avaritiæ character est habitualis insensibilitas, & cordis duritia erga pauperes. Avarus in seipsum immitis est, quænam ergo ratio suadet, illum aliis mitem fore? Sibi renuit necessaria, aliis renuet superflua. Clament, gemitusque edant pauperes, eorum numerus quotidie augeatur; avarus se tamquam primum pauperem putat, & falsus hic pauper credit veris pauperibus omnia sibi esse neganda. Quin Divinæ gratias agat Providentiæ, de ea queritur egestate, in qua se relictum dolet; & hisquis oculis aliorum prosperitates respiciens, si frui nequit, quod illi possident, se teneri non putat ad stipem erogandam ex eo, quod habet. Si illum audis, isti modo sunt ficti pauperes, confictas prætendentes egestates: modo inertes sunt mendici, qui sine aliena ope victum sibi comparare possent; modo sunt pauperes importuni, qui patientiam fatigant, & largam invenire possunt stipem apud illos, qui se longe ditiores sunt. Quomodocumque sit, durus est, & nihilominus, se in oculis Dei putat innocuum. *Desumptum ex Dictionario morali. Sermone* 1. *de Avaritia*.

Cordis obduratio alius est effectus avaritiæ, & avarorum calamitati cumulum addit. Vivunt, quin seipsos cognoscant; plerumque moriuntur, quin convertantur. Criminis sui, neque circumstantias, neque tristissimos effectus norunt: sed licet hæc nossent, fere semper se in eo statu constituunt, unde nequeant emergere. Hoc satis probat exemplum Judæ. Si Apostatæ hujus obdurationem, impœnitentiam, ac desperationem perpendas, nihil est, quod non terreat; sed si propius ad examen revoces verum tanti mali principium, nihil est, quod non majorem stuporem injiciat. Postquam Dominum suum hostibus vendidit, seipsum laqueo suspendit, & propriis manibus sibi mortem conscivit. Nisi nos palam docuisset Evangelium perfidiæ adeo detestabilis principium, cogitassemus Judam Dœmone obsessum, ac furentem parricidas manus injecisse in Dominum suum; ast non ita; nullum odii sensum in JESUM CHRISTUM Judas conceperat. Quare igitur illum turpissime prodidit? Rationem adfert Sanctus Ambrosius; quia pecuniam prætulit JESU CHRISTO. *Idem*.

O Locupletes, tandem aliquando, ubi avaritiam vestram expleveritis, & ingentem vobismet fortunam extruxeritis, tamquam illud ingens Nabuchodonosor simulacrum ex variis metallis conflatum ex pauperum substantia, tandem aliquando post tot æqua, ac iniqua moriendum erit. Tumuli vestri lapis ditissimum hunc apparatum in pulverem, ac cinerem rediget; districto gladio mors irruet, & vos dividet ab opibus vestris, quibus injustis adeo, & pertinacibus vinculis estis alligati, ut nullum consilium, nulla ratio ea possit infringere. Nondum ne auditis imperiosam vocem ea vobis dicentem, quæ Deus dixit Abrahæ, licet alio prorsus in sensu: *Egredere de terra tua*? Genes. 12. Proh superi! quibusnam oculis dives jamjam moriturus respicit exempli gratia domum illam, ubi animam est efflaturus, tot injustitiis quæsitam? Quidnam dicit cor ejus superbis illis substructionibus, pro quibus cœlesti sede cariturus est, & quas relinquere cogitur? Eo saltem momento illius frigescit avaritia, ac deserit eorum bonorum amorem, quæ relinquere necessum est. Verum tunc non erit amplius tempus; nequicquam eorum cupiditatem abjicient; nam nimis sero; nam ægre, & inviti; nam non sine dolore ac desperatione illam abjicient. Videte ergo, num hodie cum merito ea facere præstet, quæ aliquando ex necessitate erunt facienda. *Biroat in conclusione Sermonis* 13. *Adventus*.

JESUS CHRISTUS Baptismi Sacramentum instituit, ubi solemni hoc verbo, *Abrenuntio*, cupiditatem bonorum terræ hujus nobiscum natam, & quam nascentes nobiscum attulimus, abdicemus: Nihil minus requirebatur, quam Sacramentum agens per virtutem Sanguinis JESU CHRISTI, ut cordis nostri cupiditas extingueretur. Quo plura habemus, eo plura habere cupimus; quo plura possidemus, eo majori cupiditate possidendi flagramus; ex adverso reliquorum affectuum, qui sensim per diuturnam objectorum suorum possessionem defervescunt, & nisi nobismetipsis caveamus, funestus hic amor altas adeo radices jacit, ut quæcumque in terris jucundissima sunt, ipsam etiam Cœli, quam speramus, partem potius sacrificaturi simus, quam illum exuamus. *Auctor sermonum in omnes Anni Dominicas Tomo* 4. Licet mundo abrenuntiavimus in baptismo, in nobis cupiditas semper augetur.

Utique, auditores; statim ac cupiditas cor nostrum pervasit, hoc jam par est sine metu, sine pudore sceleribus quibuscumque patrandis; neque ullum criminibus suis, non secus ac desideriis finem potest imponere. Nefarius ille contractus signandus est; pravum illud consilium capiendum; vidua, & pupilli opprimendi; ficta chyrographa supponenda, concussionibus, rapinisque vivendum? hæc omnia fiant, dummodo sint cum quæstu conjuncta. *Idem*.

Sanctus Basilius non patitur fideles pecuniam sibi pro inopinatis eventibus reservare: hæc sunt illius verba, adversus eos, qui ditescere cogitant. Postquam consultum fuit, inquit ille, sumptibus omnibus, & necessariis, & superfluis; atque adhuc multum superest pecuniæ, in secretis locis occulitur, & humi defoditur: Atque hæc causa prætexitur, futurum incertum esse, consulendum iis necessitatibus, quæ possunt ingruere: sed thesauri hac ratione abditi usus futuro ipso incertior est. Insignem hominum insaniam! laborant jugiter, ut ex terræ visceribus & subterraneis fodinis aurum, & argentum effodiant, effossumque rursus terræ mandant, & cum eodem simul cor suum ibi contegunt; quandoquidem, juxta Evangelium, ubi thesaurus eorum est, ibi & cor eorum. *Thiers in libro*, *cui titulus*; *Advocatus pauperum*.

Mortalium, qui sub sæculi hujus bonorum pondere gemunt, servitus nequaquam levior est, licet fortasse minus sentiatur, quam ea, in cujus squallore versabantur Israelitæ. Adeo oppressi erant labore; & animi oppressio, ad quam servitus illos redegerat, tanta erat, ut Moysem de terra promissa loquentem audire non possent. Talis est servitus eorum, qui in id unum incumbunt, ut divitias comparent. Difficile est, ut in illa oppressione, quæ plerumque hunc statum sequitur, de Deo valeant cogitare. Nequicquam de Deo loquimur, apud eos mortales, qui terrenis bonis adhærent; cura, qua ad illa acquirenda torquentur, reliquas omnes curas exhaurit; cogitatio hæc ad se trahit reliquas cogitationes; nihil relinquit, quod mente in usum suum non convertat, similis radici nequam ad se humorem, ac ambientis telluris partes pertrahenti, ut fructum suum ferat, & augeat. *Auctor Sermonum Christianorum. Sermone nono in professione Sanctimonialis cujusdam*. Avarorum servitus.

Quantumvis severæ, & rigidæ sint leges, nullam habent auctoritatem, ubi dominatur avaritia. In justitiæ lancibus nullum pondus obtinet veritas, cum judicium in pecuniæ partem inclinat. Pau-

Pauperes! victi judicio decedítis, quantumvis constet æquitas causæ vestræ: Orphani vestra diripiuntur bona; Viduæ bonis omnibus exuimini. Forum petunt, tamquam pecuniæ messem, ibique omnes plena manu demetunt, advocatus, procurator, judex, & quo majus in causa speratur lucrum, eo plures quæstiones habentur. Magistratuum ministri ditescunt, cliens exinanitur, & licet sævissimis constringendus sit suppliciis reus, non metuit crucem, cum divitiarum suffragio se judicii laqueos evadere posse arbitratur. *Venditur auro justitia, nullumque reus pertimescit crimen, quod redimere nummis existimat. Idem.*

Avarus infelicem vitam vivit.

Mirum sane est, non deesse homines adeo humani sensus expertes, & adeo in semetipsos crudeles, qui ut affectibus suis pareant, calamitosissimam vitam vivere non detrectant. Cum inopinata calamitas, vel fortunæ procella locupletem, potentemque virum, ad paupertatis squallorem redegit, hoc illi saltem suppetit solatium, quod non ultro sibi hanc conflaverit infelicitatem, & domini imperio sese subjiciens eidem pacato animo dicit: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Quod autem ille, qui beatam vitam vivere posset juxta mortalium sententiam, sese præcipitem agat, cæce, atque citra necessitatem in plurimas sollicitudines, & curas; sibimetipsi foveam effodiat, in quam est prolapsurus; primus sit, atque ut ita dicam, unicus auctor supplicii sui; suam expleturus cupiditatem sibimetipsi, & requiem, & libertatem eripiat; næ hic quidem, ex ipsorum Etnicorum sententia, insanissimus furor est; & nihilominus ut illi ipsi fatentur, funestissima sors avarorum. Et sane quam requiem habere possunt, qui jugibus curis urgentur, gravissimis sollicitudinibus, violentis animi perplexitatibus, & acerbissimis torquentur cogitationibus, quæ eos quocumque, & epulantes, & dormientes, & noctu, & interdiu, & in sociorum cætu, & in obscuris recessibus silentio sequuntur, & laniant? *Idem.*

Avarus morti proximus.

Moriendum est; hoc quidem acerbissimum nuncium divitibus avaris accidit, qui cor suum in thesauris suis collocarunt. Putabant post tot exantlatos labores aliquot annis saltem, se congestis opibus, excultis viridariis, dignitatibus emptis, redditibus auctis perfruituros; sed jam lata sententia est: *impii de terra perdentur, & qui inique agunt auferentur ab ea.* Prov. 2. Quis labor, ut ingens, & annosa arbor radicitus evellatur? quot ictibus ferienda, ut decidat? Terræ tot hæret radicibus, quot affectibus, radices porro tot habent capillamenta, quot negotia. Lata nihilominus sententia est; moriendum est. Quinam dolores! &c. *Idem auctor sermonibus Christianis.*

Animo finge omnia simul collecta peccata, tamquam proceram arborem plurimos ramos habentem; illius radix est avaritia. Per hanc mercator pejerat, per hanc figulus contra figulum invidia livescit: dicamne? hæc nonnumquam in iis ipsis qui sese Deo devoverunt omne salutis ipsorum ædificium evertit. Illi quidem neque impudicitiis, neque commessationibus, & ebrietatibus, neque vestimentorum luxui adjiciunt animum; patiuntur aliquando tamen sibi dominari utilitatis affectum, torrentis instar, qui ex altera parte vallis, aggeribusque coercitus altera ex parte diffluit, & secum proximorum agrorum segetes rapit. *Idem.*

Quam deplorandus avarus.

Sanctus Augustinus Tract. 10. in Epist. Joann. ait, ridendum simul, atque plorandum esse, ubi conspicimus hominem, qui suæ cupiditatis mancipium catenas non sentit, eo quod cor suum illis constringitur; neque ipsum pudet eas secum trahere, quia ex auro conflatæ sunt: adeo est *calamitatis suæ magnificentia deceptus*. Vult, inquit idem, quidquid boni habet, hoc esse extra ipsum; bonas habere domos cupit, bonos redditus; ipse vero rerum omnium deterrimus est; ditescere vult, ut beatus vivat; atque ut ditescat, seipsum torquet, oportet: quo plus bonorum congerit, eo plures sibi conflat ærumnas. *Idem.*

Insatiabilis avari cupiditas locum obtinet necessitatis; *justo enim*, ut quidam ait, *Dei judicio fit, ut qui cupiditati resistere nolumus ingressuræ, jam nequeamus ingressæ.* Verum esto: jure metuat, ne decidat in paupertatem. Hæccine igitur causa est, pro qua fœnori det, atque injustis rationibus opes conquirat? Putasne Deum, qui toties in Scripturis Christianam paupertatem suadet, atque commendat, nequaquam damnare inordinatum illum affectum, quo cum proximi detrimento vis locupletari? Credisne Evangelium, quod pauperes beatos esse declarat, inexplebilem probare avaritiam, qua possideris? Hæ profecto sunt, novi equidem, cogitationes tuæ: sed novi quoque eas tam a Deo reprobari, quam probantur a te. Metuis, ne in summam decidas egestatem, & nisi mutuum cum fœnore dederis, substantiam tuam, in quadam pecuniæ vi positam, ex qua vivendum est, quamprimum absumatur. Verum præter, quam quod, aliæ adsunt victus comparandi rationes, nonne vides prætextus hujus imbecillitatem? nonne hunc ipsum scelesti homines, fures, latrones præseferunt? ad sua flagitia excusanda numquid alias afferre causas consueverunt? *Sermo manuscriptus.*

Avarus semper est pauper, quodcumque ex loco respiciatur, numquam enim contentus est, & semper sinu suo ignem gerit, quo absumitur, & quo plura habet bona, eo plura habere desiderat. Eo quod igitur non est suo statu contentus, pauper est, & infelix, & eo pauperior, quod ingentes divitiæ ad nihilum prosunt, nisi ut cupiditatem ejus magis inflamment. Quemadmodum enim quædam paupertas est, quam Charitas parit; ita altera quoque est, quam cupiditas fovet. Homini fame laboranti, epularum saturam adfer, illis quidem non saturabitur, nisi primum eas gustaverit. Fœnerator, & avarus pecuniam suam tueatur in arca, neque eamdem, uti par est, in sua commoda & solatia convertat; semper famelicus erit, & sitiens: quo magis bona crescent, eo magis infelicitatem suam crescere arbitrabitur; quippe cum opes in legitimum usum minime impendatur; indesinenter necessitatem illius irritabunt. *Idem.* Cur Avarus semper pauper.

Fœnerator egestatem suam prætexere minime potest: etenim, quemadmodum Sanctus Basilius ait, si bonis, pecunia, vino, frugibusque careret, quinam hæc mutuo dare posset? Immo, neque fidei consonum est, hominem adeo sensus omnis expertem esse, ut aliis tribuat ea, quorum ipse eget omnino. Habet igitur suo victui necessaria: immo habet ultra ea, quæ necessaria sunt; sed cum sit inexplebilis, longe nimis confictam suam egestatem extendit. Modo domus hæc acquirenda est adhuc; modo dignitas illa comparanda; hodie filiis providendum, cras fames, vel ægritudo præcavenda. Efficit igitur ex propriæ cupiditatis pœna suæ usuræ prætextum, & de hoc loquitur Sapiens, cum ait, alios quidem locupletiores fieri pro ut ea quæ habent aliis large, effuseque distribuunt; alios fieri pauperiores, prout fanda, atque infanda, æqua, & iniqua omnia committunt, ut opes acquirant: *Alii dividunt propria & ditiores fiunt; alii rapiunt aliena, & semper in egestate sunt.* Prov. 4. *Idem.*

Fœneratores sunt furum omnium nequissimi. Cum fures audiunt post se clamantes, atque insequentes, fugam arripiunt, & latebras quærunt: fœnerator vero, ubi videt aliquem accedentem prædam, firmo pede præstolatur, eique suam operam exhibet. Fures illi suum tempus norunt; & vulgo nonnisi tenebrarum, & solitudinis favore viatorem diripiunt; hic vero non tempus, non horas descriptas habet, interdiu vigilat, & noctu, ejusque cupiditas semper ardens, semperque inexplebilis nullam ei requiem permittit, seipsum torquet interdiu, inquieta in res suas applicatione, seipsum torquet noctu, varias meditatus rationes, ut fru- Fœneratores proprie sunt fures.

ut fructum quærat ex pecunia, ac mente, animoque sexcentas fraudes, atque versutias revolvat. Metuunt fures, ne capiantur, & cum vita pœnas scelerum suorum luant: fœnerator vero ita negotia sua novit instituere, ut omnes justitiæ minas eludat. Publicene fœnus exercet? ferream induit frontem, & habituali usura adeo callide eos fascinat, quos perdit, ut de interitu suo ne querantur quidem. Abditus est fœnerator? minor adhuc de illo obrepit suspicio; contractus suos tali fuco illinit, ut nemo hiscere audeat. Fures denique aperta vi rapiunt, & invitis, atque gementibus rapiunt; sed fœnerator versutior aliena bona diripiens viam invenit, qua & laudes, & actiones gratiarum mereatur. Ita in usuris suis, & voluptatem invenit, & meritum; voluptatem quidem, quia inde ditescit; meritum vero, quia se de proximo suo optime mereri putat conficta charitate illum de egestatis sordibus eruens. *Idem*.

Usura charitatis prætextu se tegit. Quis unquam putasset usuram charitatis Christianæ integumento seipsam tueri? Verum quidem est, quod Divinam hanc virtutem imitatur, ideoque sese in familiarum secreta insinuat, alienas detegit calamitates, eisque exhibet pecuniam. Sed quorsum hæc versuta charitas spectat? ut eos videlicet perdat, quibus simulat opem ferre. Spiritus Sanctus, qui unus falsas virtutes, & vera vitia cognovit, fœneratorum versutiam hoc detegit verbo: *Quid gloriaris in malitia; qui potens es in iniquitate?* Psalmo quinquagesimo primo. Cur nequitiam tuam tamquam virtutem venditas, tu qui callidus es, & potens tantummodo, ut fratribus noceas, qui dies integros in iniquitatum meditationibus transigis, atque ut omnia tibi cedant e voto fraudes tuas oculis, quemadmodum oculitur acies novaculæ sævissimum vulnus, quin sentiatur, inferentis? *Idem sermo manuscriptus*.

Raro fœnerator se fatetur fontem, præsertim vero cum usura non adeo enormis est, neque illum ad gravissimas iniquitates propellit. Videte Pharisæum illum, de quo loquitur Sanctus Lucas. Hic fortasse non secus ac illi, de quibus loquitur JESUS CHRISTUS, viduarum, orphanorumque domos diripiebat, evertebatque; & licet iis obnoxius esset criminibus, Deo gratias agit, quod non esset injustus, & fur, quemadmodum Publicanus ille, qui tunc ob oculos suos versabatur. Verum esto; agnoscat fœnerator nequitiam suam; magis adhuc rarum est, quod ea restituere velit bona, quæ injuste consequutus est. Quot enim extiterunt unquam, & quotusquisque hodie etiam est, qui restituat? Attamen citra hanc restitutionem fieri omnino non potest, ut fœnerator suæ studeat saluti: ideoque cum nemo fere hanc mentem foveat; inde arguo usuram reprobationis moraliter certissimum esse principium. *Idem*.

Fœnoris indignitas, & injustitia. Nihil magis intolerabile est, Sanctus Hilarius inquit, quam opem ferre egenti, ita ut egentior fiat; & illius augere egestatem eidem solatium ferendo. Si Christianus es, cur exigis pretium beneficii ex proximo tuo, qui hoc pacto majus recipit detrimentum, quam beneficium? Si Christianus es, cur fratris miseriam in thesaurum tuum convertere cupis? Si Christianus es, non peto ab te, ut omnino bonum tuum eidem largiaris, hoc peto, ut cum illud de manibus fratris tui recipis, eidem suum non eripias. *Idem*.

Hydropisis secundum plurimorum Patrum sententiam avaritiæ figura est; quemadmodum enim, quo magis bibit hydrops, eo magis sitis ejus augetur; ita quo magis arca auro, & argento repletur, eo plura avarus desiderat. Avarus numquam explebitur, inquit Scriptura, & qui opes amat, fructum non colliget: hac enim cupiditate exercitus numquam illa fovetur tranquillitate, quæ generalis est meta, in quam omnia mortalium vota collimant. Et quamvis avarus omnibus terrarum opibus perfrueretur, adhuc tamen vacuum in ipso spatium numquam replendum inveniretur. Eam habet divitiarum sitim, quam neque inopia potest imminuere, neque cupia replere. Dives, an pauper sit, nihil interest; æque semper in egestate versatur. *Auctor recens Homilia in Evangelium Dominica 16. post Pentecosten*.

De avaritia dici possunt Regis Prophetæ verba: *Propter te mortificamur tota die*, Psalm. quadragesimo quinto, ut enim expleatur avarus, seipsum magis coercere, torquere, ac mortificare debet, quam ut fidelis Domino adhæreat. Et sane jejunandum est, licitis etiam solatiis abstinendum, victus, & vitæ commoda imminuenda? Hoc quidem fit propter cupiditatem, ipsis etiam maxime necessariis sumptibus parcendo. Plura igitur pro avaritia, quam pro Deo fiunt. Vigilandum est, noctu, atque interdiu laborandum, sexcenta obeunda pericula, & gravissimi labores suscipiendi? hæc facit avaritia, at raro propter Deum fiunt. *Propter te mortificamur tota die*. Ægre nosmet Evangelii jugo, quantumvis leve, & suave illud effecerit JESUS CHRISTUS per unctionem suæ gratiæ, subjicimus; sed jugum avaritiæ licet gravissimum ultro gestamus. Crux, quam a nobis geri Dei Filius jubet, & mortificatio, quam Sanctus Paulus a nobis indesinenter ferendam esse docet, nihil habet, quod conferri possit cum ea Cruce, & mortificatione, quam ista cupiditas indicit. *Auctor Anonymus*. *Pro avaritia plura tolerantur, quam Sancti pro Deo passi sunt.*

Avari, qui ferrea habetis viscera, unquamne commota fuit avaritia vestra gementium egenorum doloribus? cupiditas vestra, quæ nonnisi utilitatibus vestris afficitur, nonne locum illis tribuet his erga vos utendi verbis Job: qui per naturam humani facti estis, erga nos in crudeles immutati fuistis: *mutatus es mihi in crudelem*; Job 30. vel cum Propheta Jeremia vobis exprobrandi, quod licet corporis ejusdem sint membra cum vobis, in eosdem facti estis crudeles, tamquam struthio in deserto, *Auctor sermonum Christianorum in Evangelia Dominicarum*.

Avaritiæ cupiditas fons est amaritudinis homini cupido. Omnia sibi denegare ob ea colligenda, unde nihil sibimet negare possint; fame, atque metu super inutiles auri cumulos scelere congestos exarescere; omnia sibi interdicere, ut acquirantur ea, quæ simul sunt congreganda, ne eorum aliquis usus fiat: hæc vita est avari, quem ipsa sua enecat avaritia. Verum igitur, Auditores, est, idque præcepit Deus, ut improbus quilibet supplicium suum in propria improbitate inveniret. *Sermo manuscriptus P. Francisci Catrou*. *Dolores, quos parit avaritia.*

Quam nefaria est avaritia, quam crudelis injusta, avida, inexplebilis! quam tyrannicum illius imperium, ubi in corde aliquo dominatur! nulla lex est, quam non violet, nihil sacrum, quod non polluat, nihil adeo bene institutum, quod non evertat, nihil adeo injustum, quod extrinseca æquitatis specie cooperire non curet; nulla denique improbitas est, quam non suadeat, dummodo eidem aures præbeas. Hæc terribilis illa est idea, quam de turpi, & cæca affectione hac nobis adstruit Spiritus Sanctus, ubi loquitur in Evangelio de sceleribus, in quæ impulit Judam, de teterrima calamitate, in quam illam conjecit, de funestissimis effectibus, quos in perfido illius corde produxit. Ita mentem illius vertit, ita omnia illius studia captivat, ita illum excæcat, & possidet, ut postquam Apostolum in furem, JESU CHRISTI Discipulum in nefarium apostatam, amicum in proditorem converterit, efficit, ut zelum putet insatiabilem, quo flagrat, cupiditatem proficiendi ex iis eleemosynis, quæ JESU CHRISTO conferebatur. *Auctor Anonymus recentior*.

Sanctus Augustinus de Evangelico divite verba faciens post messem optimam antiqua horrea evertere, & majora ædificare cupiente, quem Divina Sapientia insipientem vocat, eo quod mortem sibi imminentem ne cogitabat quidem; Sanctus Augustinus, inquam, animadvertit divitem hunc, ne cogi- *Avaritia vera est insipientia.*

cogitasse quidem aliena bona diripere; sed suos tantum fructus demetere optasse, quin vel pauperibus aliquid auferre, vel fallere simplices moliretur. Si in illum ergo, qui sua nimia cum affectione tuetur, severe adeo animadvertitur; quid tandem fiet de eo, qui aliena bona suffuratur? A se fieri sapienter putabat, si horrea extruerentur ampliora, si bona sua augeret, quin accolarum fructus non dicam raperet, sed ne cuperet quidem: & nihilominus dixit ille Deus; O insipiens in hac ipsa re, in qua te sapientem facis, hac ipsa nocte morieris, & ea, quæ parasti, cujus erunt? *P. Tomassin tractatu de Eleemosyna.*

Ingentis lucri adspectus efficit, ut conscientiæ religio statim evanescat; omnia fas esse putamus, ex quo cupimus, cuncta fortunæ nostræ velificari. Cum Christianum instituitur commercium, plurima utimur cura, diligentia, atque prudentia in negotiis; sed omnis abest festinatio, & licet laboriosum sit, numquam eos prætergredimur fines, quos lex divina præscripsit. Industria semper secundum Evangelii mentem, & dogmata dirigitur: curamus quidem, ut ex rebus omnibus fructum feramus, sed ultra fas non progredimur. In eo vero negotio, in quo mortalium plerique hodie per quam serio versantur, easdemne sequimur leges, easdemne religiosius regulas tuemur? Cupiditas dux nequam est; semper per loca parum tuta deducit, & longius semper, quam liceat. Exilis quædam intentionis directio plurimas involvit quidem, sed non probat usuras. Omnia ponuntur in lucro; mutuæ pecuniæ, opera, beneficia ipsa, immo etiam flagella, quibus in populum suum Deus animadvertit. Frugum inopia, quæ horrea aperire debet, illa claudit; modicum lucrum immodicam avatitiam non explet, quæ nequissimo commercio pauperum sanguine, & divitum spoliis vult locupletari. Quænam crudelior, ac nequior sævitia! *qui abscondit frumenta maledicetur, benedictio autem super caput vendentium.* Proverb. 4. Hoc autem oraculum ullam ne vim obtinet in corde avaritia obdurato? Attamen hæc hodie prævidentia vocatur; hæc proficiendi scientia; & parum abest, quo minus habeatur tamque effectus providentiæ in gratiam nequissimæ cupiditatis. *P. Croiset Tomo secundo Considerationum suarum.*

Desiderium cito acquirendi omnia, facit ut ad id nulla via negligatur. Insatiabilis divitiarum aviditas efficit, ut utraque manu capiatur. Dummodo ex pecunia lucrum ingens quæratur, in periculum adiguntur sacra etiam orphanorum, & viduarum deposita, atque in conficti tituli, pravæ consuetudinis, meditatæ palliationis gratiam in commercio usura & nomen exuit, & turpitudinem. Quidquid favet cupiditati, libenter accipitur; magna quæruntur bona, opes ingentes, quam cito comparari cupiuntur, uni huic rei vacatur, ut novæ locupletandi rationes adinveniantur. Viæ, quæ magis latent breviores videntur; Verum numquid ideo æquiores sunt? *qui festinat ditari*, Sapiens ait, *non erit innocens*. Hæ locupletandi rationes adeo celeres non semper innocuæ sunt; sed parum consulitur conscientia, ubi dominatur avaritia. Omnia undique arripiuntur negotia, nihil intentatum relinquitur, & ad minimum insignis lucri fulgorem cupiditas excitatur. *Idem.*

Ex omnibus affectibus, qui ignorantur ab illis, qui eisdem obnoxii sunt, principem habet locum avaritia. Avari se numquam tales existimant; alii avaritiam suam œconomiæ nomine tegunt, alii providentiam appellant, nonnulli speciosum modestiæ, atque sapientiæ titulum præ se ferunt; & plurimi eam vocant necessitatem. Sordidam hanc cupiditatem pudet sui, & suapte natura adeo invisa est, ut nomine suo prodire non audeat. Pudet nos, cum hoc nomine redarguimur, & profecto non deest, maxima mentis imbecillitas in hac inexplebili cupiditate. Utraque manu arripere, opes opibus accumulare, ex parsimonia sua ingentes redditus conflare, laborare inedia ac se pauperem semper existimare, morbus quidem est, sed sine medicina. Quænam febris minorem requiem relinquit, quænam hydropisis majorem sitim accendit, quam avaritia? Avarus semper est pauper, & æque indiget tum iis, quæ habet, tum quæ non habet. Divitias non possidet, possidetur ab illis; nullus est affectus, qui magis tyrannicum exerceat imperium, & qui impotentius imperitet. *Idem.*

Suis uti viribus, & valetudine; suam torquere mentem, ut quotidie recentes sumptibus parcendi rationes, novæ locupletandi artes, novaque, & ipsa parsimonia nonnihil demendo, secreta inveniantur; assiduum est avari hominis studium. Huic uni vacat. Sed quænam hac sordidior mercatura? Quod nequius cor? nemini operam suam præstare, nisi cum lucro; ipsa etiam opificum stipendia in quæstu ponere, ad minimum sumptum contremiscere, queri eo quod sumptus erogare ad mortem avertendam tenearis; in summa rerum affluentia experiri mendicitatem; durum aliis, æque durum sibi dies suos in tristitia, in mœroribus & squallore transigere; tristes sunt injustæ hujus cupiditatis effectus: & jure dicunt, avarum nihil reliquisse adversæ fortunæ, quod agat; hæc enim nihil deterius efficere potest. Avari similes sunt calamitosis illis hominibus, qui ad metalla damnantur, vita quorum atteritur quærendo, & eliciendo aurum ex lapidibus ipsis; & quibus panis sudoribus permixtus nonnisi in mensura tribuitur; Quænam vita hac tristior, & obscurior? quænam sors magis deflenda? non luxus, non comessatio, non voluptates avarum damnant, sed ille in interitum ruit, eo quod nimium, & sibi, & aliis austerus extiterit. *Idem.* *Avaritia turpis, & sordida.*

Quot homines templorum ministerio devoti, & qui non aliam, quam JESUM CHRISTUM hæreditatem se habere profitentur, quærunt hæredibus suis opes relinquere ex sordida parsimonia conflatas, cum interim pauperes jure ab ipsis petant redditus patrimonii sui, quos fidelium pietas in manibus eorum constituit! Nonne hæc funesta illa vanitas est, quam jure Propheta in abominationum, quæ in templo committuntur, numero recenset? Nonne hæc ridicula est dementia, quæ omnibus viris bonis horrorem injiciat? Et sane ullane fuit mentis imbecillitas cum hac conferenda? Illi, quos Deus peculiari privilegio secrevit, & regnum quorum non est de hoc mundo, iis tantum vacant, quæ familiæ suæ fortunam & dignitatem possunt augere; illi, quibus fidelium eleemosynæ redditus instituerunt, & quos sæpe unica aræ servitus alit, sibi necessaria denegant, ut vel nepotibus, vel fortasse etiam alienis superflua suppeditent! Homines magis lucro dediti, magis suis negotiis intenti, magis sui stipendii famelici, quam quilibet laicus, semper pauperiores in oculis suis, pauperibus vero semper duriores, quid in lucro non ponunt? *Idem.* *De avaritia Ecclesiasticorum.*

Avaritia efficit, ut in egestate & vivamus, & moriamur. Avarus pauper videtur, & reipsa est: sive enim fur illum de opum possessione dejiciat, vel inexplebilis cupiditas divitiarum interdicat usum; varia quidem sunt egestatis principia, effectus vero idem. Avarus nihilo majus ex thesauris suis haurit subsidium, quam pauper ex inopia: *divites eguerunt, & esurierunt*. Felix, si hæc animo reputans & propriis & alienis calamitatibus afficeretur! Quemnam honorem parcitati illius charitas conciliaret? inveniret ille quidem divitias suas in altera vita in pretiosissimo fœnore positas. Verum quid avaro morienti proderit divitiarum, quas olim tamquam idolum coluerat aspectus, atque memoria? Quotusquisque tunc illas despicit, cum terribilem hanc sententiam audit; *pecunia tua tecum sit in perditionem*? Act. 8. Diceres profecto non deesse quamdam fascinationem, & veneficium; adeo insanus, & servilis est amor, quo

quis-

quisque suas deperit opes. Oportet morte animam a corpore divelli, ut cor illius divellatur a pecunia. *Idem*.

Nulla est animæ ægritudo, quæ majorem gratiæ opponat obicem, quam avaritia; hæc enim cor terræ agglutinat, & inutilibus curis refercit. Humanæ ambitionis insania deprehenditur; ob impuritatis vitium secreto erubescimus; sed avaritiæ parcitatis, atque temperantiæ nomen præseferenti nihil noxium videtur inesse. Avaritiæ reliqui omnes famulantur affectus, & quemadmodum divitiæ suppeditant homini, unde inordinatis cupiditatibus suis satisfaciat; nihil est quod locuplerandi cupiditati non devoveatur. Liquet enim, ubi huic semel fuerit satisfactum, non operosum futurum reliquis omnibus satisfacere. Ita deprehenditur, Sanctus Chrysostomus ait, verims ejus loci, ubi Apostolus inquit, JESUM CHRISTUM fuisse *tentatum per omnia*. Ad Hebr. cap. 14. Ille enim gulæ, ambitionis, & avaritiæ duntaxat tentatus fuit, sed postrema hæc tentatio eas omnes continet, quibus cor humanum concuti possit. Cetera vitia sua habent intervalla: nullum habet avaritia; nos ad mortem usque subsequitur, & curas suas etiam ultra sepulcrum extendit. Affectus reliqui ætate in senium vergente consenescunt: hæc crescit cum annis, atque non semel visi sunt avari mordicus suis opibus adhærescere, cum jam vitam essent relicturi. Hac de causa Sanctus Ambrosius celebre Josue prodigium considerans animadvertit, quod summus ille vir solem quidem morari potuit, at cohibere non potuit avaritiam Achan, qui contra illius præcepta regulam auream, palliumque purpureum surripuerat: *Solem cohibere potuit, avaritiam coercere non potuit. Sol stetit, avaritia non stetit. Tomo 2. Speciminis Panegyricorum pro die S. Matthæi.*

Avarus, quantum in ipso est omnes Dei perfectiones evertit.

Nullæ sunt in Deo perfectiones, quas avarus non lædat, atque pro virili minime evertat. Divinam non cognoscit præsentiam, quia ob oculos illius thesaurus suus dumtaxat versatur *Et non proposuerunt Deum ante conspectum suum*. Psalm. 53. *Quomodo autem*, Sanctus Augustinus inquit, *in eumdem Psalm. proponent ante conspectum suum Deum, ante quorum conspectum non est nisi seculum?* Avarus Dei justitiam non timet, futurum enim putat, ut opes suæ ipsum ex omnibus periculis eruant. Dei misericordias, atque remunerationes non cogitat; in divitiis enim omnem suam felicitatem constituit. Dei potentiam non agnoscit; sola enim ac suprema auri sui potentia, & fulgore perstringitur. Nullam habet in Dei Providentia confidentiam, tota quippe illius spes bonis a se collectis innititur. Ipsam denique Divinitatem evertit, non alium Deum, quam aurum, argentumque suum veneratus. Quamobrem jure Isaias Propheta ait, ex quo in mundo opes diligi inceperunt, terram idolis fuisse repletam; hoc est, simul ac avaritia inter mortales vigere cæpit, verum Deum fuisse neglectum, ejectumque, & pro illo inventa Idola aurea, & argentea. Apostolus etiam inter ea vitia animique perturbationes, quas mortificandas, atque delendas esse docet, scribens ad Colossenses recenset avaritiam, utpote quæ a Dei servitute detorquet, ut cultus, qui Deo uni debetur, idolis deferatur: *Mortificate .... avaritiam, quæ est idolorum servitus*. Epist. ad Coloss. c. 3. *Essais de Sermons pro feria 3. post primam Quadragesimæ Dominicam.*

Creator homini bona terræ non dedit, ut illis hæreret, suumque præsidium in ipsis tamquam numine quodam collocaret; e contra temporalia bona eidem largitus est, ut ardentius quærat æterna, atque, ut justa gratitudo illum ad ferventius, atque constantius amandum benefactorem suum impellant: sed nequissimo ingrati animi vitio abutuntur homines divina largitate contra ipsum Deum, & id, quo suus erga Deum amor magis foveri deberet, sibi in Numen convertunt. Ita illis per Oseam Prophetam c. 2. exprobrat Deus, *argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal. Idem.*

Avaritia quantum Dei cultui, & charitati adversetur.

S. Job semper se Deum amasse, ac illi obtemperasse profitebatur, quandoquidem in pecunia nequaquam confiderat; *si putavi aurum robur meum*: quasi diceret, si opes amassem, si in illis spem meam collocassem, evanuisset quamprimum ab oculis meis Deus, & avaritia me statim cultorem idolorum fecisset. Et Sanctus Leo in eumdem sensum ait, Dæmonem, cum Tyrannorum crudelitate uti non posset amplius ad veri Dei religionem evertendam, invexisse avaritiam, quæ plures efficit infideles, atque apostatas, quam Tyrannorum sævitia effecisset: *terrores proscriptionum in avaritiæ mutat incendia, & quos damnis non fregit, cupiditate corrupit*. Jure igitur Sapiens Eccli. 10. ait, *avaro nihil est scelestius*, quandoquidem Deum ipsum oppugnat, eique auferre conatur divinitatem. *Idem*.

Videtur ob id peccare avarus, quod seipsum nimis diligit; Certum nihilominus est, quod seipsum internecino persequitur odio; gravissima enim in se mala convertit, & a se maxima avertit bona: fur est longe majorem sibi, quam reliquis omnibus inferens injuriam. Tria enim sibi aufert bonorum genera longe ampliora, atque pretiosiora, quam quidquid aliis conatur eripere; aufert enim bona naturæ, bona gratiæ, & bona gloriæ. Aufert quidem sibi naturæ bona; pacem & tranquillitatem auferens sibi, atque sese crudeli cupiditati Tyrannidis mancipans. Patet etiam omnia gratiæ bona auferre sibi; cum enim neque Deum, neque proximum amet, omnino recedit a fonte gratiarum omnium, qui Charitas est. Avarus denique sibi gloriæ bona præripit, suam enim felicitatem in mundi hujus opibus statuit, cælestibusque abrenunciat bonis, ut terrenis adhæreat. *Obstupescite Cæli super hoc*, clamabat Jeremias c. 2. *me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas*. Deus quem adoratis, in terris contemnitur, relinquitur, deseritur, licet sit fons perfectæ felicitatis, ut eam præripiant felicitatem, quæ fragilis est, & momento evanescit. Quam magna cæcitas est fluxa præferre bona, quæ cordis auferunt pacem, quæ jugibus laboribus acquiruntur, quæ gravissimis timoribus conservantur, quæ aliquot dies tantummodo possidentur; Hæc inquam falsa præferre bona bonis æternis, quæ sola hominem beatum efficere possunt, & quæ sine labore quæsita cum perfecta felicitate in omnem possidentur æternitatem! *Idem*.

Quam injurius in Proximum sit avarus.

Quemadmodum avarus ardentius ea, quæ non habet, cupiat, quam quæ possidet, amet; quietem non invenit, nisi proximi sui bona surripiat. Negotium illi non facessit, utrum causa sui vidua, & pupilli ostiatim emendicare stipem teneatur; dummodo suas augeat divitias: Utrum frater suus intereat, hoc ne curat quidem, dummodo thesauris suis aliqua accessio fiat: denique non veretur pessum mittere bona, honorem, & quietem eorum, quos diripit; alienamque calamitatem, & lacrymas sibi in gaudium convertit. *Est illi præda egestas alterius, est illi lætitia fletus alienus*, ait S. Maximus hom. 2. de Avaritia: ideoque a Sancto Chrysostomo, *avarus communis omnium hostis vocatur. Idem.*

Quo felicior avarus est, eo magis ipsius magis cedunt e sententia; eo magis augetur cupiditas: ideoque Sanctus Augustinus Serm. ad Fratres in Eremo, illum Inferno similem dicit, qui numquam expletur: *avaritia est abyssus insatiabilis, qui numquam dicit sufficit, semper famescit; sola avaritia terminum nescit. O famelica rabies! o pestis interminabilis!* Terra, Mare, Cœlum, Inferi suos limites habent; sed cor avari nullos; Adversa fortuna avaro mederi non potest, si quam subit jacturam, mœrore conficitur, & ad eam reparandam in omne scelus, ac nefas ruit. Exiguam illam stipem, quam erogabat, imminuet; viduas opprimet, pupilli bona usurpabit, æs alienum non solvet, servos ipsos debita mercede frustrabitur. Ita Sanctus Hieronymus ait, *semper avarus eget, cujus avaritia, neque inopia, neque copia minuitur*. Fieri fortasse potest, ut infirmitas, & naturæ defectus aliquam tandem huic avaro medicinam

etiam adferant, cum senio confectus erit, & ob illius oculos mors propinqua versabitur; potest inquam tunc illius avaritia imminui, ac suas vires amittere. Verum tantum abest quod hoc eveniat, ut immo tunc temporis majores corripere vires videatur. Hinc fit, ut qui effœta sunt ætate, atque morti proximi plerumque adolescentibus sint cupidiores. Ita avaritia suas auget vires cum natura imminuit suas. Senescens homo infirmatur, sed avaritia senescens convalescit. *Ibidem sermone sequenti*.

Ratio, cur difficulter expellatur avaritia.

Sanctus Chrysostomus hac in re egregiam adfert sententiam: ait enim, Deum ubi reliquis animi ægritudinibus medelam adfert, non alium obicem invenire præter vitium virtuti, quam statuere vult, oppositum. Vult exempli gratia in corde aliquo infundere humilitatem; illi ambitio tantum adversatur; suavitatem ac mansuetudinem inserere cupienti, ira solum obsistit, & sic de reliquis: sed ubi vellit immittere temporalium bonorum contemptum; non avaritia solum, sed reliquæ aliæ animi ægritudines, omniaque scelera obsistunt, eo *quod radix omnium malorum est cupiditas*. Ita affectus omnes, omniaque vitia opem ferunt avaritiæ, ne ejiciatur; & gratia tantum, ac tam validum obicem invenit, ut nihil in avari corde operetur. *Idem*.

Non satis fuit JESU CHRISTO difficultatem ostendere conversionis avari, petita comparatione vel ex crassiori fune, vel camelo, qui per acus foramen traduci minime potest: Voluit etiam terribilem hanc veritatem in Judæ persona, nobis exhiberi in Evangelium. Hunc in Apostolorum suorum albo JESUS descripserat; illum terrena hæc contemnenda esse, & exemplo, & verbo docuerat; reliqui Apostoli eidem ostendebant exemplo, se quidquid possidebant, reliquisse: hæc tamen omnia illum non deterruerunt a crudeli consilio vendendi, atque prodendi pro aliquot nummis Dominum suum. Nihil intentatum reliquit Salvator, ut illum converteret, ubique amorem suum eidem testatus est, excepit illum ad mensam, eumque proprio suo corpore pavit. Heu miser! quantumvis avarum sit cor tuum, possessione Dei tui repleri non potest? In horto olivarum satellites omnes ceciderunt in terram; Judas unus prostratus non fuit: idem immo JESUS CHRISTUS amplexus, atque deosculatus est illum. Verum hæc omnia insatiabile avari hujus cor flectere non potuerunt, prætulitque triginta argenteos magistro suo, Domino suo, saluti suæ, Deo suo. Peccavit quidem Sanctus Petrus, sed ad unicum JESU CHRISTI intuitum sese recepit. Sanctus Thomas fuit infidelis, sed apertum Domini latus illi oculos aperuit. Magdalena septem dæmonibus erat obsessa, sed unica Salvatoris vox illius cor immutavit. Unus Judas est, in quo neque JESU CHRISTI intuitus, neque verba, neque doctrina, neque miracula ullum obtineant effectum. *Avari omnes*, Sanctus Chrysostomus hom. 81. super Marcum ait, *gravissimo Judæ morbo laborant*, omnibusque metuendum est, ne quemadmodum criminis fuere participes, sint etiam damnationis æternæ consortes. Ex hoc exemplo occasionem arripere possumus nobismet repræsentandi scelera, & mala, quæ parit avaritia, cæcitatem, quam menti offundit, corruptionem, qua cor replet, insensibilitatem, quam erga Deum inspirat, & funestam impœnitentiam, cujus fons est, homines in certissimum damnationis periculum adducens. Ita sane conciperemus ideam, atque imaginem naturalem teterrimi hujus affectus; ita conciperemus speciem aliquam calamitatis ejus, in quam hoc vitium præcipitem dedit Apostatam hunc calamitosissimum, cujus memoria in æterna erit execratione. *Idem*.

De usura perniciosissima avaritiæ specie.

Cum hactenus de avaritia generatim verba fecerim, teterrimam quamdam illius speciem oppugnare opus est: usuram videlicet, crudele illud monstrum, totius humani generis pestem, peccatum quod in terris adeo familiare effectum est, cujus tamen probandi ratio est adinventa; crimen, quod amori proprio blanditur, scelus denique mentis & cordis suffragio defensum. Auferamus tandem aliquando velum, quod tegit hoc monstrum, ita ut horror illius satis appareat. Scio equidem non versari nos amplius in sæculo adeo rudi, in quo ex mera brutalitate vitia patrentur, peccare etiam cum quadam ratione cupimus. Hoc fœneratoribus præsertim accidit; neminem enim fortasse invenies, qui fœnora admittat, palam nefaria, & quæ sibi mortalium omnium conflent contemptum, atque indignationem. Hoc inquam, hujus temporis fœneratoribus accidit, qui excogitarunt artem probandi sævissimas usuras, & cum ratione quadam miserorum sumptibus locupletandi: Quibus autem rationibus ad scelus probandum utantur, satis innotescit. Ajunt se metuere, ne in paupertatem decidant, nisi lucrum quærant ex pecunia; se nullam proximo suo injuriam inferre; non enim ille cogitur ad ea, quæ non vult; se eidem immo gratificari; nam illum ex squalore egestatis educunt, & eousque procedunt, ut ex charitate Christiana se agere glorientur. Artes inanes, speciosa integumenta, quæ explodere facillimum est! *Ibidem sermone feriæ secundæ Hebdomadæ sanctæ*.

Confutatio rationum, quæ pro se afferunt fœneratores.

Te metuere, dicis, ne in paupertatem decidas, & nisi cum fœnore mutuum des, tibi quamprimum ea, quæ ad vivendum necessaria sunt, defutura. At nonne vides, quam causam prætexis? nonne eadem sceleratissimus quisque fur, carnifex, latro, sacrilegus, veneficus utitur? Ad scelera sua probanda aliam ne causam afferre consueverunt? Si ex aliis quærant Judices cur viatores diripuerint; ex aliis, cur veneno, & veneficiis intulerint necem; ex aliis, cur fratrum suorum sanguinem tanta crudelitate effuderint, nonne eadem, ac tu respondebunt audacia; hanc sibi mentem fuisse, ut de egestate possent emergere? O terræ Judices qui Dei viventis locum obtinetis! inanibus id genus excusationibus non præbetis aures, & hi licet prætextus afferantur, non ideo minus in eadem scelera animadvertitis: neque tu illos in fœneratoribus audies Deus, sed eorum injustitias suppliciis æternis percuties. *Idem*.

At enim nulli infers injuriam, non enim invito, sed libentissime consentienti das mutuum cum fœnore. Verumtamen primo falsum est illum, qui mutuatur libenter, ac plena cum libertate illatam vim pati. Egestas illa, qua laborat, ipsum cogit, ut tuis votis subscribat, tibique bona sua tradat, quemadmodum lattoni districtum ensem habenti traderet; hoc est, tibi tradere vult, quia illum cogis, ut velit. Nonne ridiculum esset affirmare latronem nullam intulisse injuriam, ac vim ei cui aurum eripuit in via, eo quod viator, auri potius, quam vitæ jacturam subire maluit? quod affers, non est minus absurdum. Sed etiam si verum esset, qui pecuniam mutuatur abs te, plena voluntate, perfectaque libertate eum, quem exigis, tibi quæstum permittere; non ideo minus peccares, peccatum enim non pendet ex intensione, & consensu illius, qui mutuatur, sed ex ipsa fœnoris conditione. *Idem*.

Nonne etiam fœnerator ait se gratificari proximo suo, mutuam eidem præbendo pecuniam, atque pro collato munere sibi etiam gratias & agi, & haberi? Verum profecto est, te illi eamdem gratiam, eumdemque favorem concedere, quem latrones, non interficientes eum, cui abstulere pecuniam. Non aufers vitam fratri tuo; divitias aufers. O te miserum, Sanctus Chrysostomus *hom. 5. super Matth.* exclamat, simulans fratrem tuum ex gravi quodam malo eruere, in majus illud præcipitem das: ipsum manu in portu videris attrahere, sed ut in deterius naufragium immittas, & eos in scopulos, quos ille non videt, allidas; *Fœnerator negotiatur aliena discrimina, & uberiores quæstus de alterius infelicitate consequitur: & quasi in portum ex tempestate suscipiens improviso turbine in crudelius naufragium demergit*. Sævissimis etiam lattonibus sævior es: nemo enim se credit illis; at de te nemo diffidit: suppliciorum metus illos coercet, & vertit in fugam; sed

sed tu simulatio tibi animos facit, & turpissimam proditionem sub pulcherrima virtutis specie contegens impune tuas crudelitates exerces.

SUPPLEMENTUM.

Avaritia, Amor Divitiarum &c.

Quibus periculis se objiciat avarus ex Apostoli sententia. *Ad Timothei* 8.

GEntium Apostolus paucis nobis ostendit pericula, quæ secum trahit amor auri, & Divitiarum, cum ait; ***Radix Malorum omnium cupiditas***, & asserit ex hac cupiditate omnia emanare scelerum genera non secus ac ex virulenta radice mali fructus existunt. Et sane ex inordinata hac habendi libidine originem ducunt furta, concussiones, direptiones, mendacia, lites, falsa testimonia, perjuria, cædes. Ita est, inquit Apostolus, Avaritia vera est idololatria: ***Avaritia, quod est idolorum servitus***. Cur hoc? Quia qui adhæret pecuniæ hanc sibi suum Deum constituit; hoc idolum est, cui cor suum sacrificat, omnesque affectus suos. Parum interest utrum adoretur aurum sub Jovis forma, an sub illa signatæ pecuniæ; & si minus hæc est idololatria fidei, semper est facti; & se Idololatram fatetur, cujus cogitationes, curæ, vigiliæ, labores, motus, & contentiones unice ad hunc finem collimant habendi, congerendi, possidendi, thesauros thesauris accumulandi, quin aliud spectet, quam hoc miserabile objectum. ***Auctor recens***.

Ad Ephes. 5.

Quomodo pii homines possideant divitias, quin sint avari.

Verum quidem est pios etiam homines nonnumquam possidere divitias, non secus ac malos, sed inter utrosque magnum intercedit discrimen, non in acquisitione solum, quæ in bonis semper justa, atque legitima est, sed etiam in modo illas possidendi. Pii illas possident, quin possideantur, illasque ideo non ægre amittunt; cum mali ab opibus suis possideantur, neque ab illis sine vi, atque mærore valeant divelli. Terræ bona virtute præditis sunt tamquam vestimentum, quo operimur, sed quod facile abjicimus citra dolorem.... Eorum plurimi, qui possident divitias, sibi blandiuntur, se earum amore nequaquam teneri tunc cum illas maxime depereunt. At vultis ne videre, utrum taliter affecti sitis, an imaginationis vestræ illusione decipiamini? Qualiter vosmet affectos invenitis, cum aliquam non levem jacturam passi estis? Num turbamini, num solliciti estis, & inquieti? Nonne doletis eo usque ut vix, & ne vix quidem solatium ferre valeatis? Hoc igitur argumento est, cor vestrum iis adhæsisse bonis, vos illa nimio ardore adamasse; quoniam sine dolore ferri non potest earum rerum jactura, quæ cum amore possidebantur. ***Idem***.

Avaritia plerarumque sollicitudinum hujus vitæ causa.

Quot turbis essemus immunes, quot sollicitudinibus vacui, si attente considerare vellemus, & in praxim redigere hoc maximi momenti monitum, quod nobis reliquit Apostolus: ***Nihil intulimus in hunc Mundum: haud dubium, quod nec auferre quid possimus***. Nudi egressi sumus ex nostræ genitricis alvo, & nudi in terræ sinum reversuri sumus. Quamobrem pergit Apostolus: ***habentes alimenta, & quibus tegamur: his contenti simus***. Qui sublimiorem fortunam sunt nacti, Principes, & Reges ipsi nihil habent quod cupiant, quam victum suum; & qui in fortuna mediocri nil ultra desiderant, fruuntur felicitate, ac requie toto cœlo magis constanti, quam omnes totius orbis Monarchæ. Quamvis in magnificis ædibus plurima absumantur, ac mensæ dapibus numero carentibus instruantur, cuilibet convivæ parum satis est, ut nutriatur; & quid avaro prodest magnus auri, argentique cumulus; cujus uno tantum adspectu fruitur. Igitur inutile est, vel potius criminosum adhærere divitiis, easque ultimum sibi finem proponere. ***Auctor recens***.

Ad Timoth. 1.

1. *Timoth.* 6.

Has turbas evitare possumus, si nobis satis esse duxerimus, quæ necessaria nobis sunt vitæ præsenti, quæ adeo brevis est.

Quid nobis opus est tot curis, tot desideriis, tot sollicitudinibus, ut locupletemur, quandoquidem nobis adeo pauca necessaria sunt, & proprie loquendo iis tantum fruimur, quæ in quotidianos sumptus erogamus? Et certe si quid interest pauperem inter, ac divitem; hoc est discrimen, quod pauper moriens pauca haud ægre relinquet, dives autem ægerrime relinquet plurima. Ratio medendi avaritiæ omnia habere volenti, est sæpe animo recogitare mortem omnia diripientem. Hæc nos insaniæ redarguit, ac persuadet, ut minus solliciti simus hujus vitæ celeriter pertranseuntis, & fulguris instar evanescentis, quam æternitatis alterius vitæ, quæ jamjam imminet nobis, ut fortasse duos tantum a nobis distet gradus. Stultitiæ hujus cupiditatis, quæ nos pro hoc mundo vexat, quem brevi relinquet, & quæ prohibet ne Avarus sibi consulat, quandoquidem sibi ea denegat, quæ ad vitam sunt maxime necessaria: Stultitiæ, inquam, huic opponenda est fidei sapientia, quæ vitæ hujus instabilitatem, mortisque certitudinem considerans, alteram quidem tamquam præteritam respicit, alteram vero tamquam præsentem; quæ alteram considerat velut umbram cito pertranseuntem; alteram tamquam reale malum, quod evitari non potest. ***Idem***.

Avaritia vitium est quod anni augent, & permanet usque ad mortem.

Pleræque aliæ cupiditates ætate restinguuntur, uni avaritiæ annorum lapsu, & senio novarum virium accessio fit. Senex Avarus pro auro magis furit, quam omnes prodigi adolescentes. Non quærit amplius, unde in suas eroget voluptates vel ambitioni suæ satisfaciat: hujusmodi cupiditates, si illis obnoxius fuit, mortuæ sunt, vel jamjam morientes in corde illius; non amat amplius pecuniam, nisi propter ipsam. Dexterior, callidior, versutior est, quam antea in arte parcitatis, fœnoris, extorsionis; ejus conscientia magis occalluit, neque tangitur ultra verecundia, stimulisque humanitatis, æternitatis, & Divinitatis. Quid igitur ex id genus hominibus expectare potestis? Nisi quod vitam divitum duxerint in superbia, mollitie, libidine, sævitia divitum morte moriantur? nempe percussi fulmine, quo reprobi solent, prostrati inopinato aliquo telo jamdudum commessationum, & compotationum vaporibus sensim conflato, quod sine fragore, sine luce dilapsum statim rationem opprimit, vincit sensus, ac finit, ut corpus se ipsum distorquens novissimis vitæ momentis digladietur; vel e contra arescentes, & per molestissimos languores ad mortem perducti, ut longis haustibus epotent amaritudinem discessionis, & dolorem, quo afficiuntur eo quod tot collegerint bona, & præsto sint, ut allidant in scopulum, ubi naufragium evitari non potest. Ubinam tunc es, o Amor Dei? reverentia, ac timor Dei? Immersi estis in ignorantia, in oblivione, in odio æternarum veritatum. Lingua vincta est, & mens clausa omnibus cogitationibus salutis. Tamen ad peccatoris cubile Medici evocantur, & Notarii. Eorum monita ponderat, deliberat, dictat, signat, colligit omnes vires suas, & quidquid recti sensus illi reliquum est. Confessarius, Pastor ad ostium pulsat: ægrotus quiescit, male noctem transegit; febris iterata est. Ministri Dei, qua patientia ferendæ sunt vobis hæ divitum repulsæ, vobisque ex eorum ore potius, quam corde evellenda sunt verba, quibus fulti spem concipere valeatis illos serio pœnituisse? Quoties non alium zeli vestri, & vestræ charitatis fructum retulistis, quam coegisse impietatem, ut ad vos decipiendos hypocrisis personam indueret? Tamen decepti, ac specie seducti, cum in corde personato veros sensus legere vobis negatum sit, ad hanc adacti estis necessitatem morienti vitæ Sacramenta ministrandi. ***P. de la Rue in Quadragesima***.

Cæcitas Avarorum.

Nonne fremendi causa est audientibus obstinatam miseri Achan pertinaciam, qui cum sacrilega aviditate, contra explicitum Dei imperium ausus fuisset sibi vindicare pallium coccineum, auream virgam, & ducentos argenti siclos ex manubiis Jerichuntinis, non ignorans interdictum, & sciens morte puniendum quicumque minimum aliquid surripuisset;

set; videns Josue, & omnes populi principes in nocentis perquisitione maxime intentos, & videns etiam sortes conjici super omnes Tribus, secundum eorum temporum consuetudinem ut reus detegeretur; tamen adhuc in peccato suo mordicus permanebat, jam certus consilii, se numquam furtum nequissimum aperiturum! Quid ille cogitare poterat, seipsum pertinaciter objiciens periculo sævissimæ, ac fere præsentis lapidationis? Videbat jam sortem cecidisse in Tribum Juda, quæ Tribus sua erat; ex Tribu Juda in familiam Zare, quæ sua erat familia, cecidisse, ex familia Zare cecidisse in domum Zabdi, qui avus suus erat. Hoc tempus erat, vel numquam, se reum confitendi, & veniam deprecandi; sed illi dominabatur avaritia, ejusque oculos claudebat iis omnibus, quæ illum impellere poterant, ut predam restitueret. Itane erat insipiens ut crederet, vel minas irritas esse, vel se de Judicum manibus elapsurum, vel se illos ad lenitatem precibus, & lacrymis vocaturum, vel patronos sibi non defuturos, vel sortes, quæ in alios ceciderant, ipsum nequaquam casuras? Inanes illusiones, quibus armari divites quærunt contra pœnas æternas capiti suo imminentes! Vident quotidie ob oculos suos similes sibi mori, sed tamquam Atheos, tamquam illos, quorum salus jam conclamata est, tamquam belluas mori, sine restitutione, sine discussione bonorum male partorum, vel sine ullo religionis sensu acquisitorum. Numquid sibi blandiri possunt, se alia morte perituros? finem eumdem, eamdemque sortem in se nequaquam casuram? O misera fascinatio? In præsentibus bonis immersi, ad ea quæ futura sunt, obstupescunt; nisi hæc futura temporalia sint, & peritura. Hac in re fateor illos esse vigilantes. Omnibus momentis mente sua agitant, quonam post obitum suum bona sua migrabunt, in quas manus deferentur, quomodo creditorum insectationibus elabentur; quomodo illa filiis suis certa, ac propria efficere poterunt, eaque in familia sua perennare. Hoc unum est illud futurum, quod respiciunt, sola æternitas, quæ illorum excitat præcautiones; ideoque fiunt Testamenta, Codicilla, Deposita, Fidei-commissa, exhæredationes, substitutiones, aliaque id genus omnia. In ipso etiam mortis lectulo avarus miser invenit tempus, ac vim spiritus, quæ in has curas impendat. Hoc autem illene præstat propter hæredum, & consanguineorum amorem? Haud ita, sed propter illusionem amoris proprii, & amorem bonorum suorum, quibus adhæret. Hæredes suos respicit tamquam suiipsius partem; relinquens illis cor suum in thesauro suo contentum, putat sibi post mortem quoddam proprietatis jus reservare in fluxa bona, quorum eos potius sequestres facit, quam dominos. Dicens volo, & jubeo, credit se dominationem, voluntatemque suam in bona sua usque in remotissima sæcula protendere. *P. Rueus in Quadragesima*.

Ratio cognoscendi an divitiarum amor legitimus sit, necne. Vultisne videre, utrum amor, quo divitias prosequimini, legitimus sit, an noxius? experimentum tutum est, & facile: ad examen revocate effectum quem producit in corde. Numquid surripit aliquid Deo? illine semper absolutum relinquit imperium? Num aliquid vobis suadet, quod vos contra legem pertinaces efficiat? relinquit ne vos ita affectos, ut, velut Abraham, parati sitis ad eumdum, quocumque vos mittat Deus? ad ejiciendam ex domo vestra Agar cum Ismaele suo, ad sacrificandum etiam si opus fuerit dilectissimum unigenitum Isaac? Tunc inter bona, & vitæ hujus delitias eritis, ut Abraham, fideles amori erga Deum: sed statim ac possessio horum bonorum, & delitiarum in animum vestrum, non secus ac in malum divitem injiciet secretam in scelus proclivitatem, frigus in Dei charitate, contemptum officiorum justitiæ, & charitatis, salutisque vestræ negligentiam, & oblivionem: jam Deus non magis est in corde vestro, quam in mali divitis corde; non amatis amplius Deum bonorum omnium Creatorem, fragilia dumtaxat bona, non autem æterna diligitis. *P. de la Rue, in Quadragesima*.

Deus colendus est, Deo serviendum est, quod secundum JESU CHRISTI sententiam, mammonæ servus præstare nequit, non solum, quia generatim: *nemo potest duobus Dominis servire*, verum etiam quia peculiariter, Deo simul, & mammonæ nemo servire potest. *Non potestis Deo servire, & Mammonæ*. Hic avaritiæ dæmon mutuatus imagines omnium mundi Principum, iisque in auro argentoque cusis efficit, ut in sceleribus, quæ suadet, magis sibi obediatur, quam Deo in officiis, atque virtutibus quas præscribit. Dives hac dæmonis servitute oblectabitur; in hac dies suos traducet; in his noctes integras somniabit, experrectus ad illam suam cogitationem converteт; omnes illius artes meditabitur, de hoc argumento Commentaria, & plura volumina conscribet; neque circa aliud argumentum sermo illius versabitur, neque alium finem, vel scopum omnes ejusdem actiones habebunt. Ita mammonæ servitur. Ecce, S. Paulus ajebat, servitus simulacrorum, servitus pecuniæ: *Avaritia simulacrorum servitus*. Sed hic pecuniæ cultor invenitne momentum in dies singulos, ut Deo vero suas preces effundat? habetne horæ dimidium in singulas hebdomadas, quo illum adoret? horam in singulos menses, ut verbum illius audiat? Diem in annos singulos, ut Sacris se proluat Sacramentis? Dignaturne Deum invocare, Deum orare, de Deo cogitare, illum serio tamquam Dominum, Deumque suum revereri? habetne tempus, & otium? & hoc Deo servire appellatur? Haud ita; Unus Dominus, cui ultro servitur, verus est Dominus; *non potestis Deo servire, & Mammonæ. Idem*. Coloss. 3. 5.

Ipsi fatentur homines, cum sese immiscent in negotiis avaritia, non licere amplius sequi leges æquitatis. Nulla, o Fideles, amplius est æquitas, ubi semel prævalet avaritia; quæ veritas constat adeo, ut homines, qui ad societatem nati sunt, & quorum omne commercium bonæ, mutuæque fidei incumbit, non agnoscant amplius bonam hanc fidem, neque sibi vicissim credant, ubi in negotiis, quæ ab ipsis ultro citroque geruntur vel minimum quid avaritiæ commisceri deprehendunt. Quantacumque sit Judicis probitas, si in causa res agitur illius, recusari potest, neque ille affici injuria putatur, si ad judicem alium fiat provocatio. Quantumvis aliunde irreprehensibilis habeatur testis, si res illius cum testimonio ejus simul occurrunt; testimonium ipsius jam nullum est, quasi homines communi consensu hanc sibimet ultro citroque justitiam tribuant, ut cum de re agitur sua pares minime sint servandis regulis justitiæ. *P. Bourdaloue in Dominicis*.

Discrimen inter bonum malumque usum divitiarum. Docet nos in Scripturis Spiritus sanctus, maledictum aliquod inhærere divitiis, cum ea legimus verba: *Væ vobis divitibus*. Non deerunt igitur divites damnandi: tamen juxta eamdem Scripturam, non deerunt, qui salvi fiant. Sed quinam divites salvabuntur? illi proculdubio, qui cælestia anteferunt bona, eaque sortem suam putant; quibus curæ est, ut conceptus, quem de terræ bonis fovent, in mentibus suis longissime cedat bonis cœlestibus. Beati divites, qui ita consueverunt! & qui semper attenti sunt, ne evertant ordinem divinæ Providentiæ in usu divitiarum suarum, cum illis sit persuasum, illas a Deo sibi traditas tamquam adminicula idonea ad æterna acquirenda bona, illa pauperibus distribuendo. Verum si bene utentibus opes sunt salutis adminicula: quot illi sunt, quibus in damnationis causas vertuntur? Quorsum? Quia illos ad libidinem, molitiem, insignem erga calamitosos pauperes sævitiam impellunt, ad ulteriora semper cupienda, adeoque illos in eum statum adducunt, ubi non solum nequeant Cœlum cupere, sed ne cogitare quidem. Mira humani spiritus oppositio, quod aliis est veluti gradus ut in Cœlum ascendant, aliis fit causa deterioris condemnationis, eo quod abutuntur iisdem bonis, quæ

Deus

Deus illis impertitur, ut se sanctificent, & quæ illi in aliud quodvis impendunt præterquam in eum finem, in quem illa destinaverat Deus, abrenuntiantes cœlesti hæreditati eo quod stulte cogitant se æternum super terram permansuros. *Ex modo recitandi Orationem Dominicalem.*

Qui ea possident numquam saturantur; bona hæc augent desiderium majora semper possidendi.

Sanctus Thomas non leve statuit discrimen inter concupiscentiam, & cupiditatem: cum illa sedem suam habeat in appetitu sensitivo, suos limites habet; hæc vero in mente residens, nullos habet. Concupiscentia ad bibendum, & manducandum impellit; sed postquam manducatum, ac perpotatum est, tandem cessatur. Oppositum accidit cupiditati, nullos habet terminos in suis desideriis; cujuscumque rei possessio non satisfacit illi, & quia ejus desideria infinita sunt, accidit, ut licet expleri concupiscentia possit, cupiditas minime possit. Quod Avarus possidet, illum non explet; quod habet, magis magisque illius appetitum irritat, efficitque, ut cupiat quod minime possidet, & licet magna sit affluentia eorum, quæ habet, semper illi deest aliquid, quod ardenter cupit, & ad quod indesinenter anhelat. Ita cor humanum mundi hujus appetens bona fatigatur, & numquam expletur; bibit, ut ita dicam, quin relevet sitim; quia nihil eorum, quæ habet, illi in pretio est; & ea tantum æstimat, quæ præterea posset habere. Majori afficitur tristitia ob ea, quæ nequit adipisci, quam gaudio ob ea, quæ possidet, replet cor suum recentibus desideriis eo ipso temporis momento, quo illis torquetur. *Recens Auctor.*

Avari cor totius Mundi possessione repleri non posset.

Divitiarum amor ita excæcat cor eorum, a quibus possidentur, ut ipsi ne intelligant quidem, & prudentiæ, vel œconomiæ, vel alterius cujuslibet virtutis nomine appellent furentem hanc cupiditatem, quæ illos efficit Dei, hominum, & suimet ipsorum inimicos. Ita quidnam insipientius, simulque crudelius est furenti invidia, & crudelitate, quas avarus in seipsum habet, & in alios? Quid tam barbarum est, quam nonnisi invitum aliis benefacere? quam animum avertere ab iis, quæ in nobis aliquam ciere possunt misericordiam? quam claudere cor suum, ut semper inexplebile in sua iniquitate permaneat? & denique quam esse tam industrium, atque immitem in seipso torquendo, ut lugeat illum ipsum panem, quem comedit? Sanctus Augustinus jure testatur, se non satis mirari posse, undenam hæc inexplebilis hominum concupiscentia procedere valeat; quandoquidem ipsa etiam bruta in desideriis suis modum aliquem habent. Hæc extrudi non possunt, Pater laudatus ait, nisi cum esuriunt, sed cum saturata fuerint, non amplius prædam insectantur. Una Avaritia limites ferre non potest in corde eorum, quos possidet; omnia devorat, quin repleatur; cupit, quidquid oculis ejus obvium est; & quodcumque possideat, totum etiam terrarum orbem, ut reor, numquam illi satis est. *Idem.*

Avarus neque Deum, neque proximum amat.

Quomodo fieri potest, ut avarus Deo per amorem, tamquam Patri suo adhæreat? ut Deo non secus ac alii Fideles dicat: *Pater noster, qui es in cœlis?* Ad id habendi essent illi pro fratribus omnes homines, eisque in communi hæreditatis pars esset relinquenda. Frater est illorum; verum est, sed quomodo Cain fuit fratris sui Abel; quomodo ambitiosus Abimelech fratrum septuaginta, quos inhumana cæde ambitioni suæ ad unum sacrificavit. Abi, dives, teque offer Patri tuo communi; tu qui mades cruore fratrum tuorum, bonis eorum, quos diripuisti, locupletatus. Patris nomen probrum est fratribus cæcis, nomen terroris, nomen horroris. Quomodonam illum amare possent? Sed habentne cor ut illum diligant? cor avarum aliquidne potest amare præter aurum, & voluptatem illud contemplandi? Quomodo autem cor seipsum transformat in id, quod amat; bonas illius, pravasque induit qualitates, & mollibus affectionibus flectitur: sumit quoque duritiem ejus metalli, quod veneratur: inflexibile est, impenetrabile omnibus misericordiæ sensibus; omni caret miseratione erga fratres suos, erga similes sibi; quomodo vero erga Deum non careat? Cain est, qui a Dei facie fugere quærit; qui Deum non respicit nisi tamquam irritatum Judicem, tamquam ultorem irreconciliabilem. Et sub hac qualitate animum inducerene potest, ut de illo cogitet, nisi ut post reverentiam, & amorem, illius etiam timorem extinguat? *Pater de la Rue in Quadragesima.*

Divitiarũ amor fons multarum curarum.

Divitiarum amor plurimarum curarum fons est; nam, quin de omnibus loquamur vitiis, quæ hic amor gignit in anima, a quibus totidem veluti tortoribus dilaniatur, cogitare, quid ille per se immediate producat. Homo qui eodem tenetur, ullumne finem suis desideriis constituit? Licet multa possideat, quam ardoris vim sentit erga ea, quæ non habet? Quot labores, quot curæ, quot sollicitudines, quot timores, quot amaritudines, ut servet, quæ adeptus est, & ea, quæ sibi desunt adipiscatur? Verum ut melius intelligamus infelicem hominis statum, qui divitiarum mancipium est, oculos convertite in felicitatem Justi eas contemnentis. Quæ pax, quæ tranquillitas! *P. Segneri in Meditationibus.*

Avarorum paupertas.

Efficit avaritia, ut homines in egestate vivant, & moriantur; avarus pauper videtur, & est. Etenim seu fur illum de bonorum possessione dejiciat, seu inexplebilis cupiditas sua ipsi eorum usum interdicat, egestatis quidem principia sunt alia, sed effecta sunt eadem. Avarus ex thesauro suo nil magis haurit, quam pauper ex egestate sua: *Divites eguerunt, & esurierunt.* Dicere possumus, avarum habere divitiarum suarum dominium, quin habeat usum? Quam plorandus hic est, cui hæc cupiditas dominatur. *P. Croiset in anno Christiano.* Psal. 33.

Quam irrationabilis, & servilis est amor quo avari suas opes diligunt.

Diceres, fascinationem non deesse: adeo irrationabilis & servilis est amor, quo avarus suas opes deperit. Opus est, animam ab illius corpore divelli morte, ut cor ab illius pecuniis sejungatur. Quam turpe hoc est viro, cui honoris sui cura adhuc est: Quanto autem turpius Christiano, qui tenetur minus terræ bonis inhærere, quam si nihil possideret: *Tamquam non possidentes.* Si ridicula saltem cœna, quam avarus instruit populo, illius oculos aperire posset, eumque minus irrationabilem præbere, ejus morbus non omnino medicina careret: sed id genus ægroti vix curari possunt: *Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant.* Nulla cupiditas hac indocilior, sicuti alitur in obscuro, mentem animumque dejicit, & jam contemptui sibilisque assueta, nequaquam movetur ludibrio ridicularum cænarum, quas sternit. *Idem.* 1. Cor. 7. Luc. 16.

Divitiarũ amor efficit, ut labamur in laqueos dæmonis, roboratque in nobis cupiditatum imperium.

Quicumque divitiarum amore tenetur non levem tribuit victoriam contra se duobus potentissimis hostibus salutis suæ, spiritui tenebrarum, & concupiscentiæ. Spiritus tenebrarum incipit aperiendo illi omnes ditescendi vias, & oculos illius obstruendo, ne videat ea, quæ efficere possent, ut ab illo nocentes judicarentur. Crassiora fœnora, apertiores injustitiæ, omnia illi exhibentur sub imagine quæstus honesti, quem negligere, prudentiæ non est. Ecce quæ vobis struuntur insidiæ; divitiarum esca illecti, vosmet illis ingurgitabitis, neque inde emergetis. Eadem cupiditas, quæ effecit, ut illas consectaremini, earum acquisitionem probabit, nec restituitur unquam quod recte partum putatur. Secundo concupiscentia vos in servitute detinebit tot vinculis, quot desideria amor divitiarum effecit, ut foveretis: desideria, quæ in infinitum multiplicantur. Etenim divitiarum amor est hirudo, quæ numquam dicit satis; desideria inutilia, nam ut voti compos fieres, vel illa omnia explenda essent, quod nequis, vel omnia removenda, quod minime vis, desideria noxia; nam quin verba faciamus de obice, quem amor divitiarum saluti con-

constituit, in nobis æternorum bonorum amorem extinguens, nosque incessanter opprimens curis peritura bona acquirendi; quot timoribus, quot sollicitudinibus hac cupiditate jugiter non agitamur? *Pater Segneri in Meditationibus*.

Avarus belle mari comparatur omnes recipienti aquas, & numquam illas reddenti.

Avarus passim mari comparatur; sicut enim hoc in suum recipit sinum omnes fluvios, & nihilominus nihil redundat, & licet plenum jam esse videatur, semper paratus est ad recentes aquas recipiendas; ita Avarus arcas suas pecuniis replet, sed nihil inde redundat in proximum, & quamvis ipse omnino super ea, quæ necessaria sunt habere videatur; nihilominus semper præsto est ad recipienda ea omnia, quæ sese illi offerunt, & ad alia etiam cum quietis, vitæque suæ periculo conquirenda. Si principium acquisitionis divitiarum, videlicet cupiditas, noxium est, non minus culpa carent adminicula, quibus utitur ad eas comparandas. Privati, qui ex redditibus suis vivunt sine magistratibus, & officiis hac misera cupiditate vacui non sunt; quot enim cum patrimonii sui redditibus miscent alia bona fœnore parta ad thesauros suos cumulandos? Inter eos, qui mercaturæ vacant quot sunt, qui per fraudes, ac illegitimas rationes suos augent quæstus, & iis, qui parum callent meliores a sequioribus merces dignoscere, has pro illis obtrudunt? Quot inter optimates in dignitate constitutos munera accipiunt, ut oppressis jus dicant, quorum gratia, præsidiumque suum pretio venalia prostant? Numerus caret numero: nihilominus omnes sunt totidem avari. *Recens Auctor*.

Si principium, & media quibus avarus utitur ad opes acquirendas sunt nequam, finis adhuc est nequior.

Finis, quem sibi proponit aliquis in terrenorum bonorum acquisitione, nequaquam magis culpa vacat, quam principium, & media; finis enim illius ponitur in hisce bonis quin illis utatur ad vitam hanc traducendam, ad subveniendum necessitatibus suis, alienis autem opem ferendam. Cum juste, ac fideliter laboribus exerceris ad tibi, filiisque tuis victum comparandum, ad familiæ decorem, in quo Deus illam constituit, servandum, ad obediendum Deo hoc præcipienti; finis laudabilis est, & a Divina providentia præscriptus. Sed divitiæ, quas tanta anxietate comparatis; hæreditates, quas tanta cura aliis superadditis; lites, quas tanto labore suscipitis, prosuntne vobis, filiisque vestris, ut melius agnoscatis, & diligatis Deum, eique serviatis! E contra omnia hæc vos a Sacramentorum frequentia, aliisque pietatis operibus amovent; nam cum hæc bona potius vos ad Dei servitutem deberent impellere, vos ab eadem deterrent; quia omnes curas vestras, & omne tempus traducitis ad veteres quidem opes servandas, recentes autem conquirendas; miseras hasce divitias in præcipuum finem vestrum convertitis, in illis requiem vestram collocatis, & quin illis utamini, ut Deum impensius colatis, & fratribus vestris opitulemini, qui pauperes sunt; nil horum facitis. *Idem*.

Divitiarũ aviditas efficit, ut nosmet periculis omnibus ipsius etiam vitæ amittendæ objiciamus.

Motus, quibus sese torquent mortales, ut aurum adipiscantur, pœnæ, quas patiuntur, ut locupletentur, satis ostendunt, quonam amore divitias prosequantur, & si ea, quæ pro aliquo patimur, argumento sunt, illum a nobis impensius amari; dicere possumus, nil esse in terris, quod magis ametur, quam divitiæ, quia nihil est, pro quo tot sollicitudinibus torqueamur. Si pro Deo faceremus ac pateremur dimidium eorum, quæ pro pecunia facimus, & patimur, profecto insignes Sancti evaderemus. Sanctus Franciscus Xaverius querebatur, & ægre ferebat Mercatores ad extremos usque orientis Indos penetrasse, ut aurum lucrarentur, antequam ipse eo penetrasset lucraturus animas Deo, Infidelium conversioni operam navans. Nobis par est causa, æque ac Sancto huic viro conquerendi, videntibus tot tantaque fieri pro argento, ac tam parum fieri pro Deo. Si hortamur homines ut ad concionem audiendam confluant, atque sancta eruditione proficiant; sexcentæ prætexuntur causæ, ne veniant: longe absumus, inquiunt: dies pluvii sunt, gravissimis urgemur negotiis. Heu! Opes miseræ vobis longe plures, gratioresque illecebræ sunt, quam Deo, & omnibus remunerationibus ejus. Nullus labor est, qui pro vobis non perferatur, nulla tam avia loca, quo cursus non dirigatur; ultro, & alacriter vita ipsa in discrimen adducitur, etiam inter Oceani procellas, atque tempestates; sed ubi pro Deo gradus aliqui faciendi sunt, ne domo quidem pes effertur. *Auctor recens*.

Pauperes esse possũt avari per desiderium habendi quod minime habent.

Ne putetis Amorem divitiarum esse dumtaxat divitum, & ingentia possidentium bona; est etiam pauperum saltem ex æquo; & sæpe pauperes tantum amant pecunias, quantum a divitibus adamantur. Cupiditas æque in paupertate, ac in divitiis invenitur; & paupertatis benedictiones æque, licet raro, inter divitias possunt inveniri. Non divitibus solum exprobrari infelix hæc cupiditas potest; hanc pauperes etiam sibi applicare possunt, si amant opes, quas non habent; si animo inhærent scrutis, ac centonibus suis, exiguis suis facultatibus, arctæ suppellectili suæ, æque ac divites superbis ædibus, pretiosisque peristromatis; si parati sunt ad pejerandum, ut aliquot lucrentur denarios, æque ac divites, ut ingentes opes acquirant; si parati sunt ad minuta quædam surripienda, vel in modicis rebus fallendum, ubi illis adsit occasio. Quid enim vobis prodest, Sanctus Augustinus ait, nulla possidere bona, si eorumdem flagratis cupiditate, si impensius amantur ea, quæ possidentur; si plura possidentibus invidetur? Divites sunt corde, si minus re; & hæc desideria Cœli aditum obstruunt. *Idem*.

Quæcumque hic cumulentur bona, cor nequit impleri, si propter æterna bona creatum sit.

Si parumper animum ad Cœlestia bona adverteremus, quam pauca nobis essent terrenorum bonorum desideria? Quam nobis hæc ima vilescerent! quantum nobis terrena sordescerent, si saperent nobis Cœlestia! Solæ divitiæ, quæ in Cœlo continentur sitim levare possunt cordis nostri, ejusque desideriis omnino satisfacere. Omnes terræ hujus thesauri ne minimam quidem illius partem replere possunt. Nonne gravissima insania est ea semper cupere, quæ multiplicata appetitum irritant, & augent sitim, quin illam extinguant, & circumferre, ut ita dicam, cogitationes suas per omnes hujus mundi thesauros, quin umquam invenire possimus, unde aviditatem nostram expleamus? Amputanda igitur est hæc funesta radix omnium malorum, nempe cupiditas, hæc furens habendi libido, atque cum Propheta dicendum est: Quidnam in Cœlo est, aut super terram, quod tecum conferri mereatur, Deus meus? Quidnam est extra te, quod esse possit affectionum mearum objectum? Tu, Domine, es omnes divitiæ meæ, thesaurus meus, hæreditas, ad quam contendo. Esto igitur objectum affectionum mearum, omniumque meorum desideriorum; tu enim unus es requies animarum nostrarum, summumque bonum nostrum. *Auctor recens*. *Psal. 72.*

Avaritia fons est plurimorũ malorum. Modus cognoscendi an hoc nobis scelus adhæreat.

Admiramini quousque Avaritia adigere valeat cor, ubi semel illi fuerit dominata. Nostis odia, dissidia, lites, cædes, quas auri, argentique cupiditas in mundo parit: hæc plerumque fons est nequissimorum scelerum. Deus meus cur mihi non licet omnium bonorum meorum jactura redimere peccata, quæ propter amorem divitiarum patravi! hoc faciam, Deus, impertiens pauperibus hoc bonum ipsum, tibi illum per pauperum manus referens. Hoc mihi fuit occasio displicendi tibi, deinceps autem mihi erit tibi inserviendi. Verum nonne crudelem hanc cupiditatem animo fovetis? Quomodo illam cognoscere poteritis? Numquid inviti eleemosynas erogatis? Numquid ægre æs alienum dissolvitis, numquid cunctamini familiæ vestræ, quod illi necessarium est dare? Quum vel alea ludentes, vel alio quovis casu jacturam facitis, num turbamini? Num pro turpi quopiam lucro faciendo prodi-

proditis Salvatorem? Numquid pro aliquot denariorum quæstu proditis veritatem? Quod dedecus ita vertere terga Salvatori mundi, & pro nihilo illum derelinquere? O miseri? Aurum te nimis hactenus amavi! tantumdem imposterum odio mihi eris, quoniam tam sæpe impulisti me, ut Deum meum lacesserem. *P. de la Colombiere*.

Divitiæ per se bonæ sunt, & malæ sunt, quia fere illis abutimur.

S. Augustinus egregie dixit cum aurum, argentum, ac Divitiæ a Deo creata fuerint ex se, & ex natura sua esse bona; nec esse mala nisi quod improbi abutuntur illis. Similes sunt aquis Ægypti, quæ in Ægyptiorum manibus sanguis erant, & in manibus Israelitarum aqua munda, & perspicua. Ita in manibus impiorum divitiæ sunt sanguis propter recentia peccata, quorum committendorum inde occasionem arripiunt, e contra vero in justorum manibus aqua sunt munda, & ad abluendum aptissima. Idem Sanctus Doctor alibi ait: aurum ponite medium inter virum bonum, & nequam; si vir nequam illud accipit, ipse hoc utitur ad pauperes opprimendos, ad corrumpendos judices, & leges omnes evertendas; sin bonus accipiat, hoc utitur in alimoniam pauperum, ut nudos vestibus tegat, ut infirmos, & oppressos recreet, atque redimat captivos. Opes fuerunt aqua pura, & pellucida in manibus Job, qui in Scripturis vocatur pauperum pater, oculus cæci, & pes claudi. Sed fuere sanguis in manibus Evangelici Epulonis; quoniam fuerunt occasio interitus illius eo, quod iis perperam usus est. Sed quamvis sit verum opes bonas esse vel malas pro bono, vel malo ipsarum usu; nihilominus cum abusus sit usu multo frequentior, ac sæpius impedimento, quam adjumento sunt ad salutem indipiscendam, longe tutius est illis carere. *Auctor Recens*.

A Deo vocantur mammona iniquitatis, quia infrequentissimum est, illis bene uti. *Luc. 16.*

S. Bernardus explicans illa Filii Dei verba, ubi terrenas opes, divitias iniquitatis appellat; *Mammona iniquitatis*, ait jure optimo hoc nomine nuncupari; ut plurimum enim alterutrum accidit, vel utrumque: hoc est illæ injustos efficiunt eos, a quibus possidentur; vel possidentur injustis rationibus quæsitæ. Hoc ipsum sentit Sanctus Hieronymus, cum ait, divitiarum fontem aliquam semper injustitiæ speciem præseferre: *Vel iniquos fecerunt: vel ex iniquitatibus collecta sunt*. Illæ ex se non fluunt, sed ex alicujus excidio. Nemo dives fit, quin alius fiat pauper; Nemo commodum accipit sine alterius incommodo; Nihil invenitur, quod non amiserit alter. Tres potissimum sunt causæ, quæ ostendunt, divitiarum acquisitionem raro culpa vacare. Principium est cupiditas, quæ nequit expleri: Media ut plurimum injusta sunt; finis vero est, ut affectibus propriis fiat satis. *Idem*.

Epist. 15.

Quomodo opes detestari debeamus, & illas in bonum convertere cum male partæ fuerunt. *Tob. 5.*

Si huc usque tot cursus, atque itinera fecistis, ut pecunias congereretis, & colligeretis ea, quæ vobis debebantur, dicite, quod olim Tobiæ mater verita, ne ulterius filium suum esset visura: *Numquam fuisset ista pecunia, pro qua misimus eum*. Numquam fuisset ista pecunia, vobis dicendum est, quæ nobis tot curas, & sollicitudines peperit! Numquam fuisset ista pecunia, quæ nos propter amorem suum a Dei societate secrevit! Numquam fuisset ista pecunia; præstat esse pauperem, & salvari, quam divitem, ac damnari. Si hactenus publicis irrepsisti vectigalibus, ubi scis te populis aliquid surripuisse; si parum habens bonorum præcipiti festinatione per fas, & nefas locupletatus es, dic ut olim Zachæus: *Dimidium bonorum meorum do pauperibus; & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*. Salvari volo; & quocumque pretio hoc staturum sit, volo: restitutiones, eleemosynæ, liberalitates, nihil mihi grave videbitur. Cum re ipsa omnem terrarum orbem lucratus fueris, omnium rerum jacturam facies, si perdideris animam tuam, cumque redactus fueris ad summam egestatem, omnia lucraberis, si teipsum salvum feceris. O te beatissimum si fluxa bona amittens æterna lucraris. *Dictionarium Morale*.

Luc. 19.

Divitiarum amor rationi æque

Ratio non minus damnat avaritiam, & immoderatum bonorum amorem, quam fides. Necesse non est Christianum esse, ut hujus cupiditatis mala cognoscas: satis est rationis esse participem; quid enim magis a ratione abhorret, quam perdite amare bona, quæ sine culpa deperire non licet; quæ nonnisi cum aviditate, ac injustitia potes congerere. Si hæc possides cum amore, illa cum sollicitudine servas, illis sordide abstines, & times uti, illorum summa cum animi tristitia jacturam facis. Quantacumque illa sint, tuis non satisfaciunt desideriis; & hæc immo in dies irritant. Visus ne uspiam est avarus, qui se satis divitem putarit? Bona nequaquam nos meliores efficiunt; immo sæpe nequiores, numquam vero beatiores, quam antea fuimus: Qui modicos facit sumptus, bonis suis minime fruitur; Qui magnos, illis non fruitur diu. Adde his sexcentos casus nobis auferre posse bona, ac tandem omnia per mortem esse eripienda. Et sane talia hæc bona possunt ne cum infinitis, æternisque bonis comparari? *P. Nepveu, in Christianis Animadversionibus*.

ac fidei oppositus est.

Quo in sensu divitiæ a fide damnentur.

Fides immodicum divitiarum amorem æque fortiter condemnat, ac ratio. Quomodone Christianus pati potest se ab hac possideri cupiditate, ac se Dei famulum profiteri? Num ignorare potest maledicta, quæ Salvator jaculatur in divites terrenis hisce bonis nimium inhærentes? quis autem hic dives est, qui opibus suis non inhæreat? Potestne hic totis artubus non contremiscere, ubi ex ipsius veritatis ore audit, difficilius esse, quod dives in cœlum ingrediatur, quam quod camelus per acus foramen transiliat, ubi narrare vult miseram hujus divitis sortem, in quo non aliud scelus fuisse videtur, nisi quod nimis amanter possederit bona sua, eaque non in bonum usum impenderit? Sed quinam dives est, qui statum suum non sine humilitatis, timorisque sensibus debeat respicere; ubi cogitat; hunc statum esse prorsus oppositum illi JESU CHRISTI, qui vixit, & mortuus est pauper? Status oppositus statui Filii Dei nonne reprobationis characterem gerit; & nisi deest fides, nonne iis, qui in illo versantur trepidandum est? Attamen in hoc sibi complacet, atque superbit. Verus Christianus, qui fidem habet; quo ditior est, eo plura invenit sibi timenda, propter quæ te ipsum humiliat. *P. Nepveu ibidem*.

Periculis inhærere bonis, hoc est sibi insolubiles nectere catenas in morte summo cum dolore infringendas.

Cum tanta sollicitudine divitias inquiritis, quid aliud agitis, nisi quod recentes saluti vestræ obices consectamini? Quam difficile est magna habere bona, quin illis adhæreas? Sed illis adhærere citra noxam nonne impossibile est? Quod efficit, ut cupiatis opes, id ipsum efficere debet, ut illas timeatis. Illas cupitis dumtaxat, ut desideriis, & cupiditatibus vestris satisfaciatis; cumque pleraque desideria vestra mala sint, & cupiditates vestræ sint semper injustæ, numquid illis satisfacere potestis, quin evadatis injusti, quin animam vestram objiciatis in interitum? Quid quæritis, cum majora quæritis bona? Quæritis multiplicare, & roborare vincula vestra, eaque tamquam indissolubilia efficere, sed necessario in morte infringenda. Quam vim non patietur homo, qui terræ tot vinculis adhærescit, cum ab illa erit separandus? tantum vitæ ac his perituris bonis hærebit: tantum extrema vitæ hora sentiet viscera sua dilaniari; atque tunc dicere debebit, quod vetus quidam locuples: *Siccine separas amara mors!* Itane, sæva mors omnia mihi eripis bona? *Idem*.

1. Reg. 15.

Divitiarum amor vitium est conditionum omnium, ideoque pauci hoc se crimine teneri putant. *Jerem. 6.*

Avaritia peccatum est omnium conditionum: & nihilominus quotusquisque hoc se nomine accusat? In omnes status irrepit, sed tam ingeniosa, ac subtilis est, ut fere numquam aliquem conscientiæ scrupulum cieat. Quantacumque adesse videatur integritas; audio Jeremiam dicentem: *A minore usque ad Majorem, omnes avaritiæ student: a Propheta usque ad Sacerdotem, cuncti faciunt dolum*. In aliis sunt apertæ injustitiæ, in aliis viæ parum honestæ, ac melius quodam urbanitatis integumento, meliusque dissimulatis prætextibus tectæ. *Dictionarium Morale*.

Nemo sibi persuadere potest se esse avarum.

Ubique inveniuntur avari, & nullibi, qui se avaros dicant, inveniuntur. Peccatum hoc omnibus regnat conditionibus; & nullus eorum, qui hac pice imbuti sunt, se reum confitetur. Sacri Ministri Domini, fideles arcanorum conscientiæ sequestres, hoc satis nostis. Quilibet propria cupiditate excæcatur, qui fordide suas opes retinent, & impune alienas surripiunt, in profunda oblivione, & injurioso silentio demersi jacent. Prophetica imprecatio adimpleta est; similes sunt aureis, argenteisque idolis, quæ sibi conflarunt, & in quibus omnem confidentiam collocarunt. Idola hæc oculos habent, & non vident: Avari oculos habent, sed peccatum suum non cognoscunt. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Ibidem.*

Avarus tanquam criminosus, Quietem respicit tranquillitatem, & pacem qua fruitur qui non est eidem crimini obnoxius.

Avaritiam semper sequitur lethalis sollicitudo ad sarta tecta servanda, quæ possidentur atque mira festinatio ad uberem fructum ex iis percipiendum. Licet JESUS CHRISTUS suadeat: nolite solliciti esse in crastinum: Nolite quærere, quid manducetis, vel quo cooperiamini; Avarus hanc mentis tranquillitatem inter vitia censet esse adnumerandam. Verum quidem est non omnem rerum temporalium curam nobis esse interdictam: Parentes quærite filiis vestris, unde honeste vitam ducere possint. Divites in id incumbite, ut bona vestra tueamini, & quibusdam in occasionibus ut illa augeatis; hoc Deus vobis permittit; sed sibimet quodammodo peculiarem, & divinæ Providentiæ oppositam providentiam effingere: avide omnibus inhiare ditescendi occasionibus, quæ sese offerunt; nihil humile abjectumque negligere ad fines suos assequendos; coram hoc repere, coram illo mendicum simulare; alios fallere, aliis insidias moliri, filiis honestum educationis genus negare: si quid accidit adversi, nullum solatium admittere: hæc ea sunt, quæ a Deo prohibentur. *Idem.*

Obduratio Impœnitentia & desperatio sunt pars avari, ut Judæ.

Funestum Judæ exemplum, qui pro miseris aliquot denariis Dei Filium vendidit, deberet proculdubio homines a bonorum pereuntium aviditate divellere. Obdurationem, impœnitentiam, atque desperationem hujus apostatæ recogitantes nihil nos terret; sed si accuratius ad examen verum illius principium revocaverimus, omnia incredibilem nobis horrorem, terroremque debent incutere. Vendidit JESUM CHRISTUM, prodidit inimicis. Magistrum, quo nihil illi esse debebat jucundius; Magistrum, qui triennio summum illi amorem testatus fuerat, & non exigua suæ erga illum singularis benevolentiæ argumenta præbuerat; Magistrum, quem sexcenta operantem miracula viderat, Magistrum denique, quem vere Deum esse, quidquid in Cœlo, & in terra est, palam illi probaverat. Attamen illum vendidit, prodidit, tradidit inimicis ejus, & post tam atrox Deicidium se laqueo suspendit, ac propriis manibus jugulatus vitam posuit. O cupiditatem semper execrandam! Sed quid non audet homo qui dæmoni avaritiæ se mancipavit? *Dictionar. Morale.*

Divitiæ a Salvatore spinis comparantur, & quare.

Qua de causa putatis Salvatorem *spinarum* nomine appellasse divitias? Quia divitiæ sunt funestum illud perfugium, quo cupiditates teterrimæ sese recipiunt, non secus ac inter spinas serpentes, atque infecta passim accubant. Rationem hanc D. Chrysostomus adfert. Quia divitiæ cruentant, lancinantque quidquid ad illas accedit, non secus ac nemo ad spinas potest accedere, easque attrectare, quin cruentetur. Ratio hæc est Origenis avaros dumis horrentibus comparantis, qui circumplectuntur, & laniant omnes obæratos, qui opem aliquam in egestate sua percepturi ad illos confugiunt. Pauperes, qui ad hujusmodi avidissimos homines acceditis, modicum illud, quod vobis reliquum est, ab illis vorabitur: ita vos impedient, & usuris usuras subnectent, ut ex manibus eorum elabi minime valeatis, nisi dilaniati, & cruore manantes. Verum potissima ratio, propter quam JESUS CHRISTUS, ex D. Augustini sententia, spinis divitias comparat, hæc est, quia opes pungunt, & lacerant cor illas amantium: quia cuspides suas in interiorem usque animæ partem inferunt, atque adeo procedunt, ut illic gravissima vulnera pariant, & nullam requiem relinquant. Quo magis calamitosi illi se agitant; quo magis se vertunt, quo magis seipsos varietate, ac multitudine curarum conficiunt: eo altius in cor suum spinas infigunt, & quo altius illæ figuntur, eo minorem ipsi consolationem, & pacem inveniunt. *Ibidem.*

Divitiarũ amor prohibet ne JESUM CHRISTUM sequamur.

Eorum plerique, qui sese Deo devovere volunt, imitantur adolescentem, quem nobis exhibet Evangelium; pueritiam suam in innocentia transegerat, atque assuetus a puero sedulæ Legis observantiæ adspirabat ad id, quod Salvatoris consilia perfectissimum, & maxime heroicum poterant suadere. Ipse JESUS CHRISTUS, qui vidit illum, statim se erga ipsum amore affectum cognovit: omnia simul confluere videntur ad animam hanc ad eminentis sanctitatis gradum attollendam. Verum secretus amor inanium mundi hujus bonorum, omne perfectionis opus evertit tunc, cum maxime confirmandum esse videbatur. Statim ac JESUS CHRISTUS illi proposuit, ut ipse illum secuturus divitias desereret, hæc anima, uti habendi cupiditas dominabatur, statim deterrita fuit ab eo statu, in quo nihil ei possidere liceret; & tristis abiit. Tristis, Sancti Patres inquiunt, eo quod in corde suo divitiarum, & JESU CHRISTI amorem conciliare non poterat. *Fenelon Archiepiscopus Cameracensis in delectis Sermonibus.*

Stultus sit, oportet, qui divitias deperit.

Nonne insipiens sit oportet, qui præsentem dumtaxat vitam cogitat, & omnino futuræ vitæ obliviscitur, a qua summa pendet beatitudo! ut cogitet solum tranquille fallacibus terræ bonis lætari, & ne curet, ut sese dignum præbeat bonis cœlestibus, quæ sola vera sunt bona? Sed hæc ipsa inania bona, quæ hic insipiens unice deperit, & quibus sperat se annos plurimos perfruiturum, intra aliquot momenta illi eripienda sunt. Præsens hæc vita, quæ omnes suas occupat curas, & cancellos statuit desideriis ejus, intra paucas horas finem est habitura: hac nocte, dixit Dominus, misero illi, qui diuturnam, beatamque sibi pollicebatur bonorum suorum possessionem: hac nocte repetent animam tuam a te ad meum tribunal rapiendam: animam hanc, quam ideo tantum creaveram, ut me diligeret, & cognosceret, & quæ nihilominus res creatas dumtaxat amavit. Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te. *P. Segneri in Meditation.*

Homo suas opes diligens in morte magis de illis sollicitus est quam de se.

Sed cujus erunt hæc bona, quæ tanto labore congesta sunt? *Quæ autem parasti cujus erunt?* Nonne potius videntur a Deo diviti exponenda tunc fuisse supplicia, quæ ipsi destinata erant, quam suorum bonorum jactura, quæ post mortem ejus erunt fortasse obligurienda? sed hujus rei causa hæc est, quod ille est Mundi sectator; & homo terrestrium bonorum mancipium rebus aliis minime afficitur? Cum hoc loquimini de bonis, & malis æternitatis, sermonem hunc non intelligit; & majori dolore contabescit audiens, bona sua post ipsius mortem in prodigas manus esse lapsuras, quam si diceretur eidem, ipsum post mortem in dæmonis potestatem venturum. *Idem.*

De secreto amore terrenorum bonorum.

Quomodonam vis persuadere nobis sibi esse cor ab omni cupiditate vacuum, tibique esse spiritus paupertatem Christiano unice necessariam, cum nullum hujus rei nobis specimen præbes? Frustra in his commentitiis abrenuntiationibus ad quas temere precibus excitas, confidis, cum interim effectus, qui pendent a te, verbis tuis non respondent. Hæ fallaces sunt protestationes, quas Deo facies, & quæ ipsum magis contra te irritabunt. Quo enim ore auderes Deo dicere, te præsto esse, ut illi reddas, quidquid ipse tibi largitus est, quandoquidem illi negas perfunctoriam eleemosynam in persona pauperis; & quomodo præsto esses ad perferendas calamitates, quæ tuos tibi eriperent honores, bona, amicos, existimationem? uti nihilominus præsto esse debes si vere animus tibi est a bonorum horum amore divulsus.

Quo-

Quomodo inquam haberes hanc in te ipsum potestatem, cum audiens indesinenter prædicari inevitabilem eleemosynæ necessitatem: mens, cui hac de re persuasum est, sæpe invenit rebelle cor, quod nulla afficitur miseratione? *Abbas du Jarry*.

Quam periculosæ sint divitiæ: mala, quæ illas subsequuntur. Legi sine honore non possunt maledicta, quibus divites in scripturis sanctis percutiuntur, & moralis impotentia salutem suam procurandi per celeberrimam illam comparationem cameli, & acus. Divites terræ, Principes mundi, qui omnem spem vestram in mundi hujus bonis constituitis, ululate, quia corruptæ sunt divitiæ vestræ, & vestros auri, argentique cumulos Deus abominatur. Væ vobis, qui iniquitatem, ac peccatum veluti in triumphum trahitis; Væ vobis, qui in singulos dies hæreditates hæreditatibus coacervatis! Væ vobis, qui de rore cœli, ac pinguedine terræ saginamini. Plena sunt horrea vestra, & cellaria vestra redundant: sed dies Domini adventat, tamquam fur, ut vos deprehendat in tenebris. Cum creditis pace tranquilla, & perfecta frui securitate: cum dicitis; fruamur bonis nostris; accedit mors quæ omnem vobis aufert spem vitæ tranquillæ, & beatæ. O vos insipientes; hac ipsa nocte repetetur ex vobis anima vestra: & paterfamilias contra servum nequam jure irritatus jubebit illum projici in tenebras exteriores, ubi tantam habebit causam suæ calamitatis deplorandæ, quantam habebat spem fore ut ejus felicitas semper esset duratura. Tunc ille intelliget, quam male omnem confidentiam suam constituerat in his divitiis iniquitatis, quæ in omnem æternitatem non prodesunt; quam ad alendum æternum incendium, quo comburetur. *Abbas du Jarry, & recens Auctor*.

Ecclesiasticì esse debent ab omni cupiditate vacui. Ita est, Fideles, ne dissimulemus; hæc avaritia omnibus sæculis maximum fuit pietatis impedimentum. Eamque, si dicere fas est, in mundo in contemptum adduxit. Hoc Hæreticos ad dicendum impulit, eosque in nos adeo eloquentes fecit. Abusus hic, quem illi deprehenderunt in saniori Fidelium parte, nonnisi ob avaritiam Ecclesiasticam statum amplectendi ad honorificos sibi reditus comparandos, ad insignem dignitatem aliquam obtinendam, ad possidendum, ut inquit Propheta, Dei sanctuarium in hæreditatem; ad familiæ bona augenda, æstimandasque dignitates, & beneficia tanti quanti reditus, ac stipendia æstimantur. Aviditas hæc, quam in nonnullis Ecclesiasticis deprehenderunt, hic ardor metendi temporalia, ubi severant spiritualia, sacris nequaquam sese immiscentes ministeriis, neque illis curas suas impendentes nisi juxta mensuram emolumentorum, quæ inde percipere poterant: Zelus hic adeo acer, & inquietus, quem in aliis observarunt, in juribus suis persequendis, cum tamquam Principes assurgunt, & quærunt seipsos quibusdam honoribus pascere sub specie animas pascendi: Hæc æmulatio, quam inter varias societates deprehenderunt in prædicandis quibusdam devotionibus quæ illis utiles erant ob populos ad se trahendos: hæc omnia, o fideles, vulgatissima sunt argumenta, in quæ Ecclesiæ inimici censuras suas exercuerunt, & in quibus triumpharunt. *P. Bourdalove in Dominicis*.

Integritas Apostolorum juxta imperium J. C. Hac de causa Dei Filius mittens Apostolos suos ad Evangelium prædicandum volebat illos summa cum integritate operam suam ponere. Hac de causa etiam atque etiam illis commendabat, ne quærerent honores, neque dignitates, neque prima subsellia in regno suo quod est Ecclesia. Hac de causa Apostoli tantopere laborabant, ut in ministerio suo obeundo omnem a se cupiditatis suspicionem amoverent. Illis quippe persuasum erat, se alioquin animabus prodesse non posse, & ex quo in Apostolicis suis muneribus obeundis aliqua deprehenderetur cupiditas, omnem sibi fidem ademptum iri, ac neminem ne aures quidem ipsis adhibituros. Hac de causa S. Paulus Corinthios erudiens ostendebat illis characterem integritatis, quæ in omnibus sui Apostolatus laboribus, efficiebat, ut ab omni humana cupiditate expeditus esset. Heu! Fratres, dicebat illis, considerate nostram vivendi rationem, utrum nos inanis gloria, vel spes temporalium bonorum nos tangat? Quid adhuc recepimus, & quod ad hanc pertinet vitam, quem fructum ex nostris laboribus hausimus? Ceterum, concludit Apostolus, si hæc vobis dico, ideo dico, ut intelligatis, nos laborantes apud vos, vobis tantummodo laborare, non nobis; & vos ipsos tantummodo quærere. *Idem*.

Avaritiæ virus in omnes status se effundens efficit, ut omnem considerationem ab illa dimus. Hominum plerique pluris divitias faciunt, quam valetudinem, honores, existimationem, patriam, affines. Cupiditas hæc omnem terræ faciem vastavit; nihil illam valet extinguere; omnia illam inflammant, viri, uxores, liberi, servi, divites, pauperes ad illam fovendam pro virili parte aliquid conferunt. Divitibus inexplebilis est aviditas, & licet omnes mundi divitias essent assecuti, numquam congerere cessant: Pauperes eos exæquare, immo etiam superare vellent: hic furor est nullos terminos habens: hæc ægritudo omnem sustulit amicitiam; non agnoscuntur amplius amici, consanguinei, propinqui; homines non amplius benevolentia prosequuntur filios suos, non uxores, ubi de re sua agitur; fatalis hæc lues animos suo imbuit veneno. *Ex opusculis S. Chrysostomi*.

Divitiarum amor cum virtute esse non potest. Divitiarum amor tamquam crudelis tyrannus, atque non ferendus, vel tamquam scortum infame infinitis obruit malis eos, qui sese illius servituti devovent. Sed quantumvis dura sit ista tyrannis, dulcis videtur, & amatur: quamvis quotidie videantur gladii vagina educti, aperta præcipitia, scopuli, supplicia, non lugentur illi, qui hujusmodi bona sitiunt, beati esse creduntur, omnes se hoc torrente trahi sinunt; homines sequuntur avaritiæ motum, & oblectantur eadem ferme ratione, qua animalia quædam limo, & sordibus oblectantur. Licet hac ægritudine laborent, miseriam tamen suam minime sentiunt, ibique voluptatem inveniunt; non ideo tamen res hæc realis est, & effectiva voluptas; sed illi rectæ rationis usum amiserunt, & in statu magis misero versantur, quam insipientes. Quomodo autem cupiditati adeo violentæ afferri medicina potest? Hoc fieret, si attenti esse vellent rationibus, quæ possunt afferri: divitiæ non faciunt, ut aliquis sapientior sit verecundior, temperantior, humanior, clementior, prudentior, magis sobrius, minus in voluptates proclivior; non docent modestiam, non humilitatem, non aliam quamlibet virtutem, atque propter hoc inquiruntur. *Idem*.

Quare S. Paulus certum putet interitum eorum qui se mancipant avaritiæ. Qui divites fieri volunt, Apostolus inquit, vincuntur Dæmonis tentationibus, incidunt in ejus laqueos & in desideria noxia, vel inutilia, quæ adducunt homines in interitum. Verba illius apertissima sunt. Et profecto nos admonet JESUS CHRISTUS. Cœli aditum fere invium esse divitibus sæculi; quid ergo illis erit, qui divites fieri volunt? Nam præter temporalium bonorum amorem, qui illis est cum primis communis, nonne plurimis aliis criminibus sunt obnoxii? Sola restituendi necessitas, cui perquam raro fit satis, sigillum addit sententiæ mortis, quam fert S. Paulus in eos, qui divitias depereunt; etenim ditescunt ne umquam citra injustitiam? fere numquam. Et sunt qui animum inducere valeant, ut ea abjiciant, quæ injuste possident? fere numquam. Possessor injustus salvari ne potest nisi restituat? Nequaquam. Jure igitur suo tenet Apostolus, certum esse quodammodo eorum interitum, qui divitiarum cupiditati se mancipant. *P. Segneri Medit.*

Quam periculosum sit divitem esse. Nemo nimis sibi potest attendere contra divitiarum tentationem, ne omnino illa superetur; contra illam videlicet inexplebilem terrenorum bonorum aviditatem, quæ in cordibus nostris tot cient inquietas, ac inordinata desideria; contra non ferendam superbiam, quam illis inspirant, a quibus possidentur; contra cæcam ambitionem, qua volunt, ut omnia pendeant a se, cum ipsi a nemine pendere velint; contra tentationem hanc, quæ illis suadet, ut bonis suis non utantur, nisi ut suis cupiditatibus faciant satis, & ut in omne nefas ruant; vel denique ut pretiosum aurum, argentumque suum in thesauris suis servent; illis

illis sacrificantes, ut ita dicam, omnes labores suos, vigilias, & curas, quin tamen unquam ea in illos usus adhibeant, in quibus essent potissimum adhibenda; seu ut gratis dent mutuum illis, qui extrema laborant inopia; seu ut ægrotantibus omnium indigentibus ferant opem, seu ut stipem erogent pauperibus, seu ut ornent, & reparent aras, ac templa. Numquam satis Deum precari, ac obtestari possumus, ut nos præservet ab his omnibus noxis, quæ adeo familiares sunt divitibus sæculi, quos in eum statum adducunt, ubi vix, & ne vix quidem possint salvari. *Ex libro cui titulus. Modus recitandi Orationem Dominicam.*

Divites immerito putant bona sua pro ipsis tantū esse.

Intelligite quæso, quam turpiter errent, qui putant se ideo divites esse super terram, ut superbi sint, magnifici in vestimentis, conviviis, & supellectili. Vobis persuasum sit, eos omnes, qui magnas possident divitias, coram Deo non aliud esse quam œconomos quibus magna hæc ideo credita sunt bona, ut eorum sint dispensatores secundum mentem illius; quæ est, ut sicuti per divinæ providentiæ suæ legem, suppeditare pauperibus, quæ illius creaturæ sunt, ea quæ ad victum sunt necessaria; ita in divitum persona præsto habeat fideles suorum consiliorum ministros, cum illis relinquit omnium eorum bonorum dispensationem, quæ in eorum manibus posuit. Unde sequitur, nihil ex his magis opibus, quibus diffluunt, nihil inquam nonnisi in pauperum auxilium esse impendendum, postquam usi sunt eo, quod sibi familiæque suæ secundum Christianæ prudentiæ regulas est necessarium. *Ex eodem libro.*

Sævitia creditorū in debitores suos.

Sine ulla misericordia pauper in ære alieno positus jugulatur; ad extremum usque quadrantem tota debiti æris summa reposcitur, quacumque in necessitate debitor sit. Nullæ audiuntur rationes, excusationes, preces; oculi clauduntur, ne illius videatur calamitas: totius familiæ gemitibus aures obstruuntur. Sed homo rationis particeps quam prætexere potest causam tantæ crudelitatis? Avaritiæ, cupiditati, habendi libidini numquamne deerunt prætextus? Crederent se injuriam facere filiis, hæredibus, familiæ, officiisque suis, si aliquid de ære sibi debito imminuerent. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus, tom.* 3.

Errat, qui credit se Deo simul, & divitiis inservire posse.

Divitiæ sunt hoc idolum, cui omnes vota faciunt. Cupiditas thesauros thesauris agglomerandi tyrannus est, qui multa sibi subjicit mancipia. Durus est dominus, qui præcipit imperiosius, & cui nonnisi cum maximo damno servitur; sed tamen servitur. Verum potestne serviri Deo, tempore eodem, quo mundo servitur, quo servitur cupitati suæ, quo Deo divitiarum? Vel dicam melius, eo tempore quo cor traditur cupiditati quo illi requies, & ipsa valetudo sacrificatur: nonne illi etiam æterna salus, & anima etiam sacrificatur? Errorem tandem abjiciamus. Deus non patitur divisionem. Si cor alterius est, suum non est. Nemo duobus simul dominis servire potest. Si alteri servitur, alter deserendus est. Nimis invicem oppositi sunt; characteris sunt nimium diversi. Alterutrum amare est odisse alterum, quia officia, quæ postulant sunt secum pugnantia. Postulat Deus cor ab omni terrestrium bonorum affectione vacuum; mundus vero postulat cor patens creatorum bonorum desideriis. *P. Croiset ibidem, Tomo* 5.

Avari mūdi hujus divitias æternæ præferunt felicitati.

Infinitos sibi thesauros acquirerent, non ignorant avari, si in eorum, quæ possident, partem vocarent pauperes: attamen servant pecunias suas, easque infodiunt. Præferunt voluptatem habendi terrenas opes divitiis, quæ illis promittuntur in Cœlo: gestiunt potius sese pœnis æternis objicere, quam suis carere thesauris. Hi sunt effectus concupiscentiæ oculorum: quia vim non habent affectibus suis imperitandi, accendunt intra se ignem, quibus devorantur; quo magis se contentos esse putant, eo sunt miseriores; hæc enim non extrema est Dæmonis ars aliquam immiscere voluptatem doloribus, quos patiuntur, ut minus suam sentiant calamitatem. Inconstans est eorum ingenium: simul tristes sunt, atque gaudentes. *Ex Opusculis S. Chrysostomi.*

Divitiæ, quæ in lege veteri fuerunt virtutis illecebra, factæ sunt hodierna die ejusdē excidium.

Divitiarum amor in Judæis venia dignus erat, quibus Deus illas proponebat, tamquam fidelitatis illecebram, atque mercedem. Promissio, qua in singulas horas, se illos locupletaturum pollicebatur, erat veluti honorificum suæ æstimationis indicium, quod norma esse poterat eorum affectui; & errassent, uti videtur, si mala credidissent illa esse, quæ in ore Dei tamquam virtutis pretium habebantur. Sed turpis hæc cupiditas nullam hodie apud Christianos excusationem admittit. Divina Majestas mutato sermone, jubet omnes homines mutare desideria, & cum videtur Dei Filius tam crebro divites in Evangelio condemnare, ac in illo anathemata, & maledicta proferre, profecto sin minus opes odisse tenemur, non deest sane magna earum timendarum causa. Quod olim in prima lege aculeus fuit, & illicium virtutis, modo factum est vitiorum omnium radix, & fons. Quod in ordine Providentiæ causa erat, propter quam homines suo munere fungerentur, modo instrumentum est, quo dæmon utitur ad eos corrumpendos, atque perdendos: & hæ ipsæ divitiæ, quæ efficiebant, ut Dei Verbum audiretur, & fructum pareret in cordibus, secundum Salvatoris ipsius testimonium, suffocant illud, & prohibent, ne fructum aliquem ferant. *Ex vita Cardinalis de Berulle.*

BAPTISMUS.

Obligationes, quas per Baptismum contraximus, Nomen Christiani, quod ibi recepimus.

MONITUM.



In hoc de Baptismo, & obligationibus, quæ per illum contrahuntur argumento, notandum est, nonnulla adesse, de quibus fideles sunt erudiendi; sed quæ Catechesim potius decent, quam concionem. Hujusmodi sunt ritus illi, qui ante, & post hoc Sacramentum adhibentur; dispositiones, quæ in Adultis eodem abluendis requiruntur; quinam debeat esse Minister, quæ materia, quæ forma; quæ omnia ad Theologos potius pertinent, quam ad Concionatores.

Nos igitur hoc in loco supponemus, fidelibus hæc omnia comperta esse & explorata, atque ea tantum afferemus, quæ necessaria videbuntur, ut veritas aliqua, vel aliquod morale documentum eliciatur.

1. *Neque fusius de Sacramenti hujus necessitate loquar, quod Patres Christianæ Religionis januam, fundamen-*

Sacramentum, vel basim appellant, cui reliqua innituntur omnia; neque de illius præstantia verba faciam, sed ea tantum persequar, quæ pertinent ad fidelium his sacris initiatorum officia, ad Christiani qualitatem, qua induuntur, & denique ad necessitatem sustinendi pro dignitate hoc nomen præstantissimum, innocentia videlicet, & morum integritate: atque colligemus simul quidquid huic aptius argumento ubicumque deprehendere contigit.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus argumenti structura.

I. E illis obligationibus, quæ sunt cum Christiani qualitate conjunctæ, quam in Baptismo recipimus. Ostendendum est, triplicem utilitatem, quam nobis hæc qualitas confert, quædam nobis imponere officia ad easdem utilitates rationem quamdam habentia. 1. Qualitas Filiorum Dei, qua per Baptismum insignimur, nos cogit, ut illam satis pro dignitate æstimemus, eique vitæ nostræ ratione respondeamus; quamdam animæ magnitudinem præ nobismetipsis feramus, qua nonnisi cum sancta superbia ea despiciamus, quæ minora sunt Deo; & putemus, nos majorem honorem consecutos ex hac Christiani qualitate, quam ex alio quovis munere, quantumvis nobilissimum sit, exemplo Sancti Ludovici, qui nomen ex Baptismi sui loco desumebat seipsum pro Christiani, quam pro Regis qualitate existimans nobiliorem. Hæc nos adigit, ne sinamus eam in nobis sordescere, vel abjectis, turpibusque sententiis, vel impie, & flagitiose factis, quæ nos in dæmonis servitutem detrudant. Denique nobis in mentem revocans Deum esse Patrem nostrum, efficit, ut cogitemus Cœlum patriam esse nostram, ad quam nobis totis viribus contendendum est; terram vero tamquam locum exilii, ubi jugiter nobis est illacrymandum.

2. Qualitas membrorum JESU CHRISTI, quam in eodem Sacramento recipimus, nos cogit, ut quocumque pretio per fidem, & gratiam eam servemus unitatem quam cum eodem acquirimus; ut semper eodem spiritu ac ille animati simus; ut eosdem ac ille sensus foveamus, ut eamdem ac ille vitam vivamus, ita ut cum Sancto Paulo dicere possimus, in nobis vivere, velle, cogitare, agere JESUM CHRISTUM; ut evitemus ea omnia, quæ unionem hanc, vel infringere, vel infirmare possunt; ut vivamus vita fidei, quandoquidem per hanc tantummodo fideles sumus; ut corpori nostro nullam inferamus contumeliam flagitiorum nostrorum obscænitate, non obliti nos esse JESU CHRISTI membra, & Christiani hominis impuritatem a quadam sacrilegii specie non abhorrere.

3. Cum per Baptismum Christifideles evadimus, evadimus etiam Spiritus Sancti Templa; nos ergo spectare debemus tamquam aliquid sanctum, & sacrum, ideoque Sanctus Paulus Christianos Sanctorum nomine appellat. Si Templorum, Sacrorumque vasorum profanatio tantum scelus est, ut in illud severioribus suppliciis animadverterit Deus; quanam severitate nos excipiet, si per peccatum pollucrimus animas nostras, quæ Templum sunt Spiritus Sancti? Si tanto zelo flagrat propter materialium Templorum honorem, quid tandem fiet ubi de spiritualibus Templis agatur? *Si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus; Templum enim Dei Sanctum est, quod estis vos.* Spiritus Sanctus residet in nobis, ille quodammodo anima est animæ nostræ; debemus sequi motus illius, vereri debemus, ne illum suffocemus in nobis, quod sane præstamus, cum illius gratiis resistimus, affectibus nostris obtemperantes &c. *Hoc systema desumptum est ex considerationibus Christianis Patris Nepveu tomo secundo die secunda.*

Quemadmodum præcipuus Baptismi effectus est gratiam conferre, quæ nos acceptos præbeat in oculis Dei, cum antea essemus invisi, & filii iræ, ut loquitur Sanctus Paulus; pro concionis argumento desumi potest, 1. pretium, quod a nobis faciendum est gratiæ, quam in Sacro Fonte recipimus, quæ sanctificans, vel justificans nuncupatur; quandoquidem nos Sanctos, & justos efficit, qui antea nequam eramus; gratiæ quæ nos ad dignitatem filiorum Dei evehit; ubi explicandum erit, quomodo hæc adoptio Divina perficiatur in nobis. Secundo loco ipsa nos ab originali peccato liberat applicando nobis virtutem sanguinis Dei; ubi fusius sermo haberi poterit de muneribus, infusisque virtutibus, quæ gratiam hanc subsequuntur; ac tandem ostendendum jus erit, quo ad Cœli hæreditatem donamur. II.

2. Cura, qua nobis hæc gratia servanda est; & quid ad hoc requiratur, constituit exactam earum rerum observantiam, quam in Baptismo sumus polliciti.

Primo. Cum Baptismus lavacrum sit, in quo ab omni originalis peccati labe, omnibusque aliis sordibus abluimur, si quas unquam contraximus antequam elueremur; toto pectore evitanda a nobis sunt actualia peccata, quæ nos coinquinant, atque efficiunt, ut gratiæ Baptismalis jacturam faciamus. III.

Secundo. Cum per hanc regenerationem fiamus quædam veluti nova creatura, veteris hominis studia a nobis exuenda sunt, & vita prorsus spiritualis, & Sancta vivenda.

Per Baptismi gratiam evadimus Filii Dei, & simul etiam Ecclesiæ filii; quæ duæ qualitates concionis partitionem possunt suppeditare. IV.

1. Facti sumus per Baptismum Filii Patris Cœlestis, qui nos adoptavit, ut essemus Hæredes regni sui, & cohæredes JESU CHRISTI Filii sui; ubi ostendi potest ea similitudo, quæ inter divinam Salvatoris Filiationem, & nostram intercedit; & mox discrimen illud, quod est inter eorum adoptionem, quos Deus sibi eligit in filios, & adoptionem hominum iis in locis, ubi adhuc usuvenit. Hæc enim non efficit nos perfectiores; sed adoptio Dei nos Sanctos facit, nos suis muneribus cumulat, & nobis majorem, quam ceteris quibuscumque rebus dignitatem impertit.

2. Sumus etiam Ecclesiæ filii, quæ nos suo recipit sinu, atque in fidelium, filiorumque suorum numero recenset; debemus ergo eidem parere tamquam Matri, sensus illius sequi, adimplere præcepta, atque sinere, ut nos omnino regat velut filios obedientes, & perfecte subjectos.

Christianus, qui vitam ducit abnormem ab eo, quod in Baptismo professus est. V.

1. Monstrum est in Ecclesia; nam sub capite sancto flagitiose vivit.

2. Sandalum est omnium fidelium, quos suis moribus, & sua nequitia dedecorat.

3. Suam fidem, cultumque objicit Ethnicorum, & impiorum opprobriis.

De Christianis improbis non viventibus secundum dogmata fidei, quam in Baptismate receperunt. VI.

1. Ostendunt actionibus suis sibi non majorem

esse

esse fidem, quam Ethnicis, qui pertinaciter nihil credere volunt, licet tot apertissimis argumentis veritas religionis nostræ probetur.

2. Suam abjiciunt fidem, postquam illam acceperunt, quemadmodum Hæretici, qui infelicissime in Apostasiam inciderunt.

3. Flagitiis, ac sceleribus suis fidem suam persequuntur crudelius, quam Tyranni, qui majori odio illius quærebant interitum. *Auctor sermonum in omnia Christiana moralis argumenta sermon. 9. de Adventu.*

VII. De nomine Christianorum, quod in Baptismo recepimus ostendendum est,

1. Obligationem, quæ est cum illustri hoc nomine necessario conjuncta, esse vitæ sanctitatem; ita ut, qui non conatur, Sanctus fieri, sit Christianus æquivocus, & nomine hoc prorsus indignus.

2. In qua re consistat Sanctitas acquirenda vi promissionum earum, quas fecimus in Baptismo. *Idem serm. 13. de Adventu.*

VIII. Primo cum Baptismus sit mors peccatorum omnium; illum recipientes mori debemus vitiis omnibus, omnibus inordinatis affectibus, omnibusque studiis pravis, quorum adhuc in nobismetipsis principium gerimus, videlicet concupiscentiam, quæ in nobis post baptismum permansit.

2. Est etiam vita nova, nova nativitas, & quemadmodum in Scripturis vocatur, regeneratio, quæ nos adigit, ut vivamus secundum gratiæ motus, & Evangelii præcepta Mundi præceptis, quæ abdicavimus, prorsus opposita.

IX. Fidelis, qui per Baptismum Christianæ militiæ nomen dedit, primo oppugnare, & expugnare debet omnia vitia, omnesque incompositos affectus, qui sunt peccati originalis reliquiæ.

2. Sequi, & imitari debet JESUM CHRISTUM Ducem suum, cujus servituti sese omnino devovit.

X. Quandoquidem per Baptismum palam professi sumus futurum, ut Dei Filium perfectius, quam fieri posset, sequeremur, ac imitaremur; eumdem exhibere debemus,

1. In temporali nativitate per spiritualem regenerationem, quam recepimus, & cujus imago Baptismus est, quemadmodum animadvertimus: Nobis ergo ducenda est vita omnino spiritualis, atque illi conformis dignitati, ad quam per hanc nativitatem fuimus evecti.

2. In morte illius, cujus viva quædam repræsentatio Baptismus est, juxta illa Pauli verba: *quicumque baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus.* Debemus ergo esse mortui mundo, & ut ille, esse Crucifixi; hoc est nullis terræ hujus voluptatibus debemus affici, crucem gestare, ac tandem vitam vitæ illius similem ducere perfecta mortificatione debemus.

XI. Quid debeamus Deo per Baptismi gratiam quam præ tot populis, qui nobis nequaquam indigniores erant, recepimus.

1. Debemus Filio Dei perfectam gratitudinem ob magnitudinem hujus beneficii, aliorumque omnium, quæ in hoc Sacramento recipimus.

2. Debemus eidem diligentissimam, & generosam fidem, ut mentem illius adimpleamus, per quam Spiritus sui, & luminum fidei suæ nos fecit participes: scilicet, ut doctrinam illius cognoscamus, ejusque sequamur exempla: ad quæ omnia summa cum fide servanda solemnibus juramentis nosmetipsos adegimus.

3. Debemus illi mysticam mortem, hoc est perfectam abdicationem eorum omnium, quæ prohibere possunt, ne gratiæ ipsius pateamus afflatibus. *P. Texier in Quadragesima.*

XII. Christianus per Baptismum ad filii Dei dignitatem elatus tria debet potissimum animadvertere in ea, quam obtinet, felicitate.

1. Ipsi persuasum esse debet incompatabilem hanc felicitatem a Dei amore esse profectam, ideoque sincere, ac fideliter fateri debet se ex mera Dei charitate divinam adoptionem esse consecutum; ideoque debet humilitatis, & gratitudinis sensus fovere.

2. Magno habere debet in pretio eas utilitates, quas in hac adoptione nanciscitur.

3. Consilium certissimum iniri debet vitam agendi, quæ adoptionis suæ præstantiam deceat.

De gratiæ excellentia, quæ in baptismo, vel in secunda justificatione per pœnitentiam recipitur. XIII.

D. Thomas in quodam opusculorum suorum sanctificanti gratiæ, quæ ibi recipitur tres eosdem assignat effectus, quos anima corpori animato communicat; videlicet, vitam, motum, & sensum: Similiter gratia animæ tribuit

1. Supernaturalem charitatis vitam, cujus præstantia ostendenda est.

2. Motum erga Deum; cum enim anima ex se illum quærere, & ad se illum usque attollere nequeat; ad id principium supernaturale requiritur.

3. Gustum, & sensum rerum divinarum. *P. Texier in mysteriis Domini.*

Theologi una cum Sancto Thoma tres præcipuos baptismatis effectus agnoscunt, ex quibus præclara ad morum disciplinam educere possumus documenta, atque concionis argumentum, & partitionem efficere. XIV.

Primum est originalis peccati remissio in pueris; & reliquorum etiam actualium peccatorum in Adultis cum pœnis omnibus, quas merebantur. O præclarum beneficium! O medicinam suavissimam, simul & efficacissimam! quam debemus Deo pro incomparabili hoc beneficio gratitudinem?

Alterum gratiæ sanctificantis infusio cum spiritus Sancti muneribus, & virtutibus, quæ illa concomitantur.

Tertium impressio nobilissimi characteris, qui animæ inuritur, ut fidelis ab infidele distinguatur.

Tres propositiones, quæ suppeditare possunt argumentum concionis. XV.

1. Gratia baptismi pretiosa est, numquam satis æstimanda, & quæ peculiarem grati animi sensum requirit.

2. Sæpius animo reputare debemus obligationes, quas ipsi contraximus, pretiosam hanc in baptismo gratiam recipientes.

3. Hæ tamen obligationes terrorem nobis incutere non debent, Dei quippe Filius nobis valida suggerit auxilia, ut bene nostro munere perfungamur. *Lambert homilia in festum Sanctissimæ Trinitatis diem.*

Pro concionis in hoc argumento partitione desumere possumus etiam Christiani qualitatem, quæ in baptismo recipitur, & illa officia, ad quæ explenda sacro fonte ablutus adigitur. Hæc autem variis modis efferri possunt. 1. Christianæ religionis gratia; & fidelitas; qua eidem respondendum est: 2. Quid Deus pro nobis fecerit, & quid nobis pro Deo faciendum sit. 3. Quid in baptismo recepimus, & quid in eodem promisimus &c. XVI.

Possumus etiam in homine Christiano perpendere: 1. nativitatem per baptismum. 2. Jus quod inde assequitur ad Regnum Cœlorum. 3. Ejus officia, & quid sit ipsi præstandum. XVII.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde elici copia queat ad propositas concionum structuras elaborandas.

SAnctus Augustinus librum de Puerorum baptismo compofuit. SS. Patres.

Idem, *l. 4. contra Donatistas c. 25.* loquitur de effectibus baptismi in Pueris.

Idem de eadem re loquitur etiam contra Pelagianos, tom. 10. serm. 14.

Idem sermonem habet de illis, qui gravi laborantes

rantes morbo, & in mortis periculo constituti baptismo abluebantur. *Serm. 164. de temp.*

Idem *l. 1. contra Julianum c. 2.* loquitur de donis quæ recipiuntur in Baptismo.

Idem *l. 1. de peccat. merit.* de baptismi, & Eucharistiæ necessitate verba facit.

Idem *in Enchiridio cap.* 119. *&* 120. de baptismi efficacia disserit.

Idem *tractatu* 5. in Sanctum Joannem loquitur de Baptismo Joannis, & JESU CHRISTI.

Idem *l. 13. cap. 7. de Civitate Dei* loquitur de Baptismo sanguinis aquæ Baptismo supplentis: *& lib. 4. de Bapt.* verba facit de aliis Baptismi speciebus, scilicet de Baptismo flaminis.

Idem in Enchiridio ostendit quomodo Baptismus Salvatoris mortem exhibeat.

S. Hieronymus *epist.* 83. *ad Oceanum* probat pluribus rationibus, & naturam, & baptismi virtutem decuisse, ut aqua Deo in hujus Sacramenti materiam eligeretur.

Sanctus Ambrosius *lib.* 1. *de initiandis* eos, qui Baptismo initiantur, hortatur, ut summa cum fide ea, quæ ibi polliciti sunt, adimpleant.

Idem l. 1. de Sacramentis, vel cujuscumque opus illud sit, ad idem hortatur.

S. Cyprianus de duplici martyrio ad Fortunatum loquitur de scelere eorum, qui post acceptum Baptismum fidei abrenuntiant.

Idem sermonem habet de JESU CHRISTI Baptismo.

Idem loquitur de fidelium Baptismo *in Epistolis* 67. 70. 73. 76.

S. Basilius sermonem habet de Baptismo.

S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 40. loquitur de effectibus Baptismi, & quid a nobis petierit Deus nos evocans ad baptismum.

S. Chrysostomus tom. 5. adhortationem habet ad recenter Baptizatos, ubi illos erudit de hujus Sacramenti virtute.

Idem exhortatione 3. in cap. 3. Sancti Matthæi ostendit fidelem post Baptismum contemnenda esse omnia mundi bona tamquam seipso indigna, sibique adnitendum, ut vitam fidei suæ conformem efficiat.

Tertullianus librum habet de baptismo, de quo loquitur etiam in Apologetico.

S. Cyrillus Jerosolymitanus in Bibliotheca Veterum Patrum plures habet hac de re Sermones, quos *Baptizatorum Catecheses appellat.*

S. Bernardus de hoc loquitur: *serm. de tempore in Cœna Domini.*

S. Bernardinus *tom.* 4. *serm.* 14.

Ascetici aliique. Pacianus Batchinonensis in Bibliotheca Veterum Patrum *tom.* 3.

Josephus Vicecomes egregium edidit volumen de antiquis baptismi ritibus omnigenæ doctrinæ refertissimum.

Petrus Canisius *tom.* 3. *c.* 2.

Joannes Vitali speculo morali.

Raynerius de Pisis prolixum edidit tractatum in Pantheologia.

Pater Coton in Catholica institutione *tom.* 2. *tract. de Sacramentis c.* 26. loquitur de baptismi necessitate.

Jacobus Marchantius *in Horto Pastorum tract.* 1. *lect.* 1. sermonem habet de Christiani nominis dignitate.

Idem in candelabro mystico *tract.* 2. fusius verba facit de his omnibus; quæ ad baptismi sacramentum pertinent.

Considerationes in varia Religionis, & moralis argumenta *tom.* 1.

De S. Martha Presbyter in monito super restaurationem promissionum baptismi.

Moralis Christiana in *Pater* tribus articulis tractat regenerationis nostræ excellentiam, dignitatem ad quam baptismus nos evehit, & Dei erga nos in hoc Sacramento liberalitatem.

Liber, qui inscribitur, purus, perfectusque Christianismus Patris Ludovici Camaret cap. 3. loquitur de Originali peccato, & de ejusdem post baptismum reliquiis.

Pater Mathias Faber sermone in festum Trinitatis diem de Baptismi obligationibus loquitur.

Item in parte altera sermonis 8. in 3. Dominicam Adventus, & sermon. 6. quartæ Dominicæ. Idem loquitur de officiis Christiani qui Baptismo ablutus est *serm.* 5. *in die festo S. Andreæ*, *& serm.* 7. *Circumcis.*

Pater Texier *sermone pro 6. feria post* 1. *Quadragesima dominicam* loquitur de obligationibus, quas in Baptismo contraximus.

Idem *in sermone pro die Pentecostes* agit de secunda Christiani nativitate, & de divinæ adoptionis dignitate.

Molinier *Sermone pro feria sexta post primam Quadragesima Dominicam* comparationem instituit Piscinæ cum baptismo, & pœnitentia.

Lambert *homil.* 75. *in Evangelium diei festi Trinitatis* loquitur de Baptismo.

Sarazin in Adventu *Sermone* 25. *de Spiritu religionis &c.* verba facit de votis, & promissionibus Baptismi.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta *sermon.* 13. *de Adventu* agit de Christiani nomine, & muneribus, quæ illud nobis imponit.

Pater Lezeune Presbyter Oratorii *tom.* 6. quatuor habet sermones deinceps, primum de necessitate Baptismi, alterum de viribus illius, tertium de materia, & forma hujus Sacramenti, quartum de adoptione divina, ad quam nos extollit.

Ludovicus Granatensis *titulo Baptismus.*

Berchorius.

Labata &c.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

E*Untes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Matth. 28.

Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.....& dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri. Ezech. 36.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Marci 16.

Fuit Joannes in deserto Baptizans, & prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Idem, c. 1.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Cœlorum. Joann. 3.

Ego Baptizavi vos aqua, ille vero (Christus) *Baptizabit vos Spiritu Sancto.* Marci 1.

Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus. Joann. 13.

Pœnitentiam agite, & Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum. Act. 2.

Numquid aquam quis prohibere potest ut non Baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut & nos. Ibid. c. 10.

Quid moraris? exurge, & Baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius (Christi.) Ibid. cap. 22.

An ignoratis quia quicumque Baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius Baptizati sumus? Ad Roman. 6.

Consepulti sumus cum illo, per Baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Ibid. 6.

Hoc

Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati. Ibid. 6.

Et hæc quidam fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. 1. ad Corinth. 6.

Ut illam (Ecclesiam) *sanctificaret, mundans lavacro aquæ, in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Ad Ephes. 5.

Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis Ad Galat. 3.

Non omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii. Ad Rom. 9.

Eramus natura filii iræ sicut & ceteri. Ad Ephes. 2.

Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei. Ad Roman. 3.

Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. Ad Coloss. 1.

Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam, salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti. Ad Tit. 3.

Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Ad Ephes. 4.

Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, &c. & prolapsi sunt, iterum renovari ad pœnitentiam. Ad Hebr. c. 4.

Voluntarie peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. Ibid. c. 10.

Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Act. 1.

Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium creaturæ ejus. Jacobi 1.

Quod & vos nunc similis forma salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionem Jesu Christi. 1. Petri 3.

Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti. 2. Petri c. 2.

Satagite ut per bona opera, certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Ibid. c. 1.

Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ. Ibid.

Vos vero genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. 1. Petri c. 2.

Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, & aqua, & sanguis. Epist. 1. Joann. 5.

Exempla, vel Figuræ Veteris Testamenti.

CUM Baptismus primum sit novæ legis Sacramentum, de hoc in Lege veteri sermo non est, nisi in figuris, quæ illum præsignarunt, quarum hic afferam præcipuas.

Prima est circumcisio, quam præcepit Deus Abrahæ, & omni illius posteritati tamquam signum fœderis, quod cum illa percussurus erat; & tamquam Characterem, quo populus suus a reliquis nationibus erat distinguendus. Tunc præceptum illud ejusdem erat necessitatis, cujus nunc est baptismus, licet non illa justificaret Circumcisos; sed Parentum fides in pueris, in Adultis vero fides actualis in Messiam, quem præstolabantur de semine Abrahæ nasciturum; *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo meo, quia pactum meum irritum fecit.*

Diluvium ejusdem figura.

Asserit Sanctus Petrus diluvium, quod universam terram submersit, & ipsum fuisse baptismi figuram; *quod & vos*, inquit ille, *similis forma salvos facit Baptisma*. 1. Petri 3. Hoc diluvium fuit Universale, abstersit sordes omnes terræ; quibus illa fuerat coinquinata, & tamquam Mundum novum effecit: quod satis apte repræsentat ea, quæ accidunt in Baptismo, qui a nonnullis Sanctis Patribus *diluvium peccatorum vocatur*.

Erythræi maris transitus.

Sanctus Paulus etiam testatur maris rubri transitum esse Baptismi figuram, & cum Sancto Augustino dicere possumus, cum exhibemur Ecclesiæ sacro fonte abluendi, similes non esse Israelitis, cum illos persequebantur Ægyptii. Utrinque Deus aquas tamquam mœnia firmaverat transitum illis præbiturus, cumque illi sicco pede mare prætergressi sunt, hostes aquis in unum redeuntibus fuere submersi. Hostes qui nos persequuntur, sunt dæmon, & nostra peccata, nosque ad Erythræum usque persequuntur, hoc est, ex Sancti Doctoris hujus sententia, usque ad aquas Baptismi Salvatoris sanguine consecratas; cumque illuc pervenimus, transimus tuto; peccata vero nostra, ut olim Ægyptii submerguntur, quorum, ne unus quidem superstes fuit, omnibus simul mari insepultis: *unus ex eis non remansit*.

Naaman Syri curatio per aquas Jordanis.

Si quis aliquam petat figuram distinctius adhuc indigitantem effectus Baptismi, adeat quartum Regum librum, ejusque libri cap. quinto, ubi narratur curatio Naaman Syri, qui septies aquis Jordanis ablutus perfecte adeo ob omni lepræ macula mundatus fuit; ut illius caro pueri carnem imitaretur. Illud vero quod hac in re magis notandum occurrit, est consideratio cujusdam ex Principis hujus familiæ, qui Domino hoc remedium negligenti quasi non satis esset dignum eo labore, quo ex remotissima terra Prophetam consulturus accesserat; si Propheta, ait, rem longe difficiliorem dixisset, profecto dubitandum non esset, utrum tibi esset obtemperandum; quanto minus ambigendum est, cum rem adeo facilem tibi præceperit, ut septies te Jordanicis aquis ablueres? ubi Dei misericordiam admirari oportet, qui criminum nostrorum eluendorum adeo facilem, & efficacem rationem invenit.

Aliæ Baptismatis figuræ.

Denique dubio locus non est, quin salutaris aqua Baptismi iis præsignata fuerit aquis, ad quas Propheta Isaias tanto ardore sitientes invitat; illa quam Ezechiel in Spiritu de Templo fluentem intuitus est, & eo fonte, qui secundum Zachariam præparatus erat omnibus ex familia David, ut peccator emundaretur.

Figuræ, & Exempla novi Testamenti.

Piscina Betsaida.

QUidam Ecclesiæ Patres, atque inter ceteros Sancti Ambrosius, Augustinus, & Chrysostomus, ajunt, Piscinam, de qua sermo est in Sancti Joannis Evangelio *cap. quinto* figuram fuisse sacrorum fontium Baptismi. Et profecto multitudo illa omnis generis languentium, qui secus eamdem piscinam aderant, nobis exhibent omnes homines originali peccato languentes salutaribus baptismatis aquis curandos. Angelus huic aquæ virtutem impertiens ipse est JESUS CHRISTUS; hoc tamen discriminis adest, quod in illa Piscina sanabatur tantummodo, qui primus in aquas descendebat post motum earum; sed aqua Baptismi toto Cœlo efficacior pro mortalibus omnibus effluit: *omnes sitientes venite ad aquas*. Isaiæ 55. Illud vero proculdubio prætereundum non est, quod Piscina illa Tertulliano teste, post mortem Salvatoris, omnium desiit fons esse miraculorum; quippe æquum erat, ut aqua, quæ corporibus tantum medebatur, exaresceret, cum illa, quæ animabus medetur, benedictiones suas cœpit effundere: ita loquitur Tertullianus contra Judæos; *Piscina Betsaida usque ad adventum Christi curando invalitudines desiit a beneficiis*.

Baptismus Filii Dei per S. Joa

Ex quo Salvator ipse Baptisma recepit in Jordane Sancti Joannis Baptistæ Præcursoris ministerio, aqua

aqua per attactum sanctissimi, & purissimi corporis ejus fuit in Baptismatis usum consecrata. Dei Filius, qui erat Sanctitas ipsa, non egebat Baptismate ut peccati sordibus ablueretur: non enim ulli crimini erat obnoxius; verumtamen huic sese subjecit cæremoniæ, quia peccatoris formam assumpserat. Sciendum est tamen, Sancti Joannis Baptismum nullam ex seipso habuisse virtutem ad remittenda, vel delenda peccata eorum, qui abluebantur, sed fuisse solum dispositionem quamdam ad recipiendum Baptismum illum, quem Messias instituturus erat, quemadmodum idem Sanctus Joannes monet Judæos: *ego quidem baptizo aqua ... ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*. Matth. 3.

Baptismus Eunuchi Reginæ Candacis. In actis Apostolorum de trium tantummodo virorum Baptismo sermo est, qui insignibus quibusdam circumstantiis conjunctus fuit, ubi Dei misericordia palam refulsit. Primus fuit Reginæ Candacis Eunuchus a Diacono Sancto Philippo eo modo Baptizatus, qui cap. octavo refertur. Lectio cujusdam loci Isaiæ Prophetæ, quem Eunuchus non intelligebat, Philippo præbuit occasionem eumdem in religione Christiana erudiendi. Spiritus Sanctus intrinsecus in Catechumeni corde operatus est: opportune obvius inventus est secus viam rivulus, quo Baptizaretur, & ut quam petebat, gratia illi concederetur; Salvatoris autem discipulus munere suo rite perfunctus evanuit. Quot occurrerent consideranda in facto hoc quod fortuitum quidem videtur, sed quod Divinitus fuit ita dispositum, pro hujus hominis id ne cogitantis quidem salute.

Baptismus Cornelii Centurionis. Neque minus admirabilis est Cornelii Centurionis Baptismus ab Angelo moniti, ut Sanctum Petrum Apostolum accerseret, a quo de iis eruditetur, quæ ad salutem erant necessaria. Ad hæc mirabilis quoque fuit mystica Sancti Petri Visio, ne Ethnicos rejiceret, quos Deus ad Evangelii cognitionem vocare cupiebat. Hæc ad fidem vocatio, & hic Baptismus recensetur inter singulares gratias, quas concessit Deus quibusdam electis, atque prædestinatis animabus, quibus media, & subsidia ad salutem necessaria suppeditat.

Baptismus S. Pauli. Sed nihil hac in re mirabilius esse potest, quam vocatio primum, & mox Sancti Pauli Baptismus. Furens hic persecutor Religionis, cujus deinceps fuit firmissimum præsidium, & per Antonomasiam Apostolus, ab ipso Dei Filio vocatus fuit in via Damasci, cum sævius contra Fideles fureret, & sanguinem, cædemque perflaret. Humi dejectus, atque eodem tempore excæcatus fuit; sed ut mox vividis fidei luminibus illustraretur. Visum baptismate recepit, & densus humor, veluti squamæ, cecidit ob oculis ejus, indicium profundæ cæcitatis, ex qua emerserat, ut infinitas gentes illuminaret: ideoque hic ille fuit, qui præ ceteris baptismi virtutem extulit, ac de eodem majori cum dignitate verba fecit.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Spiritus Sanctus agit in Baptismate. SPiritus Domini ferebatur super aquas. Sacer Textus narrat in ipsis Mundi primordiis Spirituum Sanctum super aquas evolasse, easque fœcundas effecisse plurimarum creatarum rerum productione, quæ in eo elemento nascuntur. Hoc ideo factum, Tertullianus ait, quoniam prævidebat Mundum aquis Baptismi ob omnibus sordibus esse abluendam. Neque a fide abhorrere videtur divinum Spiritum huic elemento facultatem tribuisse tot creaturas producendi, ut omnes ad credendum disponeret, sed eos ipsos immutare posse in novas creaturas in Baptismo per gratiæ productionem in animabus suis, & per generationem prorsus Cœlestem, atque Spiritualem.

Deus nos ad Cœlum per Baptismum adducit. *Omnis populus per arentem alveum transibat*. Josue 3. Profecto Sanctus Augustinus aliique nonnulli Patres affirmant, Jordanis transitum fuisse Baptismi figuram; inde vero occasionem arripimus eumdem Baptismo applicandi; nam quemadmodum Josue Israelitas per hunc fluvium traduxit, eosque hunc transire coegit ut promissam terram ingrederentur; ita Dei Filius per aquas Baptismatis ad Cœlum adducit eos, quos beatæ huic æternitati destinavit. *Cornelius a Lapide in hunc locum*.

Et ecce aperti sunt ei Cœli. Matth. 3. Quærit Sanctus Augustinus cur aperti fuerint Cœli Domino in Jordane Baptizato; & respondet ea, quæ palam in Baptismo Filii Dei, qui Præcursoris sui manu ablui dignatus est, acciderunt. Spiritualiter fieri in cujuscumque Fidelis Baptismo: tunc enim pro illo Cœlum aperitur, tunc jus ad illum obtinet in virtute Sanguinis, & Mortis JESU CHRISTI; quæ eidem applicatur; quamobrem Sacramentum hoc a plerisque Sanctorum Patrum Cœli janua, & via, quæ ad illud inducit, aditumque aperit nuncupatur. Idem Sanctus Augustinus animadvertit fideles ævo suo recens Baptizatos diligentissime cavisse, ne terram ullo modo attingerent, immo neque pedibus ambulasse, idque toto octo dierum spatio, ut hoc ritu significarent, omnes cogitationes, affectusque suos in Cœlum esse conversos.

Christi fideles sunt populus Dei. *Populum istum formavi mihi*. Isaiæ 43. Hoc est, elegi populum hunc, ut peculiariter cultui meo esset devotus. Hoc Deus modo affirmare potest de Christiano populo, quem ipse per Baptismum vocavit, quem sibi consecravit, & qui illius hæreditas est, & acquisitio ad eumdem singulari nomine pertinens: quod innuit Sanctus Petrus per hæc verba: *vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquisitionis*. 1. Petr. c. 2. *Non fecit taliter omni nationi*. Psal. 147. Hæc verba in omnium fidelium ore cum summo gratitudinis sensu versari deberent. Baptismus est gratia, quam Deus plurimis nationibus elargitus non est, quas fidei luminibus non illustravit, quas in Ecclesiæ suæ sinum non accepit, & ut verbo me expediam, quas ad veritatis cognitionem minime evocavit. Inde sequitur quod cum Deo plurima, atque maxima debeamus, tenemur quoque pro dignitate animum fovere gratum, fidem servare diligentius, sublimiores virtutes excolere, ac tandem vitam sanctiorem, & adoptivis Altissimi Filiis digniorem ducere.

Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Ad Galat. 3. Hæc verba non ad Religiosos tantummodo spectant, sed promiscue ad fideles omnes, qui sacro Baptismate regenerati fuerunt. Omnes igitur sine exceptione induere debent JESUM CHRISTUM. Porro cum illa, quæ induta est pars, in nobis minime videatur; sed tantum indumenta, quibus induta est, oculis pateant, ita igitur unus JESUS CHRISTUS videri debet in nobis; ita non in nobis tantum; sed in Domino nostro sumus conspiciendi.

Per Baptismum evadimus in novam creaturam. *In Christo nova creatura .... ecce facta sunt omnia nova*. 2. ad Corinth. 5. Duplicem habemus nativitatis speciem, alteram in corruptione peccati, alteram in gratiæ sanctitate; primam ab Adam, alteram a JESU CHRISTO recipimus: quapropter in Apocalypsi initium creaturæ Dei nuncupatur. Christianismus est nova nativitas. Quicumque baptizatus est, fit creatura nova in JESU CHRISTO; ideoque denuo nascitur; hoc est quemadmodum eruditus quidam Interpres animadvertit, opus est, iterum refundi tamquam vas infectum, atque veneno imbutum; opus est, novam essentiam, novamque vitam habere; mori his omnibus, quæ eramus, ut JESU CHRISTO vivamus: *Joann*. 3. sed ad sacrum Baptismi fontem non eo solum veniendum est, ut Sacramenti gratia recipiatur, sed ut ea ducatur vita, quæ novam hanc sequitur nativitatem.

PARA-

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententia Sanctorum Patrum in hoc argumento.

B*Aptizandi potestatem sibi tenuit, servis ministerium dedit*. S. Aug. Tract. 5. in Joannem.

Baptismatis munus contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur: Idem, in Enchirid. capit. 64.

Generat filium pater moriturus successurum: generat Deus de Ecclesia filios non successuros, sed secum mansuros. Idem, tract. 12. in Joann.

Optime putant Christiani baptismum nihil aliud quam salutem esse. Idem, lib. 1. de peccat. merit.

Baptismus, id est salutis aqua, non est salutis, nisi Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem suum in cruce fudit; ideo cruce ipsius aqua signatur. Idem, vel incertus Author l. de util. pœnit.

Sicut nativitas ex utero non potest repeti, ita nec nativitas ex baptismo. Idem, tract. 12. in Joann.

Quamvis multi ministri baptizent sive justi, sive injusti, non tribuitur tamen sanctitas Baptismi nisi Christo. Idem, tract. 6. in Joann.

Non est Baptismus impar propter ministros; sed par est & aequalis propter Christum, de quo dictum est: Hic est qui Baptizat. Idem, ibid.

Nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo. Idem, de anima & ejus origine c. 9.

Baptismus extra Ecclesiam quidem esse potest; nisi in Ecclesia prodesse non potest. Idem vel incertus Author de fide ad Petrum.

Mater Ecclesia tibi aliorum pedes accommodavit, ut venires; aliorum cor ut credas, aliorum linguam ut fatearis; & quoniam alio peccante prægravatus eras, alio pro te confitente salvareris. Idem, Serm. 10. de verb. Apost.

Qui veraciter meminit se esse Christianum, eo animo accessit ad fidem, ut huic sæculo non solum verbis renunciaret. Idem, Epist. 89.

Non facit generatio, sed regeneratio Christianos. Idem, l. 3. de peccat. merit. c. 9.

Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat; nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Idem in quadam Homil.

Christiani nomen ille frustra sortitur, qui Christum minime imitatur; quid enim tibi prodest vocari quod non es, & nomen usurpare alienum? sed si Christianum te esse delectat, quæ Christianitatis sunt, gere, & merito tibi nomen Christiani assume. Idem, l. de vit. Christ.

Sicut per primum hominem, in peccato & morte nascimur, ita per Christum in justitia & vita æterna, in Baptismo renascimur. Idem, l. de Baptism.

Sancto Baptismo consona sit vita Christiana, nec cuiquam homini, si utrumlibet defuerit, vita promittitur æterna. Idem, lib. 1. de fide & oper.

Fiunt, non nascuntur Christiani. Hieronym. Epistol. ad Lætam. & Tertullian. in Apolog.

Detegeris, & deprehenderis o Christiane, quando aliud agis, aliud profiteris, fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere; renunciasti diabolo, & operibus ejus; non hominibus, sed Deo, & Angelis conscribentibus, tenetur in cælo chirographum tuum; renunciato non solum vocibus, sed etiam moribus, non solum sono linguæ, sed & actu vitæ. S. August. de Symb.

Nemo Christianus vere dicitur nisi qui Christo moribus, prout valet, coæquatur. S. Cyprian. 9. l. de 12. abusib.

Baptismus mors criminum, vita virtutum. Idem, Epist. ad Donat.

Confessus es bonam confessionem in Baptismo, renunciando sæculo, & pompis ejus, coram multis testibus, coram sacerdotibus vel ministris, virtutibusque cœlestibus. Sanctus Hieronym. in Epist. 1. ad Timoth.

Si Christianus es, Christum Deum imitare; noli vacuum ferre nomen atque inane, sed plenum: tanti mensuram nominis imple: imple, inquam, operibus nomine dignis. S. Greg. Nyssenus de nomin. & profess. Christ.

In Baptismo, sic omnia & originalia delicta, & perperam commissa mundantur, ut illi nos restituat puritati, in qua Adam noscitur esse procreatus. Cass. sup. Psalm. 5.

Baptismus est per quem primitias spiritus accipimus, & principium alterius vitæ; ut fit nobis regeneratio, & sigillum, & custodia, & illuminatio. Joann. Damasc. 4. sentent.

Quis fidelium nesciat Baptisma virtutum esse vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem; cœlestis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum naufragium? Optatus contra Parmenianum.

Nos pisciculi in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus. Tertull. de Baptismo.

Ab hac fide vita nostra censetur; justus enim ex fide vivit. Idem, lib. de monogam.

Christiani non sunt aliunde noscibiles, nisi de emendatione vitiorum pristinorum. Idem, ad Scapul. c. 2.

Dum Sacramentum Baptismi impenditur corpori, corpus consecratur immortalitati. Idem, lib. de Baptismo.

In Baptismo Rex, Sacerdos, & Propheta efficimur. Homil. 3. in Epist. ad Corinth.

Exere vires (Christiane) fortiter dimica .... considera pactum, conditionem attende, militiam nosce; pactum quod spopondisti, conditionem qua accessisti, militiam cui nomen dedisti. Vere delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Idem, Sermone de Martyribus.

Christus baptizatus est, non mundari volens, sed mundare aquas, ut abluta per carnem Christi quæ peccatum non cognovit, Baptismatis vim haberent. Ambrof. l. 2. in Lucam.

Religionis mysterium ingressus es, repete quod interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renunciasti diabolo & operibus ejus, renunciasti mundo & luxuriæ ejus, & voluptatibus ejus: non est fallere, non est negare. Idem, lib. de iis, qui initiantur.

Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium. Idem, ibidem.

Memor esto sermonis tui, & numquam excidat tuæ series cautionis. Idem, ibidem.

Per aquam Baptismi transitus est de peccato ad vitam, de culpa ad gratiam, de inquinamento ad sanctificationem; qui per hanc aquam transit, non moritur, sed exurgit. Idem, l. de Sacramentis, sive quis alius Author.

Illa piscina in figura fuit, ut credas quod in fontem Baptismatis vis divina descendat. Idem, de iis qui initiantur.

Agnosce o Christiane dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis & cujus corporis sis membrum, reminiscere quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum. S. Leo, Sermon. de Nativit.

Christus originem, quam sumpsit in utero virginis, posuit in fonte baptismatis. Idem, Sermone 2. de Nativit.

Christus

Christus dedit aquæ quod dedit matri; obumbratio Spiritus sancti quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, facit ut regeneret unda credentem. Idem, ibidem.

Quo Spiritu de intemerata matris visceribus nascitur Christus, hoc de Sanctæ Ecclesiæ utero nascitur Christianus. Idem, ibidem.

Nihil in hac vita lex Christi nos adjuvat; quin potius accusat, quod sub lege positi contra legem omnia faciamus. Salvian. 9.

Omnino nihil prodest nomen habere sanctum sine moribus, quia vita a professione discordans abrogat illustris tituli honorem, per indignorum actuum vilitatem: cum utique hoc ipso magis per nomen sacratissimum rei simus, qui a sancto nomine discrepamus. Idem, l. 3. de Provid.

Christiani a Christo nomen acceperunt, & operosum est; ut sicut sunt hæredes nominis, ita sint imitatores virtutis. Bernardus in sentent.

Ante omnia scientes, quia hanc aquam (scilicet Baptismi) nec effundere licet, nec rursus haurire. Zeno Veron. invit. 1. ad fontem.

Cum omnium aquarum natura sit talis, ut cum in profundum susceperit vivos, evomat mortuos; aqua nostra suscipit mortuos, & evomit vivos, ex animalibus veros homines factos, ex hominibus in Angelos transituros. Idem, ad Neoph. post Baptism. Sermon. 2.

Quis illa pacta custodit, ad quæ se in Baptismo voluntarie obligavit? Renuntiasti diabolo, & ecce solum diabolum sequeris: renuntiasti omnibus pompis ejus, & ecce solum mundi pompis intendis. Sanctus Bonavent. Sermon. 16. de Sanct. Steph.

Per Baptismatis Sacramentum Spiritus sancti factus es templum. Noli tantum habitatorem pravis de te actibus effugere, & diaboli iterum te subjicere servituti, quia pretium tuum sanguis est Christi. S. Sco, Serm. 2. in Nativit.

An ad hoc Christianus factus es, ut in sæculo floreres? S. August. præfat. in enarrat. 2.

Tibi esse Christianum, scimus omni gloria gloriosius, & omni sublimitate sublimius. Idem, Epist 96. novæ editionis.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia desumi potest ad hoc argumentum.

Definitur Baptismus.

QUamvis Doctores plurimas afferant Baptismatis definitiones; nulla tamen aptior, ac magis naturalis videtur, quam ea, quæ educitur ex verbis ipsius Domini nostri apud Sanctum Joannem, & illis Sancti Pauli in Epistola ad Ephesios. Cum enim Dominus ait, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*; cumque Sanctus Paulus de Ecclesia dicat ipsam mundatam fuisse baptismo aquæ, & verbo vitæ: nobis locum tribuunt Baptismum ita definiendi: Sacramentum regenerationis, quæ fit in aqua per virtutem verbi; quamobrem S. Augustinus ait, quod accedente verbo ad elementum fit Sacramentum.

SS. Patres variis usi sunt loquendi rationibus, ut hoc Sacramentum innuerent. Illud Sanctus Augustinus fidei Sacramentum appellat; qui enim Sacris illius initiantur, Christianam fidem ibi profitentur: alii Sacramentum illuminationis dixerunt, quia abluti luminibus fidei illustrantur. Sanctus Chrysostomus in adhortatione ad recens baptizatos illud modo Sacramentum purificationis, modo Sacramentum sepulturæ JESU CHRISTI vocat: & nonnumquam Sacramentum, per quod insiti sumus in JESU CHRISTO, & alibi Sacramentum Crucis JESU CHRISTI; in quibus sequutus est Sanctum Paulum in Epistola ad Romanos omnibus his loquendi generibus locum præbentem.

Cur hoc Sacramentum sub aquæ symbolo fuerit institutum.

Cum hoc Sacramentum mortalibus omnibus ad æternam vitam consequendam sit necessarium; nulla aptior inveniri poterit materia, quam aqua, quia communis est, & facile ubique inveniri potest. Deinde vero, quia perfecte indigitat effectum Baptismi; quemadmodum enim aqua corporis maculas eluit; ita per Baptismi gratiam maculæ, quas anima per peccatum contraxerat, omnino delentur.

Sanctus Thomas *parte tertia quæstion. sexagesimasexta, articul. secundo*, ait, Baptismum quatenus Sacramentum tunc fuisse institutum cum JESUS CHRISTUS a Sancto Joanne Præcursore suo fuit baptizatus, quod ipsum docet Sanctus Augustinus; tunc enim Baptismus recepit virtutem producendi effectum suum, & conferendi gratiam; quamvis hominibus necessarius minime fuit necessitate præcepti; nisi post JESU CHRISTI passionem, & Resurrectionem; seu quod quemadmodum in JESU CHRISTI passione omnia veteris Testamenti Sacramenta, eorumque cæremoniæ absoluta, completaque fuerint, Baptismus, aliaque legis novæ Sacramenta illis successerunt; seu quod per Baptismum homo conformis efficitur non solum passioni JESU CHRISTI, quatenus moritur peccato; sed etiam resurrectioni ejusdem, quatenus per Baptismum vivere incipit novam vitam justitiæ.

Baptismus tractatus est fœderis, quod cum Deo percutimus.

Baptismus est tractatus fœderis; quo dicimus cum Deo; quo illud confirmatur, quod Dominus noster pro nobis in Cruce percussit. Hoc nos Patres Ecclesiæ docent, præsertim vero Sanctus Gregorius Nazianzenus eo in sermone, quem de hoc Sacramento conscripsit, Baptismus, ait ille, pactum est, quod cum Deo facimus, secundam vivendi vitam in statu longe puriori, & perfectiori. Hoc autem nobis exhibitum fuit per figuram in tractatu primo, quem pepigit Deus cum populo Judæorum, Interprete Moyse, & qui vocatur etiam primum, atque Vetus Testamentum, hoc est Fœdus primum, aut Vetus.

Est nota, & character, quo ab infidelibus distinguimur.

Cum Deus Circumcisionem instituit, Abrahæ dixit: constituam pactum meum æterno Fœdere inter me, ac te, & eos qui nascuntur ex te: atque inde tu, filiique tui agnosceris me in Deum vestrum, & ego quoque vos in populum meum agnoscam. Verum, quod olim Judæi per circumcisionem, nos hodie per Baptismum efficimur. Circumcisio nota erat, qua in Æternum se ipsos a Gentilium societate sejungebant, & Idolorum cultum abdicantes tacite profitebantur, se verum Deum tantummodo esse adoraturos: vicissim vero Deus pollicebatur illis, seipsos in populum suum habiturum, contra hostes protecturum, & particulari providentia eisdem consulturum. Baptismus similiter est Spirituale Fœdus, quod cum illo sancimus, quo nosmet penitus ipsi devovemus; ipse vero se totum nobis tradit, ita ut in anima Christiani indelebilis Character imprimatur, quo ille Deo peculiari ratione devovetur. Hic autem est character filiorum Dei, & Ovium JESU CHRISTI; character honoris, & gloriæ in Cœlo fidelibus prædestinatis, qui in hac vita fideliter suo munere fuerint perfuncti, sed character opprobrii, ignominiæ, & desperationis in Inferno Christianis reprobatis.

Tria Baptismi genera.

Cum Sacer Textus doceat nos per Baptismum fieri adoptivos Dei filios; ut satis eminentem hanc dignitatem intelligamus, ad quam evehimur, notandum est, triplex esse discrimen inter divinam, humanamque adoptionem iis in locis ubi adhibetur. Primum quidem adoptio humana non ponit aliquam realem, & Physicam qualitatem in eo, qui adoptatur, & nihil in illius personam immutat; e contra vero adoptio Divina continet infusionem gratiæ sanctificantis, & Charitatis, quam nobis Spiritus Sanctus infundit, qui ipse est hoc

Altis-

Altissimi donum. Secundo humana adoptio inter mortales invecta est in sterilitatis solatium; *adoptio in remedium fortunæ*; sed adoptio divina ex divinæ bonitatis excessu procedit; ita ut hæc adoptio non adoptantis solatium, sed adoptari felicitatem respiciat. Tertium denique discrimen est, quod in humana adoptione Filius Patri succedere non potest, nisi Pater excesserit: terræ enim hujus hæreditates angustis adeo finibus continentur, ut satis esse nequeant utrique, sed adoptio Divina successionem non postulat, quippe quæ infiniti boni est participatio. Hoc est beneficium adoptionis illius, quam ab Æterno Patre Christianus recipit in Baptismo.

Præter communem Ecclesiæ Baptismum, qui fit in aqua, & Spiritu, alia duo sunt baptismatum genera, de quibus loquitur Sanctus Thomas *artic. 11. quæstion. 66.* alterum videlicet sanguinis, quod est Martyrium, alterum amoris, & Charitatis; quorum rationem adfert, probatque Patrum auctoritate, atque exemplis Scripturæ. Sufficit tamen scire, postrema hæc duo Baptisma supplere, ubi primum defecerit, supposito hoc tamen quod recipi nequeat; atque gratiam, & peccatorum omnium remissionem producere. Verumtamen cum Sacramenta non sint, nullum imprimunt characterem, & cum hæc quoque in Baptismo aquæ, & Spiritus contineantur; inde fit ut unum dumtaxat Baptisma sit Sacramentum.

Cum Dei Filius hoc Sacramentum instituit, hoc fieri voluit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, jussitque personas omnes singillatim nominari, cum aliquis esset baptizandus, ita ut si aliqua omitteretur, Sacramentum irritum esset, & nullum. Quamobrem pluribus in Conciliis statutum est, ut, qui baptizati fuissent ab Hæreticis, qui sententias Ecclesiæ Catholicæ oppositas circa Sanctam Trinitatem foverent, & qui suos errores secuti quibusdam formulis utebantur ab Orthodoxorum formula diversis, iterum baptizarentur. Tota enim Sanctissima Trinitas huic intervenit Mysterio, & Pater, Filius, ac Spiritus Sanctus unanimi, conflatoque consensu participes esse volunt hujus spiritualis regenerationis, quemadmodum in ipso Mundi primordio simul omnes primæ creationi nostræ cooperati fuerunt.

Præter desiderium recipiendi Baptismatis, quo flagrare debent Adulti illud petentes; fides quoque in ipsis requiritur, ut ab illis recipiatur; quod nos docet JESUS CHRISTUS his verbis, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic salvus erit*. Ad hæc desiderium, & fides conjuncta esse debent cum præteritorum scelerum dolore, atque certo, firmoque consilio non amplius peccandi: ideo qui Baptismum petit, & qui eodem tempore noxios habitus suos peccandique consuetudinem detrectat abjicere, omnino admittendus huic Sacramento non est. Si quis autem sine hac dispositione Baptismum reciperet, reciperet quidem characterem, dummodo illi eum juxta Ecclesiæ ritus recipienti fuisset mens semet subjiciendi illi, quod efficit Ecclesia Sacramentum hoc administrans; verumtamen præcipuum illius effectum nequaquam reciperet, videlicet justificationem.

Effectus Baptismi. Theologia cum Sancto Thoma quatuor præcipuos Baptismi effectus agnoscit: 1. remissionem peccatorum omnium originalis, & actualis, mortalis, & venialis in Adultis illum recipientibus, quoad culpam, quæ efficit animam divinæ indignationis objectum. 2. Remissionem eorumdem peccatorum quoad debitam illis pœnam. 3. Infusionem gratiæ habitualis, & sanctificantis cum donis Spiritus Sancti, aliisque virtutibus, quæ illam concomitantur. 4. Præstantissimi Characteris impressionem, qui inuritur animæ, ut Fidelis ab Infideli dignoscatur. Vulgo hæc omnia beneficia complectimur nomine Filiationis Divinæ, vel adoptionis Filiorum Dei; in hoc enim mysterio præcipue adimpletur verbum illud Sancti Joannis c. 1. *dedit eis potestatem Filios Dei fieri &c.* Hi autem Baptismatis effectus fusius explicantur in Tridentini Concilii Catechismo, ubi de hoc Sacramento sermo est.

Cum Tridentino Concilio fatendum est in baptizatis permanere concupiscentiam; illamque proprie peccatum non esse. Quemadmodum enim S. Augustinus ait, concupiscentiæ culpa in baptizatis remittitur, quamvis ad eos exercendos hæc eadem concupiscentia illis relinquatur. Sed concupiscentia, quæ oritur ex peccato, non aliud est, quam animæ studium aliquod, vel motus erga bonum sensibile, quod proprie peccatum non est, cum non est conjunctum cum voluntatis consensu, vel negligentia. itaque cum Sanctus Paulus ait: *concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces*; noluit his verbis ipsam concupiscentiam, sed vitium voluntatis innuere.

De Baptismi ceremoniis. Operæ pretium reor, istic Baptismi cæremonias perpendere; nulla enim ex illis non exprimit obligationem, qua nosmetipsos sanctificare, atque deinceps vitam homine Christiano dignam traducere tenemur. 1. Primum Catechumenus, vel Puer in Patrimonium persona interrogatur, quid petat? & respondet, fidem se petere, atque rogare, ut in Christiana recipiatur Ecclesia, vitam æternam aliquando habiturus. Illi respondetur, ut salvus fiat, & vivat in fide: Dei, Ecclesiæque præcepta esse servanda; quod ille se facturum pollicetur. 2. Imprimitur Christiani nota, signum videlicet Crucis, ejus fronti, & cordi; ut discat sensus, & actiones esse debere conformes legi Dei Crucifixi. 3. Sal benedictum ori ejus immittitur, quod innuit fallacia carnalis sapientiæ dogmata abdicanda esse, easque tantum gustandas veritates, quas eumdem sapientia Cœlestis docuerit. 4. Saliva aures, & nares illius inunguntur, ut significetur, aures ejus apertas esse debere ad Dei vocem audiendam, ipsique castam adeo, integramque vitam esse ducendam, ut vere dici queat bonus odor JESU CHRISTI. 5. Chrismatis unctio, pectori, humeris, & capiti applicatur, ut particeps fiat unctionis Spiritus Sancti tamquam generosus Athleta, qui Dei inimicos profligaturus est, & humeros suos suavi legis jugo ferendo præparaturus. 6. Adhibentur Exorcismi, & maledictiones Ecclesiæ contra Dœmonem, ut in æternum ejiciatur, & amoveatur a corde fidelis hujus, quod integrum unus JESUS CHRISTUS est possessurus. 7. Alba veste induitur ad innuendam innocentiam, quam recipit, & quam pro virili tueri tenetur exuens veterem hominem, & induens novum. 8. Cereus accensus in ejus manu statuitur, qui figura est luminis vivæ fidei, quam semper ardentem servare debet per ignem Charitatis cum boni exempli fulgore conjunctum. 9. Sed præsertim notandum est, Baptismum Catechumeno, vel puero minime conferri, neque Ecclesiæ januam eidem aperiri, nisi coram Altaribus Dœmoni, Carni, Mundo, & pompis ejus abrenunciaverit. Quot præclaræ considerationes ad morum disciplinam inde possent transferri?

Sanctus Thomas, pluresque Theologi, & nonnulla etiam Concilia post Sanctum Augustinum promissiones, quæ fiunt in Baptismo appellant *vota*; & hæc hodie communis est loquendi ratio, cui resistendum non est; quemadmodum fecere eruditi quidam scriptores acti zelo contra novissimorum sæculorum Hæreticos, qui ut monastica vota impugnarent, atque everterent, asseruere, illa sola esse vota, quæ in Christiana Religione fierent; reliqua vero abusus esse atque superstitiones, quæ Religiosorum statum a communi fidelium statu non distinguebant. Ut duo hæc extrema evitentur fatendum est, promissiones, quæ in Baptismo fiunt Deo, vota posse appellari; non autem ita pressius; & ad litteram, uti vota Religiosorum; pie, sancteque faceret, qui illa confirmaret, ac sæpe repeteret tamquam promissiones Deo factas secundum

lauda-

laudabilem consuetudinem aliquot ante hanc diem annos invectam; sed errant qui illa confundunt cum votis, quæ in Monastica professione nuncupantur, & credunt hæc illis non esse perfectiora. Si enim votum, ex Divo Thoma, est hominis consecratio servitio Dei; liquido patet consecrationem, qua Religiosi seipsos Deo devovent, integriorem, latiorem, verbo, perfectiorem illa esse, quam Christiani homines efficiunt; promissiones enim quibus sese devinciunt Deo, illos obligant renunciationi longe diversæ, quam ceteros, qui corde tantum abrenuntiare tenentur opibus, pompis, & voluptatibus Mundi; cum Religiosi, & reipsa ultro iisdem abrenuncient; quin alia afferantur discrimina, quæ in natura duplicis hujus votorum generis Theologi inveniunt. Itaque error est asserere Religiosorum promissiones nullam recentem afferre obligationem, neque ullas leges particulares præter ea, quæ in Baptismo promisimus.

Quid sentiendum de Baptismo in nomine JESU tantum collato.

Quorumdam Doctorum sententia existimantium Apostolis hoc Sacramentum administrantibus satis fuisse dicere: *ego te Baptiso in nomine JESU CHRISTI*: hæc inquam sententia communis non est, & parum solidis innititur argumentis. Inde tamen aliqua probabilitatis specie eidem posset accedere, quod in Actis Apostolorum dicitur, nonnullos in nomine CHRISTI JESU fuisse baptizatos: *jussit eos baptizari in nomine Domini JESU*. Act. 10. Addunt vero Doctores iidem, Apostolos, primosque Discipulos ita debuisse loqui, ut celebrius, atque adorabilius præberent hoc nomen; quod Christianæ Religionis inimici in contemptum, ac ludibrium traducere conabantur: quod tamen facere non potuissent citra peculiarem ejusdem JESU CHRISTI dispensationem. Verum hæc laborat conjectura: quandoquidem nullibi ejus rei mentio invenitur. Rationes præterea, quibus Doctores alii solide hanc opinionem confutant, & cum illis respondeo solum, cum dicitur in Actis Apostolorum, aliquot in nomine JESU CHRISTI esse baptizatos, intelligendum fuisse baptizatos baptismo a JESU CHRISTO instituto ad illius distinctionem, quem S. Joannes contulerat, & quem fideles aliquot jam receperant.

Baptismus delet maculas animæ, quod significatur per aquam corporis sordes eluentem; verum cum hic neque solus, neque præstantior sit hujus Sacramenti effectus; verba, quæ Sacramenti formam constituunt, significant, illum, qui baptizatur, feliciter conjungi cum tribus personis Sanctissimæ Trinitatis, ratione, & relatione prorsus particulari his verbis explicita in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ita ut efficiatur Filius adoptivus Patris, vivens membrum Filii JESU CHRISTI, Templum, & Sanctuarium Spiritus Sancti.

Primum Deus nos elegit ex tot Infidelium numero, quos in infidelitatis nocte reliquit, & qui melius eidem fuissent famulati, eique majorem contulissent gloriam, quam nos unquam illi simus collaturi: non licet ergo tantum hoc beneficium negligere Ethnicorum more vivendo. Secundo nos Christianos efficiens sanctificavit; non debemus ergo rursus nosmetipsos polluere flagitiosis, turpibusque sceleribus. Tertio, veri Dei fidem, & cognitionem nec non Christianæ religionis Mysteria recepimus: illius ergo veritates exercere debemus. Quarto; Deus nos simul effecit amoris sui objectum nosmet sibi in filios adoptans: igitur ira illius sceleribus irritanda non est. Denique nobis contulit jus ad cœlestem hæreditatem: non ergo huic abrenunciare debemus, sed in dies adniti, ut eam mereamur, & acquiramus.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis libris, & Neotericis Concionatoribus loci in hoc argumento.

Sæpe tamen beneficii memoria est repetenda.

QUicumque diligentius S. Pauli Epist. legerit, fatebitur simul necessitatem revocandi in fidelium mentem incomparabilis hujus beneficii memoriam, quod ad Christianam religionem fuerint evocati, & per Baptismum divinam adoptionem receperint, ut excitentur ad vitam homine Christiano dignam traducendam, & pro dignitate recentis hujus nativitatis gloriam tuendam. Magnus hic Apostolus, ut nobis commendet prorsus divinos effectus, quos producit hoc Sacramentum, quod ex ejus quidem sententia Imago est mortis, sepulturæ, & Resurrectionis JESU CHRISTI, cujus vitam nostram jugem esse vult imitationem: non solum illius sæpe nobis memoriam instaurat, sed de eodem verbis magnificis, & divino Spiritu repletis loquitur. Videtur profecto nihil validius inveniri posse ad fideles excitandos, ut seipsos reputent, & sedulo considerent, utrum vita, moresque sui tales sint, quales esse debent mores eorum, qui vere Christianos esse profitentur: præsertim vero ut infinitam Dei bonitatem admirentur, qui mero suæ miserationis effectu exhibere voluit hominibus, qui indigni erant, munus adeo divinum, atque pretiosum, quale est baptismatis munus; atque, ut illi, qui eodem insigniti sunt, plane intelligant vitam suam integerrimam & ab omni scelere alienam esse debere. Ita enim perspicue videbunt Christianæ religionis statum, quem profitentur, a se petere, ut singulos vitæ suæ dies traducant in eodem pietatis, & religionis sensu, ac si die illa Baptismi gratiam fuissent consecuti. *Desumptum ex Tridentini Concilii Catechismo parte altera.*

Permaneamus custodientes eam quam initio suscepimus dignitatem, & futura quotidie regna quæramus..... Neque enim si Rex terrenus aliquis assumens te pauperem, ac mendicum repente sibi adoptaret in Filium, tu jam ad tugurium, & tugurii tui respiceres vilitatem: & certe non grandi hæc discrimine separantur: ita nunc igitur nihil præsentium putes esse pretiosum. Longe quippe majora sunt, ad quæ vocatus es, capessenda. Qui enim vocat, Dominus Angelorum est: ea vero quæ conferuntur bona, & explicationem sermonis, & cogitationem mentis excedunt. Non enim te a terra transponit in terram, ut terrenus iste Rex, sed a terra extollit in Cœlum, & a mortali ad immortalem profecto naturam, atque ineffabilem gloriam, quæ tunc solummodo bene cernenda a nobis erit, quando etiam possidenda. Tantorum igitur particeps futurus bonorum noli auri, argentique curis onerare mentem, ceterisque hujusmodi umbris, atque imaginibus illudere. An forte non putas, omnia ista quæ cernimus, comparatione Cœlestis Regni mendicorum panniculis esse viliora? Et quemadmodum illo eris bono dignus, quamve satisfactionem parabis, immo quæ non supplicia persolves post tam grande donum ad vomitum priorem transcurrens? Non jam quasi homo simpliciter, sed ut Dei Filius peccans severe punieris, & ipsa excellentia dignitatis, majoris tibi fiet causa supplicii. *S. Chrysostomus ferm. 12. in S. Matthæum.*

Ad quid teneamur propter Baptismi promissiones.

Verum est Christianum qui consepultus fuit JESU CHRISTO per baptismum, & qui per hoc Sacramentum vitam recentem accepit, cujus anima & principium est ejusdem JESU CHRISTI Spiritus, mortuum esse debere, Mundo, ejusque bonis, honoribus, negotiis, & voluptatibus: veruntamen ut huic muneri satisfiat, sufficit hæc omnia interna cordis dispositione abrenuntiare; & quamvis liceat illi bonorum possessionem, usumque tueri; interiori tamen sensu ab eorum affectu expeditus esse debet, ut in copia sit inops, castus

castus in conjugio, temperans in conviviis, & Deo intentus in commercio, quod propter conditionis suæ necessitatem cum hominibus habere tenetur. *Abbas Trapensis libro de Sanctitate, & Officio vitæ Monasticæ, quæst.* 3.

Ut iis muneribus perfungamur, quæ in baptismo contraximus, id nobis faciendum est, quod Sanctus Gregorius docet, cum veri Christiani describit imaginem; hunc eum esse dicens *qui renuncians voluptatibus carnis cuncta sua desideria per Cœlestis disciplinæ custodiam calcat, ut nihil jam, quod caro blanditur, libeat, nihil, quod carnalem vitam trucidat, Spiritus perhorrescat. Idem in collatione pro quarta Adventus Dominica.*

Quid per Baptismū polliciti sumus. Paramper quæso diligenter attendite, quid debeatis Deo, quatenus Christiani; per Baptismum vosmet addixistis, ut unice JESU CHRISTO inserviretis, ut vitam vestram vitæ ipsius conformem efficeretis, illum imitaremini, illum rebus in omnibus sequeremini tamquam discipulus, qui Magistri sui præceptis adhæret, vel tamquam Filius, qui patris sui obtemperat voluntati. Ideo mundo, & pompis, vanitatibus, & voluptatibus ejus abrenunciastis; ideo simul indixistis bellum Dæmoni tamquam hosti infestissimo. Hæccine adimplestis? servastisne fidem quam Deo estis polliciti? respondististne ejusdem consilio, quod de vobis habebat, & quod ignorare non potuistis, cum vos elegit, atque sibi in Filios adoptavit? ullane in re affectuum vestrorum vocem audistis? vestrane cupiditas aliquam in vita vestra partem obtinuit? Superbia, quæ adeo absolutum exercet imperium in omnium mortalium animos, vobis est dominata? denique regulas Evangelii eane diligentia, & religione servastis, qua fidelem servum decuit? *Idem collatione pro Dominica quinta post Pentecosten.*

De Christiani dignitate post Baptismum. Quid est Christianus? homo est peculiarem habens rationem cum Deo, cujus fit Filius per Baptismum. Quid sublimius, quid majus? quod JESUS CHRISTUS est per naturam, hoc fit Christianus per adoptionem. Per Spiritualem regenerationem recipit similitudinem illius, quod Verbum recipit per æternam generationem: *accepistis*, Sanctus Paulus ait, *Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba (Pater).... Si autem Filii, & heredes*. JESU CHRISTI nativitas ex Maria, inquit Sanctus Augustinus in libr. de Prædest. exemplar est nostræ regenerationis, quæ fit per baptismum. Utraque idem habent principium, videlicet Spiritum Sanctum: altera quidem fit in Mariæ sinu, quæ Virgo simul, & Mater est; altera vero in sinu Ecclesiæ, quæ simul est pura, & fœcunda. Terminus prioris est JESUS CHRISTUS, Homo Deus; posterioris vero Christianus, hoc est homo divinus. Poteratne Deus, inquit Sanctus Joannes, vel amorem suum magis ostendere, vel gloriam nostram ulterius provehere, quam efficiendo, ut vere essemus filii Dei? possumusne majorem præ nobis ferre ingratitudinem, majoremque indignitatem, quam præstantissimam hanc dignitatem criminoso, turpique vivendi genere polluentes? *P. Nepveu in interrogationibus Christianis tom.* 2.

Christianus essentialem habet relationem ad JESUM CHRISTUM, cujus membrum est per Baptisma. Christiani omnes, Sanctus Paulus ait, unum tantummodo corpus efficiunt, cujus caput est JESUS CHRISTUS, & cujus ipsi membra fiunt per hoc Sacramentum ipsos cum illo conjungens unione verissima, quoniam fidei articulum constituit; realissima, quoniam illius principium est Spiritus Sanctus; maxime intima, quoniam animamur Spiritu JESU CHRISTI, eamdemque cum ipso vitam vivimus; unione tandem ita sublimi, ut Salvator ipse eam comparet cum illa, quam ipse habet cum Patre: *tu in me, & ego in illis*. Ita ut, quemadmodum S. Petrus ait, per hoc efficiamur naturæ divinæ participes. Nisi JESUS CHRISTUS, qui nobis tanta bona comparavit, hoc affirmaret, crederene possemus? verum si credimus, possumusne non fovere sensus sublimes, ac fidei nostræ conformes? *Idem*.

Christianus per Baptismum fit Templum Spiritus Sancti: an nescitis, inquit Apostolus, corpora vestra esse Templum Spiritus Sancti inhabitantis in vobis? Enim vero in baptismo eædem adhibentur cæremoniæ, quæ in consecratione Templorum; exorcismo expellitur dæmon ex anima illius, qui Baptismo abluendus est; consecratur Chrismate, quod figura est unctionis gratiæ, per quam Spiritus Sanctus sese infundit in cor illius, possessionem capit per Mysticum flatum Ministri baptismum conferentis; fit deinde principium & objectum cultus, quem in hoc Templo fidelis exhibet Deo actibus fidei, spei, & charitatis: hic ille Spiritus est, qui efficacibus gemitibus orat in illo, & qui ideo semper exauditur: hic auctor est quarumcumque supernaturalium actionum, quas fidelis producit; ideoque tanti meriti illæ sunt, nobisque certum ad possessionem Dei jus possunt conferre. Poteratne Deus majorem homini dignitatem tribuere, quam eumdem Filium Dei, membrum, ac Fratrem JESU CHRISTI, templumque Spiritus Sancti constituens? ita S. Joannes docet nos per baptismum in societatem ingredi cum Patre, & Filio, ideoque etiam cum Spiritu Sancto. Quam gloriosa societas! quæ dignitas! quæ felicitas! *Idem*.

Ut in Regnum Dei ingrediamur, atque in albo fidelium ipsius famulorum recenseamur, oportet renasci. Nascimur enim in servitute, & sub Dæmonis potestate; Deus vero per misericordiam suam contulit nobis facultatem, qua conditionem immutaremus, & Filii sui evaderemus. Verum fieri hoc minime potest sine altera nativitate, quam neque desideria carnis, neque hominis voluntas possunt conferre: *quod natum ex carne, caro est*, *inquit* JESUS CHRISTUS, & ut fiamus Spiritus, oportet nasci Spiritu. Hanc autem secundam nativitatem in baptismo recipimus, ubi Dei Spiritus aliquot verborum, aliquarumque guttarum aquæ adminiculo, in anima facit, quod totius maris aquæ, omnesque naturæ vires non possunt efficere. Denique facere possumus, ut supernaturalis hæc vita per quosdam veluti gradus crescat in nobis luminis instar, quod post solis ortum usque ad perfectam diem semper augetur. Quod si per summum infortunium acciderit, ut vitam hanc adeo Sanctam amittamus, illam per pœnitentiam tamquam per baptismum alterum recipere possumus. *Pater Dozenne in moral. JESU CHRISTI cap.* 1. — In Dei Regnum non nisi post alteram nativitatem ingredi possumus.

Ab iis, qui sacro baptismatis fonte ablui petunt, hoc primum exigit Ecclesia, ut per triplicem abrenunciationem ab illis faciendam, se vitam immutaturos polliceantur. Namque sine Christiana vita, Sanctus Augustinus ait, nomen Christiani esset causa condemnationis nostræ. Stellæ, quæ sub Mundi finem cadent, Christiani sunt, de quibus dici potest, quod olim Sanctus Paulus de Israelitis, qui Israelitæ quidem erant secundum carnem, non autem secundum Spiritum. Fideles omnes Salvatoris charactere insigniti sunt, non omnes tamen illius similitudinem gerunt; omnes quidem sunt subditi JESU CHRISTI, non omnes tamen erunt Cohæredes ejusdem. *Idem*.

Summus quidam Pontifex incorruptum videns S. Francisci corpus in Sepulcro multo tempore post obitum illius, magnus hic Sanctus Vir, ait, vivens erat tamquam mortuus, & mortuus est tamquam vivens. Oportet fidelem qui per baptismum gerere debet similitudinem Filii Dei mortui, & in tumulo sepulti, ut ait S. Paulus; oportet inquam, mori & Mundo, & sibimetipsi toto vitæ suæ spatio, ut post mortem vitam vivat æternam. Tot laboribus torquemur, nihilque intentatum relinquimus, ut vitam civilem, & voluptuosam servemus: num vita sancta, & divina, quam propter Christianæ Religionis professionem ducere tenemur, minorem curam, laboremque meretur? Naturalis vita in nobis procedit ex anima vivente primi Adam, ut cum Sancto Paulo 1. ad Cor. 15. loquar; vita vero Spiritualis, ex vivificante Spiritu — Quomodo Christianus per Baptismum mori debeat mundo, ut vivat Deo.

Spiritu alterius Adam procedit: *factus est primus Homo Adam in animam viventem, Adam novissimus in Spiritum vivificantem. Idem.*

Nequaquam sumus veri fideles, nisi JESUM CHRISTUM imitemur, & nisi jugiter adlaboremus, ut eidem similes evadamus. Quid enim est Christianus, nisi JESU CHRISTI discipulus, hoc est homo, qui eumdem sequi profitetur? *Christianus nemo dicitur recte*, Sanctus Cyprianus ait, *nisi qui Christo moribus, quoad valet, coaquatur.* Ad innuendam obligationem hanc, quam contraximus quatenus Christi Fideles, Sanctus Paulus ad Galat. 3. ait, eos omnes, qui baptizati sunt, eodem tempore induisse JESUM CHRISTUM: *quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ideo etiam cogimur in Baptismo abrenuntiare Dæmoni, & operibus ejus, Mundo & pompis illius ut auferantur obices qui prohibere possent, ne sincero amore, perfectaque imitatione cum JESU CHRISTO conjungeremur. Credendum igitur non est, aliquot aquæ guttas in Baptismo super caput effusas facere, ut Christianorum dignitatem mereamur: illud quidem necessarium est, verum satis non est. *Pater Nepveu libro de Spiritu Christianismi.*

Qui bonos habet sensus, non obliviscitur nobilem, præstantissimumque characterem, quem gerit. Dignitas, quæ illum objicit oculis mundi, illum subjicit omnibus officiis, quæ illam decent. Amplissimus in aula Principis gradus non patitur aliquem sese dimittere, ita ut se ad vilia quæque, & indigna submittat. Quæcumque sit Magistratus alicujus ratio, numquam oblivisci potest prætextæ illius, propter quam supplicum corona circumdatus est, & ab aliis observatur, & colitur. Militiæ Dux in ipsa etiam pace, & inertis otii tranquillitate ex mente sua evanescere non patietur eam, quam habet, imperandi potestatem. Titulus qui nos ab aliis sejungit, qui nos super cæteros extollit, numquam ex nostra cogitatione deletur, ita ut negligamus quid illi ab aliis, & a nobismetipsis debeatur. Agnosce, Christiane, Religionis tuæ majestatem, Sanctitatem, magnitudinem: cogita utrum in te aliquid inesse possit æque sublime, & augustum ac Christiani, & fidelis character. Discipulus es, & Filius Dei, qui factus est Homo, qui suas in te gratias effundit, qui te tamquam amicum excipit, qui tibi amplissimum in Regno suo locum constituit. Neque vereor exprobrare te, quod aliquid in terris majori habeas in pretio, quam hanc dignitatem. Si pluris penderes contemptibilem dignitatem, quæ alios tibi homines subjicit, quam pretiosum hoc nomen, propter quod Deus te respicere debet tamquam suum hæredem, & Filium, te Christianum existimare non deberem. Verum enim vero si tibi persuasum est Christiani dignitatem maximam esse gloriam tuam, quomodo oblivisci potes, te esse Christianum? *Liber cui titulus, animadversiones in varia Religionis, & moralis argumenta.*

Christianus omnis esse debet imago Sanctitatis Dei.

Christianus est veluti nummus Dei imagine notatus. Nummi quidem ex variis metallis plus minus pretiosis cuduntur. Non desunt fideles sanctitatis inæqualis; sed Christianus quilibet præ se debet ferre lineamenta Sanctitatis Dei, quemadmodum nummus quilibet debet Principis imaginem repræsentare. Aufer nummo imaginem, jam nihil illi reliquum est, nisi pretium naturale; in commerciis usum non obtinet: aufert Christiano viro Sanctitatis lineamenta; jam ab infideli non differt, & mentitur sui baptismatis characterem. Quem in terra gradum tenere debet? quem locum in cœlo? *Idem.*

Primis Ecclesiæ temporibus omnibus adeo persuasum erat, eos omnes, qui baptismi Sacris initiarentur, Sanctam, integramque vitam ducere debere, ut quibus sæculi voluptates abjicere animus non erat, serius quam possent, abluerentur. Nos urgetis, ajebant illi, ut Baptismo abluamur: cur nobis vitæ voluptates interdicitis eo tempore, quo iisdem frui licet, atque nulla lege eas delibare prohibemur? Novimus quam casta, atque integra esse debeat fidelium vita, & quomodo illius character omnem prorsus vivendi auferat licentiam. Sinite nos affectibus nostris obtemperare, donec citra scandalum iisdem satisfacere integrum est: novimus infirmitatem nostram, neque vellemus afferre dedecus nomini Christiano. Præstat hunc differre honorem, quem nobis conferre dignamini, quam hunc nobis contulisse vos ipsos pœniteat. Baptismi dignitatem virtutibus nostris sustinere desideramus; at nondum parati sumus, ut vitia nostra relinquamus. Catechumenus baptismi dilatione salutem suam in periculum adducebat, potius quam sese objiceret periculo male vivendi, postquam ablutus fuisset. Profecto non poterat melius exprimere necessitatem Sanctitatis in eo, qui ablutus fuisset. Luxus, Mollities, Delitiæ, Mundi Amor a Christiani hominis instituto adeo abhorrere videbantur, ut Christianum fieri meruerit, ne statim illa abrenunciare cogeretur. *Idem.*

Sanctitas Christiana instituto essentialis est.

Christianismus status est, ubi sanctitatis fit professio: sanctitas, quam fideles profitentur, in Dei præceptis, atque in Evangelio exprimitur. Ideoque purissima est, atque immutabilis, eamque fideles omnes observare tenentur. Hoc certissimum est. Fideles nonnulli præcepta ab ipsis servanda ab illum redigere vellent, quod convenire potest etiam amatoribus mundi: dogmata illa ad quorum normam vita ipsis instituenda est interpretantur, & torquent; & hæc ipsis mens est, mutandi quod ipsis faciendum est, quin mutent quod credunt. Verum amabo vos, licetne particularibus hominibus, qui aliquem statum ingressi sunt, illius formam, & principia immutare, atque petere ab illis, qui in eodem statu sunt, ut ipsorum sententiam sequantur? vel nonne potius privatos decet sequi eas regulas, quas sapienter institutas, & religiose observatas a suis similibus vident? Quænam rerum perturbatio, si Artifex, ubi artem aliquam amplexus est, sociis suis varios præscribere vellet modos agendi, alios ab illis, qui sibi traditi sunt ab institutoribus suis, & oppositos fini, quem sibi ars ipsa proponit? si Tyro vix ingressus Castra impugnare vellet tuta artis militaris præcepta, quæ verum magistra docuit experientia, aliaque subrogare ad exercitus perdendos aptissima? &c. *Idem.*

Christianus ex omni conditione esse potest, sed in omni conditione fidem suam virtutibus debet excolere. Nullum esse debet in vita momentum, ubi possit suam mentiri fidem, suasque leges infringere, quin lædat Characterem suum, & a suo fine recedat: nullum esse debet negotium, ubi versutia illius obsit æquitati: nullum solatium, quod illi flagitium permittat: nihil prosperum, quod illius modestiam, atque humilitatem evertat; nihil adversum, quod illius patientiam infringat! Omnia in ipso fidem redolere debent; fides in omni ejus vita, quidquid unquam eveniat, debet dominari. Fideles, qui ubi opus fuerit, se putant habere subsidia in injustis ambagibus ingeniosæ avaritiæ, & arbitraria æquitate, ut amico gratificentur, & inimicum perdant, variasque rationes, distinctiones, temperamenta, prout res tulerit: istine fideles sciunt, quid sibi velit esse Christianos? Sin nesciunt, num Christiani sunt? *Idem.*

Christianus propter Baptismum Sãctus esse tenetur.

Baptismus obligatio est, quam cum Deo contrahimus puram, sanctamque vitam ducendi: quidquid dici potest de fidelium officiis, in hoc continetur. Quin ullam rationem habeamus legum irrogatarum, veritatum credendarum, spei, quam concipere possumus, dogmatum, juxta quæ nobis vita est instituenda, mysteriorum, quæ nobis sunt adoranda: quin aliud consideremus, quin aliud perpendamus, statim ac salutari baptismo fuimus abluti, Sanctam vitam vivere debemus. Licet nullum virtutibus promitteretur præmium; nullumque sceleribus supplicium intentaretur, licet a reliquis hominibus non essemus sejuncti fidei nostræ principiis, & nostri cultus cæremoniis: effice-

efficere tamen non possemus, quin toto pectore studeremus Sanctitati, eamque exerceremus, eo quod ad gratiam saluberrimis Baptismi aquis fuimus regenerati. Nos ibi novam nativitatem, corpus, novumque Spiritum recepimus; nos ibi divino charactere signati sumus, qui nos subjicit Capiti Domino, & Patri, ad quem spectamus, & qui nonnisi ex vitæ integritate nos cognoscere potest. Fideles omnes hoc norunt. Cur ergo opus est, ut tot rationibus illis persuadeatur, ipsos promissis non stare, nisi quantum in ipsis est Sanctitatem acquirere contendant? Illis in mentem revocanda est fides sua, lex, æternitas, omnesque divinæ justitiæ, & Misericordiæ effectus, qui ad eos excitandos maxime valent, quasi opus esset, Militem admonere, arma illi esse ferenda, illi cum hoste confligendum. *Idem*.

Neque fideles nascimur, neque Christiani, sed labore nostro opus est, ut tales fiamus. Christianismus est quædam veluti scientia, cujus rudimenta, atque præcepta addiscenda sunt, ut acquiratur; quemadmodum in nulla arte peritus eris, nisi illam exerceas. Queruntur nonnulli, Sanctitatem acquiri non posse nisi constanti labore, atque violentia: vellent naturaliter affectibus suis, humanisque sensibus esse superiores. Hæc querela, & hoc desiderium satis ostendunt, se nosse, requiri mores innocuos, & puros: sed eodem tempore ostendunt, se nimis humiliter de Christiana virtute sentire.... Nimis parum dispositi sumus ad sanctitatem acquirendam, immo ab ea longe distamus: vis inferenda est studiis nostris, ut ad eam perveniamus; sine gravi certamine, sine jugi vigilantia, sine plurimarum victoriarum successione, quæ pluribus laboribus comparandæ sunt, sperare non debemus, futurum ut illam obtineamus; atque nobis stuporis, & impatientiæ esset occasio, si inertia, atque otium, si vitium immo, atque scelus nos duceret ad Sanctitatem. Nihil æque difficile est, quam esse Christianum. Ab ipsa nativitate peccatores sumus, atque studiis nostris rapimur, ut semper peccatores simus; putandumne est sortem, negligentiam, oblivionem, cupiditatem, morem Mundi nos Sanctos efficere posse? Nisi Sanctos esse curabimus, numquam erimus. *Fiunt, non nascuntur Christiani*, Sanctus Hieronymus ait. *Idem*.

Baptismus est tamquam sigillum Dei, quo hic nos distinguit ab illis qui ad ipsum non pertinent & ex ipsius familia non sunt. Quacumque ex re illud conflatum sit, quacumque manu imprimatur, eamdem semper in cera relinquit imaginem: Quomodonam ex inusta nota intelliges illud, vel aureum fuisse, vel argenteum, vel plumbeum? utrum ab aliquo nobili viro vel ignobili, a docto, vel indocto, a virtutibus prædito, vel sceleribus addicto fuerit impressum? eamdem semper imaginem exhibet, eadem lineamenta. Quicumque tandem ille sit, qui Dei nota nos signat abluens baptismate; dummodo hoc præstet cum illis cognitionibus quæ sunt communes, & accommodatæ, & requisitæ, vere baptizati sumus. Ergo si Deus tantam nobis adstruit facilitatem Sacramenti illius, quod est tamquam salutis nostræ fundamentum, licetne nobis ambigere, an ille salutem nostram desideret? possumusne arbitrari, ipsum ea nobis negaturum charismata quibus adeo inæstimabilis gratia fulcienda est?... Magna profecto fuisset Dei Misericordia tantum hoc beneficium conferentis quemcumque Ministrum elegisset, a quo Sacramentum hoc esset conferendum: sed non minimo favori adscribendum est, quod indiscriminatim omni hominum generi licere voluerit, ut ex quovis hoc tantum boni reciperemus.

Quinam conditione nos in Baptismo receperit. Cur cogitamus, cum JESU CHRISTI militiæ nomen dedimus, Sathanæ, ac pompis illius fuisse a nobis abrenunciandum; in omnibus corporis nostri partibus signum Crucis impressum fuisse, & Oleo Sacro nos inunctos fuisse; nisi ut intelligeremus nos jam ex Dœmonis servitute ereptos ad JESUM CHRISTUM spectare, sæculi gaudium non esse pro Fidelibus, vitam hanc pro nobis Crucis, & Passionis vitam esse debere; ad quas tamen cum merito, atque lætitia ferendas, dabit Dominus vires, & gratiæ suæ unctionem? Nequicquam igitur scandalizamur, ubi hæc omnia accidunt nobis; nonne illa nobis expectanda sunt? numquid illa dissimulans quis nobis fucum fecit? *in hoc positi sumus*..... 1. *Thess*. 3. *in hoc vocati estis*. 1. *Petr*. 3. *De Monmorel homilia in Octava Ascensionis*.

Christianus per Baptisma Deo sacer est, ac devotus; de servitute Dœmonis eripitur, ut fiat Domini possessio, qui illum apprehendit, & respicit tamquam suum. Christiani, S. Petrus ait, homines sunt; quos sibi elegit Deus quamdam regalis Sacerdotii speciem constituentes, & qui Sacerdotes simul & victimæ sunt; gens Sancta; populus acquisitionis, pro quo acquirendo Deus novissimam usque Sanguinis sui guttam effudit. Ad hæc Christianus Sanctus est per sanctificantis gratiæ infusionem, & quod magis est per infusionem ejusdem principii, videlicet Spiritus Sancti. Has omnes certissimas veritates suppono, ut hinc arguam, fidelium peccata multo graviora esse, quam Ethnicorum, ideoque illos eo gravioribus suppliciis puniendos, quo ad majorem dignitatem evecti fuerunt. Hæc ratio est disertissimi Salviani, qui in hoc argumento visus est triumphasse. Liquido constat, ait ille, quo sublimior est hominis status, eo majora illius esse flagitia: *criminosior culpa est, ubi honestior status*, & quo majorem dignitatis gradum obtinet, qui sese mancipat vitiis, eo plures enormitatis gradus ejusdem peccatis inesse: *si honoratior est persona peccantis, peccati quoque major invidia*. *Joly propositione pro tertia post Epiphaniam Dominica*.

Sæpe in mentem revocanda sunt ea, quæ pro nobis acta, transactaque sunt ea die, qua sacra Baptismatis unda fuimus abluti, quæ quidem fuit dies adoptionis nostræ, nostræque Spiritualis regenerationis. Hæc præteriit dies, o fratres, & quisnam vestrum memoria repetit obligationes, quas tunc contraxistis, ut per vosmetipsos faciatis, quod aliena fuit voluntate peractum & ore alieno promissum? Sanctus profecto mos est, eas passim iterare promissiones, ut Religionis Spiritus reflorescat, & nosmet eidem penitus addicamus. *Sæpe Baptismi dies in mentem est revocanda.* Cum infans ad fontem ducitur, filius est tenebrarum; at ubi baptismatis gratiam recepit, filius est lucis. Quamobrem S. Dionysius hoc luminis Sacramentum appellat, & S. Paulus scribens ad Ephesios alludens ad ea, quæ baptismatis eorum die contigerant, hæc habet: *eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Si sciretis, fratres, quænam in vobis facta fuerit immutatio post baptismi diem, vobis stupor incederet: antequam lustralibus undis ablueremini, eratis tenebræ atque caligo; modo vero cum Sacramentum hoc recepistis, omnino immutati estis, atque inhærentes Divino Verbo, quod lux est substantialis, facti estis filii lucis; *Idem sermone pro die Purificationis*.

Christiani vocatio juxta Dei mentem est vocatio ad Sanctitatem, & obligatio ad acquirendam Sanctitatem per gratiam sibi in Baptismo collatam: quæ quidem fons est omnium Spiritualium benedictionum, & quæ tamen plerumque nihili penditur. Quis enim ut languentem fidem rursus excitet illius originem reputat? quis vitæ hujus prosperis modeste gaudens reminiscitur felicem illum sibi fuisse diem, quo Dei filius factus est? quis, ut melius intelligat, ac severius puniat, suam erga Deum severitatem, vel revocat in mentem, vel instaurat promissiones suas? Nomen Christiani gerimus sine ulla consideratione, & sine merito. Nobis hoc privilegium Parentum nostrorum pietas promerita est, quod tamen religione nostra minime sustinemus; innocentia, quam ibi recepimus, viguit, donec per ætatis infirmitatem nobis peccare non licuit; mox affectus animam nostram occuparunt. Mundi Spiritus prævaluit, ex quo per ætatem nosmet regere potuimus, & fideles esse desiimus statim ac rationis participes facti sumus. *Flechier sermone pro die Omnium Sanctorum*.

Chri-

Discrimen inter Christianorum, & Judæorum baptisma, de quo loquitur S. Paulus.

Christianorum Baptismus longe alius est a Judæorum Baptismo, quemadmodum Sanct. Zeno Veronensis animadvertit. Judæus, qui secundum Apostolum, in maris rubri transitu fuit quodammodo Baptizatus, non fuit aquis illius madefactus. Sicco pede semper incessit, promissa terra finis erat itineris sui, illa semper ob mentis oculos obversari debebat: sed in Christiano baptismate, in quo facti sumus filii Dei, aquis abluimur. O admirabilem Piscinam! ubi omnia terræ objecta cum quadam subversionis specie videntur; abrenuntiatur vitæ peccati; ut gratiæ vita vivatur; homo vetus exuitur, ut homo novus induatur: neque licet ultra mundum sequi nisi juramentum suum infringatur. *F. S. D. L. V. Religiosus Carmelita actionum Christianarum tomo 4.*

Cum in hac vita nullum sit bonum defectus alicujus immixtione minime corruptum, neque ulla conditio adeo præstans, cui nulla calamitas insit; dicere possum nobis accidere tamquam illis, qui sunt divites a nativitate: qui quia minime norunt, quot laboribus opes fuerint congestæ, ut plurimum sunt magis prodigi, quam qui laboribus suis divitias accumularunt. Similiter quia nobis Baptismi gratia collata fuit, quin per ætatem eam postulare possemus, & christianorum religionem nacti sumus quin illam quæreremus, pretium illius nequaquam cognoscere videmur; & paucissimi sunt qui diligenter incumbant, ut hac gratia, uti est opus, utantur. *Pater Texier sermone pro feria sexta hebdomadæ primæ in quadragesima.*

De regeneratione quæ fit per Baptismum.

Sanctus Chrisostomus ait, quod est Matris sinus ad efformandum pueri corpus in prima illius nativitate, hoc esse Baptismum ad efformandum Christiani spiritum in secunda regeneratione. Vel uti ait Sanct. Leo Serm. de Nativit. JESUS CHTISTUS in Sacro Baptismatis Fonte admirabilem posuit fœcunditatem illi quodammodo similem, quam Beatissimæ Virginis Sacer sinus recepit a Spiritu Sancto: *Christus originem, quam sumpsit in Utero Virginis, posuit in fonte Baptismatis.* Mariæ fœcunditas Salvatorem parit, Sanctus ille Pontifex inquit; & Baptismi fœcunditas parit fideles æternæ saluti destinatos: illa prædestinatorum principem, hæc membra Mystici corporis JESU CHRISTI producit, eique fratres attribuit. *Dedit aqua, quod dedit Matri; obumbratio Spiritus Sancti, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, facit, ut regeneret Unda credentem: quo Spiritu de intemerata Matris Visceribus nascitur Christus, hoc de Sancta Ecclesiæ Utero nascitur Christianus. Idem.*

Mihi credite, fratres, idem Sanct. Leo inquit, hoc donum, de quo loquimur, omnia exuperat dona, nihilque majus concipere possumus, quam gratiam hanc, quæ efficit ut Deus hominem filium suum vocet, & homini integrum fit, Deum Patrem suum vocare: *omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium & homo Deum nominet Patrem.* O summam honoris amplitudinem Sanctus Augustinus Tract. 6. in Joan. ait, quod adoptivus destinatus sit; ut ibi sit, ubi filius unicus, & naturalis; ut quamvis eidem minime sit par divinitate, illius tamen sit socius, atque Cohæres in æternitate! Quisnam honor, hujus adoptionis virtute coronæ ejusdem participem fieri, eamdemque felicitatem possidere! Attamen nos miseros! quam pauci fideles sunt, qui hanc gratiam intelligant, quandoquidem adeo sunt pauci, qui cognoscant ea, quæ Deus sibi præstitit beneficia, cum ipsos Christianos effecit! quam pauci sunt, qui S. Ludovici sequantur exemplum, qui majori habebat in pretio honorem, quem receperat factus Dei Filius per Baptismum, quam gloriam, qua fruebatur tanquam Regis Filius atque legitimus florentissimi Regni successor? Quot sunt Fideles, qui sanguinis sui nobilitatem noxia ambitione reputent, qui Majorum suorum gloria intumescant, & qui fallacibus genealogiis suæ sobolis dignitatem commendent? Sed quotusquisque cum gaudio meminit, se quatenus Christianum divinam jactare posse originem; se JESU CHRISTI fratrem esse, & si voluerit, gloriæ ejusdem cohæredem?

Propter receptum baptisma tenemur Filii Dei virtutes imitari.

Quid est esse Christianum? hoc jam superius dictum est. Est autem esse Filium adoptivum Dei, & membrum corporis mystici JESU CHRISTI. Nos vero quatenus Filii nonne tenemur gestare in nobis vestigia similitudinis, quibus Patrem nostrum exhibeamus? *Imitatores Dei estote, sicut filii Charissimi. Ad Ephes. 5.* Quatenus autem membra Filii Dei, nisi velimus dedecorare caput nostrum, & ex mystico illius corpore monstrum efficere, nonne vivificari debemus vita gratiæ ipsius, & quidquid agimus, per ministerium sui Spiritus agere? *qui dicit, se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. 1. Joann. 2.* O Christianæ Religionis Officium, quam male intelligeris! *Idem Pater Texier.*

Meminerimus nos in Baptismo factos fuisse Christianos. At, amabo vos, quidnam est, hoc esse Christianum? Sane est, profiteri fidem, & legem JESU CHRISTI: quod satis, superque est, ut hac in re pudore, & confusione suffundamur. Hæc fides, atque hæc lex profecto Sanctæ sunt; profitemur amare velle Deum ex toto corde nostro, & proximum tamquam nosmetipsos; hanc amplectimur morum disciplinam puram, ac sublimem, quam docet Evangelium, virtutem hanc heroicam quæ nihil carni, aut Sanguini tribuit. Agnoscitis JESUM CHRISTUM pro Magistro, ejusque doctrinam vos secuturos polliciti estis. Attendite illis officiis, quæ instituti vestri ratio ex vobis exposcit. *Idem.*

De iis, qui fidem in baptismo susceptam abdicant.

Legimus in historia, quemdam Carthaginiensis Ecclesiæ Diaconum propter fidem in carcere positum, cum summo animi dolore didicisset adolescentulum Christianum nomine Elpidophorum, quem ipse lustralibus Baptismatis aquis abluerat, Christianam abdicasse religionem, ut ad Veterem Idololatriam reverteretur, cumque sibi illum convenire minime liceret, ratum fuisse ea die, qua ipse ad Martyrium raperetur, Apostatam hunc adfuturum in eorum corona, qui supplicium spectari convenissent, futurumque, ut tunc eumdem exprobrare sibi integrum esset. Cum igitur mortis suæ dies advenisset, pallio suo texit vestem albam, qua Elpidophorum in Baptismo olim induerat, cumque Apostatam in turba vidisset, hanc illi ostendit vestem dicens: *hæc sunt linteamina, quæ te accusabunt, dum majestas veniet judicantis.* Verba hæc tanta vi prolata fuerunt, ut adolescens perterritus dœmoniaci instar, & spumas, & ululatus emitteret. Proh superi! si homo in patibulo positus, & morti proximus adeo potenter peccatorem confundit, quid tandem fiet, cum auribus accidet JESU CHRISTI vox ingratitudinem, atque infelicitatem nostram exprobrantis? quid respondebimus, ubi nos ille redarguet, quod Baptismatis nostri juramenta perfregimus, & omnia hujus Sacramenti Charismata nihili duximus? *Idem.*

Altera hæc nativitas, quam Christi fidelis recipit in Baptismo, & per quam fit Filius Dei, mysterium est omnes humanæ rationis conatus excedens. Non solum legis doctor Nicodemus obstupuit, ubi JESUS CHRISTUS ipsi ait: *oportet nasci denuo:* sed illi ipsi, quos JESUS CHRISTUS de hac nativitate magis peculiariter erudiit, difficultatem invenerunt in intelligenda hac gratia, quam Deus nobis voluit conferre. Hac de causa S. Augustinus in primum S. Joannis caput animadvertit, Evangelistam ibi de tribus ineffabilibus mysteriis agere, quæ ultro, citroque sibi conferunt lucem, & auctoritatem. Primum est æterna Verbi generatio in sinu Patris; alterum est temporalis Verbi generatio in sinu Matris; tertium est Spiritualis fidelium regeneratio in aquis Baptismi. Prævidens enim S. Joannes non defuturam in hoc credendo difficultatem, huic hominis regenerationi auctoritatem ex regeneratione difficiliori conciliat: *& Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Joann. 1. Quid miraris*, Sanctus Augustinus ait, *quia homines nascun-*

nascuntur? attende ipsum Deum natum ex hominibus. Idem sermone in diem Pentecostes.

Quomodo communicavit Deus nobis Spiritum suum.

Animadvertendum est prudens discrimen, quod Apostolus inter primum, & secundum Adam deprehendit: *factus est primus homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in Spiritum vivificantem.* Cum primus Adam de limo creatus est, Scriptura docet, ipsum animam viventem, hoc est, immortalem recepisse; sed cum Adam secundus in Mundum venit, non solum pro se viventem attulit Spiritum, sed vivificantem, aliis etiam vitam conferentem, hoc est mirabile illud carnis, spiritusque commercium, quod in JESU CHRISTI persona factum, ait Sanctus Athanasius. Voluit Dei Filius a nobis carnem recipere, ut nos ab ipso Spiritum reciperemus. *Idem P. Texier.*

Aliquandone cogitatis eam charitatem, quam Deus effudit in cordibus vestris, vobis facultatem præbere vosmet intima unione cum Deo conjungendi? Verene Christiani sumus, videlicet cum Christianæ religionis nostræ cognitione? Christiani quidem sumus; quia facto sumus regenerati Baptismate, quia in Ecclesiam ingredimur, quia Missæ adstamus sacrificio, & extrinsecis quibusdam cæremoniis perfungimur: verum adestne nobis Christianus intellectus, Christiana voluntas? cogitamusne, ratiocinamur, diligimus ut Christianos decet. *Idem.*

Cogitatio hæc, quod sumus Dei Filii, nos ad ingesta debet impellere.

Sanctus Augustinus libro de Civitate Dei post auctorem prophanum nescio quem, animadvertit, præteritorum sæculorum Heroas divinam jactare consuevisse originem, & hanc opinionem licet confictam illis nihilominus profuisse: *ut humanus animus velut divinæ stirpis fiduciam gerens res magnas aggrediendas præsumat audacius, agat vehementius, & ab hoc impleat ipsa securitate felicius.* Vanitas, Phantasma, Illusio; non diffiteor: sed si hæc fictæ, atque commentitiæ dignitatis fides in animis Principum adeo valuit, quem sensum hæc fidei veritas in Christi fidelis animo statuta inspiraret? Sum Filius Dei, & aliquando universum Dei Regnum possessurus. Hoc olim argumento Patres utebantur, & illud suggerebant iis, qui lustralibus aquis abluebantur. *Idem.*

Sæpius me ipsum interrogare debeo, ubi est fides mea, ubi Sanctitas vitæ meæ? quinam Christiano homine digni sensus? quinam fortis, ac sincerus, constans, & generosus animus sanctitate vitæ divinam filiationem in baptismo receptam decorandi? Quæ ignavia! quæ negligentia! qui contemptus pro illo, quem Patrem nostrum fateri debemus! Quam jure posset ille veterem instaurare querelam, qua olim per Prophetam suum dolebat, *filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me!* Illis vitam contuli, & nativitatem, illos eo usque exaltavi, ut fierent meæ essentiæ participes; sed pro mensura fidei suæ nihil nisi negligentiam, atque contemptum erga me nutriverunt. Et sane quænam gratitudo, quænam observantia, amor, cura, sollicitudo vobis inest, ut illi placearis? undenam ipse cognoscere potest vos ipsius esse filios? *Idem.*

Cur concupiscentia post baptismum remaneat.

Quamvis concupiscentia in naturam quodammodo migraverit, atque peccato tantas vires addiderit; nihilominus Deus illam in anima fidelium relinquit post Baptismum ad virtutem eorum exercendam, infringendamque superbiam, atque ut infelicitatis suæ memoria semper ob oculos eorum præsens versetur. In aureo innocentiæ statu, virtus homini naturalis erat adeo, ut nullum obicem inveniret: ille cum voluptate, quod optimum est, operabatur, & operis difficultas non metiebatur meriti magnitudinem; affectus rationis patebant imperio, sensus fideles erant spiritui, & corpus non alios, quam animæ suæ, motus sequebatur. Pietatis exercitatio nondum erat certamen, neque continentiæ, & fortitudini prælia sustinenda erant, ut referrent victorias. Ita fatendum est, si homo plus quam nos quietis habebat, minus gloriæ habuisse, quam nos; ac si majori dulcedine perfruebatur; non sperasse tantam remunerationem. Hodie enim totus vitæ nostræ curriculus jugis est palæstra, & juge certamen: omnes virtutes nostræ austeræ sunt, atque hostibus circumseptæ. Ut præliaremur, per Baptismum Christianæ militiæ dedimus nomen; Christum ducem nos sequi oportet: sed meminerimus hanc propensionem in malum, domesticum hunc inimicum, æternam hanc rebellionem, quam experimur, esse præliorum atque triumphorum nostrorum materiam. *Pater Senault Presbyter Oratorii sermone 9. de homine Criminoso.*

Quidnam eras ante baptismum tuum, & quidnam post gratiam baptismi? ante baptismum eras sub Dæmonis potestate, per baptismum inde evasisti; ante Baptismum interclusus tibi erat regni cœlestis additus, per Baptismum legitimo jure aditus ad illud tibi reseratus est; ante Baptismum servus eras, & per Baptismum ex hac ereptus servitute, ingressus es libertatem filiorum Dei: ante Baptismum in errore, & peccati confusione versaberis; per baptismum superiori lumine illustratus es, & gratia: non liber solum, sed Sanctus, neque Sanctus solum, sed filius Dei, & JESU CHRISTI Cohæres. Quomodo autem & qua ratione repente factus es a Deo magnus? non aliam equidem intueor, nisi meram, gratuitamque Dei misericordiam. *Morale Dictionarium sermon. 1. de Christiana Religione &c.*

Gratis ad Christianam Religionem vocati sumus.

Vocati fuimus ad Christianam Religionem sorte, hoc est beneficio, quod nequaquam meriti fuimus, Apostolus inquit; sors enim non pendet ab ulla electione, neque ab eorum merito, in quos cadit. In sorte nostræ ad Christianam Religionem vocationis, nullum jus obtinemus præ tot infidelibus populis, qui in erroribus suis, in idololatriæ abominationibus jacent demersi. Die eadem, eodemque momento, quo ad Baptismi fontem JESU CHRISTI sacris initiati fuimus, quot puerorum Myriades hac gratia caruerunt? Sors cecidit super nos, atque ita voluisti Deus meus? hac in re longe aliter ab illis qui mittunt sortes in hominibus, ex quorum voluntate non pendet, ut sortes super eum decidant, quem malunt. In manibus tuis sortes nostræ fuerunt; sed illas, quemadmodum tibi placuit, disposuisti. O nos felices, quod super nos ceciderunt, & tu voluisti, ut in partem sortis Sanctorum tuorum ingrederemur! *dignos vos fecit in partem sortis Sanctorum. Idem.*

Ut quis vere Christianus sit, non sufficit illum baptizatum fuisse.

Si, ut Christianus esses requireretur solum Baptismi promissiones proferre; si sufficeret extrinsecus quibusdam religionis officiis perfungi, revelatas credere veritates, illis acquiescere, quæ Catholica Ecclesia tamquam articulum fidei proponit, mente etiam putare, fidem cum vitæ periculo esse tuendam; audeo dicere verorum fidelium numerum tam magnum futurum, quam est exiguus: licet arcta sit ad Cœlum via, plurimos tamen illuc ingressuros; nullam futuram sectam vel latius diffusam, vel muneribus suis rite obeundis nostra hac fideliorem: sed reputans hanc Christiani qualitatem a nobis prope infinita expetere officia, & pro gratiæ nostræ excellentia excellentes in nobis virtutes requiri; contremisco equidem, & causa vestra, & mea, cum in Arca Noe pauciores inveniam homines, quam bruta, & in Ecclesia pauciores vere fideles, quam pseudo Christianos. *Idem.*

Baptismus, qui nos Christianos efficit, ex S. Gregorii Nazianzeni sententia, vinculum est, quo JESU CHRISTO conjungimur, & quo hospites efficimur super terram; est nostræ servitutis liberatio ubi catenæ infringuntur, ut veræ libertati restituamur, verbo, & præstantissimum donum Dei, & Sanctissima lucis ejus effusio. Hæc Christianismi gratia variis nominibus appellatur pro fructuum, quos profert, varietate. *Donum*: Nobis sine ullis meritis nostris confertur. *Baptismus*: Animæ nostræ sordes abluuntur. *Unctio*: Ibi Sacerdotes, ac Reges inungimur. *Illuminatio*: Invisibilis claritas sese super animas nostras effundit. *Vestimentum incorruptibile*: Nostra ignominia, atque nuditas tegitur. *Signum, & Character*: ad Deum spectamus, & hoc est signum ipsius in nos dominationis. Cum hoc Sacramentum

mentum offertur, lætantur Cœli, & solemnitatem eo majori cum gaudio celebrant Angeli, quo magis ad illos accedimus per eam gloriam, quæ nobis communicatur. *Idem.*

De hominis renovatione per Baptismum. In Baptismo renovatur homo, ut inquit S. Gregorius Nazianzenus. Ibi quodam veluti universali diluvio omnia peccata nostra submerguntur; ibi sordes, quas originis nostræ vitio contraximus, eluuntur: cumque duabus constemus partibus, altera quidem visibili, invisibili altera, corpore videlicet, & anima; quid præstitit Deus? Voluit, istis duobus in Baptismo respondere, aquam, quæ visibili, & naturali ratione adhibetur, & Spiritum, cujus virtus effectum suum spirituali, atque visibili ratione producit. Quod facit extrinsecus aqua, hoc intrinsecus facit Spiritus; aqua corpus abluit, sed Spiritus Cœlestis animæ tribuit opem, qua indiget, eo in statu, in quo reperitur. *Idem.*

In mundo hominum plerique putant, Christianismum in quibusdam ceremoniis consistere, quas Religionem appellant; & ea omnia, quæ imponit, munera, non esse omnino fidelium qualitati essentialia. Religio vocatur usus quidam peculiares, qui quotidie summa fide adimplentur, cum interim reliqua negligantur; at hæc non est Religio, illusio est. Christiani hominis officium est, virtutes exercere omnes, eas vero præsertim, quæ sunt necessariæ statui suo; atque vitiorum, affectuumque omnium excidio. Passim divinis interes officiis, singulis mensibus sacra Synaxi te recreas, quotidie erogas eleemosynas: bonum est. Verumtamen si nihilominus ultor es, iracundus, ambitiosus, invidus, maledicus, extimam tantummodo Religionis obtines superficiem: dicamne? Vere Christianus non es. Ea non fiunt, quæ facere tenemur, & nihilominus exteriorem religionis speciem induimus fortasse, ut aliquo potiori jure alios corrigere valeamus. Hoc velum est, sub quo tuto latet vitium, & frui gestit privilegiis virtutis; sed quod religionis caput est pro inani specie relinquitur. *Desumptum ex Christianis sermonibus tom. 2. sermon. pro secunda Dominica post Pascha.*

Fidelis statum suum considerare debet tamquam statum mortis. Fidelis consideret oportet statum suum, tamquam statum mortis, qui Cœli quidem viam sibi aperit, Mundi vero claudit. Et sicuti primus homo de terrestri Paradiso egressus illuc reverti non potuit eo quod Cherubim a Deo in illius janua positus aditum prohibebat; ita diversa ratione, sed prorsus simili effectu cum Christianus per Baptismum a Mundo recesserit, qui est hominis terreni Paradisus; Deus illum eo reverti non vult, neque cogitatione, neque affectu, actionibus vero multo minus. Potest quidem corpus ejus esse in terra, sed anima illius esse debet in Deo, cui uni vacare debet. Reminisci debet verborum Apostoli, seu vivimus, seu morimur, quidquid facimus, Domini sumus. *Auctor idem sermone pro quarta Dominica post Pascha.*

Christiani hominis sacro Baptismate abluti hæc prima obligatio est, mori cum JESU CHRISTO, hoc est, in terrenis omnibus se tamquam mortuum putare, qui nullam amplius obtinet partem, nullosque fovere terræ sensus: indiscriminatim mundi hujus, & bona, & mala respicere, & nihil magis quam mortuum affici, sive bonum, sive malum aliquod corpori inferatur. Ideo considerandum primo est, quam alta perfectio sit hic rerum terrenarum contemptus, & quam pauci sint, qui vere mortui sunt iis rebus omnibus, quæ Deus non sunt. Hæc tamen perfectio est, ad quam fidelibus omnibus contendendum, quippe quæ religioni suæ est essentialis; quandoquidem ubi per Baptismum religionem JESU CHRISTI sumus amplexi in hoc potissimum Baptizati sumus, quemadmodum S. Paulus ostendit: *quicumque Baptizati sumus, in morte ipsius Baptizati sumus, ad Rom.* 6. Debemus ergo verum fovere desiderium satisfaciendi huic muneri quantum in nobis est, nisi quantum decet, facere valeamus. *De Sancta Martha tom. 2. tractatuum Asceticorum: monitum de instauratione promissionum Baptismi.*

Consepulti debeamus esse cum J. C. per Baptismi juxta S. Pauli mentem. *Consepulti sumus cum illo per Baptismum in mortem peccati*, Apostolus inquit in Epistola ad Romanos; quod mea quidem sententia innuere videtur, satis non esse Christiano viro, qui Baptismate ablutus fuit, mortuum esse cum JESU CHRISTO, nisi præterea sepultus fuerit, & in eodem Sepulcro cum JESU CHRISTO conclusus. Inter mortuum, & jam sepultum hoc discriminis intercedit; quod alter quidem quodammodo versatur adhuc inter viventes; alter vero omnino separatus est, alter nullam amplius partem habet cum hominibus, sed homines habent cum illo, eo quod in eo occupari sunt, ut illi parentent; alter vero de hominum commercio ita abscissus est, ut nihil de illo faciendum sit amplius, & non sine quodam horrore videri possit ulterius. Itaque Baptizati hominis status talis esse debet, ut non solum mortuus sit mundo nullum habens bonorum, vel malorum ipsius sensum; verum etiam ut velit a mundo haberi tamquam mortuum, atque sepultum; oblivioni datum, a terris omnino sejunctum, atque abjectum, tamquam aliquid, quod nemo pati potest. Hic erat S. Pauli status, cum ajebat: ad Galat. 6. *mihi Mundus crucifixus est, & ego mundo. Idem.*

Baptismus resurrectionem quoque J. C. repræsentat. Cum S. Paulus doceat, nisi JESUS CHTISTUS a mortuis resurrexisset, spem nostram, ac fidem inanes fuisse futuras, asserere possumus etiam nequiquam per Baptismum nos factos fuisse participes mortis, & sepulturæ JESU CHRISTI, nisi resurrectionis quoque, novæque vitæ suæ participes effecisset. Hinc oritur potissima Baptizati hominis obligatio, cui moriendum non est mundo, nisi ut in Deo vivat; qui terrenis rebus afficiendus non est, nisi ut æternarum amore afficiatur; qui cum JESU CHRISTO consepultus esse non debet, nisi ut hominum oculos, & consuetudinem fugiat; qui terræ mansionem non debet relinquere, nisi ut tamquam resuscitatus habitet in Cœlo. *Idem.*

Recordemur Baptismatis nostri; plures nos impellunt causæ; hoc gratitudinis ergo præstare debemus, ibi enim pretiosam gratiam recepimus, cujus nonnisi cum ingratissimi animi vitio possumus oblivisci. Tempus Baptismatis nostri finis est nostræ calamitatis & servitutis. Verum ob id præsertim identidem Baptismum nostrum cogitare debemus, ut altius insigantur cordibus nostris fundamentalia religionis dogmata, quibus nos adhæsuros polliciti sumus, statim ac JESU CHRISTI militiæ dedimus nomen .... Hoc profecto maximum est beneficium a nobis receptum; & a nobis summo in pretio habendum, ideoque grati animi sensus fovere nos decet erga illum, qui adeo manifesta amoris sui erga nos præbuit argumenta. Quodnam donum unquam dono fidei pretiosius esse potest? quæ gratia Baptismatis gratia excellentior? quid enim est, esse Baptizatum? sane est incorporatum esse JESU CHRISTO, esse membrum JESU CHRISTI, indutum esse JESU CHRISTO, quemadmodum docet S. Paulus. *Lambert homilia in die festo Trinitatis.*

Pauci Baptismi sui obligationibus satisfaciunt. Quicumque est Sacro Baptismate regeneratus, essentialiter legem omnem observare tenetur; quod nobis ostendit, plurimos fideles non satisfacere iis, quæ polliciti sunt, & vota, ac promissiones sui Baptismatis infringere: qui enim mandatorum tantummodo partem sequuntur, & alia præcepta transgredi non verentur, plane sunt prævaricatores . . . . Ita illi, quibus tanta inest temeritas, ut Dei legem secundum suos explicent sensus, eamque interpretentur juxta suam utilitatem, ac studium; ne isti sunt rebelles filii, qui directe contra ea, quæ promiserunt, operantur. Essentiale, exempli gratia, Christianæ religionis officium est Crucem ferre, & sese mortificare: omnes Baptismatis ritus satis ostendunt, quanti referat huic parere mandato. Ignorare non potestis, cum hoc beneficio cumulati fuistis, Sacerdotem pluribus modis vobis annunciasse munus ferendi crucem; hoc vobis, & signis, & cæremoniis tradidit Crucis signum, & fronti, & pectori imprimens: necessene

est vobis explicari, quid hujusmodi innuant cæremoniæ? Si audire vultis S. Paulum Apostolum, hic etiam docebit vitam Christianam esse vitam crucifixionis: *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, ad Gal. 5. Hinc autem sequitur nihil magis oppositum esse Sanctitati baptismatis, votis ejusdem, & vitæ Christianæ, quam amare voluptates, eas perquirere, illis sese abdere, & cupiditatem inflammare concedendo illi ea, quæ desiderat. *Idem.*

Bone Deus! reputantes animo misericordiam, qua large, effuseque in nos usus fuisti cum nos tuo signo notasti, atque in filiorum tuorum numero descripsisti, nonnisi summo rubore, & verecundia suffundimur. Eam nobis contulisti gratiam, cujus pretium satis æstimari non potest; & nihilominus eam fere oblivioni tradidimus: vix ad eam advertimus animum qui nepllum quidem vitæ nostræ diem abire pati deberemus, quin magnæ miserationis tuæ recordaremur. Quot elapsi sunt dies, quin reputaremus, quid olim eramus, & quid hodie sumus per Sacri baptismatis gratiam? Sin autem eas meditamur promissiones, quas tunc elicuimus & leges, quas tu nobis irrogasti; multo major nobis erubescendi occasio suboritur. Eorum, quæ polliciti sumus, fidenme præstitimus? præceptis tuis obtemperavimus? O summam infidelitatem; illi famulati sumus, cui abrenunciavimus, vitaque nostra jugis fuit nexus prævaricationum a legibus tuis. Primæ igitur promissiones nostræ sedulo repetendæ sunt, ut infidelitatem nostram intelligamus, Quid faciendum nobis erit Domine, ut adeo nefaria scelera deleamus? tu nos docuisti, alterum non deesse baptismum non sine mirabili miserationis excessu institutum pro illis, qui prioris gratiæ jacturam subiere. Non aliud superest quam lacrymarum baptisma, quod nos felici eo statu possit restituere, ex quo lapsi sumus. *Idem.*

Ad quam dignitatem fidelis per baptismû evehitur.

Per Baptismum Christiani facti estis. Intelligitisne quid hoc sibi velit, & quænam sit hujus gratiæ magnitudo? Christiani facti estis, hoc est filii Dei, quemadmodum vos docet S. Joannes dicens: *videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.* Christiani facti estis, hoc est JESUS CHRISTUS in hoc etiam mundo animas vestras tamquam sibi desponsatas considerat; testante Apostolo cum ait 2. ad Cor. 11. *despondi enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.* Christiani facti estis, hoc est fratres JESU CHRISTI, ac Templa Dei: docet enim S. Paulus quod non erubescit Salvator appellare vos fratres suos, & 1. ad Cor. c. 3. *nescitis, quia Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Christiani facti estis, hoc est naturæ Divinæ participes, & illius felicitatis hæredes, ubi nihil deleri, corrumpi, senio confici potest? O magnum Christiani nomen! At quam cæci illi sunt, qui illius meritum, atque pretium ignorant! Christiani qualitas reliquis quibuscumque anteferenda est; & licet magno in honore sis, hæc tamen præcipua gloria, existimanda est; quod olim dicebat Sanctus Augustinus Epist. 96. novæ edit. alias 124. viro cuidam nomine Olympio, qui nuper ad insignem dignitatem fuerat evectus. *Idem homilia in Sanctum Joannem Baptistam.* 2. Petr. 1. & 4.

Christiani omnes quodam in sensu æquales sunt; in vobis, Apostolus inquit, est *unum corpus, & unus Spiritus, sicut estis in una spe vocationis vestræ: unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Quod præcipuam gloriam nostram constituit, æque in Christianis omnibus invenitur; si quod discrimen esse debet, hoc principiis religionis debet inniti: si Christianus aliquis præ altero aliquam habere debet prærogativam, hæc una esse potest, si diligentius Leges Evangelii sequatur. Dives, qui JESU CHRISTI præcepta sequitur, paupere dignior est, non eo quod dives, sed eo quod JESU CHRISTO fidelis. Pauper, qui sanctificatur in egestate sua multo superior est divite oppositam Evangelio vitam vivente. Ut verbo me expediam, nihil in terris majus est, nomine Christiani. *Idem.*

Quid sit verus Christianus.

Christianus, ut adæquata illius definitio afferatur, homo est, qui baptizatus Evangelium assumit tamquam vitæ suæ normam, & JESUM CHRISTUM tamquam exemplum; qui jugiter adlaborat, ut fiat divini hujus prototypi vivens imago, & in seipso omnia illius exprimat lineamenta, ut quemadmodum Apostolus 2. ad Cor. 4. inquit, in seipso appareat vita JESU CHRISTI: *ut, & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris*: ita ut qui illum videt, aliquid JESU CHRISTI videre se putet, & Christianus hic dicere possit cum S. Paulo, se vivere vita JESU CHRISTI, vel potius JESUM CHRISTUM in ipso vivere. Hæc est veri Christiani imago. Hæccine tua est? Numquid te ipsum agnoscis ex hujusmodi lineamentis, & respondere potes, te esse Christianum? Scrutare cor tuum; ad examen revoca vitam tuam, & responde. *Pater Nepveu in libro qui inscribitur: Spiritus Christianismi.*

Ad quid prodest professio illa, qua in Baptismo JESU CHRISTI fidem, ac legem sumus amplexi, nisi ut redargueremur ex nobismetipsis, atque innotesceret, eam quæ in nobis religio videtur, hypocrisim esse, quippe divino cultui exteriores aliquot cæremonias impendentes præcipuas curas collocamus, ut mundo obtemperemus? ita est. Horum temporum fideles, saltem plerique, sunt, quemadmodum de ævi sui fidelibus S. Hieronymus affirmabat, tamquam monstrum ex oppositis atque contrariis constans; hoc est fide, & infidelitate, religione, & impietate, obedientia, & rebellione; fide quidem, religione, & obedientia in speciem, cæteris vero rebus in praxi. *P. Dozenne de Divinitate Jesu part. 3.*

Debemus mori mundo, ac per baptismû novam vitam vivere.

Quandoquidem in Baptismo recipimus spiritum vivificantem, ut nos animet, & sit Christianarum, & supernaturalium actionum nostrarum principium; nobis moriendum est principiis omnibus vitæ contrariæ, & oppositæ Vitæ Spiritus Sancti, hoc est mundo, & carni moriendum est. Quamobrem docet Sanctus Paulus opus esse, ut Christi fidelis in Baptismo veterem hominem crucifigat, ut quemadmodum Salvator pro nobis in Cruce Sanctam, atque innocuam vitam amisit, ita & nos pro eodem impiam, criminosamque vitam amittamus: *hoc scientes, quia vetus homo noster Crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* Ad Roman. 6. *Pater Texier sermone pro feria sexta post primam Quadragesimæ Dominicam.*

Fidelibus omnibus industriis viribus contendendum est, ut receptam in baptismo innocentiam tueantur: Illud vero deplorandum est, quod plerique id ne cogitant quidem. Docet experientia ipsos a divinæ regenerationis suæ puritate degenerare fere statim ac rationis usum attingunt, & quo majorem obtinent cognitionem, eo magis innocentiam, atque Christianam simplicitatem in ipsis decrescere, atque imminui; cum nequitia, & peccatum in singulos dies novas acquirant vires, & radices agant altiores. Undenam proficisci existimandum est quod pueri baptismalem innocentiam amittant, atque Deo infideles evadant fere statim ac seipsos cognoscunt? Profecto proficiscitur ex sæculi corruptione, & negligentia parentum; quorum cura juxta mandatum Dei gratia in parvulis conservari deberet, atque adolescere. Sed quemadmodum Parentes non semper pie vivunt, sed post sæculi corruptionem abeunt, neque curant, ut illi erudiantur; mirum non est, si propter pravum eorum exemplum Filii pravos habitus induant, ac sensim ferantur in vitia. *Desumptum ex homiliis moralibus homilia pro Dominica infra octavam Epiphaniæ.*

Cur corporis infirmitates & concupiscentiæ motus post baptismû permaneant.

Corporis infirmitates, ægritudines, dolores, concupiscentiæ motus nobis post baptismum non relinquuntur, nisi tamquam virtutis exercitatio, ut per eas majorem gloriam, ampliorem que in Cœlo remunerationem acquirere valeamus. Hac de causa Deus postquam Israelitas de Ægiptiorum servitute eripuerat, Pharaone, totoque exercitu illius in Erytræo mari submersis non statim illos in promissam, beatamque terram induxit, sed illos antea pluribus, variisque adversitatibus exercuit. Cumque deinceps illos

illos in terræ illius possessionem invexisset, expulit quidem plerasque gentes, quæ incolebant ibi; sed quasdam ibidem reliquit, quas Israelitæ superare non potuerunt, ut cum illis bellum gerentibus virium, animique exercendorum non deesset occasio. *Idem*.

Ex iis, qui hujus mundi dogmata sequuntur, hoc primum quæro, utrum, cum in Baptismo mundi pompis abrenuntiarunt, ea fuerit promissio, vel ut alii loquuntur, votum Chimericum, an per hanc promissionem, aut votum aliquam obligationem contraxerint? Quisnam primum asserere audebit? nonne impium esset velle, adeo solemnem promissionem, qualis est abrenuntiare pompis mundi in baptismo, ad nihilum redigi? ea verba nihil significare; & reipsa fidelem qui hoc promiserit, nihil præstare teneri; huc tamen redeundum est, si sæculi hujus inanes, insanæque prætensiones audiantur. Si eorum ornatus, vestes, supellectiles, ædes, servorum caterva, non sunt pompæ Mundi, ubinam ergo sunt illæ pompæ, quibus in baptismo abrenuntiastis? Quam aliter a veris Fidelibus hæc omnia vident illi, quibus infixa sunt mundi hujus præcepta! dicere nequeunt, ubinam sunt hujus mundi pompæ: & in quibus rebus consistant; at veri Christiani eas plurimis in locis inesse fatentur, & non ægre intelligunt quid se facturos promiserint, cum solenniter pompis abrenuntiaverunt. Quinam sanius judicium fert? *Lambert Homil. 55. in festum Sanctæ Trinitatis.*

Privilegia filiorum adoptivorum Dei per baptismum.

Si Filii Dei hoc habent commune cum JESU CHRISTO, qui est primogenitus omnium creaturarum, quod Deus illos, ut ita dicam, ab æterno concepit mera voluntate sua, ac sola sui amoris causa, huic nequaquam minus similes sunt propter spiritualem generationem, per eam conformitatem, quam cum ipso habent in ipsius incarnationis mysterio. Cum enim Omnipotens hic, & Sapientissimus Pater, eos omnes, quos adoptat in filios efficere velit conformes filio suo per virtutum ac sanctitatis ejusdem imitationem, vult, eos renasci spiritualiter quemadmodum fecit, ut temporaliter nascerentur. Nemo unus ignorat JESU CHRISTO duplicem esse nativitatem, æternam alteram in sinu Patris, & alteram temporalem in sinu Matris. Nos quoque duas nativitates habemus, alteram naturalem in Matrum sinu, supernaturalem alteram in sinu Ecclesiæ: quæ, ut Sanctus Augustinus ait, non generatio, vel nativitas simpliciter; sed regeneratio vocatur: generatio quippe nos efficit inimicos Dei, & dæmonis mancipia; sed regeneratio Christianos facit & Filios Dei. *Moralis Christiana in Pater lib. 1. sect. 1. artic. 1. 2.*

Ea, quæ in Baptismo sumus polliciti in censu Æternitatis descripta sunt, inquit S. Ephrem, & eadem illa repetentur ex nobis ipsa mortis nostræ die, nobisque novissimo in judicio exhibebuntur. Tum enim singulis exhibebitur sui baptismatis signum, ut liqueat, utrum fractum, atque violatum fuerit. Tum patebit, utrum servata fuerit integra fides; utrum candida prioris innocentiæ vestis polluta, discreptaque fuerit, utrum adimpleta ea, quæ generose coram tot Testibus promiseramus. In ipso baptismatis momento Angeli promissiones describunt, quas morituris repræsentant. Ita ob oculos nostros tota vitæ nostræ ratio versabitur; cogitationes, consilia, verba, actiones; & hæc singula conferentur tum promissionibus quæ a nobis editæ fuerunt; atque innotescet, utrum promissionibus responderit effectus, atque utrum fideles, an perfidi fuerimus. Hæc sane collatio terribilis erit fidelibus, quibus veri Christianismi Spiritus deest, & quorum vita Ethnicorum more sceleribus est coinquinata, *Idem, & Sanctus Ephrem libro de judicio novissimo. cap. 5.*

In Baptismo nosmet Deo obstringimus, ipse nobis.

Hac in re admirari debemus, quam magnifice erga nos Deus agat, & quousque liberalitas ejus progrediatur: nosmet illi tradimus, nosmet cultui ejusdem devovemus; sed nos miseros! hæc verba fortasse tenus: promittimus, perfecte ipsum amaturos, eidem reliquo vitæ nostræ spatio fideles futuros: ipse vero nobis adhibens fidem recipit promissiones nostras, atque ex ipso baptismatis nostri tempore remuneratur; quasi jam fidem præstitissemus, quamvis ille videat, plerosque hanc illi minime præstituros; & pro simplici promissione, quam, ubi primum aderit occasio, fractum, violatumque iri videt, ipse large, effuseque nos suis muneribus cumulat. Nobis enim gratias suas tanta cum profusione impertit, ut non liberalis vel magnificus solum, verum etiam prodigus sit, amoris sui, suorum thesaurorum, sui ipsius, nihilque omittat, ut Christianum efficiat, & ad incomparabilis magnitudinis gradum illum extollat. *Idem*.

Quomodo J. C. Sanguinis sui virtutem in baptismo communicet.

Baptismus a S. Paciano Barchinonensi Episcopo *Sacramentum Passionis* JESU CHRISTI *vocatur*: in hoc enim Sacramento gaudet JESUS omne pretiosi sui Sanguinis meritum, omnemque divinæ misericordiæ suæ abyssum in animas baptizatorum effundere; ita ut in hoc mari gratiæ immersæ restaurentur omnino, eamque perfectam recipiant innocentiam, quæ per candidam eam vestem exhibetur, quæ olim recens baptizatis post baptismum conferebatur. Hæc enim cæremonia per Sacerdotum ora illis significabat Ecclesia, vitæ suæ rationem ita esse instituendam, atque ita accurate actionibus, Sermonibusque suis invigilandum, ut diligentissime primam eam gratiam, per quam erant instaurati, & hanc baptismalem innocentiam, qua erant induti, puram, integramque tuerentur usque ad diem Domini, coram quo erant aliquando in Judicium prodituri. *Idem*.

Licet non omnes coram Deo æquales essemus, & propter infinitam ipsius magnitudinem, a qua penderemus æqualiter, & cui cultum, honoremque eumdem præstare tenemur, & propter nihilum nostrum in nobis indiscriminatim divisum; per baptismum tamen evaderemus æquales. In hoc Sacramento JESUM CHRISTUM quodammodo induimus, ut loquitur Apostolus: & hoc nostram similitudinem, nostrumque pretium constituit. Quid refert, nos vel nativitate, vel fortuna distingui; distantia, quæ inter nos hoc loco esse potest, non efficit, ut quoad Religionem alii ab aliis differamus. Singuli gerimus imaginem Filii Dei; hoc nos extollit, nos magnos efficit, hoc Dei oculos in nos convertit & singuli ex æquo sumus honoris hujus participes. Alia dignitatis insignia, quæ homines afficiunt, eosque in diverso dignitatum gradu constituunt, tanta non sunt ut coram Supremo creaturum quarumcumque rerum Domino nos inæquales efficiant. Homo baptizatus est: Hæc illius gloria est, ob hoc est ab aliis distinguendus. Cum ex informi, rudique lapide simulacrum aliquod elaboravit artifex; non lapis, sed simulacrum intuentium oculos allicit. Simul omnes in eadem corruptionis massa confusi, inde per characterem filiorum Dei tantummodo evadimus. Qui quidem character, nihil habet angustius in his, quam in aliis, sed omnes ejusdem magnitudinis lineamentis exæquat. *Liber cui titulus: Animadversiones in varia Religionis, & Moralis argumenta.*

Cum olim Jonas in utramque aurem stetteret sæviente procella, exterriti Nautæ voce e somno fuit excitatus, cui ille hæc ait: *cujus es tu? quæ est terra tua? quod opus, & quo vadis?* Jon. 1. Propheta huic interrogationi, quæ illud periculi tempus nequaquam decere videbatur, hoc tantum respondit: *Servus Dei sum ego, & Deum Cœli ego colo*, quasi diceret: institutum meum, vocatio mea, itineris mei finis ad hoc spectant, ut Deum Cœli colam. Liceat per vos mihi auditores, hoc ipsum ex vobis quærere, quod Nauta ex Propheta petiit: *cujas es tu?* unde nam origo tua? intelligo autem spiritualem originem; nonne cœlestis est, ex quo sacro baptismate ablutus fuisti? At illucne redire contendis? *quodnam est opus tuum?* ad id autem quid facias, quid niteris? Christianus es, servus es veri

Dei,

Dei, & illum colis: at colisne illum in Spiritu & veritate? *Sermo manuscriptus*.

Christiani dignitate, & vita & moribus mentimur. Fidelium plerique vita sua fidem, nomenque suum mentiuntur. Sæculi hujus præceptis imbuti, fidei dogmata impugnant; flagitiis immersi christianæ religionis sanctitatem dedecorant, & crudeli terrenarum rerum cupiditate inebriati charitatem extinguunt. Quemadmodum omnes iisdem Christianæ religionis officiis tenentur, ita nemini licet ne minimam quidem ex illis demere particulam: hæc vestis est inconsutilis, quam inimici Domini dividere non potuerunt; Sed quod Carnifices facere ausi non sunt in hac veste; Ecclesiæ filii ea temeritate feruntur, ut Mysticam vestem hanc velint atterere: licet enim cum Propheta dicere, veritates hodie imminutas esse inter homines; quolibet sibi licentiam vindicante, easdem dividendi juxta suos affectus, & scelera. *P. Massillon*.

Cum Mysteriorum fide, maximæ etiam virtutes, exque austerissimæ in omnes terras effusæ sunt; has Discipuli JESU CHRISTI in difficillimis itineribus secuti sunt: quæcumque pati pro veritate, hoc illis familiare fuit, atque usitatum; & Salvatorem suum imitaturi celerius ad tormenta cucurrerunt, quam cæteri ad delicias. Recenseri non potest divitum numerus, qui pauperes facti sunt, ut pauperibus auxiliarentur; neque pauperum, qui paupertatem suam divitiis prætulerunt, neque Virginum, quæ in terris Angelorum vitam imitatæ sunt, neque Pastorum, qui omnibus facti sunt omnia, parati, ut pro grege sibi credito non vigilias, laboresque solum, sed propriam etiam vitam impenderent. Ecclesia non minus diffluit exemplis, quam præceptis; & doctrinæ illius enituit Sanctitas, eo quod plurimos Sanctos produxit. Deus, qui novit maximas virtutes inter maximas tribulationes oriri, atque foveri, Ecclesiam suam per martyrium instituit, atque trecentos annos & ultra, ita exercuit, ut ne minimum quidem quietis spatium eidem relinqueret. *Bossuet Episcopus Meldensis Sermone in Universalem Historiam*.

Cum eam, qua peccato morimur, mortem, & qua per Baptismum nobis moriendum est, vita prorsus Sancta, atque Christiana sequi debeat, vulgo decipimur, quia veterem Vitam nostram, cui mortuos nos esse decet, pro vita nova accipimus, quam ingredi debueramus, ut vere cum JESU CHRISTO resurgeremus. Hic est vulgatissimus sæcularium omnium error, qui peccato se mortuos putant, statim ac ad pœnitentiæ Sacramentum accessere, quod ipsi alterius Baptismatis loco esse deberet. Cum vita, quam deinde ducunt, sit priori similis omnino, vel in speciem tantummodo, non re ipsa dissimilis; liquido patet, ipsos in speciem tantum peccato mortuos fuisse, vel mortem hanc nequaquam exceptam fuisse a vita frugi. Sancta, atque Christiana uti oportebat. *De Sancta Martha tom. 2. tractatuum Asceticorum*.

Baptismus nobis confert dignitatem filiorum Dei. *Videte*, ait Dilectus Domini Discipulus, *qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur, & simus*. Joann. 3. Etenim nonne satis, superque nobis contulisset, si permisisset solum, ut hoc nomine vocaremur? nonne plurimum deberemus eidem, si pati voluisset tantummodo non sine maximo miserationis exemplo, se Patrem appellari? Sed longius procedit ejusdem Charitas; non enim permittit solum, *ut filii nominemur*, sed vult etiam ut re ipsa simus: *nominemur*, & *simus*. Non vult solum, extrinsecus tantum hunc honorem nobis deferri; vult etiam nos intrinsecus omnem gloriam, omnemque percipere utilitatem. Nos ideo gloriamur, & præclara quidem gloriandi suppetit occasio: *gloriamur in spe filiorum Dei*, inquit S. Paulus ad Rom. 5. Quanam de re inquis, Apostole, nobis gloriandum? in spe filiorum Dei, Deus enim, quemadmodum ait S. Jacobus c. 1. ex mero voluntatis suæ motu & verbo suæ veritatis nos genuit: *ipse enim genuit nos verbo veritatis*. Ipse nos in admirabile lumen vocavit; ipse adoptionis suæ privilegio in nos fluere jussit emanationem quamdam filiationis Filii sui, *ut simus initium aliquod creaturæ ejus*. Apage ergo superba nomina, quæ semideis suis antiquitas tribuit; apage titulos magnificos, Victoris, Magni, quos illi sibi honori verterunt, apage honores distinctos, vel qualitates personales, quæ hominum existimationem, atque observantiam conciliant: hæc omnia licet magna, licet augusta, nihil sunt, ubi cum qualitate filiorum Dei conferantur: & homo licet pauper, atque contemptibilis sit, vel genere, vel munere coram Deo, ex quo Christianus est, longe major est, quam omnes Ethnicorum Reges, atque Imperatores, quia ut ait S. Cyrillus: *fastigium nobilitatis est inter filios Dei computari*. Sermo manuscriptus.

Nonne mirum est Christiani nomen, cum præ cæteris nominibus maximum sit, atque pulcherrimum, præ cæteris magis contemni: & qualitatem filiorum Dei, quam in Baptismo recepimus, cum præ cæteris sit maxima optanda, eam esse, cujus minima habetur cura? Quanto enim ardore alios titulos tueri contendimus? quo furore eorum jura non asserimus? nonne irascimur, ubi in dubium vocantur, & ob præminentiam irridendam quæ in dubio ponitur, nonne integræ familiæ passim intereunt? Sed quanta tranquillitas est in iis, quæ ad qualitatem filiorum Dei pertinent? hæc haud ægre iis relinquitur, qui eamdem sibi honori vertere gestiunt.

Quod locuples sis, quod generis nobilitate polleas, quod apud homines in honore habearis, quod ad summam aliquam dignitatem evectus fueris, de hoc gloriaris, hoc tuis titulis prætefers; sed Christianismi gratia, divina adoptio, qualitas filiorum Dei contemnitur, vel saltem minimum curatur, ut hæc privilegia enitescant, atque tuo munere perfungaris. *Idem*.

Fidelis per Baptismum fit Membrum JESU CHRISTI. Si Fidelem considero, quatenus ad JESUM CHRISTUM refertur, invenio, ipsum fieri membrum ejusdem, atque in ipsum tantum gloriæ, & magnitudinis influxum depluere, ut cæteris, quibuscumque rebus antecellat. Verum enim vero ad veritatis hujus vim intelligendam, cujus testis est Sanctus Paulus, sciendum est JESU CHRISTO duplex esse corpus; alterum naturale, quod in Sanctissimæ Parentis Utero accepit; alterum mysticum, quod sibi adscivit, & cujus re ipsa caput esse voluit. Itaque cum per Baptismum ingrediamur in Ecclesiam, quæ corpus est mysticum Filii Dei, ut simus pars ejusdem; cumque JESUS CHRISTUS, qui per mortem suam hanc genuit Ecclesiam, caput illius esse voluerit; nonne inferendum est, cum Christianus pars sit totius hujus corporis, nos illustri huic capiti adhærere, & quemlibet singillatim esse membrum illius? *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro*, inquit Apostolus: 1. ad Cor. 12. vos omnes illi adhæretis, & hæc unio, quam habetis cum illo, & quæ tantæ gloriæ vobis cedit, perfectissima est, atque intima. Hic effectus est orationis, quam Dei Filius Patri suo paulo antequam moreretur effudit: quæso, ut qui in me credituri sunt, sint in me, & ego in illis, quemadmodum tu es in me, & ego in te per eam unionem, quæ nos invicem, & æternum conjungit. *Idem*.

Altiusne ascendere possumus? cumque Deus nos suo filio conjunxerit tamquam membra capiti suo, ut cum illo nos unum, & idem efficeret, poteratne majorem nobis honorem conferre? Nihilominus quantumvis magna sit hæc gloria, quæ nobis cedit ex hoc fœdere, quod per Baptismum cum JESU CHRISTO contraximus, quænam inde nobis utilitas esse potest, nisi bonis operibus honorem hunc sustineamus? Christiani vocamur, cumque speciosum hoc nobis nomen defertur, ideo deferri significatur, ut nosmet JESU CHRISTO tradamus, & illius membra evadamus. Nos ipsi gloriamur, atque hanc qualitatem respicimus tamquam fundamentum gratiarum omnium, quas ab infinita illius misericordia recipimus; ad illum spectamus, in illius persona Divinitatem quamdam induimus, & nihilominus negligimus ea præstare, quæ tenemur; officiorum nostrorum obliviscimur, & inani spe hoc tantum nomine nos salvos futuros speramus. Undenam nosmetipsos ita decipimus,

mus, & aliis imponimus? Si quis familiam nostram ingrediatur, nobisque consanguinitatis vinculis adhæreat, illum pati non possumus, si per nequitiam suam nobis dedecus inferat; putabimus vero JESUM CHRISTUM hoc illustre caput, cujus membra sumus, minus affici injuriis, quas recipit a nobis, & quas inde excusare contendimus, quod ad illum pertinemus? O nos cœcos, qui non videamus hac ipsa de causa fieri nocentiores, atque ita in caput nostrum æternam reprobationem convertere; &, ut verbo me expediam, discrimen illud quod inter nostras actiones nostrasque dignitates, inter nostrum vivendi genus, nostrosque titulos intercedit, nos improbiores efficere, eo quod majori Deum afficimus contumelia. *Alius Sermo manuscriptus.*

Nescitis, quia corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi faciam membra Meretricis? Hoc olim ad Corinthios S. Paulus scribebat, quod ipsum ferme dicere possumus de Christiano, cujus vivendi ratio nequaquam respondet sanctitati religionis illius, quam est per Baptismum amplexus. *Nescitis quia membra vestra, membra sunt Christi?* 1. *ad Corinth.* 6. Ea ne polluetis? Ea ne dedecore afficietis? atque vosmetipsos JESU CHRISTO auferetis per impuram, criminosamque vitam, ut vosmet voluptatibus devoveatis? Quænam contumelia, o Salvator amabilis, & tibi cederet, & nobis? Quænam horribilis esset confusio, si tanta hæc inter caput, & membra deformitas inveniretur? Egone imposterum gloriabor ob Christiani nomen, cum vitæ tuæ norma vitæ meæ corruptioni nequaquam responderit, cum non intellexero illius status dignitatem, ad quem me provehere dignatus es collatum cum ea miseria, iisque sordibus, quibus me flagitia mea cooperuerunt? *Idem.*

Hoc aliud principium est novam Christiano conferens magnitudinem, scilicet quod non sumus tantum JESU CHRISTI membra, verum etiam sumus Templa Spiritus Sancti. Neque putetis, me de animabus nostris tantummodo loqui; quis enim ambigit quominus Deo per Baptismum reconciliatæ sint Templum & Sanctuarium Spiritus Sancti? De ipso etiam Christiano corpore loquor, & nonnisi post Apostolum Paulum hanc veritatem annuntio.

Per Baptismum sumus templa Spiritus Sancti.

Illum loquentem audiamus: *nescitis, quia membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est?* & eo ipso momento, quo Baptismi gratiam recipimus, quæ quidem est veluti forma nos Christianos efficiens, Spiritum Sanctum, qui olim permanere non poterat in homine, quia caro erat, statim invisibiliter descendere intra nos, ut ibi inhabitet, simulac Templum hoc illi fuerit dedicatum per solemnem nostri Baptismatis ritum? Hac de causa Sacramentum illud vocatur regeneratio, restauratio, creatio, justificatio: & hac ipsa ratione S. Augustinus ait, nos Christianos fieri per eumdem Spiritum, qui B. Virginem Sanctificavit, illam Dei parentem efficiens, & quemadmodum admirabilis hæc creatura Deum tulit sinu suo per Spiritus Sancti operationem; nobis quoque illum ferendum esse in corporibus nostris, quæ Spiritus Sanctus residens in nobis sibi pro Templis elegit. *Idem.*

Non sine causa Magnus Apostolus ad fideles loquens exclamat: attendite ad vocationem vestram, vel vocationem vestram considerate: hæc enim numquam satis considerari potest. Verum quidem est vocationis hujus dignitatem ab illis non agnosci, qui carneis oculis intuentur omnia; fidelium vita abdita est cum JESU CHRISTO in Deo; abdita quidem mundo est, extrinsecus enim humilis est, exilis, abjecta; abdita vero est cum JESU CHRISTO, quemadmodum abdita fuit vita illius; & *Mundus eum non cognovit*. Ideo primis illis Ecclesiæ temporibus Christiani tamquam novissimi habebantur ex plebe, sine spiritu, sine prudentia, & qui commentitia quærentes bona (ita enim loquebantur infideles) ultro omnibus vitæ commodis carebant, & omnia malorum genera patiebantur. Attamen si Opifices omnes artis suæ præcepta edifcunt, atque omnes Discipuli traditam sibi ab Institutoribus suis scientiam percipiunt, multo magis Christianus statum suum cognoscere; & quid in statu suo sibi faciendum sit, debet intelligere. *Liber cui titulus Christianus incognitus.*

Fideles vitam ducere debent vitæ J. C. cujus nomen gerit, conformem.

JESU CHRISTI cognitio, disertissimus Salvianus lib. 3. de Guberno. Dei ait, sterilis esse non debet; sed effectivum amorem parere, ita ut nomen Christiani, nisi ea adimpleantur, quæ significat, nihil omnino sit. Tenemur ergo, idque summa cum obligatione, vitam ducere JESU CHRISTI præceptis conformem; ideoque cum populi omnes ea admirarentur miracula, quæ ipse operabatur, dicebat Discipulis suis: Luc. 9. *Ponite vos in cordibus vestris Sermones istos.* Verba hæc veris dicuntur fidelibus, qui in Ecclesia primitiva Sancti appellabantur. Veros fideles dico; non desunt enim fideles, qui ita vitam instituunt, ac si omni Dei, & JESU CHRISTI cognitione carerent. Ita loquitur Apostolicus ille Pater, & hoc ipsum hodierna die plerisque fidelibus dicere possumus; populo huic, qui vidit lucem magnam, quæ a S. Petro ep. 2. c. 1. lumen admirabile appellatur: huic populo fidei luminibus illustrato, atque imbuto præceptis JESU CHRISTI, qui se illius magistrum efficere dignatus est. Attamen fideles hujusmodi, si de eorum fide ex ipsorum actionibus judicium ferendum est, in tenebris, & umbra mortis sedent. Sin autem mihi dixerit aliquis, nullum unquam Sæculum extitisse, hoc nostro magis illustratum; Dei verbum numquam vulgatius fuisse, atque familiarius; næ querendum nobis est, quod Christiani sterili sint cognitione contenti. *Idem.*

Post ea, quæ mitissimo, & misericordi Deo nobis revelare placuit, inexcusabiles sumus, nisi Christianas veritates cognoscimus. Sed quam terribile judicium Dei expectandum est, si illis ignotatis vocationis gratia propter voluntarias mentis nostræ tenebras in nobis jacuerit inutilis? Væ nobis, qui pleno meridie gratiæ, & cum exortus justitiæ sol nos undequaque suis radiis circumdat, adhuc in tenebris mortis incedimus! opusne est, ut per voluntariam cœcitatem nostram speciosissimæ Dei gratiæ justa fiant majoris condemnationis nostræ argumenta? opusne est ut fidelis in statu prorsus Divino educatus sese per peccatum ita demittat, ut brutis similis fiat? opusne, ut filii Dei dignitate auctus, & JESU CHRISTI membrum effectus particeps naturæ Divinæ ad immarcescibilem coronam vocatus, seipsum tot gratiis, ac favoribus privet, vitam ducens ab instituto, ac dignitate sua adeo deformem? *Idem.*

In Mundo In eo verti Christiana Religio censetur, ne quis decidat in turpia flagitia, quæ honesti hominis auferunt existimationem; qualia sunt impudicitiæ, ebrietates, injustitiæ, aliaque id genus scelera, satis se fecisse ratus, si externas aliquot consuetudines servavit, si Sacris Misteriis adstiterit, si Dei verbum aliquando audierit, ac demum, si quibusdam exterioribus religionis officiis perfunctus fuerit. Omnia hæc optima quidem sunt, & præstantissima, tantumque abest quod illa improbare velim, ut vellem immo, ea fidelibus omnibus persuadere: Sed Christianismi gratia ab iis rebus non pendet. Undenam ergo pendet? fortasse quæritis. Hoc docet S. Paulus Apostolus baptismi naturam explicans, atque Mysterium, ubi ait, nos cum JESU CHRISTO per baptismum consepultos fuisse in mortem; ut quemadmodum ille resurrexit, nos quoque vitam ingrediamur novam, quoniam certum est, si nos in illo insiti sumus per eam similitudinem, quam cum morte illius habuimus, in illius quoque resurrectione similes eidem futuros. Veritates hujusmodi ad omnes Christianos pertinent, quandoquidem Apostolus eas applicat omnibus qui lustralibus undis fuerunt abluti. Quicumque igitur Baptizati fuerunt, mortui peccato sunt, cum enim in morte illius Baptizati fuerint, consepulti fuerunt cum illo, & in illo, insiti; evadimus ergo unum corpus cum illo, non secus ac germen, unum, & idem fit cum arbore, cui insitum est. Hæc est nostræ vocationis gratia, quam nos idem Spiritus Sanctus edocuit per Apostolum locutus.

tus. Sed raro fideles inveneris; qui vocationis hujus dignitatem, atque officia cognoscant, & qui se tamquam unum, & idem cum JESU CHRISTO putent; inde enim sequitur, ipsis ita vivendum esse, ut ille vixit 1.Petr. 1. ita in omni vita sanctos esse debere, ut sanctus est ille, qui eos evocabit. 1. Joann. 3. sibique vitam vivendam esse prorsus aliam, & ea quærenda, quæ sursum sunt, non quæ super terram. *Ad Coloss.* 3. *Idem.*

Christianæ religionis officia perfunctorie adimplentur.

Qui religionis alicujus status amplectuntur illius regulas, atque constitutiones ediscunt, & illi, qui artem, vel disciplinam aliquam aggrediuntur, illius præcepta se callere gloriantur, nos vero nostri Baptismatis statuta, & Christianæ religionis præcepta negligimus. Ea quæ a nobis fiunt plerumque per usum, atque habitum fiunt, & perraro interiori spiritu, & ea ratione, quæ vocationem nostram deceat, fiunt; ita vivitur, ita vita transigitur. Attamen Sancti Patres id genus Christianos vocarunt Christianos fictos, vel personatos: dixerunt, eos qui Christianæ religioni conformes non erant, veros Christianos non esse; nomen Christiani sine re, quam significat, esse nomen inutile. Deus enim infinito lumine suo nequaquam judicat secundum speciem: *nolite errare*, inquit Apostolus ad Galat. 6. *Deus non irridetur*: Ita loquitur, ut bonorum operum necessitatem mentibus imprimat. Ubi terribile mortis momentum advenerit, persona auferetur, & fideles, qui Ethnicorum more flagitiose vixerint, cum ipsis æternis ignibus adjudicabuntur. Nemo est JESU CHRISTI, idem Apostolus ait, nisi habuerit Spiritum JESU CHRISTI: alioquin non esset insitus in eodem, neque verus Christianus esset, nisi munera sua adimpleret, vel si perfunctorie tantum, ac sine interiori spiritu illa adimpleret. *Idem liber, cui titulus, Christianus incognitus.*

Tertul. Apol. 46.

Christiani sunt servi, & filii Dei.

Si vere Dei magnitudinem cognosceremus, statim intelligeremus quæcumque, licet minima, ad ipsum pertinent, omnibus terræ hujus dignitatibus esse anteferenda: si enim maximorum Regum Ministri de sua gloriantur servitute, nihil præstantius, vel sublimius sperare possumus, quam Dei servos esse. Hoc utriusque legis Sancti Viri tantopere excupiverunt; & Apostolus Paulus in hoc gloriatur, quod seipsum JESU CHRISTI Servum appellat, idque sæpe repetit in Epistolis. Veruntamen Deus longe præstantiorem nobis conferre voluit dignitatem, nos ad filiorum suorum qualitatem extollens; & profecto per Baptismum evadimus filii Dei. Ita loquitur Apostol. ad Galat. 4. *ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum factum ex Muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*. Hæc autem adoptio humanis toto Cœlo præstat; humana quippe, neque meritum, neque adoptionis Spiritum in illum transmittere potest, qui adoptatur, ut sit principium vitæ illius, ejusque exemplum, ac norma, quod adoptione divina perficitur. Hac de causa subdit Apostolus: *quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: ABBA Pater*, per quem nobis libertatem permittit, illum hoc nomine benevolentiæ refertissimo nuncupandi. Post hæc concludit Apostolus; non esse nos amplius servos, sed filios Dei. Quinam honor? quæ gloria, Deum habere Patrem! quæ dignitas, eumdem cum JESU CHRISTO Patrem habere! *Idem.*

Videte, S. Joannes exclamat, *videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur, & simus!* Sed hoc donum Dei non respicit solum Christianos aliquot, quemadmodum Spiritus Sancti munera efficiunt; donum hoc paternæ erga nos charitatis, propter quod filii Dei nominamur, & sumus, fidelibus omnibus sine ulla exceptione commune est. Hoc ipsum docet Apostolus ad Galatas scribens his verbis: *omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in CHRISTO JESU*. Qui fecit omnia, addit idem S. Joannes, *dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus*. O certissimam veritatem, quam veritas ipsa testatur; sed veritatem parum notam, vel qua Christiani uti satis non norunt? Quis enim novit, quanta hæc sit dignitas Dei filium esse? quis æstimare novit honorem hunc tanti, quanti meretur? gloriamur in Mundo eo quod nobiliori ex genere Sanguinem duximus, quod vero ex Deo nati simus, nullo in discrimine habemus! non reminiscimur, Deum nobis esse Patrem, & nos vere esse filios illius! *Idem.*

De irrevocabilibus obligationibus, quas in baptismo contrahimus.

Fidelium plerique, se minime teneri putant, fidem eorum præstare, quæ in Baptismo Deo polliciti sunt, sibique licere arbitrantur ea quæ placent, amplecti; ea vero abjicere, quæ minime placent. Sed promissiones nostræ sunt universales, atque indissolubiles: neque ullum umquam jusjurandum, ulla promissio, vel magis solemnis fuit, vel magis irrevocabilis, neque ulla vel in terris, vel in Cœlis potestas est, qua solvi, hac necessitate possimus. Mene igitur religionis meæ transfugam esse, & voluntarium officiorum Baptismatis mei prævaricatorem? Quemadmodum vulgo in humanis de sontibus judicium fertur juxta leges regionis illius, ubi deliquerunt, ita nos quoque judicabimur juxta illius religionis, quam amplexi sumus, leges, atque præcepta. *Joly* 2. *tomo Propositionum suarum.*

De Baptismi præstantia.

Loquens Apostolus ad Titum 3. de Baptismate, illud respicit tamquam regenerationis nostræ Sacramentum, divini Spiritus in nos effusionem, divinæque vitæ communicationem quamdam, & participationem. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos*, salvi facti sumus, sed ex mera Dei misericordia, qua nos per lustrales aquas Baptismi, & per renovationem Spiritus Sancti, quem per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum affluenter effudit in nos, regeneravit. Idem Apostolus ut Corinthiis, qui Baptizati fuerant, magnitudinem ostenderet gratiæ qua fuerant cumulati, atque ut præscriberet vitam ab ipsis ducendam, ajebat illis: hactenus fuistis Idololatræ, adulteri, raptores: *& hæc quidem fuistis*: 1. ad Cor. 6. ego vero tantummodo immutans ordinem hujus propositionis Sancti Pauli Apostoli, dicere possum: vos olim justificati fuistis: *& hæc fuistis*: Sed erubescite, fidelium plerisque dicere possum, erubescite, & vitæ vestræ, morumque vestrorum vos pudeat: estis enim, fortasse Avari, intemperantes Obtrectatores, blasphemi. *Idem.*

Aut muta nomen, aut muta mores, ajebat antiquus ille inerti militi illustre nomen jactanti. Vel nomen, vel vitæ genus immuta; vel non amplius Christiani nomen præteferas, vel vitam vivas eo titulo, quem prætefers, satis dignam. Etenim donec Evangelium tibi in ore tantum versabitur, & vita tua doctrinæ huic non respondebit, nequicquam Salvatoris Discipulus appellaberis: ipse non erit nec Magister, nec Pater, neque exemplar tuum. *Desumptum ex moralibus Sermonibus.*

Frui cupimus honore, qui Christiano nomini adhæret, quin pretium illius cognoscamus; Sublimem hanc nobis gloriam vindicamus, quin ea quæramus, quæ ad eam promerendam requiruntur, & Christianos esse gloriamur, quin sciamus, quo Spiritu Christianos esse oporteat. Ita jacturam patimur eorum bonorum, quæ secum adfert hæc adeo sublimis dignitas, quia negligimus ea discere, quæ propter eamdem efficere tenemur. Ut huic malo occurratur, optandum est, discat fidelis suæ conditionis nobilitatem, atque officiorum suorum Sanctitatem. *Pater Rapin libro de perfectione religionis Christianæ.*

Pondus, & obligationes Baptismi.

Obligationes, quas in Baptismo contraximus, *pondus Baptismi* a Tertulliano vocantur. Fateor equidem Tertulliani mentem eo in sensu, in quo hæc verba usurpat, non esse Ecclesiæ sensui conformem: contendit enim iisdem ostendere multas graves, difficilesque obligationes, quas Baptismus imponit ut illius difficultatibus perterriti nonnisi morti proximi lustralibus ejusdem aquis abluamur: *Si illi Baptismi pondus cognoscerent, fortasse consecutionem potius timerent, quam dilationem!* Fateor inquam, Sententiam hanc Orthodoxam non esse; probat enim abusum, qui tunc temporis erat frequentissimus: aliunde

tamen

tamen fateor, Baptismum jure ab ipso pondus vocari: non eo quod sit ferendo difficile; nam Dei Filius jugum suum leve esse testatur: sed eo quod arcta est illius obligatio, & nos aliquando pondere suo obruet, &, quod Deus avertat, si ex reproborum numero fuerimus, hæc maxima nobis erit confusio, & ignominia. *Pater Bourdalove in Sermone quodam ex iis, qui ipsius nomine circumferuntur.*

Audire mihi videor, Salvatorem de Cruce tot improbis fidelibus, qui nomen ipsius gestant, illudque temere in suis sceleribus usurpant, clamantem: O miseri, ne polluatis nomen illud, quod ego tanta cum gloria gessi; relinquite, relinquite hoc nomen, potiusquam turpiter in vobis coinquinetur. Hoc nomine Infernum omnem delevi; vos autem ne unam tantum animi ægritudinem superare potestis: hoc nomine Dæmones contrivi, eorumque fregi impotentiam; vos autem, neque minimis vestræ salutis hostibus resistere audetis: hoc nomine creaturas quascumque subjeci; vos autem vim illius atteritis ira, ut me flagitiis vestris servire faciatis: *Servire me fecistis iniquitatibus vestris. Fromentieres Sermone de Circumcisione.*

Christianus reprobus in Dei judicio nullam afferre poterit excusationem. Fateor equidem, licet calamitosus Christi fidelis, fateor me fontem esse, atque divinam misericordiam a me indignissime lacessitam nullam mihi reliquisse viam, qua me possem justificare. Ethnici, qui Deum non noverunt; Judæi, qui illum reliquerunt; Tot barbari populi, qui nomen illius numquam audiverunt, aliquam fortasse afferre possent excusationem, quod Vita sua sancta non fuerit: sed ego qui in majori Christianæ religionis luce natus sum; ego qui regeneratus sum in aquis baptismatis; & Dei mei Sanguine ablutus; ego pro quo ille factus est Homo; pro quo ploravit, ac preces effudit; ego pro quo atrocissima subiit supplicia, mortemque crudelissimam; ego pro quo Sacramenta totidem veluti gratiarum, ac benedictionum fontes instituit, pro quo corpus suum tamquam cœleste ferculum, & verbum suum tamquam legem, & normam reliquit, nullam sane rationis speciem nancisci possem, quam sceleribus meis prætexerem. Ignorantia me excusare non potest, satis enim, superque noveram, quid mihi faciendum esset. Neque per impotentiam, aut infirmitatem peccavi, cum multo plures gratias obtinuerim, quam quæ satis essent, ut tentationibus adversarer. Poteram, ubi necessitas adesset, ad Ecclesiæ remedia confugere, poteram in precibus invenire vires, poteram me Sanctorum, aliorumque piorum hominum Exemplis excitare. Sed quin ex his omnibus rebus fructum perciperem, quin tot considerationes adeo justæ, & rationabiles me coercerent, ignavissime animam meam Dæmoni tradidi. Adnisus sum ipsum fidei lumen extinguere, ut liberius peccarem; beatæ immortalitatis spem abdicavi, ut vitæ hujus voluptate perfruerer. *Sermo manuscriptus.*

Peccator non solum quatenus homo, verum etiam quatenus Christianus in seipsum sententiam feret, cum animæ suæ statum detegens ibi duo inveniet inter se prorsus opposita, fidem videlicet Sanctissimam, vitam vero criminosissimam. Hoccine illud est quod credidi, hoccine quod feci? Christianus ego ne eram? an non eram? si ex cognitionibus meis judicium ferendum est, eram quidem; si vita a me instituta consulenda est, non eram profecto, sed me miserum! quid dico? eram sane; titulus enim peccatoris, cum non delevit characterem, quem in Baptismo receperam; neque reprobi qualitas efficit, ut eodem exuerer; illum gessi, & adhuc gero, sed ut majori pudore suffundar. Christianus eram; sed ideo eram, ut Evangelium proderem, ut fidem, quam profitebar, dedecorarem, ut Ecclesiæ sinum in quo efformatus fueram discerperem, ut Sacramenta, vel sacrilego abusu polluerem, vel adfectata pietate deserem. Eram, ut Sapientis politicæ ratione quadam viverem; eram & adhuc sum; hoc est simul sum, & fidelis, & Dei inimicus; & Christianus, & Christianæ legis perfractor; & Christianus, & vas iræ, atque abominationis. Hiccine erat fructus adeo sancto, adeoque augusto nomine expectandus. *Pater Girouft Sermone de extremo Judicio.*

Christiani privilegia. Admirabilia sunt Christiani hominis privilegia, quippe Dei ipsius domesticus est, in amicorum ipsius numero adscriptus, immo feliciter Dei Filius effectus, Regni æterni particeps; innutritus, ut cum JESU CHRISTO, cujus membrum est, unum & idem mysticum corpus efficiat, atque per hanc unionem divinitus cum adorabilibus Sanctissimæ Trinitatis Personis conjunctus, & naturæ divinæ ipsius particeps factus. Christianus Patrem habet Deum, atque magis certum est, Deum nostrum esse Patrem, nosque illius esse Filios, quam verum sit, naturalem parentem, a quo geniti sumus, Patrem esse nostrum, & nos Filios ipsius. Dei Filius fratres suos nos vocavit, Pater æternus nobis suum Spiritum Sanctum tribuit: Angeli, sublimes illi Spiritus, Cœlestes Principes nobis famulantur. Vita Christiani est vita supernaturalis, & vitæ JESU CHRISTI continuatio. Hæc ea sunt, quæ Dominus in nomine Christiano operatur; aliquidne fingi potest gloriosius? hac de causa Apostolus Christianismi gratiam vocat mysterium præteritis sæculis atque generationibus absconditum, & hac ipsa de causa hæc gratia incomprehensibiles JESU CHRISTI *divitiæ* nuncupatur. *Liber cui titulus Christianus incognitus.*

Omnia nomina, quæ in Evangelio Christifideli tribuuntur, satis ostendunt, ipsi in perenni sensuum suorum mortificatione vitam esse ducendam. Modo enim crucifixus vocatur, modo mortuus, modo viator! quocumque in sensu consideretur, seu crucifixi, seu mortui, seu viatoris, semper Christianæ mortificationis necessitas innotescit. Crucifixus de terra sublatus est; oculos habet, sed nihil eorum videt, quæ aliorum aciem perstringunt; manus habet, sed immobiles, cor, sed insensibile. Mortuus, hominis tantum speciem habet, non Spiritum, non cor; exteriora, non interiora. O admirabilem Christiani Viri figuram! supra terram elatus est; sensus illius insensibiles fiunt; nulla re afficitur, nulla movetur, exteriorem quidem Adæ speciem præsefert, interiora vero sunt JESU CHRISTI. Denique viator, qui longum, difficile, & periculosum iter festinanter ingreditur, nuspiam moratur, ut suis sensibus satisfaciat; nullibi cum voluptate quiescit, & in id unum intentus est, ut ea evitet pericula, quæ in præcipiti stadio frequenter occurrunt. *Specimen Sermonum pro Quadragesima. Sermo pro Dominica prima.*

Obligationes, quas per Baptismum subimus. Statim ac augustum hunc Baptismi characterem induimus, nobis præcipit JESUS CHRISTUS, ut legi suæ studeamus, eique omnes actiones nostras conformemus. Neque solum Dei Filius ea docet, quæ petit ex nobis, sed nos ipsi solemnes promissiones proferimus, quæ si bene intelligantur, præcipua Christianæ religionis dogmata complectuntur. Recordemur baptismatis nostri: plures ad id impellunt nos causæ. Hoc ob gratitudinem debemus; ibi enim pretiosam gratiam recepimus, cujus oblivisci non possumus citra ingrati animi vitium. Nostri baptismatis tempus finis est nostræ calamitatis, & servitutis. Præsertim vero baptismum recogitare debemus, ut cordibus nostris altius imprimantur potissima Religionis nostræ dogmata, quæ nos promisimus secuturos. *Lambert in anno Evangelico Homilia 75.*

Christiani omnes quodam in sensu æquales sunt. Inter nos Apostolus inquit, unus Spiritus est, una spes, unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Illud de quo gloriari debemus, æque in fidelibus omnibus invenitur. Si quod discrimen, vel aliqua distinctio habenda est; hæc ipsius Religionis principiis debet inniti. Si Christianus aliquam præ alio habere debet prærogativam, hæc una esse potest, quod nempe diligentius Evangelicas leges observat. Dives, qui JESU CHRISTI sequitur præcepta, præstat pauperi, non quod dives est, sed quod est JESU CHRISTO fidelis; Pauper, qui se in suo statu sanctificat, toto Cœlo superat divitem, qui suis abutitur opibus, atque vitam ducit Evangelicis præceptis abnormem.

Verbo;

Verbo; in terris nihil majus est nomine Christiani, & terrena quæcumque cum hoc sancto nomine collata nullius sunt pretii, ac nullo in honore habenda. O sæculi Potentes! tunc magni eritis eum temporalia hæc bona vestra contemneritis, ut in vobis Christiani qualitatem dumtaxat in pretio habeatis. Pauperes terræ consolamini! pares estis divitibus, atque potentibus sæculi ea in re, quæ in ipsis est pretiosissima. Quod vobis deest, nihilum est; contulit vobis Deus, quidquid magnum est in mundo, & quidquid Christianum beatum efficere potest. *Idem.*

Quinam sit Spiritus Christiani, Jesu Christi & Christianismi.

Spiritus JESU CHRISTI semper est idem, & Christianismi gratia semper eadem; verum hæc gratia, quid in nobis operari potest, nisi quod ipsa in suo fonte est? optimum quidem, sanctumque est frequentius refici Sacramentis, recitare preces, divinis interesse officiis, & egenis ferre opem: verum licet hæc omnia fiant, nisi tibimetipsi abrenuntiaveris, si terrena adhuc amaveris, adhuc longe a Dei Regno distas. Harum rerum contemptus, S. Bernardus inquit, præcipuus est Christiani character, præcipuum Christianæ vitæ fundamentum, adeoque necessarium (idem ait); & nobis prodesset potius numquam extitisse, quam hærere sæculo, & sæculi desidesideriis, quæ nos separant a Deo, quod maximum est, quod homini Christiano malum possit accidere. *Auctor Anonymus.*

Jubet Apostolus modestiam nostram omnibus hominibus, omnibus in locis, & coram personarum omnium generibus esse notam, cupitque, ut verba, gestus, agendi rationes, habitusque nostri id, quod sumus ostendant, atque nosmet distinguant ab Infidelibus, quorum sermo, ratio, mores, indumenta, vanitatem præseferunt. Sed proh superi! quam latus hic conquerendi pateret campus, cum adeo parum in JESUM CHRISTUM agnoscamus! quam partem habet ille in conversationibus, in cœtibus, in consiliis, in actionibus, & in omni nostra vivendi ratione? Quæ unquam nota ab Ethnicis, atque Infidelibus nos distinguere potest? adsectamus vitam, mores, ornatus, consuetudines illis simillimas, & quantumvis doceat JESUS CHRISTUS non esse nos de hoc mundo, quocumque tamen pretio de mundo eodem cupimus esse. *Liber, qui inscribitur, Christianus incognitus.*

Christiani dignitas quam parvo in pretio habeatur.

Sæpe cum S. Leone Papa exclamare cogor, o Christiane, agnosce dignitatem tuam. Hoc sæpe repetere tenemur: fidelium plerique nesciunt, quid sibi velit, Christianum esse. Consideremus ea, quæ inter homines fiunt; generatim in omnibus populis maximam intuebimur curam ad eam tuendam dignitatem, quam ex generis sui nobilitate perceperunt; in hoc honoris apicem statuunt; in hoc gloriantur; lites aguntur, certamina ineuntur, nihilque intentatum relinquitur, ut huic honori consulatur: nos vero quanti facimus præclarissimam Christiani dignitatem; nos, qui, ut 1. Petr. c. 2. verbis utar, sumus genus electum, gens Sancta, populus acquisitionis; nos qui Reges sumus, Regnum quorum longe excedit imperium maximorum hujus mundi Regum, quorum gloria cum vita ipsa deperit, cum Christianorum Regnum nullum sit unquam finem habiturum? O magnam fidelium insensibilitatem, qui præclatis, & gloriosis qualitatibus hisce, quas idem Spiritus Sanctus commendat, nihil magis moventur, quam si inania essent commenta, aniles fabulæ. Quid unquam fit, ut dignitatem nostram tueamur, & ne turpiter degeneremus a nostræ conditionis nobilitate? quam facile esset mundi hujus honorem contemnere, si veram Christianæ nobilitatis gloriam intelligeremus! In hac nobilitate gloriari debet Christianus, quoniam gloriæ hujus mundi particeps esse debet, cum ob Christiani qualitatem toto Cœlo super illam efferatur. *Idem.*

Verene dicere possum, me esse JESU CHRISTI discipulum? Divinus ille Magister me talem agnoscet? ullumne mundo jus est pro suo me vindicandi? quinam sensus mei sunt de honorum contemptu, de voluptatum vanitate, de bonorum creatorum fragilitate, de affectu cum victoria, de omnibus Evangelii præceptis? nostro nomine fuit abrenunciatum omnibus mundi vanitatibus, atque institutis cum baptizaremur; numquid solemnem, sacrumque contractum hunc confirmavimus? nostrane vivendi ratio fidem nostram mentitur? mores nostri susceptam Religionem commendant? Christiani sumus: igitur JESUS CHRISTUS noster est Legislator, nostrum Caput, Dux noster: quorsum ergo tot considerationes requiruntur, ut ad eum sequendum impellamur? quorsum illum semper non sine vi, saltem cum negligentia sectamur? *Pater Croiset tom. 2. de ses Retraites.*

Illi, qui mundo inhærent, nisi omnes industriæ suæ nervos contendant, ut cor suum a terrenis rebus divellant, Baptismo abrenunciant. Nequaquam interdictum est illis in mundo vivere; sed eumdem amare non possunt, nisi quamdam perjurii speciem committant. Ad Christianam Religionem vocatio in hoc posita est, S. Augustinus ait, quod vel effectu, vel saltem affectu ab hoc sæculo recedamus: quamobrem Tertullianus fidelibus dicebat, ubicumque sitis, sive in urbibus, sive in desertis, amplius in Mundo non estis: *nihil refert, ubi sitis; extra sæculum estis.* Quod si verum est, eos etiam, qui in sæculo versantur, efficere debere, ut in animabus suis sæculum moriatur, quis audebit dicere, homines Deo devotos, & qui propter statum suum magis, quam cæteri a Mundo abhorrere debent, ad eum relinquendum minime teneri? *Pater de la Colombiere Sermone pro Sanctæ Monialis cujusdam Vestitione.*

Christianus est veluti germen insitum cruci J. C.

Fidelis in aquis baptismatis regeneratus est quodammodo plantatus in morte JESU CHRISTI, & insitus Cruci ejusdem: *complantati similitudini mortis ejus.* Sed quod ita fit in ordine gratiæ, longe differt ab eo, quod in ordine naturæ contingit. In natura, inserendo germen aliquod sylvestri arbori efficitur, ut suaves, optimique fructus ferantur: in gratia vero Christianus insitus Cruci, vel Crux Christiano insita amatos tantum fructus producit. Christiano nulli in hac vita flores sunt, fructus nulli, in altera tantum eos operiri potest. Nullæ pro ipso voluptates sunt, sed tantum lacrymæ: *beati, qui lugent*; nulla pro ipso in terris rerum copia. JESUS eos tantum beatos dicit, qui sunt pauperes Spiritu, & corde. *Morale Dictionarium in considerationibus in bacchanalia.*

Mundo, & pompis ejus per baptismum abrenunciastis: hoc solemniter coram Sacris Altaribus promisistis; vestra fides sponsor fuit, Ecclesia vero sequester; neque admissi, adscriptique fuistis in fidelium nomenclatura, nisi quod jurastis, vos numquam vel mundum, vel quæ sunt hujus mundi, esse amaturos. Si ad Sacrum fontem Sacerdoti interroganti respondissetis vosmetipsos vobis reservare jus adhuc paululum, & mundum, & dogmata ejus amandi; Ecclesia nequaquam vos suo sinu excepisset, communioni fidelium non associasset, Christianorum dignitatem non contulisset, sed reliquisset, ut viveretis apud Infideles qui mundo famulantur, qui ab uno illo præmia expetunt sua, qui JESUM CHRISTUM, & Sanctissimæ hujus Religionis privilegium ignorant. Cum mundum tantummodo agnoscant, licet illis mundum tantummodo venerari; ideoque Catechumeni ad mortem usque Baptismum suum differebant, neque in vita audebant ea promittere, quæ violare adeo terribile est. Debetis ergo hunc mundum odisse; hoc est non conformare vos illi, vel nequissimis præceptis illius; si hactenus illius bona, voluptates, objecta diligitis, si illius leges, usus, moresque sequimini; promissiones vestras infringitis, vestramque fidem abjuratis. *Pater Massillon Sermone de exiguo Electorum numero.*

Recogitate ea, quæ ex vobis quæsita fuere, cum per ætatem intelligere non possetis, & vos ipsi nunc respondete iis, quibus alii pro vobis nunc respondere debuerunt. Animo fingite aliquando, Salvatorem ita audire interrogantem: abrenunciasne Dæmoni? ubi hoc Dæmonis nomen audiveritis sine explicatione,

tione; non hæſebit aqua: ſed cogitate Dæmonem hujus mundi Principem ſubditos ſuos invitantem, ut ſenſuum voluptates deguſtent, ſollicite opes quærant, omnes modeſtiæ, atque pudoris leges abjiciant, ſuperbiæ & voluptatis leges ſequantur. Nunc autem cum Dæmonem cognoſcas, illine abrenuncias? Illi, ac pompis illius pro te abrenunciatum eſt; hoc eſt ornatibus, luxui, immodeſtiæ indumentorum, conſuetudini, comeſſationibus, magnificis, atque ſuperfluis ſupellectilibus. Huicne abrenuntias? abrenuntiaſne operibus Principis hujus mundi? Choreæ, ſpectacula, prophana ac periculoſa, aleæ, ubi de magna auri vi agitur, ſatis palam oſtendunt aliquem eſſe Dæmoni devotum; hæc illa ſunt opera, quibus olim ſolemniter abrenunciaſti, & quæ hodie palam exerces, & nihilominus te Chriſtianum putas! & Chriſtianam vitam ducere exiſtimas cum vitam ducas inſtituto tuo prorſus oppoſitam! *Auctor Neotericus.*

Chriſtiani dignitas. Chriſtianus tantum homini præſtat, quantum homo reliquis rebus ſenſu, & ratione carentibus. Ille homo eſt pluſquam homo: homo eſt ſupernaturalis (abſit verbo invidia) cujus cogitationes omnes, & affectus ſupernaturales eſſe debent, quemadmodum omnes hominis cogitationes, & affectus eſſe debent rationabiles. Ille, qui ſenſibus addictas haberet cogitationes, affectuſque, hominis qualitatem non mereretur; & Chriſtianus, qui fere numquam cogitationes, atque affectus habet, niſi humanos, & mere rationabiles, Chriſtiani dignitatem non meretur. Fides eſt ſupernaturale Chriſtiani lumen, quemadmodum ratio eſt lumen hominis; Homo autem, qui rationem tantummodo in ſuis negotiis conſulit, qui humanitus tantum agit, qui in id unum verſatur, ut opes, gloriam, exiſtimationem, honorem acquirat, ſequiturne lumina fidei? numquid fides ipſi oculos aperit, ut mundi hujus illuſiones, & vanitates intelligat? numquid fides illum illuminat in conſiliis ſuis, in negotiis, in terreſtrium bonorum amore, in voluptatum perquiſitione? aliumne in rebus hiſce ducem ſequitur, quam humanam rationem, an vero ſemper rationem ducem ſequitur? an potius ſexcentis in occaſionibus eam derelinquit, ut ſuos ſenſus ſequatur? Hic homo vix homo eſt: quomodo autem eſſe poteſt Chriſtianus? *Pater de Valois adhortatione de præſentia Dei.*

Supernaturales actiones, & homine Chriſtiano dignæ propter Deum fieri debent divinæ gratiæ motu, & ad JESU CHRISTI Filii Dei imitationem; hoc eſt habere debent pro fine Deum, gratiam pro principio, & JESUM CHRISTUM pro exemplari. Chriſtianus autem cum Deum non cogitat, agitne propter Deum? agit motu gratiæ Dei? agit, quomodo JESUS CHRISTUS Filius Dei? omnia agit propter inanem gloriam, propter profanas voluptates, propter mortalia, ac peritura bona: hic eſt finis actionum illius. Omnia agit juxta ſtudia ſua, naturalem propenſionem, amorem proprium: hoc eſt actionum ſuarum principium. Omnia agit ſecundum mundi præcepta, morem, & conſuetudinem: hoc eſt actionum ejus exemplar. *Idem.*

BEATITUDO,

Æterna Felicitas, Paradiſus, Cæli deſiderium, Gloria Beatorum.

MONITUM.



Uo amplius, & vulgatius eſt hoc argumentum, eo eſt ad tractandum difficilius; omnes enim qui de eodem præ cæteris melius verba fecerunt, & ipſi fatentur, hanc gloriam eſſe ineffabilem, & eos ipſos qui tanta felicitate perfruuntur, capere eamdem non poſſe. Verum enim vero licet hoc fateantur, Auctores plurimi ſatis afferunt, ut ſublimem hujus Gloriæ nobis adſtruant ideam, & ad eamdem acquirendam inflamment. Incomprehenſibilis ergo illius magnitudo non obſtitit, quo minus ea colligerem, quæ aptiora ad concionem de Paradiſo elucubrandam cenſui futura.

Hoc ſolum animadvertendum eſt, ubi de Cælo, cæleſtique gloria loquimur, animum nobis non eſſe, ut de ea ſanctitate, quæ ad eamdem acquirendam requiritur, neque de cura ad ſalutem noſtram afferenda verba faciam; hæc enim alia ſunt argumenta, de quibus alibi Sermonem inſtituemus: licet Concionatores plurimi in die omnium Sanctorum feſto hæc ſimul conjungant, ut conciones ſuas magis morales efficiant; alii vero ſolum de Sanctitate, vel exemplo loquantur, quod Sancti nobis præbuerunt, ut illud imitati eamdem beatitudinem aſſequamur. Quacumque ex parte Sancti ſpectentur, ſive conſideretur Gloria, quam poſſident, ſeu ratio vitæ ab illis ſuſcepta, ut eo pervenirent; concio ſemper erit cum ſummo fructu conjuncta; & integrum cuique eſt ea inſiſtere via, quam cenſuerit aptiorem: ſed materiæ copia me coegit, ut hæc dividerem, & argumenta iſta ſeorſim pertractarem.

Illud tamen neceſſario monendum reor, in his rebus, quæ afferentur a me, plurima inventum iri ad morum diſciplinam ſpectantia, ne ſermo nimis theoreticus ſit, nimis Theologicus, vel abſtractis ratiocinationibus nimis refertus; plurima enim ſpectant ad cæleſtis Gloriæ deſiderium, ad Cæli cogitationem, cui mens noſtra jugiter vacare deberet, immo ad eos conatus qui exerendi ſunt ad hoc præmium nobis promerendum, quod majus erit pro laboris, & meriti ſingulorum beatorum magnitudine.

Denique cum Beatitudo vulgo diſtinguatur in eam, quæ dicitur eſſentialis, & quæ eſt animæ propria, & accidentalem, quæ reſpicit corpus, harum utraque, vel conjungi, vel ſejungi poterunt ad oratoris arbitrium; ideoque in Collectaneis noſtris ſatis copiæ pro utraque afferre ſtuduimus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum in hoc argumento Synopsis.

I. 
Idi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat &c., & palma in manibus eorum. Apocal. 7. Hæc verba consolatione sunt refertissima, & per illa videtur dilectus Discipulus suavitatem quamdam aspergere velle severis Magistri sui præceptis. *Multi vocati, pauci electi. Regnum Cœlorum vim patitur. Quam arcta via est qua ducit ad vitam*, & aliis id genus. Licet autem istinc minime inferre velim, facilem ad Cœlum patere viam, & facile beatorum numerum augeri posse; quandoquidem Evangelium oppositum videtur innuere; probare saltem volo, hoc impossibile non esse, atque hoc in nobis esse positum; quandoquidem Discipulus hic in Cœlis intuitus est innumerabilem Sanctorum multitudinem, ex omnibus Religionibus, Statibus, & Conditionibus conflatam. Hoc autem ostendi potest in altera parte: in altera vero nos Cœlestem Beatitudinem minime assecuturos, nisi in terra eam laboribus, & sanctitate adepti fuerimus.

Pars prior. Maxima est hominum in suis sententiis licentia; plerique enim sibi Cœlum exhibent tamquam difficile, quod comparetur; omnes illius acquirendi spem abjiciunt, & hoc prætextu abutuntur, ne ad illud quærendum adlaborent; cumque illis dicimus Cœlum comparari posse iis etiam actionibus, quæ magis communes sunt; credere nequeunt, tantum hoc præmium a Deo pro exiguo labore concedi. In hac igitur prima parte ostendere oportet ad id necessario totis viribus incumbendum esse, quia quemadmodum in Cœlo multi sunt gloriæ gradus, plurimi etiam sunt gradus meritorum, & requiri solum, ut rite his perfungamur officiis, quæ sunt nostræ conditioni adhærentia. Hoc probant illa Apocalypsis 7. 9. verba: *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*. Quinam sunt enim, quos dilectus hic Discipulus in Beatorum numero vidit? Abraham eorum antesignanus est, qui suæ præfuerunt familiæ in timore Dei, qui filios suos optimis institutis imbuerunt, iisdem sacrificandis parati potius, quam Domini præceptis negligendis: est Isaac, qui eadem institit via: est Jacob, qui molesti laboris patientia, ac fide meritus est Dei amicitiam: est Joseph Regni minister, qui locupletissimi Regis redditus administravit, eosque in populi totius utilitatem convertit; sunt Josue, & Gedeon invicti Duces, qui manus easdem, cum quibus insignes retulere victorias, ad Cœlum extulerunt, atque populo suo commissi Religionis suæ muneribus rite perfuncti sunt. Ita per veterum Patriarcharum enumerationem discurrentes, eosque enumerantes, qui in singulis statibus pro exemplo proponi possunt, debemus arguere, ut Sancti simus, & Cœlum assequamur, non esse omnino necessarium maximis exerceri austeritatibus, vel insignes eleemosynas erogare, sed status illius, ad quem nos evocavit Deus, officia adimplere.

Animos despondere non oportet in hoc nostro conatu propter defectus, vel peccata, vel naturalia studia: ipsis enim Sanctissimis Viris non defuerunt defectus, imperfectiones, & obices sui; sed eos generose vicerunt, affectuumque suorum victoria Cœlo potiti sunt. Si in hac festivitate Anachoretas tantummodo, ac Martyres nobis Ecclesia proponeret, dicere fortasse possemus, non posse nos adeo sublimiter extolli; sed hanc Beatitudinem, & sanctitatem, per quam illa comparatur, voluit Deus a nobis facilius acquiri posse, & neminem esse, qui illuc nequeat contendere; quoniam, neque præterita peccata, neque præsentes defectus, neque vitia, neque animi nostri ægritudines prohibere debent, quominus illuc adspiremus.

3. Ad hæc nimiumne Deus petit ex nobis, si petit, ut pro Cœlo ea faciamus, quæ pro mundo non tenuimus? Quid non præstat Aulicus, ut Principis sui gratiam aucupetur? Opifex, ut sibi comparet victum? Mercator, ut vitæ commoda acquirat? &c. Ita Reprobi in Judicio Dei non causabuntur sibi gratias, & media ad salutem defuisse; fatebuntur sua culpa beata gloria excidisse, ac seipsos accusabunt Sanctorum felicitatem intuiti: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*, &c. Sap. 5.

Pars altera. Nullum nobis ad Cœlum, Sanctorumque gloriam jus erit, nisi quatenus adlaboraverimus ad acquirendam Sanctitatem, quæ illius obtinendæ via est. Et constat ratio: Cœlum enim præmium est, quod nonnisi meritis, & illis, qui laboraverunt, tribuitur. Qua in re notandum est, non deesse, qui ad primas Paradisi Sedes minime adspirant, & qui hoc prætextu nihil omnino operantur: inertem vitam ducunt; voluptatibus omnibus perfruuntur, & satis esse putant, Christianos esse, ut ad Paradisum, & Gloriam jus assequantur: quæ profecto mira cæcitas est, cui medicina est afferenda; 1. ostendendo ea, quæ Dei Filius fecit, tulitque hanc Beatitudinem prometiturus. Numquid ergo gratis ea nobis conferentur, quæ tot sudoribus, laboribus, ac Sanguine steterunt Salvatori, cui omni jure hæc gloria debebatur? 2. considerandum est, quid fecerunt Sancti, eorum prælia, labores, pœnitentiæ, atque mortificationes: *tu non poteris quod isti, & istæ?* 3. si refellendi sunt qui essentialia tantum servare se velle dicunt, & quibus satis est, servare præcepta, quin sibi negotium facessant consilia, quæ res plurimos fallit, qui numquam perveniunt ad ea facienda, quæ sunt necessaria &c.

Sanctorum in Cœlis felicitas exprimi aliqua ratione potest per hanc S. Augustini Sententiam affirmantem earum rerum amorem, quæ nobis cariores fuerint, vel quas ardentius in terris optaverimus, in Cœlis consummandum esse, atque perficiendum. Etenim II.

1. Quemadmodum in hoc mundo veritatem amarunt, intuentes Deum perfectam illius cognitionem assequentur.

2. Quemadmodum pacem quæsiverunt, & dilexerunt, immutabili æternaque pace fruentur.

3. Quemadmodum conati sunt destruere corpus peccati, quod partem constituit nostri, atque in id adlaborarunt, ut illud Spiritui submitterent, gloriosum corpus habebunt, cujus sensus omnes perfecta felicitate gaudebunt. Ita non deerit perfectio in intellectu per veritatis cognitionem: perfectio in voluntate per pacis æternique gaudii perfruitionem, & denique perfectio in corpore per gloriosæ Resurrectionis privilegia.

Cœlum nobis exhibetur in Evangelio sub nomine, atque imagine Regni; namque sese Evangelium adaptat nostro cogitandi, & de rebus Mundi judicandi modo: in Regni enim possessione opes immensæ, gloria ingens, quæ ambitioni nostræ satisfacere possit, & denique voluptates omnes continentur: ita ut in hac vita nihil majus, nihil gloriosius, nihil jucundius Regno concipiamus. Igitur juxta hanc ideam, III.

1. Cœlum Regnum est, cujus possessionem habebimus; sed Regnum, in quo omnes divitiæ, omnis gloria, omnesque voluptates inveniuntur: *gloria, & divitiæ in Domo ejus*. Psal. 3.

2. Regnum est pacis: nihil potest perturbare pacem,

tem, qua Beati fruuntur, & eam, quam possident felicitatem.

3. Regnum æternum est nullis perturbationibus, quibus terrena patent, obnoxium: *Regni ejus non erit finis*. Luc. 1.

IV. Sub eadem Regni Idea, quo nomine Dei Filius, ut plurimum eam vocat felicitatem, ac præmium, quod pollicetur, tria considerari possunt.

1. Omnium bonorum securitas, quæ vota nostra explere poterunt, ideoque nos perfecte beatos efficere.

2. Loci pulchritudo, & perjucunda societas, quæ mansionem illam efficient suavissimam.

3. Pax, & certitudo futurum, ut numquam ea amittantur bona, quorum possessionem semel adepti fuerimus.

V. Quanta futura sit gloria a Deo Sanctis in Cœlo præparata ex tribus rebus conjici potest.

Prima, quod replet magna desideria, qualia sunt humani cordis vota, cujus captus est infinitus.
Secunda quod magnos labores coronat, quales sunt JESU CHRISTI, & Sanctorum, quorum justa est remuneratio.

VI. Tertia effectus Divinæ magnificentiæ in Cœlo præsertim elucentis. *Ibi magnificus est Dominus*. Isaiæ 33.

Bifariam dividi sermo potest, in cujus priori parte, tribui potest idea pulchritudinis Cœli, in altera vero ostendi hominum in incomparabili hac felicitate acquirenda negligentia.

Pars prima: de magnitudine felicitatis, qua perfruemur in Cœlo inde judicium fieri potest: primo quod ineffabilis est, nec voce exprimi, nec mente concipi potest: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* &c. Secundo quia bonum, quod possidebimus, Dei ipsius Beatitudinem constituit. Tertio quia extremus est conatus Divinæ erga homines liberalitatis.

Pars altera. Ostendenda est hominum in Cœlo acquirendo negligentia: 1. quia omnes vitæ hujus calamitates efficere nequeunt, ut beatam illam requiem cogitemus, a qua omnia exulant mala, in qua bonorum omnium affluentia invenitur: 2. neque naturale illud studium, quo beatos esse cupimus, efficit, ut veræ beatitudinis acquirendæ vias suscipiamus; hanc in terris perquirentes, ubi esse non potest: 3. neque jucundissimi illius loci illecebræ efficere possunt, ut illuc oculos & vota nostra convertamus.

VII. Cum de Sanctorum beatitudine loqui possimus in Transfigurationis mysterio, quæ illius est imago, triplex occurrit ratio concionis partitionem suppeditans.

Primo Cœlum est Beatorum Sedes, quam mons Thabor exhibet, ubi latius amplificari possunt beatissimæ illius mansionis pulchritudo, opes, ac deliciæ.

Secundo. Quemadmodum in Thabor transfiguratus est JESUS, & gloriæ suæ jubar detexit, omnem gloriam deteget in Cœlo Deus per claram suæ essentiæ visionem.

Tertio. Videbitur in Cœlo Salvatoris humanitas, quæ est tamquam Divinitatis indumentum. Hoc pellucidæ vestes designant, & hoc maxima erit inter accidentales Beatorum delicias.

VIII. Paradisus est gloriæ locus, sed illuc nonnisi per humilitatem ingredi possumus JESU CHRISTI, & Sanctorum exemplo; hæc enim gloria fuit humilitatis eorum remuneratio.

Secundo est locus affluenter opibus diffluens, & in se omnia continens bona, quæ nostra explere possunt desideria: sed illius acquirendi ratio est paupertas Spiritus, & omnium terræ hujus bonorum contemptus.

Tertio. Locus est voluptatis & delitiarum, sed quo hujus vitæ pœnitentia, & sensuum, affectuumque mortificatio deducunt.

IX. Nostra in Cœlis felicitas est Deo similes fieri, quatenus creatura potest; eaque similitudo in tribus consistit.

1. In Lumine, quod procul ejicit tenebras mentis in beata illa mansione.

2. In perfecta Sanctitate, quæ nullam animæ maculam admittit, & quæ perfectam cum Deo tribuit similitudinem.

3. In immutabili gaudio, propter quod voluntas, atque appetitus nulla poterunt affici tristitia.

Cœli Beatitudo considerari potest in natura sua, possessione, & duratione. X.

1. In natura vel essentia sua felicitas est vera, solida, universalis, & quæ perfecte votis nostris satisfacere potest.

2. In Possessione sua, omni caret molestia, ac satietate, sed recens semper lætitia illam subsequitur.

3. Duratio illius æterna est, ac nullum umquam finem habitura.

Tria Beatorum in Cœlo felicitatem constituunt. XI.

1. Magnitudo, ac præstantia objecti eorum beatitudinem constituentis; videlicet ipse Deus, quem Theologi Beatitudinem objectivam appellant.

2. Humani cordis capacitas, quod quidem in desideriis suis infinitum est, & quod creata omnia replere non possunt, sed est perfecte in Dei perfruitione contentum.

3. Jucunda consideratio, qua Beati statum suum meditantur. *Desumptum ex Sermone 4. Joly de Paradiso*.

Argumentum hoc aliter efferri potest, scilicet per triplicem considerationem, quæ efficiet, ut sublimem concipiamus ideam illius felicitatis, qua Beati in Cœlo fruuntur. XII.

Prior est extensionis humani cordis, quæ est, perfecte adimplenda; hoc autem est subjectum, quod debet esse Beatum.

Altera est natura boni, quo cor replendum est: ea autem est ipse Deus hominis Beatitudinem in eo statu felici constituens.

Tertia est ratio, qua replebitur Deo, scilicet illum videns, talem qualis est, eumque amans in æternum. *Hæc partitio desumpta est ex Quadragesima Patris Texier Sermone pro secunda Dominica*.

Partitionem quoque concionis de Cœlesti Beatitudine tribuere possunt hæc S. Bernardi verba: *Deus erit rationi plenitudo lucis, voluntati plenitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis: Primum faciet veritas Deus, secundum charitas Deus, Tertium summa potestas Deus*. XIII.

1. Deus hominis intellectum illuminabit, eumque gloriæ lumine attollet, ut possit ipsum facie ad faciem inspicere; hæc erit plenitudo lucis.

2. Replebit voluntatem hominis plenitudine pacis, illam suo amore succendens; possidebit enim summum bonum, quod eumdem votorum suorum compotem efficiet.

3. Replebit memoriam recordatione æternitatis; qua felicitas ipsa permansura est.

Hæ duæ sententiæ suppeditare possunt partitionem concionis de voluptatibus Paradisi. XIV.

1. Paradisi voluptates tantæ sunt, ut contemptum nobis immittere debeant voluptatum hujus mundi.

2. Hujus mundi voluptates adeo funestæ sunt nobis, ut nonisi per earum contemptum nobis liceat Cœlestibus frui. *Desumptum ex Sermone Joly*.

1. Paradisus est Civitas Beatorum, a qua cum exulet peccatum, exulant etiam pœnæ peccato debitæ. Hæc prima est veritas. XV.

2. Quemadmodum Paradisus est præmium eorum, qui Sancte in hac vita vixerunt, nulli erunt limites ibi remunerationibus, quæ virtutem manent. *Desumptum ex Patre de la Colombiere Sermone in diem festum Omnium Sanctorum*.

In hæc verba: *Merces vestra copiosa est in Cœlis*. XVI.

1. Merces est certa, & quæ deesse non potest: qua in re differt a mercede, quam a terræ hujus Principibus expectamus, quæ plerumque inanis est.

2. Est merces copiosa spem omnem, atque omnia vota excedens. Heu nos miseros! quod laborum no-

ſtrorum præmium a Principibus hujus mundi poſſumus expectare.

3. Hæc merces non eſt fluxa, fragiliſque, ſed æterna. *P. Nepven tom. 4, conſiderationum.*

XVII. Hæc Beatorum gloria triplici ratione poteſt conſiderari. 1. In ſeipſa. Quænam felicitas eſt ſpiritum habere, qui Deo frui poſſit, eumque poſſidere! 2. Per comparationem ad omnia terræ bona, quæ neque præſtantia ſua, neque dulcedine, neque utilitate cum Cœleſtibus ſunt comparanda; 3. ratione laborum, cujus merces eſt hæc gloria. *Biroat Sermone 2. pro 2. Quadrageſimæ Dominicâ.*

XVIII. Sanctorum in Cœlo felicitas tribus hiſce veritatibus, vel propoſitionibus comprehendi poteſt.

1. Vident, quod nos credimus, videlicet veritates, quæ fidei noſtræ in terra objectum conſtituunt.

2. Amant, quod metuimus, hoc eſt Deum: amor eorum non eſt cum eo metu conjunctus, quo nos Dei noſtri vel ſubiiſſe jacturam, vel futurum, ut ſubeamus, timemus.

3. Poſſident, quod nos cupimus, æternam videlicet beatitudinem, quæ omnia deſideria noſtra poteſt explere.

XIX. Felicitas, quam Sancti in Cœlo poſſident, magna eſt.

1. Quia perfecte immenſam humani cordis extenſionem adimplet.

2. Quia ibi Deus ſatisfacit amori ſuo, quo proſequitur homines, & deſiderio, quo illos in æternum beatos efficere cupit.

XX. Beati in Cœlo fruuntur

1. Perfecta felicitate, ubi ſine ullius mali immixtione bonorum omnium plenitudo invenitur.

2. Æterna felicitate ſine metu eamdem amittendi.

XXI. 1. Veritas mercedis, quam Deus nobis deſtinat, & in Cœlo promittit, quæ non eſt inanis promiſſio.

2. Illius magnitudo, quæ comprehendi non poteſt.

3. Illius æternitas.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, atque Auctores, unde elici copia queat ad propoſitas Concionum ſtructuras amplificandas.

Sancti Patres. SAnctus Auguſtinus *in Epiſtola ad Januarium* deſcribit Beatorum ſtatum, & loquitur de eorum actione, & requie.

Idem *in Epiſt.* 205. refert, quid ſibi contigerit in morte S. Hieronymi, quem paulo ante de Beatorum gloria conſuluerat.

Idem *in Soliloquiis c.* 35. deſcribit privilegia beatæ vitæ, quæ poſſidetur in Cœlo.

Idem *lib.* 20. *de Civitate Dei* oſtendit; Beatorum felicitatem æternam futuram; *lib.* 22. beatitudinis hujus magnitudinem deſcribit, & *lib.* 24. ait in Cœlis perfectam bonorum omnium aggregationem futuram.

Idem *in expoſitione Pſalm.* 32. loquitur de omnium hominum voto, quo beatos eſſe deſiderant.

Idem *in Pſalmum* 85. oſtendit gaudium, & voluptatem Beatorum; & *in Pſalm.* 36. pacem, qua illi fruentur.

Idem *l.* 12. *de Geneſi ad litteram*, oſtendit quanam in re SS. felicitas in Cœleſti ea Patria conſiſtet.

Idem *lib. de Symbolo c.* 12. oſtendit in Cœlo, nullum omnino malum futurum.

Idem *Serm.* 37. *de Sanctis* prolixum habet ſermonem de Sanctorum gloria, & felicitate, & ad eam acquirendam hortatur.

Idem *tract.* 77. *in Joannem*, docet in Cœlis nullam fore invidiam, ſed omnes perfecte contentos futuros.

Idem *lib. de Spiritu, & Anima* ſatis amplum habet Sermonem de Sanctorum Beatitudine, & de cupiditate poſſeſſionis illius, qua fideles omnes flagrare debent.

Idem *in hac verba Pſalm.* 41. *Sitivit Anima mea ad Deum fortem, vivum. Quemadmodum deſiderat Cervus &c.* explicat quantus eſſe debeat ardor hujus deſiderii, de quo loquitur etiam *in expoſitione Pſalm.* 83. *quam dilecta Tabernacula tua Domine virtutum, & in verba Pſalmi* 86. *fundamenta ejus &c. & in illa Pſalmi* 118. *defecit in ſalutare tuum anima mea.* De hac re loquitur etiam in primam canonicam S. Joannis Epiſtolam, & alibi paſſim. Verum ſufficiat, eos indigitare locos, ubi de Cœlo, ejuſque acquirendi deſiderio fuſius verba facit.

S. Gregorius *tract. de mortalitate*, de Cœlo, tamquam de noſtra Patria loquitur, ubi conſanguinei, & amici noſtri nos præſtolentur.

S. Hieronymus in funebri oratione Sanctæ Paulæ de Sanctorum Beatitudine loquitur. Similiter in expoſitione *Pſalmi* 41. & expoſitione *cap.* 2. *Epiſt. ad Ephesios*.

Idem *lib.* 3. *in Prophetam Zachariam c.* 14. *& in Epiſtola ad Dardanum*, oſtendit quænam erunt delitiæ, quibus eo in loco fruemur.

Idem *in Epiſt.* 27. *ad Euſtochium* fuſius verba facit de laudibus S. Pauli, & illius moriendi deſiderio, ut in Cœlis videret Deum.

Idem de hoc deſiderio loquitur *in expoſitione Pſalmi* 41. hæc explicans verba: *quemadmodum deſiderat Cervus ad fontes aquarum.*

Idem *in Epiſt.* 22. *ad Euſtochium, & in prima ad Demetriadem*, eas hortatur, ut ſæpe de Cœlo cogitent, ac meditentur eam felicitatem, quæ beata in ſede poſſidetur.

S. Gregorius *l.* 4. *moral. c.* 32. *& Hom.* 22. *in Ezechielem* loquitur de Sanctorum felicitate in altera vita, quod argumentum tractat *in ſeptimo Pſalmorum Pœnitentialium.*

Idem *l.* 18. *in Job c.* 28. explicat, quomodo videbimus Deum in Cœlo: & ibidem exponit deſcriptionem, quam de Beata illa Civitate ille Vir Sanctus exornat.

Idem *l.* 4. *in Job c.* 32. ait futurum, ut Sancti reminiſcantur peccatorum ſuorum, ut laudent miſericordiam, qua Deus uſus fuerit in illos.

Idem *in Pſ. Pœnit.* oſtendit, eam gloriam, quæ Sanctorum Beatitudinem conſtituit, ſimul eſſe, & præmium laborum, & effectum miſericordiæ Dei.

Et *in Homil.* 4. *in Evangel.* conatur Beatitudinis hujus magnitudinem oſtendere.

Idem *l.* 8. *moralium* hæc explicans verba *c.* 7. *Job: deſperavi, nequaquam ultra vivam; & lib.* 9. *eorumdem c.* 15. *& l.* 18. *c.* 19. *& in expoſitione Pſalmi* 3. *Pœnitent.* oſtendit quomodo adſpirandum ſit nobis in Cœlum.

Idem *l.* 4. *moralium* in ea verba Job *c.* 3. *qui ædificant ſibi ſolitudines; & lib.* 8. in illa ejuſdem *c.* 7. *& ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui*, alibique paſſim oſtendit utiliſſimum, ac ſaluberrimum eſſe Cœli beatitudinem ſæpe cogitare.

S. Chryſoſtomus *Hom.* 6. *in* 4. *c. Epiſt. ad Hebræos* oſtendit omnia bona reperiri in Cœlis, omniaque mala procul inde exulare.

Idem *Epiſt.* 5. *ad Theodorum lapſum*, plures conjecturas affert, ut oſtendat magnitudinem felicitatis, quæ ibi poſſidetur.

Idem *Hom.* 24. *in Epiſt. ad Hebræos* oſtendit omnes veteris Teſtamenti Sanctos Viros ſeſe tamquam hoſpites in hac vita cenſuiſſe, atque juſtis omnibus in Cœlum eſſe contendendum.

Idem *in expoſitione Pſalmi* 41. oſtendit quantus eſſe debeat cupiditatis hujus ardor, Davidis Regis proponens exemplum.

Idem *in eadem expoſitione Epiſt. ad Hebræos* parum eſſe oſtendit quidquid facere, ac pati poſſumus, ut Cœlum promereamur.

Idem *in Epiſtola ad Theodorum* per malorum vitæ hujus expoſitionem eam amplificat felicitatem, qua Beati in Cœlo lætantur.

Idem *Hom.* 24. *in Matth.* oſtendit, ſi fictæ ſæpe mercedis ſpes maximos quoſcumque labores lenit, multo plus efficere debere ſpem beatæ æternitatis.

S. Baſilius *l. de ſpiritu, & anima* futuræ vitæ bona confert

confert cum præsentis ærumnis, atque periculis, quibus Beati sunt in æternum immunes.

Idem *Hom.* 12. *in Ps.* 45. hæc explicans verba: *Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei*; & *Hom.* 16. *in Psalm.* 114. egregiam adfert beatitudinis Sanctorum descriptionem: & in libro, qui inscribitur: *de Regulis fusius disputatis* Cœli Beatitudinem aptis coloribus exhibere conatur.

S. Gregorius Nazianzenus in oratione de laudibus Sancti Athanasii de alterius vitæ felicitate verba facit.

Origines *homil.* 23. *in cap.* 28. *Numerorum* hoc ipsum argumentum pertractat.

S. Bernardus *Serm.* 5. *pro Dominicæ Nativit. Vigil.*

Idem sermon. 2. in festum Sanctorum Omnium diem.

Idem *lib. de diligendo Deo serm.* 21. *in Cantica serm.* 33. & 59. *in eadem*; *serm. de S. Martino*, *item serm. de fallacia præsentis vitæ*, & alibi passim de Beatorum felicitate verba facit.

S. Thomas *opusc.* 63.

Ascetici. Granatensis in Duce peccatorum *c.* 9. *&c.*

Canisius *tom.* 3. *capite ultimo.*

Imitatio JESU CHRISTI *lib.* 3. *cap.* 47. 48.

Drexellius egit de æterna felicitate Sanctorum.

Bellarminus in quodam opusculorum suorum.

Pater Regia librum edidit cui titulus; Vita prædestinatorum in beata æternitate.

Essais de morale tom. 4.

Pater Antonius de S. Martino a Porta *in lib. cui titulus*, Les conduites de la Grace *part.* 4. *tract.* 6. *de consummata gratia, quæ est gloria.*

Pater Nepveu in primo, alteroque consideratiorum suarum tomo.

Pater Croiset *tom.* 1. *spiritualis recessus* pro die una in singulis mensibus meditatione pro mense Aprili.

Concionatores. Faber *concione* 7. *in Domin.* 2. *Quadragesimæ.*

Idem primo, alteroque sermone in festum Omnium Sanctorum diem.

Granatensis in diem festum Omnium SS.

Reina *conc.* 10. & 39. *Quadrag.*

Joly quatuor hac de re sermones edidit.

Maimbourg secunda Quadragesimæ Dominica.

Biroat in Omnium Sanctorum Panegyrico.

Idem *in part.* 2. sermonis pro secunda Quadragesimæ Dominica.

Pater Texier serm. pro Dominica 2. Quadragesimæ.

Pater de la Colombiere sermone pro festo Omnium Sanctorum die.

Idem in Christianis considerationibus.

Auctor Sermonum in omnia moralis christianæ argumenta, *serm. pro* 2. *Quadragesimæ Dominica.*

Pater Doneau *Serm. pro Dominica eadem.*

Specimina Sermonum Abbatis de Breteville in eadem Dominica.

In primo Dictionarii moralis tom. duo sermones adsunt de Beatitudine cum plurimis considerationibus.

Qui collectanea hac de re ediderunt. Labata propositionibus 23. quæ totidem capitibus continentur, exposuit quidquid in hoc argumento collegit.

Buseus in libro de statibus diversis tractatum habet de statu gloriæ Sanctorum.

Reynerius *in Panteologia tom.* 1. *titulo Beatitudo* collegit quidquid ex Theologis hac de re didicit.

Lohner *in Bibl. manuali* plurima collegit.

Hortus Pastorum liber satis notus triplicem habet hac de re propositionem in postremum Symboli artic.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

EGO protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Genes. 15.

Ostende mihi gloriam tuam. Respondit: ego ostendam omne bonum tibi. Exod. 33.

Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Psalm. 105.

Satiabor cum apparuerit gloria tua. Ps. 16.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, torrente voluptatis potabis eos. Ps. 35.

Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Ibidem.

Quam dilecta Tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Ps. 83.

Quid mihi est in Cœlo, & a te quid volui super terram? Ps. 72.

Qui replet in bonis desiderium tuum. Ps. 102.

Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Ps. 15.

Replebimur in bonis domus tuæ. Ps. 64.

Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini. Ps. 26.

Beati qui habitant in domo tua Domine! in sæcula sæculorum laudabunt te. Ps. 83.

Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: quando veniam; & apparebo ante faciem Dei. Ps. 41.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi donec retribuas mihi. Ps. 141.

Dominus in Cœlo paravit sedem suam. Ps. 102.

Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei. Ps. 86.

Sancti tui benedicent tibi, gloriam regni tui dicent, & gloriam magnificentiæ regni tui. Ps. 144.

Transibo in locum Tabernaculi admirabilis, usque ad Domum Dei. Ps. 41.

Pars mea Deus in æternum. Ps. 72.

Fulgebunt justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent, judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Sapient. 3.

Justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum; ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini. Ibidem, c. 5.

Filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam daturus est eis, qui fidem suam numquam mutant ab eo. Tob. 2.

A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt; oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. Isaiæ 64.

Solummodo ibi magnificus est Dominus noster. Idem, c. 36.

Lætitia sempiterna super caput eorum; gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. Idem, c. 35.

Regem in decore suo videbunt oculi ejus. Idem, c. 33. *Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol; quia miserator eorum reget illos, & ad fontes aquarum potabit eos.* Idem, c. 49.

O Israel quam magna est domus Dei, & quam ingens locus possessionis ejus! Baruch. 3.

Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Matth. 13.

Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Idem, c. 25.

Gaudete & exultate; quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Idem, c. 5.

Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Idem, c. 25.

Ut sedeatis super thronos, judicantes duodecim Tribus Israel. Luc. 22.

Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth. 11.

Amen dico vobis, quod faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Luc. 12.
Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Idem, c. 22.
Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem: amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Matthæi 24.
In domo Patris mei mansiones multa sunt. Joann. 14.
Regni ejus non erit finis. Luc. 1.
Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis. Ad Rom. 8.
Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. 1, Ad Corinth. 3.
Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Ibid. c. 13.
Habemus domum non manufactam, æternam in cœlis; nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, qua de cœlo est, superindui cupientes. 2. Ad Corinth. 5.
Quæ videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna. 2. Ad Corinth. c. 4.
Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus iis qui diligunt illum. 1. Ad Corinth. 2.
Id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Ad Corinth. 4.
Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur. Ibidem, c. 3.
Illi ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. 1. Ad Corinth. c. 9.
Regnum Dei non est esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium. Ad Roman. 14.
Percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. 2. Pet. c. 5.
In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus Judex: non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum ejus. 2. Timoth. c. 4.
Ut sit Deus omnia in omnibus. 1. Ad Cor. 15.
Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Ad Philipp. 3.
Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. 2. Ad Timoth. c. 2.
Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ad Ephes. 3.
Ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis. Ad Ephes. c. 1.
Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri. Ad Titum, c. 2.
Coarctor, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. Ad Philipp. 1.
Expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & Creator Deus. Ad Hebr. c. 11.
Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Ibidem, c. 13.
Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Epist. Jac. c. 1.
Ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. 1. Petri, c. 4.
Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est. 1. Joann. 3.
Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. Apoc. 2.
Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. Ibidem, c. 3.
Et palmæ in manibus eorum. Ibidem, c. 7.
Absterget (Deus) omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra; quia prima abierunt. Ibidem, c. 22.
Nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum. Ibidem, 22.

EXEMPLA.

Exemplā terræ promissæ.

CUm Exploratores, quod miserat Moyses in terram promissam, ea nunciaverunt, quæ viderant, de situ loci, de Incolarum qualitatibus, deque Regionis fertilitate, cumque produxerunt uvæ racemum a duobus validis, robustisque viris sustentatum, qui eumdem connixi humeris deferebant, ut ab Universo Israel tamquam ubertatis promissæ terræ testimonium videretur: narratio hæc in omni exercitu tales animos immisit, tantumque in Ducibus ardorem succendit, ut statim exclamarent, quocumque pretio Regionis illius possessionem esse acquirendam: *ascendamus, & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam*. Numer. 13. Fructus hic, quem oculis suis intuebantur, erat veluti pignus promissionis, qua Moyses se illos deducturum spoponderat in terram lacte, & melle manantem, ubi tranquillæ, beatæque vitæ voluptates omnes, atque rerum omnium affluentiam nanciscerentur; & inde rati sunt labores omnes ad hanc possessionem indipiscendam pro nihilo esse ducendos. Omnia pati parati erant, ut votorum suorum summam assequerentur. Sed inertes, & vecordes homines quidam hanc eorum mentem perturbarunt obmurmurationibus suis, eas afferentes difficultates, eosque obices qui in adeunda terræ illius possessione occurrissent: *terra devorat habitatores suos*. Putarunt sibi cum Gigantibus manus esse conserendas, fortissimas arces infringendas, ac rem sibi cum tot terribilibus monstris, quot incolæ erant, futuram. Illorum deferbuit animus, sententia divisa est, oborta dissentio, & parum abfuit, quominus opus adeo feliciter sub Domini imperiis, atque auspiciis susceptum, penitus evanesceret. Potestne aptior inveniri descriptio inertiæ fidelium, qui nostris hisce temporibus vivunt? vocamur ad Cœli possessionem, quæ terra promissa est; neque desunt Arrhæ, gustamus enim maturaro fructus illius, ex Dei operibus, quæ in rerum natura admiramur, quanta sit cœlestis Patriæ pulchritudo conjicimus; non desunt vires, atque adminicula, ut eo, quo contendimus assequamur: sed difficultatibus deterremur.

Assueri Convivium.

Magnificum, celeberrimumque convivium, quod Regni sui Optimatibus Assuerus instruxit, alia est Paradisi figura, eo aptior, & æquior, quo gloria, quam præparavit Deus diligentibus se sub magnifici convivii Symbolo in Scripturis sæpius exhibetur. Potentissimus hic Asiæ Monarcha, cujus imperium supra centum, atque viginti septem Provincias late protendebatur, ædium suarum, hortorumque januas aperuit, & centum, atque octoginta diebus mensas exquisitissimis epulis optimisque liquoribus affluenter instruxit, quin loquar de supellectilis pompa, tabulis, tabernaculis, speciosis stragulis, atque thoris juxta eorum temporum consuetudinem, neque de viis jaspide, alabastrite, ac porphitite stratis, ubi secundum convivarum ordinem, & gradum mensæ erant dispositæ. Nihil desiderabatur earum, quæ vel natura suppeditare, vel artis industria excogitare potuit ad summi hujus Regis magnificentiam, opes, & gloriam indigitandam. Hæc mea quidem sententia figura est ejus convivii, quod Rex Cœli, & terræ præparavit Sanctis suis; quandoquidem Scriptura ad exprimendas delicias, lætitiam, magnificentiam, & gloriam, quam illis destinat Deus, nihil aptius invenit, quam cum dicit futurum ut Deus illos discumbere faciat, ac illis ipse ministret.

Exemplū Reginæ Saba.

Stupor, quo capta fuit Regina Saba, postquam vidit sapientiam, gloriam, atque admirabilem rerum omnium ordinem, qui in Salomonis ædibus effulgebat, aliquam nostris adstruere potest ideam, & conjecturam admirationis illius, qua Beati in omni æternitate capientur, illius sapientiam, ac magnificentiam intuiti, qui toto Cœlo ditior, ac sapientior est

Salo-

Salomone. Si enim Regina, de qua loquitur Scriptura tertio Regum, adeo obstupuit tantam terreni Principis gloriam, atque majestatem conspiciens, ut sui compos non esset; quinam erit stupor, quænam admiratio Beatorum, verum Salomonem videntium, cujus alter ille rudis erat figura, in Palatio gloriæ suæ, quod Cœlum est, residentis? Fateor equidem, quisque dicet uti Regina hæc, quidquid mihi nunciatum fuerat in ea Regione, quam reliqui, hoc est in terra, conferri nequaquam posse cum iis, quæ in Cœlis intueor. Nihil profecto cum divitiarum tuarum magnificentia, o Domine, comparandum est, nihil cum delitiarum tuarum abundantia conferendum. Et quemadmodum Regina illa sortem minimi cujuslibet e servis Salomonis, suæ præferendam ducebat; Beatos omnes Regni illius incolas ditiores, ac feliciores inveniet, quam potentissimos Reges, qui fluctuerunt in terris.

Exemplũ ardentissimi desiderii. In ipsa etiam veteri lege passim occurrunt exempla desiderii ardentissimi æternæ illius felicitatis, quam speramus in Cœlo: licet enim carnalis ille populus spectaret magis temporales remunerationes, ac pinguedinem terræ, quam res Cœli, ut biblicis verbis utar; non defuerunt tamen Sancti viri, qui seipsos tamquam hospites in hac terra censuerunt, & qui a terrenis rebus omnino sejuncti ad Cœlum ardentissimis votis rapiebantur. Psalmi Davidis refertissimi sunt locutionibus, quæ inflammata illius vota satis ostendunt, quarum præcipuas superius attulimus. Similes occurrunt etiam in Prophetis, ac præcipue in Isaia. Ita quoque affecta erat Machabæorum Mater, & hujusmodi sensus Filiis suis conabatur immittere, ut illos ad constantius subeunda tormenta pro legis defensione excitaret. Sed præterire nequeo Danielis exemplum, Prophetæ, ut ita dicam, præ cæteris Domino magis cari, & quam a teneris usque pueritiæ annis luminum suorum participem effecit Deus. Ita aperte moverat iste vanitatem maximorum etiam hujus mundi Regnorum, sese invicem, atque successive evertentium, idque præsertim in prophetia, qua Nabuchodonosor interitum vaticinatus est, ut Cœleste Regnum tantummodo cogitaret, cujus jam se civem esse putabat: Spiritus illius alterius vitæ deliciis vacabat, reliqua omnia in oculis ejus erant, quasi non essent amplius; atque æternum hoc Regnum unicum erat suarum cogitationum, atque votorum objectum.

Exempla Novi Testamenti.

Salvatoris Transfiguratio. IN lege nova non satis fuit Filio Dei in terras descendisse, ut Cœlorum viam homines doceret; non satis illis Regnum hoc sub variis figuris repræsentasse, atque sermonum suorum familiare argumentum inde sumpsisse: voluit etiam, in Transfiguratione sua quæ in Tabor accidit, aliquem gloriæ suæ radium erumpere. Videns enim Apostolos suos tunc perhorrescere passiones, & humiliationes, quæ via sunt in Cœlum adducens, atque prænoscens, scandalo ipsis futuram Crucem suam, suæque mortis ignominiam, voluit, oculis eorum affulgere lumen aliquod ejus gloriæ, quam fidelitatis ipsorum præmium destinabat, eosdem ad cruciatus ferendos excitaturus quadam ejus luminis Arrha, quæ esset quædam quasi prælibatio ejus gloriæ, quam ipsis pollicebatur. Illud vero præcipue notandum est S. Petrum tanto gloriæ illius amore fuisse captum, ut extra se raptus exclamaverit: *faciamus hic tria tabernacula*, Matth. 17. nesciens quid diceret: adeo præ lætitia sui compos non erat.

Quid S. Paulus de cælo dicat. Nemo ignorat, quibus verbis loquatur S. Paulus de Cœlesti Beatitudine, ad quam raptus fuerat: mira quidem ille viderat, sed quin illa nobis aperiat, sibi non licere de illis verba facere profitetur. Et sane si eidem verba facere licuisset; non potuisset tamen; quandoquidem testatur, quod neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus diligentibus se. Ita cum loquitur Evangelium, utitur solum nominibus gloriæ, Regni, Throni, cæterisque id genus vocabulis, ut innuat mercedem hanc excellere quidquid magnum, magnificum, eximium, & ad cordis nostri latitudinem explendam satis aptum, mens nostra concipere potest.

APPLICATIONES.

Deus ipse Beatorum merces erit. EGo merces tua magna nimis. Genes. 15. Deus nostra erit merces in Cœlo; ab ipso enim immediate hauriemus omne bonum in omnem æternitatem possidendum. Quamobrem Apostolus de Beatitudine verba faciens hæc ait 1. ad Cor. 15. *cum evacuaverit omnem Principatum, & potestatem, & virtutem:* quod significat, maximam illius boni partem, quod Deus nobis confert in hac vita, Creaturarum, Cœli, Terræ, syderum, & Angelorum ministerio conferri; tunc vero non amplius, vel Angelorum, vel Creaturarum rerum opera usurum, sed seipsum nostram legitimam felicitatem, hæreditatem, mercedem futurum: *ego merces tua magna nimis*. *Lanuza tract. 2. part. 2.*

Hujus mercedis magnitudo. *Altitudinem Cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi, quis dimensus est?* Eccli. 1. Hugo Cardinalis hæc verba explicat in allegorico quidem sensu, sed prorsus erudite. Per *Cœli altitudinem* intelligendam esse ait mercedem, quam tribuit Deus Justis hominibus, & quæ omnes nostras cogitationes, omnemque spem prorsus excedit: per *latitudinem terræ*, exhiberi hujus vitæ bona, quæ non aliud sunt, quam veluti terra si cum Cœlo conferantur, atque per *profundum abyssi* denique imperscrutabilia Infernorum supplicia indigitare. Hæc ea sunt, quæ pauci metiri sciunt uti opus est: *quis dimensus est?* ego autem credo, Cœli altitudinem metiri non aliud esse, quam conari humanis sermonibus æquare Divinæ magnificentiæ magnitudinem effulgentem. *Idem ibidem.*

Deus Beatis regnum suum tribuit. *Vocavit nos in Regnum suum, & gloriam.* 1. *Ad Thessal.* 2. Hoc est nos vocavit ad totius Regni sui, ac totius gloriæ suæ possessionem. Quis autem Rex unquam, vel largitus, vel pollicitus est totum Regnum suum illis, qui vitam suam pro illius gloria in periculum adduxerunt? Nemo unquam erga subditos suos majorem præ se liberalitatem tulit, quam Assuerus Reginæ Esther dimidiam Regni sui partem pollicitus: *etiamsi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis*; Esther 5. & Herodes vino captus, qui Herodiadi hoc ipsum in convivio spopondit, cui puella saltatrix novam videbatur afferre lætitiam: *quidquid petieris dabo tibi, etiam dimidium Regni mei*. Marc. 6. Hucusque Regum terræ promissiones evaserunt, quæ tamen semper caruerunt effectu. Sed Deus totum Regnum suum sine ulla exceptione, & divisione pollicetur, ac tribuit: *vocavit nos in Regnum suum, & gloriam. Idem.*

Cœli gloria ab Apostolo pondus vocatur. *Momentaneum, & leve tribulationis.... æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Ad Cor. 4. Mirabitur fortasse quispiam videns gloriam ab Apostolo *pondus* vocari cum a Spiritu Sancto in aliis Scripturæ locis solatium, requies, pax eterna vocetur. Sed innuit Apostolus immensam esse hanc gloriam, & supra hominum vires adeo positam, immo merita quæcumque adeo excedentem ut nisi beatorum mens supernaturali lumine confirmaretur, eam ferre minime posset, sed tanquam infinito pondere obrueretur.

Intra in gaudium Domini tui. Matth. 25. Jure Patres, atque Interpretes locutionis hujus vim notant; non enim dicitur gaudium in beatorum cor esse ingressurum; sed cor ipsum ingressurum in gaudium, tamquam in Oceanum, ubi submergatur. Neque dicitur solum ingredi in gaudium proprium hominis; licet nonnumquam ita præ gaudio efferatur ut sui compos non sit; sed dicitur in Domini gaudium ingressurus: *intra in gaudium Domini tui*. Oportet igitur, Deum, ut ita dicam, cor ipsum extendere, ut illud capere possit, quemadmodum ille gloriæ suæ lumine attollit mentem, ut manifesta Dei ipsius visione fruatur.

Beatorum merces omnem mensuram excedit.

Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Luc. 6. Docet Scriptura mercedem Sanctis tribui in mensura: *mensuram bonam*; ad hæc, in mensura superabundanti: *mensuram supereffluentem*, & quemadmodum S. Bernardus ait *mensuram sine mensura*; quia Deus Sanctorum præmia, neque cum laboribus, neque cum bonorum operum meritis, sed cum cordis eorum latitudine, ac desideriorum extensione metitur.

Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Luc. 6. In persona vel potius in Sanctorum glorificatorum statu promissio hæc ad litteram adimpletur. Verum si hoc ipsum in sensu magis morali accipiatur, ideoque magis apto ad ostendendam mercedis magnitudinem, quæ nobis in Cœlo promittitur: plena, & conferta merces ea dicitur, quæ per se replere possit vacuum, vel potius immensam humanorum votorum extensionem, quæ hominem beatum, & votorum suorum compotem possit efficere: ita S. Augustinus illam intellexit Evangelicas Beatitudines exponens.

Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ad Roman. 8. Scio equidem Sanctos pro Deo laborantes multa fuisse perpessos; vita eorum in terris austera fuit, pœnitens, mortificata; sed inter austeritates, pœnitentias, & mortificationes cum Apostolo dicere potuerant: *non sunt condignæ passiones &c.* Patimur quidem, sed præterquamquod pro justitia patimur, quod ipsum uberrimi præmii loco esse posset; præterquamquod pro Deo patimur, quod solum jam nobis est tanquam præcox beatitudo: quæcumque patimur, nequaquam sunt conferenda cum ea gloria, quam nobis Deus præparavit; & in hoc confidimus, quod minimus gloriæ, quam præstolamur, gradus prorsus, & cum fœnore, ea reparabit quæcumque in Cœli via nobis gravia, atque molesta acciderunt.

Dei ipsius possessio erit merces nostra.

Ego merces tua magna nimis. Genes. 15. Ego, inquit Deus Abrahæ servo suo, ego qui Dominus, ac Deus tuus sum, ego ipse ero merces, & beatitudo tua. Extra me nihil merces digna esse potest, & omnis gloria mea sine me sibi satis esse non potest. Ego unus te beatum efficere possum, ideoque non aliam quam meipsum tibi mercedem polliceor; me possidebis: *ego mercedes tua*. Facile autem est intelligere quomodo possessio Dei operari possit in homine Divinum effectum, quam David per hæc verba: *Psalm. 16.* exprimere conabatur: *satiabor, cum apparuerit gloria tua*. Hoc est, Auditores lectissimi, secretum incomprehensibilis illius felicitatis, qua Sancti in Cœlo fruentur; Deum possidebunt, & erunt pleni Deo: *inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Ps. 39. Bibent longis haustibus de torrente divitiarum tuarum, quæ inundabunt illos; & adfert rationem, *quoniam apud te est fons vitæ*.

Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Psalm. 35. Si interior consolatio, si Cœlestis gratia efficit, ut in hac lacrymarum valle ineffabilem dulcedinem percipiamus eo usque, ut omnis laborum nostrorum amaritudo ita auferatur, & gravissimæ etiam Cruces ita leves fiant, eo ut Martyres inter exquisitissima tormenta veram inveniant voluptatem: quid tandem erit in Cœlo, ubi solatia, & spirituales deliciæ non guttatim delibantur, sed in ipso torrente potantur? Deus, qui universum hunc orbem verbo condidit, omnes exhaurit suæ Omnipotentiæ Thesauros, ut animam perfecte beatam perficiat. Dicendumne igitur, beatum in deliciarum torrentibus nataturum, iisque quodammodo inebriatum iri? Sed infirmæ sunt hujusmodi locutiones, & ideæ parum verisimiles. Dicere quidem possumus, quidquid cogitat spiritus de incomprehensibili hac felicitate; nihil tamen dicemus illa dignum, nec quid illa sit, assequemur. Quandonam hujusmodi cogitationes, o Deus, meum cor igne tui amoris accendent? numquid licebit mihi aliquando frui ineffabilibus suavitatibus illius felicitatis, quam meditor & quam satis exprimere nequeo? Tu me ad id unum creasti, tum mihi ad id omnia adminicula suppeditasti, & ego per Redemptoris nostri mortem ad hanc gloriam jus obtinui. Quid igitur Domine? numquid me mea prava voluntas hoc bono privabit? hujus mercedis intuitus mihi animos fecit; in me hanc ciet spem, atque confidentiam: largire mihi Domine gratiam tuam, ut illam promerear.

Quæcumque ad cœlum promerendum conemur, dicere possumus illud pro nihilo nobis dona-ri.

Pro nihilo habuerint terram desiderabilem, Ps. 105. inquit Regius Propheta de Ismaelitis verba faciens. Labores omnes, quoscumque ad id pertulerunt, pro nihilo censendi sunt. Profecto vita christiana nimis ne austera videtur Beatis in Cœlo, via, quæ illuc adducit, nimis ne arcta videtur? videtur nimis grave jugum Domini, & Evangelium nimis severum? Queriturne ibi quispiam, multos sibi perferendos fuisse labores, ut Sanctus fieret? & Cœlum magno nimis haberi in pretio, cum illis tantum concedatur, qui sibimetipsis vim faciunt?

Domine jube me venire ad te. Matth. 14. Christianus ardenti flagrans desiderio vivendi Deum suum, Sancta plenus confidentia, sanctaque correptus impatientia cum Principe Apostolorum clamare debetet: *Domine jube me ad te venire*, hoc unum mihi desiderium est: in procelloso hujus mundi pelago ad æternæ beatitudinis portum adspiro. Judæus maris aquas findit, ut Canaanitidem versus iter instituat; cum fidelis super aquas incedens, ut se cum JESU CHRISTO conjungat, pedibus mundum totum conculcat; tanta rapitur festinatione, ut supremum bonum possideat: *Ex libro, cui titulus, Essais de Sermons; tomo de Adventu, sermone pro omnium Sanctorum die.*

Torrente voluptatis potabis eos...& apud te est fons vitæ. Ps. 35. Sanctorum in Cœlo lætitia nunc torrentis nomine, nunc fontis nuncupatur ad indigitanda duo bona, quæ contraria videntur super terram in duplici hoc symbolo, sed quæ simul in Beata illa Mansione inveniuntur. Torrens est voluptatum propter affluentiam Beatorum corda inundantem: fons est propter æternitatem, quoniam fons numquam exhauritur. Torrens cum impetu fertur, sed cito exarescit: fons numquam arescit, sed modicam aquarum venam vehit, in Cœlo autem torrens ille gaudiorum, atque deliciarum, torrens quidem est, sed numquam exarescens, fons est, sed æque copiosus, ac perennis.

Flagrans Deo fruendi cupiditas.

Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam mostrabo tibi. Gen. 12. Hæc olim Abrahæ dixit Deus: Abraham vero admirabili cum celeritate Dei mandatis obtemperavit, plurimasque pertulit ærumnas, atque labores, spe hac suffultus, terram a Deo sibi indicandam totius posteritatis suæ hæreditatem futuram. Deus illi hoc præsertim commendavit, ut illam totam, quanta erat, percurreret, eamque diligentissime metiretur: *Perambula terram in longitudine, & latitudine, quia tibi daturus sum eam*. Gen. 13. Non est operosum hæc transferre verba ad Cœlum, quæ vere est terra promissa. Deseramus saltem corde, & affectu terram hanc, ubi vivimus, & ubi possessiones, domos, consanguineos habemus; ac Spiritu nosmet transferamus in Beatam illam viventium terram, quo Deus nos invitat, & quo Dei Filius viam stravit. Metiamur terram illam, quæ futura est Patria nostra, & ubi aliquando sumus regnaturi. Labores quidem, doloresque sunt perferendi; sed hi nobis suaves, levesque esse debent, quandoquidem postea æterna requie sumus perfruituri.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum loci, atque Sententiæ in hoc argumento.

Facilius possumus dicere quid ibi non sit (in cœlo) *quam quid sit*. S. August. lib. 3. de Symbol. *Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitu-*

lassitudo, non est infirmitas, non est fames; nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indignatio, nulla tristitia. Idem, ibidem.

Non erit aliqua invidia disparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis. Idem super Joannem.

Hereditas Christi, qua cohæredes sumus, non minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate cohæredum; sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus. Idem, in Psalm. 49.

Cum accepta fuerit ineffabilis illa visio, perit quodammodo humana mens; & fit divina. Idem, in Psalm. 35.

Si pulchra sunt hæc, quid ipse? si hæc magna sunt, quantus est ipse? Idem, in Pf. 84.

Homo quærit requiem non in regione sua. Idem, in Pf. 48.

Qui non gemit ut peregrinus, non gaudebit ut civis. Idem, in Pf. 145.

Beatitudo vera non est, de cujus æternitate dubitatur. Idem, l. 2. de Civit. Dei.

Ipse (Deus) *finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur*. Idem, ibid. l. 22. c. 30.

Quid beatius eo, qui fruitur inconcussa & incommutabili veritate? Idem, l. 2. de lib. Arbitr.

Ecce venale est regnum Dei; eme si vis: tantum valet quantum habes. Noli quærere quod habeas, sed qualis sis; res ista valet tantum, quantum es tu. Te da, & habebis illam. Idem, lib. de spiritu & anima.

Ibi vacabimus & videbimus, videbimus, & amabimus, amabimus, & laudabimus; ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi pervenire ad regnum, cujus nullus est finis? Idem, lib. 22. de Civit. Dei.

Nemo est qui non expectet beatitudinem; quis enim unquam vel potest, vel potuit, vel poterit inveniri, qui nolit esse beatus? Idem, in Pf. 118.

Omnem sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa gloria, illa magnificentia, illa majestas. Idem, Serm. 37. de Sanctis.

Quod Deus parat diligentibus se, fide non comprehenditur, spe non attingitur, charitate non capitur, desideria & vota transgreditur; acquiri potest, æstimari non potest. Idem, Serm. 253. de Sanctis.

Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? Si tanta solatia in hac die lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? Idem, Solil. c. 21.

Res ista, o homo! id est regnum cœleste aliud non quærit pretium quam teipsum; tantum valet, quantum tu es: te da, & habebis illud. Idem, Serm. 37. de Sanctis.

Regnum Dei pariter ab omnibus totum & a singulis possidetur; regnum Dei crescente possessorum numero non minuitur, quia non dividitur; unicuique integrum est, quia concorditer habetur a multis. Idem, Serm. 18. de Verbis Domini.

Beatam vitam quæritis in regione mortis, non est hic: quomodo enim beata vita, ubi nec vita? Idem, l. 4. Confess. c. 12.

Beata vita gaudium de veritate. Idem, ibid. lib. 10. c. 23.

Erit verum omnium scientia sine errore, vel labore, ubi Dei sapientia de ipso suo fonte potabitur. Idem, l. 21. de Civit. c. 24.

Ibi nec desiderium pœnam generat, nec satietas fastidium parit. Idem.

Tanta dignitatis est cor humanum, ut nullum bonum præter summum ei sufficere possit. Idem.

Quidquid hic quærebas, quidquid pro magno habebas, illic tibi erit. Idem.

Uno perfruemur, sed ipsum unum omnia nobis erit. Idem.

Ibi beata vita in fonte suo bibitur: aliquid hic humana vita aspergitur. Idem.

Verum gaudium comparari hic potest, possideri non potest. Idem, Serm. 6. de Temp.

Si vis sustinere laborem, attende mercedem. Idem, in Psalm. 36.

Proh quanto labore quantam mercedem accipimus! Idem, in Psalm. 73.

Ostendam tibi omne bonum! Tolle hoc & illud, & bonum est Deus. Idem, l. 8. de Trinit. c. 3.

Hæc omnia (nempe divitiæ & voluptates) miserorum sunt atque damnatorum solatia, non præmia Beatorum. Idem, l. 22. de Civit. Dei c. 24.

Quid dabit iis quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis, quos prædestinavit ad mortem? Idem, ibidem.

Quantumlibet sis avarus, sufficit tibi Deus. Idem, in Pf. 55.

Illuc parantur corda nostra, in omnibus hujus vitæ tribulationibus. Noli mirari quia in laboribus pararis, & ad magnum aliquid pararis. Idem, in Psalm. 36.

O regnum beatitudinis sempiterna, ubi juventus numquam senescit, ubi decor numquam tepescit, ubi sanitas numquam marcescit, ubi gaudium numquam decrescit, ubi vita terminum nescit! Idem, in Solil. c. 15.

Si considerentur quæ nobis promittuntur in Cœlis, vilescunt omnia quæ habentur in terris; terrena namque substantia superna felicitati comparata pondus est, non subsidium. S. Gregor. Homil. in Evang.

Quid non videbunt, qui videntem omnia videbunt? Idem.

Ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores. Idem, ibidem.

Quid hoc bono melius, quid hac felicitate felicius, vivere Deo, vivere de Deo? S. Ambrof. lib. de Offic.

Omnia bona in uno bono. Idem, Epist. 11. l. 3.

Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quando gloria æternitatis acquiritur. Hier. in Epist.

Summa merces hæc est, ut Deo fruamur. Lib. de Trinit. c. 33.

Nemo beatus est, qui eo quod amat, non fruitur. Idem, ibid. c. 9.

Quotiescumque te vana sæculi delectaverit ambitio, quoties in mundo videris aliquid gloriosum; ad paradisum mente transgredere, esse incipe quod futura es. Idem, Epist. 22. ad Eustoch.

Respice quod promissum est, omne opus leve solet fieri quando ejus pretium cogitatur; & spes præmii solatium est laboris. Idem, Epist. ad Demetr.

Qualis illa cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate vivendi; quam summa & perpetua felicitas! S. Cyprian. lib. de Mortalit.

Non possunt cœlum aspicere, quorum mens humi defixa est. Lactant. lib. 1 de vita beata.

Quam speciosa debet esse cœlestis Jerusalem, si sic fulget Roma terrestris? Si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis præstabitur sanctis diligentibus veritatem? S. Fulgentius.

Non totum gaudium intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium Dei; sic gaudebunt toto corde, ut totum cor non sufficiat plenitudini gaudii. S. Anselm.

Merces sanctorum tam magna est, quod non potest mensurari; tam copiosa, quod non potest finiri; tam pretiosa, quod non potest æstimari. Bernard. de Considerat.

Plenitudo, quam expectamus, non erit a Deo, nisi de Deo. Idem, Serm. 11. in Cantic.

Quid poterat dare seipso melius vel ipse? Idem.

Promittis mundus temporalia & parva, & servitur ei aviditate magna; ego promitto summa & æterna & torpescunt mortalium corda. Lib. de Imit. Christi, lib. 3. c. 3.

Ut sic intelligamus quantum debeat desiderari vita

vita illa, quam per vulnera & inaestimabiles labores videmus inquiri, quam cognoscimus pretio sanguinis comparari. Euseb. Emissen. in natal. Apostol.

Avidi & semper pleni, quod habent esuriunt Beati. Pet. Damian. in Hymn. de Paradiso.

Ipse erit omnia in omnibus, rationi plenitudo lucis, voluntati plenitudo pacis, memoriae continuatio aeternitatis. S. Bernard. Serm. 11. in Cantic.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus hauriri queat ad hoc argumentum.

Coelestis beatitudinis definitio.

COELI Beatitudo, quae Sanctorum gloria atque aeterna felicitas appellatur, Boetio Auctore *status est omnium bonorum aggregatione perfectus*. Definitionem hanc veluti aequissimam S. Thomas 1. 2. q. 3. & 81. adoptavit. Ab aliis tamen definitur status aeternus, certus, & immutabilis ab omnium malorum genere immunis, omniumque bonorum genere, naturae, gratiae, & gloriae cumulatus. A. S. Augustino *lib. 3. Trin. c. 4.* dicitur felicissimus status, ubi rationabilis Anima possidet quidquid cupit, nihilque nisi bonum cupit. Denique a S. Bernardo vocatur status, ubi nihil deest eorum, quae cupimus, & ubi felicissima est aggregatio eorum omnium, quae cupere possumus. Allatae omnes definitiones eamdem adstruunt ideam, atque efficiunt, ut inde arguamus, cum hoc bonum, quidquid veteres Philosophi dixerint, in hac terra non inveniatur, unice perquirendum esse in Coelo; atque ad illud acquirendum omnes industriae conatus esse exercendos.

Beatitudo alia essentialis, alia accidentalis.

Haec Beatitudo, & Gloria in essentialem, & accidentalem dividitur. Essentialis quidem consistit in possessione Dei per apertam essentiae ipsius visionem, vel per amorem, vel per supremi hujus boni gustum, atque laetitiam, vel per haec omnia simul, de qua re disputatur in scholis, & inutile est de fugestu disceptare: constat solum, haec omnia profutura perfectae nostrae felicitati. Accidentalis autem Beatitudo, quae est effectus quidam, & proprietas felicissimi hujus status, consistit in qualitatibus spiritus, & corporis, omnibusque aliis circumstantiis, quae hanc Beatitudinem completissimam possunt efficere.

Haec felicitas justis, atque Praedestinatis praeparata, atque destinata est ab aeterno, quemadmodum ipse Dei Filius in Evangelio testatur: *venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi*. Matth. 25. Sed inutile est hoc in loco quaerere, utrum haec gloria ante an post meritorum praevisionem fuerit destinata. Illud autem in quaestione revocari non potest, atque pro certissimo habendum est, neminem adultum gloriam hanc esse possessurum quin eamdem bonis operibus promeritus fuerit; quoniam haec est laborum merces: *merces vestra copiosa est*: Matth. 3. & S. Paulus illam justitiae coronam appellat: quod non prohibet, quominus sit etiam haereditas, quam nobis JESUS CHRISTUS acquisivit sanguine suo, hac tamen conditione, ut ad eam obtinendam adlaboraremus.

Quonam in re SS. consistat felicitas.

Sanctorum felicitas si ex ea parte spectetur, quae nobis magis patet, in hoc consistit, quod illi non sunt amplius, quod nos sumus. Bona quibus illi fruuntur, omnino ignoramus: sed ea cognoscimus mala, quibus illi carent, ideoque ad excitandam in nobis illius felicitatis cupiditatem praestat exhibere ea, quibus liberati sunt, mala, quam ea exaggerare bona, quae ab iis possidentur. Si enim cognitio obscura, quam de ineffabilibus ipsorum delitiis habemus, non sufficit, ut omnia nostra desideria in Coelum convertamus: spes, futurum ut tot malis careamus, quibus in hac terra obruimur, efficiet procuidubio, ut ad beatam illam mansionem anhelemus. Quemadmodum tutior Dei in hac vita cognoscendi ratio est, eas scrutari imperfectiones, quibus ipsius natura obnoxia non est; ita brevior, atque efficacior Sanctorum felicitatis cognoscendae via est, illas perpendere felicitates, extra quarum jactum sunt positi.

Quinam futurus sit Paradisus, nescio equidem; hoc unum scio, nos aeterno inebriatum iri gaudio, nos Deum ibi in ipso visuros, qui nuspiam magis videtur Deus, quam in illa omnium delitiarum sede, ornatus omnes, quibus Coelum, terramque decoravit, & quidquid naturae ab arte accedere potest, ut nobis afferat voluptatem, nostrosque sensus eliciat; scio inquam haec omnia inanes umbras esse, ubi cum Paradiso conferantur. Quid ibi futurum sit, nescio; scio tamen quid ibi futurum non est, nullum malum, neque morale, neque physicum; non peccatum, non vitium, non invidia, non avaritia, non inconstantia; immo neque virtus ulla quae ullo nobis constet impendio, atque molestia; fides nulla, ea enim in apertissimam scientiam mutabitur; nullus metus, nulla spes, nullus dolor, poenitentia nulla.

Gaudium (Philosophus ait) *est complementum motuum animi, & ultima perfectio*; est cordis requies, quod vel suum centrum invenit, vel illud se invenisse arbitratur. Hinc fit, ut in gaudio praecipue plenitudinem nostram, supremumque bonum nostrum inveniamus. Itaque affirmari potest, nullam esse veram beatitudinem sine gaudio, quod proprie quaedam est spiritus satisfactio per amati objecti possessionem sese in corpus, omnesque sensus effundens; quoniam amor est, iis fruens, quae concupivit. Verum quemadmodum omnia terrae gaudia nullam vel rationem, vel proportionem habent cum Beatorum laetitia, quae omnino completa est, inferendum est nullum nisi in Coelo verum gaudium inveniri, neminem nisi in Coelo votorum suorum perfecte compotem futurum; ubi aderit totius spei complementum, atque universalis omnium desideriorum satietas. Beatorum Laetitia.

Verum quidem est in Coelo varios esse gloriae gradus, quemadmodum in terra varii sunt gradus gratiae atque meritorum: beatos gloria differre, quemadmodum sydera differunt claritate; & juxta JESU CHRISTI ipsius testimonium in Domo Patris Coelestis plures esse mansiones; verum hoc minime prohibet quominus Beati omnem divinitatis plenitudinem possideant secundum gradus visionis beatificae plus, minusve sublimes, ad quos erunt evecti. Haec omnia electionis vasa in Domini tabernaculis posita hoc torrente voluptatis replebuntur; omnes Dei pulchritudines, magnalia, atque divitiae a Praedestinatis possidebuntur, & nulla erit tantae felicitatis pars, in quam minime vocentur. Non solum possidebunt Deum, sed nobiliori, perfectiorique modo eum possidebunt, purissima sublimissimaque cognitione, ardentissima, atque inflammatissima charitate, & ideo perfecta illorum erit felicitas, quod nullus aderit metus illius amittendae. Licet plures sint gloriae gradus, omnes Sancti perfecte contenti sunt.

Duo sunt essentialia humanae felicitati; actio, & possessio. Si possidet Homo, quin agat; boni magnitudinem non percipit, ideoque beatus non est, quia suam non agnoscit beatitudinem: sin autem agit, quin possideat, minus adhuc beatus est; quia eo caret, quod cupit, At in Deo anima agit, & possidet; semper desiderat bonum, quo fruitur, semperque fruitur bono, quod desiderat. Quamobrem S. Augustinus inquit: *videbis, amabis, vacabis*. His verbis S. Doctor eam nobis viventem, agentemque exhibet felicitatem, quae in Dei sinu semper est, & in suavissimo motu, & in perfectissima tranquillitate. Anima iis affectibus vacua, qui eamdem excaecant, eoque ablato velo, quod res creatae inter Deum, atque illam constituunt, videbit Deum per lumen Dei. Divinum hoc lumen quo penetrabitur, illam confirmans, eam usque ad Divinitatis aspectum attollet, cujus fulgor eamdem perstringeret, si infirmis naturae luminibus, illum intueri conaretur: *videbis*. Dei intuitus trahit amorem, & fieri non potest, quod alter minime sit in gradu alterius: *amabis*; & quod hic intuitus, & hic amor non gignat laetitiam, & illam Duo requiruntur ut quis beatus sit.

volu-

voluptatis plenitudinem, in qua felicitas vera consistit; *vacabis*.

Quærunt Theologi quomodo fieri poterit, ut idem objectum nobis semper placeat, quin tædium, & nauseam pariat; quod variis rationibus explicant. Dicunt alii, Deum spiritus nostri naturæ sese accommodare, quem sola varietas recreare potest, ne tædio afficiatur; ipsum in Cœlo tali providentia pulchritudines suas ostensurum, ut successive alias post alias animabus ostendat; cumque illius infinitæ sint pulchritudines, non deferre, quomodo in omni æternitate successive earum nos fruitione detineat. Hæc tamen ratio explicandi Beatorum satietatem sine fastidio censoria nota a S. Augustino perstringitur docente, in Cœlo cogitationes nostras nequaquam inconstantes futuras, neque de objecto in objectum transituras, quod in terra faciunt, sed in Deo omnia simul, & omnia semper a nobis esse videnda. S. Thomas hoc aliter explicat. Donec spiritus, ait ille, in extasim raptus est, neque nausea, neque tædio affici potest; admiratio enim parit voluptatem, & ciet mentis curiositatem ad ea, quæ admiratur, cognoscenda: Beati vero semper in extasim, atque admirationem sunt rapti. Alii denique dicunt pulchritudines, & quæcumque bona creata, statim in nobis parere satietatem illius dulcedinis, quam ibi deprehendimus, quia vacua sunt, levia, & finita, ideoque non satis paria, ut faciant satis animæ rationabili, cujus vota in infinitum feruntur. Sed supremum bonum nobis faciet satis, quod semper nos in rerum omnium possessione constituat.

De gloriæ lumine.

Quemadmodum nostra in Cœlis Beatitudo præcipue consistit in manifesta essentiæ Divinæ visione, Theologia docet, hanc visionem fieri ope luminis gloriæ, quod humanum intellectum attollit, ac efficit parem ferendis fulgoribus Divinitatis, ut ita loquar, quod propriis viribus numquam efficere potest. Quemadmodum autem hac in vita sine gratia, & charitate amare non possumus amore supernaturali, quia opus est, ut Sancti simus, & accepti in oculis Dei; similiter sine lumine gloriæ Deum perfecte videre non possumus ea visione, quæ intuitiva vocatur. At hoc lumen gloriæ est particularis participatio luminis increati, atque immensi, quo Deus seipsum cognoscit, contemplatur, & perfecte comprehendit.

Illud vero præsertim in hoc argumento nobis notandum est, quod ratio simul, & fides docent, nos videlicet creatos esse, ut Cœlo fruamur, ac Deum possideamus: quod Ethnici quidam Philosophi lumine rationis intellexerunt. Profecto æstus hic curarum, inquietudinum, ac sollicitudinum, quo torquemur, ut beati simus, satis ostendit illis, qui de animæ suæ immortalitate ambigere nequeunt, se ad aliquid majus creatos fuisse: unde sequitur, quandoquidem ex tot objectis, quæ in hoc orbe visibili intuemur, nullum neque perfecte, neque diu nobis satisfacere potest; necessario felicitatem hanc quærendam esse in possessione illius boni, quod replere possit cor nostrum, omnibusque votis nostris satisfacere, quemadmodum loquitur S. Augustinus. Sed fides nos distinctius docet, quod ratio tradit generatim, & confuse; nos scilicet creatos esse, ut Deum videamus, amemus, possideamus, atque ut æternum felices simus per hanc possessionem, quæ in hac vita nobis promerenda est, & acquirenda.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, & Nuperis Concionatoribus loci ad hoc argumentum.

Homo naturaliter beatum esse desiderat, & Deum quærit.

HOmo Deum naturaliter desiderat. Hinc fit, ut cor, supremi boni nomine, illum semper deposcat. Cor seipsum numquam fallit, sed fallitur ab intellectu nostro, illi voluptates, falsaque bona exhibente pro eo bono, cujus amore suspirat. Seipsum tamen numquam fallit, vix enim fictum hoc bonum amplexum est, cum inquietudine sua testatur hoc non esse bonum illud, quod cupit, atque vota ipsius perperam fuisse intellecta. Illi offeruntur opes, atque affirmatur has proculdubio illud esse quod ab ipso desideratur. Fidem adhibet, & hæc fides eum parit ardorem, eam festinationem, quam in illis acquirendis præfefert: sed vix illa tandem possidet, cum se iterum deceptum agnoscit, & aliquid aliud a se quæri profitetur: *irrequietum est cor meum, donec requiescat in te*: quod mihi persuadet ipsum revera Deum quærere, quin hoc sciat, per naturalem quemdam instinctum, quem Deus illi in creatione inseruit. Verum quemadmodum creaturæ omnes sese catervatim æque, ac Deus eisdem exhibent, nostrique sensus creaturas pro Creatore desumunt, hoc illi repræsentant, quod ab ipso non quæritur. *Pater de la Colombiere in Christianis Considerationibus; Consideratione de Paradiso.*

O gloriosam immortalitatem quandonam te possidere nobis licebit! plorarene, an exultare debemus? in deliciarum divitiarumque tuarum recordatione, numquid nobis ingemiscendum est, cum videamus te tam procul abesse, quam Cœlum abest a terra, vel potius lætandum, cum inspiciamus jam propius ad te nos accedere quo propius ad exilii nostri finem accedimus? Poterat Deus efficere, ut ibi nasceremur, poterat repente nos illuc transferre, si tantopere nos illius gloriæ cupiebat esse participes. Poterat quidem, sed voluit nos voluptatem, & gloriam percipere, ex eadem promerenda. Fieri ne potest, ut homines qui tot tantosque labores patiuntur, ut adeo exigua bona ferant, subeant periculum amittendi cumulum bonorum omnium, si sibi integrum relinquatur illum vel quærere, vel negligere? Nonne satis est, illum vobis offerri? cuperetis etiam vos cogi ad eum recipiendum? *Idem*.

Sexcenties fortasse de Roma veteri sermo auribus vestris accidit; verum est nihil umquam extitisse par, vel Senatus illius Majestati, vel Ædificiorum magnificentiæ, vel triumphorum splendori, vel spectaculorum, publicarumque solemnitatum pompæ. Numerari minime possunt Provinciæ quarum exuviis una illa Civitas fuerit locupletata, in quam unam collatum fuit, quidquid in mundo rarum, ac pretiosum erat; & cujus Cives ad eum potentiæ gradum pervenerant, ut non immerito se totidem Reges esse existimarent. S. Augustinus fatetur, nihil sibi optatius futurum fuisse, quam Urbem illam totius Mundi caput in statu adeo florenti conspicere. Sed quorum tanta gloria, tanta spes, tanta prosperitas? Hæc omnia, si eidem S. Augustino fidem habemus, inde profecta sunt, quod præmium aliquod tribuere voluit Deus nescio quibus moralibus virtutibus, quarum nonnulli illius Urbis Cives præclara exempla tribuerant. Hæ ipsæ virtutes non aliud erant, ut plurimum, nisi speciosa vitia, vel ad summum virtutum umbræ, atque phantasmata, cum cœlesti gratia animatæ non essent. Attamen si tantam temporalium bonorum profusionem pro imperfectis actionibus persolvit Deus; quid fiet tandem, cum virtutibus veris, supernaturalibus, atque heroicis præmium erit collaturus? *Idem in Sermone Omnium Sanctorum.*

Nihil aptius hominis cor inter vitæ hujus calamitates positum confirmare potest, quam æternæ beatitudinis cogitatio. Sese enim quodammodo invictum præbet adversus calamitates, quicumque oculos aperire potest fulgori lucis hujus omnia terræ objecta obruentis, ut Cœli solius adspectum relinquat. Alia quæcumque consolatio frigida est, si conferatur cum ea, quæ ex adeo sancta cogitatione emanat, & solus intuitus vitæ alterius eam, qua opus est, vim potest conferre, ut animo tranquillo vitæ hujus ærumnas patiamur. *Pater Rapin libro cui titulus vita prædestinatorum in beata Æternitate.* Beatæ æternitatis cogitatio.

Arrogantiæ nonne est sermonem instituere de argumento adeo sublimi, de quo Apostolus ipse ait, quod non licet homini loqui? & profecto undenam Cœli gloria ineffabilis.

denam desumi potest verborum copia ad ea exprimenda, quæ humanum quemcumque conceptum longius excedunt? Quonam pacto ea dici possunt, quæ neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt? Quomodo audere possumus quædam detegere lineamenta admirabilis illius mansionis, de qua ipsi etiam SS. Patres, quibus tamquam Organis, ut plurimum, utitur Deus hominibus seipsum explicaturus, iis loquuntur verbis, quæ rei magnitudinem deterunt? . . . . . . Ipsa etiam Theologia, quæ est nostræ Religionis scientia cum omnibus argumentationibus, & luminibus suis in hoc argumento balbutit. Numquid fidei consonum est, inquit Propheta, ea, quæ Deus mirabiliter in alterius vitæ splendore operabitur, in tenebris vitæ hujus intelligi? Adde his ignorantiam nostram, locutionum infirmitatem, & humilitatem verborum in hoc argumento, quod toto Cœlo mentis nostræ captum exsuperat. *Idem*.

Hæc humani cordis negligentia in iis, quæ ad Cœlum pertinent, inquirendis ex solo rerum terrenarum amore proficiscitur, quemadmodum S. Gregorius Magnus testatur. Homines, inquit ille, temporalium, fluxarumque rerum amore occupati æterna non comprehendunt, vel ubi comprehenderint, illa contemnunt; quin oculos attollant ad Cœleste hoc lumen, atque anhelent ad divinam hanc patriam, quæ sibi destinata est; suum amant exilium, quo damnati sunt, in propria cæcitate eam inquirentes voluptatem, quæ ex sola æternarum rerum consideratione est petenda. Hic eorum est mortalium status, qui vanitati vacant; hæc dispositio cordis eorum in iis, quæ ad alteram vitam spectant: præsentia tantummodo depereunt, futura nullo habent in discrimine. Hæc autem ignorantia, & negligentia ex lethifero sopore proficiscuntur, in quem amoris hujus sæculi fascinatio hominum mentes immergit. In hoc cæcitatis humanæ miseria consistit. Tandem enim Deus prudenti, atque digno æterna sapientia sua consilio tunc in cordibus nostris Cœli cogitationem ciebit, cum nos in nobis omnes terræ cogitationes extinxerimus. *Idem*.

Terra, in qua vivimus habenda est tamquam locus exilii.

Ex frequentibus æternitatis meditationibus pia subboriuntur desideria, quibus fidelis flagrat promissæ sibi gloriæ perfruitionem adepturus. Ex futuri boni magnifica imagine ea proficiscuntur vota, quibus S. Paulus rapiebatur cum amore æstuans ajebat: *coarctor, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*, ad Philipp. 1. Quomodo enim beata illa requies concupisci non potest inter perturbationes, atque tumultus vitæ adeo procellosæ, quam in terra vivimus? *Idem Pater Rapin*.

Hoc efficit, ut Christianus reputet terram tamquam locum exilii, quo a cœlesti patria prohibetur, ideoque viatori similis loca, qua transit, non amat, non diligit; negligit omnia, spectat enim itineris sui terminum, qui Cœlum est, quod unum, quemadmodum servus libertatem, votis omnibus concupiscit. Sed fides una puris, efficacissimisque luminibus suis efficere potest, ut has veritates sentiamus: ipsa una oculos aperire, ut humanarum rerum vanitatem intelligamus, atque mentium nostrarum dignoscamus errorem; ipsa una præstare, ut perspiciamus quemadmodum oportet, imperceptibilem vani pernicitatem, quam præbuit hujus mundi figura, quin aliquod relinquat vestigium fragilium, fluxorumque bonorum, quæ adeo enixe ab hominibus conquiruntur. *Idem*.

Deus per essentiam suam adeo perfectus est, ut creatarum quarumcumque rerum perfectissimæ pulchritudines simul collectæ esse non possint nisi imperfectissimæ imagines supremarum infiniti hujus entis perfectionum. Hæ ipsæ creaturæ, quæ tantopere arrident, & placent, & quas homines ita depereunt; simul omnes rudes essent adumbrationes, & exigua supremæ illius pulchritudinis vestigia, fortuito ut ita dicam ex omnipotentis manu delapsa. Quod si in minimis etiam Dei operibus, atque in imperfectissimis creaturis tot perfectiones elucent, quot in ipso illo effulgebunt, qui earum auctor est, atque principium, quemadmodum loquitur S. Augustinus in Psalm. 84. *Si pulchra sunt hæc, quid ipse? si hæc magna sunt, quantus est ipse? Idem*.

Visio Beatifica in cordibus nostris ardentem Dei amorem pariet.

Clara Dei visio non erit similis sterilibus illis luminibus, quæ sæpius in hac vita sentimus, ubi Deum cognoscimus, quin eum diligamus. Cognitio hæc erit fœcunda, & efficiet, ut quod sentimus etiam gustemus, quæ postquam sese in mentem nostram infuderit per luminum suorum effusionem, replebit corda nostra sui amoris effectu, omnibusque suæ unctionis deliciis. Itaque non solum agnoscemus Deum videntes pulchritudinem hanc, quæ est fons omnium pulchritudinum, sed illum perfectissime amabimus: & amor hic licet perfectus, magis magisque perficietur, prout intrabimus in gaudium Dei veritatem mysteriorum ipsius scrutaturi. Quo magis crescent lumina, quibus mentes nostræ illustrabuntur, crescet quoque cordis nostri dilectio, & ingrediemur in omnes divini amoris delicias, ubi in omnia sapientiæ ejusdem secreta ingrediemur. *Idem Pater Rapin*.

Quinam erunt Cœlestis hujus amoris impetus? quænam deliciæ; quandoquidem Deus omnibus perfectionibus suis indutus illius erit objectum, & ratio, qua ille diligetur, prorsus erit divina? quænam voluptas amare aliquid adeo perfectum, & illud adeo perfecte amare; hoc est illum ardentissima benevolentia complecti, quam ineffabiles unctionis Spiritus Sancti motus fovebunt? O suavitas! O deliciæ amoris beatorum, quam incomprehensibiles estis! tunc prædestinatus cor suum lætitiæ tradet, ipse quoque in admirationem, extasimque rapietur: atque in adeo suavi dilectione tota transigetur æternitas, quin aliquid metuatur, quod eamdem possit vel prohibere, vel imminuere. *Idem*.

Quid sit Deum possidere.

Possidere Deum est possidere bona omnia simul collecta: ille omnia complectitur, eaque omnia beatis dividet, quemadmodum inquit S. Paulus, 1. ad Cor. 15. *ut sit omnia in omnibus*. Neque satis hoc; quoniam ipsius lætitia, voluptas, Beatitudo, erit lætitia, voluptas, Beatitudo Prædestinati, cui dicet ille: *intra in gaudium Domini tui*. Deus Beatos participes efficiet lætitiæ, atque beatitudinis non Angelorum, atque Cœlestium potestatum; sed suæ ipsius: ille beatus erit, uti Deus est, quia erit beatus ex lætitia Dei. Denique Deus ipse cum tota magnificentiæ suæ magnitudine, omnibusque perfectionibus suis erit cumulus beatitudinis prædestinati, & merces illius; quemadmodum ipse olim Abrahæ pollicitus est: *Ego merces tua magna nimis*. Genes. 15. *Idem*.

Cæterum in cœlestis illius mansionis conceptu ne fingamus nobis illos adesse ornatus, quibus hominum luxus, & vanitas summorum Principum instruit ædes; neque putemus illic confusum esse acervum divitiarum hujus terræ, quibus illi sua conclavia condecorant; neque existimemus, oculos videre ea supellectili exornatas, quam superbia nacta est. Hæc omnia terrena sunt, corruptibilia, & Dei magnitudine indigna. Fulgidissimæ ipsæ ideæ, quas S. Patres de Paradisi pulchritudine nobis adstruunt, obscuræ sunt, atque humiles, ubi conferantur cum eo, quod ille est; videlicet cum perfectissimo opere divinæ potentiæ, in quo locupletissimos illa suos thesauros exhausit. Illa erit diversi ordinis architectura, & alio spiritu concinnata, quam humano; ædificium superbissimum, quod mente concipi haud valeat; ædes magnificæ, quas Deus, qui omnes visibilis hujus mundi pulchritudines, & magnum hoc fecit objectum quod pluribus ab hinc sæculis omnium admirationem promeritum est, electis suis præparat ab æterno. Denique erit species quædam manifestationis gloriæ Creatoris in hoc opere omnipotentiæ suæ, quæ nondum proprie sese manifestavit, nisi exiles radios, atque imperfectas

ctas suæ potestatis emanationes emittens; tunc enim maxime quanta est, effulgebit, & omnia admirabilis illius sedis pulchritudini respondebunt. *Idem*.

Societas hæc erit pulcherrimus, electissimus, perfectissimus, atque frequentissimus cœtus, qui usquam extiterit. Composita erit ex tot Regibus, quot prædestinatis, qui erunt Regis æterni subditi, quemadmodum asserit S. Joannes; Dei enim solius est subditos habere Reges, & capita diademate redimita. Erunt autem omnes omnium sæculorum viri boni in eadem societate collecti. Omnes homines virtutibus decorati, qui in terris vixere, sancti, ex omnibus terræ nationibus delecti, & generalis conventus eorum omnium, quos divina manus elegit: multitudo illa prope infinita Angelorum, gloriosorumque Spirituum ad Altissimi Thronum adstantium; numerus adeo ingens, ut S. Dionysius in libro de Hierarchia illum innumerabilem crediderit, & S. Thomas recenseri non posse existimaverit. Hoc ipsum Daniel Propheta dicebat Cœlestem, videlicet ibi millia millium ministrare ei, & decies millies centena millia eidem assistere. *Idem Pater Rapin*.

Admirabilis etiam tranquillitas, atque consensus eorum, qui hanc societatem constituunt, non postrema erit ejusdem societatis felicitas: Omnes inconcussa pace fruentur sine ullo discrimine, sine ullo certamine; cujus levis umbra erat tantummodo pax illa, quam Propheta populo Dei in omnium rerum affluentia, omnique opulentia pollicebatur. Divini hujus Regni pax cum ex Divi Augustini sententia, perfecta sit concordia, qua unanimiter in Deo Deum ipsum, aliosque possidebimus, & vicissim possidebimur; Beati ultro, citroque sese amabunt, omnesque simul conjuncti erunt, tamquam viventis ejusdem ædificii lapides, ut inquit Apostolus, quorum alii aliis innituntur, omnes super eodem fundamento positi, & simul constituentes Templum; in quo Deus in æternum sit adorandus. Anima cujuscumque omnibus patebit, neque ulla videbitur sententiarum, desideriorum, consiliorum, intentionum diversitas; nulla erit simultas, nulla suspicio, omnes enim eodem spiritu erunt animati. *Idem*.

O Beatos subditos Regni adeo tranquilli, & quieti, ubi æterna requie gaudebunt! quænam erit prædestinato gloria interesse medium inter hæc honoris vasa, quæ manu sua Deus effinget, futura ornamenta admirabilis illius ædis, ubi in æternum commorabitur: quandoquidem ex S. Augustini sententia quilibet prædestinatus alterius prædestinati lætitia lætabitur, & hujus lætitiæ tot socios habebit, quot habet suæ beatitudinis consortes? Sed præter generalem hanc pacem, quæ in æternum beatorum corda conjunget, non deerit peculiaris pax singulorum cum semetipsis, per quam quisque seipsum possidebit factus, & sui, & omnium animæ suæ motuum Dominus. Hæc erit pax corporis, & spiritus & facultatum utriusque, pax cordis, desideriorum, spei ac omnium sensuum: & hæc pax inter corpus, & spiritum universali in rebus omnibus voluptate sensus cumulabit? Itaque nulla amplius erit perturbatio in voluntate, nulla resistentia in appetitu, inquietudo nulla in imaginatione, nullus in intellectu tumultus, nulla in exterioribus sensibus perturbatio; nullum enim amplius erit peccatum, ex quo omnia ista mala proficiscuntur. *Idem*.

Videbitur in Deo ratio, qua nostræ salutis consuluit.

Quænam stuporis, atque admirationis causa erit prædestinato inter æternos salutis suæ ordines, & mirabilem nexum rationum earum, quibus est usus, Deus ut illum ad se pertraheret, videre suos ipsos defectus, atque peccata in propriam sanctificationem conversa! atque intelligere supremam Dei sapientiam ex ipsius erroribus rationem desumpsisse, qua illum in rectam virtutis semitam revocaret, se per procellas in portum adductum fuisse, & per peccati ipsius vulnera fuisse curatum?... quænam voluptas Patriarchæ Joseph in Divinæ Sapientiæ ordine cognoscere se per fratrum suorum odium, per ærumnas, & carceres ad eam evectum fuisse dignitatem, qua in terris enituit! Tunc intelliget quo usque effodienda fuerant illius magnitudinis fundamenta, ad quam illum provexit Deus, ut satis solidum esset ædificium, cognoscet necessarium fuisse, ut invictæ patientiæ diuturnitate virtus sua probaretur, & humiliatio sua satis esset profunda, ut omne gloriæ, quam Deus illi destinaverat, pondus sustineret. *Idem*.

Inter lumina nitidissimarum claritatum æternitatis prædestinatus quodammodo ingredietur in Sacratissimum Divinæ Sapientiæ Sanctuarium, ibi admiraturus nexum gratiarum, quibus divina bonitas illum prævertit, & admirabilia providentiæ illius arcana intellecturus. Hæc autem admiratio iis conjuncta laudibus, & benedictionibus, quæ deferentur huic Deo misericordiarum in gratiarum actionem ob tot beneficia, maximum erit Beatorum negotium. Quibusnam laudibus, vel potius admirationibus divinus ille Salvator dignus videbitur electis suis, qui illius providentiam in minimis etiam salutis suæ circumstantiis adorabilem nancifcentur, cum earum mysterium sibi evolvetur, omniaque ipsis mirabilia videbuntur in secretissimis maximi hujus negotii motibus, ubi omnia infiniti momenti sunt, eo quod ad æternitatem referuntur? *Idem Pater Rapin*.

De beata æternitate.

In æternitate nihil mutatur, nihil præterit, nihil interit, cum omnia ibi sint in perfecta consistentia posita, eo quod futurum, atque præteritum simul præsentia sunt, quemadmodum docet S. Augustinus, & ibi nihil præteritum est, nihilque futurum. Omnia ibi præsentia sunt, quia ibi sunt omnia, quemadmodum est ipse Deus, in situ semper eodem sine aliqua vicissitudine, sine aliqua immutatione. Itaque constans, & invariabilis hic status duplicat pretium bonorum, & voluptatum alterius vitæ, quæ cum sint infinite jucundæ propter status sui qualitatem, & per seipsas, longe accidunt jucundiores propter quod certum est, beatam æternitatem hanc numquam defuturam. Quid unquam conferri potest cum voluptate, atque tranquillitate spiritus, qui votorum suorum compos erit, atque certissimus se talem in æternum futurum? Itaque in hac vita nullum nobis serenum diem effulsurum exspectemus, nullum momentum felix, nisi illud, quod æternitatem hanc nobis aperiet. *Idem*.

Desideriũ Cœli, ac possidendi Deum.

Quænam Christiano viro esset consolatio cogitanti æternitatem accessuram pretio mercedis illius, quam minimæ actionum ipsius destinat Deus? Quid autem consideranti æternitates quotidie amissas, ad quas aspirare poterat, si diligentior extitisset? etsi pro exiguis rebus tanta erit merces; quænam est speranda pro magnis? si lacrymula, suspiriolum, unicus cordis motus erga Deum, gloriam mereri possunt numquam interituram; quænam esse deberet in toto vitæ nostræ curriculo singulorum momentorum cura, quandoquidem minimum operum nostrorum semen est æternitatis, ut inquit S. Bernardus? *Idem*.

Quam dilecta Tabernacula tua, Domine virtutum; concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Hæc sunt Regii prophetæ vota, hæc desideria, quibus impatienter Cœlum optabat; sed talia prope esse debent illius fidelis vota, qui quamprimum de peccati servitute solvi desiderat, ut æternam ingrediatur gloriam, ibi suum Deum possessurus. Qui in terris tamquam peregrinus non gemit, S. Augustinus ait, huic non erit gaudium perveniendi in Cœlum tamquam Divinæ illius Patriæ civi. Et profecto quænam deplorabilis cæcitas est, vota adeo remissa concipere pro statu adeo felici, cujus pretium cognoscimus, & quanti momenti sit, intelligimus? Numquid hoc ideo oritur, S. Gregorius ait, quod nobis cor adeo durum est, & spiritus adeo superbus, & ita inhærens

rens

rens vanitati, ut consilium capere nequeamus ultro, ac sponte ea deserendi, quæ licet inviti amittimus quotidie, vel per ætatem, quæ nos conficit, vel per varios vitæ casus, quibus sumus obnoxii? .... O me millies beatum si reliquum dierum meorum spatium adeo sanctæ cogitationi vacare possem! Quidquid fluxum, atque perfunctorium est, me non alliciet; id unum cupiam, quod in æternum duraturum sit; non aliud amabo, quam pulchritudinem illam, quæ fons est pulchritudinum omnium, & mei ipsius potius oblivisar, quam Divinæ, & Cœlestis Jerusalem, quæ futura est mihi sedes æterna, objectum lætitiæ meæ, & terminus spei, omniumque desideriorum meorum. *Idem*.

Opus est ut homo sursum se attollat in Cœlum, donec naturæ suæ pondus illum detrahit in terram; oportet, illum depræliari, vincere, non vinci; plurimos hostes prosternere, infinitos propemodum obices superare, & insidias effugere, quas omnia illi struunt in singulos gressus. Etenim consanguinei, amici, status, permansio, negotia, officia, recessus, omnia suum virus habent, & nihil est, ubi peccati occasionem invenire nequeamus. O Deus! arctior ne, difficiliorque via esse poterat, ut ad beatum finem perveniremus? tu Domine gloriosam hanc sedem tamquam munitissimam Arcem constituisti, nonnisi vi summa expugnandam. Tumetipse testaris, te non venisse in terras, ut pacem afferres, sed ut nos jugi, crudelique bello subjiceres. *Desumptum ex Sermone Manuscripto*.

Quid fecerint Sancti Cœlum promerituri.

Si recensere possem eos omnes, qui nunc æterna gloria fruuntur, ne unum quidem invenirem, saltem ex adultis; cui infinito pretio ea gloria non steterit. Alii martyrio affecti fuerunt, hoc est inter gravissimos cruciatus animam efflarunt. Nulla excogitari supplicia possunt, quæ tyranni contra martyres non exercuerint: immo ad Martyres torquendos plurimi adinventi fuere cruciatus, antea inauditi. Alii fuerunt Apostoli, qui videlicet plures annos sine ulla requie, sudores, laboresque suos impenderunt, ut erudirent populum rudem, atque sylvestrem, quem per ipsa maris pericula in extremis usque terrarum oris conquisiverunt. Hi fuerunt ferventes Monachi, qui nempe jejunarunt, super nuda tellure cubarunt, innocuam carnem afflixerunt, vale æternum dixerunt vitæ hujus commodis, & voluptatibus. Qui sensibus suis minimam etiam libertatem negarunt, qui Cruces, humiliationes, atque austeritates concupiverunt. Illi sunt Anachoretæ, hoc est, qui viventes adhuc horrentibus rupibus insepulti nullam cum hominibus consuetudinem habuerunt, qui eam vitam duxerunt, quæ proprie loquendo, jugis erat mors; adeo intenti erant, ut corpus suum destruerent, atque in nihilum redigerent. *Sermo manuscriptus P. Stephani Chamillard pro Festo Omnium Sanctorum die*.

Inertes gloriæ Sanctorum spectatores ab illorum imitatione tam longe distamus, ut parum absit, quo minus illorum facta veluti meras historias audiamus, quæ ad nos nequaquam pertineant. Diei hujus solemnitas levem aliquam perfunctoriæ lætitiæ speciem, vel ad summum aliquod exterioris cultus indicium videtur exposcere. Quid autem? nonne fidem nostram excitare possemus horum cœlestium abjectorum intuitu, & spem nostram fovere recordatione illius, quod ipsi fuerunt, & quod hodie sunt; atque inde inserre quid nos ipsi futuri simus? *Idem*.

Spes futuræ beatitudinis.

Credo equidem, Domine, si fideliter in hac vita tibi famulatus fuero post mortem æterna felicitate me perfruiturum, atque ingressurum in ædem gloriæ tuæ ubi aderunt omnia quæcumque desidero, & omnia aberunt quæcumque metuo; ubi bonum est sine malo, voluptas sine dolore, gloria sine verecundia, pax sine bello, gaudium sine tristitia, quies sine tumultu, & vita sine fine. Spero futurum, ut in Cœlis te videam, te diligam, te possideam, te fruar; videam primam veritatem, diligam essentialem pulchritudinem, possideam summam bonitatem, fruar æterna felicitate. In te, Deus, credo, me visurum quidquid pulchrum est, amaturum quidquid bonum, possessurum quidquid optimum; gustaturum quidquid suave; auditurum, quidquid harmonicum, potest excogitari. *Pater Croiset tractatu de fide victrici*.

O vos miseros, quot laboribus torquemini, ut bona congeratis? quot curis corpus, animumque vestium affligitis, ut negotia vobis fluant e sententia? quot dies, quot noctes vos curæ conficiunt, ut inveniatis quomodo ex eo, in quo versamini, periculo emergere valeatis? Ad quid tot inutiles curæ, atque labores? Si pro Cœlo labores vestros impenderetis, singula laborum vestrorum momenta maximum æternæ gloriæ pondus vobis afferrent: sed quoniam pro mundo laboratis, multum quidem laboratis, sed nihil acquiritis; ventum seritis, & procellas meretis: Quidquid fecistis, & passi estis, nihil proderit vobis; omnia consilia vestra in fumum abibunt, omnia opera vestra mortua sunt, & vos cum illis moriemini. *Idem tomo 2. cap. sect. ult.*

Hominum plerique ex eorum numero sunt, qui quemadmodum Propheta Psalm. 16. loquitur, *oculos suos statuerunt declinare in terram*; neque illos unquam ad Cœlum, ubi vera felicitas est, attollere volunt. Pro nihilo habent beatam illam delitiarum omnium sedem, quæ unicum esse deberet votorum suorum objectum. Illos nonnumquam Inferni terrores afficiunt, sed nec Paradisi voluptates eos unquam alliciunt. Corpore graves mundo per terrenos affectus, veluti radices, vincti, onusti vinculis iniquitatis, & sub scelerum suorum sarcina, creaturas versus inclinati in anima, quæ prorsus carnalis, & animalis facta est, nullum sentientes motum erga centrum suum, carent alis columbæ, quas tribuit Deus animabus puris, ut volatu super montem Sanctum contendant. Secreta quadam cum desperatione immensa illa respiciunt spatia, quæ cœlum a terra sejungunt, cum spe, æternæ suæ felicitatis desiderium amittunt, ac pro se non aliam, nisi in hoc mundo felicitatem putant futuram: *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*. Psalm. 105. *Abbas du Larry Sermone pro die festo Omnium Sanctorum*. — Nostra ad Cœlum promerendum incuria.

Primus animæ motus est felicitatis desiderium; sed præterea divinus Spiritus efficit, ut homo rationabilis sentiat, se creatum esse propter finem dignum nobilitate essentiæ suæ, & cum nihil inveniatur in terris, quod votorum suorum latitudinem possit explere, vota sua convertat ad illud objectum, quod toto Cœlo res creata excedit. Hæc insatiabilis potentia, quæ illum semper rapit, ut cupiat aliquid ultra ea, quæ possidet, in illo inutilis esse non potest. Hanc a natura habere non potest, nisi reipsa bonum adsit, cujus præstantia captum cordis valeat explere. Hoc adeo naturale, validumque studium, quo cupit felicitatem in ipso etiam peccato, per quod a felicitate longius recedit, habere debet realem, atque effectivum terminum, qui sibi respondeat, & cor semper erit in statu violento, & inquieto, donec erit extra centrum suum, vel extra viam, quæ illuc adducere possit. *Idem*.

Mementote vos hospites, atque exules esse in terra, & in deliciosissimis deserti locis ad promissam terram vobis esse contendendum. Mystica illa tentoria, sub quibus Israelitæ permanserunt, illa Tabernaculorum festivitas, quam ipsi quotannis tanta cum solemnitate celebrabant, Agnus ille Paschalis, quem renes succincti, baculumque manu tenentes, festinanter comedebant; Pascha, quod significat transitum; hæc omnia speciosæ sunt, admirabilesque figuræ exilii, in quo sumus super terram tamquam viatores, qui prætergrediuntur, quin morentur, & semper ad patriam tellurem festinant. Hinc Deus iter hoc nostrum molestum, atque arduum effecit, ne viam accipiamus pro termino: permittit, ut nullam percipiamus in hac terra volupta- — Patria nostra cœlū est, & hospites sumus in terra.

luptatem amaritudine vacuam, nos in hanc necessitatem adducturus veræ felicitatis, quam nobis destinat, inquirendæ. Patienter igitur hic ferendum est pondus diei, ac æstus, ut quietis suavitatem percipiamus in termino. *Idem*.

Hæc messis gloriæ, quo Sancti in Cœlo perfruituri sunt, postquam in terra severint in lacrymis; hæc justitiæ corona, quam æquus Judex in stadii fine pollicetur, magnificæ fulgentesque descriptiones Jerosolimæ Cœlestis quas in Apocalypsi deprehendimus; immutabilis ea serenitas, quæ in beata illa sede effulgebit, serenus ille dies, quem nulla unquam nubes turbabit, æternum illud canticum, quod Angelorum myriades coram Agni Throno adstantes jugiter repetent; hæ omnes Imagines quid aliud sunt, Sanctus Augustinus ait, quam Spirituales gradus, ut per sensuum impressionem spiritus attollatur ad Deum? Hæc sunt tamquam alimenta sacri ignis divinæ charitatis, cujus scintillæ ad Deum usque feruntur per inflammata illius possidendi desideria. Hinc illi gemitus turturis, cujus vox in solitudine auditur; hinc dulces illæ animarum querelæ cum S. Paulo cupientium his vinculis solvi, ut ad JESUM CHRISTUM ascendant; hinc illa vota vivendi sine nubibus, & integumentis divinam illam pulchritudinem, cujus præstantiam satis detexere perfunctorii illi radii, qui toties in Cœlestium rerum contemplatione oculis effulserunt; hinc jactus illi voluntatis in Deum, qui fideles separant a creatis quibuscumque rebus, eoque, ut ita dicam, adducentes usque ad Cœli fores efficiunt, ut ad Cœlestis Jerosolymæ adspectum super flumina Babylonis ingemiscant: hinc violentæ agitationes, & audeo dicere, illæ convulsiones animæ, quæ jam mandata sese tamquam flamma tenuis ad Cœlum attollit, & quæ cum terræ propter corporis vincula adhæreat, deficit præ divini amoris languore, quod maximum est perfectissimæ charitatis argumentum. *Idem Abbas du Jarry*.

Inflammata Davidis vota in Cœlum. Quibus non utitur luculentissimis verbis David ad innuendam desiderii sui magnitudinem, quo Deum possidere concupiscit? Cervus sitiens ad aquarum fontes festinans, arida tellus propter æstum hians, ac rorem ex ferreo, æneoque Cœlo deposcens, infirmæ, tenuesque imagines sunt. Modo petit, alas columbæ, quibus volet & in Deo requiescat; modo fatetur lacrymas suas sibi noctu, atque interdiu panem futuras, donec aberit a Deo; illic mavult in domo Domini, quam in locupletissimis peccatorum tabernaculis habitare; unum a Domino petit, illudque donec exoraverit, orat; videlicet, ut habitet in domo Domini omnibus diebus vitæ suæ. Omnis æstuosi hujus amoris violentia, atque desiderii hujus impetus erga objectum suum, nonne satis per hæc verba indigitatur? *Quam dilecta tabernacula tua Domine, concupiscit, & deficit Anima mea . . . Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus*. Nonne vobis videre videmini animam sanctam per æstuosos, ac repetitos amoris impetus sese in Deum projicientem? *Idem*.

Quam mira cæcitas est animam JESU CHRISTI Sanguine redemptam, præceptis ejus imbutam, in Religione illius enutritam, quotidie petentem, ut illius Regnum adveniat; nihilominus in hoc suas omnes cupiditates continere, ut hujus terræ honores, divitias, & commoda quærat? Deum sua potestate, magnificentia, liberalitate, gratiis, non posse ad se pertrahere eam animam, quæ ideo creata est, ut illum possideat; & hunc, cui non deest, quomodo omnibus hominibus omnino satisfaciat, nullum fere hominem invenire, cui ipse sit satis? verum quidem est, nos subinde de Cœlo cogitare, ac velle ibi esse; sed verissimum quoque est, nos nimis cito illic esse minime velle, propter miserum mundi hujus amorem. *Auctor Sermonum Moralium*.

Deus merces nostra. Salvator die quadam sciscitatus ex S. Thoma Aquinate, quam cuperet laborum suorum mercedem; hic illi respondit, *non aliam quam te ipsum*. Tu es omnium facultatum animæ meæ beatitudo, intellectus meus non alia habet lumina, voluntas mea non alios ignes, cor meum non aliam felicitatem: *non aliam quam teipsum*. Tu centrum es votorum meorum, & cumulus desideriorum meorum; alias nolo divitias, coronam, beatitudinem, nisi te: *non aliam quam teipsum*. Et sane non alia merces est, & audeo dicere, o Deus; ad hanc necessitatem redactus es ut mihi, vel nimis tribuas, vel nimis parum. Si te ipsum mihi dederis, hoc nimis quidem pro laboribus meis esse fateor; sin autem quid aliud præter te mihi dederis, quantumcumque istud sit, satis non est meis desideriis. Tu unicum es, ac summum bonum; sine te numquam ero contentus. *Pater Nouet in Præfatione primæ partis libri, cui titulus: Homme d'Oraison*.

Cur fideles filii Regni dicantur. Unquamne animadvertistis, cur Christiani in Evangelio Matth. 8. *Filii Regni* vocentur? Sæpius cogitavi, illos fuisse tamquam filios Israel, qui licet diu in Babylonis captivitate permansissent, summo tamen flagrabant desiderio in Judæam revertendi; ita mea quidem sententia, hac de causa Christiani *filii Regni* Cœlestis vocantur, qui licet nati sint in terris, ibique tamquam in exilii loco versentur, indesinenter tamen votis suis feruntur in Cœlum, quæ est ipsorum amabilis Patria. Hac de causa filii Regni vocantur. Scio equidem dici posse, illos hoc nomine appellari, eo quod Salvator hoc ipsis Regnum emit sanguine suo, sed dicere non vereor, illos peculiariter hoc nomine nuncupari, eo quod JESUS CHRISTUS vult, eos suspiriis, & gemitibus suis illud sibi Regnum comparare. *Christianus perenniter gemit*, quidam Pater ait; si nos gemimus, si in terra vivimus in assiduis suspiriis & gemitibus ad Cœlum anhelantes, sumus hujus Regni filii. *Fromentieres Sermone de Ascensione*.

Difficile est in hac curarum oppressione, qua in terris obruimur, nos habere posse eam spiritus libertatem, quæ requiritur, ut Cœlum cogitemus; quemadmodum olim Populus Israel Moysem audire non poterat de terra promissa verba facientem propter Spiritus oppressionem, in quam illos servitus redegerat. Frustra de altera vita sermo habetur apud fideles, ubi sub vitæ præsentis necessitatibus gemunt: cum enim omnis spiritus sit quodammodo servus corporis, & aliquando hoc pondere obruatur, ad æternæ suæ quietis locum sese nequit attollere, & per miserum hunc terræ amorem sensim desuescit oculos attollere in Cœlum, ut Cœlestem hanc Patriam cogitet, ubi verorum fidelium spes sunt, atque desideria. *Pater Rapin de Maximo salutis negotio*.

In Cœlo perfecte contenti erimus. In beata illa Sede Spiritus humani immensitas, quæ maxima est nobilitatis animæ ipsius nota, penitus saturabitur; tum naturalis spiritus inquietudo quærentis rebus omnibus frui, & numquam contenti sedabitur, atque aviditas cordis ipsius replebitur, quia Deus ipse erit merces illius: replebit enim plenitudine perfectionum suarum immensum animarum nostrarum captum, quæ in uno illo invenient quidquid ipsæ desiderant, eritque ipse beatis omnia, quoniam illos seipso replebit. S. Bernardus inquit; *plenitudo quam expectemus a Deo, non erit nisi de Deo. Idem*.

Gaudemus audientes illos, qui in itineribus consenuerunt, qui sciunt, & diligenter enarrant Urbium quas viderunt, distantiam, situm, magnitudinem, & quidquid singulare ibi admirati sunt; nos vero qui in hac vita viatores sumus, & qui Cœlum versus contendimus, neque unum hoc scire quærimus, quantum ab illo distemus ... Si nosmet negligimus in via, quæ ducit ad Deum, distamus multo magis, quam Cœlum distet a terra. Sin autem properamus ingredi in beatam illam Civitatem, quamprimum erimus præ foribus illius; nam hæc distantia non proficiscitur ex locorum longinquitate, sed ex vitæ nostræ ratione. *D. Chrysostomus in S. Matthæum*.

Quid unquam in terris desiderari, quid quæri, quid in hac

in hac vita æstimari potest, quod conferri possit cum iis, quæ speramus in Cœlo? Valetudo, quæ atteritur, ætatis robur, quod consenescit, existimatio, quæ nonnumquam sine ullo merito acquiritur, & nonnumquam etiam sine demerito ulloamittitur; laudes quas vanitati tribuit adulatio, & quarum præmium mendacium est; Spiritus, qui propter propriam infirmitatem exhauritur; patrocinium, quod fortuito tribuitur, & pro libidine aufertur; fortuna, quæ multis laboribus quæsita repente corruit; opes, quas absumere ipsi metuimus, & ab aliis rapi dolemus; Amici, qui lucri spe illecti gratificantur, & qui abeunt, ubi felicitas amicorum abierit, avibus similes, quæ in alio climate mitiorem quærunt auram, atque tempus magis temperatum sectantur: cogitate quanto melius his omnibus perfruemini in Cœlo, ubi valetudo concuti non poterit, ubi existimatio extra calumniæ jactum erit posita &c. *Flechier Sermone de Felicitate.*

Idea nostræ beatitudinis in cœlo.

Ut sciamus quanta sit magnitudo hujus boni, quod Deus nobis præparavit in Cœlo, cum S. Bernardo illum interrogemus, a quo nobis fuit præparatum, *Dic bonis qui tu præparas quid præparasti? ego merces tua magna nimis.* Gen. 15. Divinitatis meæ sinus vobis erit pro domo, corona mea pro diademate, essentia mea pro ditione, potentia, sapientia, bonitas, justitia, misericordia, omnesque perfectiones meæ possessiones vestræ erunt, atque hæreditates. *Super omnia bona sua constituet eum.* Matth. 14. Audite, quid Veritas ipsa Prædestinatis omnibus dicat in Evangelio. Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam.* Quomodo igitur Deus nonnisi semetipso saturari potest, atque infinita requiritur veritas, ut illius intellectus pascatur, & bonitas infinita, ut cor ipsius adimpleatur? hæc eadem veritas, atque bonitas epulæ erunt Beatorum. *Pater Texier in Quadragesima.*

Licet Deus omnes Thesauros suos exhauriret, si fieri posset, ut mihi bona conferret, si post hæc faciem suam obnuberet, ac suam celaret divinitatem, felix cum essem, neque voti compos; de illo quererer, & si me interrogaret, quemadmodum cæcum illum Evangelicum, *quid tibi vis faciam?* Luc. 18. ego illi responderem: *Domine ut videam ... satiabor cum apparuerit gloria tua.* Psalm. 16. Fac, ut videam te; te unum quæro, detege mihi faciem tuam, & jam voti sum reus. Sed quid ultra videre cupis? cupio videre, quod es, cupio videre essentiam hanc, quæ semper fuit, quæ numquam incœpit esse; scrutati cupio imum essentiæ tuæ, ut ibi videam perfectionum tuarum abyssum, quam nobis abscondis, ut videam originem entium omnium, omniumque possibilium pulchritudinem. *Pater Cabillon Sermone de Omnibus Sanctis.*

Si verum est, quod S. Augustinus ait, ut hac felicitate unica tantum die perfrui possemus, contemnendas esse omnes annorum omnium voluptates; namque ut Regius Propheta testatur: *melior est dies una in Atriis tuis super millia*: quid tandem erit tota æternitate hac ipsa beatitudine frui? Utique dies una in eo loco melior est, quam optimorum annorum numerus infinitus. Quid igitur erit sæculum, quid mille anni, quid annorum myrias, quid decem mille myriades? Hoc est parum dicere, vel potius nihil; namque post hunc annorum, vel sæculorum numerum nondum medium attigi, imo neque principium, æternitatis enim mensura tempus non est, Deus unus, qui nullam habet in duratione sua, non secus ac in gratia mensuram. *Idem.*

Tempus vitæ hujus breve est, levissimus labor, & nos inertes sumus, ac molles! In terris præliandum est, in Cœlis erit corona vestra; homines vos affligunt, atque contumeliis afficiunt, Deus vos consolabitur, & gloriæ coronam elargietur. Momento dumtaxat currendum est, atque in stadii fine vobis offeret pretium, & requiem numquam desituram; præliamini in corpore corruptibili, & in incorruptibili corpore mercedem referetis ... Ad hæc, tanta nobis cupiditas inest modicum terræ spatium possidendi, quod inter paucos dies nos conteget; Cœlum vero negligimus, ubi æternum cum Deo vivere possumus: tot labores, ac pœnas patimur, aqua sudamus, & sanguine, ut in Regione nostra, vel potius in loco exilii nostri gradum aliquem obtineamus, & dignitatum veræ Patriæ nostræ participes fieri contemnimus? *Desumptum ex Auctore Neoterico, & Anonymo.*

Fideles promissionum filii vocantur.

Præstantissima est, atque admirabilis qualitas, quam Apostolus Fidelibus tribuit, eos *filios promissionis æternæ* appellando. Fratres mei, inquit ille, sumus Filii promissionis beneficiorum omnium, quæ unquam homini conferre potuit Deus, cum promiserit daturum seipsum nobis pro hæreditate, atque æterna possessione nostra: ideoque meminerimus opus esse, ut nosmet præbeamus talibus promissionibus dignos, atque geramus nos tamquam illos qui post præsentis vitæ calamitates destinati sumus *ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*; ad Rom. 8. Ita est, ut secundum ejusdem Apostoli sententiam loquar, sumus creaturæ, expectantes futurum, ut Deus aliquando ineffabili ratione se nobis communicet, suam nobis Divinam essentiam, omnesque gloriæ suæ pulchritudines detegat. Hactenus promissionis tantum arrhas accepimus, effectum, atque complementum præstolamur. *P. Antonius de S. Martino a Porta Carmelita Excalceatus in libro cui titulus:* Conduite de la Grace *tract.* 6.

Hæc sunt o Fideles, quæ de novissimo fine, æternaque vestra felicitate creditis; sed quandonam vita, moresque vestri fidei respondebunt? quandonam vivetis eo homine dignam vitam, qui ad gloriæ æternitatem contendit? quandonam Cœlum erit unicum votorum vestrorum objectum, & mundus tantum vobis displicebit, quantum est contemnendus? numquid vosmet reservatis, ut imposterum vivatis pro illo, cum quo semper vivere debetis; relinquite vanitates, finite terram illis, qui terram tantummodo norunt, & amant; quasi hic in æternum essent permansuri. Quod si tanto flagratis amore opum, commodorum, & voluptatum; nobilior, atque sanctior vos alliciat ambitio; desideria vestra in Cœlum convertite: ibi sunt inæstimabiles divitiæ, honores, throni, voluptates, quæ desideria vestra explere, & vos beatos efficere possunt. *Idem.*

Quid homines pro levi mercede conentur.

Quos animos, quem ardorem non ciet spes præmii etiam levis? ad oppidi oppugnationem per ignem, & ferrum contenditur, pericula tempestatum, atque naufragiorum subeuntur; longi itineris labores, atque ærumnæ perferuntur, ubi exiguæ utilitatis, vel terreni boni spes adsit; vos autem, ut immortalem coronam, ut delicias, & bona æque, ac Deus ipse, permansura obtineatis, parum adeo contenditis? num gravis est nimium labor ille, quem Deus a vobis exposcit? neque dignabimini adlaborare, ut Cœlum acquiratis, & illi placeatis, qui seipsum tradit in mercedem? quid ad hæc respondetis, auditores? creditisne Paradisum adesse? Utrum in corde vestro vivit Cœlum, an terra? Tempus, an æternitas? Vos quidem hanc mercedem credere dicitis, hanc sperate, ad hanc contendere; ad hoc enim vos cogit ea religio, quam profitemini: referte igitur omnes actiones vestras ad æternitatem, atque ex vitæ vestræ ratione pateat, vos in vitæ hujus spe non acquiescere, sed major aliquid præstolari, quam quæ inveniuntur in terris. *Idem.*

Paradisi descriptio ex Apocalypsi.

Ex omnibus encomiis, quibus SS. variis in Scripturæ locis Paradisum commendant, majorem de eodem adstruere mihi videtur ideam nomen Sanctæ Civitatis, quod in Apocalypsi reperio. Nihil illic prætermittit S. Joannes, ut locupletissimam Cœlestis Jerosolymæ graphidem nobis proponat: ibique usurpat, quidquid in rerum natura pretiosissimum est, & quidquid naturæ ars, vel cogitatio potest adjicere. Ipsa, ait ille, magnæ istius Civitatis fundamenta ex smaragdis, & sapphiris condita sunt; ædificia quæcumque ex Crystallo, auroque mundissimo nitent;

nitent; aurum incolarum pedibus teritur, viæ enim, atque compita strata sunt auro. Illam aquæ vivæ fluvius multifariam secat, cujus littora florentibus, semperque virentibus consita sunt arboribus, quæ singulos menses recentes afferunt fructus. Denique sydus sole ipso toto Cœlo micantius, ubique lumen æque effundit, & suave, nitens quin oculos lædat, mirum in modum tot divitiarum pretium ostendit. Hoc autem sydus æternum diem parit, diem semper serenum, semperque tranquillum, nullis unquam nubibus obumbratum; neque recedit unquam, ut nocti locum relinquat: *nox enim non erit illic*. Apocal. 21. Hæc proculdubio admirabilis sedes est, & nescio, quomodo nobis adhuc supersit aliquis amor pro hac terra, pro hac obscura, sordidaque mansione, pro hac totius mundi sentina, ubi semel oculos conjecerimus in Regionem tot deliciis, atque voluptatibus affluentem. Verum ita loquitur S. Joannes ut sese ad intellectus nostri captum accommodet. Nihil enim hujusmodi in Cœlo invenitur; sed omnia toto Cœlo pulchriora sunt, & magis magnifica, quæ oculus non vidit, auris non audivit, & in cor hominis non ascenderunt &c. *Pater de la Colombiere in die Festo Omnium Sanctorum.*

Alia idea felicitatis Sanctorũ. Tanta est felicitas illa, quam in laborum nostrorum præmium Deus pollicetur, ut quidquid magis nitet in mundo, nox sit, atque tenebræ; neque ullum omnino lumen adsit, quod illius pretium, atque pulchritudinem possit ostendere. Quapropter Apostolus, qui in Extasim raptus illam viderat, testatus est: *oculus non vidit* &c. Quidquid in terris magnificum videri potest, quidquid mirabile potest narrari, quidquid humanæ mentis libertas fingere sibi potest, quidquid intellectus potest concipere, nihil est omnino, ut inde intelligamus mercedis magnitudinem, quam nobis præparat Deus; ad cujus imaginem efformandam, opus est, mundum universum prætergredi, ac in ipso Deo quærere lumen, quo beatitudinem intueamur, quam ipse solus potest ostendere juxta illa Psalmistæ verba: *in lumine tuo videbimus lumen*, Psalm. 35. *Maimbourg Sermone pro secunda Quadragesimæ Dominica.*

Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ex iis passionibus, atque laboribus, qui a Christiana vita sejungi non possunt, oculos vestros, & cor in Cœlum attollite; respicite itineris terminum, bravium post stadium, coronam post prælium, & omnem hanc gloriæ infinitatem, quam post vitæ hujus ærumnas vobis præparat Deus. Quantumvis integra ærumnarum, laborumque requireretur æternitas pro unico ejus gloriæ momento, quam ille vobis proponit; hæc ipsa æternitas parum esset. Cum enim hæc gloria sit ipse Deus, nulla inveniri potest ratio inter illam, & quidquid fieri, vel ferri potest ad eam acquirendam. Quid ergo cum momentum ærumnæ quæratur, ut gloriæ hujus possessionem in æternitatem omnem nobis certam faciamus? *momentaneum, & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis* 2. ad Corinth. 4. O Æternitas! O momentum! Æternitas, quam magna es! Momentum quam breve! & hæc magnitudo quam votis omnium concupisci debet, quandoquidem pro adeo parvo tribuitur? *Momentaneum, & leve. Æternum gloriæ pondus.* Pœnæ momentum, gloriæ æternitas: Crux in hac vita, & Deus, qui mea erit beatitudo, donec ipse erit Deus. Non aliæ post hæc, Deus meus! Cruces, & Passiones sunt in vita Christiana; quia passiones, & Cruces fiunt voluptates, atque deliciæ, quandoquidem certo nobis promittis per has infinitæ gloriæ possessionem acquiri. *Idem.*

Equidem scio, cognitiones nostras limitibus, ac finibus suis esse circumscriptas, ideoque in Cœlo nullam habituras rationem cum infinitis Dei perfectionibus, atque essentia. Hoc tamen non oberit quominus palam contemplemur incomparabile istud objectum, & per hanc contemplationem beati efficiamur. Quemadmodum enim vas mari immersum omnes maris aquas non recipit, sed tantum recipit, quantum satis est, ut repletum, nullum vacuum admittat: similiter in divinitatis Oceano immersi, licet recipere, & capere non possimus quodcumque Dei felicitatem, & gloriam constituit; nihilominus tantum recipiemus, quantum satis erit ut omnia vota nostra expleantur, ita ut nihil desit supremæ rationabilis Creaturæ felicitati. *Liber qui inscribitur: Consolation contre les Trayeurs de la Mort.*

Quid est Paradisus. Quid est Paradisus? est inventio maxime admirabilis Divinæ Sapientiæ, maximus omnipotentiæ conatus, liberalitatis & magnificentiæ terminus, dignum Sanguinis Dei pretium, bonum ita magnum, ut Deus licet omnipotens nihil majus dare possit: cum enim seipsum beatis tribuat in Cœlo, potestne aliquid ipso melius inveniri? *quid enim poterat dare seipso melius, vel ipse?* S. Bernardus ait. Ad hoc autem bonum acquirendum requiritur solum, ut vim affectibus nostris parumper faciamus, ut ex contrito, humiliatoque corde suspirium effundamus, ut pro illius amore aquæ sciphum præbeamus. Numquid nimium requiritur? sin autem hoc pretio Cœlum renuimus, nonne meremur, ut eodem in æternum careamus? *Pater Nepveu tom. 1. Considerationum Christianarum.*

Paradisus maximum bonum est, quippe extremus est Divinæ magnificentiæ conatus. Deus quidem locuples, & liberalis in aliis muneribus videtur; in Cœlo tamen, ait Propheta, solum magnificus est; Terra, Mare, Cœli, Sydera, omniaque admirabilia domini opera, quæ intuemur, illius gloriam enarrant: sed in Paradiso tantum illius micat magnificentia. Omnia, quæ nobis Deus in hac vita communicat bona, non aliud sunt quam guttæ hujus torrentis delitiarum, qui beatos inundabit: eas, ut ita dicam, diffluere sinit, ut Fideles intelligant, si in hac lacrymarum valle tanta nonnumquam dulcedo percipitur, quid tandem in illa beatitudinis sede futurum sit: si locus exilii tantam aliquando habet voluptatem, quid sit futurum in Patria? Væ nobis si exilii nostri locum anteferimus Patriæ; nostram profecto infelicitatem meremur, si adeo cæci sumus, ut eam diligamus. *Idem tom. 2.*

Cœli comparatio cũ Thabor, ubi Dei Filius transfiguratus apparuit. Si tunc temporis fuissemus, quo Mundi Salvator versabatur in terris, nemo nostrum profecto singularis beneficii loco non duxisset illum sequi in montem Thabor, ut transfigurationis ipsius spectator esset, ac Testis. Sed mors Sancta efficiet, ut ascendamus Sanctum Montem Sion, nosque super omnes Cœlos attollet, ubi multo plura, ac majora videbimus, quam quæ eo in monte viderunt Apostoli. Non enim ibi solum contemplabimur divinum hunc Salvatorem sole ipso fulgidiorem; & cujus indumenta ipsa nive erunt candidiora; sed nos ipsi tibi transformabimur, & gloria induemur. Tres Apostoli, qui superbi illius spectaculi Testes fuere, duos tantum in Thabor viderunt Prophetas; nos autem ibi Prophetas omnes, Patriarchas, Apostolos, omnesque Sanctos in Cœlo Triumphantes videbimus. Apostoli non viderunt illum gloriæ radium, qui ex beata Salvatoris anima in illius corpus effluxit, nisi tamquam aliquod fulgur; & brevi tantum momento Cœlesti ea voluptate gavisi sunt; nam statim ex Sancto illo monte descenderunt, & recentibus præliis, ac ærumnis fuerunt obnoxii. Sed nos ascendemus in Cœlum nonnisi resurrectionis die descensuri, & postmodum in æternum ibi permansuri. Nulla nobis ineunda amplius erunt certamina, nulli hostes superandi, nulla pericula subeunda. *Auctor Neotericus, & Anonym.*

Insigni a Deo donatum fuisse gratia putamus S. Joannem, cui ille novæ Jerusalem gloriam, opem divinamque pulchritudinem ostendit; sed quod dilectus iste discipulus tunc in somnis, & in visione tantummodo vidit, Deus nobis aliquando re ipsa contemplandum exhibebit. Audiamus modo vocem Domini de summo Cœlo clamantis, ut olim cum dilecto discipulo locutus est: *veni, & vide*. Veni, Serve fidelis, ostendam tibi Civitatem meam magnificam, Triumphantem sedem gloriæ meæ, omnemque

que Regni mei magnitudinem, atque magnificentiam: *veni & vide*. Veni, & præbe te dignum, qui locum hunc ingrediaris, atque coram te omnes thesauros meos, omnesque pretiosas meas coronas explicabo. Veni & fluere faciam, te inspectante, fluvium aquæ vivæ fluentis de solio meo, æternasque voluptates emanantes de facie mea, quas tibi palam ostendam. Neque divinos hos Thesauros, omnem Cœlestem gloriam, omnesque Angelicas hasce delicias in somnis, vel nocturna visione, vel per extasim, aliumve propheticum raptum ostendam; sed efficiam, ut lucis nitidioris, & fulgidioris ipso sole beneficio hæc omnia reipsa contempletis; neque solum, ut hæc omnia commode contempleris; sed ut iisdem in æternum tamquam bono tuo perfruaris. *Idem*.

Sanctorum in Cœlo merces æterna.

Sola Justorum merces non præterit: *justi* enim, quemadmodum inquit Scriptura, *in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum*. Hæc electorum merces immutabilis est, quoniam ut ait JESUS CHRISTUS, consistit in felicitate videndi, amandi, & possidendi Deum quem in æternum videbunt, amabunt, possidebunt. Quemadmodum in hoc damnatorum pœna posita erit, ut in æternum careant Deo, atque semper jacturam hanc sentiant; ita Sanctorum felicitas erit jacturam hanc ulterius pati non posse, non posse amplius a Deo separari, sed in æternum illi adhærere: *ecce merces Sanctorum*; Ecclesia ipsa concinit: ecce merces eorum, qui adhærent Deo, eique famulantur. Regnum illis præparatum est, sed Regnum æternum, ubi nulla erit successio, nulla perturbatio; illos corona manet, sed corona, cujus privilegium omnibus terrarum coronis incommunicabile æternitas est. Regnabunt, sed eorum æque ac Dei Regnum, Regnum erit omnium Sæculorum. *Ecce merces Sanctorum. Idem.*

Officium plurium Martyrum 3. Noct. Antiph. 1.

Quæcumque nobis ingruant adversitates, quibuscumque laboribus exerceamur, illa usurpemus S. Pauli verba: *Momentaneum hoc, & leve tribulationis nostra, aeternum gloria pondus operatur in Cœlis*. Breve hoc præsentium vitæ hujus adversitatum, quæ sunt adeo leves, momentum, hoc est, hic morbus, quem mihi Deus immittit, hæc injuria, quæ mihi infertur, hæc persecutio, quæ in me cietur, hæc bonorum jactura, quam pro temporum calamitate patior, hæc ærumna, quæ mihi perferenda est; hæc omnia juxta Apostoli sententiam non aliud sunt, quam breve momentum, & quod facile præterit, quoscumque secum effectus trahat: *Momentaneum hoc, & leve*; hæ omnes terrenæ afflictiones in me supremæ gloriæ æternum pondus producent: *aeternum gloria pondus operatur in nobis*. Ulla ne afferri potest ratio magis efficax, quæ vos ad Christianam patientiam excitat? ullane vobis præberi potest, quæ tantam ad persuadendum vim habeat præter hanc, videlicet illius gloriæ, quæ electorum merces est futura, æternitatem? per hanc Sancti de mundo Triumphum egerunt, per hanc in certaminibus suis fuerunt invicti. *Idem Auctor Anonymus.*

Gloriæ Cœlestis adspectus Sanctos homines a terra divulsit, oportet ut effectum eumdem in nobis operetur. Immortalitatis fides illos ad sanctitatem perduxit, opus est, ut eadem via illuc perveniamus. Vos o Beati quorum omnium hac die memoriam colimus, vos petimus & obtestamur, ut pro nobis hoc petatis a Deo. Vos fuistis, quod nos sumus, & nos aliquando id speramus futuros esse, quod estis; vos infirmitates nostras estis experti, nos ad beatitudinem vestram anhelamus: licet peccatores, fratres vestri sumus; licet a vobis sejuncti, arctissimo tamen intimæ societatis vinculo, quæ est Sanctorum communio, adhæremus; licet mundi hujus incolæ, quatenus fideles, sumus etiam vestri concives, & domestici Dei; licet pauperes, & in hac lacrymarum valle plorantes, nihil minus contendimus, quam ut simus similes vestri, Filii Dei, vestri cohæredes, & hæredes JESU CHRISTI. Nos ergo respicite tamquam his omnibus titulis decoratos; ideoque tamquam vestra charitate dignos: respicite nos veluti illos, qui una cum vobis numerum electorum sunt repleturi; & quorum sanctificatio illud jam unum est, quod desiderare possitis. Benignis auribus preces nostras excipite, easque exhibete illi, ad cujus solium adstatis, ut vos exaudire dignetur. Thura, votaque nostra recipite. Præsidium, atque charitatem vestram super nos ostendite; estote patroni, atque intercessores nostri, quemadmodum imitatores vestros esse nos cupimus; fruimini vestra felicitate, sed mementote nostræ egestatis. *Idem*.

Mundi hujus præterit gloria, Beatorum gloria erit æterna & ab hac incipit vita.

Donec substiterit JESU CHRISTI Ecclesia, vigebit cultus, & honor, qui sanctis adhibetur. Hic vocatur radius æternitatis gloriæ eorum, & quædam veluti præoccupatio æternæ ipsorum mercedis. Mundi gloria paulatim interit, & cum mortalibus ipsis tumulatur. Aliquantisper eorum fama percrebescit, sed quoniam tempus illorum finibus suis continetur, *Periit memoria eorum cum sonitu*, ut ait Scriptura, *Psalm. 9.* Quot summi Viri, antiquitatis Heroes nunc in tenebris jacent, de quibus nemo loquitur, nemo cogitat! Eorum gloria, quæ fluxa erat atque perfunctoria tamquam fumus evanuit; ac gloria Sanctorum numquam interibit. Donec Deus erit Deus, memoria eorum erit in benedictione: *In memoria aeterna erit Justus*. In æternum Domine amici tui colentur, quia cum amici tui fuerint, & cessare nequeant, quin sint, semper iis erunt honoribus digni, quos illis deferimus. *Idem*.

Fieri fere non potest, ut homo immensa hæc spatia considerans, ubi tot mirabilia collucent corpora, minime concipiat ideam Regionis longe beatioris præ illa, quam incolit, atque ultra hæc spatia non prospiciat sedem digniorem illo, qui sedem suam ipse complectitur. Invitus etiam quodammodo, futuram vitam speret, & ubi hujus spei sequitur impetum, naturali motu caput attollit, ut Cœlum suspiciat. Quæcumque bona ipsi tellus exhiberet, prohibere non possent, quin aliquid majus cuperet, atque præstolaretur. Hæc bona alia post alia deinceps dilabuntur, ac sibi mutuo succedunt, ut illum tueantur; cumque ille cognoverit hæc deinceps abire, se quoque deficere intelligit, ita ut & propter bonorum inconstantiam, quæ ad ipsum alendum destinata sunt, & propter propriam fragilitatem quærere teneatur, quod sperat, sursum in Cœlum suspiciens. *Desumptum ex libro, qui inscribitur: Remarques sur divers sujets de Religion, & de morale: tomo primo de Morte.*

Mereri possumus æternam felicitatem vitæ hujus mala ferentes.

Si ejus gloriæ desiderium nos afficit, quæ nostra merces futura est, nihil in terris est, quod ad eam promerendam adhibere non valeamus; & ærumnæ istic a vobis perferendæ facilius ad eam capessendam disponent, si in bonum usum eas velimus convertere. Tædio ne afficimur illius mansionis, ubi necessario manendum est, ut quam cupimus felicitatem nobis eversam faciamus, ubi adsunt adminicula ad illam assequendam, nec deest pecunia, ut ita dicam, ad eam comparandam? Quantumvis infelix sit ista tellus illum nobis exhibet thesaurum, quo in omnem æternitatem sumus locupletandi: quid nostra refert utrum malorum, bonorumve magis fœcunda sit, si quidquid jucundum, & injucundum ibi est, prodesse potest nostræ sanctificationi, & saluti? *Idem*.

Ejus mercedis, quam in Cœlo præstolamur, beata spes effecit, ut Sancti Viri omnia facere possent, omnia conari, omnia pati ad eam promerendam: *patior* ajebat quidam ex illis, plenus heroica fortitudine, quam veritatis adeo jucundæ fides in ipso ciebat (erat autem S. Paulus) *patior, sed non confundor*. Patior, sed quin doleam, inde glorior? cur autem? *Scio enim, cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem* 2. ad Timoth. 1. Quid autem pro deposito suo Paulus intelligit? merita profecto sua, quæ coram Deo fuerat adeptus, hoc est ea, quæ pro Deo fecerat, & quæ pro Deo passus fuerat: spe illius gloriæ suffultus, quam Apostolicorum laborum suorum cumulatissimam mercedem futuram esse prænoverat. *Bonum certamen certavi*, ait ille in eadem ad Thimotheum Epistola, *cursum consummavi, fidem servavi: & in reliquo reposita est mihi corona*

corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex, 2. ad Timoth. 4. Ita loquebatur Apostolus JESU CHRISTI, atque ita jure posthunc licet omnibus fidelibus loqui; quandoquidem ille ipse fatetur hanc justitiæ coronam non sibi solum, sed generatim, & sine exceptione omnibus Dei servis reservatam fuisse: *Non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum ejus*. *P. Bourdalove in sermonibus recens editis, & qui veri illius sunt*. *1. Advent. serm. 1. de Sanctorum mercede.*

Beatitudo Sanctorum merces futura omnem cordis eorum capum replebit.

De fide est mercedem, quam nobis Deus in Cœlis reservat, omnem captum, omnemque cordis nostri immensitatem esse repleturam; de fide est, nos omnium votorum nostrorum complementum in illa esse inventuros; de fide est, illam pro nobis beatitudinem consummatam futuram, cui nihil deerit, & quæ rerum omnium loco nobis erit: ut verbo me expediam, de fide est, licet insatiabiles simus, per hanc mercedem nos votorum omnium compotes futuros: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*, dicebat Psal. 16. Vir ille secundum cor Dei; quasi diceret, donec illuc perveniam Domine, quidquid mihi mundus exhibeat, semper esuriens, & sitiens ero; semper pertæsus illius, quod sum, id esse, quod minime sum, desiderabo. Semper cor meum inanibus repletum desideriis solidisque bonis vacuum, inquietum turbatumque erit; sed ubi in gloriæ tuæ partem me vocaveris, tunc satiatum cor meum incipit esse triumphum. Non sentiam ultra ardentem cupiditatis sitim, qua urebar, non expediat avidam illam secretæ ambitionis famem, qua devorabar; cessabunt omnia desideria mea, quia in gloria tua inveniam plenitudinem felicitatis, plenitudinem quietis, plenitudinem gaudii; hæc enim felicitas, ubi a me possidebitur, pro me erit malorum omnium liberatio, & bonorum omnium possessio. *Idem*.

Sanctorum in Cœlo felicitas tanta est, ut satis dici nequeat ad eam ostendendam, neque fieri satis ad eam promerendam. Nihil istic in terris adstruere nobis potest ideam immensorum bonorum, quibus illi fruuntur in Cœlis; sed mala, quibus carent satis a nobis intelliguntur. Visne comprehendere aliquid de felicitate alterius vitæ? cogita illam omnibus vitæ hujus calamitatibus esse vacuam, dolor, tristitia, morbi, metus, sollicitudines, curæ a beata illa sede penitus exulant; nihil molestum ad sanctam illam Civitatem accedit; merum, plenumque gaudium, inconcussa tranquillitas in cœlesti Jerusalem regnat. Proh superi! quis in terra comprehendere potest ineffabiles dulcedines, quibus electi perfruuntur in Cœlo? non solum ibi adest quidquid optatur, sed quidquid etiam requiritur, ne quid optetur. Cor plenum est, anima satur. Torrens est, Oceanum est, purissimarum voluptatum, quibus Beati immerguntur: non solum ibi simul sunt omnia bona, sed fons est omnium bonorum, est Dei ipsius possessio, qui incomprehensibilis hujus felicitatis est causa. Gaudium Domini proprie loquendo in cor Sanctorum non ingreditur? spatium enim nimis angustum est, & nimis arctum, sed beatorum anima suavissime sese immergit, & ingreditur in Domini gaudium, hoc est in delicias, & Dei ipsius beatitudinem. *P. Croiset in recessu Spirituali tomo 1. Medit. pro Mense Aprili.*

Beatitudo quam Dei in Cœlo gignit intuitus.

Deus ipse in Cœlo videbitur non inter fidei tenebras, sed in claritate diei, & in pulcherrimo suæ majestatis fulgore; non amplius in ænigmate, atque eminus, sed cominus, & facie ad faciem. Post mundi creationem Angeli ipsum contemplari non cessant, & summum illis accideret infortunium, si brevi momento illius adspectu carerent. Intelligite, si fieri potest, quam lætitiam hæc afferat visio clare distincta, visio intima Dei, & Dei amici, Dei patris, quem impetum in anima faciat, ac quomodo anima in hac occupetur, atque in exstasim rapiatur ..... Creatorum bonorum possessio tædium adfert, quidquid enim in illis placet finitum est, & vix possidetur, cum placere cessat. Deus vero cum infinite perfectus sit, quo possidetur magis, eo magis placet. Nullum in illa beatorum sede tædium est, satietas acuit appetitum. *Idem*.

Fingite vobis quidquid in terris hominem perfecte beatum potest efficere, omnes simul mundi hujus thesauros, omnem sæculi magnificentiam, honores, voluptatesque omnes colligite: omnes mundi coronas congerite, ut unum terrarum omnium Imperatorem constituatis: ab hac felicitatis idea removete etiam, si lubet, quidquid dolorem afferre potest, licet ab hac vita removeri non possit: numquam tamen removere possetis certitudinem aliquando moriendi, & adeo felici vitæ finem imponendi. O Deus! quam suave est te possidere sine metu umquam amittendi te! Quantas delicias, quantum solatium hæc adfert cogitatio! Sum felix, & ero felix in æternum! Habeo quidquid concupiscere possum, & nihil imposterum felicitatem meam turbare potest. Cor meum innatat in puro, perfectoque gaudio, & gaudium hoc numquam est desiturum. Denique salvus sum, Sanctus sum, & ero in æternum. *Idem*.

Memoria transactorum periculorum, Beatorum auget felicitatem.

Quot scopuli, quot procellæ in æstuoso hoc mundi pelago, quod mortales currunt? Sancti in Cœlo tamquam in portu cum gaudio meminerunt periculorum, quæ in hac vita sibi subeunda fuerunt, atque cum voluptate vident quomodo eos Dominus manu in portum usque deduxerit. Nihil est, neque ex ipsis salutis nostræ inimicis, quod aliquid Sanctorum felicitati non conferat. Quot prælia decertanda fuerunt, quot hostibus occurrendum, quæ vigilantia, quod studium contra tentatoris astus, quæ vis ad animi ægritudines coercendas, adhibenda? Virus in deliciis erat, contagio ubique erat effusa: ignavia aliquantulo major pro falsis amicis, indulgentia, humanus respectus illorum victoriam in dubium revocabant. O utinam vel ita fuissent immortificati ut suas voluptates suis præferrent officiis, vel ita ignavi, ut se vinci paterentur! Sed divinam opem ferente gratia restiterunt, triumphantes in Cœlo recepti sunt, æterni sunt fructus victoriæ suæ: illos Deus sibi amicos adjunxit, omnis terra sapientiam, eorum admiratur, memoriam colit, implorat opem, & cupit felicitatem. Numquid sanctis jucundum est cogitare, se potuisse non esse felices, & re ipsa se felicitatem assecutos? *Idem P. Croiset.*

Cœlum est patria mea; igitur in terra sum tamquam peregrinus, & hospes. Viator parum quærit quid secus viam fiat: voluptates, consuetudines, jucundæ societates, superba ædificia, delectabilia objecta nihil illum morantur: ea sumit tantum, quæ sibi sunt necessaria; sed unico patriæ suæ vacat desiderio, ejusque recordationi. Abjecta nimis anima corruptumque cor illud esse debet, quod ibi complacet in loco exilii sui, ubi munus abjectissimum exercet: & ita sibi complacet, ut ipsius etiam patriæ memoriam amittat, ubi cum bonore versari debet, atque sedem deliciis habet affluentem. Nonne hoc de nobis jure dici potest? nobis placet terra, quamquam sit Regio lacrymarum, Cœlum vero beatam illam mansionem, Cœlum omnium bonorum centrum, & permansuræ, æternæque felicitatis locum nullo in discrimine habemus. O quantos evitaremus dolores, atque inter hujus vitæ calamitates quam dulce solatium inveniremus, si nosmet respicientes tamquam futuros sanctæ Civitatis Cives, tamquam adoptivos Dei viventis filios, tamquam futuros æternæ gloriæ Hæredes, meminissemus, nos in hac terra versari, ut aliquando sancti simus, atque in æternum in Cœlo beati! *Idem*.

Quid non fieret, si sæpe Cœlũ cogitaremus.

Est Paradisus: hic fidei articulus est: sed creditur-ne? si enim crederetur, si parumper cogitaretur vita illa beata, atque æterna, quæ nos manet, & corona illa, quæ nobis præparata est, proh Deus! quid non conarentur, ut in Cœlum ascenderent homines illi, qui conqueruntur indesinenter de avaritia, ingratitudine, atque sævitia illius Domini, cui famulantur? Quid non efficerent, ut Cœlum assequerentur illi, qui mortem adeo timent, qui ut diutius aliquantulum vivant, omnes hujus vitæ suavitates relinquunt? Nobis, o Domine, beatam, æternamque vitam exhibes, & quasi promissionibus tuis fidem minime adhiberemus, vel oblivisceremur desideria

nostra, quæ magis naturalia sunt, ita vitam instituimus, quasi post hanc non alia nobis superesset speranda. *Idem.*

Contemptus, exagitatus, odio habitus, nulla dies sine inquietudine, nulla via sine scopulis, semper inter certamina, ac prælia, ubique inter laqueos, qui innocentiæ struuntur: spiritus meus mihi suspicione non vacat, cor ipsum meum cum sensibus conjuratione facta rebelle: quæ unquam, Domine, tristior, quæ acerbior vita esse potest? sed dummodo adsit patientia; Paradisus futurus est omnium horum laborum terminus, & Deus ipse mea merces erit. Gemo, patior, pluribus ab hinc annis pugno, aliquot adhuc supersunt anni, quibus patior, & plena, atque perfecta felicitas, felicitas æterna pars mea futura est. Pauper sum, verum est; sed felix ero, humiliatus sum, injuriis lacessitus, non diffiteor, sed æterna gloria fruar. O quantum adfert solatii hæc cogitatio, ubi magnæ in divina misericordia confidentiæ innitatur! *Idem.*

Animæ Cœlum ingredientis lætitia.

O quam dulce momentum est, quod finem imponens vitæ hujus calamitatibus, beatam incipit æternitatem! Quam impressionem in anima efficit primo illo momento clara, atque distincta Dei visio, & quidquid illa detegit in sede Cœlesti? O bone Deus! quæ lætitia, quinam gaudii impetus, cum proprios sensus suos anima recogitans, sibimet dicit, salva sum; gemitus, labores, mœrores, certamina transierunt: gaudium, requies, vita beata, quibus nunc fruor, vos non transibitis. Salva sum! Quam suave hoc momentum est! sed cætera momenta huic primo simillima sunt. *Idem.*

Fierine potest, o Domine, ut homines necessario optantes felicitatem, & in id unum laborantes adhæreamus iis, quæ prohibent, ne beati simus? infinita, æternaque felicitas promittitur nobis, & illam negligimus: quænam contradictio! & homo rationis compos, homo sui ipsius minime inimicus hoc præstare potest? Ego quidem hactenus nimis hoc præstiti, o Deus! sed nunc ardens illius felicitatis possidendæ cupiditas efficit, ut prioris negligentiæ me mirum in modum pœniteat. Tu mihi beatam hanc sedem promeritus es: ne permittas, ut me eadem præbeam indignum: actum jam est: ad Cœlum dumtaxat aspiro.... O cæci mortales phantasmati evanescenti, atque vos fallenti attendite: finite vos decipi figura æque inani, ac speciosa; sequimini sensuum illecebras: ego vero fide ductus altior extollor, & sancta ambitione Cœleste Regnum affecto; nihil mihi sapit nisi gloria æterna, & unica Dei possessio mihi afferre potest saturitatem. Undenam, o Deus, adeo frigidi, adeoque sumus inertes? bona quæ nobis promittis contemnenda sunt? pretiosa hæc immortalitas, dulcis hæc, & suavissima sedes, hæc inamissibilis Dei possessio, qui nihil prætermittit, ut animam beatam efficiat? ego vero aliud quodcumque præter Cœlum concupisco, & inanibus voluptatibus detineor! haud ita: Cœlum est patria mea, atque terram deinceps nonnisi exilii locum despiciam. *Idem.*

Christiano non aliud iter ingrediendum est, ut ad Cœlum perveniat, quam Crucis, quod *Regia ad Cœlum via* a quodam S. Patre vocatur. Christianus viator est: sed quinam viator! & quam ab aliis viatoribus dissimilis! Viator est omnia voluptatum, solatiorum, affectuum genera relinquens: Viator est iter suscipiens per viam spinis, sentibus consitam, cui hinc inde horrentia circumstant præcipitia, & ubi sexcenti adstant inimici; utque laboribus cumulus accedat, concubia, & tenebricosa nocte iter instituit: Viator est, quiescit futurum, ut in omni itinere numquam clara dies sibi affulgeat, numquam quiescat, sed cui, itineris sui exitum ignoranti semper incedendum est, semper propulsanda pericula, semper mala ferenda. Nunc ex vobis quæro, utrum hujusmodi viator sæpe repetere debeat consilium producendi itineris sui, ac sæpe reputare rationes, propter quas iter illud suscepit, sese identidem in suscepto consilio confirmare, & indesinenter excitare hac sibi proposita cogitatione, futurum ut ex adeo molesto labore summam assequatur utilitatem? Hæc vera est Christiani hominis imago, quæ simul probat, quam necessarium sit, seipsum ad iter absolvendum confirmare &c. *Liber, cui titulus: Vera orationis idea parte 2.*

Suspiria animæ in Cœlum tendentis ex Psalmis deprompta.

Psalmi non aliud sunt, quam gemitus, & ad Cœlestem Patriam suspiria; & animus, qui ejusdem affligitur desiderio ultro, atque libenter sese iis sensibus tradit, qui sibi revocant in mentem quidquid amatur. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus*, ajebat Propheta. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: Multum incola fuit anima mea. Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus dum recordaremur tui Sion. Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in Domum Domini ibimus. Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris divitiis ejus. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

In hac re toto Cœlo a primorum fidelium virtute degeneravimus, qui unicæ immortalium bonorum spei, & expectationi adventus JESU CHRISTI vacabant: *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magnæ Dei, & Salvatoris Nostri JESU CHRISTI* ad Timoth. 2. qui properabant illi occurrere, ut citius ejusdem perfruerentur aspectu: *Expectantes, & properantes in adventum diei Domini*; qui dies numerabant, atque seipsos consolabantur, prout minus temporis inter se, ac terminum intercedere cognoscebant: *Consolantes, & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem*: qui lætabantur tanquam ob summam felicitatem, quod salus sua minus aberat postquam a sua conversione tres, vel quatuor fluxerant anni: *Nunc propior est nostra salus, quam cum credidimus*. Verbum hoc *prope est Regnum Dei*: in eorum corda eam impressionem faciebat, quam in nostrum facere deberet: seipsos tamquam salvos per spem respiciebant: *Spe salvi facti sumus*: quasi jam essent in Cœlo, quo JESUS CHRISTUS veluti eorum præcursor fuerat ingressus, tamquam jam sedentes super Thronum cum ipso, & amicti gloria ipsius: tamquam de corruptione sæculi liberati, in quo nihil cupiebant, & quod veluti jam damnatum considerabant. Abdiderant æternum Patriarcharum virtuti, ac spei suæ eam activitatem, atque ardorem, quem termini propinquitas tribuit. Promissa sibi bona non eminus salutabant, sed partim jam possidebant, partim jam jam erant possessuri. *Idem.*

Quam difficile sit de Cœlesti beatitudine verba facere.

Si tanta est difficultas in ostendenda Sanctorum felicitate, obstupescendum non est; qui enim de illa verba facit, loquitur de re invisibili, atque incomprehensibili: & si S. Paulus Apostolus qui ad tertium usque Cœlum raptus fuerat, testatur, se audivisse arcana verba, quæ non licet homini loqui: si ille Cœli discipulus professus est, se vidisse mirabilia, quæ nonnisi cum stupore atque silentio exprimi possunt: si satis esse credidit dicere oculum numquam similia vidisse, aurem non audivisse, & mentem hominis numquam eas concepisse cogitationes, quæ exprimere valeant numerum, atque præstantiam bonorum, quæ præparavit Deus diligentibus se; audax profecto essem, si de Paradisi deliciis Sermonem vellem instituere, atque æternæ gloriæ miracula explicare. Hoc unum dicere possum; mentis vestræ oculos per singula universorum bona circumferte; ibi plurima, ac mirabilia videbitis: cogitate hæc omnia tamen nihilum esse, ubi cum Sanctorum felicitate comparentur. *Desumptum ex Sermone manuscripto Mascaron.*

De cognitione Dei, quam Sancti habent.

Sanctorum felicitas consistit in possessione Dei, quæ est veritas æterna, in cujus cognitione, atque contemplatione posita est beatitudo: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum.* Joan. 17. Donec homo in hoc mundo versatur, veritatem hanc perfecte cognoscere, eamque contemplari non potest.

Deus

Deus luminis abyssum inhabitat: eumque fulgura ac radii inaccessibilem efficiunt: *Qui habitat lucem inaccessibilem*. 1 ad Timoth. 6. ita ut spiritus illum respicere nequeat quin ad tantum fulgorem cæcutiat. Perfecta cognitio haberi non potest: sensus nullam nobis adstruere possunt ideam, ratio aliquid nobis ostendere quidem potest, & ea de causa Apostolus inquit: *Invisibilia Dei a Creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur*, ad Rom. 1. sed cognitio hæc obscura est: ostendit quippe divinam existentiam, essentiam vero non detegit: quamobrem dixerunt Patres, creaturas esse umbram divinitatis. Quemadmodum enim ex umbris conjicitur corporum, quæ illas projiciunt, magnitudo: de Deo judicium fertur per Creaturas, quæ sunt ejusdem imagines. Itaque anima quosdam divinitatis characteres in creaturis intuetur, sed ut illius veritatem aperte conspiciat, Cœlum ascendat, oportet. *Idem*.

Efficit Deus, ut Sanctorum gloria in ea admirabili effulgeat potestate, quam ipsis super omnes creaturas impertit, in miraculis, quæ per eos operatur, & in honore, quem illis præberi jubet. Ubicumque ipse colitur, & adoratur super aras eorum Lypsana exponuntur, eorum catenæ ostenduntur, particulæ Crucis eorum, atque eorumdem supplicii instrumenta in Ecclesiæ thesauris conduntur. Cilicia, quibus induti fuere, majori sunt in honore, quam purpurea Imperatorum paludamenta. Accedunt ægri in cineribus mortalitatis eorum vitam, atque valetudinem quæsituri; confluunt ad illorum monumenta populi, ibique Reges terræ sceptra, & coronas abjiciunt, mortales eorum exuvias veneraturi, atque ostensuri quanto in honore illi sint apud Deum. Quam magnus es Domine! quandoquidem Servos tuos ad tantum gloriæ apicem ultra omnes mortalium honores extollis: *Nimis honorificati sunt amici tui Deus*. Psalm. 138. *Pater Novet in præfatione tomi de Sanctis*.

Sermo de Beatorum felicitate ad eam acquirendi excitare nos potest. Finis tristitiæ (quæ necessaria est infelicis illius status, in quem redacti sumus in hac lacrymarum valle conditio), & initium lætitiæ, quæ numquam auferetur a nobis, Cœlum est (auditores); Paradisus est, qui debet esse laborum nostrorum merces amplissima. Verum, amabo vos, quo sensu affecti estis, ubi solum Paradisi nomen audivistis proferri, quem in vobis sensum excivit beatus vestræ felicitatis terminus? attulistisne tantum inefficax desiderium, timidumque languorem pro Regni Cœlestis acquisitione! non aliam novi medicinam ad hunc languorem auferendum, quam simplex expositio illius, quæ nos manet, felicitatis. Verum quænam supremæ hujus felicitatis imago vobis exhiberi potest? quomodo ea describi, quæ oculus non vidit, quæ non audivit auris? Quin morer vos sensibilibus descriptionibus, quas attulerunt Prophetæ, & quin mentem vestram ulla descriptione detineam, statim vestri cordis arripio viam, ut ardentem Paradisi cupiditatem vobis injiciam. Duos illos affectus, quibus cor vestrum maxime movetur, atque agitatur, excitare volo. Ducimur omnes vel gloriæ cupiditate, vel voluptatis illecebra. Immensitatem ergo votorum vestrorum, & cordis vestri insatiabilitatem explevero, ubi vobis ostendero Paradisum simul esse, & gloriam, & voluptatem: sed gloriam a gloria mundi omnino dissimilem, sed voluptatem a sensibilibus voluptatibus longe diversam. *Desumptum ex manuscripto Serm. Patris Catrou*.

Proculdubio Dominus, qui perfecte novit omnia studia cordis nostri, quod ipse formavit, Cœlum sub nitidissimis imaginibus nobis exhibuit, ut cieret ambitionem nostram, qui quidem nobilissimus affectus est, qui dominetur in nobis. Ut igitur ad virtutem convertat hoc gloriæ studium, quod natura sua in gravissima flagitia nos potest impellere, Dominus illi innocuum objectum suppeditat. Licitum nostræ ambitioni præbet alimentum, & vult, ut citra culpam hanc honoris aviditatem ad eam gloriam convertamus, quæ una desideriis nostris satisfacere potest, Hinc magnificæ illæ locutiones JESU CHRISTI, atque Apostolorum ubi de Paradiso loquuntur. Hæc, inquiunt illi, est gloria immensa, quæ revelabitur in nobis: *Ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Hæc est immensum gloriæ infinitæ pondus: *æternum gloriæ pondus*. Regnum est nobis paratum, & ad cujus acquisitionem vocati sumus: *paratum vobis Regnum*. Corona est nobis post prælium destinata: *coronabitur, qui legitime certaverit*. Palma est, quam victores manibus sunt gestaturi: *& palmæ in manibus eorum*. Figuræ hujusmodi satis ostendunt Paradisum pro nobis esse debere solidæ gloriæ terminum, nihilque ibi futurum de inanis gloriæ mundi hujus vanitate. *Idem*.

Vitæ hujus labores conferendi minime sunt cum ea gloria, quæ nos manet in Cœlo. Quam verum est passiones omnes, omnesque vitæ præsentis afflictiones, nullam habere rationem cum gloria futura, quæ fulgebit in nobis! O beatas adversitates, o pretiosas vitæ hujus Cruces! o suave ac leve Domini jugum, quandoquidem nobis æternum gloriæ pondus producitis in adeo sublimi excellentiæ gradu, ultra omnem mensuram! quam inanis & fluxa ea voluptas est, quam creatum bonum parit! sed *gaudete & exultate*. Luc. 10. Salvator ait, quia nomina vestra scripta sunt in Cœlo. Neque satis est vulgaris lætitia; inexplicabili voluptate rapi debemus, & exultare præ gaudio, ejus mercedis magnitudinem cogitantes, quæ nos manet in gloria Beatorum. *Pater Croiset Meditatione de Paradiso*.

Simul ac Deus nos destinat gloriæ, ad eam etiam promerendam nos adigit, & necessario cogit, ut viam arripiamus arduam, atque molestam, ad beatum hunc finem perventuri. Quamobrem nobis in Scripturis gloria exhibetur modo tamquam corona, modo tamquam pretium, modo vero tamquam merces, quæ omnes loquendi rationes, eam nobis ostendunt esse promerendam. Corona est, igitur per victoriam referenda; pretium est, igitur meritis acquirendum; merces est, igitur laboribus obtinenda. Hac de causa Apostolus Remuneratoris qualitati addit semper qualitatem justi, ut innuat justitiam in gloriæ distributione semper adesse, & Deum nequaquam minus æquum esse Judicem, cum virtutem remuneratur, quam cum in hominum vitia, & scelera animadvertit. *De la Volpilliere Sermone de gloria*.

Cœlum acquiri citra vim & mortificationem non potest. In Scripturis Regnum Cœlorum comparatur modo Thesauro, modo promissæ terræ, modo militis coronæ, modo opificis mercedi, modo mannæ deserti, modo victoris solio, modo Nautæ portui, modo tandem Patriæ Viatoris. Si nihil ferendum esset, nihilque aggrediendum, ad Regnum hoc acquirendum, quonam pretio posset obtineri? Thesaurus est: *Simile est Regnum Cælorum Thesauro abscondito*. Matth. 13. omnia igitur ad illum emendum sunt vendenda; alte igitur defodienda tellus, sanguine, & aqua sudandum, ut inveniatur. Est terra promissa; valide igitur, atque constanter obluctandum est hostibus, ut eadem potiamur, adversantibus. Corona est militis; præliandum igitur est, inquit S. Paulus 2. ad Timoth. 4. neque enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Opificis merces est, igitur, Job c. 7. arguit, ferendum est pondus diei & æstus: Est manna deserti; sed docet S. Joan. Apoc. 2. mannam hanc vincentibus tantummodo dari. Victoris solium est; sed idem monet, neminem cum Agno ibi sedere posse: nisi vi, & astu ingentes victorias reportaverit. Nautæ portus est: sed antea scopulos evitasse oportet, & molestæ navigationis pericula superasse. Denique Patria est viatoris: sed festinanter, stadium suum absolvat, opus est, inquit Apostolus, antequam illuc perveniat. Hæc omnia modo cum inerti, inanique vita, quam hominum plerique ducunt, conserte, & affirmate, hanc minime oppositam esse beatitudinis possessioni: affirmate Thesaurum inveniri posse sine labore, vinci sine prælio, obtineri mercedem sine labore, solium ascendi sine difficultate, in Patriam perveniri sine lassitudine, atque anhelitu: hæc omnia affirmate, & ipse quoque concedam, Cœlum acqui-

acquiri posse, quin aliquis sibi vim faciat. *Joly tomo 2. propositionum suarum pro 2. Quadragesima Dominica.*

Paradisi via, licet arctior adhuc esset, quam putent inertes, imperfectique fideles, cum unica via sit, quæ ad Cœlum adducat, deliberandumne adhuc est, utrum altera vita sit corripienda? Numquid nimio illa stare potest impendio, cum agatur de æternitate? Cum de rerum summa, vel acquirenda, vel amittenda agatur, cum de felicitate, vel infelicitate æterna agatur; de his omnibus agitur tamen, modico pretio comparandis. Heu! licet vita ipsa, honor, valetudo, omniaque vitæ hujus bona essent impendenda, omnia lucratus est, qui per rerum cæterarum jacturam Cœlum lucratus est. *Auctor Anonim.*

Sancti fuerunt id, quos nos sumus, & nos esse possumus id, quod ipsi sunt. Numquid status aliquis, statu ipsorum felicior fuit? talis noster quoque status esse potest. Illorum desideria quantacumque fuerunt, satis jam, superque saturata sunt; ea omnia possident bona, quæ possunt optari: immo bonorum omnium originem possident. Ipsorum beatitudo perfecta est, consummata felicitas, nihilque illis superest optandum. Sancti felices sunt, & sciunt se futuros, & certo sciunt, felicitatem suam numquam desituram. In æternum iis omnibus expediti sollicitudinibus, quibus torquemur, iisque curis, & doloribus immunes, quibus nemo caret, ab omni procella securi, procul a scopulis, gaudent in portu immutabili tranquillitate, propter quam adeo pura, plenaque perfruuntur lætitia. Domini gaudium, proprie loquendo, non intrat in Sanctos: in illis enim coarctaretur: sed Sancti ipsi, quemadmodum loquitur Evangelium, ingrediuntur in gaudium Domini, tamquam in delitiarum omnium Oceanum nullis finibus circumscriptum: quandoquidem eorum beatitudo perfecta est, atque æterna. *Semper pleni, & semper avidi*, dicebat S. Augustinus: semper pleni, quia habent plenitudinem felicitatis, & semper avidi, quia in eadem felicitate recentem inveniunt voluptatem, semper recentem ibi gustum invenientes. *Pater Croiset in Considerationibus Spiritualibus.*

Sanctorum exemplum sequi nos decet, si gloriæ ipsorum cupimus esse participes.

Sanctorum felicitatem mente assequi non possumus; non deest tamen nobis gratia ad eam promerendam: ipsi sunt nostrarum admirationum objectum: quandonam vitæ nostræ erunt exemplar? Sorti illorum invidemus, & a nobis pendet, ut aliquando id simus, quod ipsi sunt: Palmæ, quibus onusti sunt, in ea Regione nascuntur; ubi nos vivimus: hostes nostri ipsorum quoque fuerunt hostes, nobisque hæc utilitas est, quod novimus, quomodo ab illis prostrati fuerunt. Easdem habemus suppetias, eadem arma, idem stadium; hoc illi cum honore percurrerunt; in nobis positum est eorum sequi vestigia. Quenam gloria nostra ambitione magis digna, quam sua? Corona, quam meruerunt, eadem est, quæ pro laborum nostrorum mercede nobis proponitur; omnes eidem Domino famulamur: si eorumdem sortem habere cupimus, eorumdem sequi exempla debemus. *Idem.*

Quantumvis generosi, ferventesque Sancti fuerunt, certum est, ipsos nequaquam nimis elaboravisse, ut essent Sancti. Pauci immo sunt, qui non metuerint, vel quibus metuendi ratio defuerit, ne satis pro Deo adlaborassent, qui meretur omnia, & pro quo numquam satis fieri potest. Solitudines, Sacrificia, Austeritates, Devotiones quæcumque semper magnitudini mercedis sunt longe inferiores. Nos vero qui nihil tale fecimus, qui immo oppositum facimus iis, quæ Sancti fecerunt, ut Sancti essent, erimusne Sancti? Quin loquar de tot millibus Martyrum, qui non crediderunt se nimis præstare, sanguinem, & vitam suam effundentes, gravissimosque cruciatus subeuntes, ut animæ suæ saluti prospicerent: Innumerabilis illa Sanctorum Caterva ex qualibet ætate, sexu, conditione, qui dies suos in diligentissima omnium virtutum exercitatione, acerbissimisque austeræ pœnitentiæ exercitiis transegerunt? Viri illi adeo sapientes, atque perspicaces erraveruntne viam adeo diversam sæculi? cur viam adeo arctam amplexi sunt, si altera adest latior, ac tutior?... Magnæ illæ Animæ diversæ Religionis erant? Diversum habebant Evangelium? JESUS CHRISTUS particularia pro illis præcepta tradiderat? aliam mercedem præstolabantur? in eadem Schola, & sub eodem Magistro eruditi credimus, quidquid crediderunt illi, nostra morum disciplina ab illorum disciplina non differt, eadem supplicia metuimus, eadem præmia exspectamus: sed vita nostra vitæ eorum similis est? *Idem Pater Croiset.*

Ex quo tempore Cœlum, aliis quidem tanto, aliis vero tam modico stat pretio? Illi in pœnitentis vitæ exercitatione diligentissime legem omnem observant; hi vero omnia illius capita infringunt, dies suos in voluptatibus mollique vivendi ratione traducunt, atque per adeo opposítas vias eodem pervenire contendunt. Multum quidem Sancti pro Cœlo adlaborarunt, verum numquid minus facere debuerunt; quinam homo Sapiens, vel Ethnicus, sciens agi de æterna felicitate acquirenda, vel æterna infelicitate evitanda, non obstupesceret potius, quod plura ab illis facta non fuerint? transegerunt dies suos in pœnitentiæ exercitatione, & in Cruce, sed in Cœlum profecturis, aliane patebat via? mundum ejusque dogmata perhorruerunt: verum licebatne ipsis esse JESU CHRISTI discipulos, & illa sequi? omnia quidem Deo sacrificarunt: sed aliquid ne Deo negandum est? *Idem.*

Necessario Sanctorum exempla sequi debemus, si ad eamdẽ felicitatẽ pervenire contendimus.

Quomodonam otiose, atque pacate magna hæc exemplaria possumus intueri? nullum est, quod non objiciat maximam illam inæqualitatem, quæ inter hanc nostram, ipsorumque vitam intercedit. Quonam privilegio a præceptorum omnibus communium observantia soluti fuimus? nequicquam infirmitatem, & humani cordis nequitiam præteximus: Sancti, homines erant? mundus tunc erat qualis est hodie, bonorum inimicus; nihil fallacius præceptis illius. Non deerant impii homines, & nequam; Sanctis iidem erant obices, ac nobis: nobis eadem ac ipsis adsunt subsidia; immo præterea optimorum exemplorum suorum nobis adest auxilium. Crediderunt illi, quod credimus, & id fecerunt, quod nos facere necessario tenemur. Eorum vero exemplum otiose spectabimus? eorum consilia contemnemus? numquamne pœnitentia ducemur, quod eos Duces, eorumque exempla secuti fuimus? *Idem.*

Non poteris quod isti, & istæ? Justa certaminis causa, & quæ nos ad virtutem magis accendat Sanctorum præclara facta intuentes; dicere enim subinde nobismetipsis deberemus divina freti gratia: cur facere nequeo illa, quæ fecerunt tot homines genere illustres, dignitate Nobiles, conditionis suæ officiis occupati; quod tot adolescentes sexus utriusque in ipso ætatis flore fecerunt, ut Cœlum promererentur? Numquid magis sua interest, quam mea, Sanctos esse? Numquid minores mihi suppetunt causæ, ne meæ consulam incolumitati? plurimi nobilissimo orti Sanguine, nativitatis suæ privilegia abdicarunt; fortunæ bonis cumulati ad extremam sese redegerunt inopiam, speciosissimis terrarum dignitatibus decorati in humillima caligine delituerunt; virgunculæ naturæ muneribus instructæ, sexus sui voluptatibus illectæ, claustrum prætulere fallaci licentiæ filiarum sæculi, & velum locupletissimæ mundi coronæ; Cœlum unicum erat votorum suorum objectum: ingentes illæ animæ omnes has heroicas actiones tamquam officia sua respiciebant, & querebantur, quod pro Deo majora præstare non possent, Hic non erat error, Sanctas esse cupiebant. Nonne jure cum Apostolo dicere poterant, omnes temporis præsentis ærumnas cum futura gloria, quæ revelabitur in nobis, nequaquam esse conferendas? *Idem.*

Quomodo fieri potest, ut Justi vitæ præsentis amore teneantur, cum sciant, quænam ipsos post mortem maneat felicitas? S. Cyprianus disertissime hoc tractat argumentum sermone validissimis apertissimisque rationibus refertissimo. Quæ cæcitas, inquit

inquit ille, quæ insania, vitæ hujus miserias diligere, & non contendere ad eam felicitatem, quæ nullum est finem habitura? hoc proculdubio inde proficiscitur, quod deficit fides, & ignoratur, quænam sint bona, quæ Deus servis suis pollicetur. Hoc sciebat S. Paulus, omnesque id scire cupiebat, cum ajebat; neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quanta præparavit Deus diligentibus se. Jure etiam arbitrabatur, mortem sibi lucrum esse, & maximum esse bonum, vitiis, atque affectibus non parere, sed vacuum esse ab omni sæculi hujus sollicitudine, & a Dæmonis servitute. *Pater Ludovicus a Ponte libro cui titulus: Avantages des maladies cap. 6.*

1. ad Cor. 2. — *ad Phil. 3.*

Nostra in Cœlis beatitudo magna erit juxta operum bonorum magnitudinē.

In Cœlesti Patriæ domo plures mansiones sunt; aliæ tamen aliis sublimiores: quod discrimen neque ex humana potentia, neque ex fortuna, neque ex dignitatibus, neque ex doctrina, neque ex favore, vel existimatione proficiscitur. Illi famulamur Domino, qui unicam operum Sanctitatem respicit; ideoque operum nostrorum rationem tantummodo habere debemus. Quo plus optimi tritici in terram projiciam, eo mihi uberior messis erit; quo magis decertabo, eo plures victorias, pluresque coronas assequar. Omnia Deo conferamus, omnia propter Deum faciamus, nihil enim, quod illi confertur, quod fit propter ipsum, est interiturum; sanctificemur sine mensura, si ita loqui licet, ut nos Deus sine mensura glorificet. *Pater Gironst tomo 1. Quadrag. Serm. de Sanctitate Christiana.*

Omnia cogitate, quæ in terris aliquid conferre possunt ad perfectam hominis felicitatem, omnes simul terrarum thesauros, omnem sæculi magnificentiam, honores, voluptatesque omnes colligite; omnesque mundi coronas in unam redigite, ut unum totius mundi Imperatorem constituatis. Ab hac etiam felicitatis imagine removete quidquid dolorem afferre potest, licet hoc a vita nostra sejungi non possit; numquam tamen removere licebit certitudinem aliquando moriendi, & incertitudinem illius diei, qua adeo beatæ vitæ finis erit imponendus. Nemo umquam in terris fortunam suam studuit ultra mortem provehere; fortuna vero, quam pro Cœlo nobis comparare studemus, nullis est finibus circumscripta, ejusque diuturnitas ipsa est Dei æternitas. In Cœlo perfecte beati erimus, & certo sciemus beatitudinem numquam desituram. O Deus, quam suave est possidere te ipsum citra metum te amittendi! quantum solatii, quantum deliciarum hæc adfert cogitatio! Felix sum, & ero felix; habeo quidquid optare possum; scio ambitionem meam, licet tam late pateat, licet tam difficile olim expleri potuerit, affluenter saturatum iri, atque imposterum felicitatem meam nulla re unquam iri perturbatum. Innatat cor meum in lætitia pura, plena, & perfecta, & hæc ipsa lætitia immutari non potest; sum quidquid homo felix concupiscere potest, idque in æternum ero. *Idem.*

In nostra est potestate supremam illam felicitatem acquirere quæ charo pretio cōparari non potest.]

Status ille, ubi nihil cupiendum superest, nihil adest metuendum, solus est, qui beatus dici queat. Nemo in sæculo felix, nemo locuples, imo neque Rex, qui sortem suam nollet cum sorte beatorum in Cœlo permutare. Attamen in nobis est hanc ipsam sortem acquirere; supremus Dominus necessaria, & sufficientia ad id nobis præbuit subsidia; nostrorum est illis uti. Quis prohibet, ne tantum hoc boni assequamur; quod discrimen inter felicitatem, & gloriam, quibus in Cœlo fruuntur Sancti, atque omnia terræ hujus bona! Animæ magnæ, illi Christianæ Religionis Heroes discrimen hoc intellexerunt, nihilque intentatum reliquerunt, ut thesaurum hunc absconditum sibi compararent, & pretiosum hunc lapidem invenirent. Alii fortunæ bonis referti ea generose abjecerunt, alii voluptatibus illecti Crucem omnibus vitæ hujus suavitatibus, atque commodis prætulerunt. Multi Regnum reliquerunt, neque arbitrati sunt se, nimis magno pretio Cœlum emere pro quo abdicabant Imperium: cumque omnia flocci fecissent, honores, dignitates, divitias; nemo fuit qui pro nihilo æternam hanc felicitatem se obtinuisse non crediderit. *Pater Croiset tomo 2. Considerationum Christianarum.*

Inanem umbram, fallacemque chimeram sectati conficimur: tanto non stat nobis impendio æterna felicitas; & licet magno stare deberet, numquid pretium ullum, ad æternam felicitatem comparandam satis magnum esse posset? Verum est tamen, illud, quod in mundo fortuna appellatur, stare pretio multo majore. Gloria diligitur? cur igitur vera gloria non quæritur? Nosmetipsos amamus, cur veram utilitatem nostram non sequimur? *Idem.*

Quid magis jucundum accidere potest, quam habere corpus incorruptibile, agile, subtile, quod momento immensa fere spatia percurrat? si pulchritudo felicitatis pars esse censetur; quid gratius, quam habere corpus sole ipso fulgidius. Imperium magnas habet apud summos viros illecebras; quid erit igitur sedere in solio Dei ipsius, creatis quibuscumque rebus imperare, & mundum universum pro Regno habere? Quid autem universali hoc imperio frui in omnem æternitatem? Quid jucundius, quam universa juxta omnes illorum adspectus intueri? detegere causas effectuum omnium, quos admiramur? intelligere artem Dei in omnibus naturæ operibus, quæ nos maxime latent? numquid fingi potest conditio beatior? attamen quidquid de hac mercede cogitare possumus, nihil est, si cum veritate conferatur; quandoquidem nec oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus diligentibus se. *Pater Mauduit tractatu de Religione contra Atheos.*

Verus Christianus Cœlū tantummodo cogitare debet.

Anima Christiana, secundum primam impressionem suam, in terris videre debet, quemadmodum, si ibi non esset; Spiritus spiritualibus dumtaxat rebus vacare debet, omnes illius motus tendere debent in Cœlum, omnes gressus ad beatum finem suum debent converti, cogitationes omnes pro altera vita debent impendi. Thesaurus illius est in æternitate, & cor ipsius ibi esse debet, ubi thesaurus est. Si cessat ad beatam Patriam contendere, illuc ingredi non meretur, si complacet sibi in exilio suo, indigna est Cœlesti hæreditate, quæ ipsi fuerat destinata. Lætitia ipsius esse debent ex cogitationes, quas illa ad Deum suum attollit; sollicitudines ejus dissipari debent a desideriis, quibus flagrat erga felicitatem; solatium vero esse debet in Dei sui promissionibus, neque illud invenire potest, præterquam in expectatione æternæ felicitatis. *Pater Massillon in Sermone de prosperitate.*

Non satis est tibi, Domine, efficere, ut oculis fidei ea infinita videamus bona, quæ præparas diligentibus te; ad illam cor etiam nostrum spe attollis, quæ est quædam veluti delibatio beatitudinis, & perfunctoria voluptas æternam voluptatem præcedens. Quomodo vero, Domine, tot miseriis circumdati audeamus oculos, & corda nostra attollere ad Cœlestem illam Jerusalem, quæ est solium tuum; nos, qui in terra habitamus, quæ est scabellum pedum tuorum? Attamen quemadmodum dignatus es per infinitam misericordiam tuam nos propter Cœlum efficere, non obstantibus Carnis infirmitatibus, quæ prohibent, ut participes fiamus, quantum necessum esset Sanctitati spiritus tui; tu tamen nos his ipsis circumdatos miseriis sperare jussisti. Idem Spiritus, qui efficit, ut gratiam tuam petamus, efficit quoque, ut speremus in te; & quemadmodum minus per nos, quam per Spiritum tuum speramus, ita certissima confidentia repleti esse debemus. Quidquid tu pro nobis fecisti, quidquid imperasti, ut pro te faceremus, quidquid pro nobis promisisti; validissimæ rationes sunt, ut speremus divinum lumen tuum inter mortis tenebras, atque umbras, inter quas in hac mortali mansione versamur. Idque eo tutius nobis sperandum est, quod tibi placuit Sacramento promittere, te nos infinitis JESU CHRISTI Filii tui meritis esse induturum. *Auctor Neotericus, & Anonymus.*

SUPPLEMENTUM.

Desideria, & suspiria Christiani, semper in Cœlum tendere debent.

IN Israelitis Babylone captivis imaginem habemus eorum, quæ facienda sunt Christianis, & quæ ab omnibus Sanctis fiunt. Hi terram respiciunt, non secus ac Israelitæ Babylonem; & Cœlum respiciunt, non secus ac Israelitæ montem Sion, & civitatem Jerusalem respiciebant; quamobrem esse nequeunt omnium mundi gaudiorum participes. Jugiter ad Paradisum adspirant, hæc una cogitatio illis placere, ac satisfacere potest: *Infelix ego homo*, dicebat S. Paulus Apostolus, *quis me liberabit de corpore mortis hujus? Desiderium habeo dissolvi, & esse cum Christo*: ardentissimum animæ meæ desiderium est a corporis carcere separari, atque ad Salvatorem suum reverti, & expecto, donec mors tribuat hanc animæ meæ facultatem abeundi, ut Deo suo perfruatur, & donec juges tribulationes divellant cor meum a terra, atque omnia suspiria mea in Cœlum deferant. *Pater Vaubert*.

Rom. 7.

ad Philipp. 1.

Ut aliquis dignus fit, qui Cœlū possideat; hic illud toto vitæ spatio debet peroptare.

Audacter dico cum S. Bernardo, eos omnes, quibus Cœlum nullo est discrimine, & sæpe primoribus dumtaxat labiis dicunt, se libenter terram cum Cœlo commutaturos; quorum tamen cor nulla flagrat illuc ingrediendi cupiditate; hos omnes, inquam, in periculo versari, illuc numquam perveniendi. Etenim, ut idem Pater ait; Desiderium est amor incertus, & ratione amoris perfecti id est, quod fides, quæ est obscura cognitio ratione perfectæ cognitionis; & sicuti fides est via ad perfectam Dei cognitionem, ita desiderium via est ad perfectam charitatem: *Sicut fides ducit ad plenam cognitionem: sic desiderium ad perfectam charitatem*; *& sicut dicitur, nisi credideritis, non intelligetis; sic si non desideraveritis, non perfecte amabitis*. Desiderium ex S. Augustini sententia sensim, ac sine sensu dilatat cor, ut illum efficiat magis idoneum ad Cœli possessionem; & quicumque hanc toto vitæ spatio non desideravit, cor habet nimis angustum ad eam possidendam. *Idem*.

S. Bernard. Epist. 28.

Non cupiendum dumtaxat sed conandum est, ut Cœlum acquiramus.

JESU CHRISTI discipulus Heros est, qui progreditur ad acquisitionem Regni Dei sub vexillis Salvatoris ejusdem, qui morte, & resurrectione sua nobis illius aditum reseravit. Omnibus igitur abrenuntiemus, omnibus nosmet exuamus, & dein quid nobis supererit? Spes regni in cujus comparatione omnia Mundi regna nihil sunt. Heu! possumusne credere, audirene possumus nos ad altissimum finem hunc creatos esse, & otiari, nihilque agere, ut eo perveniamus? Factos esse, ut Dei ipsius felicitate in omnem æternitatem fruamur; in via esse, quæ ad beatum hunc terminum adducit, videre in hac ipsa via impressa JESU CHRISTI, Sanctorumque vestigia, qui per eamdem incesserunt; in manibus ferre inæstimabile pretium, quo thesaurum hunc nobis acquirere possumus; ex alto vocem audire adorabilis hujus Capitis nos vocantis, & fratrum nostrorum suis exemplis nos invitantium; & vivere in peccato, quod nos ab amabili hoc fine sejungit! *Abbas du Jarry*.

Quampar vi facienda sint terræ hujus bona, ubi cum cœlestibus cōparentur.

Beatitudo ad quam nos jugiter contendere jubet Deus, æterna est beatitudo, illa, qua beati in Cœlo perfruuntur, & qua Deus ipse perfruitur. Si nobis danda essent tantummodo bona, quæ possidemus ad illam obtinendam; si omnis abjicienda spes esset, quæ nobis esse potest in hoc mundo, omnes ad id paratos esse oporteret. Licet omnia Mundi bona simul collecta ad unum hominem pertinerent, huic omnia cum voluptate sacrificanda essent, ut se dignum Regni cœlestis perfruitione præberet. Omnes divitiæ, omnes honores, omnes voluptates, quibus in terra frui licet comparata cum hac cœlesti hæreditate, sunt tamquam atomus, tamquam nihilum, Omne aurum, & argentum, pretiosique lapilli, quæ istic possideri possunt, lutum nobis videri debent, ubi cum cœlestibus comparentur. Felicitas, qua ibi Sancti perfruuntur, nobis antiquior esse debet vita ipsa. Si igitur terræ hujus bonis diffluimus, hæc nobis amanda non sunt, nisi quatenus sunt Dei dona, quatenus media ad facilius perveniendum ad possessionem horum æternorum bonorum, quæ præparat Electis suis Deus in gloria sua. Hic esse debet finis, & scopus omnium desideriorum nostrorum, nobisque omnes industriæ nervi exerendi sunt, ut aliquando ad horum bonorum perfruitionem perveniamus: sed via eo perveniendi est uti, secundum Dei beneplacitum, bonis, quibus nos in hac vita cumulavit. *Auctor recens*.

Si Deus pater noster est, si in Cœlis est: hæreditas, quam ab illo expectare debemus non igitur in terra est, sed in Cœlo. Terra igitur non est patria nostra; terra nobis non est locus permanentis incolatus, sed diversorii, hospitii, & ut proprie dicam, exilii. Hæc aliena regio est, per quam transimus, & ubi nihil aliud nobis faciendum est, nisi incessanter viam inceptam sequi, ambulare, & progredi versus patriam, versus hanc hæreditatem quam in Cœlo invenire debemus. Viator paucis seipsum onetat, ut in itinere levior sit, atque expeditior; in diversorio non moratur, nisi ut sumat ea, quæ omnino necessaria sunt ad vires reficiendas, certus ubi in patriam pervenerit, se ibi omnia ubertim esse inventurum. Homó Christianus sese ita gerere debet: debet semet exonerare omnibus impedimentis, omnibus sæcularibus curis, ne omnibus hisce impedimentis progredi prohibeatur; quoniam illi persuasum esse debet, in cœlesti patria, ubi illud præstolatur Deus, & quo omnia desideria sua tendere debent, nequaquam sibi defutura omnia bonorum genera ad victum necessaria; eaque ad satietatem. *Auctor recens*.

Cum Cœlum sit portio nostra, terræ huic non hærere debemus.

Summe æterni fati nostri Arbiter, facere non possum, quominus suspirem ad te. Jampridem in hac terra aliena langueo. Heu! quam diuturnum, ac molestum mihi est exilium meum! Vivo cum habitantibus Cedar, cum amatoribus Mundi: vides statum, in quo sum, & dignare me inde eruere. O cœleste beatæ æternitatis contubernium! quæ non solum est series dierum felicium, sed dies, qui nullum habebit finem, & qui semper beatissimus futurus est. O Dies æternitatis semper clara, semperque serena! quam nox non obscurat, & quam æternæ claritatis lumen indesinenter illustrat. Utinam pulcher dies hic incepisset! utinam Sol, qui illius est causa jam exortus esset nobis, ac terrena omnia finem obtinuissent! Beatum hoc momentum expectanti mihi præsens vita non aliud mihi erit amplius, quam objectum patientiæ, & tu una omnia occupabis desideria mea, o felix æternitas? Beata sedes, status nimis optabilis in omnibus habitantibus divinæ hujus habitationis, numquam ibi erit præterquam una voluntas, a Dei voluntate inseparabilis; Deus illi semper erit summum bonum, fons omnium bonorum, omnia bona, in omnibus generatim, & singillatim in singulis. Quandonam illuc ingrediemur, o Deus! Quidquid mihi reliquum est vitæ, mihi non aliud erit, quam juge desiderium, donec me ex hoc exilio evasisse cognoscam. O terra quam mihi sordes! non possum istic a peccato immunis vivere. Largire Deus huic misero peccatori, ut quam ocyssime recedat ab hoc scopulo, qui illi funestissimus est; quoniam ibi vitam ducere non potest, quin te lædat; & ut habitet in domo tua, ubi nonnisi gratiæ tuæ vita vivere non poterit. *Ratio Orationis Dominicæ recitandæ*.

Desideria ad cœleste patriam redeundi.

Non habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus, Cœlestem Jerusalem, quæ nobis esse debet æternum domicilium. Apostolis, atque Patribus Ecclesiæ alte adeo inhærebat hæc cogitatio, eamque adeo utilem, atque opportunam esse censuerunt, ut illam nobis tamquam motuum omnium cordis nostri objectum tradiderint. *Obsecro vos tamquam advenas, & peregrinos*, dicebat S. Petrus Fidelibus scribens, vosmetipsos in hoc mundo exhibete, quorum corpus in via est, cor autem in patria. Quamobrem S. Augustinus etiam, atque etiam commendat, ut omnibus vitæ hujus commodis utamur, quemadmodum utimur ea supellectili, quæ nobis in diversoriis apponitur. Et profecto quidquamne est,

Hebr. 13.

Incessanter de Cœlo nobis cogitandum est.

1. Petr. 11.

ræ est; quod cor nostrum a terra magis divellere debeat, quam ista cogitatio? Quinam adeo parum sanæ mentis est, qui in exilii loco ædes magnificas sibi extrui velit? ut suum cor, amoremque impendat illis oppidis ac civitatibus, qua sibi duntaxat transeundum est in itinere satis diuturno? Cogitatio hæc non solum debet efficere, ut terram hanc nullo in discrimine habeamus; verum etiam accendere debet in cordibus nostris ingens Cœli desiderium, quandoquidem Patria nostra est. *Pater Vaubert*.

Eo modo quo Israelitis Babylone captivis semper ob oculos versabatur pulchritudo Sion. *Psal.* 136.

Paulisper cogitate statum populi Dei, cum in Babylonis captivitate detineretur: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus: dum recordaremur tui Sion*. Cum cogitatio Sion, & Jerusalem illorum menti semper occurreret, prohibebat, ne alicujus solatii fierent participes; nec dignabantur quidem oculos conjicere in ea, quæ locupletissima erant in magnis, divitibusque civitatibus, in quibus miseram serviebant servitutem: sed præferentes cuicumque societati solitudinem, modo secus fluvios, *super flumina*, modo in locis desertis, *in salicibus* suavissimos de patria sua habebant sermones, lacrymis suis torrentium fluctus augebant, efficiebantque ut ad singultus, atque suspiria sua sylvæ resonarent. *Illic flevimus, & sedimus, dum recordaremur tui Sion*. Qui illos in captivitatem abduxerant, nequicquam illos hortabantur, ut suorum gaudiorum participes fierent, sibique concinerent aliquod ex Canticis, quæ in terra patria canere consueverant. *Hymnum cantate nobis de Canticis Sion*: reddebant enim: *Quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena*? Modo vero in admirationem rapti pulchritudinis patriæ suæ, *si oblitus fuero tui Jerusalem*, ajebant, *oblivioni detur dextera mea: adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero tui*! *Idem*.

Adspiratio ad beatitatem qua Sancti perfruuntur in Cœlo.

O sancta Jerusalem! quam felix erit anima mea, si quando meritus fuero videre pulchritudinem tuam, gloriam, splendoremque tuum, januas, mœnia, plateas, ac domos tuas numero carentes, illustres Cives, Regemque tuum in aulæ suæ majestate, & magnificentia. Auguste cœtus omnium Sanctorum, vos obtestor per illius charitatem, qui immortales vos fecit in immortalitate sua, & ad eum, in quo estis, gloriæ statum evexit, & qui per claram divinarum perfectionum suarum visionem vos cumulat gaudio, ut nobis feratis opem in malis, quibus circumundique obsidemur, in exilio in quo a vobis adeo procul vivimus; ut per intercessionem vestram in sanctam societatem vestram admittamur, æternum celebraturi laudes Dei nostri, simulque gustaturi ineffabilem infinitarum deliciarum ejus suavitatem. *Pater Novet in Meditationibus*.

Vobis nequaquam proponam hypothiposin sanctæ hujus Civitatis, de qua tot gloriosa dicta sunt, & ineffabilis beatitudinis, qua quidem homo frui potest, & quam tamen in præsentiarum non potest concipere; illius gloriosi domicilii, quod oculus non vidit; illius concentus Angelici, quem auris numquam audivit; illius incomprehensibilis felicitatis, quæ numquam in cor, mentemque mortalium ascendit. Non loquar de illo voluptatis torrente, quo Deus replet beatos, qui eorum sitim extinguens, eamdem accendit, efficitque, uti S. Augustinus ait, ut incessanter cupiant, & sine intermissione desiderent; de hoc admirabili convivio, ubi omnes convivæ saginantur hac esca visionis Dei, quæ illos semper saturos relinquit, & semper cupidos beatæ illius ebrietatis, in qua sunt immersi; in pace sine tumultu; de hac gloria sine fine, vere de hoc æterno, ac tandem de infinito illo numero pulchritudinem cœlestis Jerusalem. *Abbas du Jary*.

Omnes Cœli cives modulo suo sunt Reges.

Ratio potissima, propter quam locus, ubi sunt Sancti, Regnum Cœlorum nuncupatur, hæc est, quia in Cœlo omnes sunt Reges, & nemo ibi est, qui omnes Regni prærogativas non possideat. Nam quamvis omnes sint servi Dei, regnant tamen; & hanc ob causam in Apocalypsi, ubi ait, servos Dei illi servituros, ait etiam illos in sæcula omnia regnaturos. Sed Beati non solum famuli sunt, & Reges: sunt etiam famuli, & filii ejusdem Domini & Patris, juxta illa verba: Qui vicerit, hæc habebit bona, ego ero Deus illius, & ille mihi erit in Filium. Quomodo igitur simul esse possunt servi, & filii, ita nil prohibet quominus simul sint famuli, & Reges. Servi sunt quatenus creaturæ, quia debent obsequium Creatori suo; nihilominus esse possunt & filii Dei, quatenus illis contigit renasci ex aqua, & Spiritu Sancto, & Reges, quatenus participes effecti Regni Salvatoris, qui illos in imperii sui societatem evocavit. *Cardinalis Bellarminus Tractatu de æterna Sanctorum felicitate*.

Apoc. 22.

Regnum Cœlorum est omnium Beatorum, & totum quantum est sine divisione, & diminutione.

Ne putetis divitias, & gloriam Cœli aliquo modo imminui, quia tot adsunt Beati, qui sunt ejusdem participes. Regnum hoc terrenis simile non est, quæ imminuuntur, pro ut dividuntur, & ubi unus tantummodo dominatur. Regnum Cœlorum in hoc præstat, quod totum est omnium justorum illud possidentium; ac totum singulorum quin dividatur. Quænam erit hominis felicitas cum JESU CHRISTO super Dei ipsius solium ascendentis! Quæ gloria coram Angelorum multitudine nuncupari glorioso titulo Victoris Mundi, & infernarum potestatum! Quod gaudium se ipsum videri in æternum immunem ab omni periculo, & videre sub pedibus suis inimicum? Quid erit ultra huic homini optandum, quid illius deerit felicitati, cum Rex Regum cum illo suam partietur felicitatem, atque potentiam? Igitur generose in terris dimicandum est, si acquirere volumus coronas victoribus in Cœlo præparatas. *Cardinalis Bellarminus in Opusculis suis*.

Dicitur Regnum quia Beati ibi fruuntur omnibus bonis Regū terræ, sed cum perfectione in æternum duratura.

Jure Beatorum sedes Regnum vocatur; illic enim ubertim omnibus perfruuntur bonis, quibus Reges terræ gaudent; potentia, honore, divitiis, delitiisque, ita tamen, ut non minus intersit discriminis inter conditionem Beatorum, & illum Regum potentissimorum, quam a terra distet Cœlum. Ita æterna Sanctorum habitatio non regnum tantummodo dicitur, sed Regnum cœleste; ut intelligamus bona, quibus illi perfruuntur, excedere illa omnia terræ hujus, quantum Cœlum empyreum assurgit super abyssos profundas. Et sane in terra omnia exigua sunt, omnia abjecta, omnia perfunctoria; cum illic sursum nihil non magnum est, non sublime, non nobile, & quod his omnibus majus est, nihil non æternum. Ne sinatis oculos vestros perstringi, S. Jo: Chrysostomus dicebat, fulgore coronarum Mundi hujus; nolite mirari Regum purpuram, & aulæ magnificentiam; sed curas, quæ incessanter illa concomitantur, multitudinem negotiorum, quibus occupatur, & quibus requies illorum perturbatur. In divitum potius, quam in pauperum domibus, anxietates, & sollicitudines inveniuntur. Quotidie mortem extimescunt; noctes ipsas insomnes traducunt, & in ipso quoque pacis sinu omnibus terrorum generibus agitantur. Nil tale evenit in Regno Cœlorum; cœlestis Jerusalem immunis est a funestis hisce casibus, quæ in ædibus Regum terræ sunt adeo communes. *Cardinalis Bellarminus in Opusculis*.

Desiderium possidendi Sanctorum felicitatē.

O Cœlestis Jerusalem, ubi regnat charitas, cujus figura est aurum purissimum, & crystallus nitidissima; Jerusalem, cujus cives semper tranquilli, & gaudentes, unum tantummodo cor habent, & animam unam; ad te indesinenter suspiro! Etenim inter vitæ hujus ærumnas, ubi circum falsis fratribus obsidemur, in populo nequam, & in mundo, qui non aliud est, quam peccatum: quid nobis majori esse potest solatio, quam mente ascendere posse in eum locum, ubi charitas, atque tranquillitas regnant? Quandonam illuc pervenire mihi dabitur; quando licebit mihi prodire ante faciem Dei! Quanta est animæ dulcedo, & voluptas amare Deum, illum vide-

videre, & ab illo videri oculis propitiis, ita ut ille in hac, & hæc in illo permaneat! Fateor equidem Sancta Civitas! extremam esse temeritatem hominis, qui adhuc est terra, & cinis, assurgere velle usque ad te; & majorem adhuc, minusque excusatione dignam animæ peccatricis velle in æternum cum suo Creatore conjungi, eodem in ipsius gloria gaudere: sed spero me ab illius misericordia consequuturum veniam scelerum omnium per merita illius, qui Patrem suum orare dignatus est, ut omnes homines simul unum essent; & sicuti Pater in Filio est, & vicissim in Patre filius; ita nos unum simul in Patre, & in Filio. *Idem*.

Bona, quibus Beati in Cœlo fruuntur.

O si sciremus quænam est gloria, & quodnam gaudium, quo Dei Filius servos suos in omnem æternitatem cumulaturus est! Si hoc didicissemus; magno fervore plenos nosmetipsos sentiremus; & quæcumque nobis sese offerret difficultas, tenderemus ad felicitatem nosmet laboribus conficiendi in illius servitute. Si ad nos accederet pauper, opem in egestate sua impetraturus: tantum abesset, quod indignabundo oculo illum respiceremus, ut immo summa cum charitate amplecteremur illum, eique tamquam fratri subveniremus; atque recordaremur verborum Salvatoris! *quod uni ex minimis meis fecistis; mihi fecistis* .... Sed quidquid hoc JESU CHRISTI verbum significet, Herus dicerne servis suis, ut secum mensæ accumbant? Nobis innuere vult, futurum ut hi servi, qui admissi fuerint in domum Patris Cœlestis, perfrui possint tutissime bonis omnibus, quibus domus illa repleta est. Nemo enim dolo, vel vi illos perturbare poterit in ea possessione, in qua fuerint constituti. Cum vero addit Dominum postquam se succinxerit illis inservitururn, & modo huc, modo illuc discursurum, hoc significat, illum ubique adfuturum, ipsum etiam caput futurum convivii, quandoquidem ille est panis vivus, & fons aquæ vivæ, & absconditum illud manna, quod nemo agnoscit, nisi qui eodem saginatur. Salvator in hac Patris sui cœlestis domo, sese omnibus offert, sese omnibus tradit; ille omnibus ministrat carnem, quæ replet, non onerat, quæ satiat, & nauseam non creat. *Idem*.

Solus timor ut careamus adspectu Dei efficere debet ut omnia aggrediamur, & sustineamus, ad eum possidendum.

Licet etiam post vitæ hujus mortalis curriculum horribilia nobis intentarentur mala, solus timor videndi nobis in æternum interclusum aditum in domum Dei, nobisque negatas ineffabiles delicias, quibus illa repleta est, nonne efficere debet, ut nihil inausum relinquamus, ut nos dignos præbeamus, qui illuc ingrediamur, quamvis porta longe esset arctior, & angustior, quam est, quamvis non per spinas tantum, verum etiam per flammas via nobismet esset facienda? Utinam in hac præsenti vita cognosceremus quanta infelicitas sit æterna beatitudine carere! Hoc aliquando agnoscemus, sed nimis sero, & cum nulla nobis erit ultra spes coperveniendi. Tunc frustra dolebimus ob jacturam tanti boni, & similes virginibus fatuis, quæ in convivalem aulam non fuerunt admissæ, frustra ad ostium pulsabimus atque clamabimus: *Domine Domine aperi nobis*, nobis enim, ut illi respondebit: *Amen dico vobis, nescio vos*. Agamus ergo in præsentiarum dignos fructus pœnitentiæ, si cupimus pervenire aliquando ad beatitudinem, & felicitatem Sanctorum: ne vitam transfigentes in voluptatibus, atque deliciis, ut qui Mundo obsequuntur, quin ne pedem quidem Cœlum versus moveamus, in morte non inveniamus clausum ostium sine spe futurum, ut in æternum illuc ingredi valeamus. *Cardinalis Bellarminus in Opusculis*.

Matth. 25.

Amor constans, pax immutabilis duo sūt magna bona beatorum.

Primum, ac præstantissimum bonum, quo Sancti in cœlesti sede perfruentur, erit amor ardens erga Deum, & Proximum propter Deum: amor constans, & qui æque, ac Deus in æternum perseverabit. Amor rebus amabilibus quotidie recentes addit illecebras, ac nova ornamenta. Amanti ea, quæ amantur ab ipso perfecte pulchra, & perfecte bona videntur. Sunt etiam, quos amor ita excæcat, ut turpibus, atque nauseam afferentibus personis adhæreant, quin divelli possint unquam, quidquid ipsis dicatur, ut earum vitia, ac turpitudinem norint. Quæ igitur voluptas, quæ suavitas erit Sanctis videre Deum, ac sese invicem intueri; quid simul vivere unum dumtaxat cor, animamque unam habentes; in sublimi gradu possidentes, quidquid illos amabiles potest efficere, ac certo scientes fore ut nihil eos poterit separare.... Aliud bonum, quo beati ipsi perfruentur immutabilis est pax, & tranquillitas; ita ut nihil illos perturbabit, semperque erunt magis contenti ac saturi deliciarum, citra tamen quodvis fastidium. Nunc nemo est, qui juxta conditionem suam non patiatur aliquid, qui de sorte sua non conqueratur, & qui multa non cupiat, quæ obtinere non potest. Hinc fit, quod Mundus diffluit hominibus inquietis, famelicis, querulis, & quibus vitæ suæ pertæsum est. Neque mirum esse debet; quia cor humanum nonnisi infinito, æternoque bono repleri potest. Quis ignorat omnibus creatis rebus suos esse terminos, & diutius permanere non posse? Quænam ergo esse debet lætitia eo in statu, & loco positi, ubi nihil umquam illi erit optandum, nihil metuendum, nihil requirendum; quia semper voti sui compos futurus est! O pax summa, quam sensus assequi nequeunt, quam mundus dare non potest, & quæ in sola Cœlesti Jerusalem invenitur. Ad te suspiramus in loco dissensionis, & belli, cum nobis plane persuasum sit, nos numquam vera pace perfruituros nisi fuerimus ex numero beatorum filiorum tuorum. *Cardinalis Bellarminus in Opusculis*.

Memoria periculorum Mundi hujus erit gloriæ incrementum Beatis in Cœlo.

Rerum præteritarum memoria ineffabili gaudio, & magna consolatione Beatos afficiet. Non enim poterunt sine summa oblectatione mente secum reputare, hinc quidem infinita bona, quæ sibi a Deo concessa fuere, tum in iis, quæ ad corpus, cum in iis, quæ ad animam pertinent; inde vero pericula fere assidua, quibus ab eodem liberati fuerunt, omnibus temporibus, omnibus in occasionibus, ac statibus vitæ suæ. Poteruntne cogitare qua bonitate illos Deus a mortali peccato, ac pœnis inferni præservaverit tot in circumstantiis, in quibus præsto erant, ut laberentur? Poteruntne hæc recogitare, quin illi immortales gratias agant? Sed nonne æternum id cogitabunt? Nonne omnibus sæculis hoc illis erit perenne lætitiæ argumentum? Si hæc oblivioni tradere possent, numquid exclamaret Propheta: *Misericordias Domini in æternum cantabo*? & S. Augustinus dicerene posset, in Civitate Dei nihil jucundius futurum hoc Cantico, nihil quod magis commendat gratiam Filii Dei nostri Redemptoris? Sed præterea quid dicemus de temporum vicissitudine, quæ semper eorum menti, ac spiritui obversatur? Nonne illis in beatifica visione jucundum erit videre in Deo, quidquid hactenus in Mundo contigerit? tot varios eventus, quos Divina providentia operata fuerit, vel permiserit, & quos illa opportune ad suos fines direxerit? Nonne hic ille est fluminis impetus, de quo loquitur David; *Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei*? Possuntne sæculi hujus vices melius exhiberi, quam per fluvium hunc, cujus impetus pernicissimus est, & numquam subsistet, donec sese exoneret in mare magnum æternitatis? *Card. Bellarminus in Opusculis suis*.

Psal. 45.

Omnis Mundi hujus Magnificentia ne umbra quidem est Magnificentiæ cœlestis.

In Sancti Fulgentii vita narratur, cum aliquando vidisset Romæ magnificentiam, splendorem, & Majestatem Senatus, exclamasse: Quam fulgere debet Jerusalem cœlestis, si sic fulget Roma terrestris, & si tantum honoris defertur hominibus vanitatis amatoribus, quinam honor deferendus est Sanctis veritatem contemplantibus? Quæramus ex S. Augustino quid ipse hac in re sentiat. Homo hic adeo Sapiens, & perspicax audet asserere sine ulla comparatione magis optandum esse diei unius intervallo cœlestibus delitiis frui, quam decies centenis annorum millibus frui bonis hujus terræ.

S. August. de liber. Arbitr. l. 3.

Hæc

Hæc illius verba sunt: Æternæ lucis adspectus ita jucundus est, ut licet uno tantum die nobis illo frui liceret, bonum hoc omnibus Mundi deliciis esset præferendum, atque comparandum temporalium bonorum omnium jactura, licet plurimis sæculis hæc nobis essent possidenda. Si Sanctus ipse Doctor verum dicit, quod dubitandum non est, nonne tempus est tandem aliquando errores sæculi abjiciendi? Credidimus hactenus terræ hujus bona esse contemnenda quia fluxa, fragiliaque sunt; & requirenda cœlestia, quia æterna: Sed Sanctus hic Pater longius procedit, quoniam ait, licet terrena hæc essent æterna, fluxa vero cœlestia, nobis tamen hæsitandum non esse, quominus fluxa hæc æternis illi essent præferenda. *Idem*.

Licet terræ bona essent æterna comparanda non essent cum minima licet fluxa Cœli voluptate.

Fingamus omnes divitias, omnes honores, omnesque vitæ hujus felicitates, omnem Salomonis gloriam, omniaque gaudia eorum, qui fuerunt, ac futuri sunt felices usque ad finem sæculorum; supponamus etiam hæc omnia bona acquiri posse sine labore, ac sine timore servari; & eos, qui iis perfruentur numquam in posterum peccaturos, neque morituros, quamvis absolute loquendo nequaquam esse possint a peccatis, & a morte alieni: hic procul dubio status est felicissimus quod mortalis homo concupiscere possit: hoc tamen nihil est, si comparetur cum pretio Cœlestium bonorum. Et constat ratio: quoniam cum in his omnibus nihil sit non suis finibus circumscriptum, cor humanum, quod nonnisi infinito bono repleri potest, ibi votorum suorum complementum invenire non posset. Quamobrem semper verum est dicere, quod S. Augustinus adfert in principio suarum Confessionum, Deum fecisse nos propter se, & cor nostrum inquietum esse, donec in eo requiescat. Hac etiam de causa Regius Psaltes dicebat. *Satiabor Domine, cum apparuerit gloria tua*. Sed cor inquietum, assiduisque desideriis agitatum, nonnisi miserum esse potest; & si miserum, nequit esse beatum. *Idem*.

Psal. 16.

Quo in sensu Salvator fideles servos invitat, ut in Domini gaudium ingrediantur.

Dei Filius prædestinatos ad gloriam invitans, non dicit, gaudium intret in cor tuum, sed intra in gaudium Domini tui, ut ostendat gaudium hoc tantum esse, ut in humano corde contineri minime possit. Intrabimus in Dei gaudium, atque submergemur illo, tamquam mari fundo carente. Omnes animæ nostræ interiores, exterioresque facultates ita gaudio repletæ erunt, & in eodem immersæ, ut tristitia nullum ibi sit locum habitura. Intra in gaudium, sed quale gaudium? Nullum exprimitur; non dicitur in hoc, vel illud, sed simpliciter in gaudium, in plenitudinem dulcedinum omnigenarum, deliciarum, voluptatum. In gaudium non hominum, non Angelorum, sed Domini, videlicet in cumulum, & oceanum omnium deliciarum, quæ fingi possunt. Huc tamen, o Christiane, ingredieris, si fidelis servus fueris: ibi æterna perfrueris felicitate, quæ prorsus sensus tuos superabit, & quam nulla mens comprehendit, & nullum humanum os hactenus exprimere potuit. *Idem*.

Quare Scriptura nobis Cœlum exhibeat sub imagine urbis ex auro, lapillisque pretiosis ædificatæ.

S. Joannes nobis exhibet cœleste Regnum sub imagine amplissimæ civitatis, cujus mœnia ex jaspide constructa sunt, domus ex auro purissimo ædificatæ, & fundamenta ex variis lapidibus pretiosis posita. Hoc tamen intelligendum non est, quasi cœlestis Jerusalem te ipsa ædificata, vel circumamicta, vel locupletata sit his lapillis atque metallis, quæ tanti sunt apud homines: sed Spiritus Sanctus, ut sese accommodet nostris conceptibus, qui humiles sunt, ac rudes, ita loquitur, quia hic in terris nihil videmus aliquid nitidius, atque pretiosius. Non ambigimus tamen, quominus longe majus sit discrimen pulchritudinis, & divitiarum inter Sanctam Civitatem, quæ sedes est Electorum Dei, & superbissimas urbes, quam quod esset inter civitatem ex auro ædificatam, atque adamantibus, & pastorum mapalia ex luto, paleisque confecta. Attollamus igitur oculos in cœlum, & cogitemus cujus pretii esse debeant bona, quæ ibi sunt, quia quidquid nobis pretiosissimum in terra est, nihil est si cum illis conferatur; præter quam quod aurum nostrum, argentum, pretiosique lapides, quæ sunt nostræ divitiæ, paulatim usu atteruntur, ac temporis lapsu dilabuntur; sed cœli bona incorruptibilia sunt, & numquam intereunt. *Cardinalis Bellarminus in Opusculis*.

Quid sit Paradisus.

Quid est Paradisus? Cœtus est omnium bonorum, quæ pertentare possunt cor humanum licet in desideriis suis infinitum. Opus est omnipotentiæ, ac liberalitatis Dei, pretium Sanguinis JESU CHRISTI, possessio Dei ipsius. Felicitas tanta, ut quamvis ad illam obtinendam omnia Martyrum supplicia essent perferenda: omnes isti cruciatus nihil essent collati cum eximio hoc bono, quemadmodum per hæc verba testatur Apostolus: *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Ita propter hanc causam Apostolus idem, qui ad tertium raptus Cœlum viderat radium gloriæ hujus, testatur, oculum numquam vidisse, aurem numquam audivisse, mentem hominis numquam assecutam esse bona, quæ præparavit Deus diligentibus se. In eo deliciarum loco, nulli erunt gemitus, non dolor, non ægritudo, non morbi, non amaritudo: e contra nihil erit nisi gaudium, voluptas, dulcedo, quies, consolatio; & felix hic status æternus erit, quin aliquid nos in tranquilla summi hujus boni possessione valeat perturbare. Donec Deus erit Deus fruemur eadem beatitate, qua ipse fruitur; quia videbimus illum, sicuti est in seipso. *Similes ei erimus quia videbimus eum sicuti est. Considerationes Christianæ*.

Ad Rom. 8.

Joan. 1.

Turpe est Christiano facere adeo parum pro Cœlo, cum vitam sacrificet pro fragilibus bonis.

Tanta Felicitas, quanta beati perfruuntur in Cœlo omnes curas omnemque attentionem meretur; nobisque nihil intentatum prætermittendum est, ut illam acquiramus. Quid non facimus singulis diebus, ut in mundo crescamus, & locupletemur? Spes lucelli alicujus efficit, ut maria percurramus, & extremas terrarum oras legamus; sexcentos labores exhauriamus. Quid non agit miles? Sæpe dies, noctesque ducit insomnes, sexcentis se periculis objicit, aeris, tempestatumque furentium inclementiam præfert; idque pro fluxa gloriola, pro bonis fragilibus, atque perituris, quibus nonnisi aliquot annos frui potest, & quæ mors ingratiis illi debet eripere: *Et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*: nos autem æternum bonum, & immortalem gloriam adepturi longe minores pœnas pati detrectabimus præ illis, quas Mundi sectatores quotidie patiuntur. Quæ vero a nobis expetit Deus Cœlum concessurus, toto Cœlo minora illis sunt, quæ ad fortunas nostras promovendas sustinemus. Tandem enim quid opus est? Deus a vobis exigit, ut vobis vim faciatis, ne proferatis obscœnum illud verbum, quod illi displicere nostis, ut recedatis ab illa societate, quam vobis toties funestam fuisse meministis, & a qua per mortem ipse vos licet invitos separabit, & fortasse opinione vestra celerius, ut a nefaria illa voluptate abstineatis, quæ licet fluxa, vos æternum damnabit. A vobis exigit, ut vobis sit plus pietatis, modestiæ, curæ in iis quæ ad religionem pertinent, quam in consuetis operibus vestris. Hæc a vobis exigit Deus, & dummodo faciatis illa, æternam vobis beatitudinem pollicetur; ipse erit merces vestra magna nimis: *Hoc fac, & vives. Ibidem*.

1. ad Cor. 9.

Luc. 10.

Psalm. 83.

Piæ adspirationes ad Sanctorum beatitudinem.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum. Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Quomodo igitur hactenus adeo parum affecti fuimus tanti hujus boni sensu, quod assequi in nostra positum est facultate? Quomodo toties in discrimen illius amittendi fuimus adducti? Namque heu! hanc eamdem felicitatem sacrificavi cupiditati meæ, quotiescumque eidem satisfacere volui. Itane cæcus fui, ut sinerem me fallacibus voluptatum illecebris trahi, quam prætuli illis deliciarum torrentibus, quibus Beatorum animæ in Cœlo semper immersæ sunt? *Quando veniam & ap-*

Psalm. 41.

& apparebo ante faciem Domini? Quandonam te sine mensura diligam, sine intermissione laudabo, & sine timore te amittendi possidebo! Sed quinam liberalitatis excessus, Domine, pro levi cura, pro uno laboris momento æternam gloriam conferre? *Momentaneum & leve tribulationis nostræ.... Æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quam mihi terrena omnia sordescunt, cum Cœlum suspicio! Quam leves mihi videntur omnes vitæ hujus ærumnæ, ubi conferantur cum beatitudine, qua illas Deus remuneratur? Quo magis illa cogitamus, eo magis anhelare debemus ad felix illud momentum, quod nos Deo conjungere debet. Quæ enim gaudii magnitudo corda nostra replere debet, cum intuemur illam felicitatem, quam nobis promittit, si summa cum officii fide sanctam illius legem servaverimus? Ita, Domine, quamcumque difficultatem ac renitentiam invenio in misero hoc habitu superando, quo trahor, & in frangendo hoc vinculo, cui tot insunt illicia, hos tibi ultro sacrifico. Hæc illa crux est, quam me gestare vis, ut Cœlum ingrediar; illam ex corde complector, atque deosculor: hoc est æternam felicitatem minimo pretio comparare. *Considerationes Christianæ.*

ad Cor. 2.

Nulla est comparatio bonorum vitæ hujus cum iis, quæ speramus in Cœlo.

Paradisus locus est, ubi Deus servos suos remuneratur: ibi ea largitur bona, quæ terrena hæc toto Cœlo superant. Si ibi sine mensura suos favores in dilectos suos effundit, omnis abjicienda spes est perfectam eorum ideam concipiendi. Felicitas nostra in hac vita est sperare, & cogitare nos per Dei misericordiam esse posse quod Sancti sunt. Si spes tandem aliquando possidendi Cœlum, efficere potuit beatos eos etiam inter vitæ hujus mala; quid erit de ipsa possessione cœlestis hujus hæreditatis sine mali hujus mixtura? Quid non operati, ac passi sunt, ut illam acquirerent? & licet omnes essent sapientissimi; nil tamen se nimis fecisse arbitratus est. Nemo est qui cum Apostolo non exclamet, nullam institui posse comparationem inter vitæ hujus ærumnas, & austeritates cum gloria futura. Ne unum quidem tranquillitatis momentum in hac vita est; non liquet, utrum tristitia, an gaudium, inopia, an copia, voluptas, an dolor nos magis perturbent. Divitiæ, & pauperies præter propter easdem pariunt sollicitudines. Gloria nobis stuporem immittit; confusio nos opprimit, voluptas fatigat: nihil in terris est, quod non afficiat fastidio. In Cœlo tantum dici potest: *bonum est nos hic esse, Pater Croiset in Asceticis exercitiis.*

Æternæ beatitudinis cogitatio nos contra vitæ hujus miserias confirmat.

Nil aptius est ad confirmandum cor humanum inter ea mala, quibus septus est, quam æternitatis cogitatio. Evadimus enim quodammodo invicti adversus omnes calamitates ex quo aperire possumus oculos lumini illius gloriæ, quæ omnia terræ objecta delet, ut Cœlum dumtaxat intueamur. Aliud quodvis solatium frigidum est, ubi comparetur cum illo, quod a consideratione adeo sancta recipitur; & nonnisi alterius vitæ lumen suppeditare potest vim, qua opus est, ad tranquille hujus tenebras perferendas. *Pater Rapin lib. cui titulus. Vita Prædestinatorum in Beata Æternitate.*

Ethnici cujusdam sententia super re has nobis debet pudorem injicere.

Quod nobis opprobrium est, qui Christiani sumus, & in puritate luminum fidei innutriti, cum audimus Etnicum dicentem, solam æternitatis cogitationem adeo suavem sibi visam fuisse, ut rerum omnium gustum amiserit; cum hæc eadem cogitatio nobis nullum terrenarum rerum fastidium creare potuerit. Qua fronte amare nos possumus ea, quæ peritura sunt, videntes Philosophum hunc minime affectum fuisse iis, quæ non erant æterna. Nullam capiebam voluptatem, dicebat ille amico suo, nisi de æternitate cogitans; dulcissimæ huic spei spiritum meum tradebam; cetera displicebant mihi; & in ætatis meæ caducitate considerans infirmitates meas, increpabam senectutem meam, quæ retardabat possessionem vitæ, quæ nullam erat finem habitura. *Idem.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Quam in animos nostros impressionem efficere non deberet magnum hoc gloriæ objectum, quæ fides nobis proponit, cum nobis dicitur, æternitatis imaginem effecisse, ut infidelis omnia terræ hujus bona fastidiret? Ubi imperfectam, confusamque assecutus est cognitionem, quam illi præbuit Philosophia, vitæ immortalis, contemnit, ac respuit, quidquid est fluxum, ac periturum: nos vero cum spiritu æternis luminibus repleto ad ea solum, quæ sunt temporalia, contendimus. *Idem.*

Sola æternæ beatitudinis perfruitio replere potest vacuum nostri cordis.

In sola Beatorum sede perfruemur simul & desideriis nostris, & illorum objecto. Tunc anima tota sufficere non poterit, licet sit ardentissima, desideriis ipsis; quæ excitabit in ipsa objectum, quo perfruetur. Sed hic in terra tenetur felicitatem suam ad spem dumtaxat redigere. Quo magis igitur augebimus hanc, eo magis illius augebimus felicitatem: quo majus erit bonum, quod illi adipiscendum conferremus, eo magis sollicitudinem suam iterabit. Quæremus ne bonum hoc inter creata: vel potius sinemus eorum nos decipi illiciis? Usquequo semper decepti, semperque parati, ut decipi patiamur infinita desideria nostra ad chimæricos conatus coarctabimus? Inanes filios imaginationis nostræ! usquequo commodabimus arma contra nos ipsos objectis sensibilibus, quibus septi sumus, nosque trademus lenociniis, quæ numquam fuerunt? Num igitur tantum nostra interest decipi? quasi non aliquando, sed nimis sero, errorem nostrum intelligere deberemus; & ex errore hoc orituri non essent nostræ conscientiæ morsus, & desperatio nostra? Sed quin etiam futura penetrare velimus, certissimi stimuli, quos quotidie experimur, nonne sufficiunt, ut nos miseros faciant. Fessa tandem imaginatio sese negat inanibus fictionibus, quæ toties illam fefellerunt. Desideria, quæ carent objecto, convertunt omnem acrimoniam suam in cor, quæ illa produxit, ac illud crudeliter laniant. *Primus Sermo Accademiæ anni* 1707.

Adspiratio ad Sanctorum felicitatem.

Vosmet attollite portæ æternales! sinite ut ad breve temporis spatium intueamur eam, quæ nos manet felicitas! Ad cœlestem hunc intuitum nascimini ardentia desideria, quorum sola vivacitas hic in terris nostram efficit beatitudinem: & vos mundi fallacis illusiones evanescite, fulgor vester coram Sole justitiæ caligabit. Voluptates, quæ ad illud usque tempus nos fallere potuerant, nihil habebunt ultra, quod nos moveat, & mala, quæ nos perturbaverant, nobis in voluptates convertentur. Mors ipsa, terribilis ille transitus excitare debet suavissimam spem, & sancta pleni confidentia, ornabimus, ut ita dicam, horrorem sepulchri infinito gloriæ nitore, qui justis promissus est. *Idem sermo.*

Quænam sit Sanctorum merces in Cœlo.

Paradisus hoc in loco considerandus non est tamquam locus delitiis affluens, civitas ex auro, lapillisque pretiosis ædificata; quamvis ut spirituum nostrorum in carne involutorum infirmitati indulgeretur, beatitudo hæc simplex, & pura aliquando nobis exhibita fuerit sub crassis hujusmodi figuris. Quod nobis in præmium in Cœlo promittitur, est ipse Deus, & solus Deus: *Ego merces tua.* Sed Deus ab homine possessus, & beatificans hominem suo adspectu, suo amore lætitia, quæ ex illius adspectu, & amore resultat. Ad Dei possessionem accedit omnigenorum malorum carentia, perfecta bonorum omnium congeries, interminabilis, & immutabilis beatissimi status hujus diuturnitas. Hæc nobis proponuntur, cum Paradisus promittitur: hoc fidei nostræ objectum est; hoc nobis credendum est: *Pater de la Rue in Quadragesima.*

Gen. 15. 1.

Licet gloria mercedis titulo danda sit, tamen in principio suo est gratuita.

S. Paulus postquam dixit, *stipendia peccati mors*, quin addat, vita autem æterna bonorum operum stipendium est, dicit solum gratiam quæ a Deo percipitur, esse vitam æternam: *Gratia Dei vita æterna.* Cœli gloria non igitur est pretium meritorum nostrorum? Numquid non titulo justi-

tiæ

riæ in illius possessionem sumus admittendi? Ita procul dubio, qua de re ita persuasum erat Apostolo, ut æternam beatitudinem vocet, coronam justitiæ, quæ ex justi judicis manu recipitur: *Quam reddet mihi justus Judex*. Deus nequit negare seipsum filiis, quos sibi adoptavit, circumamictis meritis JESU CHRISTI, & Spiritus Sancti donis locupletatis. Sed hæc adoptio, hæc applicatio meritorum JESU CHRISTI, hæc gratia sanctificans, hæc omnia nonne sunt effectus misericordiæ, & liberalitatis Dei? Si in operibus nostris id tantum esset, quod ipsi in iisdem collocamus, quam illa rationem haberent, cum infiniti pretii mercede? Jus quod originem, ac principium suum habet ex beneficio, ipsum etiam beneficium est. Si Princeps magnam vobis auri vim conferret, ut ingentem aliquam provinciam coemeretis, acquisitio a vobis facta non eximit vos a tributo gratitudinis, quæ vobis habenda est Principis generositati. Hæc ratio efficiendi, ut emptionis titulo possideatis, quod vos nonnisi tamquam donum potestis recipere, duplicis beneficii loco habenda est. Ita nobiscum Deus agit. Opera nostra bona coronans, sua coronare vult beneficia, & quod merus est gratiæ ejusdem effectus, sit simul nobis causa gloriæ. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*. *Pater Segneri in Meditationibus*.

Psalm. 83. 12.

Cœlum pluris valet, quam quidquid agimus ad illud promerendū.

Quod a nobis exigitur in gloriam admittendis, *durum* est, *grande*, *difficile*, S. Hieronymus inquit; *sed magna sunt præmia*. Fluxæ a nobis exiguntur pœnæ; atque si nobis æternæ tribuuntur deliriæ, a nobis sensuum nostrorum exquiritur mortificatio: bonum quod expectamus quam longissime excedit quidquid oculi, & aures nostræ comprehendere valent; a nobis exquiritur sincerus mundi contemptus. Mundus hic præterit, Cœlum vero, quo ingressuri sumus, æternum manebit: quæritur sedula in officiis nostris obeundis diligentia, nobisque immutabilia gaudia promittuntur, quæritur charitas, atque lenitas erga fratres nostros, atque jubemur illis insolubilibus vinculis adhærere: quæritur generosus licentiæ contemptus, neque debemus nosmet torrente delitiarum proluere: quæritur odium sincerum earum rerum omnium, quæ Deo possunt displicere, & Dei ipsius possessio nobis promittitur. *Pater la Pesse Sermone de operibus ad salutem necessariis*.

Spes futurorum bonorum efficere debet, ut illa quam primum possidere desideremus.

Quæ insania! expectamus felicitates, & bona, quæ oculus numquam vidit, auris non audivit, & in cor hominis non ascenderunt; & nihilominus non solum illorum perfruitionem differimus, verum etiam illam timemus, illam perhorrescimus. Cur autem mortis timor nobis pudori non sit? quandoquidem S. Paulus vitam nonnisi cum impatientia sustinebat, & ipse in Epistola ad Romanos profitetur, se, quamvis primitias spiritus receperat, cum reliquis creaturis ingemiscere: quod non dicebat per contemptum rerum præsentium, sed per ardens rerum futurarum desiderium. Bonum gustavi, ait ille, cujus absentiam pati nequeo: penetravi nubes, ingressus sum in gloriam ineffabilem, & experientia magistra, scio quantum delitiarum mihi auferat terra. Hæc est meorum gemituum, & querimoniarum causa. *S. Chrysostomus in Homilia quinta ad populum Antiochenum*.

Sanctorum in Cœlo felicitas.

Tunc possidebimus, S. Augustinus ait, quidquid optabimus; & quidquid nobis negotium facessere posset, a nobis amovebitur. Fruemur, S. Bernardus ait, in hoc beato statu iis omnibus, quæ possumus cupere, & hæc fruitio finem injiciet omnibus desideriis nostris, nihil nobis relinquens quod desiderare possimus. In ea gaudii sede nihil nobis deerit, S. Gregorius ait, nihil obicem statuet voluptatibus nostris, nihil ibi superfluum possidebimus, & ita erimus contenti, ut rebus omnibus gaudebimus sine nausea, & non cupiemus sine effectu. Igitur cum Rege Propheta concludamus, nostris desideriis ad satietatem satisfactum iri, cum Deus nos in gloriæ suæ possessionem introduxerit. *Concionator Evangelicus*.

Advenæ sumus super terrā. ad Ephes. 2.

Estis cives Sanctorum. Quam beata sors! quantum bonum! quod tamen parum agnoscimus! sed quod etiam negligitur a plurimis, qui terræ huic nequaquam adhærere videntur! estis incolæ Jerusalem cœlestis: igitur nos sumus advenæ, peregrini, viatores super terram. Cœlum est igitur patria nostra, & terra nobis habenda est tamquam locus exilii nostri. Omnia vota nostra, omnia desideria, omnes gressus nostri ad beatam hanc sedem tendere debent. Sumus de Civitate Sanctorum: quantæ nobis consolationi hæc veritas esse debet, quam animam replet profunda, & ineffabili oblectatione. Huic autem sublimi dignitati quot inhærent bona? conetur Mundus oculos nostros perstringere nitore ridentium viarum suarum: sensus cum illo consentiant, ut nobis fucum faciant: amor proprius noster efficiat ut nosmet inveniamus in honoribus, qui fascinant mentem; in fulgore qui oculos fallit, in superficialibus, fallentibusque voluptatibus, quæ efficiunt, ut nonnumquam obliviscamur dogmatum Evangelicorum Nobis esse debet persuasum de hac veritate; ea omnia, quæ nos super terram illiciunt, meram esse vanitatem; cum ipsi simus Cœli cives nobis ad finem hunc esse tendendum, cum vere exules simus, hospites, & exules super terram. Quid diceretur de viatore, & exule, qui amicum in aliena regione sed mala, nactus ibi permaneret voluptatibus indulgens, quin cogitaret de consanguineis suis, & patria rebus omnibus affluenti; ubi etiam speranda illi est dignitas aliqua, illustre munus, præclara fortuna, vel nobilis affinitas? Quid de ipso fuisset cogitandum, si quin sibi amicos apud Principem conciliaret, qui reditum illi procurarent, vellet in id unum operam ponere, ut fortunarum suarum sedem collocaret in prava ea regione, ubi inter inhospitales inhumanosque mortales versatur? Omnis adesset ratio hominem hunc tamquam insipientem, stultumque traducendi. Hæc nostra imago est, & æquissimo jure nobis exprobrari hoc ipsum potest ab iis, qui vident, quanta aviditate consectamur hæc inania voluptatum phantasmata, quæ nobis mundus offert; quanta cura thesauros thesauris agglomeramus; quanta ambitione petimus honores, magistratus, officia, quæ nobiscum pereunt, & cum mundo prætereunt. Animum igitur advertamus ad gloriosum hoc, magnificumque bonum, quod nobis præparatum est, dummodo ipsi modicum sustinere velimus ejusdem acquirendi laborem. Sumus Cives Sanctorum, dicendum nobis est: igitur hic patria nostra non est: Sumus Cœli incolæ, igitur hic exules sumus, quibus non alia esse debent desideria, vota, aut cogitationes, quam redeundi in patriam, & possidendi ea bona, quæ illic nos manent. *Pater Croiset, in Asceticis exercitationibus*.

Brevis hypotyposis felicitatis Electorum in Cœlo.

Creati sumus, ut Deum cognoscamus, amemus, illi serviamus, & ut per hæc simus æternum beati beatitudine exuberanti, ac immutabili. Oculus non vidit umquam, Apostolus ait, qui nondum nisi levissimum specimen tot delitiarum gustaverat. Oculus non vidit unquam aliquid par illis, quæ Deus præparat Electis suis. Auris non audiet unquam talia mirabilia; spiritus alte adeo penetrare, & ascendere nequit. Dicamus beatum in Cœlo involutum, ut ita dicam, in divina immensitate nataturum in ineffabilium deliciarum torrente. Dicamus cum Propheta, illum penetratum, imbutum, inebriatum iri; hæ locutiones nimis exiles sunt, ideæ sunt pro rei veritate minores, & imagines parum similes. Diximus quidquid spiritus cogitat de hac incomprehensibili felicitate, sed nondum aliquid diximus de eo, quod est. Nihil hic in terra efficere potest, ut concipiamus immensa bona, quibus fruuntur Sancti in Cœlo; mala vero, quibus immunes sunt, satis superque cognoscimus. *P. Croiset*.

Vin'

Hanc humanâ mēs sibi aliquo in sensu potest exhibere.

Vin' aliquid de alterius vitæ felicitate comprehendere? Cogita illum ob omnibus vitæ hujus ærumnis immunem esse. Non solum nihil ibi est eorum omnium, quæ displicent, non solum ibi sunt omnia, quæ sunt optabilia; sed ea etiam omnia quæ necesse sunt ne quid cupiatur. Cor plenum est, anima saturata est; gaudium est purum, atque tranquillum, est gaudii superabundantia. Visi sunt homines in terra exultare lætitia, eo quod ad breve tantummodo temporis spatium fruiti sunt adspectu Angeli unius, ubi non Angeli solum, Beatissima Virgo, & ipse CHRISTUS JESUS æternum videbuntur, quin unquam oculi ab illis dimoveantur, sed ipse videbitur Deus, Angelorum Creator, & non per tenebras, & fidei caliginem, sed in ipsa lucis claritate, in nitidissimo fulgore infinitæ Majestatis ejusdem; non in ænigmate, & magna distantia, sed cominus, facie ad faciem, sine ullo illius amittendi metu, sine distractione ne involuntaria quidem, & cum voluptate in singula momenta recenti. Hoc nos docet Propheta perspicuis illis verbis, quibus designat plenitudinem gaudiorum, quæ Sanctos manent: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. (*Psal. 16.*) Ab ipso creationis Mundi hujus initio hoc est, post sex annorum millia, & ultra Angeli numquam Dei sui visione satiantur; eaque recenti in dies singulos voluptate fruuntur; & maximum illis accideret malum, si Dei adspectu ad breve dumtaxat momentum fraudarentur. Animo, si fieri fas est, assequamur, quantæ lætitiæ, & voluptatis sit causa clara visio Divinitatis. *Pater Croiset in Asceticis Exercitiis*.

Jugiter Cœlum cogitare deberemus patriam nostram.

Felicitas, quæ nobis offertur, incomprehensibilis est: sed faciliusne comprehenditur negligentia plurimorum Fidelium nullo in discrimine habentium æternam hanc felicitatem? Creati, ut æternum bonorum omnium fonte perfruantur; Cœlo nati, ad æternam beatitudinem evocati; Cœlestis Patriæ cives cum sint, quodnam esse deberet Sanctæ ipsorum ambitionis objectum? quænam ipsorum esse deberent vota, quænam sollicitudines, ut tandem in hanc Sanctorum civitatem, cœlestem hanc patriam ingrederentur. Exules super terram, deberentne in pretio illius habere fluxa bona, & fragilia? Num fallacem illius gustare dulcedinem? num amare sedem tantæ amaritudinis plenam? Num jugiter languere in regione lacrymarum, & incessanter liberationem suam concupiscere? Quomodo invidenda illis esset eorum sors, quos vident suo defunctos exilio? Numquid vitæ hujus adversa ab illis spectanda essent tamquam mala? an potius tamquam destructio carceris sui; & paupertas tamquam imminutio vinculorum suorum? Ita cogitarunt, ratiocinati sunt, operati sunt omnes Sancti: Num cogitamus, ratiocinamur, operamur eodem modo? Bone Deus! quænam est insania nostra, quænam humani cordis perturbatio? Quot tenebris repletum est! quotidie nobismetipsis multiplicamus vitia, quibus terræ inhæremus. Mundus licet ingratus, licet injustus, licet durus, quotidie videt servorum suorum numerum augeri. Non æstimamus, non amamus, non requirimus, nisi quod nos a Cœli via deterret; terrena dumtaxat nobis sapiunt, licet in illis amaritudinem inveniamus. Mors, sola mortis cogitatio nos terret, illius imago sola nobis formidinem injicit. O Religio, o ratio! Quem ipsi facimus hodie nostrorum luminum usum? Christiani nonne hodierna die sunt æque ingrati, æque irrationabiles, æque noxii, ac Israelitæ illi, qui contemnebant beatam regionem illam, quæ illis destinata fuerat, & quæ adeo digna erat desideriis eorum: *& pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*, & despexerunt terram illam lacte, & melle manantem, quam Deus illis promiserat. Heu! ambitiosi sumus, ardentes fortunas nostras augere desideramus; sed quodnam objectum, o Deus, dignius est anima magna, aptiusque ad replenda omnia cordis nostri desideria, quam Cœlum? & quæ major nobis speranda fortuna? Non aliud Domine, testor, atque profiteor, nisi Cœlum, concupiscam. Fac Domine, ut per gratiam tuam me eodem non indignum ultra me præbeam. *Pater Croiset ibidem*.

Incessanter nobis adspirandum est ad beatam Jerusalem.

Sanctitas sola nobis permanentem habitationem, & ab omnibus periculis immunem potest procurare. Habitatio hæc longissime terram superat, ideoque secura est ab omnibus tempestatibus, immunis ab omnibus vicissitudinibus, & a morte ipsa libera. Cœlestis Jerusalem tu nostra patria es, terra exilii nostri. *Ibi non erit fletus, neque luctus*. Hic solus est locus, quo procellæ pervadere nequeunt, unde exulant lacrymæ, & ejulatus. Beata civitas vacua iis rebus omnibus, quæ timorem, luctumque afferunt hominibus! Mirum est, quod nosmet ipsos adeo amantes, sicuti amamus, non ideo tamen incessanter ad beatam hanc sedem contendimus! Mirum est, quod aliam fortunam ambimus! Dolor, mœror, morbus, metus, sollicitudo, anxietas; hæc omnia exulant a beatorum sede: nil molestum ad Sanctam illam civitatem accedit. Purum plenumque gaudium, pax immutabilis in Cœlesti hac Jerusalem regnat, & civitas hæc nostra esse debet habitatio. Quis in terra intelligere potest delitias ineffabiles, quas electi in Cœlo gustant? Nos vero non omnes curas impendimus, ut tantam felicitatem mereamur! Non desunt nobis adminicula, viam scimus; sequamur satis est iter, quod Sancti nobis ostenderunt; & aliud omnino iter ingredimur? *Idem*.

Cur justorum post mortem felicitas gloriæ pōdus dicatur.

Ineffabile hoc justorum gaudium in Cœlo, non secus ac possio Dei illam producentis ab Apostolo *æternum gloriæ pondus* vocatur. Cur hoc? Potestne gloria justorum illis gravis fieri, & onerosa? Nequaquam post sæculorum myriades, beatitudo sua illis recens videbitur; sed quia voluptates, quas complectitur, tantæ sunt, ut homo suis viribus traditus illas sustinere non posset, ac certissime illis victus succumberet. Fortasse Apostolus etiam gloriam vocat pondus, quia trahit ad se beatos, omniumque facultatum eorumdem potitur. Quandonam, Deus, ego quoque suavissimam vim hanc experiar? *Pater Segneri in Meditat.*

Cœli hæreditas nō generis titulo, sed meritis acquiritur.

Hæreditatis nomen, quo significatur illa beatitudo, quæ nobis in Mundo destinata est, non debet nobis spem injicere fore ut sine labore illuc pervenire possimus. Hæc enim beatitudo non est similis terrenis hæreditatibus, quæ illis, ut plurimum cedunt, qui minus illas fuere promeriti; qui eas sibi minime procuraverunt; & qui id ne cogitarunt quidem. Beatitudo hæc ut possideatur est promerenda. JESUS CHRISTUS licet Dei Filius per naturam, nonnisi per passionem, atque tribulationes ingredi potuit in gloriam suam: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*. (*Luc. 24.*) Nos vero, qui nonnisi per adoptionem Filii sumus Dei Cœlum nullis sumptibus nobismet comparare posse putabimus. Si regnare volumus cum JESU CHRISTO, ecce conditionem ad id maxime necessariam; cum illo pati debemus. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*. *Idem*.

Ejusdem argumenti continuatio.

Merces fidelitati vestræ in Dei cultu promissa est Cœli possessio. Illa viventium terra hæreditas tua est; & si justus es, jam ad illam jus obtines solide constitutum; sed illius perfruitio tibi non permittetur, nisi felici eo die, quo Dominus te servum fidelem profitebitur: *Euge serve bone, & fidelis*. (*Matth. 25.*) Cœlum nostra hæreditas est, ita tamen ut numquam admittamur, nisi antea illud meriti fuerimus; & Testamentum, quod Pater cœlestis signavit, nonnisi hac posita conditione adimpletur. Ut igitur in morte possessionem adeamus bonorum, quæ nobis destinavit, opus est, ut donec vivimus cultui ipsius hæreamus, & omnia super terram sacrificemus, ut divinis ejusdem voluntatibus pareamus. Hæredes Regni sui nonnisi hoc pretio illud assequi possunt. Terra Chanaam filiis Israel fuerat promissa; hæc erat patrum suorum hæreditas; attamen quot ex eorum numero propter infidelitates suas illuc pedem inferre non valuerunt? Duobus tantum Josue, & Caleb con-

contigit illuc ingredi, reliquis vero subrogavit Deus hæredes, qui imperiis suis essent obedientiores. Igitur immoti permaneamus in observantia legis Domini, si fieri volumus hæreditatis ejus participes. *Idem*.

Cœlum est merces.

Sanctorum gloria in Scripturis merces, corona, & hæreditas appellatur; quia tamquam merces supponit laborem, tamquam corona supponit certamen, tamquam hæreditas supponit jus legitimum successionis. Sed videtur JESUS CHRISTUS in eo immorari peculiariter, ut nobis proponat hanc gloriam, sub imagine generali mercedis. Quare vult Deus nobis in animo imprimere, quam certa nobis sit gloria, quam offert si fecerimus id, quod a nobis exigit ut illam mereamur. Mercedis enim titulus illam proponenti maximæ est obligationis. Deus nobis vitam æternam pollicitus est, inquit Apostolus, qui fallere non potest: *Quam promisit, qui non mentitur, Deus*. Cur igitur dubitatis adhuc fideles pro cœlesti gloria labores vestros impendere: merces hæc vobis deesse non potest, si vosmet dignos præbere vultis. Sed quam Mercedem? Cognoscite quanti valet, neque sitis insipientes, ut illam negligatis. *Pater Segneri in Meditationibus*.

ad Tit. 1. 2.

Sanctorum merces lõge præstat meritis eorum.

Merces hæc, quam Deus nobis proposuit, superaffluens est. Justi certo sciunt, non solum Deum illos esse remuneraturum, sed hoc, uti Deum decet, præstiturum. Ego ipse merces ero vestra, inquit ille discipulis suis; vobisque dabo me ipsum. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Quid sunt omnes hominis mortalis labores, ut eorum fructus sit supremi boni possessio? Quonam pretio te ipsum tradis, Domine! possidere te, gaudere te, & id propter aliquot tribulationes, quarum meritum est tuæ ipsius liberalitatis. *Idem*.

Gen. 15. 1.

Merces hæc in Cœlo est ubi nihil mutabile.

Merces nostra est æterna; nobis præparatur in Cœlo, & in Cœlo omnia fixa sunt, & immutabilia. Præmia, quæ humana servitus nobis producit in terra, obnoxia sunt invidiæ, atque impotentiæ: bona sunt, quæ tempus absumit, & quæ velis, nolis, tandem una cum vita relinquenda sunt. Sed in Cœlo fructus servituris nostræ in tuto est, nihilque timet vel ab hominibus, vel a corruptione. Illum gustabimus, quin timeamus, ut nobis eripiatur, & voluptas, qua diffluemus illum gustantes, semper erit nova. Lætamini igitur justi, sed gaudium vestrum sit ita magnum, ut extrinsecus niteat; id enim quod vobis proponitur tamquam fructus laborum vestrorum merces est, ideoque vobis negari non potest. Merces hæc est infinita, in summi boni possessione sita est: Merces est æterna: in Cœlo est, ubi nihil mutari potest. Non longe abest; quotidie oculis vestris objicitur, vobisque ostenditur, ut vosmet ad illam recipiendam disponatis; jam jam manu illam attingitis. Obliviscimini eorum, quæ retro sunt, & breve illud spatium, quod superest, ut ad hunc beatum finem perveniatis, vos consoletur, atque excitet. *Idem*.

Contendẽdum est ut in Cœlum ingrediamur.

In Cœlum ingredi non est adeo facile, ut plurimi arbitrantur; ad id contentione opus est: *Contendite*, JESUS CHRISTUS ait. Certandum est, & certamen hoc eo gravius est, quia nobismetipsis inferendum est. In Cœlum non alia ducit via, nisi angusta mortificationis, humilitatis, obedientiæ, menti quidem æqua videtur, & necessaria; quandoquidem ipse etiam JESUS CHRISTUS eo per eamdem pervenit. Sed hic sermo infinite durus videtur carni, eumque intelligere nequit. Ita homo in hominem rebellat, animum despondet, abjicitque spem. Attamen nulla illius ratio est habenda: de omnibus rebus nostris agitur; agitur de æternitate. Beatus in omnem æternitatem si in Cœlum ingredior; Miser in omnem æternitatem, si excludor. Quid mihi audendum non est? quid non sustinendum? Quot conatus exerendi, ut intrare contendam? *Contendite intrare*. *Pater Segneri in Meditationibus*.

Verus Christianus agnoscit pretiũ coronæ sibi destinatæ.

Qualis honor Christiano viro pro relatis victoriis accipere coronam vitæ, quam illius capiti imponet ipse Deus. *Accipite coronam vitæ*. Qui merent stipendia in exercitu Principum hujus terræ, non cunctantur sese objicere periculis ob fragilem, fluxamque mercedem; satis præclarum periculorum, laborumque suorum pretium se consecutos putant, ubi adepti sunt coronam quæ brevi flaccescit, & quam cito mors ex eorum capite revellit, eorum tumulis affigendam, ubi sit non minus infirmitatis eorum, quam virtutis monumentum. Sic Christianus, qui sub JESU CHRISTI vexillis militat, qui videt oculis fidei mercedem sibi paratam, ambigerene potest, utrum aliquot prælia sustineat *immarcescibilem coronam gloriæ* consequuturus? *Idem*.

1. Pet. 5. 4.

Quænam sint deliciæ æternæ habitationis Sanctorum.

In Cœlis adest æternitas beata pro Justis: illic sentient, se veluti trahi tranquillo flumine pacis, & gaudii, & in purissimis immersi deliciis, numquam finem invenient. Felicitas erit semper eadem, & semper tamen recens videbitur. Sancti, S. Joannes ait, *cantabant quasi canticum novum*. Canticum hoc, quod Sancti jugiter concinunt in Dei gloriam semper novum est; etenim per excessum amoris, quo rapiuntur, credunt se, quotiescumque illud repetunt, tunc primum illud cantare. O inauditum miraculum! felicitas, quæ placet semper, quæ semper replet, & numquam parit satietatem! Ne de hac re judicium feramus ex illa experientia, & sensu, quem ex mundi hujus voluptatibus percipimus. Pulcherrima spectacula, magnificentissima convivia, omnia nobis nauseam creant, omnia nos fastidio afficiunt; sed objectum, quod aliquando nostram efficere debet beatitudinem, æternum duraturis diffluit deliciis. *Idem*.

Apoc. 14. 3.

Gloria Sanctorum in Cœlo.

O gloriam vere solidam Electorum Dei! Gloriam, cujus nitor perfunctorius non est, gloriam stabilem, atque æternam! gloriam, quæ non continetur in exiguo rudium, invidorumque hominum numero, sed quæ tot testes habebit, quot erunt cives in Cœlesti Jerusalem, gloriam, quæ non sita est in inutili, ac temeraria illorum approbatione, qui nos minime norunt, & ne seipsos quidem agnoscunt, sed posita est in lætitia innumerabilium animarum sanctarum, quæ intuebuntur cordium nostrorum penetralia in lumine veritatis. *Sermo, quo ostenditur quam periculosa sint hominum colloquia*.

Sanctorum in Cœlo felicitas.

Quis, Domine, in terra positus cognoscere potest ineffabiles dulcedines, quibus Electi in Cœlo perfruuntur! Illic non solum habentur omnia, quæ desiderantur, verum etiam omnia, quæ opus sunt, ne quid amplius sit desiderandum. Cor plenum est; anima satur est. Torrens est, Oceanus est purissimarum delitiarum, quibus Beati inebriantur. Hæc non tantum sunt omnia simul bona, sed fons etiam bonorum omnium, est omnipotentia Dei, est possessio Dei ipsius, quæ incomprehensibilem hanc efficit felicitatem: proprie loquendo Domini gloria non ingreditur in cor sanctorum; spatium hoc nimis esset angustum, neque satis illi gustare possent torrentem deliciarum; sed animæ Sanctorum ingrediuntur, & immerguntur, ut ita dicam, in Domini gaudium; nobisque infirma duntaxat desideria sunt pro hac felicitate, quæ omni caret mensura. *Pater Croiset, in Asceticis Exercitationibus*.

Merces Sanctorum est sine mensura, sublimis, est atque æterna.

Sanctorum Merces omni mensura caret; sublimis est; æterna est. Mensura caret; hoc est, infinite excedit, quidquid ad eam promerendam facere possumus: nam licet Dominus reddere debeat singulis in Cœlo secundum opera eorum, non ideo credendum est, nobis in Cœlo tantum futurum esse gaudium, quantum in terris mœrorem habuerimus: præsentes tribulationes nihil sunt, ubi cum gaudiis futuris comparentur; verum eo magis, minusque erimus ineffabilium horum bonorum participes, prout magis, minusque passi fuerimus. Sublimis est ista merces, hoc est non con-

consistit in fluxis, fragilibusque bonis, qualia sunt super terram, sed in immutabili felicitate, ubi homo supra mortalem sublatus nullis malis obnoxius est: *Sustollam te super altitudines terræ*. Denique æterna est, videlicet postquam brevi afflictati fuerimus; numquam gaudium nostrum cessabit. Gaudium superabundans! gaudium purum, & immutabile! gaudium æternum! Quænam mihi solatii causa inter omnes dolores, quæ mortali huic vitæ penitus inhærescunt! *Pater Segneri in Meditationibus*.

Isai. 58.

Sanctorum in Cœlo felicitas.

Beati in Cœlo possident omnia, quæ fingi possunt bona, non successive quidem, sed omnia simul; quibus ad felicitatis cumulum adde, illos hæc possidere sine anxietate, & illis eripi nequaquam posse, neque eorum perfruitionem in discrimen vocari. Ad hæc cœlestium bonorum perceptio omnino differt a possessione bonorum terræ hujus, quæ nonnisi imperfecte possidentur, seu quia sensus male affecti sint, seu quia spiritus molestis est cogitationibus perturbatus: sed Sanctorum beatitudo semper est integra, & sine impedimento; lætitia, quam parit, usque ad penitiorem animæ partem penetrat, efficitque ut illa omnem suam sentiat dulcedinem. Nullus ibi permiscetur labor, aut tumultus; anima enim semper parata est ad gaudendum, & objectum suum illi semper est præsens. Hanc ob causam insignis quidam Philosophus dicebat, æternitate vitam esse plenam sine rei alicujus mortalis mixtura. Hoc nonnisi in Cœlo reperitur, ubi nil moritur eorum, quæ hic mori possunt, & ubi Sancti ejus vitæ possessione lætantur, quæ nullum habet finem, beatitudine omnibus numeris absoluta, beata æternitate, die stabili, in quo continentur omnes dies, omnes anni, omnia sæcula; & generatim omnia tempora, vel ut dicam melius, die stabili, qui omnia tempora excedit. *Ex Tractatu de discrimine inter tempus, atque æternitatem. Pater Segneri in Meditationibus*.

Corona, quam nobis proponit Deus, nobis immittere debet fortitudinem nullis difficultatibus labefactandâ.

Corona hæc, quam vos Dominus monet ut ab impetu, & insidiis inimicorum vestrorum tueamini, cœlestis est gloria. Ne dubitetis quominus hæc futura sit merces laborum vestrorum; si tamquàm milites strenui pugnaveritis: JESU CHRISTI promissiones vobis vadimonii loco sunt. Ipse cœlorum possessionem adiit suo, eorumque omnium nomine, quibus sub vexillis ejus decertandum, & moriendum est. Quid igitur efficere poterit, ut remittatis labores vestros, & in virtutis via gradum inhibeatis? Jam palmæ propiores estis; aliqui tantum supersunt exerendi conatus. Regnum Dei prope est; adhuc aliquot prælii momenta, & jam tenetis coronam. Ita S. Paulus mercedem proximam considerans se ipsum ad perseverantiam excitabat; & ante illum Sanctus vir Job, cujus sensus exscribere videtur Apostolus. *Nunc propior est nostra salus, quam cum credidimus*, inquit ille. *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri: Spe enim salvi facti sumus*. Prospiciamus cum sanctis hisce viris certam Spem pretii nostrorum certaminum, quasi jam illud possideremus: etenim re ipsa vita est quasi punctum vix perceptibile, si cum æternitate conferatur. *Pater Segneri in Meditationibus*.

Rom. 13.

Rom. 8.

Domini domus sedes est admirabilis.

Quam pulchra habitatio est Cœlum, quandoquidem Domus Domini est! Quo potentior est Princeps, eo magnificentior esse debet Domus, in qua habitat. Quænam vero domus conferri posset cum domo Regis Regum omnium? Hæc una est, ubi simul collecta inveniantur quæcumque domum efficiunt completam: magnitudo, decor, opulentia, elegantia. Paradisi Magnitudo: *O Israel! quam magna est Domus Dei, & ingens locus possessionis ejus!* Paradisi pulchritudo: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*. Opulentia: *Sedebit populus meus in Pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*. Paradisi elegantia. Minus enim domus est quam quoddam veluti florens viridarium, quemadmodum nobis exhibetur per Prophetam: *In deliciis Paradisi Dei fuisti. Pater Segneri*.

Baruch. 3. 24.

Psal. 25. 8.

Isai. 32. 18.

Ezechiel. 28.

Ejusdem argumenti continuatio.

Jure igitur David exclamat: *Beati, qui habitant in domo tua Domine*? Potestne tantumdem de illis dici, qui in Principum ædibus commorantur? E contra ibi sæpe plures inveniuntur miseri, quam alibi; quia molestia, & servitus vix ab eorum statu possunt separari. Domini domus una hoc habet privilegium efficiendi ex omnibus incolis suis tot Beatos: *Beati, qui habitant*. Nos qui hic in terra luteas tantum domos incolimus, numquamne cœlestis domus desiderio flagrabimus? Numquamne dicemus eodem in sensu, quo Rex Propheta: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*. Verum est Domum Domini repletam esse omnigenis bonis, & omnes inhabitantes in illa felices esse; nihilominus hæc non est causa potissima, pro qua Propheta invidet felicitati habitantium in Sion; ratio sublimior ex illo, hæc elicit verba: *Beati, qui habitant in domo tua Domine*: Cur vero Beati: *quia in sæcula sæculorum laudabunt te*? *Idem*.

Psal. 83.

Psal. 83.

Ejusdem argumenti.

Magnificentia, quæ in Principibus terræ fulget, non removet tumultum, dolores, sollicitudines: in tua dumtaxat domo invenitur, pulchritudo, divitiæ, merum gaudium simul conjuncta ad constituendam perfectam habitantium pacem. Cur ergo anima mea indesinenter non contendis ut ad optatissimam hanc sedem pervenias? Quidquid nitidius fulget in terra, numquid oculos meos perstringere potest, si oculos meos in Cœlum attollo? potestne mea allicere desideria, si cogito ineffabiles delitias, quas Deus gustandas offert Sanctis suis? Quam perfecta est felicitas ista? Quam suave est cogitare, mihi non aliud umquam negotium futurum, quam laudare, & admirari divinas perfectiones tuas Domine? Si parum agnosco hanc beatitudinem, inde fit, quod non intelligo quid sit te cognoscere, & amare, quemadmodum Beati te cognoscunt, & diligunt. Sed nausea numquam corrumpet dulcedinem ejus voluptatis, quæ per totam æternitatem naturam minime immutabit? Haud ita Domine; Sancti tui numquam cessabunt laudare nomen tuum, & felices esse te diligentes. Felices incolæ domus Dei, vestrum est impetrare nobis gratiam perveniendi ad eam felicitatem, qua vos perfruimini; locus, quem habitatis semper erit præsens animæ meæ. Præferam omibus voluptatibus illam cogitandi de te, & omni spei illam tandem aliquando te perfruendi. *Idem Pater Segneri*.

Christianus de Cœlo id sentire debet, quod viator de patria ubi invenit omnia magis exquisita quam alibi.

Cœlum vera est patria nostra; igitur in terra non aliud sumus quam alienigenæ, viatores, inquilini. Viator parum iis tangitur, quæ secus viam fiunt; voluptates, consuetudines, agri florentes, superba ædificia, objecta jucunda, prata ridentia, deambulationes amœnæ, viridaria, horti nihil illum morantur. Id solum carpit, quod sibi necessarium est; patriæ memoria, atque desiderio totus occupatur. Circumspicit, sed si sapit, viam sequitur, & cor ejus nulli rei adhærescit. Ea quæ in patria sunt, hospiti semper magis arrident, quam quæ spectat in locis, qua transit. Spes quamprimum perveniendi ad domum suam efficit, ut ferat quidquid vana Climata incommodum habent, injucundum, molestum. Hæc est Christiani hominis imago; hoc ipsi debemus imitari in itinere nostro, ubi nobis aliquid accidit adversi: cogitemus his malis cœlestem Patriam nostram esse vacuam. Quidquid Mundus nobis polliceri potest aptum ad nos fallendos, atque seducendos nobis imponere non debet. Inter hæc spectacula, inter honores, inter mundana gaudia, inter felices eventus cogitemus omnia præterire, & omne inter nostrum absolvamus, omnia nullo in discrimine habentes. Cum nobis mors alicujus nuntiatur; illum

felicem

felicem esse putemus, se ipsum gerere novit tamquam exulem toto hujus sui itineris tempore. Quotidie mane cogitemus nobis diei hujus iter esse faciendum versus æternitatem; Quotidie vesperi cogitemus, nos die uno propiores esse patriæ. Denique in prosperis æque ac adversis beatam cogitemus æternitatem, & consideremus super terram nos non gaudere, neque pati, nisi obiter posse. *Pater Croiset in Asceticis Exercitiis.*

Christiana lex nos efficit in hoc etiã mundo felices spe, quam nobis tribuit.

Homo felix esse potest vel re, vel spe tantum. Re felix est, cum jam Cœlesti fruitur gloria. *Beati qui habitant in domo tua Domine*, & hæc beatitudo perfecta est. Spe autem felix est, cum non sine causa sperat se ad Cœli gloriam esse perventurum. *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.* Beatitudo hæc est adhuc imperfecta; deest quippe illi adhuc actualis gloriæ possessio. Patet quidem praxim eorum dogmatum, quæ in octo beatitudinibus continetur, nobis perfectam in terris felicitatem procurare; sed hoc maximum est argumentum prædestinationis, quod habere valeamus; & ita nos spe beatos efficit. At hac beatitudine numquid non afficimur? *Pater Segneri.*

Christiana lex nos efficit beatos, efficiens, ut prægustemus cœlestes delicias, quarum in nobis spem ciet.

Præter duo beatitudinis genera, de quibus locuti sumus aliud quoque est, quod, ut ita dicam, medium tenet; & hoc non solum disponit ad perveniendum ad Cœli bona per merita, verum etiam incipit efficere, ut eadem gustemus. Felicitas hæc fructus est virtutum, quæ octo beatitudines nuncupantur. Anima enim, quæ eminenter hasce virtutes possidet, gustat spirituales delitias, quæ propriæ sunt beatorum in Cœlo. Hæc etiam est S. Jacobi sententia, cujus verba magis peculiariter ad perfectos Evangelii observatores pertinent. Sancti non solum frui debent æterna beatitudine in altera vita propter bona illorum opera, verum etiam in præsentiarum etiam suam ibi nanciscuntur felicitatem; ex perfecta legis observantia hauriunt suavissimam pacem, ac solidissimam voluptatem. *Beatus in suo facto erit.* (Jacobi 1.) Dici igitur quodammodo potest de illis, quorum virtus est probatissima, eos vere beatos in terris esse, non quod jam sint immersi in torrente illo sanctarum Paradisi deliciarum; sed quia aliquam saltem earum particulam prægustant. Quomodocumque se habeat res, Sancti ferventiores Christiani multo beatiores sunt, quam vulgo justi, quia spes bonorum in illis longe major est, quam in aliis: Sancti jam vident flores fructuum, quos expectant; alii vero in arboribus nondum, ut ita dicam, frondes inveniunt. Ne immoremur igitur in communi virtute, quæ folia tantummodo profert, hoc est tenue pignus nostræ felicitatis; ad eam adspiremus sanctitatem, quæ flores germinat, hoc est, tutissimas ejus gloriæ, quæ debet esse operum nostrorum fructus, arrhas. *Pater Segneri.*

Nihil ultra illis metuendũ erit ob ea pericula, quibus in terra erant obnoxii.

Beatis in semet omnino contentis non erit amplius de infirmitate sua diffidendum, resistendum concupiscentiæ suæ, suis affectibus invigilandum. Certi erunt rectitudinis intentionis suæ æquitate viarum suarum, testimonii conscientiæ suæ. Nullæ erunt imperfectiones corrigendæ, nulla peccata lacrymis eluenda, reparanda, evitanda. Nullæ gratiæ petendæ, nulla imploranda misericordia; sola occupabuntur perfectæ, omnigenæque felicitatis perfectione: Merces, quam largitur Dominus amicis suis, essetne digna bonitate illius, si ulla adesset ex his imperfectionibus, quæ ab humana infirmitate dissociari non possunt? Mundi principes favoribus suis mulcere possunt cor fidelium, ac dilectorum subditorum suorum; sed illud explere non possunt. Pulchritudo satisne digna esset meritis amicorum Dei, si illis bonum aliquod optandum relinqueret vel purius, vel tutius, vel constantius? In servitute sua inconcussi absolverunt stadium suum, speducti futurum ut in illa requiem immutabilem invenirent. Hæc est infinita Misericordia tua Deus, quæ præcipit ut ex liberali magnificentia tua speremus omnia, si cooperatio nostra gratiis tuis digne responderit. *Pater la Pesse, tom. 2.*

Qua felicitate beati fruantur.

Ecce beatas animas in Cœlesti Jerusalem collocatas, in urbe illa, quam propter Electos suos dumtaxat ædificavit Deus; cujus Fundamenta, S. Joannes ait, omni pretiosorum lapidum genere ornata sunt: cujus murus jaspis est eximius; cujus duodecim portæ totidem sunt nitentes Margaritæ, cujus viæ, & plateæ sunt ex auro defæcatissimo, æque pellucido ac nitidissima crystallus. Ibi Deus ipse civitatis hujus undequaque fulgentis Creator; Deus inquam, qui nonnisi invitus, coactusque in inimicos suos animadvertit, & qui nihilominus adeo terribilis est in suis suppliciis, huic misericordiæ quam adeo libenter exercet erga amicos suos, perfectam tribuit facultatem ad arbitrium illis blandiendi. Ibi abstergit eorum lacrymas, non quidem a facie, ut in hoc mundo, sed ab oculis ipsis. *Absterget omnem lacrymam ab oculis eorum*; (Apocal. 7.) hoc est, illos ultra plorare non sinet, sed neque posse. Quinam vero possint lacrymis manare in illa omnium gaudiorum, & deliciarum sede, ubi torrente voluptatis inundantur, ubi inebriantur copia bonorum beatissimæ illius patriæ, ubi Agnus sine macula idem sol est, qui in æternum beatam hanc domum debet illustrare? *Idem.*

Manca cœlestis Jerusalem descriptio.

Volens S. Augustinus levem aliquam nobis proponere tabulam Electorum in Cœlo, ait: nihil vestræ felicitati defuturum; semper laudabimini, sed sine assentatione, & avaritia: semper amabimini, sed sine noxa, & scandalo: semper divites eritis, sine metu amittendi, quod jam possidebitis: felicitas vestra erit undequaque perfecta: *Tunc erit perfecta jucunditas... tunc laus sine defectu, tunc amor, sine scandalo; tunc fructus sine timore; tunc vita sine morte.* (D. August. in Psal. 99.) Licet tu solus esses in gloria, solus tota gloria gauderes. Deus, ut tibi ostendat desiderium te in honore habendi, tibique gratificandi, omnia, ut ita dicam, bona sua tuo subjiciet arbitrio. Tecum propriam dividet felicitatem tamquam cum amico, in cujus societate suus amor non patitur, ut aliquid sibi reservet. *Pater la Pesse tom. 2.*

Quantum Sanctorum felicitas superet captum spirituum acutissimorum.

S. Augustinus in Epistola quadam narrat, eo tempore, quo S. Hieronymus e vita excessit; se cogitasse de litteris ad eum mittendis sententiam illius de Sanctorum felicitate quæsiturum; cumque hac detineretur cogitatione, magnum sibi lumen circumfulsisse cum gratissimo odore conjunctum, atque vocem hæc dicentem audivisse: *Augustine, quid quæris?* quid scire cupis? Num ipse cancellos statues, non habenti, infirmis, arctisque cogitationibus tuis? Paradisus credendus est, acquirendus est, possidendus est; sed mente comprehendi, minusque verbis exprimi nequit. Nolite ergo esse ita temerarii, ut velitis comprehendere quænam sit Beatorum in Cœlo felicitas, & procedere ulterius quam sublime hoc ingenium in cumulum hunc omnium bonorum. Fateamur mentem nostram nimis esse angustam, ut de gloria loqui possit, & multo magis illam valeat comprehendere. Hoc nobis erit magnum lætitiæ argumentum sperare posse felicitatem majorem nostra cogitatione. Facile hac ipsa infirmitate nostra gauderemus, si cogitaremus hunc locum deliciarum, quem nobis præparavit Deus, infinito excedere intervallo nostri spiritus captum: & tanta licet sit naturæ nostræ imbecillitas, in nostra esse potestate fieri, quod sunt fratres nostri in Cœlo, quemadmodum illi fuerunt id, quod sumus in terra. *Idem.*

Eorum felicitas erit conjungi cum Deo, vel potius in Deum transformari, & quo in sensu hoc intelligendũ sit.

Quænam est Sanctorum felicitas in Cœlo? mentium nostrarum imbecillitas id intelligere nequit. Tamen secundum nostram loquendi rationem, simplicius est affirmare beatos cum Deo conjunctum iri, quia illum videntes, amantes, & possidentes, quodammodo transformabuntur in Deum. *Non multi erimus*, S. Gregorius Nazianzenus ait, *sed toti Deiformes.* Unus ut ita dicam, erit beatus in Cœlo, quia Beati omnes erunt quodammodo immersi in Deo, & aliquo in sensu confusi cum Deo. Absit autem, quod ideo hoc dicamus

quasi cum quibusdam consentiamus hæreticis, qui crediderunt per hanc transformationem creaturam nequaquam futuram amplius creaturam, atque in Dei essentia essentiam suam esse amissuram. In Cœlo transformabitur in Deum; videlicet Deus ita seipsum in nobis imprimet, ipse nobis se adeo perspicue, & palam cognoscendum præbebit, sese nobis adeo amabilem ostendet, ut nos in illum rapti nihil, nisi illum videbimus, nihil nisi ipsum sentiemus, nihil nisi ipsum amabimus. Fruemur ergo bonis omnibus, & omnibus bonis Dei, & si dicere fas est, eo modo, qui consonis sit modo, quo Deus ipse illis perfruitur. *Pater la Pesse, tomo 2.*

Sancti Dei perfruitione illuminabuntur, in qua videbunt omnia.

Cogitemus, quæso, quantum ingenii nostri imbecillitas patitur, quænam futura sit illa felicitas, quæ nobis in cœlesti Jerusalem præparata est. Illic per magnitudinem illius fulgoris, quo illuminabitur, ingrediemur in magnalia Dei, infinitæ hujus majestatis, quæ lucem inhabitabat inaccessibilem. Evolvemus ibi adorabilia secreta admirabilis illius providentiæ, quæ ordinatim omnia disponit per œconomiam, quæ palam gerit Divinitatis characterem. Tunc admirabimur amabiles vias, quas hæc eadem nobis aperuit Providentia, ut certam faceremus nostram prædestinationem. Tunc illa secernemus, quorum imbecilla mentis nostræ acies neque principium, neque finem potest agnoscere. Sequemur cogitationibus nostris æternitatem supremæ hujus essentiæ, quæ spatia, ac tempora omnia complectitur. Detegemus æterna consilia Sapientiæ hujus, quæ in viis suis est impenetrabilis, & hujus Justitiæ, quæ ante sæculorum primordia adeo locupletem virtuti quidem mercedem præparabat, vitio autem adeo terribilia supplicia; hujus Misericordiæ, quæ dignata est nihilum nostrum respicere, quæ ut nobis gloriam aperiret, Verbo Dei non pepercit, ac illud coegit, ut humanam carnem indueret in Cruce moriturus. *Idem.*

Mundi felicitas semper aliquã habent mixtam amaritudinem: In Cœlo autem perfecta est.

Nulla inveniri potest completa felicitas, quam illa beatorum in Cœlo. Ut perfecte Beati simus, semper nobis possidendum est bonum, quod desideramus, & nihil desiderandum est, nisi bonum, quod possidemus. Qui non haberet quidquid optat, hic felix esse non posset. Dicere enim posset, hoc meæ deest felicitati. Qui posset plura concupiscere quam quæ habet, felix non esset; felicitas perfecta necessario complectitur quidquid potest optari. Qui minus haberet, minusque cuperet, quam quod habere potest, & cupere, neque hic felix esset; quia habere parum, quia parum desideratur, hæc vel ignorantia, vel infirmitas est. Cupere parum quia parum dumtaxat haberi potest, hæc vel incapacitas est, vel indigentia. Procul absunt a Cœlo omnes defectus isti. Beatus debet simul omnia cupere, & omnia possidere. Unus autem Deus replere potest omnia vota, omnemque cordis capacitatem, quia ipsa est bonitas, & bonum summum antonomastice. Quidquid cognoscemus, quidquid amabimus, quidquid in Cœlo possidebitur, nobis Dei ipsius illecebras exhibebit. Ille sibi felix est: ipse quoque nos felices efficiet. *Pater la Pesse.*

Deus ipse est Sanctorum felicitas per se, & per possessionem, qua Sancti illum possident.

Sufficit, ut Deus sese Sanctis suis tribuat, ut illos beatos efficiat: Veritas hæc sese ultro offert fideli. Bonum, quod in Deo possident, neque ipsis auferri potest, neque cancellos habere, neque cum aliquo malo permisceri. Deus nequaquam bonum est, relate ad nostram dispositionem, & gustum: bonum est per essentiam. Hoc bonum non est, quod relate ad peculiares nostras facultates sit bonum, a quibus ille percipitur; bonum est universale. Hoc bonum non est propter minimam malorum mixtionem; purissimum bonum est. Hoc bonum non est, quod cesset umquam esse bonum; bonum est æternum, atque immutabile. In terris beatos nos putamus, vel ex libidine, vel ex animi pravitate, vel ex infirmitate. Hoc placet, quia oppositum displicet; Objectum hoc nos illicit, quia ratione destituti sumus, qua bene eligere valeamus. Hæc voluptas animum exhilarat; quia spiritus in tristitia, & mœrore elanguit. In Cœlo Deus unus principium est, ratio, finis, objectum deliciarum, & beatorum. Nulla in eorum gaudiis oppositio. Quia Deus veritas, & bonitas est; nulla in eorum gaudiis intermissio, nullum intervallum, quia nulla pœna illa efficit optabilia. *Idem.*

Summa Sanctorum felicitas erit videre Deum, & ex Deo vivere.

Amor, quo Beati Deum complectentur, imitabitur amorem, quo seipsum diligit Deus, Magnalibus, & Entis hujus summopere amabilis illecebris capti, hoc unum amabunt, propter hoc unum amabunt, omnia in hoc uno amabunt. Numquam distracti, numquam languidi, numquam saturi: omnes cordis eorum motus erunt a Deo, redibunt ad Deum. Beati, S. Bernardus inquit, quodammodo de ipso Deo vivent. *Præmium nostrum est videre Deum, & vivere de Deo.* (*Med. c. 4.*) Pascentur de Deo, de Deo animabuntur; Visio essentiæ illius abunde replebit illos eodem, ut ille futurus sit principium atque terminus omnium actionum eorumdem. Talis erit merces virtutis; sed fallor, simulque fallo: dici enim nequaquam potest quidquam, quod illam valeat exhibere. Deus ipse nequit aliter justum illius nobis conceptum adstruere, quam nosmet ejus possessores efficiens. O inaccessibilis Deus! Deus Majestatis! Deus infinitarum bonitatum! Cœlum, quod ipse das, & facis, nobis promittere, hoc sane est nos cogere velle, ut tibi serviamus; quis enim, qui non omnino a Religione sit alienus, vellet subire illius amittendi periculum? *Pater la Pesse tomo 2.*

Cœlestia bona possessione sua augent desideria nostra; terrena vero nobis fastidium creant.

Inter terrena hujus Mundi bona, atque æterna hoc discriminis interest, quod illa suum pretium amittunt, cum possidentur; hæc ipsa possessione commendantur. Semper nimis æstimatur, quod transit, & fluxum est; sed quod duraturum est jure semper vult magis, magisque æstimari. Terrenæ appetuntur divitiæ, & ad eas acquirendas plurimi labores perferuntur; ab una in oppositam mundi plagam navigatur: ubi vero quæsitæ fuerunt, earum tædio afficimur: immensas Civitatis Dei opes negligimus; ubi vero illarum possessionem adepti sumus, iisdem ardentius inhæremus: *Æternum ardentius diligitur adeptum, quam desideratum.* (*D. August. l. de Doctrin. Chr.*) Ne de hac re dubitetis. Si nobis datum erit ad gloriam ingredi; ibi nanciscemur bona toto Cœlo majora, quam quæ nobis fingere possumus, & quæ nos illic inventuros speramus. Quomodo ergo fieri potest, ut de illorum acquisitione adeo parum laboremus, nos, qui singulis diebus mundi nihilum experimur? Quare non terret nos periculum; ne æternum nobis ad hæc bona aditus intercludatur, nobis inquam, qui toties, ac tam multifariam pertæsi fuimus eorum, quæ ardentissime concupivimus? *Idem.*

Quam plorandi sunt homines qui terrenis inhærent, quin æterna cogitent.

Præparavit vobis Deus regnum ab ipso sæculorum primordio; ad illud vos evocat, vos hortatur, invitat, urget, ut ingrediamini: vobisque æternam minitatur miseriam nisi Cœlum lucrari contenditis. Nihil prætermittit, ut vos æternum beatos efficiat; Vos autem nonnisi de periturο hoc mundo estis solliciti, quem vobis elabi in singulos dies cognoscitis, & ubi in singula momenta consenescitis. At enim præsentia nos morantur: sed quomodo illis adhærescere potestis? An ignoratis vera bona? Pater ille, & hæc mater nonne infelices essent, si diu illis laborandum esset pro filiis ingratis; ad Domum constituendam, unde tandem egredientur egentes, & rebus omnibus spoliati, & fortasse quin ullus eorum desiderio teneatur? Hi conjuges nonne essent commiserandi, si illis tot perferendæ essent molestiæ, libidines, simultates, omniaque rei domesticæ laborantis, & arctissimæ impedimenta? Tamen, o ignavia, o cœcitas humani cordis! quo plures in hoc mundo

mundo miserias experimur, eo volumus esse miseriores. *P. la Pesse.*

Quid faciendum sit, ut cœlum acquiratur: ardentia vota, quæ homines cōcipere debent illius eandem possidendi.

Paradise, felix omnium votorum nostrorum summa, abundans omnium desideriorum nostrorum satietas! ineffabiles delitiæ! æterna gloria, quandonam te possidebimus. Quandonam accedemus in possessionem bonorum tuorum. Deus mihi ne licebit umquam ad te accedere? Infernus nihil habet truculentius, quam quod divino privatur adspectu tui, o summum bonum? Quid agendum est, ne privemur? Num omnia relinquenda sunt, omnia perferenda, vivendum, moriendumque in tenebris, in solitudine, in dolore, in lacrymis? Tantum non exigis sane; satis est, ut divellamur ab iis, quæ nos hic morantur inanibus illecebris suis, satis est, ut tibi adhæreamus. Quæcumque comparatio esse potest inter te, & creaturas tuas? Tempus inter, & æternitatem? Inter Cœlum, & terram? Quid mundus cum fragilitatibus suis, cum injustitiis crudelitatibus, contemptu, miseriis? num ultra nos in compedibus suis continebit? Efficietne, ut Deum perdamus? Inanes animæ meæ ludificationes, funestum meæ immortalitatis impedimentum cor meum allicere non poteritis, *Pater la Pesse, & Recens quidam.*

Sancti in Cœlo, tuto, ac æternum fruentur omnibus bonis; cum in terris essēt omnibus periculis obnoxii.

Sanctorum virtus in Cœlo tuta erit ab omnibus perturbationibus, quæ incessanter hic hominum felicitatem pervertunt, secura a libidine ingenii, ab injustitia affectionum, a naturali rerum omnium fragilitate, tranquillam gustabit requiem, nullo umquam infortunio intermittendam. In terra bona, quæ tutius nos possidere putamus, e manibus nostris elabuntur: in Cœlis numquam patiemini jacturam bonorum, quorum semel possessionem adiistis, & semper imo recentia possidebitis. In terra, velitis, nolitis in publicarum calamitatum partem accedere debetis: in cœlo aliorum felicitas vestram augebit. In terra videtis spes vestras optime constitutas evanescere: in cœlo æternum gaudebitis iis omnibus, quæ ipsi amare, & sperare poteritis. In terra suavissimæ etiam delitiæ secum ferunt laborem, & amaritudinem: in cœlo voluptates, quæ gustantur, alias æque suaves nobis pollicentur. In terra vivimus nostræ fortis incerti; in cœlo nanciscimur stabilem sedem æternum mansuram, quæ omnibus omnium votis satisfacit. *P. la Pesse tomo 2.*

Electi in Cœlo torrente gloriæ, lætitiæ, & pacis inundabuntur, quas nonnisi tenui modo gustabunt in hoc mundo. *Serm. in Dedicat. Ecclesiæ.*

In vitæ hujus cursu, Dei Misericordia suas delicias effundit in animam servorum suorum, ut ita dicam, guttatim; quia vita hæc nondum est tempus mercedis eorum: delitias tamen, quæ illos alliciunt, rapiunt, atque toto cœlo superant quascumque creatarum rerum illecebras, efficiuntque, ut illi horum tædio afficiuntur. Post autem vitam hanc, torrente dulcedinum inundabuntur undique, torrente gaudii, S. Bernardus ait, torrente gloriæ, torrente tranquillitatis: *Torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, & flumen pacis. Torrens inundans lætitiæ*: ariditates, & interiores desolationes, quas olim permittebat Deus ad probandam virtutem servorum suorum, jam dilapsæ erunt; negotia, eventus, obices, contradictiones voluptatem eorum perturbare non poterunt. Verbo, nullæ erunt molestiæ vel præverten-dæ, vel extimescendæ. Liberi semper erunt in bonorum omnium, quæ fingi possunt, perfruitione. *Flumen gloriæ.* Nulla eis nocebit invidia, nullum maledictum, nulla censura. Reprobi quoque rectitudinem, sapientiam, virtutem, fidem eorum admirabuntur; laudabuntur ab omnibus, & a Deo probabuntur. Elevatio beatarum animarum harum illis omnium spirituum observantiam & obsequium conciliabit. *Flumen pacis*; Dissimulatio, simultas, zelotypia, invidia, nequitia, nihil in sanctissimum Cœtum illum vel minimam dissensionis scintillam conjicere poterit. *Idem.*

Deo juvāte Cœlum mereri, & acquirere possumus. Nostra tātum id prohibere potest ignavia.

At enim inquies; cum ajo, me mihi inferre non posse vim, quam petit Deus, ut æternam assequar beatitudinem; intelligo id maximæ esse difficultatis. Esto: verum saltem hoc potes gratiæ subsidio; & nisi aliquam tibi vim facis, hic animi, hic fortitudinis tuæ defectus est. Cogita quot difficultates quotidie superas, ut ambitiosis tuis cupiditatibus satisfacias: Si certus esses fore ut thronum tandem consequereris; quantumvis arduum esset opus, numquamne animos despondere? Certissimum est, te omnes superare posse tentationes cum Domini gratia, omnibusque status tui muneribus rite perfungi. Verbo: potes cœlum adipisci, si eo audes contendere. Ut te tuæ pudeat ignaviæ, conjice oculos in tot Martyrum, Confessorum, & Virginum millia, qui in Ecclesia coluntur. Videbis Sanctos Martyres ipsa provocare tormenta, superare vim, rabiemque carnificum, qui magis fatigantur torquendo, quam illi sustinendo. Videbis Sanctas Virgines, Theclas, Catherinas, Cæcilias, Agneses in imbecilli, & delicato corpore, tenella etiam ætate delicias putare sævissimos cruciatus, & invitare Satellites, a quibus laniabantur, ut crudelius sævirent. Ibi videre poteris adolescentulas amplissima relinquere patrimonia, immensas opes, omnes delitias, ipsamque habendi spem; ad quid? Ut nempe radicibus viverent, ut ciliciis induerentur, ut omnem temporum inclementiam perferrent, ut inter feras, horrentesque saltus latitarent. Tu autem iners, ac ignavus, vel gradum movere times cœlum versus, quod illæ sanguinis, & gravissimorum dolorum pretio sibi comparaverunt? Illæ omnes alienæ forsan erant naturæ, quam tu? Haud ita; sed illis major inerat fortitudo, fides, charitas; tu autem donec in hac tua permanebis ignavia, humi repes, instar immundorum animantium cum periculo numquam perveniendi ad beatitudinem, quam modico sumptu acquirere vales. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, & recens quidam Auctor.*

Quoniam stupore in cœlo rapiemur videntes errores nostros, & Beatæ gloriæ contemptum.

Modo non intelligimus, quid nos in Cœlo adeo felices valeat efficere, sed cum ex hac vita migraverimus, proh quantum a nobis dissimiles erimus? Nosmeptisos ignorabimus. Videbimur nobisinetipsis aliis oculis intueri; neque satis mirari poterimus, quam abjecta, ac humilia sint hæc terrena, quæ perdite amavimus. Una tantum lucis hujus scintilla, quæ super nos se extendet, nostrosque spiritus illustrabit, hos in admirationis extasim rapiet. Tunc primum de erroribus nostris stupor incedet, neque credere poterimus pro adeo paucis annis vitæ adeo miseræ, nos a Cœli via recessisse, cæcorum instar, qui nec ea, quæ illos præcedunt, nec ea, quæ pone sequuntur videre possunt. Vident; ut ita dicam, id solum quod palpari potest: ita qui in hac vita sunt beati, futura non cogitant; quia præsentibus inhærentes excæcantur. *Æternitas Consultrix.*

Effectus divinæ visionis in beatis. 1. Joann. 4.

S. Joannes asserit, claram Dei Visionem faciendam esse in adeo perfectæ cognitionis gradu, ut nos Deo similes sit reddditura: *Cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est.* Hoc verbum est, quo nullum sublimius est in Scripturis ad Beatorum gloriam significandam, atque præbendum conceptum aliquem visionis beatificæ. Tandem enim, ex quo Deum videro, ex quo Essentiæ ejusdem Majestas, totaque simul Divinitatis ejus magnitudo oculis meis affulserit, illi similis fiam; quod quidem inenarrabili modo continget. Docet S. Augustinus non sine quadam destructionis specie, quidquid in homine mortale est, ad adspectum Dei consumptum iri, & quidquid vacuum est, de Deo iri repletum. Sanctus Dionysius capite septimo de Hierarchia, dicit quadam emanatione Divinitatis in animam Beatorum mutationem esse faciendam, qua homo Deo similis fiet; quia transformabitur in illum. Ita anima de Deo penetrata Dei recipiet imaginem, ac similitudinem juxta ea quæ dixit Sanctus Petrus; futurum videlicet, ut quodammodo fiamus divinæ naturæ participes. Hoc ipsum præterpropter docet Sanctus Bonaventura, sed aliis verbis, cum raptus in admirationem tanti hujus effectus visionis Dei, exclamat: Quænam est, Amor, potestas tua, ut hominem, qui nonnisi lutum est, convertas in

in Deum. *Pater Rapin in via Prædestinatorum.*

Palam videbitur veritas in Cœlo & nulla ibi erit dubitatio, vel incertitudo.

In Verbo videbitur veritas prorsus nuda, & sine integumentis, quæ non sinunt, ut hic nudatam, puramque illam intueamur. Tunc in cœlo nihil remanebit dubitationis, nihil incertitudinis, nihil umbrarum, nihil tenebrarum, nihil caliginis. Omnia manifestabuntur ad fulgorem divinæ lucis hujus, omnia aperientur; & quæ maxime sublimes Cœlorum spiritus hodie penetrare non possunt, per verbi manifestationem patebit simplicissimis Beatorum animabus, quæ in terra fuerunt indoctissimæ. Per Verbi hujus lumen homo, qui seipsum ignorat, & qui in cogitatione minimorum Ecclesiæ operum evanescit, vim habebit, ut citra quamlibet perturbationem videat totam magnitudinem atque majestatem Dei, coram qua Cœli potestates præ terrore usque in abyssus se humiliant, tegentes faciem suam, reverentiæ suæ profunditate. *Idem.*

Beatus in Cœlo videbit omnia in Verbo Dei.

In Verbo Prædestinatus videbit, tamquam in admirabili speculo, magnum mundi spectaculum sese in singulorum negotiorum fusa explicatione manifestare. Ibi assequetur vias æternorum Consiliorum Dei in tuenda sua gloria. Verbum enim est liber ille, qui olim clausus fuit, inquit Daniel Propheta, & qui tunc Electis omnibus aperietur, ut detegatur illis mysterium fidei vitæ futuræ, cujus cognitio est unus ex fructibus adventus JESU CHRISTI, qui ideo venit in Mundum, ut ipse ait, ut veritatem doceret, ac illi coram universa terra perhiberet testimonium. Quænam secreta, quænam Mysteria tunc a nobis discentur? quandoquidem videbimus in Filio, quidquid in eo Pater videt, cum Filius hic essentialiter ad omnia hæc repræsentanda sit destinatus? Nos ibi uno, eodemque obtutu detegemus præsens, præteritum, & futurum; & luminis hujus favore ambulabimus immensas æternitatis vias, quin erremus, ac in incertum abeamus. *P. Rapin ibidem.*

Impetus amoris Dei, quos Beati in cœlo experientur.

Quinam erunt amoris Beatorum impetus in Cœlo? Quænam ipsorum erunt delitiæ? quoniam Deus omnibus perfectionibus suis ornatus, eorum voluptatis objectum erit, & modus, quo amabitur, esse debet prorsus divinus? Quæ voluptas aliquid adeo perfectum diligere, & adeo perfecte diligere, videlicet per id, quod suavissimum, atque ardentissimum est in motibus ineffabilibus unctionis spiritus Sancti! O soavitas! o delitiæ amoris Beatorum quam incomprehensibiles estis! tunc prædestinatus tradens cor suum lætitiæ per se in extasim, & admirationem rapietur; & omnis æternitas traducetur in adeo jucundis raptibus, quin quidquam timeatur, quod illos auferre, aut suspendere valeat. *Idem.*

Cœlum exhibetur sub regni specie, & possessio regni hujus tam quam suprema dominatio.

Cum Dei Filius præcipit Apostolis suis, ut mundo Evangelium annuntient, præcipit illis, ut regnum annuntient, cumque ab illis secedit rediturus in Cœlum, edicit, se abire ad regnum illis præparandum. Nihil denique in Novo Testamento sæpius repetitum est, quam regni promissio, ubi agitur de mercede, quam electis suis præparat Deus. Non solum, quia cœleste hoc, quod illis promittitur, regnum, erit dominatio suprema, cui comparata alia quævis dominatio servitus est; quia regnum hoc efficiet prædestinatum sui, suorumque desideriorum Dominum, & illum Domino subjiciens eum super omnia elevabit; non solum quia nihil unquam voluntatibus ejus obsistet, & possidebit ille imperium super cor suum, super mentem, omnesque sensus suos, quin aliquid accidere valeat, quod illius tranquillitatem possit perturbare; imperium millies potentius, & gloriosius, quam omnes terræ principatus: quia reipsa nos omnes erimus tot Reges in Cœlo, quemadmodum S. Petrus, & S. Joannes testantur, imo ipsis Regibus terræ potentiores, quia omnia nostris cedent votis, quia potestatis Dei participes erimus, quia in omnes potentias illius ingrediemur, ut inquit Propheta, & quia nullus erit Prædestinatus, qui per beatitudinis suæ caracterem non mereatur super ipsum Filii Dei thronum ascendere, cum illo regnare, fieri, ut ita dicam, socios gloriæ suæ, quemadmodum cuidam ex discipulis suis pollicetur Apostolus cum inquit: cum illo *si sustinebimus, & conregnabimus. P. Rapin ibidem.* 2. Ad Timoth. 2.

Quæ beatitudo est possidere Deum.

Possidere Deum est omnia simul collecta bona possidere: ille omnia complectitur, eaque omnia cum Beatis distribuet, quemadmodum loquitur S. Paulus. Ille erit omnia, & omnibus omnia. Hoc ulterius etiam procedet, quia ejus lætitia, voluptas, beatitudo erit lætitia, voluptas, beatitudo prædestinati, cui dicet, *intra in gaudium domini tui*. Non vocabit Deus beatos in partem beatitudinis Angelorum, ac Potestatum Cœlestium, sed propriæ. Illi beati erunt, ut Deus, quia beati erunt ipsa Dei beatitudine. Denique Deus ipse cum tota magnificentiæ suæ magnitudine, cumque perfectionibus suis erit cumulus perfruitionis prædestinati, ejusque merces, quemadmodum ille significavit Abrahæ dicens illi: Ego ero merces tua magna nimis. Ita Deus semet dabit fidelibus suis in fidelitatis eorum pretium, ac se illis tradens, dabit illis omnes thesauros suos, & omnia, quæ possidet. Quia in minimo fidelis fuisti, ait ille famulo, qui ex credito sibi talento quæstum fecerat, supra multa te constituam, omniumque bonorum meorum dominum faciam. Nonne hoc est Regem esse cum JESU CHRISTO, & cum illo regnare? sedere in solio ejus, frui ejus potestate, participem fieri gloriæ ipsius, non aliud habere gaudium quam in illo, thesauros ejus possidere, omnibusque bonis illius potiri? En qua in re consistat hoc regnum, quod nobis fides promittit, & quinam sit regni hujus effectus. *Idem.*

Perfectiones corporum gloriosorum in cœlo.

Post resurrectionem quidquid materiæ in corpore humano erit, quin aggravet spiritum, quod nunc præstat, corpus hoc admirabili cum felicitate sanctissimos animæ motus sequetur. Cum enim in naturali statu prægrave sit, solidumque per agilitatis donum, quod unum erit gloriosæ hujus resurrectionis attributum, fiet modo suo spiritale. Neque ideo illud naturam mutaturum esse credendum est, vel in spiritum transformatum iri, ut Sanctus Paulinus ait; sed quia sese propria virtute attollens, quemadmodum resuscitati Domini corpus sese extulit, cum in Cœlum ascendit, percurret varias firmamenti plagas æque celeriter, ac facile ac merus spiritus, in hoc per suam pernicitatem comparandus aquilæ per aera volanti: eaque celeritas tanta erit, ut quodammodo spiritus celeritatem exæquabit, juxta S. Bernardi sententiam. Ut paucis complectamur quidquid pertinet ad perfectiones corporum gloriosorum in cœlis, dicendum est, omnes perfectiones corporeas; quibus donatus fuit homo in creatione sua cum omnibus numeris absolutissimum prodiit ex manibus Creatoris, in resurrectione novum perfectionis gradum percepturas, quemadmodum docet S. Prosper: Nam Dei Filius, ut Apostolus loquitur, transformabit corpus nostrum, licet vile, & abjectum, ut hoc fiat conforme glorioso corpori illius, per hanc virtutem, per quam illum rerum omnium Dominum facit. Præclaræ autem istæ corporis prædestinatorum dotes proderunt ad illud efficiendum aptius, atque accommodatius ad melius gustanda omnia privilegia ejus gloriæ, quibus cumulabitur, ut illis perfruatur puritate, ac perfectione sensuum longe nobiliori præ illa, qua fuerat a natura donatus: ad efficiendum denique corpus, quod nullas agnoscet necessitates, non obnoxium ultra humanis infirmitatibus, ex quo gloriæ donis fuit decoratum. *P. Rapin in vita Prædestinatorum.*

Decor, & magnificentia hujus domus gloriæ, & cœlestis hujus mansionis.

Ut nobismet pulchritudinem, & magnificentiam Cœli repræsentemus, ne in cœlestium harum ædium descriptione proponamus nobis inania hæc ornamenta, quibus luxus, & hominum vanitas summorum virorum domos instruunt; ne fingamus nobis confusum divitiarum mundi hujus acervum, quibus illorum deco-

decorantur conclavia locupletata iis omnibus, quæ superbia, ac sumptuum effusio pretiosissima possunt excogitare; hæc omnia terrena sunt, corruptibilia, & parum digna magnitudine Dei. Conceptus sublimiores, quos nobis adstruunt Patres de hujus Palatii pulchritudine nihil non abjectum, & obscurum habent, ubi conferantur cum eo, quod esse debet; videlicet absolutissimum opus divinæ potentiæ, ubi ostentare debet Deus, quidquid in thesauris suis locupletissimum invenitur. Hæc erit opus architectonicum alterius ordinis ab illo, qui ab hominibus excogitatus est; ædificium omni cogitatione magnificentius, ædes quas Deus, qui omnia visibilis hujus mundi opera, & magnum hoc objectum, quod per tot sæcula nostram occupat admirationem, & quod ex S. Augustini sententia uno tantum momento perfectum est, ab ipsis Mundi primordiis præparat Electis suis. Denique erit hæc species quædam manifestationis gloriæ Creatoris magnificum opus hoc Omnipotentiæ, quæ nondum se, ut decet, prodidit nisi per exiles radios, imperfectasque emanationes potestatis suæ, quæ tunc in tota plenitudine sua coruscabit, & omnia pulchritudini admirabilis hujus mansionis respondebunt. *Idem*.

Nulla re magis afficientur Beati, quã cognitione sibi a Deo trãdita modi, quo peracta fuit ipsorum prædestinatio.

Nulla re Beatorum cor magis afficietur, attentiusque præbebitur considerationi divinæ in se largitatis, quam cognitione ab ipso in Cœlis quæsita mysterii incomprehensibilis, prædestinationis, quæ singillatim per omnes circumstantias illi manifestabitur. Quænam illi erit consolationis caussa, ubi intuebitur opus admirabile salutis suæ inceptum, absolutumque tanta divinæ Sapientiæ suavitate, ac vi; cui nihil restitit, & de qua nonnisi cum stupore Salomon verba facit! quippe per secreta divinæ providentiæ consilia hic misericordiarum Pater certissime adducit Electos suos ad eum gratiæ, gloriæque apicem, quem illis destinat, quin vim faciat ipsorum libertati. Verum etiam quoddam admirationis, ac stuporis argumentum prædestinato videre in æternis suæ salutis ordinibus, & in admirabili nexu gratiarum, quibus usus est Deus, ut illum ad se traheret; videre, inquam, sua etiam errata, & crimina in sanctificationis suæ opera adhibita! cum vero intelliget, supremam hanc Dei sapientiam ex erroribus suis elicuisse media, per quæ in virtutis viam reverteretur; per procellas se in portum adductum fuisse, & per ipsum peccati vulnus fuisse curatum? Quænam beati gaudia omnem singillatim intueri ordinem supremum æternorum consiliorum, ut ibi deprehendat suæ prædestinationis opus, & detegat in propria miseria suæ felicitatis originem! Quæ voluptas! quænam admirationis caussa secundum Domini sui consilia se per proprias imperfectiones, & ærumnas elevatum videre? Imperfectiones optabiles, ac salutares homini, quibus usus est Deus ad ponendum ejus beatitudinis fundamentum, quam destinat illi. *P. Rapin in vita Prædestinatorum*.

Detegetur in cœlo veritas rerum omnium, quod summam pariet beatorum lætitiam.

In Cœlo tantum sperare possumus nos inventuros veritatem, ejusque inventæ voluptate perfruituros. Prædestinatus incipiet infinitam gustare voluptatem perfruitione locupletissimi thesauri, quem nancifcetur in jugi contemplatione supremæ veritatis. Nullæ erunt ibi nubes in iis, quæ accident, cumque per beatam mortem ex misera vita hac egredietur, dies æternitatis, dies ille, quem nulla nox subsequetur, illi taliter affulgebit, ut tenebræ, & umbræ, quas in terris passus est, omnino finem sint habituræ; ut nihilum divitiarum terræ evanescat, & vacuum voluptatum fluxæ hujus vitæ repleatur iis omnibus, quæ realia, & solida sunt inter voluptates æternas. Nullæ erunt amplius imagines, nullæ figuræ, nulla dubietas, nulla incertitudo, nulla obscuritas, tenebræ nullæ. Omnia denique pandentur; nihilque non verum, & non reale erit in vita, quæ ducetur in Cœlo, ubi omes terreni spiritus humani imaginationes omnesque inanes rationis ideæ finem invenient. In sola veritate omnes immorabuntur, ut eam contemplentur, adorent, sese illi subjiciant, ac in ea omnem suam constituant felicitatem. Omnia mendacia, quæ in hac vita grassantur, & quæ mentes nostras impediunt, dissipabuntur, & ipsi videbimus rerum omnium veritatem in ipsa origine. Iterum tu Salvator mi, qui attulisti semel in terram pretiosum hoc veritatis donum, quæ ignorabatur, antequam in Mundum venires; iterum, inquam, illam nobis gustandam in omni plenitudine ipsius in Cœlo præbebis; ibi iterum nobis lux eris, ut inquit Propheta, in vita illa omnibus deliciis affluenti. Qua in re non minima beati consistit felicitas, mens quippe illius fatigata laboribus, quos pertulit in fallacibus objectis, quibus vita hæc septa est, in veris conquiescet. Ideo David dicebat, numquam se voti sui compotem futurum nisi omnino palam detexerit æternam hanc voluntatem in puritate gloriæ suæ, sine vitæ hujus umbris, ac tenebris. *Idem*.

Quantum augebitur prædestinatorum gloria omnium horum bonorum æterna perfruitione.

Hæc honorum omnium congeries, quibus Cœlum magno gloriæ die replebitur, nullum est finem habitura; hæc pax, hæc requies, hæ voluptates, hæc innocentiæ vita cum omnibus deliciis conjuncta, hi honores, hæc perfecta cognitio magnalium Dei, & majestatis regni ipsius, hæ delitiæ, quæ nihil optandum relinquent prædestinato ad cordis, mentisque illius omnimodam satietatem; hæc omnia ex ingenti æternitatis thesauro aliquid hauriunt adeo reale, solidumque ut non solum majori cum pace gustentur hæc omnia per impressionem immutabilis caracteris status sui; sed nonnisi per illam tranquille contenti simus hujus beatitudinis, cujus perfruitio est immutabilis. Quænam lætitiæ causa videre seipsum proximum fonti gratiarum omnium inter omnes voluptates, & in cumulo omnigenarum delitiarum, citra metum eas amittendi? hoc autem non oritur, nisi ex hac certitudine, quæ habetur, perfectæ beatitudinis, & ex ea pace, quam beatæ æternitatis certitudo permittit. *P. Rapin in Prædestinatorum vita*.

Tanta est beatorum in cœlo felicitas, ut nullus humanus spiritus eã comprehendere valeat.

Parum esset, si spiritus, qui exiguis finibus continentur, cujusmodi nostri sunt, prædestinatorum felicitatem assequi possent; hæc tanta est, ut cum omnibus luminibus nostris, cum omni fidei subsidio, spiritus noster nihil de illius magnitudine comprehendat. Cum hoc sit perfectissimum operum tuorum, Domine, par est etiam, ut difficillimum sit quod comprehendatur, nobisque in beata illa gloria expectandum est aliquid toto cœlo majus, quam quidquid de illo cogitamus, atque spectamus. Neque enim esse potest nisi aliquod incomprehensibile; erit enim extremus conatus virtutis dexteræ omnipotentis, qualis Dei est, ut tota fulgeat magnificentia in die triumphorum Filii sui: cum ille hauriet de plenitudine fontis infiniti supremæ sapientiæ, & omnipotentiæ suæ thesauros gloriæ, quam illi præparat. Quid si qui ab ortu cæcus est nequit in tenebris agnoscere, quod sit lumen, aliaque terræ ornamenta, quorum nullum habet conceptum; credimus ne mortalem comprehendere posse pulchritudines Cœli perfectissimas, & exquisitissimas, quarum nullam in spiritu habet imaginem? Quidquid olim Philosophi de hac felicitate commentati fuerunt, secuti conceptum suorum magnitudinem nil habet, quod sit cum ipsa hac beatitudine comparandum. *Idem*.

Dei Filius partietur regnum gloriam, & beatitudinem suam cum beatis in Cœlo. *Luc.* 22.

Dei Filius quatenus prædestinatorum caput, dignabitur cum illis regnum suum partiri, quod ipse Discipulis suis pollicetur his Evangelii verbis: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum*: ita ut merces laborum ipsorum futura sit merces pœnarum admirabilis hujus Salvatoris. In gloriæ ipsius, ut ita dicam, societatem ingredientur, honorum omnium illius participes fient, inæstimabile pretium sanguinis ipsius pretium erit beatitudinis illorum, & beatitudinis eorum mensura eadem erit ac illa meritorum CHRISTI JESU. Hic est cumulus eorum, quæ dici possunt de hac felicitate, quam fides promittit fidelibus, ultra quam nihil est, quod fingi, vel concipi possit. Ipse Mundi Salvator hoc nobis recepit, cum servo, qui sibi fidelem in modico præstiterat servitutem, dixit, intra in gaudium Domini tui. *Idem*.

Matth. 25.

Alia descriptio jugis beatorum occupationis in Cœlo in omnem æternitatem duraturæ.

Beati de Deo pleni de uno illo cogitabunt, unum illum admirabuntur, & adorabunt. Ille omnia omnium vota occupabit, omnes cogitationes, colloquia omnia, omnes animadversiones. In Cœlo de Deo tantum verba fient, de admirabili Providentiæ ejusdem ratione, de incomprehensibilibus consiliis ejus, de impenetrabili eorum profunditate; ubi quid in sapientia illius divinissimum est semper cum suprema illius bonitate conjunctum fulgebit. Nullus habebitur sermo nisi de Magnitudine Regni illius, de perfectionum ejus præstantia, de misericordiarum cursu, de attributorum pretio, de omnibus hisce objectis, quæ respiciunt majestatem gloriæ ipsius, & infinitæ magnificentiæ regni ejus, ut Propheta testatur: *Generatio, & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronuntiabunt. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt: & virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & justitia tua exultabunt.* Hæc pars erit occupationis prædestinatorum, cujus descriptio ita omnes excedit sermones, ut illi ipsi neque explicare poterunt, neque intelligere. Et licet suprema perfectio laudes ipsas superet; illæ tamen, quibus beati Deum prosequentur, adeo teneris benevolentiæ, gratique animi sensibus redundabunt, ut Deo semper futuræ sint perjucundæ, *P. Rapin in Prædestinatorum vita.*

Ps. 144.

Quo gaudio afficientur beati cum palam videbunt omnes divinæ Providentiæ thesauros omnesque veritates nostræ Religionis.

Quibus deliciis non perfruetur beatus in Cœlo, cum detegere incipiet magnas sanctæ Religionis nostræ veritates, quas numquam satis bene fortasse cognovit, & investigare mysteria præcellentissima, quibus illa redundat? Quonam lætitiæ sensu non admirabitur æternam hanc veritatem, illam in ipso fonte colens, ac semet erudiens per singula de suprema hac sapientia cujus secretissimas artes palam intuebitur, postquam tandiu sub mystico providentiæ velamento latuerunt? Quænam illius erit voluptas agnoscentis errores, quos in terra dominari viderat, cupiditatem solam, vel sortem mundo huic dominari? Quinam denique detegendi erunt illi thesauri in hoc inexhausto fonte omnium luminum, cum scrutabitur præaltas abyssus judiciorum Dei de hominum fatis? Undenam istud procedit admirabile discrimen, quod in eorum ortu deprehenditur; alius enim oritur Princeps, alius subditus, alius magno præditus ingenio, alius hoc destitutus; ille sanus, & robustus, hic gracilis, & infirmus; quod Salomon licet adeo perspicax, ac tot de sursum luminibus illustratus, intelligere non potuit. *Idem.*

Desiderium Cœli quod est cœlestis Jerusalem.

Cœlestis aula quam pulchra es! quam dilecta Domini tabernacula! Quam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Me gaudium rapit; ecce sto anhelans ad te cœlestis Jerusalem, præstolatus beatum illud temporis momentum, quo ea, quæ mihi promissa fuerunt, adimpleantur. *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.* Jam illuc ascenderunt Tribus Domini, amici ejus, testes irreprehensibiles, qui certum me faciunt de fidelitate promissionum illius, jam adierunt hujus regni possessionem, mihique dicunt me quoque cum illis ingressurum ad gloriam sancti nominis sui in æternum celebrandam. *P. Segneri in Meditationibus suis.*

Ps. 121.

Quam modico in pretio plerique fidelium habeant cœlum.

Plerique fidelium adeo parvo in discrimine Regnum cœlorum intuentur, ut de illo ne cogitare quidem videantur. Hæc benedictionum regio, unde lacrymæ doloresque æternum exulant; cœlestis hæc civitas adeo desiderabilis ob solam pacis, quæ nullum finem est habitura, promissionem; hoc Palatium, cujus sola imago superat quidquid humana mens sibi fingere potest locupletissimum, ac magnificentissimum, felix ille dies, quem nulla nos subsequetur; hæc gloria, cujus fulgor nulla umquam nube obtenebrabitur, denique gloriosum hoc JESU CHRISTI regnum, ubi obstentabit Deus omnem suæ magnitudinis magnificentiam, & ubi divinitas ejus sine ullo integumento renidebit; hæc, inquam, omnia non majorem in hominum corde vim habent, quam si fabulosa essent, & commentitia, vel quam si hic gloriæ cumulus, qui illi proponitur, nomen esset inane. Videtur in anima christianorum regnare spiritum soporis pro rebus æternis, & regno Dei, similis profundæ illi ignorantiæ, quæ excæcabat filios Israel & prohibebat, ne viderent mirabilia, quæ pro illis operabatur Deus, dum in Egypto morabantur, quemadmodum illis exprobrabat Propheta. Vis illa, qua visibilia, ac sensibilia appetimus bona, efficit, ut spiritualium, visibiliumque sensum amittamus, quasi spei adeo certæ nobis fundamentum non esset verbum veritatis æternæ, cum Deus nequeat non esse fidelis in cœlo iis, qui eidem fideles fuerint in terra. *P. Rapin in vita Prædestinatorum.*

Nihil perturbare potest Christianũ qui meditatus est, & gustavit veritates æternas, & alterius vitæ felicitatem.

Cum Christianus ejecto honorum, & voluptatum vitæ hujus errore, delibare incipit veras vitæ alterius delitias, dies noctesque meditatus, ut olim Propheta, futuram felicitatem, cum pascitur magnis his veritatibus, quas illi fides de æternitate proponit, tunc oblitus malorum vitæ hujus mortalis adeo sanctam meditationem in thesaurum suum, & maximæ consolationis suæ argumentum convertit. Passiones, pœnæ, dolores nequeunt amplius cor ejus turbare, quia illud occupat Deus dulcedine promissionum suarum; cumque cœli amore, ac desiderio teneatur, rerum fastidit. Tunc fides, de qua illi persuasum est, ab illo hanc elicit confessionem; quidquid in mundo bonum est, ac divitiarum, non esse Deum, veram esse paupertatem, quemadmodum S. Augustinus dicebat profundo veritatum æternarum sensu percitus. *Omnis copia, quæ Deus non est, mihi egestas est.*

Confess. l. 3. c. 82.

Bonorum æternorum cogitatio quantum veri Christiani cor, animumque confortet.

Nihil majorem hanc effectum in hominis Christiani cor ad illud in ea procella confirmandum, cui miseræ vitæ suæ status illum objicit, quam cogitatio æternitatis. Nulla in spiritu ejus assurgit turba, quæ vel unico sanctæ hujus spei radio non dissipetur; omnia fiunt illi tranquilla, ubi oculos attollit in Cœlum: Nulla est querimonia, quam cogitatio ista non juguiet; nulla sollicitudo, quam non mulceat, nulla impatientia, quam non superet, nullus dolor, quem non leniat, nullæ lacrymæ, quas non detergat, nullum murmur, cui silentium non inducat; quicumque casus accidere possit homini in vitæ hujus tribulationibus. Nihil amarum est, quod in æternorum bonorum expectatione dulcescat; & expectatio hæc est malorum omnium medicina; cujus rei testem habemus Sanctam illius Martyris matrem, de qua Ecclesiastica loquitur historia, quæ ut dilectissimum filium inter cruciatus confortaret, indesinenter dicebat illi: *Nate, memento vitæ æternæ, Cœlum suspice, regnantem intuere. P. Rapin in vita Prædestinatorum.*

S. Joannis descriptio Cœlestis Jerusalem.

Conatus, quos exerit S. Joannes in Apocalypsi sua, ut nobis gloriam Beatorum exhibeat, licet animati sint spiritu Dei, quo plenus est, infirmæ sunt veritatis hujus imagines. Quod ait, se ab Angelo translatum fuisse in montem excelsum ut videret omnem cœlestis hujus Jerusalem pulchritudinem; soliditas fundamentorum ejus, quæ prædicat, portarum illius magnitudo; murorum firmitas, ambitus latitudo; aurum, lapidesque pretiosi, quibus ædificata est; fulgor, quo circum est septa, & qui tantus est, ut non sit illi opus Sole quo illustretur; gloria Dei, quæ illius lumen futurus est, & Agnus: qui illi erit pro lucerna; denique objecta omnia adeo magnifica, quæ Apostolus adeo fuse nobis describit, imbecillia sunt vestigia magnificentiæ, & decoris ineffabilium pulchritudinum quibus aula hæc ornata erit, quod Prophetæ locum dedit dicendi. *Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei! P. Rapin in vita Prædestinatorum.*

Admirabilis consensus inter Beatos in Cœlo.

Magna profecto esse debet illius consessus Sanctorum in ea gloriosa sede felicitas, admirabilis inter illos consensio, qui illum conflabunt. Omnes immutabili pace fruentur sine ullo discrimine, sine ulla cum quovis dissensione, cujus pax illa, quam Propheta populo Dei pollicebatur, umbra tantum est cum omni affluentia, & divitiis cum quibus illam pollicebatur. Pax hæc omnino cœlestis una erit ex vitæ alterius beatitudinibus; cum pax divini Regni hujus sit, quemadmodum illam definit Sanctus Augustinus, perfe-

perfecta, & uniformis consensio ad Deum tranquille possidendum, & ad semet invicem in Deo possidendos, qui, ut Apostolus inquit, est totus in omnibus, & omnibus omnia. Simul erunt conjuncti, tamquam vivi lapides ejusdem ædificii, ut loquitur Apostolus, qui sese invicem sustinent super idem fundamentum collocati, ad templum simul constituendum, ubi Deus æternum honorificetur. Singulorum anima ita patebit singulis, ut nulla videatur sensuum, votorum, consiliorum, atque intentionum varietas, sine ulla suspicione, sine invidia; omnes enim animati erunt eodem spiritu, quandoquidem omnes amore Dei erunt repleti: Quæ autem erit beatorum omnium consolatio, habere simul omnes eadem desideria, mentem eamdem, eosdemque sensus! & si primorum fidelium vita adeo suavis erat, quia omnibus unum cor erat, & anima una, quemadmodum S. Lucas testatur, quanto suavior erit vita prædestinatorum, qui omnes eodem spiritu erunt animati! Heu! Si mihi non deessent locutiones satis patheticæ, & energeticæ, ut vobis describerem jucunditatem harum amicitiarum castarum, atque spiritualium, quæ locum habebunt in Cœlo, ubi spiritu dumtaxat amabitur, & ad explicandas affectiones illas sanctissimas, quibus Beati sese invicem complectentur. *Idem*.

Comparatio suavitatis, quæ in hujus vitæ invenitur amicitia cum amicitia beatorum.

Si amicitia sincera, honesta, fidelis, innocens semper totam constituit vitæ hujus suavitatem; quem fructum beati percipient ex illis amicitiis spiritalibus, quæ habentur in Cœlo cum his omnibus circumstantiis conjunctæ? & si amicus tutus, & fidelis efficere potest alium hominem felicem, quænam erit æternæ vitæ beatitudo, ubi Beati omnes erunt veri amici! Beati subditi imperio adeo placato, ac tranquillo, ubi omnes æterna pace fruentur. Quæ autem prædestinato erit gloria versari inter hæc honoris vasa, quæ manu sua effinget Deus futura ornamento ædibus illis admirabilibus, ubi æternam mansionem habebit? Namque ex S. Augustini sententia quilibet prædestinatus capiet, sentietque omnem lætitiam alterius prædestinati, atque tot habebit hujus gaudii socios, quot suæ habebit beatitudinis. *P. Rapin in vita Prædestinatorum*.

Interior, & immutabilis pax, qua singuli beati perfruentur in Cœlo.

Præter generalem hanc pacem, quæ æternum Beatorum corda conjunget, aderit etiam pax peculiaris singulorum cum seipso, per quam possidebit se ipsum dominans sibi, & omnibus motibus animæ suæ. Hæc erit pax corporis solum, & spiritus, & utriusque facultatum; pax cordis, desideriorum, omnium sensuum; & Pax hæc spiritum inter, & corpus cumulabit sensus universali in rebus omnibus oblectatione. Ita nulla erit ultra perturbatio in voluntate, nulla in appetitu resistentia, nulla sollicitudo in imaginatione, nullus tumultus in intellectu, nullum in exteriori sensu vitium; peccatum enim, quod est omnium malorum nostrorum origo, non erit amplius. Omnia nova erunt in hoc regno gloriæ, & ejus novitatis, quæ pretium ejus perficiet. Sicuti omnia terræ gaudia nullam habent cum gaudio Beatorum rationem, & comparationem, quod omnino perfectum est; eo quod omnia in se complectitur gaudia; asseri potest nullum nisi in Cœlo purum gaudium adesse, ac neminem nonnisi illis fore contentum; ubi invenietur complementum omnis spei, & universalis votorum omnium satietas: gaudium denique in omnibus circumstantiis suis completum per privationem mali cujuslibet, & cujuslibet boni perfruitionem. De hoc ita Dei Filius loquitur ad Discipulos suos, ut gaudium vestrum sit plenum. *P. Rapin in vita Prædestinatorum*.

Suavitas lætitiæ, quæ in Spiritus Sancti operatio effundet in cor beatorum.

Virtus operationis interioris Spiritus Sancti, qui essentialis lætitia est, & consolatio in Beatorum corda omnem secretissimorum favorum illius suavitatem infundet. Hæ nubes, quibus obnoxii sunt pulcherrimi nostri dies in terra, non videbuntur amplius in cœlo, & prædestinatus qui non poterit amplius affici ineptis fluxisque vitæ hujus oblectamentis, purissimas tantum alterius vitæ suavitates gustabit. Valetudo semper constans in illius corpore regnabit per perfectam sensuum integritatem, & pax immutabilis sese in animam ejus effundet. Non erit illi cor nisi ad amandum Deum, non mens nisi ad illum admirandum, non os nisi ad laudes illius æternum celebrandas. Anima ejus luminis puritate, perfecta cognitione, intellectus sublimitate, comprehensionis facilitate illustrabitur, quibus nihil erit simile in hac vita, ubi trahimus corpora omnibus obnoxia miseriis humanæ fragilitatis, & ignorantiæ, quæ vix, & ne vix quidem numero carent. *Idem*.

Quænam erit occupatio Beatorum in Cœlo.

Videamus quænam futura sit æterna Beatorum in Cœlis occupatio. Hæc erit omnem spiritum suum in eo collocare, ut Deum cognoscant, atque intelligant, omnem suam voluptatem, ut illum amore prosequantur, omnemque gloriam, ut illius mandata capessant; erit de uno illo cogitare, ad unum illum contendere, illum benedictionibus cumulare, quæ semper novitate gaudebunt, quia novis semper gratiis cumulabuntur. O sanctum negotium! *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*, inquit Propheta; (*Psalm. 83.*) quia ubi comprehenderint infinitam Dei magnitudinem, supremamque illius potestatem; tanto huic objecto dumtaxat vacabunt. Os eorum, quod æternum clausum erit laudibus hominum, æternum patebit laudibus magni hujus Dei: hoc erit elogium misericordiarum ejus, quod non cessabit unquam hæc gratiarum actio numquam intermittenda. Prædestinati infinitis affecti beneficiis, quæ a Domino receperunt, & illis, quæ incessanter recipiunt, recipientque, grati erga tot largitates, quibus illos Dominus cumulare oblectabitur, in id erunt intenti, ut suum profiteantur grati animi affectum, quocumque modo poterunt, & jugi obsequio, & observantia, quam eidem præstabunt, *Benedictus Deus*, dicent cum Principe Apostolorum, *& Pater Domini nostri JESU CHRISTI, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem JESU CHRISTI ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam & immarcescibilem, conservatam in Cœlis*. *Idem*.

Continuatio ejusdem argumenti.

Postea, quæ a nobis dicta sunt, ne quæramus ultra vocabula apta ad significandam præexcellentiam, ac pretium mercedis illius, quam in Cœlo nos consecuturos speramus; non enim aliæ inveniri possunt imagines, non aliæ figuræ, non verba ad illius magnitudinem significandam. Omnes conceptus, quos nobis fingere possumus, & omnes locutiones, quas imaginatio nostra nobis suppeditare potest, exhaustæ jam sunt per ea, quæ hactenus diximus. Inde enim liquet, nos Deo plenos futuros, spiritu illius cumulandos esse, nobisque cum Filio ejus gloriæ suæ plenitudinem esse partiendam. Ita gaudium nostrum, nostræ voluptates, deliciæ nostræ erunt gaudium, voluptates, deliciæ JESU CHRISTI: singuli prædestinati habebunt felicitatem parem desiderio suo, quod non poterunt cupere aliquid ultra ea, quæ possidebunt, possidere debentes quidquid Dei Filius a Patre suo meritus est: quæ omnia fient in silentio spiritus, ubi cumulus beatitudinis illorum apparebit in tota plenitudine gaudii, & tranquillitatis eorum. Quod tunc accidet, cum Deus illos cumulans gloria sua eosdem fecerit similes sibi, ut pares fient suscipiendis divinis communicationibus, omnibusque cœlestibus operationibus. *Id*.

Hoc regnum hæc gloria hæc æterna felicitas non dantur gratis. Quid faciendum ad illam acquirendam.

Æquumne esset, Regnum illi simile, quod hactenus vobis exhibui, æternitatem, cujus pretium satis æstimari non potest, gloriam adeo completam, mercedem denique pretii infiniti, gratis donari? Nam minus est nihilo id, quod plerique fideles faciunt, ut illam promereantur. Et revera ad idquid fit? traducitur vita in iis comparandis, quæ brevi sunt duratura, & nullo in discrimine habetur bonum solidum, ac permansurum, cujus finis nullus futurus est. Momentanea voluptas, levis, & fluxa utilitas efficit, ut nihil inausum, ac intentatum relinquamus eadem perfruituri, hæc autem voluptas, æternumque

quæ negotium hoc, quod nobis proponit fides, nos ne afficit quidem. Tamquam fascinati amantes terrenorum bonorum vanitatem consectamur; & hæc Cœlestium bonorum plenitudo, quæ adeo solida est, nullam fere in cordibus nostris efficit impressionem. Umbram pro corpore amplectimur, & relinquimus veritatem, ut mendacio occupemur. Nonnisi carnalibus oculis, & anima prorsus terrestri respicimus Cœlum, nimis facile nosmet tradentes sensuum nostrorum erroribus, ut aliquas illius imagines nobis proponamus. Ubi ratio est, ubi judicium, inquit Propheta, in perversitate discretionis, & in perturbatione mentis adeo deplorabili? Hoc non est illud, quod fidei prudentia nobis suadet, cum ait, præferendum esse quod æternum est, perituris; quodcumque fulgore niteat id, quod est finem habiturum. *P. Rapin in vita Prædestinatorum.*

Sequitur idem argumentũ. Quid faciendum sit ad supremum hoc bonũ acquirendum.

Meminerimus nihil magis sanctificare Christianum, moresque illius emundare, quam supremi boni meditationem, jugemque rerum æternarum cogitationem, quibus mentem plenam habere non potest quin fastidiat, atque aspernetur res fluxas, ac fragiles; sed, quod præcipuum est, non anhelamus ad gloriosam hanc alterius vitæ requiem, nisi postquam nosmet in vitæ hujus laboribus exercuerimus; etenim nonnisi pacate ferentes vitæ hujus mortalis tenebras in immortalitatis lumen ingredimur; nonnisi per prælia victoriam acquirimus, & per crucem ad salutem æternam pervenimus. Dei Filius toto vitæ suæ spatio crucem tulit suam; per crucem nos illum sequi jubet, & hoc tantum pretio virtutem nobis comparandam proposuit. Cum de Cruce, & de Sepulchro egressus est, visus est gloriosus Apostolis suis, ut intelligerent, per hoc dumtaxat illos promereri posse mercedem, neque aliam supeesse viam, qua ad eum ascendere possint. Ille calicem bibit, ut ipsi ejus exemplo illum bibere perciperemus; & quomodo illum non bibamus, postquam ab hoc divino Magistro didicimus, nos animam odisse debere, ut illam salvemus? Nonnisi profecto per tribulationes victoriæ hujus pretium refertur, ad quod nobis contendendum est; & quis auderet alia via ad gloriam pervenire, quam per eam per quam Dei Filius illuc profectus est? Faciamus pro corona immarcescibili, quod olim faciebant Ethnici, de quibus Apostolus loquitur pro laurea, quæ in eorum capite arescebat, postquam illam promeriti fuerant. Christiani Magnanimitas longius procedit, atque ad majora fertur. Terræ contemptus, ubi Cœlum intuetur, elevat cor illius eumque invictum præbet iis omnibus, quæ in sæculo magna sunt, & delectabilia. Hæc est, Apostolus inquit, victoria fidei, quæ sola de mundo, deque deliciis ejus triumphat, ostendens Christiano tamquam præterita, quæ prætereunt, & tamquam præsentia ea, quæ futura sunt, abjectum, atque contemptu dignum exhibens, quod temporale est, instituta cum eo, quod æternum est comparatione. Hic fuit Ecclesiæ spiritus in ipsis illius incunabulis; hi sensus erant illius; & tunc solum incœpit virtutibus decrescere, cum cœpit crescere in amore terrenarum divitiarum, cœlestium oblita. *Pater Rapin in vita Prædestinatorum.*

Cogitatio bonorum Cœlestiũ creat fastidium terrenorum in corde generoso.

Ad quem perfectionis cumulum non elevatur hæc fidelium magnanimitas, cum abjecto inanium rerum errore, fallaciumque deliciarum pertæsi veras dumtaxat inquirunt; & occupati supremi boni cogitatione, quod interdiu, noctuque meditantur, & quod jugiter ob oculis sibi propositum habent, ut sese excitent ad fidelitatis suæ perseverantiam, animos inducere nequeunt ad amandam vitam huic similem, ubi ne ullum quidem momentum est, quo frui possimus cum aliqua specie tranquillitatis! Ideo exilibus radiis omnium humanarum felicitatum in corde illorum evanescentibus, nulla fovent amplius desideria nisi pro æterna illa pace, quæ efficiet, ut Deo perfruantur omnibus sæculis, quin metuant, ne de beata illa perfruitione deturbentur: postquam per fidem didicere vitæ hujus bona esse mala, & mala esse bona amantibus Deum in æternitatem. *Idem.*

Nobis suspirandum est ad æternam felicitatem nobis destinatam.

Flectamur ad intuitum cœlestis hujus patriæ, quam nostra nobis promittit religio: gemamus, suspiremus, lugeamus propter nimiam illius felicitatis, quam speramus, moram; & sæpe cum Sancto Propheta dicamus: *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi donec retribuas mihi;* justi me præstolantur, ut in eorum societatem ingrediar, cum mihi retribues mercedem illius beatitudinis, ad quam illi pervenerunt. Sed illam etiam optemus pro gloria Dei æque ac pro nostra salute, ut pares simus, qui illum glorificemus per cordium nostrorum puritatem omnino liberati a servitute peccati, & a pondere corruptionis illius, sub quo ploramus. Hic vere est prædestinati caracter, lacrymis, suspiriis, ejulatibus, & gemituum profunditate significare summam impatientiam, qua festinant ad Deum, ut illum possideant, ne illius gloria perfruantur in suprema beatæ æternitatis requie. *P. Rapin in vita prædestinatorum.* Psal. 141.

De creaturarum desiderio, quæ perperam mallent, æternum in terris, quam in Cœlo habitare.

Hoc sane mirum est; homines Christiani mallent æternum vivere in terra, quam in Cœlo æterna beatitudine perfrui; sed modicum hoc vitæ, quam habemus in terris, licet breve, molestum, fragile, fluxumque sit, illud æternæ felicitati vitæ futuræ præferimus. Duo nugarum dies efficiunt, ut oblivioni demus hunc infinitorum bonorum cumulum; licet insipidę sint voluptates ineffabilium earum delitiarum gustum nobis præripiunt; possessioni Dei minimum creatum objectum præfertur. JESUS CHRISTUS ascendit nobis in Cœlo sedem paraturus; num solliciti sumus, num festinamus illam occupaturi? Numquid Cœlestem hanc Jerusalem ardenti desiderio prosequimur? Abjectam sane habeat, opus est, animam; dicam melius languentem habeat, opus est fidem, qui tantopere exili hujus loco delectatur. *Pater Croiset in Exercitationibus Asceticis Tomo 4.*

Perquam Sanctos in honore habemus, nisi eorum sequimur exempla.

Nil est, quod eorum felicitatem in Cœlo perturbet, Felicitatem, quam possident, admiramur, ut etiam atque etiam illius desiderium excitemus in nobis. Laudamus, & prædicamus quod illi fecerunt, & passi sunt ut ad eam pervenirent, ut nobismet animos faciamus ad eos imitandos, & ad ingrediendas vias, quas nobis stravere. Qui enim, Sanctus Chrysostomus inquit, cum religiosa charitate Sanctorum merita veneratur, frequentibusque laudibus justorum gloriam concelebrat, illorum justitiam, morumque Sanctitatem debet imitari. Hæc laus illis accepta est, utilis nobis. Præsto sunt, ut in illa nobis suffragentur, & acta suffragantur, orantes, ac intercedentes pro nobis apud illum, quem nunc facie ad faciem intuentur. Hoc & Angeli faciunt per Ministerium, quod Dei jussu pro nobis exercent. Illi nihil cupiunt nisi nos tandem suæ beatitudinis consortes, & socios habere. *Tourneux in anno Christiano Tomo 2.*

Infinitum fere discrimen inter mundanorum gloriam, & electorum. In quo situm sit.

Quodnam discrimen inter humanam gloriam, & eam, qua Sancti in omnem æternitatem perfruentur, quæ eo pretiosior, solidiorque est, quo humana magis est inanis, & contemptibilis; quoniam utrique insunt qualitates omnino contrariæ. Electorum beatitudo conjunctum habebit spirituum societatis, & unionis. Omnes se invicem cognoscent, invicem amabunt. Omnes Deum glorificabunt per gratias, quas singulis contulit: ita cujuslibet electi actiones bonæ perspectæ omnibus erunt electis, eruntque omnibus singillatim causa lætitiæ, laudum, & gratiarum in æternum agendarum. Projicient omnes coronas suas ad pedes Agni, neque suas tantum, sed illas etiam aliorum omnium; neque enim dumtaxat glorificabunt Deum in seipsis, sed in omnibus etiam Sanctis, illi in æternum canentes: *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* Psalm. 67. O gloriam vere solidam electorum Dei! gloriam, cujus fulgor perfunctorius non est! gloriam stabilem, atque æternam! gloriam, quæ non continetur in exiguo numero rudium, invidorumque mortalium, sed quæ tot est habitura testes, quot futuri sunt cœlestis Jerosolymæ

mæ cives; gloriam quæ non posita est in inutili, atque temeraria approbatione hominum, qui illam ignorant, & non convertuntur; sed quæ sita est in gaudio plurimarum animarum sanctarum, numero carentium, quæ in lumine veritatis corda nostra introspicient. *Ex Speciminibus Ethicis*.

Sanctorum beatitudo bonus est adeo præstans, ut illud concipere nequeamus. Quemadmodum omnes Dei perfectiones longissime omnes conceptus nostros arctumque mentium nostrarum captum excedunt; ita beatitudo, quam nobis promittit, infinitis spatiis excedit quidquid ipsi dicere possumus, & cogitare. Quo magis illam detegere adnitimur, eo magis a nobis ignorari videtur. Similis est thesauro, inquit Filius Dei, sed thesauro abscondito: *Simile est regnum Cœlorum thesauro abscondito*. Manna est, inquit Sanctus Joannes, sed *manna absconditum*; Est affluentia divitiarum, inquit Propheta, sed latentium. Plenitudo est gaudii, Sanctus Petrus ait, sed hoc gaudium sentiri potest, explicari non potest. Ad quam igitur redacti sumus necessitatem, Sanctus Augustinus inquit? numquam dicere possumus quid sit hoc hominis bonum, & nihilominus nobis tacere non licet. Illud comprehendere non valemus, & nihilominus de eo loqui debemus, illudque fidelibus proponere tamquam promissam a Filio Dei laboribus eorum mercedem. *Morales Animadversiones Tomo primo*. Matth. 13. Apocal. 2.

CÆCITAS ANIMÆ.

Cordis obduratio, Dei destitutio &c.

MONITUM.



Quemadmodum gravissimum malum est, quod peccatoribus sit in hac vita extimescendum, & nihilo secius frequentissimum supplicium est, quod illis Deus minitetur; ita quoque argumentum est Concionis, in qua maxime Oratoris vis, & eloquentia desideratur. In hoc autem notandum est.

Primo quamvis inter se differant Cæcitas mentis, cordisque obduratio; adfectata boni ignorantia, & obstinata in malo nequitia; operosum esse hæc omnia simul nequaquam confundere in hoc argumento; in Moralibus enim effectus a causa non separantur, neque peccati circumstantiæ a peccato ipso distinguuntur, ubi res funditus est pertractanda. Itaque sive de cordis induratione, sive de anima cæcitate sermo instituatur; idem semper est status, in quem peccator redactus est, iidem effectus, supplicium idem, atque ut verbo me expediam, idem concionis argumentum.

Secundo. Cum Cæcitas spectari possit, tamquam vel circumstantia, vel quædam ex causis peccati, quod patratur; se enim excæcet prius, opus est, qui illud committit; vel peccati effectus; vel demum supplicium, quod in peccatores divina exercet Justitia; hæc diligentius distinguenda sunt, ne confundantur. Præsertim vero adnitendum est, ut in orthodoxo sensu explicetur ratio, qua Deus mentem excæcat, & cor ipsum obdurat, vel ita peccatorem deserit, ut hic inde apertum reprobationis suæ characterem secum ferat. Maxime enim interest hac in re caute verba facere, ne in hæreticorum sensum impingas, affirmantium Deum positiva actione hanc mentis cæcitatem, & cordis indurationem producere.

Tertio ut in hoc argumento tuto incedamus, & incutiamus peccatoribus metum terribilis hujus supplicii, quod Divina infligit Justitia, ita tamen, ne ruant in desperationem; duobus his inniti oportet principiis, atque catholicis veritatibus; primo hanc cæcitatem semper a nobismetipsis initium ducere, & nonnisi a nobis coactum sua nobis lumina Deum denegare. Secundo peccatorem in hac vita numquam cæcum, & obduratum esse, numquam a Deo ita derelictum, ut omni prorsus ope careat, & ex miserrimo statu, in quo versatur, nequeat emergere.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Systemata.

I. 

UBI pro Concionis textu hæc adhibeantur verba ex Evangelio Quinquagesimæ desumpta: *cæcus quidam sedebat secus viam mendicans*, pro argumento, ac partitione ejusdem desumi potest deplorabilis status, ad quem animæ cæcitas redigit peccatorem; remedia huic malo afferenda, & consilia ex eo statu emergendi; Utriusque hujus puncti probationes ex verbis ejusdem Evangelii hauriri possunt.

Punctum primum. Infelix cæcitatis Spiritualis status triplici hoc verbo indigitatur: *cæcus quidam sedebat secus viam mendicans*. Hæc cæcitas efficit, ut peccator eadem perculsus in salutis via, & justitiæ semita nequeant incedere, claudit enim oculos luminibus gratiæ, quæ nonnisi tenuem lucis radiolum emittunt, quod ea vox inquit: *sedebat*: similes hac in re opacissimis tenebris, quas Deus super omnem Ægyptum effudit, quæ donec invaluere, Ægyptii sese movere non potuerunt de loco, ubi quisque fuerat, cum illæ ingruerunt. Peccator ita occæcatus terrena tantummodo cogitat, ac in illis quodammodo fixus inhæret, qui ne gradum quidem ad Cœlum rursus protendat. 2. Cæcus Jerichuntinus sedebat *secus viam* non solum temporum inclementiæ, sed etiam prætereuntium nequitiæ & contumeliis expositus: Vera cæci peccatoris imago, qui omnibus patet tentationibus, & invisibilium inimicorum crudelitati, qui in ipsum tamquam in Samsonem alterum omnem furorem suum possunt exercere atque sævissimos ejusdem effectus in ipsum depromere. 3. Hic idem cæcus Evangelicus summa laborabat inopia, *mendicans*, qua propter stipem emendicare cogebatur; hæc quoque elegans est peccatoris imago in cæcitate positi, omnibusque spiritualibus donis, & gratiis destituti, quem Deus communi tantum Providentia respicit, & cui raro gratias actuales impertit, sed mediocres, infima subsidia &c.

Punctum alterum. In hoc tamen statu, quantumvis

vis miserrimo desperandum non est: non enim desunt rationes inde emergendi. En illæ, quibus Evangelicus cæcus usus est ut visum reciperet. 1. Ad JESUM CHRISTUM confugit precibus, *JESU fili David miserere mei:* oratio cæci peccatoris unica spes est; ad eam vero efficiendam gratia necessaria numquam deest. 2. Se tradidit ducibus suis, a quibus ad JESUM adduceretur; *& jussit eum adduci ad se.* Secretum admirabile, quod Deus omnes voluit edocere, ut quisque sapientis, doctique rectoris consilium sequeretur, non solum, ut de errore, in quem lapsus esset, eriperetur; verum etiam, ut ad JESUM adduceretur; atque in salutis via statueretur. 3. *Et sequebatur eum.* Peccator autem illuminatus gratiæ fidelis esse debet propter gratitudinem. Insigni favori, quo a Deo cumulatus fuit ex periculosissimo statu ereptus debet respondere.

II. In idem Evangelium, eumdemque textum cæcitatis mala possunt ostendi, ac tres inde fieri concionis partes, quibus ille propositus finis sit, ut hujus status horrorem injiciant, & cupiditatem, quamprimum inde evadendi succendant.

1. *Secus viam*. Peccator ea cæcitate perculsus, de qua sermo est, secus viam latam, hoc est viam perditionis, vivens juxta mundi hujus dogmata, periculis omnibus patens, in omnia offendicula impingens, ac semper in occasionibus in nullam reditus spem intereundi; quæ quidem offendicula, atque pericula propter cæcitatem videre, atque detegere non potest, atque ideo perniciosissimas illas occasiones nequit effugere.

2. *Sedebat*. Hic cæcus sedebat secus viam; ubi cæci peccatoris secunda calamitas exhiberi potest, requies videlicet in sceleribus suis, quin perturbetur vel conscientiæ stimulis, vel hujus vitæ adversitatibus, vel flagellis, quibus consuevit Deus aliorum peccatorum gaudia turbare, ut illis hujus mundi tædium immittat, eosque cœlestia cogitare cogat: quod efficit ut cæcus ille peccator sibi in hoc statu complaceat, ibi perseveret, & inde egrediendi ne patiatur quidem cogitationem.

3. *Mendicans*; hic cæci Evangelici status erat, qui cum victum laboribus sibi comparare non posset, a prætereuntibus stipem emendicare debebat. Sed peccatoris cæcitas illum ad longe acerbiorem redigit egestatem; cecidit enim in talem spiritualem miseriam, ut paucissimis, tenuissimisque cœlestibus gratiis, atque subsidiis recreetur. Validioribus ille gratiis, vividioribus luminibus, majoribusque subsidiis indigeret, ut ex tanta felicitate posset emergere; sed prætereuntibus, hoc est, illis qui pro eodem possent intercessores existere, hoc integrum non est. Possunt quidem eorum preces hæc obtinere subsidia, immo iisdem fruitur, si pius aliquis vir enixius pro se flagitaverit: hoc tamen non semper, satis enixe, satis opportune fit; & Samuel ipse lacrymis, & precibus Saulem restituere non potuit.

III. 1. Spiritus cæcitas & cordis induratio sunt effectus plurimorum scelerum; in quæ hoc Deus animadvertit supplicio, quod unum sane maxime terribile est præ iis, quæ in hac vita Divina exercere possit justitia.

2. Hæc cæcitas, & induratio vicissim sunt plurimorum peccatorum causa, efficiunt enim, ut nullus pudor, nullus Dei, hominumque metus obcæcatum peccatorem revocare possint, vel inhibere.

IV. 1. Facile est in cæcitatem labi: mundi fulgor vitæ hujus bona, & omnia fere extrinseca objecta nos fallunt, decipiunt, inducunt: *fascinatio nugacitatis obscurat bona*. Sap. 4. Affectus nostri sunt quidam veluti crassi vapores rationis, fideique luminibus caliginem offundentes. Peccata denique nostra, & ea quæ nefarie contra conscientiæ stimulos committimus, fidei lumen extinguunt, Dei iram accendunt, ut ab eo deseramur, efficiunt, quod profecto, & maximum & frequentissimum supplicium est, quo ille in hac vita peccatores percutiat.

2. Difficile est, atque fere impossibile sese recipere ex eo statu, in quem ultro peccator seipsum præcipitem dedit. 1. quia peccator cæcitatem suam non cognoscit, in qua re, ab illis differt, qui corporeis oculis destituti ignorare non possunt, se usu oculorum carere; ideoque alios duces sequuntur. 2. Peccator obcæcatus amat cæcitatem suam, tantumque abest, ut quærat medicinam, quod immo de morbo suo ne loquentes quidem patiatur. 3. Remedia quæcumque pro illo adhiberi possunt, sunt inutilia; Quippe Dei timorem abjecit, & gravissima supplicia, quæ illum in altera vita manent, irridet, atque inanes fabulas putat.

Tria extant hodie mortalium genera cæcitate laborantium, qui suam infelicitatem minime norunt, & qui ideo ad Deum confugere debent, malum deprecaturi illis Evangelici cæci verbis utentes, *Domine ut videam*. V.

Primi sunt, qui simpliciter in errore versantur, veluti Hæretici bonæ fidei; horum quidem status deflendus est; sunt enim quodammodo cæci nati, quos nativitas, quam ab Hæreticis parentibus sortiti sunt, quos educatio, & disciplina, in qua ab aliis cæcis instituti sunt, & in falsa religione enutriti, prohibent, ne oculos aperiant lumini, & suum errorem agnoscant. Quid cæcis hujusmodi faciendum sit?

Secundi sunt, qui credendi licentiam affectant, quorum cæcitas longe quidem est periculosior, quam prior, & magis difficilis, quæ curetur; quippe quæ ex eorumdem præsumptione proficiscitur. Putant sibi majora adesse lumina, quam ceteris, quos tamquam spiritu destitutos, & nulla intelligendi vi præditos despiciunt: sed irreligiosi id genus mortales qui se spiritus fortes appellant, se ipsos excæcant constantissimæ religionis nostræ veritates impugnando. Facile quidem est illis, in qua versantur cæcitate, ostendere; licet Divinæ misericordiæ summa requiratur, quæ illos ex tenebrarum suarum caligine educat.

Tertii sunt, qui vitæ, ac morum licentiam præseferunt, qui in voluptatibus vitam traducunt, & quos amor proprius excæcat. Nolunt enim sua officia cognoscere, neque doceri, ne cogantur optatum, jucundissimumque vitæ genus abdicare.

Spiritualis cæcitatis infortunium potest ostendi comparatione instituta cum iis malis, quæ corporeæ accidunt cæcitati, duplicem hanc cæcitatis speciem simul conferendo. VI.

Cæcus, lumine cassus, quod ip[...]acit non videns nihil perficere potest ex iis [...] quibus oculorum acies omnino requiritur, exempli gratia in pingendo, scribendo, atque manus opera utendo. Nullum id genus, opus bonum esse potest, & juxta regulas artis elaboratum, si ab homine cæco proficiscatur. Talis est animæ cæcitas: qui eadem laborant propter scelera sua nihil boni, & saluti profuturum operantur. Immo quid agendum sit, nesciunt, optimas etiam exteriores actiones depravant, atque corrumpunt pravis intentionibus, cum saltem quoad effectus, nullam habeant conscientiam, nullam religionem: hoc enim peccatoris excæcati nomine intelligimus, nisi prorsus omnem fidem abjecit.

2. Cæcus acie oculorum destitutus in jugi errandi periculo versatur; alteram pro altera capessens viam; neque enim videt semitam, qua eundum, neque locum, quo sibi contendendum est, ideoque indiget duce, cum oculos non habeat, quibus ducat se ipsum. Hæc illa infelicitas est, in quam animæ cæcitas redigit peccatores: Qui in dies singulos magis magisque aberrant, neque norunt, vel terminum, quo sibi contendendum est, æternam videlicet felicitatem, vel viam, quæ ineunda est, ut illuc perveniant. Ideo illi indesinenter funestissimis erroribus a suo fine recedunt.

3. Cæcus semper in periculo est, ne cespitet; & in singulos gressus impingens, ruat in aliquod præcipitium, quod cum non videat, evitare non potest. Heu quænam in scelera, atque flagitia peccator excæcatus non ruit? nonne dici potest de præcipiti in præceps ire habenas affectibus suis relinquentem, qui illum trahunt, & qui sunt cæci duces, a quibus ille se regi finit?

VII. Animæ cæcitas nequissimæ improbitatis effectus est; 1. quia voluntaria est, & peccator nonnisi sciens, & volens decidit in eamdem: 2. quia plerumque ex affectata proficiscitur ignorantia, quæ peccatorem coram Deo efficit inexcusabilem. 3. quia est cum pertinacia conjuncta; & cœlestibus luminibus, atque afflatibus resistit. Qua in re cordis obduratio consistit, quæ a mentis cæcitate separari non potest.

2. Hæc cæcitas, qua Deus percutit peccatorem maximus, & terribilis est in hac vita effectus iræ, atque Justitiæ Dei; indicio quippe est, hominem a Deo fuisse reprobatum, & tamquam in ultionis æternæ victimam reservari, ut loquitur S. Augustinus, *cum servetur in ultimam opportunamque vindictam*.

VIII. Duplex est personarum genus, quæ in terribilem hanc cæcitatem prolapsæ sunt duplici via prorsus diversa, & quæ duplici item via ex tanto hoc malo sunt eruendæ.

Primi cæci sunt, absit verbo invidia, ob nimium lumen: sunt autem curiosi, qui de rebus Divinis, atque veritatibus Religionis ratione sua judicium ferre contendunt, & tantum credere volentes, quæ intelligere, & assequi possunt: de quibus loquitur Sanctus Paulus, ad Roman. 1. *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*.

Alii sunt cæci ob luminis defectum, hi autem illi sunt, qui in ignorantiæ tenebris volunt delitescere, ut vitiis diffluant; qui videre nolunt, ne bene agere teneantur. *Noluit intelligere, ut bene ageret*; Psalm. 35. Deus autem, ut utrosque puniat, illis suas detrahit gratias, eosque supernaturalibus luminibus ornat.

IX. De cordis obduratione, quæ cæcitatis animi effectus est, & quinam sint gradus, per quos in hunc statum descensus fiat.

1. Validior peccati contrahitur habitus, qui efficit, ut metum, pudoremque omnem amittamus, & fatali necessitate cogente eo usque procedimus, ut tantum mali evitare ne conemur quidem eo quod illius gravitatem, & quidnam ex eo, consequatur, ignoramus.

2. Fortiter resistimus cœlestibus luminibus, atque ipsos etiam conscientiæ stimulos retundimus intrinsecus nostram infidelitatem redarguentes.

3. Denique ad cæcitatis cumulum, integramque obdurationem evadimus, cum conscientiæ stimulis non urgemur amplius; sed tranquille in sceleribus vitam ducimus tamquam bonis cogitationibus inaccessibiles.

X. Quemadmodum cæcitas procedit ex repulsa, qua vel homo Dei gratias admittere non vult, vel qua Deus illi deinceps non vult gratias concedere, duplici ratione considerari potest, quæ duplex hoc repulsæ genus complectatur, & Sermonis partitionem efficiat.

1. Repulsa, qua homo Dei gratias abjicit, & quot modis illas abjicit. Ostendenda est hujus repulsæ indignitas, ingratitudo, quæ tanto beneficio rependitur; contumelia, quæ Deo infertur, &c.

2. Repulsa, qua vicissim Deus homini suas gratias denegat, & quas paulatim subtrahit in pœnam contemptus, quo habitæ fuerunt a peccatore, in qua subtractione cæcitas ipsa consistit.

Idem argumentum aliter proponi potest. 1. Nolumus illuminari, & resistimus supernis luminibus, quæ nobis ob oculos subjiciunt officia nostra, & quid præstare teneamur; quod efficit cæcitatem, adeo noxiam, & inexcusabilem. 2. Deus vicissim justo judicio nobis renuit ea lumina, quæ a nobis fuerunt neglecta, atque contempta, quod cæcitatem hanc efficit incurabilem.

Postquam fuerit ostensum, quid sit animæ cæcitas, & in quo consistat; funesti ejusdem effectus considerari possunt in iis verbis, quæ secundo Sapientiæ capite proferunt homines nequam. XI.

Primo mentem pervertit delens impressiones timoris Dei, & omnes sensus religionis, ita ut rati peccatores præter hanc non aliam vitam inveniri, omnibus ejusdem voluptatibus perfrui desiderant, sese impudicitiis, omnibusque flagitiis ingurgitantes: *Non est, qui agnitus sit reversus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tamquam non fuerimus.... Venite ergo & fruamur bonis*.

2. Extinctis autem omnibus fidei luminibus, omnibusque stimulis conscientiæ, quæcumque flagitiorum genera patrant, & ad id legitima etiam auctoritate abutuntur, si forte eadem decorantur: *Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ: sit autem fortitudo nostra lex justitiæ*.

3. Omnes adimit vias, quibus improbus sese recipere possit, atque ex infelici statu emergere.

Cæcitas hæc considerari potest præcipue in iis gradibus, per quos mortalis in tantam decidit calamitatem. XII.

1. Incipit quidem in homine cæcitas ex primis peccatis; cum enim peccatum sit opus tenebrarum, nonnisi tenebras producere potest in peccante.

2. Hæc deinceps convalescit per fallacem tranquillitatem, quam in peccando nanciscitur impius.

3. Deus, ut peccatum puniat, permittit, peccatorem perficere quidquid ad cæcitatem explendam requiritur, gratiæ resistendo pertinaciter.

In animæ cæcitate, vel cordis obduratione tria spectari possunt. Primum quid sit, & in quo consistat; alterum unde proficiscatur, & quid tenebras has menti offundat, & cordi hanc insensibilitatem immittat. Tertium quid hæc cæcitas & insensibilitas pariant. Triplici verbo, Principia, Natura, & Effectus. XIII.

Cum cæcitas non aliud sit, quam earum rerum ignorantia, quæ saluti vel utiles sunt, vel omnino necessariæ; triplex ignorantiæ genus distingui potest. 1. Ignorantia crassa, vel negligentiæ: 2. Ignorantia affectata, atque industriæ, quemadmodum loquitur Scriptura Job 34. *Qui de industria recesserunt a te*: 3. Ignorantia supplicii. XIV.

Cæcitas, quæ peccatum comitatur, & ab eo divelli non potest. *Omnis peccans ignorans*. 1. Ostendendum est in quonam illa consistat, & quidnam sit. XV.

2. Cæcitas, quæ sequitur peccatum; & ejusdem est pœna, ac supplicium, ubi pœnæ hujus magnitudo est amplificanda.

3. Utraque autem fit funesta plurimorum scelerum causa. *Idem in Quadragesima in Evangelium Cæci nati*.

Aliter efferri potest hæc tertia pars, atque ita proponi. Cæcitas, quæ omnia simul peccata congerit, atque est tamquam vexillum, sub quo omnia conveniunt.

Triplex causa cæcitatis. XVI.

1. Peccator prava cordis sui dispositione se ipsum excæcat.

2. Dæmon, qui est princeps tenebrarum, illum excæcat dolo, & objectis fallacibus, quibus mundus refertus est.

3. Dei justitia irritata peccatoris nequitiam illum variis rationibus excæcat. *Pater Texier de Sermone de Cæco nato*.

Quædam cæcitas est peccatum, quædam causa peccati, & quædam peccati pœna; ubi ostendendum XVII.

1. Cæcitatem quæ peccatum est, maximum esse salutis obicem.

2. Cæcitatem quæ est causa peccati, licet sæpius

pius pro excusatione afferatur, verum esse peccatum.

3. Cæcitatem, quæ est pœna peccati gravissimum esse supplicium, quo Deus peccatorem percutere possit, *Desumptum ex Quadragesima, quæ Pater Bourdaloue nomine circumfertur Sermone de Cæco nato.*

XVIII. Ostendi potest: 1. undenam hæc cæcitas proficiscatur, & quibus gradibus ad eam perveniatur. 2. Quinam sint cæcitatis hujus effectus, ubi nihil magis deplorandus peccator est, quam cum se felicissimum putat: *Hæc partitio est Auctoris concionum in omnia Moralis Christianæ argumenta Tomo secundo Quadragesimæ.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, atque Auctores, unde hauriri potest copia ad propositas concionum structuras elaborandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *lib. de natura & gratia* loquitur de antiquorum Philosophorum cæcitate, eamque ostendit ambitionis, aliorumque vitiorum pœnam fuisse.

Idem in hæc verba Psalmi 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem*, ostendit peccatorum cæcitatem justum esse scelerum eorumdem supplicium.

Idem in ea verba Psalmi 68. *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva:* ostendit nexum eorum verborum, quæ attulimus, & illationem alterius partis propositionis ex altera: hoc certissimum esse, & qui in cœlestibus cæci sunt, non posse terrena non cogitare, & erga illa non ferri.

Idem in hæc verba Ps. 147. *Nebulam sicut cinerem spargit*; ostendit eos, qui se magis perspicaces putant, plerumque magis cæcos esse.

Idem *Quæst. super Exod. Quæst.* 28. ostendit, quomodo cor induretur, & quonam in sensu illud induret Deus.

Idem *l. Expos. Epist. ad Rom.* explicat quomodo peccator obduratus per eadem puniatur scelera, quæ in hoc statu committit.

Idem *Sermone* 88. *de Tempore* ostendit a Deo peccatorem non deseri, nisi Deus a peccatore deseratur.

Idem *in Psalm.* 89. docet Deum numquam severius in peccatorem animadvertere, quam cum illum ipsius tradit consilio, atque in propria cæcitate relinquit.

Idem *in Soliloquiis* iis verbis cæcitatem describit, in qua suam transegerat adolescentiam, quæ mirum in modum eam exprimunt calamitatem, quam tunc ignorabat.

S. Gregorius *l.* 16. *Moral.* hæc explicans verba ex capite Job 24. *ipsi fuerunt rebelles lumini*, ostendit, quinam sint, qui seipsos excæcant, & mox in sua permanent cæcitate.

Idem *l.* 2. *Moral.* fusius explicat, quid sit cæcitas, & quod malum pariat exemplis, & Scripturarum penu depromptis.

Idem *lib.* 34. *Moral. c.* 3. hæc explicans Jeremiæ Prophetæ verba, *Ego vir videns paupertatem meam in Virga indignationis ejus*, ostendit peccatorem excæcatum, suam cæcitatem, suamque calamitatem ignorare.

Idem *l.* 5. *in c.* 1. *Regum* explicat, quomodo peccatores sint cæci.

Idem *l.* 7. *in Job c.* 13. explicat, quomodo cæcitas in anima fiat, & unde procedat.

Idem *Homil.* 2. *in Evang.* ostendit, quomodo omnes homines propter Adæ peccatum cæci nascantur.

Hieronymus *in secundum caput Proverbiorum* hæc explicans verba, *Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas*; fallacem improborum excæcatorum securitatem ostendit.

Idem *in cap.* 38. Job de peccatorum obduratione verba facit.

S. Ambrosius *l. de Cain, & Abel*, ostendit peccatoris calamitatem, qui in cæcitate versatur.

Origenes *l.* 3. *in cap.* 3. *Job* hæc verba explicans; *noctem illam tenebrosus turbo possideat*, ait dæmonem nobis offendere cæcitatem, ne in quævis scelerum genera trahat.

Idem *Homil.* 6. in Isaiam hæc interpretatus Prophetæ verba, *ne quando videant oculis, & auribus audiant*, varias spiritualis cæcitatis causas adfert, cum corporea cæcitate collatas.

S. Basilius *Homil.* 10. *super Psalm.* 37. ostendit, unde oriatur cæcitas cordis, & effectus illius.

Didacus de la Vega *cap.* 1. *de peccatis* §. 8. Ascetici.

Omnes illi qui Meditationes edidere in anni Evangelia; in Dominicam Quinquagesimæ & Cæci nati Evangelium.

Granatensis *Conc. Fer.* 6. *post Dominicam Passionis.* Concionatores.

Idem *Fer.* 4. *post Dom.* 4. *Quadrag. Conc.* 2.

Gaspar Sanchez *Fer.* 4. *post Domin.* 1. *Quadrag. discursu.*

P. Delingendes *in Quadrag.*

Idem *Fer.* 4. *post Dom.* 4. *Quadrag.*

Reina *Conc.* 25. *Quadrag.*

Biroat *Sermone pro Fer.* 4. *post Domin.* 4. *Quadrag.*

Idem loquitur de hac re etiam in secundo Sermone Adventus de mundi damnatione.

P. Maimbourg *Sermone de cæco nato.*

Oudeam in Adventu de insigni peccatore.

Joly in tertio, & quarto Sermone de peccato mortali, verba facit de peccatoris cæcitate, & induratione.

Auctor Sermonum Christianorum in omnes anni Dominicas. *Dom.* 2. *Adventus.*

Abbas de Breteville *Sermone pro Fer.* 4. *post tertiam Quadragesimæ Dominicam.*

Idem *in Fer.* 4. *post quartam Quadragesimæ Dominicam* plura habet Sermonum specimina de cæcitate.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta Sermonem habet de Spirituali cæcitate *Fer.* 4. *post quartam Quadragesimæ Dominicam.*

Idem verba facit de cordis obduratione *in Tomo* 3. *Dominic. nona post Pentecosten Dominica.*

Idem Tomo tertio peculiarium Sermonum Sermonem habet de malis, quibus obnoxius est, qui a Deo derelinquitur.

P. de la Colombiere in considerationibus Christianis.

Joannes Lopes in Epit. Sanct. Pat. l. 3. c. 4. Qui collectanea ediderunt.

Bercorius (*verbo*) *cæcitas.*

Summa prædicantium (*verbo*) *visus.*

Labata (*verbo*) *cæcitas.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & Scripturarum applicationes huic argumento.

INdurabo cor ejus, & non dimittet populum meum; Exod. 4. 7. 9. &c.

Induravi cor ejus, & servorum ejus, Ibid.

Deus meus illumina tenebras meas. Psalm. 17.

Fiat lux: & facta est lux. Genes. 1.

Hodie si vocem ejus audieritis; nolite obdurare corda vestra. Psalm. 94.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Psalm. 12.

Noluit intelligere ut bene ageret. Psalm. 35.

Percutiat te Dominus amentia & cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris. Deuter. 28.

Non audivit populus meus vocem meam: & dimisi eos secundum desideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis. Psalm 80.

Fiat

Fiat via illorum, tenebræ & lubricum. Psalmus 34.

Obscurentur oculi eorum ne videant. Ps. 68.

Nescierunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant. Ps. 82.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea; & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Ps. 37.

Accedite ad eum, & illuminamini. Psalm. 33.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris. Ps. 32.

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua? Ps. 87.

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Ps. 42.

Hæc cogitaverunt, & erraverunt; excæcavit enim illos malitia eorum. Sapient. 2.

Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis; viam autem Domini ignoravimus. Ibid. 5.

Impius cum venerit in profundum peccatorum, contemnit. Prov. 18.

Cor durum habebit male in novissimo. Eccli. 3.

Recede a nobis; scientiam viarum tuarum nolumus. Job 22.

Ipsi fuerunt rebelles lumini; nescierunt vias ejus. Idem, c. 24.

Ergo erravimus a via veritatis, & justitiæ lumen non illuxit nobis; & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Sap. 5.

Auferetur ab impiis lux. Job. 38.

Scivi enim quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea. Isai. 48.

Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude; ne forte videat oculis suis, & auribus audiat, & corde suo intelligat, & convertatur; & sanem eum. Idem, c. 6.

Populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Idem, c. 9.

Lucerna impiorum extinguetur. Prov. c. 13.

Percussisti eos, & non doluerunt; attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam; induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti. Jerem. c. 5.

Insipientes sunt & vecordes; sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. Idem, c. 4.

Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde. Idem, c. 12.

Palpavimus quasi cæci parietem, & quasi absque oculis attrectavimus: impegimus meridie, quasi in tenebris. Isaiæ 59.

Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen Cœli non video? Tob. 5.

Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt. Sophon. 1.

Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem ..... & facta est indignatio magna a Domino exercituum. Zach. 7.

Occidet Sol in meridie. Amos 8.

Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt. Eccli. c. 4.

Oculos habentes non videtis, & aures habentes non auditis. Marci 8.

Contristatus est Jesus super cæcitate cordis eorum. Idem, c. 3.

Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. Matth. 15.

Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos. Joan. 12.

In mundo erat, & mundus eum non cognovit. Joan. 1.

Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Joan. 3.

In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Idem 9.

Væ vobis duces cæci, & duces cæcorum. Matth. 23.

Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis. Act. 7.

Adhuc modicum lumen in vobis est: ambulate dum lucem habetis; ut non vos tenebræ comprehendant. Joann. 12.

Obscuratum est insipiens cor eorum.... Tradidit illos Deus in reprobum sensum. Ad Rom. 1. v. 21. & 28.

Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis eorum. Ad Ephes. 4.

Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium; ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii. 2. ad Corinth. 4.

Mittet illis Deus operationem erroris. 2. ad Thessal. 2.

Non obscuretur quis ex vobis fallacia peccati. Ad Hebr. 3.

Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia. Sapientiæ 4.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. Matth. 15. Ita Dei filius loquitur de Scribis, & Pharisæis quasi salus eorum esset omnino in desperatis: sinite illos neque eorum salus vobis amplius negotium facessat. At enim Domine, si ita eos deseris quin ad illos loquaris, & de suis officiis illos erudias; actum est; in nullam reditus spem interibunt! Ideo immo relinquendi sunt, quia nulla spes est. Quasi diceret: pereant, quia volunt; hæc eorum nequitia est: in sceleribus suis excæcati, & indurati sunt: nihil fieri potest; malum eorum medicinam non patitur, quia medicinam recipere nolunt. (Cæcitas, in qua erant Pharisæi, & in qua Dei Filius eos relinquit.)

Qui eripuit nos de potestate tenebrarum. Ad coloss. 1. Notandum est, inquit eruditus quidam Interpres, Apostolum non dicere JESUM CHRISTUM nos de tenebris eripuisse, sed de potestate tenebrarum; Quæ enim major potestas ea, quæ olim Philosophos Ethnicos, & Sapientissimum quemlibet Judæorum excæcavit; quæ ad hanc quoque diem infideles omnes æque excæcat, atque captivat, eosque ita subjicit, ut prorsus Divina requiratur potentia, ut de hujus captivitatis squalore educantur, & omnipotentis gratiæ lumen, ut tenebræ dissipentur?

Scit Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri. Gen. 3. Cum Dæmon sub serpentis figura protoparentes nostros decepit, eis suasit, ut Creatoris sui præceptum infringerent, futurum pollicitus, ut simul ac vetitum gustassent fructum, oculi eorum aperirentur, & ipsi boni, atque mali cognitionem assequerentur. Sed accidit e contra: tunc enim funesta cæcitate fuere percussi, ad omnem etiam posteritatem transmissa, quemadmodum innuit Adæ responsum Deo: *vocem tuam audivi ..... & abscondi me.* Gen. 3. Quæ enim major cæcitas, Sanctus Gregor. l. 15. Moral. inquit, quam credere Deum cæcum esse, ac nos latebras quærentes illum fallere posse? *Ecce peccatoris cæcitatem, qui judicat Deum esse cæcum, & scelera ejus non videre.* (Cæcitas Adæ.)

Fiat lux: & facta est lux. Genes. 1. Quemadmodum post Mundi creationem Deus statim lucem produxit, sine qua creatæ quæcumque res corporeæ decore suo caruissent, densa quippe tenebrarum caligo super abyssi faciem erat effusa; ista etiam agit ille in peccatoris ad gratiam regeneratione, quæ quædam est veluti nova creatio. Peccatoris anima est tamquam abyssus opacissimis undequaque tenebris circumsepta: ideoque neque videt periculum, ubi est, neque ea mala, in quæ prope est, ut delabatur.

Opus

Opus est, ut Deus in abyssi hujus imum suum lumen immittat, & huic animæ infelicissimum statum, in quo versatur, aperiat. Hæc est Sancti Augustini Sententia.

Quid sit peccator excæcatus.

Dixit homo, cujus obturatus est oculus. Num. 24. Hoc quod Scriptura ait Balaam Pseudo propheta, dicere possumus de tot mortalibus, qui nihil melius aut vident, aut cogitant. Quisnam est ille, qui ita credit & loquitur? Qui sensus fovet parum adeo Evangelio, & rectæ rationi conformes? qui parum adeo sævissimam irritati numinis ultionem extimescit? Homo est in scelere suo excæcatus, qui cæce ruit in malorum omnium abyssum, qui, licet undequaque cœli perstrepant minæ, ulterius etiam progredi paratus est: homo ex eorum numero, de quibus loquitur Sanctus Hieronymus, *qui nihil timent, quia nihil vident*.

Facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ. Ps. 10. Nox ingruit, inquit Propheta, cujus beneficio feræ omnes, quæ in lustris, & saltibus detinentur, impune pertranseunt. Donec fidelis oculorum usum & gratiæ lumen obtinet; animi ægritudines prodire non audent ad eum sollicitandum; earum vim prævidet, & avertit; peccati horrorem, atque turpitudinem agnoscit: sed ex quo nox incubuit, atque ipse cæcitate perculsus est, omnes statim prodeunt affectus, omniaque eorum mala feruntur, quin illis ne animus quidem advertatur; sese offert injustitia, non videtur; impudicitia prætervolat, omniaque scelerum genera, haud ægre, & sine conscientiæ stimulis perpetrantur. *Hæc est applicatio Birgat Sermone de cecitate in Quadragesima.*

Tempus noctis, quod generatim status est peccati peculiari ter magis est cæcitas, quæ peccatum subsequitur.

Venit nox, quando nemo potest operari. Joann. 9. Hæc nox, de qua Salvator loquitur in Evangelio, intelligi plane potest de peccati statu, in quo quæcumque fiant, sunt æternæ saluti inutilia: verum illius horror major adhuc videbitur, si cum Sanctis Patribus particularius intelligatur de tenebris cæcitatis, per quas, qui eadem percussi sunt, videre nequeunt, neque viam salutis ineundam, neque viam perditionis evitandam, in qua festino gradu procedunt: licet non omnis peccator statim ad infelicissimum hunc statum redigatur, & hæc illum minime fallant, quoniam causa sunt interiorum certaminum, tumultuum ac stimulorum, qui sæpe eidem sunt saluberrimi, Sed in cæcitate omnia silent, & lumina extinguuntur. Non attenditur ultra terminus, quo contendendum est; non agnoscitur pulchritudo virtutis, aut vitii deformitas: uti neque meritum sanctitatis, & supplicium, quod scelera manet. Per noctem hanc non videmus laqueos, qui ubicumque parati sunt; verbo, nihil boni conamur, nullum malum est, cui patrando parati non sumus.

Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra. Exod. 10. Notandum est ex omnibus plagis, quibus olim Deus percussit Ægyptum, tenebrarum tantummodo, obscuræque noctis plagam, quæ tribus diebus incubuit, in scripturis horribilem appellari; quantumvis aliæ etiam plagæ populo huic æque injusto, ac infideli, gravissimum detrimentum attulerint. Quod ideo factum Sanctus Augustinus ait, ut doceremur, ex omnibus suppliciis, quæ in hoc mundo divina exercet Justitia adversus peccatores, nullum gravius & horribilius esse cæcitate, atque tenebris animæ; hæc enim apertissimum indicium est, eos, qui ita affecti fuere a Deo, reprobatos esse, atque in æternum derelictos.

Impii in tenebris conticescent. 1. *Regum cap.* 2. Cæci mente minus dolent suam infelicitatem, quam cæci corpore: Hi enim sæpe queruntur, & morbi sui curationem inquirunt & expetunt; uti cæcus ille, qui petiit a JESU CHRISTO: *Domine, ut videam*. Hoc non accidit in spirituali cæcitate; qui enim hac percussi sunt, complacent sibi in tenebris suis, & quin putent, ut inde eripiantur, in dies magis in easdem immerguntur; alii quidem, quia calamitatem suam non cognoscunt; alii vero, quia sibi majus esse lumen falso opinantur, quam iis omnibus, qui in via Dei magis sunt illustrati, ideo neminem consulunt, &c. *Impii in tenebris conticescent*,

Exempla veteris Testamenti.

Pharaonis Exemplū.

CElebertimum obcæcatæ mentis, induratique cordis exemplum: quod in Scripturis occurrat, Pharaonis est, qui propter pertinaciam cæcus, & rebellis mandatis Dei, meritus est, ut tamquam terribilis hujus supplicii exemplum proponeretur. Tot enim mirabilibus prodigiis victus, cum intelligere debuisset, Deum velle, ut populum suum abire permitteret, numquam cedere voluit minis, vel plagis, quibus illum cum populo, totaque aula divina Justitia percussit: *induravi cor Pharaonis*, Deus inquit in Exodo, c. 4. non quod positiva actione cor illius induraverit; sed quod permiserit, ipsum, in obstinatione, & cæcitate sua persistere, quæ profecto calamitosior fuit, quam terribiles illæ tenebræ, quæ triduo totum regnum illius obsederunt.

Exemplā Israelitarum.

Neque minus admirabilis est Israelitarum, qui Dei populus erant, cæcitas: Quandoquidem ex Ægypti servitute, & Pharaonis tyrannide tot miraculis liberati, obliti sunt Omnipotentis Dei, qui illos palam protexerat, ut insanissima cæcitate, & nequissima Idololatria aureo vitulo thus adolerent. Hoc Deus illis toties exprobravit: *Popule stulte, & insipiens*. Exod. 32. *Video, quod populus iste duræ cervicis sit* &c. Deuter. 32. Ita deinde derelicti fuerunt omnino: & Deus pergit adhuc ea præbens argumenta, quibus illos a se derelictos ostendit, in ea mentis cæcitate, & cordis obduratione, quam nihil umquam perfringere valeat.

Davidis exemplum satis patet, qui statim ac oculos corporis aperuit, ut curiosius mulierem quamdam aspiceret, tum visus est cœlesti lumini oculos animæ clausisse; destitit enim incedere in via mandatorum Dei, atque vitam orsus & prorsus flagitiosam atque a Dei cogitatione penitus alienam. Formæ fatalis amor ita mentem illius occæcavit, ut nonnisi post annum sese collegerit, atque opus fuerit, ut arte propheta Nathan uteretur, eumdem de erroris sui tenebris seducturus, atque ostensurus eidem mala, in quæ suum scelus ipsum projecerat.

Salomonis Exemplū.

Nulla unquam oblivione delebitur funestissima cæcitas Filii, & successoris ejusdem; Salomonis videlicet qui cum esset mortalium omnium sapientissimus, eousque insaniæ, & impietatis evasit, ut Idolis alienigenarum mulierum, quas duxerat uxores, & templa ædificaret, & offerret sacrificia: adeo in perspicacissimas etiam mentes passio insana, atque fervens caliginem, tenebrasque effundere consuevit.

Cæcitas senum, qui Susannæ stuprum inferre adnisi sunt.

Probrosorum Senum cæcitas, qui Susannæ pudiciam labefactare adnisi sunt, inter cetera exempla magis elucet: ex quo enim libidinosam hanc mentem fovere incœperunt, *Declinarunt oculos suos, ne viderent cœlum*, Dan. 13. & sceleris quod meditabantur enormitatem. Semet excæcarunt, ne seipsos viderent, ne suæ ætatis, & dignitatis, quam in populo obtinebant, reminiscerentur &c.

Samson excæcatorū peccatorū figura.

Samson, cui Philistiim oculos effoderunt, proculdubio apertissima est eorum malorum imago, in quæ animæ cæcitas peccatorem detrudit. Hoc virium, roborisque prodigium simul ac excæcatum fuit, factum est inimicorum suorum opprobrium, qui illum ferreis vinculis oneratunt, atque in conviviis irriserunt, &c. denique eum in statum redegerunt, ut ex illorum manibus elabi non posset, neque ultionem repetere, nisi sibimet necem consciscens obrutus ruinis templi, quod post reparatas, quas amiserat, vires, concussit, atque subvertit.

Syrorum cæcitas.

Videtur denique in Scripturis ingens hominum im-

immo etiam populorum numeris, quos in suorum scelerum pœnas excæcavit Deus, & quorum mala respicere possumus, ut ea melius intelligamus, tamquam depicta in ea etiam materiali cæcitate, quæ illis militum copiis accidit, de quibus sermo est quarto Regum libro capite sexto, a Rege Syriæ missis ut Prophetam Eliseum caperent, & quæ ab eodem Propheta sese duci passæ sunt, quin cognoscerent, vel quem ducem sequerentur, vel quem in locum deducerentur: *Percute obsecro gentem hanc cæcitate: & percussit eos Dominus, ne viderent juxta verbum Elisei*. Erant illi in medio inimicorum suorum, atque præ gaudio exultabant rati, se quam primum in potestate habituros præcipuum Samariæ clypeum, & validissimum illius propugnaculum. Cum vero Propheta ex Deo petiit, ut illis tandem oculos aperiret, ut periculum, in quo erant, cognoscerent; tunc tandem intellexerunt, se esse Samariæ in urbe ejus Regni Metropoli, cum qua bellum gerebant, & in maximo extremæ internecionis periculo, si illas ad unum deleri passus fuisset Eliseus.

Exempla Novi Testamenti.

Cæcitas Scribarum & Pharisæorum. IN toto Testamento novo nulla insignis est cæcitas mentis, quam illa Doctorum legis erga Messiam, quem agnoscere noluerunt, licet tot sibi apertissima suppeterent argumenta: quamobrem *cæci, & duces cæcorum* a Domino nuncupantur. Eorum vero cæcitas in triplici occasione præsertim enituit.

Prima, cum Magi Jerosolymam venerunt petitum, ubi unus Rex Judæorum natus fuisset, Legis enim Doctores Herodi, a quo coacti, consuetique fuerant, responderunt Messiam in Bethelem esse nasciturum. Illum sub idem fere tempus præstolabantur; hoc enim Prophetæ palam portenderant; videbantque stellam, quæ Magos deduxerat, & quod signum futurum erat adventus hujus Regis gloriæ tamdiu expectati, & enixius expetiti. Hoc nuntio turbati fuerunt, & merito credere poterant non deesse extraordinarium aliquid in ejus pueri nativitate, quem Magi quærebant. Quænam igitur cæcita nolle hoc sibi curæ, laborisque sumere, ut ipsi quoque eos locos adirent, atque ulterius rei veritatem explorarent!

Alterum cæcitatis eorumdem argumentum est, eorum factum, ubi viderunt Dei Filium cæco nato oculorum aciem elargitum. Adeo verum, & insigne fuit illud miraculum, ut quidquid conati fuerint, prohibere non potuerint, ne elucesceret. Illud vero ipsos maxime cæcos esse probavit, quod postquam inutilem navarunt operam, ut caliginem miraculo offunderent, oculos non aperuerunt, ut intelligerent hujus prodigii auctorem a Deo profectum esse, & talem esse posse, qualem seipsum ferebat, videlicet filium Dei: sed invidia, & Zelotypia, qua in ipsum flagrabant, illos excæcavit: *excæcavit illos malitia eorum*. Sap. 2. 21.

Tertium, maximumque cæcitatis hujus argumentum fuit consilium Salvatorem perdendi propter famam, quæ de Lazari resurrectione percrebuerat, atque æstimationem, quam illi miraculorum, quæ quotidie patrabantur, frequentia comparaverat. *Quid facimus; quia hic homo multa signa facit?* Joan. 11. *Videtis quia nihil proficimus: Ecce Mundus totus post eum abiit*. Joan. 12. Nonne extrema cæcitate percussos esse oportebat, ut inde consequentiam inferrent recto sensui, omnique generi æquitatis, immo etiam propriæ utilitati prorsus oppositam?

Alia cæcitatis exempla. Post hæc supervacaneum reor afferre exempla vel Judæ ob avaritiam excæcati; vel militum, qui Dei Filium in horto apprehenderunt, licet unico ejusdem verbo fuissent prostrati: vel judicum, qui illum morte damnarunt, & qui mox satellites sepulchri custodes auro corrumpere adnisi sunt prohibituri, ne illi resurrectionem Domini, cujus testes fuerant, nuntiare vellent; vel Judæorum tandem, qui enixius efflagitarunt mortem illius, quem cum admiratione audiverant, & tamquam summum prophetam coluerant.

In hoc autem argumento potissimum occurrit notanda ea ratio, qua Sergius Paulus Proconsul ex ea convaluit cæcitate, in qua erat, tamquam Ethnicus atque in Idololatria inutritus: ea vero capite decimotertio in actis Apostolorum refertur. Cæcitas hæc pressius sumpta eadem omnino non est, ac illa de qua loquimur; aliquis enim Ethnicus esse potest, qui a salutari conversione tantum abhorreat, & distet, quantum Christiani complures, qui fortasse ab Ecclesiæ fide penitus non recesserunt. Ratio tamen, qua curatus fuit, hac in re pulcherrimum suppeditare potest instructionis argumentum. Cæcitas per aliam cæcitatem curatur. Cum Proconsul ille vidisset insignem quemdam veneficum, qui Elymas vocatur, cæcum fuisse factum ad solam Sancti Pauli vocem, & ad eas exprobrationes, quibus Apostolus illum redarguerat, omnipotentem Dei Christianorum manum agnovit, & sese ad fidem convertit. Tot igitur, quæ huc usque attulimus exempla cæcis Christianis mentis aciem afferre non poterunt?

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum Loci, & Sententia in hoc argumentum.

PEccatoris mens tanto altius tenebrescit, quanto nec damna sua cæcitatis intelligit; unde fit, divino munere, ut flagella oculos delinquentis aperiant, quos inter vitia securitas cæcabat. S. Greg. l. 6. Moral. c. 17.

Non cor peccantis Dominus obdurat; sed obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat. Idem, Hom. 4. in Ezechielem.

Plangit eos (Christus) qui nesciunt cur plangantur. Idem, Hom. 28. in Evang.

Quid inter membra nostra præstantius est oculis; qui nobis omnium operum magistri sunt, & duces? S. Greg. Niss. orat. 7. Cantic.

Quod Sol & Luna in Cœlo, sunt oculi in homine. S. Amb. l. 6. Hexam. c. 8.

Sicut cæcus non potest aspicere in splendorem luminis, sic non potest intelligere homo malignus mysteria pietatis. S. Chrys. Hom. 40. in Matth.

Habet hoc infelix consuetudo peccandi, ut quanto amplius quisque peccaverit, tanto minus peccata ipsa intelligat. Euseb. Emiss. Hom. 7.

Ira Dei est non intelligere delicta, ne sequatur pœnitentia; sicut scriptum est: Dedit illis Deus oculos ut non videant, & aures ut non audiant. S. Cyprian. Epist. 3.

Cæcitatis duæ species facile concurrunt, ut qui non vident quæ sunt, videre videantur quæ non sunt. Tertull. Apol. c. 9.

Cæcitas est cordis, quam solus removet illuminator Deus. S. Aug. l. 5. contra Jul. c. 3.

Illa est pœna peccati justissima, ut amittat unusquisque illud, quo bene uti noluit; ut qui sciens recte non facit, amittat scire quod rectum est. Idem, l. 3. de libero Arb. c. 18.

Sic excæcat, sic obdurat Deus deserendo, & non adjuvando: quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest. Idem, tract. 53. in Joann.

Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Idem, Epist. 105. ad Sixtum.

A tenebris somniorum excipient eum tenebræ tormentorum. Idem, in Ps. 48.

Tollantur alicui oculi corporis; omnes miserum dicunt; perdat oculos mentis, sed tamen circumfluant omnia temporalia; felicem appellant. Idem, in Ps. 68. Serm. 2.

Cæcus eram, & cæcitatem amabam. Idem, in Confess.

Exha-

Exhalabantur nebulæ de nebulosa concupiscentia carnis, & offuscabant cor meum. Idem, l. 2. Confess. c. 2.

Spargens pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. Idem, l. 1. Confess. c. 18.

Væ cæcis oculis, qui te videre non possunt, Sol illuminans cœlum & terram! væ caligantibus oculis, qui te non vident!

Deus neminem deserit, nisi deseratur. Idem lib. de Natura, & Gratia, c. 26.

Ambulabam per tenebras, & lubricum, & quærebam te foris a me; & non inveniebam Deum cordis mei. Idem l. 6. Confess. c. 1.

Exordium pœnarum animæ avertentis se a Deo vero lumine, est ipsa cæcitas. Idem, Serm. 38. de Verbis Domini.

Via illorum, tenebræ ac lubricum, ait Psalmista. Tenebræ sunt: quis non horreat? lubricum? quis non timeat? Idem, in Ps. 38.

Volvebar in tenebris, & per tenebras, ad tenebras ambulabam. Idem.

In hac anima, ut in Ægypto, trium dierum fiunt tenebræ, id est triplex obcæcatio, qua non videt cœlestem felicitatem, terrestrem infelicitatem, & inferni acerbitatem. Idem, Serm. 38. de Verbis Domini.

Cum magnum malum homines putent oculorum corporalium cæcitatem, quia lux ista retrahitur; quantam ergo pœnam patitur, qui secundis rebus eo perducitur, ut non sit Deus in conspectu ejus, Idem in Ps. 9.

Hæc est inclinatio & casus miserrimus, dum animus hominis in suis iniquitatibus quasi prosperatur; & parci sibi putat! cum excæcetur, & servetur in ultimam opportunamque vindictam, Idem, ibidem.

Cain divina voce admoneri potuit, mutari non potuit; jam intus cor ejus reliquerat, qui foris verba faciebat. Sanctus Gregorius lib. 11. Moral. c. 38.

Quid superbi nolunt facere quod cognoscunt, hac pœna puniuntur, ut nec cognoscant mala quæ faciunt: quia enim prius scienda rebelles sunt; postea cæcantur ut nesciant, Idem, l. 1. Moral. c. 1.

Odiosa illa duritia est, hoc est insensibilitas cordis, quando homo nec se sensit, nec alium; nec pietate flectitur, nec precibus movetur; exemplis non inducitur: minis non terretur; beneficiis induratur, flagellis non eruditur; frontosus ad turpia, pronus ad illicita. Richard. a Sancto Vict. c. 4. de Amor. insep.

Merito obscuratum est insipiens cor eorum; quia cum veritatem cognoscerent & contemnerent, jure receperunt in pœnam, ut nec cognoscerent eam. Bernard. Epist. 3.

Erit tempus, quando non erit locus, cum ille fons miserationis interminabili siccabitur siccitate. Idem, Serm. de Dilig. Deo.

Cor durum est quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit; nec pietate mollitur, nec movetur precibus; minis non cedit, flagellis duratur; ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviscens, præsentium negligens; futura non prævidens ..... & ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem veretur. Idem, l. 1. de Considerat.

Quæris quid sit cor durum; si non expavescis, tuum est. Idem; ibid.

Vehementer claudit oculum cordis, amor privatus. Greg. Hom. 4. in Ezech.

Cura multiplex terrenarum rerum, quia occupat, excæcat. Idem in c. 22. lib. Job.

Non videre, pœna peccatoris est, adhuc tamen in hoc sæculo viventis; videre autem non posse, est mortui impii, in alio jam sæculo, æterna pœna damnati. Idem, l. 2. in reg.

Sicut tenebræ oculos, ita delicta mentem claudunt; nec lucem videre sinunt, nec se. S. August. in Ps. 18.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia hoc in argumento depromi queat.

Cæcitas mentis, & cordis obduratio definitur.

UT probe agnoscatur, quid sit animæ cæcitas, qua sæpe Deus percutit peccatores, conjiciendum est ex corporis cæcitate, quæ est visivæ facultatis privatio, quæ objecta præsentia, & suis oculis exposita intueri atque discernere nequit. Idem enim dicendum est de spirituali cæcitate, de qua hic sermo; quæ est judicii depravatio, ita ut peccator gratiæ, rectæque rationis luminibus destitutus, necessarias saluti veritates non videat, neque cognoscat, suamque libidinem, affectumque suum tantummodo sequatur. Simili ratione judicium ferendum est de induratione cordis, ex earum rerum collatione, quæ suapte natura duræ sunt, quæ oppositorum agentium impressionibus resistunt, atque vi tantum flectuntur. Tale est cor durum. Hæc autem induratio est voluntatis corruptio, quæ ei studio, quo naturaliter in malum ferimur, adjicit quemdam statum, vel quamdam speciem immutabilitatis in vitio, ita ut hujusmodi cor nulla re affici queat; & nihil rebellem hanc voluntatem ad bonum valeat convertere.

Duplex spiritualis cæcitatis species distinguitur.

In hac materia confundendæ non sunt species duæ cæcitatis, quam altera vere peccatum est, & quemadmodum loquitur Sanctus Bonaventura, est rebellio, atque actualis resistentia, qua peccator luminibus gratiæ adversatur, juxta illa Sancti Job c. 24. verba: *ipsi fuerunt rebelles lumini.* Altera vero cæcitas pœna est, & justum peccati supplicium; est quippe subtractio, vel privatio luminum, quæ Deus aliis concedit, & sine quibus numquam futurum est, ut obcæcatus, induratusque peccator convertatur; quamvis numquam illum eo usque deserat Deus, ut illi omnem penitus ad resipiscendum aditum intercludat.

Quomodo, & in quo sensu Deus peccatores excæcet.

Quamvis explicitis verbis Biblia testantur, peccatores a Deo excæcari; ne ille erraret, qui crederet Deum rationem auferre, vel positiva aliqua actione suas tenebras in peccatorum mente producere. Verumtamen ille confert aliquid cæcitati, subtrahit enim gratiæ lumina, vel saltem hæc adeo infirma illis concedit, ut ad nihilum prosint, ut convertantur. Quamobrem cum Sanctus Thomas 1. 2. q. 7. art. 3. quærit, utrum Deus esse possit causa Spiritualis cæcitatis, & obdurationis cordis, distinguit; quatenus enim, ait, hæc cæcitas, & obduratio significat mentis, & cordis motum in malum; Deus illius esse causa non potest; etenim esse non potest causa peccati: Sed quatenus est gratiæ privatio, & subtractio; per hanc sæpe in peccatores animadvertit; ideoque ambigi nequit, quo minus in hoc sensu causa sit cæcitatis.

Notandum autem est cum eodem Sancto Doctore spiritualem hanc cæcitatem (quod ipsum de cordis induratione, quæ ex divini luminis defectu proficiscitur dicendum est) hanc inquam cæcitatem duobus ex principiis oriri. Alterum est peccatoris voluntas gratiæ obicem statuens; alterum Deus est, qui secundum sapientiæ, atque Justitiæ suæ ordinem, gratiæ lumen illi subtrahit, qui eidem resistit. Ita Deus est causa cæcitatis spiritualis per accidens, vel per luminum suorum subtractionem, quibus impii sese indignos præbuere.

Distinctio inter cæcitatem, aggravationem, & indurationem.

Cæcitas, aggravatio, & induratio cordis tria sunt plus, vel minus distincta, secundum varios effectus Gratiæ, quæ sapientiæ suæ dono perficit intellectum, & igne Charitatis cor ipsum emollit. Quoniam vero visus, & auditus Doctrinæ, atque disciplinæ inserviunt; hinc fit, ut cæcitas quatenus ad visum, & aggravatio vel surditas quatenus ad auditum referuntur, pertineant ad intellectum, indu-

induratio vero ad cor. Priora duo non differunt igitur inter se: nisi pro variis rationibus, quibus idem objectum concipitur; utrumque tamen reipsa differt a tertio.

Tres sunt diversæ causæ cæcitatis. Spiritualis cæcitas, & cordis induratio, quatenus gratiarum subtractionem significant, ex improbitate nostra, Dœmone, ipsoque Deo, sed variis rationibus proficiscuntur. Improbitas enim nostra causa est, quæ meretur, ac sibi tantum conflat supplicium; Dæmon vero tamquam tentator inductione, atque sollicitatione sua causa est; Deus denique causa & ipse est propter divini luminis subtractionem; sed eo uno in sensu, quem explicuimus.

Quodvis peccatum cæcitas est, in qua posset Deus omnes illud perpetrantes deserere. Hac tamen severitate non semper utitur in omnes, ut ex familiari divinæ Justitiæ dispensatione videmus supplicium hoc in illos tantum labi, qui in peccato suo convaluerunt, & longa peccandi diuturnitate, & magnis sceleribus. Hæc est Sancti Gregorii Magni animadversio in ea verba Job: Dominus cognoscit opera hominum & super illos obscurissimæ noctis tenebras inducit; *Inducet noctem*: & ait in illos tantum noctem inducere, qui in peccatis suis voluptatem nacti de industria a Deo recedunt, ne videant vias, quæ ab ipso edocentur: *Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt*. Job 34.

Nemo ita derelictus est, ut corrigi nequeat. Præsupponendum etiam est cum Divo Thoma, errare contra fidem, qui putat excæcatum peccatorem, donec viator est, sese corrigere non posse, & ad frugem reverti. Deus nullos misericordiæ suæ limites circumscripsit, neque intra certum peccatorum numerum, certumque tempus illam coegit. Nulla in peccatore nox est adeo tenebricosa, ut subinde aliquod gratiæ lumen non affulgeat, quo si vellet uti, majora obtinere, quæ tandem efficerent, ut ad se reverteretur. Dicendum ergo est, peccatorem quantumvis a Deo derelictum adhuc recipere gratias, sed infrequentiores, remotiores atque mediatas. Infrequentiores; peccator enim non æque frequenter, ut olim, Divino illustratur lumine, regitur, afficitur: remotiores; sunt enim tamquam fulgura procul micantia, & Dei iram, & indignationem æque ac ejusdem misericordiam indicantia: mediatas, exempli causa, gratiam orationis, quæ nemini unquam negatur, per quam peccator conversionis suæ gratiam assequi potest.

Peccatores nonnullos Deus ex cæcitate vehementibus gratiis de eorum nequitia triumphantibus educit; alios vero tradit in desideria cordis eorum, & in affectuum ipsorum perturbationem; sed hac de causa, ut ex diversa hac ratione in aliis quidem videamus, quid misericors ipsius gratia valeat, in aliis vero, quid justa ejusdem possit vindicta, ut docet Sanctus Augustinus, l. 22. de Civit. Dei. Si omnes homines in pœna damnationis permanerent, quæ ipsis jure debetur; in nullo misericors Redemptoris gratia enituisset, si e contra omnes de peccati caligine fuissent erepti, ut gratiæ & gloriæ lumine perfruerentur, divinæ ultionis severitatem minime cognosceremus. Operæ igitur pretium fuit, ut quosdam suæ misericordiæ subsidio liberaret Deus, alios vero propriæ traderet iniquitati: sed scrutari velle, cur hos potius, quam illos servarit; hoc sane est velle judiciorum Dei abyssum penetrare: *Deus cujus vult miseretur, & quem vult indurat*. Ad Rom. 9.

Quomodo peccator seipsum excæcat. Voluntas etiam peccatoris ipsum sua excæcat nequitia: *excæcavit illos malitia eorum*. Primum rationem avertit a Sanctorum luminum consideratione; Secundo sese fortiter applicat iis omnibus, quæ ea lumina delere, & extinguere possunt: Tertio ex objectorum sinu vapores attollit, caliginem rationi offundentes, ne videant; hoc est efficit, ut iis tantummodo vacet, quibus seduci potest, & anima his occupata rebus se facile exterioribus mundi speciebus decipit, quæ illam alliciunt, neque sinunt videre vanitatem earum rerum, quas speciosa illusione abscondunt, potius quam ostendant.

Cæcitas non solum causa peccati est, sed etiam effectus; & quadam mutuæ causalitatis specie illud producit, & ab illo producitur. Ex quo peccatum cor ingreditur, quod non accidit, nisi fuerit pluribus nubibus perturbatum; inde lumen expellit, & homo, qui seipsum excæcat, ut peccet, ex quo peccaverit, magis cæcus evadit. Quamobrem Sanctus Thomas affirmat, quodlibet actuale peccatum in unoquoque nostrum easdem plagas efficere, quas originale universæ inflixit naturæ, quarum prima mentis est cæcitas ad innumerabilia mala disponens. Verum hæc omnia communem dumtaxat exprimunt cæcitatem: ea autem, de qua hic sermo, magnus est effectus, magnumque supplicium, quod præcedentia peccata subsequitur cum majori, vel minori cæcitate conjuncta, sed hac semper minus gravi, & minus extensa.

Cæcitas magis proprio nomine appellata, vel cæcitas status ipsa quoque est pœna peccati, sed magis terribilis, quam reliqua omnia supplicia, quæ in illius comparatione pro nihilo habenda sunt; quoniam reliqua omnia vel non adeo generalia sunt, quemadmodum altera illa cæcitatis vulgatioris pœna, de qua modo fuit sermo, vel etiam inserviunt, ut corrigamur, & saluti nostræ serio cogitationes impendamus. Sed hæc prima est, magisque sensibilis nostræ reprobationis nota, & certissime nos in æternam infelicitatem adducit, citra divinæ misericordiæ miraculum, & omnipotentis gratiæ cœlestis auxilium. Spiritualis cæcitatis mala.

Certa autem indicia, quod quis ad hunc cæcitatis statum devenerit, sunt, quod ob vitia non erubescit amplius, atque effrons, atque impudentissimus factus est. Secundo quod virtutem vituperat, & eamdem probro vertit illis, qui eam exercent & palam profitentur. Tertio cum omnem Dei metum, omnemque Religionis sensum amisit, quod apertissimum signum est, peccatorem a Deo fuisse derelictum. Notæ, & signa cæcitatis in peccatore

Peccata, quæ vulgo in mentis cæcitatem & cordis obdurationem inducunt, sunt primo impudicitia: quotidie enim docet experientia, eos, qui se huic mancipant vitio, carnales fieri, & quodammodo in brutorum naturam transire. 2. avaritia, & amor terrenorum bonorum, qui efficit, ut cœlestia minime cogitemus. Tertio: Sacramentorum abusus; non enim ulla alia re cor magis induratur: Quarto: Impietas incipiens, & nondum consummata; in his, quæ ad fidem pertinent, licentia. Si jam absoluta est cæcitas, tunc non inceptio, sed quemadmodum diximus, est signum præsens, atque manifestum perfectæ cæcitatis.

PARAGRAPHUS VI.

Loci ex Asceticis libris atque Neotericis Concionatoribus delecti in hoc argumento.

CUM Scriptura loquitur de spirituali cæcitate, hoc illa præstat vocabulis in speciem ita sibi adversantibus, ut difficillimum esset eorum vim intelligere, nisi ab eadem nobis explicarentur. Modo inquit homines a peccato suo excæcati: *excæcavit eos malitia eorum*. Sap. 2. modo hanc cæcitatem Deo tribuit, tamquam auctori: *excæca cor populi hujus*: Isai. 6. modo causam imputat Dæmoni, qui hujus sæculi Deus appellatur; *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium*: 1. ad Cor. 4. modo cæcitatem hanc, tamquam excusabilem, & venia dignam ostendit: *misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci*: 1. ad Timoth. 13. & modo illam damnat, & acriter in illam invehitur. Hi, quemadmodum vides, complures sunt loci, propter quos in errorem plurimi labuntur, & qui ipsius Scripturæ testi- Ratio, qua Scriptura loquitur de spirituali cæcitate.

testimonio sunt explicandi, perspicue distinguentis cæcitatem, quæ peccatum est, cæcitatem, quæ est causa peccati, & cæcitatem, quæ peccati effectus est, vel supplicium. *In Quadragesimalibus Sermonibus, quibus P. Bourdalove nomen inscriptum est; concione pro Feria quarta post Dominicam quartam.*

De ignorantia affectata. Quædam cæcitas ex se noxia est, quam Doctor Angelicus explicat, dicens hanc ab homine affectari, in hac ipsum sibi complacere, in hanc se immergere, hanc abjicere nolle, & per hanc dicere; illuminari nolo atque in tenebrarum mearum caligine tanta voluptate perfundor, ut in eadem permanere maxime cupiam. Hoc est commune flagitiosorum, Atheorumque peccatum, quibus cum satis superque luminis suppetat; ut Deum agnoscant, de industria tamen, ne illum agnoscant, seipsos excæcant: hæc est *summa delicti*, Tertullianus ait, *nolle agnoscere, quem non possunt ignorare*. Ita quovis tempore egerunt Hæretici malæ fidei; illi videlicet, qui ideo Hæretici sunt, quia esse volunt; non enim desunt, qui quidquid accidat, pertinaciter numquam sese victos dedere volunt. Hoc etiam est peccatum eorum, qui voluptuosam sæculi vitam sequuntur, qui, ut majori vivendi licentia abutantur, atque pro libidine vitæ hujus deliciis perfruantur, nolunt audire eos, qui sibi de veritatibus æternis loquuntur. Id genus hominibus mundus refertus est, qui JESU CHRISTO dicere videntur, *recede a nobis; scientiam viarum tuarum nolumus*. Job 21. *Idem*.

Plurimos excæcat avaritia. Plurimi sunt fideles, qui in dubitationibus illis, quæ circa legem suboriuntur, illuminari nolunt; nolunt enim ea adimplere quæ in lege jubentur: *noluit intelligere ut bene ageret*. Psalm. 35. Quidam in magnis versatus est negotiis, & licet temporum calamitas adversaretur, magnas collegit divitias; Quidam justitiam exercens perperam sua protulit judicia: quidam alienæ sese immiscuit rei, ibique maximam nactus est utilitatem. Si quando mercator, judex, officiosus homo, quidquid ab ipsis factum fuerit diligentius ad examen vocarent, fidei maxime consonum est, ipsos inventuros & injustitias resarciendas, & restitutiones faciendas, vel saltem promissiones explendas. Hæc omnia nimium negotium facesserent; hæc enim consideratio cogeret, ut iis, quæ debent, facerent satis. Illi autem quid? hæc omnia suffocant, & ut hoc negotio se expediant, illius cognitionem sibi auferunt, & cognoscere nolunt, quid debeant, ne satisfacere teneantur. O cæcitatem voluntariam! o ignorantiam adfectatam: *Noluit intelligere, ut bene ageret. Idem P. Bourdalove*.

Ex omnibus peccatis nullum magis oppositum est saluti, quam hæc cæcitas voluntaria; hæc enim proprie peccatum est, quod gratiarum omnium principem nobis aufert, videlicet cognitionem. Oportet autem, Deum, ut nos salvos faciat, inde incipere, in quo tamen Deus, licet Deus sit, ordini naturæ sese conformare tenetur; quandoquidem sicut in ordine naturæ agere non possumus, quin cognoscamus; similiter in ordine gratiæ Deus salutem nostram operari non potest, nisi illius nobis voluntatem immiserit, neque voluntatem potest immittere, nisi cognitionem tribuerit! Quid ergo facimus, cum huic cognitioni resistimus? Renuimus operari salutem nostram, & primum hoc lumen fugientes aliis abrenunciamus gratiis, quæ nos salvos facere possunt. *Idem*.

Illi, qui in adfectata, aut vincibili versantur ignorantia earum rerum, quæ ad salutem suam pertinent, coram Deo inexcusabiles sunt; agunt enim vel contra lumina sua, vel contra suas dubitationes. Deus autem hujusmodi excusationes non patitur. Si aliquod hujus sæculi negotium ageretur, tibi non deesset lumen: deest tibi lumen tantummodo pro tuæ salutis negotio. Verum quamvis minime ageres contra propria lumina, ageres saltem contra dubitationes tuas; & quamquam non aliud haberes lumen, quam ipsam dubitationem; incertum hoc lumen satis esset, ut peccatum admitteres. Hoc tecum diligentius reputa: statim ac dubito, utrum aliquid peccatum sit necne; & illud nihilominus ago, jam pecco. Ambigo, utrum res illa mea sit, necne; eam tamen arripio; jam furti nomine damnor. *Idem*.

Quomodo Deus peccatorem excæcat, & quomodo hoc sit intelligendum. Achab impius est, Deus inquit, illum excæcare volo, & fallere; volo etiam ut illum sui Prophetæ excæcent, & fallant: *Dominus dedit spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum*. 2. Paralip. 18. Nonne diceres; ergo Deus est, qui positiva actione illum excæcat? nequaquam, inquit S. Augustinus; Deus, qui ipsa veritas est, fallere non potest, & si quem excæcat, hoc quadam permissionis specie, non ulla actione peragit; patitur enim nos falli, non nobis errorem inspirat: si enim Deus positive peccatorem excæcaret, calamitosus hic in eo statu legem adimplere non posset, & hæc illi impossibilis fieret. Quid facit ergo Deus, cum nos excæcat? nihil facit, & Deo nihil faciente in cæcitatem decidimus. Nos flagitiis, sceleribusque nostris implicitos videt, & nobis quædam summovet lumina, quorum ope salutem nostram fuissemus operati: lumina pretiosa, lumina, quæ suis electis ille concedit, lumina, quæ nobis res omnes, quales revera sunt, ostenderent, lumina penetrantia, quæ mundi vanitatem, spei ejusdem fallaciam, & promissionum illius versutiam detegerent, lumina, quæ ad nos accedentia cor ab hujus mundi affectione divellerent. Hæc autem nobis lumina submovet Deus, cum irritatus est contra nos, & hæc illa sunt, quæ præsentia vel absentia sua nostram cognitionem, vel cæcitatem efficiunt: & hinc accidit, quod cum illa nobis sublata fuere, Deus sævissima pœna in nos animadvertat. *Idem*.

Aliæ quæcumque pœnæ, quibus Deus nos affligit, vel punit præter hanc, nihil habent non utile nobis; cum enim videtur Deus a nobis recedere suæ in nos Justitiæ tela depromens, tunc nos recipit per misericordiam, atque sua ad nos accedit clementia; ibique quædam est Justitiæ & misericordiæ commixtio, cum cæcitas meræ sit effectus justitiæ; *judicium sine misericordia*. Cum me affligit Deus, cum me calamitatibus percutit, cum ægritudines immittit, vel hujus mundi divitias aufert, mihi non deest, quo mea mala consoler; sed cum me excæcat, hic merus est Divinæ Justitiæ effectus, & me eo punit supplicio, quod pœnas damnatorum quodam modo imitatur. Qua enim in re reproborum pœna consistit? in hoc sane quod quo magis torquentur, eo sunt pertinaciores. Hæc non amplius est mera temporalis pœna, immo æterna vocari potest; quæ incipit quidem, sed quæ numquam est desitura; morte, quæ reliquis finem imponit, hanc tantummodo immutante. Sicuti enim beatus de lumine transit in lumen, de claritate in claritatem, de lumine gratiæ in gloriæ lumen; ita reprobus de cæcitate transit in cæcitatem, de tenebris peccati ad inferni tenebras, quamquam jure dici queat, cæcitatem non aliud esse, quam infernum inchoatum, quemadmodum infernus non aliud est, quam cæcitas continuata. *Idem*.

Peccatorum cæcitas. Peccatores omnes mere sunt cæci, cæcitas enim est pœna peccati, juxta illa Sophoniæ verba; *ambulabunt, ut cæci, quia Domino peccaverunt*: Sophon. 1. non vident vel inferni flammas, vel gloriam Paradisi, vel peccati turpitudinem, vel pulchritudinem virtutis. Sed magis adhuc sunt cæci, quam cæcus Evangelicus; hic enim cognoscit cæcitatem suam, & nihil intentatum relinquit, ut aciem oculorum acquirat, sed peccatores plerique, se oculorum acie pollere putant, & suam ægritudinem amant; tantum abest, ut curationem inquirant. *Si cæci essetis*, respondit Joann. 9. JESUS CHRISTUS Pharisæis, *non haberetis peccatum*: hoc est si vestram cognosceretis cæcitatem, vere essetis illuminati; quippe ad medicum confugeretis; *nunc vero dici-*

dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet. Quasi illis dixisset JESUS: quia vos perspicue videre putatis, nullam cœcitati vestræ medicinam quæritis, quæ ideo numquam curabitur. Nonne plerisque peccatoribus accidit, qui secundum Isaiam Prophetam, bonum, malum, & malum bonum appellant? tenebris nomen luminis tribuunt, & lumini nomen tenebrarum? Metuamus hanc dispositionem tamquam apertissimum reprobationis indicium. *Concionator Neotericus Homilia in Dominica Quinquagesima.*

Donec anima nostra cœlesti lumine fruitur, animi nostri ægritudines quiescunt, & silent; at ingruitne nox? nullæ sunt passiones, quæ crudelium ferarum ritu centies per nostrum cor ultro citroque non pertranseant. Avaritia, ultio, impudicitia, ambitio, odium, invidia, quas Patres leonibus, tauris, tigridibusque comparant, anima nostra potiuntur, eamque crudeliter laniant. Donec fidelis gratiæ lumine illustratus est, quænam monstra non prosternit, quos affectus non superat? sed cum in scelerum suorum nocte versatur, similis est excæcato Samsoni, suas vires, & robur amittit, affectuumque suorum furori se tradit. Eo in statu fit inimicorum suorum ludibrium, se capi sinit, in vincula detrudi, atque omnibus animi sui facultatibus jugum imponi. Tunc Dæmones, quos antea conjiciebat in fugam, in illum suam rabiem evomunt: de tenebris transit in tenebras, de passionibus in passiones, de vitiis in vitia; donec sibi non amplius integrum sit, suas catenas infringere. Judas sua se excæcari avaritia passus est; numquid in ea quiescet? haud ita sane: perfidia cor ejus pervadet, & ut suæ cupiditati faciat satis, prodet Dominum suum, eumque sævissimis hostibus venundabit. Jam suæ iniquitatis pretium recepit; numquid in eo quiescet? haud ita: desperatio, & furor illius invadent animam; ipse sibi carnifex erit, cum non alia turpior manus eidem mortem possit afferre: *Facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ.* Psalm. 103. *Auctor sermonum Christianorum in secundam Adventus Dominicam.*

Peccatoris cæcitas magis horribilis quàm tenebræ Ægypti. Jure Moyses eas plagas recensens, quibus Deus Ægyptum percussit, ut Pharaonem converteret, tenebras tantum vocat horribiles. Etenim profecto neque fluviorum in sanguine immutatio, neque exercitus insectorum, qui illum in ipso usque cubili, & penetralibus obsederunt, & omnes terræ fructus depasti sunt, neque terribilis lues, quæ omnia jumenta delevit, neque grandines, quæ mortem iis, quoscumque attigissent, inferebant, neque tonitrua, quorum fragor firmissima quæque ædificia concutiebat, aliquid in se horroris habent, si cum ea tenebricosa nocte comparentur, quam Patres semper spectarunt, tamquam funestam cæcitatis peccatorum imaginem, qui in sceleribus suis convaluerunt, & quas nullum miraculum inde potest evellere. *Idem.*

Deus nullam ponit in animabus pravam qualitatem (S. Th. ait) quæ earum cæcitatem efficiat; suam tantummodo summovet gratiam, quæ illarum lumen est; idque non injuria; nihil enim justius est, quam sinere, ut in errorem, & cogitationum suarum depravationem ille ruat, qui sponte lumini, & veritati oculos clausit. Deus nequit esse auctor peccati, sed permittit, ut peccator per obstinationem perficiat, quod per nequitiam suæ voluntatis incæpit. Avertit se homo a Deo; æquum est, ut se Deus ab homine avertat; ille diligit tenebras; illum Deus in tenebris relinquit; ille interiori gratiæ miraculis, bonisque exemplis resistit; non tenetur Deus prodigia operari, neque victrices gratias tribuere eam fracturus nequitiam, quæ suæ clementiæ adversatur, & quam ipse peccator sibi in cæcitatis suæ materiam convertit. *Idem.*

Nascimur excæcati, post quam fidei lumi- Verum est, si omnes cæci nascimur quatenus Adæ filii, Adam alterum in Baptismo nobis visum restituere, quem primus abstulerat: & licet nemo sit nostrum, de quo Adam dicere nequeat, quod parentes illi cæci nati: *nos scimus, quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est:* nemo etiam nostrum est, qui ex salutari hoc lavacro emergens dicere nequeat, quod cæcus ille, postquam JESUS oculos illius illeverat sputo; *cum cæcus essem, modo video.* Et sane Dei Filius nobis oculos aperit, in mentibus nostris fidei lumen accendit, & omnes tenebras procul expellit. O nos beatos, si in luminis hujus claritate semper ambulaverimus, & si ad lucem hanc gressus nostros direxerimus! sed nos miseros! cito in pristinam cæcitatem relabimur, cito Divina hæc extinguimus lumina, quæ fides in mentes nostras effuderat. Nonne jure dici potest, plerosque homines suæ rationis luminibus cum primum utuntur, jam tunc illis abuti, ut fidei lumina impugnent, & extinguant?.... Funestam, & miseram cæcitatem, propter quam detinemus in injusta captivitate omnes Divinas veritates, quarum lux nobis affulsit, & quibus æque parum usi sumus, ac infideles, & barbari, qui easdem numquam intellexere! De la Font *propositione pro Quinquagesima Dominica.* nibus fulmus illuminati.

Cæcitas peccantis. Cæcitas mentis, & cordis vulgatissima est causa peccati. Peccator omnis cæcus est, & peccator non est, nisi quod cæcus. Si Deum, si seipsum, si peccatum cognosceret, hoc numquam patraret; numquid posset Deum contemnere, odisse, contumeliis afficere si illum uti est, maximum, optimum, justissimumque cognosceret? Numquid posset seipsum, ut facit, cum lethaliter peccat, præferre Deo, si seipsum, uti est, abjectissimum, miserrimum, & a Deo necessario pendentem cognosceret? Numquid posset magis, quam Deum, amare peccatum, si illud adeo horribile, uti est, adeo oppositum Deo, & sibimetipsi funestum cognosceret? Numquid posset in eo suam felicitatem statuere, si ejus effectus, & infinita quæ illud consequuntur mala cognosceret? Profecto non posset. *P. Nepveu tomo primo considerationum Christianarum.*

Primus homo creatus fuit in omnium naturalium luminum affluentia; peccatum illi aperiens oculos, ut suæ nuditatis turpitudinem intueretur; eosdem illi clausit, ne alia videret objecta, & quod illam concupivit scientiam, quæ ipsum minime decebat, ignorantiæ, & errori addictus fuit. Undenam homo ille adeo perspicax, adeo in reliquis rebus omnibus prudens, est adeo ignarus, & cæcus in iis veritatibus, quæ ipsius salutem respiciunt: adeo misere ratiocinatur, adeo loquitur imprudenter. Peccator est: in reliquis omnibus scitus, & perspicax, in scientia salutis puer est, & cæcus. *Ibidem tomo quarto.*

Quantum sit hoc Dei supplicium. Gratiæ subtractio causa est cæcitatis, & pœna qua passim Deus punit gratiæ contemptum, vel abusum. Dolent quidam, quod Deus patienter nimis peccatores ferat; sed ille clam suas ultiones exercet, quæ non ideo minus funestæ sunt, quod minus insignes: hoc autem submovendo peccatoribus lumina, quibus rebelles fuerunt, eosque fatali necessitate percutiendo. Quam communis est hæc fidelibus pœna! & sane nisi plerique cæci essent, eos ne videremus in tanta Dei oblivione, tantaque salutis suæ negligentia versari, parum adeo judiciorum Dei severitatem metuere; minimum laborare, ut illa prævertant; sese quotidie in æternæ infelicitatis periculum adducere pro fluxa fragilique voluptate, pro turpi quæstu; se in iis gloriari actionibus, quas Deus æternis destinat suppliciis: denique annos integros summa cum pace in iis volutari criminibus, quæ Dei odium, ac terribiles vindictas merentur, cum certo sciant se inferni ignibus torquendos esse, si in eo statu decesserint, neque sibimetipsis vel unam polliceri possint diem, qua non sint interituri? Quam incredibilis videtur in Christiano viro hujusmodi cæcitas! quomodonam fide conciliari potest? & nihilominus, quam familiaris est! *Idem.*

Pœ cordis induratione.

Deus, & homo aliquid conferunt cordis indurationi: homo illam incipit, Deus perficit: homo peccatum committens, Deus illud puniens: homo luminibus gratiæ resistens, Deus sua lumina subtrahens, ut resistentiam hanc ulciscatur: homo injustus est, & nequam seipsum indurans; Deus peccatorem indurans, justus est, & sanctus. Cæcitas mentis causa est obdurationis cordis: cordis obduratio cæcitatis est pœna. Aliis pœnis punit Deus tamquam Pater, sed cum homine indurat, punit tamquam inimicus. Cum alia Deus immittit supplicia, placari vult, eaque peccatorem compellunt, ut illum studeant delinire; in hac autem Deus suam quærit ultionem, neque peccator adnititur illum placare: aliæ pœnæ sæpe pœnitentes efficiunt, hæc nonnisi reprobos efficere potest. Cordis obduratio est reprobatio inchoata, si illam non metuis, væ tibi; signum est, te aliquam reprobationis partem habere! *Idem tomo secundo.*

Cordis obdurationem gravia subsequuntur mala. Lumen excæcat, vel perstringit, cor obduratum non illuminat, Dei flagella illud rebelle efficiunt, non subjiciunt; mala, quæ Deus immittit, illud opprimunt, non humiliant; Miracula stuporem injiciunt, non convertunt.... Visne cognoscere obdurati cordis indicia? hæc S. Bernardus describit. Cor durum est, inquit ille, quod neque atteritur pœnitentia, nec pietate mollitur, nec precibus flectitur, nec minis cedit; quod percussum magis induratur, Dei beneficiis ingratum, & gratiis infidum. Ad turpissima quæque flagitia non erubescit, ad maxima quælibet pericula non expavescit, nullam erga fratres habet humanitatem, nullam erga Deum reverentiam, vel metum. Præteritorum obliviscitur, præsentia negligit, futura non prævidet, denique suorum officiorum, suique metipsius obliviscitur. Hæc est obdurati cordis imago. O imaginem horribilem! Hæccine, tua est? Nisi omnia illius habes lineamenta, aliqua saltem tibi inesse fatearis necesse est. *Idem.*

Peccator, ut seipsum excæcet tria luminum genera extinguit.

Deus nobis tria luminum genera tribuit fidei, gratiæ & rationis; peccator ultro tres has faces extinguit, ac seipsum constituit in tenebris. Primum quidem fidei lumina extinguit, nihil amplius veretur; infernus, justitia Dei, æternitas illum non movent: *ipsi fuerunt rebelles lumini.* Job 24. Nequit delere fidem, sed in illum rebellat, oculosque claudit, ne videat, quod sibi ab eadem ostenditur. Alteram priori adjicit cæcitatem gratiæ lumina suffocans, hoc est, licet vividissima gratiæ sibi lumina affulgeant, semper in umbra mortis atque tenebris peccati delitescens. Rationis lumen nullam majorem obtinet apud ipsum vim, quam fidei, & gratiæ lumen: ratio enim in anima idem fere est, atque oculi in corpore. Oculos nobis concessit Deus, ut impendentia vitæ nostræ pericula præverteremus; cæcus enim sexcentis periculis patet, sive ab inimicis, sive a semetipso, cum in singulos gressus cespitare possit, & ruere. Hoc ipsum de ratione dicendum est; quæ est oculus animæ, & quæ nobis indita fuit, ut nos a peccato tueretur. Qui hoc lumine caret, jugiter labitur; eum tuto plagis afficiunt inimici, & ipse affectuum suorum, Dæmonisque efficitur præda. *Abbas de Breteville in specimine sermonum tomo secundo pro feria quarta post tertiam Quadragesimæ Dominicam.*

Tria sunt mortalium genera, qui pro salute sua excæcati, infeliciter illuminati sunt, ut videant ea, quæ non sunt; sapientes videlicet mundi, Hæretici, & flagitiosi. Sæculi hujus sapientes sequuntur dogmata mundi, quæ falsa sunt, & fallacia: cupiditas, atque utilitas duæ sunt faces, quibus illuminantur, & propter quas vident, quidquid non est. Hæretici quoque sunt ex horum perspicacium cæcorum numero ea videntium, quæ minime sunt, quin rerum potissimam partem, atque substantiam inspiciant, quin certissimis veræ Ecclesiæ notis, supremæ illius auctoritati, & Conciliorum decisionibus, quæ sunt vere lumina, adhæreant; sed seorsim nescio quem inanem fulgorem sequuntur, quo duce infelicia sibi perniciosarum opinionum phantasmata effingunt. Flagitiosi vivendi licentiam quærentes magis sunt deplorandi; falsam claritatem sequuntur, quam voluptatis flammæ effundunt, qua duce sibi videre videntur mortalem animam, licitas voluptates, mundum fortuito conditum gubernatumque, Infernum, & Paradisum, tamquam politicas adinventiones ad populos in officio coercendos: Omnia denique vera credentes, & nihil metuentes intrepidi vitam trahunt, donec tandem aliquando in Inferno ea videant, quæ in terris videre noluerunt. *Idem.*

Mundus cum illis, qui se ejusdem mancipant servituti, eodem pacto agere videtur, quo Rex Ammonitarum cum illis populis egit, qui illius sese subjicere voluerunt imperio; eos quippe hac proposita conditione recepit, ut singulis dexterum oculum effoderet: *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dexteros.* Hoc ipsum mundus facit; servis suis dexterum eruit oculum, hoc est prohibet, ne vera, & recta ratione res videant: Omnia sinistrorsum vident, omnia illis falsa luce involuta apparent, & prorsus alia ab illis, quæ sunt. *Idem.*

Miser peccatoris excæcati status.

Nihil magis deflendum est, quam excæcati peccatoris errores: nescit quo vadat; immo & quo ire velit. Lassatur, fatigatur, difficiles ingreditur vias, sequitur semitas præpeditas, quæ adducunt in præceps; & quæ illum mortali sollicitudine excruciant. *Lassati sumus in via iniquitatis.* Sap. 5. At quoties in hoc statu labitur infelix? Ubicumque abyssos invenit, & sine luce, & sine lumine fieri ne potest, quo minus in præceps ruat? *Fiat via illorum tenebræ, ac lubricum, & Angelus Domini persequens eos.* Psal. 34. Finge tibi hominem in quodam excelso, præcipitique loco positum, qui lubricus sit, gravi oneratum sarcina concubia nocte, atque gravi actum impulsu ab hoste crudeli, qui eumdem in interitum dare conatur: hic est status peccatoris in cæcitate positi. Denique miser hic ulterius agere non potest; suis vinctus est affectibus, libertas ejus imminuta est, & illum deserit gratia: quid in hoc statu post efficere? *Idem sermone pro feria quarta Hebdomadæ quartæ in Quadragesima.*

Animæ cæcitas a Regio Propheta mortis umbra vocatur: non eo solum, quod quemadmodum semper umbra subsequitur corpus, ita animæ tenebræ semper sunt æternæ morti proximæ: vel quod tamquam imago illius mali, quod mors corpori infert; hominem omnibus spiritualis vitæ muneribus privat, eumdem sine motu relinquens, quoad Deum feratur, sine cœlestium rerum sensu, sine actione supernaturali, unde argui possit aliquod vitæ residuum in anima superesse; vel quod quemadmodum oculus ex Physicorum animadversione prima pars est, quæ moriatur in corpore, postquam reliqua omnia membra deinceps alia post alia inoriuntur; ita per cæcitatem intellectus, qui animæ fax est, atque oculus, primum Eclypsim patitur, quem deinde voluntas subsequitur, ita ut nulla sit ultra in homine facultas, quæ tendat in Deum; sed particulariter, quia sicuti mors terminus est quietis, & consistentiæ, in quo æternum permanetur, similiter cæcitas, quæ est mortis umbra, fixus est, firmusque in peccato status, ubi nulla spes est mutationis, & conversionis. *Desumptum ex authore Anonymo, & recentiore.*

Deus excæcatum peccatorē deserit.

Cum Deus videt homines in peccatis suis occalluisse, & quin patrata scelera defleant, veteribus addere recentia nullo metu deterritos, tunc id facit, quod in Scripturis passim memoratur; Cœlum claudit, neque sinit ullam roris gratiæ suæ guttam decidere; nubibus suis præcipit, ut dicit Isaias, ne depluant, hoc est Evangelii sui præconibus imperat; ne Divinum verbum effundant, sed ingratas animas deserant, quæ eorum monitis semper aures obstruxerunt; tunc vero anima tamquam arefacta

tel-

tellus nullum proferens fructum, ubicumque sentibus dumisque tegitur igni devotis. Aliquam adhuc extrinsecus servare speciem potest, ne sibimetipsi horrorem cieat; & actiones quasdam efficere, quæ hominibus bonæ videantur, & quas tales esse ipse sibi persuadeat, sed dum hæ fiunt, cœlesti gratiæ rore non irrigatur, quo opera illa sancta, atque supernaturalia efficiantur. *Liber, cui titulus Vita Prophetarum, in vita Eliæ Prophetæ.*

Propheta Osee terribile hoc malum, & numquam satis metuendum exprimit, cum ait, Deum ingratas has animas in desertum esse redacturum, intuens quid de homine fiat, quem derelinquit Deus, ubi fuerit ab eodem derelictus. Quemadmodum enim in deserto nulli erant incolæ, nulla domus, esca nulla, ita anima, quæ sese peccatis abdidit, gratiis omnibus, quas receperat, expoliatur, sterilis bonorum operum, vitiorum fœcunda suis affectibus vincta instar sylvestrium ferarum eamdem misere dilaniantibus fit horrida solitudo, in quam (præter infrequentia, & inutilia aliquot dona) nulla cœlestis roris decidit gutta, a qua Deus, & Angeli recesserunt, & in qua soli Dæmones incolunt. *Idem in vita Prophetæ Oseæ.*

Sanctus Bernardus animadvertit, Dæmonem, ut peccatori caliginem offundat, tenebris æque, ac lumine abuti. Tenebris quidem illum excæcat, cum eumdem in mundanæ vitæ flagitiis detinens omnibus occupatum affectibus, omnibus mancipatum voluptatibus, in omnibus cætibus dissipatum, illi, & peccati, & Divinæ Justitiæ aufert intuitum. Namque in funestis hisce tenebris nihil amplius peccator videt, vel nihil videt, quale est, excusans omnia, omniaque levia putans &c. Lumine vero peccatorem excæcat Dæmon, cum gratia illi detegente, quidquid ipse tanta sollicitudine texerat, ut eumdem in desperationem injiciat, illi persuadere conatur, malum nimis percrebuisse, quam ut ullam pati valeat medicinam; tunc aperit Diabolus conscientiam sexcentis iisque difficillimis, quæ illas tuentur, rebus præpeditam; animæ perturbationem, voluptatibus deditæ, vitæ sexcentis iisque injustis negotiis irretitæ confusionem, horroremque nonnullorum enormium scelerum, quæ singularia sunt, & quorum extra se vix ullum exemplum inveniat. Hæc omnia chaos efficiunt æque horridum aspectu, ac difficile extricatu. *P. Aurelianensis sermone de Confidentia.*

Quomodo facile fit in cæcitatem labi.

Hoc interest inter veritatis semitas, errorisque vias, quod in illis nonnisi ægre & cum difficultate progredimur, tanta vero pernicitate in his currimus, ut jam in præceps ruere videamur, antequam errorem ipsum licuerit deprehendere. Et ratio constat; virtus enim a nobis tamquam aliena facta est, peccatum vero familiare. Post primi parentis peccatum quænam tenebræ super universam terræ faciem effusæ non sunt? nonne ex eo usque tempore corruptio radices quodammodo jecit in natura nostra, & concupiscentia nobis facta est veluti naturalis? Atque ut malis nostris accedat cumulus; malignus, atque seductor spiritus nonne specioso fuco, externisque illecebris involvit errorem, in quem homines studet impellere, ut facile, immo etiam cum gaudio, illuc trahi nos patiamur. *Sermo manuscriptus.*

Talis est, o fideles, torrens, qui tanta pernicitate vos rapit. Eo fortasse temporis momento, quo loquor, non tantum gradu abestis a præcipiti; pedem si profertis illuc lapsuri estis, inde fortasse numquam evasuri. Audite terribile illud supplicium, quod Isaias Propheta Jerosolymæ rebelli portendit. Contremiscite, fremite præ terrore, & exarescite, quippe Dominus super vos effusurus est spiritum saporis; vos est excæcaturus: *miscuit nobis Dominus spiritum soporis: claudet oculos vestros.* Isaiæ 29. Cumque oculi vestri Divina manu fuerint clausi, nonnisi tenebras intuebimini, & omnia vobis erunt abscondita. *Et quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.* Deut. 28. Incedent plena luce, quemadmodum nocte concubia; densissimis undequaque tenebris circumsepti. Hoc est; non desunt fideles æque cæci, ut non videant lucem fidei qua illuminantur, ac olim Judæi erant & hodie quoque sunt Ethnici in idololatriæ tenebricosa caligine. *Idem.*

In peccatoris cæcitate quædam adsunt luminis intervalla.

Neque putandum est peccatoris cæcitatem atque indurationem omni prorsus spe esse destitutam non desunt intervalla quædam rationis, quibus Deus aliquod lumen in illius animam immittit, ut terribiles religionis veritates recogitet. Voco rationis intervalla ea solitudinis momenta, quibus sopiti affectus sinunt aliquandiu ea videri, quæ abscondérant: voco rationis intervalla terrores, languores, mœroresque quos ætas senescens, quos oris forma evanescens, quos corporis valetudo effœta fere semper afferunt, ut verbo me expediam, brevem illam voluptatem, quæ percipitur ex illius rei possessione, quæ nimio ardore, nimiaque festinatione fuerat excupita; hæc voco rationis intervalla. Heu quam difficile est, his saltem intervallis aliquid intra nosmetipsos non sentire, quod efficiat, ut terribiles fidei veritates animo reputemus. His ergo momentis utendum est, ut ex erroribus nostris resurgamus. *Idem.*

Cum noxii affectus impiorum menti caliginem terram offuderint, perspicue ea, quæ ad Deum pertinent, minime intuebuntur, nisi ex hac servitute egrediantur. Cum violentus aliquis affectus cor nostrum erga aliquod objectum impulerit; huic integrum amplius non est judicium ferre, utrum lex, qua objecto illi interdictum fuit, sit æqua, necne: jam jam inimicus est illius religionis, quæ rei amatæ possessionem prohibet, eamque felicitatis suæ putat inimicum, & mens iis adumbratam nubibus, quas hic affectus offundit, religionis ipsius rationes audire non potest, neque eidem litem adjudicare. Ita flagitiosus homo, cujuscumque sectæ ille tandem sit, veritatem sincere quærens, ante cetera omnes auferre debet obices prohibentes, ne de veritate persuadeatur. Quælibet naturalis affectio menti caliginem offundit, eamque minus aptam efficit ad nubem, qua veritas ipsa tegitur, penetrandam: sed terrenarum voluptatum amor adversatur Evangelicæ veritati, quam ille damnatur: atque miraculo adscribendum esset, si anima illis abdita, hac in re intelligere posset rationem. Ita prima conditio, quæ ex eo petitur, qui in hoc statu versatur, est innocens vita, honesta, affectibus, sceleribusque vacua, ut incipiat vitam vivere Evangelicis legibus conformem. *Idem.*

Cæcitas est divinæ justitiæ supplicium.

Dei Justitia contra peccantium scelera irritata noxios punit affectus, quibus illi sese mancipatrunt, eisque ultrices tenebras offundit. Hæc ira præsertim apparet, in eorum negligentia, quæ ad religionem pertinent, & quæ ad insensibilitatem usque procedit, in hac profunda pace, qua peccatores, tamquam lethargico somno capiuntur, in odio illo, quo persequuntur quidquid inanem requiem turbare, ac illi afferre sollicitudinem potest; in hac jugi dispositione vivendi, gaudendi atque vitam suavissime traducendi. *Cum impius*, Sapiens ait, *in profundum venerit, contemnit*, *Idem.*

Heu! frustra cæcis lumen offertur, & canitur surdis! frustra conamur dissipare illusiones mentis, quæ diutius erroribus assuevit, & sceleribus sese jam abdidit; quæ præterquam quod complacet sibi in cæcitate sua, seipsam confirmare studet, ac tenebras suas aliis involvere tenebris, quemadmodum loquitur Sanctus Augustinus: *Tenebrans tenebras suas.* Hoc enim peccatum facit; cum in animam ingressum est; tunc illa infelicissimi status, in quem per inobedientiam redacta fuit, contenta, inde fere numquam egredi cupit; sese tradit suæ mentis erroribus, ut fallacem sui cordis semitam sequatur; renuitque ea cognoscere, quæ præcipit Evangelium, ne eadem tenea-

teneatur explere; neque versantur amplius ob oculos illius judicia, Dei, mors, paradisus, infernus &c. *Alius sermo manuscriptus*.

Potissima cæcitatis ratio. Quemadmodum arduum est diuturnum sustinere prælium inter affectus, atque rationem; ut majori cum tranquillitate fruatur impius vitæ præsentis voluptatibus, hoc init consilii, ut alteram evertat, vel infirmet, alteri satis facturus; hoc est, ne incompositorum affectuum suorum stadium intercidat, in corde suo puriores fidei sensus extinguit, omniaque rectæ mentis, atque rationis lumina supprimit. Hoc pacto importunos retundit conscientiæ stimulos, quam fallere adnititur; Ita citra sollicitudinem ac tumultum in sua vivendi licentia perseverat, & quasi lex concupiscentiæ suavior esset, quam lex rationis & æquitatis; vel quasi major esset felicitas, & gloria in vita brutorum potius, quam hominum ritu traducta, jam mavult omnem rationem exuere, quam libidinosam, flagitiosamque vitam relinquere. *Idem*.

Cum Deus in nos Justitiæ suæ procellas ciet, cum nobis ærumnas, atque tribulationes immittit, cum diuturnis, morosisque morbis non opprimit; fidei consonum est, ibi semper justitiam Dei cum ejusdem misericordia esse permixtam. Sontem supplicio afficere, hic sane justitiæ effectus est, sed illum afficere in tempore, ut servet in æternitate; hic est sane magnæ misericordiæ ejusdem effectus: & nos beatos, si hæc nobis acciderit fors, quæ est animarum prædestinatarum, ita dolorum crucifixi Dei participes fieri, ut mox in gloriæ ejusdem partem accedamus. Sed cum Deus cæcitate percutit peccatorem, hic puræ Justitiæ effectus est sine ulla misericordiæ mixtione: tantum enim abest, quod hujus generis supplicium illum ad frugem revocet, & quodammodo cogat, ad pœnitentiæ medicinam confugere, ut immo e contra magis, magisque in ipsius improbitate illum confirmet, atque in iniquitatibus induret. *Idem*.

Cæcitas animæ somno comparata. S. Augustinus animæ cæcitatem explicat hominis dormientis similitudine. Cum oculi nostri somno clausi sunt, cæci sumus; aliquid tamen videmus adhuc: si enim oculi sunt clausi, patet imaginatio; plurima efficimus somnia, locupletes esse putamus, atque in voluptatis, & copiæ gremio versari arbitramur: verbo, sexcentas nobis fingimus ideas. Hæc est (fideles) imago nostra. Vera objecta, quæ sunt coram nobis, nequaquam videmus, mutuum rerum creaturam sermonem, quo ad Dei cognitionem adducimur, non exaudimus: sed imaginatio nostra plurima nobis exhibet phantasmata: credimus in fortunæ bonis veras inveniri posse divitias, ubi non sunt: credimus voluptates veras in terra inveniri, ubi non sunt: sed cum morti proxima evigilabit anima nostra, tunc aperientur oculi nostri, atque terribilem cæcitatem nostram intelligemus. *Desumptum ex sermone manuscripto Mascaron*.

David esse nobis potest pro exemplo cæcitatis illius, ad quam peccator post scelus redigitur. Miser hic Rex annum traduxit integrum, quin seipsum cognosceret, postquam adulterium, & homicidium patraverat: cumque tandem sese collegit, tunc sibimetipsi ait: ubi eratis oculi mei? lumini oculorum meorum quænam caligo erat offusa? *Lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum*. Psal. 37. Et sane Princeps ille adeo cæcus erat, ut Propheta Nathan parabolam enarrante, quæ ad ipsum spectabat, licet alioquin summa intelligendi polleret vi, & perspicacia, tamen ipse contra se tulit sententiam. Cur autem? *Lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*. *Idem in alio Sermone*.

Mundi dogmata nos excæcant. Si affectus, licet perniciosissimi sint, tamen non satis vitium obtinent, ut cor ipsum corrumpant, mundi dogmata illis suppetias ferunt, cumque sint luminis veritatis prorsus opposita, effundunt mendacii lumina in illis, qui sibi adhærent. Si præcipit in Evangelio JESUS CHRISTUS, ut proximum diligamus, hæc nos disponunt, ut ipsum nostris utilitatibus sacrificemus; si ille inimicis veniam tribui jubet, hæc ut ultio expetatur, suadent, si ille divitias, tamquam summo cum periculo conjunctas damnat, eas esse putant necessarias, si ille humilitatem commendat: hæc superbiæ sensus inspirant. Itaque mundi hujus spiritu rapti adversamur spiritui Dei, & inconsulto, atque temere ea sequimur dogmata, quæ vera esse non possunt, quamdoquidem doctrinæ JESU CHRISTI, quæ ipsa veritas est, opponuntur. Si in tot infirmorum mancipiorum turba generosus aliquis inveniatur fidelis, satis strenuus, ut vincula sua valeat confringere, mundus, qui pati non potest virtutes, quas ignorat, nihil relinquit intentatum, ut ulteriorem deposcat. Ille infirmus est, qui hujus damnat infirmitatem, insanus qui voluptates contemnit, hypocrita, qui salutem suam operatur; denique omnia obtrectationis in illum tela contorquentur. & dicamne quod sentio cum timidorum ignavorumque fidelium probro? Horum sermonum metus prohibet sæpe peccatorum conversionem, qui ne hominibus displiceant, sese Deo mancipare non audent. *Pater de la Rue sermone de cæcitate*.

Inexcusabiles estis in cæcitate vestra; inde enim excusationem sumitis, ut in eo statu permaneatis, in quem vosmetipsos redegistis. Vos ipsi fidei lumen abjecistis; lumen gratiæ, quo illustrabamini, suffocastis, & rationis facem fere extinxistis, & velletis adhuc infirmitatem vestram excusare, vel confictam impotentiam quamdam prætexere? Si a recta veritatis, & vitæ semita aberrastis, si vos vobismetipsis foveam effodistis, in quam estis delapsi, si in hunc cæcitatis statum venistis, unde modo emergere integrum vobis non sit, nisi Divina misericordia subsidium ferat, vobismetipsis succensete, atque vos tantum hoc mali vobis conflasse fateamini. Utilius modo tamen vobis est, nullam erroris excusationem afferre: & hæc unica restat via, ut extremum conatum exeratis de miserrimo hoc statu evasuri, ut cum cæco Evangelico, cui JESUS oculorum aciem elargitus est, dicere possitis: *cum cæcus essem, modo video*. Utique, fratres mei, vos hoc agere potestis. Deus vobis proponit media, & adhuc satis luminis vobis est, ut hoc peragatis. Hic postremus est, fateor equidem, erga vos Divinæ misericordiæ conatus, sed quantum in vobis est eidem velificari debetis. Oculos aperite extremo fulgori luminis gratiæ vos illuminanti, & enixius flagitate Deum, ut vobis ejus periculi, in quo versamini, cognitionem aperiat. *Sermo manuscriptus*.

Verum est, cæcitatem esse tamquam pœnam scelerum nostrorum magnitudini debitam: Scriptura enim adeo aperte hoc docet, ut ambigere nefas sit. Achab impius est, Deus inquit, & vox sanguinis Naboth ascendit ad me de terra; illum excæcare volo, & permittam, ut seducatur; illius Prophetæ mendacia loquentur; non erit cum illis spiritus veritatis, & calamitosus hic Princeps ab illis falletur, & decipietur, qui eundem consiliis suis juvare deberent: *Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore Prophetarum tuorum*, dixit illi Deus per Prophetam suum: 2. *Paralip. decimo octavo*; quomodo autem hoc fiat, detegere, mysterium est, vel potius abyssus, quam Theologi nequicquam penetrare conantur. *Ex manuscripto sermone P. Stephani Chamillard*. Scriptura docet, Deum peccatores aliquos cæcitate percutere.

Scire sufficit, non positive, neque physica aliqua actione, ut loquuntur in scholis, Deum nobis offundere tenebras: alioquin ille injustus esset, & auctor peccati: sed quasdam summovendo gratias, cum quibus futurum prævidebat, ut sa-

ut salutem nostram operaremur, & quam nobis elargiri minime tenebatur: submovendo inquam quasdam gratias privilegiatas (absit verbo invidia,) & quibus illuminari cupiebat Regius Propheta inter aulæ suæ negotia sæculique tumultum: *Illumina faciem tuam super servum tuum*, Psalm. centesimo decimo octavo. *Revela oculos meos*, Psalm. centesimo decimo octavo. *Illumina tenebras meas*, Psalm. decimo septimo. Deus autem ubi irritatus est, nobis hæc lumina subtrahit, ideoque nos in statu cæcitatis relinquit, quæ maxima, & gravissima est pœna, quæ nobis in hac vita possit infligi. Maxima, inquam, tunc enim etiam cum populum suum alio quolibet supplicio afficiebat, populus ille Deum erga se paterna fovere viscera experiebatur. Frustra inter fulgura, atque tonitrua apparebat, frustra minitabatur, se illos derelicturum, omnemque fortunæ ipsorum curam prorsus abjecturum. Hæ licet auribus obstreperent minæ, populus facile intelligebat se adhuc a Deo amari, & ipsum curam sui adhuc habiturum. Quorsum autem? quod præter cæcitatem in omnibus Dei suppliciis, quæ tamquam Pater immittit, non deest quædam justitiæ & misericordiæ commixtio: cæcitas vero pœna est, quam judex irritatus infligit, ut inde justitiæ suæ effectus sentiatur. *Idem*.

Cordis induratio mentis cæcitatem super subsequitur.

Hanc cæcitatem criminosa obstinatio subsequitur, ideoque etiam cordis obduratio vocatur, ita ut peccator hac cæcitate perculsus in sceleribus suis sibi complaceat, atque inde egredi vereatur. Job eam nobis graphice paucis verbis exponit: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*, Job 21. Domine recede, luminum tuorum non egemus; etenim in eorum, quibus fruimur, bonorum possessione, nobis mœrorem afferrent. Si diligentius ea omnia ad examen revocaremus, quæ nobis Christiana imponit religio, quænam sollicitudo, quibus scrupulis anima nostra agitaretur? Crederesne? hac in re nos ipsos decipimus, & eos extinguimus sensus, quos ratio, & natura nobis injiciunt. *Idem*.

Quid accidit, cum permittente Deo, iis luminibus, & cognitionibus, de quibus sermo, destituimur? Cor, quod juxta Evangelii præcepta seipsum regebat, quod conscientiæ suæ motus audiebat, & sequebatur, quantum in ipso est, ea effugit omnia, quæ aliquam sibi dubitationem possent afferre. Ullane flagrat nefaria affectione objecti periituri? Eone in loco versatur, ubi licet temporum adversetur egestas, rationes congerendi divitias invenit? Exercetne ulla negotia, ubi sub duplicis contractus colore usuram involvit? Quin consulat eruditum aliquem virum, qui minimos etiam nequitiæ, pravæque fidei suæ detegat sinus, ne ulla cogitatione turbetur, hanc sibi aufert cognitionem, seipsum excæcat, quærit amicum, qui suis flagitiis conniveat, & ad scelera excusanda aliquam rationem inveniat. Satis frequens abusus; sed coram supremo judice minime profuturum, *Idem Pater Stephanus Chamillard*.

Ethnicorum Philosophorū cæcitas.

Sanctus Paulus in ea, quam ad Romanos scripsit, Epistola veterum Philosophorum deplorat interitum: cum enim Deus illos ad se pertraxisset suæ Divinitatis cognitione, atque perspicacis intellectus sublimitate; *Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit*, ad Rom. 1. ab hominibus sapientes haberi voluerunt, & secundum vias carnis incedere; Deum quidem agnoverunt, quin tamquam Deum colerent; hoc est illius contempserunt lumina, quæ illorum duces esse debebant: sed statim ac sese tradiderunt errori mentis depravatæ, atque corruptæ, errarunt quoque in inanibus ratiocinationibus suis, & cor eorum intelligendi vi destitutum non aliud amplius fuit, quam tenebræ. Tunc omni iniquitatum genere repleti sunt: facti sunt invidi, ambitiosi, superbi, turpissimis affectionibus dediti & nequissimis impudicitiis immersi: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, &c.* ad Roman. 1. *Idem*.

Quam illacrymabilis est infidelis animæ status ex Dei manibus elabentis, & excutientis jugum timoris illius? Cum impius ceciderit, Sapiens ait, in peccatorum abyssum, Dei sui oblitus, nihil amplius eum cohibet. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*, Proverb. decimo nono. Non est amplius timidus peccator, qui contremiscens peccet, & adhuc contra peccatum obluctetur, sed peccator est intrepidus, & audacter in viam iniquitatis incedens; non est amplius fragilis, decidens, atque resurgens, & inter errores suos pœnitentiam cogitans, sed est in malo constans, immutabilis in habitu peccati, qui cum omnia religionis abjecerit exercitia, omnem sibi ad pœnitentiam aditum interclusit. *Desumptum ex sermone Abbatis Mongin, qui pretium tulit Academia Parisiensis*.

Olim cum metus, vincula, & cognitio Divinæ Justitiæ, quam religio nobis adeo terribilem repræsentat in suis suppliciis, adhuc in officio peccatorem continebant; horribilis pœnarum imago iniquitatis exundationem coercebat, timor erat tamquam frænum affectibus, & tamquam vigilans, & severa custodia ad cordis ostium posita, ut inde vitia quælibet semoveret. Modo vero cum manus minitabunda non terreat, immo cum neque manus percutiens sentiatur, & Cœli tela in irritum abeant, quinam excessus! qui furor! quæ impietas! torrens est, aggeres, & valla distumpens; scelus secum alia scelera trahit, fluctuum instar fluctus alios propellentium & perniciosissimo gradu fluentium. In singulos gressus magis, magisque in abyssum demergimur; quælibet dies nova monstra parit, horrores nostri nobis stuporem injiciunt; quid de religione actum fuerit ignoramus; aperimus oculos, & nullum lucis radium affulget; inter Deum, ac nos nubem sine fine expansam intuemur, & caliginosam adeo ut penetrari non possit. Sensim mens in licentia eosdem progressus facit, atque cor; errores respondent affectibus: initium dedit timoris jactura; fidei jactura finem imponit. *Idem*.

O miram insensibilitatem inde ortam, eo quod Deus fuerit derelictus: vitium æque ac virtus suos habent gradus, suos progressus, & quemadmodum vir bonus, puta, Elias, non est opus diei unius, ita nemo repente fit Jesabel, & Achab. Ineptis primum rationibus suspendere potius incipimus, quam placare perterritæ conscientiæ procellas: mox sensim Dei gustum, & omnem pietatis sensum amittimus: denique confirmatum cor ex oblivione bonitatum Domini sui ad oblivionem sævissimorum judiciorum ejusdem gradum facit. *Desumptum ex alio Sermone, qui & ipse Parisiensis Accademia judicio pretium tulit.* *Per gradus in cæcitatem ruimus.*

Quædam adest proportio, & immutabilis ordo inter scelus, & ultionem, qua in hac vita Deus illud persequi consuevit. Concupiscentia nubem extulit inter peccatorem, atque rationem: ille quidem in vita sua sequutus non est eas semitas, quas gratia offerebat; Dei vero spiritus, ut ulciscatur ab eo recedet, cumque suis erroribus tradet. Veritas, quæ, ubi se ille huic præbebat attentum, magnam afferebat lucem, non erit amplius nisi levis, & evanescens fulgor, & pro puris religionis luminibus tenebras, quas tantopere adamavit, inveniet. Harum autem tenebrarum certius indicium est profunda ignorantia, quæ peccatoribus suæ infelicitatis aufert cognitionem, ut se a Deo derelictos intelligant: ambulant in umbra mortis, & umbram hanc lumen putant. Procul a Deo non sunt amplius populus ejusdem, & ipse non est amplius eorum Deus: omnes oculi præter oculos ipsorum aperti sunt, & palam statum eorum intuentur, atque opus est, ut Propheta irreparabiles ipsis impendentes calamitates annunciet;

Fugerunt diem, & illos subsecuta est nox; & quia cordis ignorantia illorum peccatum constituit, cæcitas mentis illorum supplicium constituet. *Idem*.

Homines se ipsos fallere, & excæcare quærunt.

Sanctus Paulus Thessalonicenses ita redarguit: non recepistis, neque amastis veritatem, quæ salvos vos fecit: Deus igitur immittet vobis spiritum erroris, qui vos excæcabit, & efficiet, ut mendacio credatis. In reliquis omnibus veritatem quæsivistis ne vosmetipsos deciperetis; vel ne illis alii ad vos decipiendos uterentur. Cum momenti alicujus lis vobis oborta est, eruditissimum quemque consultum juris adhibuistis, illi quid causæ vestræ prodesset, quid obesset, explicare voluistis, neque solum duorum, vel trium sapientium virorum monitum petiistis, sed plurimorum simul consulentium sententiam explorastis; atque lætati estis, cum adversarii vestri objectiones prævidebantur, ut illis posset occurri. Si hoc ipsum præcavissetis pro ea re, quæ magis interest vestra, scilicet pro bonorum vestrorum discussione, quorum major pars injuste fuit acquisita, haberet Deus rationem bonæ fidei vestræ. & hanc vobis mentem injecisset, ut eos consuleretis, qui vos ex erroribus vestris revocarent. *Auctor moralium sermonum*.

Hoc in statu nihil amplius cohibere vos potest; peccatorum numerus non recensetur amplius; circumstantiæ eorum non perpenduntur, illæ etiam quæ turpissimæ sunt, omnem jam exuerunt turpitudinem ipsis inhærentem. Quid autem ex infelici hac sequitur libertate? post hæc nullum crimen est, in quod non ruatur; scelus in aliud scelus pertrahit, peccatum alteri peccato viam sternit faciliorem, & per gradus in imum usque abyssi descenditur. Nihil amplius est, quam horror, impudicitia, libido, quilibet dies nova mostra producit; hæc sunt impietatis, atque licentiæ adinventa, *P. Cheminais sermone de relapsu*.

Hinc ea proficiscitur voluntaria cæcitas peccatorum, qua lumini oculos claudunt, eo quod hæc illis ea detegit, quæ studiis suis minime arrident. Molestam objiciunt veritatem, ut commodum errorem amplectantur, & volunt sibimetipsis satisfacere, illusionibus pasci, atque cum voluptate seduci. *De la Volpilliere sermone de Fide*.

Quos peccatores excæcet Deus.

Non desunt peccatores, qui de industria oculos claudunt lumini, & a veritate recedunt: *inducet mortem & conterentur . . . . . qui quasi de industria recesserunt ab eo*. Super hos effundet Dominus horribiles tenebras, eosque formidabili cæcitate percutiet. Videte Pharisæos in Evangelio; Poterat JESUS CHRISTUS majores faces accendere, quarum lumine calamitosi illi ipsum viderent, & recognoscerent? Aciem oculorum restituit illi, quem quotidie præ templi foribus intuebantur; pluribus testibus hoc miraculum confirmatur; hujus veritatem illi diligentissime explorant, & licet tot lumina ipsis affulgeant præ invidia manifestam hanc veritatem nolunt confiteri; eaque passio rabie acta ex eorum cordibus sexcentas nubes effundit, ut facti hujus celebritati caliginem quamdam offundat. *Fromentieres sermone de cæcitate*.

Dei filius cæcitatem hanc judicium vocat.

Dei Filius cum peccatorem aliquem illuminat, aliumve excæcat, tunc ait se exercere judicium: *In judicium . . . . veni, ut qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant*. Ne audeamus ergo judicium ferre velle de tanti Judicis judicio, inquit Sanctus Augustinus, & si quid nobis faciendum est, addit ille, contremiscendum est; *non judicium usurpemus, sed contremiscamus*: Vereamur, ne cum toties meriti fuerimus a Deo excæcari, in nos tandem meritis supliciis animadvertat. *Idem*.

Cogita hominis statum, concubia nocte iter habentis in lubrico inter loca ardua, & confragosa, Potestne proferre pedem, quin cespitet, & periculum adsit, ne ruat in præceps? Regium Prophetam interroga quinam sit cæcorum peccatorum status? hunc similem dicet viatori aberranti, nihil nisi lubricum, tenebrasque invenienti. Nonne ad hominem perdendum horum dumtaxat alterum satis est, S. Augustinus exclamat? *Idem*.

Proprius spiritualis cæcitatis effectus est quædam veluti necessaria catena scelerum, & iniquitatum; ideoque quis non credet, quandoquidem illam teterrimi effectus subsequuntur, gravissimum esse supplicium, quo Deus peccatorem percutiat? Quinam vero hoc credens, se hoc minime percussum iri sperabit? nonne scis unicam affectionem, quam foves, & in corde tuo adolescere pateris, hanc in te pœnam posse detorquere? Considera quousque cæcitas Pharisæorum processerit. *Idem*.

Quam difficile sit ex hoc statu emergere.

Ut intelligatis maximam difficultatem, ne dixerim moralem impossibilitatem, quæ in excæcati peccatoris curatione invenitur, hoc dicam solum; hominem in hoc statu positum calamitatem suam non cognoscere, quam si cognoverit, illam amat, & quam licet amare desineret, per se illinc tamen non posset emergere. Præter quam quod plurimi sunt peccatores, qui quamvis suam cæcitatem cognoscerent, ægre tamen se curari paterentur, eo quod suum amant statum, atque in eodem complacent sibi: *Cæcus eram, & tenebras amabam*, ajebat Sanctus Augustinus, qui postquam suam cognovit, & sensit infirmitatem, diutius in eadem permansit, quin illam relinquere vellet. In tenebris versabar, inquit ille, sed inde infelicitati meæ cumulus accedebat, quod illas amabam. Neque longius petenda ratio est: peccatores enim tenebrarum beneficio liberrime suis satisfaciunt affectibus. Cœli lumen ipsorum turbaret voluptates, ipsorum turpitudinem detegeret, ipsosque rubore suffunderet. *Idem*.

Cum cor perversum est, frustra lumen affertur, menti, cujus rei manifestum habemus in Judæis exemplum: Parabolæ enim, quæ maxima etiam mysteria efficiunt sensibilia, illis tamquam nubes erant, prohibentes ne illas cognoscerent. Nonne miracula viderant? nonne ipsi etiam fatebantur plurima a JESU CHRISTO patrari? *quia hic homo multa signa facit*? Nihilominus urgent hunc de medio esse tollendum. Cor eorum contra eumdem veneno tumebat, & causa erat, ut reliquis omnibus oculos clauderent. *P. de la Colombiere*.

Infelicitas peccatoris quem Deus excæcat.

Non deest communis causa cæcitatis cordis, nempe ipse Deus: *spargens pœnales cæcitates super illicitas cupiditates*, inquit Sanctus Augustinus; non quod positive peccatorem excæcat, sed quod illum non illuminat. *Auferetur ab impiis lux sua*, Job capite trigesimo octavo inquit. O nos miseros! quid videre potest homo, nisi Cœli lumen affulgeat? quemcumque conatum exerat, infirma ratio illius nihil cognoscit, nisi gratiæ lumine illustretur; sed frequenter, cum illius ingratitudo Dei misericordiam fatigaverit, arbitrio suo, suisque tenebris traditur, cumque excæcat Deus, ubi non illuminat. Formidabile supplicium? Non desunt tibi, O Domine inexhausti ultionum æque, ac gratiarum thesauri: elige quod supplicium malueris, ut me percutias, sed quæso, ne mihi tuum lumen auferas. *Sermo manuscriptus*.

In sanctissimis etiam domibus adsunt nonnumquam animæ peccato venundatæ, ut Prophetæ verbis utar. Non redargutionibus, non vigilantia, non Sacramentis, non bonis exemplis, non gratia moventur. Obdurantur ab infantia, & nullum pietatis sensum concipiunt; nescio qua improbitate, quæ ipsorum propria est, corrumpuntur: licet mortales omnes pœnitentiam agentes intuerentur, illi interitum suum nihilominus vellent.

vellent. Hæc eorum cura fuisse videtur, ut a Deo recederent, & callide a se removerent, quidquid ipsos ad officium posset revocare. Pii, sanctique sermones, optimorum virorum consuetudo, sapientum consilia apud illos suspicione non vacant, ubi ad frugem ab aliquo revocantur: *qui quasi de industria recesserunt ab eo*, Job trigesimo quarto. Si quid umquam miseratione dignum est; hoc sane est intueri hujus caracteris hominem indocilem fieri, frigidum, omnibus insensibilem; seipsum indurare, suum interitum, suamque damnationem majoribus laboribus quærere, quam si suæ studeret saluti. *Pater Cheminais Sermone, quem de solemni quadam habuit ceremonia.*

Errores, qui ex cæcitate proficiscuntur.

Nihil verius est, communiter loquendo, quam concupiscentiam, ubi fortior fit, excæcare nos in illis objectis, quæ sequimur. Inde existit fallax illa conscientia hodierna die adeo communis, speciosis innixa ratiociniis, ex quibus tamquam vallis aliquod sibi propugnaculum extruit, ut se ipsam, vel ab hominum censura, vel ab interioribus stimulis tueatur. Illinc tot simulatæ existunt usuræ, tot illiciti contractus, tot restitutiones neglectæ: Illinc illa affectatio evitandi, quidquid iis in rebus lucem posset afferre, quam ipsi respuimus, ne ea bona, quæ nobis placent, restituere teneamur. Tamquam scrupuli exploduntur dubitationes validis innixæ principiis, & ii tantum consuluntur, qui vel infirmi sunt, vel ignavi, vel qui in eadem causa versantur. Illinc tot prodeunt simoniæ gratitudinis titulo, confictæ & reparationis prætextu personatæ; inde ambages intentionis; totque amoris proprii in nobis fallendis solertissimi versutiæ; illinc meditatæ illæ rationes externam servandi speciem, simoniam cum honore, & citra metum exercendi, atque cum pace sese damnandi: illinc tot consuetudines pravæ, impudicæ, periculosæ, quæ honestæ amicitiæ vocantur, eo quod illas infringi, nostra non patitur concupiscentia: illinc tot licentiæ, & periculosæ, & flagitiosæ, quas nobis arripimus, eo quod nobis accidunt perjucundæ &c. *Pater Nepveu in Christianis considerationibus.*

Statue, si potes, S. Augustinus ait, cæcum in medio Solis: ad quid proderunt radii, quibus circumdatus est, nisi ut illius cæcitatem insigniorem efficiant? Solem habet præsentem, sed illius cæcitas efficit, ut absit a Sole. Esto quidem, spiritus Dei numquam obduratis peccatoribus sua lumina deneget; Esto facer aliquis orator eloquentia præditus speciosissima describat animæ pulchritudinem, quæ Cœli gratia perfruitur, atque turpissimam peccati exhibeat deformitatem, nec non in compendium, & Paradisi divitias, & horrores inferni tamquam in tabula proponat. Hæc omnia nihil proderunt; cæcus erit, cui non desunt lumina, sed desunt oculi. Hi propter nequissimas voluptates contabuerunt; avaritiæ pulvis, vel fumus ambitionis illos excæcant. *P. Texier Sermone de verbo Dei.*

Generale principium cæcitatis plerorumque hominum.

Hoc est generale principium voluntariæ cæcitatis, & obstinatæ fidelium stupiditatis. Omnes fere animi ægritudinem habent sibi imperitantem; omnes mordicus adhærent, vel proprio sensui, vel objecto, quod sibi blanditur: quæ cordis corruptio efficit, ut omnino fidei veritates abjiciant. Ita flagitiosi homines, quamcumque expellunt cogitationem, quæ illos torquet, & angit: vel hæc cordis depravatio fluctuantem spiritum tenet inter veritates, quæ nimis sunt manifestæ, ita ut negari non possint, & passiones, quæ sese dedere, detrectant. Fidei principia, quæ cum luminibus, secretisque naturæ instinctis consentiunt, scelesto huic viro evidens periculum repræsentant, in quo salus illius æterna versatur: Sed passio incalescens tenebricosum vaporem emittit, eam charitatem obumbrantem, quæ menti incipit effulgere. *Idem Sermone de cæco nato.*

Voluntas, libere a se avertit considerationem principiorum, quæ ratio, & fides exhibent sibi veluti faces, ad ipsam illuminandam. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Prætenquam quod, cum voluntas a concupiscentia seducatur, applicat imaginationem, ut objectorum, quæ amat sibi formet imagines: Intellectum quoque cogit, ut de utilitatibus, quas ibi nanciscitur, disserat, ita ut anima circumundique iis rebus obsessa, quæ corruptæ voluntati blandiuntur, nulla amplius habeat lumina, quibus fidem consideret. Adde his, vitium quoddam esse veluti densum velamen, quod nos ipsi oculis nostris objicimus: quemadmodum autem, cum oculis vitta clausos habemus, non solum minime videmus objecta magis visibilia, sed neque vittam ipsam oculos cohibentem aspicimus; similiter cum peccatur, & vitiosus aliquis habitus contrahitur, in eam cæcitatem decidimus, quæ vitium ipsum, ex quo genita est, nobis abscondit. *Idem.*

Simul conciliari possunt duæ Scripturarum loquendi rationes, quæ inter se videntur oppositæ; modo enim peccator redarguitur ignorantiæ, dementiæ, stupiditatis, cæcitatis, quod in tenebris ambulet, & nesciat, quid faciat; modo vero accusatur, quod contra sua lumina peccet, lumini veritatis resistat, propriis cogitationibus damnetur, & sua conscientia redarguatur. Hi omnes loquendi modi veri sunt, & nonnisi in speciem sibi adversantur. Peccator videt, & non videt, videt per intellectum, quem ipsi dedit Deus, & qui veritatem cognoscere potest, eamque regere; non videt per cor, quod in sublimiorem animæ partem jugiter nubes emittit, intellectui caliginem offundentes. *Desumptum ex moralibus sermonibus.*

Quomodo variæ hæc de re Scripturarum locutiones conciliari possint.

Privatio cœlestium luminum significat, animam mortuam esse gratiæ, quemadmodum lumen corporis mortuum hominem distinguit ab eo, qui vitam vivit naturalem. Ideo cum Scriptura verba facit de Ægyptiis tenebris, quæ tenebrarum animæ erant figura, his loquitur verbis. *Vinculis tenebrarum, & longæ mortis compediti.... tremebundi peribant.* Sapient. 17. Quid igitur? tenebræ, quæ ex corporalis luminis privatione procedunt, sunt mortis indicium; & animæ cæcitas idem non erit? in viventium numero non recensetur, qui solis lumen non videt; quo potiori jure tamquam mortuus habendus est, qui lumine gratiæ non fruitur? *Oculi lucis usu vitam distinguunt a morte*, Philosophus inquit. Cur non idem de oculis animæ dicendum erit? Hoc in sensu Regius Propheta Deum orabat, ut sibi oculos aperiret, eosque suis luminibus illustraret: *illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte.* Psalm. 12. Cur autem videtur nobis hoc enixius flagitare Propheta? nisi quod visus, & animæ vita idem sunt, & alterum omnino pendet ab altero. *Reina sermone 20. Quadragesimæ.*

De cæco nato Evangelico.

Me miseret hujus hominis (auditores) neque ferre possum eorum duritiam, qui illum clamare, & conqueri vetant. Cæcus est; numquid improbari potest cupiditas recuperandi bonum, sine quo ex Tobiæ sententia nulla esse potest in terris voluptas? *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen Cœli non video?* Psalm. 5. Credo equidem idem esse ferme vita, ac visu carere; & nullum fere discrimen invenio inter mortuum, cui oculi clausi fuerunt, & viventem, qui nonnisi in tenebris oculos aperire potest. Verum quamvis hic cæcus re ipsa miseratione sit dignus, non desunt longe plures, quorum conditio miserior est. Eos nostis (Auditores), Mundus enim hodie magis, quam unquam, hominibus hujusmodi refertus est. Hi illi sunt, quos Scriptura filios tenebrarum appellat, qui gratiæ, fideique lumina non sequuntur, & ut verbo me expediam, qui cæce falsa terræ bona depereunt, qui inania mundi solatia sequuntur, quin reputent, quid faciant & quem finem sint habituri: *Desumptum ex manuscripto sermone.*

Cæcitas peccatorem quodammodo similem damnatis efficit.

Maximum in hac vita peccatoris malum illud est, quod minus ille cognoscit; vivit in tenebris, & illas ignorat; languet in morte profunda, quin ne animum quidem advertat; concupiscentia omnes fere in illo faces extinxit, quæ eumdem illuminare consueverunt, rationem, gratiam, fidem, conscientiam; & caligo animæ illius effusa adeo densa est, ut vix ambigat, utrum sint illæ faces extinctæ. O tristem, deplorabilemque peccatoris conditionem, sese in suis sceleribus indurantis! Dicere possumus illius infernum hoc mundo initium ducere: aufert enim sibi Divinum hoc lumen, in quo Cœlorum pulchritudo sita est, & cujus privatio maxima est pœna damnatorum. Actum perfecto de ipso non est; justitiæ sol oculis ejus absconditus sese adhuc illi potest ostendere, cum damnato nulla spes adsit illius iterum videndi: sed nisi peccator resipuerit, neque finem imposuerit sceleribus suis, non aliud erit discriminis inter ipsum, atque damnatum, nisi quod damnatus ideo infelix est, quod suam sentit calamitatem, peccator vero quod eam minime sentit. *Liber cui titulus: Animadversiones in aliquot Religionis, & Moralis argumenta.*

Frustra peccatori proposueris rationes omnes, quæ eidem persuadere valeant eam voluptatem, quæ in sanctarum rerum consideratione, ac sanctitatis exercitatione percipitur: hanc ille non audiet vocem, eamque ineptam esse putabit speculationem, qua non movebitur: nisi fuerit expertus ea, quæ sibi dicuntur; in suæ ignorantiæ, atque indocilitatis caligine permanebit. Quod servi Dei sentiunt, illi inutilis est experientia, & sententiam non mutat: præventiones, errores, studia, habitus, quibus imbutus est, ideam, quam illi vellemus adstruere, prorsus abjicit. Sensuum voluptatibus assuetus, terræ adhærens, studiorum suorum captivus, quomodo gustare potest eas veritates, ac illud vitæ genus, quod moribus suis ex diametro opponitur? Si voluptas, quæ vitiis inhæret, cum ea simul esse posset voluptate, quæ sequitur virtutem, non esset operosum, eidem errorem auferre, eumque erudire; sed omnia deserat vitia, necesse est, ut eas puras, solidasque voluptates intelligat, quibus, qui virtutibus decoratur, perfruitur. Fidelis, cui aliqua insit suæ salutis cupiditas, contremiscere debet, si adeo funestum peccati effectum intelligit. Peccatum apud eumdem numquam omnem suæ fœditatis horrorem amittit; sed omnes virtutis illecebras abscondit, & delet. *Idem.*

Excæcati veritatibus Religionis non moventur.

Si minima etiam veritatis lux affulgeret, si fides vel infirmissimum radium suum effunderet, vel si oculi essent aperti, ut eum viderent; si soli etiam naturali rationi præberentur aures; fieri non posset, ut cor religionis nostræ veritatibus non quateretur. Dubitaretur, & in horribili hac dubitatione, considerationes orirentur, exclamaret conscientia; sed in hac profundæ mortis caligine, in qua sepultus est, in hac umbra mortis nihil videt, nihil cogitat, peccatum suum fovere cupit, ea quærit, quibus ali potest, hujusmodi tantum rebus afficitur. O justum, sed terribile supplicium Dei ita etiam peccatorem punientis!.... cur videmus, præsertim autem in mundo tot homines, qui nihil metuunt, in flagitiosissima vita lætissima cordis pace, omnique vultus serenitate fruuntur! quia Deus inebriavit illos vino furoris sui, eosque ebrietas somno alto sepultos tenet. Loquere dormienti, te non audit; illi ostende præcipitium, quo lapsurus est, illum non videt: fac ut in obduratorum auribus resonent terribiles cœlestium fulminum minæ sævissimæque sententiæ; aures ne præbent quidem, sub oculos eorum infernum pande, fac ut ardentes prunas, & inextinguibiles ignes digito tangant; ne sentiunt quidem. Obstupescerem equidem, si causa lateret: verum Propheta docet, Deum in illos immisisse soporem. *Miscuit vobis spiritum soporis.* Isaiæ c. 29. *P. Girouft in adventu suo Sermone de falsa pace conscientiæ.*

Hoc Dei consilium peccatorem excæcandi, atque indurandi severum profecto est: verumtamen peccator jure conqueri non potest; hic enim naturalis est frequentium rebellionum, & suæ obstinationis effectus. Si Deus illum sollicitare, & urgere cessat; tunc cessat, postquam frustra nihil intentatum reliquerit, ut illum urgeret, atque sollicitaret. Sed tandem tempus meum advenit, Salvator ait, & perquisitiones meæ ad hoc usque tempus nimis fuerunt inutiles, quam ut eas persequi debeam. Monita mea tibi molestiam inferunt; iterum non monebo: quidquid dico displicet tibi, silebo, vitam sine turbis vives; quandoquidem ita vivere vis. Fruere, uti lubet, iniquitatibus tuis, usuris, concussionibus, divitiis, impudicitiis: corona caput tuum rosis, ut impius transi de voluptate in voluptatem semper contentus, vel contentum videri gestiens: ficte huic felicitati tuæ non amplius obsto: illam vis, illam habebis, sed præstolor finem. Victima jam devota saginare, ut pinguiora præbeas alimenta flammis, quibus es absumendus; jam oculos vitta vinctos habes; jam ad aram accedis. Hic erit finis speciosæ illius quietis, qua frueris. *Idem.*

Peccatre excæcatus sceleri assuescit.

Hic est proprius character peccatoris in cæcitatem delapsi, ut in Dei offensione ita consuescat, ut citra horrorem eam deinceps intueatur. Labitur in improbe facta, aliquando ea meditatur, illis se præparat, longas nectit ambages, ut cedant e voto, præstolatur, & eadem explendi tempus, & occasionem expectat. Eorum intelligit circumstantias & effectus prænoscit, calliditate utitur, ut tuto quo contendit assequatur. Sapientes homines illius facta condemnant, at ipse eorum judicia contemnit: obices invenit, at illos infringit; ipsum redargutionibus suis sua conscientia discerpit, obstupescit: peccare vult, peccat: eo in motu quo rapitur, nihil illum valet coercere. Non ambigit, immo neque potest ambigere utrum improbe factum, quod meditatur, rationem lædat, & Deum: numquid erubescit? nequaquam, agit sine repugnantia, & sine metu, immo cum gaudio, & festinatione. Excogitarine potest apertius cæcitatis indicium? *Liber cui titulus Animadversiones in varia Religionis, & Moralis argumenta tomo* 3.

Hic status est plerumque hominum, qui mundi voluptatibus irretiti sunt; postquam viginti vel triginta annos in sceleribus consenuerint, nulla re amplius turbantur, & æque tranquille moriuntur, ac si vitam omnem in austerissimæ pœnitentiæ exercitatione transegissent. *Hoc non facit amor, sed stupor.* Securitas ista non ex charitate, sed ex stupiditate procedit, Sanctus Bernardus *lib. de Grad. humil.* ait; cæcitas, obduratio, impœnitentia, Divinarum, humanarumque legum contemptus in hanc impellunt calamitatem. *His cæcitas dat securitatem.* Plurimos annos in sordibus suis volutantur, jam animam sunt efflaturi, nullus ipsis metus est, nullus terror, atque Hieronymis, & Hilarionibus præ timore tabescentibus, ipsi intrepidi sunt, atque in impœnitentia moriuntur. *Joly in 3. propositione de Jubilæo.*

Mentis cæcitas sæpe ex affectibus illam obsidentibus oritur.

Ita Scribæ, & Pharisæi seipsos excæcabant in medio magnorum luminum, quæ haurire poterant ex præceptis, & verbis gratiæ & Salvatoris ore emanantibus, & quæ ipsi etiam non admirari non poterant. Furenti quippe in ipsum invidia præoccupati, atque metu perculsi, ne propter ingentem doctrinæ ejusdem splendorem inanem doctrinæ suæ fulgorem amitterent, in id unum incubuerunt, ut eumdem dedecore afficerent, & omnino perderent; rati se ita posse tueri eam, qua fruebantur nominis existimationem, tamquam temporum suorum doctissimi, atque sapientissimi. Duplex hic invidiæ, & ambitionis effectus illis ita potius est, ut ne animum quidem adverterent iis veritatibus, quas JESUS CHRISTUS nunciabat. Hæc fuit causa cæcitatis illorum earumque

que tenebrarum, quæ toties effecerunt, ut Salvatoris luminibus resisterent: hoc etiam pacto affectus quotidie eorum mentes obscurant, quorum cor possident, eique dominantur: & alterius corruptione, alterius fallendi, & corrumpendi viam nanciscuntur. *P. Campigny sermone de animæ cæcitate.*

Cæcum esse, Sanctus Augustinus ait, magnum profecto est malum; sed si cæcus non ambulas, saltem impingendi, vel cespitandi periculum fugis; vel si lente solum gradu incedis in æqua, stabilique via, non magnum tibi periculum instat: sed peccator in suæ cæcitatis statu est adeo infelix, ut non solum in obscuritate inveniatur, sed ambulare cogatur in lubrico, ubi hinc inde plurima sunt præcipitia: & ibi non lento gradu, quem prudentia suadet, incedere, sed ea ferri pernicitate, qua jubet impotentia terribilis hostis a tergo urgentis, ac ne spatium quidem spiritum ducendi relinquentis. Quomodo vero, pergit Pater idem, peccator medius incedens in tenebris, & in lubrico in præcipiti abyssi alicujus margine, persequente Dæmone ultricis Divinæ justitiæ ministro, quomodo fieri potest, ut eo in statu sæpius non ruat, & de scelere in scelus non cadat, atque repetiti lapsus illum in dies magis magisque venia indignum minime efficiant. *Idem ex Sancto Augustino.*

Peccatoris cæcitas insaniæ comparata. Sancti Patres magnum illud agnoscentes discrimen, quod inter animi, corporisque ægritudines interest, ubi exhibere volunt horribilem peccatoris cæcitatem, hunc phreneticis comparant. Phrenesis non corpus solum, ut reliqui morbi, verum mentem etiam invadit, eam obscurat, atque agitat, ita ut homines hujusmodi nequaquam ægros se esse affirment, medicis ipsis, ad se accedentibus, ut afferant medicinam, percutiendis parati: *phreneticus æger morbum amat, & pellit medicum*, S. Prosper ait. Ita peccator excæcatus mente, & voluntate corruptus, non solum pro bono malum, proque malo bonum accipit, tenebras pro lumine, & lumen pro tenebris, sed amat malum suum, irascitur in illos qui mederi volunt, nec magis unquam est æger, quam cum bene se habere opinatur. Neque audeat aliquis illum, in quo versatur, statum eidem ostendere: namque non solum ille non credet, sed in illos insurget, qui medicinam cupiunt afferre; sua enim in malo pertinacia ipsum omnino incurabilem efficit. *Liber cui titulus Christianæ instructiones pro decima octava post Pentecosten Dominica.*

Adsunt quidam, quibus non desunt lumina, immo quibus satis luminis est, ut alios illuminent; sed non utuntur illis, & cor eorum ita corruptum est, ut quin faciant bonum, quod norunt, illud oderint, & hæc cognitio illos magis irritet, ac torqueat. Impatientia, quam ipsis injicit hic dolor, efficit ut omnem collocent industriam oculis veritati claudendis, ita ut, si quam adhuc habent peccati, quod committunt, cognitionem, hanc habeant inviti, eaque tenuis sit atque imperfecta, neque satis habeat virium, ut illorum lapsum impediat. Sese tradunt fallacibus amoris proprii rationibus: affectus, qui eorum cordi imperitat statim dominatur, & menti; ac tandem nihil probibet quominus omnibus incompositis desideriis suis se penitus tradant. Ideo nihil melius ostendit extremam illam impotentiam, ad quam homo iste redactus est, quam videre, quod licet multum luminis habeat, hoc nihil prodest, ubi ipsius convaluerit concupiscentia: quotidie namque videmus illuminatos homines fere numquam secundum ea, quæ habent, lumina operantes. *Monsieur de Saint Marthe tom. 1. tractatuum suorum cap. 3.*

Vitia, & mala quæ ex cæcitate proficiscuntur. Cordis corruptio mentis cæcitatem semper concomitatur. Quomodo ergo asserit Evangelium, novissimis temporibus in mundo vix aliquam fidei scintillam reliquam futuram; necessario opus est, ut qui Divino lumini clauserunt oculos, deinde opera tenebrarum efficiant, ut illi, qui mendacium in Divinæ veritatis loco constituerunt, tradantur in turpes affectus, & cordis sui desideria, ita ut in omni iniquitatum, impuritatum, avaritiæ, & nequitiæ genera corruant, ut invidi fiant, homicidiæ, deceptores, maledici, calumniatores, superbi, sine charitate, sine fide, sine misericordia Dei, hominumque inimici. Verum est, Sanctum Paulum 2. *ad Timoth. cap.* 3. hæc vitia Philosophis Ethnicis tribuere, qui vere erant cæci; Verum nihil minus ait de Christianis carnalibus, qui sub sæculorum finem Ecclesiam sunt repleturi, cum eorum affectus in horridam hanc cæcitatem illos dejecerint. *Idem.*

Amor proprius fictorum luminum, falsarumque rationum fons est, neque illi deest industria, qua nos ad illas probandas licet ineptissimas inducat. Quamvis illæ sint monstrosæ mentis productiones, eæ tamen apertissimis, constantissimisque veritatibus a nobis præferuntur; illas amamus, quia ex corde nostro ortum sumpserunt, & quod amamus, nosmet illis subjicimus. Quicumque hoc nefario caractere præditus est, in maximo salutis suæ periculo versatur: prout enim magis, magisque peccat, adolescunt affectus, ac tenebræ ipsæ increbrescunt, quæ cum percrebuerint, auferunt illi necessaria ad salutem lumina, ac penitus in ejus corde, quidquid ibi reliquum est pietatis extinguunt. *Idem.*

Ne flagitiorum cœno alte demersis turbam afferat gratiæ motus, hic eo usque contemnitur, donec fallax conscientiæ securitatem comparatur. Sero pervenimus ad hanc cæcitatem, quæ arctius est cum reprobatione conjuncta, sed quemadmodum spiritus, ut plurimum, a corde reducitur, studemus ea non videre, quæ facere volumus, e. g. ludum amamus, vel noxio aliquo tenemur affectu, quidquid hunc turbare vult, tamquam quietis nostræ inimicum respicimus. Nihil relinquimus intentatum, ut conscientiæ inani metu perterritæ stimulos amittamus..... Contra rationem ipsam insurgimus, ubi falli gaudemus, & error quicumque affectum nostrum fovet, eique blanditur, magnas habet illecebras. *P. Croiset in Considerationibus spiritualibus.*

Quam communis sit in mundo cæcitas. Nihil frequentius in mundo videtur, quam homines cæci simul ac surdi. Hoc malum fere universale est, atque affirmare possumus, plerisque fidelibus, neque oculos esse ut videant, & cognoscant veritates, neque os, ut alios edoceant. *Os habent, & non loquetur; oculos habent, & non videbunt*. Psal. 113. Alii erudiri non cupiunt, fugiuntque cognitionem regularum, & dogmatum, quæ sibi est maxime necessaria: alii hæc audiunt, & vident, hæc illorum oculos afficiunt; verum cum non afficiant cor illorum, neque ullum in operibus ipsorum deprehendatur earum veritatum indicium; hujusmodi homines, tamquam veri cæci habendi sunt. Si eorum oculi sunt clausi, si non utuntur illis, uti deberent; opus est, ut linguam eorum ita vinculis adstrictam esse, ut loquela careant, quemadmodum carent intellectu. Quomodo enim loquantur, si nihil didicerunt: quandoquidem dicere id solum possunt, quod sciunt? Ita cæcis & mutis mundus refertus est; ita in iis, quæ ad Deum pertinent, altum silentium est. Sanctorum dogmata, quæ æque deberent esse in labiis, atque in operibus fidelium, qui JESU CHRISTI nomine insigniti sunt, prorsus silentur. Absconditur id quod proferendum est, & quisque more suo quemadmodum variis agitur rationibus, deplorabili ratione deceptus sibi, religioni non vertit detinere veritatem in silentio, & injustitia: *Veritatem Dei in injustitia detinent*. Ad Rom. 1.

SUPPLEMENTUM.

Cæcitas voluntaria non excusat a peccato.

ÆQua peccati excusatio non est cæcitas, si voluntaria sit; & inde fit, ut qui ex mera peccant nequitia, semper aliquam adjunctam habent ignorantiam; sed ignorantia, quæ actionem dumtaxat est concomitans, non præcedens, illam justificare non potest. In hoc sensu Sapiens asserit eos, qui peccant, errare; & huic innititur principio celebre illud Philosophi axioma, omnem peccatorem esse ignorantem. Generatim igitur de peccantibus dici potest illos nescire, quid agant. Et profecto nemo vult malum quatenus malum: quia objectum voluntatis non est bonum, vel malum, sed bonum dumtaxat: & quicumque in malum fertur, non amat malum, nisi quod illud sibi proponit tamquam bonum, & maximum bonum. Error, in quo est, & esse vult, proficiscitur ex perturbatione affectuum suorum, quibus ita excæcatur, ut oculi ejus fascinati non videant nisi modicum illud boni, quod in objecto, in quod fertur, invenit. Ita qui vult adulterium patrare, vel furtum; numquam in corde suo pravum hoc concipere posset consilium, nisi prospiceret tamquam verum bonum impuram voluptatem, vel injustum lucrum, quod in adulterio, vel furto invenitur; & nisi detorqueret oculos ne videret verum malum, quod adhæret impuritati, atque injustitiæ. Omnis ergo peccator similis est homini volenti se præcipitem dare in fluvium, qui oculos claudit, antequam se in illum projiciat. Qui malum operatur, fugit lucem atque sibimet abscondere adnititur. Verum cum ejus ignorantia sit adfectata, & voluntaria, inanis est illi excusatio ob hanc ipsam causam, quia est voluntaria. Cur ergo Salvator Patri suo dicit; ignosce illis, nesciunt enim quod faciunt? Responderi primum potest, illum pro carnificibus suis orasse, qui forte neque illius dignitatem, neque innocentiam noverant; & qui executi tantum fuerant sententiam in illum latam. De his procul dubio dicere poterat: *Ignosce illis*, quod enim faciunt, nesciunt. Secundo vero, si pro nobis orabat, qui nondum creati eramus, vel pro infinitis peccatoribus aliis, qui procul aberant a Jerusalem, hi sane minime norant quid ibi terrarum fieret; & verum est dicere, licet nos extiterimus causa Passionis, & Mortis illius, nos ignorasse tamen illud malum, quod ipsi inferebamus. *Cardinalis Bellarminus in Septem Jesu Christi verba de Cruce.*

Vera causa Cæcitatis peccatorum.

Cum Deus sit lumen increatum, non potest esse causa positiva cæcitatis peccantium; neque enim solis effectus est terram nubibus obtenebrare, sed potius lumine suo perfundere. Nihilominus quemadmodum contingit, ut hoc astrum nos in tenebris relinquit, vel quia ipsi claudimus oculos, vel quia ipsum recedit, & se nobis abscondit; simili ratione per summam infelicitatem, quam ipsi nobis promeremur, Mundi Salvator animam in obscura nocte relinquit, non per realem erroris mendacii productionem, quod illius repugnaret Sapientiæ, sed ob unam ex tribus hisce causis, videlicet ob suam nequitiam, qua obicem statuit gratiæ Dei, vel quia hac abutitur nimium in suis viribus confidens, & in divina bonitate præsumens, vel quia ipse Deus suas subtrahit gratias puniens scelera, quæ eamdem favoribus suis præbent indignam. Hoc certe innuunt hæc Filii Dei verba: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Verum est, Dei Filium esse Mundi lumen: *Quamdiu sum in mundo: Lux sum mundi;* sed lumen est voluntarium, quod non agit per motum necessarium. Sol, D. Thomas ait, agit ex quadam naturali necessitate, mundum illuminans: Deus autem Judicio æque libero ac æquissimo gratiæ suæ lumen non communicat illis, qui eidem aliquod impedimentum objiciunt, propter quod in terribilem incidunt cæcitatem. Tenebras tantum vident; de tenebris migrant in tenebras, quin sciant, quo præcipites ruant. Miseri, idem Pater ait, quia nesciunt quod amittunt; & longe adhuc miseriores, cum illud sciunt; quia apertis oculis, & videntes, viventesque ruunt in infernum. *P. Novet in Medit.*

Joan. 9.

Ibidem.

Solil. c. 34.

Nequissima & periculosissima cæcitas illa est, quam libidines, & vitia corporis gignunt.

Maxima Spiritus ægritudo, teterrima animæ cæcitas illa est, quæ ex corporis contagione procedit, quod consuevit ad bruti imaginem redigere hominem, eumque imparem facere, qui æquiorem de salute sua fovere valeat cogitationem. Hic puteus est abyssi, unde hæreses, impietates, superstitiones, licentia, atheismus erumpunt. Peccator, qui misere illic vinctus jacet, simul Dei memoriam amittit, & cum memoria metum judiciorum illius, & beneficiorum ejus recordationem. Amittit sui ipsius cognitionem, & ignorans miserrimum statum, quo vita flagitiosa illum adducit, eo calamitosior est, quo minus suam novit calamitatem. Cum enim sit cæcus in sceleribus suis, cæcus est etiam in pœnis, quas meretur, & non videns gravissimas pœnas, quas sibi conflat, de illarum evitandarum ratione minime est sollicitus. Quod accidit Pincernæ Pharaonis imago est, inquiunt Interpretes rei illius, quæ electis simul, reprobatisque usuvenit. Reprobi quidem sarcinam suam gestant in capite, quin videant illam; Electi vero ante pectus eas deferunt, & vident. Quid inde? Electi a periculo sese subducunt, reprobi vero in ruina sua perseverant. Sese humiliant Electi, lacrymisque, & precibus suis divinam flectunt misericordiam; reprobi abjiciunt criminum suorum verecundiam, cum illorum cognitione; & sicuti nox animos facit furibus, ita cæcitas sua illos efficit impudentiores audacioresque in criminibus suis multiplicandis, quæ tandem Dei provocant iracundiam, eumque cogunt, ut ille in ipsos severissime animadvertat. *P. Novet in Meditationibus.*

Hugo Cavensis.

De mentis cæcitate ratiocinari possumus ut de cæcitate corporis.

Autumo ex regulis de cæcitate oculorum corporis, canones quosdam hauriri posse ad humanæ mentis cæcitatem; eo quod si corporis cæcitas est carentia principii visionis corporeæ, animæ cæcitas sit illius privatio, quod in nobis est principium mentalis cognitionis, & visionis intellectualis. Tria autem invenio principia, quæ visionem corporalem rei alicujus constituunt. 1. Lumen, quod nobis rem hanc ostendit, atque demonstrat; 2. Objectum quod videndum est. 3. Animæ ad rem visam attentio. Ille, cui unum ex tribus his deest videre nequit, & cæcus est. Quoad primum lumen hoc gratia est, idque est perspicuum, Secundo requiritur imago objecti illud, quale est, repræsentans. Animæ cæcæ magna pro parvis, parva pro magnis usurpant. Plurimi faciunt mundana, minimi spiritualia. S. Paulus vere optimam habuit videndi facultatem, ut terrenorum objectorum vanitatem agnosceret, cœlestium vero magnitudinem: *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam....* Præter objecti imaginem, attentio etiam, consideratio, & animadversio requiruntur ad visionem de divinis habendam. Ubi S. Thomas ait, spiritum cogitantem, atque attentum, totius felicitatis esse principium. Philosophi quoque docent, idque nobis testatur experientia, sese diligenter in actionibus suis observare, & curiosum habere semet observandi principium, non postremum esse, neque inutilem bene vivendi canonem, qui valeat inveniri. O Deus! quid non assequeretur veritas satis explanata, qualis hæc est; Deum suo obtutu quamlibet ex actionibus nostris illustrare! Æternitas beatitudinis, vel cruciatuum, ab uno tantum pendens momento! Profecto unum ex his principiis, si recte intelligatur toto cœlo majorem habebit vim, quam decies centena millia cognitionum, & considerationum levium, quas humana mens de tot variis argumentis potest efficere. *Pater Antonius de Sancto Martino a Porta.*

Ullant

Aurei vituli cultus satis apta figura est cæcitatis animæ.

Ullane aptior afferri potest imago cæcitatis animæ, quam aurei vituli, cui thus obtulerunt Israelitæ? Deus de Ægyppto populum istum eduxerat, per ea prodigia quæ Moyses Pharaone inspectante patraverat; sed inde egressi non recordabantur amplius mirabilium quæ in eorum gratiam Dominus fuerat operatus. In locum veri Dei aureum vitulum ponunt. Nisi hoc testaretur Scriptura, vix hoc credi posset. Quid, post tot miracula, & gratias pro Deo sibi vitulum aureum proponere, Deum eumdem, quem colebant Ægyptii adorare! Ita est; postquam anima in tenebris est, dæmon illam quocumque sibi libitum fuerit, circumagit. *Idem.*

Ut salvemur cooperari nos oportet cū gratia Dei.

Memorat Scriptura, Ægyptios in horrendis tenebris, quibus percussi fuere, de loco numquam se movisse. Hæc Vera est imago animarum, quæ per peccatum in tenebras se conjecerunt; ubi tandem hac pervenerunt nil amplius agunt. Non ita pridem actiones adeo sublimes operabantur, adeo spiritualibus Meditationibus vacabant, altissimos de Majestate Dei sensus fovebant; hodie vero nullum motum exerunt. Cur non ut olim agunt? Sese tenebris immerserunt ex quibus non valent ultra sese recipere. Ratio est, quia anima, ut suæ saluti prospiciat, cooperarari debet gratiis Dei per suam voluntatem; quæ cum per se cæca sit, numquam fertur in bonum, nisi Deus illi cognitionem ejus immiserit. Hac igitur, si destituitur, jam subsistit, quin possit pedem amplius cœlum versus proferre. *Idem.*

Obscuritas velum est, quo Dæmon peccatorē involvit, ut fallat.

Origenes ait Dæmonem noctis angelum vocati, vel Principem tenebrarum; quia fuum exercet imperium in tenebris cæcitatis cordium. Ignorantiæ, errorisque tenebræ efficiunt ut in peccatores dominetur: quis enim dæmoni servire vellet, si apertos haberet oculos ad nequitiam illius videndam, & cognoscendam? Quis legibus illius obtemperaret, si earum injustitiam, & pœnas, quarum sunt causa, cognosceret? Peccatum ita est deforme, ut auferre satis sit velum, quo tegitur, ut ejusdem horror concipiatur. Dæmon peccati auctor adeo est odibile, ut si sese proferret, omnium in se odia, horroremque converteret. Versutiæ igitur illius est tenebris uti, ut decepti vitium loco virtutis recipiant. *P. Antonius de S. Martino a Porta.*

Quid sit cordis obduratio.

Obduratio cordis nil aliud est, quam defectio quædam atque rebellio cordis humani, per quam adversatur, & obsistit iis omnibus, quæ a Deo sibi accidunt. Hæc proprie est nescio quædam stupiditas, sensuumque carentia, habitualis animæ ignavia, quæ efficit, ut illa non sentiat amplius interiores plagas, & irreparabilia detrimenta, quæ sibi peccatum infert, & hæc minimo habet in discrimine, perinde ac omnia conscientiæ suæ negotia in optimo statu invenirentur, ita ut sicut Medici dicunt, si qui ægro sunt corpore non sentiunt amplius morbi sui vim, malum sit omen, quia eorum sanitas jam complorata est. Simili pacto si animæ sese mancipant vitiis, ac in sceleribus suis vitam trahunt sine ullo sensu, quin Dei, conscientiæque suæ meminerint, non immerito dicere possumus illas in magno reprobationis suæ periculo versari. Quod melius innuit Jeremias: *Percussisti eos; & non doluerunt; facies eorum sicut petra, & noluerunt reverti. Idem.*

Descriptio cordis in sceleribus indurati.

S. Bernardus describit induratum hominem, cum ait animam illius flecti precibus non posse, non deterreri suppliciis, & promissionum suatum fidem non præstare. Contritio illam non abjicit, tormenta illi formidinem non incutiunt. Illi ablata est omnis spes ad Deum redeundi. Illius vulnera curari non possunt ultra; suis sunt remediis validiora. Cor, quo animatur æque durum est ac marmor, & duritie fabrorum incudem superant; quæ invicem repetitis ictibus percussa, numquam mollescit. Similiter cor istud indesinenter gravi divinæ justitiæ brachio tunditur, sed incus est obstinationis nullis umquam ictibus, vulneribus, monitis, prædicationibus, minis, Dei afflatibus flectenda, ad contritionem eliciendam stupidum, ad opera bona infructuosum, per rebellem voluntatem immobile, & obstinatum ne umquam agendi, vivendique rationem immutet. *Idem.*

Conscientia ratio, prudentia sufficiunt homini, ut Spiritualem cæcitatem evitet.

Tria deprehendo in homine nitentia sydera, conscientiam, rationem, & humanam prudentiam, quæ in vitæ hujus nocte suum nobis præferunt lumen, & hæc tria sunt, quæ nos inter, solemque interposita, nostras tenebras patiunt. Cæci sumus, ubi de salute agitur, quia nimis luminibus nostris abundamus. Horum luminum primum est nostra conscientia, quæ quidem aliis sol est omnia illis manifestans, aliis vero luna est, per vicissitudines, atque intervalla renidens aliquando magis, & aliquando minus; sed semper saltem est fax accensa, quæ nos illuminat, & ostendit quidquid bonum, vel malum est. Et profecto si hanc volumus auscultare synderesim, hæc saltem nobis illud resonat, *Non licet tibi*; quod olim Joannes Herodi dicebat. Nihilominus hodierna die pro virili omnes extinguere conantur naturale hoc lumen, & hanc corrumpere, atque ita in summa officiorum nostrorum cæcitate moramur. Hinc cum non possimus diu huic synderesi reluctari, aliam nobis effingimus eroneam, quæ efficit, ut alacriter & constanter per nefarium hoc principium in mala omnia ruamus. *P. Antonius de S. Martino a Porta.*

Gravissima etiam scelera suas habēt excusationes.

Hodierna die vitiis omnibus excusationes inveniuntur. Nulla est amplius Symonia, nulla usura. Singularia probantur certamina, nec desunt rationes dignæ laude. Ipsa etiam adulteria in sæculo probantur, & excusantur tamquam illecebrosæ festivitates. Primus Angelus in Deum rebellat, & se jure hoc facere arbitratur. Deus illi ostendit Divinitatem cum humanitate esse conjungendam: ægre hoc fert; & si hic honos ulli creturæ debet accidere, illum suæ præ cæteris debitum esse arbitratur. Peccat Adam, & putat, se jure peccare; dedisset ne mihi Deus conjugem nisi voluisset me illi morem gerere? Præcepit Deus Sauli, ut Amalecitas omnes occideret, & ad internecionem gentem illam deleret; Saul mandatum infringit, prætexens se velle inde offerre Deo Sacrificia. Abutitur David uxore proximi sui, & hanc affert causam, bona, honestatem, & corpora subditorum suorum sui juris esse. Omnes denique non sine prætextu damnantur. Virgo se alienæ mancipat libidini causata paupertatem suam, cum nequeat labore manuum suarum victum sibi comparare. Ipsa fornicatio patratur, & prætexitur causa, per illam memini injuriam fieri. *Idem.*

Infelix status animæ sibi traditæ.

Quam miser est status animæ traditæ suis concupiscentiis, & in reprobos sensus, qui illam in sexcenta flagitia, & in omnem cordis pravitatem trahunt! Malum hoc a S. Augustino vocatur *Frigus Dei*; quia passim cum amicitia intepuit, dicimus; hic meum agit frigide: ita postquam pertinaciter clausum fuit cor omnibus luminibus, & motibus gratiæ, qui ad bonum excitabant; Deus tandem retrahit suas gratias, se coarctat, & non agit nisi cum frigore quodam, quod animæ deplorabilem portendit calamitatem; frigus, quod mortis umbra potest appellari: nam sicut umbra defectus est, vel luminis privatio; ita umbra mortis est luminum eorum defectus, quæ ad bene agendum sunt necessaria; defectus, qui adducit usque ad mortis articulum; ita ut in mente non aliud inveniatur, nisi obscuritas, in corde vero, omnibusque cogitationibus perversitas. *P. Antonius a S. Martino a Porta.*

Hypotyposis cordis obdurati exemplū Pharaonis. *Lib. 1. de Consid.*

Audiamus, quid dicat S. Bernardus de anima dura, & inflexibili. Anima hæc, laudatus Pater ait, sola est, quæ sui horrorem non habeat; quia non sentit amplius duritiam, in qua est. Sed quænam hæc est obduratio? illa est, in qua cor illius omni jam sensu destitutum, non frangitur contritione, non flectitur devotione; non mollitur precibus; non allicitur beneficiis, bonis consiliis se regi non sinit. Denique status est, ubi nullus est Dei timor, neque hominum ratio. Hoc olim visum est

est in Pharaone. Hic adeo pertinaciter Dei imperata facere detrectabat, ut quo gravioribus plagis cœlitus afficiebatur, eo impotentius in Cœlum insurgeret, & quo magis Divina bonitas per clementiam illum ad officium revocare studebat, ille magis magisque infinitam hanc bonitatem negligeret, & aspernaretur. Nihilominus quantumvis durum sit cor, una satis est divini amoris scintilla ad illud molliendum, immutandumque ceræ instar, ut cor lapideum in carneum convertatur; & ex quo Dei Spiritus perflat, illius quævis licet solidissima glacies, liquescit. *Cardinalis Bellarminus in Opusculis.*

Cæcitas, & obduratio sunt effecta licentiæ, & vitæ flagitiosæ.

Mentis Cæcitas subsequitur pietatis carentiam; & obduratio sequitur hanc cæcitatem. At ullane intercedunt intervalla? Aliqua sane! Primum quidem aliqui sentiuntur morsus, per primarum harum nebularum opacitatem detegitur veritas; sed somnus amatur, ne malum sentiatur. Id, quod stuporem injicit, habetur tamquam omnibus hisce tumultibus medicina. Novus hic impius nequior fit per electionem, ac studium, ne per rationem magis Christianus efficiatur. Sentit illa sexcentos salubres aculeos? hos retundere quærit. Quo magis illum turbat gratia, eo magis dilabitur. Quærit jugulare interiorem conscientiæ vocem tumultu; affectionum ejus impetus sunt conatus, quos exerit, ad secretas suas exprobrationes mulcendas. Quo magis torquetur, eo se agitat magis. Immodicæ illius ebrietates, & in omnem libidinem effusiones nova sunt novorum aculeorum argumenta. Hinc publica illa impudentia, quam ipsi vetustiores impudici perhorrescunt; hinc publicæ libidines, quas ipsi etiam impii execrantur; hinc furentes illi impetus in eos, qui pietatem profitentur. Ferre nequit mutos hosce censores: quasi solus pii hominis adspectus illi afflaret phrenesim, excitans in illo sexcentas reprehensiones, sexcentaque involuntaria desideria terribilis mutationis ipsius. Ex hujusmodi animæ morbis convalescitne? ex miserrimis hisce erroribus sese recipit? Quotusquisque ex his devotis, qui liberiores evasere, sese convertit? Mors quidem illis terrorem injicit; interni tumultus illos in desperationem detrudunt, raro autem ad veram pœnitentiam adducunt. *P. Croiset in Asceticis.*

Nulla obdurato peccatori remanet via revertendi ad Deum.

Quo pacto hominis cæci, & indurati cor flecti potest? Prospera, & beneficia illud corrumpunt; tribulationes illud non mutant, & sæpe etiam propter murmurationem nocentius efficiunt. Illi igitur mors est inferenda, ut finis ejusdem nequitiæ constituatur; vel quod terribilius est adhuc, ille sibimet deserendus est, scilicet in reprobum sensum, corrupta desideria, turpes affectiones tradendus: homo enim ex se nil aliud producere potest. Mors utilis esset indurato peccatori, quippe quæ finem injiceret iniquitatibus ejus, & in altera vita minus esset infelix. Hic est cumulus malorum, quod Deus per patientiam suam in terris illum sibi derelinquit, quia sibi congregat thesaurum iræ in omnem æternitatem. Hæc destitutio a Deo facta, est gratiæ ejus subtractio, & consilium initum de relinquendo peccatore in constanti ejus improbitate, quin illum ultra excutiat, & turbet. Hic est postremus effectus patientiæ Dei: requies horribilis, in qua vivunt impii, ubi sine ullis stimulis indulgent toti cordis sui pravitati. Erga proximum quidem pleni injustitia; erga Deum vero impietate, semper noxii in usu creaturarum, si Creatorem cognoscunt; hunc numquam ex amoris sensu, ut illius misericordiam ament, neque ex timoris sensu, ut illius reformident justitiam. *Sermo Accademiæ Parisiensi oblatus anno 1693.*

Quo in sensu Scriptura dicat a Deo homines excæcari.

Testantur alicubi Scripturæ, a Deo homines nonnumquam excæcari; & cæcitatem hanc pœnam esse peccati. Quomodo autem hoc fiat asserere, mysterium est, quod non cognoscitur; ænigma est, cujus sensus comprehendi non potest, abyssus, cujus altitudinem scrutari non licet. Excæcat Deus Ægypti regem rebellem imperiis suis: Ponit Deus mendacii spiritum in ore omnium Prophetarum, qui in aula Achab Regis Israel versabantur. Ne dixeritis, verba ad litteram accipientes, Deum ipsum hanc actionem perficere, ut inferat cæcitatem. Haud ita, S. Augustinus ait. Deus, qui ipsa veritas est, ac bonitas per essentiam, nos fallere nequit; & sic quem excæcat, non agit id hominibus suadens improbitatem, sed renuens peccatoribus gratiam; gratiam, quæ adeo necessaria est, ut sine illa salus sperari non possit. Hac autem adeo terribili pœna, qua Deus punit apertissimam, impudentissimamque impietatem, utitur etiam, ut in hoc mundo in falsam pietatem animadvertat. *Tertius Accademiæ sermo anni 1695.*

In lege nova non secus ac in lege Moysi inveniuntur cæci.

In singulos dies terribiles cæcitatis hujus effectus intuemur: Novæ legis Pharisæi funestum nobis hujus rei præbent exemplum, cum innituntur fallaci ejus conscientiæ tranquillitati, quæ ne suam quidem sentit calamitatem. Dei judiciis non afficiuntur; tanta est eorum præsumptio, ut sese attollant super tonitrua, & fulmina; & sibimet persuadent, eo tempore, quo mala obruent impios, hæc ad se usque non perventura. Superba præsumptio! funesta tranquillitas, quæ illis propitia videtur, & quæ nihilominus fit iisdem mortalis, eosdem præcipites dejiciens in malorum omnium gravissimum. Traducunt sane vitam suam in Sacramentorum frequentia, sed hic divinus Justitiæ sol, quem adeo frequenter recipiunt, abscondit illis magis, magisque lumina sua; & ipsi mortem in ipso vitæ fonte recipiunt. Sonitus verbi Dei indesinenter resonat in auribus eorum, & hic strepitus efficit illos adhuc magis surdos voci interiori, quæ loquitur illis. Quidquid luminum habent, illis adfert cæcitatem, & eorum ægritudo eo perniciosior est, quo latentior; & quo magis de perfecta sanitate gloriantur, eo magis, magisque morbus eorum ingravescit. Verbo; omnes arbores, quas serunt, & colunt, tanta cura, & industria, quantumvis inde ingentes concipiant spes, improbos tantum afferent fructus; & planæ omnes, quæ videntur illis adeo speciosæ, & florentes; videlicet actiones hæ, quas ornant virtute aliqua mere exteriori, pares erunt tantummodo quæ in ignem projiciantur. *Sermo Tertius Accademiæ anni 1695.*

Quam deterior sit status illius, qui in errore implicitus est, quam peccatoris.

Comploratur aliquando status infelix peccatoris traditi insanis cupiditatibus suis, & quem habituum tyrannis efficit peccati mancipium; hujus lugetur miseria, saluti ejus timetur; sed status animæ, quam error fefellit, nonne multo magis collacrymandus est? Peccator hic saltem se aberrasse novit, & ob oculos habet scelerum suorum imaginem; & si majori cum cognitione peccat, in hoc ipso minus est incorrigibilis. Cæterum vitii fastidia, virtutis pulchritudo, conscientiæ stimuli, timor judiciorum Dei totidem viæ sunt, quæ illum revocant ad officium. At hoc non accidit peccatori, qui deerrat, & errorem suum non agnoscit. Omnes hæ viæ illæ præclusæ sunt. Sicuti peccat sine cognitione, peccat etiam, quin id sibi religioni vertat, & ullis stimulis urgeatur. Vermis hic, qui laniat cor improborum, in illius corde quiescere videtur; & conscientia, quæ adeo salutaris est, cum exprobrat malum, sive in illo sit decipiens, sive decepta, relinquit eum in profunda tranquillitate, quæ te nulla turbatur. *Sermo 4. Accademiæ anni 1695.*

Quam difficile sit mutare cor, cum ultro nosmet errori mancipavimus.

Postquam falso in errore sese confirmavit peccator, & auctoritate quadam sibi comparavit eam tranquillitatem, quæ non semper ratione potest acquiri; quænam spes adest futurum ut expergiscatur, vel cogitet de vitæ suæ mutatione? Quibus utetur artibus gratia ad errorem auferendum animæ, in qua altas adeo radices egit? Quo lumine dissipari poterit cæcitas hominis, qui oculos claudit, & videre non vult? Salutares amaritudines, quibus in Misericordia sua Deus adspergit mundi gaudia, calamitates, ærumnæ, humiliationes, validæ ad peccatorum conversionem promovendam

vendam rationes, inania estis pharmaca ægrotanti, qui morbus, quo male torquetur, non sentiens in funesta imaginariæ valetudinis idea interit. *Sermo Quartus Accademiæ anni 1695.*

Homo in errore positus plus aliis, quã sibi timet.

Si in funesto hoc cæcitatis statu aliquis timor est, ille numquam sibi timet, sed saluti tot miserorum, qui pereunt, exemplo superbi illius Evangelici Pharisæi. Seipsum a peccatoribus separatum putat, sibique plaudit, quod Publicano peccatori similis nequaquam sit. Cum in ipso præcipitii margine jam jam lapsurus adstat, pro iis contremiscit, qui in tuto versantur, & viatori similis, qui dum sæva iruit procella in navi somno captus ac morti proximus in utramque aurem stertit, sibique in somnis videtur de portu prospicere alienas rates ventis, ac tempestatibus agitari; talis in fallaci securitate sua peccator, tamquam somniator credit se videre ventis cupiditatum jactari peccatores qui fortasse magis, quam ille, absunt a naufragio. *Ex eodem sermone.*

Nullus est animæ morbus periculosior cæcitate.

Ex omnibus animæ morbis, nullus est magis lethalis, & ex quo minus illa convalescat, quam cæcitas. Cum non videat periculum, non quærit medicinam. Sed quot lapsibus obnoxius non est cæcus? Et dum vivit, ambulans per viam prærupram, ubi circumundique sexcenta posita sunt offendicula, quoties impinget, quoties periculum erit, ut labatur, & corruat? Cæcitas Spiritualis, tam est cæcitas cordis, quam mentis. Cordis corruptio principium est hujus morbi, quæ statim sese menti communicat. De animæ cæcitate disserendum est, uti de cæcitate corporis; similis causa, similia symptomata, pares effectus. Affluentia humorum acrium, & malignorum primum visionis organum atterit, mox prorsus extinguit. Cessant cum visione dolores; nullus amplius sentitur dolor, sed nihil videtur amplius. Cordis corruptio pejus gignit densas malignasque nebulas, quæ oculis animæ caliginem adspergunt. Nequicquam mones, clamas, ingentem fragorem edis; anima in quodam lethargico sopore insepulta est. *P. Croiset in Exercitationibus Asceticis. Tomo 2.*

Quam terribilis sit obduratorum mors & cor. Eccli. 3.

Cor durum in ipso vitæ exitu malis obrutum iri, testatur Ecclesiasticus: *Cor durum male habebit in novissimo.* Loquitur autem de cordibus inobedientibus, rebellibus, quæ flecti non possunt. Cor suum adamantinum fecerunt, ne legem audiant, quidam Propheta ait: Væ vobis, si vobis hujusmodi cor inesset; optandum est, ut vobismetipsis viscera scindere liceret, ad illud evellendum: Si vobis non est cor satis docile, rogate Deum, ut saltem flexile sit; petite ab illo cor carneum, cor humanum, pro lapideo, æneoque; atque tunc per Prophetam respondet ille, auferam illis cor lapideum, & dabo eis cor carneum. Sed quænam mala obruent durum cor eorum in vitæ hujus exitu? Hoc mortem non ea animi æquitate, ac submissione recipiet, qua est recipienda. Dum viveret numquam assuevit divinæ obsequi voluntati; quomodonam illi obsequatur in morte? Modo videtur illi adeo difficile hoc facere, cum omnia facilia sint: quam autem difficultatem non reperiet in eo, quod homini difficillimum est, quale est mori? Necesse profecto erit illi mortis ictum recipere: sed hæc eadem necessitas illi negotium facesset, eisque afferet tumultum, atque vastitatem. Hoc autem in statu potestne ille cogitare de salute animæ suæ? potestne elicere illos actus, qui ex moriente Christiano requiruntur? Hæc ratio est, propter quam cor durum male habebit in novissimo; quæ quidem ratio ex hominis parte desumpta est. Ratio altera ex Dei parte desumpta, hæc est; ad cor durum superandum, atque infringendum nequaquam satis esse, Deum communibus uti mediis; ad id opus esset, ut loquitur Jeremias, ut eum percuteret tamquam malleus conterens petras, & præsentissimis remediis uteretur. At Deus non consuevit hoc agere in gratiam illius, qui semet semper mandatis illius rebellem ostendit. Cum

Zach. 7.

iniquo iniquus eris, dicebat David; hoc est, ex eruditi cujusdam Interpretis sententia, durius ages cum eo, qui durus est corde. Itaque cor durum malis obruetur eo quod, communes tantum illi suppetent gratiæ, tunc cum maxime non vulgaribus indigebit. Dominus, verum est, adeo validis uti potest gratiis, ut obstinatissimus quilibet peccator, licet liberam habeat resistendi facultatem, minime cedat: Ita est, potest Deus cor quantumvis durissimum flectere; verum numquid hoc ille facere tenetur? Vestra igitur quam maxime refert, ut cor vestrum obdurescat, Sed quomodonam indurescit? Paulatim, & per gradus. Ex aqua fit nix, ex nive glacies, ut Ecclesiasticus inquit, in durissimam crystallum convertitur. *P. Segneri in Meditationibus suis tom. 3.*

Eccli. 43.

Peccator excæcatus cogit Deũ ut recedat.

Non equidem assero, hominem qui frequentibus lapsibus, iteratisque sceleribus Dei Spiritum coegit, ut recederet, nullis amplius gratiis donari. Satis quidem, & sufficientes, & remotas, & generales habet; sed quod pertinet ad gratias validas, electas, victrices, quæ certissime operantur, licet non sine hominis voluntate, effectus suos; heu! quam metuendum est, ne has ille recipiat, vel non recipiat novissimam earum, quæ illius felicitatem constituent; quam timendum est, ne postquam Domino fuerit rebellis, ejusque verbum contempserit, peccati sui pœnas luat, ac de viventium libro deleatur! *Quoniam adversus Dominum rebellis fuit, verbum enim Domini contempsit, idcirco delebitur, & portabit iniquitatem suam.* Tribuite, quemcumque volueritis sensum, vel lenimentum verbis istis; semper mihi terribilia videbuntur, ac præ timore, ne ad me quoque referantur, ingemiscam coram Deo, ejulatibus clamoribusque Cœlum obtundens, & cum trepidatione dicens: *Ne projicias me a facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.* In me quidem alio quovis modo animadverte; ecce bona mea, hæc tibi derelinquo, ecce honorem meum, permitte, ut mihi auferatur, ecce corpus meum, illud sævissimis percute plagis, ut olim Job; sed parce animæ meæ, ut animæ illius pepercisti: licet enim optima fruar corporis valetudine, præstanti nominis gloria, honoribus, opibus, quid mihi esset non habenti Spiritum tuum, & quid de me fieret, si per subtractionem gratiarum tuarum, quam nimis, superque meritus sum, in finalem impœnitentiam prorucrem? *Ex Moralibus Sermonibus.*

Num. 15.

Peccator cæcus coram tremiscere debet propter Dei minas.

Psal. 50.

Peccator excæcatus per gratiarum subtractionem ruit in impœnitentiam.

Nihil finali impœnitentia terribilius; hæc tamen funesta est animæ reprobatæ pœna, a qua Spiritus Sanctus recedere coactus fuit. Cupiditatum suarum vi rapta, in vitiorum cœno immersa per habitum mordicus inhærentem, in scelerum omnium tabe insepulta, reputans ea sibi licere omnia, quæ sibi placent, promiscue illa sectatur, quibus fruitur, nil sollicita, utrum vera sint, necne. Dicit quidquid sibi in mentem venit, omnia intuetur, quæ sese oculis ejus offerunt, & quin vel hominum ratio, vel divinorum judiciorum metus illam deterreat, cæce in preces ruit. Hujusmodi est, S. Bernardus inquit, status hominis infidelis Spiritui Sancto; & de hoc quodammodo judicium ferendum est facta comparatione cum illo, qui Spiritum hunc recepit, eique per charitatem adhærens semper tuetur. Uterque currunt atque festinant, cum hoc tamen discrimine, quod alter quidem alacriter, ac celeriter in via virtutis, & vitæ, alter vero in via peccati, mortisque percurrit. *Ad mortem hic; ad vitam ille festinat. Ex Sermonibus Moralibus de Mysteriis Domini Nostri.*

Qui cæci sunt ex mera nequitia peccant.

Heu! quot videmus mortales, qui peccata sua norunt, eorumque funestos exitus præsentiunt, & nihilominus in illa præcipites ruunt? Hos quidem neque fallit illusio, neque infirmitas sternit, neque simplicitas impedit, neque temeritas in præceps agit, neque tentationum vehementia trahit, neque præstigia satanæ fascinant; vident abyssum, ac sese in illam conjiciunt; norunt infirmitates

suas,

suas, neque inde quærunt emergere; callidi, sapientes, vigilantes in ceteris, in hoc stupidi sunt, oscitantes, semisopiti. Peccant sine metu, sine conscientiæ latratibus, sine exemplo: sunt tentatores sui, corruptores sui, dæmones sui; & in hoc sita est mera illorum nequitia, quæ caracter est peccati contra Deum, & indicium animæ, a qua recessit Deus. *Ibidem*.

Ex mera nequitia peccantes sunt dæmonibus similes.

Ecce cur JESUS CHRISTUS de Juda loquens, qui licet ab illo tot viderat patrari miracula, & tot gratiis fuerat cumulatus, nihilominus consilium inierat illum tradendi in manus inimicorum ejus. Non ait, Dæmonem illi immisisse adeo tetri criminis mentem, sed ipsum Judam Dæmonem esse inquit. *Unus ex vobis Diabolus est*. Qui ex mera peccant nequitia in statu longe alio versantur ab iis, qui peccant vel ex ignorantia, vel ex infirmitate. Hi humanitus peccant, illi diabolice; cum plerumque nec validis tentationum incursibus quatiantur, nec pravis illiciantur exemplis, metuendum est, ne quondam in sensu æque ac dæmones occalluerint, nam contra Dei Spiritum indurati, cogunt illum, ut contra illos durum se præbeat, cumque illum in cordibus suis affecerint contumelia, ipse vicissim par pari rependat: *Sicut vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis; insulis vicem reddet*. Dum Spiritus Dei est in hominis corde, non loquitur ad illum, nisi de pace, suavitate, amore; sed ex quo homo illum extinxit, atque cupiditatibus suis parere jussit, nonnisi mortis, & ultionis verba loquitur. *Ibidem*.

Joan. 6.

Isai. 59.

Cæci, & indurati peccatores Dei motibus non afficiuntur.

Qui ex nequitia peccant omnino corrupti sunt, & si non vulgaris Dei absit gratia, nullo earum rerum sensu afficiuntur, quæ illos convertere posset. Quid enim dura hæc molliat corda, quid hæc lapidea, & adamantina corda confringat? Num bonorum exempla? Sed illos sibi vertunt in ludibrium, & ab eorum abhorrent consortio. Num correctiones? sed illos exasperant, inflammantque. Mortis inopinati casus? sed se immortales quodammodo putant; vel sibi persuadent Deum sibi clementiorem futurum. Conciones quas audiunt? ad illas nonnisi ob humanas causas accedunt, & quin iis immorentur locis, quæ corda sua possent permovere, in sermonibus, quos audiunt, id tantum quærunt, quod mulceat aures eorum. Num Templorum Sanctitas? Ibi fanda, infandaque omnia committunt. Sacramentum pœnitentiæ? Hoc abutuntur, & ad illud accedunt, quin peccandi affectum abjiciant, sua tantum sacrilegia multiplicant. Sacrorum Mysteriorum participatio? Ad aras ipsas luxum afferunt, quasi humiliato, & exinanito Deo improperaturi; & hoc pacto quidquid illos curare, & salvos facere posset, illis mortem infert, & damnationem. *Ex Moralibus Sermonibus in Domini Nostri Mysteria*.

Cum peccatum evasit ad cumulum, cæcitas cordis quæ illud sequitur, curari non potest.

Narrant Evangelistæ, JESUM CHRISTUM flevisse super Civitatem Jerusalem; & cum magnificam Templi ædificationem intueretur, Apostolis dixisse, ex immani illa substructione, ne lapidem quidem super lapidem permansurum. Verum non ille quidem super marmora, lapidesque sensu carentes lacrymas fudit, S. Hieronymus ait, sed super miseræ urbis illius Cives, marmoribus, saxisque duriores, quæ moriente Domino scissa sunt. Hos funestos exitus obdurationis eorum spectabat Salvator, cum hæc protulit verba singultibus interpolata, quorum perturbatio belle exprimit varias imagines, quibus ille turbatur: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt*, ut te convertant, si cognovisses! Et nunc sane oculi tibi aperiendi essent; sed hæc omnia te latent. Tempus erit, cum inimici tui circumdabunt te vallo, & circumundique obsidione te prement; filiosque tuos viventes adhuc sub tuis rudèribus tumulabunt; quia non cognovisti tempus visitationis tuæ. Ubicumque prædicentur mala, quæ populus hic durus, & cæcus sibi expectare debebat. *Abbas du Jarry*.

Infinita est multitudo eorum, qui cæci sunt spiritu.

Miserum sane est spectaculum, & nonnisi madentibus lacrymarum imbre oculis spectandum, infinitam mortalium omnis ætatis, status, conditionis multitudinem per adolescentiæ peccata ad miseram trahi cæcitatem, atque cordis duritiem, post satis diuturnam annorum seriem in assiduis flagitiis traductam. Horum numerus incredibilis est: nullo afficiuntur sensu earum rerum omnium, quæ ad illorum salutem pertinent. Cæci cum de bono illorum agitur; obdurati in malo, contemptores admonitionum saluberrimarum, gloriantes in iniquitatibus suis; in jocum traducentes quæcumque ab aliis bene fieri intuentur, & nil aliud cogitantes, quam obtemperare cupiditatibus suis, & sequi motus omnes pravarum affectionum suarum; cæce ruentes in interitum, quin aliquid illos deterrere possit. Affectus ipsorum sunt tamquam totidem vincula, quibus in captivitate sua detinentur, & harum catenarum incessanter agitatarum fragor illis talem parit intrinsecus surditatem, quæ prohibet, ne audiant, quidquid illos de salutis suæ negotiis potest admonere. *Auctor recens*.

Animæ cæcitas mors est verior, quam mors corporis.

Luminum cœlestium privatio testatur animam esse mortuam; non secus ac lumen corporis mortuum, a vivente secernit. Hinc cum Scriptura Sancta verba facit de tenebris Ægypti, quæ non aliud erant, quam figura tenebrarum animæ, hisce utitur verbis; *Vinculis tenebrarum, & longæ noctis prepediti, tremebundi peribant*. Quid? Tenebræ, quæ nobis lumen eripiunt corporale mors censebuntur; & hæc animæ cæcitas potiori jure mors non reputabitur? Pro mortuo ille habetur, qui Solis lumen non videt, quo æquius ille, cui gratiæ lumen minime affulget? *Oculi, lucis usu, vitam distinguunt a morte*: & oculi animæ non eumdem habebunt effectum? Idcirco S. Propheta a Deo enixe hoc petit? *Ne umquam obdormiam in morte*. Verum cur Sanctus Propheta tanta cura hoc petit a Deo? *Ne umquam obdormiam in morte*; quia ita cæcum esse, est esse mortuum. Visio, & vita gratiæ unum, idemque sunt, & invicem sibimet respondent, & congruunt. *Auctor recens*.

Sap. 17.

Plinius.

Psalm. 12.

Cæcitas animæ in origine necessaria fit libera, & voluntaria in progressu. *Tract. 44. in Joann.*

S. Augustinus animadvertit, nos cæcos nasci, quia nascimur peccatores. *Nascimur omnes cæci, quia nascimur omnes peccatores*. Omnes sumus cæci nati, & infirmitas visionis nostræ, generale vulnus est, quod originale peccatum in omnium mentibus peperit, extinguens cœlestia lumina in ipsorum origine, & vitæ nostræ auroram tenebris mortis involvens. Peccatum, quod per nativitatis nostræ labem contrahimus, implicat nox tenebris obscuræ noctis, quæ nobis adimit adspectum summi boni, & erroribus, atque illusionibus replet. Cæcitas hæc eo lacrymabilior est, quod eo magis crescit, quo magis adolescimus; cumque in origine sua sit necessaria, in progressu fit libera, & voluntaria; ita ut nequitia nostra nobis singulis vitio vertat pœnam, quæ hæreditario jure nos afficit, & rivos omnes corrumpit postquam origine venenum afflavit. Hoc enim peccati proprium est, quocumque ingreditur inferre tenebras; seu quod inde extrudit gratiam, quæ sol est animæ, seu quod excæcat intellectum, ac imparem facit, qui recipiat lumina Spiritus Sancti, qui a peccatore recedit, eumque relinquit quamplurimis malis obnoxium. *Væ, væ tenebris meis, in quibus jacui, væ cæcitati illi, in qua videre non poteram lumen Cœli! Væ præteritæ ignorantiæ meæ, quando non cognoscebam te Domine*. O pulchritudo æque antiqua ac æternitas! O pulchritudo Solis claritate nitidior; opusne fuit, ut te adeo sero cognoverim, adeo sero te amaverim, adeo sero tibi servierim! Heu cur nequeo de numero dierum meorum expungere diuturnam hanc tenebricosorum annorum seriem, in qua hactenus vixi, ejusque memoriam lacrymis meis oblitterare? *P. Novet in Meditationibus*.

S. Augustinus in confessionibus.

Si in brutis etiam naturalis videndi facultatis

Ex ærumnis omnibus, quæ homini usuvenire possunt, nulla deterior est, pejoraque secum mala trahit, quam jactura visionis. Qui cæcum dicit, mise-

Jactura iſtum eſt malum; quam deterius eſſe debet malum jacturæ luminis animæ?

miſerum dicit, qui amiſſo uſu præcipui ſenſus, in periculo verſatur, toties labendi, quoties pedem profert; pro quo omnia viſibilia objecta ſunt tamquam non eſſent; cui Sol non magis prodeſt, quam ſi eſſet extinctus. Infelicitas hæc adeo deplorabilis per ſemet, longe eſt deplorabilior aliis accedentibus malis: cum cæcus pernicioſo errore a bona recedit via, & in diverticula ſe conjicit, cum illum gravat paupertas, ſicuti in cæco Jerichuntino cernimus; hæc imago eſt hominis infeliciſſimi. Numquid inveniri poteſt ſtatus calamitoſior? Ita procul dubio, poteſt inveniri, & crebro etiam invenitur; licet non alius eſſet, quam terribilis cæcitas tot peccatorum, qui quotidie magis occaleſcunt, qui ſe ſuis mancipantes flagitiis in tanta vivunt earum rerum, quæ ad ipſorum ſalutem pertinent, cæcitate, ut pro nihilo habeant animam ſuam, qui omnem voluptatem ſuam in animali vita conſtituentes, tenebras ſuas ita multiplicant, ut ſuæ tantum, ut ita dicam, vacent reprobationi. Ex quo a recta ratione declinant, & ab æterna lege recedunt, licet magna in luce deambulent pleno meridie pertentant iter; neque enim adeſt amplius pro duce prima illa veritas, quæ cæcitate punit eos, qui oculos claudunt, ne illam intueantur, quemadmodum lumine ſuo illos, qui ſeſe ad illam convertunt, lætificat; & licet non procul abſint a via, tamen ſemper veri illi deerraſſe dicuntur; ne enim quis erret, huic in via Dei eſt ambulandum: *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt. Ex Moralibus ſermonibus.*

Pſal. 118.

Tres veri caracteres cæcitatis animæ. Libera eſt, voluntaria, pertinax.

In hominis peccatoris cæcitate tres malæ inſunt qualitates; voluntaria eſt, adfectata, pertinax. Voluntaria; non peccat, niſi quia peccare vult; & libertas conditio eſt adeo eſſentialis crimini, ut crimen non eſſet, ſi liberum eſſe ceſſaret. Si hic ſeſe in omne libidinum genus præcipitem agit; ſi ille negligit in juſtitias, quas operatus eſt, perpetrare; hic non eſt luminum defectus, ſed bonæ voluntatis, illa reſpuentis; quoniam mavult in ignorantia ſua permanere, quam de Religionis veritatibus, officiique ſui regulis erudiri, ſibi perſuadens affectam hanc ignorantiam utilem ſibi eſſe poſſe excuſationem; cum e contra inferre deberet, coram Deo ipſum eo minus eſſe excuſabilem, quo magis ultro avertit oculos ſuos, ne ſua agnoſcant munera, & amore proprio deceptus cum voluptate eo fertur, quo cordis ſui prava licentia eum rapit. Sed ſi hæc cæcitas nocens eſt, quia libera eſt, atque voluntaria, eo nocentior eſt, quia eſt adfectata. Et profecto quod improba diverticula, atque perperam excogitatæ interpretationes, ad legem Dei illudendam? Quilibet ſibi pro modulo ſuo ſalutis viam concinnat; tota virtus in ingenii ſui varietate collocatur, & quaſi rejicitur Confeſſarius, qui cum agere nequeat contra lumina ſua, tantum non habet indulgentiæ, ut aliquid ſe ſua afferta ſeveritate remittat. Vult quidem pluribus rebus nuntium mittere, dummodo non ſibi; & qui magno ſibi verteret crimini, proximi bona invadere; numquam fere coram Deo ſibi religioni vertit, proximi famam proſcindere atrocibus calumniis, vel ea ſatyrico aceto perfundere. Si hæc peccatoris cæcitas voluntaria eſt, & adfectata; primæ hæ duæ qualitates tertiæ viam faciunt, quæ eſt utraque eo perniculoſior, quia ad cordis obdurationem, invictamque adducit pertinaciam, ut quæcumque miſero illi deſuper lumina affulgeant, repellat illa, & ſtatim ac illa cognoſcit, extinguat. Illis affici nequit, & ita confirmatur in malo, ut nulla ſuperſit ſpes, illum numquam poſſe reverti ad Deum, neque ſerio de infeliciſſimo animæ ſuæ ſtatu cogitare. *Dictionarium Morale, & alius recens.*

Propheta quidam a Deo petit cordis cæcitatem contra nequitiam populum velut pœ-

Non miror; quod Propheta armare cupiens Dei juſtitiam contra populi ſui ingratitudinem non petat, ut ille aliis bonam auferat valetudinem, ut aliis bona ipſorum eripiat: quæ omnia ſupplicia nequaquam congrua ſcelerum eorumdem enormitati. Sed ſancto zelo correptus poſtulat, ut horum ingratorumque mentes cæcitate puniat, & rebellium horum cor induret: *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava*, ratus hoc unum ſupplicium æquare poſſe criminum ipſorum magnitudinem. His omnibus pœnis aliquis tandem finis erit, ſicuti non defuit initium: Non ſemper paupertate quis gravabitur, non ſemper languebit, vel in cubili ſuo paraliticus jacebit. Mors ſaltem omnibus hiſce malis finem injiciet; ſed mentis cæcitas, & induratio cordis vigent ſemper, & ſunt veluti præcox infernus in hoc etiam Mundo, niſi Dei miſericordia illarum curſum intercidit; & niſi jugiter nobiſmetipſis invigilantes adeo terribiles pœnas prævertimus. Beatus ille, qui æquis ſemper gradibus in viis Domini incedens ſeſe attollit ſupra improbos hos vapores, qui Eclypſim inferre poſſunt omnibus luminibus rationis, & fidei, eique omnem auferre cognitionem officiorum ſuorum, quæ maximæ ſunt neceſſitatis. *Dictionarium Morale.*

nam maxime conformem ſceleribus illius. *Iſaiæ 6.*

Animæ cæcitas cum mortis umbra comparanda.

Animæ cæcitas a Pſalmiſta appellatur mors animæ; non ſolum quod ſicut umbra comitatur corpus; ita hæ tenebræ animæ umbra ſunt mortis æternæ, quæ non longe poteſt abeſſe, vel quia hæc eſt veluti mortis imago, quæ hominem privat omnibus officiis vitæ gratiæ, illum relinquens immotum ſine ullo rerum cœleſtium ſenſu; ſine actione aliqua ſupernaturali, quæ vel minimum præbeat indicium, aliquid vitæ reſiduum in eo ſupereſſe: vel quemadmodum oculus juxta naturalium rerum Scriptores, prima pars eſt, quæ vivit in corpore, & mox omnia deinceps membra; ita in animæ morte intellectus, qui illius oculus eſt, & lampas, omnium primus eclypſim patitur, & mox ſequitur voluntas, ita ut nulla ſit amplius facultas, quæ tendat in Deum; cum quidquid habet, & quidquid eſt in hac mortis umbra ſit conſepultum: ſed præcipua, quia ſicuti mors eſt terminus quietis, & conſiſtentiæ, ibi quiſque manet, qualis eſt; ita & cæcitas, quæ eſt umbra mortis, eſt ſtatus certus, ac permanens in peccato, ubi nulla ſperanda eſt mutatio, atque converſio. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Continuatio ejuſdem argumenti.

Omnis peccator ſimilis eſt homini, qui volens ſeſe præcipitem in fluvium dare, oculos claudit antequam ſe illuc conjiciat; quia malum operatur, fugit lucem, atque ſemetipſum ſibi conatur abſcondere: verum cum illi ignorantia ſit adfectata, & voluntaria, illi eſt inanis excuſatio propter hanc eamdem cauſam, quia eſt voluntaria. Cur ergo Patri ſuo dicit Salvator: dimitte illis, neſciunt enim quid faciunt? Primum quidem reſponderi poteſt illum fudiſſe preces pro tortoribus ſuis, quos fidei conſonum eſt, ignoraſſe illius dignitatem, atque innocentiam, & qui ſimpliciter executi fuerant mortis ſententiam in eumdem latam. Procul dubio de his dicere poterat; Dimitte illis, quod enim faciunt, neſciunt. Secundo autem, ſi orabat pro nobis, qui nondum creati eramus, vel pro aliis peccatoribus, qui a Jeroſolymis ſemoti nullam habebant cognitionem eorum, quæ ibi accidebant. Dicere verum eſt, licet nos fuerimus cauſa Paſſionis, & Mortis ipſius, nos tamen ignoraſſe malum, quod illi inferebamus. *Idem.*

Patiens Dei miſericordia videtur potius peccatorẽ indurare, quam convertere.

Non dubitamus aſſerere, Dei patientia cor hominis obdurari, ac impœnitens fieri. S. Auguſtinus ait, illam aliis quidem utilem eſſe, quia eadem ad agendam pœnitentiam utuntur; aliis vero eſſe inutilem, quia illis majorem præbet audaciam reſiſtendi Deo, & in malo perſeverandi. Sed quemcumque malum effectum in peccatoribus pariat, non eſt minus digna Deo; ſed illi ſibi vitio vertant, qui inde jacturam percipiunt; in hoc ſimiles noxuis illis arbuſtis, qui cœleſtem rorem in virus convertunt; fiunt nequiores, ac ſtabiliores in vitiis ſuis, prout Deus uberiores illis gratias impertit. Dei autem patientia præſertim in tribus circumſtantiis vitæ peccatorum elucet. Primum cum illos Deus morte non punit, ſtatim ac adverſus illum rebellant; Secundo cum iniquitatum eorum-

dem



dem jugem continuationem tolerat; Tertio denique, cum illos punit quidem, sed veluti pater, qui filium ad officium revocare studet, non perdere. Ratio hæc sapientissima est, & misericordiæ plena erga homines; tamen illos ad cordis duritiem, atque impœnitentiam adducit. Hominum filii, Ecclesiastes ait, male agunt, quin timeant; quia non festinat Deus in eos mortis proferre sententiam. Iterum ait, in suarum prævaricationum habitu Dei patientia eos sustinet, quia vident solem, non sibi minus, quam justis suum nitorem emittere. Quis autem hanc peccatoris agendi formam intuitus, non diceret, Dei patientia illum non solum non immutari, sed in corde illius omnem augere nequitiam, & facilius esse illum vi destruere, quam patientiæ lenitate illum ad pœnitentiam revocare? *Ex Sermonibus Accademiæ anni* 1693.

Quo magis luminibus gratiæ aliquis resistit, eo minus iisdem commovetur. Duo sunt spiritualis cæcitatis genera, alterum, quod peccatum est, alterum quod effectus est & pœna peccati. Primum illud est rebellio, actualis resistentia salutaribus illustrationibus, & piis motibus gratiæ, cum peccator ultro claudit oculos viventi huic lumini, & cor suum indurat contra vehementissimas impressiones. Alterum est habitus frequenti resistentia contractus, & hic proprie status est cæcitatis, ad quem peccator per noxiam pertinaciam suam se redegit. Eo quod sæpe ille gratiæ luminibus clausit oculos, permittit Deus, ut hi clausi remaneant. Quinam status, Domine, hoc terribilior, atque calamitosior? Spes omnis abjicitur de ægroto, qui lethargo ita obrutus est, ut omnium sensuum motu careat: Reliquane est spes salutis in peccatore, ea oppresso cæcitate, quæ omnem illi sensum aufert? Omnis peccator cæcus est; sed saltem cæcitas hæc peccatoribus omnibus communis, accidentalis est, & præterit. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus Tomo secundo.*

ALIUD SUPPLEMENTUM.

Peccator a Deo derelictus.

Quid sit generatim a Deo derelinqui. Titulo Cæcitatis Spiritualis addimus alterum Peccatoris a Deo derelicti. Primum omnium sciendum est, quid sit a Deo derelinqui: hoc est Jeremias ait, a Deo repelli tamquam sui furoris objectum: *Projecit Dominus generationem furoris sui*: (Jerem. 7.) Est oblivioni datum esse a Deo, tamquam objectum contemptus, inquit Osee: *Oblivione obliviscar eorum*; (Osee 1.) Est evomi a Deo tamquam sui horroris objectum: dicit Moyses: *Ne & vos similiter evomat*. (Levit. 18.) Quinam sunt effectus hujus derelictionis? sunt, inquit Isaias, habere oculos, aures, & cor clausos bono: *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude*; (Isai. 6.) est, David ait, propriis tradi cupiditatibus, ac desideriis; *dimisit eos secundum desideria cordis eorum*. (Psal. 80.) Est, inquit S. Paulus post Prophetam Eliam, venundari peccato, mancipari peccato: *Venundatus est sub peccato*. (Rom. 7.) Est tandem, Salomon ait, esse incorrigibilem, & moraliter imparem ad conversionem faciendam. *Nemo possit corrigere, quem ille despexerit*. *P. de la Rue de statu peccatoris derelicti a Deo.*

S. Augustini sententia, de pharaonis obduratione. Quæst. 18. super Exodum. Cum de indurato peccatore sermo est, menti statim occurrit Pharao; induratio ejus, licet nobis horrenda videatur, S. Augustino videtur *Pœna non solum justa, sed evidenter justa*. Quam ob causam? Hanc. Quæ beneficia, S. Augustinus inquit, Joseph, fratresque illius, posteri eorum, totusque populus Israel non contulerant Ægypto? Terram illam ultra ducentos annos excoluerant, atque locupletaverant. Pharao non ignorabat ista, & hæc erat causa, propter quam vetabat, ne illi inde egrederentur. Hæc autem cognitio, qua populi hujus præclara erga regnum suum merita illi erant explorata, erat, idem Pater addit, vera vocatio Dei, sufficiens inspiratio, ut cogeretur majori cum humanitate illos excipere, a quibus sibi adeo fideliter serviebatur: attamen ille in dies crudelius in illos animadvertit. *Quod autem exercuit crudelitatem in eos quibus misericordia debebatur, & huic vocationi obtemperare noluit*. Quia autem extinxit communem hunc humanitatis sensum, hanc speciem vocationis, divinique afflatus; ideo S. Augustinus ait, meritus est terribilem rigorem, quo Deus in illum animadvertit; & cor hoc, quod sponte sua obduruerat sensibus humanitatis, in pœnam obduratum fuit sensibus salutis. *Meruit pœnam, ut induraretur illi cor*. *In eodem sermone de gratia*. (L. 83. quæst. 68.)

Deus juste nos deserit propter ingratitudinem nostram. Obmurmurare ne possumus contra hunc amantissimum Medicum, cum postquam usus est omnibus secundum artem pharmacis validissimis simul, atque suavissimis, prosperis æque ac adversis ad Babylonem convertendam, eam tandem suo tradit lethargo, suæque infidelitati? *Curavimus Babylonem, & non est sanata*, inquit ille per Jeremiam Prophetam, *derelinquamus eam*. Potestisne sapientem hunc Patrem familias reprehendere, qui postquam in eo omnem suam oblectationem constituit, ut vineam consereret, atque coleret, sperans se laborum, curarumque suarum fructus uberes percepturum, eam sterilem, ingratamque nanciscitur? Numquid immerito tunc suos accersit accolas, eisque dicit; venite, loquimini, judicate inter me, & vineam meam: *Quid est, quod debui facere vineæ meæ; & non feci*? (Isai. 5.) Numquid injuria rubos sinit crescere, ac illam prætereuntium pedibus obteri? Potestisne reprehendere Patrem hunc de filii sui institutione adeo sollicitum, ut eum inter ulnas suas gerat? Ita nobis exhibet Deus curas suas erga Tribum Ephraim cum post tantum hoc benevolentiæ argumentum, videt inhumanum hunc filium fugam capessere, contemnere patrem amantissimum, sese in omne libidinum genus abdere; (Osee 11.) simulatam adfectare pœnitentiam, insultare charitati patris, cum inimicis ejusdem socia arma conjungere. Cuinam accepta referenda est ira, & indignatio Patris, nisi rebellioni filii ejusdem? Quid efficere potest vir, qui uxorius cum conjugem suam delitiis, opibusque locupletaverit, illam a fide deficere, atque in alienos concubitus ruere intuetur ingenti suæ familiæ dedecore, & detrimento? dissimulat, fugit lucem, illam ad officium revocare festinat, illi oculos aperit, ut facinus agnoscat suum; omnia per gradus periclitatur, illam exprobrat, illi minitatur; sed omnia frustra; omnia quin illam ad frugem, officiumque revocare possit; post hæc obstupescitis, si ab illa recedit, at tradit eam horrori impudiciitiarum ejus? *Ipsa non uxor mea, & ego non vir ejus*. (Osee 2.) Judicate igitur Fideles; ferte sententiam Deum inter, & peccatorem. Sub hac figurarum varietate Deus passim in Bibliis suam nobis justificat servitutem. Applicemus has figuras statui nostro singillatim. Probamus hunc Medici rigorem, ac discessum erga ægrotantem; & Patris familias erga vineam inutilem, sterilemque, & parentis optimi erga filium inhumanum; & viri erga uxorem incorrigibilem: unus ergo Deus omnia pati, ac sustinere debebit, quin peccatorum ingratitudini, nonnisi solam patientiam valeat opponere? *P. de la Rue in Quadragesima.*

Peccator semper primus deserit Deum. Deus numquam peccatores, dum vivunt, ita destituit, ut si uti velint gratiis, quas ipsis offert, nequeant emergere ex eo statu, in quo sunt, & mandata ejus servare. Alioquin hæc infringendo non peccarent, si illis suum negaret auxilium, sine quo fieri nequit, ut illa serventur. Verum si vitam suam traducunt jugiter resistentes gratiæ: communis scelerum suorum pœna est, ut in impœnitentia moriantur, quemadmodum vixerunt in iniquitate. Tunc proprie Deus illos in æternum relinquit, eisque terribilia hæc intonat verba: *discedite a me maledicti*, *Vos me reliquistis, & ego reliqui vos*; (2. Par. 12.) me non ultra videbitis. O funesta destitutio, quacumque ex parte spectetur! Deum relinquere; quænam indignitas est! a Deo derelinqui,

qui, quam terribilis calamitas! Quid expectatis, vetus quidam ait, a navi sine nauta, nisi triste naufragium? a curru ignitis equis rapto, & sine auriga, nisi ut in præceps ruat? Ex corpore anima carente, nisi ut computrescat? Quid ergo ab anima creatorem suum relinquente, ut suis cupiditatibus obsequatur, nisi ut in omnia ruat scelera? Quid a peccatore, quem Deus æterno divortio relinquit, nisi omnigenæ calamitatis abyssum? *P. Novet in Meditationibus suis*.

Calamitas eorum, qui Deum relinquunt.

Quam densæ illæ sunt tenebræ, quæ mentibus maxime perspicacibus caliginem offundunt, quæ inutilia reddunt ipsa rationis lumina, & prohibent ne altissimæ, atque horrentes abyssi videantur. Nullum malum simile huic quale est a Deo relinqui. Et sane amabilis hic Pater numquam, ut ita dicam, recedit, quin recedere, & sese abscondere cogitur: Sed Deus meus, quodnam funestius supplicium, quam absentia tua! Scio te semper esse præsentem, quodcumque scelus admittat peccator, tu per essentiam ubique es: sed ibi tunc non es amplius tamquam Sponsus, & tamquam Pater ratione animæ illius, cui temet abscondis, a qua recedis in pœnam criminum ejus, sed ades tamquam severissimus Judex. Profecto Deus tunc tacet, quia agit, quasi abesset; nullus reliquus est illi salutatis timor, nulli conscientiæ stimuli; at potestne fingi ullum Dei supplicium in hac vita hoc silentio terribilius? Quod judicium ferendum est de ægroto, a quo nullo imperato pharmaco medicus recedit, & quem scitus, atque charitate plenus medicus deserit? Cum recessit Deus a peccatore, cum divini hujus Salvatoris vox non auditur amplius, cum videtur ille faciem suam ab anima avertisse, quid futurum est de illa? Dæmon tunc loquitur, cupiditates loquuntur, amor proprius loquitur, omnes habitus pravi loquuntur, & clamant, Mundus, spiritus Mundi loquitur; hi soli vocem suam promunt, conscientia, religione, fide tacentibus. *Pater Croiset in Exercitationibus Asceticis Tomo 3*.

Deus præsens exercitio ultionum suarum visitabit peccatores, a quibus fuerit derelictus.

Peccatores, non semper irridebitis Deum, non semper acceptabiles infinitæ misericordiæ illius visitationes contemnetis. Tempus erit, quo nimis fatali experientia eruditi agnoscetis, quam amarum sit Dominum Deum contempsisse, ac reliquisse. Quantumvis nequam sit homo, non cessat Deus aliqua ex triplici hac ratione illum visitare, Sanctus Gregorius inquit, modo legibus, quas illi indicit, modo ærumnis, quas illi immittit, modo portentis, quæ in illius gratiam operatur, ut iis permotus convertatur. *Visitat præcepto, flagello, miraculo. Ex Dictionario Morali*.

Non deserit Deus, nisi prius deseratur.

Hoc Catholicæ fidei dogma est, quod Tridentina Synodus nobis declaravit, eos qui semel justificati sunt vel per Baptismum, vel per pœnitentiam, numquam a Deo derelinqui, nisi fuerit antea ab illis derelictus: *Deus gratia sua semel justificatos numquam deserit, nisi prius ab ipsis deseratur*. Quinam igitur est ordo hujus terribilis desertionis a nobis timendæ! Hic sane. Nos incipimus, Deus perficit. Relinquimus Deum negligentes ad eumdem confugere, & per orationem illius gratiam, subsidiumque promereri; Deus vero, qui secundum Prophetam, contemnit contemnentem se, nos deserit, relinquens nosmet justo supplicio, hac ope, & hac peculiari gratia destitutos. Sed destitutio Dei nostram supponit, & sine nostra, quæ voluntaria est, & per quam nocentes sumus numquam nobis esset illa Dei pertimescenda; alioquin nobis non esset jus in Deo confidendi. *Pater Bourdalove in Dominicali*.

Animæ cæcitas, quæ effectus est amori Divini aucti.

Corporis cæcitas potest saltem magna animæ bona procurare, auferendo illi tot objecta periculosa, quæ illam perdere, & corrumpere possunt; sed cæcitas mentis, quæ effectus est discessionis a Deo factæ ab anima longe magis funesta est & corpori, & animæ. Obscurentur oculi, Regius inquit Propheta, ne videant amplius; & hinc quid sequitur? Efficias Domine, ut sub inimicorum suorum jugo curventur; & cum Dæmon illos semel excæcaverit, in illos absolutum exerceant imperium. Secundo ubi corporeorum oculorum jactura facta est, quæruntur fulcra, & subsidia, quorum ope ambuletur; sed ubi aliquis spiritali cæcitate percutitur, hic quodlibet indignatur auxilium; putat se melius quam alios videre, & quam primum labitur in præceps. Insipiens, qui se sanum credit extra omnem spem situs est; neque ei aliorum utilis esse potest sapientia. Denique corporis cæcitas efficit ad summum ut aliquando cadamus; & lapsus hujusmodi vulgo neque periculosi sint, neque immedicabiles; sed cæcitas mentis causa est, ut jugiter cadamus, & fere semper nos ad interitum nostrum adducit. Nullæ nobis negligendæ sunt præcautiones ad funestam hanc cæcitatem vitandam: sed si misere in eamdem incidimus, ut resurgamus non alia præsentior ratio est, quam qua Salvator est usus ut cæco nato oculorum aciem restitueret. Liniamus oculos nostros luto, videlicet cogitemus nos vasa esse fictilia; vitam nostram incertam esse, eamque a nobis in singula momenta amitti posse. His cogitationibus repleti non cunctabimur currere ad aquas pœnitentiæ; *Vade ad natatoria Siloe*. Lacrymas nostras cum aquis illis immiscerimus, hoc salutari lavacro abluemur, & hoc pacto certissime videndi facultatem recipiemus. *P. Segneri in Meditationibus suis in delectos Bibliorum locos*.

Ut quam funestior sit corporis cæcitate, & quodnam sit præsentissimum remedium ut ab illa curemur.

Joann. 9. 11

Qui virtutem quam exercuerunt, relinquunt fere numquam convertuntur.

Apostolus ait, desertores veritatis data opera peccare, quippe plena, integraque voluntate peccant. Sunt, qui furore potius, quam voluntate peccant; qui cupiditatum suarum vehementia quodammodo trahuntur, & qui in ebrietate sua non norunt malum, nisi quatenus opus est, ut fiant nocentes. Verum modo agitur de illis, qui data opera peccant postquam experti virtutem cognovere, qui deliberato consilio volunt malum, qui illud inquirunt, & oculos claudunt lumini ne illuminentur: *Fuerunt rebelles lumini*. Vera propitiationis victima JESUS CHRISTUS est. Hæc autem non est pro illis, qui Deum reliquerunt. Dei crucifixi merita illis fiunt inutilia; Jam non relinquitur hostia. JESUS CHRISTUS dicere potest Patri suo de aliquibus peccatoribus: *Dimitte illis; nesciunt enim quod faciunt*. Sed hoc ipsum dici nequit de illis, qui Deum reliquerunt, qui non sequuntur amplius JESU CHRISTI præcepta, qui eorum pulchritudinem cognovere, qui amaverunt illa, qui ea ad tempus custodierunt; sed qui paulatim fatigati sunt, qui neglexerunt illa, & eousque processerunt, ut omnino ab illis discederent. Neque ideo dixerim, fieri nequaquam posse, ut isti se se colligant aliquando, suos errores lacrymis prosequantur, se convertant, atque ita perfruantur fructu victimæ propter mortalium omnium peccata in Cruce oblatæ. Sed id genus conversiones sunt ita infrequentes, ut haberi quodammodo possint tamquam impossibiles. *P. Segneri in Meditationibus*.

Luc. 23.

Ex illis, qui defecerunt a fide, vix Berengarium invenimus, qui in viam veritatis redierit; Hæretici fere omnes in rebellione sua mortui sunt. Verum plures ne memorabimus, qui in veritatis viam sint reversi, postquam recesserunt ab illa; qui sese ad Deum converterint postquam ab eo prorsus recesserunt? Et sane quidquid in aliis peccatoribus impressionem facere potest, hunc non potest permovere. Illis exhibebitur enormitas peccatorum, quæ committunt, scandalum quod proximo præbent, manifestum æternæ damnationis eorum periculum. Hæc omnia nil novi habent erga illos, & cor eorum non flectitur. Trepidemus ad intuitum horum hominum obduratorum; & quantumcumque in præ-

in præsentiarum a statu adeo funesto procul simus, nosmet in tuto esse nequaquam credamus; eo nonnisi paullatim, & per gradus pervenitur. *Idem.*

Nobis omni nisu contendendum est, ne simus in eorum numero, qui deserunt Deum.

Illos qui fidem deseruerunt, perhorresco, & quoscumque præmio eorum exemplum sequi non vellem. Sensus hic in me est effectus gratiæ tuæ, Domine, & gratias ago. Sed quid mihi prodesset adhærere veritatibus Religionis, si illius sacra dogmata sequi me tæderet? Et sane nonne æque rarum est in viam virtutis reverti, cum postquam illam aliquis secutus est, ab ea ultro, & quasi cognita causa, discessit, ac in Religionis sinum redire eum, qui semel ab eodem recessit. Putat Christianus hic, qui sincere Deo servit, eumque deseruit, se iterum, ac vere posse converti; & sane hoc in illius potestate situm est, si gratia adsuerit. Sed quam insueti hujusmodi reditus sunt, quam raro id genus peccatores faciunt quod faciendum est, ut proficiant iis, quæ supersunt auxiliis, & victima expiationis, quæ posset adhuc illos emundare. Quid tibi prodesset fidelis, non esse ex numero illorum, qui a Religione desiscunt; si esses ex numero, qui deserunt Deum, qui illius doctrinam sequuntur, & illius præcepta non servant? *P. Segneri in Meditationibus.*

Periculum peccatoris, quem tribulatio erudire nõ potest.

Fieri potest, ut vos non deserat Deus, quamvis non statim proficiatis ex illis suppliciis, quæ vobis immittit; verum fortasse etiam vos deseret, & hæc vos non terret incertitudo? Etenim tandem quantumcumque a vobis periculum semotum sit, cum de æterna damnatione agitur, non deest unquam unde sit trepidandum. Verum intelligite aliquando illud infortunium, quod Deus per hæc verba vobis minitatur. *Ne forte recedat anima mea a te*; ne videlicet tibi unquam specialem hanc denegem protectionem, cujus ad salutem tantopere indiges. Verum est, licet parum divinis voluntatibus obsequamur, numquam auferuntur a nobis auxilia, quæ absolute ad salutem operandam sufficiunt. Sed ne expectemus subsidia peculiaria, auxilia, efficacia prædilectionis præsidia: nulla tenetur lege Deus pretiosissima dona sua nobis conferre. Singularis amor eorum fons est; & minitatur se amoturum cor suum ab illo, quem supplicia non erudierint: *Ne forte recedat anima mea a te.*

Quale sit periculum peccatoris quem non erudiunt ærumnæ.

Tantum hoc vobis imminet periculum, si frustra vos percutit Deus, vos ad se revocaturus. Manus illius vos numquam percutiet; sed simulac recedet manus ejus a vobis, cor illius claudetur vobis, ac finet tranquille vos vivere, & mori in miserrimo statu, in quo estis. Quidnam deterius vobis timendum est? Pro salutis vestræ bono ne redigatis Deum misericordiæ ad id, ut fatigetur vos frustra percutiens. Ita quæcumque vobis calamitas ingruat, revocate in mentem ea verba, quæ Domini personam gerens, vobis dicit Jeremias: Collige te Jerusalem, & *Erudire, ne forte recedat anima mea a te. Ibidem.*

Actum de peccatore quem tribulatio non erudit.

Quam plorandus est peccator iste, quem non erudit tribulatio! Hic est veluti conatus extremus divinæ misericordiæ eum revocantis, qui cum in irritum abit, Deus sensim, ac sine sensu peccatorem relinquit; hic est velut æger qui propter morbi sui improbitatem præsentissima quælibet pharmaca exhausit. Cum mecum de me ipso cogito, similis sum oviculæ sensu carenti, nonnumquam sine ulla præcautione secus oram abyssi obambulo. Tunc percute me, divine Pastor, pedo tuo percute. Vulnus nimis grave non potest esse, quoniam necessarium est, ut a periculo declinem. Sed quinam esse deberet timor meus, Domine! si me percuteres, & ipse melior non fierem? Heu! Domine, hic est reproborum character, verberibus callum obducere. Præbe mihi docilitatem filiorum tuorum, quos vel minima pœna castigat. *Idem in Meditationibus.*

Obduratio, & stupiditas peccatoris a Deo derelicti.

Mittit Deus Prophetam ad Jeroboam, sacrilega impietate ad altare ascendentem ut idolis thus adoleret. Sed mirum est intueri Prophetam hunc ad Aram sese convertere, ad quam, ne verbo quidem ad Regem impium prolato, recta accedit: *Altare, Altare, hæc dicit Dominus.* Orietur ex Domo David filius, qui Josias vocabitur, immolabitque super te Sacerdotes, qui thure te colunt; tu modo fractum corrues, & cineres, qui sunt super te, decident in terram. Obstupescitis, Sanctus Chrysostomus inquit, quod hic Propheta a Deo missus ad Jeroboam, ut illi peccatum suum exprobraret, ad rem anima carentem, quæ omni culpa vacat, sese convertat: sed ne miremini, Pater idem subjicit. *Rex enim minus est compos sensuum, quam lapis.* Quod ille dicit, magis altare, quam Jeroboamum afficiet. Scinditur altare, quasi Prophetæ minas audivisset, & cor Jeroboam non flectitur. Altare in duas scinditur partes ad ostendendum, quid faciendum fuisset in Regis hujus anima per veram contritionem; & infelix iste, quin hoc miraculo moveatur, in minas, atque blasphemias erumpit. Hic est deplorabilis peccatorum status, qui indurruerunt, & a Deo derelicti sunt. Prophetæ, Evangelii præcones latera fatigent contra illorum scelera declamantes, surdis fabulam narrabunt. Confessarii illos cicurare, & permovere conentur, laterem lavabunt, lapides sunt sine corde, vel potius homines sunt, quorum cor æque durum est, ac lapis. *Ex Morali Dictionario.* 3. Reg. 13.

Ejusdem argumenti continuatio.

Quidquid tunc accidit, efficere debebat, ut Jeroboam sese colligeret. Profanum altare, quod ipse posuerat in Bethel dirutum intuebatur, quemadmodum Propheta portenderat; sentiebat manum, quam extenderat, repente exaruisse. Duo hæc portenta illum movere debebant; sed neque altaris scissura, neque suæ manus ariditas aliquem obtinuerunt effectum, ut converteretur. Videbat, in prodigii cumulum, ex quo rogaverat Prophetam, ut dexteræ suæ pristinum motum restitueret, se curationem, quam petierat obtinuisse, quod miraculum adeo parum affecit illum, ut ei, a quo tanto affectus fuerat beneficio, satis existimaverit dicere: Veni mecum domum, ut prandeas, & dabo tibi munera. Ne miremini, fratres, homo a Deo relictus re nulla movetur unquam. Surdus minis, ingratus beneficiis semper est idem, & quod in hoc Rege damnamus quotidie usuvenit. Multi tragica vident exempla, in semet insperata experiuntur miracula, & nihilo secius non revertuntur ad Deum: Nimis beati, ut videtur, si eos corrumpere possent, qui Dei nomine loquuntur, eosque munusculis delinire, ut morum præcepta molceant, & minatum eorumdem eludant effecta. *Idem.*

Quod Deus a peccatoribus recedat, & eorum aliquos tradat in reprobum illorum sensum, ut primum quidem se suis mancipent cupiditatibus, mox vero malis omnibus, quæ oriri possunt ex funesto hoc Domini recessu, veritas est, de qua ne dubitare quidem nos voluit Deus; quoniam hoc passim in Scripturis minitatur, & in omni sæculorum decursu sexcenta nobis præbuit exempla, quæ essent ad terrorem nobis injiciendum aptissima. Ut tanti hujus mali magnitudo innotescat, utque ille, quem meretur, timor animo concipiatur; supponendum est si lubet, primum a Deo rationem admodum aliam servari, cum peccatores ad pœnitentiam appellat, & cum semel receptos eos deserit. Cum vocat illos, ipse semper incipit, ac prior operatur; oportet enim ut nobis loquatur interiori voce gratiarum suarum ut prior nos quærat, quantumvis longe per scelus recesserimus; quoniam sine illius ope, atque perquisitione, non licet nobis ne pedem quidem movere, ut ad hoc bonum summum accedamus. Sed non eadem ratione agit, cum recedit a peccatoribus, eosque deserit: numquam

quam incipit prior; neque ultro, & motu proprio recedit, sed coactus ob illatas sibi contumelias, & nonnisi cum summo dolore dicere tenetur illis: *Ego vado*, recedo a vobis, & id seu statim illorum decernat interitum, ut olim diluvii tempore, *tactus dolore cordis intrinsecus*; seu tantum prævideat mala, quæ hic discessus suus illis est allaturus, velut cum lacrymatus est super Jerusalem: *Videns Jesus civitatem, flevit super illam*. Ita numquam ipse prior deserit, nisi ante fuerit desertus, post sexcentas peccantium infidelitates, & contumelias. *Neminem deserit nisi prius deseratur*; quæ sunt verba S. Augustini, ex quibus Tridentina Synodus articulum fidei composuit. *Auctor recens*.

Genes. 6.

Deus peccatorem deserit nō quidem malum suadens, sed illum privans gratiis actualibus.

Hæc autem adeo funesta destitutio, in qua Deus deserit peccatorem, nequaquam sita est, ut suppono, in jactura habitualis gratiæ, per quam in nobis manet Deus, & in hoc ipsi manemus, & per quam ille nos, nos vicissim possidemus illum; hoc enim est quoddam veluti vinculum, quo illi inhæremus; licet enim in hoc sensu recedat ab homine, qui in peccato mortali situs est; non ideo dicendum est, hominem ab illo deseri; quoniam servat adhuc erga illum paternæ viscera pœnitentiæ; illum prævenit, inquirit, respicit tamquam filium, qui ab officio discessit, sed qui quamprimum ad illud reversurus est, & qui fortasse aliquando ad summum sanctitatis apicem perveniet. Sed hæc desertio fit, cum subtrahit Deus habituales gratias suas, sanctasque emotiones, quibus peccatorem hunc in bonum impellebat; ita ut destitutio hæc non sit aliquid, quod inferat Deus in animum, & cor peccatoris, sed mera privatio communium gratiarum illius, divini auxilii subtractio, quod aliis impertit, qui ad miserrimum statum hunc redacti non sunt. *Recens Auctor*.

Nullus peccator est adeo, in præsenti vita derelictus a Deo, cui Deus non concedat, quod absolute necessarium est ad salutem.

Alterum etiam supponendum est in hac destitutione, in qua Deus deserit peccatorem; videlicet licet Doctores aliqui teneant, in vita hac non deesse, qui ita derelinquuntur, ut absolute omni gratia careant, subsidio, ac motu, quo impellantur in bonum; ita ut nulla eis spes reditus suppetat. Hæc tamen doctrina ab omnibus respuitur, tamquam nulli satis valido innixa argumento; confundit enim statum vitæ hujus ubi adhuc sumus in via, cum statu alterius in quo jam terminum assecuti sumus, & concipere nequeunt, hominem donec in viatoris statu adhuc est, ut Scholasticis utar verbis, a Deo illi negari, quod ipsi ad salutem necessarium est, quantumvis improbus sit atque nequissimus. Hoc docet Angelicus per hæc verba: *Deus vult omnes homines salvos fieri; ut nemini quantumvis scelerato gratiam suam subtrahat*. Ita destitutio hæc quam peccatoribus minitatur Deus non est totalis privatio gratiarum, & beneficiorum ejus, sed subtractio peculiaris auxilii, & providentiæ: ita ut quamvis semper sese converti possint, numquam tamen convertantur: *Ego vado: quæretis me, & non invenietis: Joan. 14. Idem*.

Status peccatoris derelicti in scripturis comparatur vineæ ab omnibus prætereuntibus obtritæ, & direptæ. *Osee 9.*

Peculiarium gratiarum subtractione præsupposita, facile est videre malum illum extremum, ad quod funesta hæc destitutio redigit peccatorem; quæ causa est propter quam Osee Propheta de illa verba faciat cum ea imprecatione, quæ terrorem potest immittere in animam illius, cui aliquis adhuc superest sensus de Deo; deque justitiæ ejusdem timore; *Væ eis, cum recessero ab eis*. Verum cum Propheta hic rem clarius non aperiat, eamque conjecturis dumtaxat videatur relinquere, horum verborum sensum mutuabor ab alio Propheta, qui illum fusius exponit usus similitudine vineæ sterilis, quam Deus suis manibus plantavit, & summa coluit industria, qui tamen ex ea nullum retulit fructum. *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Sed vineæ huic desertæ quid accidet mali? Ecce: *Auferam sepem ejus, & ascendent spinæ, & vepres, & nubibus mandabo, ne pluant super eam*. Relinquam eam nulla sepe, vel fovea circumseptam, ita ut omnium prætereuntium direptioni pateat, & cedat in prædam eorum, qui eam depopulari voluerint; mox vepres, ac spinæ succrescent, quæ omnem illius succum exhaurient, ac imparem faciet fructibus ferendis; demum claudentur nubes, & nullo imbre, vel rore ultra irrigabitur. Hi sunt effectus & signa hujus destitutionis. *Auferam sepem*: Privat illam Deus peculiari protectione, quæ sepis instar, & valli eam tutabatur, ac prohibebat, ne diriperetur; hinc patet hostibus, qui eam possunt igni ferroque vastare; deinde spinæ, & vepres ibi dominantur, suffocant, obruunt; vitia nempe, & animi cupiditates non sinunt illam de salute sua cogitare, omnia illi cœlestia lumina auferendo: & *ascendent vepres, & spinæ*, tandem vero nullus decidit amplius imber, vel ros: videlicet gratiæ infrequentes erunt, & inutiles. Tot eidem funesti, ac sensibiles effectus illius destitutionis, in qua Deus infidelem relinquit servum, qui prior ipsum deseruit. Terribilis hypotiposis miserrimi status, ad quem peccator, terribili quidem, sed æquissimo Divinæ iracundiæ supplicio redigitur. *Auctor Recens*.

Isai. 5.

Primum peccatoris obstinati malum est, a Deo non amplius præberi solitas gratias, & subsidia.

Primum illud, quod facit Deus erga pertinacem peccatorem est ab illo suum auferre præsidium, & peculiares providentiæ suæ curas, ac exteriora subsidia, quæ antea illi præbebat; hæc, secundum Prophetæ locutionem, est sepes illa, quæ vineam tuetur, ac vetat, ne pateat diripientibus. Et profecto donec respicit Deus animam tamquam bonum suum, & a quo aliquid ad majorem nominis sui gloriam præstolatur; cura, quam illius gerit, satis nequit explicari. Circumdet illam, non sepe tantum, ut vineam; sed valido muro ad arcendos hostes, ne horum incursibus obteratur: *Ponetur in ea murus, & antemurale*. Circum vallat illam montibus, quorum accessus difficiles sunt, & quasi & loci natura, & omnia, quæ eidem accedunt munimenta nequaquam viderentur sufficere ad eadem tuendam; semetipsum constituit vallum ipsius, ut sit extra meum omnium periculorum: *Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui*. Ita Deus in Scripturis exprimit suas curas, & auxilia, quæ fidelis anima ab illo potest expectare; ita ut nonnisi per summam ignaviam, vel turpissimam proditionem, labi queat in manus inimicorum. Sed e contra cum illam deserit Deus, prohibere non potest ipsa, quominus hostis, qui jampridem interitum ejus appetit, ingrediatur sine resistentium occursu, eamque depopuletur. *Recens Auctor*.

Psal. 124.

Peccatoris anima in hoc statu comparatur domui a forti armato derelictæ. *Ezechiel. 26.*

Ezechiel quoque statum animæ a Deo derelictæ his nobis exhibet verbis: *Erit in direptionem gentibus*. Inimici salutis ejus quodcumque illis malum inferent, quod eorum odium, & crudelitas poterit excogitare. Hæc est deserta illa domus, qua antea fortis armatus tuebatur; sed alius fortior illam invasit, & abstulit quidquid in illa reperiebatur. Si quid reliquum erat mortalium virtutum, justitiæ, & naturalis æquitatis in hac anima, aliquis pietatis sensus, qui posset adhuc locum sperandi conferre, futurum ut ab erroribus suis resipisceret; si exercebat adhuc aliquot bona opera, quæ essent veluti radix apta ad producendos tempestive fructus in æternitatem; si aliqua adhuc in ea deprehendebatur in bonum proclivitas, unde conjicere liceret, non omnino actum esse; si in ea cognoscebatur aliquod Religionis indicium, hæc omnia ablata, dissipata, direptaque sunt ab illis, qui potiti sunt arce hac derelicta. Vallo, quo circumdata erat, everso, incidit in manus hostium crudelissimorum, qui non relinquunt lapidem super lapidem, postquam inde omnes divitias abstulere, at tandem contingit,

Psal. 136.

tingit, quod Regius Propheta inquit de Babylone: *Exinanite, Exinanite usque ad fundamentum in ea*; funditus illam convellite; videlicet, usque ad ipsum virtutum omnium principium: nam fides eadem, hæc fides, quæ permanet in anima sceleribus coinquinata, & subsistit post charitatis excidium, omniumque aliarum Christianarum virtutum jacturam, tandem caligat, atque secreto extinguitur atheismo, qui aufert illi timorem Judiciorum Dei, & cogitationem veritatum maxime perspicuarum, & terribilium, quæ possent peccatorem hunc ad officium revocare; atque ita cum divinis rebus non afficiatur, ac in terrenis dumtaxat confidat, superest illi solum Christiani nomen, quod Ethnica, & infideli vita afficit dedecore. *Idem*.

Apertissimum signum, quod anima sit derelicta, est, cum Deus amicis suis prohibet ne plorent pro illa.

Jerem. 14.

Illud vero maxime omnium quod palam ostendit iram, qua flagrat Deus adversus animam, quam tandem propter infidelitates, & scelera illius derelinquit, hoc est, quod non solum Deus subtrahit exteriora subsidia, quæ illam tuebantur, quod locum præbet inimicis ejus eam aggrediendi, ac eadem potiundi; verum etiam prohibet ne quis illi opituletur. Hoc ipsi videmus in Scripturis, ubi Deus, ut innueret se omnino dereliquisse populum suum, vetat, ne Prophetæ pro illo deprecentur; *Tu vero noli orare pro populo, quia non exaudiam*, dixit Jeremiæ; quoniam tempus, quo de illo pœnas sumere constitui, cumque derelinquere, jam venit. Heu! hic terribilis est sævissime iracundiæ Dei effectus. Cum vult misereri peccatorum, urget sanctos, ac fideles servos suos, ut precibus suis pro illis laborent, & hoc pacto ostendit sibi mentem esse parcendi illis, & cum illis gratiam sarciendi; sed cum illos deserit, ut innuat, se nolle misereri, piis hominibus aufert mentem, & cogitationem pro miseris intercedendi. Ita non vult Samuelis importunis precibus rogari, ut Saulis misereatur: *Usquequo luges Saul, cum ego abjecerim eum*? Non eo quod preces illæ Deo non essent acceptæ, vel quod nobis orandum non sit pro eorumdem peccatorum conversione, quorum salus jam profligata est: hic zelus est, & charitas, quæ suo non caret pretio, ac merito, quæ nonnumquam etiam, absit invidia verbo, de divina triumphat misericordia, omniaque Justitiæ judicia delet; sed per hoc innuere vult illos a se derelinqui, quia sæpe illis aufert reliquum hoc spei, quod in piorum precibus superest. *Auctor Recens*.

1. Reg. 16.

Ii: cum permittit Deus ut in locum prætorum zelo præditorum peccator inveniat solum pseudo Prophetas, qui curiositati illius potius satisfaciant, quam doceant veritatem.

Cum Dei verbum in ore Concionatorum validissimum sit ad peccatorum conversionem remedium, & numeretur inter exteriores gratias, quas illis permittit Deus; Deus aufert illis hoc etiam adeo efficax, atque consuetum adminiculum, & pro his Prædicatoribus zelo præstantibus, qui prædicant magnas Evangelii dignitates, & qui admirabiles conversiones operantur, quales in Apostolis, Apostolicisque viris suspiciebantur, sinit alios huic muneri sese immiscere, qui illos inanibus detinent verbis, ac subtilibus disputationibus, quæ cor eorum minime pervadunt ad eorum duritiam flectendam, atque illos ab hoc sopore excitandos; quemadmodum permittebat olim, ut Pseudoprophetæ fallerent populum suum, ac in iis, in quibus erat, illusionibus eum detinerent. Ita patitur, ut in hac destitutione peccatores eos tantum inveniant homines, qui nullo habeant in discrimine salutem ipsorum, & qui eorum dumtaxat foveant curiositatem, quin efficiant ut gratia cum verbo Dei in corde eorum influat. *Idem*.

Cumulus infelicitatis in peccatore est, cum quia diu restitit gratiæ Dei, Deus tandem il

Postremus gradus, in quo peccator deseritur, ille est cum postquam Dei gratias repulit, eisque restitit, jam omnem earum sensum amittit, quæ res omnem tollit spem, fore ut peccator umquam resipiscat. Neque enim resipiscere potest nisi per gratias, atque subsidia sibi a Deo præstita; infelicitas vero illius tanta est, ut nulla re amplius afficiatur per obdurationem, quæ sensus carentia vocatur, & quæ uti Sanctus Augustinus testatur oritur ex multitudine scelerum ejus: *de multitudine peccatorum nascitur obduratio*. Et sane donec superest adhuc illi sensus aliquis Religionis, & veritatum fidei; nihil adhuc desperatum est; sed ubi ille se ipsum occæcat in his omnibus ubi callum ducit illius conscientia, neque ullis perturbatur oculeis, quæ antea facillime flectebatur, qua ratione potest oppugnari? hisce gratiæ miraculum accedat, & non vulgare divinæ opus misericordiæ, jam de illo actum esse dici potest, cumque omnino esse derelictum. Ita in hoc vitæ statu reliquum spatium traducit, sine ullo motu quo agatur in Deum, sine ulla infelicitatis propriæ cogitatione; mordicus hærens in pertinacia sua, & quin umquam vitæ rationem immutet. *Recens Auctor*.

lum sibimetipsi derelinquere tenetur.

August. in quodam sermone de Tempore.

Ad malum adeo terribile evitandum status hic respiciendus est tamquam malorum omnium maximus.

Ut cogamur omnes conatus exerere, nihilque inausum, intentatumque relinquere ad funestum hunc destitutionis statum evitandum, in quo versatur peccator, postquam diutius Dei gratias repulit; intelligamus tantæ infelicitatis magnitudinem ex duobus hisce terminis, quæ terrorem inferre possunt in animam, in qua aliquis adhuc reliquus est Religionis sensus, Christianus relictus a Deo,* qui est finis illius, & a quo creatus fuerat, ut æternam beatitudinem consequeretur! sed relictus a Deo, quem obduratissimi cordis pertinacia cogit, ut illum repellat, ejusque excidio præbeat assensum! Christianus relictus a Deo, qui videns gratias suas contemptas, perquisitiones, curasque suas, beneficia, rationesque omnes, quibus usus est ad illum attrahendum, inutiles factas; expectando, ac diutius illum sustinendo fatigatus, ipse quoque vicissim illum respuit, atque contemnit! Christianus, verbo dicam, a Deo derelictus, qui omnes amoris sui, & benevolentiæ curas in illud frigus convertit, quo fit, ut illum nonnisi tamquam ingratum, & infidelem servum respiciat, quem ejicit domo, & tamquam vas iræ, ut loquitur Apostolus, quod adhuc ad breve temporis spatium in hoc mundo relinquit, sed quod experturum est divinæ ultionis severitatem; Nobismet fingamus, inquam, Christianum in hoc terribili statu, & intelligemus facile, statum hunc non solum esse omnium funestissimum, verum etiam miserrimum, & desperatissimum; ad quem evitandum, quin imitemur idololatras populos, qui Deos suos vinculis premebant, ne ab illis desererentur; detineamus Deum nostrum nostra fidelitate, illius cultui jugiter inhærentes; hoc enim si præstiterimus, numquam auxiliis ejusdem destituemur. *Idem*.

Trepidandum nobis est, quod cum Deus sit suarum gratiarum Dominus, illas nobis, ubi voluerit, potest subtrahere.

Hic Dei a Peccatore recessus, qui vulgo incipit a subtractione gratiarum, & ab horum negatione a Deo facta illi, non oritur, nisi ex ea mensura, qua miser ille has respuit, atque contemnit; inde enim Deus quoque illas respuere, & subducere incipit; quia gratiæ illius & numero, & magnitudine decrescunt, quotiescumque respuuntur, & negliguntur: ita ut interiores hi motus sint tamquam jacula obtusa, quæ altius, & nonnisi per temporis intervalla, pervadunt, & in hoc destitutio hæc sita est. Illud autem nobis terrorem debet incutere, quod non semper erga peccatores omnes ratione eadem utitur Deus. Sunt, a quibus post pertinax prælium, & a quibus post leve certamen recedit; sunt, quos diutius, & annos plures insectatur, & quos illico sollicitare cessat; sunt, quos nonnisi post plures repulsas, ac rebelliones, & quos post pauciores deserit; cum enim penes illum arbitrium sit, ac imperium beneficiorum suorum, de illis

ad li-

ad libitum disponit; quin alicui rationem reddere teneatur. Illud unum constat, nullam esse noxam gravem, quæ pœnam hanc non mereatur, & quæ non satis superque sit, ut tantum malum in caput nostrum convertat. *Recens Auctor*,

Licet Deus non semper eadem utatur severitate erga omnes non inde aliquid in deteriorem partem arguendum est.

Si Deus non eadem semper utitur erga peccatores omnes severitate; quis spondere potest, illum rationem nostri habiturum esse, qui nullam habuit tot aliorum, qui fortasse non adeo nocentes extitere, & qui non adeo, uti nos, illius patientiam delassarunt? Quot enim gratias contempsimus? quot singulis diebus contemnimus? Quot dissipavimus, ex quo nos Deus vocat, & urget, ut illi cedamus? Heu! quam metuendum est, ne quod JESUS in Evangelio Judæis minitatur, nobis etiam intentatum sit: *Quæretis me, & non invenietis*, quia recedam a vobis, & vos non secus ac miserrimum populum illum derelinquam. Hoc nobis magnopere formidandum est, cum tot licet secretis inspirationibus afflaverit, tot nobis contulerit gratias, quibus quotidie nos illuminat, vivimus in voluntaria nostræ salutis oblivione; cum quin adhibeamus aures Deo vocanti, ab illo in dies magis, magisque recentibus noxis recedimus; cum, quin omnes industriæ, ætatisque nervos intendamus ex eo emersuri statu, in quo sumus, nostræque conscientiæ consulturi, semper validiores habitus contrahimus, quibus in peccatis retinemur, & prohibemur ne inde egrediamur: Ita fontem misericordiarum exhaurimus, & paulatim omnem Cœlestium gratiarum sensuum abjicimus. *Idem*.

Permittit Deus, ut peccator derelictus prospera fruatur fortuna, & funesta illius prosperitas nõ perturbetur amplius ærumnis, & calamitatibus.

Propheta funestum hunc Dei recessum, quo peccator sibimetipsi traditur, exprimit dicens, Deum præcipere Cœlo, ac nubibus, ne suos imbres effundant in vineam hanc a se desertam, quæ figura est animæ derelictæ; quod gignit extremum hoc, atque terribile malum, quod olim Dei Filius Judæis minitatus est, qui licet possent adhuc converti, non ideo tamen conversi sunt; dicens fore, ut ipsum quærerent tunc tandem cum ipse ab illis recessisset. *Quæretis me, & non invenietis*. Malum hoc extremum est, & sine ulla reditus spe; non quod omnis absolute ablata sit spes, si hac uti vellent; sed quia nollent uspiam. Ad id enim opus esset, ut requiem illorum turbaret Deus, ipsis immittens adversa, & gravia mala, quæ excæcatissimo cuique oculos aperiunt, atque omnia illorum gaudia per acerrimos conscientiæ stimulos perfunderet amaritudine. Sed illos Deus in hac vita pace frui sinit, in alteram eos reservans futuros, ut Sanctus Augustinus ait, funestissima Justitiæ suæ, atque severitatis exempla. *Cum serventur in ultimam, opportunamque vindictam*.

Si infidelitas nostra primus est gradus ad hoc ut nos deserat Deus: nostra gratiæ illius resistentia cumulum addit nostræ infelicitati.

Si infidelitas nostra, qua Deum colimus, est veluti primus gradus ad terribilem destitutionem, in qua Deus tandem terribilis nos judicio repellit; resistentia, quam mox facimus gratiis, per quas ad se nos arcessit, contemptus perquisitionum illius, quibus nos urget, ut ad eum revertamur, causa est, propter quam tot inanes conatus fastidit, ac nos deserit; illius instar, qui iteratas a se preces ab eo, qui oratur, repelli cognoscens, cum spe obtinendi abjicit etiam mentem, ac desiderium petendi. Vel ut apertius dicam; fingite vobis exercitus Imperatorem obsidentem arcem natura, & arte ita munitam, ut cum suorum cæde, quacumque ex parte illam adortus fuerit, semper, strenue ab obsessis fuerit repulsus. Hic cum tandem se oleum, operamque perdere intelligit; ab obsidione recedit, ac mentem possidendæ illius prorsus abjicit. Hoc quodammodo facit Deus erga cor rebelle, & pertinax in rebellione sua: sexcentos, ut ita dicam, exerit conatus: ac indesinenter in illud impetum facit; sed arx illa semper validis gratiarum ejus impulsibus adversatur, ita ut jampridem Deus miserum cor illud urgere non destiterit, & nihilum umquam repetitis incursibus profecerit. Tandem illum tædet irriti conatus sui, & pertinacem hunc peccatorem ipsius tradit pertinaciæ. *Idem*.

Sæpe obstinato peccatori Deus aufert gratiã, quam illi procurabat per optima cognatorum, amicorumque consilia.

Dicamne Auditores? Illis, quos deserit Deus, sæpe etiam illos aufert, qui illorum scelera possent inhibere, vel saltem eos intra officii terminos continere, *auferam sepem ejus*, quemadmodum abstulit olim Pharaoni Moysem, & Herodi Regi S. Joannem Baptistam. Ita peccatorem derelictum privat amico, cujus salutaria monita possent cursum iniquitatum illius coercere, & pravi ingenii furores comprimere. Ita prodigo filio, & in omnes libidines ruenti aufert patrem sapientem, ac virtute præditum, quod unicum erat vallum, quo torrens ille coercebatur, ne se extra fines suos effunderet in omne vitiorum genus. Mater diu intra verecundiæ cancellos continuit puellam hanc, ac vigilantia sua omnes ejusdem lapsus prohibuit; sed cum matrem Deus a mundo aufert, puellam illam ipsius tradit libidini; quippe aufert illi eam, a qua in officio poterat contineri; ita ut quemadmodum Confessariorum monita, piorum exempla, amicorum consilia, & consanguineorum auctoritas magna subsidia sunt, ut aliquis a scelere deterreatur, eaque numerantur inter gratias, quas Deus suis Electis impertit, & media quibus utitur ad eorum prædestinationem; sic e contra cum eadem aufert pecccatori, hic ea mulctatur pœna, quam Deus eidem minitatus est, cum ait, se illi quæcumque subducturum auxilia. *Auferam sepem ejus. Auctor Recens*.

Negat quoque ille li gratias quibus immediate illustrabatur, & cor illius movebatur.

Ut extremam addat manum tabulæ peccatoris a Deo derelicti, addit Propheta, Deo satis non esse sepem, qua vinea circumsepta erat prosternere, ut pateat cuilibet eam diripere cupienti auferre, & permittere, ut illic vepres, & spinæ dominentur, quæ terram suffocent, ejusque succum, atque substantiam exhauriant; sed præterea prohibere, ne cœlum suos imbres in illam effundat: *Et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem*; Isaiæ 5. videlicet Deum interiores inhibere gratias, quæ sunt proximæ salutis nostræ causæ, non quod illas absolute omnes deneget nobis; sed quia rariores, atque imbecilliores fiunt, quo magis & peccator a Deo, & a peccatore Deus recedit. Ita ille agere consuevit cum peccatore derelicto, cujus imago est hæc vinea deserta eo usque, ut ad eum redigatur statum ubi nullas habeat gratias, quæ immediate mentem ejus illustrent, sed remotas tantummodo gratias, quæ illum ad preces, eleemosynas, vel aliquem charitatis actum impellant quidem, sed leviter. Antequam huc deveniatur, Deus, ut ita dicam, persequitur animam, sæpe audit vocem illius ab errore illam revocantis; frequentibus illustratur luminibus, quæ ipsi malum in quod lapsura est, ostendunt; conscientia illius domesticus censor, & Judex in singula fere momenta exprobrat ipsi omnem vitæ nequitiam; cogitationes mortis, & Judiciorum Dei illam sæpe sollicitant; adversa, aliaque non levia detrimenta illam resipiscere cogunt, & ad se reverti. Hæc vocantur lumina, Cœlestesque gratiæ, quæ nos efficiunt de salute nostra sollicitos. Hæc quidem prælia sunt vehementia; lumina hæc vivida sunt, ac altius animum pervadentia, sed postquam peccator diutius contra validos hos impetus gratiæ obnisus, & obluctatus est, Deus tandem illum derelinquit; *Auferuntur judicia tua a facie ejus. Idem*. Isaiæ 9.

CHRISTIANISMUS.

Religio Christiana, illius Præstantia, Institutio, Credibilitatis Argumenta, Persecutiones, Martyria, Miracula.

MONITUM.



Sicubi unquam opus est, aliquod ab aliis argumentum separari, hoc profecto jure distinguendum est ab aliis pluribus, quæ cum copalam rationem habere videntur. De Christianismi Institutione, de Christiana Religione, de Ecclesia, de Fide, deque JESU CHRISTI lege sermonem habere, idem est ac verba facere de re eadem diversis expressa vocabulis: attamen Christiana Religio, Fides, Ecclesia, & lex Evangelica argumenta sunt simul non permiscenda, nisi nimis amplum optes argumentum, prolixoque volumini, quam justæ orationi accommodatius. Itaque de Christianismo, vel Christiana Religione loquentes intra cancellos continebimur, ut ejusdem institutionem, progressum, fideique rationes investigemus, illius veritatem, atque necessitatem, qua omnes eamdem amplecti tenentur, probaturi. Cæterum de vocatione ad Religionem Christianam, deque nomine, & officiis hominis Christiani, fusius jam verba fecimus, cum de Baptismi obligationibus loqueremur.

In hoc autem de Christianismo, vel de Religione Christiana argumento his finibus circumscripto hoc sibi propositum habere debet Concionator, ut Auditores suos in hujus Religionis veritate confirmet, Divinam erga ipsos bonitatem ostendens, cum divinitus acciderit, ut nunc temporis orirentur, cum Religionis splendor elucet; atque ut præstantiæ, ac sanctitatis Religionis ejusdem satis æquam tribuat ideam, atque ita illos hortetur, ut tanto hoc beneficio vitæ suæ sanctitate respondeant.

In Concione igitur de hac re illud potissimum cavendum est, ne ad alia evagetur argumenta, puta, ne de fidei natura, & conditionibus sermonem instituat: ne de vera Ecclesiæ notis, vel Christianismi muneribus verba faciat, quæ quidem alia sunt argumenta cum præsenti hoc non permiscenda; quod satis superque copiæ tribuit ad Concionem cum fructu, atque soliditate elaborandam.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum in hoc argumento Systemata.

I. DE Religionis præstantia elegans institui concio potest, ostendendo per unam hanc hominem perfici, attolli, tutoque ad suum finem perduci, hoc est ad æternam beatitudinem. Ad id meminisse sufficit, hominem a cæteris animantibus duplici facultate distingui, intellectu nempe, atque voluntate, quarum utramque Religio Christiana regit, ac perficit. Intellectum quidem tuto regit iis veritatibus, quas edocet, voluntatem vero perficit ea, quam præscribit, morum disciplina. Hæc erit sermonis partitio.

1. Quod autem Christiana Religio intellectum regat, attollat, eique nobilitatem quamdam adferat, adhiberi potest comparatione cum quadruplici sectarum genere Christianismo oppositarum, Ethnicorum videlicet, Judæorum, Atheorum, atque Hæreticorum. Ethnici quidem illum evertunt monstrosa numinum multiplicitate; Judæi figuris suis illi obscuritatem offundunt; Hæretici eum pro libidine vitiant, atque perturbant, ea tantum credentes, quæ sibi arrident; Athei denique illum penitus extinguunt, & nullam omnino habent Religionem. Sed nemo unquam neque securitatem, neque spiritus tranquillitatem nisi in Christiana Religione repererit. 1. Quod ad Ethnicos spectat, qui cogitationum suarum figmenta secuti tantummodo sunt, quænam est linguarum confusio in hac Babylonica turri? Nullam inveneris nationem, quæ Deos suos non habeat, & Roma, quæ illos omnes excepit, veræ duntaxat Religioni aditum interclusit. Quinam error, quæ cæcitas in iis etiam, qui inter ipsos majori sapientiæ laude floruerunt? Primus ille, atque antiquissimus omnium, qui Philosophiam sunt professi, visionarius est: Ille, quem divinum appellarunt, nonnumquam homine minor est, & qui majori polluisse ingenio visus est, postquam Deum unum esse propositis argumentis probavit; cuilibet licere arbitratus est, iis, quibus mallet, thura adolere. 2. Judæi quidem veram habuerunt Religionem; sed in umbra tantum, atque imaginibus; nunc vero cum imagini successerit veritas, seipsos in magno Evangelicæ lucis fulgore excæcant; illum, qui jam venit, præstolantur, & eum, qui ipsos illuminavit, contemnunt. 3. Athei Christianæ Religioni magis, quam cæteris bellum indicunt: sed quæ pertinacia est, sese victos non dedere iis argumentis, quæ cæteros homines vincunt, ac subigunt? Una tantum Christiana Religio intellectum illuminat, inde errorem expellit, efficitque, ut ibi inveniamus quod in aliis Religionibus frustra perquirimus. 4. Hæretici Mysteriorum nostrorum partem quidem credunt, sed in qua incertitudine versantur? quænam in opinionibus eorum est inconstantia? in singulos annos mutantur, & vix duos repereris, qui sibi conveniant: eo quod ratio, ubi de Religione agitur, est nimis infirma. Ea una vera religio est, quam Prophetæ pluribus ante sæculis prædixerunt, quam in omni terrarum orbe Apostoli prædicarunt, quam martyres suo cruore signarunt, & quæ hucusque inconcussa viguit, nequicquam persecutionibus, schismatibus, hæresibusque agitata. Ubi paulisper singulis hisce argumentis immoratus fueris, inferendum est, ipsam per ea fidei lumina, quam attulit in Mundum, intellectum nostrum illuminare.

2. Regit voluntatem nostram sanctissima morum disciplina; quod ut intelligamus, eumdem sequi ordinem possumus, quem in puncto priori servavimus, eam conferentes 1. cum Ethnicorum disciplina; neque solum cum vita, quam illi duxerunt; consecrarunt enim vitia vitiosos Deos venerati: verum etiam cum ipsorum præceptis, quoniam hoc unum sibi proposuerunt, ut politicis rationibus Reipublicæ consulerent, non ut veris virtutibus hominem erudirent; ideoque in speciem tantummodo, atque per ostentationem virtutem coluere.

2. Judæi rudes erant, atque carnales ac plurima illis permittenda fuere, quorum perfectio Christianæ tantummodo disciplinæ fuit reservata. 3. Athei nihil non impium habent, & ideo mentem hanc imbuerunt, ut impune voluptatibus suis indulgerent. 4. Hæreticis non aliud consilium est, nisi ut iis sint officiis immunes, quæ vera ipsis imponit religio. Verum quænam est christianæ disciplinæ sanctitas? aliquidne sublimius, perfectius, innocentius inveniri potest ipsius præceptis, atque consiliis? Quænam esset mundi felicitas, si juxta illius dogmata regeretur? Principes summa benevolentia subditos suos complecterentur: subditi reges amore prosequerentur. Quænam esset in conjugiis fidelitas! quænam in opificibus æquitas! quænam in omnibus mulieribus modestia, & honestas! quænam in justitia pietas, atque conscientia! quænam felicior Respublica! quænam leges sanctiores, æquioresque? &c. Sed nos miseros? opusne fuit, ut Christiani sese Ethnicis, Atheis, Judæis, Hæreticisque sociarent ad Christianam morum disciplinam infringendam, evertendamque? Quandoquidem ut affectibus indulgeant suis aliarum sectarum instituta sequuntur, quod disertissima inductione potest ostendi

II. Christianæ Religionis institutionem esse opus Dei.

1. Mundum enim illuminavit, eumque de incomprehensibili eruit cæcitate, in quam per tot sæcula idolorum servitus illum demerserat.

2. Quia mores hominum immutavit, omnia vitia destruxit, nequissimas consuetudines abolevit, docuitque virtutes eas, quæ antea habebantur ignotæ.

3. Quia triumphum egit de omnibus humanis viribus ad eam evertendam, & ad institutionem ipsius prohibendam collectis.

III. Religionem prorsus divinam a Deo tantum proficisci posse.

1. Propter altitudinem mysteriorum, ac veritatum, quas nobis detegit, & humana mens sibi fingere non potuisset.

2. Propter morum sanctitatem, quam invexit in Mundum, quem a vitiis, atque sceleribus, quæ ibi patrabantur, purgavit.

3. Propter rationem, qua instituta est, tempus, locosque, quo invecta fuit, & personarum qualitatem, quas ad se pertraxit.

IV. Opus Dei est, si illi considerentur obices, qui superandi fuerunt, ut institueretur, & hominibus persuaderetur.

1. Horum autem alii intrinseci sunt: scilicet repugnantia, ac mentis rebelliones contra miras eas veritates, de quibus sapientes numquam sermonem fieri audiverant; & difficultas, qua voluntas sese subjiciebat legibus severis, quæ maxime naturalibus studiis adversabantur.

2. Alii extrinseci: videlicet sævissimæ persecutiones, quibus religionis hujus primordia exagitata fuere, furor Tyrannorum illius excidium quærentium, & anhelantium, tormenta ad fortissimum quemque perterrefaciendum concutiendumque aptissimæ, nisi divina ope confirmatus fuisset.

V. Omnes homines Christianam Religionem debent amplecti, dummodo rationis, ac sanæ mentis sensum sequantur.

1. Hæc enim præ ceteris optime instituta est, receptaque fuit sapientissimorum mortalium consensu, qui manifestis illius rationibus, atque argumentis ejusdem veritatem probantibus victi fuerunt.

2. Quia rationi una omnium maxime conformis est, nobis nobilissimum finem aperiens, propter quem homines creati fuere, atque certissimas rationes tradens, quibus ad eum perveniamus.

3. Quia est ad bonum Rerumpublicarum, familiarumque regimen tuendum aptissima.

VI. Ad Christianam Religionem instituendam Deus vi simul, & infirmitate usus est.

1. Vis quidem illius brachii refulsit in prodigiis, & miraculis, quæ ad ejus veritatem ostendendam operatus est, & quæ pertinacissimum quemlibet coegerunt, ut adeo manifestis cederet argumentis.

2. Infirmissimis usus est instrumentis, & quæ ad opus tantum minus apta videbantur; Apostolis videlicet rudibus, ignaris, imperitis, inermibus, pauperibusque; & mox cruce; atque humiliatione sua. *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.*

1. Christiana Religio a Deo venit, neque licet ambigere: hoc enim satis superque probant, ratio, qua fuit instituta, progressus ipsius, instrumenta, quibus usus est Deus, oppositiones, quæ eidem factæ fuerunt, & ejusdem eventus. VII.

2. Nos ad Deum adducit per eam vitæ sanctitatem quam nobis præscribit, & per eas, quas edocet, veritates.

Punctum primum. Christianam Religionem non credere, eamque non amplecti, gravissima cæcitas est; illa enim certissimis innititur argumentis, nempe, 1. Prophetis, quæ palam adimpletæ sunt; 2. Miraculis in illius gratiam patratis, quæ apertissimi etiam ejusdem hostes in dubium revocare ausi non sunt. 3. Denique unanimi maximorum virorum consensui. VIII.

Punctum alterum. Juxta illius leges, præcepta, & eas, quas docet, veritates, vitam non instituere maxima est imprudentia, & summa temeritas; qui enim id fecerit, sese æternæ calamitatis periculo objicit.

De Christianæ Religionis institutione ostendi potest, digitum Dei enituisse, illam in omnes late terras effundentem. IX.

1. Licet proposita mysteria, & veritates a fide abhorrere viderentur.

2. Licet invalida, ineptaque viderentur instrumenta, quibus ad eam instituendam usus est.

3. Licet observari minime posse viderentur Leges, atque præcepta, quæ ipsum amplectentibus imponuntur.

Religionis veritas probari potest ex illius progressu, atque extensione, si quatuor considerentur circumstantiæ. X.

1. Qualitas doctrinæ, quam tradit.

2. Personæ, quæ illam prædicarunt.

3. Populorum, ad quos prædicata fuit, dispositio.

4. Constantia, animusque eorum, qui primi eidem nomen dederunt.

Christiana Religio triplici de causa reliquis omnibus præstat, & ab omnibus populis recepta fuit. XI.

1. Quia rationi, & recto sensui maxime conformis est, quod per comparationem cum aliis Religionibus institutam probari potest.

2. Quia verissima est; fluit enim a Deo, & divina Majestate dignos sensus inspirat.

3. Quia sanctissima est, hominem enim ad altissimam perfectionem attollit, omnia repellens vitia, omnesque suadens virtutes.

1. Deum esse oportuit, qui Christianam Religionem instituit contra omnes terrenarum potestatum conatus, contra Ethnicæ superstitionis errores, qui altius jam fixerat radices, & qui omnem fere terrarum orbem fefellerant, contra omnium Philosophorum, omniumque sapientum auctoritatem, & argumenta. XII.

2. Christiana Religio vicissim Auctoris sui probat divinitatem, doctrinæ sublimitatem, & disciplinæ sanctitatem ea gloria, quam tribuit Deo.

Christiana Religio sola vera est, & sola amplectenda. XIII.

1. Quia a Deo instituta fuit, & Deus unus auctor illius esse potuit.

2. Quia sola Deo reddit honorem, qui ipsi debetur, & culturæ, quam ipsa a mortalibus exigit; qui quidem finis est Religionis.

3. Quia sola docet hominem, qua ratione tutissime possit ad finem suum pervenire.

XIV. Obices, qui superandi fuerunt, ut Christiana Religio institueretur, illam divinam esse prorsus ostendunt.

1. Obices ex parte Ethnicæ Religionis, quæ erat evertenda non obstantibus nativitatis præjudiciis, inveteratis consuetudinibus, quæ apud omnes late obtinuerant, & exemplis Principum, omniumque antiquitatis Sapientum.

2. Obices ex parte Religionis instituendæ: Mens quidem illi adversabatur: afferebat enim incomprehensibiles veritates, & humanæ rationi penitus invia Mysteria: neque minus reluctabatur voluntas; ipsius enim dogmata affectionibus mortalium bellum inferebant.

3. Obices denique ex parte Principum, ac potestatum terræ; nemo autem ignorat, quantopere Religionem hanc omnes fuerint persecuti.

XV. Christianæ Religionis institutionem esse miraculorum omnium maximum.

1. Religionis hujus fundamenta jacere facinus erat, quod naturaliter non poterat adimpleri, quæcumque humana accessissent subsidia: ideoque completum hoc opus apertissimum miraculum est.

2. Nullum humanum subsidium adimpletum est, quod miraculum ipsum efficit mirabilius.

3. Immo ea instrumenta adhibita sunt, quæ prorsus erant opposita, & quæ in ordine naturæ obices esse debebant insuperabiles; quod miraculorum omnium est maximum.

XVI. Ut liquido innotescat Christianæ Religionis institutionem opus esse prorsus divinum.

1. Ad examen revocandus est instituendæ Religionis caracter, ac spiritus, & magni hujus operis systema investigandum.

2. Vivendi, quinam ad hoc systema perficiendum adlaborarunt.

3. Ratio quærenda, qua laborarunt.

4. Mirabiles laborum ipsorum fructus. Atque ita in hoc opere inveniemus simul & consilium difficillimum, & operarios infirmissimos, & instrumenta invalidissima, & nihilominus fructum celerrimum, uberrimumque. *Desumptum ex Patre Girousst in Adventu.*

XVII. De eadem Christianæ Religionis institutione.

1. Filii Dei consilium in Christianæ Religionis institutione prorsus divinum fuit.

2. Subsidia, quibus ad illud explendum est usus, nihil humani habuerunt.

3. Fructus, atque hujus consilii eventus plusquam humanus extitit.

XVIII. Nostra Religio duo continet, quæ hodie in nulla Religione inveniuntur.

1. Veritatem: cum ceteræ non solum falsæ, verum etiam recto sensui, ac rationi sint oppositæ. Ideo omnem spiritus nostri submissionem iis debemus omnibus, quæ nos docet.

2. Sanctitatem, quæ in aliis non reperitur; ideoque ad illius præcepta vitam nostram conformare debemus.

XIX. Duo mortalium genera inter se dissenserunt, hodieque dissentiunt in iis, quæ ad Religionem pertinent.

Primi eam recipere nolunt, ut Athei, Idololatræ, homines nequam, ne illius præcepta sequi, & ad legem hanc mores suos conformare teneantur.

Alii vero illam recipiunt quidem, sed moribus, vitæque flagitiis dedecorant.

XX. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Duplex Christianæ Religionis de Ethnicismo victoria, quæ ostendit illam solam esse Religionem veram, Auctoremque ipsius non alium esse potuisse, quam Deum.

Prima est de omni humana vi, atque potestate, quæ frustra ad eam evertendam movit arma.

Altera est de ingenio, scientia, & acumine Philosophorum, qui ad eam impugnandam maxime exarserunt. *Desumptum ex Auctore Sermonum moralium in omnia Ethica Christiana argumenta in Adventum.*

1. Fideles omnes intelligere debent, quænam felicitas sit ad veram Religionem fuisse evocatos. XXI.

2. Fideles omnes percipere debent, quibus rationibus, in vera Religione permaneatur.

Religio, quam Salvator instituit, Dei caracterem præsefert, & signo illius notata est duplici ex causa invicte illius probante veritatem. XXII.

1. Quia nullum unquam consilium majores obices, majoresque nactum est contentiones, quam hoc Christianæ Religionis instituendæ.

2. Quia licet tot adinventi obices fuerint, ut illa everteretur, omnes tamen in irritum evanuerunt. Religio instituta contra omnes terræ potestates maxime formidabiles; Religio victrix de oppositionibus omnibus, quibus maxime terribiles terræ potestates illam convellere adnixæ sunt.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras elaborandas.

SAnctus Augustinus librum edidit *de vera Religione*, ubi plurima habet huic argumento inservientia. Sancti Patres.

Idem libro, *de utilitate credendi*, loquitur de Ethnicorum superstitionibus, Christianæ Religionis sanctitate, & rationibus, propter quas hanc amplecti debemus.

Idem de re eadem loquitur etiam *lib. 22. de Civitate Dei cap. 7. & 8.*

Idem *in Ps. 32.* verba facit de miraculis, quæ Apostoli operati sunt, ad eos hæc Prophetæ verba transferens: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Idem *in Psalm. 44.* hæc S. Matthæi explicans verba, *sedebitis super sedes judicantes duodecim Tribus Israel*, ostendit mercedem hanc a Deo Apostolis reservatam, respondere præclaris eorum rebus gestis, quibus de Religione per quam bene meriti sunt.

Idem *in hac Psalm. 96. verba; ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*, ostendit, quomodo Apostoli Spiritus Sancti igne succensi orbem universum peragrarunt, eodemque igne accenderent corda inimicorum nominis Christiani.

S. Chrysostomus: *Hom. 2. in Epist. Pauli ad Roman.* hæc explicans verba, *quoniam fides vestra annuntiatur in universo Mundo*, loquitur de mirabili morum immutatione, quam in mundo peperit Christiana Religio.

Idem *Hom. 8. in Epist. 2. ad Corinth.* Dei probat potestatem, qui tanta fecit invalidis adeo usus instrumentis.

Idem *Homil. 32. in Genesim* latius de hoc prodigio loquitur, quod quidem maximum fuit, mundus a duodecim egenis Piscatoribus ad fidem conversus.

Idem in libro, cui titulus, adversus Gentiles, qui in Tomo quinto reperitur, fusiorem habet sermonem, ut ostendat Christianam Religionem esse non posse, nisi potentiæ Divinæ opus, & per hoc JESU CHRISTI probat divinitatem.

Idem *Homil. 34. in S. Matthæum* hæc explicans verba, *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* ostendit, quomodo Apostoli, quin vel a terræ Potestatibus, vel gravissimis quibuscumque suppliciis deterrerentur, fidem in universum terrarum orbem disseminarunt.

Idem *Homil. 7. in 1. ad Corinth.* ostendit quomodo, tot licet adversarentur obices, omnesque Mundi vires, Apostoli tamen Religionem constituerunt, & quid propterea passi sunt.

Apologiæ S. Justini, Athenagoræ, Tertulliani continent plurima, eaque egregia ad Religionis digni-

dignitatem spectantia ; vide quoque Minutii Felicis opera.

Theologi. Hoc in argumento Theologos affero, qui illud constantibus potius factis, quam fusis dissertationibus pertractarunt. Præcipui vero sunt.

S. Thomas in libris *contra Gentes*.

Lessius, *De vera Religione capessenda*.

Savonarola, *Triumphus Fidei*.

Bagotius, *Apologeticus Fidei*.

Elizaldus.

P. Petior. Demonstrationes Theologicæ ad Christianam Religionem statuendam.

Ascetici, aliique. Granatensis in Catechismo suo, parte secunda decem, vel duodecim capitibus de Christianæ Religionis Præstantia loquitur.

P. Caussinus *l.* 2. Aulæ Sanctæ, initio statim contra Atheos invehitur, & Religionis nostræ veritatem confirmat.

Abadia, parte secunda Tractatus de Religione Christiana capit. 5. sectionis 4. ostendit, JESUM CHRISTUM antiquis Oraculis satis aperte fuisse præsignatum.

Idem c. 6. 7. 8. 9. ad 14. ostendit Prophetas ad unguem designasse tempus Adventus Messiæ, atque in toto libro probat Religionis veritatem.

P. Mauduit Tractatu de Religione contra Atheos.

Liber adest, qui inscribitur ; *De la verité de la Religion Chrétienne*, editus anno 87. sine nomine Auctoris, ubi sermo est de iis omnibus, quæ ad Christianam Religionem pertinent, præsertim vero de miraculis, quæ illam confirmaverunt.

Grotii liber de Christianæ Religionis Veritate satis notus est, ac juxta propositum ab illo systema alii plures elaborasse videntur.

Huetius in libro *de Demonstratione Evangelica* scite quidem, ac fusius hoc argumentum excussit.

Vassor Oratorii Presbyter satis magnum de hac re volumen edidit in 4.

Morel Sorbonicæ Societatis Doctor Theologus tractatum elucubratus est, qui inscribitur ; *Demonstration de la verité de la Religion Chrétienne*.

Marchio de Planitie scitum edidit hac de re tractatum Italice, quem P. Bouhours gallice expressit.

Concionatores. P. Texier Sermone pro feria tertia post tertiam Quadragesimæ Dominicam de Ecclesiæ institutione verba facit.

Idem in Dominicali, secunda Adventus Dominica loquitur de rationibus JESU CHRISTI divinitatem probantibus.

P. De la Colombiere Serm. 43. pro secunda Dominica Adventus de Christianæ Religionis institutione loquitur.

Idem de eadem verba facit etiam in Christianis considerationibus.

P. Giroust in Adventu suo per mirabilem hanc institutionem Religionis nostræ probat veritatem.

P. Aurelianensis hoc fidei nostræ argumentum in Sermone de Religione pertractat.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta Sermonem habet de hac re, ubi Religionis nostræ veritatem ex mirabili ejusdem institutione probare contendit.

Qui de Fide, & Ecclesia collectanea ediderunt, de Religionis nostræ veritate atque præstantia sub illis nominibus, titulisque locuti sunt.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

IN *omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Ps. 18.

Plantasti radices ejus, & implevit terram ; operuit montes umbra ejus, ... Extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus. Psalm. 79.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Psam. 92.

Quam magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profunda factæ sunt cogitationes tuæ. Ps. 91.

Omnes gentes quascumque fecisti venient, & adorabunt coram te Domine. Ps. 85.

Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis. Ps. 147.

A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Ps. 117.

Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? astiterunt reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Ps. 2.

Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea. Ps. 118.

Populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis, Isaiæ 9.

Ducam cæcos in viam quam nesciunt, & in semitis quas ignoraverunt, ambulare eos faciam : ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta. Idem, c. 42.

Beati sumus, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. Baruch. 4.

Euntes docete omnes gentes ; baptizantes eos in nomine Patris, &c. Matth. 28.

Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ. Marci 16.

Illi profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & Sermonem confirmante, sequentibus signis. Ibid.

Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Matth. 11.

Lumen ad revelationem gentium. Luc. 2.

Præcepit nobis Dominus prædicare populis, & testificari quia ipse est qui constitutus est a Deo Judex vivorum & mortuorum. Act. 10.

De hac secta notum est nobis, quia ubique ei contradicitur. Act. 28.

Fides vestra annunciatur in universo mundo. Ad Rom. 1.

Sermo meus non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis. 1. ad Corinth. 2.

Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes ; & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei. Ibid. c. 1.

Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Ibid. c. 1.

Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus ; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Ibid.

O insensati Galatæ! quis vos fascinavit non obedire veritati? Ad Galat. 3.

State & nolite iterum jugo servitutis contineri. Ad Galat. 5.

Contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus. Ad Hebr. 2.

Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. 1. Joann. c. 5.

Exempla ex Scripturis desumpta.

Antiquæ legis figuræ, & prophetiæ. IN lege veteri, quæ nonnisi figuras nostrorum mysteriorum, & eorum quæ in nova erant adimplenda, complectebatur, nihil vel sæpius, vel apertius prædictum, vel præsignatum est, quam institutio, progressus, atque extensio fidei, novæque Religionis a Messia, & Messiæ jussu prædicandæ, quemadmodum videre est ex locis, quos superius attulimus ; ita ut Prophetiæ ad unguem eo in loco, iisque temporibus, quæ ibi prænotantur, adimpletæ præcipuum ferme sit

fidei

fidei nostræ argumentum; per hoc enim Judæorum error probatur, atque ostenditur, Messiam promissum, atque tot sæculis expectatum jam advenisse, atque figuras, & vaticinia palam in JESU CHRISTI persona, atque religione fuisse adimpleta.

Figura acquisitionis terræ promissæ.

Bella a populo Dei bellata, relatæque ab ipso victoriæ, ut promissam terram acquireret, ipsa quoque figura sunt præliorum, quæ inferenda, ferendaque, difficultatum, quæ superandæ, obstaculorum, quæ infringenda, & victoriarum, quæ referendæ fuerunt, ut Ethnicismus everteretur, & JESU CHRISTI submitterentur imperio tot nationes tam diversæ, aliæ quidem barbaræ, aliæ vero satis excultæ, quæ summis laboribus, atque difficultatibus ad fidem fuerunt perductæ.

Persecutiones, quas in lege veteri Prophetæ passi sunt, ubi populorum mores castigare voluerunt, eisque Divinam intentarunt iram, eas repræsentant persecutiones, quæ in Apostolos populis Evangelicas veritates proponentes, & in Fideles easdem observantes excitatæ fuerunt. Hoc Dei Filius Judæis exprobravit, idque trium sæculorum spatio Ecclesia experta est.

Christiana Religio a J.C. instituta.

Quemadmodum nova Religio, quam dicimus Christianismum, ab eodem JESU CHRISTO fuit instituta, & ea continet mysteria, veritates, atque doctrinam, quæ ipse nos docuit, ita inde potissima, atque validissima ad hujus religionis probandam veritatem ratio desumitur, quia ipse palam ostendit se filium Dei esse, Messiam, qui expectabatur, & supremum legislatorem, idque multitudine, ac magnitudine miraculorum, quæ operatus est, & quæ apertissimi etiam illius inimici in dubium revocare ausi non sunt. Hæc autem cum patrata fuerint ab ipso, ut missionem, Divinitatem, Doctrinamque suam confirmaret, dubio locus esse non potest quominus Religio ab ipso instituta vera sit.

Primos autem triumphos in ipsius Jerosolymæ luce, ubi ortum habuerat, egit nova Religio, cum Apostoli de Cænaculo egressi, ubi receperant Spiritum Sanctum, divino igne succensi prædicare incœperunt ita, ut cum antea rudes, ignarique haberentur, adeo illustrati fuerint luminibus ejusdem Spiritus sancti, atque tali ardore inflammati, ut in publicum prodierint, & in omnibus linguis auditi fuerint, intrepide Domini, & Magistri sui, quem a mortuis suscitatum viderant, miracula enuntiare. Tunc vero lex nova, novaque hæc incœpit Religio, & S. Petrus cum primum, iterumque habuit concionem, octo hominum millia convertit, quæ fuerunt primitiæ victoriarum, quas postmodum retulerunt Apostoli.

Ecclesia nova, novaque Religione Jerosolymæ instituta, S. Petrus missus fuit, ut Cornelium Centurionem Romanum baptizaret, ostenditque huic Apostolo Deus, Gratiam, & Prædicationem Evangelii super Gentiles esse effundendas; quod mystica visione peractum est ingentis vasis in lintei formam, ubi variæ animantium, volucrum, serpentum, ac insectorum species aderant, quas comedere S. Petrus perhorruit, cum voce cœlitus emissa illas manducare juberetur. Sed ita Deus illi significavit, nullum amplius futurum discrimen gentium, ac personarum, omnesque populos eadem in Religione congregandos esse, hac de causa mittens Apostolum ad Cornelium Centurionem in Ethnicorum caligine natum, atque innutritum, sed qui deinceps innocuam duxit vitam, Deum metuens, prolixas preces effundens, large eleemosynas erogans, & qui primus fuit, qui ex Gentilium numero ad Christianismum fuerit evocatus.

Prima persecutio in Christianã Religionẽ a Judæis excitata.

Non multum temporis elapsum est a primis Religionis primordiis, cum Judæi in novos Fideles sævissimam persecutionem excitarunt: licet enim illi viderent miracula, quæ operabantur Apostoli, nihilo magis commoti sunt, quam iis quæ Dei Filius patraverat, & quorum testes fuerant, Antiquarum traditionum servandarum, Mosaicæque legis tuendæ zelus eos impulit, ut furore corriperentur contra S. Stephanum, cujus Martyrium in Actis Apostolorum describitur. Primus hic tradidit exemplum, aliisque innumeris cupiditatem immisit pro fide tuenda sanguinem suum effundendi: ita hunc honorem assecutus est, ut primus Martyr esset, & pro JESU CHRISTO a concivibus suis lapidibus obrutus mortem appeteret.

Christiana Religio ultra Judæam non admodum sese extendit ante mirabilem S. Pauli vocationem, qui cum illius esset apertissimus hostis, ejusdem magnus Apostolus effectus est, qui in Apostolatu magis, quam reliqui omnes adlaboravit; huic enim ingentes progressus acceptos referre debet Religio.

APPLICATIONES.

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea; etenim non potuerunt mihi. Psalm. 128. S. Augustinus Ecclesiam ad Fideles suos ita loquentem inducit. Filii mei, Sancta hæc Mater inquit, sævissime quidem in ipsis primordiis exagitata sum; sed validissimæ oppugnationes nihil valuerunt in me, ac semper victoriam reportavi. Poterant quidem Tyranni Martyribus vitam auferre, sed Sanctorum martyrum corda numquam recesserunt a me. Artus eorum laniabantur, incendebantur corpora, sed persecutores efficere non potuerunt, ut manus extenderent falsis numinibus thura adoleturi. Tunc belli erant tempora; modo vero in medio pacis sine tyrannis, sine tortoribus, sine suppliciis, Fideles, ubi sunt? Ubi vos estis? quot inveniuntur, qui Religionem ore professi factis mentiuntur? *Sæpe expugnaverunt me*. Multi mihi quidem propulsandi fuerunt impetus, sed hostes a me hodie vincendi eo sunt perniciosiores, quo minus videntur &c. *Desumptum ex P. Giroust, Sermone de Veritate Religionis in Adventu suo*.

Christianam Religionem sævius mali Christiani persequuntur, quam olim Tyranni.

Quid faciemus hominibus istis? Act. 4. Dicebant Judæi in eo, quod habuerunt consilio, ut Christianæ Religionis, quæ tunc incipiebat, progressus prohiberent: Quodnam hominum genus est hoc? Quid faciemus prohibituri, ne malum latius evagetur? eos opprimere quærentes, illorum progressibus atque incrementis adlaboramus. Profecto de Christianis, quos Tyranni persequebantur, id dici poterat, quod in Exodo dicitur de populo Dei in Ægypto a Pharaone afflictato, *quantoque opprimebat eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant*. Quapropter Tertullianus ait, Christianorum sanguinem per tormenta effusum semen fuisse Christianorum; & addi potest, Religionem hodie similem esse ingentibus illis fluminibus, quæ si hinc aliquam alvei sui partem amiserint, eodem temporis momento latius sese in partem aliam extendunt. *P. Texier Sermone pro Feria quarta hebdomadæ tertiæ in Quadragesima*.

Jam securis ad radicem arboris posita est. Luc. 3. Vix nova hæc arbor efformata fuit, cum radix ad illius radicem posita est, ut ictibus victa ruat, & subvertatur; cæditur, circumundique scinditur, ignis admovetur, circum succenditur pyrrha, quæ nemus integrum absumere possit; attamen viget semper hæc arbor, Quid dico, viget? Sub ipsis vulneribus convalescit, in horribili incendio innutritur, atque ita crescit, ut intra breve temporis spatium avibus Cœli refugium præbere possit, atque umbra sua terram universam contegere. Tyranni calamitosissime interierunt, Imperatores mortui sunt, ipsa etiam corruerunt imperia; nulla vis, nullum studium illa tueri potuit, & Religio, quam crudeliter persecuti sunt, & cujus interitum tot annos summo cum ardore concupiverunt, & pro viribus festinare studuerunt, Religio, inquam, inter tot ruinas floret, triumphat, atque in æternum triumphabit. *Pater de la Colombiere Serm. 43*.

Persecutiones cum eadem Religione incœperunt.

Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Aquilone congre-

congregabo te; dicam Aquiloni, da; & Austro, noli prohibere; affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. Isaiæ 43. Deus hoc prædixerat, promiseratque per Prophetam suum; Conside, Orienti dicam, adducuntur ad me filii mei; hoc ipsum Occidenti imperabo; atque Septentrionali, Meridionalique plagæ præcipiam, ut eos ad me venire patiantur. Omnia, me imperante, congregabuntur, & ad efformandam Ecclesiam meam conspirabunt. Non dicit Deus, Orientem, atque Occidentem armabo, in aciem educam Aquilonem, & Austrum. Hujusmodi opes necessariæ quidem esse possunt in humanis conatibus; sed huic operi Deus Omnipotens præest; ad illud explendum nihil ultra præter Domini brachium requiritur. *P. Girouſt in Adventu ſuo.*

A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Psalm. 117. Ita exclamare possumus tantum hoc opus adeo infirmis instrumentis perfectum intuiti, quale est totius Mundi conversio a duodecim imperitis, rudibusque Piscatoribus facta. Hæccine igitur electa illa virorum manus est, quæ fidenter coram augustissimis Senatibus prodire debet, ac efficere, ut terræ Judices in ipsis etiam Tribunalibus suis contremiscant; hæccine illa, quæ Reges erudire, edocere Philosophos, & mortales omnes convertere? Utique, Domine: hi sunt, quos mirabilis hujus Operis ministros elegisti: sed nimis adhuc fortes sunt; namque timer illis comitem addere vis, eorumque laboribus velificari. Neque minus tuo requirebatur auxilium; & sine extraordinaria ope, non equidem dicam, digiti, sed brachii tui, quid eorum profecissent labores, quid aliud acquirere potuissent, nisi apertissimam propriæ infirmitatis cognitionem? Cum igitur ipsos in Apostolico studio intueor tot referre victorias, quot lustrant Provincias; atque intra aliquot mensium, vel ad summum annorum aliquot spatium, ædificare Templa, Aras erigere, Ecclesias formare, & indesinenter JESU CHRISTI gregem augere; tunc veneror, Domine, Providentiam tuam in hoc miraculo late existentem, atque cum Propheta exclamo: *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Idem.*

Quam suavis sit lex J. C. licet difficilis videatur.

Erit in diebus illis præparatus mons domus Domini in vertice Montium, & fluent ad eum omnes gentes. Isaiæ 2. Domus Domini, hoc est, Ecclesia, & Religio erit veluti Dominus in altissimorum montium jugis posita, ad quam gentes omnes fluere debebunt. Quænam loquendi ratio? Flui quidem potest in vallem, ac per montium, & collium declive deferri; quis vero unquam audiit de montium radicibus ad eorum cacumina aliquid fluxisse? Attende Mysterium: Domus Domini est Christiana Religio, toto cœlo supra Religiones alias posita tum propter dignitatem suam, tum propter Disciplinæ suæ integritatem. Ut ad Evangelicum hunc montem perveniatur, conari, & adrepere oportet; attamen licet adeo sublimis sit, tanta est impressio, ut populi eo catervatim, ac adeo festinanter fluere visi sint, ut eos non ascendere, sed fluere, atque descendere diceres; hoc est, quamvis Lex ista severa sit, nihilo secius omnes sese eidem submittere, & currere in viam mandatorum Dei, quemadmodum Regius loquitur Propheta. *Idem.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Quomodo credidissent Philosophi, nisi rei quæ non videbatur evidenter, miracula fecissent fidem? August. l. 22. de Civit. Dei, c. 7.

Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum ipse prodigium est, qui mundo credente, non credit. Idem.

Si per Apostolos, ut eis crederetur, etiam ista miracula facta esse non creduntur, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine miraculis credidit. Idem, de Civit. l. 22. c. 5.

Quid factum est de tot mortibus Martyrum, nisi ut tamquam irrigata terra sanguine Testium Christi, pullularet ubique seges? Idem.

Ut mirabilior esset gratia & potentia Dei, quæ de tam duris animis, tam tenebrosis mentibus, tam inimicis cordibus faceret fidelem populum & subditum. S. Prosper.

Sanguis Martyrum semen Christianorum; quoties metimur, plures efficimur. Tertull. in Apol. c. ultimo.

Exquisitio quoque pœna illecebra est. Idem.

Sola vobis templa relinquimus, adeo omnia vestra implemus. Scilicet urbes, domos, &c. Idem.

Incarcerabantur, torquebantur (Christiani) *multiplicabantur.* Idem.

Christi regnum & nomen ubique creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubique regnat, ubique adoratur. Idem.

Nisi verum esset Evangelium, numquam sanguine defenderetur. Hieron. Epist. 150. ad Hedib.

Sola Ecclesia persecutionibus stetit, Martyriis coronata est. Idem.

Magister suspensus, & servi vincti sunt, & quotidie Religio crescit. Idem.

Domine, si quod credimus, error est, a te decepti sumus; nam ea quæ credimus, confirmata signis & prodigiis fuere, quæ nonnisi per te facta sunt. Richard. a S. Vict. l. 2. de Trin. c. 2.

Esset omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua, ad operandum tam difficilia, ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset. S. Thomas contra Gentes, l. 1. c. 6.

Magna insania Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, dæmones confitentur; sed longe major insania, si de veritate Evangelii non dubites, vivere tamen quasi de ejus falsitate non dubitares. Picus Mirand. Epist. 2.

In Asia prope jam desolata esse templa Deorum, eo quod Christiana Religio non tantum civitates, sed etiam vicos occupasset. Plinius Junior, Epist. ad Trajan.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia desumi potest in hoc argumento.

Quid sit Christiana Religio.

CHristiana Religio ea est, quæ a JESU CHRISTO fuit instituta, & quæ præter Deum in tribus Personis unum, Omnipotentem, Creatorem Cœli, & Terræ credit etiam eumdem JESUM CRISTUM, & verum Deum, & verum Hominem esse, qui venit in Mundum, ut sui sanguinis, mortisque pretio mortales omnes redimeret. Hujus Religionis articuli continentur in Evangelio, quod nova Lex appellatur, & complectitur facta, mysteria, & præcepta, quæ credere, & observare tenentur ii omnes, qui eam in Baptismo amplexi fuerunt, vitam ducentes Legis hujus institutis conformem.

Quemadmodum ex solo naturali lumine patet, adesse Deum Mundi hujus Creatorem; eodem etiam lumine innotescit, illum adorandum, eique esse inserviendum: ex quo enim supremum eos rerum omnium Creatorem agnoscimus, statim intelligimus nos teneri, ut illi pareamus, offeramus preces, & gratiarum actiones effundamus; quia per omnipotentiam suam ipse nos fecit, quod sumus, & per suam bonitatem conservat. Lex hæc alte adeo, & aperte cordibus omnibus insculpta est, ut Sapientes

Ethni-

Ethnici, non alio lumine illustrati, confessi fuerint, eidem supremos honores deberi, & citra scelus eidem denegari non posse. Hic autem cultus, qui illi exhibetur, & lex illum præcipiens, regens, & explicans, Religio appellatur. Verum cum hominum plerique inordinato amore hæc terrena deperéant, sibi etiam effinxerunt Numina, quæ suis cupiditatibus suffragarentur; quæque deinde pro libidine, aris, ac thure coluerunt. Cum igitur Ethnici verum Deum ignoraverint, minime intellexerunt quomodo colendus esset; unde sequitur, nullum esse cordatum hominem, & veri sensus participem, qui Deum agnoscens, ut nos agnoscimus, ambigere possit, utrum præscriptam ab ipso Religionem amplecti debeat, & sequi: & si quærere velit quænam hæc Religio sit, statim hanc solam Christianam esse non fateatur; cum reliquæ omnes, vel antiquatæ fuerint, ut Judæorum, vel falsæ, atque superstitiosæ ut Mahometanorum, Ethnicorumque Religio.

Christiana Religio sola vera est. Nihil liquidius, atque constantius verum est, quam solam Christianam Religionem veram esse, atque Divinæ voluntati conformem; non enim annuntiat, nisi Mysteria Sapientiæ, Bonitatis, atque Potentiæ Dei; quia loquitur de incomprehensibilibus judiciis ejus; quia nihil continet non conforme rectæ rationi, bonisque moribus; quia a Deo approbata, confirmataque fuit Prophetarum oraculis, innumerisque miraculis; quia plurimos Sanctos homines peperit æque scientia, atque sanctitate florentes. Hæc omnia illis patent, qui oculos aperire non detrectant omnibus hisce argumentis veritatis, atque omnes considerare volunt notas institutionis prorsus divinæ, quæ in hac Religione inveniuntur.

Videmus, solam Religionem christianam docere ea, quæ per se patent lumine rationis, unum esse Deum, qui universa de nihilo eduxit, qui nobis immortalem animam tribuit cum imperio in omnes actiones nostras, qui providentia sua peculiarem nostri curam gerit, & qui, quemadmodum perfectam habet justitiam, vel ut melius dicam, ipsa justitia est; debet tandem & bonis præmia, & malis debitas pœnas inferre. Videmus vero præsertim, sola Christiana Religione nobis id præcipi, quod docet ratio tamquam potissimum, ac non temerandum officium, Deum scilicet super omnia diligendum esse, eidem fideliter inserviendum, quin patiamur, honorem, qui uni illi debetur, ad alium deferri, vel nos ab illius amore, ac servitute re ulla uspiam divelli. Videmus hanc unam a ratione non abnormem præscribere, homini hominem amandum tamquam alterum se, eidem pro virili omnia, quæ potest, procurando bona, nulla inferendo mala, & justam hanc proponere regulam, ne cui, immo ne inimico quidem, ea faciamus, quæ nobis fieri nequaquam cuperemus. Videmus illam præcipere, ut in omnibus virtutem quidem sequamur, vitium vero fugiamus; prohibere, ne, non solum inferamus, at ne inferre quidem optemus, vel cogitemus alicui malum; verbo, illam satis omnes homines erudire, quid præstandum sit, ut a vitiis velis, remisque fugiant, atque ut sancte vitam traducant. Videmus denique solam Christianam Religionem secundum rationem æque ac secundum fidem docere, Deum unum summum esse bonum, quod cor humanum replere potest; atque beatum efficere; ad illius gloriam cogitationes, actionesque omnes esse referendas. Quis ergo hæc omnia considerans, Religionem hanc prorsus esse divinam, ac per se ipsam credibilem non affirmaverit?

Morum immutatio, quam operatur, probat illam sanctam esse, ideoque veram. Si de causa ex effectibus judicium ferendum est; vix hæc Religio prædicata fuit apud omnes Gentes, ac in omnibus terrarum plagis, cum innumeram mortalium multitudinem convertit, qui nefariam, criminosamque vitam in idololatriæ abominationibus, in magicarum artium impietatibus, in impudicitiis, violentiis, cædibusque vivebat: hodieque videtur eosdem effectus parere iis in locis, ubi Barbatis, 'incultisque populis annuntiatur. Hæ enim gentes, quæ brutorum more vivebant, atque diuturno vitiorum habitu detinebantur, vix auditis Christianis veritatibus, pravas consuetudines suas abdicarunt, & virtutum omnium, atque pietatis exercitationem amplexi sunt.

Citra furorem calumniatori accepta referri non potest Religio adeo sancta in ipsa origine, ut nihil addi possit, quod illius perfectionem minime imminuat; Religio, quæ sua proponit Mysteria sine modificatione, cum auctoritate, & confidentia, quæ homines a sensibus ad spiritum revocat, quæ corruptionem tollit; quæ æquitatis principia restituit, quæ in anima nostra jam erant; quæ docet, ut Deum glorificemus ipsius voluptatis, propriique amoris impendio, ut Deum quidem attollamus, nos vero deprimamus, & subjiciamus Deo, qui nobis major est, atque ut attollamus nos supra ea, quæ sunt nobis subjecta; quæ mundanæ politicæ contraria est, ac longe magis opposita corruptioni, rationem elevans, & cordi solatium afferens, alteri quidem æque mirabilis, ac alteri salutaris.

Cum Religionis finis sit Deum colere, & hominem sanctificare, extra omnem dubitationis aleam positum est, utrumque fieri a Religione Christiana eo modo, ut statim intelligi queat, ipsum esse opus Dei, & nullam hac excogitari posse perfectiorem. Vidimus jam quomodo hominem ad sublimem sanctitatem attollat; sed non minus constat, ipsam Dei gloriam multo magis procurare, quandoquidem cognoscendam tradit naturam illius, divinas perfectiones ejus detegit, ac nobiliorem nobis ipsius adstruit ideam illa, quam omnes Philosophi, & mentes perspicacissimæ conceperunt. Hæc ipsum nobis exhibet bonum, amabile æque ac magnum, & justum; ac homines docet, ipsum per providentiam omnia regere & efficere, ut malum ipsum nobis prosit, per bonitatem nostris egestatibus providere, per fidelitatem, justitiamque nostra flagitia non pati; ipsius tamen misericordiam nullis finibus coerceri. Deinde nos ad illum amandum, colendum, eique inserviendum impellit: immo id efficiendi rationem tradit, & cum hic sit finis ipsius, omnes homines docet Deo, quæ debetur, gloriam præbere. Christiana Religio vere Dei gloriam procurat.

Hac in re afferere possumus eadem testimonia, quæ perhibita fuere personæ Filii Dei, hæc eadem doctrinæ ipsius, Evangelicæ veritati, ideoque & Religioni ab eodem institutæ fuisse perhibita. Hæc autem fere præcipua sunt. Primum est Prophetarum catervatim testimonium perhibentium diutina, perpetuaque successione clarissimorum oraculorum, quæ de Messia, ejusque lege loquuntur. Alterum est Joannis Baptistæ, testis eo tutioris, quod in veteri testamento fuerat prænotatus, & quod ipse JESUS CHRISTUS ejusdemque discipuli Judæos ad hoc testimonium revocare non cessant eo gravius, quod in ipso nulla utilitatis, nulla assentationis suspicio poterat suboriri. Tertium est Apostolorum testium tormentis exquisitissimis probatorum, quorum cum minime interesset mortales fallere, vitæ suæ impendio veritatem asseruerunt, & propugnarunt, atque restiterunt vi eorum suppliciorum, quæ & illis extorquere confessionem poterat maximorum scelerum, si vel minimi doli fuissent conscii in eo testimonio, quod Magistri sui doctrinæ, atque Sanctitati perhibebant. Quartum est Æterni Patris testimonium ea editum voce, quæ de Cœlo audita est in Domini Transfiguratione: *Hic est filius meus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite*. Quintum denique est ipsorum nostræ Religionis inimicorum. Judæi æque, ac Ethnici hoc ipsum confessi sunt; Providentiæ ratio ac vis veritatis effecit, ut millies faterentur, Religionem hanc omnium æquissimam, & sanctissimam esse, tunc etiam cum sese acerrimos illius hostes ostenderunt. Testimonia pro Christiana Religione.

Nihil apertius Divinitatis potentiam probat, quam effectus ab iis editi causis, quæ per se vim non habent

bent eosdem ferendi, vel quæ oppositam prorsus habent virtutem. Ita JESUS CHRISTUS suam probavit Divinitatem, Legem, atque Religionem suam instituens, ignorantia usus ad Sapientes refellendos; duris, atque incomprehensibilibus veritatibus ad evertendos errores, qui naturæ, & corruptioni velificabantur; morte, ut pro Deo cognosceretur, sapientissimum quemque fateri cogens, se hactenus in errore fuisse versatum. Si, ut opus hoc perficeretur, arma, politica, eloquentia fuissent adhibita, illud fortitudinis portentum, prudentiæ miraculum, & eloquentiæ prorsus divinæ fuissent effectus; sed hoc præstitisse iis mediis, quæ secundum communes regulas eidem videbantur opposita, miraculum est miraculorum maximum.

Admirabiles hujus Religionis progressus probant illam a Deo fuisse institutam.

Hæc Religio ingentes, eosque pernicissimos progressus fecit in ipsis initiis, atque inde validum erui potest argumentum, quo probetur hoc Dei unice opus fuisse, si omnes inspiciamus obices, qui huic institutioni adversabantur. Liquet hos naturaliter insuperabiles fuisse tum ex parte eorum, qui doctrinam hanc prædicabant, vel quibus prædicabatur, tum Principum, atque Regum, eidem adversantium, & Doctrinæ ipsius, quæ menti æque, ac voluntati erat molesta iis in veritatibus, quas proponebat, & quas jubebat amplecti. Quis ergo non crediderit, istic Dei digitum esse, ubi perpenderit Religionem hanc, quæ in Judææ angulo initium sortita est, ad extremas usque terrarum oras latius pervasisse, in complures Africæ locos, in Orientis recessus, ac denique in novum terrarum orbem penetrasse? Quod præsertim in primis ejusdem primordiis enituit, atque in successu Apostolici ministerii: una enim tantummodo prædicatio suffecit, ut quatuor animarum millia pro Auditorum numero, converterentur; quod mirum profecto non extitisset, si ea, quæ nuntiabantur, veritates naturæ fuissent velificatæ, vel armorum vi irrogatæ fuissent.

Religionis veritas miraculis probata.

Ad Mysteria, & veritates, quæ nuntiabantur probandas miraculis potissimum utebantur Apostoli, quibus præsertim Idololatriam everterunt, atque Mundum universum averterunt. Profecto ipsi etiam Profani Historici, atque Tyranni, quorum jussu Martyres rapiebantur ad necem, fatentur, primos fideles, ac Martyres ea edidisse prodigia, quæ naturæ vim superabant, & propter quæ Magi appellabantur. Qua in re hoc dilemma potest institui: vel hæc prodigia Dei virtute, vel dæmonis arte fiebant. Affirmari non potest illos, quorum virtutem ipsorum etiam inimici admirabantur, secretam aliquam cum dæmone rationem habuisse, præterquamquod Dæmon contra se ipsum egisset, suumque evertissent imperium ei faventis Religioni, quæ apertum vitiis omnibus indicebat bellum, & ipsum quoque ex omnibus locis, quorum possessionem adierat, ejiciebat. Deus ergo per hæc miracula operatus est, atque Cœcos illuminans, mortuosque resuscitans ostendit, novam hanc Religionem esse opus manuum suarum, & quemadmodum fieri non potest, ut Deus calumniam, atque mendacium sua probet auctoritate, ita unum tantummodo miraculum in hujus Religionis gratiam patratum, apertissime illius veritatem confirmat.

Christiana Religio (S. Augustinus ait) vel per miracula instituta est, vel sine miraculis. Si in illius institutione miracula non defuere, hæc certissime vera est Religio; miracula enim nonnisi a Deo proficisci possunt, qui illa vel per se, vel per ministros suos operatur, & qui semper eorumdem principium est quatenus Naturæ Auctor, & Dominus; miracula igitur proprie sunt Dei vox, atque testimonium. Deus autem prima, ac summa veritas potestne testimonium perhibere errori? Nonne id si faceret, sibimetipsi contradiceret, ac seipsum mentiretur? Sin autem admirabilis hæc institutio sine miraculis effecta est, hoc magis adhuc miraculosum est; quis enim sibi fingere potest, quin supra communes vias sese attollat, tantum facinus a talibus ministris, & hac ratione adimplectum, effectum adeo celerem, constantem, atque perfectum habere potuisse?

Incredulus aliquis, vel aliquis impius dicere posset, JESU CHRISTI, Apostolorumque miracula non semper certas esse divinæ vocationis notas; quandoquidem Scripturarum ipsarum testimonio potest pseudopropheta aliquis miracula operari; quemadmodum in Deuteronomio c. 3. Moyses admonet Israelitas, & Pharaonis Magi coram eodem patrarunt, & in Evangelio ipse Dei Filius monet, futurum ut Antichristus, & Pseudoprophetæ ingentia signa, insignia edant miracula, quæ, si fieri posset, electos ipsos decipiant. Sed præterquamquod ficta hæc miracula non aliud sunt quam præstigia, quorum fraudem tempus detegit, detexitque; miracula vero JESU CHRISTI, atque Apostolorum certum habent veritatis caracterem, quem magia ac dæmonum ars simulare non possunt; non satis est dicere, JESUM CHRISTUM magna, eaque vera edidisse miracula, sed illa edidisse cum omnibus irreprensibilis sapientiæ notis; ipsumque palam declarasse; hæc a se fieri, ut Doctrinæ suæ testimonium perhiberet; atque ex eorum variis circumstantiis omnia, ac singula ad finem hunc collimare liquido patet. JESU CHRISTI ergo testimonium verum est, atque præ cæteris omnibus credi meretur in tali re; nam in hujus generis occasionibus non posset Deus auctoritatem reddere fictis portentis, quæ adeo apertos veritatis caracteres ferunt præ se.

Veritas Miraculorum J. C.

Miracula, quæ edidit JESUS CHRISTUS Doctrinæ suæ veritatem probaturus, non sunt clanculum, ac sine circumstantiis, testibusque perfecta; sed evulgata fuere, omni mundo nota, circumstantiis suis distincta, & quæ integrum plerumque populum testem habuere; quod facilem aperiebat viam veritatis, vel fraudis eorum detegendæ. E. G. nihil erat æque facile, ac scire, utrum a JESU CHRISTO Lazarus vere resuscitatus fuisset. Miraculum hoc viro nobili acciderat, ac in urbe Jerusalem satis cognito: vulgo igitur scire debebant, ipsum jam obiisse diem, nec non triduo, vel quatriduo in tumulo jacuisse. Hoc itaque non ignorabatur; quandoquidem complures viri ex ea civitate spectatissimi accesserunt; ut defuncti sorores ob fratris interitum consolarentur. Neque ignorari poterat, ipsum JESU CHRISTI verbo fuisse suscitatum; iidem enim, qui antea ambigebant de potestate, quam populus novo huic Prophetæ tribuebat, testes fuerunt; & hic ipse resuscitatus miraculo adeo publico, atque authentico, diu deinde vixit, &, ut antea, in civitatis luce versatus est eo usque, ut Scribæ, & Pharisæi de illo occidendo consilium inirent, ut eam suffocarent famam, quam hoc miraculum in populo exciverat, qui Salvatori Bethania Jerosolymam redeunti occurrit, eumque triumphantium more in omnem plausum, & lætitiam effusus excepit. Nullum unquam miraculum melius suis circumstantiis distinctum, magis publicum, & pro tali habitum reperiris; quod ipsum dicere potes de miraculo Cæci nati, aliorumque, iis exceptis, quæ in sua nativitate Jesus operatus est, & quæ, Mariæ tantum, Sanctoque Joseph comperta, atque explorata fuerunt.

Impii, Athei, & qui se Spiritus fortes jactitant, conqueruntur, quod Religio prohibeat Fideles de fidei veritatibus habere sermonem, eisque præcipiat, ut cæce sese iis, quæ revelata fuere, subjiciant. Verum per me licet illis, de Religionis hujus institutione ratiocinari, eisque etiam permitto, ut meæ huic argumentationi respondeant. Ubi instrumentum, quo ad agendum utimur, nullam vim habet ad effectum ferendum idoneum necessario confugiendum est ad principem causam, & affirmandum illum ab hac fuisse productum: e. g. pennicillus, qui ex se non movetur, non potest tabulæ omnem venustatem, ac decorem adferre; dicendum igitur aptius fuisse factum a perita Pictoris manu, qua ille ducebatur. Limus oculis Cæci nati appositus, profecto visum illi præbere non poterat; igitur hoc miraculum non limo, sed manui omnipotenti, quæ eodem usa est, acceptum est referendum. At in duodecim Apostolis existimatio-

natione, pecunia, viribus, scientia, & eloquentia carentibus, nulla satis apta fuit virtus ad mirabilem hunc gignendum effectum subversionis idolorum, atque institutionis fidei adeo incomprehensibilis, atque difficilis in morum disciplina, eo magis quod omnes terrarum potestates adversabantur, & omne fere humanum genus reluctabatur; hic igitur effectus adscribendus est principi causæ secretæ, atque occultæ, quæ profecto non alia esse potest, quam Deus.

Religionis nostræ mysteria credibilia esse.

Si Dei Filius nos credere jubet Mysteria supra rationis captum posita, hoc jubet tamen postquam illa credibilia esse ostendit, nihilque illis inesse, quod rectum sensum, ac rationem offendat. Qua in re S. Augustinus lib. 22. de Civitate Dei cap. 7. & 8. hoc instituit dilemma, cui increduli, atque flagitiosi homines sese victos dedant necesse est. Christianæ Religionis Mysteria ab Apostolis prioribus sæculis proposita, cultis quidem, atque sapientibus vel in se credibilia, vel incredibilia videbantur. Si videbantur credibilia in Philosophis, qui in idololatriæ caligine vixerunt, talia profecto videri debent, multoque magis iis, qui in Christiana Religione nati, educatique sunt: ergo illa hodie non credas, cum tanta lux ipsis accesserit, cum a sapientissimis viris, præstantissimisque ingeniis discussa, probataque fuerint? *Cur ergo Philosophis credentibus, iste infidelis non credet?* inquit Sanctus hic Doctor. Sin autem hæc mysteria, & hæ veritates in seipsis credibiles minime videbantur, oportet igitur aliquid aliud iisdem fecisse fidem, quod nonnisi miraculis fieri potuit: alioquin maximum esset miraculum a mortalibus omnibus sine miraculis credi, quod incredibile videtur. *Quomodo credidissent, nisi rei, quæ non videbatur evidenter, miracula fecissent fidem?*

O gravissimum Incredulorum, Atheorumque nostri hujus temporis errorem! Volunt erudiri de Religione, quandoquidem sæpe de hac loquuntur, & disputant; at quomodonam hoc faciunt? incipiunt quidem ad examen accersere quidquid in ipsa obscurius, & altius est; statim quidem scrutantur Mysteria, ibique invenientes difficultates, quibus incomprehensibilia efficiuntur, inferunt illa ideo esse rejicienda. Mysteria sane obscura sunt, neque diffiteor, & si in Religione mysteria tantum scrutaberis, numquam te illi subjicies. Sed quin Mysteria inspicias, revelationem attende; quam si attente, diligenter, bonaque fide perpenderis, nae illa quidem tibi qualis est videbitur, certa, tuta, indubitabilis; & admissa revelatione haud ægre te Mysteriis subjicies, ea veneraberis, & adorabis, atque rationem tuam submittes ad ea credenda, quin illa comprehendas.

Docet Ratio, nobis nimium deferendum non esse naturalibus cognitionibus nostris; in divinis ad superiora, minusque fallacia lumina confugiendum esse, & licet illuminata sit ratio, tamen fidem, atque auctoritatem Dei illi esse anteferendam. Hoc ratio dictat, itaque cum illi permittimus censoria nota fidei nostræ articulos expungere, non solum plus illi concedimus, quam quod petit, verum id etiam, quod minime petit.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci ad hoc argumentum.

Christiana Religio rationi consona.

NEmo veram Religionem, quam Deus ipse constituit, potest amplecti, quin omni ex parte melius ineat consilium, & puriora rationis lumina sequatur: Deus enim non potest homines impellere, nisi ad id, quod præstantius est, & doctrina Magistri æque boni, ac sapientis, qui ad nos erudiendos & natura utitur, & revelatione, ubique sibi constare debet, atque iis inniti principiis, quæ numquam laborent: & si necessitas unius Religionis naturali lumini innititur, nonne opus est, ut vera Religio illi conformis sit, non solum in substantia, verum etiam in effectibus suis? Præterea cum Dei cognitio principium sit virtutum omnium moralium, cumque statim ac negatur Divinitas, in omnia vitiorum genera proruatur, ita cum vera Religio sit perfectissima, quæ in hac vita haberi possit, cognitio Dei, ibi invenire debet id, quod rationalem naturam perficiat. *Desumptum ex veritate Religionis Christianæ Marchionis de Planitie.*

Ubinam invenientur lumina, ac rationes aptæ ad nos rationi subjiciendos, qualia in Christiana Religione inveniuntur? Hæc in fronte gerit magnum illud naturæ principium, ne quid alteri fiat, quod quis sibi factum nollet, aliisque fieri quid sibi quisque factum vellet. Ne minimum quid contra Jus naturale permittit, levissimos etiam, & eos, quos reliquæ religiones atque austerissimæ Philosophorum sectæ ignorarunt, errores condemnat. Magna virtuti pollicetur præmia, & vitiis gravissima supplicia minitatur. Nos ad illam vehementer accendit, nihilque intentatum relinquit, ut ab aliis deterreat, ita ut omnes occasiones auferre, omnesque radices stipitus conetur evellere? Nobis continentiam præscribit, atque hoc uno præcepto plurimas tollit dissensiones, jurgia, flagitia, calamitates. Imperat voluptatum, pomparumque mundi contemptum: ambitionem, & superbiam proscribit; præcipit, ut serio nobismetipsis invigilemus, ac nosmet cognoscamus, & hac ratione omnem aufert invidiam, contentiones omnes, atque certamina. Omnia ejicit vitia cum malis, quæ ab illis separari non possunt, ac omnes invehit virtutes cum bonis, quæ illas concomitantur. *Idem.*

Si Christiana Religio vera non esset, & contradictio, vel error inveniretur in illius principiis, quomodo fieri posset, ut innumerabilis sapientum virorum tum Græcorum, tum Latinorum multitudo, qui in politioribus excultisque nationibus extitere; atque tot subtilia, ac perspicacissima ingenia tot sæculorum spatio minime deprehenderent hujus Religionis falsitatem, vel antequam illam amplecterentur, vel jam illam amplexi? Dic, quæso, cur illam professi sunt? cur adeo constanter eidem adhæsere? Eorum complures in diversis Religionibus fuerant innutriti, atque fere cum lacte odium exsugerant in Christianismum. Non defuerunt, qui ut hunc profiterentur, coacti fuere, bona ab ipsis possessa relinquere, & dignitates quæsitas abdicare, vel etiam vitam ipsam amittere. Ubinam visus fuit unquam aliquis, qui adeo sibi gravem, incommodumque errorem eligeret? *Idem.*

Nihil est adeo inane, atque sacrilegum ac idololatria, quæ diu post Mundi creationem est orta, & quæ in plures, variasque sectas divisa est, simul duntaxat conjunctas in impio plurium Deorum cultu, & in maxima Idolorum turba non sine gravi, æternoque humani generis probro. Quidquid magnorum virorum ea in religione, vel superstitione potius versatum est; omnes illam in ludibrium verterunt. Legendi tantummodo sunt Socrates, Aristoteles, Cicero, Seneca, Epictetus, aliique plures Philosophi, ut liqueat quanti fieret ab illis. Neque loquor de commentitiorum numinum sceleribus, de fatua rituum eorumdem institutione, de festorum dictum abominationibus; verum quis non mirabitur, bruta ipsa, immo & insecta fuisse adorata? Citra horrorem, & lacrymas tanta cæcitas ne cogitari quidem potest. *Idem.*

De falsitate, ac impietate Ethnicæ Religionis.

Necessum erat, ut cum perfecta hominis felicitas in altera futura sit vita, vera Religio ultra naturalem ratiocinandi finem, qui præsentis vitæ limitibus continetur, sese attolleret, ut nobis novissimum finem nostrum proponeret, certasque doceret rationes ad eum perveniendi. Quis autem non videt fieri non potuisse, ut debitus Divinæ Majestati cultus tribueretur, nisi illa formam præscriberet, & nisi hominis obedientia cultus hujus pretium, potioremque partem efficeret? Minimi etiam inter hujus terræ Principes a subditis suis eam, quam cupiunt,

Religio nostra esse debet supernaturalis, & revelata.

S. Thomas l. 1. contra gentes c. 5.

pient, servitutem obtinere non possunt, nisi primum, quomodo eam sibi præstari velint, edixerint. Ad id igitur necesse requirebatur, ut nobis revelaretur Religio, atque inniteretur infallibilitati Divini verbi, ut hinc quidem contra doctorum hominum acumen sese protegens, inde vero imperitorum infirmitati se accommodans, ita sese omnibus aptaret hominibus. Igitur cum humana ratio sit infirma, quemadmodum quotidiana docet experientia, Religionis veræ fundamentum esse non poterat, & necessum erat, ut illud esset revelatio divina, quæ Dei ipsius innititur auctoritati, & supra naturales ratiocinandi vires est posita. *Idem*.

Quidquid satis cognoscimus tamquam veritatem Dei, nonnisi verissimum esse potest atque credendum est, quin eidem aliquid rationabiliter possit opponi; immo neque inveniri ibi aliquid potest, quod rationem lædat, quidquid dicat, vel dicere possit humana mens; adeo facilis ad fallendum, atque ad judicandum velox, adeo in cognitionibus suis infirma, & in opinionibus suis tuendis pertinax. At Christiana Religio notas habet, ex quibus satis cognoscimus, illam a Deo revelatam esse; ea igitur omnia, quæ docet, adorabilia sunt, omnia sunt verissima, & secundum justæ ratiocinationis criterium pro talibus sunt habenda: ideoque per necessariam illationem omne mendacium, omnemque contractionem excludunt.

De Mahometismi falsitate.

Quid dicam de Mahometismo, qui tot sæculis post alias Religiones erupit, & qui hac una de causa a cordatis hominibus explodendus est? Præter unius Dei fidem, quam ille ex Christi fidelibus atque Judæis mutuatus est, nihil ferme docet non depromptum parum fideliter ex illorum libris, vel quod parum sit rationi conforme, vel denique quod contradictiones minime involvat, atque seipsum evertat. Pro revelationibus ea profert, quæ ex novo testamento desumpsit, atque vitiavit, & quæ scripta jam erant pluribus sæculis antequam nasceretur. Quid illius auctor est, se Prophetam dicit, at nihil futurum vaticinatur. Legem Moysis habet in pretio, & inde Circumcisionem assumpsit, causa ignorata. Fatetur Jesum Prophetam esse, & Messiam nec non Mortalium omnium sanctissimum, quin attendat, nisi hic simul fuisset Deus, qualem se professus fuerat fuisse futurum, audeo dicere, mortalium omnium nequissimum, audacissimum, atque insanissimum; eo quod honores divinos sibi vindicare voluerit. Mahometismus denique Christianam, quæ sibi præcessit, Religionem commendat, Prophetas, sanctosque viros utriusque Testamenti colit, & Evangelium admittit, utpote JESU CHRISTO a Deo revelatum; quin advertat, hoc ipsum Evangelium a suprema Veritate, quæ nequit mentiri, annuntiatum, asserere, homines salvos fieri non posse, nisi ea, quæ docet, servaverint; ideoque Alcoranum, quod Evangelio Mahometus subrogavit, inutile simul, & falsum esse. *Idem*.

Potestne par insania, vel furor excogitari illius dementiæ, qui sine divinæ potentiæ subsidio statuere conaretur eas veritates, quas nostra docet Religio, & non persuadere solum discipulis suis doctrinam adeo incredibilem: sed eos cogere, ut hanc aliis persuadeant, propriæ etiam cum vitæ discrimine, postquam viderint Præceptorem suum in Cruce morientem? Quis unquam audivit, quis cogitavit aliquid æque ridiculum, quam sibi fingere futurum, ut homines eo usque decipi, fallique possint, idque ratione in speciem adeo inepta, rudi, crassaque? Hæc tamen insania ita stetit, & constans permansit, ut omnis humana sapientia illam confundere non potuerit, neque vel levissimi mendacii nomine redarguere. Hæc Dæmonum evertit imperium, subvertit idola, quorum cultus adeo vetus est, & altas adeo radices jecerat: hæc post sublatas profanas superstitiones, impiasque Ethnici erroris leges constituit cognitionem, & cultum veri Dei, quem omnes terrarum populi, Judæos excipe, ignorabant; hæc denique hominum mores reformavit, hæc humanitatem, suavitatem, humilitatem invexit in populos magis efferos, barbarosque. Fideine consonum est, eum, qui talem Religionem instituit, adeo furiosum, ac dementem fuisse, uti fatendum esset, nisi fuisset Deus, aliosque a Deo inspiratos nequaquam fuisse? *Idem*.

Miraculorum necessitas Christianæ Religionis institutione.

In ipsis Ecclesiæ incunabulis, ut super idololatriæ, aliarumque sectarum, quæ totum terrarum orbem late corruperant, ruina Christianismus constitueretur, donum miraculorum large hominibus concessum fuit, utpote tunc temporis in primis necessarium. Sed post fidei institutionem, atque confirmationem; Deus, qui nihil unquam fecit inutile, parcius illud communicavit; hac in re agricolæ solertiam imitatus, qui non æque gerit curam arboris, quæ jam altas radices jecit fortesque ramos emisit, ac illius, quæ nuperrime consita fuit . . . . Verum si dixeris, eo quod minime conspexeris hæc præteritorum sæculorum miracula, te iisdem moveri non posse; reddam, dummodo oculos aperire velis, te illa ipsa adhuc esse visurum. Templa hæc adeo vetusta, quæ postquam impio idolorum cultui dicata fuere, Deo vero consecrata sunt; hæ lapidum moles, hæc marmorea, ingentiaque simulacra, quæ tempus nondum absumere valuit, augusta hæc, & venerabilia monumenta, quæ post tot sæcula vigent adhuc, jugiter loquuntur, ac prædicant, se mirabilium earum actionum virtute vel ædificata, vel expiata fuisse; & res quarum adhuc vigent effectus, non esse aniles narratiunculas, fabulasque. *Idem*.

Quantumvis parum veritatem inquiras, ignorare non potes, Christianam Religionem miraculorum virtute in tot locos, ac populos latius fuisse diffusam, cum hoc neque armorum vi, ut Mahometana, neque libidinum illecebra, ut Ethnica; neque ratiocinandi acumine, vel eloquentiæ fuco, ut Philosophorum, Sophistarumque sectæ, potuerit efficere. At enim Gentiles etiam sua habent miracula; vel saltem Auctores eorum, quibus aliis in rebus habemus fidem, mirabiles narrant eventus ex veteribus historii, fabulosoque tempore scriptis desumptos. Verum si Ethnicismus sua habuit miracula, cur Christianæ Religionis miraculis illa non opposuit eo tempore, quo huic adeo crudele bellum indixit? Cur Ethnici Christianam Religionem amplexi sunt, quæ non aliter magis quam miraculis probabatur, quibus ad eos convertendos utebatur? Ad hæc si Ethnicorum miracula a Deo proficiscebantur, qui unus vera efficere potest miracula, cur permittebat Deus, ut pro Christianis miracula fierent, & hæc aliis quibuscumque & numero, & qualitate, & certitudine, & virtute præstarent; quemadmodum Moysis prodigiis Magorum Pharaonis præstigia superabantur? Igitur vel nulla Ethnici habuere miracula, vel conficta hæc portenta fuere dæmonum opera, prorsus indigna, quæ cum miraculis Dei, a quo sublata fuere, conferantur. *Idem*.

Miraculorum argumentum invictum est.

Si adversarii ita sunt pertinaces, atque dementes, ut seipsos excæcare velint, ne videant; quemcumque conatum exerant, quocumque acumine utantur, nequibunt hoc eludere Dilemma ex S. Augustino desumptum: vel enim miracula, quæ ad Christianam Religionem probandam afferimus, in ipsis Ecclesiæ primordiis facta fuere, vel secus, si primum nihil objici potest argumento, quo Divina revelatio probatur; sin alterum, majus igitur miraculum fuit totius Mundi conversio sine miraculis facta. *Idem*.

De persecutionibus contra primos fideles.

Ob oculos primorum Fidelium nihil versabatur præter carnifices, carceres, eculeos, horribilesque mortis imagines. Illos prioribus tribus Ecclesiæ sæculis, hoc est donec Christiana Religio in Imperio constituebatur, tamquam scelestos atque sacrilegos persequebantur; idque quam atrociter, atque crudeliter! Quam ingeniosa erat ad illos torquendos sævitia! Quam variæ mortis species! quam inaudita supplicia! Quot martyrum Myriades

tiades cujuslibet ætatis, sexus, conditionis, regionis! Quam fortitudinem, patientiam, lætitiam, inter ignes, rotasque præseferebant! Ne tenuis quidem harum rerum idea tribui potest; tantum abest, ut diligenti narratione eas possimus complecti. *Idem*.

Neque dicas Mahometanam Religionem, aliasque sectas ingentes habuisse in terris successus; ea enim discrimina, quæ inter Christianismum, atque Mahometismum occurrunt, & quæ sunt apertissima, illius quidem veritatem, hujus vero falsitatem ostendunt. Nonne liquet vim, negotia, voluptates esse principia, atque fundamenta Religionis Mahometanæ, non secus ac aliarum sectarum, quæ Christianismi partem corruperunt? Satis est Historias percurrere, ut hæc veritas innotescat. Nonne enim verum est Mahometi Legem sese effundere incœpisse in gentem rudem, atque barbaram; ne obices inveniret, sese quodammodo accommodasse dogmatibus, atque cæremoniis Religionum, quæ ipsam præcesserant, uti patet ex circumcisione, quam ex Judaismo adoptavit, ex honore, quem JESU CHRISTO tribuit, atque pretio, in quo Christianismum habet, quin eas rationes aperiat, propter quas ab eodem recessit? Nihil sublime docuit, nihil quod humanas mentes posset superare. Impius Mahometus usurpator fuit, atque tyrannus, qui gladio succinctus legem suam promulgavit, qui pro ratione injustitiam, atque violentiam adhibuit, ut religionem suam latius proferret, statueretque. Cæterum legis suæ contradictiones, atque absurda lenire studuit nescio qua boni publici specie, & iis omnibus rebus, quæ sensum possunt allicere; ita ut illa neque statim detegi, neque refelli ab imperitis hominibus possent. Ad hæc quas ille persecutiones passus est? Quid habet commune cum Ecclesia, quæ per filiorum suorum mortem multiplicata est, & quæ licet infirma, de hostium suorum potestate triumphavit? *Idem*.

Compendium rationum quibus Christiana Religio probatur. Ut paucis ea colligamus omnia, quæ diximus, Christianæ Religionis probationes consistunt in conformitate præceptorum ejus cum lumine naturali, in ea convenientia, quæ inter mysteriorum, & Dei magnitudinem intercedit; in eo, quod adfert, auxilio; in iis, quæ virtuti proponit, præmiis; in remediis, quæ applicat vitiis; in suppliciis, quæ iisdem intentat; in vitæ puritate, & in eminenti perfectione, ad quam illos adducit, qui diligenter disciplinæ suæ præcepta sequuntur. Adde his idololatriam profligatam, morum reformationem ubique invectam; conversionem tot populorum, atque hominum sapientissimorum, qui postquam diligenti examine illam excusserunt, veritatis vi tandem superati Christianæ Religioni nomen dederunt.

Nos autem, qui Christiani sumus, & divinas hasce veritates cognovimus, simulac fere oculos aperuimus, quos grati animi sensus fovere oportet pro insigni hoc beneficio quod negavit Deus tot Sapientibus, ac plurimis hominibus, qui secundum naturalis honestatis principia vitam se ducere profitebantur? Quomodonam cogitatio adeo dulcis ex nobis non elicit lacrymas? Fateamur fidem hanc, quæ nos a Judæis, Idololatris, & Mahometanis distinguit pretiosissimum esse thesaurum, qui nobis divinitus possit concedi; illam toto corde amplectamur; sed præsertim illam omnium actionum, totiusque vitæ nostræ normam constituamus. Si enim summa est pertinacia Christianæ Religionis veritati oculos claudere, longe major insania est, gravioribusque constringenda suppliciis credere hujus doctrinæ veritatem, & post hanc acceptam ita vivere ac si de illius falsitate non ambigeretur. *Idem*.

Si Evangelii doctrina vera est, ac præsertim si adeo validis argumentis probatur, qualia sunt insignia miracula, quæ sunt illius veluti fundamenta; liquet vivendum necessario esse, quemadmodum illa jubet, quæcumque difficultas occurrat. Illationis hujus ratio desumitur ex incomprehensibili felicitate, quam nobis Christiana Religio proponit. Ex omnibus iis causis, quæ nos ad bene agendum possunt impellere, non alia potentior est spe gloriæ, æternæque beatitudinis, quam Religio nostra nobis promittit in præmium. Non bona, non mala vitæ hujus aliquid habent, quod cum illa queat comparari; quapropter ibi invenimus quidquid necessarium est ut mundi sive illecebris, sive minis resistamus animamque inenarrabili lætitia cumulemus, quæ captum nostrum excedit, eamque fortitudine, & constantia maxime replet. Post hæc nihil adeo molestum est, nihil adeo studiis nostris oppositum in severissima, atque accuratissima Evangelicæ disciplinæ exercitatione, quod suave, & facile non fiat spe tantæ mercedis; nihilque nobis arduum ac difficile videri debet, ubi aliquid agendum, vel ferendum est, ut illius possessionem, ac perfruitionem nobis certam faciamus. Mors, quæ alioquin extremum, gravissimumque malum esset, nihil non beatum in se complectitur, ubi pro Evangelii, nostræque Religionis professione, subitur. *Desumptum ex Auctore Anonymo*.

Ecclesia, vel Christiana Religio, quam JESUS CHRISTUS comparat grano Sinapis propter justas similitudines, quæ inter utrumque invenitur, opus est adeo dignum potentia Dei, ut dicere passim, numquam enituisse magis, quam cum actum est de Ecclesia statuenda super ruinis Idolorum, quæ ubique fuerant adorata. In natura miraculum est, quod ex semine adeo minuto, quale granum sinapis est, arbor existat ramos suos ita late protendens, ut in illis aves cœli quiescant. At non ne alterum in gratia prodigium est, quod Deus homines congregare cupiens, ut inde unum efficeret populum, regnum unum, usus fuerit Evangelii prædicatione; & Verbum hoc ex spiritu suo emanatum, & per Apostolos annuntiatum, in agro tamquam semen uberrimum, satum ita brevi creverit, ut Reges, ac Principes terræ secum præclare actum existimaverint, si illic quiescere potuissent saluti suæ consulturi? *Sermo Manuscriptus*. Comparatio institutionis Ecclesiæ cum grano sinapis.

Si Infidelibus veritates fuissent propositæ ita perspicuæ, ac per se patentes ut ad solum earumdem auditum assentiri potuissent; si facilis strata eisdem fuisset via, quæ ipsos ad eam beatitudinem, cujus spes pro altera vita proponebatur, adduceret; si cum indocile eorum ingenium flecti non posset, adhibita fuissent blanda verba ad eorum voluntatem flectendam; si eloquentiæ lenocinia fuissent usurpata ad leniendos legis rigores, quibus deterrebantur; quia delicatissimis naturæ studiis bellum indicit; fortasse non tantum esset miraculum, si tunc sese victos dedissent, atque Religionem fuissent amplexi. At ad Infideles occupandos nulla harum artium quæsita fuit; immo usurpatum est prorsus oppositum. Cum Idolis, quæ videbant, atque attrectabant, essent assueti, proponitur illis invisibilis Deus trinus in personis, unus in essentia, Deus caro factus, Deus caro factus puer, omnibusque pueri infirmitatibus subjectus. Illis austera, gravis, severa morum Disciplina prædicatur, quæ mentem dejicit, avertit animum, affectus torquet, sensibus mortem adfert, totum hominem in statu violento constituit, quæ avaros, superbos, impudicos, qui in vitiis consenuerunt, docet mundi contemptum, humilitatem, sui ipsius abdicationem: quo igitur miraculo opus fuit, ut illi Religionem hujusmodi amplecterentur? *Idem*.

Quibus autem instrumentis utetur Deus, ut arduum hoc, magnificumque consilium exequatur? Numquid, ut tua fert opinio, pro Ministris Principes, atque Optimates hujus sæculi assumet? Nequaquam; Disciplinæ Christianæ miracula relata fuissent accepta desiderio populos in officio continendi cogendo illos, ut sese invicem charitate mutua complecterentur. *Non hos elegit Dominus*. Numquid Philosophos? Nequaquam; Mundi contemptus, quem Christiana profitetur Religio, adscriptus fuisset sublimitati sensuum, quos suggerere potest Philosophia: *Non hos elegit Dominus*. Numquid Oratores, qui summas has veritates, sed quæ incredibiles videntur, persuadeant? Nequaquam; credidissent enim, eloquentiæ eorum lenociniis homines in errorem inductos fuisse: *Neque hos elegit*? In quos igitur convertit oculos, ut tantum hoc, & adeo difficile opus adimpleat? In timidos piscatores, homines simplices, sine opibus, sine armis, sine auctoritate, Instrumenta quibus usus est Deus ad populos idolorum cultores convertendos.

sine

sine humanis subsidiis. Deus enim ostendere cupiens legis suæ prædicationem opus esse suum, de hominum superbia triumphare voluit humilitate, atque uti iis instrumentis, quæ mundo minus apta viderentur, & reipsa essent infirmiora, ut quidquid in mundo sapientissimum, maximum, & potentissimum est confunderet. *Idem*.

Si scire cupis, quinam fuerit tanti hujus operis eventus, hæc tibi respondebo Evangelii verba, quæ alia in occasione dicta fuere: *Veni, & Vide*; quam celer, rapidusque fuit cursus præter omnem expectationem, quam sapientes, atque mundi hujus Politici concipere potuissent. Duodecim hi piscatores, qui numquam litteras, scientiasve didicerant, mundum idololatriæ mancipatum aggrediuntur, confundunt Sapientes, erudiunt Optimates, convertunt populos, confringunt idola, eorum aras, ac templa diruunt, omnemque terrarum orbem Dei unius crucifixi subjiciunt imperio. *Veni, & vide* Idola, quæ elapsis retro sæculis adorata fuere, pedibus attrita, fracta, vel fusa; Dæmonis cultum sublatum; Evangelium, legem hanc adeo austeram, & naturæ corruptæ studiis oppositam, receptam, probatamque, hominem turpissima crucis morte enecatum pro Deo vero habitum, agnitumque, *Veni, & vide*. Quid! universalem Mundi mutationem, mores illius qui nequissimi erant, sanctissimos fieri, vitia, quæ penitus erant inveterata, penitus deleri, Reges ac Imperatores adorare Crucem, quæ visa fuerant Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia. *Idem*.

Persecutiones cōtra primos fideles.

Si supplicia cessabant, odium, & contemptus numquam cessabat; licebat semper in Christianos contumeliosas voces evomere, in illos linguam, calamumque acuere eosque irridere; & tota plaudente cavea in jocum traducere; hæc omnia non impune solum abibant, sed probata erant, & soli ii loci, quos ex Celso adfert Origenes, sufficiunt, ut liqueat, quam indigne haberentur. Facere non poterant, quin quotidie profanas Ethnicorum cæremonias intuerentur, quin ubique infamissimis occurrerent simulacris, quin per obscœnissima lustra transirent, & undique impios, impurissimosque sermones audirent. Opus proculdubio erat animi fortitudine, & constantia, ut inter tot obices fides viva, integrique mores servarentur. *Fleury, lib. de Moribus Christianorum*.

Fides, & Religio nequaquam instituta fuit Apostolorum eloquentia; eorum sermo simplex erat, & sine fuco: *Nonne in sapientia verbi*: Atque facile erat, ut, quæ docebant, crederentur: quippe Deum crucifixum prædicabant: *Prædicamus Christum, & hunc Crucifixum*. Neque hoc indulgenti eorum disciplinæ acceptum est referendum; namque, uti præceptor suus de Cruce, paupertate, ac patientia tantummodo loquebantur: *Qui non accipit Crucem suam, qui non renunciaverit omnibus, quæ possidet*. Quomodo igitur prædicationi adeo novæ, atque inauditæ mortales sese victos dedere? Tot eruditi viri potuissentne mentem suam submittere veritatibus adeo incomprehensibilibus? Tot voluptatibus addicti tantam mortificationem amplexi fuissent, si Apostoli Divinorum præceptorum præcones nequaquam fuissent instrumenta potentiæ Dei, & si nubes hæ divinæ fulgoribus suis in admirationem non rapuissent terram omnem, antequam eam suis imbribus irrigarent? *Fromentieres Sermone de miraculis*.

De Religionis institutione Apostolorum opus.

Nonne admiraris audaciam, qua duodecim pauperes piscatores inter se totum terrarum orbem distribuunt? Verum est Alexandri quoque successores illum inter se fuisse partitos: sed ille mundus erat jam victus, cum JESU CHRISTI discipuli cum sibi vincendum partiantur. Alius quidem Asiæ, alius Ægypti, alius Indiarum subigendarum provinciam sibi elegit, & earum Regionum, quo maximorum Ducum arma non pervenerunt. Quod vero magis mirum est, omnes expeditionum suarum optatum finem assecuti sunt. Qua autem via? hoc quoque mirum: doctrina videlicet contraria sensibus, ac rationi, saltem in speciem, crucifixum Deum prædicantes. *Idem Serm. de Transfiguratione*.

Nisi persuasum fuisset Apostolis de veritate earum rerum, quæ prædicabant, quid interfuisset aliquot pauperculorum in errore versantium, utrum Gentiles Deum verum cognoscerent, necne? Quid falsorum testium, ne homines mendaces essent, & nequam? Quid hominum, qui in horrore, & odio habebantur, ut mortales sese mutua charitate complecterentur? Quid victimarum odii communis, ut inimici sui cum Deo redirent in gratiam? Quis crediderit eos nequam esse voluisse, ut alios bonos viros efficerent? universum genus humanum fallere, ut fidelitatem veluti sacram, ac non temerandam legem proponerent? Nationis suæ hostes fieri ut nos mortalibus omnibus benevolos facerent, & insigni calumnia, gravissimoque scelere eam proponerent Religionem, quæ ad sanctificandum genus humanum collimat? *Abadia Tract. de Veritate Religionis Tomo 3.*

Infirmitas instrumentorum, quibus usus est Deus, ut Religionē suam instituerit.

Nihil videtur admirabilius, quam quod cum JESUS CHRISTUS mundum universum vellet acquirere, adeo infirma elegerit instrumenta, ut quod sibi proposuerat, evinceret. Meditabatur imperiorum eversionem, idolorum interitum, Dæmonum cladem; ad quæ perficienda, videbatur congerenda ab ipso fuisse magna auri, argentique vis, maximæ militum copiæ, quæ locupletissimæ prædæ spe illectæ adeo arduum opus aggrederentur. Attamen duodecim eligens piscatores eos jubet relinquere parum illud boni, quod fuerant sortiti, prohibens, ne ferant arma, ne commeatus ullos sibi comparent; atque ita rerum omnium egenos ad Mundi totius acquisitionem dimittit. Mirum! vult, ut eorum infirmitas Regum potentiam prosternat, ut eorum humilitas Imperatorum dignitatem confundat, & ne quis crederet, Mundum a se emptum, non acquisitum fuisse, vult milites suos pauperes esse. *Non divites, sed piscatores Christus elegit, ne mundum redemisse divitiis videretur*, inquit S. Ambrosius. *Fromentieres Panegyr. de Sanctis Ordinis Benedictini*.

Ab exiguis initiis brevi eo crevit Religio, ut maxima terrarum superarit imperia & latitudine, & diuturnitate; latitudine quidem; non enim intra Romani imperii fines se continuit; Christianismi gratia, S. Prosper ait, plures sceptro Crucis natione subjecit, quam Roma armis subjugavit; diuturnitate vero, quia, ut ait S. Augustinus, sese extulit ultra mundi hujus principatus, quibus nulla stabilitas est, quia obnoxia sunt temporum inconstantiæ, ac varietati. Omnia denique mundi regna in nihilum redigenda sunt, sed Filii Dei Regnum nullum est finem habiturum. *P. Novet in Meditationibus suis Tomo 5.*

Dicendum profecto est, Christianam Religionem esse necessariam, atque perutilem, quandoquidem Sapientia Dei nos ad eam tot rationibus adducit; nobisque admirabilis esse debet, atque magnifica, quia quodammodo Cœlum, ac terra, præteritum, atque præsens, eventus, qui communem naturæ cursum sequuntur, & illi, qui supernaturales sunt, & miraculosi. Prophetæ denique, & Apostoli, quorum alii alios minime noverant, in hoc conflato, ac unanimi consensu conveniunt, ut nobis eam cognoscendam tradant, atque rapiant in illius admirationem. *Abadia Tomo 2. Tract. de Veritate Religionis Christianæ sectione quarta*.

De Martyrum testimonio.

Non desunt Religiones quædam, quæ suos jactant martyres: sed quos martyres? superstitiosos, qui sese morti objiciunt, quin id norint, quod faciunt instar barbarorum, qui catervatim ante idolum suum corruunt, ut ingens illud simulacrum pertransiens suis rotis illos conterat, atque comminuat. Sed non aliam præter Christianam Religionem inveneris, quæ confirmata fuerit sanguine plurimorum Martyrum, qui morte occumbunt, ut id tueantur, quod sciunt; qui

cum nequam essent, facti fuerint sancti propter fidem in Dominum, & qui denique ubique gentium diffusi, morientes, quin numerus ipsorum imminuatur, & per mortem quodammodo sese perennantes patiuntur cum gaudio propter certitudinem, qua spernant futurum ut post mortem coronam acquirant, certitudinem, quam ex iis, quæ viventes videre, deducunt. *Idem*.

Disciplinæ Christianæ præstantia.

Quantumvis parum aliarum Religionum principia investigentur, liquet eo tendere, ut evertant principia rectitudinis illius, quam in omnium hominum animis infudit Deus, atque ut eorum corruptioni blandiantur. Qui Christianam Religionem inspexetit, agnoscet e contra eo ipsam tendere, ut corruptionem tollat, & hæc rectitudinis principia in animabus nostris restituat. Ethnici affectibus suis eousque blandiuntur, ut illis aras ædificent. Mahometus ita temporalem amat felicitatem, ut eam sibi finem, & religionis mercedem constituat. Putant Gnostici, cum ad certum cognitionis gradum pervenerint, quem statum perfectionis appellant, sibi licere fanda infandaque omnia facere citra quamlibet religionem, & quod in aliis culpa non vacaret, in ipsis esse ab omni sceleris suspicione immune. Quos errores? quam impietatem! quam admirabilis est Christiana Religio, cum sola ex omnibus Religionibus efficiat, ut corruptionem nostram agnoscamus, eique medeatur pharmacis æque spiritui salutaribus, ac incommodis carni. Religiones aliæ voluerunt, ut divinitas hominis imaginem ferret; ideoque earum institutores facere non potuerunt, quominus divinitatem exhiberent infirmam, miseram, vitiis coinquinatam, quemadmodum homines sunt; cum Christiana Religio doceat, homini ferendam esse imaginem Dei, quæ nos perfectos esse cogit, uti Deum sanctum, perfectumque esse profitemur. Si flagitia sunt horribilia, quis non fatebitur Christianæ disciplinæ instructionem divinam esse? *Idem*.

Ante Christianam Religionem ignorabatur, Crucem esse gestendam, beatos habendos pauperes spiritu, & eos qui propter justitiam persecutionem patiuntur; inimicos esse diligendos, & orandum pro illis, qui nos persequuntur; mala, & calamitates non solum esse ferendas, sed lætandum, ubi ærumnis affligimur; & passionum nostrarum mensuram, tamquam gloriæ, & felicitatis nostræ mensuram esse existimandam. Homines numquam hoc cogitaverant. Stoicorum paradoxa his longe cedunt, nec citra admirationem intuemur simplices, rudesque piscatores, quibus hi sensus fuere tantum supra eorum captum elati, quantum sunt humani cordis affectionibus oppositi. *Idem*.

De Mysteriorum nostrorum præstantia.

Mysteria, quæ nobis in Religione sua Deus revelavit, similia videntur nebulosæ columnæ, quæ filiorum Israel in deserto dux erat; alterum enim latus habent refulgens, alterum obscurum: illa neque per nos, neque per rationis lumen videmus; neque eam habent evidentiam, quam in metaphysicis demonstrationibus quærimus; sed eorum perspicua est revelatio, & rationes, quibus ad ea credenda impellimur, omnem habent moralem evidentiam, quæ potest optari; eaque (si consideremus ex hac parte, quæ aliquam tamen habet obscuritatem, non enim agnoscimus illa nisi per fidem) magna sunt, sublimia, conformia naturæ rerum earum, quæ Deo dignæ sunt, atque arctissimo nexu conjuncta cum intemerandis cordis, mentisque nostræ principiis. *Idem*.

Dicant Ethnici, cur oracula sua conticuerint tunc temporis, cum Apostoli Christianæ Religionis mysteria annuntiarunt; & quomodo sanctorum horum hominum sonus cum ad extremas usque terrarum oras pervasisset, æternum indixerit silentium oraculis, quæ diu fuerant locuta; quod in causa fuit, ut profani Auctores inopinati hujus silentii causam investigarent. Quod enim Julianus Apostata dicit, oracula apud Judæos etiam siluisse, hoc nihil illis prodest; nostri enim Prophetæ prædixerant futurum, ut prophetiæ donum auferretur; sed ubinam Ethnicorum oracula proprium silentium fuerant vaticinata? *Idem*.

Qui pro Religione passi sunt, illis de hujus veritate persuasum erat.

Haud ita facile credideris, eos homines, quibus recti sensus erat particula, bonis suis abrenuntiare, atque constanter subire mortem, ut causam aliquam tueantur, nisi validas habeant rationes, quibus acti eam bonam existiment, quomodo Martyres fecerunt. Hi enim non solum homines sunt, qui cum nati sint Christiani, cæce nativitatis, & institutionis suæ præjudicia sequuntur; de innumeris agitur, qui ex Ethnicorum castris in Christianorum sacra transierunt, & qui iis immunes præjudiciis, quæ nos ab ipsis incunabulis, & educatione imbibere, consuevimus, immo alia Christianæ Religioni opposita prorsus habentes, pro illa mortem subeunt, ubi eam semel agnoverunt. Homines nati, ac pacifice in aliqua Religione viventes, credere possunt cæce, quod ibi creditur; sed qui cor hominis noverit, cogitare non poterit; aliquem hæc abdicare præjudicia, & sibi charissimis affectionibus inferre vim, ut eam Religionem amplectatur, quam Principes hujus terræ aqua, & igni persequebantur, quin illam prius ad examen vocet, & sciat, qua de causa illam amplectitur. *Abadia Tractatu de veritate Religionis Christianæ*.

Si Apostoli seducti fuissent, tamquam territi Piscatores, qui cum pudore fateri debebant se fuisse deceptos; timidi piscatores poterantne fabulam comminisci, illam tanta confidentia prædicare, tantaque audacia affirmare, & cruciatibus, ipsique morti sese objicere, ut incredibile commentum tuerentur? Potestne in alicujus mentem venire, se solum omnibus hominibus os sublinire posse fabulam narrando; & si hoc in alicujus mentem veniret, aliine ita dementes essent, ut illius sententiæ adhærerent? Fierine potest, neminem eorum palinodiam canere, neminem sibi contradicere, omnesque unanimi consensu, licet sævissimis torquerentur suppliciis, factum illud testari, quod fictum, atque chimericum esse sciunt? Hoc absurdum videtur, & incredibile. *Idem*.

Si hæc esset illusio, quis putabit, eam unanimi consensu a mortalibus fere omnibus recipi potuisse, eamque fuisse conjunctam cum morum disciplina adeo præstanti, sublimi, & æquitate referta, quod ipsi etiam nostræ Religionis inimici semper existimarunt? ac demum virtutes omnes ex errore nasci, &, ut ita dicam, ex hujus dementiæ sinu prodire: quæ mundum immutat, & humanum genus sanctificat ea adimplens Oracula, quæ Gentilium vocationem prædixerant? Quod si homines isti seipsos non fallunt, multo magis omni suspicione vacant, velle alios in errorem inducere. *Idem*.

Instrumentorum electio satis ostendit Deum hujus Religionis auctorem.

Electio quoque instrumentorum adeo vilium, atque abjectorum, quibus Deus uti dignatus est, ut maximum, quod unquam excogitatum fuerit, opus perficeret, melius adhuc nobis ostendit, quam cætera, ea in re Dei digitum fuisse operatum. Si pro ministris sibi cooptasset Principes, atque Optimates terræ, fortasse Christianæ disciplinæ mirabilia dogmata politicæ fuissent abjudicata, ac putassent inde profecta, ut populi in officio continerentur; si Philosophos elegisset, eorum integritas, animusque ab omni cupiditate vacuus fuisset adscriptus eorum virtuti, & superbæ sectæ eorum, atque sublimitati sensuum, quos inspirat Philosophia; si Oratores assumpsisset; hi eloquentiæ suæ lenociniis mortalibus os sublevisse crediti fuissent; si demum potentes, atque divites delegisset; prædicationis eventus eorum largitatibus acceptum referendum existimasset. *Idem*.

Notatu dignum est, reliquas omnes Religiones vel insignium prosperitatum afflante aura fuisse institutas, veluti Mahometanam, atque Paganam; vel astu, atque industria eorum, qui ad summam dignitatem evecti maxima pollebant auctoritate; Christianismum

vero

vero brevi temporis intervallo humano corde, ac mente fuisse positum, tunc temporis, cum opprobriis, atque ærumnis septus erat, atque terræ Principes nullum non movebant lapidem, ut illum in ipsis incunabulis extinguerent, & ad id ea excogitabant supplicia, & cruciatus, quos nulla res alia potuit invenire. *Idem.*

Christianæ Religionis singularitas admirabilis.

Auctoris sui mors ipsi vitam contulit, & qui ad eam constituendam electi fuerunt, non aliis usi sunt armis, quam miraculis, non alia tuba, quam Evangelio: seipsos pro Religionis hujus defensione devoverunt; & sanguis, quem ad eam tuendam effuderunt, plures fortasse, quam ipsa prædicatio convertit. Ubinam inveniri potest Religionis instituendæ ratio hac mirabilior, per auctoris sui necem, per præcipuorum capitum cædem, per subditorum suorum martyrium? Ad hæc quomodonam sese illa diffudit, quomodo progressa est? Illane patientia tantum, & virtute armata propulsare potuisset armorum vim, Philosophorum sapientiam, Oratorum eloquentiam, nisi divinum aliquid extitisset? Potuissetne subsistere inter tot hostes, qui illam undique premebant, atque adeo violentis, jugibusque persecutionibus exagitabant? *Desumptum ex Auctore Anonymo.*

Testimonium, quod Ethnici coacti fuerunt Christianæ Religioni perhibere, non parum illius gloriam commendat. Nemo nescit quid responderit nescio quis Magistratum obtinens, qui ut Imperatoris mandato obtemperaret, quo jubebatur diligenter conquirere, quænam esset Christianorum vita, & quæ scelera, quorum nomine accusabantur, ita Trajano Imperatori rescripsit; præter constantem voluntatem Diis non sacrificandi, nihil se didicisse de Religione eorum ex illis, qui ab eorum fide defecerant, nisi illis in more fuisse conveniendi statis diebus, ut simul canerent Hymnos in JESU CHRISTI laudem, tamquam Dei alicujus, atque ut sese Sacramentis obstringerent, ne scelus ullum perpetrarent, sed lattocinia, furta, adulteria, fraudes, perjuria diligentissime fugerent. Hoc illud est testimonium, quod Christiani nominis hostes illi perhibere coacti fuerunt; namque postquam eorum doctrinam, atque instituta investigare conati sunt, id cum rubore profi entur, quod honestatis suæ ratio occulendum esse vellet; videlicet eorum scelus in hoc esse positum, quod ab omni scelere abhorrent, & prohibent, ne quis scelus ullum committat. Fidem profecto merentur Ethnici cum de Religione Christiana cum laude loquuntur, quandoquidem illam damnarunt, eamque persequi sibi gloriæ verterunt. Nemo mentitur, ut sibimetipsi dedecus inferat; infideles tamen lumine victi, quod eorum oculos perstringebat, veritatem, atque virtutem pro mendacio, atque vitio desumpserunt, & Christi fidelium integritatem probarunt, illos accusantes quod palam eam profitebantur doctrinam, qua adigebantur malum evitare, & per quam non licebat illis aliquid improbe facere. *Morel, l. de Religionis veritate.*

Prophetiæ, atque miracula certa sunt testimonia veritatis hujus Religionis.

Opus non est argumentis ex lumine naturali desumptis ad probandum Evangelii fidem a Deo approbatam fuisse. Satis est oculos aperire, ut videantur prophetiæ, quæ multo ante prædixerunt Christianæ Religionis statum cum omnibus particularibus circumstantiis, necnon omnia miracula, quæ patrata fuere ad cœlestem doctrinam, sanctasque illius cæremonias confirmandas. Ubi hæc apertissima divinæ omnipotentiæ videantur indicia, fatendum est, Deum illius auctorem simul, & approbatorem fuisse; ipse namque unus similia edere potest miracula contra leges naturæ, ac supra vires ejusdem. *Idem.*

Prophetiæ completæ.

Scripturas evolvite, & considerate Prophetas, qui pridem annuntiarunt Christianam Religionem instituendam a Deo, & fatebimini, ipsum unum illius esse auctorem, cum ipse unus Prophetas inspirare, atque in hac scientia erudire potuerit. Ibi patet, quomodo prædixerunt rationem, locum, ac tempus nativitatis JESU CHRISTI, miracula vitæ, ac mortis ejusdem; & Ecclesiam super idololatriæ excidio instituendam. Pluribus ante sæculis scripserunt, Deum hunc daturum suæ potestatis, & bonitatis signum; *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel:* Isaiæ 7. & Bethleem futurum locum, unde *egredietur, qui sit dominator in Israel; & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis:* Mich. 5. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Genes. 49. Et quin singillatim omnes afferam Prophetias, solus Isaias aliquibus in locis ita perspicue locutus est de Salvatoris passione, & de nominis ipsius gloria apud Gentes, ut eum legens diceres potius esse Evangelistam, quæ facta sunt, enarrantem, quam Prophetam multo post futura prædicentem. *Idem.*

Quod vero magis est admirabile, & quodammodo visibilem præbuit Dei invisibilis gratiam, gaudium est, quod Martyres super rotas, & sævissimos inter cruciatus testabantur. Quis enim meminisse potest tot mortalium myriades ex omnibus regionibus, & omni sexu, omnibusque conditionibus cum gaudio pertulisse adeo sæva tormenta, ut Christianam Religionem tuerentur, quin tempore eodem arguat, unum viventem Deum, quem illa colit, replere potuisse corda eorum incomparabili suavitate, quæ interiori, sensibilique illos afficit lætitia, quæ profecto nonnisi a Dei gratia potest procedere? *Idem.*

Si operosum semper est prima, quibus imbuti fuimus, exuere præjudicia; quænam ratio convertere potuisset omnes homines, qui Ethnicæ superstitionis illusionibus, atque erroribus occupati erant, ut JESU CHRISTI fidem amplecterentur, quæ omnem intellectum superat; quæ affectibus omnibus est opposita, & omnes sensus impugnat? Quænam ratio persuadere potuisset, Deum, qui beatissimus, & immortalis est, sese hominem mortalem effecisse pro salute hominum, qui voluntatibus suis erant rebelles? Quænam ratio impellere potuisset homines, qui amore proprio tenentur, & affectuum suorum illecebris tantopere voluptates, opes, & honores inquirunt, ad sensibilium bonorum omnium contemptum, ut non aliud desideriorum suorum habeant objectum, quam gloriam Dei? Quænam ratio illos inter ignes, & rotas ad martyrium constanter subeundum animare potuisset? Quænam ratio posset adhuc eas mirabiles mutationes perficere, quæ quotidie videntur? Profecto mirabiles hæ mutationes, hæ conversiones de infidelitate ad fidem, de errore ad veritatem, de omnigeniis vitiorum habitibus ad vitam sanctam, integerrimamque esse non poterant nisi opus Spiritus Dei omnipotentis, non autem humanæ persuasionis. *Idem.*

Christianæ Religionis necessitas.

Eo in statu, in quo sumus post Adæ lapsum a sensibus, & imaginatione nostra pendentes, affectibus obnoxii, earum rerum mancipia, quæ nobis afferunt voluptatem, per nos ipsos infringere nequaquam possumus vincula, quorum pondere premimur, neque ex ea emergere, quæ nos fascinat, captivitate. Hoc probavit opus esse revelatione, quæ non solum nos de officiis nostris erudiret, sed quæ nobis etiam ferret opem, & necessaria subsidia ad illa ea, qua possumus, perfectione adimplenda. At Religio sola, & JESU CHRISTI disciplina caracteres habent perfectæ revelationi essentiales, promittendi solidam veramque felicitatem, docendi viam, qua eo pervenitur, ea ratione quæ ad totius mundi captum sit accommodata, atque necessaria tribuendi subsidia ad superandos obices, qui in veritatis perquisitione, & exercitatione virtutis occurrunt. Dico igitur Christianam Religionem præcepta irrogare mortalibus omnibus accommodata; omnes enim homines æque magni, & parvi, divites, & pauperes, docti, in-

doctique indiscriminatim ad Christi fidem sunt evocandi. *Vassor, Tractatu de vera Religion l. 4. part. 2. cap. 1.*

Contra Incredulos, ac Impios.

Vellem quidem hujus farinæ homines sincere dicerent, utrum attente fuerint meditati spiritum Christianæ Religionis, Auctorem ipsius, eos, qui primum illam Ethnicis annuntiarunt, insignem progressum, quem Apostoli, eorumque discipuli brevi consecuti sunt, & prope infinitum Martyrum numerum, qui tribus prioribus Ecclesiæ sæculis exquisitissimis affecti fuere suppliciis. Hæccine illi simul contulerunt? numquid seipsos interrogarunt, utrum fieri possit, ut Religionem cæteris Mundi Religionibus prorsus oppositam quoad morum disciplinam, mysteria, & promissiones, atque contrariam præjudiciis, atque affectibus hominum, tot mortales fuerint amplexi, qui pro illa abrenuntiarunt iis omnibus, quæ in mundo alliciunt, & placent? Si hæc serio cogitarunt, cur non inde argumentati sunt, præcipua facta, quibus ad Religionis nostræ veritatem ostendendam utimur, certa esse, atque verissima? tandem enim hæc omnia statim ob oculis eorum sese offerre mihi videntur, qui ad ea animum velint advertere. *Idem cap. 6.*

Christiana Religio omnes religiones evertit, quæ ante ipsam extiterant; Ethnicismum quidem sacrilegii, ac insaniæ redarguit; si Judaismi fundamentalia recipit principia, tenet tamen illum sexcentis fallacibus Traditionibus esse corruptum; abrogat quidquid in illius cultu magnificum, & insigne erat, ut Spiritualem tantummodo adorationem sequatur; loquitur solum de mortificatione, pœnitentia, voluptatum, ac suimetipsius abdicatione; quam vero pro tanto hoc sacrificio mercedem pollicetur? Infinita profecto, æternaque bona; quæ tamen hic in terris non gustantur, neque sentiuntur: spem nobis inducit Resurrectionis mortuorum, quæ una præ cæteris maxime incredibilis Ethnicis videbatur; cum enim Sanctus Paulus de eadem loqui voluit in Areopago, & coram Philosophis Athenarum, sibilis exceptus fuit, & tamquam inanis blattero existimatus. Denique ut participes fiamus promissionum Religionis Christianæ, omnem in JESU CHRISTO crucifixo fiduciam statuamus oportet, quod nonne Judæis quidem scandalum est, gentibus autem stultitia? Nosmet etiam præparare decet ad omnia quæ excogitari unquam possunt, perferenda mala, ad odia, persecutiones, calumnias, contumelias toto vitæ tempore subeundas; quid ergo in hac aderat Religione, quod mortales posset allicere?

Quæ quotidie certamina subeunda non sunt, ut secundum hujus Religionis præcepta vivamus? Quin nobismetipsis vim gravissimam inferamus, fierine potest, ut oderimus ea, quæ nobis chariora sunt, ea vero quæ sunt invisa, diligamus? Ad id ergo requiritur, ut fides in homine inversionem illi similem pariat, quæ in toto terrarum orbe peperit, ubi ab Apostolis ubique gentium fuit annuntiata; & quomodo populos impulit ad comburenda idola, quæ venerabantur, & Crucem, quam comburebant, adorandam, hoc ipsum in homine Christiano operatur. *La Font dans ses Entretiens Ecclesiastiques.*

Quanti operis esset novam hanc Religionem instituere.

Omnis prudentia sæculi erat confundenda, politicæ artis callidiores falsitatis, & mendacii nomine redarguendi, & ex omnibus ignorantiæ, ac illusionis, qua decepti erant, extorquenda confessio. Omnis humana potentia quodammodo ad nihilum erat redigenda, eludendi conatus omnium Principum terræ, Imperatoribus obluctandum, & de Tyrannorum furore triumphus agendus. Denique tot erant inferenda prælia, tot referendæ victoriæ, quot erant hominum capita. Neque ex infirmiori parte initium erat ducendum, sed ex florentissimo Terrarum populo, ex Imperio Romano, ipsaque Roma. Ubi omnia solo æquata fuissent, super idololatriæ ruinis ædificandi, extruendaque erat; quid? JESU CHRISTI Religio; Sanctum hoc ædificium, quod non longæ temporum revolutiones, non violentæ procellæ dejecturæ essent, immo neque concussuræ. Agebatur, inquam, de promulganda in mundo ea fide, quæ prorsus opposita est humanis rationibus, atque sententiis, quæ melius constitutæ videbantur apud Philosophos, qui populorum tunc præceptores erant, atque Oracula. Ad hæc id agebatur, ut hominibus, quibus honoris sui ratio maximæ curæ est, eam placeret subire legem, quæ ignominiæ, ac turpitudinis notam secum ferebat, ex quo JESUS CHRISTUS illius auctor palam accusatus fuit, & crucifixus. Quæ scandali occasio Gentilibus? quæ occasio dictitandi, quo profecto non semel dictitatum fuit, Christianam Religionem esse iniquorum manum: quia eorum institutor, & caput turpissimo fuerat affectus supplicio? Mihi quidem videtur hoc rerum systema, quale vobis exhibui, insuperabiles difficultates complecti; & religio ea, quæ ita super cæterarum ruinis extruitur, licet mysteriorum suorum sublimitas, ac disciplinæ obsistat severitas, eam proculdubio aliquid supernaturale in se habere, & nonnisi a Deo proficisci. *P. Girou st in Adventu suo, Sermone de Christiana Religionis veritate.*

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Apostoli huic obediunt mandato; sese dividunt; discedunt; dicam melius, pervolant; ab Ortu in Occasum, a Meridie in Boream vastissimas regiones percurrunt; non erat opus, ipsos diu in eadem regione subsistere: satis erat, si sese illi tantum ostendissent, inde alio migraturi, alioquin curriculum suum absolvere non potuissent, neque omne suæ vocationis officium explere. Quodvis Regnum, quodvis imperium eos detinet, quantum necesse est, ut ibi audiantur, ibique eam, quam prædicant, Religionem annuntient, sed statim ac locuti sunt, verba sua penetrant animos, illorumque vim atque virtutem cuncta persentiunt. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique. Idem.*

Hi sunt, Domine, operarii, quos ad opus adeo mirabile elegeras, sed nimis adhuc fortes erant, quia temet illis consociare dignatus es, & laboribus eorum velificari. Sed nihil minus requirebatur, quam auxilium tuum; sine extraordinario, non dicam digiti, sed brachii tui auxilio, ad quid omnes illorum labores profuissent, nisi infirmitatis suæ cognitionem percipere poterant? Ubi ergo illos in Apostolicis laboribus video tot referre triumphos, quot Provincias invisunt, & intra quorumdam mensium, vel ad summum annorum spatium Templa ædificare, aras extruere, Ecclesias efformare, ac indesinenter JESU CHRISTI gregem augere; veneror, Domine, Providentiam tuam, quæ omnino in hoc miraculo effulget, atque cum Propheta tuo exclamo; *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Idem.*

Sine extraordinaria Dei ope non potuissent Apostolica fi. ere, quæ feliciter, ex cuti sunt.

Quos motus, quas turbas excivit in Mundo Christiana Religio, ex quo illam promulgare inceperunt Apostoli? Omnia contra illam conjurarunt, omnia illius interitum quæsiverunt: sed si ex eventu judicium ferre velis, omnia videntur illi fuisse opitulata, atque unanimi, conflatoque consensu illius incolumitati consuluisse. Romani, quorum maximus erat zelus pro numinum suorum cultu, prius, atque vehementius, quam cæteri eam aggressi sunt, quorum exemplum nationes aliæ statim arripuerunt. Ubi Petrus Romæ loqui voluit, illico in vincula conjectus fuit; & deinde Sanctus Paulus eodem supplicio affectus est. Apud omnes gentes summi, ac imi contra Evangelium, & eos, qui illud prædicarunt, insurrexere. Ubique illis struuntur insidiæ; vulneribus illi afficiuntur, falsæ in ipsos ingeruntur calumniæ, in compedibus detinentur; sed inanes conatus! Religio, quam annuntiant, non ideo minus proficit; in vicos, ac civitates, in rura, & pagos pervolat; Principum

ædes

ædes penetrat, ipsa quoque Neronis penetralia pervadit, Tyranni illius reliquis hominibus adeo invisi, & propter sævissimam barbariem insignis. Cæsares gravissima protulerunt edicta contra orientis hujus Religionis asseclas, crebro eos ad necem perquisiverunt; pro illis carceres extructi sunt ipsique illuc conjecti. Quid inde? Loci ad id destinati, ut essent noxiorum latibulum, facti sunt conversatio Sanctorum. *Idem*.

Difficultas, quæ homines ad Christianam Religionem allici posse videbantur, Deum illius probat auctorem.

Voluit Deus, Christianæ Religionis institutionem esse adeo admirabilem, ut qui eam attente velit perpendere, nequeat ambigere, utrum Deus illius auctor extiterit. Profecto ad Christianam Religionem instituendam vetus illa, atque superba Babylon, hoc est idololatria, erat evertenda, quam populorum superstitio, ut ita dicam, tamquam insuperabile propugnaculum protegebat; de seniorum sinu patrum suorum Dii erant evellendi, Matres a filiabus, Principes a subditis separandi; eradicandæ stirpitus opiniones, quæ tot sæculorum spatio inoleverant morum corruptione, quam probabant, confirmatæ; Imperatorum capita demittenda erant, pseudo-sapientum superbia conterenda, perdenda, ut Sanctus Paulus ait, scientia philosophorum, ac totius terræ facies mutanda; sapientes insaniæ, docti inscitiæ, populi superstitionis nomine redarguendi; & JESU CHRISTI Crux extollenda super ruina omnium numinum quæ eidem erant opposita; & quoniam post deletum Dæmonis imperium veri Dei imperium erat constituendum; opus erat ut magni hujus ædificii extructores altera quidem manu demolirentur, altera ædificarent: ut acceptos, gratosque errores evertentes inaudita dogmata constituerent, quæ in speciem æque rationi opposita videbantur, ac re ipsa affectibus erant; ut pro fundamento nova Religionis posita Dei crucifixi fide, tenerentur mortales amplecti doctrinam illius, qui mortificationem, severitatem, passionem, suique abnegationem tantummodo prædicabat. Hæc illa est Religio, quam institui oportebat: hæccine cogitatio in hominis mentem cadere poterat? nonne Deum esse oportebat, ut illam conciperet? *Desumptum ex specimine sermonum pro Adventu, impius coram Deo confusus*.

Eligamus, inquit Sanctus Augustinus, aliquem politicum insignem, & aliquod eximium ingenium a quo delineetur illius Religionis systema, cui omnes homines sese subjicere debent. Ethnica Religio jam viget; eaque evertenda est, ac opponendum vallum torrenti idololatriæ, qui jam universum terrarum orbem inundat: prosternenda sunt Idola, eorumque delubra, totusque mundus, & spiritu, & vita mutandus est. Religionis hujus ideam desumamus ex his verbis capitis primi S. Joannis; *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est*; omnis enim Religio in his verbis continetur. Quam miræ, inauditæque veritates, ut tamquam fundamentum substernantur Religioni novæ, quæ alioquin omnibus naturæ studiis penitus adversatur! Attamen Religionis hujus adeo incredibilis, adeo inauditæ, asperæque institutio opus est duodecim hominum rudium, pauperum, sine vi, sine potestate, sine arte, sine eloquentia, sine pecunia, qui calumniis petiti, cruciatibus torti, atque ad necem accersiti ubicumque doctrinam hanc prædicare conantur. Qui duodecim his hominibus præest, non est Princeps aliquis majestate, ac potentia stipatus, sed ut, inquit S. Augustinus, robur suum non in ferro, & acinace, sed in turpissimo Crucis ligno constituit: *Domuit mundum, non ferro, sed ligno*. Hos duces, hos exercitus hic Rex gloriæ sibi delegit, ut pro Deo in Cœlo, ac in terra se traderet cognoscendum. Proh Deus, non digiti tui tantum caractetes palam in hoc opere impressi videntur; sed liquet omnine brachii tui robur adhibendum fuisse, ut eueres Israel de Ægyptiæ servitutis tyrannide, atque ut super idololatriæ ruinis Christianam Religionem statueres. *Fecit potentiam in brachio suo. Ibidem*.

Religio nostra sancta est, nosque ad sanctitatem adducit.

Lex Domini immaculata convertens animas, *Psalm.* 18. Religiones aliæ non habent virtutem efficiendi Sanctos; hæc Christianæ Religionis virtus unice est, & hæc de causa Deus illam instituit. In primorum Christi Fidelium Apologiis legimus, quid ipsi erant, & quid nos esse debeamus. Ethnici non aliam validiorem inveniebant rationem, ut converterentur, quam testimonium quod primorum Fidelium sanctitas Religionis suæ veritati perhibebat; sed hæc Religio tantum ab illis dedecore afficitur, qui illius leges infringunt, quantum ab iis commendatur, qui easdem sequuntur. Itaque illius negotium in manibus nostris est, nos illius sumus sequestres. Quæ unquam validior ratio vos ad sanctitatem excitare potest, quam cogitare in vestra potestate esse Religionem vel gloria, vel probro afficere? Hac ratione Sanctus Paulus utebatur, ut primos Christianos ad legem summa fide servandam hortaretur. *Ut Verbum Dei non scandalizetur in vobis. Idem*.

Post tot credibilitatis rationes, seriasque considerationes de Religionis nostræ veritate perhorrescamus nequissimum illud systema Religionis, quod omnes approbans, nullam profitetur. Nefarium impietatis inventum, quæ in flagitiis funestam sibi comparare tranquillitatem conatur! Personatus Atheismus, sub quo impii quamplurimi secretæ apostasiæ, in quam sua scelera præcipites illos dederunt, honorem abscondunt &c. *Idem*.

Christiana Religio omnium difficillima erat ad instituendū.

Christiana Religio proculdubio omnium erat difficillima, quæ institueretur; ibi enim nihil sensibus blanditur, omnia supra hominem posita sunt. Ad examen voco omnes terræ Religiones, vel potius opiniones omnes, quæ Religionis locum tenent; Deistas video sese Dei unius cultui subjicere: ut hoc probent, sufficit simplicem rationem consulere quæ nihil ultra docet; humanum principium. Intueor Atheos Deum esse negantes; ut huc procedant, satis est fallacibus sese tradere corruptæ rationis subtilitatibus; humanum principium. Video Idololatriam pluribus sæculis dominantem, omnia licet rationis lumina oppositum afferant; sed video simul nequissimam licentiam, affectionum corruptionem fictorum numinum exemplo probatam; humanum principium. Video mundi partem Mahometismo subjectam; sed video Mahometum validis exercitibus imperantem, & populorum ignorantia, & infirmitate abutentem, ut armorum vi Alcoranum illis imponat, eisque auferens libertatem, fidem ipsam evellat; humanum principium. Christiana Religio sola est, quin arte, vi, illecebris utatur, instituitur tamen, augetur, confirmatur. *Liber cui titulus, Actiones Chretiennes, Paneg. de S. Francisco Xaverio*.

Duæ tantum Religiones in terris JESU CHRISTI adventum præcesserunt; illa videlicet veri Dei, quam Israelitæ profitebantur, & altera fictorum Numinum, quam Ethnici sequebantur. Attamen utraque a Salvatore nostro impugnanda, expugnandaque erat, ut in utriusque ruina suam constitueret. Quomodo autem hoc facere potuisset, nisi fuisset Deus? Omnipotens Deus, qui Moysis Religionem statuerat, Judæorumque fidem protexerat, tot licet conatus terræ principes ad eam delendam exercuissent, passus ne fuisset, hanc a JESU deleri, sacrificium, in quo Religionis summa est, ab eodem mutari, & legales cæremonias, quæ verbis explicitis in Dei lege irrogatæ fuerant, ab ipso abrogari? Quis mutare potest, quod maxime essentiale a Deo institutum est in Religione, qua se coli cupit, nisi ipse Deus? Id autem præstitit JESUS CHRISTUS, & Omnipotens Deus, qui hanc Religionem instituerat, eamdem insignibus miraculis comprobavit; & Judaica Religio JESU CHRISTI auctoritate in Christianam est immutata. Fallacium porro Deorum religionem quomodo idem ille potuisset evertere, nisi Deus fuisset? Quandoquidem inferorum, dæmonumque potestate fulciebatur, & nitebatur omnium Principum,

qui tunc imperitabant, auctoritati; cum universus pæne terrarum orbis eo zelo, quo Religione flagramus, Idolorum superstitioni adhæreret. Quomodonam JESUS CHRISTUS, qui infirmus homo videbatur, fortior inferno, omnibusque Imperiis fuisset, fortior innumerabili Idololatrarum multitudine, ut ex eorum corde eam, quam unice amabant, religionem convelleret, efficeretque, ut alteram, a qua prorsus abhorrebant, amplecterentur? Quanam ratione magnum hoc opus perfecisset homo, nisi Deus omnipotens extitisset. *Pater de Argentano Capuccinus in Collationibus Theologicis. Collatione 3.*

De Christianæ Religionis disciplina.

Morum disciplina, cujus auctor est ipse meæ Religionis Institutor, palam adeo secum gerit Divinitatis caracterem, ut Ethnici quoque hanc super homines esse fateri teneantur. Nihil hac purius, nihil sanctius, nihil aptius ad homines efficiendos justos, modestos, tranquillos, contentos, pacatos, & aliorum egestatibus fautores; nihil accommodatius, ut verbo complectar omnia, ad eos perfectos, beatosque efficiendos, quam Evangelii præcepta. *Pater d'Orleans. Sermone de Religione.*

Deus unus operari potest miracula; natura certas leges habet, quas illius auctor unus prætergredi potest. Quæ autem miraculorum genera in fidei meæ gratiam, atque confirmationem patrata non sunt? Hæc quidem nos ipsi non vidimus; sed ita certos testes habemus, ut nemo possit ambigere quin omnes prudentiæ, atque rationis leges offendat: Testes sapientes, doctos, quorum intererat non falli; testes, qui antequam viderent, ea horrebant, quæ erant visuri, testes numero propemodum infiniti, ex omnibus gentibus, ex omnibus sectis, ex omni Spiritus caractere: testes, quorum plerique mortui sunt, ut eorum, quæ testati sunt, veritatem confirmarent, & quos sævissimi cruciatus de sententia dejicere non valuerunt. *Idem.*

Eorum, qui Christianam Religionem receperunt, qualitas illius veritatem ostendit.

Religio nequaquam invecta fuit per populorum simplicitatem. Aliqua hujus rei species adfuisset, si primum apud gentes barbaras prædicari incœpisset, vel si barbari tantum JESU CHRISTI sacris fuissent initiati; sed quinam ex omnibus populis primi Evangelium recepere? Judæi sane, Græci, Romani; sapientiores, cultioresque mentes, sublimiora ingenia sibi honori verterent, si illius non discipuli tantum essent, sed Martyres, atque propugnatores. Porticus, & Lyceum intra trium vel quatuor sæculorum spatium omnino deserta fuere hominibus doctis: & pudore suffusi sunt Ethnici videntes, eam Religionem, quam stultitiæ nomine insimulaverant, omnium Sapientum suorum fieri Religionem. *Idem.*

Apostoli sine studio, sine arte, sine eloquentia vicerunt Doctos, ac persuaserunt Oratores. Infirmi, inermes, imbecilles Mundi Magistros subegere, atque, ut Sanctus Leo inquit, Crucem super Cæsarum frontem tulere. Frustra fœdus ineunt contra illos inferi, frustra terræ principes ad eos evertendos conjurarunt, frustra nationes veteribus superstitionibus suis mordicus inhærentes illos Idolis suis mactare sibi Religioni verterunt. Tot licet fœdera, & conatus obsisterent, Mundus Christianus factus est; quanam vero virtute? nisi ea, quam brachium Omnipotentis iis, quibus utitur instrumentis impertit? Quid opponere possunt Increduli? Negare historias, facta, miracula, quibus Fidei nostræ veritatem probamus: minus recto sensui hoc opponeretur, quam negare nullum unquam fuisse Persarum, Græcorum, Romanorum imperium. Nemo unquam mendacii eos coarguit, qui horum populorum monumenta litteris mandarunt; & minus tamen a fide abhorreret, asserere, Romanos ideo crevisse, quia de Cœlo pluerunt, quam affirmare, Evangelium, & Apostolorum scripta, ubi ea continentur miracula, quibus fides nostra probatur, fictiones esse adinventas, ut credulis os sublinatur. *Idem.*

Non minus gloriosum est Religioni ab impiis impugnari, quam a bonis recipi.

Tamquam problema proponi potest, utrum Christianæ fidei majorem honorem afferat; vel ab iis recipi, qui illam sequuntur, vel ab iis impugnari, qui illam rejiciunt. Si Religioni gloriosum est, quod eidem sese dederint tot animæ innocuæ, mundæ, castæ, temperantes, & æquæ; minus gloriosum non est, corruptos homines, nefarios, obscœnarum voluptatum sordibus coinquinatos contra illius præcepta insurgere, ac sese fidei non submittere. Impii enim homines sunt, qui in Religionis principiis innutriti, tunc solum de illis dubitare voluerunt, cum vitiis sese mancipaiunt. Impius homo est qui dubitare vult, & dubitare de Religione sua non ut aliam, quæ sibi tutior, atque perfectior videatur, ad examen vocet, sed ut de suæ veritate tantummodo dubitet. *Idem.*

Cogitate, si vobis lubet, gravissimam illam confusionem, quæ circa Religionem grassabatur, cum Dei Filius factus est homo; nulla erat, vel in Cœlo, vel in terra creata res a summo ad imum, cui alicubi extructa non essent delubra, & altaria. Ibi Sol adoratur, hic Luna; alibi homo, mulier, puer. Non desunt regiones, ubi animantibus brutis thus adoletur, aliisque Diis sacrificatur. Non desunt, ubi insecta quoque humi repentia super aras statuuntur; populus hic genua flectit arbori, ille cepæ; alius colit phantasma, quod sua imaginatio in somnis effinxit: & sunt gentes, quæ hæc omnia simul inania numina venerantur; & sectæ sunt, quæ nullum eorum agnoscunt: alii sibi integrum esse putant Deos sibi constituere et omnia, quæ amant; alii hoc sibi atrogant, ut Deos antiquos, quorum contenti non sunt, penitus tollant. Demum dici non potest quousque errores increverint; quot populi, quot provinciæ, quot urbes, tot sunt numina, tot religiones. *P. de la Colombiere, sermone 43.*

Insurgant omnes Athei, flagitiosi omnes, omnes Hæretici in fidem meam, hoc argumentum omnia eorum sophismata diluit, eaque in nostram utilitatem retorquet: Sexcentas invenistis rationes, quæ præcipua mysteria nostra impugnare videntur; attamen licet hæ omnes rationes obsisterent, mysteria hæc credita fuere, omnis Terrarum orbis ea veneratus est; dicendum igitur necessario, vel omnes homines fuisse deceptos, quod ne cogitari quidem citra dementiam potest, vel fuisse illuminatos ratione plusquam humana, & virtutem supernaturalem eos quodammodo coegisse, ut sese illis submitterent. Itaque difficultates omnes, quæ deterrent incredulos, absurda omnia, quæ in Fidei doctrina se detegere existimant, quidquid contradictorium sese ibi invenire arbitrantur, quidquid illis novum, mirum, impossibile, & sensui communi contrarium; validissima ipsorum argumenta, demonstrationes, quas prætexunt; hæc omnia quin fidem meam concutiant, me in eadem confirmant, & inconcussum efficiunt. Omnes hæ difficultates non obstiterunt, quominus Religio institueretur, & ab omnibus populis pro vera Religione agnosceretur. Immo hanc illi etiam amplexi sunt, qui hæc ipsa objecerant argumenta, ac præ cæteris illorum vim exploratam habebant. *Idem.*

Quanam erat difficultas in Christiana Religione instituenda.

Quisnam putasset in mundum tot sceleribus coinquinatum, atque corruptum tantam invehi posse reformationem? Potiusquam homines ad hanc mutationem traducerentur, nonne illis natura mutanda esset? Hæc tamen mutatio in ictu oculi pœne perfecta est. Christianismus cum duris legibus suis receptus fuit a populis, qui præ cæteris voluptatibus erant mancipati, molles, superbi, indociles, brutis similes. Hæc præcepta, quæ Christianis improbis videntur impossibilia, recepta fuerunt a Romanis, Græcis, Scythis, Persis, Indis, Ægyptiis, Americanis. Hos disciplinæ severitas non deterruit; hæc non prohibuit, quominus bonorum, vitæque suæ impendio Salvatoris fidem amplecterentur. *Idem.*

Annales nostri pleni sunt miraculis, quæ Gentilium conversionem sunt operata; occurrunt ubique morborum curationes, mortuorum resurrectiones, procellæ vel excitatæ, vel sedatæ ad nutum Apostolorum: Lingua una, eademque a plurimis diversis populis intelligitur, oracula ad Evangelici Præconis adventum obmutescunt, Dæmones JESU CHRISTI nomine e corporibus expelluntur; idola, ipsaque fana ad simplicis Christicolæ preces corruunt, famelici leones Martyribus sibi in prædam projectis abstinent, ignis Virginibus parcit, Ethnicosque absumit, qui illum incenderunt &c. Hoc, Auditores, mortales coegit id credere, quod credimus: hæc sunt argumenta, quibus Infideles victi, & ad fidem conversi sunt. *Idem.*

Persecutiones in Christianam Religionem obortæ.

Simulac Religio hæc in terris apparuit, mundus universus ad eam evertendam insurrexit. Undique, tanquam ad ignem conclamatum est; ubique Sanguinis flumina fluxere ad extinguendam scintillam hanc, de JESU CHRISTI cineribus quodammodo prodeuntem: ignis etiam in quatuor terrarum angulis accensus est. Prioribus duobus Ecclesiæ sæculis quatuordecim insignes persecutiones numerat S. Augustinus; quarum unam illa a Judæis, decem a Romanis Imperatoribus, aliam sub Valente, ac novissimam in Perside sub Sapore Rege perpessa est: hoc est ducentorum annorum tempore, atque ultra quicumque cupiebat JESU CHRISTI fidem amplecti, periculum subire debebat jacturam faciendi honorum, bonorum, libertatis, & vitæ. *Idem.*

Si in fide decepti essemus, coram Deo excusati.

Cum prodibo coram Deo, si, quod fieri nequaquam potest, in Religionis electione fuissem deceptus, cum Sancto viro illi dicerem, ipsum talem veritatis caracterem fidei nostræ, atque adeo apertas certitudinis mysteriorum, quæ revelavit, notas dedisse, ut si deceptus fuerim, me ille deceperit: *Domine, si decepti sumus, a te decepti sumus.* Ad hæc, o Deus, si deceptus fui, ideo deceptus, ut tibi placerem. Eos omnes intuitus sum, qui cultum tuum profitebantur, atque inter varia illius genera, illum optavi, qui mihi æquior, & sanctior est visus. Si in hac electione deceptus fui, non id accidit, ut meis blandirer affectibus; hæc enim una Religio eos annihilat, ipsosque internos motus evertit. Quænam ratio me ad id adigere potuisset, nisi ut tibi placerem? Bonorum amor? Religio tua hæc aspernatur; suadet etiam, ut ea relinquamus, & prohibet, ne illa affectione ulla prosequamur. Amor voluptatum has vetat; iis vero, quas permittit, angustissimos fines circumscribit. *Idem in Christianis considerationibus.*

Si Christianismus Apostolorum est opus, non Dei, fuit igitur in eorum potestate, eum sibi mitiorem efficere; sed tantum abest quod hæc ipsis mens fuerit, ut dici possit, ipsos id unum quæsivisse, ut Religionem inveherent totius mundi ingenio, ac studiis prorsus oppositam. Hæc neque libidinosis blanditur in voluptatibus, neque ambitiosis in honorum cupiditate, neque avaris in opum siti: dominantes etiam affectus comprimit, eosque deleri jubet, in hoc Mahometanæ Religioni opposita, quæ iisdem affectibus velificatur, atque ad id instituta fuisse videtur, ut homines in naturali corruptione confirmaret. Christianismus neque Judæorum ingenio, vel spei, neque Ethnicorum moribus sese accommodabat. *Liber, cui titulus, la Defense de la Religion Chrétienne contre le Deistes.*

De Fidei institutione, deque hujus operis magnitudine.

Si operis hujus magnitudinem ulterius scrutari vis, agitur de evertendo Dæmonis imperio, ac tyrannide, quam in animas exercet; imperio æque veteri ac terrarum orbe, & vetustate sua quotidie invalescente: agitur de libidine extinguenda, & de philaucia auferenda, ut charitas vigeat. Delubra, atque aræ, quæ Oratorum eloquentiæ, Philosophorum sapientia, Magistratuum politica, Regum auctoritate, Dæmonum potentia posita sunt, atque confirmata, sunt evertenda. Ignoto Deo adhibendi sunt honores, & cultus, quos plurium sæculorum præscriptione amiserat. Hoc JESUS CHRISTUS faciendum aggreditur. *P. Dozenne libro de JESU Divinitate.*

Ubi consideramus statum, in quo versabatur Mundus propter tumultus, atque dissensiones, quæ per Evangelii occasionem obortæ sunt, non aliam aptiorem ad has exhibendas imaginem nanciscimur, quam statum, in quo mundus aderat, cum adhuc omnia continerentur in Chaos. Terra erat informis, & vacua; vitæ principia ibi cum principiis mortis confligebant: lumen mixtum erat cum tenebris; ubique horror, ubique erat confusio. Sed Spiritus Dei movebatur super faciem abyssi, ac secundas causas præparabat, ut de tenebris lumen, de belli sinu pacem, & hunc terrarum Orbem adeo perfectum, & affabre conditum ex illa confusione, atque perturbatione deinceps educeret. Talis erat status, atque confusio, in qua mundus versabatur, ubi Evangelium cæpit prædicari: Lumen conflixit cum tenebris, vita cum morte commixta fuit, Cœlum cum terra pugnavit, ignis Spiritus Sancti cum carne, & Sanguine confusus fuit. Dissidia in familiis, in Regnis, in Rebus publicis oborta sunt; omnia susque deque perturbata fuisse videntur. *Liber, cui titulus, les Caracteres du Chretien.*

Persecutiones côtra primos Fideles, & Religionem.

Pater qui summa dilectione filium suum complectitur in filio, qui Christi fidem amplexus est, se videre putat filium, qui omnem naturæ sensum abjecit, servus, qui Dominum colebat, eique obtemperabat, non solum se putat solutum ab ea fide, quæ illi debetur, sed se ad eum prodendum teneri arbitratur; Principes, qui subditorum suorum tranquillitatem diligunt, Imperatores, qui lenitatis celebritate florent, majori cum hilaritate Fidelium cruorem effundunt; ita Principatus, qui sanctissimis conjuncti erant fœderibus, dissociantur; parentes, & filii, servi, ac Domini, Principes, ac subditi, magistratus, & populi abeunt in diversa. *Idem.*

Cogitate Christianos ubique fugientes, undique ejectos, exilii locum quærentes, ac nullibi invenientes. Illos ab hominum societate ejicere parum est; neque inter feras illis locus relinquitur. Ursi, nemorumque tigrides illis parcunt, sed homines illos ad supplicia conquirunt: omnis erga ipsos pietas in humano corde extincta est, & populus, qui non sine quodam miserationis sensu nocentissimum quemlibet torqueri videt, palam lætitiæ clamoribus, atque plausibus Fidelium cruciatus excipiunt. Ubique cruces attolluntur, ubique rotæ: ferreis ungulis laniantur artus, igni absumuntur, & longa tormentorum serie conficiuntur, cum corporum membra alia post alia supplicio afficiuntur. Vitæ, quæ supersunt, momenta cum crudelitate servantur; illique suppliciis subtrahuntur, ut in theatris populo spectaculo sint, atque solatio. Eorum dilaniata corpora feris objiciuntur. *Idem.*

Extant adhuc increduli homines, qui post ea omnia adimpleta, quæ fuerant prædicta, post agnitam consummationem Mysteriorum Christi, Evangelii præstantiam, donorum manifestationem, præceptorum sapientiam, pomparum sæculi vanitatem, Idolorum eversionem, potentiæ Cæsarum confusionem, omnesque etiam totius mundi conatus adversus illud, dubitant adhuc de Religionis veritate, nova adhuc quærunt prodigia, & soli iis adversarii audent, quæ Apostolici labores instituerunt, quæ tot Concionatorum prudentia auxit, quæ tot miracula confirmarunt, quæ tot Virginum puritas decoravit, quæ tot Anachoretarum austeritates signarunt, quæ Sacrificium, atque contemptus tot servorum JESU CHRISTI probarunt, quæ tot summorum virorum exempla docuerunt; quæ denique septemdecim deinceps sæculorum semper eadem, ac sibi constans, necnon ab omnibus populis universe accepta Religio probavit? Etenim inter Religionis triumphos clanculum insurgunt adhuc

adhuc filii rebellionis, quos tradidit Dominus stultarum cogitationum suarum vanitati, rationis suæ errori, & sensuum corruptioni, qui blasphemant, quod ignorant, qui negant, quod non intelligunt, homines impii, qui Dei gratiam in mundanos afflatus, ejusque lumen convertunt in tenebras; homines rebelles, qui omnem dominationem contemnunt, qui omnem præter suam auctoritatem rejiciunt, qui vias suas omnes corrumpunt tamquam animalia ratione carentia; & qui reservantur, ut aliquando justo Dei Judicio blasphemiarum suarum pœnas patiantur. *Ex Manuscripto sermone de Religione, qui P. Massillon esse fertur.*

Lex, & Religio Jesu Christi totum mundum subegit.

JESU CHRISTI lex omnem terrarum orbem invenit docilem, & præceptis suis obtemperantem, Cæsares, quibus voluptates interdicebat, populos, quibus præcipiebat obedientiam, ambitiosos, quibus prædicabat humilitatem, molles, quibus annunciabat passiones; divites, quibus divitiarum contemptum imperabat, pauperes, quos suam amare paupertatem jubebat, omnes homines, quibus mortificationem, pœnitentiam, sui ipsius abnegationem irrogabat. Hæc tamen Fides, & Religio a duodecim Piscatoribus scientia, auctoritate, præsidio, gratia destitutis prædicata universum terrarum Orbem subegit, qui incomprehensibilia ipsius Mysteria suscepit; atque nunc Crucis stultitia in ipsius Mundi oculis sapientior fuit, quam omnis fæculi sapientia. Omnia contra ipsam insurgunt, omnia tamen ad ejusdem incrementum inserviunt. Fidelem esse, ac Martyrem idem erat, & quo violentiores erant persecutiones, quas patiabatur, eo magis virtus illius invalescebat, & Martyrum Sanguis fœcundum Christi fidelium semen fiebat. *Idem*.

Quantumvis parum dispositi sunt fideles, ut Mysteriis Religionis nostræ afficerentur, numquam ab eorum consideratione cessarent. Omnia ibi magna sunt, sublimia, vera, mira, insignia; & sedula consideratio ibi plura nova deprehenderet, quæ grati animi sensum, æmulationem, magnanimitatem, feræ gloriæ amorem excitarent. Deus nascens, vivens & moriens; Nobiles viri Anachoretæ facti, Martyres inter flammas canentes, mortui suscitati, Piscatores Apostoli, ac universam terram subigentes, cujusvis generis miracula, ab omni hominum genere patrata, Prophetiæ ac mirabilium eventuum multitudine probatæ, &c. Hæc spectacula sunt, quæ non imponunt rationi fictione, simulatione, episodiis de industria conquisitis, meditatisque nodorum solutionibus. *Liber cui titulus: Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale Tomo 2.*

Præcipit Christiana Religio, ut essentialia, quæ continet, mysteria, ab omnibus agnoscantur; auctoritate sua constituit Doctores, a quibus explicentur, qui eorum principia, atque effectus scrutentur; placet ipsi, tunc tandem se recipi, ubi rationibus ad eam recipiendam fueris adactus; permittit, ut de veritate sua disceptetur, & ad examen vocetur vis objectionum, quæ illi possunt opponi. Verum est, ab ipsa intellectus nostri, nostræque voluntatis submissionem peti, sed prudentem, illuminatamque petit submissionem. Non offenditur ratio iis, quæ sibi obscura exhibentur: e contra fatetur tenebrarum suarum necessitatem, neque dubitare potest de objecto, quod illis absconditur. Mysteria hæc adorabilia videntur; illum honorant, qui humili cum docilitate sese illis submittit. Nihil ibi non purum est, non sublime, non admirabile, & mentem tanta suavitate, quanta securitate subjiciunt. Religiones aliæ subsistere nequeunt quin sectatorum suorum inscitiam, ac infirmitatem illudant. *Idem*.

Christiana Religio nullum scelus pati potest.

Legislatores alii præcepta sua Religioni accommodarunt, & quemadmodum Religiones diversæ, quæ fuerunt hodieque sunt, non easdem habent cæremonias, eumdemque cultum, ita neque eamdem habent morum disciplinam, si tollas præcepta quædam, quæ natura sola nos docet; quibus etiam aberrarunt pro affectuum arbitrio, qui majus, minusve in eorum mentes obtinebant imperium. Una Christiana lex sine ulla exceptione omnia prohibet scelera, absolutam, ac universalem præcipit sanctitatem, in sectatoribus suis puritatem, atque integritatem sine macula efflagitat. Deus, quem illa colit, perfectam, atque infinitam habet sanctitatem, quæ nihil pati eorum potest, quæ damnat necessario. Nonne hoc plane probat ab ipsa una veritatem doceri? Inter virtutem, ac veritatem indissolubilis nexus est: potest quidem error cum vitio, & vitium cum errore sociari: at Religio nihil pravum, nihil falsum ferre potest. Christiana lex sanctitatem suam longius provehit, & viam ad malum in ipsa statim origine intercidit: Fidelis quippe jubetur seipsum interius regere, cogitationes suas, desideria, spes, metus, affectiones, & odia compescere. *Idem*.

O cogitationem terribilem! Juxta Religionis meæ instituta judicabor. O Fideles, hoc magnum est, ejusque vim omnem, quanta est, assequamur. Me mea Religio judicabit; Religio hæc adeo sancta, pura, irreprehensibilis, hæc Religio adeo amoris proprii inimica, adeo meis studiis opposita, adeo contraria spiritui hujus fæculi, quo repletus sum, hæc Religio in præceptis suis æque severa, ac Deus in judiciis suis; vel potius cujus præcepta non aliud sunt, quam Dei ipsius judicium. Ad illius lucernam de æternitate sortis meæ Deus judicium feret: circa illam vitæ meæ examen versabitur: mihi non erit integrum recusare illam, neque mihi jus erit poscendi, ut actiones meæ aliis ponderentur lancibus, neque aliis inniti potero principiis vitæ meæ rationem probaturus. Quamcumque Deo afferam excusationem, ille me semper ad Religionem hanc revocabit, cogetque me rationem reddere juxta eos omnes articulos, quos docuit; neque vel unus erit, quod minime fiat, districti judicii argumentum. Ad illud igitur, quod aliquando fiet, effugiendum, modo præoccupemus, & nos ipsi judicium feramus. *P. Girouft Tomo 1.*

Difficultas efficiendi, ut Christianæ Religionis præcepta reciperentur.

Neque difficultas efficiendi, ut Christianæ Religionis præcepta reciperentur, levior erat, quam ut crederentur mysteria. Nunc enim cum nobis jam probata sint illius dogmata, & perspectæ sint omnes illius veritates, si vix illa gustare, & has credere possumus, & vix nosmet illis subjicere; quid igitur erat hæc ipsa in Herodum, & Neronum aulis prædicare? in Synagogis Judæorum, in Philosophorum Accademiis, in Athenarum Areopago, ubi hæc dogmata in horrore habebantur, & ubi nonnisi dementiæ, atque furoris accusari poterant illi, a quibus prædicabantur? Quis tunc credidisset futurum fuisse, ut hæ ipsæ veritates in honore haberentur, nec defuturos ex omni ætate, conditione, & sexu, qui eas amplecterentur, & qui pro illis propugnandis mortem oppeterent? Hoc accidit tamen; ac inde inferendum est, in Religione nostra nihil non divinum inveniri. *Desumptum ex sermone manuscripto de Religione, qui P. de la Rue esse putatur.*

Cum video Petrum Romam, & Optimatum ædes ingressum, alienigenam, ignotum, nulla natali gratia commendatum, sine amicis, sine eloquentia, sine libris, sine pecunia, sine patrono; illius admiror audaciam, & si ex eo quæro, quo erat, quid contendat, quid ille mihi respondet? Eo, inquit, idolorum templa eversurus, omnem Mundi Religionem immutaturus, Ethnicam superstitionem sublaturus, atque JESU CHRISTI Crucem in Regum, Cæsarumque capite positurus. Quæ chimæra! quæ visio! Attamen aliquot annis post video hæc templa eversa, hæc idola attrita, hanc superstitionem sublatam, Crucem hanc in Regum, Cæsarumque capite positam. Hæccine est humanæ politicæ effectus? Haud ita

sane;

fine; neque esse potest nisi effectus Omnipotentiæ Dei, & caracter veritatis, atque præstantiæ nostræ Religionis. *Idem*.

Christiana Religio non est politicæ inventum.

Nequeo facere, quin exardescam indignatione contra impios, & hos spiritus fortes, qui Christianam Religionem tamquam politicæ inventum aliquod putant, ad populos in officio continendos. Verùm quidem est ex omnibus sectis nullam esse, ubi melius servetur politicæ ratio, ubi Principibus fidelius serviatur, ubi omnes æquitatis, & humanitatis leges diligentius observentur, quàm in nostra, quemadmodum olim Idolorum cultoribus Tertullianus ajebat: sed peccare est contra omnia rationis præcepta, putare hujusmodi homines, quales Apostolos scimus fuisse, sine potestate, sine literis, sine scientia, sine opibus, sine præsidio, eam instituere potuisse contra Politicorum sapientiam, sæculi mollitiem, Tyrannorumque furorem. Nequaquam, inquit Minutius Felix; hoc fieri non potuit; sed suprema tantum mens hoc opus ad finem adducere potuit. *Idem*.

Difficultates, dubitationes, eæ, quæ in speciem contradictiones videbantur, & fallaces argumentationes nihil de veritate Ecclesiæ, & Christianæ Religionis veritate imminuerunt; ejus vero fidem post tot sæcula in corde vestro imminuent post constantium, unanimemque consensum præclarissimorum hujus mundi ingeniorum? Quæ insania? Impiorum, atque Atheorum, non autem sapientum sententiæ adhærebo? Ignotæ auctoritati, fallacibusque argumentis acquiescam; neque credam Miraculis, & doctrinæ Filii Dei? *Idem*.

Credibilitatis argumentum desumptum ex mutatione Religionis in toto mundo.

Hoc factum est, de quo dubitare nemo potest, ante Christianam Religionem populos omnes, præter Judæos, fuisse idololatras. Alterum vero est nihil minus constans, quandoquidem oculi ad hanc quoque diem testes sunt, populos his Religionem immutasse, & ex infidelibus factos fuisse fideles: nihil ultra requiritur, ut miracula plane probentur. Tandem enim quomodo fieri potuit tot nationum tanta immutatio, nisi maxima miraculorum copia naturam excedentium, & novam doctrinam, quæ prædicabatur, probantium? Numquid tot hominum myriades pro pueris erunt habendi, quorum mens pro libidine versaretur, & qui ad minimam rationem Religionem mutarent? Numquid stupidi erunt existimandi, qui oculos sibi fascinari paterentur, & sine discretione id crederet, quidquid sibi ingereretur? Ut hæc penitus auferatur suspicio, satis est in historiarum monumentis inauditos perlegere impetus, insanasque persecutiones, quas populi exercuerunt prohibituri, ne sibi ab Evangelii præconibus errores sui convellerentur; & fatebitur quisque, illos sese post tot certamina victos dedisse, eo quod miraculorum vi victi fuissent. *P. Maudit Tractatu de Religione contra Atheos*.

Adhucne Apostoli ambitiosi, dolosique homines fuisse existimabuntur, qui voluptatem perciperent homines decipiendo, & qui sævissimas subite mortes mallent, quam eorum, quæ semel pronunciaverant, palinodiam canerent? Ad id opus fuisset, ut duodecim pauperes Piscatores consilium inire potuissent fabulas universo mundo venditandi, quin gravissimæ persecutiones, quæ ideo in ipsos excitabantur, illos de hac adeo insana mente dejicerent. Ostendendum esset, fieri potuisse, ut tot populi, quorum non intererat decipi, hunc errorem fuerint amplexi, ubi nihil lucrari poterant, immo vero sibi persecutiones conflare; illum cum ipso vitæ periculo, scriptis, laboribusque suis asseruerint, eumque nobis constanti traditione, quæ viget adhuc, tradiderint. *Idem*.

Contra incredulos qui tot testimoniis sese dedere nolunt.

Nisi miram habuerint arrogantiam, diabolicamque superbiam, quæ Christianam Religionem impugnantibus persuadet, ipsos solos intelligere, ac scire, negligerene possunt hanc testium catervam, ut nonnullorum auctoritatem, atque testimonium sequantur? Quinam igitur sunt, qui sententiam eorum propugnant? Doctorésne moribus irreprensibiles? Sanctine vitæ integritate laudabiles? Haud ita sane; homines sunt sine mente, sine studio solido, nequissimis abditi impudicitiis; hi sunt eorum Doctores, & Martyres. Sed in particulari fide sua parum adeo certi sunt, ut ubi aliqua urgeantur ærumna, vel mortem metuunt, sensus suos abjiciunt, palinodiam canunt, contremiscunt, ad mortis cogitationem fremunt, Sacerdotes accersunt, peccata sua confiteri conantur, & ex duobus hominum millibus, qui viventes, hos sensus secuti sunt, vix tres inveniuntur, qui in illis mori voluerint. *P. Texier in Impio calamitoso, Sermone de fide*.

Cum dicimur Miraculis Religionem nostram probari, hoc argumentum nonne validissimum est, atque invictum; quandoquidem in totius mundi luce facta sunt, & infestissimi Religionis nostræ inimici testes eorum fuere, vel illa in dubium accersere ausi non sunt? Eclypsis solis magna, ac terribilis, quæ Dei filio moriente contigit, sepulcra aperta, rupes ipsæ contritæ, quis hujusmodi testimonia non reveretur? Post hæc vero accusari potest Religio nostra mendacii, cum aperta adeo divinitatis auctores sui testimonia refulgeant? S. Lucas nonne loquitur de dono linguarum, cujus tot hominum millia, qui tunc Jerosolymis aderant, testes fuerunt irreprehensibiles? Aliquisne ausus est inquam hæc refellere testimonia? Quin immo in rectis omnibus reperiuntur, qui de horum miraculorum veritate consentiunt. Phlegon ex Græcis nonne meminit solaris Eclypsis, quæ in JESU CHRISTI morte accidit imperante Tiberio? ipsam etiam affert Olympiadem &c. *Desumptum ex manuscripto Sermone*.

Mundi conversio magnum est miraculum.

Ad hæc quomodonam mundus doctrinæ adeo miræ, atque inauditæ, qualem JESUS CHRISTUS docuerat, sese subjecit? Repetamus, si vobis lubet, sæcula beatis illis temporibus propiora; quomodonam tot mortales sine miraculorum vi converti potuere? Tot populi, diversæque gentes emergerent potuissent de errore, ut evangelicas veritates amplecterentur, nisi miracula eos de veritate persuasissent, nisi Apostoli potestatis Domini sui successores fuissent? Sin autem post has considerationes aliquis adeo perfrictæ frontis, & pertinax est, ut Religionis nostræ miracula inficietur, si reperiuntur adhuc Fideles, qui affirment, mundum sine miraculis potuisse converti, neget ille opus est maxime perspicuas, notasque veritates, inquit S. Augustinus. Omnes hi flagitiosi homines, & qui se spiritus fortes ferunt, credere tenentur mundum, vel non fuisse conversum, vel per miracula conversum fuisse. *Idem*.

Dei Filius Piscatores elegit rudes, indoctosque, ut Ecclesiæ, & Religionis suæ primi essent conditores: Christianismum ex quadam veluti nihili specie voluit educere? & quemadmodum ad potentiam suam ostendendam mundum de nihilo eduxit, quin ulla materia præexisteret, voluitque ut sydera sua invenirent incunabula in abyssis, quæ creaturarum efformationi magis videbantur oppositæ; ita ad ostendendum legem, Religionemque suam opus esse divinum, & illius institutioni humanam industriam nihil prorsus contulisse, voluit, ut quidquid infirmitatis, egestatis, & inscitiæ erat, illustri huic facinori orsa præberet. Poterat quidem eligere Philosophos, atque Oratores, qui operis hujus duces essent; eligere poterat Imperatores, qui sua auctoritate opus illud tuerentur; attamen ut sibi uni accepta referretur tanti operis gloria, id elegit, quod indoctius, & infirmius erat, ne sæculari potestati, vel mundanæ sapientiæ ratiocinationi nitidior gratiæ suæ effectus tribueretur. Sed ubi nullum amplius periculum adfuit, ne hujusmodi suspicio oboriretur, & hoc ædificium fundamentum suis constanter incumbens neque fulmina, neque procellas metuebat, interfuit gloriæ Filii Dei, & Ecclesiæ ipsius videre

dere Imperatores ad paupertimi piscatoris tumulum in genua procumbere, atque inclinato sceptro, oculisque lacrymarum imbre madentibus illius opem implorare. *P. Tomassinus Sacerdos Oratorii in considerationibus, quas edidit in S. Augustini Confessiones.*

Veritas Religionis Christianæ, & argumenta illam probantia. Christianismus spiritum in perfecta tranquillitate debet statuere, cum videatur iis probatus argumentis, quæ ad veritatis alicujus probationem sunt necessaria. Ethicæ disciplinæ principia, spiritus hominis, libertas, conscientia, omnia cum revelatione conjunguntur. Cæterum veræ Religionis antiquitas; illius tot inter revolutiones duratio, dogmatum ejus sublimitas, Sanctitas legum, cultus integritas, Prophetiarum complementum, miraculorum numerus, & certitudo, Martyrum constantia, omnes hæ rationes ad idem centrum collimant, ac tanto fulgore collucent, ut qui oculos aperuerit, tanti luminis vim non percipere nequeat. Ita Religio numquid alicui obnoxia esset contradictioni, si speculativas tantummodo veritates edoceret; & spiritum nonne mysteriorum obscuritas deterreret? Systemata, quæ Religioni opponuntur, nonne tantum continent difficultatis, quantum illud incomprehensibile est, quod ab illa proponitur? Sed non sufficit illi mentem instruere, nisi cor etiam reformet; & operis hujus magnitudo affectus ipsos in illam inflammet. Hæc est incredulitatis origo; noxiæ voluptates relinqui non possunt, in sceleribus vita ducitur; hoc prohibet Religio, ideoque jugum gravissimum existimatur. *Desumptum ex Diario Trevultiano, mense Junio* 1706.

Quemadmodum Christiana Religio effecit, ut omnia faciem mutarent, videtur quoque effecisse, ut hominis natura mutaretur, ex quo Christianismus in universum terrarum orbem se effudit, Cum pleraque flagitia, quæ erant idololatriæ effectus, desiissent, genus humanum novam induit faciem; sed non extrinsecus tantum mira hæc accidit mutatio. Anima vix fidei sensus perceperat, cum jam alia a semetipsa fiebat, naturalia hominibus studia statim amittens; gloriam contemnebat, negligebat vitam, tantumque aberat, ut voluptatem amaret, quod ultro sese pœnitentis vitæ austeritatibus subjiciebat, ac sine metu, crudelissimæ mortis doloribus semet objiciebat. *Desumptum ex Collectione Orationum Accademiæ Gallicæ oblatarum anno* 1689, *Sermone* 2.

Fructus, & virtutes quas Christiana peperit Religio. Cum Mysteriorum fide præstantissimæ etiam virtutes, atque acerbissimæ austeritates sese in omnes terras effuderunt, easque Discipuli JESU CHRISTI in difficillimis viis secuti sunt. Quidlibet pro veritate pati familiaris fuit Fidelibus exercitatio, qui Salvatorem imitaturi majori cum ardore ad tormenta, quam alii ad delitias cucurrerunt. Recenseri minime possunt exempla divitum, qui pauperes effecti sunt, ut pauperibus opitularentur; neque pauperum, qui paupertatem opibus prætulerunt; neque Virginum, quæ in terris Angelicam vitam imitatæ sunt, neque Pastorum summa charitate flagrantium, qui omnibus omnia facti semper parati fuere ut pro ovibus suis non vigilias, laboresque solum, sed ipsam etiam vitam impenderent. S. Joannis Baptistæ vita, quæ Judæis adeo mira videbatur, inter fideles facta est communis; deserta frequentia facta sunt imitatoribus ejus. *Bossuet Sermone in Historiam naturalem.*

Inaudita celeritas, qua Christiana Religio tantam in universo terrarum orbe peperit mutationem, apertissimum miraculum est. Prædixerat JESUS CHRISTUS futurum ut Evangelium suum quam primum in universo mundo prædicaretur; hoc miraculum statim post mortem illius debebat accidere, dixeratque se, cum sublatus fuisset a terra, hoc est, eum cruci fuisset affixus, omnia ad se fuisse pertracturum. Apostoli nondum suum cursum absolverant, & S. Paulus Romanis dicebat Christi fidem jam in omnes terras fuisse annuntiatam; & ad Colossenses Sermonem habens affirmabat Evangelium jam ab omni creatura, quæ sub Cælo erat, annuntiari, prædicari, fructum ferre, & crescere in universo Mundo. Constans docet traditio D. Thomam Indis, alios vero aliis remotissimis regionibus prædicasse. Sed ad veritatem hanc probandam historiarum luce opus non est; ipse loquitur effectus & liquet jure a S. Paulo Apostolis applicari eum Psalmistæ locum: *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sub eorum vero Discipulis nulla tam dissita, longinqua & ignota regio erat, quo non pervasisset Evangelium. *Idem.*

Constantia, quam persuasio de Christianæ Religionis Veritatibus primis Fidelibus infudit. Christiana Religio vim, robur, virtutemque infudit illis, qui fidem amplexi sunt, contra Tyrannorum violentiam, Populorum conjuratio, Imperatorum edicta, tormenta, quæ illis præparabantur, sævissimæ torturæ, quibus nulla hominum patientia resistere posse existimabatur, flammæ, equulei, & quæcumque supplicia mortalium, dæmonumque ars potuit excogitare, nihil profecerunt, nisi ut eos in certaminibus magis invictos præberent, triumphorumque suorum gloriam augerent. Omnium harum victoriarum causa ea fuit, quod cum ipsis persuasum esset de Christianæ Religionis veritatibus, illos contempserunt, qui, ut ait JESUS CHRISTUS, corpus quidem occidere poterant, animam vero non item. Sciebant exteriora quæcumque mala cujuslibet generis illa sint, non admodum esse diuturna, præmia vero illorum, qui hæc paterentur pro Fide, æterna futura. *Abbas Trappensis in Moralibus Considerationibus in S. Matthæum.*

Non deest, unde pertinacissimorum hominum incredulitatem confundere valeamus, & nescio quænam anima adeo dura esse possit, ut resistere queat, ubi cogitet, Deum id opus suscepisse peragendum, quo nullum umquam magis tentatum fuit, & ad illud perficiendum usum esse iis hominibus, qui maxime impares, & inepti videbantur, & quibus deerant prima principia, primaque elementa hujus virtutis, sapientiæ, intelligentiæ, cæterarumque qualitatum, sine quibus suscepti operis conatus ad finem referri, posse minime videbatur. Prodigium hoc est, Domine, a te eadem potestate patratum, qua cæcis oculorum aciem reddidisti, dæmones ejecisti, tempestates sedasti, morbos curasti, ac demum ad vitam eos revocasti, qui eamdem amiserant, ipsosque mortuos de Sepulcris excitasti. *Filii hominum*, facere nequeo, quin cum Propheta exclamem, *usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Usquequo incredulos vosmet præbebitis tot miraculis? usquequo vos falli patiemini vanitate cogitationum vestrarum? usquequo veritatem relinquetis, ut mendacium sequamini? usquequo argumentationum vestrarum infirmitatem sapientiæ, & virtuti Divinæ censebitis anteferendam? *Idem.*

SUPPLEMENTUM.

Religionis Christianæ admirabilis institutio. QUanam de re agebatur, lectissimi Auditores, cum JESUS CHRISTUS sese Mundo prodere voluit? Venit legem prorsus novam prædicaturus. Quid autem contendebat? Nil aliud, nisi mundum prorsus renovare; nisi vetustissimas in hominum memoria superstitiones abolere, in quibus populi omnem felicitatem suam sitam esse arbitrabantur, quas tamquam Patrum suorum hæreditatem sartam, tectamque servabant, pro quibus ardentius, quam pro vita ipsa dimicabant, & quas rerum publicarum, ac ditionum fundamenta esse censebant. Convellendi ex eorum mentibus erant errores duo, quos omnium fere sæculorum auctoritas comprobaverat; quos omnium gentium confirmabant exempla, qui naturæ omnino favebant, & quorum possessio, nisi universus fere orbis susdeque turbaretur, deturbari non poterat. Hi erant evertendi; quid autem statuendum erat? Austera, & incommoda lex, cæca fides, religio omnibus

carnis

carnis cupiditatibus opposita. Quod opus? Quid autem facto erat opus, ut hæc in re omnia e sententia succederent? Oportebat omnibus terræ potestatibus, tamquam acerrimis hostibus obluctari, sapientiæ politicorum, auctoritati Principum, crudelitati Tyrannorum, zelo idololatrarum, Atheorum impietati. Si igitur, hac in re S. Augustinus interrogat, si JESUS CHRISTUS, antequam magno huic operi manum admoveret, cum eorum temporum philosophis consilium suum contulisset, ac illos ita fuisset allocutus: Volo, tot licet circumundique obices veterer, in mundo meam doctrinam statuere; volo hanc ab omnibus recipi; volo eam regnare, florere, ac in omnes terrarum plagas, quam latissime extendi: & quoniam Roma est terrarum omnium domina, ibi potissimum stat illam statuere. Celebrem & superbam Civitatem hanc in præsentiarum eligo, ut ibi religionis meæ centrum fiat, & quæ est sedes imperii, sit præcipua sedes Ecclesiæ meæ. Quid huic sermoni reddidisset, & de hoc operis prospectu dixisset sæculi Sapiens? Quod si adjecisset JESUS CHRISTUS ad hæc omnia adimplenda, se nequaquam uti velle iis adminiculis, quibus humana prudentia uti consuevit ad ea, quæ gravissima, & maxima sunt expedienda; se nequaquam in auctoritate, opibus, doctrina, eloquentia confidere, & ad summum se usurum opera duodecim piscatorum egenorum, illiteratorum, qui omnino scientia, ac præsidio carerent: Philosophus hic, nonne hoc dementiæ opus existimasset? Hoc tamen actum est, fratres optatissimi, & tantum hoc miraculum intuemur. Hoc omnes summi viri admirati sunt, cum serio illud consideraverunt. *Pater Bourdalove in Dominicali.*

Christianæ Religionis institutio probat Deū illius esse auctorem atque præsidium.

Una tantum JESU CHRISTI lex per ea principia constituta est, in quibus excogitandis humana ratio evanescit, & necessario ad superiorem virtutem est confugiendum; hæc una est, S. Hieronymus inquit, quæ inter persequentium procellas quati non potuit: *Sola in persecutionibus stetit Ecclesia*. Sola, cujus sectatorum cruor fœcundum fit semen: *Sanguis Martyrum semen Christianorum*. Deus ipse hoc propagationis Fidelium miraculum in Hebræis captivis expresserat, quos, Scriptura testatur, patiendo viribus, numeroque crevisse, prout Ægyptii magis, magisque illos opprimebant, ut eorum progeniem extinguerent. *Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant*. Quænam scæna, ut ita dicam, & quodnam miraculum sese offert oculis meis, o Fideles? Video totum terrarum orbem contra JESUM CHRISTUM, legemque illius conjuratum! Infernus undique illi suscitat inimicos, ut evertatur; Cæsares edicta proponunt, Magistratus proferunt sententias, tortores equuleos, & rogos instruunt: quid autem faciet, ut tot tantisque conatibus resistat exigua fidelium manus, qui victimarum instar persequentium potestati traduntur! Hic Domine uteris divino robore, ac virtute, quæ nullibi magis, quam in nostra elucet infirmitate. Si lex tua minus violenter oppugnaretur, vel si validioribus propugnatoribus defenderetur, non adeo palam inferri posset, te illius Auctorem, præsidiumque extitisse. Opus est ut unanimi consensu terræ principes in illam conjurent; opus est, ut qui illam tuentur, quin gladium arripiant ad percutiendum, neque ipsum, quem jussisti manu gerant, baculum; opus tandem est, ut omni humana ope destituta, sibique, ac infirmitati suæ tradita nihilominus triumphet, ac omnia suo subjiciat imperio: id opus est, ut omnes agnoscant hanc tuam esse legem, & eam amplectantur. Quis autem ex mirabili hoc effectu, eam non agnoscat? Omnia contra fidei præcones, & illius discipulos insurgunt: hi detruduntur in carceres, vinculis onerantur, cruci affiguntur, rotis alligantur, fame necantur, & siti, igni, ferroque, & omni cruciatuum genere torquentur: & nihilominus lex quam profitentur subsistit, sese effundit, novos quotidie refert triumphos, in extremas usque terrarum plagas pervadit; omnia trahit, omnia prosternit; ubique admittitur, ubique colitur; quid dicam? ipsos etiam inimicos in subditos sibi convertit. Ipsos etiam subjicit carnifices, ipsos Tyrannos, ipsos terrarum domitores. Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant. *P. Bourdalove in Dominicis.*

Exod. c. 1.

Prophetiarū complementū est invictū veritatis & divinitatis Religionis Christianæ argumentum.

Moyses Idolorum excidium & Ecclesiæ institutionem milles, & quingentis; David mille; & Prophetæ octingentis annis ante Christum natum vaticinati sunt; & quidquid ab illis prædictum fuit, verissimum inventum est. Omnipotens sit oportet, qui tot, tantaque operatur miracula, quot quantaque in Ecclesiæ institutione illuxerunt; verum etiam æternus, ut uno oculorum conjectu omnem temporum decursum, & tot ante sæcula, ea quæ erant eventura prædiceret. Certissimum est divinitatis argumentum veritas prophetiarum, dicebat olim Christianæ Religionis contra Paganos patronus: *Idoneum opinor testimonium divinitatis veritas divinationis*. Quamobrem S. Augustinus hæc adeo invicta veritatis religionis nostræ argumenta intuitus merito exclamat: *Prædicta lege, impleta cerne, implenda collige*. Lege in Prophetis prædictiones de JESU CHRISTO, & de Ecclesia. Oculis tuis cerne illas jam adimpletas; postquam primæ illæ adimpletæ sunt, collige hinc illa, quæ adimplenda supersunt, veluti resurrectionem mortuorum, extremumque judicium. *Auctor Anonymus.*

Tertull. Apolog. c. 20.

S. August.

Quomodo Christiana Religio inter persecutiones creverit.

Scirene vultis quomodo inter sævissimas persecutiones, quin ullo pacto labefactaretur, & nullam pateretur splendoris sui imminutionem, Christiana semper crevit Ecclesia? Hoc inde factum S. Cyrillus respondet, quia tunc magna, & illustria accipiebat testimonia. Cæsares se illam eversuros putabant, omnem exercentes severitatem suam in illos qui illam profitebant, eaque ratio erat illam statuendi, confirmandique. Hoc pacto præter voluntatem illius incremento cooperabantur, etenim tot illi procurabant testes, quot assertos nocentes condemnabant. Quælibet confessio uno stabat illi martyre, sed quilibet martyr secum non modicam recentium propugnatorum manum trahebat. Audite præclaram rei hujus rationem, quam præbet Tertullianus; quia videlicet inconcussa, & admirabilis fidelium constantia in fidei professione lectio erat, quæ maximam persuadendi vim habebat apud Paganos. *Illa ipsa, quam exprobratis, confitendi magistra est*. Et profecto isti idolorum cultores, licet superstitionibus suis mordicus inhærerent, videntes in Christianismo, quem persequebantur, tantam firmitatem, faciles præbebant aures prædicationi hujus religionis, quæ tanto zelo promulgabatur, tanta vi defendebatur, & tanta constantia, immo cum severissimorum cruciatuum, atque adeo mortis ipsius periculo asserebatur; illam audientes diligenti examine scrutabantur, scrutatique eam discebant agnoscere, cognitamque reverebantur, atque amplectebantur. Ecce, concludit Tertullianus, quid in singulos dies augeret numerum discipulorum JESU CHRISTI, & quid tantam conferebat auctoritatem, nobilitatemque legi, quam profitebantur. *Pater Bourdalove in Dominicis.*

Tertull.

Discrimen inter falsas Ethnicismi & verā Christianismi Religionem.

Inter falsam Ethnicorum, & veram Fidelium Religionem, secundum egregiam Tertulliani, & post hanc Arnobii animadversionem hoc interest essentiale discrimen, quod in paganismo, qui boni, ac virtute præditi erant, tales non erant Religionis ergo; quia e contra ethnicorum religiones nonnisi vitia suadebant, eorumque exempla in assertis numinibus suis palam ferebant: ita ut quodvis scelerum genus, quod inter Ethnicos admittebatur, Religioni eorum verti posset, vel potius superstitioni, quin eidem quidquam referri posset acceptum, & omnibus virtutibus, quarum

acta exercebantur. Verum per privilegium, quod e regione oppositum est: quidquid boni agitur in Christianismo, in Christianæ Religionis honorem cedere debet; hæc enim præcipit, & persuadet; & nihil eorum, quæ mala fiunt, in ejus dedecus vertendum est, quia omnium prima, & severissima illa prohibet atque condemnat. *P. Bourdalove in Dominicis.*

Nonnisi Deo accepta referenda est Christianæ Religionis institutio.

Christianæ Religionis institutio in eo potissimum sita est, quod modo prorsus divino instituta fuit. Non armorum vi, non ingenio, non eloquentia, aut humana sapientia constituta fuit, sed virtute Spiritus Dei. JESUS CHRISTUS ad ea prædicanda, quæ omnem hominum fidem superabant, non Oratorum opera usus est, sed piscatorum, hominum, qui nomine, genere, scientia, auctoritate destituti erant, per quos simul inaudita operatus est miracula, & quos ipsos præbuit miracula longe majora illis, quæ vel fecerunt, vel facere potuerunt. Quibus autem, nisi uni Deo accepti referendi sunt effectus adeo incomprehensibiles, qui omnem terræ faciem mutaverunt, & in quorum agendi forma ne minimum quidem licet humanæ mentis vestigium deprehendere? *Auctor Anonymus.*

Christianæ Religionis institutio opus Dei est.

Petrum video Romam ingredientem, hominem humili corporis forma, advenam, Judæum, sine alia naturali eloquentia præter eam, quæ convenit piscatori, sine libris, sine pecuniis, sine amicis, sine patronis; sciscitor ab illo, quo conferat se, quid sibi velit? Respondet mihi, se opus ingressum esse omnia Idolorum templa evertendi, omnia Romanorum corda convertendi, priscam Imperii religionem exterminandi, Spiritale Christianæ Religionis imperium in ipso mundi capite, & in ipsa Cæsarum aula constituendi; verbo, efficiendi, ut Crux ab illis coleretur, qui illam tamquam infame patibulum detestabantur. Quæ visio! quæ insania! Sed video huic homini omnia benevertere, atque e sententia evenire: video post annos aliquot Crucem quidem super Caput Cæsarum, idola vero pedibus attrita populorum; dicamus ergo, si rite arguere novimus, dicamus; opus est ergo Christianæ Religionis institutionem necessario opus esse Dei, non hominis. *Pater la Rue in Quadragesima.*

Religionis sanctitas vitæ sanctitate colenda est.

Vultisne Religionis, quam profitemini sanctitatem venerari? Vosmet ipsos sanctificare contendite. Hac de causa S. Paulus etiam, atque etiam fidelibus commendabat, ut in omni vita sese probarent irreprehensibiles, & efficerent, ne quid censoria nota dignum in ipsis ab infidelibus inveniretur: certus erat quippe, nulla re Christianismi gloriam magis auctum iri, atque in omnes terrarum plagas facilius effusum iri. Quamobrem adeo palam fideles eosdem hortabatur ad bonum exercendum non coram Deo solum, sed etiam coram hominibus, ut honor in Religionem qua imbuti erant, resiliret, & hæc in dies fieret honorificentior. Eamdem ob causam Ecclesiæ Patres omnem collocarunt operam, ut in iis, quos erudiebant, sartam, tectamque servarent innocentiam, & vitæ integritatem, nihilque paterentur quod publicæ officeret ædificationi, providentes non solum singulorum saluti, verum etiam utilitati, quam totum Religionis corpus inde percepturum erat, & gloriæ, quæ eidem erat cessura. Hac de causa omnes recentes sectæ, omnesque hæreses externam reformationis, & regularitatis speciem adfectarunt, per quam sensim in hominum animos sibi viam facerent; quæ res adeo funestos peperit eventus. Ita cum S. Augustinus ad infideles locutus Christianam Religionem celebrare volebat, eisque sublimem hujus conceptum adstruere, eorum oculis Christianos objiciebat, & hoc illud est, quod sæpe infestissimos Evangelii hostes, sævissimosque illius persecutores commovit. Cum illi in JESU CHRISTI grege viderent tantum æquitatis, & rectitudinis, tantum pietatis, & verecundiæ, tantum consensionis, & charitatis, tantum fortitudinis, patientiæ, integritatis, negare non poterant Religionis, quæ tales educabat viros, elogia ipsi debita, eisque licet invitis extorquebat veritatem, cujus testes erant. *P. Bourdalove in Dominicis.*

Vita verorum Christianorum regula est quam sequi oportet, ut Christianæ Religionis præstantia agnoscatur.

Inspicite, dicebat Tertullianus ut seipsum, fratresque suos circumundique oppressos, ac Tyrannorum violentiæ expositos tueretur; inspicite vitam nostram, & non despicietis fidem nostram. Inter nos nulla fraus est, nulla injustitia; nullus est proditor, nullus scelestus. Habetis quidem in Carceribus vestris Christianos, sed unum eorum crimen nomen est, quo appellantur, & fides quam profitentur. Præter hoc quid illis potestis ingerere, quid in illis insimulare? Convenimus, sed tantum ut Deum nostrum invocemus, & orationes nostræ fere juges exercitationibus sanctæ pœnitentiæ excipiuntur. Cæterum, quam inferimus alicui contumeliam; quam immo charitatem erga omnes exercemus? Cuinam officio desumus? Judicate igitur, fervens hic Apologista arguebat; judicate ex vitæ nostræ ratione, quinam sumus, & ex eo quod sumus, conjicite quænam esse debeat hæc fides, per quam id sumus. Hanc ille tradebat regulam ad rite cognoscendam Christianam Religionem, atque ad præstantiam illius celebrandam. *Pater Bourdalove in Dominicis.*

Christiana Religio triumphum egit de persecutoribus suis.

Voluit Deus Christianam Religionem esse veluti diutinam arborem, quæ ventis, & mundi tempestatibus agitata, irrigata cruore Martyrum, semper magis in Cœlum sese attollens, totum denique terrarum orbem repleret. Ideo martyrum primipilus jamjam moriturus vidit Cœlos apertos & JESUM stantem ad dexteram Patris, ut innueret, hunc non spectatorem esse tantum præliorum, sed pro illis etiam, qui propter ipsum præliarentur, ad pugnam subeundam paratum; illum futurum causam victoriæ ipsorum, & hos coronantem in his sua dona esse coronaturum. Tenebricosi dies cruentarum illarum persecutionum cesserunt tandem tempori magis tranquillo, atque sereno. Religio sese extulit supra persecutores suos, eorumque spoliis est locupletata. Tyranni sæpe experti sunt funestis mortibus, numquam impune contra Deum bella geri; ac deleto tandem idolorum cultu verus Deus ubique terrarum adoratus est. Populi festinanter in Ecclesiam ingressi sunt, & in honorem illius quidquid ipsis erat pretiosissimum consecrarunt: Reges coronas suas, divites divitias, philosophi scientiam JESU CHRISTO subjecerunt, & qui magna cum contumelia Salvatoris Crucem irriserant, venerati sunt illam tamquam originem salutis mundi, & facti sunt adoratores illius. *Auctor Anonymus.*

Illius institutio ad Deum est referenda.

Quid sibi volunt hi duodecim homines sine genere, sine bonis, sine auctoritate, sine litteris? Nil aliud, quam inter se Universum Terrarum orbem partiri, ut illum homini crucifixo conquirant. Hujus Cruce armati opus aggrediuntur idola evertendi, atque de superstitionibus, mundique cupiditatibus triumphum referendi; & sperant futurum, ut ipsis adnitentibus crux hæc hoc publicum odii, atque contemptus objectum a principibus, & sapientibus sæculis ametur, atque adoretur. Quisnam præter te, Deus, tale consilium illis immittere potuit? Nonne oportuit, ut tua sapientia atque potentia confluxerint, ut tantum hoc opus cederet e sententia? *Morales Animadversiones cum notis in Acta Apostolorum.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Spiritus maxime increduli, apertissimique CHRISTI JESU inimici fatentur Religionem Christianam opus esse Dei, si Apostoli nullum ibi ministerio suo obicem nacti illam tandem instituunt: *Discedite ab hominibus istis, & sinite illos*, dicebat quidam legis Doctor; *Quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur: si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud*. (*Act. 5.*) Verum aliquid amplius habemus; Apostolis omnes objecti sunt obices, exagitati sunt, occisi sunt, & nihilo secius Religionem hanc instituerunt, quæ

post

post septemdecim sæcula viget adhuc. Huic autem argumento non cedere, est pertinacia, & cæcitate illos ipsos superare, qui JESUM CHRISTUM Cruci affixerunt *Ibidem*.

Mirum non est quod Christianam Religionem serenæ potestates fuerint persecutæ.

Politica cum æquitate hac in re consentiens poscere videbatur, ut simul omnes Principes conjurarent ad eam instituendam religionem, quæ auctoritatem ipsorum sacerrimam efficiebat. Sed cum hæc religio cupiditatibus frænum injiciat, humilitatem in honore, & modum in potestatis usu præscribat, mirum est si illam tamdiu fuerint persecuti? quinimmo mirum esse debet, quod ad illam amplectendam animum potuerint appellere. Tertullianus, qui nondum hoc miraculum gratiæ fuerat intuitus, omnem abjecerat spem futurum ut umquam Cæsares possent fieri Christiani. *Ibidem*.

Argumenta, quibus Christiana Religio probatur contra Judæos.

Hodierna die in Christianæ Religionis favorem utimur Prophetarum oraculis majori etiam cum vi, qua olim S. Paulus. Sceptrum, quod secundum prophetiam Jacob non auferendum erat de Juda nisi in Messiæ adventu, illi ablatum fuit post aliquot sæcula, anni a Daniele propter hunc adventum numerati, effluxerunt; mala, quæ subsecutura erant cæcam Judæorum pertinaciam, acciderunt. Si JESUS non est Messias, cujus mortem Cœlum ulciscitur; quodnam crimen aliud divina justitia tandiu persequitur in populo disperso, qui aliorum populorum mancipium est, atque execratio? *Ibidem*.

Quomodo Prophetæ conferant ad veritatem Christianæ Religionis stabiliendam.

Quænam gloria & consolatio nobis est, vocatos esse ad Religionem prorsus divinam, cujus adeo præclara nobis suppetunt argumenta! Evangelium aperiamus, & videbimus quidquid illic memoratum est de JESU CHRISTI persona, jam pridem prænuntiatum fuisse a Prophetis. Portenderant, Messiam ex Davidica progenie originem ducturum; nasciturum ex Virgine in Bethleem, cum sceptrum de Tribu Juda in alias manus migrasset; illum a magis adoratum iri; illum profugum in Ægyptum recessurum, ac inde reversurum in patriam: huic præcursurum esse hominem sanctum, qui in desertis locis coleret; Messiam hunc mox esse prædicaturum, patraturum miracula, venumdandum esse triginta denariis, inter latrones duos in Cruce moriturum, post hæc a mortuis resurrecturum, ac triumphaturum de morte; hinc gloriosum ascensurum in Cœlum, ac in terram missurum Sanctum Spiritum suum; & electurum duodecim rudes homines, illiteratos, & contemptibiles in oculis Mundi, qui gentibus remotissimis Evangelii lumen afferrent. Hæ Prophetiæ adeo antiquæ, ac tot circumstantiis convestitæ ad extremum usque apicem in JESU CHRISTI persona adimpletæ sunt. Irreprehensibilium testium nubes fidem facit: quis igitur dubitet confiteri Messiam venisse, & veram esse Religionem, quam docuit? Numquid Judæi? Illorum incredulitas recens est utriusque probatio: Rex quippe Propheta hoc prædixerat, quemadmodum S. Paulus animadvertit. Num impii, ac improbi? Quale eorum testimonium esse potest contra Religionem a qua damnantur? *P. Segneri in Meditationibus in delectos Bibliorum locos &c.*

Cur Deus inceperit vocare pauperes ad Religionem Christianam, antequam vocaret mundi sapientes, & nobiles.

Dominus, S. Augustinus ait, prævidens, si initium fecisset ad Religionem vocando Senatores, divites, Oratores, hos reddere posse: dignitas mea, opus, eloquentia mea electa fuit: Vos, o pauperes venite, dixit: vobis nihil est, vos nihil scitis, pro nihilo estis; vos apti estis ad efficiendum, ut misericordia, & potestas mea in vobis eluceat. Cum vestra utitur opera ad summos viros pertrahendos, ad confundendos Sapientes, & homines convertendos, mihi detrectari non poterit magni hujus operis gloria. A Deo miraculum hoc efficiendum erat, sed poteratne fieri ullum præstantius, & majus? Duodecim piscatores egeni, & magis adhuc rudes, atque idiotæ, quam pauperes, mittuntur Romam, Athenas, Jerosolymam ad convertendos Judæos, Græcos, & Romanos, & cum his Nationes omnes etiam maxime barbaras. Quod consilium, quod opus magis insuetum, insipiens, chimæricum si optimus consulatur sensus, omnia rationis lumina, omnis humanæ sapientiæ ratio! Si saltem hisce hominibus propter genus, corporis habitum, ingenii crassitiem prædicanda esset nova religio conformis luminibus rationis, morum disciplina sensibus non infensa, quæ carnem palpans cupiditatibus, ac amori proprio velificaretur. Conatus horum duodecim piscatorum semper tamen irridendus videretur, & supra humanas vires positus censeretur. Quomodo nam hujus viæ homines consilium inire possunt efficiendi, ut totius terrarum orbis facies immutetur, Religionem prorsus recentem invehendo? *P. Croiset in Asceticis exercitationibus*.

Christianæ Religionis institutio mirabilis est.

Brevia sunt humanæ sapientiæ lumina, & illius potestas adhuc brevior. Agnoscimus palam Dei digitum in hoc miraculo: duodecim idiotæ aggrediuntur, facere, ut pro vero Deo adoretur JESUS CHRISTUS, qui expiravit in Cruce; ut credantur incomprehensibilia Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis, Eucharistiæ Mysteria; idque aggrediuntur sine armis, sine divitiis, sine dolo, sine eloquentia, sine ullo humano subsidio; omnibus e contra pugnantibus, atque succlamantibus hos sycophantas esse, dementes, sortilegos: id illi aggrediuntur, & assequuntur. Græcus submittit spiritum suum, Romanus superbiam, ac superstitionem suam; Judæus sua præjudicia. Evertuntur Idola cum inanium numinum aris, atque delubris, & Crux fit objectum cultus illorum. Nequicquam omnes inferorum potestates cum potestatibus Mundi arma conjungunt, ut Christianorum nomen in sanguine eorumdem extinguant, numquam majores quam hinc progressus refert Fides. Virgunculæ quæ vix tertium ætatis suæ lustrum attigerunt, sævissima irrident tormenta; provocant Tyrannorum barbariem, & ut in penitioribus idololatriæ adytis, fides triumphet, efficiunt. Improbi, qui fidem vestram extinxistis, mirabilia hæc fortunæ accepta referte. Impii, quibus nihil fidei reliquum est, in ludibrium hæc portenta traducite, impiamque vestram incredulitatem jactate: Nihil credite, omnia saltem in dubium revocate, ut facitis, Christiani eritis in inferno in omnem æternitatem. Mundi Potestates, sæculi divites, nequaquam ea vos instrumenta fuistis, quibus ad Religionem suam constituendam Deus usus est, hujus impedimenta fuistis dumtaxat, de quibus homines illiterati, ac omni nominis celebritate vacui magnifice triumphârunt. *Idem*.

Christiana Religio non debet institutionem suam novarum rerum studio.

Acceptum referre, si lubet (quod illi faciunt, qui se spiritus fortes jactitant) admirabile hoc propagationis, atque institutionis christianæ fidei, illecebris novitatis, populari obstinationi, Gentium quæ illam acceptarunt inscitiæ, furori Religionis, quæ totum terrarum orbem pervasit eo facilius, quia potior terrarum pars omni Religione carebat, vel si potius lubet, prætexebat infinitam diversorum cultuum diversitatem, ut paulo religiosior videretur, & aliquam præseferret divinitatis, licet chimericæ speciem. Hæc efferre, nonne est semetipsum excæcare, ac primis etiam carere principiis, quæ ratio nobis potest suppeditare? Licet plerique eorum temporum mortales nullam in anima religionem servassent, qui effectus est deterrimæ nequitiæ, quæ in mundo possit inveniri; numquid hæc erat dispositio ad amplectendam Christianam Religionem, omnium mundi Religionum unam purissimam, severissimam, ac supra omnes mentis facultates longissime positam. Quæcumque sint novitatis illecebræ, numquid illecebræ ullæ inveniri possunt in novitate ea, qualis est dogmatum Evangelicorum, ubi natura in omnibus fere torquetur, & in studiis suis potissimum impugnatur? Ullane novitas est, quæ mihi conciliare valeat amorem humilitatis, pœnitentiæ, mortificationis,

sionis, crucis, quæ omnia recto sensui videntur opposita? Denique licet libido, ac pertinacia tantam in aliquorum mentibus vim haberent, ut illi rigidas hasce novitates amplecterentur; hæc libido, & hæc pertinacia potuissentne in omnes cœli plagas sese extendere, sæculorum decursu magis, magisque augeri, & mille, ac septingentos annos durare; cum liqueat, novas res, quæ sensibus, atque naturæ gratiores, commodioresque videntur, fere una cum auctoribus suis interire, vel saltem raro duo, vel tria sæcula obtinere? Dicam amplius, auditores Christiani, ut quis resistat argumento, quod ex institutione, progressu, & christianæ fidei diuturnitate depromitur; illi persuasum esse debet de opposito, atque argumentum habere vel solidius, ac certius, vel saltem par; & donec nequit opponere quidquam vel certius, vel æque certum; deplorabilis sane est cæcitas illius, qui assensum præstare neget, nolitque rationem suam submittere, cum quacumque ex parte illam intueatur, nil habeat melius, quod eidem opponat. Omnes autem subtilissimas inimicorum fidei argumentationes animo vestro colligite; maximus effectus, quem gignere in vobis possunt est ad summum efficere, ut dubitetis, non autem ut vos persuadeant, *P. de la Rue in Quadragesima*.

Præstantia, & Sanctitas Christianæ Religionis præ Judaismo. Rerum ordo omnino immutatus est. Re adhuc integra estis admonendi, ut vobis æquus adstruatur conceptus præstantiæ, nec non sanctitatis Religionis illius quam profitemur. Non amplius filii Aaron, & Levi sacris persunguntur muneribus tamquam hæredes ministerii; sed Novi Testamenti Sacerdotes qui a carne, & sanguine expediti prorsus aliam obtinuere vocationem. Non est amplius Templum Salomonis, quod sibi elegerat Deus, ut ibi sedem suam collocaret. Templa nostra in hoc maxime præstant, quod vere possident Corpus, & Sanguinem Unigeniti illius. Non offerimus amplius ullum taurorum, hircorumque sanguinem: longe pretiosior est Victima nostra. Non oportet amplius ut olim in Circumcisione puerorum cruorem effundere; hi JESU CHRISTI sanguine abluuntur. Non labitur ultra de Cœlo manna in castra Israelitarum, panis toto Cœlo pretiosior factus est Fidelibus cibum. Non est ultra Judæorum Sabbathum, quo illos feriari jubebat Deus, ut seipsos sanctificarent; huic Dominicus successit Dies, quem gloriosa Filii Dei resurrectio in Ecclesia universa solemnem instituit. *Abbas Boileau in Quadragesima*.

Quodnam corrupto mundo spectaculum præbuere Christianæ Religionis primordia! Repente prodire visi sunt, ac sese in universum terrarum orbem effundere, homines qui ab aliis quibuscumque in iis etiam dissentiunt, quæ maxime communia habentur principia; homines, qui rejiciunt quidquid ab aliis ardentius concupiscitur; & qui sincere ea appetunt, quæ ab aliis impensius fugiuntur. Querimonias ignorant, nisi fortassis in prosperis; non satis est illis inter sævissima infortunia immotam præseferre constantiam, nisi etiam palam se in illis summa perfundi lætitia testentur. Sin minus seipsos morti, atque tormentis objiciunt, sibimet vim inferunt, & inimicorum suorum crudelitas semper eluditur. Illis in pœnam nihil irrogatur, quod minime cupiant. Quænam hæc sunt prodigia, intra se mussitare debebant Ethnici? Quænam hæc rerum inversio! Numquid mutata est malorum, bonorumque natura? Num ipsa etiam hominum natura immutata est? Hic stupor dubio procul eo major fuit, quod Philosophi, qui ad hæc usque tempora visi fuerant omnium virtutum possessione frui in theoreticis æque ac practicis confundebantur a recentibus Philosophis, qui toto Cœlo doctiores erant, perfectioresque. Novissimi hi Sapientes, vel potius eorum Magister evertit fictas virtutes a pseudo sapientibus institutas, virtutes nequiores omnibus sceleribus, quibus illi erant obnoxii, qui suis cupiditatibus turpissime obsequebantur. *Ex primo Sermone Accademiæ anno 1682*.

Certum argumentum veritatis Religionis Christianæ. In Prophetarum oraculis, in miraculis, & sanctitate JESU CHRISTI, in virtute, & constantia discipulorum ejus, in doctrinæ ejusdem puritate adeo manifestos deprehendo caracteres veritatis Religionis meæ, ut facere nequeam quominus cum Regio Psalte exclamem. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. (Psal. 92.) Tibi ergo immortales sint gratiæ, eo quod jussisti me in Religionis illius sinu ortum habere, cujus veritas tot argumentis comprobata est, ut in dubium vocari non valeat. Ego vero eo majori cum animi grati sensu hanc felicitatem meam intueor, quod numquam illam mereri potui, & quod me præ tot aliis hominibus, qui me minus erant indigni, & qui melius eadem usi fuissent, hac gratia donasti. Sed quænam est hæc animi gratia, nisi hanc tibi palam testari contendo? Ingratus essem, Domine, si postquam me, Domine, deduxisti in agnitionem legis tuæ, illius præcepta contemnerem. *P. Segneri*.

Illius de Ethnica superstitione triumphus. Christianæ Religionis patroni haud ægre infirmas Ethnicorum criminationes exsuflarunt, quibus hi de illa triumphum retulisse sibi videbantur: Re adhuc integra ostenderunt, novitatem officere nequaquam posse veritati Sectæ illius cujus adeo palam se auctorem profitebatur Deus per ea Prophetarum oracula, quæ adimpleri videbantur, per miracula, quorum certitudo in dubium revocari non poterat, per admirabilem ejus Sectæ progressum, cujus externa facies nihil non asperum, atque contemptibile præseferret, progressum, cujus nulla humana ratio inveniretur; per fortitudinem, quam ciebat in tot Martyribus ætatis etiam, & sexus infirmioris; per imperium, quod Christiani in dæmones exercebant; per doctrinarum sublimitatem; & per sanctissimam morum disciplinam. Sapientes tamen nostræ Religionis Apologistæ impune sibi objici patiebantur novitatem; sed eamdem cum terrarum orbe asserebant antiquitatem. Vicissim etiam aggressores detexerunt, ac in lucem protulerunt imbecillitatem, turpitudinem, falsitatem Deorum, qui ab Ethnicis colebantur; & cultus eorum flagitia. Critici quidam asseruere Patres felicius in alios invectos fuisse, quam aliorum argumenta confutaverint; evertisse quidem Ethnicam superstitionem, & non satis solide Christianam Religionem consolidasse. Sed in hunc errorem lapsi sunt, quia non satis distincte dogmata & rationes, quibus illa probantur, ab argumentis, quibus elucidantur, secrevere. Patres nihil reliquere quod desiderari posset, ut Dogmata sua constituerent, magna vi, atque eruditione veritatem eorum comprobarunt; sed ubi explananda fuerunt, fortasse aliquando minus aperte, ac perspicue, quam opus erat, locuti sunt; qua in re subsequentium sæculorum Patres abunde supplevere. *Recens Auctor*.

Absit mihi gloriari, inquit Apostolus, nisi in cruce Domini JESU CHRISTI. Quicumque tandem estis, seu potentes, seu infirmi; Principes vel subditi serio perpendite communem hanc omnibus nativitatem. Quotidie illius meminerimus, ne quid faciamus, quod illam dedecore afficiat; & ne dejiciamur de gradu nostræ nobilitatis abjectis, turpibusque cupiditatibus. Agnosce Christiane, dignitatem tuam, S. Leo exclamat, ac divinæ factus consors naturæ noli in veterem indignitatem degeneri actione redire. Memento cujus corporis, & cujus capitis membrum es. Memento eidem JESU CHRISTI sanguini originem tuam acceptam esse referendam. *Abbas de Monmorel in Homilia de Passione Filii Dei*.

Quantum sit malum nasci in Secta vere opposita Religioni. Tot inter diversas Religiones, quæ, Romana excepta, omnes funestæ sunt, quænam veram nobis ostendet viam, quam cognoscere tanti momenti est? Heu! Illa, in quam fortuito nativitatis ratio aliquem conjicit, ea fere semper est, quæ passim pro via salutari usurpatur. Omnes terrarum populi diversas sequuntur vias, in quas sua quemque adduxit nativitas, pari confidentia, & quin laborent, utrum via hæc ipsos vere ad æternam felicitas-

citatem deducat. Quid non potest in homine prima illa opinio, quæ mentes adhuc teneras parvadit, ubi neque rationem reperir, contra quam pugnandum sit, neque alias opiniones, quæ sint evertendæ! quæ in singulos dies per habituum vires inconcussam auctoritatem acquirit; quæ fulcitur exemplis credulitatis, quæ sibimet invicem homines tribuunt: quæ amplissimis, augustissimisque nominibus fulcitur, quæ integra recenser sæcula pacatissimæ possessionis, & quæ nonnisi integræ alicujus nationis detrimento peti potest? *Sermo Primus Accademiæ. Anno 1695.*

Si defenda est eorum conditio populorum, qui in idolorum cultu nati sunt, adhuc infelicior est conditio eorum, qui nati sunt in hæresi.

Quot vastissima climata, terrarumque plagæ adhuc in idololatriæ tenebris immersæ vel ipsum Christianæ Religionis nomen ignorant, vel illius exiguam habent cognitionem, quæ ad illos pervadere potuit per tot maria, quibus secernuntur a nobis? Vel denique si zelus noster ad illos usque populos vividiora transferr fidei nostræ lumina, possunt ne illi adeo facile dissipare tantam præjudiciorum turbam, quæ adeo densantur, ac percrebescunt, ut luminibus iisdem opacissimam offundant caliginem? Veritas apparet, sed nova, exotica, & in speciem periculosa, omniumque rerum inimica; ita ut non minimus ejusdem triumphus habendus sit, si sub hac imagine vel leviusculam attentionem sibi concilier. In ipsa etiam Christianismi luce alii populi in deteriori statu versantur. Oriuntur, ut ita dicam, perspectæ veritatis osores. Quemadmodum hæc illi circumundique fulgere debet, contra hanc ab ipsa armantur pueritia, & studiosissime docentur artem funestam, qua imbuti illius luminibus non perstringuntur. Eorum oculi non aperientur nova luce; quam sustinere a teneris unguiculis consueverunt. Non afficient illos clamores quibus in rectam semitam evocabuntur; immo ipsi quoque vicissim hos appellant in hanc perditionis viam, quam sequuntur; & justam miserationem, quam ob errores suos illis impendimus, nobis eos in rectam salutis viam revocantibus illam rependunt. O cœlestis veritas! Numquid ipsa non satis hominem illuminas? An homines lumina tua admittere nesciunt? Cur hæ tenebræ fere in universam terram effusæ? Cur hæc tanta Populorum copia in certum interitum cæce ruentium? Simplex error numquid illos exitu tam misero dignos efficit? *Sermo Primus Accademiæ. Anno 1695.*

Ubi de Religione sermo est, ignorantia seu voluntaria, seu adfectata æque noxia est.

Qui propter defectum cognitionis Veritatis in errore permaneret, justoque Dei judicio in voluntariam, vel adsectatam mentis voluntatem incideret; essetne ideo innocentior, vel dignior excusatione? Quia jam peccati pœnam lueret, minus esset peccator? Nonne Deus æque punit ignorantiam voluntariam, vel adfectatam, & divinæ legis suæ prævaricationem? Et, si ex Apostolo pseudo gentilitatis sapientes extremo judicii die inexcusabiles erunt eo quod cum Deum gloriæ cognovissent, illi gloriam deferre noluerunt; quam excusationem prætexere poterunt Christiani, qui cum JESUM CHRISTUM legislatorem suum cognoverint, vias illius neque cognoverint, neque secuti fuerint. Sed undenam proficisci potest hæc adeo mirabilis cæcitas? Numquid gratia deesse poterit homini in re, quæ ad illius justificationem est adeo necessaria? Haud ita sane: sed ea causa est, quod homines exercere nolunt, quod illa docet, & si veritati resistitur, id accidit, non quod veritas seipsam celet, vel se nobis inspiciendam non præbeat; sed e contra, quia semper nimis, ac nimis prope nostras iniquitates illuminans vim nobis inferret, ut mores nostros reformaremus, vel vivendi rationem damnaremus. Hic fons est erroris & fallacissimæ contagionis, quæ tot deceptos mortales in interitum ducit. Error nefarius, qui ex corde potius, quam ex mente profectus, est maxime voluntarius, & ideo vitiorum omnium quæ celat, vel dissimulat, nequissimus. *Sermo Quartus Accademiæ. Anno 1695.*

Sola Romani Ecclesia veram habet fidem.

In Ecclesia tantum Catholica Apostolica, & Romana fides vera invenitur. Frustra fides hæc in omnibus Sectis in universum terrarum orbem effusis conquiritur. Ad illam amittendam necesse non est, nihil credere; satis est te errare in uno ex articulis, quos hæc admittit Ecclesia, ubi de dogmate agatur, ne veram habeas fidem, quæ cum sit una, & individua, nullam pati potest dubitationem, incertitudinem, exceptionem. Per hujus Ecclesiæ fidem ab ipsis usque Apostolorum temporibus tot Fideles omnibus bonis abrenuntiarunt. Hæc illa est Ecclesia, quæ Christianis omnibus terrenarum rerum amorem interdixit. Per unicæ hujus Ecclesiæ fidem Christiani æternum sensibus omnibus indixere bellum, per hanc mundum vicere. Per fidem, quam hæc profitetur Ecclesia, tot Martyrum millia strenue sanguinem suum fuderunt; tot Solitarii, ac Pœnitentes Eremos, & claustra frequentarunt. Hæc eadem Religio adhuc quotidie tot Sanctos parit. Ecclesiæ hujus fides una tantum est, & invariabilis hæc fides numquid mundanorum fides est? Mortalium horum, qui in Dei cultu sunt adeo ignavi, adeo opum, atque divitiarum amatores, adeo superbi? Mortalium horum quorum mores, quorum sensus, quorum vitæ ratio parum adeo conformis est sanctitati Religionis hujus, quam se profiteri nobis fidem cupiunt adstruere? Mortalium horum, quorum vita exlex est & ab Evangelicis institutis abnormis? Mortalium horum, qui adeo parum sunt pii, ferventes, religiosi, & quos non pudet adhuc Christi nomen præseferre, cum rebus in omnibus a veris hujus Ecclesiæ filiis dissentiant? *P. Croiset in Asceticis Exercitiis Tomo 5.*

Nemo infelicius ire potest, Christianæ Religionem omnibus terrarum sectis præstare.

Supervacaneum esset, ut mihi videatur ea istic singillatim proferre, quibus Christiana Religio, quam profitemur, fictis Religionibus, quibus terrarum orbis abundat, est præferenda. Hæc non solum sanctissima est inter eas, quæ fuerunt, & esse possint; verum etiam unica, quæ nos docere possit viam, qua in Cœlum itur, & qua ad Sanctitatis apicem pervenitur. Nulla institui comparatio potest inter legem gratiæ, legemque scriptam, si spectetur utriusque dignitas, ac puritas. Quantumvis levissima habeatur notitia Baptismi, & Ecclesiæ Sanctæ, in qua recipitur; ipsos etiam, qui mordicus mundo inhærent, puderet hac in re ambigere; neque enim jugulare possunt felicem illam recordationem, quæ inter ipsa sua flagitia subinde illis ob oculos statuit nomen, quo appellari gaudent, & Religionem, in qua nati sunt. Omnem Religionis sensum abjecisse oportet, ut amittant sensum gloriæ, & felicitatis, quæ a fide, quam profitentur, nequit avelli. *P. la Pesse. Tomo 4.*

Cum Dei Filius sit Religionis auctor, Christiani vestigia illius sequi tenentur.

S. Pauli doctrina est, Dei Filium in Cruce, & sepulcro suo nos peperisse; nos cum illo mortuos, & consepultos fuisse per Baptismum; nos eodem indutos fuisse, ut illius vestigia sequeremur; ex quibus loquendi rationibus intelligere possumus Salvatorem non esse tantum Auctorem Christianæ Religionis, quam profitemur, verum etiam exemplar secundum quod sese componere debent fideles. Hinc facile intellectu est, quam indignæ Christiana Religione sint voluptates, quibus Mundi sectatores adeo libenter indulgent; quam nocentes sint Christiani, qui in periculosis cœtibus vitam traducunt, & qui profanis intersunt spectaculis. Dei Filius in Cruce mortuus per mortem suam nos Christianos effecit; & in suorum albo recensuit. Hoc autem ideone ut vitam nostram in deliciis, in mollitie, in mundanis cupiditatibus transigeremus? Salvator obiit in Cruce supra montem posita, ut ab omnibus videretur, & ut omnes ad seipsum pertraheret; ne Fideles ullam haberent excusationem, quasi illum non vidissent. Obiit elatus, sperabat enim futurum, ut quoniam cujuslibet generis hominum oculis patebat, Christiani, ac discipuli sui majorem in numerum

merum augerentur, ac fidelius, ardentiusque illi adhærescerent. Ardorem hunc erga Sanctam, unicamque Ecclesiam Fidelium quilibet habere debet, ut vere Deo fidelis existat. *Idem, ibidem.*

Nulla secta cum Religione Christiana conferenda est.

Si Christiana Religio in seipsa spectetur, nulla religio est alia, quæ cum hac valeat comparari: Merces quam pollicetur, omnia excedit vota. Sanctitas præceptorum illius aliarum religionum præceptis longissime præstat. Dei amor, & proximi, inimicorum dilectio peculiares sunt caracteres quibus distinguitur. Conjugii leges, atque temporalium bonorum usus ibi ordinantur. Denique omnia illius præcepta sunt legi naturæ conformia. Judæi pro veris cognoscere debuerunt miracula Filii Dei; neque enim dici possunt dæmonum ope facta, vel quorumdam verborum adminiculo effecta; quandoquidem veri Dei cultum docebant. Quamvis JESU CHRISTI lex a Mosaica extrinsecus differat, non differt tamen intrinsecus. Messias advenit; neque alius dari potest Messias, quam Dei Filius. Omnes nativitatis ejus conditiones, omnes vitæ circumstantiæ, omnesque mortis ignominiæ, quas Prophetæ vaticinati sunt, illi unice quadrant. Inter eos, qui se Messias jactitarunt, nullus societatem instituit, quæ tandiu, quamdiu Christiana, substiterit. Reliquæ omnes a Christiana profectæ sunt, earumque plurimæ paulo post nativitatem suam periere. *Auctor Anonymus.*

Miracula in Romanæ Ecclesiæ institutione patrata illam certissime probant.

Certissimum, ac magis perspicuum veritatis Religionis nostræ argumentum proculdubio sunt magna miracula in Evangelicarum veritatum confirmationem post Christianismi institutionem patrata; puritas extrema, quam Christiana Religio requirit; horror, quo mendacium, & minutas quascumque noxas persequitur; scientia, sapientia, sanctitas & meritum illorum, qui eam prædicarunt, & qui beatos se duxerunt, eo quod pro illa tuenda mortem appeterent; inconcussa illius firmitudo, quæ post tot sæcula viget adhuc, quamvis illam Tyranni labefactare omni ratione conati sunt, quamvis eidem mundus, caro, & dæmon, quorum placita prorsus evertit, repugnaverint: hæc profecto sunt certissima argumenta veritatis fidei nostræ: & si omnino necesse est, ut aliqua inter homines adsit religio, quæ debitum vero Deo cultum adhibeat: non alia profecto esse potest præter eam, quam profitemur; sola enim est, ubi occurrat, quidquid convenit Religioni a Deo constitutæ, & legi dignæ Deo, ac legislatore, qui maximus sit, atque sanctissimus. Post tot, tantaque veritatis Religionis Christianæ argumenta, esse ne potest aliquis adeo a recto sensu alienus, qui dubitet, quo minus Christiana Religio non certissima tantum sit; sed sola, in qua vere Deo debitus honor valeat adhiberi? *Ex Asceticis Operibus Blosi, & a Ponte.*

Catholica Ecclesia super petram fundata perire non potest: sed fides propter peccata nostra potest ad alias Nationes transferri.

Metuendi locus non est, ut Christianis accidat, quod Judæis, videlicet, ut Christiana Religio, & Ecclesia pereat, ut Synagoga. Hoc tamen non prohibet quominus aliquando videamus Dei regnum translatum, ut ita dicam de regione in aliam, & populos integros fidei jacturam pati; quia proculdubio eadem, non ut opus erat, utebantur; & quin fidem suam per opera bona monstrarent, non solum illam operibus non probabant, verum omnibus flagitiis sese ingurgitabant, & desideriis sui cordis obsequebantur. Si melius cognosceremus felicitatem, quæ est, in Christiana Religione ortum, ac vitam ducere, majorem profecto gratiam haberemus Deo, ac omnem operam impenderemus, ut inde fructum aliquem possemus percipere. Hinc ut plurimum nostra pendet salus; & multi hæretici sunt, qui ideo sunt hæretici, quia nati sunt, vel quia iis vivunt in terris, unde Christiana Religio exulavit. Quod integris nationibus accidit, hoc facile privatis accidere potest, qui nulla facientes opera, ex quibus dignosci queant velut Christiani, tandem ita derelinquuntur a Deo, ut omnem amittant fidem, atque pietatem. Intelligamus ergo qua nos gratia donavit Deus, qui in Christicolarum terris nos voluit oriri. Efficiamus, ut hæc gratia fructum afferat ostendendo bonis operibus fidei nostræ qualitatem; ne aliquando audienda sint nobis illa terribilia Salvatoris verba, cum ad judicandum venerit: *Amen dico vobis, nescio vos. Tourneus in Anno Christiano Tomo secundo.*

Omnia Sanctorum in Ecclesia Christiana viventium merita bona sunt omnibus fidelibus communia.

Quidquid in Ecclesia Christiana factum est per Apostolos, qui fidem plantaverunt; per SS. Martyres, qui illam sanguine suo signaverunt; per SS. Doctores, qui illam sustinuerunt; per Cœnobitas, qui pœnitentiam honoraverunt: quidquid in præsentiarum fit ad illius eruditionem, & ædificationem, bonum est commune, & argumentum sanctæ lætitiæ omnibus illam constituentibus; quoniam quo plus sanctitatis, virtutis, luminis, bonorum exemplorum in Christiana Religione invenitur, eo plura habentur ad salutem subsidia, & adminicula. Lætitia hæc hominibus suadet, ut jugiter Deo gratias agant; charitas enim, quæ illius principium est, efficit hæc omnia bona omnium propria; quoniam omnia Christianorum corda, unum tantummodo cor efficiunt. Sancti, qui in hac Religione vivunt, & qui Deum in Cœlo videbunt, sexcentis illum gratiarum actionibus cumulabunt ob ea, quæ ille pro Ecclesia generatim, & pro ipsis peculiariter operatus est. Hoc erit æternum eorum grati animi argumentum, quod effecit, ut in Ecclesiæ Catholicæ sinu nascerentur, & in eadem perseverarent, extra quam nulla spes datur ad æternam beatitudinem perveniendi. *Idem.*

Quinam in materia Religionis evitandi sint scopuli.

Cum de Religione agitur, duo nobis evitandi sunt scopuli, ambo æque timendi; quorum alter est, nimis sollicite ad examen revocare, alter vero numquam considerare miracula. Christianum esse, quia natus es ex Christianis parentibus, qualis esses Turca, si ex Turcis originem hausisses; hæc esset potius pertinax stupiditas quam submissa fides; non secus ac ratiocinari, ac incessanter Religionis articulos ruminare, minus est illustrata fides, quam periculosa curiositas. Nam quæcumque mentis submissio detur in fide, hanc non exquireret Deus, nisi eadem Religio hoc ipsum sua auctoritate probaret. Fides jugum est, quod intellectum confirmat, sed antequam hic illi se subjiciat, sciendum est, illud a Deo nobis imponi. Tunc hilariter, non ægre obtemperandum est; nihil enim tam rationi conforme est, quam credere quidquid dicit Deus, quem non aliter quam certissimum veritatis assertorem nobis fingere possumus. Hinc quotiescumque Dominus locutus est, oraculis suis exteriora addidit signa, quibus probabantur. Adam de Paradiso terrestri ejectus; Sacrificium Abel Sacrificio Cain prælatum; familia Noe universali cataclysmo subducta; familia Loth in Sodomorum conflagratione servata; frequentes Dei Apparitiones Patriarchis; prodigia, quibus Moysis, Prophetarumque missiones comprobavit: innumera illa miraculorum copia, quæ in Judæorum gratiam operatus est: Omnia hæc prodigia cum illis, quæ per Apostolos, primosque fideles patravit, certissima sunt Religionis, quam profitemur, argumenta. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum. Tomo I.*

Ineluctabile veritatis Religionis Christianæ argumentum est, quod qui maxime fuerunt increduli luminibus illius non cedere non potuerunt.

S. Paulus nascentem Ecclesiam fuerat persecutus; nihil inausum, intentatumque reliquerat, ut illam in ipsis incunabulis suffocaret, ne Gentes Evangelii lumen acciperent. Tamen Dei Filius elegit illum, ut ejusdem opera in Mundo Christianam Religionem constitueret, nominisque sui gloriam in extremas terrarum plagas effunderet, suoque imperio omnes infideles nationes subjiceret. S. Paulus infidelitatem suam purgare non pote-

poterat, quoniam ipse illam evulgarat, & dubitans de veritate mysterii, quod fidei nostræ fundamentum est, (*Si Christus non resurrexit, vana est fides nostra :*) suam cum nostra salute in discrimen adduxerat; quomodo enim ipsi potuissemus nobismet de Salvatoris Resurrectione persuadere, nisi aliquis ex discipulorum numero illam impugnasset? Et quomodo ipsi fideles fuissemus, si Sanctus Thomas in incredulitate sua permansisset? His tamen viris, qui Christianæ Religionis institutioni adeo videbantur oppositi, utitur Dei Filius, ut illius certitudinem probet; & ut sint certissima argumenta, ac testes irreprehensibiles veritatum omnium, quæ docentur ab illa. *P. Senault Oratorii Presbyter. Tomo* 1. *de Panegyricis Sanctorum.*

COMMUNIO.

Præparatio ad Communionem, Bona, & Mala Communio, Frequens, &c.

MONITUM.



HOC in loco de Eucharistia Sacramento verba faciemus tantum, quatenus recipitur a Fidelibus, quæ proprie Communio vocatur, & in Tomum de Mysteriis Filii Dei rejiciemus quidquid de hujus Sacramenti institutione, ac præstantia, de reali corporis, Sanguinisque Domini præsentia, de amore, quem nobis in illo testatur Deus, deque tanti muneris magnitudine collegimus. Hoc mihi faciendum credidi in argumento tam late patenti, & quod pluribus concionibus materiam potest suppeditare. Itaque hic ea tantum afferimus, quæ nos ad Dei Filium digne recipiendum possunt inflammare: quæ præparatio sive necessitatis, sive officii adhibenda sit; qui defectus evitandi: quos sensus in nobismetipsis excitare debeamus ditissimum thesaurum hunc possidentes; injuria, quæ Deo pro amore nostro immolato ab indigne accedentibus infertur; frequens Communionis usus, & fructus inde percipiendus: verbo, quidquid conferre potest ad rite, sancteque Communionem recipiendam.

Illud vero notandum est illis, qui hac nostra collectione usuri sunt, tot inter auctores, qui de hoc argumento verba fecere, quilibet pro modulo suo, & juxta eam, quam Theologiæ partem profitentur, Theologi, Casuistæ, Controversistæ, Catechistæ, Ascetici, & Concionatores, notiores tantum a me fuisse delectos, atque inde haustum quidquid suggestui accommodatius visum est, quin ad magis peculiaria, vel ad praxim bonæ communionis descenderem, quæ arbitraria omnino sunt, & tam varia, quot sunt capita communicantium.

Qui Octavas in hoc argumentum elaborant, in collectione hac satis materiæ moralis ad eas concinnandas reperient, donec in lucem prodeant reliqua, quæ de hoc augusto, atque adorabili Mysterio collegimus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus argumenti Structura.

I. 

TRes considerationes plurimum nobis prodesse possunt, ut cum utilitate summa communionem faciamus, eæque simul nos docent, quid accedentibus nobis ad Sanctissimam Eucharistiam faciendum sit.

1. Recipimus Deum Sanctum, qui eadem Sanctitas est; accedendum ergo cum conscientia pura, & ab omni peccati macula immuni. Hæc est dispositio absolute necessaria; ubi fusius persequi possumus rationes illas, quibus ad id uti debemus; videlicet omnium actionum nostrarum districtum examen, exactissimam omnium peccatorum nostrorum confessionem, sincerum dolorem ob læsam Dei Majestatem, cum certo, constantique consilio relinquendi peccatum, & affectum ejusdem.

3. Divina, & infinita Majestas ad nos, & in nos venire dignatur; igitur est cum humilitate & altissimæ observantiæ sensibus recipienda juxta Evangelici Centurionis Exemplum, cujus verba Ecclesia retinuit: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum:* &c. Matth. 18. Motiva, quæ hos sensus excitare possunt, desumenda sunt ex magnitudine illius, qui se nobis tradit, atque ex humilitate, atque indignitate nostra, quæ nos æternum ab hoc Sacramento deberet arcere; nisi Deus ipse hoc nobis præciperet, ut accedamus, alioquin illius indignationem subituri, nullamque habituri partem in Regno ipsius, quemadmodum Sancto Petro minitatus est.

3. In Communione recipimus Deum liberalem, qui venit ad nos bonis suis cumulandos, nobisque large, effuseque conferendas opes omnes, prout nos earum capaces inveniet: oportet igitur, ut dignas gratiarum actiones, & grati animi sensus afferamus; ut vicissim illi offeramus, & largiamur, quod ex nobis ipsum magis expetere novimus, cor nostrum, amorem, vitiorum, affectuumque victoriam; præsertim vero cum ille præsto sit, ut in nos omnia sua conferat dona, prætermittendum non est, quominus ab eo petamus, quod ipse nobis magis esse necessarium cognoverit, eo quod magis profuturum est, ut perfecti, & oculis illius chari evadamus. II.

De ea dispositione, quæ ad recipiendum adorabile Filii Dei corpus est afferenda.

1. Cibus est, ideoque qui eo vesci debet, vivat oportet; cibus enim in ore mortui & corrumpitur, & corrumpit. Oportet igitur vivere vita gratiæ, præceptum explicitum est, terribilesque nobis intentantur minæ, si in mortis statu angelico pane

pane vescamur. Hoc vivorum quidem, non mortuorum est Sacramentum.

2. Esurire debet qui divinam hanc escam sumpturus est; hoc est ardentissimo illius desiderio teneri, si inde percipere vult utilitatem: testarique debet cupiditatem recipiendi filium Dei, illi parem, qua se ille nobis communicare concupiscit: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*. Luc. 22.

3. Sæpius cœlestis hic, divinusque cibus sumendus est, ad animarum nostrarum vitam alendam, quemadmodum ad corporis vitam tuendam materiali sæpe vescimur esca.

III. Ipse Dei Filius Corpori suo in divino hoc Sacramento nomen panis impertit ad innuendos duos præcipuos effectus, quos parit in animabus nostris iis similes, quos panis materialis, atque vulgaris gignit in corporibus nostris.

Primus est vitam tueri; ideoque vocatur *panis vitæ & panis vivus*. Joann. 6. Auget, atque conservat vitam gratiæ, eamque etiam quibusdam in casibus elargitur; ac tandem jus ad æternam vitam impertit.

Alter est, nos corroborare, & confirmare, ideoque in Scripturis vocatur, *robur panis*, *panis confortans*. Cœlestis hic panis animam in infirmitatibus, & languoribus ejus confirmat, eique vim tribuit, omnibus inimicis suis, mundo, carni, ac dæmoni resistendi. *Desumptum ex libro qui inscribitur Essais de Sermons pour le Carême. Tome premier*.

IV. De qualitatibus ejus, quem in Communione recipimus.

1. Illum recipere debemus tamquam Mediatorem, ac Salvatorem nostrum; eique viæ præparandæ sunt.

2. Tamquam Medicum, a quo sanandi sumus, eique nostræ ægritudines sunt detegendæ.

3. Tamquam Judicem, qui deliniendus est, &c.

V. De præparatione, qua accedendum est, ut digne communicemus; ostendi primum rationes possunt, quibus ad id adigimur; secundo quænam particulariter præparatio hæc esse debeat.

Quoad primum: ratio potissime ex illius dignitate desumitur, qui venit ad nos: non enim solum est Princeps terræ, sed supremus terræ, Cœlique Dominus; ubi ostendendum, Deum se numquam hominibus communicasse, quin numquam necessariam conditionem petierit, ut homines sese ad illum recipiendum præpararent, quemadmodum in Incarnatione. Alter modus est, quo se nobis dat in cibum, ut cum nobis arctissima conjunctione unum, & idem efficiat. Aliqua ergo inter duos hos terminos Deum, & hominem statuenda relatio est, quod nonnisi per sanctitatem fieri potest. Tertia est finis, propter quem venit ad nos, videlicet ut per se, nobis sua dona, & gratias communicet. At Deus numquam hominibus extraordinarias gratias impertiit, quin voluerit illos, ut sese quantum in ipsis est, ad eas digne excipiendas disponeret; multo magis hoc præstari vult a divinum hoc Sacramentum sumentibus, quod donorum omnium ab ipso mortalibus collatorum est maximum.

Quoad alterum; optima dispositio, qua ad illud recipiendum accedere possumus, est imitari eum modum, quo se nobis tradit. Ad id autem intelligendum vide, quid ipse fecerit in Cœnaculo Sacramentum istud instituturus. Sed hæ dispositiones ad duo potissimum capita redigi possunt. Primum ad immunitatem ab omni lethali macula, quam pedum ablutio repræsentat: Peccata Sacro Pœnitentiæ lavacro sunt abstergenda. Alterum officii est, atque consistit in actibus, atque praxi virtutum, quas exercere possumus, antequam ad hoc Mysterium accedamus: scilicet ardentis desiderii illius recipiendi, altissimæ humilitatis, confidentiæ, amoris &c. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta. Sermone secundo Octava Sanctissimi Sacramenti*.

VI. 1. Idea bonæ Communionis in eo modo, quo Salvatoris Discipuli eum Jerosolymam ingredientem receperunt paucis diebus ante passionem ejusdem.

2. Idea Communionis indignæ, & sacrilegæ in eo modo, quo illum Pharisæi receperunt. *Hoc est argumentum P. Bourdalove in Sermone pro Dominica Palmarum*.

VII. De acceptione, qua Dei Filius in nobis est recipiendus.

Punctum primum. Quanam in re hæc acceptio consistat; eadem præterpropter ratione, qua amicum nobis unice charum, & qui gravissimos labores perpessus est, ut nos inviseret, reciperemus; 1. illi testanda lætitia est, qua ex illius adspectu, adventuque perfundimur; sed plerique fidelium quam frigide Dei Filium recipiunt? 2. summo affectu illud debemus amplecti, qui in hoc mysterio sese nobis intime conjungit, & postquam ad examen revocaverimus arctissimam unionem, quam cum nobis contrahit Filius Dei? opus est ut cum illo per ardentissimam charitatem conjungamur; 3. ex animo ea præstanda sunt, quæ amicis officii gratia præstamus; nosmetipsos & quidquid nobis est illi offerre debemus; & ut verbo omnia complectar, quemadmodum ille se nobis tradit, ita nosmet illi omnino tradamus oportet.

Punctum alterum. Bona, quæ ex hac acceptione cedent nobis, si rite uti noverimus felicibus præsentiæ divinæ momentis; 1. admirabiles fieri possunt progressus in illius familiaritate huic Cœli, terræque Principi inserviendo; 2. hoc aptissimum tempus est gratias, & beneficia obtinendi; 3. tunc maxime temporis magis particulariter utiliterque salutis nostræ negotio vacare possumus &c. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta, Sermone tertio in Octava*.

VIII. De fructu ex Communione percipiendo.

1. Antidotum est pro pœnitentibus, qui de peccato consurgunt, ac ne illuc recidant, conantur.

2. Cibus est justis, efficitque, ut virtute crescant, eosque magis fortes, atque robustos reddit.

3. Exquisitissimum convivium est perfectis, ibique inexplicabili charitate fruuntur. *Essais de Sermons Tomo 2*.

IX. Quid in bona Sanctaque Communione Dei filius conferat nobis.

1. Confert nobis cor suum nostris conjungendum non sine apertissimis benevolentiæ suæ signis.

2. Confert spiritum suum, ut secum in perfectam sensuum, studiorumque conformitatem ingrediamur.

3. Confert corpus suum nobis in cibum, quodammodo cum nostris incorporandum. *Auctor Sermonum Christianorum, Sermone quarto in Octava*.

X. De fructu ex Communione hauriendo. Referri possunt fructus omnes, ex Communione recipiendi ad unum tantummodo, ad quem cæteri quoque redigi possunt, videlicet ad sanctitatem; quandoquidem finis, quem sibi proposuit Dei filius, sesipsum nobis in hoc Sacramento communicans, hic fuit, ut videlicet nos sanctificaret. Hæc autem sanctitas consistit,

1. In animæ puritate, uti docet S. Thomas, hoc est in horrore peccati, omnisque terrenæ affectionis, ad quem nos hoc Sacramentum inducit, & quem Fidelis per illud acquirere potest.

2. In firma, constantique unione cum Deo, hoc est in fideli ejusdem famulatu, atque voluntatum ejusdem obedientia. Per bonum Eucharistiæ usum status hic potest acquiri. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. Sermone 5. Octava*.

In

XI. In Evangelium Octavæ S. Sacramenti; *Homo quid fecit cœnam magnam &c.*

Punctum primum. Cœna hæc vere magna est; 1. propter eum, qui hanc præparavit & qui ad eamdem invitat: 2. propter convivarum multitudinem, *vocavit multos*. Luc. 14. 3. Propter epulas, quæ afferuntur, Corpus videlicet, & Sanguinem Domini.

Punctum alterum. Eorum infelicitas, qui sese excusant, ne eidem intersint: *Amen dico vobis, nemo virorum illorum gustabit cœnam meam. Essais de Sermons Tom.* 4.

XII. Tria sunt hominum genera, qui non recipiunt gratias, & benedictiones, quas in Eucharistiæ convivio nobis destinat Deus.

Primi ii sunt, qui raro ad illud accedunt, ac semetipsos privant iis fructibus, quos ex frequentioribus Communionibus recipere possent.

Secundi sunt illi, qui accedunt quidem, sed sine veste nuptiali, hoc est non in statu gratiæ, qui tantum abest, quod gratias obtineant, ut immo ibi suam damnationem inveniant.

Postremi tandem ii, qui frigide accedunt, atque servant affectum erga venialium peccatorum habitum & in materia, cui periculum adjacet. *La Font in Dominica.*

XIII. In duobus Sermonis punctis considerari potest.

Primo. Summa Filii Dei Charitas omnes ad magnum hoc convivium invitantis.

Secundo. Noxia eorum incuria, qui eidem interesse, vel renuunt, vel contemnunt. *Joly, Propositionum Tomo* 3.

XIV. De frequenti Communione, Rationes, quas falso prætextimus, ut ab ea recedamus.

1. Prætextimus pietatem, & reverentiam erga divinum hoc Sacramentum, quæ reipsa vera est pietatis, & devotionis carentia.

2. Majorem præparationem, quæ reipsa vera est licentia.

3. Negotia, ac necessarias occupationes, quæ vere non ferenda est propriæ salutis negligentia.

XV. Duo hominum genera a Communione recedunt ob duplicem abusum, qui in duplici concionis parte confutari potest.

Primi sunnt peccatores, qui se indignos existimant, sed quin conentur, ut se dignos ad accedendum præbeant, inde recedunt, ut in suis sceleribus perseverent, & ne a pravis habitibus suis recedere teneantur.

Alteri sunt, qui inde abstinent, quia meliores non evadunt, iisque ostendendum est, unicam rationem evadendi, esse crebro cum necessaria præparatione ad hoc Sacramentum accedere; quemadmodum e contra in deterius labitur, qui ab illo recedit, vel nimis diu accedere differt.

XVI. Quidquid magis utile dici potest in hoc de frequenti Communionis argumento duplici hac propositione potest comprehendi: 1. veram pietatem nos hortari, ut crebro communicemus: 2. frequenti communione pietatem veram ali, & confirmari.

1. Quamvis corripi nequeat, qui quandoque ab altari abstinet, ut ait Sanctus Augustinus, attamen huic reverentiæ anteponendæ sunt charitas, & confidentia; quæ res extra omnem dubitationem posita videtur, quoniam vera pietas nos hortatur, ut crebro communicemus. Et sane vera pietas circa tria potest considerari, quæ Fideles ad bonas actiones impellunt: 1. circa spiritum pœnitentiæ; non enim Dei Filius aliter etiam nunc operatur erga peccatores, ac olim, cum in terris vivebat: tunc autem pœnitentes peccatores vocabat, cum iliis versabatur, & tantum aberat, quod illos abjiceret, ut immo cum illis mensæ accumberet &c. 2. religionis etiam spiritus suadet, ut frequenter communicemus, ita enim Deo honor defertur; & reverentia in hoc posita est, ut digne communices: 3. charitatis, divinique amoris Spiritus ad id etiam impellit; hic enim amor ad arctissimam unionem contendit.

2. Ad veram pietatem confirmandam tria requiruntur, 1. obligatio, quæ ad illam nos cogat.

2. Finis. 3. Medium; quæ tria in frequenti Communionis usu inveniuntur.

Rationes, quæ nos ad crebro communicandum impellere debent. XVII.

1. Crebro communicare debemus, quia ipse Dei Filius invitat: & hanc illius mentem fuisse dicere possumus, corpus suum in cibum hominibus tradentis.

2. Crebro communicare debemus, quia ad id nos hortatur Ecclesia: satis liquet quænam fuerit priorum Fidelium consuetudo, & quid hac in re in Tridentina Synodo Ecclesia docuerit.

3. Crebro communicare debemus, quia necessitas, atque utilitas nostra suadent. *P. Nepveu in Considerationibus Tomo* 2.

His duobus suppositis, quæ invicem separari non possunt sæpe, ac digne communicandum esse; duas has afferre possumus propositiones pro Concionis argumento, & partitione. XVIII.

1. Præcipuam indignarum Communionum causam earum esse infrequentiam; quia peccatorum habitum invalescere patimur; 2. quia palam hac ratione ostendimus, vitam immutare nos minime velle; 3. quia periculum est, ne satis serio examine nosmetipsos excutiamus, ac proinde malam confessionem efficiamus, quæ sacrilegam Communionem efficeret.

2. Facillimum esse, crebro communicantem digne communicare; 1. etenim sæpe communicans se magis, magisque conjungit Deo; 2. quia ut nosmet ad communicandum disponamus, bonos actus elicimus; 3. quia altera quidem communio alterius dispositio est; 4. quia favores recipimus ad gratiam tuendam, novaque merita acquirenda, quæ nos efficiant digniores, qui ad sacrum hoc convivium accedamus.

Pro Concionis argumento assumi potest confutatio trium causarum, quas nonnulli prætexere solent, ut a frequenti abstineant communione. XIX.

1. Dignus non sum, qui ad Sanctum Sanctorum accedam. Non operosum est, hunc prætextum explodere; inde enim sequeretur, numquam communicandum fore; quandonam enim dignus eris? &c.

2. Frequentium Communionum in pluribus abusus; qui etiam si abusus esset, hæccine rationabilis esset causa, seipsum aliquo bono privare, quia plures eodem abutuntur?

3. Nullum majus præ duobus ceteris habet fundamentum, hoc est, hanc esse consuetudinem nuperissime invectam, & a Patribus nostris ignoratam, qui tamen æque ac nos boni erant. Facile hæc excusatio inanis eluditur, ostenditurque prorsus oppositum.

Hæc ipsa de frequenti Communione Materia in duo puncta dividi potest. XX.

1. Sæpe, ac digne communicare praxis est sanctissima, & consilium utilissimum.

2. Prætextus omnes, qui vulgo afferuntur, ut ab altari abstineatur, inanes sunt, ineptique.

Primæ partis rationes ex cibi effectibus desumuntur qui sunt: 1. vitam tueri; 2. vim, virtutemque afferre: 3. sese in substantiam nostram immutando efficere, ut crescamus; quæ tria transferri possunt ad cœlestem Eucharistiæ cibum; atque inde inferri, sæpe igitur esse sumendum.

Partis alterius est singillatim eos refellere prætextus, qui satis noti sunt, & quos jam memoravimus.

rius. *Hoc Systema est Auctoris Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta, Sermone pro secunda post Pentecosten Dominica.*

XXI. Duobus punctis ostendi potest.

1. Pietatem, ac devotionem invexisse frequentem Communionis consuetudinem.

2. Vivendi licentiam, ac devotionis tempore frequentem Communionis consuetudinem abrogasse. *Desumptum ex Sermone P. Stephani Chamillart.*

XXII. De Sacrilegis Communionibus. Ostendi possunt iniquitatis abyssi, quo noxiæ trahunt Communiones.

1. Satis est, aliquem hunc vitæ panem indigne frangere, ut sensim in infidelitatem ruat.

2. Huic verendum est, ne statim impudicus evadat: triplici verbo, fidei jacturam facere, impietatem non perhorrescere, omnibus libidinum impudicitiis sese mancipare, tres sunt fere inevitabiles pravæ Communionis affectus. *Idem in Concione hujus argumenti.*

XXIII. Divinum hoc Sacramentum, quod vulgo Sacramentum vitæ vocatur, plurimis fit mortis Sacramentum.

1. Sacramentum mortis Filio Dei, cui intra se mors infertur.

2. Sacramentum mortis nobismetipsis. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta.*

XXIV. Aliud Systema Concionis de prava, & Sacrilega Communione.

Punctum 1. Magnitudo, & enormitas celeris hujus, quod continet, 1. maximam ingratitudinem, 2. horribilem perfidiam; 3. sacrilegam rei omnium sanctissimæ pollutionem.

Punctum alterum. Communes horribilis hujus sceleris effectus: cæcitas mentis, quæ efficit, ne videatur amplius evidens damnationis periculum, cui indigne communicans sese objicit, 2. cordis obduratio quod, teste Juda, nihil mollire potest, 3. denique desperatio, & impœnitentia. Nam in morte quænam haberi potest spes in Deo, qui proditus fuit, & cui crudelior, quam quæ olim a Judæis, mors fuerit illata?

XXV. In eodem pravæ communionis argumento ostendendum est, 1. Magnum peccatum esse; 2. hoc bonorum peccatum esse. 3. hoc esse peccatum, quod sævissima ultione persequitur Deus.

Punctum primum hoc est Filio Dei contumeliam afferre in proprio ipsius corpore, & rem sanctissimam, sacratissimamque polluere. Videre quomodo velit Deus in cultu haberi Sancta, Templa, Aras, Qui indigne communicat reus est Sanguinis, & mortis Domini.

Alterum, Hoc bonorum peccatum est, ac sæpe eorum etiam, qui vehementius contra indignas Communiones declamant, ac de pluribus dici posset, quod olim Salvator de Juda: *Ecce qui intingit mecum manum in catino.* Marc. 14. *Ecce* hic iniquus, corruptusque Judex. *Ecce* hic impurus, ac voluptatibus deditus, qui ex impudicitiis suis emergere, & ab occasione recedere detrectat; hic mundi amator, hic hypocrita.

Quod ad tertium pertinet, nihil facilius est, quam hoc probare gravissimorum suppliciorum recensione, quibus Deus in hac, & in æterna vita, in animam, & in corpus animadvertit &c.

XXVI. De sacrilega Communione.

Punctum primum. Quemadmodum nihil majorem Deo defert honorem, quam sancta Communio, ita nihil majorem illi adfert contumeliam, quam communio nefaria, & sacrilega.

Punctum alterum. Nullum scelus est, quod contumeliosius lacessat.

Tertium. Nullum scelus est, cui difficilius Deus veniam largiatur. *P. Nepueu Tomo 2. Considerationum.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde rerum copia desumi possit ad has concionum structuras exornandas.

SAnctus Cyprianus *Serm. de Lapsis* de indigne communicantium enormi scelere loquitur.

S. Augustinus *Epist. 118. ad Januarium* aperte ait, quod sentit de raris, crebrisque communionibus, atque ad id scita adfert præcepta.

Idem, vel Auctor Sermonum *ad Fratres in Eremo Serm.* 37. ostendit quanam puritate hoc Sacramentum recipi deceat Exemplo Ethnicorum Æthiopiæ Sacerdotum.

Origenes *Homil.* 13. *in Levit.* loquitur de ea dispositione, qua Eucharistia recipienda est.

Idem *Homil.* 35. *in S. Matth.* de illis loquitur, qui prave sine eadem recipiunt.

S. Basilius *Homil. 1. de Baptismo* in illos invehitur, qui in peccato Sacrum Salvatoris corpus recipiunt, & ostendit, quibusnam cum dispositionibus sit recipiendum.

S. Hieronymus in Apologia pro Libris contra Jovinianum sententiam suam aperit circa consuetudinem, quæ tunc Romæ vigebat quotidie communicandi.

Idem *l. 2. in cap. 9. Zachariæ* hæc explicans verba; *quid bonum ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum?* de propriis divini hujus cibi effectibus verba facit.

S. Ambrosius *in libris de Sacramentis*, & præsertim libro 5. plurima, eaque præclara habet de dispositionibus ad hoc Sacramentum afferendis, de effectibus illius, & de frequenti Communione.

S. Gregorius *l. 3. in cap. 6. primi Reg.* in ea verba, *percussit autem Dominus de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini,* fusius agit de illis, qui sancta Mysteria, vel indigne, vel parum reverenter attrectant.

S. Bernardus *Serm. de Cœna Domini* Sacramenti hujus effectus ostendit, & quomodo illi acceptam referre debeamus vitiorum, affectuumque nostrorum victoriam.

S. Chrysostomus *Tomo 5. Homil.* 61, probat illum, qui communionem recipere detrectat, non mereri communibus Fidelium precibus interesse.

Idem *Hom. 3. in Epist. ad Ephes.* ostendit cum reverentia nobis ad hanc mensam accedendum, neque eisdem interesse detrectandum.

Idem *Homil. 13. in Epistol. ad Hebr.* docet quibus rarius, quibus frequentius sit communicandum.

Idem *Homil. 7. in cap. 2. S. Matth.* in peccato communicantes Herodi comparat, simulanti se pergere velle ad Messiam a Magis inventum adorandum.

Idem *Homil. 45. in S. Joannem*, ubi hunc vitæ panem esse probavit, loquitur de effectibus, quos gignit, & virtute, quam nobis communicat &c.

Idem *Homil. 24. in Primam S. Pauli ad Corinth. Epist.* docet quanam dispositione sit accedendum.

Idem *Homil.* 28. S. Pauli explicans verba, ostendit enormitatem sceleris eorum, qui indigne communicant; quod ipsum præstat Serm. 3. in Epist. S. Pauli ad Ephesios.

Idem *Hom.* 60. ad Populum Antiochenum, docet quanam puritate ad augustissimum hoc Sacramentum sit nobis accedendum.

Idem *Homil. 5. in prima ad Timotheum* ostendit, ut digne ad hanc Mensam accedamus, minus respiciendam esse temporis diuturnitatem, qua minime communicavimus, quam nostræ conscientiæ statum.

Thomas

Ascetici. Thomas a Kempis lib. 4. de Imitatione JESU CHRISTI.

Dionysius Carthusianus in Operibus Minoribus. *Tomo* 2.

Ludovicus Granatensis.

Alphonsus Rodriguez part. 2. de Perfectione. Tractatu 7.

Ludovicus de Ponte. Tomo 1. de Perfectione. Tractatu 4.

S. Franciscus Salesius in Introductione ad vitam devotam part. 2. c. 20. & 21.

Recupitus de signis Prædestinationis &c. signo decimo.

P. Novet in Meditationibus de vita JESU CHRISTI in Sancto Sacramento.

P. Nepveu in Octava Sancti Sacramenti.

Idem in Christianis Considerationibus Tomo 3. & 4.

Nicolaus Lancicius, *Opusculo Spirituali* 14. *de Efficacia Eucharistiæ*.

P. Antonius de S. Martino a Porta, in libro, cui titulus *la Conduitè de la Grace*, parte ultima, ubi ostendit, frequentem Communionem validam esse rationem ad finalem gratiam assequendam; & quænam esse debeat frequenti huic Communioni præparatio.

P. Paulus de Barre in solitudine Philagiæ die decima.

P. Croiset Tomo 2. Spiritualium considerationum loquitur de dispositionibus necessariis ad quotidie communicandum.

P. Caussinus in Aula Sancta lib. 3. sect. 12. loquitur de praxi Communionis.

Tridentinæ Synodi Catechismus, ubi loquitur de Eucharistiæ Sacramento.

Non deest infinita propemodum in omnibus linguis supellex Asceticorum, qui continent tractatus de ratione, & praxi bene communicandi. Eos recensere omnes impossibile esset; at præterire nequeo librum non ita pridem a R. P. Vaubert Societatis JESU editum, cui titulus, *Traitè de la Communion, ou Conduitè pour communier Saintement*; ubi solide, simul ac utiliter pertractatur, quidquid hac in re desiderari posse videtur.

Concionatores. Quin de veteribus loquamur, qui in Octavis, quas edidere, de communione Sermonem instituere non prætermiserunt; hi ferme sunt, apud quos inveniri possunt ea, quæ huic sæculo sapiant.

P. Castillon in Octava sua de finibus JESU CHRISTI in hujus Eucharistici Sacramenti institutione, Sermonem habet de Communione frequenti.

P. de la Rue Sermone pro Dominica Palmarum.

Idem Sermone ultimo octavæ suæ Eucharistiam considerat veluti panem, & viaticum, quo in vita, & morte roboramur.

P. Delingendes Sermone 2. Octavæ illius, quam latine scripsit, de Sacramenti hujus effectibus verba facit; unde infert, hoc esse Amoris Sacramentum.

Idem Sermone 7. explicat unionem, quæ inter Corpus JESU CHRISTI, illudque recipientem adest.

Biroat in Octava sua, licet explicite de Communione verba non faciat, plurima tamen habet ad eam pertinentia.

Auctor Sermonum Christianorum Sermone 5. Octavæ de bonis, pravisque Communionibus disserit; & Sermone 7. ostendit Eucharistiam thesaurum esse iræ in eos, qui accedunt indigne.

P. Texier in Octava sua aliquot Sermones habet hujus argumenti.

Reina Auctor Italus latine redditus Sermone 35. Quadragesimæ loquitur de vita divina, quanam nobis divinum hoc Sacramentum communicat, deque pluribus aliis rebus ad Communionem spectantibus.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta pro argumento Octavæ Sanctissimi Sacramenti ea assumpsit, quæ unice ad Communionem pertinent, scilicet præparationem, quæ afferenda est; modum, quo Dei Filius a nobis est excipiendus; Frequentem Communionem, fructumque inde percipiendum, & Communionem sacrilegam &c.

Quicumque octavas ediderunt de Sanctissimo Sacramento aliquem habet hujus argumenti Sermonem, tamquam maxime moralis, atque perutilis. Qui collectores hujus argumenti ediderunt.

Quicumque locos communes ediderunt, hoc argumentum non omiserunt; hi autem ferme fusius illud persecuti sunt.

Ludovicus Granatensis. *Titul. Eucharistia* in locis communibus.

Busæus in sex capitibus Viridarii sui ea omnia collegit, quæ de Communione potuit invenire. *Titulo Eucharistia*.

Labatha præ aliis etiam fusius hoc argumentum pertractat. *Tit. Eucharistia*.

Raynerius de Pisis. *Tit. Eucharistia*.

Drexellius *in Rosis Select. part.* 2. *c.* 8.

Lohner. *Tit. Eucharistia*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

Panis cor hominis confirmet. Ps. 103.

Calix meus inebrians quam præclarus est! Ps. 22.

Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Ps. 115.

Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in saeculum seculi. Ps. 21.

Et ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus & quadraginta noctibus. 3. Reg. c. 19.

Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Prov. 9.

Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem. Sap. 16.

Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? Zach. 9.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Isaiæ 18.

Coinquinabar in medio eorum. Ezech. 22.

Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Matth. 28.

Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Joann. 6.

Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ibidem.

Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Joann. 6.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; & ego resuscitabo eum in novissimo die. Ibidem.

Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Ibidem.

Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Ibidem.

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. 1. ad Cor. c. 11.

Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Ibidem.

Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Ibidem.

Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi mandu-

manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Ibidem.

Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? 1. ad Corinth. 10.

Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Ibidem.

Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse vivet propter me. Joann. 6.

Erant perseverantes in communicatione fractionis panis. Act. 2.

Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione moritur: quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit? Ad Hebr. 10.

Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo. Num. 21.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Luc. 11.

Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Ps. 101.

Exempla, vel Figuræ Veteris Testamenti.

Manna figura Eucharistiæ.

NEmo unus ignorat, Mannam ex præcipuis Eucharistiæ figuris fuisse: hoc ipse Dei Filius innuit, cum cœlestem, vivumque panem, quem hominibus in nova lege traditurus est, præfert veteri huic pani Angelorum manu elaborato. Duarum harum cœlestium epularum similitudo in eorum effectibus præsertim elucet, quoniam Manna quidem omne saporis genus, ut hodie Eucharisticus panis, in se continebat, illa quidem pro corpore, hic autem pro anima: verum hoc Salvator discriminis inter utramque ferculum statuit, quod Manna Israelitas a morte non tuebatur, cum Eucharistia hodie corporibus nostris conferat facultatem aliquando consurgendi, & animabus nostris vivendi vita gratiæ, simul & gloriæ. *Patres vestri manducaverunt manna, & mortui sunt; qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Joan. 6.

Arca veteris Testamenti ipsa quoque Sacramentum novæ legis præsignavit. Hæc arca erat populorum consolatio, eorum refugium, & virtus, cum ab hostibus urgebantur: hæc tamen Bethsamitarum cladem peperit, quorum ultra quinquaginta millia delevit Deus, eo quod non satis reverenter eamdem intuiti fuissent. Oza fuit morte perculsus eodem temporis momento, quo manum est ausus extendere, ut eam labantem fulciret; sed Obededom illam domi suæ forte longe feliciori conspexit, & Dominus eum benedictionibus, & prosperitatibus cumulavit illam remuneraturus pietatem, ac religionem, qua Sanctus hic Israelita illum receperat. Hæc ad nostram doctrinam dicta sunt: Si enim Deus tanta severitate in eos animadvertit, qui figuræ omnem eam, quam debebant, reverentiam non præstitere, quam districte eos puniet, qui erga rem figuratam non præseferent profundam eam religionem, quam ab omnibus ad eam accedentibus exigit? Quid facere tenemur, ne in funestum nobismet virus convertamus, quod traditur nobis tamquam malorum omnium antidotum, & medicina, & ne calamitose in ipso vitæ fonte mortem inveniamus?

Assueri convivium.

Assueri convivium dimidiatum annum sine ulla intermissione permansit, & ait Scriptura hanc ipsam temporis circumstantiam maximam conciliasse admirationem Principis magnificentiæ in universa terra. JESU CHRISTI Convivium in Eucharistia non annum integrum, sed usque ad sæculorum consummationem producendum est: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Quæcumque effulserit in Assueri convivio Magnificentia, & quæcumque in illis effulgeat, quæ in terris fieri consueverunt, fatendum est tamen brevi eorum diuturnitate gaudium semper effici imperfectum; id autem de Filii Dei convivio dicendum non est, quantum usque in sæculorum finem est duraturum. Si intra unius tantum diei spatium terminaretur, diceret fortasse quispiam, tempus jam abiisse, & ad illud reverti non amplius licere; sed hujus convivii tempus non præterit, quotidie rursus incipit, atque in nostra positum est potestate divina hac esca saginari.

Agnus Paschalis.

Agnus Paschalis alia fuit divini hujus Sacramenti figura nequaquam ignobilior, quam prima. Satis compertum est, quibus cæremoniis primum immolaretur, & deinde cum azymis panibus comederetur, quod Eucharistiam repræsentat, quatenus sacrificium, Sacramentum, & cibum; qua in re hæc figura præstantior videtur, quam reliquæ; exhibet enim omnes eas rationes, quibus Eucharistia potest considerari.

Rubi ardentis figura modum exhibet, quoad Eucharistiæ Sacramentum accedendum est.

Cum Deus se primum sub rubi ardentis imagine prodierit, Moyses admiratione, & stupore hujus spectaculi perculsus, primum quidem voluit accedere, ut distinctius miraculum intueretur; sed vox illius auribus accidit dicens: *Solve calceamenta pedum tuorum; locus in quo stas terra Sancta est.* Voluit Deus illico temerarium, ac præcipitem motum compescere, quo Moyses rubum versus ferebatur: cum enim de illius agitur conspectu, homo numquam satis sibi cavere potest, neque satis modeste se gerere; præcepit autem, ut solveret calceamenta de pedibus suis, quia sub corporeæ hujus actionis figura, interiorem sanctificationem voluit innuere: hoc enim idem fuit ac præcipere, ut quidquid humile, ac terrenum erat, exueret, atque ab antiquis sordibus sese expiaret; quod nos docet quanta cum puritate accedere debeamus ad Eucharistiam ubi Dei Filius præsens est longe diversa ratione ac in rubo, ubi ostendit se Moysi; quia illius corpus, & sanguis hic vere, ac realiter adsunt, uti etiam per concomitantiam illius persona, & divinitas. Inde judicare est, quam necessarium sit illum cum totius animæ nostræ collectione, omniumque cogitationum nostrarum supra terrena qualibet elevatione recipere; serio nosmetipsos excutiendo, ut dignoscamus, utrum indigni simus, qui ad divinam hanc mensam accedamus.

Panis, quem comedit Elias, & qui eidem robur tribuit.

Meminerimus, quid Eliæ Prophetæ acciderit. Fugiebat ille persecutiones crudelissimæ Jezabel, & postquam in horrida solitudine errasset nullo recreatus cibo, fessus itinere, viribus exhaustus, humi discubuit modicam requiem capturus. Nonne hæc naturalis est imago status illius, in quo plurimi Fideles quotidie versantur? Vix ille somno captus fuit, cum Angelus excitavit illum clamans; surge, & comede. Dicto paruit, & cum vix subcinericium panem gustasset, quem prope caput suum nactus est, confirmatæ fuerunt vires illius, & haud ægre usque ad Montem Oreb ambulavit. Hoc ipsum dici potest infirmis, languentibusque animabus. Surgite, accipite, & comedite cœlestem hunc Eucharistiæ panem, cujus nonnisi figura erat Eliæ panis, & roboramini. Per hujus vim in virtutis viam incedetis; vosmet evehetis ad sublimiorem perfectionem, quæ per montem illum exhibetur, cujus nomen Dei visionem significat. Verum est, Prophetam, ubi primum ex hoc pane comedit, iterum viribus defecisse, sed præcepit Angelus, ut rursus vesceretur: ut nos inde intelligeremus, si una communione cor nostrum non omnino inflammetur, eam nobis esse iterandam, donec primus fervor iterum fuerit incensus.

Figura quædam.

In Levitico videmus, si quis immundus per audaciam

quo ostenduat, qua puritatem ad hoc Sacramentū sit accedendum.

daciam in partem accedere voluisset victimarum, quæ per oblationem fuerant sanctificatæ a filiis Israel, hunc morte fuisse damnatum: *Omnis homo, qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino*. Levit. 22. In Numeris legimus, filios Aaron eo, quod attulissent ad Altare ignem non sacrum, ultrici flamma, quæ inde exarsit, absumptos fuisse. In secundo Regum libro invenimus, Ozam eo quod Arcam attingere ausus est, cum Sacerdos non esset, cæsum a Domino fuisse, qui manus adeo audaces ferre non potuit, quamvis ad labantem arcam sustinendam fuissent admotæ. Quanto ergo majori ratione mortem merentur illi, qui indigne vescuntur carne, non illa quidem mortua agnorum, & vitulorum, sed hac viventi, immortali, & divina JESU CHRISTI?

Exempla, & Parabolæ Novi Testamenti.

Parabola illius, qui ad convivium accessit sine veste nuptiali.

Ut cœlesti huic convivio interesse possimus, atque ut digne communicemus, in gratia, & charitate simus oportet. Egregiam hujus rei figuram in Evangelica Parabola habemus, ubi ille, qui sine veste nuptiali ad Nuptiale convivium accesserat, inde turpiter ejectus fuit. Rex enim, cum minime ferre posset insolentiam, qua ille ad mensam ausus fuerat accedere, præcepit, ut vi divelleretur, & manibus, pedibusque ligatis in tenebras exteriores projiceretur. Charitas hæc est vestis nuptialis, qua indui oportet, ut qui cœlestis Convivii aulam ingrediatur, nisi subito velit invitantis indignationem, ac sævissimis quibuslibet suppliciis se objicere; ea vero perfecta sit, non oportet, ut divinæ huic mensæ admittamur.

Hoc Salvator ipse nos docet, ubi sub parabola Patrisfamilias ad convivium invitantis ægros, cæcos, & claudos, ad Sanctissimam hanc mensam eos etiam accersit, qui sunt adhuc imperfecti. Hoc etiam vetus Ecclesiæ praxis tradit infantibus, adultisque omnibus Communionem præbentis illa ipsa die, qua baptismo erant abluti, atque Hæreticis die illa, qua erant reconciliati. Liquet enim neutros nondum ad sublimem perfectionis gradum pervenisse: & cum quibusdam peccatoribus differebatur diu post eorum confessionem; hoc non inde fiebat, quod judicaret Ecclesia, summam requiri perfectionem in communicante; sed ut plane cognosceret conversionis eorum sinceritatem, atque ut severa hac punitione majorem illis scelerum suorum horrorem immitteret.

Indigne communicantium pœna, Judæ exemplo.

Judas infelicissimus terribile proponitur exemplum indigne communicantibus: *& post bucellam introivit in eum Sathanas*. Statim enim ac indigne Domini sui corpus recepit, dæmonis potestati traditus fuit, qui novam illius cœpit possessionem. Ante hoc scelus Dei Filius validas illi inspirationes tribuerat, ut de avaritia, in quam erat proclivis, illum erueret; illum patrandorum miraculorum potestate donaverat, illum suis beneficiis, favoribusque cumulaverat: sed ex quo per summum nefas ausus est illius Corpus comedere, & bibere Sanguinem in peccati statu, illico in Sathanæ potestatem fuit traditus. Permisit Dei Filius, ut Dæmon illo potiretur, eumque deinde in Magistri proditionem, ac demum in desperationem impelleret, ut mortales omnes & sceleris ejusdem enormitatem, & supplicii gravitatem cognoscerent.

APPLICATIONES.

Dæmon nobiscum alia prorsus insistit via ab illa, qua primos Parentes nostros aggressus est cum felicissimo eventu. Cum enim his, proposita mortis pœna, præcepisset Deus, ne ex quodam fructu vescerentur, ausus est Dæmon illis suadere futurum ut si comederent, non morerentur quidem, sed converterentur in Deos, & persuasit. Sed Salvator ut nos ad communicandum invitet, affirmat, cœlestem hunc panem immortalem, divinamque vitam nobis communicaturum, & si eo nosmet abstinuerimus, mortem minitatur. Quid porro Dæmon omnibus Filii Dei consiliis adversaturus? plurimis suadet, si eumdem comederint, mortem in illo inventuros, quia indigni sunt, qui eodem vescantur. *Consideratio hæc ex Ruperto Abbate desumpta est*.

Per communionem J.C. similes evadimus.

Tentavit etiam Dæmon parentes nostros illis dicens, ex hoc fructu comedentes *Eritis sicut Dii*. Hoc illi crediderunt, quamvis Deus minitatus fuisset futurum, ut eo ipso, quo comederent, momento morerentur. Ut huic malo Dominus occurrat, nos ipse quoque tentat, & ait, comedite corpus meum, & Sanguinem meum bibite, & eritis sicut Dii. Et profecto cœlestis hujus panis natura longe alia est a natura panis vulgaris. Illum in substantiam nostram nos vertimus, cum eodem vescimur; ipse e contra nos mutat, quod moraliter in hoc sensu intelligendum est, nos videlicet ab ipso sibi similes fieri. Quapropter Sanctus Augustinus ita Salvatorem loquentem inducit: *Non ego mutabor in te, sed tu mutaberis in me*.

Exi a me, quia homo peccator sum. Luc. 5. Hæc dixit S. Petrus Apostolus, cum importuna humilitate a se removere conabatur honorem, quem illi Magister suus collaturus erat pedes illius abluendo. Hæc quidem Sententia optima est, & justa in Christiano, quem Dei Filius ad suam mensam invitat; verum illum non debet ab altari semovere, ac prohibere, ne ibi suum Salvatorem accipiat; qui enim id fecerit sese iis objiciet minis, quas ille eidem Apostolo intentavit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. Joan. 13. Nosmetipsos semper hac indignos gratia existimemus; sed cum illam recipere possumus, ne nosmet eadem privemus. *Hæc sententia est Auctoris libelli de Imitatione JESU CHRISTI*.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo. Joan. 6. Ex his verbis inferendum est, panem hunc, & hunc potum longe aliter cum nostra conjungi substantia, quam vulgaria alimenta. Quamvis enim dicatur, qui aliquo cibo vescitur, hunc habere in seipso; nemo tamen dixit unquam, illum in hoc cibo permanere. Improprie loqueretur etiam qui diceret, cibum hunc in eo permanere, quia corruptibilis est, & in illius substantiam convertitur.

De indigna communione.

Adhuc esca erant in ore ipsorum; & ira Dei ascendit super eos. De indigne communicantibus dici potest, quod Regius Propheta de Israelitis ait, cum Mannæ, quam Deus illis tradiderat, ut in deserto alerentur, pertæsi alias poposcerunt epulas, & illas, quas in Ægypto reliquerant, concupiverunt; videlicet iram Dei in eos exarsisse, cum adhuc in ore ipsorum versarentur dapes, quæ divinitus ipsis depluerant. Enim vero eodem temporis momento, quo in mortali peccato sacer hic cibus accipitur, suum a quocumque Judicium, suaque damnatio manducatur. Quemadmodum autem ea, quibus vescimur, arcte adeo nobis adhærent, & conjunguntur, ut illo deinde a nobis separari minime possint, ita diceres, iram Dei, cujus proprius effectus est nostrum Judicium, atque damnatio, ita nobismetipsis per Sacrilegam Communionem inhærere.

Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus. *Joan*. 6. S. Ambrosius *lib*. 4. *de Sacramentis c*. 4. duplicis meminit transformationis in hoc adorabili Mysterio, & asserit etiam alteram alterius esse probationem. Prima quidem miraculosa est mutatio substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI; altera ve-

vero, quo licet mortalis sit, est nihilominus miraculosa, & supra naturæ vires posita, veteris hominis in hominem novum est immutatio: namque post bonam Communionem mores, vivendi ratio, desideria, effectusque immutantur; Veteres habitus relinquuntur, ac prorsus oppositi induuntur; quapropter Sanctus Augustinus ait: *perit quodammodo humana mens, & fit divina*. In Psalm. 35.

En tibi locos aliquot Scripturæ, qui felici eventu ad hoc argumentum possunt transferri.

Si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero. Marc. 5.

Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Matth. 26.

Ecce tetigit hoc labia tua. Isaiæ 6.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum loci, atque Sententiæ hujus argumenti.

DUM *caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, de Deo anima saginatur*. Tertull. de Resurrect. carn., c. 8.

Hunc panem dari quotidie postulamus, ne dum absentes, & non communicantes a cœlesti Pane prohibemur, a Christi Corpore separemur. Cyprian. de Oratione Dominica.

Timendum est & orandum, ne, dum quis abstinens separetur a Christi Corpore, procul remaneat a salute; comminante ipso, & dicente, Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Idem ibid.

Mens deficit quam recepta Eucharistia non erigit. Idem, Epist. 30.

Quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes nudosque relinquimus, sed protectione Corporis & Sanguinis Christi munimus. Idem, Epist. 45. ad Cornel.

Eucharistia fidelem a se alienat, & ex terreno facit cœlestem. Idem, l. 2. Epist. Epist. 3. ad Cæcil.

Qui sumit Eucharistiam indigne, reus est carnis Dominicæ, ac si Dominum occidisset, & Sanguinem ejus fudisset. Idem, Tract. de Lapsis.

Quomodo morietur cui cibus vita est? Ambros. Serm. 18. in Ps. 118.

Ille panis vitæ æternæ, qui animam nostram fulcit. Idem, in Ps. 118.

Christus mihi cibus, Christus mihi potus: non jam ad satietatem mei annuos expecto proventus; Christus mihi quotidie ministratur: Idem, ibid.

Vivificat Corpus Christi, & ad incorruptionem sua participatione perducit. Cyrill. Alex. l. 3. in Joann. c. 37.

Christus in hoc Sacramento sævientem membrorum legem sedat, collisos redintegrat, perturbationes animi extinguit. Idem, lib. 4. in Joan. cap. 17.

Quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alteri ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, ut unam quid ex utriusque factum videatur; sic communicatione Corporis, & Sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso. Idem, l. 10. c. 13.

Communicare per singulos dies, & participare de sacro Corpore & Sanguine Christi, pulchrum est & valde utile, ipso manifeste dicente: qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam. Basil. ad Cæsariam Patritiam.

Quid est proprium eorum qui manducant panem & bibunt poculum Dei? Ut jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, Idem.

Convenistis frangentes panem unum, qui pharmacum immortalitatis est, antidotum ne moriamur, sed vivamus semper in Jesu Christo. S. Ignatius Martyr, Epist. ad Ephes.

Dedi eis esum Corporis mei; ipse & cibus & conviva. Hier. in c. 11. Oseæ.

Corpus nostrum consequitur immortalitatem, Corporis Christi immortalitati conjunctum. Greg. Nyss. orat. Catech. c. 37.

Deifica Communio. S. Dionys. l. de Eccles. Hierach. c. 1.

Æternæ vitæ esca. Hilarius de Trinit.

Punici Christiani, sacramentum Corporis Christi nihil aliud quam vitam vocant; Aug. l. de pecc. merit. & remiss. c. 24.

Corpore & sanguine, quo quotidie in Ecclesia pascimur & potamur, participes unius summæ charitatis efficimur. Aug. ibid. c. 14.

Non quod videtur, sed quod creditur, pascit, Idem, contra Faustum.

Ille non audet honorando sumere, & ille honorando, non audet ullum diem prætermittere; contemptum solum non vult cibus iste. Idem, tract. 60. in Joann.

Peccata, si non tanta sunt, ut excommunicandus quisque videatur, non debet se a quotidiana medicina Dominici Corporis separare. Idem, Ibid.

Quotidie Eucharistiæ Communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo; omnibus tamen Dominicis diebus suadeo & hortor; si tamen mens sine voluntate peccandi sit. Auctor lib. de Eccl. dogm. qui tribuitur August.

Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit, sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Ibidem.

Datum nobis est pignus, in quo sentimus ejus dulcedinem, & desideramus ipsum vitæ fontem, ubi sobria ebrietate inundamur. Talis ebrietas non evertit mentem, sed rapit sursum, & oblivionem præstat omnium terrenorum. August. l. de Agone Christ.

Dominus Angelorum factus est homo, ut panem Angelorum manducaret homo. Idem, Serm. 13. de temp.

Illud bibere, quid est nisi vivere? manduca vitam, bibe vitam. Idem, Hom. de verbis Dom.

Cum cibo & potu id appetant homines, ut non esuriant neque sitiant; hoc vero non præstat nisi ille cibus & potus, qui eos a quibus sumitur, incorruptibiles facit, & immortales. Idem, tract. 26. in Joann.

Cibus sum grandiorum; cresce & manducabis me; nec tu me mutabis, sicut cibum carnis, in te, sed tu mutaberis in me. Idem, l. 7. Conf.

In Christi Corpore vita nostra consistit; mutet ergo vitam qui vult accipere vitam; si non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam, Idem, Serm. de temp.

Panis iste famem interioris hominis requirit, Idem.

Calix tuus inebrians quam præclarus est? Hoc calice inebriati erant Martyres, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant. Idem, in Ps. 35.

Sacramento Corporis Domini subjugatus est mundus. Aug. ad Januarium.

Si quoties effunditur Sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. Ambr. de Sacram.

Hic Sanguis animæ nobilitatem non sinit languescere, hic Sanguis facit ut imago in nobis regni floreat. Chrys. Hom. 45. in Joannem.

Tamquam Leones ignem spirantes ab hac mensa recedamus, diabolo facti terribiles. Idem, Hom. 61. ad Popul. Antioch.

Dum huic nos unimur, efficimur unum Christi corpus, & una caro. Idem, Hom. 83. in Matth.

Non minus detestabile est illi os pollutum quam in sterquilinium mittere Dei Filium. Idem.

Non

Non est audacia sæpe accedere, sed indigne vel semel. Idem.

Quemadmodum frigida accessio periculosa est; ita nulla mystica hujus cœnæ participatio. Idem, Hom. 24. super 1. ad Corinth.

Spem nobis de futuris præbet, quippe qui nobis hic seipsum tradidit, multo magis id faciet in futuro. Idem, Hom. 6. ad Popul. Antioch.

Quis Pastor oves proprio pascit cruore? .... ipse autem nos proprio pascit sanguine. Et per omnia nos sibi coagmentat. Idem, Hom. 83. in Matth.

Parentes, filios sæpe aliis tradunt alendos. Ego autem, ait Christus, *non ita; sed carnibus meis alo, & meipsum vobis appono:* Idem, Hom. 61. ad Popul. Antioch.

Unicuique fidelium se Christus per mysterium commiscet. Hom. 83. in Matth.

Unum corpus efficimur, membra ex carne ejus, & ex ossibus ejus; ut autem non tantum charitate hoc fiamus, verum etiam ipsa re, in illam commisceamur carnem, hoc per escam efficitur, quam nobis largitus est. Idem, Hom. 61. ad Popul. Antioch.

Os spirituali igne repletum. Ita vocat os sumentis Eucharistiam. Idem, Hom. 83. in Matth.

Nemo nauseans accedat, nemo remissus; sed excitati, incensi, ac ferventes omnes accedant. Idem in Matth.

Non aliud agit participatio Corporis & Sanguinis Christi, quam ut ad id quod sumimus transeamus. S. Leo de Pass. Dom.

Cibus ejus ipse sum, Christus Dominus cum pascit, pascitur. Bernard.

Duo illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Idem, Serm. in Cœna Dom.

Spiritalis institlo .... si ejus sacratissima inseramur vitæ, consortes Dei; divinorumque participes reddimur. Dionys. in Eccl. Hierarch.

Accedere indigne horrendum judicium; non accedere ex notabili negligentia, vel contemptu, damnabile est. Sanctus Bonaventura de Præparat. ad Miss. c. 4.

Terretur adversarius, dum videt Christiani labia Christi cruore rubentia; agnoscit enim præsto esse suæ perditionis indicium, & divinæ victoriæ, qua captivatus & obrutus est, non tolerat instrumentum. Petrus Damiani, opusc. de instit. monast.

Notissimum futuræ felicitatis indicium, ac divinæ miserationis præsagium certum, Laur. Justin. Serm. de Euchar.

Toties homo Angelorum manducat panem, quoties Corporis & Sanguinis Christi percipit sacramentum: nam quantumvis non eodem modo quo illi, eumdem tamen manducant cibum. Idem, ib.

Spiritualis dulcedo tamquam in proprio fonte gustatur. D. Thomas opusc. 57.

Si in mortali cibo tanta vis inest, ut quotidie vitam labentem reparet, viresque restituat; Idem sentiendum de hoc immortali cibo, in quo vita etiam præstatur. Paschas. I. de Corpor. & Sang. Christi.

Concorporei & consanguinei Christi facti estis. Cyrill. Jerosl. Serm. Catech.

Amabile futuræ jucunditatis præludium. Matth. VVormatiensis.

Antidotum, quo a peccatis mortalibus præservamur. Conc. Trid. sess. 13. c. 2.

Panem vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. Canon Missæ.

In cassum assistimus altari, si nullus est qui communicet: si non es hostia dignus, nec oratione. Chrys. in Epist. ad Timoth. Hom. 5.

Hoc est quod universa perturbat, quia non munditia animi, verum intervallo temporis longiore, constare meritum putas. Idem, Ibid.

Et nos ille possideat, & nos illum possideamus. Aug. tract. 2. in Joann.

Quomodo non exultet anima, quæ se sentit dignam effectam divini Verbi præsentia? Laurent. Justin. I. de Cast. Con. c. 22.

Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Chrys. Hom. 60. ad Popul. Antioch.

Per cibum istum sacratissimum in suam nos Christus traducit naturam, Deiformesque nos reddit. Dionys. de Cœlesti Hierarch.

Ipse conviva & convivium, ipse comedens & qui comeditur. Hier. Epist. 150. ad Hedib.

Qui amat hanc carnem, non est amicus carnis suæ. Greg. Nyssen.

PARAGRAPHUS V.

Quid erui ex Theologia ad hoc argumentum possit.

Quid communio, & communicare.

Adorabilis filii Dei corporis receptio in Eucharistia vulgo communionis nomine exprimitur, quod ex illis Apostoli verbis desumptum est. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* 1. ad Corinth. 10. Hoc enim Sacramentum, S. Joanne Damasceno teste, non solum nos JESU CHRISTO conjungit, nosque carnis, & divinitatis suæ participes facit, verum etiam nosmet invicem in eodem JESU CHRISTO consociat, atque ibi, ut ita dicam, incorporat ut nos omnes cum illo unum corpus efficiat. Itaque communicare est recipere Corpus, & Sanguinem Dei, qui factus est homo, & qui se nobis arcte conjungere cupiens, nobisque amorem suum testari, panis, & vini speciebus occulitur, ut ita se nobis tradat in cibum.

Dominici corporis recipiendi necessitas, præcepti tantummodo est in Adultis etiam, qui baptizati sunt, ubi illud recipere possint, quamobrem Sanctus Thomas *quæst.* 73. *art.* 3. concludit, usum, & actualem receptionem Eucharistici panis, si in seipsa spectetur, non esse de necessitate salutis; seu quod qui actu illum recipere nequit, potest habere gratiam, & salutem per sanctum desiderium recipiendi hoc Sacramentum, quemadmodum Catechumenus salutem obtinere potest per baptismum flaminis, atque amoris; seu denique quod ad salutem indipiscendam satis est participes esse unitatis Ecclesiæ, vel mystici Corporis JESU CHRISTI per fidem, & charitatem.

Eucharistia ad immortalitatem obtinendā necessaria.

Affirmari tamen potest, Eucharistiam efficacissimum, & maxime necessarium esse medium ex iis, quæ nobis Dei Filius reliquit, ut immortalitatis suæ fieremus participes. Ut hoc nobis persuadeatur, scire sufficit, Salvatorem declarasse nobis in Discipulorum suorum persona, eos qui suam carnem, & sanguinem non manducaverit, biberitque, vitam æternam assecuturos non esse: *Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Joan. 6. Hæc exclusio adeo explicita est, ut de hujus Sacramenti necessitate non liceat ambigere. Gratia immortalitatis magno huic Mysterio inhæret, & nemo ab eodem abesse potest, quin seipsum privet effectu, quem in accedentibus ad ipsum operatur.

Verum est, Baptismum vitam gratiæ conferre, & Pœnitentiam illis eamdem reddere qui illius jacturam subiere; sed verum quoque est, duo hæc Sacramenta virtutem suam a Corpore, & Sanguine JESU CHRISTI tamquam ex suo fonte recipere. Mors hujus eorum verum extitit principium; sanguinis ejusdem effusio hanc a Deo obtinuit, nobisque promeruit gratiam; sed hæc vita nobis ratione longe præstantiori, nobiliori, & magis affluente per Sacramentum mortis ipsius communicatur. Baptismus huic vitæ principium præbet, eam reparat Pœnitentia; sed Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI participatio eam fovet, nutrit, atque confirmat. Hæc illi perfectionem impertit, & scimus ab hac illam a quamplurimis, quibus patet, periculis præservari.

Cum

Quo in sensu intelligendum sit, ab Eucharistia gratiam communicari.

Cum dicitur Eucharistia gratiam communicare, non intelligendum est perinde ac necessarium minime sit, eum, qui vult digne communicare antea gratiam obtinuisse; sed hoc dicitur primo, quod prima videlicet gratia, sine qua nemo ad hoc Sacramentum debet accedere, ibi mirabile incrementum accipit; & quemadmodum corpus non conservatur solum cibo corporali, verum inde novum virium augmentum recipit; ita Eucharistia quoque, qui spiritualis est animæ cibus, non tuetur solum vitam spiritualem, verum etiam novam virium tribuit accessionem. Secundo quod in hoc Sacramento auctor gratiæ continetur, & quomodo JESUS CHRISTUS in Mundum veniens visibili ratione contulit gratiam, ita in nos sacramentaliter veniens per Communionem vitam gratiæ operatur in nobis. Tertio, licet juxta Theologorum omnium sententiam, hoc Sacramentum justificantem gratiam non tribuat in prima divini sui Institutoris intentione, propterea quod Sacramentum est vivorum, & in nobis vitam supponit; hanc tamen gratiam operatur in nobis juxta eorumdem Theologorum communem sententiam, ubi quis lethalis alicujus culpæ reus, quem ignorat, bona fide, se in gratia putans esse attritionis actu elicito recipit Communionem.

Proprius Eucharistiæ effectus in animabus nostris.

Non satis fuit Salvatori, nobis per Communionem elargiri vitam, eadem utitur etiam, ut nos contra inimicos nostros confirmet, languoribus, ægritudinibusque spiritualibus medeatur, animasque nostras quibusdam veluti gradibus ad charitatis perfectionem attollat. Namque ex D. Thomæ sententia, cibus spiritualis in animæ vita eosdem parit effectus, quos in corporis vita cibus corporeus, hic quidem corporis vires tuetur, & reparat, ille vero vires reficit spirituales.

Animadvertendum est etiam præter universalem gratiam, quæ omnibus Sacramentis adhæret, singula gratiam habere sibi propriam; per Baptismum primam gratiarum omnium recipimus; per Confirmationem illa roboratur in nobis; Pœnitentia vulneribus nostris medetur; Extrema Unctio contra mortis impetum munit; sed per Eucharistiam de Deo alimur, vivimusque. Evadimus Filii Dei per Baptismum; per Confirmationem in fide inconcussi manemus: in Pœnitentia per misericordiam Dei peccata nostra remittuntur; sed per Eucharistiam novam adhuc cum Deo unionem contrahimus.

Quomodo Filio Dei per Communionem conjungamur.

Cum Patribus, atque Theologis duplex in JESU CHRISTO corpus distinguendum est; alterum naturale, mysticum alterum. Primum quidem in Virginis Deiparæ sinu induit; alterum vero sibi ex omnibus fidelibus efformavit. Nos autem per dignam naturalis Corporis ejusdem receptionem evadimus membra mystici corporis ejus ratione longe præstantiori, quam per alia Sacramenta. Mysticum JESU CHRISTI corpus Ecclesia est, inquit S. Thomas, hujus ille Caput est, & fideles omnes in statu gratiæ sunt membra; & per Communionem illi incorporantur.

Prima, quæ requiritur dispositio, ut digne Eucharistiæ Sacramentum recipiatur, est nosse discrimen illud, quod inter sacram hanc, profanasque mensas, inter cœlestem hunc panem, & panem communem, vulgaremque intercedit, cognoscere. Quod quidem fit, ubi creditur hoc verum Corpus, hic verus esse Domini sanguis, quem Angeli in Cœlo venerantur: satis enim esse debet Mysterii hujus altitudinem admirari, quin perquisitionibus nimium curiosis modus inquiratur. Dispositio altera est, serio conscientiam nostram excutere, utrum aliqua lethalis culpæ macula polluti simus, ut ea Contritione, & Confessione eluatur. Statuit enim Tridentina Synodus, citra scelus non posse recipi Eucharistiam in peccato mortali, nisi per Confessionem antea fuerit expiatum, ubi copia sit Sacerdotis, cui confiteri possimus, licet etiam contritionis igne flagrare videremur. Tertio est, ad examen revocare, utrum pacem cum proximo habeamus, & simultatem aliquam & odium foveamus. Dei enim Filius præcepit, ut Altare relinqueremus abituri ad resarciendam gratiam, si cum aliquo nobis inimicitiam esse comperiremus. Hæ sunt dispositiones omnino necessariæ; quin loquamur de aliis corporis, animique dispositionibus, quæ cuilibet innotescunt.

Rationes, propter quas crebro communicare debemus.

Sæpe communicare debemus 1. quia Dei Filius nos invitat. Nostræ infirmitates ad id minime obstaculo nobis sunt, dummodo nobis displiceant. Infirmos etiam, cæcos, & claudos ad hoc cœleste convivium invitat, ut ostendat, neminem inde repelli, eo quod perfectam Sanctitatem assecutus non fuerit. 2. Sæpe communicare debemus, quia ad hoc hortatur Ecclesia unanimi Sanctorum Patrum consensu, qui ejusdem Interpretes sunt; eamque mentem primis afflavit Fidelibus, & donec filii sui sanctæ huic consuetudini adhæserunt, semper vere sancti fuerunt. 3. Sæpe communicare debemus, quia ad id nostra nos impellit utilitas, neque enim ea exprimi possunt bona, quæ ex frequenti communione percipimus.

Hæ præterpropter observandæ sunt regulæ hac in re. 1. Frequens Communio infrequenti per se est anteferenda. 2. Temerarium est, communionem frequentem absolute vituperare, post ea, quæ hoc in argumento Sacrosancta Tridentina Synodus declaravit. 3. Communio esse debet plus, minusve frequens pro ratione nostræ necessitatis, dispositionis, cum qua ad illam accedimus, & fructuum, quos ex illa percipimus. 4. Dispositio ad digne communicandum absolute necessaria ea est, quam Tridentina Synodus exigit, quæ quidem in integra lethalium criminum confessione, in sincero eorumdem dolore, ac certo, constantique consilio iterum in eadem numquam relabendi consistit. 5. Affirmare tamen eos, quibus hæc una dispositio adest, posse, vel debere communicare singulis diebus, sententia est rationi, Patrum omnium menti, prudentissimorumque conscientiarum Rectorum praxi contraria. 6. Qui data opera, atque de industria nullum veniale peccatum committunt, & qui ab hoc mundo necnon a se ipsis penitus avulsi sunt, hi nimis crebro communicare non possunt.

Quærit Sanctus Thomas *quæst.* 8. *art.* 20. utrum quotidie liceat communicare, & statuit. 1. Si Sanctum hoc Sacramentum in eo, quod continet, consideratur, in virtute, & efficacia sua, nihil obsistere, quominus quotidie sumatur: immo sumendum etiam esse, ut quotidie uberrimos fructus percipere valeamus, ideoque a S. Augustino quotidianus panis vocatur: 2. Illum, qui singulis diebus in statu invenitur Divinum hoc Sacramentum recipiendi, posse singulis diebus illud recipere; quapropter ait S. Augustinus, nobis vitam adeo sancte instituendam esse, ut illud quotidie mereamur accipere. 3. Non esse omnibus utile quotidie communicare, sed illis tantum, qui se satis sancte dispositos norunt.

Eucharistiæ Sacramentum venialia peccata dimittit.

Hæc est Sancti Thomæ, & post hunc Omnium Theologorum sententia, venialia peccata per Eucharistici Sacramenti virtutem remitti, ubi in gratiæ statu recipiatur, juxta Innocentii Papæ doctrinam, asserentis præterea, nos eodem Sacramento a mortalibus imposterum præservari per eam virtutem, quam elargitur nos in gratia servandi; quia Sanctus hic Doctor ait, quemadmodum corporeus cibus nos roborat, vitalesque spiritus, qui in singula momenta dissipantur, intereuntque, reparat; ita spiritualis divini hujus Sacramenti esca, usu suo, spiritus vires reparat vel a concupiscentia, vel a venialibus peccatis attritas, & dissipatas. Quibus addi potest, quemadmodum venialibus culpis in nobis charitatis fervor minuitur; ut ille excitetur, atque ardentius inflammetur, refert crebro ad Eucharisticam mensam cum devotione, ac reverentia accedere; quia hæc quotidiana est medicina contra quotidianas infirmitates, uti loquitur Sanctus Ambrosius.

Super

Suæ ea, quæ dicit JESUS CHRISTUS in Evangelio, quicumque manducaverit Corpus, & biberit Sanguinem ipsius, æterna vita esse perfruiturum, quærunt cum S. Thoma Theologi, utrum æternæ vitæ acquisitio sit communionis effectus: & affirmative respondent; duo enim in Eucharistiæ Sacramento sunt consideranda. Primum illud est, ex quo Sacramentum hoc suam virtutem, & efficaciam mutuatur, ipse nempe JESUS CHRISTUS, ejusque mors, quæ per hoc Sacramentum repræsentatur: alterum est illud, per quod hoc Sacramentum suum consequitur effectum, usus videlicet ejusdem Sacramenti, quæ Communio vocatur. Quoad primum, JESUS CHRISTUS per mortem, & passionem suam, teste Apostolo, nobis Cœli januam reseravit, gloriæ possessionem, & jus ad eamdem contendendi acquisivit: quod alterum in hac etiam vita, licet imperfecte possidemus charitatis unitatem, quæ, uti docet S. Augustinus, perfecte in futura gloriæ vita possidebitur; unde sequitur gloriæ acquisitionem effectum esse Eucharistici Sacramenti.

Quærunt quoque nonnulli Theologi, utrum corpora nostra ex crebro Eucharistiæ usu aliquam impressionem recipiant, per quam in se germen immortalitatis obtineant. Affirmari profecto nequit, Sacramentum hoc corporibus qualitatem aliquam communicare, quæ per se illis vitam reddere valeat, ita enim eum in statum adducerentur, ut ante præfinitum tempus resurgere possent; responderi tamen potest, quod cum per nexum, quem cum Salvatoris corpore habuerunt, consecrata fuerint, hæc unio, & affinitas moraliter agit, hoc est Salvatorem sollicitat, ut Prædestinatos resuscitet, qui in semetipsis habent quasdam veluti Eucharistiæ pretiosas reliquias; cum e contra reprobi careant hoc sollicitatore restitutionis vitæ suæ, eo quod per scelus, & nequissimæ vitæ flagitia consecrationem suam amiserunt, eadem ferme ratione, qua Templa nostra polluuntur, cum ibi quædam peccata patrantur.

De valore, quam J. C. corpus cum nobis habet propter communionem. Cum Dei Filius testatus fuerit, carnem suam vere cibum esse, & sanguinem suum vere potum, videtur ideam nostram ad ea transtulisse, quæ per corporum nostrorum alimoniam accidunt, hoc est, ut fiat cibus unum, & idem cum comedente, & in propriam illius transeat substantiam, quod ipsum probari etiam videtur complurium Sanctorum Patrum, præsertim vero S. Chrysostomi, & Cyrilli Jerosolymitani loquendi rationibus. Sed Theologia, quæ pressius, strictiusque res omnes ad examen appellat, docet divinum hunc cibum nequaquam esse sumendum, tamquam terrenam escam, quæ corpora nutrit, & auget sese in illa immutans, atque in illarum substantiam convertens. Hæc caro sacra non fit unum, & idem, hoc est natura, vel substantia eadem cum carne nostra; alioquin omnes personaliter per communionem cum Verbo essemus conjuncti: quæ sententia olim nonnullis devotis animabus arrisit, eisque par visa est, ut inde solatium uberrimum percipere possent; sed quæ a Scholis rejecta fuit, utpote quia plurimæ inde hauriri possunt illationes non satisæquæ, & palam iis adversantes, quæ sunt de hoc mysterio credenda. Hic homo Deus recipitur quidem, & continetur in corpore nostro, sed ut fiat cibus animæ nostræ non autem corporis hujus materialis, ac rudis. Verum tamen hæc non est simplex præsentia localis, sed aliquid amplius, & omnes Sancti Patres ajunt, adorabile corpus nostris conjungi non iis tantum momentis, quibus realiter in nobis est, verum etiam postquam sub speciebus esse desiit; & cum asserant, unionem hanc non moralem simpliciter esse, arduum est eamdem explicare, nisi dixerimus illam prorsus peculiarem esse; videlicet, in se quidem moralem esse, sed inniti reali, & naturali, quæ eamdem præcessit.

Primum Eucharistia semper gignit in animabus bene dispositis novum aliquem gratiæ sanctificantis gradum, efficitque, ut Fidei, Spei, & Charitatis habitus augeantur. 2. Perficit Spiritus Sancti dona. 3. Auget virtutes morales, & infusas Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, Justitiam. 4. Gratiis actualibus excitat ad virtutum omnium actus eliciendos. 5. Adfert dulcedinem, unctionem, & gaudium, quo sæpe anima nostra perfunditur.

Eucharistiæ fructus. Eucharistiæ fructus iidem præterpropter sunt ac ejusdem effectus, & ad quatuor redigi possunt. Primus est gratiæ sanctificantis, infusarumque virtutum augmentum. Altera est fervoris instauratio, venialiumque peccatorum remissio. Tertius hæc suavitas, quam gustandam nobis exhibet Deus gratiis actualibus, quæ Christianarum virtutum praxim faciliorem efficiunt. Quartus consistit in ea ope, quam Sacramenti hujus virtute nobis tribuit Salvator ad animæ vitam tuendam, superandos hostes, & quotidie in spirituali vita progrediendum.

Salvator ex quorumdam Theologorum sententia, in singula ejus temporis, quo realiter præsens est in cordibus nostris, momenta eas omnes gratias adauget, quas per hoc Sacramentum nobis impertit, prout anima eodem saginata primas dispositiones suas perficit, solis instar semper increscentis, ac in singula momenta vividiores, fulgidioresque radios circumquaque effundentis: Sed hic Sol est Justitiæ suam largitatem ampliorem efficiens, pro ut eadem anima se digniorem ostendit, eamdemque ardentiori charitate meretur.

Nemo ignorat quam grave crimen sit communio Sacrilega; verum non omnes attendunt, quot bonis sese privent per Communionem tepidam sine devotione, & cum spiritus dissipatione peractam. Hoc tamen nos docet D. Thomas in Commentariis suis in Epistolas S. Pauli, ubi postquam tradidit plures esse indignæ Communionis species, alteram facit eam, quæ sine devotione perficitur. Hic quidem devotionis defectus, S. hic Doctor ait, nonnumquam veniale tantum peccatum est, veluti cum ad communionem accedimus cum spiritu distracto ac sæcularibus negotiis implicito, licet habitualiter ea reverentia servetur, quæ Sacramentum hoc decet. Tunc profecto non efficimur rei Corporis, & sanguinis JESU CHRISTI eo modo, quo S. Paulus intelligit; sed præcipuis Eucharistiæ fructibus fraudamur; & affirmare possumus, hanc ex præcipuis rationibus unam esse, quæ prohibent, ne animæ in spirituali vita progrediantur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci in hoc argumento.

Quo consilio se Dei filius nobis in Altaris sacramento tradiderit. Generatim loquendo, asserere possumus, Consilium hoc magnum fuisse; alioquin enim Dei Filius ad illud explendum tot ne miracula fuisset operatus, communesque naturæ leges immutasset, panis, & vini substantiam destruens, suum corpus, sanguinem, Animam, Divinitatem in adeo exiguo spatio coarctans, & sub adeo humili, obscuroque tegumento omnem suæ majestatis fulgorem involvens? Si per hoc Sacramentum voluisset tantummodo sanctificantem gratiam producere, opus ne erat, ut in hoc personaliter interesset? nonne illam conferre poterat per offam panis in Eucharistia, quemadmodum per aquam in Baptismate confert? At quodnam est magnum istud consilium, quo Sacramentum hoc super cetera extollitur, ejusque peculiarem caracterem constituit? Nemo melius hac de re nos edocere potest, quam qui ejusdem est auctor. Ille porro ita loquitur. Jo: 6. *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Animadvertendum est cum S. Chrysostomo, Salvatorem quotiescumque loquitur de Eucharistia, semper se nobis vitam largiturum recipere. Quorsum istud? nisi ut intelli-

-telligamus, hunc proprium illius effectum esse? Sed cujusmodi vitam? Ambigi non potest, S. Anselmus ait, quominus cœlestem hunc cibum sumentes animæ potius quam corporis vitam quæramus. Sed animæ rationabilis vita charitas est; ideoque vita, quam nobis communicare vult Deus, vita divina est, & vita charitatis. *P. Vaubert tract. de communione* 1. *pag.* 2.

Domine mi tu vere Pater meus es, quoniam in hoc Mysterio vitam, & vitam prorsus divinam impertis: Es quidem in Cœlo sedens ad dexteram patris tui in gloriæ solio; sed proh summam bonitatem! pluries quotidie in terras dignaris descendere, ut visites filios tuos, eosque gratiis, & beneficiis cumules vel potius tanta illos dilectione prosequeris, ut æternum vivere velis inter illos, illis vitam collaturus, & servaturus. Cur ergo mihi non est cor filii erga te, filii obsequentissimi, amantissimique? Ullusne Pater extitit unquam, qui tecum valeat comparari? Sanguinis tui effusione vitam mihi tribuisti? Quam autem vitam? Vitam sanctam, immortalem, divinam, & admirabilem hanc vitam tuendam, mihi tuum Corpus manducandum, sanguinemque bibendum tradis: ullus ne pater est, qui aliquid simile præstiterit? Non defuerunt quidem parentes, qui eo usque omnem humanitatem abjecerunt, ut filiorum suorum carne vescerentur: at ulli ne fuerunt adeo suorum filiorum amantes, ut illos propriis carnibus enutrirent? Matres quidem lacte suo filios alunt; sed sæpe hoc ipsum renuunt; & lac levissima est pars earum substantiæ. Tu unus, o parentum omnium maxime amabilis, tuum Corpus, Sanguinem, Animam, Divinitatem, & quidquid es impendis, ut nos toto vitæ nostræ tempore enutrias. *Idem* 4. *p. colloquio altero cum Domino nostro*.

Nequeo, Domine mi, cum dolorem exprimere, quo afficior, ubi cogito me met toties indignum tanta hac largitate præbuisse. Quoties a te recessi nequior, & ingratior filio prodigo. Sed si hunc errans sequutus sum, ejusdem exemplum imitatus ad te revertor plurimo rubore suffusus, & spero futurum, ut a te eadem benevolentia recipiar, qua illum Pater suus est amplexus. Verius, quam ille, dicere possem, me indignum esse, qui in filiorum suorum albo recenseat: sed novi cor tuum, & postquam voluisti, me Angelorum mensæ accumbere, sperare audeo futurum, ut me adhuc tamquam tuum filium respicias. *Idem*.

Quid nos Dei filius edoceat eo statu, in quo positus est hoc in sacramento.

Cur Salvator omnem panis, vinique substantiam destruit, quin se cum eadem commisceat? Ut videlicet intelligamus post Communionem in nobis destruendum esse quidquid ibi terrenum est, omnia carnis, & sanguinis studia esse evellenda. Cur panis, vinique species conservat? Ut liqueat, nos adhuc posse communibus humanæ vitæ officiis perfungi, agere, loqui, bibere, manducare, negotiis nostris vacare. Verum quemadmodum hæc accidentia non amplius pane fulciuntur; ita non amplius natura, vel humana ratio, sed gratia esse debet naturalium actionum nostrarum anima, atque principium. Cur his accedentibus involutus est, quin tamen illis adhæreat, ut olim naturalis eorum substantia? ut sciamus, donec temporalibus negotiis, & vitæ hujus bonis distinemur, illis animo inhærendum non esse, sed ab illis, & corde & affectu omnino esse secedendum. Hæc denique accidentia, quæ creatarum rerum impressionem recipiunt, quæ dividi, frangique possunt, quin Salvatoris corpus immutetur, docent, cum homines, variique vitæ hujus eventus negotiorum nostrorum faciem immutant, nobis omnes has mutationes esse spectandas, quin afficiamur, vel saltem quin intrinsecus agitemur, atque turbemur. Fidelis, qui ita esset affectus, o quam perfecte mortuus esset iis omnibus, quæ sensibilia sunt, & quam perfecte divinum hoc exemplar imitaretur. *Idem p.* 4.

Pueri comedendo adolescunt, & prout adolescunt in vitæ suæ ratione major prudentia elucescit. JESUS CHRISTUS adeo frequenter nobis suum corpus sanguinemque tribuens, ut animam nostram enutriat, petit, ut in virtute crescamus, atque in moribus nostris plus sanctitatis effulgeat; cumque illius expectationi satis non facimus, gravissimam illi injuriam inferimus. Perpendite omnia ea admirabila, quæ in hoc Sacramento operatur; ob oculos vestros statuite divinæ potentiæ miracula, & largitatis ejusdem excessum. Putatisne vos impune eumdem frustrari posse eo fine, quem tot, tamque insignia suæ erga vos charitatis præbens testimonia sibi proposuit? Fidelis autem, sæpe ad sanctum hoc convivium accedens, quin sanctior fiat, JESUM CHRISTUM personaliter lædit ea in parte, ubi maxime afficitur; locum præbet ambigendi de mirabilibus effectibus, quæ illi tribuuntur: mundi sectatoribus speciosum suppeditat prætextum ab altare recedendi, atque tepidis, & devotione carentibus ansam tribuit dicendi, inutiles esse adeo frequenter ad sacram Communionem accedere, quandoquidem nemo inde melior evadit. Totis artubus contremisco, ubi audio S. Basilium explicitis verbis dicentem, non tantum indigne, sed *otiose, & inutiliter* communicantem judicium, & damnationem suam manducare. *Idem part.* 3. *c.* 4. *art.* 6.

In virtute non crescimus repente, neque unius communionis vi.

Quamvis etiam Salvator decreverit per Eucharistiæ Sacramentum nos ad summum perfectionis apicem evehere; attamen existimandum non est hoc diei unius opus futurum, atque unius tantum Communionis virtute illuc pertingere posse. In ordine gratiæ eadem præterpropter ratione agit, quo in ordine naturæ. Pueri paulatim tantummodo crescunt, ac sæpe cibum sumendo; ita in virtutibus non progrediuntur animæ, nisi sæpius cœlesti hoc pane vescantur. Vita spiritualis, non secus ac naturalis, suas, ut ita dicam, ætates habet, & Salvator suas gratias eo statui adaptat, in quo mortales eas recipientes invenit. Lac est infantium, ægrorum medicina, perfectarumque animarum solidus cibus. Verum in quocumque statu simus, plerumque nonnisi per gradus, sanctasque Communiones eminentem sanctitatem nobis communicat. *Idem* 1. *part. cap.* 7. *art.* 1.

Cum dicimus, ex Communione fructum esse percipiendum, proficiendumque, perperam pavidæ quædam animæ conturbantur, trepidant, at nonnumquam etiam a sancta hac abstinent mensa, eo quod in vitæ suæ ratione nullam satis insignem mutationem deprehendunt. Dummodo hujusmodi personæ semper foveant desiderium sese penitus Deo devovendi, illum rarius offendant, vis affectuum suorum decrescat, diligentius peccandi occasionem evitent, ac studiosius officiis suis perfungantur: nequaquam inutiles sunt earum communiones, ac imprudentis esset, harum numerum imminuere. Idem ferme accidit, ac illis, qui in navi continentur, & mari iter instituunt; qui sæpe magnam viæ partem emetiuntur, quin ne intelligant quidem. *Idem* 2. *p. c.* 4. *art.* 7.

Præparatio ad communionem.

Si semel tantum in vita nobis ad sacram Sinaxim esset accedendum, omnia vitæ nostræ momenta impendenda essent diligenter, ut eidem nosmet præpararemus; & quascumque curas ad id adhiberemus, quoscumque conatus exerceremus, nihil tamen nimis præstaremus, & vere cum humili Centurione dicere possemus: *Domine non sum dignus*. Matth. 8. Hæc sola cogitatio, quotidie communicare debeo, nos continere deberet in jugi timore, ac reverentia, in perenni attentione ad ea, quæ Dei sunt, & summa vigilantia erga omnes cordis nostri motus, ne quid elaberetur nobis invitis oppositum puritati, quæ ad Deum, qui eadem puritas est, recipiendum necessario requiritur. Verum cum ille nobis gratiam elargiri dignetur sæpius communicandi, & per infirmitatem nostram, vel negotiorum nostrorum impedimentum minime liceat nobis omne tempus ad magnam hanc actionem transmittere; saltem oportet, ut quod plurimi faciunt, præpa-

præparationem nostram minime redigamus ad modicum illud temporis momentum, quod immediate Communionem præcedit, sed ut saltem pridie ejus diei, quo sumus communicaturi, tanto huic Sacramento nosmet præparemus. *P. Nepveu in Christianis Considerationibus Tomo 4.*

Sanctitas, & Majestas illius, quam in Communione recipimus; magni fines illi, propter quos ille in nos venit, magna, quæ ad eos adimplendos operatur, miracula; nostra denique humilitas, atque infirmitas, suadent, ut nihil intentatum relinquamus, nosmet digne ad illius perceptionem præparaturi. Si Eucharistiæ Sacramentum Sacramentorum omnium sanctissimum, atque augustissimum est, Communio, per quam ejusdem participes sumus, maxima profecto est, atque utilissima vitæ nostræ operatio. Quod si tantum temporis minime impendimus, ut nosmet Communioni præparemus, quantum illius, qui recipitur, dignitas peteret, fervore, saltem supplere debemus ei, quæ desideratur, diuturnitati, & trepida festinatione in iis, quæ pro virili possumus, peragendis, magnis supplere apparatibus, quos magnitudo ad nos accedentis exposceret. Ubi omnes animæ nostræ vires, omnem mentis curam, omnemque cordis affectionem exeruerimus, ut nos digne ad adeo sanctam actionem præparemus, ad hæc tamen divina mysteria nisi summa cum verecundia deberemus accedere, nostræ indignitatis certissimi. Hos sensus aluere ii etiam qui majori sanctitatis laude floruerunt: quos autem nos concipere æquum est? quæ debet esse verecundia nostra, quis pavor, cum ad hæc terribilia mysteria dissipato spiritu, sensibus errantibus, ac diviso corde accedere audemus? &c. *Idem Tomo 2. earumdem Considerationum.*

De modica præparatione, quæ vulgo adhibetur. Ratio qua fidelium plerique communicant, nonne bonorum omnium lacrymas debet elicere? Putant satis esse, peccata sua fuisse confessos, sine examine, ac sine vero dolore: de Confessarii pedibus ad aram advolant non alia ducti ratione, nisi ut quam celerrime eo perfungantur munere, quod illorum mentem, ac spiritum torquet, ita ut, ubi vitæ panem recepturi erant, ibi, ut Sanctus Cyprianus ait, *præcipitatæ communicationis Christi venenum recipiant.* Neque profecto in eorum errorem abeundum est, qui falso zelo ducti tantum præparationis requirunt, quantum nemo fere præstare potest, & nimia severitate Fideles ab Eucharistica mensa divellunt; verum diligentissime cavendum est etiam, ne satis levi præparatione contenti parum caute accedamus ad hoc convivium, quod Dei Filius tanta magnificentia nobis extruxit. *Auctor Anonymus.*

D. Thomas hunc Eucharistiæ in nobis effectum explicat similitudinem, quam ex germine sylvestri arbori insito mutuatur. Hoc proprium est, inquit ille, germinis ex arbore felici revulsi, ubi sylvestri inseratur, eidem amaritudinem omnem auferre, & efficere, ut bonos, similesque suis afferat fructus; ita pariter JESU CHRISTI corpus cum sit quodammodo nobis insitum, defectus corrigit nostros, suamque nobis bonitatem, & virtutem communicat producendi frondes, flores, fructusque justitiæ, illis similes, qui ab ipso feruntur. *P. Vaubert 1. part. cap. 2. art. 7.*

Dei Filius per communionem sibi nos similes efficit. Salvator per Communionem nos sibi similes efficit; quod S. Thomas Opusculo 58. cap. 20. sigilli similitudine explicat, quod ceræ molli applicatum, ibi suam imprimit figuram. Cum Communionem recipimus, Sanctus hic Doctor ait, JESUS CHRISTUS applicat Corpus suum tanquam annulum cordibus nostris amore divino flagrantibus, Pœnitentia expiatis, & proximi amore mollibus effectis; non ut mutetur in nos, ipse enim est immutabilis, sed ut nos in seipsum transformet, animabus nostris suæ bonitatis, & suarum perfectionum imaginem imprimens. Cum Canticorum Sponsus Sponsam invitat, ut ipsum statuat tamquam signaculum super cor suum, & super brachia sua, Dei Filius, juxta insignis cujusdam vitæ spiritualis Magistri explicationem, nos ad Communionem hortatur, ut suam in animabus nostris imaginem imprimat; & hac impressione ipse, qui figura est substantiæ Patris sui, ibi delineat imaginem Dei, quam peccatum deleverat, eisque pulchritudinem prorsus divinam communicat. *Idem p. 1. c. 2. art. 4.*

Idem S. Thomas loquitur de voluptatibus, quibus nonnumquam Deus fideles animas perfundit: atque tunc, inquit ille, JESUS CHRISTUS efficit, ut illæ experimentali cognitione suam præsentiam intelligant. Non gratiæ tantum suavitas, sed ipsa Divinitatis cum Salvatoris Humanitate conjunctæ dulcedo gustatur: non per fidem simpliciter cognoscit anima se a Deo possideri: sed illum sentit, ut ita dicam: illum spiritualiter attingit, atque complectitur. Brevia sunt hæc momenta, Sanctus Bernardus ait, sed suavissima: *Felix hora, sed brevis mora:* hoc est, alius Pater ait, *futuræ felicitatis amabile præludium. Idem prima parte capite tertio.*

Notandum quoque est has spirituales delicias esse veluti proprietatem aliquam communioni inhærentem: Deus enim, ait insignis, & sapiens Cardinalis, in hoc Sacramento concludens vivam omnium cœlestium consolationum originem, non voluit solum nobis sanctificantem gratiam conferre, verum etiam in cordibus nostris maximos devotionis sensus excitare, ita ut licet anima bene disposita non aliud gratiæ incrementum perciperet, suavissimi tamen hujus cibi jucunditate perfrueretur. At enim quamplurimi communicant, quin ullam suavitatem percipiant. Verum nonne magnum est lætitiæ argumentum, si reliquæ omnes deessent, cogitare, quod anima fidelis communicans, thesaurum recipit, in quo omnes cœli divitiæ continentur: quod recipit verum animarum Medicum, qui omnibus infirmitatibus nostris medetur: hæc sane una cogitatio, quin aliud perpendatur, nonne summa lætitia perfundere debet animam, cui hæ veritates probatæ sunt? Præterquamquod accidit etiam, quod Communio in anima sensibiles delitias effundat, cum efficit Salvator, ut gratiæ dulcedo gustetur. Tunc enim temporis anima suavissimo hoc gustu illecta, & cœlesti hoc balsamo delibuta sanctis ardoribus divinæ charitatis accenditur. Domini laudes concinit, illius servitio sese devovet, in dulcissima erumpit suspiria, devotione liquescit, & in lætissima conversatione inexplicabili felicitate perfruitur. *Idem 1. part. c. 3. art. 5.* *Delitiæ quæ bonæ Communioni quodammodo inhærent.*

Amicus amicum invisens domum illius ingreditur summam præseferens benevolentiam, hilari facie, brachiis apertis, pronus in oscula, & amplexus. Si hunc amicus frigide recipit, & quin obvius occurrat, cum aliis moratur: vel nugis vacans illum vix dignatur respicere, profecto nihil aptius excogitari potest ad amici hujus animum avertendum, atque amoris ardorem extinguendum. Sed si e contra, qui invisitur, invisentis amori digne respondet, si cum ipso certat officiis, si festinus occurrit, si blanditur, si ruit in amplexus, quanam suavitate perfunduntur donec a mutuis complexibus pendent? Eorum silentium, verba, officia magis magisque illorum corda succendunt, quo tempore quam gratiam sibi ultro citroque possunt denegare? Hæc est eorum, quæ in Communione accidunt, descriptio. Salvator est amicus fidelis de cœlo descendens, ut nos invisat, ad nos ingreditur corde quidem summa dilectione succenso, manibus vero, gratiis, & beneficiis refertissimis: sed heu! quam tepide, ac negligenter illum animæ recipiunt, vel actu alia qualibet se occupatæ, vel voluntariis affectionibus adhærentes nugis, & vanitatibus! Mirandumne igitur est, si adeo frigida receptio cor illius obstruit, & manus claudit? *Idem 3. part. cap. 3. art. 7.*

Per

De Unione, quam cum J. C. habemus in hoc Sacramento. Per divinum hoc Sacramentum immediate corpori, & sanguini JESU CHRISTI conjungimur, & per Corpus, & Sanguinem ipsius, animæ etiam, & divinitati adhæremus. Corpus illius cum nostro corpore, & sanguis cum sanguine commiscetur. Anima ejus cum anima nostra consociatur, unde in nobis accidentalis immutatio contingit, quæ nos similes facit Redemptori. Itaque oportet, ut illius imaginatio nostram contineat, & regat, intellectus ipsius nostrum illuminet, voluntas nostram voluntatem foveat, & roboret, appetitus nostrum appetitum moderetur, sensus nostros sensus purificent, & ipse omnes pravos habitus evellat. Ita suffocat ille peccati semina, ingenium nostrum temperat, omniaque ita disponit, ut virtutis exercitatio nobis facilior evadat. *Ex Auctore Anonymo.*

Ex omnibus unionibus nulla fortior est, quam alimentorum, cum iis, qui iisdem aluntur. Reliquæ possunt omnes disrumpi, unio animæ cum corpore per mortis separationem, subditorum cum Principe per rebellionem, filiorum cum patribus per inobedientiam, amicorum cum amicis per infidelitatem, uxoris cum conjuge per divortium; sed alimentorum unio cum corpore, quod illis innutritum est, est omnino indissolubilis. Hæc igitur æterna esse deberet cum JESU CHRISTO; verum quod carnifices, ac tyranni cum suppliciis, quod infernus, & dæmones cum rabie sua obtinere non possunt, hoc peccatum facit, neque dissentit peccator. Vellet quidem JESUS CHRISTUS semper permanere nobiscum; numquid ambigere possumus, postquam hoc tantis argumentis testatus est? Verum decerne nos ultro, levem ob causam, de industria, pro nihilo ea separare, quæ erant adeo arcte conjuncta? Illa se nobis in Communione tradit, ut sua eadem vita vivamus, nos vero hanc vitam negligimus. *Sententia hæc aliqua indiget explicatione*; *Joly. Tom. 3. Propopos. pro Dominica infra Octavam Corporis Christi.*

Quamvis hæc unio usque ad substantiæ unitatem non procedat, attamen S. Cyprianus asserit ad arctissimam usque societatem pertingere, qualis inter duos fratres invenitur; *hæc unitas non quidem usque ad consubstantialitatem Christi, sed tamen usque ad germanissimam quamdam societatem pervenit.* Dei Filius aliquid ulterius affirmat, eos videlicet, qui carnem ipsius manducaverint, cum ipso conjunctum iri quemadmodum ille cum Patre conjunctus est. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem*; Joan. 6. ita ut S. Hilarius hoc utatur argumento contra Atheos ad Verbi cum Æterno Patre consubstantialitatem probandam. Supponens enim tamquam certissimum principium, nos fieri eamdem substantiam, Carnem eamdem, idemque corpus cum JESU CHRISTO, inde hanc elicit illationem; fatendum igitur est Patrem, & Filium idem esse, ac nullam in ipsis nisi personarum distinctionem inveniri. *Desumptum ex Auctore Anonymo.*

Communicandum sed digne. Magnum illud præceptum, quod Fidelis viri norma esse debet, est ne umquam duas hasce veritates sejungat, quarum altera est, Dei Filium præcipere, ut comedat corpus ipsius, altera, ne illud manducet indigne; prior docet, Carnem Dei sui animæ suæ cibum esse debere; posterior vero, cibum hunc rite esse sumendum; illa, fieri non posse ut citra hanc escam vita supernaturalis servetur; hæc, escam eamdem officere, ubi anima sit male affecta: hoc est haberi non posse gratiæ vitam citra Eucharistiæ participationem, & hanc ipsam Eucharistiam gravissimum detrimentum inferre, ubi in lethali peccato accipiatur. Si peccator harum veritatum alteram amplectitur, altera omissa, errat; e contra vero si utramque, admirabile lumen inveniet. Vetat JESUS CHRISTUS, ne ipsius carne vescar, ubi in me regnet mortale peccatum; ergo audendum non est, eo in statu ad hanc mensam accedere: at nisi accessero, vita æterna carebo: emergendum ergo est ex hoc statu, in quo versor, ut me dignum exhibeam, vel potius ne me hoc cibo præbeam indignum: facere enim minime possum, quin duobus his mandatis obtemperem. Si indigne communicavero, reus fio polluti Corporis JESU CHRISTI: Ita JESU CHRISTI quidem interest, me inde removeri; nisi communicavero, fio mei ipsius interfector, ita mea refert ad sacram Synaxim accedere. Nisi Dei mei carnem comedero, vivere nequeo; si indigne comedero judicium meum comedo; hæc una reliqua via est, ut peccatum deseram, & mea crimina corrigam ut hoc vitæ ferculo vesci mihi liceat. *P. Bourdalove Sermon. de Communione frequenti.*

Dissidia, sententiarumque varietas, quæ Ecclesiæ tot mala pepetere, circa frequentem communionem inde profecta sunt, quod separata invicem fuerunt hæc duo, quæ essentialiter separari non possunt: Alii quidem indiscreto zelo succensi peccatoribus Communionis usum interdicebant, sævissimas illis minas intentantes, alii vero nimia confidentia illos hortabantur, ut ad sacrum hoc Convivium accederent. Dicebant illi: *Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit.* 1. Ad Cor. 11. Hi e contra hæc illis objiciebat verba: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam æternam.* Utrique perperam. Nisi duas hasce propositiones separassent; si invitationi minas, minis invitationem adjecissent: si fideles ad Communionem invitassent, infernum iis minitantes, qui communicassent indigne, & si minas intentassent peccatoribus indigne communicantibus, eos simul hortantes, ut e scelerum suorum cœno emergerent digne communicaturi, saluberrimum attulissent temperamentum, quod Ecclesiæ quidem gloriæ, fidelium vero ædificationi profuisset. *Essais de Sermons pour la Carême, le Jeudi d'après les Cendres.*

JESU CHRISTI Mensa in terris symbolum est mensæ cœlestis, & quemadmodum nihil immundum in Cœlum ingredi potest, ita nihil immundum ad sacram JESU CHRISTI mensam accedere fas est, quemadmodum duplex tantum via est, qua aditus in Cœlum pateat, Baptismi videlicet innocentia, & Pœnitentia post peccatum; hæ duæ etiam patent viæ, ut ad JESU CHRISTI convivium accedamus. Nemo unquam in Cœlum ingressus est, vel ingredietur unquam nisi per Pœnitentiam, vel Innocentiam; ita nemo particeps fiet meritorum JESU CHRISTI in Eucharistico Sacramento nisi per earum alterutram. Cum per Diaconum olim dicebat Ecclesia: *Sancta Sanctis*: nonne docebat, eis, qui in lethali peccato sunt, ad sacrum hoc convivium accedendum non esse? Procul ergo a sanctis hisce mysteriis illi, qui ex vita sua circulum efficiunt, & nexum peccatorum, falsarumque pœnitentiarum, qui ad Sacerdotis pedes cordis sui sordes evomunt, & statim ad vomitum redeunt; Apoc. 22. *Foris canes.* Procul, inde qui alios veneno inficiunt scandalis, pravisque exemplis: *Foris venefici*. Procul, qui in cordibus internecina fovent odia, ultionesque irreconciliabiles: *Foris homicidæ*: Procul omnes libidinosi, & qui in obscœnis impudicitiis versantur; *Foris impudici*. Procul denique ab Altaribus nostris Mundi hujus idololatræ, qui sexcenta sibi fingunt inania idola, & qui vanitatem tantummodo, atque mendacium diligunt. *Foris idolis servientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium. Idem pro 19. post Pentecosten Dominica.* Quinam a Communione prohibendi.

Sancti Patres Eucharistiam vocant Sacramentum pacis, charitatis, & unionis; quod satis est, ut intelligamus, quam indigni sint eadem, qui invicem fovent inimicitias, qui in cordibus secretas alunt ultiones ubi præsertim liqueat, nos in nostræ Religionis sacrificio quotidie profiteri, nihil pretiosius a nobis servari quam pacem, & mutuam charitatem; & postquam explicite præceperit Dei Filius, ut sacrificium ipsum relinquamus, si forte illud obla-

oblaturi meminissemus, fratrem nostrum aliquid habere contra nos. *Auctor Anonymus.*

Qui communicant, & in vitiis sibi perseverant.

Hoc plurimi facere consueverunt; vescuntur Corpore, & Sanguine JESU CHRISTI communionibus plus, minusve frequentibus; persistunt tamen in habitibus inveteratis; quasi eos minime possent exuere, & illi essent suæ conditioni prorsus essentiales; neque fieri posset, ut sine iisdem digniores honorum gradus obtinerentur. Ita dici potest, ipsis non communicari vitam JESU CHRISTI, ipsos comedere quidem carnem hujus victimæ adorabilis, quin illius spiritum recipiant, & magnum hoc Mysterium in ipsis operari oppositum illius, quod operari deberet; hoc est, loco eos sanctificandi, ipsos addicere damnationi; verbo indignos esse, qui ad sacram hanc mensam accedant, nisi omnes industriæ nervos contendant, ut flagitiosos hos habitus infringant. *L' Abbè de la Trappe. Conference pour le jour du Saint Sacrement.*

Admonet Sanctus Paulus, gratiam, quæ vita est animæ nostræ pretiosum esse thesaurum quem in fictilibus vasibus circumferimus. Quot hostes callidi æque, ac potentes nihil intentatum relinquunt, ut eam nobis eripiant? Cupiditas, Mundus, Dæmon ad interitum nostrum conjurarunt; cupiditas quidem erga peritura bona animos nostros impellit; Mundus vero ob oculos nostros ea omnia constituit, quæ nos fallere possunt; Diabolus denique suum in cupiditate, & Mundo exercens imperium, utitur alterius quidem pravis studiis, & affectionibus, alterius vero fallacibus illecebris, ut JESU CHRISTI amorem e cordibus nostris evellat, ibique locum faciat incomposito rerum creatarum amori. Tot certaminibus expositi, tot internis, externisque bellis agitati, intus divisi, foris obsessi, jugiter a tot hostibus oppugnati, qui ad animæ vitam auferendam conspirant; ubinam auxilium, atque perfugium possumus invenire? in Eucharistia. In hoc Sacramento vires, & arma invenietis ut omnibus inimicis vestris resistatis, eosque debelletis. *P. Vaubert 1. p. cap. 5. art. 1.*

Quantum virium ex hoc Sacramento Martyres percipiebant.

Cum in Ecclesiam Tyrannorum persecutio debaccharetur, dignum admiratione spectaculum erat videre virgunculam, nobili ortam genere, in ipso ætatis flore, in qua ornanda natura, & fortuna certaverant, Agnetem, Catharinam, aliasque quamplurimas, nobilissima conjugia respuere, & imperterritas sævissimis etiam suppliciis occurrere; videre Patrem liberis amicisque circumseptum, qui humentibus genis ad pedes illius provoluti per ea, quæ in natura, & amicitia charissima sunt, illum obtestabantur, ne eos deserens vellet ipsos in miserrimum interitum dare; tamen siceis oculis, & tranquillo oris habitu crucem conscendere, in qua moriturus erat: Videre adolescentulum ardentibus prunis impositum, inhumanissimis tortoribus cruciatum, constantem in fide persistere; qrin magis afficiatur, quam si cor ipsi marmoreum, corpusque ferreum fuisset. Undenam quæso hæc illorum adeo mira constantia proficiscebatur? Ex mirabili potione, Patres respondent; ex JESU CHRISTI sanguine, quem illis propinabat Ecclesia, ut eosdem, ad prælia adeo sæva disponeret. *Idem, c. 5. art. 4.*

Salvator idem, qui sanguinem suum in Cruce effudit, ut martyribus virtutem conferret suum effundendi, hunc eumdem sanguinem nobis tribuit, ut in hoc non cruento Martyrio, quod in Mundi persecutionibus, in præsentibus ærumnis, egestate, morbis, & contemptu patimur, nos ipsos confirmet. Verum cave credas, Salvatorem ex se solo admirabiles hos effectus operari, & nihil nobis faciendum superesse, ubi communione refecti fuerimus. Eucharistia quidem nobis fortitudinem, & arma suppeditat ad hostes superandos, & conterendos, sed nostrum est in aciem descendere, & digladiari; ipsa eos infirmat, non omnino tamen evertit; JESUS CHRISTUS in calamitatibus robur tribuit, non tamen iisdem nos immunes facere vult. Eucharistia enim Martyres non efficiebat invulnerabiles, neque a malorum sensu alienos, sed inter gravissima tormenta eos victores efficiebat. *Idem.*

Fratres mei, S. Bernardus inquit, si quis vestrum mutationem invenit in vita, & spiritu suo; si terrena hæc non deperitis, neque earum amore tenemini; si ira, si invidia, si libido, si cætera vitia in vobis paulatim sunt in termortua, si tantam vim in cor vestrum non obtinent, ne gloriemini ob hujusmodi victorias, sed gratias agite CHRISTO JESU in hoc Sacramento: *Quoniam virtus Sacramenti operatur in vobis*, ait ille: hæc vis est, & virtus adorabilis hujus Sacramenti, quod homines carneos, ac terrenos in cœlestes spiritus per admirabilem metamorphosim convertit &c. *P. Castillon in octava.*

Quam grave sit crimen post communionem iterum in pristina vitia reverti.

Ut ad eos sermonem convertam, qui postquam sacra synaxi refecti sunt, statim fere in lethale incidunt scelus, eos obtestor, ut serio perpendant quonam zelo Sancti Patres in hujusmodi iteratos lapsus fuerint invecti, & quibus verbis illos repræsentent, eorumque indignitatem, effectusque terribiles describant. Post communionem in pristina flagitia reverti, hoc est, inquiunt illi, Spiritus Sancti Templum polluere; hoc est Mysticum JESU CHRISTI corpus coinquinare, & Judæ exemplo illud prodere, ac suis hostibus tradere. Vobis creditum fuit JESU CHRISTI corpus, S. Athanasius ait, vos ejusdem estis domicilium, illud in vobis permanet: verum quid dico? vos corporis ejusdem membrum facti estis; illi ergo virtutibus vestris honorem adferte, vel saltem Judæ similes eidem necem non parate. Quot in locis Sanctus Chrysostomus aureum suæ Eloquentiæ flumen exeruit, ut fidelibus vitæ puritatem post Communionem commendet, atque gravissimam enormitatem, quæ in hujusmodi repetitis lapsibus invenitur, ostenderet? *Idem*, 3. *p. c.* 4. *art.* 3.

Indigne Communicantes profanatores sunt Corporis, & sanguinis Domini, ex S. Pauli sententia, judicium suum manducantes, atque bibentes, & mortem invenientes in usu illius Sacramenti, quod illis afferre deberet gratiæ, & vitæ incrementum, Mirum! Mysterium hoc, quod augustissimum est divinæ misericordiæ solium, simul est terribilissimum justitiæ ejusdem tribunal. Egredientem video eodem tempore ex ore eodem Filii Dei sententiam vitæ, atque prædestinationis pro justis, cum ea, qua par est, puritate, charitate, & dispositione accedentibus, & mortis, atque reprobationis in peccatores, qui cum impura, sceleribusque coinquinata conscientia audent accedere. *M. la Font Entratiens Ecclesiastiques, pour le 14. Dimanche après la Pentecôte.*

Enormitas sceleris indigne communicantium.

Cuperem quam maxime vobis adstruere posse satis apertam ideam enormitatis hujus conatus; non enim illius magnitudo satis deprehenditur, neque cognoscitur, quam gravis injuria JESU CHRISTO inferatur ab illis, qui in lethali culpa Divinum ipsius corpus recipiunt. Communiones indignæ proculdubio essent infrequentiores; si intelligerent homines, se per has vim, & contumeliam inferre Corpori Domini; illudque indignissimum esse facinus in ejusdem Filii Dei persona patratum. Si hoc serio cogitaretur, paucissimi invenirentur a Deo derelicti, atque affectuum suorum ita servi, ut ad hanc usque insaniam se ab istis abripi sinerent. Nostin' ergo quid sit, ex Divi Pauli sententia indigne communicare? Hoc sane est maxime, quod Dei Filio inferri possit, ex quo status ille gloriosus, quo rediit, illum ultra creatarum rerum jactum constituit, illum afficere dedecore, & contumelia. Hoc est reum fieri, inquit Apostolus, 1. ad Cor. 11. *Corporis, & Sanguinis Domini*. Nosti magnum esse discrimen, si quis Legi a Principe irrogatæ non obediat, & si Principem eumdem pro-

probriis, & injuriis laceſſat. Huc uſque tamen indigne communicantes procedunt, non ſubſiſtunt in ſola præceptorum prævaricatione; violenter in ipſius perſonam impetum faciunt, indigne tractantes Myſterium illud, quod realiter continet Corpus, & Sanguinem Domini. *Idem. Dominica* 19. *poſt Pent.*

Ubi Sanctus Paulus aſſeruit, indigne manducantes Corpus, & Sanguinem Domini, judicium, & damnationem ſuam manducare, addit Sacramenti hujus profanationi; quæ fit illud ſine puritate, & reverentia, quæ decet, ſumendo, acceptam referendam eſſe mortem tot fratrum, ac tot funeſtas, tabidaſque ægritudines, quas illis immiſerat Deus: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*. 1. Ad Cor. 11. Scitis ne, ait illis; undenam proficiſcantur tot morbi, qui vos conficiunt, tot mortes adeo inopinatæ, & frequentes? Hæc omnia non tempeſtatum intemperiei, non aeris corruptioni, immo neque ſceleribus veſtris accepta referenda ſunt: hæc omnia mala, propter quæ gemitis, ſuperiorem habent cauſam, at magis ſublimem, & ſunt cœleſtes ultiones, tela iræ Omnipotentis, & pœnæ, quas ex vobis propter indignas Communiones depoſcit. *Idem.*

Obduratio ſæpe ex malis communionibus oritur.

Ante ſacrilegam communionem, nemo niſi contremiſcens peccat, & conſcientiæ ſtimuli ſuffocantur; ſed ubi ad Euchariſticam menſam ſine neceſſariis diſpoſitionibus acceditur, tunc in iniquitatis abyſſum proruitur, omnia conſcientiæ lumina, & vox ſecreta extinguuntur; atque tunc in peccatoris corde ſilentium oritur animæ, ipſi magis noxium, atque funeſtum ipſo ſacrilegio. Omnes obices, qui peccatorem coercere videbantur, fracti ſunt, nihil amplius illum compeſcere poteſt. Validiſſimis habitibus in ſcelere continetur; ardentius ſua repetit crimina, cupidius in ſuis iniquitatibus volutatur, cor magis obduratur, & dæmonis efficitur præda. *Deſumptum ex ſerm. qui Patri Bourdalove adſcribitur.*

Hæc Divini ſanguinis pollutio ultionem poſcit.

Mihi videtur, Sanguis Salvatoris Mundi adeo indigne receptus vehementius clamare, quam ſanguis Abel, de loco ita infecto, qualis eſt cor hominis lethali peccato coinquinatum: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*. Geneſ. 4. Cum hic ſanguis de Cruce effuſus fuit, ſcelerum noſtrorum veniam promeruit; & ſi vox Sanguinis hujus juſtitiam poſcebat contra Judæos, & Carnifices, qui illum tanta crudelitate effundebant; Salvator de ſumma Cruce veniam pro illis petebat, non enim ſciebant, quid faciebant: ſed hic ſanguis pectore hominis in peccato poſiti exceptus, cujus virtus recipientis indignitate retunditur; hæc prophanatio rei ſanctiſſimæ, pretioſiſſimæque nullam admittit, & recipit excuſationem. *Deſumptum ex Auctore Anonymo.*

Ex D. Iſidori Peluſiotæ ſententia, dæmon caute peccatorem aggreditur, qui præ reverentia ad Sanctiſſimam Synaxim non audet accedere; ſed ubi hic indigne communicaverit, nullum cum hoc diabolus modum ſervat; corde illius, ut olim Judæ potitur, & factum hoc adeo deteſtabile tamquam extremum dementiæ, atque ſtupiditatis gradum intuitus, illum omnibus parem ſceleribus putat. Attendite, quid acciderit Judæ: hæc eſt S. Cypriani animadverſio: Donec ille paſchalem rantummodo agnum comedit, hoc potius non eſt, ſed ſtatim ac proditor ille factum panem accepit, Magiſtri ſui ſocietatem reliquit, atque deſperationi, ac morti ſe tradidit. *P. Vaubert part.* 3. *cap.* 1. *art.* 4.

Indigne communicantium pœna.

Horridam ſceleris, & pœnæ indigne communicantium deſcriptionem intuitus contremiſcis ne, an ſecus? Homicidii reus, certiſſimo ſupplicio adjudicabetis, & poſtquam adeo crudeliter JESUM CHRISTUM affeceris contumelia, putabis te effugere poſſe damnationem, quam protulit S. Paulus in eos, qui polluto corde adorabile illius corpus recipiunt? Cæterum, ubi atris coloribus utor, quos mihi ſuppeditant Patres, ad nefarium exhibendum ſcelus indigne communicantium, & terribilia ſupplicia, quæ illis impendent, cum S. Chryſoſtomo profiteor, hoc a me nequaquam fieri, ut fideles a communione deterreantur, ſed ut caveant, ne ſine præparatione audeant accedere. *Idem.*

Quo in ſenſu intelligendum ſit, indigne communicantes judicium ſibi manducare.

Cum loquitur S. Paulus de hujus farinæ hominibus, profitetur illos bibentes Sanguinem, & comedentes Carnem JESU CHRISTI, judicium ſibi bibere, & manducare. Non ſatis eſt affirmare, ab illis recipi judicium ſuum, ait hoc ab illis bibi, & manducari; ut oſtendat, illorum damnationem ab hoc nefario ſcelere non eſſe minus ſejunctam, ac potum, & eſcam a corpore, quod illis alitur, & cui inſeparabiliter conjunguntur, vel potius ut intelligamus, peccatum eorum eſſe adeo enorme, ut illorum interitus, & damnatio ſit æque certa, ac ſi Dei ipſius laceſſiti ore eſſet prolata. Verbo; quemadmodum teſtatur Deus non credentem jam judicatum eſſe, ita S. Paulus docet indigne communicantem jam eſſe damnatum. *Grenier Sermone de bono, & frequenti Communionis uſu.*

Mirandum non eſt, adorabile hoc Corpus, quod ſalutis noſtræ cauſa fuit, atque inſtrumentum, fieri principium, &, ut ita dicam, ſententiam noſtræ damnationis: mirandum non eſt ſanguinem hunc pretioſum, & ſanctum, qui omnia noſtra crimina lavit, nos juſtitiæ Dei debitores efficere, & quin purificet animas noſtras, eas ſordidiores præbere. Eorum virtus in altari minor non eſt, quam in Cruce: ſed quemadmodum in cruce hic ſanguis effuſus fuit pro eorum felicitate, qui in J. C. crediderunt, & pro infelicitate eorum, qui JESUM CHRISTUM contumeliis affixerunt, affixeruntque cruci; in altari bibitur pro eorum juſtificatione, qui illum Deum honorantes recipiunt, & pro eorum reprobatione; qui illum recipientes eumdem laceſſunt. *Idem.*

Minæ, quas intentat Deus indigne communicantibus.

Poſuit Deus Cherubim cum igneo gladio ad oſtium Paradiſi terreſtris, ut Adam poſt peccatum de vitæ fructu comedere prohiberetur. Paradiſus ille Eccleſiæ erat figura; & fructus vitæ, vera Euchariſtiæ imago. Cur dicendum non erit cum Abbate Paſchaſio, Deum prohibentem, ne primus peccator fructu vitæ veſceretur, peccatoribus omnibus obſtinatis ſignificaſſe, illis eſſe abſtinendum ab eſu panis Euchariſtici, & per ignotum gladium, quo deterruit Adam, docuiſſe, metum mortis, æternorumque ignium, qui nobis intentantur indigne communicantibus, prohibere debuiſſe, ne in lethali peccato JESU CHRISTI corpus reciperemus? Vincenti dumtaxat in Apocalypſi dicit Deus, me daturum ad comedendum de arbore vitæ pollicitus ſum; ei vero tantum, qui peccatum vicerit, permitto, ut meo veſcatur corpore, quod vitam æternam impertit. *Idem.*

Quotidiana nos docet experientia, exquiſitiſſimas carnes præ ceteris citius in depravato pectore computreſcere; & liquores, quorum ſuaviſſimus odor eſt, in ſordida, infectaque lagunculа pejus olere, ſcimus mannam quæ Euchariſtiæ umbra fuit, diutius ſine vitio, & labe in Arca fœderis fuiſſe conſervatam, atque intra noctis unius ſpatium corrumpi, ac vermibus ſcatere conſueviſſe apud eos, qui contra Domini imperium, eam ſervare cupiebant. Cur ergo mirum videbitur, han eamdem Euchariſtiam virtutem eorum redintegrantem, qui eamdem anima munda, & innocente recipiunt, augere corruptionem, & nequitiam eorum, qui ad illam mortali ſcelere coinquinati audent accedere? *Idem.*

Indigne communicantes Dei Filium oſculo, ut olim Judas produnt.

Hæc veritas eſt, quam ſæpe Concionatores prædicant, indigne accedentem ad ſacram Synaxim imitare Judæ proditoris exemplum: non ſolum cum hic infelix Dei Filium in ultima Cœna recepit, verum etiam cum per ſacrilegum oſculum, illum in horto Olivarum prodidit. Audire enim mihi

videor

videor Salvatorem hunc ex iis, qui in peccati statu ad Sacrum Corpus ipsius sumendum audent accedere, hoc ipsum perquirere, quod olim ex eodem proditore. *Amice ad quid venisti*? Matth. 26. Quo concilio huc accessisti? cur istuc properasti? Ego quidem venio, ut te complectar, atque pretiosissimum amicitiæ meæ pignus tribuam; hoc est osculum pacis; tu vero affers cor odii veneno infectum, ut me meis hostibus tradat: ego quidem venio ad te bonis replendum paratus, quamvis tu iis recipiendis par minime sis: tu vero ut execrabili proditione me lacessas: ego, uti tibi tradam Corpus meum manducandum, & Sanguinem meum bibendum, tu, ut mihi virus propines, vitamque & tibi simul auferas & mihi. *Amice ad quid venisti*? Iterum dico; quis enim explicare posset hujus perfidiæ, atque injuriæ scelus, cui hoc unum propositum est, videlicet ut bonorum omnium maximum, in maximum malorum omnium convertat. *Desumptum ex Manuscripto Sermone*.

Qui unitatis Sacramentum recipit, quin servet vinculum pacis, & charitatis, tantum abest, ex hoc mysterio fructum capere, quod immmo ibi contra se testimonium nancifcitur: *Mysterium non accipit pro se, sed testimonium contra se*. Absit, ut ad hoc pacis Sacramentum cum animo ad iracundiam exeitato accedam, vel a quoquam diffidens Sacramentum illud recipiam, in quo Deus, ut fides edocet, Mundum sibi reconciliat. Quicumque digne vult communicare, nullam cum aliquo simultatem, inimicitiam nullam gerere debet. *P. Vaubert part*. 3. *c*. 2. *art*. 13.

Quid unquam dicere possem, quo afficiantur illi, qui eo usque insaniæ pervaserunt, ut sacrilegium non vereantur admittere in mortali peccato communicantes; Si tot insignium ultionum exempla, quibus ex Ecclesiasticis fastis innotescit, Dei Filium in eos animadvertisse, qui tantum facinus perpetrare ausi sunt, si Sanctorum Patrum increpationes, qui illis judicium suum comedentibus mortem æternam minitantur eorum furorem compescere nequeunt?

De modico Communionum fructu. Communis est Patrum sententia apertissimum interioris animæ interitum, ac terribilissimum Divinæ reprobationis indicium esse frequentem Sacramentorum usum sine ullo fructu; cum enim Sacramenta fuerint instituta ad augendam gratiam, non secus ac panis ad alendum, & roborandum corpus; statim ac infirmitas, & languor meus Sacramentorum, Eucharistiæ vero præsertim usu non cessat, metuendum mihi est animæ meæ, quod corpori metuendum esset, si esca illi vires reparare non posset. Hanc in Jerosolymam Deus ejaculatus est maledictionem. *Ecce dominator Dominus auferet a Jerusalem validum, & fortem.... Omne robur panis*, Isaiæ 3. Maledictio non immittendi quidem famem, non de ingratorum ore offam evellendi, sed in maxima panis affluentia pani eidem auferendi vim, & destruendi eam, quam habet, nutriendi virtutem. Dei panis numquam fidelibus deficit, neque desunt distribuenda mysteria; sed huic pani vis deest, quia hominis indispositione impeditur. Devotio in Sacramentorum, non in virtutum numero recensetur: Numeratur quoties quis in hebdomada sacro pane fuerit refectus, non quoties de affectibus suis victor evaserit. Stata non desunt tempora, quibus JESUS CHRISTUS recipiatur; nullum, quo eumdem imitemur. Terribilis timoris occasio devotis hujus sæculi. *Desumptum ex manuscripto sermone*.

Dei Filius invitat, ut crebro communicemus. Inficias ire nemo potest, Dei Filium, qui Eucharistiæ Sacramentum instituit, nos invitare, ut crebro illud recipiamus, idque enixius efficere. Illis, qui sacro hoc pane vescerentur, immortalitatem, vitam æternam, immo divinam pollicitus est; illis vero, qui ab hac mensa recederent, mortem est minitatus: Vult omnes homines evocari, vult etiam compelli. Nemo nescit, primos fideles, ut vel præceptis, vel Evangelii consiliis obtemperarent, quotidie Salvatoris corpus sumpsisse, & morem hunc non multo post tamquam Ecclesiasticam legem habere cæpisse. *Pater De la Colombiere. Sermone de Communione frequenti*.

Verum quidem est, Patres acriter invectos fuisse in sacrilegas, non autem in frequentes Communiones; illos quidem invitare, ut majori cum reverentia ad Altare accedamus, non autem ut præ reverentia ab eo recedamus; & audeo dicere, neunus quidem afferri potest, qui hanc humilitatis speciem commendet. Ostentassentne Concilia tantum desiderium videndi restitutam in fidelibus hujus Sacramenti frequentiam, si major virtus esset, majusque meritum nobis, Deo vero major afferretur honor ab iis, qui a Sacra hac mensa abstinerent, quam ab iis, qui ad eamdem accederent? Si qua esset irreverentia cum necessariis dispositionibus communicare; jure nos aliquis deterreret; sed tantum abest, ut &c. *Idem*.

Prætexunt hanc nonnulli causam communionum suarum infrequentiæ, quod non satis sancte vivant; at hoc mirum est, quod cum satis bene vivere possint, ut Deum quotidie mereantur accipere, malint tanto bono cavere, quam ad illud recipiendum sese per morum suorum reformationem disponere. Verum quomodonam credi potest, illos propter indignitatis suæ considerationem communionem differre, cum videantur quotidie sese indigniores efficere eadem iterantes crimina, propter quæ illa differre coguntur? Si illi adeo profundæ venerationis sensus foverent erga Corpus adorabile Salvatoris, nonne potius diligentissimam navarent operam, ut se dignos præberent, qui illud sæpius reciperent, quam ab eodem, quia indigni, abstinerent? Quod si vere ad frugem reverti statuisti, jam crastina die mereris accipere; sed si pristinum vivendi modum mordicus retines, ullusne dubio locus est, quin post annum, vel ultra sanctis participare Mysteriis minus adhuc merearis? Vel statim incipe mundare cor tuum, ut quam primum majori cum reverentia communices, vel ne dixeris terminum, quem assumis, effectum esse reverentiæ interioris, qua Salvatoris Corpus prosequeris. Insanum est tamquam virtutem jactare, affectionem, qua pravis habitibus adhæremus. *Idem*.

Fallacis libertatis amor, qui nimia Communionum frequentia torqueretur, causa est, propterquam infrequentius ad Eucharistiæ Sacramentum acceditur. Metuitur toties conscientiam fœdare, metuitur Confessionis humiliatio, metuitur, ne voluptates non unius tantum diei intervallo, sed diuturno temporis spatio intercidantur sanctis cogitationibus, quæ sanctas actiones concomitari consueverunt. Verbo vel a flagitiis, vel ab Eucharistica mensa recedendum est, & malunt hac mortales carere, quam, ut Christiano ritu vivant, cogi. Sed aliis obtrudere cupimus inanem zeli speciem pro nostro spirituali profectu, quod teporis nostri inditium manifestum est, & argumentum, nos converti minime velle. Audemus enim dicere, vereri, ne toties communicantes ita assuescamus, ut imposterum minime recipiamus eum fructum, qui esset inde expectandus. Dicamus potius, sæpius communicando, ampliorem, quam cuperemus, fructum nos percepturos. *Idem*. *Gemina ratio quæ prohibet ne crebro communicemus.*

Quid, quæso, homines hujusmodi ab hoc divino Sacramento deterret? Non illinc absunt, quod se eodem indignos putent, sed quod putant a se ea præstari non posse, quibus illius perceptione digni efficerentur; & fortasse quod metuunt ne sæpius communicantes digni efficiantur. Apertius dicam; audiunt, si confessiones, & communiones sæpius iterandæ sint, ludo modum, luxui terminos, & consuetudini cum hoc mundo fines esse imponendos; sciunt Sacramentorum usum necessario hanc reformationem exposcere, quæ sensim in nobis etiam invitis parit; prænoscunt, prælia quæ con-

contra Deum erunt pugnanda, & exprobrationes, quibus sua ipsos conscientia redarguet, si velint tepidum vivendi genus cum communionibus sæpe iteratis conjungere. *Idem*.

Raro communicantes facilius indigne communicare possunt.

Qui raro communicant, apertissimum adeunt periculum, ne indigne communicent, & quodam in sensu huic sese discrimini multo magis objiciunt, sæpe communicantibus. Si in longo hoc intervallo, quod in intra unam, alteramque communionem intercedit, adlaboras, ut affectus tuos frangas, & paulatim dissipes funestos eos nexus, quibus Mundo adhæres, si proprias rationes scrutaris, ut modo vitium hoc, modo illud radicitus evellas; si meliorem temporis partem transmittis in perquirendis peccatis, quibus tot annis te adhærere cognoscis: si hoc verum est, audacter ad communionem accede, audeo dicere, & ea dilatio, qua hactenus usus es, tibi negotium minime facessat. Verum enim vero quotusquisque his detinetur? Ideo communicare differtur, quod emendatio non quæritur; ideo ab altari abstinent, quia in antiquis habitibus versati malunt, quam illos exuere. *Desumptum ex sermonibus moralibus: Sermone hujus argumenti.*

De communione paschali.

Non desunt mali Christiani, qui sese expedire putant dicentes, præstare Paschali tempore ad sacram Synaxim non accedere, quam accedere indigne; hoc verum est; sed utrumque tamen summum est nefas. Magnum scelus est in lethali peccato communicare; at nescio utrum minus peccatum sit negligere ad frugem reverti, ut eo tempore, quo explicite præcipit Ecclesia, communicetur. Namque præter contemptum, qui tunc fit, auctoritatis Ecclesiæ necessario opus est, ut peccator recens ineat consilium perseverandi in malo, ibique diu persistendi; constans consilium, mente libera, atque cum perfecta cognitione, integraque deliberatione initum; consilium tunc temporis conceptum, quo officii tui admoneris, cum urgeris, sollicitaris, & anathematis fulmen tibi intentatur: quo quidem quid nequius esse potest? Quæ magis diabolica obstinatio potest excogitari?

Per vos mihi liceat, peccatores, verum dicere, si hoc vos ipsi dicere detrectatis. Hoc est, quod prohibet, ne communicetis: *Villam emi, juga boum emi quinque &c.* Luc. 14. Frustra virtutis speciem prætexitis, ut peccata vestra abscondatis; Deus imum cordis vestri intuetur; scit, vos illi injuriam inferre, simulantes eum revereri. O vos miseros, quid prodest versutia, & simulatio apud illum, qui cor effinxit, & ea omnia scrutatur, quæ ibidem transfiguntur? Si hoc unum ageretur, ne ab hominibus tantum videremini; non exprobrarem cupiditatem celandi licentiam sub præclarissimarum virtutum integumento: hoc unum saltem boni in hypocrisi vestra inveniretur, quod peccatorum vestrorum scandalum auferret; sed sanctos esse decet præsertim coram Deo, qui videt omnia, qui omnia novit, cui nihil occultum est, nihil absconditum. *Essais de Sermons.*

Quoties in anno communicandum.

Quærere quoties anima Christiana ad Eucharisticam mensam debeat accedere; idem vere est, ac si quæreres quoties infans exugere debeat suæ matris ubera. Profecto toties illum præstare hoc opus est, quoties efficit natura, ut hic papillas exsugere cupiat: & mater, quotiescumque puer lac poscit, numquam eidem ubera negat, sciens illum egere hoc cibo, ut roboretur, & crescat. Ita fidelis anima Salvatoris recipit corpus juxta desiderium, quo flagrat cœlestis hujus edulii, quod illi exhibet Ecclesia, tamquam aptissimam escam; dummodo illi cor sit mundum, & vitam ducat irreprehensibilem, jus habet crebro ad illud accedendi; oportet enim, ut gratia nova in se incrementa recipiat, mortificet sensus amoris sæculi, eamque reddat fortem, atque valentem, ut salutis suæ inimicos impugnet, expugnetque. *Desumptum ex manuscripto sermone.*

Ineptissimus prætextus est, credere, quod a communione recedere sit reverentiæ, atque humilitatis effectus; si enim hæc causa sincera esset, & ex anima vere humili proficisceretur: hæc virtus vim faciens in animam, eam impelleret, ut nihil intentatum relinqueret, quominus se frequenti communione dignam præberet: itaut si statim perfectionem omnem minime sequeretur, ad eam tamen sensim, & per gradus perveniret. At hoc minime videtur: nulla enim ex his animabus a suis recedit defectibus, & ne corrigi quidem studet, cum semper vitiis iisdem sint obnoxiæ, semper iisdem habitibus irretitæ, semper vanitatibus, atque voluptatibus deditæ. Quid illæ facerent, si vero humiles essent? consueta sibimetipsis interdicerent solatia, voluntario sacrificio luxum exuberantem resecarent, verbo, sese dignas præbere conarentur. At nihil tale præstant, quin immo ad id ne animum quidem advertere confitentur, hæc igitur causa non est, quæ illas ab hujus Sacramenti perceptione deterreat. *Desumptum ex sermone manuscripto.*

De illis qui dicunt se a communione abstinere ob reverentiam.

Hæc ratio eo tendit, ut omnes homines ab altari divellat, omnemque tollat pietatem; eaque eo magis metuenda est, quo minus timetur. Si iisdem innixi principiis ratiocinari deberemus, ob reverentiam neque Missæ adsistendum esset, neque exterior ulla cæremonia peragenda, sed omnia intus servanda: ad hoc horum hominum sensim tendit licentia. Si enim mihi a communione abstinendum esset, indignitatem meam prætexenti; hoc prætextu uti possum ne Missæ Mysteriis intersim: huc præclarus hic prætextus adducit. Edicta proponant Antistites, auctoritate sua utantur Pastores, & Sacerdotes secundum ministerii sui gratiam zelum exerceant, ut ab altari eos, qui sunt indigni, divellant: sed libertini, libertinæque, homines sine caractere, doctrina, atque luminibus audeant præcepta proponere circa communionem, atque ostendere quid sit vera pietas, & sæculum adeo perspicax, quale hoc est, se corrumpi, & excæcari sinat; hoc fateor equidem pati non possum. *Idem.*

Hac in re imitanda est S. Petri actio, qui ad Filii Dei genua procubuit, ea deosculaturus dicens: recede Domine, quia homo peccator sum. Hujus Apostoli factum cum illius verbis consentire mihi quidem minime videtur. Amplectitur magistri sui genua, eaque, quantum potest, constringit, ac simul orat, ut a seipso recedat: vox illius actioni contradicit, & quod facit, illi opponitur, quod dicit. Undenam hæc contradictio duorum motuum, qui simul in corde ipsius oboriuntur, alterius quidem humilitatis, alterius autem amoris? Hic homo est amore suo raptus, qui in id unum tendit, ut ad suum magistrum accedat, ejusque personæ adhæreat; amor enim pati non potest, ut objectum suum longe absit: Homo est suam sentiens humilitatem, qui coram Domino suo, cujus magnitudine quodam veluti pondere opprimitur, semetipsum annihilat: Domine recede a me, tu mihi nimis magnus es, ego vero coram te nimis exilis, & humilis; mane in temetipso, ac me in nihilum meum remitte, ut ibi supremæ tuæ auctoritatis magnitudinem colam. Hujusmodi esse decet veros Christifidelis sensus in communione: humilitas eum removere debet, atque summa cum reverentia hæc extorquere verba: *Exi a me, quia homo peccator sum*, Luc. 5. vel *Domine non sum dignus*, Matth. 8. Non audeo prodire coram te; majestatis tuæ fulgorem ferre non valeo. Sed amor simul efficere debet, ut tantum illius adhæreat bonitati, quantum humilitas eumdem ab illius magnitudine removet. Procumbendum est ad genua illius; ille in corde recipiendus est. *P. Novet in Meditationibus.*

Quid rationibus opus, ubi loquitur experientia; experientiam dico omnium temporum experientiam omnis generis personarum, experientiam suam, Auditor mi. Revocemus prima illa Ecclesiæ nascentis tempora, ubi Fideles se teneri putabant ut

ut quotidie sacris Mysteriis communicarent. Quæ vitæ, morumque innocentia? Quænam a terrenis rebus aversio? quæ pax, quæ charitas tunc inter fideles florebat; præsertim vero quæ in fide constantia? quæ in gratia perseverantia, eo usque ut cuperent potius bonorum suorum jacturam pati, exilium, compedes, mortem, & gravissima quæque supplicia, quam brevi temporis momento simulare, atque modicum thus Idolis adolere? *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis*. Act. 2. Ex constanti communionis usu suas vires, fortitudinem, constantiam, & perseverantiam percipiebant. Illinc ad hæc usque, quibus vivimus, calamitosa tempora descendamus, & quantum discriminis intersit judicamus. A Sacramento paulatim recessimus, frequentia illius in claustris continetur, & in exiguo fidelium numero, qui hactenus Ecclesia veteri digni sunt. Ditiores Ecclesiastici quotidianam sacrorum mysteriorum celebrationem illis reliquerunt, qui inde victum percipiunt. Fideles ter, vel quater in anno, ut plurimum, communicant; & maxima eorum pars quotannis dumtaxat ad Paschalem communionem accedunt. Quid inde? Mores depravati sunt, disciplina remissa est, sal terræ infatuatum est, redierunt Ethnicorum consuetudines, vitiorum, & scandalorum torrens omnem Christiani orbis faciem late mundavit. Adeo verum est, morum puritatem, & innocentiæ incolumitatem a frequenti communionis usu procedere, & multiplicari crimina prout communiones rarescunt. *Desumptum ex manuscripto sermone*.

Si unquam tibi, auditor, hæc fuit consuetudo, ut sæpe sacra Synaxi reficereris, eamque abjecisti, te metipsum tecum compara in horum statuum varietate, & tui metipsius experientia eorum, quæ dico, tibi veritatem ostendet. Qualis eras, cum singulis mensibus, vel quintodecimo quoque die, vel diebus festis fere omnibus devotissime ad aras accederes? Felici eo tempore quatenus erat in te timor Dei? quo horrore lethale peccatum abominabaris? Scrupulum vix defuisse puto. Mox verò saluberrimam hanc consuetudinem abjecisti; quid inde fecisti? Dicere profecto potes cum Regio Propheta: *Aruit cor meum, quoniam oblitus sum comedere panem meum*. Cum tentatio te infirmum, ac imbecillem deprehenderit, statim victus cessisti: cum peccato consuetudinem inivisti; illud citra conscientiæ stimulos operaris, in interitum ruis. Felix nihilominus, si ex tua infelicitate fructum capere nosti; & eam repetis consuetudinem, cujus necessitatem propria te docet experientia. *Idem*.

Væ animarum directoribus nimium frequentes communiones iis permittentibus, quibus vere mens non est notabiles evitandi defectus, licet veniales tantummodo sint; vel qui serio ad eos corrigendos minime incumbunt. Hic est dissipator Corporis, & Sanguinis CHRISTI JESU, temerarius, qui eam profitetur artem, quam ignorat, cæcus denique cæcos alios in foveam ducens. Communionum numerus cum fructu, qui inde percipitur, & quem inde percipere fideles volunt, metuendus est: Cæterum meum non est aliquid cuiquam in hac materia præscribere. *Idem*.

Indigne communicans suum judicium manducat. Nosti cibum a comedente separari non posse. Panem manduco; hic mihi in sanguinem, & carnem mutatur, ita ut a me dividi ultra non possit; & mecum fiat unum, & idem. Qui indigne communicavit, comedit judicium suum, ac illud quodammodo in seipsum convertit. At enim inquies, alludit Apostolus ad eorum populorum, vel antiquorum judicum mores, qui capite plectendis deglutiendam præbebant propriæ damnationis sententiam, ut indicarent illam antiquari non posse. Heu, Auditores charissimi! Satisne aperte dicam, satisne vos horum verborum vim assequemini? *Judicium sibi manducat, & bibit*. 1. ad Cor. 15. Proh Deus! Si judicium in papyro tantum esset inscriptum, frangi, delerique posset; si prolatum simpliciter esset, posset abrogari, si in os tantum ingereretur, evomi posset: sed comeditur, in succum, & sanguinem transit, in ossium medullam, ut loquitur Propheta, atque in propriam substantiam migrat; cum nobis incorporatur: quomodo vero revocari potest? Si reus, & judicium unum & idem non essent, Deus alterum quidem absolvere posset, alterum antiquare: sed cum simul confusi sint, ultra non distinguuntur. O miserrimam sortem indigne communicantium! *Desumptum ex serm. manuscript.*

Ubi peccatori, qui indigna communione se reum facit Corporis, & Sanguinis CHRISTI JESU, facinoris sui enormitatem ostendere aggredior, non loquor de nequissimis illis hominibus, qui de industria ad sacram mensam accedunt, ut Mysteriorum nostrorum sanctitatem conculcent, non loquor de ignavis illis, qui fidei mysteria gestantes in polluta conscientia ad Aras accedunt hoc tantum consilio, ut suæ impietatis horrorem abscondant, quippe qui malunt omne Cœlestium maledictionum pondus sustinere, quam ab hominibus censoria nota perstringi. Vera contorquenda essent tela, non verba in hujusmodi abominationes; cum illis loquendum esset, ut olim Petrus ad Ananiam, & Saphiram, ut præcipiti morte sua fidelibus omnibus præberent exemplum, ut in impiorum corde terrorem injicerent, & animabus justis solatium adferrent. Cum hujusmodi peccatoribus mihi sermo non est; de illis loquor, quos vel consuetudo, vel urbanitas ad aras trahit, quibus conscientia neque abscondita scelera, neque perfidiam, neque simulationem exprobrat, qui extrinsecus quidem pœnitentiæ, atque modestiæ speciem gerunt, sed qui omnes affectus suos gestant in corde; qui amore proprio pleni, divina charitate vacui numquam ad Sacramenta accedunt, nisi ut illa profanent &c. *Desumptum ex manuscripto sermone*.

Peccator indigna communione efficit, ut in coinquinatæ conscientiæ corruptionem ipse omnis puritatis Auctor descendat. Quæ magis contumeliosa conjunctio, quæ turpior affinitas esse potest, quam peccati cum eadem sanctitate, quam in uno corde Dei, dæmonisque præsentia? Quid iniquius, quam in eodem loco statuere aras & JESU CHRISTO, & Belial; simul connectere turpes affectus, sordidaque negotia cum participatione mysterii omnis puritatis, & charitatis; Dei sui carnem cum corrupta peccatorum carne incorporare? Hoc facit indigna communio. Peccator per malam communionem eidem Corpori JESU CHRISTI conglutinatur, cum reliqua scelera sint a divino hoc corpore aliena. Quis horror! Deus Sanctus, atque terribilis egreditur de Sanctuario, ut peccatoris anima inhabitet, ac se in illius substantiam transformet. Ubinam tua fulmina, o terribilis Deus, ut hujus injuriæ ignominiam persequaris, & in tanti probri enormitatem animadvertas? *Idem*. *Indignitas sceleris, quod sacrilega communione committitur.*

Si hoc scelus est horribile propter infimam unionem, quæ fit, sanctitatis Dei cum corruptione peccati, nihilo minus grave est, si ratio habeatur Sacramenti, & Sanguinis JESU CHRISTI, qui indigne polluitur. *Quemadmodum JESUS CHRISTUS* realiter in hoc mysterio immolatur, atque sanctam illam oblationem instaurat, quam in Cruce obtulit Patri suo; ita fideles, qui hoc pane vescuntur, singulis diebus Domini mortem annuntiant, donec ille veniat; neque id facere possunt, nisi semet conformantes spiritui JESU CHRISTI sacrificati, immolatique pro peccatis populi. At peccator in lethali peccato communicans, toto Cœlo abest a sanctitate JESU CHRISTI, quam in corde suo prorsus delevit. Communicat ergo solum, ut JESU CHRISTI mortem instauret, uti carnifices, sese reum præbens Corporis, & Sanguinis Domini, immo ratione longe crudeliori. *Idem*.

Hujusce-leris pœna.

Cum indigna communione peccator mysteriorum nostrorum sanctitatem polluit, qui fructus, quæ, utilitas ex hoc facinore illi cedere potest? immo quæ mala in illius caput non relabuntur? Nonne inde flagella, inde calamitates fere universales, nonne urbium, agrorumque vastationes? Nonne reipublicæ interest profanatores nos ejicere, exterminare? *Idem*.

Post hoc facinus, nullo cum labore in alia quæcumque flagitia prolabimus: statim ac a Sacris Mysteriis polluti recedimus, præsto sumus, ut JESUM CHRISTUM suis hostibus tradamus, & nihil inausum relinquamus. Idcirco ex omnibus peccatoribus ii nequissimi sunt, qui indigne communicant; post hoc enim nihil mediocre in illis est: sacerdotium in anima coinquinata fit desolatio abominationis; nullus sacerdos mediocriter corruptus est, omnia sine modo sunt, & sine fine. Demum in indigna communione non deest quædam species maledictionis, quæ fere numquam deletur. Anima, quæ eo usque nequitiæ pervasit, emergere quidem potest de apertioribus vitæ suæ flagitiis, sed in manifesto versatur moriendi periculo in impœnitentia. Etenim ex quo homo præteritorum dolore non tangitur, futuris non cavet, præsentia citra lacrymas, mœroremque committit; nullo pudore, nulla verecundia coercetur; illico audacior, atque perfricta fronte in omnia ruere flagitia videtur. Ante communionem sacrilegam reliqua adhuc erant in ipso quædam Religionis, & pietatis principia, quidam salutis sensus: at ubi illa contigerit, omnia prorsus extincta sunt, omnia ad nihilum redacta. Antequam ad communionem accederet, supererant adhuc in ipso quædam conversionis desideria ex festorum dierum propinquitate, & bono fidelium exemplo identidem excitata: sed paschali præcepto adimpleto omnia dissipata sunt; tumultus ille, quo agitabatur conscientia, quiescit, omnes stimuli retunduntur, & omnia in perniciosissima securitate morantur. *Ex manuscripto sermone*.

Hic ultimus mihi restat actus, ut ad vos hæc Moysis verba convertam, quæ sunt huic argumento maxime opportuna: verba, quæ dixit ille Judæis postquam illis proposuisset bonum vel malum, vitam, vel mortem, benedictionem, vel maledictionem. *Testes invoco hodie Cælum, & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem*. Vos ad sanctam communionem invitans id vobis exhibui, quod vitam efficere potest beatiorem, e contra vobis indigne communicantium scelus ostendens, id vobis ob oculos posui, quod maximum potest interitum afferre. Hinc quidem vobis proposui fontem bonorum omnium, inde vero malorum omnium originem. Testes igitur voco Cœlum, & terram. Dies aderit, cum Cœlum hoc, & terra votis meis respondebunt; aliquando tandem vobis ex hac vita egredientibus, ut coram æterno Judice prodeatis, ea vobis exprobrabunt beneficia, quæ Deus vobis per os meum proponit, si ex illis fructum capere velitis. *P. de la Rue sermone pro Palmarum Dominica*.

Quantum Dei Filius coli mereatur ab hominibus in hoc mundo.

Quemadmodum nullum Mysterium est, ubi Salvator nobis majorem testetur charitatem, quam in Eucharistia; ita nullum est, ubi magis sese demittat suum nobis amorem testaturus. Deposita hac majestatis aura, quæ in abjectissimis etiam humiliationibus sese prodit; sub panis integumento abditus, sub sacramentalibus speciebus absconditus, non solum JESUS CHRISTUS Deus non videtur, sed neque homo; atque in hujusmodi statu, quibus non patet opprobriis? Attamen homo hic ita absconditus rerum omnium Creator est, supremus universorum Dominus, mortalium omnium Judex; & si titulum quærimus magis dulcem, atque jucundum, Pater noster, atque Redemptor noster; ille, qui perfectam beatorum omnium felicitatem constituit; arbiter nostræ sortis æternæ, qui unus nos beatos potest efficere; divinus Salvator inferno formidabilis, coram quo omnes cœli, terræque potestates contremiscunt, & audito cujus nomine universa flectunt genua præ reverentia. Idne credimus? eumne tamquam talem respicimus? honores, quos illi in hoc adorabili Sacramento deferimus, fideine nostræ respondent? Sed qui nos coram illo intuetur, potestne judicare id a nobis credi? *P. Croiset 1. tomo Recessuum spiritualium pro una singulorum mensium die*.

Nihil magis, meliusque reparare potest ignominias passionis Domini, omnesque eas indignitates, quas in sua vita mortali perpessus est, quam ipsius in altaribus sedes. Hic non manet amplius in medio rebellis, hostilisque populi, neque habitat in medio corruptæ, depravatæque nationis, sed in Fidelium templis, atque in medio filiorum suorum, in medio populi, qui ipsum Redemptorem suum agnoscit, eumque se amare, & illi servire profitetur; Quodnam omnium cordium obsequium, quinam cultus magis impensus esse debet, quam qui illi super aras est exhibendus? quos ille a nobis honores præstolari non debet? Proh Deus, quomodo nostra nos exprobrat ratio, & conscientia, quam terribile est nostram agendi rationem cum fide nostra hac in re comparare? *Idem*.

Communio frequens maxime prodest ad felicem mortem obtinendam.

Communio frequens considerari debet tamquam tutissima ad beatam mortem via. Hoc enim posito, quod inter æternam vitam, sanctamque mortem inseparabilis nexus inveniatur, nonne testatur Filius Dei, eum qui Corpus ipsius manducaverit, Sanguinemque biberit, æterna vita esse perfruiturum? quod quasi satis non esset, ut illi fidem adhiberemus addit jusjurandum tot repetitis promissionibus: amen, dico vobis, ait ille, quicumque manducaverit panem hunc, mortem non gustabit in æternum. At hoc certum est, promissionem hanc non esse de illis intelligendam, qui semel in vita, vel semel quotannis communicaverint; alioquin ne unus ferme quidem Christianus salutem non consequeretur. Dicendum igitur promissionem hanc ad frequentem communionem spectare. *Desumptum ex Autore Anonymo*.

Prætextus, quos boni possunt afferre.

At enim indignus sum. Expectasne donec te dignum præbeas, ac talem te judices, ut ad communionem accedas? Si hoc verum est, numquam accedes. Quinam, licet morum sanctitate conspicuus, se dignum putare, & omnia præstare, quæ dignum possunt efficere. Humilitas nostræ supplet indignitati: Si vero dolore peccatum deserueris, si ex corde in illud te non relapsurum proposueris, jam te indignum Ecclesia non judicat, & satis dispositum putat. Optandum esset quidem, ut omnes homines perfectam sanctitatem haberent ad communionem accessuri; hanc tamen exigere idem est ac omnes homines ab altari prohibere; licet omnes generatim Salvator invitet; idem est pro dispositione ad communionem exquirere id, quod illius fructus esse debet. Cum Salvator Discipulos suos communicavit, erantne jam perfecti? immo longe aberant a perfectione. *P. Nepveu in Christianis Considerationibus part. 4*.

At enim frigidus sum, tepidus, imbecillis. Causaris frigiditatem tuam, ne ad ignem accedas; cibum sumere renuis, quia imbecillus; medicinam detrectas, quia ægrotus. Si frigidus es, non autem eo lethali frigore, quod Charitatem, sed eo, quod fervorem excludit, quomodo melius incalescere potes, quam ad divini amoris fornacem accedendo? Si imbecillus es, vires tuas refice panem fortium manducando. Alii se ideo ad communionem non accedere inquiunt, quod modicum inde fructum percipiunt; sed cujusnam culpa est, si inde non satis proficiunt? Verum enim vero quinam illi sunt, qui præ cæteris in virtute progrediuntur: illine, qui sæpe, an, qui raro communicant? forsasse Deus vestrum vos celat progressum, ut vos in humilitate contineat; qui quidem progressus ideo magnus non est, quia non satis deprehenditur. *Idem*.

Post communionem ad peccata non est redeundū.

Quænam vobis erit ruboris occasio, si JESUS CHRISTUS postquam animam vestram sua reali præsentia sanctificavit, postquam vos Carne, & Sanguine suo pavit, jure conqueri posset, se ingratis sua beneficia erogasse. *Hospitabitur, & pascet, & potabit ingratos*. Heu! fortasse nimis crebro ille hanc de nobis querelam effudit. Caveamus, ne imposterum Deo nostro hujusmodi injuriam inferamus . . . . . Illi potius ex corde dicamus: Volo, Deus, omnes animæ, corporisque mei facultates, quibus hactenus abusus sum, ut te lacesserem, imposterum in id unum impendi, ut tuam celebrent largitatem. Oculi, qui mirabilium tuorum in hoc augustissimo Sacramento sunt testes, hi oculi tot obscœnorum adspectuum rei, infidelitatem meam deflere persistent; lingua, quam Sacri Corporis tui attactu sanctificasti, non erit ultra obtrectationis, & calumniæ instrumentum, cor, quod factum est templum, atque Tabernaculum tuum, non ultra pravis coinquinabitur cupiditatibus, quæ toties te coegerunt, ut a me procul recederes &c. *Desumptum ex Italico P. Pauli Segneri libro, cui titulus, Sapientia*.

Sæpius ad communionem accede, inquit incomparabilis Genevensis Antistes, sæpius accedere, quia dicendum tibi est, quomodo JESUM CHRISTUM bene recipias; neque bene aliquid fit, quod sæpe factum non fuerit; quia vel hoc tibi commodius est, si sæcularibus negotiis es expeditus, vel necessarium, si obrutus; quia si fortis es, numquam infirmaberis: si infirmus, fortitudinem ibi nanciseris. Tamquam æger, fortis, infirmus, imperfectus, crebro cum illo communicare debes, qui est fortitudo tua, perfectio, medicus, & medicina. Hæc magni illius sancti viri sententia est. Et profecto quid dignius anima devota, quam suas miserias, & infirmitates prævertere, quibus natura nostra est obnoxia, quam te in eum statum adducere, ut inter familiæ, ac civilis societatis tumultum te firmum, stabilemque tuearis; quam edoceri, quomodo digne manduces hoc corpus, & Sanguinem Dei; qui factus est Homo?

Virtus, quam hoc Sacramentum primis fidelibus inspirabat.

Mirandum est, si primi fideles de sanctis locis egressi ad martyria evolabant? Frustra Tyranni oculis eorum objiciebant bona, voluptates, honores, dignitates, & quidquid cor humanum potest afficere: Frustra carnifices præparabant aculeos, rotas instruebant, attollebant cruces, ignem accendebant, foveas effodiebant, ferventes sartagines succendebant. Frustra uxor fletibus, filii blanditiis, parentes precibus, amici objurgationibus generosos Athletas deterrere conabantur; quo plura superanda, & sacrificanda erant, quo plura ferenda, eo magis excitabantur ad prælium, & leonibus ignem perflantibus similes cor suum majoribus refici viribus sentiebant, prout magis periculum augebatur. *Ut Leones*, verba, & similitudo sunt S. Chrysostomi, *ut Leones flammas spirantes, sic ab hac mensa discedimus*. *P. Stephanus Chamillart in Sermone de communione frequenti*.

Si Deus infinite sanctus nobis conjungi vult, oportet igitur, ut qui divinorum mysteriorum particeps fieri desiderat, cordis puritatem habeat angelicam, perfectamque; hæc enim aptissima est dispositio, & maxime conformis & menti JESU CHRISTI, & Divini hujus Sacramenti dignitati. Meum non est hoc in loco explicare, quanam unionis specie Salvator cum iis sese conjungat, qui ejusdem carnibus saturantur; mihi satis est, eam tantam, adeoque intimam esse, ut Patres affirment, in communionem JESUM CHRISTUM quodammodo unam, eamdemque carnem fieri cum nobis: *Nos in unam*, S. Chrysostomus ait, *cum illo massam reducimur; Christi corpus unum, & caro una facti sumus*. Quando autem Deus mortale corpus voluit assumere, Maria una, hoc est, omnium creaturarum purissima, atque Sanctissima, Virgo Virginum, hunc honorem promeruit; neque putet S. Ambrosius, se matri contumeliam inferre, hæc Filio dicens: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum*. Quam igitur cordis puritatem, quam animæ munditiem peteret hic versus Agnus a fideli! Hic mortuus esse deberet peccato, mundo, sibi, ac uni Deo vivere; opus esset, jam constantem, invictamque assecutum esse cœlestibus rebus applicationem, & cum Creatore suo arcte esse vinctum: oporteret denique, ut verbo me expediam, illum perfectum esse, atque irreprehensibilem; hoc est, cor ab omni affectione, mentem vero ab omni memoria, & idea rerum creatarum vacuam habere. *Idem*.

Ad sanctā communionem summo cū desiderio accedendum est.

Si verum est, ex optimis dispositionibus, quæ ut ex materiali cibo fructus percipiatur, requiruntur non extremam esse famem, dicendum est quoque, eum qui sancta fervet impatientia, & sollicite anhelat Dominicæ mensæ participem fieri, hunc quidem adferre non postremam ex melioribus, tutioribusque præparationibus, quæ, ut digne communicet afferri possunt: Corpus enim JESU CHRISTI in augusto hoc Sacramento animabus nostris id est, quod panis corporibus nostris. Hæc est Sanctorum Patrum, præsertim vero S. Ambrosii argumentatio, qui in nobis requirit sanctos eos impetus, quibus legis antiquæ Patriarchæ erant animati, & vult potiori jure præ illis nos dicere: *Veni Domine, & noli tardare*; nos tamquam ægrotantes putemus, ubi panis hujus vitalis non eamdem famem habemus, eumdemque appetitum, quo panem corporum nostrorum escam appetimus. *Idem*.

JESU CHRISTI merita in aliis Sacramentis nobis per partes dumtaxat, & ob peculiarem aliquem finem applicantur; hic vero ipse gratiarum fons nobis communicatur, cujus infiniti propemodum sunt fontes; quapropter quidam Sancti Patres eam extensionem, & continuationem Mysterii Incarnationis vocarunt. Ibi suam Divinitatem humanæ naturæ conjunxerat: pergit hic suam humanitatem nostræ carni conjungere; ac docet Theologia ipsum corporibus nostris reliquisse jus, ac titulum ad immortalitatem, nequeunt enim esse membra corporis immortalis, nisi eodem privilegio fruantur. *Idem*.

Inter cæteras dispositiones humilitas maxime necessaria est accedentibus ad te Domine, & Deus meus in Eucharistia; quandoquidem ibi majestas tua sese inclinavit, & Divinitas tua nova ratione annihilata est. Aliquid eras in Incarnatione, licet ibi exinanitus esses; sed in hoc Sacramento ferme nihil es; propter humanæ conditionis tuæ diminutiones? ibi Deum celasti, & hominem ostendisti; hic vero & Deum simul, & hominem aufers oculis nostris. Non poteras ad nos accedere, nisi te ad nihilum redigens, & pro ratione annihilationis tuæ ad nos propius accedis. O factum Dei Verbum factus es homo, ut nos per imitationem tui Dii fieremus: teque panis speciebus texisti, ut reipsa aliqua ratione nos faceres Deos. *Auctor Anonymus*.

Modicus fructus, qui ex communione percipitur.

JESUS CHRISTUS ægrotantem manu tangit, & sanat; mulier, quæ pallii ejusdem oram attigerat, salutem recipit: non inde mihi stupor incessit: illud vero mihi adfert admirationem quod nos adeo frequenter ad sacra accedentes mysteria semper iidem permaneamus. Modo non contingit tantum nobis vestium ipsius fimbriam attingere; ipsum JESU CHRISTI Corpus, & Sanguinem attrectamus, recipimus, comedimus: & nihilominus permanemus æque languidi, & ægri, ut antea. Quænam affectio post tot communiones victa fuit? Quod vitium sublatum? Quæ virtus quæsita? Una communio satis esse potest, ut quis Sanctus fiat: sexcentos & ultra numerare possum; ego vero æque imperfectus sum, fortasse etiam æque vitiosus, ac olim, antequam divina hac esca vesci mihi contingeret. Tædium, quo cœlestis hæc manna nos afficit, magnamne san-

ne sanctitatem significat? Languor, imbecillitas, spirituales infirmitates, quibus post tot repetitas communiones, affligimur, nonne proximam nobis mortem portendunt? Nos vero tranquilli sumus, & ad hæc ne animum quidem advertimus! Quid nos certos facit? *P. Croiset Tomo 1. in Recessibus jam memoratis.*

Arctum fœdus quod cum Jesu Christo in communione contrahitur.

Dei Filius se nobis in Eucharistia tradit non solum ut in nobis permaneat; vult etiam, ut nos in ipso permaneamus, & non solum tamquam hospes, qui domi suæ habitare vult, quos excipit hospitio, sed ut nos arcte sibi conjungat. Vocabulum, quo utimur, ad id significandum, quod in sacri hujus Corporis receptione percipitur, veritatem hanc satis ostendit. Communio vocatur, hoc est unio communis inter Dei Filium, & animam, a qua ille recipitur; ille sese nobis totum tradit, debemus nos quoque vicissim nosmet totos tradere eidem. In adorabili hoc Sacramento nobis suum spiritum, suam vitam, suas dispositiones communicat: ibi nos igitur recipere debemus spiritum illius, neque agere nisi per divinos motus ipsius, neque vivere nisi vita ejusdem, omnesque ipsius sensus fovere. Temperamentum juxta eam, qua alimur, escam efficitur; hæc divina est, nos quoque divinos esse oportet. *Boudon libro, cui titulus, Le Chretien inconnu.*

Quid! Divini Salvatoris mei corpus in me requiescit; ipsum est pignus amoris sui: ego quidem assideo magnificæ mensæ Dei, eædemque epulæ mihi afferuntur, quibus alitur Deus, ego repleor mysteriis, & magnalibus Dei: omnes Dei divitiæ in me sunt, & ego vere possideo omnes thesauros illius; Deus incarnatus, vivens, & gloriosus in ipso corde meo inhabitat; Æterni Patris gloria mihi numquam aliquid meum tribuitur, & ego non fovebo sensus lætitiæ conformes tot, tantorumque beneficiorum magnitudini! Divina hæc objecta non occupabunt cogitationes meas, eo saltem tempore quo illa possideo! delitiosæ hæ plenitudines me esurientem relinquent, eo quod illa, quam merentur, attentio a me non impenditur? quæ insensibilitas! *Auctor Anonymus.*

Optima ob digne communicandum præparatio est illum amare, qui communicando recipitur; amor JESUM CHRISTUM impulit, ut hanc nobis sacram escam tribueret, amor non ad eam quærendam impellere debet; amor debet efficere, ut ex Patre nostro cœlesti petamus hunc panem Angelorum; amor hoc nobis inæstimabile donum impertit; & solus amor efficere potest, ut inde uberrimum fructum percipiamus. Oremus Deum, ut hic divinus ignis destruat in nobis, quidquid frigidum est, quidquid nos creaturis adnectit, quidquid tenebrarum, & corruptionis in nobis reliquum est: rogemus eum, ut nobis ardentem charitatem immittat, quæ expiet cor nostrum, quæ ibi alienas omnes affectiones absumat, quæ omnes veteris hominis affectus avertat. *Idem.*

Communionis effectus.

Si discipuli, qui cum JESU CHRISTO in Emmaus proficiscebantur experti sunt corda sua insolito igne inflammari ad verba ipsius; quæ in nostro corde fieri debet accensio, cum non solum Verbum Divinum nobis loquatur, sed fiat cibus noster & in nobis inhabitet? quomodonam igne ali possumus, quin pœnitus absumamur, & quin omnino in ignem transformemur? Per amorem cum JESU CHRISTO communicamus, per amorem nos eodem alimur, & hic ipse amor, cum perfectus est, destruit quidquid sumus, ac adeo perfecte nos convertit in id, quod ipse est, ut non simus amplius nisi unum corpus, unusque spiritus cum illo. *De Sancta Martha Tomo 1. Tractatuum Asceticorum, Tractatu de Communione.*

Per communionem evadimus una, demque caro cum Jesu Christo.

Quemadmodum in Incarnationis Mysterio Verbum caro factum est, & caro hæc repleta est divinitate in ipsa inhabitante; Deus factus est homo, omnesque humanas infirmitates assumpsit præter ignorantiam, atque peccatum; homo factus est Deus, & omnium Dei qualitatum particeps; & hic Homo Deus est JESUS CHRISTUS: ita in Sacrosancto Eucharistiæ Mysterio, altera veluti fit Incarnatio, cum enim carnem Filii Dei recipimus, hæc fit caro nostra; vostra vero fit caro Filii Dei; nos cum ipso evadimus idem JESUS CHRISTUS, quemadmodum ille idem est Deus cum Patre. *Idem.*

Vita spiritualis, non secus ac corporalis suas habet ætates, initium, progressum, & perfectionem. Nascimur, & per gratiam Baptismi, vel Pœnitentiæ evadimus Filii Dei, adolescimus, & procedimus in hac vita per bona opera, quæ quidem sunt operationes Spiritus Sancti: & postea ad divinam Eucharistiam accedentes olene conjungimur, & incorporamur JESU CHRISTO, & perfectius evadimus membra ejus corporis, cujus ille caput est; in illo, & per illum crescimus, usque ad ætatem hominis perfecti. *Idem.*

Falsi prætextus qui plurimos removent a communione.

Quid in speciem laudabilius videtur, ea reverentia, quæ tot animas a panis cœlestis esu deterret? Si illis aures præbeamus, viva fides ipsis hunc sanctum terrorem immittit; justa idea Mysteriorum Religionis nostræ prohibet, ne iisdem communicent; reverentia, profundaque humilitas non sinit illos ad sacram mensam accedere; atque ut verbo me expediam, devotionis ergo hæc devotio relinquitur. Se nimis infirmos dicunt, ut audeant sæpe fortium manducare panem; se non satis puros, sanctosque fatentur, ut panem comedant Angelorum. Non satis est ad convivium invitari, vestis etiam nuptialis afferenda est. Quæ charitas, quis fervor, quæ dispositio requiritur, ut Divina Eucharistia digne recipiatur? Actus est Religionis præ reverentia ab eadem absistere; at nonne insignis impietas est præ tædio, ac devotionis defectu ab illa recedere? & hic pseupo-humilium character est. Nequaquam reverentia ea est, quæ invitatos arcet a nuptiis. Si vere eos foveremus sensus, quos ineptæ hujusmodi excusationes prætexunt, meliores haberemus ad sancte communicandum dispositiones; sed hac in re non secus ac in aliis pluribus mens cordis illusionem sectatur. Eos diligimus defectus, qui a sacra mensa nos prohibent, ideoque aliquam speciosam excusationem quærimus. Magni laboris esset iracundiam superare, debellare affectus, et vincula infringere, quibus cor captivatur, mortificationem amare, cum morum sanctitate, pietatem, humilitatemque conjungere. Frequens communio hæc a nobis experit sacrificia. A communione recedentes has negligimus dispositiones, quæ nobis nimium graves essent: nobisque honori vertimus hanc ipsam immortificationem, affirmantes præ reverentia nos ad Sacram Sinaxim non accedere. Nihil umquam amore proprio versutius atque callidius, ut nos ipsos decipiat. *P. Croiset 2. Tomo Considerationum Spiritualium.*

Inanis est reverentia, quæ nihil nos facere cogit, ut minus indigni evadamus; reverentia fallax, quæ nullum propriæ indignitatis dolorem ciet. Invitati Evangelici saltem bona fide eas protulere causas, quæ ipsos detinuere, ne ad nuptias convenirent; hi vero eas ignorare affectant, & repulsæ suæ causas sibimetipsis abscondunt. Quis non videt hanc reverentiæ speciem, integumentum esse, quo amor proprius se tegit, immo de quo gloriatur? Patet illusio; hæc non humilitas est, sed tepiditas, negligentia, tædium divini hujus edulii, hoc est, cœlestem panem non appetere, & gravissimo morbo laborare. *Domine, de hoc pane scriptum est*, S. Ambrosius inquit; *omnes, qui elongant se a te, peribunt. Idem.*

Contumeliosum Deo est malle sibi Corporis, Sanguinisque JESU CHRISTI usum interdicere, quam proprias imperfectiones relinquere, at numquid minus erit contumeliosum eidem, quotidie hoc Corpore, & Sanguine saginari velle, quin ulla imperfectio relinquatur? Qui excusationem attu-

attulere, ne illi interessent convivio, de quo loquitur Evangelium, reprobati fuerunt: at quomodonam ille exceptus, qui sine veste nuptiali ad illud accessit? Satis patet illusio in illis, qui ob ineptas causas ab hac abstinent mensa; at numquid minus est metuenda in iis, qui sine fructu quotidie communicant? *Idem*.

Superbia, & amor proprius in quotidiana cōmunione sunt metuendi.

Superbia versutissima est, præsertim vero ubi de devotione agitur; nobis personam multiplicem induit, ac rebus eam, quam vult, formam, & colorem inducit. Quotidiana communio secum nescio quem distinctionis caracterem gerit, qui existimationem apud alios conciliat, & præclaram adstruit ideam virtutis illius, qui communicat. Quotidie sacro admitti convivio, non omnium est: Amor proprius honorem suum quærit in ipsa etiam humilitate, cumque ea, quæ in mundo alios solent afficere, devotam animam minime moveant, in ipsa devotione scrutatur, quomodo præ cæteris enitescere possit. Neque semper ostentationem quærit, sed sæpe in semet invenit, unde sibi complaceat; & solum suum sibi sufficit testimonium. Hæc placet devotio, tunc potissimum cum exiguo constat impendio. Quemadmodum quotidie JESUM CHRISTUM recipiunt; ita assuescunt, &, ut ita dicam, cum hospite suo familiaritatem acquirunt. Nulla amplius adest diligens sensuum suorum disquisitio; nulla districta actionum suarum censura, nullus conscientiæ metus, qui animam efficiat puriorem: hæc enim omnia præter primos, eosque paucissimos dies, statim defervent. Quam metuendum est, ne JESUS CHRISTUS factus singulorum dierum panis, fiat etiam plurimis esca communis! Devotio hæc honorem adfert; eidem amor proprius acquiescit, dummodo sibi bellum non indicatur: sed quinam inde fructus percipitur, si amor proprius semper in sua libertate vivit, & dominatur? *Idem*.

Optanda esset fides æque vivida, & generosa charitas æque pura, atque fervens, pietas æque solida, & perfecta, ac ea, quam olim primi fideles habebant; ut nos cum illis eodem privilegio perfrui possemus. JESUS CHRISTUS sese illis quotidie largiebatur, & Heroes illi Christiani quotidie JESU CHRISTO nova præbebant suæ fidelitatis, charitatisque argumenta: verum cum nihil non commune in anima inveniatur, nisi obstinatissima pertinacia, qua vult quotidie ad aras accedere, jurene credi potest, ipsi necessarias dispositiones nequaquam deesse? De ejusdem illusione dubitandum non est. *Idem*.

Modicus fructus, qui ex communione percipitur.

Hoc nos honore dignaris, Domine, ut per Sanctorum Mysteriorum tuorum participationem, te ipsum sinu nostro recipiamus, sed post divinum hoc opus tales esse deprehendimus, quales antea eramus. Quilibet ad solita fedit negotia, habitus, & solatio, quin ulla in tota vitæ ratione mutatio appareat; in verbis siccus est, dissipatus, indiscretus, injustus in consiliis, suis obnoxius affectibus; demum qui illius vitæ genus attentius inspicit, dicat est opus, illud nequaquam obtinuisse vel minimam earum gratiarum particulam, quas tu eidem large, effuseque donasti. Quid inde inferri potest, Domine, nisi quod secundum Simeonis prophetiam tu aliis quidem mors es, aliis resurrectio, *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum. Abbas Trappensis in S. Lucæ Evangelium.*



CONFESSIO.

Sacramentum Pœnitentiæ, & partes illud constituentes.

MONITUM.



Quod primum admonere operæ pretium duco, illud est, quamvis Pœnitentia Sacramentum semper sit cum cognomine virtute conjunctum, non esse tamen cum eadem confundendum: hæc enim duo sunt argumenta seorsim pertractanda, quæ satis superque rerum copiam suppeditare diversis Concionibus possunt. Similiter, licet peccatoris conversio ab integra, sinceraque scelerum suorum confessione incipiat, hic tamen hoc intuitu spectanda Confessio non est, sed quatenus est Sacramentum & medicina a Deo instituta ad obtinendam remissionem peccatorum, quæ post Baptismum patrata fuerunt, in immensum enim opus excresceret, si hic complecti vellemus ea omnia, quæ generatim Pœnitentiam respiciunt. Oportet igitur, ut unice ea videamus, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent, videlicet ad institutionem illius, ad necessitatem, qua peccatores eidem sese subjicere debent, ad partes illud constituentes, dolorem ob læsam numinis Majestatem, propositum non ultra peccandi, integram, sinceramque patratorum scelerum confessionem; & eam, quæ ob crimina imponitur, satisfactionem.

Secundo loco haud abs re est animadvertere, cum Confessio sit novæ Legis Sacramentum, vel si mavis huic nomini eam significationem tribuere, quæ peculiarius habere solet, cum sit pars ejusdem Sacramenti; quidquid in Veteri Testamento occurrit, quod eodem nomine appellatur, intelligendum esse de confessione illa, quam semper expetivit Deus a peccatoribus scelerum suorum, antequam eorum ipsis veniam concederet; qui quidem sensus magis generalis est, in quo Sancti Patres sæpe de Confessione loquuntur, licet aliis in locis perspicue de illa sermonem instituant, quæ fit coram Sacerdote absolvendi facultatem habente. Sed quomodo Confessio coram Domini Ministro facta, Deo ipsi facta censetur, non erit profecto vim facere Patrum Scripturarumque locis, eos in nostrum argumentum transferre.

Illud autem tertio monendum esse arbitratus sum, a nobis ea tantum hoc in argumento allatum iri, quæ concionis magis propria videbuntur, quin fusius ea persequamur, quæ in Catechismis, vel familiaribus instructionibus facilius addiscuntur; satis enim censeo admonere, Concionatori, ubi aderit occasio adhibendas adhortationes esse apud eos etiam qui majori lumine pollent, & revocandas identidem in memoriam eorum instructiones magis familiares, sive eas in libris legant, seu hac in re memoria sua exercitationem excitent, ne in eos labantur defectus, qui facile confessionem efficere possunt, vel inutilem, vel sacrilegam.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum structura in hoc argumento.

I. Ria deterrere solent peccatorem, ne ad Confessionis tribunal accedat, & ne utatur medicina adeo salutari, & necessaria? videlicet labor præparationis, quæ ad illam peragendam requiritur, verecundia in detegendis sceleribus, abditisque cordis recessibus aperiendis, & difficultas peccati vincula infringendi: quæ tria in triplici Concionis parte impugnari possunt, ostendendo hæc efficere non debere, ut a salutari, & felici hac medicina abhorreamus,

Primum quidem labor est peccata ad examen revocare, horribiles imagines memoria repetere, turpissimarum cogitationum, consiliorumque nequam indignitatem discutere: Chaos hoc, & has ambages extricare non placet, vel potius arbitramur numquam satis esse extricandas. Verum quid isthuc? meipsum, inquies, colligere, præteritasque operationes malas recordatione repetere nequeo; potius ergo in iisdem persistere cupis, ac a Dei contumelia absistere non vis. Confessionis cogitationem ipsam perhorrescis, atque speciosum quæris prætextum, ne ex eo emergas statu, in quo misere immergeris. Sed 1. non evitabis discussionem hanc, quæ tibi aliquando facienda erit, vel tibi in impœnitentia finali moriendum, quod malorum omnium est maximum. 2. Quo magis differes, eo majorem in examine perficiendo nancisceris difficultatem; nova enim quotidie veteribus peccata accumulabis. Similis es ægro pharmaca respuenti; sed qui tamdem eadem aptare tenetur periculo mortis perterritus; quo tempore & patitur pœnam horroris sui & periculi, in quo versatur, & pharmaci, quod tantopere detrectabat. 3. Labor autem sarcinæ hujus ferendæ longe major est, quod illam deponere non vis. Ullone enim habes discrimine conscientiæ stimulos, metum in peccato moriendi, & cogitationem, quod Dei es inimicus, teque illius justitia persequitur? Longe facilius est quam primum suis sese exonerare peccatis, quamdiu illa fovere tot inter conscientiæ stimulos cor ipsum indesinenter laniantes.

Secundo pudor peccata confitendi nos a confessione deterret; eos enim qui minori verecundia scelera admittunt, magis suppudet, illa confiteri. Hujus pudoris laborisque magnitudo explicabitur; quæ nihilominus inanis esse ostendetur, vel saltem eadem maximopere leniri probabimus cogitatione illius, cui peccata nostra confitemur. Hic homo peccator est, nostri similis, qui sæpe eadem indiget medicina, qui magis infelicitatis nostræ miseretur, quam personas nostras perhorrescat: qui magis admirari debet constantiam, qua pudorem hunc vincimus, quam infirmitatem, qua in peccatum decidimus; qui tenetur secretum servare numquam temerandum, & qui nulla unquam ex causa uti potest cognitione vitæ tuæ quam recipit ex te; & quem tibi amicum facis eo, quod te ipsum illi credis, atque eumdem præ cæteris eligis, cui quidquid tibi secretissimum est, confidas. Hæc omnia sapientissime disposuit Deus, ut confessionem nobis faciliorem efficeret; quod profecto eumdem hujus auctorem esse confirmat.

Tertia pars est labor, atque difficultas relinquendi affectiones peccati, voluptatum, atque solatiorum; conatus, qui exerendi sunt, ut habitus pravi confringantur, &, ut verbo expediam, ut tota vitæ ratio mutetur. Verum si cogitaremus. 1. nullam nobis salutem, nullam misericordiam sperandam esse, nisi hoc consilium inierimus, & hanc esse conditionem necessario cum venia quam nobis Deus elargitur, conjunctam; 2. Sacramenti gratia planiorem, facilioremque fieri gressum hunc, quem tantopere metuimus; 3. Deum nihil hoc minus expetere posse ab iis, a quibus tot fuit contumeliis effectus; si cogitaremus inquam hæc tria, cum S. Augustino experiremur, hunc omnem difficultatem acervum esse phantasmata nos perterrentia, ac minori labore nos Deo inserviturus esse, quam in sceleribus nostris, sensuumque voluptatibus, vitam ducamus.

Valde etiam utilis sermo potest institui de criminoso silentio, quo peccata in pœnitentiæ Sacramento teguntur. Triplex est hujus silentii causa, quæ triplicem illius quodammodo speciem constituit, & quæ concionis partitionem suppeditat. 1. Silentium ignorantiæ: peccata non confitemur, quia eadem ignoramus. 2. Silentium pudoris, & metus, propter quod eadem confiteri non audemus. 3. Silentium malitiæ quo illa dicere nolumus, vel data opera necessarias circumstantias celamus, ne peccatorum natura, atque enormitas intelligatur. II.

Quod spectat ad ignorantiæ silentium his uti possumus Prophetæ verbis: *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi*. Psalm. 84. Cum veritas de ore peccatoris egreditur, de ore Dei peccata dimittentis exit misericordia: sed hominis silentium obicem statuit huic misericordiæ cum hoc silentium ex crassa, affectata, ideoque nefaria ignorantia procedat, quæ quidem ex Divi Bernardi Sententia, ex incuriosa conscientiæ discussione, & negligentia inquirendi, utrum aliquid peccatum sit, necne, proficiscitur. *Ex sciendi incuria, & desidia discendi.*

Deinde ostendendum est quam indignum sit silentium ex metu, atque pudore profectum. 1. Quod nullus pudor a peccatis patrandis deterret, multus vero deterret ab his confitendis. 2. Quod perfunctoriam timemus verecundiam, neque veremur æternam, quam aliquando subire tenebimur. 3. Quod non videmus pudorem hunc inanem esse; ille enim cui peccata nostra detegimus, & ipse peccator est, & propria doctus experientia hominis miseriam, & infirmitatem agnoscit.

Quod vero ad malitiæ silentium pertinet, vel quam scientes, atque volentes gravia peccata reticemus, ostendendum est, quam grave scelus hoc sit, immo potius quam magna sit scelerum omnium farrago. Confessionem non fugimus; peccatum non ex metu, vel pudore celamus; e contra audaciores sumus, & hoc peccatum non esse, vel saltem non ita magnum contendimus, atque ideo nobis licere putamus illud non confiteri; vel peccata quidem confiteri volumus; sed omnem eorum verecundiam subire detrectamus. 1. Eorum gravitatem sexcentis prætextibus excusamus, sexcentisque ambagibus dissimulamus. 2. Generatim illa accusamus sub his nominibus, quæ illorum indignitatem involvunt, exempli gratia nosmet accusabimus nomine immodestiæ, levitatis, curiositatis, atque horum nominum integumento turpissima peccata cooperiemus, quæ subdolo nefarioque silentio teguntur.

Utilitas, quam ex confessione recipimus. Hominem in duplici statu considerare possumus; videlicet. 1. In statu peccati, in quo medicinæ indigemus; 2. In statu gratiæ, in quo sumus confirmandi. III.

In primo statu Confessio potissimum, efficacissimumque est remedium tria in nobis efficiens. 1. Scelerum nostrorum adspectus nos humiliat; quæ quidem optima est ad veniam consequendam dispositio: *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*. Ps. 50. 2. In nobis pœnitentiam, scelerumque sincerum dolorem excitat. 3. Efficit, ut ad frugem revertamur.

In altero vero, prohibet ne relabamur. 1. Efficit, ut constantius imposterum adhæreamus Deo. 2. Nos ab

ab iis divellit occasionibus, propter quas peccavimus. 3. Iis non subjicit pœnis, quæ nos continent in officio, atque in timore injuriam Domino inferendi.

IV. 1. Confessio lex est, cui peccatores omnes sese subjicere debent; lex Divina ab ipso Dei Filio instituta; lex justa, lex sapiens.

2. Lex est, cui parere omnium interest peccatorum; lex æque levis ac severa, & cujus rigor cum summa suavitate & misericordia conjunctus est.

V. Ut Sancta fiat Confessio tres præcipue conditiones requiruntur tribus concionis punctis tractandæ.

Conditio prima: peccatorum nostrorum examen diligens esse debet; docendum hic est, quomodo conscientia sit excutienda.

Altera: Accusatio, & peccatorum nostrorum enarratio debet esse sincera, quin nosmet excusemus, quin proximos accusemus, quin aliquid dissimulemus, quin fucum faciamus illi, quem Dei Filius Judicem in hoc Tribunali constituit.

3. Consilium recedendi a peccato, vitæque rationem immutandi firmum esse debet, & constans; hoc pariter diligenter explicandum est.

VI. Duo præcipui defectus, qui plerasque Confessiones vel malas, vel imperfectas efficiunt.

1. Defectus sinceritatis plerasque confessiones nostras malas efficit. Peccata nostra dissimulamus, circumstantias aggravantes reticemus; propter examinis defectum nonnullorum scelerum obliviscimur; perfunctorie huic Sacramento nosmetipsos præparamus; cum præstare illud debeamus quod olim Propheta: *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Isaiæ 38.

2. Doloris defectus efficit ut nullum ex confessionibus nostris fructum percipiamus. Hic explicandæ sunt hujus doloris qualitates, & conditiones; præsertim vero quomodo anteactæ vitæ pœnitentia complectatur consilium vitæ immutandæ, atque constans affectuum omnium improborum relinquendorum propositum.

Hoc etiam aliter dividi potest ex priori parte expungendo, quæ non adeo directe ad sinceritatem pertinent; & omnia proponendo, ut in partitione sequenti. *Desumptum ex manuscripto Sermone*.

VII. Rationes propter quas Confessio, quæ quidem utilissimum est remedium, ne inutilis fiat.

Prima est, defectus luminis in peccatorum examine. Altera, defectus sinceritatis in accusatione, & Confessione. Tertia defectus doloris, & pœnitentiæ.

VIII. Aliud argumentum a præcedenti non abhorrens est; scrutari causas propter quas sæpe modicus fructus ex Confessione percipitur.

Prima est quod ad hoc Sacramentum accedimus sine dispositionibus necessariis.

Altera, quia nosmet non accusamus, uti oportet.

Tertia, quia non exequimur ea, quæ polliciti sumus, & salutaria Confessarii consilia negligimus.

IX. Pro Concionis argumento; ac partitione duplicem proponere quæstionem possumus. Prima quid sit Confessio, & quid exquiratur in fideli peccata sua confitente. Altera quænam sint illius partes, vel conditiones absolute necessariæ. Duplici verbo; quænam sit natura, & essentia Confessionis Sacramentalis; quænam illius regulæ, & conditiones.

Pro prima: Confessio consistit in hoc, ut aliquis. 1. Ad Sacerdotis pedes provolutus se peccatorem accuset: 2. Ut non generatim solum se peccatorem dicat: sed singillatim peccatorum numerum, atque speciem in quovis articulo recenseat: 3. Ut explicet etiam peccatorum suorum occasiones, nexus, & habitus.

Pro altera: tres virtutes, vel qualitates ad bonam Confessionem peragendam requiruntur.

1. Sancta simplicitas in peccatis citra dissimulationem, & excusationem aperiendis.

2. Humilitas profunda, ut sese coram Deo nihilum putet. 3. Dolor supernaturalis. *Ex manuscripto Sermone*.

X. Possumus etiam hoc nobis proponere, ut labores, & difficultates, quæ in Confessione inveniuntur, leviores, mitioresque ostendamus. Hæ autem sunt. 1. Secretum suum aperire, Confessario detegendo quidquid magis absconditum inest; 2. Honorem suum negligere sua facinora prodendo; 3. Propriam justificationem relinquere seipsum accusando. Contra triplicem hanc difficultatem ostendendum est.

1. Secretum suum confirmari illud aperiendo; secretum quippe Confessionis violari non potest.

2. Honorem, atque existimationem servari, quin eidem officiatur apud ipsum Confessarium, qui nostram humilitatem, animumque admiratur, ubi nostras eidem aperimus infirmitates.

3. Nosmet accusantes reosque declarantes coram Domino justificamur. Itaque secretum confirmamus illud alteri committendo; honorem tuemur ignominiam nostram declarando, & justificationem invenimus, peccato accusando: quod quidem satis speciosum campum aperit, ut de Confessione non communi ratione loquamur, *Desumpt. ex manuscr. Sermone*.

XI. Pro argumento, ac partitione ea desumere possumus bona, quæ ex Confessione procedunt, easque conditiones, quæ ad utilem, optimamque confessionem peragendam requiruntur.

1. Bona quidem desumi possunt ex his S. Ambrosii verbis, quorum explicatio primam partem occupabit: *Confessio peccata remittit; Confessio merita restituit; Confessio vermis aciem obtundit*.

2. Conditiones autem afferendæ, ut bona sit, atque perfecta Confessio, hæ sunt 1. ut serium præcedat examen, ut sincera, atque integra omnium scelerum manifestatio subsequatur.

3. Ut verus dolor, & constans propositum sese corrigendi concomitetur.

XII. Ut recta instituatur Confessio, atque omnem assequatur effectum, pro quo instituta fuia, tria requiruntur.

1. Opus est, ad nostræ conscientiæ Tribunal nosmet reos fateri, ut alioquin non evitandam supremi Judicis damnationem evitemus.

2. Vivus concipiendus est scelerum dolor, ut eorum veniam obtineamus.

3. Nobis in nosmetipsos animadvertendum est justa satisfactione, quæ sit nostris sceleribus in quadam proportione respondens, ut severum a Deo alioquin infligendum supplicium evitemus.

XIII. Hi ferme sunt plerorumque fidelium defectus in Confessionibus.

1. Peccata sua confitentur, quin eadem se patrasse doleant.

2. Quin ab illis sese procul absuturos polliceantur, atque ab iisdem imposterum caveant.

3. Quin digna satisfactione peccata sua expiare contendant.

XIV. Pro Concionis partitione desumi possunt ea verba Regii Prophetæ: *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*. Ps. 50.

1. Ad Sacramentum hoc corde contrito accedamus; omnesque eas superabimus difficultates, quæ tot Fideles ab hujus Sacramenti usu deterrent.

2. Accedamus cum humilitate, omnesque eos evitabimus defectus, in quos tot Fideles impingunt propter pravum hujus Sacramenti abusum, ad quod passim accedunt. Hoc in sensu Tertullianus pœnitentiam appellat *prosternendi, atque humilificandi hominis disciplinam*.

XV. Confessio habenda est tamquam peccatorum nostrorum medicina. Medicinæ autem bonitas ex triplici hac nota dignoscitur; Si agat 1. tuto, 3. celeriter, 3. suaviter. Peccatori igitur, animæque ægrotanti, ac nequam.

1. Pœnitentiæ Sacramentum tutum remedium est. Hoc ipse Dei Filius instituit, & ideo æque est infallibile, ac Verbum illius.

2. Re-

2. Remedium est præsens. Statim enim sanat, & nos justificamur statim ac peccata confessi absolutionem recipimus.

3. Remedium est æque leve, ac efficax, quemcumque rigorem, atque difficultatem nonnulli in eodem deprehendant. *Desumptum ex P. Giroust in Adventu.*

XVI. Hoc ipsum pœnitentiæ Sacramentum considerari potest tamquam judicium, quale reipsa est; in quo tria eidem essentialia occurrant consideranda.

1. Pœnitens seipsum accusans. Qua igitur ratione seipsum accusare debet, ut misericordiam, & peccatorum suorum remissionem consequatur?

2. Judex Sententiam profert. Quænam sunt hujus officia, quæ potestas?

3. Sententia prolata. Quotuplici in sensu illa nobis utilis est? *Ex eodem.*

XVII. In illa Salvatoris verba: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*: Jo: 30. Hic tria mihi videntur occurrere satis perspicue expressa, & ex quibus concionis partitio fieri possit.

1. Adesse pœnitentiæ Sacramentum ab ipso Dei Filio institutum, quandoquidem ex ipsis verbis institutionis Sacramentum jam esse infertur, ideoque integram omnium peccatorum nostrorum confessionem esse de jure Divino.

2. Sacramento huic inesse virtutem remittendi omnia peccata, cujuscumque generis, ac malitiæ illa sint.

3. Sacramentum hoc maximæ esse necessitatis, cui nosmet subjicere debemus; sed illius necessitatis, quæ infinitam nobis adfert utilitatem. *Ex eodem.*

XVIII. Confessio nobis maxime prodest, ut veram peccatorum nostrorum pœnitentiam efficiamus.

1. Peccatorem humiliat; qui status ille est, quem ab eo exigit Deus, & quæ prima est reparatio, quam Divina Justitia deposcit; quandoquidem per peccatum ille contra Deum insurrexit. Quapropter, ut jam dictum est a Tertulliano, *prosternendi, atque humilificandi hominis disciplina* vocatur.

2. Illi peccatorum suorum dolorem, atque Spiritum contritionis immisit.

3. Rationes illi suppeditat sua expiandi peccata per eam satisfactionem, quæ cum Sacramento conjuncta maximopere efficax est. *Ex eodem.*

XIX. Considerari etiam hoc Sacramentum potest, quatenus refertur ad tria personarum genera, quæ eidem intersunt, videlicet quoad

1. Filium Dei, qui illius est Auctor, & qui Confessionem instituit, ut simul & misericordiæ, & Justitiæ suæ satisfaceret.

2. Quoad Sacerdotem Sacramenti Ministrum, qui eodem tempore officio fungitur Judicis, ut de peccatis cognoscat, eaque remittat, & Medici, ut animæ nostræ vulnera curet, eisque salutaria applicet medicamenta, & Amici, ut saluberrima monita tribuat.

3. Quoad Peccatorem, qui ad hoc Sacramentum necessarias dispositiones, & conditiones debet afferre.

XX. De bonæ, atque sinceræ Confessionis effectibus.

1. Deum erga nos mutat; ex inimico per reconciliationem perfectam amicum facit; ejus odium in amorem, justitiam in misericordiam convertit.

2. Immutat peccatorem conversione perfecta: criminoso, ac nefario innocentiam restituit, pollutum invisumque Deo facit justum ac Numini charum.

3. Mutat peccatum; ac debitam peccato pœnam.

XXI. In Pœnitentiæ Sacramento considerari potest etiam

1. Ejus institutio, quæ est de jure divino, & quæ omnes peccatores obligat, ut peccata sua clavibus Ecclesiæ subjiciant;

2. Ejus utilitas, & fructus, quem homines recipiunt;

3. Ratio qua munere hoc perfungi debeamus.

Causæ inutilitatis, vel fructus exigui, qui generatim ex confessione percipitur. XXII.

1. Quod vulgo sine necessariis dispositionibus homines accedunt; & quænam illæ esse debeant.

2. Quod sese non accusant, uti oportet, & quinam sint defectus, qui in peccatorum manifestatione admittuntur.

3. Quia recte inita consilia non adimplentur, & quænam sint causæ hujus inconstantiæ.

In Confessionibus nostris passim in duos errores prolabimur prohibentes, ne illas genuina excipiat conversio, XXIII.

1. Est, quod nos esse putamus innocentiores, quam simus, eo quod non satis bene conscientiarum nostrarum latebras perscrutamur.

2. Quod nosmet putamus vere pœnitentes, cum minime simus. *Desumptum ex Patre de La Colombiere tomo 4.*

De scelere celandi peccatum grave in Confessione. In priori parte ostendetur, quam funestum sit in effectibus: in altera vero, quam irrationabile in causis. *Desumptum ex Biroat.* XXIV.

Peccata confitentes infamiam extimescere non debemus, neque vereri nostræ existimationis jacturam. XXV.

1. Coram Deo, quandoquidem apud ipsum vera gloria est gratiam, & amicitiam ipsius possidere.

2. Coram Sacerdote nostra scelera audiente; videt enim etiam lacrymas nostras, humilitatem, mutationem, testimonia pœnitentiæ nostræ.

3. Coram illis, qui te in actione adeo humili inspiciunt, qui inde nonnisi ædificationis occasionem possunt arripere.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque unde hauriri copia queat ad proposita concionum Sistemata elaboranda.

Quin proferamus Theologos Scholasticos, Casuistas, Controversistas, singulos pro modulo suo argumentum hoc pertractantes, atque infinitos propemodum libellos, Confessionis formularia, vel familiaria ad rite confitendum præcepta continentes; illi qui præ cæteris Concionatoribus magis prodesse possunt, hi fere sunt.

Sanctus Ambrosius l. 2. de pœnitentia ostendit, quam inutile sit celare peccata, & non audere ea patefacere. Sancti Patres.

Idem libri ejusdem cap. 7. Fideles hortatur, ut peccata confiteantur, & hoc pacto manifestationem eorum aliquando a supremo Judice faciendam prævertant.

S. Gregorius Magnus l. 11. Moralium c. 19. loquitur de sinceritate, quæ in peccatorum Confessione requiritur.

Idem hoc ipsum argumentum pertractat in cap. Job 36,, & lib. 26. Moralium c. 36.

Idem Moralium l. 22. hæc Job c. 31. verba explicans, *si abscondi quasi homo peccatum meum*; ostendit peccatorum confessionem magnum esse actum humilitatis.

Idem in cap. 31. Job docet excusationes, quibus peccata tueri, vel imminuere conamur, irritare Deum, eumque sæpe magis, quam ipsa peccata lacessere.

Idem in hæc Psalmi 32. verba; *nec est in Spiritu ejus dolus;* ostendit Spiritum rectum, sincerum, ac sine dolo eum esse, qui peccata sua non dissimulat; sed ingenue patefacit.

S. Augustinus *Serm. 49. de verbis Domini in Evang. secundum Joannem* docet peccatorum nostrorum Confessionem necessariam esse ad misericordiam obtinendam.

Idem in hæc boni Latronis verba; *neque tu times, qui in eadem damnatione es*; docet augeri peccata ab illa excusante, atque ingenue esse patefacienda.

Idem

Idem *in Psalm. 66.* fusius loquitur de sincera peccatorum Confessione, uti quoque *lib.* 20. *de Civitate Dei cap. 9.*, *& lib. de vera, & falsa pœnitentia*.

Idem in hæc verba *Ps. 36. Revela Domino viam tuam, & spera in Deo*: in illa quoque Ps. 84. *veritas de terra orta est*, & in Ps. 95.

Idem Sermone *de Confessione* discrimen adfert inter eam Confessionem, quam per tormenta justitia extorquet humana, & eam, quæ fit Deo, & Ministris illis.

Idem tandem *in Ps. 117.* explicat duos varios sensus hujus vocabuli *Confessionis*, quod in Scriptura nonnumquam pro laude, quæ Deo defertur, & nonnumquam pro peccatorum suorum manifestatione usurpatur.

Sanctus Chrysostomus *Serm. de Confes. peccat.* prolissam habet ad peccatores exhortationem, ut commissa confiteantur scelera, eisque efficacissimas rationes proponit.

Idem *Homil.* 20. *in Genes.* Dei exaltat misericordiam, qui contentus est sincera nostrorum peccatorum Confessione, ut nobis eorumdem veniam concedat.

Idem *Hom.* 31. in Epistolam ad Hebræos amplum Sermonem habet de utilitate, quam ex peccatorum nostrorum confessione percipimus.

Idem homilia de Pœnitentia ostendit, quanti referat vincere pudorem, ac metum quo nosmet fontes prodere non audemus, quod ipsum argumentum pertractat in Homilia de Pœnitentia, & Remissione.

Idem *in Ps. 106. Confitemini Domino quoniam bonus*, ostendit majus esse peccatum nolle confiteri, quam legem infringere.

Origenes *Hom.* 3. *in Leviticum*; ostendit non erubescendum esse peccata commissa confitentibus; sed comittentibus illa.

Idem eamdem probat veritatem in capitibus 12. & 13. ejusdem libri Levitici, & in homilia secunda in Ps. 37. & homilia prima in Ps. 36. hæc explicans verba; *Revela Domino viam tuam*; *& in homil. octava in cap.* 12. 1. *S. Lucæ*.

S. Bernardus Epistola 113. explicans hæc verba Ps. 95. *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus*; ostendit, quam placeat Deo sincera peccatorum nostrorum Confessio.

Idem in Sententiis suis, quatuor recenset, prohibentia, ne bona Confessio fiat; videlicet verecundiam, metum, præsumptionem, & desperationem.

Idem de Confessione verba facit in Serm. 1. de Circumcisione; in Sermone de S. Andrea, & in tractatu ad Milites Templi.

Hugo de Sancto Victore cap. 8. tractatus de Remissione peccatorum Confessionis necessitatem confirmat.

Idem in lib. Mixtorum Operum tria scientiæ genera, & tria, in quibus Confessio consistit, distinguit.

Idem titulo 100. septem memorat gradus, quos perfecta Confessio debet habere.

S. Laurentius Justinianus in tractatu de Spirituali Animæ morte verba facit de Utilitatibus, ac Necessitate bonæ Confessionis, quod uberius persequitur in tractatu de Perfectione religiosa.

Guillelmus Parisiensis in tractatu suo de Sacramento pœnitentiæ utilissima adfert ad rem hanc documenta, acriterque eorum errorem impugnat, qui uni Deo confitendum affirmant.

Ascetici. P. Lucovicus Granatensis tract. 2. de Pœnitentia, septem tribuit monita ad bonam Confessionem peragendam, eosque recenset defectus, qui illam nullam efficere consueverunt.

P. Croiset tom. 1. Considerationum Christianarum.

Pædagogus Christianus *part.* 2. *cap.* 15.

Fulvius Andratius hac de re integrum edidit librum.

Nicolaus Lancicius *opusc.* 12. *fol.* 146. 245., *& opusc.* 13. *cap.* 12.

Bernardinus Rosignolius *l.* 1. *c.* 9. 10.

Marchantius tract. 5. Candelabri Mystici *lect.* 6.

Canisius in opere Catechistico.

Pater Causinus in Aula Sancta l. 3. sect. 9. 10. agit de necessitate, & usu Confessionis.

Cardinalis de Richelieu libro de Perfectione Christiana cap. 12., & sequentibus de institutione, necessitate, & utilitate Confessionis verba facit.

Pater Gegou in libro, cui titulus, Usus Sacramenti Pœnitentiæ, uberius pertractat quidquid pertinet ad hoc argumentum.

Liber, cui titulus *Conduite Chretienne* ab Anonymo editus.

Infiniti propemodum sunt Libelli, qui hac de re editi sunt, quos recensere difficillimum esset, & qui nihil agunt, nisi quod aliis terminis, & verbis hoc ipsum repetunt, quod nos de hoc argumento attulimus, & afferemus.

Osorius tomo 4., qui inscribitur Sylva, duplicem habet de hoc argumento sermonem. Concionatores.

Thomas Stapletonus Textu 4. in Dominic. 1. post. Pent.

Molinier in Dom. 5. Quadrag.

Mathias Faber in Dom. 5. Adv. conc. 6. & 7. In Dom. 4. post Epiph. conc. 3. in Dom. 3. Quadr. conc. 6. 7., in Dom. 4. Quadr. conc. 3. 4., in Dom. 13. post Pent. conc. 9.

Pater Texier Sermone pro tertia Quadragesimæ Dom.

P. le Jeune Sacerdos Oratorii.

P. Masson, & ipse Sacerdos Oratorii Serm. 15. Adventus.

P. de la Colombiere initio tom. 4. Sermonum, & in considerationibus Christianis.

Joly propositione pro quinta Quadragesimæ Dominica, ubi de Paschali Communione verba facit.

P. Aurelianensis tom. 1. Sermonum, atque instructionum Christianarum in varia argumenta.

P. Maimbourg Sermone pro feria 6. post primam Quadragesimæ Dom.

P. Duneau Sermone pro feria 6. post quartam Dom. Adv.

P. Giroust tomo 2. Adv.

Dictionarium Morale duplicem habet hujus argumenti concionem.

Auctor Sermonum in omnia Christianæ disciplinæ argumenta tom. 2. Quadrag.

Auctor Sermonum Christianorum Sermone pro Dom. 11. post Pent.

Morales Sermones in Sermone hujus argumenti.

De la Font propositione pro Dom. Palm.

Granatensis in locis communibus tit. Pœnitentia, & Confessio. Qui collectanea edidere.

Raynerius de Pisis in Pantheologia tit. Confessio.

Labatha tit. Confessio.

Lohner tit. Confessio.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Vir sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, peccatum suum confitebuntur. Num. 5.

Leprosus adducetur ad Sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum ejus. Ib. c. 13.

Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas; & dixit ei: vere ego peccavi. Josue 7.

Si abscondi, quasi homo, peccatum meum, & celavi in sinu meo iniquitatem meam. Job 31.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Ps. 50.

Ini-

Iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo. Ps. 37.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Is. 38.

Præoccupemus faciem ejus in confessione. Ps. 94.

Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei. Ps. 31.

Delictum meum cognitum tibi feci; & injustitiam meam non abscondi. Ibidem.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit ea, misericordiam consequetur. Prov. 28.

Ante mortem confitere.

A mortuo quasi nihil, perit confessio. Confiteberis vivens, vivus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius. Eccl. 17.

Pro anima tua non confundaris dicere verum: est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam. Eccl. 4.

Non confundaris confiteri peccata tua. Idem, ibidem.

Creavi fructum labiorum, pacem. Is. 57.

Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus: dolores parturientis venient ei. Osee 13.

Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. Matth. 16.

Vade, ostende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses. Luc. 5.

Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Luc. 17.

Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joann. 5.

Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Idem, c. 20.

Multi credentium veniebant, confitentes, & annunciantes actus suos. Act. 19.

Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. 1. Joan. 1.

Exempla, vel Figuræ Legis Antiquæ.

Leprosi morbum suum aperire tenebantur.

IN Levitico legimus, eum, qui laborabat lepra, debuisse dissuta gerere vestimenta, ut omnibus ipsius pateret infirmitas: quæ quidem egregia est figura illius rei, quam præstare debet ille, cujus anima lepra infecta est, videlicet peccatis coinquinata. Non debet ille sibi vestes assuere, ut scelerum suorum fœditatem abscondat; debet immo illa detegere, eaque confiteri. Celare scelera sua, idem est, ac nolle curari; & nolle curari, idem profecto ac velle mori. Si silentium igitur, & secretum hac in re mortem infert; e contra arguendum est, peccatorum Confessionem, & manifestationem nobis vitam conferre, atque efficere, ut novam quadam ratione renascamur.

Supremi in lege veteri Pontificis erat de iis cognoscere, qui corporali lepra infecti existimabantur, ideoque tenebantur isti sese eidem ostendere, quamvis ille mederi non posset. Huic legi Dei Filius alludit, cum ad Sacerdotes misit decem illos Leprosos, qui ad ipsum salutem impetraturi convenerant: *ite, ostendite vos Sacerdotibus*. Luc. 17. Modo vero in lege nova Sacerdotes spiritualis lepræ, & Judices simul sunt, & Medici; nemo præter eos huic morbo pharmacum afferre potest, quandoquidem in manibus eorum positum est unicum, præsentissimumque remedium Dominici Sanguinis. Decet ergo, nos tanto minus pudere eisdem scelera nostra detegendo, & quidquid in nobis corruptum, tepidumque est aperiendo; quanto incurabilius illud est, quod superbia & amor proprius abscondit.

Naamani Exemplum.

Cum Eliseus Naamano præcepit, ut septies in Jordane ablueretur, si lepra mundari vellet; Superbus ille Syrus primum quidem consilium contempsit, atque se a Propheta irrideri existimavit: sed cum re infecta reditum jam meditaretur, nescio quis ita ipsum allocutus est; si rem difficilem tibi Propheta imperasset, ea tamen tibi perficienda fuisset, nihilque omittendum, ut eam, quam quæris, medicinam invenires. Porro cum præceperit, solum ut Jordanis aqua abluaris, cur adeo facile remedium negligis, in cujus periculo faciendo nullam subis difficultatem? Paruit consulenti Naaman, & repente convaluit. Aliquid simile affirmari posset de Sacramentali Confessione. Si noctes in diuturnis, molestisque vigiliis essent traducendæ; si bona quælibet relinquenda, & in eleemosynas eroganda; si trananda maria; corpusque ferro, ac igni objiciendum, ut scelerum vestrorum veniam consequeremini; nihil vobis omittendum esset, & omnes licet gravissimæ conditiones vobis essent libenti animo subeundæ. Quo igitur potiori jure cum hoc agatur solum, ut scelera vestra cum sincero dolore confiteamini? Notandum profecto est in lege naturæ, & in lege scripta, Deum semper a peccatoribus scelerum confessionem expetivisse, antequam illis eorumdem veniam elargiretur. Ideo ex quorumdam Patrum Sententia, cum interrogavit Adam, & Evam post peccatum, non ideo scelus eorum ignorasse, existimandus est; sed voluisse, ut ipsi peccatum suum confiterentur, paratus omnes eisdem pœnas quas minitatus fuerat, remittere, si bona fide illud confessi fuissent, & e contra latebras, & excusationes non quæsivissent. Iidem Sancti Patres hoc ipsum affirmant de Cain. Similiter in lege scripta videmus, cum Dei populus suam infidelitatem agnovit, & confessus est, eidem statim scelerum veniam fuisse permissam, & divinæ justitiæ flagella desivisse. Veluti cum post murmur Hebræorum contra Moysem, in eos immisit Serpentes, quorum morsus dolorem afferebat illi similem, quam ignis gignit, & ex quo complures moriebantur: populus ille ad Moysem confugit, & statim; ac illatam a se in ipsum injuriam confessus est, repente pœna illa cessavit. Sexcenta occurrunt in Scripturis id genus exempla, quæ proferre longum esset.

Exempla Davi[d]is.

Attamen ex Davidis exemplo percipimus, licet Deus peccatum dimittat quoad culpam post humilem confessionem, doloremque sincerum; ipsum tamen non ideo cessare quominus temporalibus pœnis illud persequatur. Rex ille post patratum Adulterium, & cædem, Dei verbis a Propheta Nathan monitus, & redargutus fuit: Non dissimulavit ille scelera sua, licet turpissima, atque gravissima, ac statim ex eodem Propheta audit sibi a Deo peccati veniam fuisse concessam: *Transtulit quoque Dominus peccatum tuum*. 2. Reg. 12. Quod tamen accidit cum hac conditione, ut Puer ex scelere conceptus moreretur, atque Divinæ justitiæ flagella non cessarent, nisi Regis peccata penitus expiata fuissent.

Exempla, & Figuræ Novæ Legis.

Apud Judæos quædam confessionis ad erat species.

IN Evangelio S. Matthæi cap. 3., uti etiam a S. Marco cap. 1. narratur, Sancto Joanne Baptista secus Jordanem pœnitentiæ Baptismum prædicante, populos ad vocis hujus rumorem confugisse, & peccata sua fuisse confessos: *confitentes peccata sua*: quamvis Confessio hæc Sacramentum non esset, quod nondum fuerat institutum. Hoc tamen probat, non defuisse tunc temporis apud Judæos quamdam confessionis speciem, cum ex scelerum suorum cœno emergere, & agere pœnitentiam meditabantur. Verum cum legimus in Actis c. 19. peccatores ad Apostolorum pedes confluxisse *confitentes, & annunciantes actus suos*; tunc illi exercebant proculdubio, quod Dei Filius de Confessione præceperat, & Apostoli utebantur potestate remittendi peccata, quam acceperant a JESU CHRISTO.

Hujus

Sacramentum Pœnitentiæ a J. C. institutum.

Hujus Sacramenti institutio liquido per hæc JESU CHRISTI verba probatur apud Joannem cap. 20. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata &c.* Etenim ut peccata remittas, quatenus Judex ad id constitutus, utque ea cognoscas, quæ remittenda, vel retinenda sunt, quemadmodum Dei Filius loquitur; ea profecto ad unguem sunt cognoscenda, atque ut cognoscantur, necessum est, ut rei illa patefaciant, ita ut de eorum natura, & gravitate possit ferri judicium. Invictissimo huic innixa argumento Ecclesia eam semper potestatem exercuit, quam a Dei Filio recepit peccata dimittendi, eamque legis novæ Sacerdotibus communicavit.

Sacramentum has per probaticam Piscinam figuratum.

Piscina probatica, de qua loquitur S. Joannes in Evangelio, figura est hujus Sacramenti, quod ad se confugientes a quacumque Spirituali ægritudine mundat, licet gravissima, atque teterrima. Gratia, quam nobis confert, exprimitur ab Angelo aquam illam movente, & cujus motus monebat, tempus jam esse, ut ægrotus sese in illam conjiceret. Aqua vero, in quam æger erat immergendus, repræsentat Sanguinem Redemptoris omnia abluentem peccata, omnesque animæ morbos curantem. Morbi ibi submergendi, sunt peccatores curationem suam quærentes, atque cupientes: Illud vero notatu dignum est prodigium hoc paulo post JESU CHRISTI mortem desivisse, quasi vellet innuere figuram jam inutilem esse, postquam apparuit veritas, hujus nempe Sacramenti institutio.

Alia in Lazari resurrectione figura.

Sancti Patres, atque inter cæteros SS. Augustinus, atque Gregorius aliam Confessionis figuram nanciscuntur in Lazari resurrectione, quem Dei Filius omnipotentis verbi sui virtute de Sepulcro excitaverat. Vix enim mortuus ad vitam redierat, cum præcepit Dominus, ut illi auferretur sudarium, quo erat involutus, & solverentur vincula, quibus pedes, manusque illius erat constrictæ: *Solvite eum, & sinite abire.* Joan. 11. Hoc autem ex eorum Patrum sententia repræsentat, peccatores, qui interiori Dei voce, atque Divina inspiratione evocati de peccatorum suorum tenebris, tanquam de Sepulcro, resurgunt, & qui per Sanctam sinceramque Confessionem iis exolvuntur vinculis, quibus erant adstricti, simul ac Sacerdotis absolutionem acceperunt. Qua in re cum iisdem Patribus supponere possumus Salvatorem Apostolis præcepisse, ut resuscitati mortui vincula infringerent: quæ quidem figura est potestatis, quam deinceps tradidit illis, & in eorum persona omnibus eorumdem Successoribus, solvendi peccatores divina gratia evocatos, & per propriam confessionem de tumulo egressos: *solvite, & sinite abire.* Quod si JESUS CHRISTUS hoc præcepit aliquibus Judæis, qui præter Apostolos tunc aderant, semper imperium hoc illud præsignabat, quod deinde Apostolis tradidit.

Humilis, sincereque confessionis exemplar in Filio Prodigo expressum.

In Evangelio prodigi filii reditum ad Patrem legentes veram ibi pœnitentis peccatoris intuemur Imaginem, qui ad Confessarii pedes provolutus sua peccata patefacit: *Pater peccavi in Cœlum, & coram te.* Nostis quomodo prodigus hic Patris domum deseruit. Postquam ex eodem partem suam petiit, in remotas Regiones concessit, ubi brevi omnia bona abligurivit. Quid illi in egestate faciendum? ad quem confugiendum? Consilium iniit ad Patrem redeundi, a quo quomodo acceptus fuerit, probe nostis. Statim ac illum Pater eminus prospexit, eidem obvius cucurrit, & quin in exprobrationes erumperet, cor illius mollitum est: Filium ad genus provolutum attollit, amplectitur, osculatur, nova illum veste induit, eique opimum instruit convivium. Hæc apertissima est Imago rationis illius, qua Deus pœnitentem excipit peccatorem, qui satis est, ad Confessionis Tribunal accedat, ut omnia sua recipiat, atque ibi vix suam accusationem absolvit, cum jam sequitur absolutio, omniaque ipsi remittuntur peccata.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum.

Peccata nostra Deum fallere nequeunt, licet hominibus abscondantur.

B*Eati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata;* inquit Regius Propheta Ps. 4. Verum quinam peccata tegere potest? non solitudines, non deserta, non aspera loca: quandoquidem ubique Deus est, apertisque oculis omnes, singulasque actiones nostras intuetur, non obscurissimæ noctis tenebræ, iidem enim oculi densissimas etiam tenebras penetrant; neque inviolabilis amici prudentissimi fides, quippe omnes hujusmodi præcautiones apud Deum, quem nihil fallere potest, & qui aliquando omnia hæc iniquitatis mysteria revelabit, inanes penitus sunt. Nosse cupis rationem occulendi peccata, quæ frustra per dissimulationem, atque superbiam contegere studes? hæc una ratio est, inquit S. Ambrosius, ut tumetipse detegas ingenue confitens illa: hoc enim pacto rationem invenies, ita celandi peccata tua, ut de illis imposterum numquam loquendum sit. Eorumne oblivisceris? reminiscitur Deus. Reminisceris tu? Deus obliviscitur. Illa Sacerdotibus abscondis? ea Deus manifestabit. Temetipsum coram illis accusas? te eorum non redarguet Deus æque ac si numquam illa patrasses.

Fides est rationis Sacrificium: qui unicum fidei articulum credere non vult, idem est, ac si nullum crederet. Similiter Scriptura Confessionem vocat Sacrificium labiorum: reticere data opera unum tantummodo mortale peccatum, Confessio non est, sed Sacrilegium. Contritio est Cordis Sacrificium; hoc autem debet esse holocaustum: si unum tantummodo peccatum adsit, quod minime abomineris; hoc efficit Sacrificium tuum non inutile solum, verum etiam abominabile. Non imitandus est Saul, qui Deo immolare noluit, nisi quæ abjectissima erant, pepercit autem Agag Regi, de quo Deus insignem ultionem jubebat assumi.

Si me justificare voluero, os meum condemnabit me; Job 10. Verba hæc ad eos transferri possunt, qui semetipsos accusantes sua excusant peccata, eaque probare contendunt, sed illi ore proprio damnantur: si enim se hujusmodi scelerum reos non sentiunt, cur in Confessione sede eisdem accusant? excusari nequeunt hi falsi pœnitentes, quorum superbia, impietas, & pudor confessionis effectus impediunt. Seipsos accusant, simulque condemnant, & eodem ore, seipsos tueri conantur.

Qua cura peccatorum examen sit instituendum.

Verebar omnia opera mea; inquit S. Job c. 9. Quo magis actiones meas scrutabar, eo extimescebam magis; quippe mihi res erat cum Deo, qui minime parcit. Ut digne accedamus ad Sacrum pœnitentiæ Tribunal, opera diligentissime navanda est, & diligenti examine nosmetipsos scrutari debemus. In cordis amaritudine recogitandi sunt omnes anteactæ vitæ dies, atque ad rectæ conscientiæ Tribunal nihil perperam, atque perfunctorie aggredientis omnia curiosius sunt cognoscenda. Persuasum quippe omnibus esse debet, ubi oscitantius, & negligentius flagitia nostra excusserimus, Deum negligentiam hanc persecuturum, atque judicium hoc nostrum leve, & præceps reformaturum. Igitur hac in re, quæ præ cæteris una maxime necessaria est, eam oportet adhibeamus diligentiam, quam pro terrenis impendimus.

Non parcam ori meo. Job c. 7. S. Gregorius perfecto pœnitenti applicat hæc verba S. Job: nam quemadmodum, hic Pater ait, ille, non parcit ori suo, neque erubescit confiteri malum, quod fecit; namque non parcere ori, non aliud hic est, quam illud in peccatorum suorum confessione adhibere: *ori suo non parcit, qui confiteri malum, quod fecit non erubescit.*

De falsa Pœnitentia.

Lingua sua mentiti sunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo; Psal. 77. Hæc verba citra dubitationem Confessioni applicari possunt: falsa enim pœnitentia, quæ fit per Confessionum abusum, mendax est pœnitentia, in qua ipsi Deo mentimur,

cum

eum solum hominis credulitate putemus abuti. Et addere possumus horum pseudo pœnitentium cor, nequaquam rectum esse coram Deo; quandoquidem Deus hanc primam a nobis satisfactionem exposcit, videlicet peccatorum nostrorum Confessionem, & damnationem: *Ecce confitebor adversum me injustitiam meam Domino*; quemadmodum idem ait Propheta Psalm. 31.

Potestas a Jesu Apostolis tradita dimittendi peccata ea est, quam ipse recepit a Patre.

Hominem non habeo. Joan. 5. Hæc verba paralytici, octavum supra trigesimum annum languentis secus piscinam, applicari possunt peccatori, qui diu in suo peccato delituit, & qui per summam infelicitatem invenit Confessarium immitem sine zelo, sine miseratione, qui terret pœnitentem, quin eidem auxilium adferat, ut exoneret conscientiam suam, & cum Deo redeat in gratiam; vel potius peccatori, qui decidit in manus ignavi Confessarii, complacentis, cupidique, qui alia quæcumque cogitat præter salutem pœnitentis: tunc enim peccator Confessarii potius defectu damnatur, quam suo, atque ut recte loquar, non invenit hominem, qui illud, quo eget, sibi ferat subdium: *hominem non habeo*.

Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c. Joan. 20. JESUS CHRISTUS misit Discipulos suos, quemadmodum ipse missus fuerat a Patre. Quomodo autem missus fuit? non solum cum potestate homines judicandi, verum etiam ligandi, atque solvendi, ut ipse loquitur JESUS CHRISTUS, hoc est peccata remittendi, & minime remittendi: Nonne igitur hæc illa potestas est, quam tradidit Apostolis suis, & Ecclesiæ, quæ in Apostolis erat repræsentata.

Cum protestatur Deus per Prophetam suum, se peccata nostra projecisse in mare, ut aquis penitus abluerentur; nonne videtur alludere Propheta ad ea, quæ dixit Moyses, tunc Dei populum per rubrum mare deduxit? Israelitæ terrore correpti fuerunt cum persequentem viderunt per maris fluctus exercitum Ægyptiorum cum Pharaone. Quid autem dux eorum? continuit populum, eorumque diffidentiam exprobavit: Heus quid metuitis; timetisne insequentes Ægyptiorum copias? Eja oculos convertite; illas respicite: temporis enim momento omnes interibunt: *Ægyptios, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis*. Exod. c. 14. Peccatores vosmet convertere velletis, sed vos terret numerus peccatorum vestrorum, quæ veluti tot hostes vos persequuntur; at ne animos despondeatis; illa respicite, & quamprimum evanescent.

Quantacumque nostra sint scelera, Deus in Confessione eorum veniam largitur.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Psalm. 129. Puteus, de quo loquitur Propheta, ex S. Augustini Sententia, est humanæ iniquitatis profunditas. Qui illuc decidit, profecto in profundam decidit abyssum. Sed si in abyssum lapsus per summam infelicitatem, quæ nihilominus nimis est usitata, peccator delicta sua confiteatur, & vera eorum pœnitentia ducatur; non claudit Deus os putei super illum, ut omnem inde egrediendi spem auferat, secundum alterum illum Psalmistæ locum: *De profundis clamavi ad te Domine &c.* Sed contra illi tendit manum, eique suum affert auxilium. Verum si peccator ita lapsus oblatum a Deo auxilium contempserit, tunc Deus obstruit super scelestum illum os putei, quia hic os claudit, & scelera sua confiteri detrectat. Ita S. Augustinus hunc Prophetæ locum interpretatur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum in hoc argumentum.

Deus noster, quia pius est & misericors, vult ut peccata confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro. Augustinus Hom. 12. ex 50.

Non operui sed aperui peccata, ut tu operires: non celavi, ut tegeres: nam quando homo detegit, Deus tegit; cum homo celat, Deus nudat; cum homo agnoscit, Deus ignoscit. Idem, in Ps. 84.

Non confitentis, conscientia saniem collegerat, apostema tumebat, cruciabat te, requiescere non sinebat: adhibet medicus fomenta verborum; tu agnosce medici manum, confitere, peccatum exeat in confessione, & exeat sanies. Idem, in Ps. 60.

Si non confessus lateas, inconfessus damnaberis. Idem in Ps.

Cur confiteri erubescis peccata tua? Peccator sum sicut & tu; homo sum; humani nihil a me alienum puto confitere homo homini; homo peccator, homini peccatori. Idem, ibidem.

O homo, quid times confiteri? Illud quod per conscientiam scio, minus scio, quam illud quod nescio. Idem, Serm. ad frat. in Eremo.

Quid est infelicius, quid perversius, quam de ipso vulnere, quod latere non potest, non erubescere, & de ligatura ipsius erubescere? Idem, de Pœn. medic. c. 3.

Sic facit, Deus, *ut pulchritudinem vinculi utilitas quædam consequatur*. Idem, ib.

In judicio confundentur perniciose, qui modo nolunt confundi salubriter. Idem, in Ps. 85.

Non te pudeat coram uno dicere, quod non te puduit forsitan coram multis, & cum multis facere. Idem.

Ad hoc Deus exigit confessionem, ut liberet humilem: ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. Idem, in Ps. 66.

Melius est coram uno aliquantulum ruboris ferre, quam in die judicii, coram tot millibus hominum, gravi repulsa denotatum tabescere. Idem, l. 2. de visit. infirm. c. 5.

Millies peccasti, millies pœnitere; assidue infunde medicamenta. Chryf. in Ps. 50.

Ascende tribunal mentis tuæ, esto ibi judex: torqueat te timor, erumpat confessio. Aug. Hom. 2. ex 50.

Oportet ut oderis in te opus tuum, alioquin non salvabit in te opus suum. Idem, in tract. in Joannem.

Damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus. Idem.

Reum constitue te ante te. Idem.

Quomodo potest medicus sanare, quod ægrotus ostendere erubescit? Idem.

Præveniamus eum in confessione antequam veniat: nos confitendo damnemus quod fecimus, ut ille quod coronet inveniat, & non quod damnet. Idem, in Ps. 94.

Sanaberis, si ostendas te medico: non quia ille non videt, si tu ei abscondas; sed ipsa confessio initium sanitatis est. Idem, Homil. 12. ex 50.

Confitere modo quod tu fecisti in Deum, & confiteberis quod tibi fecerit Deus. Quid fecisti; peccata; quid facit tibi Deus confitenti iniquitatem tuam? dimittit peccata. Idem, in Ps. 29.

Qui confiteri vult peccata, ut inveniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare & solvere; ne, cum negligens circa se extiterit, negligatur ab eo, qui eum misericorditer monet. Idem, de vera Pœnitentia.

Nemo sibi dicat, occulte ago apud Deum: Ergo sine causa dictum est, quæ solveritis in terra, erunt soluta & in Cœlo? Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi. Idem, Hom. 49. ex 50.

Qui peccata sua occultat, & erubescit salubriter confiteri; Deum, quem judicem habebit, habebit & ultorem. Idem, Serm. 66. de tempore.

Tu factus es peccati tui defensor: quomodo erit Deus Liberator? ut ergo sit ille Liberator, esto tu accusator. Idem, in Ps. 68.

Præ-

Præveniamus eum, ne ipse nos præveniat: post confessionem non afferet ultionem, si & tu post confessionem non repetas iniquitatem: præveni antequam præveniaris. Idem, in Pf. 34.

Multi assidue se dicunt peccatores, & tamen delectat eos peccare: professio est, non emendatio; accusatur anima, non sanatur; pronunciatur offensa, sed non tollitur. Idem, Sermone de Nativitate Domini.

Nemo mihi dicat: ago pœnitentiam in corde. Ut tibi cœlum aperiatur, aperi os tuum Sacerdoti: hæc sola est porta paradisi. Idem.

Ex misericordia præcipit Dominus ut nemo pœniteat in occulto: in hoc enim quod per seipsum dicit Sacerdoti, & erubescentiam vincit timore Dei offensi, fit venia criminis. Idem, l. de vera & falsa Pœnitentia.

Quid est peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum ruptio? Greg. Hom. 24. in Evang.

Vulnera clausa plus cruciant. Idem, l. 7. Mor. c. 17.

Adam & Eva requisiti fuerant, ut peccatum quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent. Idem, l. 2. Mor.

Virus peccati salubriter aperitur in Confessione, quod pestifere latebat in mente. Idem, Hom. 40.

Hæc sunt veræ humilitatis testimonia: & iniquitatem suam cognoscere, & cognitam voce Confessionis aperire. Idem, l. 22. Moral.

Plerumque gravioris certaminis est, commissa peccata prodere, quam non admissa vitare. Idem, ibidem.

Qui promereri vult quod expetit, debet malum confiteri quod fecit: valde enim facile est ut peccatorem se quisque fateatur, cum nihil pro peccato suo patiatur. Idem, l. 8. Mor.

Qui corde non convertitur, quid prodest ei si peccata sua confiteatur? Idem in Pastorali.

Mirentur in sancto Job castitatis continentiam, mirentur integritatem justitiæ, mirentur viscera pietatis; ego in eo non minus admiror confessionem humillimam peccatorum, quam tot sublimia gesta virtutum. Idem, l. 22. Mor.

Peccatum tale debet esse in confessione, quale fuit in operatione. Idem, l. 5. in 1. Reg. c. 14.

Qui se accusat, etiamsi peccator sit, justus esse incipit: cessat enim vindicta divina, si confessio præcurrat humana. Ambros. in Pf. Beati immaculati in via.

Compendium omnium pœnarum, confessio. Idem.

Si vis justificari, fatere delictum tuum; solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum. Idem, l. de Pœn. c. 6.

Si teipse accusaveris, accusatorem nullum timebis; si te detuleris ipse, etsi mortuus fueris, revivisces. Idem, lib. 2. de Pœn. c. 2.

Qui jaces in tenebris conscientiæ, & delictorum tuorum sordibus, exi foras, delictum proprium prode, ut justificeris, ore enim confessio fit ad salutem. Idem, ibidem.

Remedium nostrum, sæpe triumphus diaboli. Idem.

Erubescere debemus & emendare peccatum, non defendere; quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur. Amb. l. de Cain & Abel.

Nihil homini utilius, nihil salubrius, quam ut statim post peccatum, confessionem peccati non differat. Hier. in Reg.

Oportet Sacerdotem, cum peccatorum audierit varietates, scire quid ligandum, quid solvendum sit. Idem, in c. 16. Matth.

Quid horres fateri, quod libenter ac propere commisisti? Idem, Epist. 4.

Sententiam servi corriget Dominus; & pax ista periculosa dantibus, accipientibus nihil omnino profutura. Cypr. tract. de lapsis.

Exomologesim faciunt conscientiæ, animi sui pondus exponunt. Idem, ibid.

Si erubescat ægrotus vulnus medico confiteri; quod ignorat medicina, non curat. Hier.

Tantum revelat confessio delictorum, quantum dissimulatio aggravat. Tertull. lib. de Pœnitent. cap. 19.

Pœnitentia est humilis faciendi & prosternendi hominis disciplina. Idem, ib.

Cum sua erubescentia pereunt. Idem, ib.

An melius est damnatum latere, quam palam absolvi? Idem, ib. c. 10.

Quid consortes casuum tuorum fugis? Idem, ib. cap. 9.

Ut nobis conderentur exempla confitendorum potius delictorum, quam negandorum, & jam tunc initiaretur Evangelica Doctrina. Idem, l. 2. contra Marcionem. Loquitur de Adam, & de Cain.

Exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur; non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur. Idem, lib. de Pœnitentia.

Plerosque hoc opus, ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quam salutis. Idem, ib.

Exomologesis est, Presbyteris advolvi, ut temporali afflictione, æterna supplicia expungat, cum igitur provolvit hominem, magis relevat; cum accusat, excusat; cum condemnat, absolvit. Idem, ibidem.

In forensibus judiciis, post confessionem vita & mors; apud dominicum autem tribunal, post confessionem criminum datur corona. Chrysost. Serm. de Pœnitentia.

Sacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico, purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Idem, l. 3. de Sacerdotio.

Cum nosset Sathanas quia peccatum verecundiam habet, Pœnitentia fiduciam; ordinem reprobus commutavit & invertit; Pœnitentia dedit verecundiam, fiduciam peccato. Idem, Procem. in Isaiam.

Illis non Judex, sed Advocatus est Christus, qui se propria confessione damnarunt. Cassiodorus in Psalm.

Confessio sanat, confessio justificat, confessio peccatis veniam donat: omnis spes in confessione consistit: in confessione locus misericordiæ est; nulla tam gravis culpa, quæ per confessionem non habeat veniam, Isidorus, l. 1. c. 10.

Novum judicii genus, in quo reus si excusatur, condemnatur, si accusat se, absolvitur. Zeno Veron. Serm. ad Neophytos.

Non remanet in judicio condemnandum; quod fuerit confessione purgatum, Sanctus Leo Papa in Sermone.

Proximum ad innocentiam tenet locum, verecunda peccati confessio. Valerius in Serm.

Ex eo unusquisque justus esse incipit, ex quo sui accusator extiterit. Isidor.

Quibus malum facere pudor non est, & pudor est confiteri. Chrysol. Serm. 34.

Eorumdem criminum accusatores, & excusatores. Salvian. l. 3. de Gubern.

Ex retentione & oppressione peccati, nascitur cordis obstinatio. Petrus Blesensis.

Gehennam recordamini, quam vobis exomologesis extinguit. Pacianus in Parænesi ad Pœn.

Qui claves regni cœlorum habentes, ante diem judicii judicant. Hieron. Ep. ad Heliodorum. (Loquitur de Sacerdotibus.)

Omne quod remordet conscientiam confitere humiliter, pure, fideliter. Bern. Serm. 16. in Cantic.

Si forte pudor est tibi, uni homini & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die judicii, ubi omnibus exposita tua conscientia patebit? Idem in Sententiis.

Confessio peccatoris, est vita; justi, gloria: & necessaria est peccatori, & justum nihilominus decet. Idem, Ep. 14.

O perversitas! non pudet inquinari, & ablui pudet! Idem, Ep. 183.

Omnis spes veniæ & concordiæ est, in confessione vera: simulata namque confessio non est confessio, sed duplex confusio. Idem, in Med. c. 37.

Cur

Cur te pudet peccatum tuum dicere, quem non puduit facere? cur erubescis Deo confiteri, cujus oculis non potest abscondi? Idem, in Sentent.

Sit vera compunctionis indicium, opportunitatis fuga, subtractio occasionis. Idem, Serm. 1. de Resurrect.

Peccator debet seipsum diligenter excutere, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras explorare. Concil. Trid. Sess. & Can. 5.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus ad hoc argumentum hauriri potest.

Confessionis Definitio, & natura. SAcramentalis Confessio est propriorum scelerum accusatio ob eorumdem veniam assequendam virtute clavium Ecclesiæ traditarum. Dicitur accusatio; namque in Confessione peccata per ostentationem enarranda non sunt, quasi inde gloriam aucuparemur; neque per narrationis modum quasi narraretur historia: sed nosmet humiliter, & cum dolore accusando facti pœnitentia ducti confiteri debemus. Definitionem hanc licet aliis terminis expressam SS. Patres secuti sunt. Ita S. Augustinus Confessionum definit occulti peccati accusationem cum veniæ obtinendæ spe, & S. Gregorius: peccatorum suorum detestationem: quod cum in priori definitione contineatur ab illa recedendum non est.

Quibus confitendum sit. Cum Dei Filius Sacerdotibus potestatem contulerit retinendi, remittendique peccata; liquet, eos simul ab eodem judices effectos fuisse. Quemadmodum enim Tridentinum Concilium animadvertit, de nulla re verum ferri judicium potest, quæcumque tandem illa fuerit, nisi illius cognitio perfecta habeatur; neque in pœnis, quæ peccatoribus sunt infligendæ, servati possunt justitiæ regulæ, nisi perfecte scelerum qualitas cognoscatur; ideoque necessarium est, ut per pœnitentium Confessionem Sacerdotes omnia eorum peccata singillatim intelligant, ut de illis judicare, iisque aptas pœnas imponere possint.

De Sacramenti Pœnitentiæ necessitate. Non satis est credere Confessionem a JESU CHRISTO fuisse institutam, credendum est quoque hujus usum ab eodem jussum fuisse, tamquam omnino necessarium: cum peccator post mortale facinus nequeat aliunde animæ suæ vitam recipere. Hoc ipsum idem Salvator liquido docuit, cum per Regni Cœlestis Claves potestatem expressit Sacramenti hujus administrandi. Nam quemadmodum ingredi nemini licet eum locum, qui circumundique clausus sit, nisi claves habentis auxilio; ita in Cœlum admitti non possumus, nisi Sacerdos, cui Salvator illius Claves tradidit, nobis portas aperiat: quod si aliter fieri posset, liquido patet, usum clavium nullius necessitatis in Ecclesia futurum. Frustra enim Sacerdos, cui clavium potestas commissa est, alicui Cœli aditum intercluderet, si alia via eo pervadere posset. Hoc docent SS. August. *Homil.* 401., & Ambrosius *l.* 2. *de Pœnitentia cap.* 2.

Sacramentalis Confessio liberat de morte peccati, seu quod in sensu magis proprio, in quo illam isthic accipimus, Sacramenti pœnitentiæ ab hac morte liberantis, partem constituat; seu quod magis particulariter secundum S. Thomam suppl. q. 10. a. 1. in ea Confessione, qua pœnitens Sacerdoti sua patefacit crimina, Sacramentum hoc non solum conficiatur, verum etiam perficiatur, *pœnitentia in quantum est Sacramentum præcipue in Confessione perficitur;* videlicet quatenus per Confessionem peccator se subjicit Ministris Ecclesiæ, qui possunt absolvere, & hoc vitæ Sacramentum administrare debitam imponentes satisfactionem prout e re magis futurum censuerint. Ad hæc pœnitentiæ Sacramentum gratiam confert, unde culpæ remissio resultat. Oportet igitur, ut Confessio, quæ particeps primi effectus est in altero quoque cooperetur, atque in actuali usu ipsius ab ipsa culpa remittatur, hoc tamen supposito, quod culpa a solo dolore antea remissa non fuerit; quod accidit cum præcedens contritio imperfecta tantummodo est, videlicet cum est simplex attritio; quod si per contritionem perfectam culpa remissa fuerit, tunc actualis Confessio gratiam adauget, dummodo pœnitens obicem non statuat. Imo eadem Confessio censetur aliquid contulisse virtualiter, ut dicunt, ad celeriorem criminis remissionem, quæ pleno dolore obtinetur: eo enim in casu contritio vim solum habet; quatenus in sinu suo involutam continet Confessionem per desiderium, quod pœnitens vera ductus pœnitentia fovere debet, scelera sua Sacerdoti patefaciendi.

Pœnam æternam mutat in temporalem. Ob easdem rationes Confessio vim, virtutemque habet liberandi ab æternis suppliciis mortali peccato debitis, eaque in temporales pœnas mutandi ita diminutas, atque attritas mirabili Sacramenti hujus efficacia, ut fiant quodammodo pares viribus, atque virtuti pœnitentis. Licet enim hoc debitum, si illius solutio in alteram usque vitam reservetur, nos omnibus purgatorii flammis objiciat, tamen virtus clavium efficit, ut illud mitius in hac vita possimus dissolvere; quod fit etiam per jejunia, preces, eleemosynas, mortificationes, cæterasque bonorum operum species.

Si Confessio consideretur simpliciter in pœnitente, peccata sua confitente, atque virtutis actum eliciente, hunc jam liberat parte pœnæ temporalis debitæ peccatis, cui a Sacramento peccator obstrictus relinquebatur, iniquitate tantummodo quoad culpam æternumque supplicium remissa: hoc autem facit, quia propter annexam verecundiam, & ipsa habetur pro supplicio, & quemadmodum quodlibet supplicium sponte susceptum imminuere potest debiti reliquias, quandoquidem eidem vis inest satisfaciendi; hinc oritur, ut quo sæpius peccatum ipsum confitemur, jam in præcedentibus Confessionibus dimissum, eo magis pœna debita peccato imminuitur.

Confessio salutem efficit faciliorem. Ut salus nobis redderetur facilior, Dei Filius confessionem, & pœnitentiæ Sacramentum instituit; licet enim non diffiteamur, peccata per contritionem deberi; nihilominus cum omnes consentiant ad id requiri, ut tanta sit, tam vehemens, atque ardens, ut dolor, quem gignit in anima, par sit scelerum magnitudini; cumque nihilominus paucissimi illi sint, quorum dolor hunc perfectionis gradum pertingere valeat, idcirco paucissimi essent, qui hac ratione criminum suorum veniam consequi possent. Necessum igitur fuit, ut Deus, cujus infinita bonitas est, atque misericordia, alia ratione magis facili omnium hominum saluti prospiceret, quod ille profecto mirum in modum præstitit Ecclesiæ tradens claves Regni Cœlestis. De fide enim est, eum, qui scelerum suorum dolore, tangitur, ac in eadem se imposterum minime relapsum pollicetur, virtute clavium eorum veniam consequi; postquam Sacerdoti eadem confessus est, licet dolor illius nequaquam talis eniteret, ut per se ad veniam consequendam sufficeret. Constans hæc est SS. Patrum doctrina uno ore docentium, per Ecclesiæ Claves Cœlum nobis aperiri; de quo ambigere nefas est, postquam Florentina Synodus definiit, peccatorum remissionem effectum esse hujus Sacramenti.

Sacramentalem Confessionem necessariam esse ad peccatorum veniam consequendam; eamque a JESU CHRISTO institutam fuisse, duæ sunt veritates a Tridentino Concilio definitæ, quas Ecclesia Catholica semper docuit, uti liquet ex innumeris SS. Patrum locis, qui palam declarant Sacramentalis confessionis, quam nonnulli secundum Græci vocabuli explicationem *Exomologesim*, vel *Exagesim* appellant, legem habendam esse tanquam Evangelicam a JESU CHRISTO institutam; cui propria auctoritate adjecit Ecclesia solemnes cæremonias, quæ licet essentiales non sint, plurimum tamen conferunt ad illius præstantiam, atque dignitatem significandam; & per eam pietatem quam pœnitentibus inspirant; illos disponunt ad scelerum suorum veniam a Deo

celerius

celerius consequendam. Hæ autem cæremoniæ sunt sese ad Sacerdotis pedes abjicere, capite aperto, conjunctis manibus, supplicis instar, aliæque id genus quæ Confessioni essentiales minime sunt.

Quænam erat Confessio in legibus naturæ, & scripta.

In lege naturæ Confessio Deo uni fiebat; ideoque, uti animadvertit Tertullianus, post primorum Parentum peccatum eos *Interrogavit Deus quasi incertus, ut daret eis locum confitendi, & hoc nomine relevandi*. In lege scripta non Deo tantum, verum etiam sacerdotibus fiebat Confessio; namquemadmodum legimus in Levitico, peccatores Sacerdotum opera offerre debebant varia sacrificia, pro varietate, & gravitate peccatorum, quæ sane Sacerdotibus explorata esse non potuissent, nisi peccatores iisdem ea declarassent.

Narrat S. Matthæus, peccatores S. Joannis prædicatione commotos, antequam ab eodem aquis abluerentur, eidem peccata sua fuisse confessos: *Baptizabantur ab eo, in Jordane confitentes peccata sua*. Certum nihilominus est, licet Sancti Joannis baptisma traderetur: *in remissionem peccatorum*, uti habet Evangelium; illud tamen minime contulisse gratiam, neque remissionem peccatorum peperisse; non enim erat Sacramentum, sed dispositio ad Sacramenta JESU CHRISTI instituenda. Hoc ipsum dici potest de Confessione ab hominibus illis coram sancto hoc viro habita, quæ non erat Sacramentalis confessio, quandoquidem Sacramentum hoc nondum erat institutum: ideoque S. Joanni Baptistæ non secus ac omnibus legis antiquæ Sacerdotibus non alia facultas erat, quam pro peccatoribus deprecandi, eosque hortandi, ut per contritionem scelerum suorum veniam consequerentur.

De tempore, quo confiteri tenemur.

Tridentina Synodus ejaculatur anathema in eos omnes, qui dixerint, fideles non teneri ad peccata quotannis confitenda? *Si quis dixerit ad Confessionem non teneri omnes Christi fideles semel in anno; Anathema sit*. Quamvis autem hoc Ecclesiæ præcepto non tenerentur fideles, nisi semel tantum in anno peccata sua confiteri; attamen, qui salutem suam certam facere cupit, toties confiteri debet quoties vel in periculo mortis constitutus est, vel aliquid operari debet, quod cum peccato simul esse non possit; puta Sacramentum aliquod, vel administrare vel recipere. Præsertim vero ad Confessionem confugiendum, ubi grave aliquod peccatum commissum fuerit, ne Dæmoni, & peccato relinquatur mora sese roborandi, muniendique, & ne Deus insigni aliquo supplicio animadvertat, & peccatorem derelinquat, vel aliis spiritualibus pœnis afficiat, quæ subsequuntur ipsum peccatum, quarum catena admodum periculosa est, atque nos constringit, ubi in scelere permaneamus; efficitque, ut conscientiæ stimulis neglectis, ibi perseveremus. Donec scelus grave nobis videtur, hi quidem stimuli sensibiles sunt: sed ubi eos negligis, atque ad pœnitentiam, commune remedium, confugere differs, metuendum est, ne quamprimum callum ducatur.

In Confessione reticendæ non sunt circumstantiæ peccatorum aggravantes.

Neque sufficit, mortalia peccata confiteri; notandæ sunt etiam circumstantiæ, quæ singula peccata comitantur & eorum improbitatem vel augent, vel minuunt. Non enim desunt circumstantiæ adeo insignes, quæ efficere possint, ut actio aliqua sit mortale peccatum. Ita qui alterum interfecit, patefacere debet, utrum Ecclesiasticus ille fuerit, an secus; & qui se furti nomine accusat, furti qualitatem debet significare. Qui enim e. g. aureum nummum suffuratus est, longe minus est nocens, quam qui ducentos, sexcentosve surripuit, ille vero adhuc nocentior, qui rem Deo sacram abstulit. Hoc ipsum dicendum de tempore, & loco, ubi hujusmodi circumstantiæ augent peccatum, ita ut moraliter judicando, & secundum communiorem hominum sensum, re ipsa fiat æquivalens duobus vel pluribus aliis peccatis; seu quod circumstantiæ speciem, sed numerum dumtaxat peccatorum multiplicent. Animadvertendum est tamen circa circumstantias aggravantes; quæ mutant speciem peccati (qualis exempli gratia est materiæ surreptæ qualitas, cum ea res sacra est, quæ circumstantia efficit ut actio illa non sit simpliciter furtum, sed sacrilegium:) nullam occurrere dubitationem; quilibet enim pœnitens hac in re ad unguem omnia plana facere debet; ita decernente Concilio. In aliis vero circumstantiis, quæ peccati speciem non mutant: puta in furto graviori, minorive propter materiæ quantitatem, non deest aliqua difficultas. Verumtamen si consideretur, Concilium non minus exigere, ut gravium peccatorum numerus declaretur, quam species; & centum aureorum furtum pluribus aliis æquivalere quæ seorsim fieri possent, & quæ singillatim gravia esse possent peccata intra summam eamdem; patebit facile, cur omnibus rite exploratis nemo sincerus pœnitens tutus esse possit, nisi omnia dixerit præter, propter, quomodo ab ipso facta fuerunt: idque non solum cum gravis est differentia, sed quotiescumque talis est, ut moraliter sufficere possit ad peccatum gravius efficiendum.

Confessio integra esse debet.

Opus est proculdubio confessionem integram esse, atque perfectam; hoc est peccata omnia mortalia, quantumvis turpia, & secreta, Sacerdoti sunt operienda: venialia enim, per quæ divinæ gratiæ jacturam non patimur, & quæ sæpius committuntur; licet optimum, atque utilissimum sit, ea confiteri, quemadmodum piorum hominum praxis ostendit; nihilominus citra peccatum omitti in Confessione possunt, pluribusque aliis modis possunt expiari. Hinc tamen duæ quæstiones oriuntur, quas hoc in loco attingere operæ pretium reor. Prima est: utrum semper teneamur explicite omnia declarare mortalia peccata, quæ patravimus, neque difficile est respondere præter nonnullos necessitatis, immo etiam meræ impossibilitatis casus, qui generatim satis cogniti sunt, & qui in libris melius videri possunt, Confessionem integram esse debere. Altera est: utrum in occasionibus, ubi morbus exempli gratia, urgens periculum, realis memoriæ defectus prohibent, ne Confessioni hanc tribuamus *integritatis* speciem; quæ materialis vocatur, atque peccatori permittunt, ut formalem sequatur, quæ in hoc consistit, ut ea quæ possunt, peccata dicantur cum sincera intentione cætera accusandi, si liceret: utrum inquam in hujusmodi occasionibus vere obtineri possit venia peccatorum omnium gravium, quæ non proferuntur; quandoquidem non desunt quædam ad quæ ne animum quidem advertimus, & alia quæ absolute ignoramus. Quæstioni huic respondemus, necessarium esse, ut dolor, atque propositum generatim saltem omnia peccata respiciat; ideoque diligenter audiendos esse Theologos docentes, dolori proponendas esse causas maxime supernaturales, & quæ ideo magis late patent, ac magis universales sunt. Hoc ipsum venialibus etiam peccatis ex æquo potest applicari, si ex confessione cum omnem studes fructum percipere, qui potest hauriri.

Nemo nescit, Confessionem in pœnitente tria necessario requirere, sine quibus nulla est, & sæpe etiam sacrilega; videlicet: 1. dolorem supernaturalem, omniumque peccatorum detestationem cum proposito ea iterum non perpetrandi; 2. integram, sinceramque omnium mortalium peccatorum confessionem, & tandem satisfactionem, quæ tamquam pars integrans solum requiritur. Cætera Confessarium respiciunt.

De commissorum peccatorum dolore.

Contritio dolor est, atque detestatio commissorum scelerum conjuncta cum voluntate eadem imposterum minime committendi: Ita illum definit Tridentina Synodus sess. 14. & paulo post de contritionis motu loquens addit: ita illa præparat ad peccatorum remissionem percipiendam, si sit cum confidentia in Dei misericordiam conjuncta. Hinc inferendum est, Contritionem non solum consistere in hoc, ne ultra pecces; vel ut consilium in eas vitæ novæ amplectendæ, vel etiam illam actu ample-

amplectaris; sed peculiariter, ut transactam vitam detesteris, eamque expiandi rationem suscipias. Cum definit Concilium, contritionem esse dolorem; videndum est quonam est fonte dolor hic emanere jubeatur. Non petit necessario externum, sensibilemque dolorem: alioquin dolor quæreretur in sensibus, atque in iis internis facultatibus, quæ ab illis dependent. Immo neque ex his tamquam ex prima causa, atque origine dolorem vult proficisci. Hæc actio voluntatis est, & profecto certum est dolorem hunc tantum esse debere, ut major excogitari non possit. Nulla alia facultas eum suppeditare dolorem potest, quem potest voluntas producere; nulla enim præter hanc tantum conatum exerere valet, nec tantum operari. Perfecta Contritio est actus charitatis ex filiali timore procedens. Ideo patet, ejusdem non aliam esse debere mensuram præter charitatem, & quemadmodum Deus super cætera amandus est, ita etiam pro virili peccatum summo odio persequendum. At quænam alia hominis facultas præter voluntatem hoc efficere potest? Aliæ quidem facultates agere debent; sed per motum voluntatis & ab ea dependentes?

De Attritione, & quænam esse debeat.

Cum nemo unus ignoret, quid intersit discriminis inter Attritionem, quæ Contritio imperfecta vocatur, & eam, quæ perfecta est, atque simpliciter contritio dicitur; notandum dumtaxat est, non omnem peccati dolorem cum ipso etiam Sacramento conjunctum satis esse posse, nisi ob supernaturalem causam concipiatur, qualis est videre nos per peccatum ab æterna felicitate dejici, æternisque subjici inferorum suppliciis; vel denique intueri peccati ejusdem deformitatem, quatenus illud divinæ legi oppositum est. Cæterum hic dolor omnem peccati affectionem excludere, atque complecti debet validum sincerumque de non ulterius peccando propositum. Hinc autem est, quod peccatorum suorum dolorem concipere eo quod nos temporalibus bonis exuant, vel infortuniis subjiciant, vel morbis, similibusve pœnis torquendos tradant, vera Attritio non est, quæ nos in Sacramento ad justificationis gratiam recipiendam disponat, quem veræ attritionis effectum esse, Synodus Tridentina decrevit.

Quam scelus sit peccatum in confessione silere.

Quod spectat ad scelerum nostrorum accusationem & declarationem, quæ pars altera est Sacramenti pœnitentiæ, & quæ proprio nomine Confessio vocatur; præter ea quæ a nobis dicta sunt, scire debemus, quod lethale peccatum reticere, non solum absolutionis obstaculum est, sed novum peccatum, & sacrilegium; quia Sacramenti hujus Sanctitas violatur, atque ejusdem significatio inanis efficitur. Qua in re duo sunt supponenda; primum a Deo peccatum aliquod sine altero numquam dimitti, nullum enim peccatum gratia pati potest: alterum a Deo peccatum non dimitti, nisi peccator illud fuerit confessus, hoc tamen supposito, quod illius meminisse possit. Quid autem accidit cum in Confessione peccatum aliquod reticetur? impeditur peccati hujus, ideoque cæterorum etiam, absolutio; si enim unum remanet, remanent omnia, eisque accessio fit novi sceleris, quod reliquorum gravitatem exuperat.

De Satisfactione.

Satisfactio partem efficit Sacramenti pœnitentiæ, licet tantummodo integrantem, ut eam vocant. Hæc autem a Sacerdote imponi debet ad pœnitentis peccata expianda, qui camdem recipere debet cum firmo, constantique proposito non ulterius peccandi. Et constat ratio, licet enim Deus semper in pœnitentiæ Sacramento, & per Sacerdotis absolutionem peccati culpam, & mortis æternæ debitam pœnam remittat; attamen certum est non semper peccati reliquias, ac temporales pœnas peccato debitas remitti, quemadmodum Tridentina Synodus docet, & ex pluribus Scripturarum exemplis innotescit. Præterquamquod divinæ justitiæ, atque bonitatis interest, non permittere, ut peccata nostra nobis penitus remittantur, quin ulla fiat satisfactio, ne inde arripiatur ansa credendi, peccata minora esse, quam revera sunt, & ne in graviora scelera prosuatur ubi sese obtulerit occasio. Pœnitentiam autem a Confessario irrogatam hilares debemus accipere, si eidem explendæ pares sumus: si enim alicui jejunia nimis austera infligerentur, quæ valetudini obessent, vel ingentes eleemosynæ, quæ grave afferrent incommodum; peccator modeste rem debet exhibere Confessario, atque aptiorem conditioni suæ pœnitentiam exposcere.

Cum dicimus satisfactionem esse Sacramenti hujus partem integrantem, notandum est, nos loqui tantum de satisfactione reali, atque effectivâ, vel ut clarius loquar de actuali exercitatione eorum operum, quibus vis inest satisfaciendi. Quod enim attinet ad voluntatem satisfaciendi Deo pro sceleribus contra illius majestatem patratis, atque subeundi quascumque pœnas ad hunc finem idoneas; certissimum est, hanc voluntatem pœnitentiæ æque essentialem esse, atque Contritionem, cum hæc voluntas in ipsa Contritione contineatur. Et sane concipi ne potest, aliquem vero dolore affectum esse peccatorum suorum, quin dolor hic excitet in eodem voluntatem satisfaciendi Deo pro peccatis contra eumdem commissis? Haud ita sane; hoc perspicuum indicium est illum non tangi vera peccatorum suorum pœnitentia, ubi non flagrat satisfaciendi cupiditate; atque probat, nos nequaquam odisse peccata, nisi velimus, severam exercere vindictam contra ea omnia, quæ peccati fuerunt occasio, vel causa. Pœnam autem, ut plurimum corpus ferre debet.

Sæpe occurrit in praxi hæc difficultas, eamque Casuistæ passim proponunt; utrum ad habitualem peccatorem absolvendum sufficiat, ipsum testari cupiditatem ad frugem redeundi, iisque utendi remediis, quæ sibi fuerint præscripta. Theologi respondent, si inveteratus fuerit habitus, & peccator numquam diligenter quæsiverit remedia, ut habitum hunc sibi auferret; vel præscriptis sibi remediis uti neglexerit, & in hoc statu nihilominus ad Sacramenta accesserit scelera sceleribus accumulans; dubium non esse quominus a Confessario neganda sit absolutio. Peccator quidem dicit se dolere, se vitam immutare velle, & pollicetur, se minime ea neglecturum remedia, quæ sibi fuerint imperata: verumtamem hæc perpetuo ille dixit quotiescumque ad pœnitentiæ Tribunal accessit; alioquin enim absolutionem assecutus non fuisset; & nihilominus hos sermones, præclaras has promissiones nullus effectus excepit? quomodo igitur Confessarius fidem habere potest homini, quem in simili occasione numquam præstitisse fidem cognoscit? Quid in hodierna promissione majorem fidem meretur, quam in iis, quæ præcesserunt?

Discrimen inter dolorem, atque detestationem peccati.

Cum de Contritione, & pœnitentia accidit sermo doloris, & detestationis peccati vocabula fere confunduntur. Verum tane est, hæc duo in pœnitentia numquam separari: veruntamen, non deest discrimen inter duplicem hunc animæ sensum: quippe detestatio peccati proprie significat odium, & horrorem, quem ex illius enormitate explorata concipimus, dolor autem est tristitia, & amaritudo cordis, quæ ex hoc odio profecta in anima nascitur, quæ se peccato sociatam cognoscit. Itaque patrati sceleris dolor non aliud est, nisi effectus odii, quo illud persequimur; ideoque pœnitentia, quæ præsertim in Contritione consistit, consistit potius in dolore, quam in detestatione peccati, eo quod ipsa Contritio, ut pressius loquamur, in hoc ipso dolore consistit. Vere tamen cum S. Augustino dicere possumus, pœnitentiam veram fieri ab odio peccati: *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati*, quia solum peccati odium hunc gignit dolorem.

Ad mortalium peccatorum absolutionem recipiendam, opus est, ea omnia sine exceptione detestari, sive distincte ac singillatim, si memoriæ singula occurrant, sive generatim tantummodo, si men-

si menti præsentia non sint. Et patet ratio: peccatum, uti decet, vera pœnitentia odisse, ac detestari, est illud odisse, quatenus Dei offensa est, & injuria eidem illata, atque gravissimum malum, quo nos gratia, & amicitia Dei privat. Hæc autem consideratio fundamentum invenit in omnibus peccatis mortalibus; omnia igitur æque peccata odisse debes, & si alterum quidem detestari, alterum minime detestari cogites, hæc distinctio palam ostendit, te peccatum illud, quod odisti, non odisse propter Deum; ideoque dolorem tuum non esse sensum pœnitentiæ. Dolor igitur universalis esse debet, & respicere omnia peccata, quæ patrata fuerunt.

De Sacerdotali potestate peccata remittendi in Pœnitentiæ Sacramento.

Sancti Patres Sacrarum litterarum testimonio innixi haud hæsitanter crediderunt, Dei Filium Sacerdotibus contulisse facultatem ab omni peccato absolvendi. S. Ambrosius l. 1. de Pœnitent. c. 2. adversus Novatianos, isti, inquit, putant, se honorem deferre Filio Dei dicentes ipsum unum peccata remittere posse; nonne hoc ipsum Neoterici prædicant Hæretici? sed tantum abest, ipsos JESU CHRISTO honorem deferre, quod immo maximam eidem inferunt contumeliam. Nemo enim, idem addit, majus JESU CHRISTO dedecus adfert, quam qui subvertere vult ordinem ab ipso institutum, & auferre potestatem ab eodem Ministris suis traditam: namque postquam dixit ille in Evangelio: recipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittentur eis: uter magis Deum colit, illene, qui ejusdem verbo credit, an qui eidem adversatur, & id contendit evertere, quod ille sapienter instituit? Inquiunt Novatiani, Sacerdotes levia tantum errata dimittere; at Salvator, sequitur S. Ambrosius, nullam adfert exceptionem; pollicetur se gratiam hanc omnibus collaturum, & Sacerdotibus facultatem præbet ab omnibus peccatis absolvendi, ne uno quidem excepto. Quid dici potest apertius?

SS. Hieronymi, & Augustini testimonium.

S. Hieronymus de Sacerdotibus loquens: *Epist. 1. ad Heliodorum* ait, illos, quemadmodum sunt Apostolorum successores, ita habere claves Regni Cœlorum, & quodammodo judicare, antequam ipse judicii adveniat dies. Sanctus Augustinus Conc. 2. *in Psalm.* 101. hoc animadvertit; quid Lazaro prodesset exire de sepulcro, nisi Apostolis diceretur: solvite illum, & finite abire? cum aliquis dicitur peccatorum suorum duci pœnitentia, jam resuscitatus est; cumque additur, illum confitentem aperire conscientiam suam, jam de tumulo egressus est, uti Lazarus; sed nondum solutus est. Quandonam solvitur, & a quibus? quidquid solveritis super terram, Salvator inquit, erit solutum & in Cœlis. Jure ergo a peccatis absolvere potest Ecclesia.

S. Chrysostomi sententia.

Sanctus Chrysostomus Serm. 48. in ea Domini verba, *quorum remiseritis peccata, remittentur eis:* ubinam sunt, inquit, qui audent affirmare, hominum non esse peccata dimittere? illa dimittit Petrus; hic magna cum hilaritate excipit Pœnitentes, atque in illos eam facultatem exercet, quam Sacerdotibus omnibus Deus elargitus est. Idem libr. 3. de Sacerdot. c. 4. sententiam suam exprimit ita perspicuis verbis, ut nihil apertius optari possit. Soli apud Judæos Sacerdotes corporis lepram curare poterant, vel ut magis proprie loquamur, illam jam mundatam esse poterant pronunciare: Nostri vero Sacerdotes longe potentiores sunt: possunt enim, non dico, mundatam pronunciare, sed re ipsa mundare lepram non corporis, sed Animæ. Ideo, qui illos contemnunt, mea quidem sententia, longe nocentiores sunt, quam Dathan, aliique sceleris ejusdem participes. Ita loquitur Pater ille, quibus hæc mens fuisse videtur in antecessum damnandi novissimorum horum sæculorum hæreticos, qui affirmant Sacerdotes non remittere peccata, sed declarare solum illa esse remissa.

Duo in Confessionis Sacramento ad credendum difficilia videntur. Alterum est, quod hominibus adsit facultas remittendi peccata; alterum, quod necessario hæc illis confiteri debeamus; & citra hanc conditionem nos absolvi non posse. Hoc supposito contra nostri temporis Sectarios ita argue-re possumus. Doctores, Præsulesque, qui primis illis temporibus floruere cum omnibus populis, qui ab iisdem regebantur, duplicem hanc veritatem crediderunt: opus est igitur, ut Apostoli ita Ecclesiæ primitivæ Fideles erudierint, qui utramque tamquam fidei articulos crediderunt. Si enim post mortem Apostolorum homines sine nomine, sine caractere conati fuissent veritates illas statuere, non defuissent proculdubio inter tot fidelium millia in universam terram effusa, qui improbassent, atque impugnassent doctrinam adeo recentem, atque inauditam, & complectentem res cum ad credendum adeo difficiles, tum ad observandum adeo incommodas: id genus novitas in Ecclesiam minime obrepisset, quin rumor fieret, quin plures reclamarent, totoque nisu eamdem in ipsis incunabulis suffocarent.

Satisfactio pro pœna peccatis debita post culpæ remissionẽ bifariã fieri potest.

Docet Ecclesia duplicem nobis esse viam, qua divinæ justitiæ satisfaciamus: alteram ordinariam, alteram extraordinariam, illam facilem, hanc difficilem, illam severitatis, hanc privilegii. Prima fit cum luimus pœnam, quæ vulgo post culpæ remissionem remanet, austera pœnitentia, corporis maceratione, precum fervore, & eleemosynarum liberalitate. Altera est, qua divinæ facimus satis justitiæ per affluentes JESU CHRISTI, B. Virginis, Sanctorumque satisfactiones, quæ nobis applicantur auctoritate Summi Pontificis in Jubilæis, & plenariis indulgentiis, quas nobis concedit.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

De Confessionis utilitate.

Omnibus fere piis persuasum est, quidquid hoc tempore Sanctitatis, pietatis, & religionis in Ecclesia summo Dei beneficio conservatum est, id magna ex parte confessioni tribuendum esse, ut nemini mirandum sit, humani generis hostem, fidem catholicam funditus evertere cogitantem per ministros impietatis suæ & Satellites, hanc veluti Christianæ virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum esse. Profecto hæc Sancta consuetudo non solum utilis est ad pietatem servandam, verum etiam maxime prodest ad vitæ societatem, & conjunctionem fovendam. Constat enim, si Sacramentalem Confessionem ex Christiana disciplina exemeris, plena omnia occultis, & nefandis sceleribus, futura esse, quæ postea, & alia etiam multo graviora, homines peccati consuetudine depravati palam committere non verebuntur. Etiam confitendi verecundia delinquendi cupiditati, & licentiæ tamquam frænum injicit, & improbitatem coercet. *Desumptum ex Tridentini Concilii Catechismo tractatu de Sacramento Pœnitentiæ.*

Frequens esse debet Confessio; etenim cum aliquis mortifero scelere urgetur, nihil ei magis salutare esse potest ob multa, quæ impendent vitæ pericula, quam statim peccata sua confiteri. Nam ut sibi quisque diuturnum vitæ spatium polliceri queat, turpe profecto est, cum in eluendis corporis, aut vestium sordibus, tam diligentes simus, non eadem saltem diligentia curare, ne animæ splendor turpissimis peccati maculis obsolescat. *Ibidem.*

Peccata nostra vel in Judicio vel in confessione sunt detegenda.

Duo sunt Tribunalia, coram quibus prodire debent peccata nostra; alterum Pœnitentiæ, alterum generalis Judicii; si coram primo ea detexerimus, non prodibunt coram altero. Horum alterutrum evitari non potest. Elige quod mavis, & ne in electione fallaris, utrumque simul confer. Rubor ille, quo in Confessione suffunderis, levis est; detegis peccatum tuum Confessario, prudenti, æquo, misericordi, qui ruborem tuum, quantum potest, imminuit, qui tibi absolutionem impertit, qui tibi Cœlum aperit. Sed in Judicio qualis erit Con-

Confusio? peccatum tuum non uni tantum; sed toti Mundo revelabitur; non uni, qui tui miseretur; sed inimicis tuis; non uni, qui te consolatur; sed hominibus, qui te cum Deo condemnabunt, atque in te exprobrationes ejaculabuntur; amico quem prodidisti, conjugi, quem decepisti, innocenti, cui calumniatus es, & cujus existimationem pessum dedisti. Si te pudet detegere modo peccatum tuum, quid non erit in Judicio, ubi latebras invenire non poteris, ac temet ostendere supplicium erit non ferendum? Quo te recipies? quid fiet hæc lingua, quæ loqui noluerit, quid vultus, qui tam belle dissimulaverit? nonne tunc montibus dices, ut super te decidant, & concupisces, sed frustra, tellurem hiscere, ut in Inferno te ipsum abscondas? Modo teipsum confitens, confusionem hanc prævertere potes, & efficere, ut hæc in Dæmonem ejusdem auctorem relabatur. *Auctor Sermonum Christianorum. Sermone de defectibus Confessionem inutilem efficientibus.*

Scis te mortali peccato inquinatum esse inimicum Dei, & odit, itaque ejusdem objectum; quomodonam illius pondus sustinere potes, & vel uno temporis momento in hoc statu permanere? quomodo minime extimescis ea, quæ hunc secutura sunt, æternam videlicet calamitatem? Tu vero hoc in statu non momenta, non dies, sed annos integros, & lustra versaris! cum scias non deesse rationem leniendi Supremum hunc Dominum, hanc vero rationem æque tutam, ac facilem esse, videlicet Confessionem; requiri solum, ut scelera tua confitearis ad obtinendam veniam, atque temetipsum justificandum: cum scias ipsum Deum hanc tibi rationem offerre, ac invitare te, ut eadem utaris; deliberas adhuc, utrum eadem uti debeas, ejusque usum integros annos differs, neque redis cum terribili hoc hoste in gratiam, neque evitare contendis iræ omnipotentis effectus! Ullane hac major excogitari dementia potest? Hæc tamen omnium eorum dementia est, qui mortalibus inquinati sceleribus ad pœnitentiæ Sacramentum accedere tergiversantur. *P. Nepveu in Considerationibus Christianis tom. 2.*

Confessio non ab hominibus excogitata, sed a J. C. fuit instituta.

Confessio non est humanum inventum, sed divina institutio. Profecto si hoc jugum adeo molestum est, & si JESUS CHRISTUS hoc nobis minime imposuit, comprehendere ne possumus homines temporis decursu passos fuisse, ut adeo severa lex sibi irrogaretur ab aliis hominibus, quin hoc testatum relinquerent, quin contra similem innovationem reclamarent, quin quererentur? De hac re Concilia verbum minime fecissent, non meminissent historiæ, & res tanti momenti silentio fuisset involuta? Verum igitur est, quandoquidem nullum videmus adfuisse tempus, ubi post JESUM CHRISTUM in Christiana Religione confessionis usus incœperit, a JESU CHRISTO eamdem fuisse institutam, & nos illam ab eodem recepisse: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Joann. 20. *Adventus Patris Giroust Sermone de Confessione.*

Si in humana justitia ad scelerum veniam obtinendam satis esset ea patefacere, nullum esset carcerum opus, nec tormentorum: nemo enim nocens tantulo impendio Judicum gratiam obtinere non vellet. Cum Princeps aliquis vir, S. Chrysostomus inquit, læsus fuit, quæ moræ, quæ ambages, quæ negotia, quæ submissiones ad illius iram flectendam! sinendum est ut furor paulatim defervescat; nondum tempus est illum alloquendi, omnia caute gerenda sunt. Illi obsequio, auroque flectuntur, qui Principi adstant, & apud eosdem quæritur clientela, nec non caro emitur pretio Optimatis illius testimonium, qui causam nostram dignetur suscipere. Interim labuntur anni expectando, & nonnumquam etiam nequicquam expectando; sed in justitia Divina coram Deo, coram magno hoc, supremoque Domino, dicam melius, coram hoc leni, suavique Domino tantum expectandum non est. In illum confide; ubi volueris, ad illum confugere potes; nullo interprete opus est, nisi vel primo, qui tibi fuerit obvius, Sacerdote; non alio sumptu, nisi dolore animæ tuæ, & aliquot oculorum tuorum lacrymulis. Imo etiam quin oculi plorent, satis est, si cor dolore afficiatur, ac sese per os patefaciat. *Idem.*

Pœnitentiæ Sacramentum remedium est, quod adeo tuto, atque celeriter operari non potest, quin modicum ægrotum vexet; verum si vexat, si conatus aliquis exerendus est, hic labor satis superque ea pensatur unctione, quam Deus effundit in animam, & ea quiete, qua Deus illum perfundit. De hoc autem nobis persuadere debet illico noster ipse sensus: quæ enim tranquillitas, quæ interior suavitas percipitur statim post Confessionem? discit tunc experientia peccator se inanibus ideis, inanique metu tandiu fuisse deterritum. Quam Sancta libertas! videtur sibi gravi exoneratus sarcina qua obruebatur: tandem aliquando respiravi; locutus sum; evomui virus illud, quo cor erat infectum. Gratia, quæ Sacramentum concomitatur, ita alacriter agit, ut excidant memoria difficultates, quæ superandæ fuerunt; & si quid pœnitens sibi debet exprobrare, illud profecto est, quod non statim Dominum cognoverit, & usus fuerit ea medicina, cujus amaritudinem Deus temperare cognovit. *Idem.*

Confessionis facilitas.

Quam majorem utilitatem hoc in judicio cupere possum, quam quod ego solus audiar, & in mea causa credar? non alius est præter me testis. Per hoc, Domine, per innocuas has artes nos a quacumque calumnia tueris: meo tantum testimonio audito judicas, mihi fides habetur recensenti scelerum numerum, factorum qualitatem, & proposita mihi consilia enarranti. Statim judicem adeo: non vi illuc trahor, ipse ego illum inquiro; inter me, ac ipsum transiguntur omnia, quin necesse sint aliquem appellari. Verum enim vero quinam est iste Judex? o homo! homo est similis tui, infirmus, fragilisque sicut tu, peccator sicut tu; proprias infirmitates cognoscens; ideoque obstrictus, ut tuarum etiam misereatur; homo est, cui omnes divinæ, humanæque leges non temerandum secretum indicunt. Lingua illius ita vincta est, ut solvi nullo modo possit, & fateor non sine perpetuo pœnitentiæ miraculo &c. *Idem.*

De pudore confitendi peccata.

Heus! quid prodest ad tempus ea celare, quæ semper celari non possunt? quid prodest levem, ac perfunctorium ruborem effugere, si evitari nequit æternus? Oseas Propheta nos admonet, quo magis peccator in hac vita iniquitates occuluerit, eo majorem confusionem in altera subiturum: *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus; dolores parturientis venient ei.* Oseæ 13. Rubor necessario peccatum subsequitur; si hunc in hac vita patieris, tibi salutaris erit, & si mavis illum in altera ferre, pudor hic tibi perniciosus erit, & non ferendus: *In Judicio confundentur perniciose, qui modo nolunt confundi salubriter:* Non deest nobis veritatis hujus probatio, in persona David, qui eo majori suffusus est rubore propter scelus suum, quo diligentius illud studuerat abscondere: *Tu fecisti abscondite; ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis.* 2. Reg. 12. Tristem confusionis figuram, qua peccator suffundetur, qui Sanctum pœnitentiæ ruborem effugerit! Inauditam hominis dementiam, qui nulla æternæ salutis suæ cura tangitur! Si nocens aliquis certo sciret, se supplicii sui ruborem evitare posse, illud uni tantum ex judicibus confitens, frustra illud tentaret Dæmon. Etenim proculdubio scelestus ille ingenue crimen suum fateretur, & hujus confessionis pudor illum non tangeret. *Essais de Sermons tom. 4. Sermone pro tertia Quadragesima Dominica.*

Fateor equidem hanc gravissimorum, secretissimorumque scelerum manifestationem Confessario citra confusionem fieri nequaquam posse; verum

verum hoc ajo, illam constanter, & animose suscipiendam esse, Deoque gratias agendas, quod cum æternam damnatorum confusionem fuerimus promeriti, satis putat, si brevi temporis intervallo coram homine erubescamus. Poteratne Deus ex peccatoribus mitiorem expetere satisfactionem, ut secum redirent in gratiam, quam scelerum eorumdem confessionem? Hic unus Judex hac ratione operatur. Humana justitia confessionem hanc extorquet, ut mortis sententiam pronunciet; terræ hujus Judices noxium quemlibet urgent, ut facinus suum confiteatur, illum non absoluturi, sed punituri; & criminum confessionem statim Cruces, rotæ, equulei, aliaque id genus supplicia sequuntur; sed Judex Cœli, justitia cujus in hac vita misericordia repleta est, ita non agit. *P. Texier in Dominicali tom. 1. tertia Quadragesima Dominica.*

De institutione Sacramenti Pœnitentiæ.

Nullum unquam Sacramentum a JESU CHRISTO majori cum solemnitate institutum fuit, quam Confessionis. Post Resurrectionem suam accersit Apostolos, iisque dicit: quemadmodum me misit Pater, ita & ego mitto vos; hoc est, mitto vos ad eumdem finem, propter quem a Patre missus fui, hoc est ad remittenda peccata, & quoniam hoc munus longe hominis vires excedit, accipite Spiritum Sanctum. In Spiritus hujus virtute ea, quæ remiseritis peccata, remittentur, & ea, quæ retinueritis, videlicet quæ minime remiseritis, retinebuntur. Hoc illud est reconciliationis Mysterium Apostolis datum, de quo S. Paulus verba facit; hæc est judicandi potestas, de qua in prima ad Corinth. c. 3. loquitur, *Nonne de his quæ intus sunt, vos judicatis?* Quamobrem S. Hieronymus Epist. ad Heliodorum Sacerdotes nostros tamquam Apostolorum successores considerat, & ait ipsos quodammodo ante judicium judicare! *qui claves Regni Cœlorum habentes ante diem judicii judicant. Idem.*

Nos curari nolumus; nobis placent ægritudines nostræ, & ea, quibus premimur, diligimus mala. Hæc ea ratio est, propter quam Sacramentum adeo parum agit in nobis; & infrequenter veræ conversiones inveniuntur. Plerumque inanes languentis voluntatis conatus exerimus, quæ specimen tantum, fallacemque producit imaginem pœnitentiæ. Numquam excedit voluntatis nostræ significationem; Ego vellem: cumque nobismetipsis dicimus; nos velle, hæc omnia illusio est; atque inertia nostra facile probare potest, ea omnia, quæ dicuntur a nobis, esse mendosa. Hinc superficialis tantummodo confessio fit; metus nos deterret, ne nosmetipsos introspiciamus, & secretissimos cordis nostri motus scrutemur; non enim firmum propositum facimus noxia infringendi vincula quæ prohibent, ne Deo penitus devoveamur: ac tandem nobis satis est; si conscientiæ nostræ vulneribus levem dumtaxat afferamus medicinam. *Desumptum ex Manuscripto Sermone.*

Sanguis J.C. in Pœnitentiæ Sacramento nobis applicatur.

Dei Filius Sanguinem suum offerens pro omnium peccatorum nostrorum medicina, illum in pœnitentiæ Sacramento reservat, nobis omne ejusdem meritum applicaturus. Ibi pretiosi hujus Sanguinis virtutem recipimus, & per illum peccata nostra delentur: *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.* 1. Jo: 1. Ita cum factus est victima nostra, tunc obtulit Sanguinem suum pro Infidelibus, atque Hæreticis; sed quoniam hic illis minime applicatur in hujus Sacramenti piscina, quæ extra Ecclesiam non est, magnum hoc remedium est illis inutile, & nulla pro ipsis est peccatorum remissio. *Maimbourg Sermone pro feria sexta post primam Quadragesima Dominicam.*

Dæmon numquam majori utitur calliditate, ac versutia, ut nos decipiat, quam cum bonam Confessionem elicere cupimus. Quemadmodum ille cognoscit vim, atque virtutem Sacramenti Pœnitentiæ, si cum necessariis dispositionibus recipiatur; nihil intentatum relinquit, ut nos tanto bono privet, malum ruborem immittens; qui prohibet, ne secreta fateamur peccata, quæ committere non erubuimus. Hos illis præsertim accidit, qui obscœnis sese inquinarunt flagitiis; hi enim mysteriis utuntur, cum ad pœnitentiæ Tribunal accedunt; vulnera sua contegunt, quæ sunt aperienda, atque ita obstruunt sibi januam misericordiæ, quam Spiritus Sanctus humilis, atque sinceræ Confessionis merito se aperiturum spopondit. In confessione duplex est verecundia, altera quidem bona, altera autem mala; illa Christiana, hæc diabolica; illa ex humilitate, hæc ex superbia profecta. Opus est, ut peccator criminis sui rubore suffundatur in hoc mundo, ne erubescat in altero coram Cœlo, ac terra, atque ut semetipsum considerans turpissima peccati lepra fœdatum erubescat, coram Deo in adeo miserabili statu apparere. Sed salutaris hæc verecundia, quam propter flagitia sua peccator concipit, quin eidem os claudat, efficit, ut eadem coram Deo confiteri festinet, & pergat illa revelaturus Sacramenti hujus ministro, a quo sordes suæ eluantur. Ita verecundia, quam inspirat Deus, efficit, ut peccator loquatur, ea vero, quæ ex Dæmone proficiscitur, efficit, ut conticescat. *Essais de Sermons pro Dominicis Sermone pro 14. post Pentecosten Dominica.*

Quantum solatium affert confessio.

In Christiana religione nihil est, quod majus nobis solatium afferat, quam Confessio. Per hanc, Sanctus Ambrosius ait, importunis conscientiæ nostræ stimulis silentium indicimus, severumque Dei judicium prævertentes, nosmetipsos accusando ipsius flectimus severitatem, & ab eo veniam extorquemus: *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Psalm. 31. Quo severius nosmet accusamus, eo promptius a Judice nostro excusamur, & in novo hoc judicii genere nocens, qui peccatum suum confitetur, absolvitur, qui illud dissimulat, condemnatur. Dei Sapientia scelerum nostrorum veniam verecundiæ Confessionis voluit adnectere; voluitque, ut omnium nostrorum Confessio ad Christianam, atque pœnitentem vitam aditum aperiret: *Introite portas ejus in Confessione.* Psalm. 99. Majestas, quæ læsa fuit rebellis creaturæ pertinacia, nullam umquam seipsa digniorem invenire posset reparationem, humiliatione prostrati peccatoris seipsum tamquam sontem accusantis. Ideo a Tertulliano Confessio vocatur scientia, & ars infringendæ humanæ superbiæ, & injuriæ Deo illatæ reparandæ. *Ibidem in Adventu.*

Quot sunt, qui in affectata salutis suæ negligentia versantur, & numquam serio conscientiæ suæ statum perpendunt, qui illius vulnera scrutari, abditosque sinus rimari verentur, ne videant scelera, quæ sibimetipsis abscondere cupiunt, ut pœnam eisdem medendi possint evitare? Tantum abest, quod hæc ignorantia peccatores excuset, ut immo cæteris sceleribus aliud recens, gravissimumque adjiciant. Ignorantia hæc voluntatis est, non intellectus: non vident, quod videre nolunt: ipsi sibi eam nubem offundunt, quæ lumen aufert. Negligentium horum peccatorum ignorantia ab eorum proficiscitur inertia. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Psalm. 35. Aures præbere nolunt secretæ voci conscientiæ suæ ipsos accusantis, atque impellentis, ut seipsos accusent; pauca scire cupiunt, ut pauca confiteantur. Nolunt ad examen revocare, utrum contractus sui sint cum fœnore conjuncti, ne restituere teneantur. *Ibidem.*

Confessio recta esse debet, atque sincera.

Quandoquidem sine dissimulatione Deus tibi parcit, sine dolo teipsum accusare debes: tu solus accusatores, ac solus testis, qui scelera tua patefacere possis, neque utitur Deus quæstionibus aliis ut ex ore tuo criminum tuorum confessionem extorqueat, nisi motibus gratiæ suæ, & convenientiæ tuæ stimulis, ait Tertullianus. Itaque quo severior tuimetipsius accusator eris, eo indulgentiorem judicem reperies. Attamen nemo cogitare potest imper-

imperceptibiles ambages, quibus plerique peccatores utuntur, peccata sua dissimulaturi, tunc etiam, cum illa confitentur. Ipsi semet primi decipiunt, ut melius Judicem fallant, & de illis Propheta Psalm. 26. loquitur, cum ait: *mentita est iniquitas sibi. Ibidem*.

Ama Confessionem, si amas decorem, S. Bernardus inquit: *bonum animæ ornamentum confessio*; Confessio ornare potest animam tuam, eique decorem illum restituere, quem peccatum abstulerat. At enim, indiget ne Deus oris nostri declaratione? nonne legit in cordibus nostris? nonne ibi videt acta, transactaque omnia? heu! quidam ait, Deus confessionem exposcit *non ut agnoscat sed ut ignoscat*. Ille enim abditissimos conscientiæ nostræ sinus intuetur: sufficit illi, ut nos peccata nostra aperiamus ipsi ea dissimulaturo, ut nosmetipsos accusemus excusaturo, & condemnemus, absoluturo. Poteslne Confessio majorem afferre utilitatem? *Pater Masson Oratorii Sacerdos Sermone 15. Adventus*.

Pœnitentiæ Sacramentum Tribunal sacrum est ad misericordiam potius efficiendam institutus, quam ad noxios plectendos. Quomodo nobiscum ibi agitur, & quam aliter ab ea ratione, quæ in sæcularibus judiciis usuvenit? Qui sunt adversarii nostri, ibi nos damnari postulant: cumque convicti sumus de his sceleribus, quæ abjiciuntur, damnamur, & Judex gravissimam in nos sententiam pronunciat. In eo vero judicio, de quo loquimur, quis noster est Adversarius? Deus est, qui petit nostram salutem. Quis Judex? Deus, & unus ex ministris ipsius, ejus locum obtinens, & nos absolvens, sententiam pronuncians, qua solvimur, & liberamur: & criminum nostrorum Confessio ad gratiam obtinendam plurimum confert. O infinitam Dei erga nos bonitatem! Quam utilitatem ex hoc Sacramento percipimus, quod Dei clementia ut malis nostris mederetur, instituit! *Idem*.

S. Chrysostomus nostram regenerationem ad gratiam vocat *partum spiritualem, partum ex gratia*. Partus Spiritualis hoc habet commune cum corporali, quod neuter sine dolore accidit; sola enim relatio, quæ inter duplicem hunc partum invenitur, hæc est, quod in utroque dolor adest. Patitur Mater fœtum editura; patitur peccator effecturus, ut anima peccato mortua renascatur: *Ibi dolores, ut parturientis*. Et sane quo dolore torquetur, qui secretam, obscænamque consuetudinem patefacere debet, qui aperire debet quidquid in cordis sui penitioribus recessibus delitescit, infirmitates suas, dolos, voluptates, nefariam licentiam; qui hominis auribus existimationem suam est sacrificaturus; *Ibi dolores ut parturientis*. Sæpe nosmetipsos nobis abscondimus, ut ea committamus, quæ tunc revelantur: nulla amplius nobis est verecundia, quia divina tantum charitate succendimur, omnibusque humanis considerationibus relictis, ostendimus, quidquid sumus præsertim in interiori parte; cum extrinsecus omnino alii videamur. Fateor quidem non deesse pœnam; sed pœna hæc superanda est. *Idem*.

Confiteri debemus animo vitam mutandi.

Quid quæritur in Confessione? numquid mutare vitam, sincere cum Deo in gratiam redire, ab eo gratiam exposcere illa infringendi vincula, quibus creatis rebus adhæremus; commissa detestari scelera, & nihil intentatum relinquere, ut imposterum ab his omnibus abstineamus, quæ nos detestari tandem oporteat? Nihil horum omnino; verum quæritur, ut extrinsecus hominis Christiani officiis persungamur, ut aliis, ac nobismetipsis persuadeamus, nos sanctam vitam ducere, quandoquidem crebro accedimus ad Sacramenta: præsertim vero quærimus retundere aculeos conscientiæ, cujus exprobrationem ulterius ferre non possumus. Sexcentis obnoxii sumus infirmitatibus, quas libenter deploramus, & fide satis bona detestamur; atque speciosus hic dolor satis est, ut nosmet de confessionis nostræ validitate persuadeamus. Verumtamen nobis adest peccatum aliquod charum, filius cordis, malorum omnium origo, quod stupidi non intelligimus, quod modo confitemur, tamquam persunctorium peccatum, quin fateamur illud nobis insitum, ac inveteratum esse: ideo Confessarium mutamus, quoniam peccatum mutare nolumus: modo etiam omnino reticemus, seu quod cæci illius deformitatem non videmus, seu quod non audemus semper idem confiteri peccatum, quod sæpius commisisse non tædet. Ita nosmet decipientes, & Confessarium ipsum fallentes, peccatum hoc eorum numero adscribimus; quæ licent, vel saltem, quæ mala non sunt; atque ita eos retundimus stimulos; qui diu nos exagitaverant. *Abbas de Monmorel tertia Quadragesima Dominica*.

Potissima Sacramenti pœnitentiæ pars est sincerum flagitiorum omnium dolorem concipere cum proposito ulterius minime peccandi; ita immutari, ut cor omnino sit aliud ab eo, quod erat ante; hoc est amare quod oderamus, abominari, quod amaveramus, dolere ob ea, quibus lætabamur, & ob hunc dolorem lætari, omnibus insanis hujus sæculi gaudiis præferre hanc tristitiam, quæ secundum Deum stabilem operatur pœnitentiam pro salute assequenda; amarum putare, quod olim dulce videbatur; ita denique affectos esse, ut quæ antea sensuum erant deliciæ, fiant animæ supplicium. *Idem homilia in quartam Dominicam Adventus*.

Quænam esse debeat peccatorũ declaratio.

Altera Sacramenti pœnitentiæ pars in eo consistit, ut peccata nostra confiteamur, ut in secretioribus cordis nostris recessibus ea detegamus, quæ & aliis, & nobismetipsis abscondere cuperemus; ut fontem, originem, circumstantias, nequitiam, effectus, & ea, quæ inde consequuntur, mala explicemus, quin nosmetipsos accusemus tamquam peccati alicujus persunctorii, atque fragilitatis, eorum scelerum, quorum habitus nobis inolevit; ut denique vulnera nostra ostendamus, qualia sunt, eorumque nos pudeat, & pudor hic nos coram Deo abjiciat, atque prosternat. Numquid ita confitemur? Alii quidem satis sincere quædam confitentur peccata; verumtamen semper illud tegere, & excusare contendunt, quod cor prodi recusat; alii, ut ita dicam, scelerum suorum texunt historiam; putant hoc memoriæ solius esse negotium, quæ factorum meminerit, non cordis quod facta abominetur: in peccatis enarrandis satis fideles, quin se eadem patrasse pœniteat. *Idem*.

Cur tamdiu differs confessionem tuam? quo magis eam differs, eo magis eam differre optabis, & mea quidem sententia majori cum ratione hoc optabis, Quo enim magis illam differes, eo magis peccatorum numerus augebitur, & majori cum labore eorum recordaberis. Verum si eorum oblitus fueris, credisne eorum obliturum Deum? Credisne oblivionem, quam vel evitare, vel prævertere potuisti, & quæ voluntariæ negligentiæ, & nefariæ dilationis effectus est, te coram Deo posse excusare? Hoc si verum esset, oporteret esse negligentem, ut Confessio esset facilior. Numquid bona ad confitendum dispositio est raro confiteri? Quinam aliquid facere discit illud infrequenter faciendo? Tunc acquirere poteris bonos pœnitentiæ habitus, actus ejusdem semel tantum quotannis exercens? num sese curationis disponit, qui semper differt medicinam? eamque recipit tandem cum morbus invaluit, & incurabilis evasit? Credisne difficultates imminui hac mora, vel non potius illas percrebescere vides peccata altius radices jacient, confirmabuntur habitus, voluntas vero infirmabitur? *P. Nepveu in Christianis Considerationibus tom. 1.*

De confessionis abusu.

Nihil adeo Sanctum atque efficax est, ac confessio cum omnibus circumstantiis suis, quæ efficiens, ut summo cum ardore, atque perseverantia ad divinæ misericordiæ januam pulsemus, eam semper nobis aperit, ejusque procurat effectus. Verum cum fletu, ac lacrymis exploranda est duritia, &

cæcitas hominum, qui hoc abutuntur medio, tantæ utilitatis, quod omnia illis bonorum genera procurare potest; & qui rem Sanctissimam, saluberrimamque prophanant. Nihil tamen communius, nihil vulgatius est hoc abusu, & perpetua hoc satis probat experientia. Licet enim umquam tot extiterint Confessarii: & quamvis Templa iis referta sint, quibus nulla requies est, donec memoriam suam longa scelerum serie exoneraverint; flagitia tamen numquam pluta, vel majora fuerunt in omni conditionis genere, & qui frequentius confitentur, hi ad iterum peccandum videntur audaciores. Si texunt historiam criminum suorum Sacerdotibus, sibi aures præbentibus, hoc faciunt sine ullo sensu Dei, sine ullo contritionis motu, sine ullo sese corrigendi, agendique pœnitentiam desiderio; & rati se omnia fecisse, ubi confessi sunt, se tutos esse putant propter facilitatem, qua per Confessariorum suorum indulgentiam peccatorum obtinent remissionem; & eo minus verentur in sceleribus suis perseverare, quo minorem inveniunt difficultatem in confessionibus suis efficiendis; quin tamen umquam corrigantur. *Desumptum ex tractatu de frequenti Communione.*

Speranda nobis est criminum nostrorum quantumvis enormium venia, cum vera pœnitentia ducti eadem confiteamur, cum ad pœnitentiæ Tribunal accedimus non sine timore, ac tremore, cum caput demittimus sub hoc jugo cum summa humilitate, cum cor nobis inest contritum, & humilitatum, cum recipimus facili cum docilitate consilia, quæ nobis suggeruntur; cum illis nosmet subjicimus sine exceptione, cum animose austerum vivendi genus amplectimur. *Ibidem.*

Quid de confessione sentiendum. Cum te offers Sacramento pœnitentiæ, ne putes ibi solum esse Sacerdotem: adest enim Confessarius, vel potius Judex invisibilis, qui pro eodem sedet Tribunali; videlicet JESUS CHRISTUS, qui audit Confessionem tuam; ut ipse te absolvat. Extendit ille cum Sacerdote cruentam manum; per os ministri hujus profert verba tuæ absolutionis, tibi applicat Sanguinem suum, suamque gratiam confert, & Inferi impedire non possunt hanc peccatoris cum Deo reconciliationem, si ille sese apte disponat. Verum quod dæmones cum universo furore suo facere nequeunt, hoc faciunt silentio tuo, si in confessione imperfecta retices peccatum tuum. *Biroat Serm. 1. pro tertia Quadragesima Dominica.*

O funestum silentium, quod divini Verbi voces impedit, & licet hoc sit Omnipotens Verbum, illud tamen tacere cogit! Utique vult JESUS CHRISTUS loqui pro te, vult proferre verba absolutionis tuæ, idque eo ardentius, quia hæc magis gloriosa sunt verba, quæ extra se valeat proferre, non solum propter effectum, quem gignunt, videlicet peccatoris sanctificationem, omnium operum ejus maximum; verum etiam, quod caro pretio eam sibi comparavit facultatem, quæ per hæc verba significatur. Hæc igitur maxima est contumelia, quam illi valeamus inferre. *Idem.*

Sacrilegæ confessionis malū. Si iterum eadem ratione ad Confessionem accedis, majores semper obices contrahis, donec fiat meander quidam sacrilegarum confessionum, quibus peccator irretitus in tenebrarum abysso squallet, ita ut resipiscere minime possit. Semper enim magis magisque metuit confessionem efficere præcedentium confessionum defectus reparantem repetita Sacrilegia detegentem. Hæc enim adeo horrore plena, ita difficultatibus, atque tormentis referta, ut ad evitandas has difficultates malit peccator silentium servare suum; atque ita eam de mense in mensem differens ex confessionum multiplici nexu fit totidem sacrilegiorum catena. Hoc plurimos fideles damnavit. Non ideo illi interierunt, quod adulterium commiserunt, sed quod commissum celaverunt; morbi sui dissimulatio eos incurabiles effecit, cumque lingua caruerint, ut confiterentur, lingua hæc in æternum de silentio suo conquerentur: O silentium, quam crudele es in effectibus, quam injustum in causis tuis! *Idem.*

Ratio magis communis, qua utitur Dæmon, ut confessiones imperfectas efficiat, & vinculum magis familiare, quo peccatorum linguam vincit, est naturalis pudor, quo peccata nostra patefacere erubescimus: inventum eo periculosius, quo dedecoris metus; & violentior est naturæ nostræ affectus, & difficilior, qui superetur. Deus ipse nobis pudorem injecerat, tamquam frœnum libertatis, ut nos a peccato deterreret. atque hinc procedit naturalis illa difficultas, qua illum offendimus tunc etiam cum sceleris nullos testes habemus. Hic ille est laudabilis pudor, qui efficit, ut innocens in primo peccati ingressu, quamquam minime turpe videatur, erubescat; perinde ac anima sub hoc ruboris velamine sese tegere vellet, ne hoc in statu deprehenderetur. Hic ille est, qui efficit, ut tenebras latebrasque inquiramus ad scelera committenda, eaque omnium oculis abscondenda. Sed me miserum! Dæmones hujus affectus usum inverterunt: quippe in nostrum scelus convertunt quod nobis tribuerat Deus, ut scelera prohiberet! Cum Deum læsuri sumus, Dæmon nos efficit impudentes, cum peccatum confessuri, nos timidos facit. Aufert verecundiam, ut peccemus; eam reddit, ne peccata confiteamur: crudelis æque, & cum aufert, & cum redit, veluti qui arma auferret Militi, ne se tueretur ab hoste, eaque eidem traderet, ut seipsum confoderet. Quid igitur! dicet nocens quispiam, oportet ne, ut in confessione detegam ea quæ in tenebris transacta sunt, eam proditionem, ignaviam, secretam impudicitiam, quam neque mihimetipsi dicere audeo &c. *Idem.*

Nos pudet scelestos videri in Tribunali pœnitentiæ? numquid ignoramus nobis peccatum esse confitendum, ut illius veniam assequamur? pudet aperire vulnus hoc Confessario? nondum ne didicimus, malum, ut curetur, medico esse aperiendum? profecto licet in peccato mortali, cum occultum remanet, non alia inveniretur pœna, quam conscientiæ tormentum; hi stimuli, hi metus, hi terrores Christiano viro adeo formidabiles sunt, ut prudenter agere censeretur, qui exiguæ difficultatis pretio sese iisdem liberare vellet, & hanc verecundiam, & confusionem immolare conscientiæ suæ tranquillitati. Verum parumper videte, quam perplexus sit ille peccator, qui tamquam fidei articulum integræ confessionis necessitatem. Opus est igitur, ut vel confiteatur, vel damnetur; nihil medium est, vel momenti rubor, vel suppliciorum æternitas? Infernus, vel Confessio; brevi confusione erubescere; vel æternis ignibus cremari. Nonne de sanæ mentis usu dejectum illum esse opus est, qui æternam felicitatem sibi renuit comparare, fluxo, brevique pudore? *Peccator erubescet*, Dacianus ait Patæn. ad Pœnit. *perpetuam vitam præsenti pudore mercari?* *Idem.* *Conscientiæ tormēta ubi in confessione grave aliquod peccatum celatum fuerit.*

Duo sunt judicia, in quibus peccata nostra prodire debent; alterum est pœnitentiæ Tribunal, alterum est Tribunal Judicii: si illa in priori detexerimus, non apparebunt in altero; sed producetur in Judicium, quidquid in pœnitentiæ Tribunali confessi nequaquam fuerimus. Utriusque pudor imminet; pudor confitendi peccatum; pudor videndi illud coram omnibus patefactum: alteruter evitari non potest: simul confert utrumque, ut videas uter magis ferendus sit. Hinc pudor, quem in confessione pateris, est sane levis confusio: uni tantum homini peccatum tuum detegis; discretum eligis confessarium, cum quo tibi est confidentia; ille miseretur infirmitatis tuæ, solaturque verecundiam tuam: Inde vero pudor in judicio ferendus summus erit, non in aure confessarii, sed coram universo mundo iniquitas tua revelabitur: testium multitudo pudorem tuum augebit; debebit hæc mulier generalem confessionem facere coram consanguineis suis, coram

coram matre quam fefellit, coram viro, quem prodidit, coram amicis, qui illam honestam esse arbitrabantur. Ex hac comparatione de silentii vestri injustitia judicium ferte. *Idem*.

Difficultas peccata sua confitendi post sacrilegam confessionem.

Post sacrilegam confessionem major adhuc difficultas est confiteri: accusanda enim sunt non solum peccata, quæ fuerunt omissa, verum etiam commissum sacrilegium. Si hoc pacto bis, vel ter confessus fueris numquam bonam confessionem facies. Nequis enim amplius inire consilium reficiendi confessiones omnes perperam factas, ac detegendi tot communiones, & confessiones sacrilegas alias aliis congestas. Mavis servare silentium tuum, & de sacrilegio in sacrilegium proruere quam rem difficilem adeo suscipere. Deus interim imminuit gratiam, Dæmon vero tyrannidem suam confirmat; cumque postrema efficienda est confessio, a qua pendet salus æterna; hæc jam fieri non potest. *Auctor Sermonum Christianorum tom. 4. sermone de defectibus confessionum.*

Esto quidem, indulgentia aliqua utamini erga Pœnitentium infirmitates, at nulla umquam erga illorum passiones. Ubi videbitis pœnitentem imbecillum, & cujus stomachus infirmus est, ne imponatis illi longa jejunia; ubi videbitis hominem magnis distentum negotiis ex multis curis sollicitum, huic ne longas preces imperetis; ubi aliquem re familiari laborantem videbitis, ne magnas huic eleemosynas præcipiatis: sed sive bonæ, sive malæ valetudinis sit, sive negotiis implicitus, sive secus, sive pauper, seu dives affectibus illius ne parcatis. Hic inveteratum fovet odium, ille voluptatem, & libidinem deperit, hic propter loquendi cachoetem facere non potest quominus convicia, & contumelias ingerat: in hujusmodi occasionibus vobis vestra auctoritate, vestrisque luminibus utendum est, neque adeo ignavi estote, ut illis ignoscatis. *Joly in propositionibus suis tom. 1. pro Dominica infra octavam Nativitatis Domini.*

De illis, qui propter inflictas sibi a confessario pœnas succensent.

Non desunt pœnitentes adeo recti sensus expertes, ut confessarii sui rationem improbent, cum aliqua in ipsos utitur severitate imperaturus vel rei restitutionem, vel honoris reparationem, vel perniciosæ consuetudinis finem: videlicet vellent in sui gratiam confessarii sese ministerio suo atque muneri infideles præberent, & pœnitentium incorrigibilium, & delicatorum gratiam aucupaturi, temere absolutionem concederent, quamquam pœnitentes illi indigni sint qui eamdem recipiant. Dolent, & acriter conqueruntur perinde ac sibi a Sacerdotibus inferretur injuria, eo quod semetipsos cum illis damnare detrectant. *Desumptum ex Auct. Anonym.*

Dæmon, qui non ignorat, cum fragiles simus, sine hac medicina in certum interitum esse prolapsuros, nihil intentatum relinquit, ut eam nobis vel eripiat, vel inutilem reddat. Contigit ipsi, hanc penitus illis auferre, qui sunt extra Romanam Ecclesiam: Catholicis vero suadet, ut raro eadem utantur, cumque ad illam confugiunt hanc ipsis in perniciosissimum virus convertere adnititur propter præparationis defectum, quo ad illam accedunt. Gravissimum proculdubio malum est, in eo Sacramento, quod pro nostra reconciliatione fuit institutum maximæ infelicitatis nostræ causam inveniri; nobisque idem accidit, quod illis, qui in balneis ad valetudinem præparatis submerguntur. Verum quænam esse potest tantæ infelicitatis origo? hæc sane, quod perperam abutimur medicina &c. *P. de la Colombiere tom. 4. sermone hujus argumenti*.

Defectus examinis quod in confessione necessario requiritur.

Non desunt, qui in factorum suorum examine penitiores animæ latebras nequaquam scrutantur, ibi enim corruptionis acervum prospiciunt, quem penitus detegere verentur, ne major cognitio illos ad immutandum vitæ genus impellat. Itaque illis statis est perfunctorie ea percurrere, quæ post ultimam confessionem acciderunt; ea tantum confitentur scelera, quibus non coguntur recedere ab eo vitæ systemate, quod quisque sibi juxta mundi, & amoris proprii præcepta adornavit; & systema hoc, cui parcere student, ubi fit examen, sexcenta continet, quæ JESU CHRISTI præceptis adversantur. Attamen, ne vitæ genus sibi adeo acceptum teneantur relinquere, vel conscientiæ stimulos excitare, omnibus hujusmodi flagitiis oculos claudunt, sibique persuadent abesse culpam, quæ si quando in hoc vitæ genus obrepit effectum fragilitatis potiusquam perniciosarum occasionum esse arbitrantur. *Idem*.

Conjice, quam levis sit dolor noster, quamque infirmum propositum; peccata non solum excusantur, dissimulantur, imminuuntur ambiguis locutionibus, verum etiam postquam illa confessi fuerimus, statim cum ipso confessario altercamur pro biduano, vel triduano jejunio, eleemosynam erogare negamus, levem aliquam voluptatem relinquere nolumus. Quodnam est hoc pœnitentiæ genus? quodnam propositum abdicando peccatum, quandoquidem ea respuuntur consilia, quæ ad illud relinquendum conducunt? Videntur profecto nonnumquam vere pœnitentes sese ad Sacerdotis pedes projicere, sed rati sunt, & facile dignoscuntur. Tunc enim videre mihi videor ægros, qui non possunt amplius pati malum, quo conficiuntur, & qui quocumque pretio curari volunt. Secetur, abscindatur, cutetur, dummodo solatium aliquod mihi afferatur; mea non refert quonam tormento suppliciis meis finis imponatur. Verum longe plures sunt, qui vix se ipsos colligunt &c. *Idem*.

Antequam ad confessarium accedas, jam reliquisse debes proximam peccati occasionem.

Quid opus est adeo procul invenire argumenta sinceritatis in eo proposito, quo nos vitam immutare pollicemur; quandoquidem eo ipso tempore, quo propositum istud elicimus, plerumque in eo ipso, quod accusamus, crimine persistimus? Exempli gratia, domi tuæ muliercula quædam adest omnibus scandalum adferens, vel in ea domo versaris, ubi proxima te urget occasio peccandi, polliceris quidem te velle scandalum hoc auferre, & ex hoc periculo emergere; verum cur id non efficisti, antequam ad confessionis Sacramentum accederes, quomodonam prodire audes ante oculos Judicis tui, quin antea hoc pœnitentiæ tuæ testimonium dederis; quomodo dicere audes, te, postquam fueris confessus, in illud scelus non esse amplius relapsurum; quandoquidem ne ut confitearis quidem illud relinquis? Nonne aptius erat initium pœnitentiæ ducere a reconciliatione cum inimico tuo, a male partorum bonorum restitutione, a reparatione injuriæ, qua fratris tui existimationem læsisti? Cur expectas post confessionem hæc adimplere, sine quibus nulla confessio est? Vin' aperte dicam? secreta tibi voluntas est, nihil eorum faciendi, quæ polliceris? *Idem*.

Illi, qui ad Sacramenta recipienda præparantur, hoc primum docentur, necessario habendum esse quorumcumque patratorum scelerum dolorem, & æquale propositum non ulterius peccandi: quæ si desint, nullam esse absolutionem, nullam reconciliationem, nullam peccatorum remissionem. Me reum centum peccatorum accuso; inter hæc autem cum cæterorum pœnitentia ducat, consiliumque certum in eam ea pro viribus evitandi, unum tantummodo excipio, cujus me nec pœnitet, neque pudet, neque ab eodem recedere cupio, sive hoc a me explicite fiat, sive tacite. Tantum abest, id si fecero, quod redeam in gratiam cum Deo, ut imo nocentior fiam; tantum abest, quod mea vulnera curem, ut imo iisdem virus inspergam; tantum abest quod mea vincula infringam, ut immo aggravem jugum meum, meamque servitutem. Hæc nemo unus Christifidelis ignorat, verum ad hæc in praxi quamplurimi, ne animum quidem advertunt. *P. Aurelianensis tomo 1. Sermone de Confessione.*

Defectus in electione confessarii.

Sæpe quin confessarium prudentem, atque aptum ad auxilium consilii sui nobis ferendum eligamus, fortuito illum assumimus, eumque sæpe eo in tempore assumimus, quo confluenti multitudine stipatus nequit id tempus, eamque curam impendere, quæ

quæ ad nos efficaciter juvandos requiritur. Quot etiam adsunt, qui de industria, dataque opera, eum, cui confiteantur, eligunt, qui inter confessarios negligentior, atque incuriosior videtur? Hujus characteris Sacerdos, statim ac dignoscitur, fit repente omnium mundi asseclarum confessarius, hoc est eorum omnium, qui se ipsos fallere capiunt. Ratio ipsa, qua illi de illo loquuntur, satis prodit, quid sentiant: justum supplicium indigni ministri hujus Sacramenti, & sacrilegi dispensatoris Sanguinis, & meritorum J. C.! At ne putes ministri supplicium esse pœnitentis immunitatem. Lætaris, tibimetipsi plaudis, tibi complaces, anima mundana, eo quod facilem, atque indulgentem confessarium inveneris. O te miseram! hoc tanto pejus est tibi; indiges enim confessario, qui prorsus oppositam rationem sequatur. Indiges confessario, qui luminibus suis id detegat, quod tua celat ignorantia: tu vero fortasse teipso imperitiorem elegisti. Indiges confessario diligenti, qui recta judicii lance ponderet, quidquid propter amorem proprium leve putas; eumque elegisti, cujus negligentia cum affectibus tuis ad te decipiendam consentiat. Indiges confessario constanti, ac forti, qui crudeli charitate vulneribus tuis ferrum, atque ignem admoveat; Tu vero elegisti crudeliter indulgentem. Quid autem fecisti? profecto mala tua gravius exacerbasti, & fortasse morbum tuum insanabilem effecisti! *Idem*.

Non placet homini totam, quanta est, improbitatem suam intueri, multo vero minus eadem aliis patefacere. Defectum hunc ab Adam recepimus. Sibimetipsi gravis post peccatum suum, & propriis oculis non ferendus, sub arboris umbra delitescit, atque docente verecundia, ex foliis sibi consuit perizomata. Prodire tandem coactus, ut de scelere suo respondeat, quin humiliter confiteatur, illud dissimular, meditatis ambagibus involvit, reticet circumstantias, addit excusationes, & quin verbo sese expediat dicens, peccavi, prolixum sermonem instituit, ubi confuse tantum suum peccatum indigitat. *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi*. Genes. 3. Quin explicet peccata superbiæ, inobedientiæ, ingratitudinis, quæ in sua intemperantia continebantur, & quæ intemperantia eadem erant majora, simul unico involvit verbo: *comedi*. Quot huic similes confessiones fiunt! quot prolixis sermonibus confundunt, involvuntque peccata, quæ confessarius dignoscere nequit: quot plura complectuntur iis verbis, quæ unum tantummodo indigitant, quod etiam plerumque cæteris levius est! Male locutus sum de proximo, dicit aliquis: ira correptus fui, inquit alter; nimium lusi, alius confitetur: sed qui male locutus est, additne se propter odium, atque ut ultionem persequeretur, fuisse oblocutum? Fateturne se non dubitanter, & affirmative ea asseruisse, quæ suspicionum suarum temeritati innituntur? additne eos, de quibus oblocutus est, existimationis suæ jacturam passos fuisse: qui autem se iratum fuisse confitetur, subditne, iram hanc gravium malorum fuisse causam, familiæ pacem turbasse, famulis murmurandi ansam, scandalum accolis tribuisse? qui excessum in ludo fatetur, ait ne excessum hunc eo usque processisse, ut familiæ bona obligurierit, æs alienum non solverit, filiorum hæreditatem everterit, ac seipsum in eum statum adduxerit, ubi eleemosynas erogare non possit? *Idem*.

De serio examine ante confessionem habendo. Confessio serium examen postulat & serias cogitationes. Ratio hæc Deo reddenda est; reddine potest, quin omnes articuli diligenter excutiantur? Confessio scelerum omnium, quæ patrata sunt, omnes circumstantias aperire tenemur, hoccine fieri potest, quin diu multumque inquiramus? Judicium est contra nosmetipsos ferendum, in superiori Tribunali antiquandum nisi rite prolatum fuerit: nimiumne temporis insumi potest, ne decipiamur? Cum igitur nobis instituendæ rationes sint, juxta quas damnandi, vel absolvendi erimus, pro ut bene, vel male a nobis supputatæ fuerint, hoc primum facere tenemur: videlicet nosmet corrigere, atque anteactæ vitæ flagitia diligenti examine inspicere &c. *Joly propositione pro quinta Quadragesimæ Dominica*.

Si pœnitenti inesse debet vigilantia, ac diligentia æquissimi Judicis in peccatorum suorum examine, in eorumdem confessione animum accusatoris debet induere. Non satis est, ipsum Sacerdoti sua peccata proferre, quasi alterius cujuspiam res gestas narraret? Confessio hæc instituenda est, zelo justitiæ, & animo vindictæ contra seipsum: *animo accusatoris*; inquit Tridentina Synodus, Sess. 14. *ut ea in nobis vindicare cupiamus*. Oportet, ut teipsum accuses paratus ad pœnam peccatis tuis debitam subeundam, dignamque Deo satisfactionem tribuendam. Quid enim prodesset districto examine conscientiam suam excussisse, si in confessione scelera dissimulares, si variis prætextibus illa contegeres, si eadem verbo deteteres? deficit ergo in maxime necessaria confessionis parte, qui in alium rejicit partem sceleris, cujus nomine seipsum accusat; qui tot congerit excusationes, quæ peccata possunt imminuere, & eas circumstantias omittit, quæ peccatum gravius efficiunt, & confessario melius cordis naturam detegunt. Qui ita agit, nonne seipsum justificare potius, quam sincere accusare velle videtur? Verum seipsum decipit, se præbet indignum venia, quam humili confessione reciperet; sibi, ut Patres loquuntur, obstruit aditum Divinæ Misericordiæ, quod cor suum satis aperire detractat. *De la Font, dans la suite des Entretiens Ecclesiastiques, pro sexta Quadragesima Dominica*.

Putasne, Deum a te lacessitum nimis exposcere, quod minime parcere velit, nisi prius Sacerdoti sub inviolabili Sacramenti sigillo scelera tua fueris confessus? Si, uti oportet, intelligeremus enormitatem peccati lethalis, quam gravis sit contumelia, quæ Deo per ipsum infertur; quam immensa divinæ justitiæ sint jura; quam infra debitam satisfactionem sit quodcumque præstare possumus, ut conatum hunc reparemus; proculdubio admiraremur ineffabilem Dei nostri bonitatem, ac indulgentiam. Immo neque satis admirari possemus quod cum adeo magnus, adeo potens, adeo Sanctus, & creaturarum suarum non indignus sit post tot indignissimas contumelias acceptas, dignetur tamen nos in gratiam recipere, nobisque scelerum nostrorum veniam offerre, dummodo vera pœnitentia ducamur, & integram ministris suis confessionem faciamus. *Idem*. Confessio non grave jugum, sed est divinæ effectus misericordiæ.

O Domine, nimia bonitas es, nimium cedis de infinito jure justitiæ tuæ, nimis indulges. Licet enim in peccati lethalis expiationem gravissimas quaslibet austeritates exigeres; licet imperares, ut reliquum vitæ spatium in gemitibus, ac lacrymis sine ullis vitæ hujus commodis, atque in molestissimis pœnitentiæ exercitationibus transigeremus, nimis magna adhuc esset misericordia tua, nosque inæstimabile donum consecutos censere deberemus, qui hoc pretio scelerum nostrorum veniam obtineremus. Sed quam major est misericordia tua, quam erga nos clementior! hanc cogitare non possum, quin admirer. Te veniam concessurum polliceris, dummodo vera pœnitentia ducantur homines, atque sincere peccata sua confiteantur. *Idem*.

Ne læteris ob illam absolutionem, quam confessarius a te deceptus impertit; de hac idem est ac de gratia, quam fonti Princeps concedit: si facti veritatem dissimulavit, si fideliter omnia minime exposcit, gratia ad nihilum valet, nulla est, revocatur. Esto quidem, confessarius tibi absolutionem tradiderit putans te ad eam recipiendam satis dispositum; hæc tibi minime proderit, si sciens, & volens peccatum aliquod celaveris. Ne putes a Deo in Cœlis confirmari quod illius minister fecit in terra: immo e contra delet, & antiquat Deus sententiam, quam protulit Sacerdos. Hic præclarus est verecundiæ, & dissimulationis tuæ fructus; qui si integram, sinceramque peccatorum tuorum con- Nulla est absolutio cum decepto fuit confessarius.

fessio-

fessionem fecisses, veniam obtinuisses. Quod si publicam evitare cupis confusionem, qua impii ob flagitia sua novissimo judicii die suffundentur, te minime pudeat in pœnitentiæ Tribunali secretam scelerum tuorum instituere Confessionem: patefac humiliter omnes pravas intentiones, omnia prava consilia, scelera omnia citra dissimulationem. Si Confessarium tuum decipis, inquit S. Augustinus *l. 2. de visit. infirm. cap. 7.* teipsum periculosius decipies. *Idem*.

Quænam esse debeat peccatorum confessio. Peccatorum nostrorum confessio non humilis tantum esse debet, sed simplex, & ingenua, quin excusetur intentio, cum improba fuerit; quin peccatum imminuatur, cum fuerit grave; quin in alios rejiciatur, cum est personale. Intentionem suam excusare, non est confiteri; sed seipsum tueri, atque defendere: factum imminuere, non est seipsum accusare, sed ingratum esse, & parcentis clementiam contemnere: denique scelus in alium rejicere, neque hoc confiteri est: sed pro se alium accusare, ac seipsum fontem efficere horum verborum nequitiæ, quibus ne unquam uteretur David, Deum deprecabatur. *Ex S. Bernard. Serm. 16. in Cantica*.

Verendum non est, quod penitus male audiat apud confessarium, cui sua peccata commisit. Eodem tempore, quo confessarius audit pœnitentem, seipsum respicit, & alienam miseratur infirmitatem, considerans, futurum fuisse ut ipse quoque in deteriora scelera prolaberetur, si a Deo naturæ suæ corruptioni derelictus fuisset. Hac perculsus cogitatione amat, in pretio habet candorem, & humilitatem pœnitentis, ac serio in seipsum cogitationem convertens, discit, cum hominibus eadem ferme studia inita sint, nullum esse peccatum, quod homo, quicumque ille sit, non perpetraret, si desereretur ab eo, qui est omnium Creator. *Nullum est peccatum, quod non faciat homo, si deseratur ab eo, a quo factus est omnis homo. Desumptum ex Morali Diction. tom. 1. in consid. de confessione*.

Numquid confessarius pœnitenti adulatur? an pœnitens decipit confessarium? utrumque accidit sæpe. Ille nimium indulgens, nonnumquam pœnitentiæ partem peccatoribus remittit putans, se non modicum profecisse cum eosdem ad peccata confitenda perduxerit: hic vero non aliud quærit, nisi ut levi negotio sese eo pondere exoneret, quod nimis magnum est, præcipua quadam recurrente solemnitate. Ille petit, hic promittit, discedunt uterque satis contenti, confessarius quidem de submissione, rectoque proposito pœnitentis sui: pœnitens vero de confessarii lenitate, atque indulgentia: verum utriusque ne Deus contentus est? *Idem*.

De confessione generatim, ac de sui ipsiusdamnatione. Pœnitentia non aliud est, quam species quædam judicii, cujus forma satis peculiaris est; si enim quæris in terris quinam judicio præsit? illum respondeo, qui reus videtur: videlicet peccator, qui simul & rei officio fungitur, & Judicis. *Ascendit homo adversum se Tribunal mentis suæ, atque constituto adversum se judicio, adest accusatrix cogitatio, testis conscientia, metus carnifex*, inquit S. Aug. *in l. 50. homiliarum*. Peccator sibi Tribunal extruit in corde tamquam Judici: seipsum tamquam reum in judicium appellat. Adest ipse in judicio veluti nocens, audit cogitationem seipsum accusantem, & conscientiam testimonio suo crimina confirmantem; ac zelo succensus satisfaciendi Deo contra se pronunciat sententiam, ac seipsum condemnat: Hoc primum: deinde confessarium adit, & ad pedes illius provolutus se de omnibus sceleribus suis accusat. *P. Bourdaloue, Sermone de Pœnitentia, qui sub nomine illius circumfertur*.

De misericordia Dei in Pœnitentiæ Sacramento. Gaudeamus eo quod Ecclesiæ Salvator reliquit quamplurimos hæredes misericordiæ suæ, vel ut cum S. Ambros. loquamur, tot suæ charitatis Vicarios; ut defuturi minime sint, qui nobis adorabilem ipsius sanguinem distribuant eadem charitate cum super peccatores effundentes, qua ipse pro illis effudit. Quænam consolatio est, scire, Sacerdotem in confessionis Tribunali constitutum fuisse Deum hominis, non ut illum perdat, sed tamquam ipsum gentium Salvatorem! Quam denique confidentiam in pœnitentiæ Sacramento habere debemus, cujus ministerium Redemptor commisit non Angelo, cujus Sanctitas nobis terrorem incuteret, sed hominibus, qui infirmitati nostræ compati possent, sed peccatoribus, qui & ipsi ea indigent misericordia, quam ab illis expetimus. Erimus ne similes illi Paralytico hominem non habenti, a quo in piscinam mitteretur? multi sunt J. C. Ministri, aperta sunt Templa, parata Tribunalia, Sacramenta, sacri illi rivuli semper pleni sunt Sanguine J. C. ad peccatorum nostrorum sordes eluendas, ad vulnera nostra curanda. Quam igitur excusationem afferemus? Ignorare ne possumus, tanta largitate Deum nos hortari, ut ad pœnitentiam confugiamus! *Fromentieres Serm. de Pœnitentia*.

Si peccata omnia ex eorum numero essent, quæ in mundo dedecus non adferunt, & quæ existimationem non lædunt; immo si ex eorum essent numero, quæ mundus consecrat, & quamplures laudi, & gloriæ sibi vertunt; puta vanitas, ambitio, odium, ultio, luxus, mirum non esset, si mortales animose eadem detegerent; sed obscœnæ consuetudines, flagitia, quæ secum tantum confusionis adferunt! Heu! cum hæc detegenda sunt, quantumvis sub confessionis sigillo, quæ mentis confusio est! quis labor! Ego ne homini, qui similis mei est, apertiam peccatum illud, quod Deus unus agnovit, quod nemo nescit, quod mihimetipsi abscondere vellem? Præstaret ferme in agone laborare, & martyrium pati; quippe reipsa martyrium est, & agonis species, non quidem ex venis cruorem eliciens, sed illum in faciem attollens eo pudore, qui pœnitentiæ vox potest nuncupari. *De Sancto Martino Sermone de Sancta Magdalena*.

De confessarii munere. Provincia hæc æque tristis, ac difficilis est: quid enim tristius, quam audite prolixam nomenclaturam scelerum, humanarumque infirmitatum, & detecta videre iniquitatis mysteria, celatasque mundi ignominias: *occulta dedecoris*, ut loquitur Apostolus: mentem refertam habere teitis imaginibus impudicitiæ, vel vanitatis humanæ: esse quemadmodum sequestrem omnium flagitiorum, testem fœcunditatis peccati, & corruptionis naturæ? Difficilem autem dico, & ubi magna opus est prudentia, metu, circumspectione. Quid est enim confessarius? homo est divina indutus potestate, cui J. C. tradidit facultatem ligandi, atque solvendi, qui debet quidem iniquorum misereri, sed etiam irreconciliabilis esse debet hostis iniquitatis, ita ut prudentissimo lenitatis, & severitatis temperamento misericordiæ, & justitiæ ita consulat, ut alteri quidem placeat, & simul alteri satisfaciat, quin alterutrius jura lacessat. *Flechier in Panegyricis*.

Verum est, ignorantiam, modo sit invincibilis, peccatorem excusare, ita ut in confessione seipsum accusare non teneatur; sed hic plerumque prætextus est. Ego ne invincibilem ignorantiam appellabo illius, qui levi morbo factus statim accersit Medicum, ægritudinis suæ historiam fusius enarrat, easque aperit causas, unde illam profectam putat; & qui lethali vulnere confossus, & jam periturus, nisi curetur, menses, integrosque annos abire patitur, quin confiteatur? Egone invincibilem vocabo ignorantiam illius, qui, cum minime desint prudentes conscientiæ directores, scitì Theologi, & prudentes confessarii, vivit in profunda, & voluntaria suorum scelerum oblivione; ipse de conscientiæ casibus disceptat, neque plurima confitetur peccata, quasi peccata esse desinerent, quia talia esse non putat? Si affectata numquam sese examinandi negligentia; si malo habitu, quo annum integrum, & ultra elabi sinit, quin confiteatur, obliviscitur gravium scelerum, vel circumstantiarum peccata aggravantium; si sæpe conscientiæ suæ vocem suffocans, fallacem tranquillitatem sibi comparavit? si ne multa cognoscat, quæ molestam bonorum, vel honoris reparationem requirerent, sibi suadet peccatum non esse, ubi est; si aliena consilia apud ipsum suspicione non carent: nonne verendum est, ipsum, cum non expleat id, ad quod tenetur, absolutionis gratiam nequaquam recipere? *Desumptum ex Moralibus Sermonibus, Sermone de Confessione*.

Pecca-

In quod confessus es peccata tua, non video quod sine metu esse debeas.

Peccata tua confessus es; esto, verum quonam dolore, & odio peccatorum tuorum? hiccine dolor maximusne erat dolorum omnium, quibus cor tuum affici possit? odium hoc gignebatne in anima tua horrorem non peccati solum, verum etiam objectorum omnium, qui illius fuerunt causa, & occasio? horror hic amovit te ab hujusmodi occasionibus, exercitavit in te sanctum ultionis desiderium & contra te, & contra occasiones easdem? easne eadem voluptate quæsivisti, ut olim, antequam te pœniteret? Omne studium, operamque collocasti, ut pravos habitus tuos prorsus everteres? Ullane in vitæ tuæ ratione est visa corruptio? Horum nihil omnino. Igitur ad hanc usque diem numquam fortasse bene confessus fuisti. *Auctor Anonymus.*

Initium bonorum operum est confessio malorum, inquit S. August. Inspice in te, quod non vis inspici a Deo; statue coram te, quod vis Deum sibi post terga rejicere; *Sit ante te, quod non vis esse ante eum.* Si Deus cooperit peccata tua, curat illa; si illa operis, ea punit: tu fac, quod ab eos non vis fieri. Tu illa operi ut ille cooperiat; tu puni, ut ille curet. Quid proficerem, Domine, inquit in confessionibus suis Sanctus Augustinus, nisi peccata mea confiterer? Non quidem me oculis suis absconderem; sed te meis; te quidem non amplius agnoscerem, non ideo tamen a te minime viderer: *te mihi abscondam, non me tibi*; sed quoniam pro me loquuntur gemitus mei, & me nocentem fateor; te cognosco, te amo, te cupio. *De Maruc. Panegyrico S. Augustini.*

Nihil fortasse in vita magis Heroicum fecisti, quam hanc criminum tuorum confessionem, & veteris ideo, ne male audias apud hominem, qui erubescendi occasionem habet tantam virtutem incipiens; qui Deum laudat, qui vim gratiæ illius admiratur, qui amabilem ipsius providentiam commendat lapsus electorum permittentem, ut illis tribuat occasionem sese ad virtutes minime communes attollendi, qui denique præ gaudio, & consolatione ingemiscit, donec tu præ verecundia erubescis! Verum hæc obliviscere: si Deum vereris; si illum amas; hanc repugnantiam tuam in utilitatem tibi converte. *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

Sinceritas quæ in peccatorum confessione requiritur.

Quamquam sinceritas nullibi magis commendetur, & simulatio numquam nocentior sit, quam in pœnitentiæ Sacramento, ubi scelerum numerus, & qualitas explicanda sunt: ibi nihilominus passim major est usus dissimulationis. Nonne verum est, plurimorum peccatorum curam, ubi pœnitentiæ, & confessioni sese præparant hanc esse, non ut sua mala cognoscant, ut lacrymis eluant, sed ut studeant, quibus potissimum verbis eadem explicent confessario ad nimis grave confusionis pondus evitandum? Ordo, & figurata verba peccatorum horrorem imminuentia, eam dispositionem constituunt, qua ad confessionem accedunt; & paratum esse confessioni, idem ferme est, ac methodum hanc invenisse. Occurrunt in confessione incidentia quædam quæ pœnitentem nequiorem efficiunt, quam scelera ipsa, quæ confitetur. Callidæ quæruntur ambages, quæ omnem turpitudinem corrupti cordis abscondant: confessarium flectere student, ne affectum ex nobis eradicare contendat: sexcenti assumuntur prætextus ad excusanda flagitia; crimen imminuitur, infirmatur, occulitur; denique ad celandas deplorabiles diuturni habitus, quem deserere in animo non est, illecebras, novus confessarius eligitur: huic peccata tamquam nova enarrantur, & nihil intentatum relinquitur, ne ille deprehendat consuetudinem, quæ jampridem viget, & quam tot confessiones nondum valuerunt infringere. Sub egregia specie omne passionis virus absconditur. *P. Massillon, Sermone hujus argumenti.*

De peccatorum dolore.

Reliquæ omnes dispositiones externæ tantummodo sunt præparationes ad confessionem, dolor earum anima est, earumque meritum constituit. Sacramenti virtus aliis defectibus supplere potest, ubi vera adiit omnium peccatorum detestatio: sed hujus doloris defectui nihil supplere potest; pro reliquis satis esse potest dolor: sed pro dolore nihil unquam satis esse potest. Attamen in pœnitentibus, qui ad confitendum accedunt, nihil invenitur rarius, quam dolor hic, sine quo remissio peccatorum obtineri non potest. *Idem.*

Quod spectat ad hujus doloris principium, licet ille perfectior sit, qui oboritur ex cogitatione Dei, qui adeo bonus, & misericors est, a nobis indigne lacessiti, quam perfectam dicimus contritionem; & quantum in nobis est debeamus adniti, ut hunc dolorem concipiamus: attamen cum pauci sint, qui non regantur potius metu, vel spe, quam purissimo hoc & integerrimo amore: Deus, qui nostræ infirmitatis rationem habere voluit, satis putat, si cum Sacramento dolor minus perfectus concurrat, dummodo supernaturali principio excitetur, & omnem prorsum excludat affectionem peccati, necnon constans adsit propositum ulterius minime peccandi. Equidem scio, docet enim Sapiens, initium sapientiæ esse timorem Domini, semperque operæ pretium esse oculis fidei teterrimas inferorum abyssus scrutari, ut grave illud spectaculum tamquam saluberrimum frænum hominem a peccato deterreat: scio equidem hanc esse doloris causam, quam recipit Ecclesia, quam Sancti viri semper sibi ob oculos proposuerunt, & qua Evangelii præcones utuntur, ut inanem peccatorum pacem perturbent. O Deus! si, licet has devorantes flammas intueantur, hunc inferorum horrorem, & hæc supplicia, quæ peccatoribus præparasti injuriam tibi inferre non cessat: quid unquam fieret, si ablato hoc fræno peccantium temeritati, eorum oculos clauderemus, ne adeo terribile spectaculum intuerentur? *Idem.*

Confessio integrum obtinet peccatorū omnium veniam.

Potissima bonæ, sanctæque Confessionis utilitas hæc est, quod nobis obtinet veniam peccatorum, quæ a nobis patrata fuerunt. Hac de re ambigendum non est, inquit S. Joann. Epist. 1. c. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, & justus, ut remittat nobis peccata nostra.* Hoc igitur auditores magnum vobis est consolationis argumentum: licet ea omnia a vobis commissa fuissent scelera, quæ omnes simul reprobi potuerunt committere, Deus vobis illa dimittet, dummodo illa sincere, & vera cum contritione confiteamini. Licet anima vestra picem ipsam nigredine superaret, fieret ipsa nive candidior, licet tenebricosissima nocte esset obscurior, fieret sole ipso nitidior; licet tamquam Dæmonem horribilis esset, fieret speciosa velut Angelus. O Deus! O prodigium! quinam posset exprimere admirabilem eam mutationem, quam in anima efficit bona confessio uno temporis momento vi verborum absolutionis? Ab imo infelicitatis ad summum felicitatis ascendit; de morte transit ad vitam, de Inferno in Cœlum: & hoc pacto qui servus erat Domini per peccatum, fit filius ejus per gratiam, &, ut verbo me expediam, peccator de abysso miseriæ, & maledictionis egressus in cumulum felicitatis, & benedictionis ingreditur. *Ex Auctore Anonymo.*

O summam Dei bonitatem, quæ in hoc Sacramento nosmetipsos scelerum nostrorum accusatores constituit? quænam esset nobis confusio, si alios homines instituisset Deus actores adversus nos, quod in terræ hujus judiciis accidit; etsi voluisset alios produci coram Sacerdotibus testes præter nos, ut in judiciis assolet, adversus nos testaturos. Sed JESUS CHRISTUS nostram salutem quærit, non confusionem: ideoque non alios nobis dedit accusatores, nisi propriam conscientiam, ut si veniam minime consequeremur, de nobismetipsis tantummodo conquerendum esset, non autem de judicum sævitia, & odio accusatorum. *Auctor Anonymus.*

S. Chrysostomus *hom. 5. in Epist. ad Corinth.* quærit, undenam accidat, quod in confessionis tribunali abditissima scelera nostra confiteamur; atque juxta confessionem hanc judicium nostrum instituatur? Non ita consueverunt mundi Judices; non enim judicant, neque judicium ferunt de iis, de quibus omnino sibi persuasum non est. Sed Sanctus hic Doctor ait, longe alias nobis esse regulas,

gulas, quam judicibus mundi; ipsi enim scelera inquirunt, ut in scelestos animadvertant; nobis satis est, illos Ecclesiæ subjicere, a quo criminum suorum pœnitentiam agere jubentur. *P. Bourdaloue Sermone de Confessione*.

Parcit Deus peccata sua confitentibus.

Regius Propheta *Psalm.* 50. prævertere cupiens divinam Justitiam in se irritatam, misericordiam illius deprecatur: *Miserere mei Deus secundum magnam Miricordiam tuam*. Ita exclamat ille, & petit insignem hanc gratiam, & misericordiam, qua mundetur, & abluatur, ita ut in ipso nullæ peccatorum fordes supersint. *Amplius lava me ab iniquitate mea*. Quorsum istud? quia se peccasse confitetur, & sceleris sui gravitatem agnoscit: *Quoniam iniquitatem mea ego cognosco*. Quodnam genus illationis hoc est: quia suum scelus agnoscit, vult a Deo sibi parci; hoccine justum est? Attamen sanctus ille Rex ita loquitur: verum est, Domine, scelerum meorum confessionem satisfactionem esse levissimam; sed quoniam hæc tibi satis est, non aliam offero tibi, neque alia mihi superest via, qua tecum redeam in gratiam: dimitte mihi peccata mea, *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco*. *Idem*.

Confessio gratiarum fons est: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Isaiæ 12. Quid autem Dæmon internecinus nostræ salutis inimicus? videt ille criminum confessionem purissimum esse fontem: in illum virus inspergit malo confessionis usu, quem suadet, vel illum exsiccat, prohibens ne confiteamur; & hac in re Holophernem imitatur, qui Bethuliam obsessurus omnes Israelitarum fontes intercidit, ut siti eos enecaret. Ita dæmon hujus Sacramenti fontem nobis abscindit, unde JESU CHRISTI Sanguis facit in animas nostras. Ciet in nobis confessionis nauseam, & nos ab eadem avertit: ait periculum adesse, ne eadem perperam utamur, & male utendi detrimentum ob oculos ponit: dicit nimis frequenter accedendum non esse dicit, in illa magnam testandam esse reverentiam; at non inquit, optimum esse usum illius, ubi sit cum reverentia conjunctus. *Idem*.

Auxilia, quæ ex confessarii monitis percipere possumus.

Præter gratiam, quæ Sacramento adhæret, quæ utique prodest, ne in peccatum relabamur; quam non obtinet potestatem confessarius in animas, quæ sese illi omnino credere decreverunt? Quid ille ab his non obtinet, ubi subjectæ ipsi fuerint: ad quid illas non cogit, dummodo saluti earum proficiat; quas consuetudines non infringit, quæ negotia non secat, qua cura evellere non contendit ex eorum corde violentos affectus? Quot iræ motus non extinguit; quomodo illas in gratiam redire jubet eum iis, cum quibus vel inimicitias, vel simultates fovere cognoscit? Nonne animas efficit ab omni cupiditate vacuas? Nonne eas fœnore, & quovis iniquitatis genere divellit? Nonne bona male parta jubet restitui? Hoc parit confessarii prudentia &c. *Idem*.

Addendum est, Confessionis usum validum esse frænum ad conscientiam coercendam, eamque in timore, & officio continendam, ita ut nemo alterius in peccatorum fordibus volutetur, cum cogitat pudorem, atque laborem quem confitendo passurus erit. Ita cogitatio præterpropter eosdem parit effectus, ac mors; ipsa enim memoriam excitat futurum, ut ad pœnitentiæ Tribunal appareat: æque, ac si coram Deo apparere deberet judicandus. Quid ultra dici potest? Confessionis usus animam a peccatis avertit, in infirmitate confirmat, ut fortissimarum tentationum vim impetumque sustineat: cum interim, qui jugum confessionis excutiunt, vel qui raro confitentur, in omne genus improbitatis labantur. *Idem*.

De necessitate semel saltem in anno confitendi.

Fidelium plerique confessionem respiciunt tamquam amarissimum poculum, quod medicus ægro exhibet, illud cum horrore inspicienti, & non sine difficultate ebibenti, Attamen hæc unica est medicina ad animam curandam, & conscientiam enormi, qua obruitur, sarcina exonerandam. Satis putant, si semel quotannis ad pœnitentiæ tribunal accedant solummodo, ut Ecclesiæ præceptis obtemperent mentem illius non assecuti. Si enim illa semel tantum in anno hoc pharmacum præcipit, non vult ideo favere peccatorum obdurationi, qui hac tolerantia abutentes unicum anni diem eligunt ad peccata sua detegenda, cæteros vero ad ea committenda reservant: sed e contra illa prohibere vult, ne diutiori dilatione magis indurentur. *Sermo Manuscriptus*.

Secretum tuum tutius procuddubio latet in corde confessarii tui, quam in tuo: tibi enim integrum est de eo loqui, illi vero non item: tibi quodcumque libuerit detegere fas est, sed nefas illi, qui confessionis sigillo hoc tantum teneat. Perdita mulier turpitudines suas enarrabit; jactabit funestum triumphorum suorum numerum, & ubi libido eam feret, abditissima etiam flagitia in vulgus proferet, ac confessarii lingua vincta est. Immo debet ille etiam oblivisci eorum, quæ illi dixisti, & numquam reminisci; sæpe neque oculos habet, ut te cognoscat, neque memoriam, ut peccata sibi detecta detineat ita, ut hæc illi aperire, idem sit ac nemini dicere. Hoc in sensu usurpari possunt illa Scripturæ verba: *Secretorum scrutatores quasi non sint*, Isaiæ 40, constituit Deus Judices super populorum conscientiam, qui sunt tamquam Dii, vel potius, qui sunt, quasi non essent. *Idem*.

De confessionis sigillo.

Jure quidem Regius Propheta, *Psalm.* 31. beatos eos nuncupat, quorum peccata sunt abscondita: *Beati, quorum tecta sunt peccata*. Talia vero sunt ea, quæ fuerunt in confessione detecta: *Numquam magis tecta, quam in confessione detecta*, quidam ait. Deus bis in idipsum non judicat. Igitur secretum suum abscondit, qui illum revelat, qui tunc anima pœnitens vere dicere potest: *Secretum meum mihi*: certa sum, ubi illud aperui in confessione: antea verebar, ne manifestaretur: modo vero hujusmodi periculum abiit. Christiane infelix, qui scelus tuum conatis abscondere, illud sacrilegiis tuis cooperire contendis; scias illud a tua conscientia fuisse visum, illud ab eadem cognosci; hanc illius testem esse, ac tandem aliquando locuturam, atque secretum tuum in faciem universæ terræ aperituram. Sed mali hujus evitandi ratio una est illud aperire, quin funestum hoc extremum præstoleris. Detegere peccatum suum in pœnitentiæ Sacramento, idem est ac illud de manu Justitiæ Divinæ divellere, a quo procuIdubio fuisset manifestatum. Peccata, quæ revelamus, in æternum erunt abscondita, e contra vero quæ abscondimus, certissime revelabuntur: *Nihil opertum, quod non reveletur*, Luc. 12. Non audes detegere peccata tua, abscondis illa Sacerdoti, qui silentium non temerandum servare tenetur, neque times futurum, ut aliquando aperiantur ob oculos Angelorum, in faciem universæ terræ; neque vereris futurum, ut tunc temporis ea cooperiatis confusione, quam hodie levissimam evitare contendis? *Idem*.

Exigit satisfactio, quæ Deo fit pro peccatis.

Non possumus nobismetipsis austeritates imponere: e contra vero modicæ abstinentiæ, & pauca jejunia, quæ nobis præcipit Ecclesia, adeo gravia sunt, ut semper nostra audiatur querela. Confessarii nos ita imbecillos inveniunt, ut leviusculis pœnitentiis opprimere vereantur. Tu vero Domine, ut huic defectui suppleas, sæpe pœnas justitiæ tuæ pares immittis. Immittit ille ægritudines, bonorum jacturas, publicas, domesticasque afflictiones &c. *Author Anonymus*.

Pœnæ, atque internæ mortificationes, quas patimur, dolores, fastidia, domesticæ cruces, negotiorum adversitates, spiritus ambiguitates, & ariditates esse possunt peccatorum nostrorum satisfactio: quid enim interest, utrum spiritus, an caro, cor, an corpus patiatur, dummodo hujusmodi mortificationes pœnitentiæ locum apud nos habeant? Affectus aliquis domitus, affectus, cui omnia auferuntur objecta, in quæ fertur, affectus coercitus, atque frænatus acceptissimum est Deo sacrificium, & conflato prorsus consensu Patres fatentur, Sacrificium hoc Deo magis placere, quam omnes mortificationes extrinsecas, *Joli prima Propositione de Jubilæo*.

Pecca-

Confessio generose excutienda est, ut recta confessio fiat.

Peccata omnia confitenda sunt, & qui obliviscitur mortalium, quod minime insumpserit tempus necessarium ad conscientiam rite excutiendam, nullam efficit confessionem. Post vitam in otio, atque impudicitia transactam, post plures menses in sceleribus anteactos, post impiorum societatem, post consuetudines criminosas, post diuturnam salutis suæ negligentiam, post sexcenta peccata cogitatione, verbo & opere perpetrata: post hæc omnia, inquam, conscientiæ suæ examini ante confessionem breve temporis intervallum relinquere, præcipiti festinatione sacrum tribunal adire, quin ferme scias, qua de re teipsum accuses, rerum inutilium farraginem evolvere, & ea præterire, quæ diligentius omnino sunt detegenda: hoccine est bonam confessionem perficere? Brevi hoc temporis spatio anteactam vitam omnem cogitatione repetere potes: omnia iniquitatis consilia, obmurmurationes, scandala, injustitias, ultiones, quas vel meditatus tantum es, vel etiam executus: injurias proximo illatas vel in bonis, vel in existimatione; negligentiam, qua munere tuo functus es? Tales nihilominus sunt plurimorum confessiones, qui post multos menses, & nonnumquam etiam post annos integros nesciunt quid dicant confessario, licet scelerum suorum numerus numerum capillorum excedat. *Dictionarium Morale de Indulgentiis.*

Confessio, ut rite fiat, has habere debet qualitates. Brevis esse debet sine verborum, inutiliumque rerum ambagibus, ubi sæpius alieni, quam proprii ostenduntur defectus, qua in re malum facis bonum facere existimans. Aperte, distincteque explicanda sunt species, numerus, circumstantiæ peccatorum ea insigniter aggravantium; rationes, propter quas peccatum fuit, & ipse etiam habitus peccati. Si enim confessio est manifestatio secreti morbi, vel absconditi vulneris, quomodonam confessarius, qui idem & medicus est, & Judex, huic morbo, & vulneri mederi poterit, nisi mali causam cognoverit? Simplex igitur debet sine exageratione & sine excusationibus, modesta esse debet, iisque concepta vocabulis, quæ pudorem non lædant, tunc etiam cum tenemur ea aperire scelera, quæ hanc virtutem læserunt. Humilis esse debet, conjuncta spiritu contritionis, qui in anima peccatoris confusionem pariat, sanctamque tristitiam, ubi hinc peccata sua, inde læsi Dei bonitatem adspexerit. *Auctor Anonymus.*

De examine, quod confessionem præcedere debet.

Pœnitens in pœnitentiæ Tribunali non rei solum, verum etiam testis, atque accusatoris personam in seipsum agit. Necesse igitur est, ut ea habeatur factorum cognitio, quæ in hoc judicio requiritur: peccator diligenti examine excutiat conscientiam suam, suas cogitationes, verba, & actiones inquirat, ut peccatorum suorum numerum agnoscat, eorumdemque circumstantias, & qualitates distinguat, easdem intra se primum detestaturus, mox vero in confessione declaraturus. Ad hoc autem humiliter imploret, opus est, cœleste auxilium, & lumen; divinam adoret majestatem, coram Judice suo fateatur se miserum esse peccatorem, qui licet iniquitatibus diffluat, eas tamen citra divinæ gratiæ subsidium nequit cognoscere. Deum obtestetur, oportet, ut opus hoc diligat, atque perficiat, mentem illustret ad peccatorum numerum, gravitatemque cognoscendam, & cordi veram immittat patratorum scelerum pœnitentiam. *P. Gegou; Libro cui titulus usus Sacramenti Pœnitentiæ.*

JESUS CHRISTUS obligationem instituens peccata confidendi confessario videtur procurare voluisse pœnitendi dulcedinem quamdam, atque solatium. Bona fide rem, uti est, fateamur; cum sincera est pœnitentia, dolorque verus, nonne verum est in peccati confessione nullum sentiri dolorem? Vos omnes testor, quos Dominus aliquando veræ contritionis cuspide tetigit. Tunc profecto pœnitens obrutus afflictione sedulo quærit, cui illam communicet: secretum suum ultra retinere non potest, se infirmatum cognovit sub ea sarcina, quæ gravis effecta est, eo quod neminem habet, a quo sublevetur: nihil aliud quæritur, quam consolator, in cujus sinum proprius dolor effundatur. Eos profecto nactus sum, quibus non aliud solatium erat, quam confessario eos communicare sensus, quos divina favente gratia conceperant. Quonam gaudio ad pedes meos provolvebantur sese in lacrymas effusuri! Quam suave ipsis erat hanc vocem consolationis refertissimam audire peccata vestra vobis dimissa sunt; ite, incipite ea pace frui, quam peccatum vobis abstulerat! Libere fateamur; cum nimiæ severitatis, vel injustitiæ insimulamus necessitatem confitendi peccata; tunc etiam, cum hoc facere repugnamus: plerumque peccati dolor superficialis est, & levis detestatio. *Sermo Manuscriptus Patris Catrou.*

Dissimulatio, aliique defectus confessionem sacrilegam efficientes.

Si in ipso etiam sanctissimo pœnitentiæ tribunali meipsum decipio, si mecum utor dissimulatione, si clam cum affectionibus meis conjurationem ineo, si contra Deum mea abutor fragilitate, si peccata mea, prout mihi placuerit, vel imminuo, vel contego, illis quidem rectæ intentionis speciem super inducens, his vero infelicissimæ necessitatis prætextum appingens; si semper mihi æquissimum judicium fero, si in omni dubitatione, quæ ex injustitiis a me patratis suboritur, & quæ secum onerosas trahit obligationes, in omnibus argumentationibus meis mihi faveo, ita ut quamcumque injuriam, ac detrimentum a me proximus acceperit, secundum principia mea numquam illarum damnum reparare tenear: denique, si ne sedulo meam conscientiam excutiam, & diligenter inquiram, (quod quidem tumultum molestum, sed necessarium afferret) satis esse puto præcipiti festinatione anteactum vitæ tempus percurrere, atque absit verbo invidia, conscientiæ meæ difficultatibus stuporem potius, quam lucem afferre; sic hoc pacto ad confessionem accedo, næ hæc quidem pœnitentia chymerica est, atque a Deo reprobata. Quorsum? quia non est Dei judicio conformis: Deo, & mihi duo sunt pondera, diversæque mensuræ; & hoc Scriptura iniquitatem, & abominationem appellat. *P. Bourdalove in veris Sermonibus suis. Tomo 1. de Pœnitentiæ severitate.*

Pœnitentiæ tribunal, ubi Sacramenti hujus Ministri præsident, quodam in sensu tribunal est misericordiæ, sed misericordiæ Dei, non illorum, nec nostræ; illorum vero multo minus, quam nostræ. Si enim ob zeli defectum, eorum sese immiscuerit misericordia, vel si per spiritus cæcitatem, nostram intrudere fuerimus conati (væ mihi, iterum dico, nisi hac de re vos non admoneam) ex hoc tribunali Divinæ Misericordiæ ad tribunal Justitiæ, sed justitiæ sine misericordia, sumus rapiendi. Hoc illud fundamentum est, cui debetis inniti, fundamentum super quo primi fideles disciplinæ, ab ipsis servatæ, severitatem constituebant: *Apud nos*, ajebant illi Tertulliano teste, *districte judicatur, tamquam apud certos de Divino Judicio. Idem.*

In Pœnitentiæ tribunali, quamvis sanctissimum sit, quotnam committuntur abusus? Quonam felicitate nonnumquam indignissimi, ac pertinacissimi peccatores absolvuntur? Quænam fit personarum distinctio? quanam indulgentia confessarii abutuntur, ut eorum ingenio se accommodent? Olim ibi agebatur cum summa disciplinæ severitate, quæ sumptibus peccatoris honorem Deo deferebat; hodie vero diceres, omnem confessariorum artem in hoc esse positam, ut peccatoribus gratificentur sumptibus Dei. Prout crevit iniquitas, mitior facta est pœnitentia. Si respexerimus prima illa sæcula, quibus illa maxime vigebat, intelligemus nunc infelici præscriptione non aliud esse, quam inanis umbra ejus, quod fuit. Vix supersunt vestigia venerabilium canonum, qui pro peccatis hodierna die vulgatissimis annos integros severissimarum satisfactionum præcipiebant. Attamen Deus mutatus non est, & jura illius æterna, atque immutabilia semper vigebunt. Verum non aliis nisi nobismetipsis hanc pœnitentiæ relaxationem imputemus. Nos ipsi, auditores, non sine dolore fatemur, nos ipsi per

cordis nostri duritiam vim quodammodo facimus JESU CHRISTI Ministris, ut pro nobis in sancto tribunal ea utantur indulgentia, de qua nos ipsi potius, quam illi rationem sumus reddituri, & cujus exitus tandem noster erit interitus. Nos artibus nostris viam invenimus, eorum zelum enervandi, ipsorumque etiam corrumpendi fidelitatem. *Idem in secundo Sermone de Judicio.*

Confessio sine peccatorum dolore sacrilega.

Peccator, qui ad pœnitentiæ tribunal accedit cum inani dolore, hic proculdubio non habet æquam sui sceleris ideam. Sacrilegium, quod ille jamjam admissurus est, satis horroris incuteret, ad illum deterrendum, si qua in ipso pietatis scintilla, & conscientiæ sensus superesset; sed obiter tantum, & confuse suam impietatem considerat. Ratio quædam officit; metus, ne sibi universalem Religionis contemptum debeat exprobrare; terror judiciorum Dei, quem nondum valuit suffocare, aliæque id genus rationes non permittunt, ut prorsus ab Aris abstineat. Offert sese Sacerdoti frigidam peccatorum suorum narrationem recitaturus, eique surrepturus absolutionem, quam prænoscit, nihil de moribus suis esse immutaturam. Neque minus est nocens, eo quod non satis diligenter cordis sui latebras scrutatus fuerit; ejus vero incuria in re tanti momenti illud adhuc efficit nocentiorem. Poteftne, aliquis, quin enorme facinus animo sibi proponat; sese periculo objicere per summum nefas abutendi Sanguine JESU CHRISTI? Sacramenti sanctitas, quam polluit; Dei misericordia, quam in ludibrium vertit: pharmacum morborum suorum, cui virus inspergit: spes salutis, quam sibi præcludit, illum minime afficiunt, non secus ac sacrilegii horror illum non movet. Ad confessarium accedit, seipsum accusat, recipit absolutionem, ac abit & de se, & de confessario contentus: verum in tanto scelere nihil non scelestissimum est. *Liber cui titulus; Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale tomo 3.*

Sæpe eos quærimus confessarios, qui per indignam imbecillitatem dissimulant veritatem, & ad eorum pedes provoluti gravissimum iniquitatum nostrarum pondus abjicimus, illis dubitationes nostras proponimus, sperantes eos nobis fore indulgentiores, quam qui ab illis veluti nimium severi redarguuntur. Quæruntur ergo undique, qui ad æquitatem, & lenitatem proniores dicuntur: nemo enim dicere auderet imbecilliores, ignavioresque; sciscitamur, utrum mundum norint: utrum nobilitatis, munerum, ætatis, sexus discrimen intelligant; utrum pauperem a divite, senem a juvene, publicum hominem a privato distinguant; utrum sciant, jejunium, orationem, recessum, mortificationem, sui ipsius abnegationem undique contemptum cœnobitis tantummodo, & Eremitis præscribi. Contremiscimus ad eorum tribunal accedentes, licet tuti simus. Eos quærimus, qui mitiores existimantur, de peccatis vero, quæ ad eorum pedes proferimus, plus minusve dicimus, prout nobis confessarium indulgere cognoscimus; & criminosa ministri imbecillitas, omnem scelerum nostrorum enormitatem celantis, non sinit, ut parem sceleribus nostris pœnitentiam agamus. Hoc illud est, quod populus quærit. *P. de la Rue Serm. pro Passionis Dominica.*

Deo satis est attritio cum Sacramento.

Cum patrati facinoris dolor essentialem Sacramenti Pœnitentiæ partem constituat: quamvis contritio perfectior sit dolor, Deo tamen attritio satis est, dummodo vera sit, ac nos vere pœniteat læsisse Deum, & non ultra nos peccaturos esse polliceamur. Numquid Christiano difficile est similem peccati sui ob causam hanc dolorem concipere? Ad hæc non requiritur, ut dolor sensibilis sit: sufficit enim eum in anima permanere. Numquid igitur difficile est Christiano in Ecclesia viventi, ubi tot habet causas, quæ hunc dolorem parere possunt, tot rationes, quæ illum persuadent; ubi si jacturæ eum movent, tot objecta intuetur sibi peccatum suum exprobrantia, si timori est obnoxius, fides illi infernum aperit, quem meritus est, & Paradisum, quem amittere potuit? Verum numquid necessarium non est diuturnas agere pœnitentias, antequam absolutio recipiatur? Hujusmodi dispositiones necessariæ non sunt, atque satis est veram habere criminum suorum pœnitentiam cum Confessionis Sacramento conjunctam, ut peccatorum venia obtineatur, & ut cum Deo redeatur in gratiam; verumtamen necesse est, austeritatibus, jejuniis, mortificationibus affictari, ut satisfiat juri, quod sibi divina justitia reservavit in hac vita temporalibus pœnis ea puniendi scelera, quorum culpa deleta est, ad peccatorum reliquias auferendas. Væ nobis si culpabili negligentia hæc omittimus media, quæ Deo quidem gloriosa sunt, nobis vero salutaria. Hoc Antonios, & Hilariones in deserta coegit; hoc Hieronymis silices suppeditavit, quibus pectus suum tunderent; sed hoc illud est, cui saltem ex parte satisfit per injunctas confessario pœnitentias, & voluntarias pœnas, quasi sibimetipsi pœnitens imponit; hoc illud, cui supplent indulgentiæ, quæ ex Ecclesiæ thesauris, & copiosissimis Domini satisfactionibus hauriunt, unde Justitiæ Dei satisfaciant pro temporalibus pœnis, quas peccatis meriti fuimus, quorum nondum integram egimus pœnitentiam. *Biroat in Sermonibus sejunctis in aliquot anni Dominicas.*

Si primus conversionis gradus, & unica ratio ad Deum redeundi, est cordis immutatio, seu per veram contritionem absque Sacramento, seu per attritionem cum Sacramento; certum est, oportere, ut os partem habeat in hac hominis regeneratione: ita S. Chrysostomus post Apostolum ait, quemadmodum opus est corde credere, & amare, ut justificemur, ita opus esse, os aperire ad illius flagitia confitenda, & patefacienda: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Verus pœnitens imitari debet Filium prodigum, qui agnoscens scelus suum, ac videns se paratum esse ad illud confitendum, ejusque veniam poscendam, clamabat: *Ibo ad Patrem meum!* Revertar ad illum, & ingenue, ac sincere dicam illi quidquid contra ipsum feci, omnes illi exponam ingratitudinis, atque infidelitatis meæ circumstantias, eique cum cordis dolore dicam: *Pater, peccavi in Cœlum, & coram te.* Nulla utar arte ad tegenda, dissimulanda, vel excusanda peccata mea; ea fatebor ingenue: *Pater, peccavi in Cœlum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus. Ex Manuscripto Sermone.*

Confessio pluribus inutilis, eo quod male confiteantur.

Undenam proficiscitur in tot peccatoribus Divini hujus pharmaci inutilitas? quare toties sine fructu ad hoc Sacramentum, olim adeo efficax, accedunt? Numquid ob temporum differentiam aliquid de illius virtute imminutum est? An Primitiæ Sanguinis JESU CHRISTI erant potentiores, quam modo sint? Divini Misericordiæ thesauri minus hodie patent, quam in ipsis Fidei incunabulis? An vero de Divina Misericordia illud ipsum, quod de rebus humanis dicendum est, quæ initio quidem perfectiores sunt, & annorum lapsu sensim atteruntur? Undenam ergo profectum est, quod numquam antea tot visi sunt peccatores ad sacra Tribunalia confluere, & numquam pauciores veri pœnitentes fuere? Undenam eo tempore, quo corruptio sacramentum hoc adeo necessarium efficit, quo Ministrorum conniventia, & indulgentia Ecclesiæ illud adeo facile præbuerunt, parum abest, quominus prorsus inutiliter ad illud pœnitentes accedant? Ratio in promptu est, quia sine necessariis dispositionibus accedunt, quia non uti opus est, confitentur, quia quod proposuerunt, non explent, neque ea exequuntur, quæ didicerunt. *Desumptum ex Manuscripto Sermone.*

De defectu præparationis in confessione.

Sufficientis examinis defectus est defectus præparationis. Quomodonam putas adeo exiguum temporis spatium satis esse posse ad recte excutiendam conscientiam, quam numquam bene explorasti, cujus cognoscendæ curam numquam suscepisti? Numquid adeo levi negotio deprehendi possunt cordis desi-

desideria, quoniam principium corruptum est? Quomodo cognoscere potest, tot dolos, tot conatus, tot nefaria consilia, quibus occasio potius defuit, quam desiderium? Quomodo percipere vis omnes malas cogitationes, quæ momento aufugiunt, injusta desideria, quæ eodem ferme tempore evanescunt? Ita in pœnitentiæ tribunali videmus cæcos, qui seipsos non norunt, ignaros, qui nesciunt, quid dicant; audimus prolixas narrationes, & incompositam sexcentarum rerum saturam, quæ sæpe ad peccatum, quod aperiendum est, minime referuntur. *Idem.*

Dispositiones ad hoc Sacramentum afferendæ.

Quænam sunt dispositiones illæ, quibus ad pœnitentiæ Sacramentum accedis? Venisne ad hoc tribunal ut ibi tuos affectus relinquas, ut eam abjicias alacritatem, qua ad voluptates festinas? Accedisne eo dolore, qui conterat cor, efficiatque ut oderis, quod tantopere amasti & super omnia diligas, quod hactenus per summum nefas odisti? Ut verbo me expediam, inde ne discedis in oculis Dei justificatus, & absolutus, vel semper confessus, numquam vero emendatus? Hinc fit, quod ille ipse dies, qui Angelos lætitia ob tuam conversionem affecerat, eosdem mœrore ob tuam rebellionem conficiat. *Idem.*

Peccati odium, & horror.

Quotusquisque inter hodiernos pœnitentes occurrit, qui scelera tua, eorumque causas vere detestetur, & oderit? Nonne post confessionem, fucatamque pœnitentiam eadem retinent studia, eumdem libidinis amorem, iisdemque versantur in occasionibus, quæ scelerum suorum causa fuere? Nonne rebus in iisdem suas cogitationes nihilo remissius impendunt? Ex illis non exigitur quidem sensibilis dolor, qui in nostra potestate non est; sed ille tantum dolor, quem concipiat voluntas, qui sane pendet a nobis. Nonne post exteriores pœnitentiæ suæ cæremonias illico redeunt ad illud vitæ genus, quod detestati fuisse videbantur? Quodnam contritionis genus hoc est? hoccine est, sancto inflammari odio adversus peccatum? hoccine, sincero dolore affectum esse, qui alios quoscumque dolores, cujus homo capax est, prorsus excedat? hoccine, odisse, atque detestari peccatum magis quam pœnas omnes, quæ in hac vita nobis possunt accidere? hoccine propositum est omnia ferendi, & quamcumque jacturam subeundi potiusquam ad vomitum revertendi? Si hujus vitæ homines detrimentum aliquod passi sunt, si aliqua sibi inflicta fuerit contumelia, nonne statim exardescunt, & in iras erumpunt, ultionem anhelantes, numquam leniendi erga nos, quos doloris sui causam fuisse arbitrantur? Per peccatum jacturam fecere amicitiæ Dei, jus ad illius hæreditatem amisere, & siccis oculis ne unam quidem effundunt lacrymulam: æque pacati, atque tranquilli, ac si nihil molestum sibi contigisset? hanc ego pœnitentiam veram, hanc sinceram putem? *P. Gegou, libro cui titulus, Usus Sacramenti Pœnitentiæ.*

Duo extrema in examine conscientiæ evitanda.

Quamquam incuria, & negligentia vulgatissimus sit, & perniciosissimus defectus, qui in discussione conscientiæ, & peccatorum, quæ confiteri oportet, examine occurrat; sæpe tamen hac etiam in re in prorsus oppositam partem peccatur. Quotidie videntur animæ adeo scrupulis agitatæ, ut examini suo nequeant acquiescere; ratæ aliquid semper sibi effugisse; & hoc metu exanimatæ non cessant seipsas vexare, & ut ita dicam, suam torquere memoriam. Hæc magna profecto illusio est, & periculosus Dæmonis laqueus. Quid enim inde? alteri cuipiam rei vacare non possunt, illud prætereunt, quod in confessione maxime necessarium est, considerationem videlicet gravitatis peccatorum suorum, eorumdem dolorem, & pœnitentiam, & studium sese corrigendi. Neque meditationi vacant, neque sacrorum librorum lectioni, nec alii cuipiam exercitationi: totæ in hoc sunt, ut sæpius memoria repetant crimina, quorum perniciosissimum est hæc turba, quæ illas peccatorum suorum dolorem fovere non finit. *Idem.*

Si peccatorum remissionem, quæ per pœnitentiam obtinetur, nulla comitaretur pœna; nulla subsequeretur satisfactio; si absolutiones omnes totidem essent plenariæ Indulgentiæ; confessionis sacramentum nullatenus peccatorem ab iis peccatis divelleret, quæ detestatus fuisse videtur. Quorsum istud? quia nihil aptius est ad hunc gignendum effectum, quam timor supplicii peccatum subsequentis. Ita a pœnitentia pœnam sejunge; affectibus omnibus laxas habenas, atque destruis pœnitentiam, quæ ut vera sit, antidotum esse debet, ne iterum in scelus ruatur. Hæc ex S. Chrysostomi sententia potissima ratio est, propter quam Deus aliquas semper peccati pœnas deposcit, tunc etiam, postquam nocentibus culpam remisit. *Idem.*

Concilia, atque Doctores unanimi consensu tradunt opera satisfactoria severissima esse debere, & peccatis paria; alioquin insigni peccatori sperandum non esse futurum, ut ad perfectam conversionem umquam perveniat; eos vero pœnitentiam destruere, qui respuunt pœnas, & austeritates peccatorum suorum numero, & magnitudini pares. Nihil prodest, S. Gregorius Magnus inquit, peccata sua confiteri, nisi confessio legitima peccati punitione excipiatur; neque peccatorem vere conversum existimandum esse, qui verbo sua crimina confitens non cogitat afflictionibus, & austeritatibus scelerum suorum dignis omnes peccati reliquias delere, & abradere: *Cum digna afflictionis austeritate*, Sanctus ille Pontifex inquit. Dei Filius olim arbori maledixit, quæ virentibus quidem frondibus erat ornata, sed nullos dederat fructus. Similiter non recipit Deus speciosos illos pœnitentiæ apparatus, qui non aliud sunt, quam salutaris hujus plantæ frondes: fructus requirit, videlicet mortificationes, austeritates, molestas pœnitentiæ exercitationes, & eas, quæ hac virtute sint dignæ, nempe pœnitentiæ sceleribus pares: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Non enim unum & idem putandum est, Sanctus hic Doctor concludit, & inquinatissima omnium scelerum genere nefarii hominis vita, & lapsus illius, cujus crimina non adeo gravia fuere; neque idem dicendum de eo, qui levia tantum, & eo qui enormia scelera perpetravit. Quivis amplecti debet pœnitentiam suis sceleribus dignam, & qui graviora commisit, austerioris, rigidiorisque vitæ severiores exercitationes suscipiat: *Facite fructus dignos pœnitentiæ. Idem.*

De confessariis leves pœnitentias imponentibus, & de pœnitentibus leviores pœnitentias sæpe recusantibus.

Væ illis, Propheta exclamat, qui consuunt pulvillos sub cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite ad capiendas animas. Et sane nonne hoc fincere est, ut intereant per dissimulationem, atque indulgentiam animæ a Deo nobis commissæ, & de quarum salute rationem sumus reddituri? Hoc non est earum incolumitati studere, sed eas perdere, ut loquitur Clerus Romanus ad S. Cyprianum scribens. Sed si ignavi hi Confessarii nocentes sunt, nocentiores profecto sunt delicati pœnitentes, qui adeo leves, atque sceleribus suis adeo impares impositas sibi pœnitentias explere negligunt; qui injuncta sibi jejunia, eleemosynas, exiguasque preces minime adimplent, qui cum confessario disputant, & recipere renuunt minimas quasvis mortificationes, quasi eamdem vitam agentes, iisdemque fruentes voluptatibus, quæ per se criminosæ non sunt; quasi honestiora hujus mundi solatia inquirentes, veteribus animæ suæ morbis mederi possent, hoc etiam posito, quod ibi recentibus plagis minime sauciarentur. Igitur, o Fideles in tanti momenti negotio ne nosmetipsos fallimus. Tot scelerum rei sumus; vita nostra adeo flagitiosa est! pœnitentia igitur est agenda, vel in æternum pereundum. Quid quotidie non conamur, ut aliquem febris accessum evitemus? Jejunamus, incisionem venarum perferimus; hominum consuetudine, & mundi solatiis caremus; at ad iræ divinæ evertendos effectus, ad misericordiam omnipotentis flectendam, leves quasdam mortificationes renuimus, & salutari pœnitentiæ nosmet subjicere detrectamus. *Idem.*

Quid porro cogitas de his anniversariis confessionibus, quas Paschatis tempore magis propter humanas rationes, quam ut Religioni pareas, soles efficere?

ficere? De his confessionibus, quas adeo præcipiti festinatione, adeo incurioso examine, levique dolore facis? De his confessionibus, quas habes apud rudes, faciles, infirmosque confessarios, qui coram te contremiscunt pro Tribunali, ubi judices tui esse deberent; & qui in multis, in quibus tibi adversari deberent, permittunt, quidquid tibi placuerit? De his confessionibus, post quas nulla unquam in moribus tuis visa est immutatio; post quas nullam earum quas facere tenebaris, reparationem fecisti? *P. le Valois. Epistola nona de Recessu.*

Non desunt homines adeo cæci, qui gravissima scelera sua minime norunt, eaque non confitentur. Non desunt mulieres adversus viros suos, atque familiam ferocissimæ, in filiorum educatione negligentes, audaces cum de proximis occurrit sermo, inhumanæ cum de sublevandis pauperum egestatibus agitur, quæ numquam fere in confessionibus suis se ipsas accusant nisi de distractione mentis in orationibus, deque inutilibus verbis. De his melius mereri non possumus, nisi opem ferendo, ut tandem suam abjiciant cæcitatem, suum munus agnoscant, & ad id crebro animum advertant. *De Sancta Martha, Tomo, Tractatuum Asceticorum.*

Spes, quã concipere debemus ad pœnitentiæ Sacramentũ accedentes.

O Domine, Thronum gratiæ in Ecclesia tua statuisti, & affirmas illum pro peccatoribus a te positum esse; eo lumine, quod in mentem meam dignaris infundere, ac sancto confidentiæ motu, quem excitas in corde meo, hoc mihi aperis; per os Sacerdotum, ac Ministrorum tuorum, nec non per secretas inspirationes tuas ad illum me accersis; efficis, ut concipiam voluntatem ad eum accedendi, mihi promittens futurum ut dulcedinem, & tuam bonitatem experiar. Post hæc cur minime sperem, ee opus gratiæ tuæ absolutum, & postquam me a morte eripueris, recentem vitam mihi collaturum, ut in æternum celebrem misericordias tuas, ut loquitur Propheta? Ita non verebor teipsum alloqui ejusdem Prophetæ pœnitentis vocibus, *Psalm.* 150. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam & secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Averte faciem tuam a peccatis meis; & omnes iniquitates meas dele. Ne projicias me a facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas a me. *Liber, cui titulus: Colloquia Joannis Abbatis, & Eusebii Presbyteri.*

Animarum directio sanctissimum est, præstantissimumque officium. Verum caretne periculo? Zelus semperne purus est? semperne charitatis agitur motus? Quamquam difficile, & periculosæ plenum aleæ sit sacrum hoc ministerium, tamen si ad illud vos Dominus evocavit, gratia illius vobis opem feret, ut cum dignitate, ac fructu tanto munere perfungamini, at si ex eorum non estis numero, quos elegit Deus pro salute Israel: *Ipsi autem non erant de semine virorum illorum per quos facta est salus in Israel*, 1. Machab. 5. cur sine vocatione, & missione adeo formidabile ministerium vobis vindicatis? Animæ morbi scitum, prudentemque Medicum postulant; in quo adsit ingenium, studium, & pietas. Nimia severitas æque metuenda est, ac indulgentia criminosa: illa exasperat sæpe vulnera: hæc illa auget & nutrit. Sacrum Tribunal ascendere non alia ope suffultum, quam propriæ mentis cognitione, non alio lumine, quam naturæ, neque mali pertractandi naturam, neque judicarum causarum varietatem cognoscere, nonne hoc objicere est periculo salutem eorum, qui tractantur, vel judicantur? nonne hoc est propriam salutem in discrimen adducere? Nullum est in Ecclesia ministerium, quod majorem virtutem, vigilantiam, attentionem exposcat. *P. Croiset 2. tomo Consideraт.*

Quid requiritur ut bona fiat generalis confessio.

Si sincere converti cupimus, hæc necessario præstare debemus. Sancta correpti impatientia per Pœnitentiæ Sacramentum nostra eluendi, delendique facinora, nihil prætermittere debemus eorum, quæ in nostra sunt potestate, ut patratorum scelerum perfectam cognitionem assequamur: primos etiam tenerioris pueritiæ repetere debemus annos, ac rationem nobismetipsis reddere de minimis cordis nostri evagationibus, & non modicum tempus impendere in conscientiæ nostræ latebris excutiendis. Deteximus ne diligentissimo examine ea scelera, quæ nobis erunt abscondita, dissimulata, probataque tempore tenebrarum nostrarum? Quærendus est unctus Domini, & ad genua illius provoluti omnes infirmitates nostras illi aperire debemus. Quot pœnæ, quod tumultus, quot inquietudines, quot metus antequam huc usque procedamus? Quo magis effoditur, eo magis terret abyssus; ubi nos demersos videmus: quo magis dissipantur nubes, quas cæcus affectus animæ nostræ offuderat, eo magis intelligitur, quam prope interitum eramus; quo magis abditi conscientiæ sinus deteguntur, eo magis detectarum infidelitatum pondus agnoscitur. At prolixa, diligentique enarratione singula crimina ea in lucem, quæ requirebatur, attulimus, illa confessi sumus; eorum veniam, & remissionem assecuti? ne credamus nos ideo exoneratos gravi sarcina, qua opprimebamur: non enim ita nobis agendum est, quasi numquam peccato fuissemus obnoxii; quippe cogitare debemus, Deum aliquid ultra a nobis expetere, videlicet ut severa pœnitentia justitiæ suæ satisfaciamus. *Desumptum ex MS. Sermone P. Stephani Chamillard.*

CONFIDENTIA IN DEUM.

MONITUM.



Confidentia in Deum peculiari Sermoni argumentum potest suppeditare, licet sæpe cum aliis commisceatur argumentis, quæ nos ad hanc virtutem adducunt, & quibus hic propositus finis est, ut eam in cordibus nostris accendant. Id genus sunt Misericordia Dei, ubi agitur de scelerum nostrorum venia impetranda, & gratiis ad salutem nostram necessariis consequendis; & Dei Providentia in temporalibus necessitatibus, ac vitæ nostræ indigentiis. De utraque sigillatim suo loco agendum est: hic vero agimus de confidentia generatim, quatenus peculiariter spectat ad vitæ hujus necessitates, qua in re homines plerumque deficiunt.

In scripturis sæpe de hac in Deum confidendia eo in sensu, in quo illam accipimus, accidit sermo præsertim vero Davidici Psalmi pulcherrimis hujus argumenti sententiis ita referti sunt, ut copia nequeat deesse concioni, quæ pathetica sit, & solatium simul afferat, & documentum.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Systemata.

I. Res propositiones sermonis partitionem efficient. Prima est, nihil æquius, & justius esse, quam omnem in Deo spem collocare; Altera, nihil Deo gloriosius, nihil illi antiquius, nihilque ab eo majori cum sollicitudine quæri, quam hanc confidentiam; Tertia, nihil generoso corde dignius, quam omnino sese illi committere.

Pro prima propositione, facillimum est ostendere nihil æquius, & justius esse, quam in Deo fiduciam omnem statuere. Vivere enim minime possumus, quin in aliquo confidamus; cuinam sese fidere debet filius, nisi Patri, ei vero Patri, a quo unice amatur, qui titulum hunc tali ambitione sibi vindicat, ut alteri communicari non ferat: & qui in supremo gradu omnes optimi parentis qualitates obtinet, amorem, patriam veram, summamque benevolentiam; patri denique maximam habenti earum rerum sollicitudinem, quæ nos ipsos respiciunt? 2. Cuinam potiori jure sese credat amicus, nisi amico, cujus fidem sexcentis in occasionibus expertus est, qui semper fidem præstitit, qui de ipso semper meritus est per quam bene? Obæratus, cuinam æquius sese committat, quam vadi suo, qui pro ipso omnia bona sua sponsioni subjecit? Cui denique melius fidere creatura potest, quam Creatori, qui eidem esse dedit, qui illam tutatus est, & pro ea nihil intentatum reliquit? Deus hos omnes, aliosque quamplurimos complectitur titulos, qui nobis ansam tribuunt, ut fidenter in omnibus necessitatibus nostris ad eum confugiamus.

Pro altera. Nihil Deo glorinsius; ita enim supremum illius dominium, nostramque ab eo dependentiam profitemur. Ideo S. Basilius de confidentia hac tamquam de sacrificio loquitur, & probat in alio, præter Deum, confidentiam constitui non posse, quin huic supremus etiam deferatur cultus, in se continens sacrificium; cui sententiæ addere possumus, quemadmodum per sacrificium solemniter profitemur Deum esse Dominum nostrum; ita per confidentiam similem nos eidem cultum deferre: hoc est fidelitatis juramentum, quo nos ab illo uno pendere promittimus. Quis autem non videt, hoc juramento, & sacrificio a nobis Deo honorem præstari? Præterquam quod nihil Deum magis honorat, quam sublimes conceptus, quos de illo, illiusque bonitate, sapientia, & fidelitate fovemus; neque melius conceptus hos testari possumus, quam omnem fiduciam nostram in eo constituentes, & penitus nosmet illius providentiæ tradentes.

Pro tertia propositione, nihil videlicet magnanimo, & generoso corde esse dignius, quam omnem spem sine ulla exceptione in Deo collocare; quid hoc verius? Quomodonam sine præstantissima virtute nosmet supra sensus, & omnia creata attollere, ut unice Deo adhærere, & ab illo tantummodo pendere possemus? nonne constantia major humana requiritur, ne omnibus vitæ hujus periculis concutiamur, ut contra omnia infortunia alacriter obsistamus, ac demum ut contra spem quamcumque speremus? Quemadmodum spiritus terrena omnia contemnit, ubi eorum inconstantiam, & fragilitatem cognoscit, in cor Deum unum metuens & in eumdem unice confidens, provocat quidquid in terris est, utrum sibi detrimentum valeant adferre. En quod martyrum constantiam, animæque magnæ robur sustinuit, & quod Regius Propheta tot in locis aperuit.

II. Pro concionis argumento desumi possunt præcipuæ rationes, quæ nos impellunt, ut in Deo fiduciam omnem constituamus.

Prima est illius bonitas, & amor, quo nos complectitur, quo actus de insensissimis etiam hostibus suis ingratis, infidelibus, qui nihil ab eodem expectant, qui immo beneficiis ipsius ad inferendam eidem injuriam abutuntur, bene meretur. Quam igitur in eum confidentiam habere illos decet, qui eidem inserviunt, & qui in necessitatibus suis ab ipso unice auxilium expectant?

Altera est promissionum ejus fidelitas. In omnibus scripturæ paginis nobis se opem allaturum spopondit; verbo etiam jusjurandum adjecit, ut, quemadmodum inquit Apostolus, confidentia nostra inconcussa maneret, duobus adeo solidis fundamentis innixa.

Tertia est nostrum testimonium, toties enim illius auxilium sumus experti iis in occasionibus, ubi nulla spes videbatur adesse, & in quibus de nobis actum proculdubio fuisset, nisi nobis fuisset opitulatus. Cum igitur hoc nos ipsi fateri debeamus, cur ubi adest occasio, vel in quotidianis etiam necessitatibus in eo confidentiam minime collocamus.

III. Qualitates, vel conditiones, quas confidentia in Deum debet habere.

1. Integra esse debet, & sine ulla exceptione: hoc est in Deo omnibus in rebus confidendum est: non enim desunt, qui in iis, quæ ad animæ salutem pertinent, in Dei bonitate, nimis etiam sæpe, confidunt; at illis deficit confidentia in temporalibus, vitæque hujus necessitatibus. Divisio hæc Deo quidem contumeliosa est, & homine Christiano indigna.

2. Prompta esse debet; hoc est, non expectandum, donec ultimum periculum adit, ut tunc ad Deum confugiamus, postquam cetera inutilia experti fuerimus: quod plerumque accidit non paucis, qui tunc tandem Deum votis fatigant, cum nullam aliunde spem sibi occurrere vident, qui ad illum ante omnia confugere debent.

3. Constans esse debet, & inconcussa; ita ut obices, & difficultates quæcumque minime deterreant; neque animos despondeamus, ubi statim e sententia rem fluere non cernimus; sed perseverandum est, immo contra spem omnem sperandum, licet humana ratio suadeat, nihil e votis cessurum.

IV. Sequentes etiam propositiones duæ satis copiæ concioni elucubrandæ possunt suppeditare.

Prima est, non posse nos majorem erga Deum amorem testari, quam in eo spem omnem constituendo; quemadmodum amico benevolentiam nostram magis probare non possumus, quam in ipso confidentiam collocando. Hinc ostendimus a nobis summo haberi in pretio Deum, & fidelitati illius nosmetipsos committere: illi cor nostrum aperimus, omniaque nostra in manu illius constituimus. Numquam dubitandi locus fuit, quominus confidentia potissimum, ac certissimum esset plenæ, sinceræque amicitiæ argumentum.

Altera; tunc Deum quoque vicissim majorem erga nos amorem testari; nihil enim iis negat, qui fidenter aliquid ab eo petunt, eos protegit, ac tuetur in omnibus, & contra omnes, ac peculiarem ipsorum curam gerit. Confidentia hæc certissimum est argumentum peculiaris Dei erga nos amoris, & charitatis.

V. 1. Confidentia in Deum plane probat fidei nostræ præstantiam, ac dici potest alteram alterius esse normam, atque mensuram.

2. Probat Perfectionem spei nos assecutos, vel melius dicam, altissimum hujus spei attigisse verticem, cum sine exceptione in Deum unum confidimus.

3. Hæc certissimum nostræ charitatis argumentum est, quo enim magis Deum diligimus, eo magis in ipsum confidimus.

VI. Spem nostram in Deo constituentes divinarum Perfectionum sumus participes.

1. Participes sumus Sanctitatis; ita enim nosmet expedimus sæcularibus curis, a quibus nihil expectamus; ut cum Deo penitus conjungamur, eique adhæreamus, a quo omnia speramus.

2. Propriam abjicientes imbecillitatem hanc cum Dei fortitudine commutamus, inæstimabilis hujus fortitudinis participes sumus, quemadmodum Regius Propheta testatur. *Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem*. Ps. 125. Ita qui omnino confidit in Deum, hoc tantum Ens supremum veretur, ab omnibus vitæ hujus periculis tutus.

3. Divinæ Immutabilitatis participes sumus propter constantiam, quam hæc inspirat confidentia, *Ego sum Deus, & non mutor*. Malach. 3.

VII. 1. Rationes, quæ nos adigunt, ut in Deo spem nostram constituamus, oppositæ rationibus, quæ suadent, ne nosmet credamus hominibus.

2. Modus, quo in Deo confidere debeamus, videlicet integre, sine exceptione, in omnibus occasionibus, omnibusque negotiis; in nobis vero prorsus e contra.

3. Fructus, effectus, & bona, quæ ex hac confidentia percipimus; & mala, quæ nimiam in nosmetipsos confidentiam sequuntur.

VIII. Vulgo dicunt, spem unicum esse bonum miserorum; verum dicere audeo, eos, qui spem omnem, omnemque confidentiam in Deo collocarunt, omnium viventium esse felicissimos.

Quia certi sunt obtinendi, quod in vita cupiunt, & fidenter a Deo petunt; quia ea omnia, quæcumque aggrediuntur, illis cedunt e sententia, atque tutiores sunt contra communes casus, & fortunæ vices, quam qui in sua existimatione, opibus, & potestate confidunt.

2. Quia præterea facilius æternam felicitatem consequentur.

IX. 1. In nobis confidere non debemus propter nostram imbecillitatem, inconstantiam, & ignaviam.

2. Semper metuendum est ne nimis in creatis rebus, amicis, opibus, existimatione ac dignitate nostra confidamus.

X. 1. Fallax confidentia efficit, ut in familiaribus negotiis omnia a Deo expectemus, quin ipsi lapidem movere velimus, cum ipsa humanas rationes nequaquam excludat; sed prohibeat solum, ne omnem in illis spem nostram constituamus.

2. Vera Confidentia efficit, ut in desperatis rebus, quæ alioquin justæ sunt, a Deo expectemus omnia.

XI. In Deum confidendum est, 1. tamquam Parentum omnium amantissimum, 2. amicorum omnium fidelissimum, 3. Patronorum omnium potentissimum.

XII. Quamvis confidentia in Deum homini sit naturalis, ut docet Tertullianus, tamen hæc.

1. Verum Christi fidelem ab infidelibus, atque Idololatris distinguit, ipso testante Dei Filio in Evangelio.

2. Ferventem Christifidelem, virtutibusque nitentem a vulgo fidelium distinguit.

XIII. S. Bernardus ob tria docet in Deo spem omnem esse reponendam, *Tria considero*, inquit, *in quibus tota spes mea consistit*.

1. *Charitatem Adoptionis*; Charitatem, qua magnus hic Deus nos complexus est eo usque, ut filios adoptivos faceret; quid enim post hoc nobis potest negare?

2. *Veritatem promissionis*, qua toties se nobis opem allaturum spopondit.

3. *Potestatem redditionis*, qua fidem præstare potest eorum omnium, quæ nobis præcepit.

XIV. 1. Sese Deus jurejurando arctius obstrinxit, se illis opitulaturum, qui in ipso confiderent.

2. Licet seipsum minime adstrinxisset, confidentia nostra illum certissime obstringeret. *Desumptum ex Patre de la Colombiere Sermone hujus argumenti Tomo* 4.

Homo a semetipso duo habet, quibus ad Deum fidentes confugere cogitur. XV.

Primum est, egestas, ac miseria, quæ illum adigunt, ut in eum confidat, qui omnibus necessitatibus ejusdem potest consulere.

Alterum est, ejus infirmitas, propter quam quærere tenetur præsidium contra inimicos suos; quod quidem certius, tutiusque in Deo uno potest reperire. *Desumptum ex Auctore sermonum in omnia Ethica Christianæ argumenta*.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum ideas amplificandas.

SAnctus Augustinus *l.* 2. *de Serm. Dom. c.* 23. 24. *&* 25. loquitur de Confidentia in Deum pro rebus temporalibus. Sancti Patres.

Idem in Ps. 9. ostendit inanem esse eorum spem qui in suis opibus, potestate, existimatione &c. confidunt.

Idem in Psalmum 30. explicans hæc Prophetæ verba, *Odisti observantes vanitates supervacue*, ostendit eos tantum, qui sperant in Deum, vanitatibus, hoc est, rebus perituris animum nequaquam impendere.

S. Hieronymus, *l.* 5. *c.* 18. *Prophetæ Isaiæ*, refert mala, quæ illis accidunt, qui in aliis præter Deum confidunt.

Idem *l.* 3. *in c.* 4. *Lamentationum Jeremiæ* eos recenset, qui votorum summam consecuti non sunt, quia in Deo spem suam non collocarunt.

Idem in *Ezechielem l.* 4. *c.* 14. loquitur de confidentia in Deo reponenda.

Origenes *hom.* 4. *in Ps.* 36. in hæc Prophetæ verba, *Spera in Domino, & fac bonitatem*, ostendit in uno Deo spem esse constituendam.

Idem hæc Psalmi 36, explicans verba: *Eruet eos a peccatoribus, quia speraverunt in eo*, ostendit, ideo justos a Deo protegi, atque defendi, quod in ipsum speraverunt.

S. Chrysostomus in Ps. 124. ostendit, concuti non posse sperantes in Deo.

S. Basilius *Orat.* 20. *quæ est de Principatu*, confidentiam comparat cum sacrificio Deo uni offerendo.

Idem *de Regulis fusius disputatis* docet omnia illis timenda, qui non confidunt in Deum.

S. Anselmus *l. de mensura Crucis in lat.* septem adfert rationes, propter quas omnem spem in Deum transferre debemus.

S. Bernardus Sermone 50. in Cantica ostendit, quamquam nobismetipsis numquam fidere debeamus, tamen timorem hunc a Confidentia in Deum esse superandum.

Idem in Psalmum, *Qui habitat in adjutorio Altissimi*, plurima habet, eaque præstantissima ad hoc argumentum spectantia. In sermone 9. affert causas hujus confidentiæ, in aliis vero confidentiæ actus elicit præclaresque sententias profert.

P. Ludovicus Granatensis pluribus in locis verba facit de hoc argumento. Ascetici.

Alphonsus Rodriquez *p.* 3. *tr.* 1. *c.* 15. *& seq.*

P. Gaudier *c.* 17. tractatus de Conformitate cum voluntate Dei.

Jacobus Alvares. *Tom.* 2. *l.* 3. *p.* 2. *c.* 4.

Franciscus Arias *in Thesauro Tom.* 2. *tract.* 3.

Bernardinus Rosignolius. De perfectione Disciplinæ Christianæ *l.* 3. *c.* 5.

P. du Sault præstantissimum edidit librum, ubi solide tractatum est, quidquid ad hoc pertinet argumentum.

P. Franciscus Poirè. De scientia Sanctorum *tr.* 3. *parte* 2. *c.* 11.

Petrus Sanchez in Regno Dei *part.* 4. *c.* 5.

Theophilus Bernardinus. De Religiosæ persev. præsidiis *l.* 5. *c.* 7.

Die-

Drexellius in Heliotropio *l. 5. c. 1. & seqq.* Idem in Rosis *part. 2. c. 8.*

Quicumque de Providentia tractatus ediderunt de confidentia in eadem habenda locuti sunt.

Matthias Faber *Conc. 6. in Dominic.* 18. *post Pentec.*

Concionatores. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum *lib. 2. Tract. 1.*

Biroat Sermone de Providentia pro quarta Quadragesimæ Dominica.

P. Texier in Dominicali. Sermone pro quarta post Epiphaniam Dominica.

P. De la Colombiere Tom. 4. Sermone 68. qui totus est de Confidentia in Deum.

De la Font. Sermone pro 4. post Epiphaniam Dominica.

Joly in eamdem diem.

Homiliæ morales pro quarta post Epiphaniam Dominica.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, hujus argumenti sermonem habet in Dominicali Tomo 3. sermone pro sexta post Pentecosten Dominica.

Idem de hoc argumento loquitur in sermone de Providentia pro 4. Quadragesimæ Dominica.

Plurima etiam inveniri possunt de confidentia in Deo apud eos, qui sermones de Providentia ediderunt.

Qui collectanea ediderunt. Josephus Mansi Bibliotheca Moralis *Tractatu* 85.

Ludovicus Granatensis Titulo spes, & fiducia.

Busæus. Tit. spes, & sperare.

Peraldus. Tomo 1. in tractatu de Spe.

Consuli etiam possunt Auctores alii, qui sub Providentiæ titulum plura hujus argumenti congessere.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

UBi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant. Deut. c. 32.

An speras in baculo arundineo atque confracto Ægypti, super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam? 4. Reg. c. 18. (*Verba Rabsacis.*)

Deus fortis meus; sperabo in eum: scutum meum, & cornu salutis meæ, elevator meus, & refugium meum; Salvator meus, de iniquitate liberabis me. Lib. 2. Reg. c. 23. in Cant. Davidis.

Etiamsi me occiderit, in ipso sperabo. Job. 13.

Lætentur omnes qui sperant in te. Ps. 5.

Domine Deus meus in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me. Ps. 7.

Sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine. Psalmo 9.

Qui salvos facis sperantes in te. Ps. 16.

Deus meus adjutor meus, sperabo in eum. Psalmo 17.

Protector est omnium sperantium in se. Ib.

In te speraverunt Patres nostri; speraverunt, & liberasti eos. Ps. 21.

Non erubescam, quoniam speravi in te. Ps. 24.

In Domino sperans non infirmabor. Ps. 25.

In te Domine speravi, non confundar in æternum. Ps. 30. & 70.

Ad te levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam. Ps. 24.

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te. Ps. 32.

Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Ps. 26.

Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Ib.

Spera in eo, & ipse faciet. Ps. 36.

In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo. Ps. 55.

Paratum cor ejus sperare in Domino. Ps. 111.

Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus. Ps. 39.

Factus est mihi Dominus in refugium, & Deus meus in adjutorium spei meæ. Ps. 93.

Super eum ridebunt, & dicent: ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum. Ps. 51.

Dominus firmamentum meum, & refugium meum. Ps. 17.

Narrantes laudes Domini..... ut ponant in Deo spem suam. Ps. 77.

Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. Ps. 107.

In pace in idipsum dormiam & requiescam; quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. Ps. 4.

In te confidit anima mea. Ps. 56.

Tu es spes mea, Deus. Ps. 90.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion. Ps. 124.

Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Psalmo 90.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. Prov. 3.

In timore Domini fiducia fortitudinis. Prov. 14.

Scitote quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Quis invocavit eum, & despexit illum? Eccl. 2.

Respiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat. Eccli. 51.

Qui confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates. Is. 59.

Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filii uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Is. 49.

Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis..... & super equitibus..... & non sunt confisi super Sanctum Israel, & Dominum non requisierunt. Is. 31.

Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator, & cadet cui præstatur auxilium. Ibidem.

Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem. Isaiæ 44.

Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus. Jer. 17.

Bonus est Dominus sperantibus in illum, animæ quærenti illum. Thren. 3.

Spem quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. Ad Hebr. 6.

Nolite amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem. Ad Heb. 10.

Hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. 1. Jo. 5.

Cogitate per generationem & generationem, quia omnes qui sperant in eum, non infirmantur. 1. Machab. 2.

Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. 1. Jo. 3.

Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo. 1. ad Timoth. 6.

Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Jer. 17.

Habe fiduciam in Domino Deo tuo. Proverb. 3.

Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam. Ps. 72.

Veteris Testamenti exempla.

SAnctus Chrysostomus nullum scribendi genus satis disertum esse putat celebrandis Abrahæ laudibus, cujus confidentia, licet gravissimis quateretur incursibus, Fides, & Confidentia Abrahæ.

tibus, labare non potuit. Sancto huic Patriarchæ uxor sterilis erat, ac præterea ita senio confecta, ut omnis gignendorum liberorum spes procul abesset; illi tamen promisit Deus, ipsius progenie universum terrarum orbem repleturum. Haud ægre credidit Abraham, & non multo post Isaaci nativitas illum in fide sua confirmavit. Jussus deinde fuit unigenitum hunc jugulare, ac Deo in sacrificium offerre. Præcepto obtemperaturus omnia disposuit, non ideo tamen abjecit spem frequentissimæ posteritatis per eumdem filium obtinendæ, quem propria manu erat jugulaturus. Præceptum hoc adeo grave, & quod promissionibus acceptis parum adeo conforme videbatur, Abrahæ confidentiam minime labefactavit; speravit ille, ut inquit Apostolus, contra spem omnem, neque dubitavit, quominus, Deus, qui potens est, & fallere minime potest, fidem præstaret, licet etiam miraculo, jugulatus Isaac, ab inferis esset resuscitandus. Ita expectationi respondit effectus; & Deo tantopere placuit fidelis servi confidentia, ut non semel juraverit, se non oblitum eorum, quæ adeo solemniter fuerat pollicitus, se illum magnum effecturum in terra, & multiplicaturum semen illius super stellas Cœli, & arenas maris; eumque benedictionibus suis repleturum.

S. Job Confidentia.

Quanam de causa Dæmoni permisit Deus, ut sanctum virum Job bonis omnibus exueret; quandoquidem non solum citra peccatum, verum etiam cum merito ea possidebat; iisdem utens, uti ipse ait, ut Deo quidem offerret sacrificia, egenis vero opem afferret? Cur ergo abstulit illi Deus opes, quæ in meliorem manum devenire non poterant, neque utilius impendi? nisi, quemadmodum nonnulli Sancti Patres crediderunt, ut teneretur ille confidentiam omnem in Deo collocare, vel ut per hoc gravissimum virtutis suæ periculum ostenderet, se omnia a Deo sperare, & spem hanc nullo unquam infortunio concuti posse. Ita ille hac virtute non minus, quam invicta patientia sua insignis evasit; vel alteram alteri facem prætulisse dicere possumus. Haud ægre fert uxorem rebellem, suæ patientiæ, ac lenitati illudentem; videt optimos etiam amicos sibi irridentes; ab illis, a quibus in pretio habebatur, qui coram illo hiscere ne audebant quidem, & qui eidem tot malis, ac doloribus affecto solatium afferre debebant, contumeliis, atque probris impetitur; atque Cœlum, ut ita dicam; terramque in unum se conjurasse conspiciens, quin in minimam impatientiæ vel desperationis notam erumpat, solemniter profitetur, licet etiam sibi a Domino vita auferretur, se nihilominus in eum esse speraturum? sub eo malorum pondere, quibus undique affligitur, non aliam nanciscitur consolationem, quam in spe bonorum æternitatis.

Confidentia Patriarchæ Jacob.

Tota fere Sancti Patriarchæ Jacob vita jugis in Deum confidentiæ exemplar est. Ut hoc innotescat, satis est perpendere quomodo paterna domo fuerit egressus, Esau fratris sui furorem evitaturus. Discessus illius adeo fuit præceps, ut Rebecca, a quo unice diligebatur, per tempus non aliud ipsi suppeditare potuerit, quam consilium, ut quam pernicissime aufugeret. Debuit ille parentes optimos relinquere, cum quibus tandiu suavissime vixerat, sine ulla spe eos iterum videndi viventes adhuc, eo tempore, quo etiam si absens fuisset, illuc reverti ad eorum oculos claudendos debuisset. Ad hæc grave, acerbumque illi erat Chanaanitidem terram relinquere, natale solum, & hæreditatem Abrahæ avo suo promissam, in remotas terras, quarum ne nomen quidem auribus ejus acciderat, profecturo. Simul etiam consanguineorum omnium ope destituebatur, quin aliquem in dubiis rebus consulere posset, vel aliquod in exotica tellure præsidium invenire. Præterea solum vertere debuit sine servis, sine comitibus, sine supellectili, quin sciret, quomodo eo in loco, quo sibi eundum erat, exciperetur; ibique ea inveniret omnia, quæ peregre eunti in terra ignota sunt necessaria. Omnibus carens, non alium habet sui itineris ducem, vel comitem, quam confidentia in Deo, in qua una acquiescit. Filius Isaaci, & Abrahæ nepos in omnibus vitæ suæ casibus non aliud habuit subsidium, quam virtutem hanc, quam hæreditario quodam jure ab illis acceperat. Deus itaque numquam defuit, illum peculiari cura ubique protegens, suique præsidii effectus sole ipso fulgidiores ostendens.

Exemplū Patriarchæ Joseph.

En aliud illustre exemplum confidentiæ in Deum in S. Patriarchæ Josephi persona. Nemo unus ignorat, illum summa cum sævitia a fratribus proditum, venditumque fuisse. Deinde cum fidelissimam hero suo operam præstitisset, ab impudicissima Domina falso intentati stupri accusatus in arctum, obscurumque carcerem conjicitur: verum illius confidentiam nihilo magis recens hic casus labefactavit, quam prior, licet in eo squalore plures annos jacuerit. Verumtamen ostendit Deus, se illius nequaquam oblitum fuisse; illum quippe ex carcere majori eduxit cum gloria, quam cum probro illuc conjectus fuerat; & fratres ipsius, qui eumdem in servum vendiderant, seipsos deinde servos illius appellarunt gravi admiratione perculsi, cum ipsum toti dominantem Ægypto viderunt.

Exemplū David.

Sanctum Regem David jure celeberrimum Confidentiæ in Deum Encomiastem vocare possumus; quilibet enim Psalmorum ejus versiculus est, vel hujus virtutis elogium, vel valida ad illam exercendam adhortatio. Numquam fatigatur Deum in auxilium accersens, eumque spem suam, unicum præsidium, refugium, protectorem, unicum spei suæ fundamentum; salutem suam fontem suæ felicitatis appellans. Psalmi 77. & 90. ex quibus tot hausimus locos, citra hoc argumentum versantur, ac de industria elaborati videntur ad cœlestis Patris auxilium deposcendum, atque ad omnium voluntatem inflammandam, ut in hoc uno confidant. Sed præstat magis Sanctum hunc, religiosumque Principem intueri in praxi, quam in sermone, admirabilis hujus virtutis, quæ ipsum victorem constituit de omnibus inimicis, præsidio munitum contra pertinacissimas, gravissimasque persecutiones, ab omnibus periculis liberatum, ac tandem supra omnia fortunæ pericula positum. Cum hactenus esset pastor, nonne ausus est, inire singulare certamen adversus Gigantem ferreis armis circumseptum; & validissimum quemlibet ex Israelitico exercitu provocantem? Non aliis usus armis quam funda; dicam melius, sola in Deum tectus confidentia, eum prostravit, & victor abscissum caput abstulit insigne suæ virtutis trophæum. Deinde cum virtus ipsius furentem Saulis provocasset invidiam, nesciens, quo fugeret, ubi delitesceret, vel quomodo violentam, neque intermissam invidi Regis persecutionem eluderet, ubinam potius, quam in confidentia in Deum suum asylum invenit? Ad Regni solium evectus, cum illum filius persequeretur, & rebellium collecta manu vitam, regnumque patri auferre moliretur, aliudne præsidium nactus est, quam clientelam illius in quo spem suam collocaverat? In reliquo autem vitæ spatio hæc ipsa in Deum confidentia nonne ipsum ab omnibus periculis, omnibusque mundi hujus infortuniis tutata est, quemadmodum ipse egregiis grati animi sensibus toties testatur?

Regis Josaphat cōfidentia.

Sacer Textus cap. 20. secundi Paralipomenon libri, refert, Regem Josaphat, cum valido Ammonitarum, Moabitarumque exercitu, qui repente in ipsum irruerat, premeretur, neque vel eas militum haberet copias, quibus injuriam propulsaret; vel delectui habendo tempus suppeteret, non ideo despondisse animos. Non oblitus sortem suam esse in manibus Dei, quin divinæ Providentiæ consilia scrutaretur, quamvis viribus adeo esset impar, ut singulis suorum cum hostium millibus decertandum esse videretur; nihilominus fidenter in hostem processit, cum jam ferventissimas preces has Domino effudisset: *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc unum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te?* Paralip. 20. Domine, tanta sapientia, ac bonitate nos hactenus deduxisti, ut omnino in Providentia tua confidamus, nihil metuentes, quid in posterum futurum sit. Quid

de no-

de nobis decreveris, divinando assequi minime possumus; neque aliud facere possumus, quam oculos, & corda nostra in Cœlum attollere, ut in te memoriam cieamus a te creatos nos esse, ac paratos iis omnibus, quæcumque popósceris, clementia tua fretos, nos a te numquam iri derelictum. Quæ futura sunt, ignoramus; & similiter quid modo sit nobis faciendum, nos latet; verum res nostras, nosque metipsos in manibus tuis collocamus.

S. Ezechiæ Regis confidentia. Insignis etiam est S. Regis Ezechiæ confidentia. Religiosus hic Princeps exercitu Sennacherib circumseptus, cujus vires se minime sustinere posse, sentiebat; erupit in gemitus, & querelas in Deum; immo neque ab externis Principibus, ut alii nonnulli fecerunt, suppetias expetiit, quibus adeo potentis hostis vim propulsaret; sed sciens in civitate adesse Prophetam Isaiam, nihil eo inconsulto aggredi statuit, quippe cui norat exploratam esse Dei voluntatem, & quem sperabat, apud Deum interposita auctoritate, sibi, populoque suo Dei misericordiam promeriturum. Interim sacco indutus ad Templum pergit, atque pœnitentis habitu ad preces confugiens coram Deo extendit epistolam, quam insolentiæ, ac superbiæ refertissimam ab hoste acceperat, & in cordis sui, lacrymarumque effusione eam protulit Orationem, quæ in Scripturis habetur. Illam audiit Deus, qui per Isaiam Prophetam se Regi opem laturum spopondit. Ignorabat Ezechias, undenam auxilium venturum esset; non dubitavit tamen, omnemque in Deo confidentiam constituit. Neque deceptus fuit, Deus enim illum adeo insigni miraculo tutatus est, ut omnibus sæculis intelligeretur, quam formidabilis sit virtus ipsius. Concubiæ enim noctis silentio Vastatorem Angelum misit, qui maximi illius exercitus milites tamquam victimas immolavit, Dei honorem reparaturus, quem blasphemiis eorum imperator lacessiverat. Huic autem pepercit Angelus, ut superbus cædem suorum cum dolore, & confusione spectaret.

Ne quis putet, Sanctos tantum, insignique pietate viros ad Deum confugere posse, ac in eo spem suam constituere. Manasses, parentis optimi filius nequissimus, & crudelissimus fuit, cujus impietates aliaque scelera non sine horrore Sacra Biblia recensent. Deus, qui nequicquam sæpe illum per Prophetas suos admonuerat; aliquando afflictionibus, ut sese colligeret, assecutus est. Suscitavit autem Nabuchodonosor, vel Merodach, qui illi per Duces suos bellum inferret. Manasses prælio victus, & inter suorum cædem captus, catenis oneratus Babylonem adductus est. Victor insolenter victoria usus est, quin enim Regiam vereretur dignitatem, in carcerem illum jussit detrudi. Fortunæ prioris mutatio, cordis mutationem felicius peperit; factus enim miser, miserum esse desiit. Ita malorum congerie recordatus est eorum, quæ olim ab optimo parente suo Ezechia audiverat de Numinis misericordia erga eos, qui fidenter ipsius deposcunt auxilium; atque tunc oculos in Cœlum attollens confugit non ad idola, quibus thus adoleverat, sed ad Deum patrum suorum, eumque iis clamoribus, & gemitibus invocavit, cordis sui amaritudinem significantibus, & ut Scriptura ait duobus verbis, *egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum*. Deus illius misertus est, eumque in Regnum restituit, ubi reliquum vitæ spatium insumpsit malum reparaturus, quod primis Regni sui annis effecerat.

Potuit Deus non confidentes in ipsum. Non pepercit Deus optimis etiam famulis suis, ubi in eum confidere noluerunt. Fatendum sane est Moysem, & Aaronem diffidentiam fuisse testatos, cum populus aquam petiit cap. 24. Numerorum; iratus autem dixit illis Deus, se nequaquam concessurum ipsis honorem deducendi populum suum in terram, quam ipsis spoponderat; ipsos quidem hanc eminus tantum visuros esse, at in eam minime illaturos pedem, eo quod coram populo ipsum nequaquam sanctificaverant.

Supplicià Regis Asa. Asa Rex Juda omnibus de causis in uno Deo confidentiam suam roborare debebat; ejus enim fidelitatem toties fuerat expertus, quotiescumque illius imploraverat opem. Attamen Basa Rege Israel fines ejus ingresso ad Benadad Syriæ Regem confugit hostem suum, initque cum ipso pacem, quin Dei reminiscetetur; quæ res ita Deum ad iracundiam provocavit, ut per Prophetam suum illi significaverit: quoniam in Rege Benadad confidisti, & non in me, occasionem amisisti delendi penitus Exercitum Syriæ.

Infinitum esset velle omnia referre exempla, quæ nobis Scriptura suppeditat perfectæ in Deum Confidentiæ; quorum hic afferam insigniora.

Exempla eorum, qui in Deum confiderunt.

Tres pueri in fornace Babylonis.
Daniel in Lacu Leonum.
Susanna falso accusata.
Judith Holophernem obtruncans.
Tobias, in gravissimis ærumnis confidentiam hanc non abjiciens.

Novi Testamenti Exempla.

Exempla B. Virginis. Quamquam universa Beatissimæ Virginis vita jugis fuerit exercitatio confidentiæ in Deum, hujus tamen insigniora triplici in occasione nobis reliquit monumenta. Prima fuit, cum Joseph vir illius eam relinquere, & dimittere cogitavit, antequam adorabili Incarnationis Æterni Verbi in sinu ejusdem mysterio admoneretur: altera cum in Nuptiis Cana deficiente vino ministrantibus præcepit, ut quidquid ipsis Filius suus dixisset, sedulo præstarent; licet Omnipotens hic Filius matris preces repellere visus esset, dicens tempus ostendendi miraculis potentiam suam nondum advenisse; tertia demum cum post Filii mortem cum aliis mulieribus ad sepulcrum profecta non est, sed fidenter expectavit, ut Salvator sibi Resurrectionis suæ aliquod signum præberet.

Confidentia in Deo S. Joseph. Quænam constantior umquam extitit confidentia, quam ea, quam S. Joseph testatus est, ubi divinitus monitus fuit, ut statim JESUM recens natum cum matre ejusdem in Ægyptum adduceret, & illum a crudelissimo Herode ad necem diligentissime conquisitum eriperet. Nocte concubia discedendum fuit, iterque longum ineundum sine commeatu, sine ope ulla in summa rerum omnium egestate. Non quæsivit ille quo potissimum sibi eundum, vel qua via iter instituendum; in re tanti momenti nullam nectendam moram ratus minime deliberandum neque metuendum censuit, ullam sibi illusionem fieri in Angeli apparitione, qui sibi dormienti locutus fuerat; sed omnino in Dei præsidio confidit, sciens, eidem non defutura consilia, ut quod præceperat, ad unguem adimpleretur.

Chananææ Mulieris. Numquam hominibus magis præsto est cœleste præsidium, quam cum omni prorsus ope mortali destituuntur. Hoc accidit Chananeæ, quam licet Dei Filius tamquam canem repelleret; omnibusque illius precibus ita responderet, ut illis repulsam dare velle videretur, eamque nonnumquam audire dissimularet, ipsosque etiam exprobraret Apostolos pro eadem precibus laborantes: hæc omnia contumeliose, absit verbo invidia, & facta, & dicta, in mulieris corde extinguere non valuere confidentiam, quam in ipsius bonitate conceperat; ac denique fidei, & constantiæ suæ merito impetravit, ut ægrotanti filiæ perfectissima salus restitueretur.

Dei Filius Petrum modicæ fidei redarguit. Animose quidem statim in mare se projecit S. Petrus ex quo Magistrum in ulteriori littore adspexit, ut ad illum accederet; super liquidum elementum aliquandiu ambulavit eadem constantia, ac si in continenti figeret pedem: verum cum ex periculo, cui se objeceras, & ex vehementi vento, qui perflare cœpit, stupor primum, deinde metus accessit, eodem tempore cœpit etiam submergi. Aufert Deus subsidium suum, atque protectionem, prout Petri deficit confidentia; qua quidem omnino destitutus non fuit, uti liquet ex Magistri exprobratione, qui modicam illius fidem redarguens, satis aperte testatus est, non defuisse laboranti Apostolo aliquam in Domini ope confidentiam, licet clamor, quem emisit, ipsius metum,

tum, ac diffidentiam liquido ostenderet: *Modicæ fidei, quare dubitasti?*

Et Apostolos sæviente procella parum fidentes exprobrat.

Cum JESUS naviculam esset ingressus, cumque Discipuli secuti fuisset; repente horrens procella detonuit, ita ut satis fluctibus cooperiretur, JESU interim suavissime dormiente. Tunc illum excitarunt Discipuli dicentes, Domine salva nos, perimus. In hoc autem deliquerunt Apostoli, quod in Salvatore satis non confiderunt: Commoti sunt, conturbati sunt, dubitantes, utrum illi de se cura esset: *Non ad te pertinet, quia perimus*. Marc. 4. Et quin eam firmam, constantemque confidentiam, quæ par erat, foverent; pallentes, pavidique Magistrum e somno excitarunt, cujus quidem corpus dormiebat, divinitas vero vigilabat. Hac de causa illos Salvator redarguit; quid extimescitis, o homines parum fidentes? Non exprobrat illos, quod ad se confugerant, quandoquidem eorum preces exaudit, & illico ventis imperat, ac mari; factaque est tranquillitas magna; sed illos corripit, quod parum confidentiæ in ipsis fuisset; & jure eos corripit, S. Ambrosius inquit, qui in ipsius societate extimescunt.

S. Pauli confidentia.

S. Paulus satis ostendit eam, quam in Deo collocaverat, spem, cum in secunda ad Corinthios epistola cap. 1. ita loquitur. *Non volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis nos eruit: in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet.*

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. Deuter. c. 11. Hæc figura est, S. Bernardus inquit, effectuum, quos a confidentia in Deum expectare debemus. Quidquid a Deo non hæsitanter, sine ulla dubitatione, ac fidenter expectabimus, jam est veluti nostrum; Deus enim supra nos suas gratias, benedictiones, & largitates effundit, pro magnitudine confidentiæ, quam in ipsum testamur. Quamobrem S. Cyprianus ait, spem nostram esse tamquam pedem, quem aliquo in loco figimus, ut illius possessionem capiamus. *Pes vester utique spes vestra est, & quantumcumque illa processerit, obtinebit.*

Confidentiæ nostræ magnitudo.

In verba tua supersperavi. Pf. 74. Hæc Prophetæ verba duas explicationes admittunt; quarum altera est, virum bonum jure in Deum sperare, & ratione longe præstantiori, quam quælibet creata; quoniam in Deum sperat propter existimationem, quam de promissionum ipsius fidelitate concepit; supersperavi; Altera vero; quia in Deum sperat magis, quam in omnia simul creata; uti addi potest, ipsum sperare contra spem omnem, & quo minus videntur res e sententia ejusdem cessuræ, eo majorem concipere spem votorum suorum summam consequendi; quæ profecto vocari potest spes supra eamdem spem posita.

Spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam. Ad Hebr. c. 6. S. Paulus Spem generatim appellat nostræ salutis anchoram; quemadmodum enim anchora altius in arena, vel humo defixa, navem contra fluctuum, ac tempestatum vim tenet; ita spes efficit, ut in Deum confidamus, ab eo impetraturi illa, quibus indigemus, & votorum nostrorum summam consecuturi.

Imbecillitas confidentiæ in hominibus.

Omnis caro fœnum &c. Isaiæ c. 40. Omnes homines ex Isaiæ Prophetæ sententia, sunt veluti fœnum, & flores agri, nulli fulchro insistentes. Innitere humanæ amicitiæ, ac intelliges omne illius præsidium infirmum esse, minutumque fœnum, quod cedit, ac te sustinere non valet. Ideo alius inquit Propheta, maximam hominis infelicitatem esse in altero homine spem suam collocare. *Maledictus homo, qui confidit in homine.*

Tu spes mea Deus. Pf. 90. Propheta his verbis innuit, se non solum sperare in Deum, vel se ab illo omnia præstari bona, ac votorum suorum summam expectare; sed Deum ipsum objectum esse spei suæ, potiusquam cetera bona, quæ expectat a Deo; etenim proprie loquendo, quod expectamus, hoc potius nostra spes est, quam ille, a quo expectamus: *magis spes nostra dicitur quod speramus, quam in quo speramus*. Cum a Deo valetudinem bonam speras, optimum negotiorum tuorum eventum, temporalem prosperitatem; hæc potius spes tua sunt, quam ille, a quo hæc eadem speras te consecuturum. Tunc Deus non est tua spes, & præcipuum votorum tuorum objectum, sed hæc ipsa bona, quæ ab eo te putas impetraturum. Num vero ipse sperandus nobis est? supremi hujus Boni possessio præcipue ab ipso nobis est expectanda.

Deus simul refugium nostrum & virtus.

Deus refugium nostrum, & virtus, inquit idem Regius Propheta; in quæ verba S. Augustinus animadvertit, non deesse refugia quædam, quo nosmet recipere possumus, sed quæ vim non habent nosmet ab hostium insidiis, atque oppugnationibus tuendi, ac protegendi. Homines illi, in quibus confidentiam nostram statuimus, vocari quidem possunt refugium nostrum, non autem virtus nostra; quæ duo Deus unus in se simul complectitur. Accidit passim, ut ad potentem aliquem hominem confugiamus, qui cum sit amicus noster, esse debere videtur refugium nostrum, atque certissimum in calamitatibus nostris asylum: verum cum humana quævis fluxa sint, & fragilia, quin simus in tuto, qui antea nobismetipsis tantummodo timebamus, modo & nobis, & illi timemus. *Sunt quædam refugia, ubi non est virtus, quo quisque cum fugerit, magis infirmatur*. S. August. in Pf. 45.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum loci, atque sententiæ hujus argumenti.

Si spes mea in homine erit, titubante homine, titubabit spes mea; at in Domino sperans non infirmabor. Aug. in Pf. 25.

Credis in Deum, & non credis ipsi Deo? Idem, in Pf. 38.

Protegitur Imperator scutatis, & non timet; protegitur mortalis a mortalibus, & securus est; protegitur mortalis ab immortali, & trepidabit? Idem, in Pf. 26.

Sunt quædam refugia, ubi non est virtus, quo quisque cum fugerit, magis infirmatur. Idem, in Pf. 45.

Tu Christiano, tu Dei servo, tu bonis operibus dedito, aliquid existimas defuturum? an putas terrena deerunt, quibus cœlestia & divina tribuuntur? unde hæc incredula cogitatio? quid facit in domo Dei perfidum pectus? Idem.

Væ, qui habent spem in sæculo, & his sæculi rebus hærent! Debet Christianus uti mundo, non servire mundo; ut habentes sint tamquam non habentes. Idem, in Pf. 95.

Si maledictus homo qui spem suam ponit in homine, ergo nec in semetipso debet spem ponere, quia & ipse homo est. Idem, Epist. 52. ad Maced.

Si ponas spem in Deo tuo, non confunderis; quia ille in quo posuisti, fallere te non potest. Idem, in Pf. 36.

Tota spes nostra in Deo sit, nihilque de nobis, tanquam de nostris viribus præsumamus, ne nostrum facientes, quod ab illo est, & quod habemus, amittamus. Idem, in Pf. 70.

Ibi plus auxilii, ubi plus est periculi, quia Deus est adjutor in opportunitatibus. Ambros. l. de Josaphat, c. 5.

De divina miseratione tunc sperandum amplius est, cum præsidia humana defecerint. Idem in Hexam.

In promissis veritatis nemo dubitet; sit homo qui esse de-

debet, & mox ei addentur omnia, propter quem facta sunt omnia. Hier. in c. 6. Matth.

Quanta sublimitas inter ruinas generis humani stare erectum! Cypr. Serm. de mort.

In tuto est hæreditas, quæ Deo custode servatur. Idem, de eleem.

O testimonium animæ naturaliter Christianæ! pronuncians hæc, non ad Capitolium, sed ad Cœlum respicit. Tertull. in Apolog.

Cui præter Deum fidere tutum est? an principatui, an gloriæ, an corporis bonis? Phylo Judæus, l. de Abraham.

Sibi ipsi fidere, non fidei, sed perfidiæ est: nec confidentiæ, sed diffidentiæ magis, in seipso habere fiduciam. Bern. Serm. in Vig. Nat. Christi.

Tria considero, in quibus tota spes mea consistit, charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Idem, Serm. 3. de 7. pan.

Si quid illi (nempe Deo) impossibile vel difficile, quære alium in quo speres, Idem, Serm. 9. in Ps. qui habitat, &c.

Tu es, Domine, spes mea: hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Idem, ib.

Si tribulatio infertur, per te sperabo; si præmia promittantur, per te obtinebo; si insurgat hostis, nonnisi in te sperabo. Idem, ib.

Sicut execrandus est ille homo, qui spem suam ponit in homine; ita omni laude dignus, qui ex Deo totus pendet. Basil. in Grat. de virt. & vitio.

Tantum per nos operabitur Deus, quantum se nostra in eum fiducia extenderit. Idem.

Qui in propriis virtutibus gloriatur, ipse a se divinum repellit auxilium. Celestinus Papa, Epist. ad Episc. Gall.

Istiusmodi erga Deum confidentia thesaurus est longe præclarissimus, quem qui habet, facile impetrat a Deo quidquid desiderat, cum Deum in eo latere sauciet, in quo tueri se non potest. Blosius in farrag. inst. spir.

Non stes super teipsum, sed in Deo spem tuam constitue: fac quod in te est, & Deus aderit bonæ voluntati tuæ. Lib. 1. de Imit. Christi, c. 7.

Domine, quæ est fiducia mea, quam in hac vita habeo? nonne tu Domine, Deus meus? Idem, l. 3. c. 59.

Qui Deo non fidit in his caducis, quanto minus in æternis? Marcus Anach. in vitis Patrum.

Omnia possumus in eo, sine quo nihil possumus. S. Leo.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu ad hoc argumentum valeat depromi.

Notio, & definitio confidentiæ in Deum.

CONfidentia, quam habere debemus in Deum, non consistit solum in sublimi conceptu de illius Providentia, infinitaque largitate, quem nobis Fides adstruit; neque in simplici spe, quæ nobis hos sensus potest tribuere futurum ut a Deo opem, & auxilium pro rerum nostrarum prosperitate petitum consequamur: sed est quædam mentis nostræ certitudo in Deo ita quiescens, ut eam quæcumque fortunæ vices concutere nequeant. Theologi nonnulli putant hanc eam esse Theologalem virtutem, quam spem nuncupamus, quatenus a Deo temporalia expectamus bona, quæ non secus ac æterna ex illius largitate procedunt. Verum cum Confidentia eo in sensu, in quo istic accipimus, hujus vitæ bona, ac felicem rerum earum, quas aggredimur, eventum respiciat, probabilius videtur. Moralem dumtaxat virtutem esse, sed a cæteris hujus nominis virtutibus, qualis est Pœnitentia, distinctam. S. Thomas eam ad Magnanimitatem refert, quam ipsa confirmat, roboratque. Cæterum a Fide nomen mutuata est, quia in aliquem confidere, credere est, hunc illud, quod expectamus, auxilium nobis esse concessurum.

Operæ interim pretium duco animadvertere, hanc confidentiam in Deum, a Deo ipso profectam esse, ab eoque nobis cum vita traditam; quapropter a Tertulliano vocatur: *Testimonium animæ naturaliter Christianæ.* Significat autem, hanc nobiscum nasci, ita ut oporteat nos esse desinere, priusquam confidentiam hanc animæ nostræ insitam habere desinamus. Hoc probat experientia, quia subitus motus, & naturalis, antequam etiam per tempus nobis liceat animum ad actionem nostram advertere, vel consilium capere, nos rapit, ut oculos, vocemque in Deum convertamus, licet etiam numquam de eo cogitassemus antea, iis in occursibus, quibus inopinanter deprehendimur, & quos non ante prævidimus. Itaque barbarus, qui numquam de Deo verbum audierit, Atheusque, qui nihil intentatum reliquerit, ut in se fidem, omnesque pietatis sensus extinguat, facere tamen in hujusmodi occasionibus nequeunt, quominus Cœlum suspiciant, & ad eum, qui ibi præsidet, statim confugiant, ubi inevitabili calamitate opprimantur. Nemo enim mentiri potest insita sibi studia, & naturalis rationis vocem sibi dicentis; spem suam esse in Cœlis, ac inde auxilium esse expectandum.

Quænam vero nostra esse debeat in Deum confidentia pro vitæ hujus bonis, melius explicari non potest, quam Sancti Thomæ doctrina; qui cum dixisset, Christianæ spei tres præcipuos actus esse, quorum primus est, salutem æternam sperare, alter confidere futurum, ut Dei Misericordia infinite major nostra nequitia, peccatorum nostrorum nobis veniam elargiatur, si, uti opus est, eamdem enixius flagitaverimus; tertius vero ille, per quem speramus, Deum temporalibus necessitatibus nostris opem laturum, & ubi feret occasio, nobis præsidio futurum; fundamento hoc substrato, addit pro prioribus duobus actibus communem, & vulgarem fidem sufficere; eam vero nequaquam satis esse pro tertio. Profecto neminem ex fidelibus videmus, qui Cœlum, scelerumque suorum veniam non speret: nequissimi etiam peccatores hac in re valde præsumunt, neque citra temeritatem; sed tertium actum, quo confidimus futurum, ut Deus temporalibus egestatibus nostris adsit, fatendum est, esse rarissimum. Ad hoc vivida, & perfecta fides requiritur, quæ inter sæculi hujus fideles perraro invenitur: cum interim valde mirum sit, nos sperare potius Cœlum a Deo nobis concessum iri in omnem æternitatem, quam fluxum, & fragile bonum ad modicum tempus mansurum.

Quænam esse debeat spes in Deum circa bona temporalia.

Albertus Magnus ait, Confidentiam in Deum, certam esse persuasionem, Divinam Majestatem, quæ fidelis est, & omnipotens, nos in necessitatibus minime derelicturam, juxta ea, quæ toties nobis repetit. Itaque fidelitas, & potentia Dei sunt fundamenta nostræ in Deum confidentiæ; & quoniam nihil concipi potest his fundamentis stabilius, ita nihil inveniri potest tutius hac confidentia.

D. Thomas, ac post eum quamplures Theologi docent, confidentiam hanc principium esse impetrandi, quemadmodum charitas merendi, & eos, qui fidenter petunt, a Deo eas, quas postulant, gratias obtinere, non secus ac qui cum charitate operantur, novam gratiam acquirunt; quod tamen cum quadam exceptione intelligendum est, si videlicet adsint eæ omnes conditiones, quæ orationem efficacem efficiunt.

Proprietas confidentiæ in Deum.

Cum sermo est de auxilio, quod in se confidentibus Dominus tribuit, illud semper intelligendum est, quod ipsis vel ad victum, vel ad munus suum, vel generis sui statum sit necessarium: non illud quod immoderatus animi affectus concupiscit, ut ea consequatur, quæ saluti nostræ sunt obfutura. Vidistine unquam viros bonos a Deo destitutos? Sin autem ipsi etiam viri boni sibi fingunt eas necessitates adesse, quibus revera minime urgentur, Deus ipse, quid opus, quid non, dignoscere novit, & si Justorum voluntatem sinceram invenerit, scit repulsæ, quam illis inferre videtur, separare damnum, & face-

te, ut secretis causis, quibus ipse movetur, acquiescant.

Peccata, quæ contra virtutem hanc possunt committi. Duplici ratione contra virtutem hanc peccari potest, excessu videlicet, & defectu. Excessu quidem, cum ita in Dei opem confidimus, ut non alia adhibeantur media ad optatum finem assequendum necessaria: cum expectamus Deum omnia ex se tantum operari, quin nostram addamus operam; & hac spe suffulti, inertes sumus, neque pro virili parte adlaboramus: Excessus hic præsumptio, vel temeraria confidentia vocatur. Defectu peccatur, cum nulla in Deum habetur confidentia, cum opem illius implorare negligimus, seu quod in propriis viribus, industria, auctoritate confidamus, seu quod omnia ab amicorum subsidio, vel ab alicujus præpotentis patroni præsidio expectemus, seu denique animos omnino respondeamus.

Discrimen Spem inter, & Fidem. S. Bernardus *ferm. 17. in Cantic.* docet, per spem, nostrum scilicet constanter credere, sibi peculiariter a Deo præparata esse æterna bona, quæ diligentibus se destinavit. Illius afferam verba, quibus cum nexum ostendit, qui inter duas hasce virtutes invenitur. Fides dicit in nobis, Credo Deum fidelibus omnibus ineffabilia bona præparasse. Hoc est objectum Fidei: Spes dicit in nobis: magna hæc bona quæ Deus fidelibus suis reservat, pro me sunt, eaque mihi reservat Deus. Hæc verba satis ostendunt, ut spem vere christianam foveas, satis non esse, generatim credere, Deum ingentia præparasse bona fidelibus omnibus; sed illud etiam, quod Fidei spes addit, eadem semper supposita, quin aliis unquam fundamentis innitatur, illud, inquam, quod spes addit, particularem efficiens propositionem, quæ primum erat generalis: *Mihi bona illa servantur*, ut Sanctus hic Doctor explicat. Hoc ipsum igitur, data paritate, dicamus de confidentia eo in sensu, in quo ipsam accepimus, & intra eos limites, quos eidem circumscripsimus.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, Recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

MUndi hujus Sapientes in sua prudentia confidunt, quasi errare non possent; Divites opibus, juvenes ætati, robusti homines valetudini, tamquam solidis fundamentis innituntur. Principum virorum favor, auctoritas, amici, magno habentur in pretio, & eorum ope censemus sine Dei ipsius opera omnia e voto nostro cessura. Quotidie creatarum rerum imbecillitatem, atque infidelitatem experimur, quin eam labefactent confidentiam, quam in illis statuimus. Identidem, ad eos revertimur calamos, qui infirmati sunt, & sæpe in manibus nostris contriti. Quænam igitur causa est, propter quam adeo parum speramus in Domino, in eo inquam, cujus potestas immensa est, & Fides adeo probata? Undenam profectum est quod licet natura in cordibus nostris virtutis hujus semina jecerit, uti liquet ex scelestissimis hominibus, qui in maximis periculis, & inopinatis occursibus fieri nequeunt quin manus in Cœlum tendant, ac Dei opem deposcant; undenam inquam, tam difficulter in Creatore confidentiam nostram collocamus? Cum hoc omnino irrationabile sit, nulla prorsus ratio reddi potest. Illud solum dicere possumus, nos numquam eas perpendisse causas, propter quas aliter omnino nobis esset agendum. *Desumptum ex P. De la Colombiere tom. 4. sermone hujus argumenti.*

Deus jurejurando pollicitus est, se nobis opem laturum. Deus verbo suo quod est tamquam arrha quædam eorum quæ mihi spopondit, & quæ confidentiam meam efficiunt inconcussam, mihi adfore pollicitus est. Post hanc sponsionem alia quæcumque præcautio ex parte Dei inutilis est. Nihilominus quemadmodum jusjurandum apud homines præ aliis quibuscumque pignoribus sanctius habetur, & minime temerandum; Dominus illud addere verbo suo non detrectavit, ut quemadmodum ait Sanctus Paulus, majori cum certitudine immutabilem promissionum illius constantiam cognosceremus, & duobus his rebus innixi, quibus fieri nullo modo potest, ut Deus nos decipiat, firmam, solidamque spem conciperemus. *Nos beatos*, Tertullianus ait, *quorum causa Deus jurat! omiserrimos, si nec Deo juranti credimus!* Quænam igitur esse debet confidentiæ nostræ constantia, quæ adeo validis pignoribus innixa est? Quam requiem, quam tranquillitatem in cordibus nostris parere debet spes his principiis suffulta? quomodo fieri potest, ut ulli accidant casus, qui nos deterreant? Attamen nimis verum est, diffidentiam ac metum passim in cordibus humanis regnare. *Idem.*

Mihi persuasum est, Domine, te illis invigilare, qui sperant in te, & nihil unquam deesse posse ex iis, quæ a te præstolamur; ideo imposterum omnem curam, omnemque sollicitudinem in te uno reponere statuo: *In pace, in idipsum dormiam, & requiescam; quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Psalm. 4. Possunt homines me bonis exuere, mihi honorem eripere; possunt morbi vires meas deterere, ac auferre modum inserviendi tibi; possum etiam per scelus gratiæ tuæ pati jacturam, at numquam meam spem amittam. Ad novissimum usque vitæ meæ spatium illam tuebor, atque omnes inferni Dæmones nequicquam conabuntur, ut hanc mihi divellant. *Quis speravit in Domino, & confusus est?* Eccli. 2. Novi equidem, & heu me miserum! nimium novi, me imbecillem esse, fragilem, labantemque; scio quid contra solidissimas etiam virtutes, valeant tentationes; vidi Cœli sydera, & firmamenti columnas labefactari: verum hæc omnia mihi terrorem incutere nequeunt. Donec speravero, ab omnibus adversis tutus ero, quia spes mea quati non poterit. Ita spero futurum, ut in lubrico me sustineas, contra furentes hostium oppugnationes me protegas, & efficias, ut imbecillitas mea de potentissimis etiam inimicis triumphum referat. *Idem.*

Jubet Dominus, nos sollicitos non esse, quid manducemus, aut quomodo induamur, quia ipse vult egestatibus nostris consulere; quid ultra opus est? Possumusne verbo ejus non credere; vel cogitamus, ipsum satis sese non obstrinxisse? Quid! homo, S. Chrysologus Hom. 2. inquit, earum fidem præstare tenetur hominibus, quæ in exigua papyro spopondit; Deum vero non teneatur eorum, quæ in omnibus Scripturarum paginis pollicetur? Faciamus, quod ille petit ex nobis; omnem confidentiam in ipso collocemus, & certi simus, nihil nobis defuturum. Deus Pater vester est, Salvator ait, *& scit Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Matt. 6. Hoc omnino animos nostros pacare debet, atque efficere, ut nosmet illi tradamus tamquam filios nequaquam cogitantes, ubi inventuri sint, quid comedant, aut quo induantur; in parentibus suis omnem statuentes confidentiam. Cum igitur talem habeamus Patrem, qualis ipse Deus est, hic proculdubio non poterit sinere, nos pati; quandoquidem, neque terreni Patres adeo sunt duri, & inclementes. *Abbas de Monmorel tom. 4. in 14. post Pentecostes Dominicam.* — Dei Filius vetat, ne ob ea, quæ ad victum sunt necessaria simus solliciti.

Mirandum sane est quomodo Salvatoris Discipuli adeo facile oblivisceerentur signorum, quibus magister suam illis bonitatem, atque potentiam ostenderat. Singulis momentis inspectantibus illis miracula operabatur; quamplurimos ægrotos curabat; videranque ipsi in nuptiis Cana aquas in vinum conversas; & nihilominus intelligere nequeunt, quomodo populo, qui eum sequebatur, bucellam panis posset tribuere. Nosmetipsos in hac imagine agnoscamus, & erubescamus ob modicum spei, quam in Deo nostro statuimus. Quoties neque opinantibus nobis præbuit auxilium, & manifesta indicia curæ illius, quam nostri gerit? Quoties nos de hoc, vel illo periculo eripuit? quoties effecit, ut victores evitaremus eos laqueos, quos nobis tendebant

debant inimici? attamen ubi prima nobis ingruit calamitas, quin sopitam fidem excitemus, ac illi fidenter dicamus: in te Domine speravi, ne permittas, ut confundar; quin in memoriam revocemus gratias omnes, quibus ab illo cumulati fuimus, iisque utamur, ut speremus, & petamus ab illo gratias recentes: modo in illum insurgimus, modo animos despondemus. *Idem in Evangelium Dominica 4. in Quadragesima.*

Ad Deum in adversis est confugiendum.

Ubi gravis aliqua nobis calamitas accidit, ad Deum confugere oportet, eique dicere, quod olim Apostoli: *Domine salva nos, perimus*. Debemus illius potentiam agnoscere, atque ad ipsum unum confugere omnino aliter, ac tot mali fideles, qui tempore tribulationis abjiciunt animos, vel qui ad humana dumtaxat subsidia confugiunt: non quod ea negligenda sint, quandoquidem jubet Deus, nos iisdem uti; sed quod hoc semper faciendum est cum quadam subordinatione præceptis Dei; *Salva nos*. Math. 8. Debemus illius implorare misericordiam, ac bonitatem, eumque exorare, ut nobis opem afferre dignetur: *primus*; illi necessitates nostras, & pericula, in quibus versamur, debemus exponere. Ita nonnumquam in tædii, & desolationis statum redacti, creditoris sævitia oppressi, magistratus judicio rejecti, & amicorum auxilio destituti, cum jamjam eo venerimus, ut vel in desperationem decidamus, vel insurgamus contra Deum, vel illicitis utamur rationibus, ut ex ea calamitate, quæ opprimit, ex eo tædio, quod devorat, ex ea injustitia, quæ nos perdit, eripiamur, spem omnem in Domino collocemus, eique cum Propheta dicamus: *Impulsus eversus sum, ut caderem, & Dominus suscepit me. In te Domine speravi, non confundar in æternum. Idem homilia in quartam Dominicam post Epiphaniam.*

Ad Deum confugere debemus, eumque, ut olim S. Petrus, rogare, ut nobis manum porrigat, atque sustineat, alioquin iniquitatis pelago submergendis. Si tibi infertur injuria, si in te probrum jacitur; ventus hic est, quo agitaris; iratus es (ita loquitur Sanctus Augustinus) aquilo perflat, fluctus attollitur, navis dehiscit, anima tua periclitatur: confuge ad Deum, anchoram projice, spe nitere, quæ tuæ salutis est anchora; excita JESUM CHRISTUM dormientem, excita sopitam fidem: redibit animæ tuæ malacia, & navis tua liberabitur. Alioquin enim si animum admoves illatæ injuriæ, ultionem deposces: fluctus in animam tuam ingredietur, submergeris, & certissimum naufragium facies. Errarunt Discipuli, quod non satis confiderunt in Domino, sese turbarunt, & agitarunt, dubitantes, utrum ille de ipsis cogitaret: *non ad te pertinet, quia perimus.* Marc. 2. *Idem.*

Salvator modicam Apostolorum confidentiam redarguit.

Quid timidi estis modicæ fidei? Ita Dominus exprobrat Apostolos suos. Illos nequaquam redarguit, quod ad se confugissent; quandoquidem eorum preces exaudit, eodemque temporis momento ventis præcipit, & mari, ut sedentur: sed eos corripit, quod in ipsum non satis confiderent. Jure eos castigat, quia illum habentes socium verentur; qui enim JESU CHRISTO vinculis charitatis adhæret, tempestatibus quidem agitari potest, perire non potest. Eos autem castigat, antequam sedet tempestatem, ut discamus, Sanctus Chrysostomus inquit, metum sæpe non tam ab externis malis, quam a nostra infirmitate, & fidei defectu proficisci: nobisque persuasum esse debet, hæc si adfuerit confidentia, pelagus ipsum sub pedibus nostris tamquam solidum marmor substratum iri, eaque si defuerit, solidissima fulcra pedibus ipsis cessura. *Idem.*

Numquam satis nobis diffidere possumus, numquam vero satis in Deum confidere. Nihil umquam denegat Deus solidæ confidentiæ, tantum possumus, quantum speramus, possumus omnia, si speremus omnia. Habet ille infinitam potestatem: si eidem innixus fuero, numquid decidam? Sapientiam habet infinitam: si illius consiliis adhæsero, falli ne potero? Infinitam habet bonitatem: si me illi credidero, illene mihi deerit? Infinitam habet providentiam, si me illi tradidero, illene me poterit oblivisci, vel me negligere? ego unus sum, ego eadem sum imbecillitas, quomodo de me diffidere nequeo? Sed Deus, & ego satis fortes sumus: quomodo in eo non confidam? confidentia me Deo, & Deum mihi conjungit. Ideoque asserit Propheta sperantes in Deum fortitudinem mutaturos: videlicet propriam infirmitatem relicturos, ut Dei fortitudinem induant. Homo plenus confidentia fit quodammodo ex Dei fortitudine fortis. Cederene potest, ubi maximis concutiatur calamitatibus? Ex Dei ipsius potentia potens evadit; ulline obices ei timorem possunt incutere? Sapiens fit ex Dei ejusdem sapientia, deessene possunt eidem rationes ad hos obices superandos? locuplex fit ex Dei ipsius opulentia, quid unquam in egestatibus eidem potest deesse? *Pater Nepveu primo tom. Considerationum.*

Confidentia in Deum tunc magis ostenditur, cum res est in desperatis.

Confidentia in Deum numquam magis videtur, quam cum ita confirmat homines, ut spei suæ causas hauriant ex iis, quæ eamdem deberent evertere, & exemplo Abrahæ sperant contra quamlibet spem. Qui huic nititur virtuti, nihil minus timet, quam cum omnia metuenda videntur: nihil magis sperat, quam cum omnia sunt in desperatis: numquam perfectius se Deo tradit, quam cum ab hominibus derelinquitur, & ab ipso etiam Deo, saltem in speciem, derelinqui videtur. Tunc cum *Job c. 13. etiam si me occiderit, in ipso sperabo*. Deus licet ad iracundiam maxime irritatus esset: huic tamen adeo vividæ confidentiæ resistere minime posset. *Idem.*

Admiratis nonnumquam illis, qui sine nomine sunt, sine existimatione; sine honore, conatus omnes cedere ex sententia; cum interim, qui amicos habent, & magna pollent apud optimates auctoritate, plerumque sunt malæ sortis ludibrium. Sed ratio constat. Illi quippe spem suam non in opibus, rebusque creatis constituunt, sed tantum in Deo, qui ipsis est omnia: hi vero fluxis, fragilibusque rebus tantummodo innituntur, quibus nulla soliditas inest; vel personis, quarum auctoritas illos tueri non potest ab occulti inimici insidiis, cujus fraudes nequeunt prævertere. Igitur confidentiam tuam ab omnibus rebus creatis aufer, ut illam in Deum unice transferas: mox vero inimicos omnes provoca & dic: *si Deus pro nobis, quis contra nos*; ad Rom. 8. *Desumptum ex Christianis sermonibus; sermone de nomine JESU.*

Confidentia in Deo nos ab omnibus inimicis tuetur.

Pone me juxta te, ajebat S. ille Job c. 17. *& cujusvis manus pugnat contra me*. Si juxta te fuero, audacter inimicos quoscumque provocabo; ne permittas igitur, me a te separari, & certus sum, quamtumvis magni sint eorum conatus, constantiam meam numquam esse labefactandam. Infelix Vidua, quæ ope, & præsidio cares! plurima filiorum caterva, & ære etiam fortasse alieno onusta, contempta, neglecta, ab omnibus etiam vexata, quam miseret me tui! at nostin', quid tibi faciendum! unum videlicet; ad Deum tibi confugiendum est, in eoque spes tua collocanda: ipse erit præsidium tuum, protector, asylum, perfugium, fortitudo tua: si te consanguinei tui derelinquunt, si Filii tui dolorem tibi afferunt, si misericordes homines opem tibi ferre fatigantur, si creditores, atque inimici te persequuntur; Deus numquam te deseret, omnesque eorum conatus eludes: *Joly propositione pro tertia Dominica Adventus.*

Mirum profecto est interim, quomodo humana vivendi ratio hominum fidei adversetur. Omnibus persuasum est, Deum esse bonorum omnium auctorem & fontem; & quemadmodum ab eo esse obtinuimus, ab eodem quoque cætera proficisci bona, quæ nostræ adjecit essentiæ; eique accepta referenda esse quæcumque seu naturæ, seu gratiæ privilegia. Satis vos ipsi intuemini, quid ex hac fide naturaliter consequatur: nihil videlicet nobis nisi ab uno Deo expectandum: quoniam ab eodem recipimus

primus omnia, ac plenitudinem confidentiæ, quam in illo habere debemus, deesse nobis, si in necessitatibus nostris aliunde opem, subsidiumque præstolemur. Cum Dei verbis Jeremias Propheta ei maledicit, qui in homine suam confidentiam constituit, & carneum sibi brachium facit, non illi tantum maledicit, qui omnem spem suam constituit in homine, quin aliquid a Domino expectet; sed illi etiam, qui confidentiam suam partitur, & partem in seipso, ingenio, vi, existimatione sua, partem in creatis rebus, partemque in Domino collocat: *maledictus, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Jerem.* 17. Attamen in fidelium turba, qui quotidie Deo suo vota nuncupant, ejusque opem, & præsidium implorant, quotusquisque invenitur, qui in eo spem omnem collocet, & in illius auxilio prorsus confidat! *De la Font Entretiens Ecclesiastiques pro quarta post Epiphaniam Dominica.*

Quam raro inveniuntur, qui non aliud præsidium, non aliam inquirant opem, quam ex Deo suo, huic cum Regio Propheta dicentes: *Firmamentum meum, & refugium meum es tu.* Psalm. 70. Quot sunt quotidie, qui postquam omnes conatus suos exeruerunt, omnibusque humanis consiliis, quæ sibi occurrere potuerunt, ut votorum summam consequerentur, usi sunt, quin de Deo ne cogitarent quidem, ad hunc tunc denique confugiunt, cum conatus suos in irritum abiisse vident, & se quacumque ope destitutos? Quot occurrunt, qui in carneo brachio omni confidentia constituta, ea, quæ cupiunt, vel ab industria, vel ab ingenio suo, vel a Consanguineorum auctoritate, favore, opibusque præstolantur, quin oculos in Cœlum convertant; inde eam opem recepturi, qua indigent; quamvis sæpe eos docuerit experientia, omnia hæc humana præsidia fluxa esse, atque fragilia? Quot sunt, qui primum quidem divina ope implorata, ut ex morbo aliquo convalescerent, vel ex imminenti periculo eruerentur, cum stato tempore recreati non fuerunt malo, ad superstitiones, aliasque noxas confugerunt? Hæ tamen spes omnino inanes sunt, & fallaces; non enim innituntur Deo, in quo uno hominis esse debet confidentia, ne confundatur, & ut firmum, solidumque præsidium inveniat. *Idem.*

Deus inconcussum est præsidium.

Omnem confidentiam meam in Domino constituo, hæc fundamentum tutum habet, & inconcussum, quod numquam deesse potest: *in Domino sperans*, David Psal. 25. inquit, *non infirmabor*. Hic est spes mea, hic omne confidentiæ meæ fundamentum; seu difficile aliquod opus aggressurus sim, seu ex gravi aliquo periculo mihi sit emergendum, seu molestum aliquid accidat mihi, ab uno Deo subsidium necessarium expecto. *Quidquid agendum sit*, S. Bernardus ait, *quidquid tolerandum, quidquid declinandum, quidquid optandum, tu es, Domine, spes mea, hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis.* Post hæc, idem S. Bernardus addit, deliberas adhuc, utrum abdicandæ sint spes omnes inanes, quas in creatis rebus habere possumus? Quoties amicorum infidelitatem, eorum, de quibus per quam bene meriti fueramus, ingratitudinem principum virorum, qui nobis suum præsidium spoponderant, inconstantiam; consiliorum, quæ melius inita videbantur, eversionem subita, inopinataque morte; præsidiorum, quæ solidissima, & firmissima videbantur, fragilitatem, sumus experti? *Idem.*

Non ideo putes, nequaquam licere a Deo temporalia sperare bona, & ab eodem ea petere, quibus non indigere arbitramur: ipse enim nos docuit, ut quotidianum panem flagitaremus, nobisque reperit futurum, ut ex omnibus, quæ ingruere possent, malis eriperet si ad ipsum confugeremus. Non desunt infinita Sanctorum exempla, qui nequaquam frustra eum exorarunt, seu pro suis seu pro alienis necessitatibus. Verumtamen cavendum est, ne terrena hæc præcipuum spei nostræ objectum constituant; primum Deus, ejusque justitia quærenda est, cetera vero existimanda tamquam aliquod additamentum eorum, quæ a Deo præstolamur. *Idem.*

Nostra in Deo confidentia prompta esse debet.

Confidentia nostra, ut talis sit, qualem Deus postulat, prompta esse debet, firma, inconcussa, perseverans. Magnus error est in periculis, egestatibus, calamitatibus, tunc tamdem divinam opem exposcere, cum frustra omnia tentata sunt, ut sine illius ope votorum nostrorum summam assequeremur. Cur putas, S. Chrysostomus hom. 6. in 1. ad Tim. inquit, Josephum tamdiu in carcerem a Deo fuisse derelictum, quo impudicissimæ dominæ calumnia illum conjecerat? hæc una fuit causa, quia sua fretus innocentia inde egredi celerius quæsivit, atque ut libertatem suam maturare, confidentiæ partem in pincerna Regis Pharaonis collocaverat, cui futurum prædixerat, ut dignitati suæ redderetur, & quem enixius poposcerat, ut sui recordaretur, & pro liberatione sua apud Regem laboraret. Deus rerum omnium primitias deposcit, & petit, ut ad ipsum primum confugiamus. *Idem.*

Fideles plerique in Deo non sperant.

Fatendum profecto est Christianos, qui semper pavidi sunt, & diffidentes, nequaquam in Deum sperare, sed ex eorum esse numero, de quibus per Isaiam queritur Deus: *Qui confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates; conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem; telas araneæ texuerunt.* Isaiæ 29. Tantum abest, quod in Deo sperent, & in immutabili confidant, ut omnem spem suam, atque omne perfugium in nihilo creaturarum constituant. Ambitiosus ille, ut propositum sibi honoris gradum assequatur, innititur auctoritati amici, cujus magna est apud Regem gratia, vel potius in mundanæ politicæ dolis, artibusque confidit: miles in strenuitate, & fortitudine sua; mercator in negotiorum scientia; mulier in viti sui potestate, & industria, nemo autem in Deo. Ideo omnes hi Christiani spe vacui cum quotidiana doceantur experientia, præsidia sua esse labantia, omnia sibi deficere, & interitum suum non procul abesse; perpetuis urgentur timoribus, & intelligunt omnem conatum suum telis araneæ similem esse, quæ levi flatu momento dissipantur. *Pater Texier in Dominicali sermone pro quarta post Epiphaniam Dominica.*

Eorum plerique, qui se fideles dicunt, in adversis numquam Cœlum respiciunt, nisi primum sibi terra defecerit; numquam ad omnipotentem perfugiunt, nisi humanarum artium infirmitate coacti. Donec aliquis spei radius ex rebus creatis ipsis affulget; de Deo, ejusque ope ne cogitant quidem, perinde ac vel non esset Deus, vel Dei auxilium sibi necessarium non esset. Nisi Deus omnes eisdem aditus obstruit, per quos subsidium invenire in mundo se posse arbitrentur in afflictionibus suis, se numquam convertunt ad Deum. Hoc divinam excitat iram, & accidit passim, ut inanis eorum confidentiæ objecta, Deo jubente, evertantur, creaturis, quibus innituntur, vel deficientibus, vel etiam in sperantium perniciem conversis. Plerumque Deus inania hæc conserit Idola, quibus homines sua nuncupant vota, ut inde ferant auxilium; vel iisdem utitur, ut illos perdat, atque confundat: *Confundentur ab Idolis, quibus servierunt.* Isaiæ 29. *Idem.*

Dei cor ipsum tangit, qui in eo confidit.

Scis nulla re magis homines affici, quam cum viderint ab aliquo in se omnem confidentiam constitui. Cum calamitosum aliquem videmus, qui ad nostra provolutus genua opem implorat; præsertim vero si calamitatis ejusdem certi simus, ac illi opem ferre valeamus; præterquamquod gloriosum est calamitosis opitulari; confidentia hæc, quæ satis ostendit, quanti ab ipso fiat, & lenitas nostra, & nostra potestas, efficit, ut calamitatem illius nostram putemus, eaque nobis miseratione dignior

dignor videatur. Quis vero dubitat, quominus nostra in Deum pro temporalibus necessitatibus confidentia, nova quædam sit ratio, qua victus nobis favere teneatur? In eo uno sperant, inquit Sanctus Augustinus, ne in aliis hominibus sperent. *Biroat sermone pro quarta Quadragesima Dominica.*

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. O nos miseros! Licet nobis persuasum sit de nostra simul, omniumque rerum creatarum inbecillitate; licet sciamus, Deum unum malis nostris solatium afferre posse; ipse tamen ille est, ad quem infrequentius, seriusque confugimus. O deplorabilem hominis conditionem! vel potius o miseram cordis, mentisque cæcitatem. Quamplurimis tempestatibus acti, inter scopulos, syrtesque errantes numquamne, ut olim discipuli, ad Deum confugiemus? unquamne eam quæremus malatiam, quam Deus unus nobis potest efficere? *Domine salva nos perimus.* Matth. 8. *Essais de Sermons pro quarta post Epiphaniam Dominica.*

Deus sæpe nobis negat opem quia ad alios præter ipsum confugimus.

Ideo Divinæ consolationis effectum nequaquam recipimus, quidam Sanctus Vir ait, quia nimis sero ad Deum confugimus, & antequam ad eum confugiamus omnia humana susque deque miscemus, donec eorum infirmitate perspecta novissime tandem illi vota nuncupamus. Amicus, qui se a te negligi novit, & scit a te cæterorum præsidium inquiri, ut sine illius ope optatum finem assequaris; cum tandem illius præsidium implorare teneris, exprobrat ille quidem tibi injuriam sibi illatam, eo quod a te fuerit contemptus, & quod necessitas mera, non autem confidentia in ejusdem amore, te, apud illum supplicem statuat. Si te deserit, id unum facit, quod mereris; si postquam diu te expectare, ac languere passus fuerit, ut factum cognoscens de temetipso conquereris, atque errorem tuum confitearis; tandem exorari patitur, plus præstat, quam quod mereris. Hoc ipsum de misericordia Dei dicendum est, qui per justitiam id facit, quod faciunt homines, ut suo indulgeant dolori. Ægrotas, & quin statim ad eum tuas preces effundas cætera quæcumque remedia tentas; eaque ubi irrita, & inutilia perspicis, morbumque tuum diuturnum fore cognoscis, tandem ad illum te convertis, qui si abjicit preces tuas, de quonam tibi conquerendum est, nisi de teipso, & de contemptu, quo illum affecisti? si dixerit tibi: *ubi sunt Dii, quos fecisti tibi?* Jer. 2. *Desumptum ex Auctore Anonymo.*

Quot videmus, qui fortunæ vota sua nuncupantes, eique preces suas effundentes, postquam agnoscunt eamdem cæcam esse, ac pro libidine bona elargiri, ad Deum confugiunt, & ideo solum confugiunt, quod alia quacumque spe destituuntur? Quot, ubi spem omnem in auctoritate sua, bonis, & amicis collocarunt, videntes demum omnia in irritum cedere, potentes quidem ingratos, amicos perfidos, bona fluxa, existimationem inanem, & fragilem, sese offerunt Deo, cui non offerrent; si hæc Idola sibi auxilium præstare possent? Quot videmus, qui postquam sollicitationes, assiduitates, dolos, versutias, Chyrographorum adulterationes, omniaque impenderunt ut injusta lis sibi adjudicaretur, oculos tandem in Cœlum attollunt, inde auxilium recepturi, quod ab hominibus non ulterius expectant. *Sermones morales, sermone de Providentia.*

In omnibus præter Deum confidimus.

O humanæ mentis perversitatem! quidam S. Pater exclamat, in illis, quæ hujus mundi sunt, confidentiam statuimus, in Deo vero nequaquam confidimus; spem collocamus in his, quæ non merentur, & sperare nolumus in unum illum, in quem tot ob causas sperandum est. Si enim in terram confidimus, quæ ingrata, ac sterilis est: in mare, ac tempestates, quæ adeo funestæ sunt, ac tot pariunt naufragia; si in homines, qui infideles sunt, fortunam quæ est mobilis, principum virorum favorem, qui flagilis, ingeniumque nostrum, quod fluctuans est, & sæpe fallitur; nonne deplorabilis cæcitas est, non confidere in illum, qui terræ ubertatem impertit: qui imperat mari, qui prosperæ, adversæque fortunæ solus arbiter, & Dominus est? *De S. Martino sermone in quartam Quadragesimæ Dominicam.*

Ideo pleraque consilia nostra e voto non cedunt, quia in Deum non confidimus, & in mortales tantum speramus. Alibi inquirenda non est causa plurimorum malorum, quæ nobis accidunt. Deus nobis manum non tendit, quia non confidimur in illum; jam actum censemus, ubi nulla humana spes nobis reliqua est; & ideo permittit Deus, ut nobis mortalia desint subsidia, &, uti olim S. Petrus, demergamur in mari. Si adfuerit confidentia in Deum, mare ipsum solidum substernetur pedibus nostris; ea vero si defuerit, solidissima etiam fulchra sub nobis corruent; soliditas enim non est in terra, sed in potestate Dei illam solidam efficientis, & hæc eadem potestas æque efficere potest solidas aquas, ac terram; dummodo ille jubeat nos super illam incedere. *Desumptum ex libro cui titulus; Essais de Morale.*

Hominum hæc in re imbecillitas.

Hæc mentis imbecillitas & levitas quamplurimis communis est, qui Dei opem experti pluribus in periculis, animos despondent, omnemque confidentiam amittunt, quodcumque, licet leve, malum sibi accidat. Hujusmodi erant Israelitæ in deserto, qui contra Deum abmurmurasse feruntur dicentes, numquid poterit mensam præparare in deserto? dubitant de potestate Dei obliti jam transitus maris rubri, aliorumque miraculorum, quæ in eorum gratia ille patraverat. Hujusmodi erant etiam Apostoli, cum filio Dei dixerunt ducentos argenteos nequaquam satis futuros ad emendum panem, quos vesceretur ingens illa populi multitudo, quæ ipsum in desertum secuta fuerat: postquam enim toties illis probasset, potestatem, atque divinitatem suam eorum miraculorum copia, quæ illis inspectantibus fuerat operatus; cur eo socio, & comite erat metuendum? Nonne credendum erat, futurum ut ille nosset, quomodo illorum victus consuleret? immo postquam oculis suis recens aspexerunt miraculum, quo quinque panes fuerant multiplicati, quomodonam, cum naviculam conscendissent eo comite propter obortam tempestatem naufragium se pati posse timuerunt, quasi minus illis in mari, quam in terra posset opem afferre? In hac ipsa cæcitate versantur adhuc plerique fidelium, qui comparari possunt principibus exercitus Syri, de quo sermo est tertio Regum libro, qui bellum Achab Regis Israelitarum indixerant. Cum enim vidissent innumerabilem exercitum suum exiguo Israelitarum numero internecione deletum, putarunt victoriæ hujus honorem non Israelitis, quæ res summum ipsis pudorem injecisset; sed montium Diis esse tribuendum. Quam ob rem anno insequenti decreverunt non amplius in montibus, sed in vallibus manus conserere, rati, se victoriam relaturos, nisi hostibus montium Dii tulissent auxilium. Hoc profecto est de sanæ mentis usu esse dejectum, arbitrari divinam potestatem pro diversis locorum spatiis, vel augeri, vel imminui. *Desumptum ex Homiliis Moralibus; homilia pro quarta post Epiphaniam Dominica.*

In uno Deo fidendum.

In quonam homo confidere debet, nisi in eum, qui per antonomasiam fidelis vocatur, & cujus fidelitas semper eam superavit confidentiam, quam amici ipsius in illo constituerunt: Sapiens, inquit Ecclesiasticus c. 33. credit verbo Dei, & verbum illi fidele. Sapiens nequaquam confidere debet in hujus terræ principibus. Hac de re, Dei nomine, Regius Prophetas nos admonet; quia in illis nulla securitas est, neque tanta potentia, ut nos tueantur. Sapiens in reliquis hominibus non confidit; hi enim, ut ait Scriptura, vanitas sunt, & mendacium. Sapiens non confidit neque in fortitudine sua, quæ infirmitas est, neque in prudentia sua, quæ

quæ dementia est, neque in opibus, quæ lutum, & fordes, neque in existimationem, quæ fumus. Sapiens igitur in Deo uno confidet; nam veritas ipsa testatur, omnium sæculorum decursu neminem illorum, qui speraverunt in illum, deceptum fuisse; æque brachium illius potentia, atque cor bonitate repletum esse, ut nostris necessitatibus opituletur, *Domus Israel speravit in Domino* (ita loquitur David,) & ipse *adjutor eorum, & protector eorum est. Domus Aaron speravit in Domino: Adjutor eorum, & protector eorum est. Qui timent Dominum speraverunt in Domino: Adjutor eorum, & protector eorum est*. Ut verbo me expediam, percurre, inquit Ecclesiasticus, quidquid sub sole est, & vide, utrum inter tot populos, variasque gentes, quæ sunt super terram, vel unus extiterit, qui fuerit confusus eo quod confidentiam suam in Deo constituerit. *Pater Poire libro de Scientia Sanctorum tract. 3. part. 2. cap. 11.*

Credet fortasse quispiam Sanctos dumtaxat, & amicos Dei tuto posse in bonitatem ejus confidere, quia fideliter illi servierunt; quia hac in re nihil a conscientia sua sibi exprobrari sentiunt, & quia cor ipsorum fidele hoc sibi perhibet testimonium, se posse sine metu coram divina majestate prodire. Hoc sane propugnaculum est, quo se tuetur diffidentia, sed illud evertere, & expugnare, operosum non est. Namque ex vobis quæro utrum, inter tot gentes, quæ sunt super terram, vel unus homo frustratus fuerit votis suis, postquam in Deo spem suam collocaverit; & utrum inter tot gentes vel unus homo fuerit inventus, qui minime fuerit Sanctus & Amicus Dei? Fierine potest, ut illi omnes, qui ab initio sæculorum ad hæc usque tempora in Deum confiderunt, inde speraverint, se voti damnatum iri a Deo, quod testimonium ipsis perhiberet conscientia, se Sanctos esse, & amicos Dei? Hæc proculdubio non erat Manassis sententia; Verum, qui ita loquitur, Sanctos male novit, putans ipsos suæ sanctitati innixos in Deum confidentiam omnem transtulisse; Sancti numquam hanc præsumptionem habuissent, ut se Sanctos putarent; & Sanctorum immo proprium est longe aliud de seipsis sentire, quoniam se tamquam abjectissimum aliquid existimant, & per humilitatem se indignos arbitrantur, qui cœli lumen adspiciant. *Idem.*

Nulla res Deo majorem adfert honorem, quam confidentia.

Si nihil majorem Deo adfert honorem, quam sublimes illi conceptus, quos de eodem fovemus, profecto confidentia adeo elatas nobis adstruit ideas de illius potestate, sapientia, fidelitate; ut majores concipere minime possimus. Fingite, si vobis lubet, videre Sanctus Job, illud patientiæ miraculum in sterquilinio tamquam in cathedra sedentem, & in ea malorum, quibus obruit caterva, in medio noctis obscuræ, inter cujus tenebras nihil aliud videt, nisi horroris, & desperationis argumenta; nihilominus elata voce clamantem: *etiam si occiderit me, in ipso sperabo*, si mihi vitam abstulerit, non divellet tamen de corde meo confidentiam. Nonne hæc solemnis confessio est, mereri Deum, ut rerum omnium potius jactura subeatur, quam desit in minimo verborum illius confidentia? *Idem.*

Quisnam referre potest elogia, quibus omnes Sancti admirabilem hanc virtutem prosequuntur? confidentia, quidam inquiunt, victrix est virtus, obtinens quodcumque cupit, & petit. Sanctus Bernardus, qui pretium illius agnoscebat, ait, propter illam Deo populo suo pollicitum fuisse; *omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit*. Sanctus Jacobus Apostolus addit, ad quamcumque gratiam obtinendam satis esse, eamdem non hæsitanter expetere. Hic thesaurus est, inquiunt alii, cujus pretium numquam intelligitur, nisi Deus nobis oculos aperuerit, ut illud intelligamus. Præsertim obtestor vos, fratres, ajebat Sanctus Paulus, ne pro qualibet re confidentiam amittatis. Hoc erat admirabile documentum, quod Salvator discipulis sui tradebat dicens: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Hic denique fidelis dux est, inquit Regius Propheta, tuto per omnia hujus miserrimæ vitæ pericula deducens: *deduxisti me, quia factus es spes mea*. Psalm. 60. *Idem.*

Nostra confidentia eo gratior Deo, quominus terrenis innititur opibus.

Nescio utrum umquam animadvertistis, in Scripturis sæpe haberi sermonem de Egeno, Orphano, Vidua: vos enim ipsi fatebimini, in hos tantum omnes Cœli benedictiones effundi, illosque Deo eo chariores esse, quo magis ab hominibus derelicti sunt. *Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum*. Psalm. 33. Animadvertite, hunc a Regio Propheta, non alio appellari nomine, quam pauperis: *iste pauper clamavit*. At quis non videt, illum Cœlo eo notiorem esse, quo magis in terra ignoratur? Alio in loco asserit, Deum esse refugium pupilli; pupillum extentis brachiis a Deo recipi; Deum Viduæ, ejusque filiis maximas quaslibet benedictiones elargiri, & sufficere, si qui caret defensione, & præsidio ad illum opians confugere, dixerit se unicum esse; *Unicus sum ego*. Psalm. 24. Hoc est ab omnibus derelictus. Hinc discimus confidentiam eo majorem, puriorem, & Deo gratiorem esse, quo minus præsidii extra illum nanciscitur, & certiorem viam, ut divinæ Majestati accepti simus hanc esse, si a mortalibus omnibus derelicti omnem confidentiam in uno illo constituamus. *Idem.*

Inter alia discrimina inter confidentiam quæ in Deo, & eam quæ in rebus creatis statuitur, hoc non extremum est, quod quæ in creatis rebus collocatur, conjuncta est cum assiduo timore, ne spes nostræ in irritum abeant propter infirmitatem, inconstantiam, & infidelitatem, quam in Mundo quotidie invenimus. Videmur nobis singulis momentis nuncium audire, quo res nostras in desperatis esse admoneamur, donec aliquando eum tamdem intueamur effectum, quem impatienter præstolamur. Nihil vero e contra magis hominem intrepidum efficit in iis, quæ aggreditur, quam confidentia in Deum. Diceres hanc in manu illius coram Dei omnipotentiam collocare, ejusque stipendia creaturas omnes mereri, ut illi omnia cedant ex sententia, eo usque ut in gratiam ipsius naturalibus etiam rerum omnium studiis vis inferri videatur. Hæc rupes mollit, aquas indurat, calidasque facit; hæc solem moratur; hæc montes loco cedere cogit; hæc terræ, aeri, ventis, tempestatibus imperat, hæc naturam omnem sibi subjicit. *P. du Sault tractatu de Confidentia in Deum l. 1.*

Confidentiam in Deo stituentes humana subsidia abjicere non debemus.

Mihi de confidentia loquenti non ea mens est, ut humanam prudentiam a negotiorum nostrorum cura exulare velim, & fovere hominum ignaviam & negligentiam sub hac specie in Deum confidendi. Non vult Deus inutilia efficere ea lumina, quæ nobis concessit, nostri curam gerendo; sed illa infirma, atque imbecillia reliquit, ut in omnibus operibus nostris ad ipsum confugere teneremur. Quam timidæ sunt, atque nutantes hominum cogitationes, quam breves, & parum tutæ prævisiones nostræ! Illud autem deplorabile est, quod humanæ prudentiæ satis non sit, suum obtinere locum in Consiliis nostris; sed sibi omnem eorum rationem vindicet; quin ullum locum tribuat confidentiæ. Hinc homines terrena quærunt auxilia, perinde ac aliunde opem non possent recipere. O creaturam ingratam, Salvianus exclamat, putasne Deum indesinenter tuo adesse lateri, ut in necessitatibus tui te derelinquat? nonne hic ille est, qui Cœlum, terrasque replet, ne absit ab illis, qui suam opem deposcunt? Ad quem igitur fidentius confugere possumus, quam ad summam hanc bonitatem, quæ nos tenet in manibus suis, & quæ jugiter nobis dat & vivere, & esse, & moveri? *Idem.*

Quamquam Deus sæpe amicis suis pollicitus fuerit, se effecturum, ut ipsi de hostibus cumulatissi-

tissimam victoriam referret; voluit tamen semper, ut partem laboris assumerent ea in re, quam ipse erat operaturus; & cum ab opere manum amoverunt, tunc effectus etiam divinæ promissionis, & benedictionis fructus defierunt. Receperat ille se Moysi, & Josue, adfuturum, illis præliantibus suppetias allaturum, terroremque, & confusionem hostibus incussurum: verumtamen egregii illi Duces nihil intentatum reliquerunt, ut res e voto cederet; summa vigilantia exercitibus præfuerunt, bellicis etiam stratagematis usi sunt, ut eos opprimerent, quos Deus in manibus eorum se traditurum spoponderat, Gladius Domini, & Gedeonis hæc miracula operantur, clamarunt Jud. 7. milites exercitus Domini de Madianitis triumphum agentes, & 2. Paral. cap. 14. mentio fit mirabilis victoriæ de Æthiopibus, aliisque barbaris populis relatæ, ubi Deus adspectui Regi Asa tantum terrorem addidit, ut hostibus arma de manibus laberentur, iique se internecione deleri, ac pedibus conculcari sinerent, quin ferme reluctarentur. Verumtamen, ne crederetur Deus victoriam hanc peperisse, quin exercitus Asa laboraret, adduntur explicite hæc verba, per manus Domini, atque Israelitarum cum ipso præliantium ingentem hunc barbarorum exercitum penitus fuisse deletum. *Idem*.

Deus eos exprobrans, qui in creatis rebus confidunt.

Ubi sunt Dei tui, quos fecisti tibi? surgant &c. Hoccine tempus est ad me confugiendi, cum nescis ultra quo te vertas? Nonne Deos habes, quibus quotidie adoles thura, & juxta quorum consilium omnia facta tua moderetis? Hi sunt Dii illi, qui in miserrimum hunc, in quo versaris, statum te adduxerunt; hi sunt, qui te regunt, ac protegunt; in his confidentiam tuam collocasti: ex illis ergo opem implora, & illos deprecare, ut te de iis malis eripiant, quibus urgeris; ego enim te nescio. Et alibi: *Ubi sunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam?* Deuter. 21. Surgant, si possunt, ac celeriter laborantibus ferant auxilium. *Idem*.

Natura nos docet, ut in subditis, inopinatisque casibus ad Deum confugiamus. Ethnici ipsi, qui Idolis ita adhæserunt, ut filios suos eisdem in sacrificium efferrent (adeo temporalium prosperitatum illecebræ eo excæcaverant) illi ipsi deorum suorum non recordabantur amplius, ubi fulmina sævire, aquarum illusionem ingruere, lucem grassari, aliaque percrebrescere mala videbant. Hæc formosa idola, quibus toties vota nuncupaverat, quibus toties adoleverant thura, & quæ floreis sertis fuerunt redimita, tunc temporis nulla victima, nullo thure colebantur, eorumque cultores tot ingruentibus malis oppressi ad Cœli, terræque Deum confugiebant, non alia agnoscebant numina, & obliviscebantur etiam nomina eorum, quæ antea, Lactantio teste, in lib. de origine erroris enixius fuerant venerati. Nesciebant amplius, quid Jupiter esset, quid Mars, quid Mercurius: sed relictis inanibus hisce numinibus, manus, oculosque in Cœlum attollebant, & illius tantum implorabant opem qui suis gravissimis timoribus solatium, auxiliumque posset afferre. Dubitare itaque minime possumus, naturam, ubi per se operatur, ad suum Auctorem, Creatoremque confugere, ac nos impellere, uter brachia illius nosmet recipiamus, motu quodam necessario, quem dissimulare non possumus. *Idem lib. 2.*

Nisi inopinati casus adsint raro ad Deum confugimus.

O humanæ mentis cæcitatem! quot in mundo vivunt, qui Cœlum numquam suspiciunt, nisi cum illis deficit tellus, & qui numquam ad Creatoris omnipotentiam adverterent animum, nisi creaturarum imbecillitate cogerentur? Vere dicere possumus, quemadmodum omnia mortalium genera ad Deum festinanter confugiunt, ut in subitis terroribus opem aliquam nanciscantur, vel solatium aliquod iis malis, quibus opprimuntur, inveniant; neminem e contra reperiri, qui, si hujusmodi casus absint, illius præsidium imploret; quasi alibi satis virium, & opis obtinere possent, quin de Cœlo auxilium opperiretur. Hoc satis intelligi nequaquam potest, animas tot Cœlestibus gratiis cumulatas tanta cura, & benevolentia enutritas, Dei sanguine ablutas, ejusque proprio corpore saginatas, quæ sciunt, supremam non deesse Sapientiam, qua gubernantur, minime posse in illius providentia confidere, neque ad illam confugere, nisi cum aliunde opem sperare non possunt. *Idem*.

Nonne hoc mirum, miserrimumque simul est opus esse, ut Deus nos ad extremam redigat necessitatem, si nos cogere velit, ut ad eum confugiamus? opus esse, ut omnia consilia nostra perturbet, nullamque spem nobis relinquat, ut ad pedes ipsius provoluti, petamus opem? Confunde eos Domine, ajebat Regius Propheta; cooperi faciem eorum opprobrio, & ignominiam, ac statim invocabunt nomen tuum. Nequaquam, Domine, imposterum hoc minime fiet; confidant alii, si velint, in amicis suis, in auctoritate, scientia, thesauris, exercitibus; creatarum quarumcumque rerum auxilium deposcant, ut potentiores efficiantur; de te vero non cogitent, nisi cum alia quacumque spe fuerint destituti; ego quidem certus sum, in uno te omnem spem meam collocaturum... Non expectabo gravissimas quaslibet necessitates, ut confugiam ad te; sed bonitas tua asilum erit omnium dierum, omnium locorum, occasionum omnium; sub tuam clientelam confugiam, auxilium tuum deposcam, & non aliunde nisi ab uno te subsidium præstolabor. *Idem*.

Deus neque in prosperis neque in adversis nos derelinquit.

Nequaquam dixeris, nos in rebus prosperis a Deo derelinqui, ubi per illas ea laxatur confidentia, quam in infinita ejusdem bonitate constituetemus. Quot recenseri possunt omnium temporum viri, qui cum rore Cœli, & spiritualibus consolationibus adipem quoque terræ, ac temporalia bona messuerunt? Audeo dicere eamdem prosperitatem erga ipsos esse divinæ misericordiæ effectum, quandoquidem Deus pollicitus fuit servis suis se affluenter benedictiones super eorum personas, agros, bona, Filios, universamque familiam effusurum. Omnium generum benedictiones descendent super nos, inquiunt illi Deuter. 28. ac nos undique circumdabunt, si Deo fideles erimus. Benedicti erimus in Urbe; benedicti in agro; Labor noster, & requies; negotia, & quidquid nostrum est, erunt benedicta; & vicissim indesinenter Domino nostri amantissimo, & clementissimo benedicemus. *Idem*.

Omnia mortalium bona in Scripturis illusio, & *fascinatio nugacitatis* vocantur, & ipsi etiam homines quantumvis sapientissimi, & potentissimi, non aliud quam vanitas sunt: *universa vanitas omnis homo vivens*. Psalm. 38. Quibus addit Sanctus Paulus, hujus mundi figuram præterire, atque evanescere: unde arguit, nequaquam confidendum esse in iis, quæ videmus, quippe quæ fluxa, & fragilia sunt, & jugi defectu ad finem suum properantia. Impii quoque, ac reprobi hoc in inferno fatentur, suamque reputantes imprudentiam, qua bonis hujusmodi tamquam in æternum permansuris adhæserunt, magis torquentur exclamantes, voluptates suas tamquam umbram evanuisse: *Transierunt omnia illa tamquam umbra*. Sapient. 5. Sed impii adhuc in terris viventes hoc inficiari non possunt, ubi quotidiana docti experientia norunt rerum omnium, in quibus suum præsidium constituerant, inconstantiam, infidelitatem, & fragilitatem. Illud vero magis deplorandum est, quod pertinaciam relinquere nequeunt, neque suum errorem abjicere; facere enim non possunt, quominus in mundanis rebus fluxis fragilibusque confidant, potius quam in Deo, de cujus fidelitate ambigere nequeunt. *Idem*.

Quodnam peccatum fit in Deo non confidere.

Si ex me quæris, quid mali sit, vel quod peccatum ab iis admittatur, qui in alium quemlibet, præter Deum, confidunt; quin ea recenseam mala quæ

quæ sibi constant, & infelices eorum negotiorum eventus, quæ sine Dei ope suscipiuntur; inquio, maximam Deo inferri contumeliam, non enim apertius significari potest exiguo in pretio haberi auxilium illud, quod nobis se allaturum spopondit, & existimari tutius rem perfici posse consanguineorum, amicorumque subsidio, quam eo, quod ille solemniter adeo spopondit: & magis in industria, existimatione, auctoritate, versutia humana, quam in Dei verbo spem collocari, Hoc idem est, ac credere nos validius confracto calamo, & fluentibus aquis inniti, quam illi omnipotenti dexteræ, quæ universa creavit, eaque sua virtute gubernat: idem esse, ac nobismet persuadere nullum opus esse illius præsidii, & auxilii, quandoquidem hoc invenimus, vel saltem alibi quærimus. Nonne Dei ipsius honor agitur in hac temeritate, atque insolentia infringenda? *Idem*.

Præter mala, quibus te subjiciunt, qui cujuscumque generis, peccatum admittunt; confidentiæ defectus, qui sine peccato esse non potest, alia secum trahit mala in ipsa etiam temporalia negotia. Etenim opis divinæ contemptus efficit, ut alibi auxilium inveniri non possit, & quodcumque penitus præsidium corruat; atque illi ipsi, in quibus magis confidebant, omnium primi iisdem terga vertant, eosque prodant. Ad hæc amovet Deus benedictionem suam a bonis eorum, quibus adhærent, & in quibus spem omnem constituunt. Mulieri huic virum aufert, propter quem adeo superbit; familiam hanc multa filiorum copia replet, qui omnia bona obliguriant, in illam litem suscitat, quæ ejus opes absumat; bonorum, quæ antea in domum hanc, undequaque confluere videbantur, fontem exhaurit, e contra vero efficit, ut geminentur sumptus, labores, & necessitates. Hoc anno grando messes depopulatur, & siccitas agrorum fertilitatem depascitur, altero calamitates sibi deinceps succedunt, & prava domesticarum rerum cura, quidquid bonorum ac redituum supererat, disperdit; & ecce repente hominem hunc qui in alia quapiam re, præterquam in Deo spem suam collocaverat, bonis omnibus carentem, omnique etiam spe destitutum! *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum*. Psal. 5. *Idem*.

Confidentia in Deo animam facit intrepidam.

Confidentia in Deum animam replet quadam certitudine, quæ maxima insanissimorum hominum temeritatem exuperare videtur; efficit enim, ut exercitus etiam magis formidabiles non aliud videantur, quam muscarum examina, vel acies formicarum. Hoc aperte nos Ecclesiastica docet Historia, ubi Sanctissimi Antistitis Babylæ confidentiam commendat. Cum Præsul optimus intellexisset Tyrannum nescio quem cum exercitu quinquaginta millium properato agmine accedere, ut Urbem, Ecclesiamque suam igne, ferroque vastaret, postquam jam late finitimas regiones esset depopulatus: Sanctus senex illi audacter obvius occurrit, atque Dei nomine imperavit, nec ulterius procederet; cumque ab eo sciscitarentur mortale, undenam tanta ipsius profecta fuisset constantia, respondit, se, cum omnem in Deo fiduciam suam collocasset, licet sexcenta hominum millia in aciem disposita conspexisset, nihil magis timoris percepturum fuisse, quam si agrum locustis, atque formicis plenum vidisset, Non ignoramus, alios etiam hac eadem confidentia fretos aperte fuisse professos, licet fractus in caput suum laberetur orbis, vel sub pedibus suis terra dehisceret, vel montes illos ruina sua tumulaturi deciderent; aer crebris undequaque fulgoribus, atque fulminibus coruscaret, atque omnia simul creata ad illorum interitum conjurarent, se tamen divino fretos præsidio nullo pavore iri perturbatum, *Desumptum ex Anonymo Auctore*.

Quid agebant summus Sacerdos Ozias, Cives, Senioresque Betuliæ, cum pollicebantur se hostibus deditionem facturos, nisi Deus intra quintum diem sibi fuisset opitulatus? Naturale humanæ patientiæ studium sequebantur. *Sed quid illis* Casta, fidelisque Judith ajebat? Vos, qui nos doceri deberetis, & qui seniores nostri estis *posuistis tempus miserationis, Domini*. Judith 8. Vos diem illi præscripsistis, quo vobis ferret opem, & nisi stata die opem tulerit, jam actum esse dicitis, nullumque spei locum fore existimastis. O Domine, illa oculos in Cœlum attollens dicebat, procul a me hujusmodi sensus absint: *tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti*. Quam admirabilia sunt verba hæc! tu domine omnia fecisti, tu omnibus providisti, tu in ordinem collocasti, quidquid unquam faciendum est, quod prius, quod posterius agendum: *omnes viæ tuæ paratæ sunt*: omnia judicia tua usque ad sæculorum consummationem jam lata sunt, omnia in sinu tuæ providentiæ quiescunt, *& tua judicia in tua providentia posuisti*. Illinc ea videbimus egredi: tu tempora nosti & momenta, neque nostrum est illa prævertere, ac maturare, sed ea præstolari, ac interim voluntatem tuam adorare. *Pater de la Rue in sermone de Providentia*.

Cum de rebus nostris actum jam esse putamus tunc magis in Deo confidere debemus.

Licet etiam circumundique mala te opprimerent, & Amici, qui maxime fideles videbantur, te in tua egestate desererent, redactusque esses ad incitas, ita ut temporalem opem ulterius expectare non posses: tunc magis spes tua inflammari deberet: hoc enim est tempus auxilii, Sanctus Chrysostomus inquit: hoc illud gratiosum momentum est, quod Deus expectat, ut solatium tibi afferat; hic unus tibi opitulari potest, in hoc uno confidentiam tuam debes statuere, quia cum omnia desunt, ille tamen semper fidelis permanet. Hoc de causa expectavit donec Betuliæ fame, ac siti maxime laboraretur, mulieris ministerio rerum affluentiam, ac vilitatem restiturus; donec David de Regiis sedibus ejectus, erro, & profugus in Regno suo torrentem Cedron traduceret in eo miserrimo statu, qui in Scripturis describitur, eumdem ratione magis admirabili, & prorsus divina in Judæ solium revocaturus: ut mortales hæc inspectantes miracula exclamare tenerentur, ea domini, non hominis manu fuisse patrata. *Essais de Sermons pro quarta Quadragesima Dominica*.

Ubi certum cepimus consilium relinquendi peccatum, ac Deo deserviendi, nunc constans in Deo confidentia habenda est, eique ea dirigenda oratio, qua usa est Judith, ut ipsam confirmaret caput Holofernis obtruncatura, *confirma me Domine in hac hora*, Judith cap. 3. qua agitur de gloria tua, & requie populi tui. Nos quoque Deo illum immolaturi affectum, quo prohibemur, ne eidem serviamus, dicamus similiter; *confirma me Domine Deus*, accessit jam pro me hæc hora salutis, quia tibi Victimam, quam toties poposcisti, & quam hactenus mactare detrectavi, sum immolaturus. Me mei pudet, cum adeo infirmus sim contra eum, qui & tuus, & meus est inimicus *confirma me* &c. Sæpius egregia cepi consilia, sæpius eadem adimplere conatus sum: verum ubi fatale momentum adfuit, quo ictus inferendus erat, omnis me mea virtus destituit &c. *confirma me &c. Pater Cheminais sermone de Affectu predominante*.

Modica in Deo confidentia hunc a nobis repellit, & arcet.

Nulla major amico vero inferri potest injuria, quam in eo non confidere; quemadmodum e contra nulla re magis impelli potest ad opem nobis ferendam, quam si perfectam in eodem nos habere confidentiam testemur. Non semel Dominus Apostolis suis significavit quantopere sibi eorum diffidentia displiceret: *quid turbati estis modicæ fidei?* Luc. 24. Sed qui fidenter ad illum accesserunt, mali sui solatium impetraturi, & voti damnati fuerunt, & iis laudibus excepti, quos illorum confidentia promerebatur: *O mulier magna fides tua*. Matth. 15. *non inveni tantam fidem in Israel*. Matth. 8. Esto quidem in humanis necessitudinibus homines hominibus non satis fidant; norunt enim, quam leves sunt, cupidi, imbecilles, & mendaces; verum cum nullus hujusmodi defectus inve-

inveniatur in Deo, maxima illum afficimus contumelia, cum vel parum de eodem diffidimus. *Auctor Anonymus.*

Potissima ratio, quæ nos impellere debet, ut in Deo confidamus, est amor ille, quo nos ipse prosequitur. Si cum ipse nos oderat, tot insignibus beneficiis prævertit, fideine consonum est, postquam nobiscum in gratiam rediit, nosque in filios adoptavit, velle ita recedere a nobis, ut in certum interitum tradat? *Numquid oblivisci potest Mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui,* ait ille per Isaiam cap. 49. Ad hæc cum nos diligit Deus, proprie non nos, sed Unigenitum suum diligit in nobis, cujus nos membra sumus. Ita de Divina erga nos bonitate diffidere, idem est, ac dubitare de Patris æterni erga Filium suum benevolentia, quem tantopere amat, & a quo tantum recipit gloriæ. Verum ut in Deum confidamus, non satis est, nobis esse persuasum de ipsius amore, & fidelitate; nisi certi etiam simus de ejusdem potestate. Sine hac diceremus; verum quidem est magnam Dei esse bonitatem; sed heu! consiliis meis tot obices adversantur, tot me circumstant inimici, nescio utrum illos obices auferre voluerit, & pro me quamdam miraculi speciem operari. Verumtamen cogitate Deum absolute esse universorum Dominum, nihilque istis accidere, quod ipse minime, aut velit, aut permittat. *Idem.*

Confidentia in Deû inter ærumnas, humanasque persecutiones.

Quid acerbius, quam videre omnia adversum nos conspirare, ac nos esse aliene, vel censuræ, vel derisionis argumentum? quid tristius, quam ab omnibus injuriis affici, & contumeliis; bona diripi, & scindi existimationem nostram? Verum post hæc omnia cogitate omnes has calamitates, & persecutiones permitti, ut præbeatur nobis occasio probandi confidentiam nostram, atque ut Deus sibi complaceat nos audiens ea Regii Prophetæ usurpantes verba: *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Psalm. 26. *Idem.*

Domine donec super terram in hac regione tenebrarum versor, paveo, & contremisco. Ubi reputo innumerabilem periculorum, quæ mihi imminent, hostium, qui me persequuntur, calamitatum quibus circumseptus sum, multitudinem; nisi in suo præsidio confiderem, omnem prorsus spem abjicerem. Sed infinitarum miserationum tuarum memoria, & beneficia, quibus ante ipsam nativitatem meam me cumulasti, mihi animum faciunt. O Domine, quam bonus, & suavis es! Favores eximii, quos quotidie effundis in me, mihi pollicentur ea præstantissima dona, quæ tuis amicis reservas, meam confidentiam excitant, mihique locum tribuunt gaudendi in te, suavissimis animæ meæ deliciis. *Idem.*

JESUS CHRISTUS cum tempestates desævirent, mari solum, ac ventis imperavit, ut quiescerent, ac statim procellæ ac fluctus dicto paruerunt. Cur igitur verbo illius animæ nostræ tumultus, inquietudines, laboresque perfecta in ipsum confidentia non dissipat? qui in hoc statu versantur, minime credunt, sibi ea dici verba: Joann. 14. *non turbetur cor vestrum.* Quod si cordis sui agitatio, atque tumultus ipsis relinquit adhuc cupiditatem aliquam ex tua infelicitate emergendi; considerandum est, nullam esse turbam, tumultum nullum, quem JESUS CHRISTUS pavere nolit, & nequeat, quandoquidem ipse suprema pax est. *Auctor Anonymus.*

Omnia, quæ nobis improspere accidunt confidentiæ defectui sunt referenda.

Quotiescumque in negotiis vota, & spes nostræ falluntur, nosmetipsos parumper colligamus, neque infelicis eventus aliam inquiramus causam, quam nostræ in Deum confidentiæ defectum. Cum post multos exantlatos labores, erogatosque sumptus, litem amittimus, non Judicum corruptelæ, non adversariorum calliditati vitio vertendum hoc est; cum legitima hæreditate fraudamur testamento, mala defuncti voluntas insimulanda non est; cum præcipuas ambimus dignitates, repulsam passi non est, cur principibus aut Ministris irascamur, sed nobismetipsis. Credidimus, nos industria nostra votorum summam assequi posse, quin confideremus in Deum, opemque illius deposceremus: Deus consiliis nostris non arrisit, ne aliam rationem inquiramus. *Desumptum ex libro cui titulus, Essais d'Eloquenze Abbatis d'Aubignoit.*

Qui timidi estis modicæ fidei? Vos immo Deum invocare plena confidentia debetis, scientes illum, qui ventis, ac tempestatibus imperat, qui procelloso mari malaciam reddit, cui universa omnino, ac statim obtemperat natura, dissipaturum esse nubeculam quæ vobis terrorem incussit; ipsum nequaquam ignorare, quo in statu sint negotia vestra; non eum fallere mala, quibus obruti estis, ipsumque indesinenter incumbere, ut sperantium in se, sibique inservientium necessitatibus opituletur: *ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Psalm. 120. Animarum, immo etiam corporum nostrorum custodia, ipsi cordi est; vigilat, cum illum alto demersum somno existimamus; aures, oculique ipsius semper patent, ut opem ferant illis, quorum cura sibi ab Æterno Patre credita fuit. Fructum percipiamus ex ea perturbatione, in qua JESU CHRISTI discipulos hodie intuemur; nutans eorum fides fidem nostram confirmet; eorum confidentia labefactata nostræ recentem vim atque constantiam adjiciat. *Abbas Trappensis, collatione pro quarta post Epiphaniam Dominica.*

Deus in se confidentes non deserit.

Cum olim amicis suis imperabat Deus, ne timerent, non aliam adferebat causam, nisi, se cum illis adesse: *noli timere; quia tecum ego sum.* Genes. 26. Cœli, terræque Creator; ego bonorum omnium origo; ego tecum sum, & donec in me confidentiam habueris, numquam te deseram. Aliquidne audiri potest quod majus solatium afferat, quam hæc verba? quanta fuit Jacob consolatio, cum a Deo in Ægyptum missus fuit cum hac promissione: *ego descendam illuc tecum in Ægyptum?* Ne verearis in Ægyptum descendere, ego enim tibi comes adero, & me comite, quid ultra concupiscere potes? quid! Rex hujus terræ, S. Augustinus in Psalm. 26. ait, in Ædibus suis tutus est, undequaque militibus circumseptus excubias ad eum tuendum agentibus. Mortalis homo est ab hominibus æque mortalibus defensus, tamen non metuit, non expavescit: homo vero mortalis ab immortali, & omnipotente Deo defensus trepidabit, & quiescere non poterit? O miram cæcitatem! *protegitur Imperator scutatis, & non timet; protegitur mortalis a mortalibus, & securus est; protegitur mortalis ab immortali, & timebit, & trepidabit? Pater de Sault.*

O nos miseros, Tertullianus inquit, si æternæ veritatis promissionibus nequaquam confidimus! tempus aderit, o peccatores, cum vestram calamitatem sentietis, sed heu nimis sero! Cum morituri, omnibus hisce rebus, in quibus confidentiam vestram constitueritis, extremum vale vobis erit dicendum. Tunc ad Deum confugietis, cujus justitiam provocastis: illius clementiam implorabilis, sexcentosque spei, & amoris actus elicietis: sed Deus vos ad creaturas remittet funesta spei vestræ objecta. Ubi sunt Dii, in quibus habuistis fiduciam? veniant modo, & vobis opitulentur; opes istæ, quas tamquam verum Deum colitis, vobis in extremis laborantibus opem ferant; iniquitates, quas tanta cum voluptate patrastis, vos hodie eripiant; amici, quos tamquam fortunæ vestræ columen respexistis, solatium vobis afferant. *Auctor Anonymus.*

Nostra in Deum confidentia illius præsidium meretur.

Vultisne, o fideles, Dei protectionem ab omnibus adversæ fortunæ casibus vos tueri? vultisne in vosmetipsos, familiasque vestras eas detrahere benedictiones, quæ sunt necessariæ ut felicem tranquillamque vitam vivatis non ea in conditione, in qua vos Divina providentia constituit? In Deum con-

confidite, & experiemini! quam bonus sit Deus Israel iis, qui recto sunt corde. Si quando justum tentari permittit, numquam tamen eum relinqui finit; neque finet unquam, filios suos objici turpissimæ paupertatis infelicitati. Sine hac protectione curæ vestræ, quæcumque illæ sint, inutiles erunt. Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam: vanum est vobis ante lucem surgere; ut infatigabiles sollicitæ, molestæque vitæ laboribus bona cumuletis; nisi in Domino fiduciam vestram constitueritis, universum fortunæ vestræ ædificium funditus corruet. *Auctor Anonymus.*

Cur Deus ita confidentiam remuneratur, nisi quod a fide sejuncta esse non potest? si veram haberes fidem in Deum, si vere crederes, ipsum scite omnia, posse omnia, & omnia gubernare, in ipsum semper confideres. E contra vero si hanc certam, constantemque fidem, vel amittis, vel aliquando deseris; illico decides in diffidentiam. Dei Filius Apostolis suis, qui confidentiam in ipsum amiserant, cum sæva procella in mari detonuit, hæc dixit: *quid timidi estis modicæ fidei?* Timidi sunt, diffidunt, quia modicam habent fidem. *Liber cui titulus, Instructions Chretiennes. Instruct. pro decima octava post Pentecosten Dominica.*

Confidentia in Deo semper est cum humilitate conjuncta.

Hæc est sancti Chrysostomi sententia quærentis, quænam sit causa timoris, qui in infidelibus invenitur, & superbiam esse respondentis; hæc enim efficit, ut spem nostram in nobismetipsis, non autem in Deo, collocemus. Deinde vero intelligentibus nobis exiguas vires, quæ ad nos regendos satis non sunt; timor incedit, quippe qui illud deficere fundamentum videmus, cui cupiebamus inniti. Itaque cum superbia plerumque sit audaciæ causa in iis, qui mundum sectantur; humilitas e contra in fidelibus principium est confidentiæ. Hæc efficit, ut neque nobismetipsis, neque mortalibus innitamur; hoc enim idem est, ac inniti calamo fracto, ut ait Scriptura, qui in manus incumbentis conteritur; sed innitamur illi, a quo Cœlum, ac terra sustinentur. Quamobrem si humilitas nobis non deerit, neque deerit confidentia; quæ si adfuerit, fortes erimus, invictique; namque, ut egregie S. Leo inquit: *omnia possumus in eo, sine quo nihil possumus. Idem.*

Licet in nobis nihil esset aliud, quam creationis opus, neque Deum consideraremus, nisi tamquam animarum, corporumque nostrorum Creatorem, hoc jam satis magnum esset confidentiæ argumentum. Etenim fieri non potest, Sanctus Augustinus in Psalm. 4. inquit, ut creatura magnam non habeat in factore suo confidentiam; præsertim vero si agnoverit, se non communi ratione ab eo factam fuisse: *non parva fiducia est ad factorem suum res facta, & non quomodocumque facta, sed ad imaginem Dei facta.* Quod si primæ huic creationi addiderimus, nos ab ipso factos esse *novam Creaturam* illam, de qua loquitur S. Paulus 2. ad Cor. 5. hoc multo magis confidentiam nostram debet augere. Ita contra cogitationes diffidentiæ, atque timoris, quas Dæmon nobis nonnumquam conatur immittere, nobismetipsis dicamus: qui incæpit opus meæ salutis, in me illud perficiet. *Hoc justum est sentire.* ad Ephes. 2. At enim infirmus sum, & imbecillis: verum est; verumtamen quemadmodum incæpit Deus per meram bonam voluntatem suam, per eamdem quoque perficiet. Novit ille, te opus perficere non posse, quemadmodum illud incipere minime poteras. Si tabula loqui posset, in se operis dimidium intuita, fateretur illa, se nihil aliud esse nisi rudem formam, atque imperfectam; sed simul diceret; ego me ipsam non feci; quidquid videtur in me, meum non est; omnia debentur pictoris industriæ, qui suum opus incæpit in me, & spero futurum, ut illud perficiat. *Idem.*

Omnem confidentiam in Deo collocare debemus.

In Deo omnem fiduciam nostram collocare debemus, S. Augustinus ait; ipse ea omnia fecit, in quibus confidimus: ipse melior est, quam terrena omnia; ipse major est ipsa magnitudine; ipse nobis erit pro rebus omnibus, quas diligimus. Si spem nostram in hominibus collocaverimus, pergit idem, titubans erit, ut ipsi mortales, & decidet cum ipsis; at si in Domino illam constituemus, nulli obnoxii erimus imbecillitati. Sperent alii, quomodocumque ipsis placuerit, in iis bonis, quorum est incerta possessio; confidant in amicorum suorum fidelitate, vel principum gratia: ego vero dicam; *Domine tu es spes mea.* Psalm. 90. Spem hanc nequaquam confundere, Apostolus docet; quia, ut idem Sanctus ait, ille, in quem statuimus eam, fallere nequaquam potest. Sed spes, quam in creatis quibuscumque rebus collocamus, confundit; quia illis etiam, quibus maxime favet, dubium, incertumque bonum promittit. Mortalium spes in Scripturis comparatur somniis, quibus dormientes decipimur, qui enim hæc audiunt similes sunt pauperibus, qui cum divites sint eo tantum tempore, quo dormiunt, divitias omnes amittunt, ubi expergiscuntur: spes eorum ipsos decepit, mendacio enim innixa est. *Hæc omnia ex S. Aug. deprompta sunt variis in locis.*

Frustra existimamus consilia nostra satis validis insistere fundamentis, ubi principum virorum auctoritati, amicorum favori, affinium nobilitati innitantur. Infirma, fragiliaque fundamenta, quæ momento everti possunt! potentiori dextera sustineantur, oportet, & basis, cui incumbunt solidior sit, atque magis duratura. Hujus sententiæ erat Propheta, cum eorum deflens cæcitatem, vel imprudentiam, qui sua freti fortuna superbiebant, ut illis ostenderet, eorum spem esse prorsus inanem, ajebat illis, ædificate, superba attollite ædificia, ad vestra negotia toto pectore incumbite: verum scitote, nisi dominus manum addiderit, nisi pietas, atque desiderium placendi Deo fuerit tamquam cæmentum insanas vestras substractiones confirmans, labores vestros in irritum esse cessuros. Intelligetis aliquando, vos super mobili arena ædificasse, atque levissima adversitate perflante, omnia dissipata fuisse: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Sermo manuscriptus.*

Jubet Apostolus, nos de nulla re sollicitos esse; verum precibus nostris ea Deo exponere, quæ cupimus, & Dei pacem, quæ omnem sensum exuperat, corda nostra, nostrasque cogitationes in JESU CHRISTO custodire. Hæc tamen ab omni sollicitudine securitas nequaquam prohibet rationabilem curam, ut secundum Dei ordinem, ac voluntatem pacate, atque tranquille pro virili ea faciamus, quæ cum æquitate facienda sunt; semper tamen citra sollicitudinem, & anxietatem, optimum votorum nostrorum eventum a Divina Providentia præstolantes, in qua confidentia hominis est constituenda. Hæc autem confidentia generalis esse debet, & sine exceptione tum in iis, quæ spectant ad illos, qui nos propius attingunt, tum in iis quæ ad nos ipsos. Parentes exempli gratia, nequaquam sollicitos esse decet non pro iis solum, quæ ad ipsos pertinent, verum etiam pro iis, quæ spectant ad filios suos. Ad hæc ipsa etiam confidentia interius, exteriusque requiritur, quocumque simus in statu, sive afflictionibus circumsepti, sive hominum, dæmonumque contradictionibus agitati, sive a Deo virtutis nostræ periculum faciente tentati; generatim rebus in omnibus, cum omni mortalium genere, & quovis tempore. *Boudon; libro cui titulus, Christianus interior.*

Pauci vere confidunt in eo.

Intelligamus, quonam solatio nosmetipsos orbemus, cum nequaquam innitimur stabili anchoræ, quam Sanctus Paulus firmissimum solatium appellat; & eorum calamitatem deploremus, qui, quin sanctæ huic

huic spei incumbant, sibi tantum inniti vellent, omniaque a laboribus, industriaque sua præstolari. Non enim dissimulandum est; pauci sunt, qui in Deum ex toto corde confidant, & eo modo, quo Sanctus Paulus hortatur. Facile Christiani cor dividitur, ita ut in quibusdam rebus a Deo pendeat, sed in aliis omnem confidentiam, in seipso, suisque viribus statuat: & Sanctus Paulus, qui 2. ad Cor. 1. explicitis verbis suadet, ut confidentiam nostram in Deo constituamus, fatetur, se a Deo extrinsecus maximis traditum fuisse periculis, ut in ipsum unum spem omnem transferret, qui illum eripuerat, eripiebat, & erepturus erat de omnibus malis. Quinam est, qui post hoc exemplum metuere non debeat, ne amittat reliquias omnes miserrimæ illius spei, quam in illo reponit? *Liber, cui titulus, Christianæ Instructiones; epistola pro secunda Adventus Dominica.*

Anima, ut S. Paulus ait, firmissime sperat, sed sperat cum humilitate, ac timore; hic enim videt, se in peccato fuisse conceptam, ac primo illi se alia quamplura addidisse crimina, sibi maximam esse imbecillitatem, se divinis perperam respondere gratiis, iisque non uti, quemadmodum oporteret; quæ quidem causa est metus, & humilitatis: inde vero hæc secum reputat: verum est; peccatrix sum, infirmissima, atque miserrima, sed sedem mihi contulit Deus; effecit, ut in Ecclesiæ suæ gremio ortum nanciscerer, mihi cupiditatem injecit inserviendi ei, ac saltem jubet, me in ipsum confidere, quocumque tandem in statu reperiar. Cur ego non sperem? si salus meis meritis, virtutibusque innititur, omnis prorsus abjicienda spes est; sed si innititur divinæ misericordiæ, virtuti Sanguinis Domini, & præsidio, quod mihi ad hoc se collaturum spopondit; cum spes mea ita bene fundata sit, concuti nequaquam debet. *Idem.*

Confidentia in Deo non prohibet quo minus prudenter timeamus. *Time, ne tumeas*, Sanctus Augustinus ait, quoniam adhuc procul es ab ea perfecta charitate, quæ metum omnem expellit. Hic autem metus efficiet, ut diligentissime nobismetipsis invigilemus, ut in malo quidem simplices simus, neque quidquam facere audeamus, quod vel levissimam mali speciem præseferat; pendentes vero in bono, omnibus pietatis officiis vacantes, ad quæ nostra nos impellit conditio. Denique si Deum unum timuerimus, salutaris hic metus ab alio quocumque timore nos liberabit, curam omnem a nobis semovebit, ac sensim migrabit in perfectam confidentiam, quæ timorem omnem expellit. *De Sancta Martha tom. 1. tractatuum Asceticorum; tractatu de tumultibus animi cap.* 34.

Si de mea substantia, bonisque, de requie mea, & consolatione agitur iis in angoribus, qui me perturbant, & opprimunt, si opem necessariam ab homine expecto quicumque ille sit, quamcumque ille auctoritatem in terris obtineat; anxius & inquietus sum: dubito enim, utrum satis misericors sit, ut mea infelicitate tangatur, atque utrum satis ad ea, quæ patior, adverterit animum. Si de ipsius charitate mihi persuasum est, eumque mihi gratificaturum puto; nescio adhuc, utrum miserationi ipsius par erit juvandi facultas, & an eam opem, quam cupit, conferre mihi poterit. Verum esto & bonitatem, & potestatem habeat, si illi defuerit Sapientia, atque prudentia, ut iis utatur rationibus, quibus juvare possit; illius bonitas, atque potentia mihi nullius erunt utilitatis, atque inde commodum nullum percipiam. Sed quamvis hæ tres qualitates in eodem simul invenirentur, quod quidem perraro contigit, non deest alia, quæ ceterarum effectum prohibeat: videlicet inconstantia, quæ humanæ conditioni semper inhæret, & a qua immunis est nemo. Tu unus Domine dispositionem hanc mihi potes conferre, integramque confidentiam immittere. Tu bonus es & potens. Cum bonitas tua sit infinita; fieri minime potest, ut mei non miserearis. Omnipotens es; ideoque nihil prohibere potest, quominus eam, quam vis, mihi conferas opem. Sapientia tua nullis continetur finibus, omnia ita disponis, ut semper cedant e tua sententia, nisi in nobis obicem, & appositionem inveniant. Denique non deseris, nisi desereris. Igitur in te uno omnem confidentiam meam debeo statuere. *Abbas Trappensis in Moralibus Considerationibus in Evangelium Sancti Matthei.*

S. Petri præsumptio, qui in propriis confidit viribus, lapsus sui fuit causa. Si Princeps Apostolorum, quin in semetipso, suisque confideret viribus, confugisset ad Dominum, & ab eo illam petiisset constantiam, quam se habere existimabat, & minime habebat; fidelior sane fuisset, atque evitasset malum illud, in quod miserrime cecidit. Illum dominus sustinuisset; illum, ut ita dicam, suis ulnis gestasset, ut a lapsu adeo formidabili servaret, & in infelici occasione illa, in qua calami fragilitatem & flexibilitatem ostendit, petræ soliditatem habuisset, & ostentasset. Permisisti, o Domine, ut hoc illi malum accideret, primum quidem in pœnam temeritatis, qua seipsum præ ceteris fratribus tibi arctius adhærere censuerat, ubi temere affirmavit, quod licet alii in te fuissent scandalizati, ipse numquam scandalizaretur. Secundo ut ipse suam infirmitatem agnosceret, ut semet colligeret, atque in profunda humilitate constitutus nulla umquam vi imposterum quateretur. *Idem.*

Numquam derelinquit Deus eos, qui eidem displicere verentur, & pro virili fideles permanere conantur. Dextera sua tenet eos, qui sui sunt, atque sua protectione illos ita regit, ut nec mortalium invidia, nec dæmonum improbitas ullum valeat ipsis damnum inferre. Post omnia nihil melius est, quam sese penitus committere Deo, atque in pace, integraque confidentia eidem relinquere eorum omnium, quæ ad nos pertinent, curam, & dispositionem: certos, illum omnia posse, atque rebus in omnibus, & gloriæ suæ, & saluti eorum, a quibus diligitur, consulere. *Idem.*

Nihil Christiano viro dignius efficere possumus quã nostram in Deo confidentiam constituendo. Optimum, vel ut melius dicam, unicum consilium quod fidelis in adversis capere possit, est confidentiam omnem in Deo constituere, ipsum ante oculos sibi proponere, suamque vitam instituere hac mente, ut illi placeat. Hoc adeo necessarium est, ut qui aliter fecerit, in confusione versetur, & Deus secreta justitiæ suæ dispositione permittat, ut minima quælibet in eos, qui ad ipsum non confugiunt, eas impressiones efficiant, quas maximi quilibet eventus vix facerent........ Ceterum fieri non potest, quominus in vita nostra procellæ, tempestatesque contingant: etenim in procellosis Sirtibus, arisque referto mari navigamus. Verum hoc nobis solatium affert, quod scimus, ubi illi, qui elementorum est Dominus, ventis, pelagoque imperare placuerit, fluctus subsidere, atque quiescere; omnia voci illius obtemperare; & rationem, qua hoc imperium ex illius ore elicere possumus, hanc esse, videlicet illi dicamus, non in Spiritu timoris, ut olim Discipuli, sed cum summa confidentia: *Domine salva nos, perimus*, nisi Omnipotens dextera sua naviculam nostram deduxerit, interitus noster evitari non potest. *Idem.*

Beati, qui in Dei manu fatum suum relinquunt, ac sinunt, ut ille omnino disponat de iis, quæ ad ipsos pertinent! Veritas hæc constans est, ejusque praxis adeo est necessaria, ut sine eadem vita nostra non aliud sit, quam motus irregularis, & jugis agitatio propter multitudinem actionum, sollicitudinum, curarumque, quibus repleta est, quæ negotium facessunt, & ex quibus sperati fructus hauriri minime possunt. Pro certo igitur habendum est, unum tantummodo consilium capiendum esse in ea periculorum copia, quibus sumus obnoxii, videlicet ut respiciamus Deum, ac in illo confidentiam omnem constituamus; ibi enim invenitur, quod in hominibus inve-

inveniri non potest; immo neque in iis qui nos summa charitate prosequuntur, & diligunt. Sententiam hanc sæpius in mentem revocare debemus in omnibus vitæ nostræ casibus, quæ quidem maximo erit solatio, & sine qua sæpe quacumque consolatione carebimus. *Idem.*

SUPPLEMENTUM.

Confidentia in Deo.

Infirmitas nostra exigit, ut in Deo cōfidamus.

NE metuas, modicæ fidei anima; magnam Deo inferres injuriam, si de illius bonitate diffideres, nutantemque in illo Confidentiam haberes. Melius, quam tu novit ille, quid valeas, & quid ferre possis. Singulis diebus tuam infirmitatem experta scis, quid de te, deque optimis consiliis tuis sentiendum sit tibi. Si perpendantur aliquando sensus, quos de nobismetipsis fovemus, credet aliquis, nos labefactari nequaquam posse; & postquam cum S. Petro diximus, & si oportuerit tecum in mortem ire, non te negabo; id agimus, quod ille; ancillæ vocem metuimus, turpiterque Salvatorem negamus. O quam sumus infirmi. Sed quantum infirmitas nostra deplorabilis est, tantum utilis nobis est nostra experientia, ut omnem in propria virtute spem auferat, & confidentiam. Agnoscamus, quid ipsi sentiamus, videlicet, quantum infirmi sumus; sed hæc experimentalis cognitio animos nobis non auferat; cum infirmus sum, S. Paulus ajebat, tunc fortis sum. Magna de nobis æstimatio magis officit nobis, quam propria infirmitas nostra. Ne tentemus Deum, sed in illo omnem confidentiam nostram constituamus; ideo nihil nobis benevertit, quia semper esse cupimus nostræ fortunæ opifices, vel saltem præcipui nostrorum consiliorum actores. Ne despondeamus uspiam animum, noxas nostras intuiti; dummodo illas non amemus, & nulla sit, cui clanculum parcere, & indulgere velimus, noxæ numquam nobis obex erunt, quominus salutem nostram assequamur. Exceptiones solæ gratiam inhibent, efficiuntque, ut langueat anima, quin ad Deum festinet. Si vere imperfectiones vestras ex æquo detestamini, easque omnes spiritui Dei relinquitis, hic illas, non secus ac ignis paleas absumet; sed antequam nos illis liberet, iisdem ad vos liberandos utetur. Utetur illis, ut vos humiliet, ut confundat, ut crucifigat, ut omnem, quam in vobis haberis, spem, atque confidentiam revellat. Virgas comburet igni, postquam nos ceciderit, ut amori proprio moriamur. Sub Dei manu dociles, atque constantes nosmet præbeamus. Nimiæ de futuris sollicitudines nos ad interitum vexant. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Eo plura nobis Deus confert bona, quo magis in illo confidimus.

Cur arbitramini, S. Chrysostomus quærit, permisisse Deum, ut Joseph, vir ille, per quem tot miranda patraturus erat, quem semper veluti manu deduxerat, quem destinabat futurum primum Pharaonis ministrum, & Salvatorem Israel; cur inquam cogitatis, permisisse, ut ille tandiu in carceris squallore sordesceret? Nisi quod, ut Sanctus quidam Doctor ait, Joseph nimis confidebat in auctoritate Pincernæ Pharaonis, & quod non unice a Deo libertatem suam expectabat. Hinc oblectatus est Deus diutius illum in vinculis detinere, ut intelligeret tandem non ab hominibus, sed ab uno Deo expectandam esse salutem; ac Deum ita jubere. Cur Israelitæ adeo crebris affecti cladibus fuere ab hostibus suis, sub jugum acti, & in captivitatem abducti? quia, Scriptura inquit, ad aliud quam ad Dei præsidium confugiebant. Ægyptii implorabant, opem ideoque Deus in hostium partes concedebat, ut illos deleret. Cur Sanctus Petrus postquam aliquandiu super aquas incesserat, quin submergeretur, paulo post imminentem sibi mortem extimuit? Ipse JESUS CHRISTUS hanc illi aperit causam, Modicæ fidei, inquit, cur dubitasti? quasi dixisset; si tua in me confidentia non cessasset, te semper sustinuissem, neque demersus fuisses; sed ut intelligas, me singulariter esse Deum confidentium in me, deserui te, statim ac de præsidio meo dubitare incœpisti. E contra vero David, licet puer triumphum refert de Goliath, & Gigantem omnium, qui fuerunt, sævissimum sternit. Quomodo istuc? Quia nihil in armis, nihil in sua dexteritate confidit, omnemque confidentiam suam in Deo Israel, & Deo Exercituum constituit. *Sermo Manuscriptus.*

Fundamenta, & bona cōfidentiæ in Deo.

Vita frugi, in obeundis Christianismi officiis, ac proprii status muneribus fidelitas, experientia misericordiarum Dei, quam habemus in nobis; vigilantia, & cura in noxis propriis inquirendis, corrigendisque, nec non in sincera humilitate, veraque Dei, & proximi confidentia acquirenda, solertia in nobis a nobismetipsis, terrenisque rebus avellendis, ducendaque vita pura, & vere Christiana, hæc sunt veræ confidentiæ fundamenta. Hæc illa confidentia est, quæ pacem parit conscientiæ bonæ, & pax hæc regnat in omnes cupiditates nostras, nostrasque mulcet sollicitudines; & hæc una animam inter tumultum, ac desideria, quibus agitamur, efficit tranquillam. Bone Deus! quinam vani timores, quibus angimur, tollerentur, si Dei Confidentia regnaret in cordibus nostris? Sed cur ibi non regnat? numquid nobis non suppetunt causæ ad illam habendam? Tota religio nostra nobis hanc prædicat, & nihil nos beatos in terra potest efficere, nisi vivens in Deo confidentia. *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Rationes quæ nos impellunt ad confidentiam in Deo habendam.

Admirabilis sane est Fidei nostræ cum vita ipsa oppositio. Omnibus stat Deum unicum esse fontem auctoremque bonorum omnium; & uni ejus bonitati accepta referenda esse omnia dona, quæ nonnisi ab illo expectare, ac recipere possumus. Quare igitur confidentia caremus? Poteratne melius nos ad illam habendam ciere, quam hanc unam ex nobis quærendo, ut ipse omnibus necessitatibus nostris opitulari teneretur? *Credite, quia accipietis.* Pro certo habete, vos, quidquid petieritis, assecuturos, petitamque opem vobis non defuturam, Deus suam nobis obligavit fidem, quæ quidquid ille pollicetur, effuse confert, & quæ certe confidentiam nostram efficere debet inconcussam. Cum hoc certum sit, alia quævis præcautio coram Deo inutilis est. Verum cum juramentum hominibus præ reliquis promissionibus sanctissimum videatur; dignatus est Deus illum promissis addere, ut certius nobis ostenderet, Sanctus Paulus ait, pollicitationum suarum immutabilem firmitatem. Alienæ requiruntur probationes? Numquid urgentior requiritur causa? Num aliis opus est rationibus ad spem nostram excitandam, ad confidentiam confirmandam, inflammandamque fidem? Quæ nobis felicitas est, quod infirmitati nostræ semet subjiciens Deus propter nos jurare dignetur? Possetne melius significare quam sincerum sit desiderium ejus nobis tribuendi, quod pollicetur? Quænam ergo esse debet hujus confidentiæ firmitas, quæ adeo validis innititur argumentis? Spes adeo certis suffulta rationibus quam in cordibus nostris parere debet malaciam, & tranquillitatem? Quomodo fieri potest, ut reliqui sint casus, qui nos terreant, bonorum detrimenta, quæ nos ad desperationem adigant, rerum perturbationes, quæ tumultum in nobis cieant, Deo nobis opem, præsidiumque suum offerente? *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Quid sit in Deum Confidentia.

Confidentia in Deo firma spes est, & moralis certitudo, quod Deus non solum efficere possit quod ab illo expectamus, sed etiam quod velit; quod efficiet, ut ipsi necessarias inveniamus vias quibus ad illum tendamus; cumque jam nobis Unigenitum suum, Spiritusque Sancti primitias, tamquam

salutis

salutis nostræ pignora, arrhasque tribuerit, nequeat id nobis denegare, quod sit ad rem hanc necessarium, dummodo illum, uti opus est, deprecemur. Et profecto cum ille dignatus fuerit pro nobis morti suum Filium objicere, nonne merito in illo omnis confidentia collocanda est? Nonne sperandum nobis est futurum, ut nos omni velit periculo liberare, si eidem fideles fuerimus; nos salvare, ac in regnum suum admittere; quod si desit reliquæ gratiæ omnes inutiles fient. *Idem*.

Quam parum in terrenis opibus confidendum sit. Vidi, ajebat Propheta, hominem, cujus mores erant inconditi, ac vitæ ratio prorsus abnormis; hominem, qui cum religionis parum haberet, carneum sibi effingebat brachium, & cor suum a Domino abstrahens principum præsidio, amicorum numero, suæ dexteritati, industriæque tantum innitebatur, & parum de Cœlesti ope sollicitus omnem in homine confidentiam suam collocabat. *Psalm. 36.* *Vidi superexaltatum*. Vidi hominem hunc prospero rerum omnium cursu renidentem, elevatum sicut cedros Libani, atque in sublimiori Fortunæ gradu positum. Omnia illi ridebant, omnia illi benevertebant, omnia illi prosperitatum immodicarum perpetuitatem pollicebantur: *Ibidem.* *Et transivi, & ecce non erat*. Transivi tantum, & jam evanuerat. Procerus iste, superbusque colossus in ictu oculi periit; & pretiosa hæc massa, hoc humanæ felicitatis idolum tot fulcris suffulium, & quod nullis videbatur procellis labefactandum, corruit, comminutum est, in pulverem dicto citius redactum est: *Ibidem.* *Et non est inventus locus ejus*; & tam præcipiti fuga evanuit, ut ne locus quidem, ubi assurrexerat, fuerit inventus. *Pater Croiset. Ibidem*.

Ejusdem argumenti. Talis est sors horum beatorum sæculi, horum fortunæ suæ fabrorum. *Psalm. 51.* *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum*; qui credidit se cœlesti ope non indigere: *Sed speravit in multitudine divitiarum suarum*. In potentium gratia confidit, in multiplicitate consiliorum suorum, in suarum opum magnitudine. Infirma præsidia, carnea brachia, frondes caducæ; quis non credidisset familiam hanc tutam ab omni procella, omnibus temporum vicissitudinibus superiorem? Hæreditates pluebant super caput tot hæredum; substitutiones ultra, ut ita dicam, sæculorum finem procedebant; thesauri quotidie aggerebantur; nova prædia, quæ in dies singulos acquirebantur, certam faciebant fortunam, quæ numquam debebat consenescere, titulosque accumulabant: *Transivi, & ecce non erat*. Fictiles pedes simulacri ex tot metallis conflati (præclara imago illius confidentiæ, quæ in homine constituitur) cesserunt; unus satis fuit lapis ad evertendum, & in cineres redigendum superbum illum Colossum. Sublimis hæc adeo velox fortuna, generationem alteram non expectavit; cedri hujusmodi ad primum turbinis impetum corruerunt; matris adeo opulentæ visi sunt pauperes filii. *Idem ibidem*.

In uno Deo æterno immutabili confidere oportet. Quodnam præsidium ad animi nostri ægritudines mulcendas est stabilis in bonitate Dei nostri confidentia! Quæ opulentia ad explendum cor insatiabile! Omne hominum præsidium est infirmus calamus, qui non flectitur tantum, sed frangitur. Licet eorum voluntas mobilis non esset, nihil magis caducum est, quam ejus duratio. Numquid dierum suorum sunt arbitri? Ille, in quo confidis; certus esse non potest, se cras hac luce fruiturum. Ubi semel evanuerit, quo abeunt spes omnes? Licet superstites futuri essemus omnibus patronis dominisque nostris, quam opem illi nobis morientibus essent allaturi? Omnis eorum potestas, omnis bona eorum voluntas coarctatur inter paucos hos dies, quibus nobis vivendum est; quid autem nobis prodesse possunt in æternitate? At longe aliter sentiendum est de confidentia, quam habemus in Deo, deque auxiliis, & utilitatibus, quas in illius servitute nanciscimur. Immutabilis est, ab omni mutatione alienus, omnibus vacuus cupiditatibus. Sapientia, æquitas, bonitas ipsa; nostra duntaxat improbitas efficere potest, ut ad arbitrium nostrum, ut ita dicam, mutetur. In illo reperimus simul fontem inexhaustum bonitatis, & potestatis, quæ nulli obnoxia est libidini, vel temperamento. Solus omnium eventuum arbiter, bonorum omnium origo; ipsi non beati, & voti compotes esse non possumus, donec illius gratia perfruimur. Frustra igitur in creatis rebus confidentiam nostram collocamus; unus est Deus, a quo in necessitatibus nostris omnia subsidia possumus expectare. *Idem Tomo 1. Asceticarum Exercitationum*.

Quam vana, quam labilis est spes illa, quam in amicorum, consanguineorum, creaturarumque rerum præsidio collocamus! Homines nonne mutationi sunt obnoxii? Deus autem mutari non potest. Homines esse cessant; Deus æternum subsistit. In illo invenimus semper potentem patronum, amicum benevolum, liberalem, beneficum; Dominum indulgentem, misericordem, Patrem optimum. Novit ille omnia, quibus indigemus, nostrasque preces prævertit, illis consulturus. Sufficit, ut illum diligamus, & certi sumus benevolentiæ ipsius. Quid autem non potest amor, quo ipse nos diligit? Omnia in nos conjurent creata; infernus totus nobis inferat bellum; nihil nobis metuendum est, donec in illius clientela versamur. Inter furentes procellas sævissimis objecti tempestatibus, in Deo confidamus satis est; venti, & mare obediunt illi. Nulla corporis ægritudo, quæ Dei donum non sit; adversitas nulla, quæ non sit munus dexteræ illius; nullus salutis nostræ inimicus, qui illius non sit; nullus denique eventus est, quem ipse in nostram cedere non jubeat utilitatem. Neque hac tantum in vita ejus patrocinio, & bonitati confidere possumus; ipse unus nostra consolatio est in hora mortis; & cum mundus totus nobis est inutilis, Deus unus nostram felicitatem & consolationem constituit. *Pater Croiset Tomo Primo*. Licet nobis omnia creata adversentur, nobis unus Deus sufficere debet.

Confidentia in Deo omnes theologicas virtutes complectitur. Confidentia in Deo complectitur, & vivam fidem, & justum conceptum bonitatis Dei, & spem stabilem in illius misericordia, ita ut fides, spes, & charitas a confidentia nequeant divelli. Neque mirum esse decet, si confidentia in Deo efficax adeo est, & si adeo fortiter sibi cor Dei conciliat. Diceres, Deum confidentiæ nihil negare posse. *Marc. 9.* *Omnia possibilia sunt credenti*: *Marc. 10.* *Fides tua te salvum fecit* dixit JESUS cæco secus Hierichuntinam viam sedenti. Fidei nomen in his locis omnibus tam confidentiam, quam fidem significat; & profecto nequit haberi fides, nisi confidentia habeatur. Videtur Dei Filius hanc unam virtutem exquirere ab illis, in quorum gratiam miraculum aliquod patraturus est. Hæc aptissima est ad quascumque gratias obtinendas dispositio. Nonne dixi vobis, respondet Salvator iis, qui *Joan. 11.* dubitabant, an Lazarum quatriduanum ab inferis excitare posset: Nonne dixi vobis futurum, ut si credideritis, Dei gloriam videatis? Quid autem idem ille duo cæcis, a cæcitate sua liberari petentibus? Creditisne? Confiditis, me facere posse, quod petitis? *Matth. 9.* & alibi nonne ait: Omnia, quæ orantes petitis, credite, quia evenient vobis? *P. Croiset Tomo I. Asceticarum Exercitationum pro Dominicis, festisque diebus anni totius*.

Hæc virtus fuit virtus Sanctorum Veteris Testamenti non secus ac novi. Confidentia in Deo præcipua extitit virtus omnium Sanctorum legis antiquæ. Confido certe, ajebat David, quod Dominus, a quo de Leonum, Ursorumque rictu liberatus toties fui, *Ipse me liberabit de manu Philisthei hujus*. Neque mirum est si hæc virtus adeo familiaris

ris Sanctis omnibus fuit, quippe sine illa, aliæ omnes virtutes deficiunt. Mirum non est si virtus hæc adeo placet Deo; neque enim ulla virtus est, quæ, ut ita dicam, tantum illi deferat honorem, vel quæ æquiorem contineat conceptum infinitæ illius potestatis, inexhaustæ bonitatis, indefectibilis erga peccatores omnes misericordiæ. Quam grave malum est igitur carere virtute, quæ adeo utilis est, ac necessaria! *Idem ibidem.*

Nulla hic securitas est, nisi in Dei protectione.

Deus verus est, unicuique patronus, cujus præsidium nobis est requirendum. Alia quævis protectio præter illius inanis est, vel perniciosa. Ille unus sapiens est in consiliis, fidelis in promissionibus, magnificus in donis. Si nosmet illi tradiderimus, certi sumus, numquam nos ab illo esse derelinquendos. Attenti simus dumtaxat voci illius, ut hanc sequamur. Cum ille melius quam nos, teneat, quid convenit nobis, varias nobis aperit vias, ut tendamus ad gloriam. Alios a gravissimis periculis liberat; aliorum tribulationibus probat; sed in hac statuum varietate si oculos in illum convertimus, oculos illius in nos conversos inspicimus. Brachium illius nos bajulat, dextera illius nos sustinet. Ejus protectio non minus elucet patiendi, quam vincendi vim tribuens. *Primus Accademiæ sermo, anni* 1711.

In se vel in aliis confidere, idem est ac fracto calamo inniti.

Homo semper miseriarum plenus, ac semper felicitatis desiderio occupatus nonnisi in Confidentia in Deo requiem, & securitatem potest invenire. Frustra quærit propriis viribus, vel similium sibi ope mala sua propulsare; funesta quippe docetur experientia, duplici hac ex parte conditionem suam esse miserrimam. Si seipsum inspicit, nihil nisi infirmitates, nisi malorum fontem, nisi vacuum nullis creatis rebus replendum invenit. Inquietus, anceps, suæ libidini obsequens, obnoxius varietatibus ingenii, quod ipsi dominatur, mancipium imaginationis, qua fallitur, quotidie in seipsum exercet sententiam, quam protulit Deus adversus hominem, qui sibi se sufficere putat. Ita suæ conscius infirmitatis, quæritat in creatis rebus vim, atque præsidium, quod in seipso invenire non valuit; & brevi sentiet, se nihil profecisse, nisi quod de cæcitate in cæcitatem transierit; & alienis incumbere brachiis, non magis propriæ felicitati prodesse, quam in semetipso confidere. Quod igitur illius erit perfugium? Quid consilii capiet? Fides illi prædicat, unum esse Creatorem, qui vere possit opem ferre in necessitatibus, lapsum relevare, eumque adversus inimicorum furorem tueri. *Sermo secundus Accademiæ anni* 1711.

Quidquid conetur homo, per se nequit seipsum relevare.

Confidentiam suam in creatis rebus collocare; credere sine Dei ope, illas malis nostris finem imponere posse; sibi propter propria bona plaudere, ac intus secum dicere, mihi debeo, quidquid sum; gloria, fortuna, dignitas mea sunt opera manuum mearum, non autem dexteræ Dei: hoc est non Deum, non seipsum, neque creaturas cognoscere. Et profecto quid est homo? Definiamus illum juxta regulas veritatis, & quin amoris proprii illusionibus nos falli sinamus. Quantumlibet magnus sit ex origine, & secundum finem, ad quem destinatus est; dicere possumus, quod ad temporales pertinet vires, umbram esse prætereuntem, vaporem evanescentem, folium venti ludibrium factum; qui, quidquid conetur, ut se supra vitæ hujus calamitates attollat; sibimet traditus, semper propria fatiscit pondere, ac tristitia, metuque conficitur. Tibi autem, alienum præsidium, humana potentia aliquidne soliditatis inest? Ullamne afferre vales opem? Sed quantum confidere possumus ea in potentia, quæ exiguis sane finibus coarctatur, quæ variis vicibus, perpetuisque est obnoxia tumultibus? in potentia, quam in singula momenta mors manet, & quæ labentibus tantum fundamentis incumbit? *Sermo Secundus Accademiæ anni* 1711.

Quantumvis potentes sint homines auxilium eorum sine auxilio Dei nullū est.

Nequicquam oculos nostros in creata conjicimus, ut aliquod inde in laboribus nostris solatium percipiamus; nequicquam in brachio carneo confidimus. Illi, quibus potentium patronorum nomen tribuimus, numquid semper præsto sunt, ut in necessitatibus nostris opitulentur? Numquid semper sapientes sunt, & æqui opum, dignitatum, munerum, quæ ab ipsorum voluntate pendent, distributores? Habentne illi semper rationem meriti, virtutis, juris amicitiæ, fidelitatis, qua illos observamus, & colimus? Deo benedicite, mundi hujus cultores; vestram hic testor experientiam; nonne fatebimini, ut plurimum inter homines, fidem, justitiam, gratum animum, & probitatem desiderari? Id genus sunt terrena præsidia. Sed in Deo confidentibus nil tale metuendum est. Ejus omnipotentia liquido probat, eum ab his malis nos eripere posse; Ejus Sapientia nobis veritatem judiciorum ejus in virtutum nostrarum discretione testatur; Ejus justitia nos de promissionibus illius certiores facit; ejus bonitas de certitudine protectionis illius facit fidem, cum in illo tantum speramus. Frustra asserere conantur increduli hoc esse Deum dejicere de gradu, eique tribuere negotium illius Majestate indignum, cum illum nobis fingimus actionibus nostris intentum, nostrisque necessitatibus consulentem. Hi ipsum dejiciunt qui adimunt ipsi vigilantiam super creaturas suas, & curam opitulandi illis, qui fidenter ejus auxilium deposcunt. *Ex eodem Sermone.*

Joseph magnificum est exemplum confidentiæ in Deo habendæ.

Projicitur Joseph a fratribus in cisternam, ubi eum perire volunt; alienigenæ, Divinæ Providentiæ consilio illac iter agentes, se illum empturos promittunt. Invidia illum in eam abyssum conjecerat; ipsum inde eruit avaritia. Ducitur in Ægyptum, ubi recentia infortunia, ac nova divinæ protectionis testimonia eum manent. Sed per quas vias Domine, deducis illum ad magnitudinem, quam illi destinas? Decrevisti futurum, ut hic fratribus suis imperitet, fiat Ægypti Salvator, & gloria Israel: Et ille exulat, venundatur, calumniis opprimitur, ferreis constringitur vinculis; hi ne gradus sunt, per quos ad imperium ascenditur? Apagete fallacia humanæ prudentiæ dogmata. Joseph a persequentibus exagitatur; sed Joseph fidelis est, Deus illi patrocinabitur. Elevatio illius esse debet opus Dei: quid enim possunt omnes hominum nisus, contra voluntatem omnipotentis? Esther exul est, & captiva; sed exilio, & captivitate fides illius inflammatur. Regina fit, salvet populum Judæorum jamjam propter Amani sævitiam interiturum. Bethuliæ cives frequentissimo, ac sævissimo premuntur exercitu; de illis actum existimatur; virtute, specie, fortitudine matronæ alterius liberantur. *Sermo Secundus Accademiæ anni* 1711.

Deus pollicetur sperantibus in ipsum, se auxilio futurum. Fides illius nequit deficere.

Cum tota in Deo collocatur confidentia, semper inopinata perfugia, semper insperata subsidia affulgent fidelibus in urgentibus necessitatibus. Deus solemni jurejurando se illis facturum pollicitus est; verba illius gerunt characterem suæ immortalitatis; & providentia illius adeo conformis est promissionibus ejus, ut omnes provocare possim incredulos, ut ex omnibus sæculi, omnibusque terrarum nationibus unum mihi proferant justum, qui frustra in Deo fuerit confisus. Quam validæ rationes nos impellunt, ut in terrenis ac spiritualibus necessitatibus nostris ad Deum confugiamus? Verum cum ille præsidium suum nonnisi quibusdam propositis conditionibus permittat, nostrum est serio, ac matura consideratione cognoscere, qualiter affectos nos esse oporteat illud impetraturos. *Ibidem.*

Quidquid opis a creatis rebus accipimus a

Tota morum Disciplina ad principium hoc potest revocari: Deus solus est potens, solus bonus, solus perfectus; creatis vero rebus nulla est poten-

Deo est illis potestatem tribuere. sentia, nulla bonitas, nulla perfectio, nisi quam ipse illis communicat. Unde sequitur, quod ad creata confugere, quin ad Creatorem ascensus fiat, ac illorum inniti subsidiis, tamquam iis aliquid insit soliditatis; hoc non solum est fulcrum a calamis petere, in mobili arena ædificare; sed quod cæcitatis cumulus est, Deum ipsum afficere contumelia; quoniam hoc est potestatibus terræ hujus illud grati animi tributum deferre, quod uni Regni Cœlorum debetur. Impii, qui tale audetis facinus; non timetis ut hic Deus zelotes juris sui, injustis prælationibus vestris lacessitus, iniquitatibus vestris provocatus delatos sibi honores vestros rejiciat: cum vos despecti, male habiti, & a creaturis derelicti ad illum reverti cupietis? Non timetis, ut odio habens thus rejectaneum vobis irrideat, atque eadem exprobret, quæ olim tam crebro filiis Israel, cum Deo terga vertentes mox, ut ita dicam, eidem tamquam idolo thura adolebant, ubi quidquam ipsis deficeret? *Ibidem*.

Confidentia in Deo primum Christiani hominis officium. Præcipuum Christianæ officium confidentiæ est sese totos, ac sine exceptione, Dei Providentiæ permittere, & creaturas non considerare, nisi instrumenta, quibus ille in mundi regimine utitur. Ideo ne putetis me in vobis confidere, objecta fallentia, potestates mobiles, honores inepti, opes perituræ, mortales formæ. Promissiones vestræ non aliud sunt quasi illusio, & mendacium. Sinite me in Dei, quem adoro, sinu quiescere. Ille unus certas facere potest incertitudines meas, ille unus meos potest mulcere labores; ille unus mihi verum præbere præsidium. *Ibidem*.

Hæc unum est malorū omnium perfugiū. Ex quo homo rebellis defecit a Deo, debet ille omnibus ætatibus pati. Dies ejus ex numero malorum ipsius censeri possent; & longa miseriarum series ab illius conditione separari non potest. Statim ab ipsa nativitate immergitur in malorum abyssum, quæ ille magis, magisque cognoscit pro ut in sui ipsius proficit cognitione; & annorum suorum curriculo nonnullæ voluptates ejusdem laboribus immixtæ nil efficiunt; nisi ut illi acerbiores videantur. Dolores, infortunia, adversa morbum præparant, ægrumque ad mortem adducunt. Qui de fato hoc secundum humana consilia vellet judicare, nonne viceret, a natura illi vitam fuisse concessam, ut modo crudeli, barbaroque vitæ ipsius usum eriperet? Ergo miseri sumus; at numquid necessario tales sumus? Numquid sortem nostram possumus permutare? Numquid alia nobis non superest spes, leniendi mala nostra, quam illa patienter sustinere? Hoc esset in nobismetipsis confidere, & in viribus nostris; sed hæc mera est, quæ nos fallit, illusio. Verum si omnem spem in Deo constituerimus, si fidenter opem illius petierimus, certissime malorum nostrorum vel finem, vel ingens solatium nanciscemur. Ut enim nos ad beatam hanc adduceret necessitatem confugiendi ad ipsum, & in ipso confidendi, voluit Deus, fidelitatem nostram esse pretium nostræ confidentiæ. *Ex Sermone tertio Accademiæ anni* 1711.

In mundo confidētia mera est insania. Mundum cognoscere satis est, ut intelligamus, quantum insana sit quælibet in ipso confidentia. Quid est mundus? Locus est tumultus, ubi dominantur animi ægritudines, ubi cupiditas imperat, ubi vanitas consilio est, ubi vis, & injustitia primas occupant sedes. Secundum hanc imaginem aliqua ne concipi fortuna potest sine conscientiæ morsibus, sine metu, sine adversitatibus! Adoremus Providentiam, quæ mundi favorem inanem facit, & impotentem, ut agnoscamus necessario confugiendum esse nobis ad Deum, & in illo uno fidendum: *Nos autem in nomine Domini*
Psalm. 19. *Dei nostri invocabimus*, inquit Psalmista. Et profecto quidquid creatum est, nihil nobis, nisi Deo permittente, prodest; quid enim nobis omnes Mundi proficerent vires, nisi Deus ipse causam nostram susciperet? Sin autem in illo confidimus, si eorum omnium, quæ nobis prospere eveniunt, gloriam illi acceptam referimus, cujus uniu tota est; quinam hostes nobis erunt metuendi? Quam ab universo mundo, licet in nos conjuraverit, jacturam recipere possumus? *Ex Tertio Sermone Accademiæ Anni* 1711.

Homo in semetipso non habet nisi mala; tantum abest, ut ibi felicitatem inveniat in Deo uno quærendam. Si illam perquirit in Mundo, sentit illusionem illius, & nonnisi amaritudinem repecit: & hic effectus est amoris, quo illum prosequitur Creator, ut ipsum divellat ab iis omnibus, quæ hic illi fucum facere possent. Si aliquam in terris quietem mortalis inveniret, ibi figeret spes suas, & licet Jordani proximus jamjam in terram promissam esset pedes illaturus, & post se retrospiceret, & sin minus allia, cepasque hujus Ægypti concupisceret, tamen secus oram hujus fluminis vellet permanere. Sed negat illi Deus pacem hanc fictam, quæ mortem eidem infligeret; imo eidem immittit sine ullo solamine mala, ut resipiscere teneatur. Verum si Deo fidelis extiterit, si in illo suam confidentiam collocaverit, quæ mutatio! Gratia replet cor illius; ejus gaudia pura sunt; & mala quæ patitur, in vera bona convertuntur. Si periturus orbatur divitiis; Non ægre fert; se ipsum consolatur eorum periculorum adspectu, quibus illum objecisset opulentia, & quæ ne Sapientissimus quidem mortalium potuit evitare. Si in eum persecutor insurgit, sese vertit ad Deum illius cor tranquilla pace perfundentem, & aperientem ipsi secuturam felicitatem, ubi mala fluxa, & levia gloria immortalis excipiat. Ita vir iste confidens in Deo omnia hilariter sustinet; timeret etiam, ut merces sua imminueretur, si aliquo reficeretur solatio. Plurima tolerat mala, ac si lubet, mortem ipsam: corpus illius loco victimæ est inimicis; anima vero in Dei sinu quiescit, & indefectilibus deliciis inebriatur. *Ex eodem Sermone*. In alio præterquā in Deo confidere crassa illusio est.

Quam infirmus est homo cum aliud quærit fulcrum, præter Dei manum omnipotentem! Quam cæcus est, cum alium sequitur ducem præter hoc lumen æternum! Quam insipiens, cum supremam hanc non consulit sapientiam! Quam ingratus, cum beneficiorum infinitæ bonitatis hujus obliviscitur! Quam injustus, cum partitur cor suum inter hoc bonum, quod unum est amore dignum, & illecebras sæculi fallaces! Si tamen vir hic per se adeo contemptibilis oculum conjicit in honorem, quo fit quodammodo divinæ consors naturæ per suam reparationem post lapsum, per titulum adoptionis suæ in numerum filiorum Patris Cœlestis, & per jus sub hoc titulo ad æternam hæreditatem sibi comparatum, quam gloriosam inveniet conditionem suam his omnibus prærogativis ornatam! Et quænam esse debet illius in Deo confidentia, ubi illas recte perpendat! Agnosce igitur, o mortalis, dignitatem tuam; in hoc sensu quidam Ecclesiæ Pater exclamat, & cave ne ab eadem degeneres. Homo proculdubio de tanto hoc privilegio seipsum deturbat, ubi confidentiam suam in alio quovis objecto, quam in Ente increato constituit; & nisi omnes suas illi affectiones impendit, eidem contumeliam adfert, adeoque illius amorem, & omnipotentiam lacessit. *Ex Sermone quarto Accademiæ Anni* 1711. Post tot Dei beneficia, illi contumeliam infert, qui in alio quovis confidit.

Defert homo Deo honorem ipso dignum cum, in uno illo requiescit, & sese totum eidem mancipet. Nam præterquamquod primo hoc tributo eo defungitur, quod illi tamquam unico supremo principi, absolutoque fortunæ suæ domino debet obsequium, confitens coram illo suam imbecillitatem, & nihilum creatarum rerum, sibi etiam peculiarem ejusdem promeretur benevolentiam immolans illi primogenitum suum, videlicet amorem pro- Homo unice confidens in Deo defert illi honorem Deo dignum, ejusque sibi amorem promeretur.

propriam. Extremo hoc sacrificio non sibi tantum, omnibusque mentis suæ luminibus, verum etiam vehementissimo cordis sui effectui abrenuntiat. Non amplius ut olim erga objecta terrestria pronus est; eorum enim vacuum, ac mobilitatem agnoscit. Cum fallacibus eorum illecebris æternum facit divortium, ac primum suæ originis principium repetens, illuc omnibus viribus, omnibusque votis adspirat, tanquam ad bonum supremum, a quo omnis pendet felicitas. Huic tamquam omnis beatitudinis centro inhæret, illi omnes affectiones suas devovet, in eo omnem requiem suam constituit; magis magisque unicum hoc objectum versus se attollit, & despicit omnes terræ dignitates, quibus vale extremum dixit. *Ex eodem Sermone*.

Certum nostræ salutis pignus est plena in Dei bonitate confidentia.

Plena in Dei nostri bonitate confidentia, validum est nostræ salutis præsidium. Nequissimus, criminosissimus, corruptissimus homo, qui per pœnitentiam suam ex cœno scelerum suorum voluerit emergere in confidentia hac efficacissimum, præsentissimumque inveniet omnibus malis remedium. Pœniteat, & confidat; salvus erit. Deus hoc dixit, hoc pollicitus est; ullus ne dubitandi locus est de fide, ac promissionibus illius, qui per essentiam ipsissima veritas est? Hac de causa spes anchoræ navis comparatur, quam similitudinem consecravit S. Paulus eadem usus in Epistolis suis. Licet navis turbine agitata omnium linteaminum, atque rudentum jacturam fecerit, dummodo supersit anchora, spes adhuc est futurum ut ex imminenti evadat naufragio. Hoc ipsum de confidentia in Deo dicendum est; ac dicere possumus Cain, & Judam ideo in sceleribus suis periisse, quod ad illam non confugerunt. Prior per invidiam irritaverat Deum, mox vero etiam per sævissimam fratris sui cædem: sed reprobationi ipsius cumulum adjecit desperatio; *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*. Alterum turpissimæ proditionis suæ pænituit, quam contra Dei Filium commiserat. Heu! S. Chrysostomus inquit, si ille in bonitate Magistri sui confidisset, si ad illum rediisset misericordiam impetraturus, divinus Salvator, qui S. Petro infidelitatem dimisit, & qui pro tortoribus suis oravit, procul dubio proditorem hunc ad pœnitentiam recepisset. Hujus etiam confidentiæ in Deo alius est fructus; quod videlicet validum est propugnaculum, ac fortissimus clypeus contra tentationes. Hoc apertissime Scriptura testatur: In spe erit fortitudo tua, & alibi sperabo, & nihil me poterit infirmare. Et sane quid fortius in Deo confidente? Confidere in Deo est in eo requiescere, & in adjutorium sibi illius bonitatem, veritatem, potentiam assumere. Talibus armis protecti quomodo timeamus inimicum, qui contra Deum prævalere non potest? *Paratum cor ejus, sperare in Domino; confirmatum est cor ejus, non commovebitur &c.* In hac confidentia invenitur fervor Charitatis, ut facile innotescit ex eo discrimine, quod inter diffidentem pavidumque animum intercedit, & eum, quem requirit Scriptura, & qui foras ejicit timorem. Hinc Sapiens illum, qui charitate animatus est, comparat aquilæ perniciffime volanti, ac sine obice aerem secanti. Et Apostolus primis Fidelibus nonne dicit, Deo cum fervore serviendum esse, ad quem obtinendum docet, gaudium, ac spem vias esse efficacissimas? *Auctor Recens*.

Genes. 4.

In hac confidentia robur nostrū consistit.

Psalm. 111.

Interius gaudium quod gignit in nobis confidentia in Deo nos efficit ad omnes vitæ eventus inconcussos.

Ex maximis bonis, quæ gignit nostra in Deo confidentia, est sanctum gaudium, quod percipimus ex interiori solidaque consolatione, quæ nullis vitæ casibus perturbatur. Quomodo enim vita duci potest in hoc mundo, ubi quidquid nos ambit fere juge est nobis doloris argumentum? Quomodo, inquam, vita traduci potest sine consolatione? Ubi vero hæc adeo necessaria consolatio potest inveniri? Hæc sane in honoribus, opibus, voluptatibus nulla invenietur. Hæc omnia nimis coarctata, infirmaque sunt, nimis mutationi obnoxia, ita ut solidas nobis voluptates procurare minime possint, Si quæ ibi consolationes reperiuntur, hæ fugaces sunt, quæ cor quidem fallunt non replent. Quot etiam molestæ accidunt occasiones, ubi non bona, non voluptates, non amici ullum afferre solatium possunt? Hoc uni in Deo confidentiæ reservatum est, & amori illius. Quam enim solida consolatio est! amari a Deo, & objectum esse, in quo ille sibi complaceat! Quæ consolatio scire ab illo nobis coronam præparari, quam quidquid in terris suavissimum, & pretiosissimum est, exæquare non potest! Quæ consolatio est cogitare, tenere, certo scire nos ab illo per omnes vitæ casus adduci! eos, qui luctuosiores, acerbiores sunt esse media maxime efficacia, quibus utitur, ut omnia prospere eveniant! Quæ consolatio inter gravissimas tentationes, scire, si Deus Dæmoni permittit facultatem nos aggrediendi; hanc illi intra certos fines permittere, ac secundum virium nostrarum modum; quæ cum etiam nobis deficere videntur, Deus fidelis, qui, ut S. Paulus ait, non patitur, vires nostras tentationibus superari, in ipsa tentatione nobis ad illam superandam confert præsidium! *Auctor Recens*.

Si qui in mundo sunt, in quibus cōfidere possimus quā-ta est injustitia, non confidere in Deo.

Nonne in hoc Dei gloria, & amor agitur, ut minime fallat in se penitus confitentem? Filius patri suo dicit, taliter in te conquiesco, ut a manu tua desumam statum, honorem, affinitatem, quam mihi parabis. Famulus hero suo dicit, de nulla sollicitus fortuna sum, illam, quam a te recipiam, toto pectore amplectar; tibi fideliter serviam, & quod spectat ad mei laboris mercedem, a bonitate tua pendeo. Amicus in negotii societatem assumptus ab amico fidenter illi dicit; negotia quæ inter nos instituenda sunt, tibi dijudicanda relinquo: confido in rectitudine tua, & æquitate tua, neque alium quam te arbitrum patiar. Hic amicus, herus, & pater tantam in se amici, famuli, ac patris confidentiam intuiti, num illam nullo in discrimine habere possunt, dummodo aliquis iisdem insit amoris sensus, & probitatis? Quod si fortuito occurrunt mortales ita callidi, ut in illis confidere nequaquam possimus; quænam injustitia est non confidere in Deo, ac in illius infinita misericordia non constituere omnem curam negotiorum omnium, quæ & tempus, & æternitatem respiciunt? *Auctor Recens*.

Confidentia in Deo sufficit omnibus tentationibus.

Confidentia eumdem in nobis effectum, eosdemque sensus gignere debet, quos in S. Paulo qui dicebat: *Scio cui credidi*. Illius bonitatem, fidelitatem, misericordiam probe calleo, & certo scio me in confidentia mea deceptum non iri. Tunc amor ejus hac ratione animatus se satis fortem esse credebat, ut difficillimis quibuscumque tentationibus resistere posset. Audebat provocare omnia, utrum separari posset a Charitate Dei sui, qua maxime inflammabatur. Hunc ipsum effectum ultro producit confidentia, ubicumque invenitur. Certus sum de amici mei fidelitate, & cum reputo illa amoris argumenta, quæ mihi difficilibus in rebus præbuit, & auxilia, quibus me juvit; cum illa etiam video, quæ mihi destinat pro tempore, quo curis, atque molestiis fortasse conficiar, sentio in me amorem meum, & confidentiam geminari, totum cor meum in illius amorem se effundit. Certus sum de Patris mei bonitate, cumque intueor locupletissimam hæreditatem, quam mihi præparat, benevolentiam, qua mecum loquitur, me erudit, & corrigit, nec non facilitatem, qua me lapsum iterum ad oscula admittit, sentio in me magis magisque dilectionem meam inflammari. Ita multo magis cum ea recogito, quæ pro me fecit Deus, quæ facere potest, quæ promittit, quæ donat, quæ patitur, quæ excusat, quæ jam donavit, & quamprimum donaturus est, recenti ardore succendor, qui mihi summam in eumdem confidentiam inspirat: atque

atque

atque si in me vel minimum frigus reperiretur; mihi satis esset memoria misericordiæ illius, ut illud confunderem, atque suum in me amorem redintegrarem. Ita sentiebat Sanctus Ignatius Martyr, cui plane explorati esse debebant caracteres, & vis sancti illius amoris, quo conflagrabat, cum scribens ad Magnesios gratulabatur, quod omnem amoris sui erga Deum, & JESUM CHRISTUM in plenitudine spei, quam in eodem habebat, extensionem ostendebant. Et profecto misericors Domini nostri bonitas nos ad illum impensius diligendum impellit; confidentia, quam nobis inspirat, amori nostro suam dulcedinem, ac vim impertit; & ut verbo me expediam, spiritus ille adoptionis, de quo loquitur Sanctus Paulus, quem in JESU CHRISTO recepimus, nos docet non quidem contremiscere servorum instar, sed amare, ut filios decet; fidenter Deum nostrum invocare, illi sine anxietate servire; in pace opperiri panem, & cibum, quem nobis illius destinat benevolentia: neque enim accepimus, inquit Apostolus, spiritum servituris, & timoris, sed spiritum adoptionis Filiorum Dei, qui efficit, ut peramanter illum Patrem nostrum vocemus. *Idem*.

Cuinam rei hæc inniti debeat confidentia.

Attente nobis consideranda sunt teneræ hujus confidentiæ, quæ justis omnibus inspiranda est, fundamenta. Quænam hæc sunt? Infallibilis Dei veritas, Omnipotentia Dei, bonitas infinita Dei. Confidentia nostra potestne firmioribus principiis inniti? *Maledictus homo qui confidit in homine*, inquit Scriptura, ac inter eas rationes, quæ confidentiam in creatis rebus efficiunt damnabilem, illa vel princeps recenseri potest; nempe imprudentia confidentiæ, quæ fundamento nimis fragili innititur, quod confidentis spem nonnisi fallere potest. Quod enim bonum, quod subsidium expectari potest ab illo, in quo fere vel veritas, vel voluntas, vel potentia deficit? Talis est homo in terrenis confidens; cor ejus plenum est dolo, & mendacio; raro aliis opitulari vult; promittit, sed promissiones ejus fictæ sunt; si sincere vult, non vult efficaciter; si efficaciter vult, non vult constanter; & licet sincere, efficaciter, & constanter vellet; immo vellet omnes suas curas, laboresque impendere, ut quod vult, e sententia contingeret; sæpe bona illius voluntas inutilis est; sæpe in inanibus desinit votis; quia potestas illius nimium angustis finibus arctata cor suum non sequitur; & licet amicitia nullos habeat cancellos, potentia adeo angustis continetur, ut pro eo, quem amat, non multa perficere possit. Quæ igitur insania est in illo confidere, a quo adeo exiguum subsidium expectari potest! Quod autem deest homini, hoc prorsus in uno Deo reperitur; Veritas æterna, immutabilis, & infallibilis, quæ a mendacio æque distat ac a nihilo, & quæ nihil pollicetur, quod non magnificentius, uberiusque largiatur: Potentia nullis finibus coercita, cui omnia in Cœlis, in terris, in inferis parent. *Auctor Recens*.

Jerem. 17.

S. Spiritus in Scriptura in singulis fere paginis nos ad plenam hanc in Deo cõfidentiam hortatur.

Nihil in Bibliis frequentius est, quam officium nostrum aperiendi cor huic sanctæ confidentiæ, & omnis Scriptura in hoc unum attenta videtur, ut videlicet excitet in nobis sensum hunc adeo justum, qui nobis etiam summæ esse debet consolationis. Quorsum enim tot descriptiones misericordiæ, & infinitæ bonitatis Dei expectantis, recipientis, excusantis peccatorem, & ignoscentis illi, qui ad ipsum ex corde revertitur? Quorsum tot assertiones, a Deo nos unice diligi; illum delicias suas reputare esse cum filiis hominum; illum velle salvare nos, & nolle nostrum quemquam perire; moderari tentationes, ne sint infirmitate nostra graviores? Quorsum tot historiæ, tot symbola, tot verba adeo permoventia, & blanda? Modo mater est tenens filium suum inter ulnas, quæ numquam illius importunitatibus fatigatur; modo sponsus fidelis infidelem sponsam invitans, ut ad ipsum post errores suos redeat, & promittens, se illam benigne excepturum; modo Pater irruens in oscula filii, qui patrimonium suum obligurierat; modo adulteris, Publicanis, Furibus, meretricibus peccata dimittit, iisque cœli januam pandit. Quorsum igitur tot documenta, si nobis integrum est oblatam per illa consolationem respuere? Et quoniam tanta sollicitudine Deus nostram excitat confidentiam; nonne consiliis ejus resistere est intra timores, & metus nostros contineri, ac diffidere. Cæterum in Scripturis non solum legem sperandi in Deo deprehendo; sed video etiam gratias, & remunerationes huic spei, & spei consummatæ, de qua loquor, adnecti? Illi, qui sanctam hanc foverit confidentiam, inquiunt sacra Biblia, hæreditas æterna destinata est; & hic sanctum montem possidebit. Et item beatus ille qui confidit in Domino; erit tamquam arbor posita secundum decursum aquarum, quibus fertilis fiet; dabit flores, & fructus in tempore suo. Siccitas non illi nocebit, nec metuet tempestates: Et item alibi: quia confidis in me, liberabo te. Illud vero, quod multo magis fervorem nostrum animare debet; hoc est, quod Spiritus Sanctus millies ibi repetit, sine ulla exceptione dicit, immo etiam cum jurejurando asserit: beatus est, qui confidit; benedictus est a Deo, & hunc spes sua minime fallet; ille non erubescet, quoniam confidentia sua numquam erit illi probro. Quid ultra requiritur, ut confirmemur? Deus loquitur, Deus promittit, Deus spondet, Deus jurat; numquid hæc omnia frustra? Beatus homo, dicere possum cum Tertulliano, felix homo, cui Deus tanta pollicetur! Nimis potens hic homo, si Deo juranti fidem non adhibet. *Idem Auctor Anonymus*.

Diffidentia semper est contumeliosior bonitati Dei, quam præsumptio.

Sunt quidam alieni a præsumendo in bonitate Dei; qui norunt quanta sit necessitas salutem suam operandi, & illam reipsa operantur; & id audenter, & generose operantur. Mundum ejusque voluptates non amant; peccatum usque ad scrupulum metuunt; seduli sunt in officiis status sui rite obeundis; meliorem temporis partem in precibus, & praxi operum Charitatis impendentes. Tamen inter has sanctissimas occupationes nullum eisdem afferre solatium divina videtur misericordia. Perculsi terribili conceptu judiciorum, & justitiæ illius obliviscuntur, quam amabilis sit Deus homo, Deus puer, Deus Salvator, & id solum cogitant, quid terroris sit in Deo judice, Deo ultore, Deo severo. Vix in hoc audent sperare. Divinus amor, cui tanta inest erga alios suavitas, illos non allicit, quapropter inquieti sunt, ac metuunt, ne illum satis ament. Dolent, contremiscunt, turbantur; afflictum cor illorum in virtutum praxi nullam gustat dulcedinem aut requiem; nam dicere possumus, si confidentia quandoque ad præsumptionem usque ascendit; non deesse justos, quorum timor nimis acer aliquando cedit in desperationem. *Auctor Recens*.

Si fideli amico injuriosa est diffidentia, quanto magis Deo, qui neque infidelis esse potest, neque inconstans.

Ut humanum loquar, & secundum infirma nostræ rationis lumina, nihil bono cordi gravius est, & nihil contumeliosius, quam de illius ambigere amicitia, quam de promissionibus illius dubitare, quam officiosis illis oblationibus ob inanem metum non cedere. Idem est Regi insultare, ac de ejus potestate dubitare; amicum afficere injuria, ac de illius benevolentia, officiisque ambigere; & mea quidem sententia, amicitiæ ex æquo nocet diffidentia, ac ingrati animi vitium. Est etiam ingratitudinis species, cum vetat, ne confidamus in amicitia, quæ jam non semel probata fuit; non enim potest aliquis de amici alicujus sinceritate, & officiis dubitare, nisi antea omnium rerum, quibus amicus alter de eo perquam benemeritus fuit, fuerit oblitus. Si diffidentia & timor adeo amicitiæ opponuntur, numquid minus

minus adversabuntur Charitati? Si homini sunt contumeliosæ, qui velit, nolit, mobilitati est obnoxius, numquid non erunt Deo, qui in duratione sua, æque ac in misericordia est æternus? *Ibid. Recens Auctor*.

Quantumvis scelesti simus, scelestissimi evadimus, si de divina misericordia dubitamus.

Confidentia Deo gloriosa est; hoc Regius docet Propheta. Rex iste, cui tanta erat metuendi causa, post enormia, quæ commiserat scelera, qui omnem criminum suorum sentiebat confusionem, omnemque enormitatem ingratitudinis, quam contra Deum commiserat; qui divinam in se armatam videbat justitiam, censebat se non aliter posse divinam flectere iracundiam, quam pro viribus eum glorificando, quem operibus blasphemaverat. Sed quem honorem, quam laudem, quam gloriam illi tribuere poterat satis ad reparanda scelera accommodatam. Præstantissima, & perfectissima illi visa est; in dei bonitate confidere. In te sperabo, Domine, ait ille; utique semper sperabo in te, & coronabo obsequio hoc spei meæ, quod defero misericordiæ tuæ laudes omnes, quas homines tibi possunt conferre. *Idem*.

Perfecta quies qua fruitur justus sub alis providentiæ.

Justus, cui persuasum est, Deo cordi esse quidquid ad ipsum pertinet, Deum utilitati suæ magis quam seipsum invigilare, & curam gerere eorum omnium, quæ ad ipsum referuntur; suaviter requiescit sub tegmine alarum suarum, & ad umbram Providentiæ ipsius, quin aliqua quæcumque res illi negotium facessat. Videt procellas, ac tempestates sub pedibus suis coalescere, quin animæ suæ tranquillitas perturbetur; accedit circum se tentationis, & persecutionis ventos furere, quin terreatur. Deo uni adhærens videt sub oculis suis fascinantem mundi hujus figuram, scenæ alicujus instar; sed vix illam intueri dignatur. Fortuna sub pedibus ejus rotam circumagit suam, alios quidem attollens alios autem deprimens, quin illum de gradu valeat deturbare. Constans in adversis, modestus in prosperis, semper æquo incedit pede. Etiamsi terra concuteretur, Cœli labefactarentur; mundi hujus moles dissolveretur, impavidum ferirent ruinæ. Cum enim omnia in illo inveniantur, quem amat, nihil extra illum quærit; strenue contemnit quidquid mundus eidem offert; & quidquid mundus totus eidem exhibere, ac polliceri posset, illum tentare minime valet. *Sermo Manuscriptus*.

Licet Dei Filius nos doceat cōfidere in Providentia Dei, pauci tamen confidunt.

Frustra Dei Filius nos admonet nobis esse Patrem in Cœlo, cui cura est alendi aviculas, quin sationis, aut messis laboribus exerceantur; Frustra, repetit ille, liliis agri, qui non laborant, neque nent magnificos ornatus impertit; Frustra hæc est, Christiani, ut plurimum, parum confidunt in illo; quamplures etiam nullam omninò in eo spem habent; & ubi adversis premuntur, magis suæ dexteritati, & nonnumquam malis artibus confidunt, quam curis divinæ Providentiæ. Si igitur non expectant illi a divina Providentia subsidia, quæ ille numquam negat minutissimis etiam animantibus, & quæ pollicitus est illis qui in ipso confiderint; hoc certissimum est argumentum, in eorum corda non esse hanc spem, quæ est propria filiorum Dei, & cujus terminus, ac merces est Regnum æternum. Cum igitur hæc spes in bonitate Dei una sit ex Januis Cœli, & sine illa nemo salutem suam valeat operari, palam sequitur, nonnisi exiguum esse posse numerorum eorum, qui salvantur. *Cardin. Bellarminus in Opusculis*.

Hujus rei argumento est multitudo conquerentiū.

Spes Christiana nos docet, suadetque præsentibus bonis abrenuntiandum esse, spe futurorum. Hæc efficit, ut pauperibus erogemus quidquid habemus, affirmans quæcumque erogaverimus nobis cum fœnore esse retribuenda; quamvis nemo hactenus, nisi eminus viderit quasi per obscuræ nubis caliginem magna bona, quæ nobis sunt in omnem æternitatem promissa. Facile est persuadere agricolæ rationem; plurium quippe annorum doctus experientia scit in singula grana, quæ terris creduntur, centum colligi; & si cum labore feritur, metitur cum jucunditate; sed in terris non experimur, eleemosynam, quæ pauperibus erogatur, producere se centuplum in cœlo, ubi nemo fuit. Hinc tam ægre, atque gravitate visibilia relinquuntur bona, spe invisibilia consequendi. Alia est etiam ratio gravissimæ difficultatis firmiter in Deo confidendi; multitudo nempe calamitosorum, qui ubique videntur gemere, clamare, ac tristitiæ, ac desperationi se tradere. Tamen certum est, a Deo numquam eos deseri, qui in divina ipsius misericordia confidunt, quos sin minus omnibus liberat miseriis, illis saltem impertit patientiam, quæ necessaria est, ut inde proficiant. Nonnumquam etiam eos in afflictionibus eorum ita consolatur, ut cum S. Paulo dicere possint; *Superabundo gaudio in omni tribulatione mea*. 2. ad Cor. Multitudo igitur conquerentium in miseriis suis certum est argumentum, quod si ore hæc Regii Psaltis verba proferimus; *Deus refugium nostrum, & virtus*, pauci sunt, qui vere illa corde pronuntient. *Cardinal. Bellarminus in Opusculis*. Psalm. 45.

Permisit Deus divites, & pauperes esse ut omnibus merēdi occasionē preberet.

Voluit Deus ex hominibus alios esse divites, alios pauperes, ut omnibus adesset exercendæ virtutis occasio, & omnes simul conjuncti permanerent vinculis amoris proprii. Hoc pacto divites charitatem, & misericordiam exercent, pauperes vero patientiam, & humilitatem. Divites egent pauperibus, sive ad agros excolendos, sive ad oves pascendas, sive ad mechanicas artes exercendas, sine quibus vitæ hujus commoda plane deessent. Pauperes vicissim divitibus indigent, a quibus sibi præbetur, unde vivant; & licet cum hoc auxilio aliquid illis tolerandum supersit, injuria de divina Providentia conqueruntur. Deus enim, qui amat omnes homines, eorumque necessitates cognoscit, numquam deest, quominus singulis eorum tribuat, quod illis accommodatius est, ut cœlum lucrentur. Ita agere censuerit, tamquam sapiens Medicus, qui juxta ægrotantium affectiones aliis dietam, aliis imperat cibum. Quot sunt in Cœlo pauperes, qui si divites fuissent, numquam illuc fuissent ingressi? *Cardin. Bellarm. in Opusculis*.

Confidentia in Deo efficit, ut maximos quoslibet obices superemus.

Cum in uno confidimus Deo illos superamus obices, qui videntur invicti, & operamur ea, quæ communes hominum vires longissime excedunt. Nullum umquam fuit iniquius certamen, quam adolescentuli David a Gigante immanis formæ, a capite ad pedes ferreis armis circumdato; tamen Scriptura docet, adolescentem illum misisse manum in peram suam, arreptumque inde lapidem funda ejaculatum fuisse, ac cæcidisse Philistæum, qui corruit in faciem suam. David nullum habebat ensem, cum Regi se obtulit singulari certamine pugnaturus contra sævissimum, teterrimumque adversarium, qui unus universis copiis Israel terrorem injecit; arripuitque victi Goliath gladium, quo illum conficeret, & immane caput abscinderet. *Liber, cui titulus: Axiomata cum exemplis ex Scriptura depromptis*.

Deum honorat, qui omnem in eo statuit suam confidentiam.

Confidentiam in Deo nostram collocare non possumus, nisi illum credimus in dictis veracissimum, optimum, ut nobis opem ferre dignetur, sapientissimum, ut opitulandi rationes nanciscatur, potentissimum, ut in favorem nostri exequatur, quidquid supra creatarum rerum vires positum est, prudentissimum ut ad id suavissimis, certissimisque rationibus, quæ humanam fugiunt prudentiam, exequatur, magnificentissimum, ut petita nobis concedat, denique infinite misericordem, ne jugibus infidelitatibus nostris actus misereri prohibeatur. At ita de Deo sentire, idem est ac ipsius essentiæ tributum debitum offerre, eique juxta Prophetæ Regis verba, ei victimam laudis, & gratiarum actionis offerre. *Dictionarium Morale*.

Dei potentia, & amor erga nos nostrā excitate

Invenitur in Deo quid efficere potest, ut hominum confidentiam mereamur; summa potentia, & amor paternus erga nos. Hic ille est, qui transfert

debent confidentiam,

fert quo vult montes; qui terram concutit, & Universorum columnas fulcit. Fieri ne posset, ut tantus Dominus in thesauris suis invenire non posset, unde nostræ consuleret egestati? Hujusmodi credebantur olim Ethnicorum Dei, quorum potestas, non secus ac Divinitas nulla erat; sed quis capere potest quanta in Deo Israel sit potentia, & quanta erga homines amoris magnitudo? Ego, inquit ille per Prophetam, sum pater vester, & quasi Patris nomen non sufficeret, ut ipsi intelligeremus amoris ipsius erga nos quantitatem; seipsum matri comparat; addit etiam, non deesse matres, quæ non adeo constanter amant suos filios, ut ille nos; esse, quæ statim obliviscuntur, se matres esse; se autem numquam obliturum, nos esse filios suos: *Sed etsi oblita fuerit mulier infantis sui, ego tamen tui non obliviscar*. Ita loquitur per Isaiam Prophetam. *Sermo Manusc.*

Isaiæ 49.

Ipsi tantum in Deo confidere quantum in nobis diffidere debemus.

Ad nosmet confirmandos cogitemus, non in nobis, sed in uno Deo esse confidendum. Tunc nostra de propriis viribus diffidentia non innuit defectum consilii in suscipiendis qualibet in occasione iis, quæ ad gloriam Dei conferunt; potius vero significat vivam, sinceramque cognitionem nostræ infirmitatis in nobis, quæ efficit, ut jure de nobis diffidamus. Curæ tantum nobis de nostra metuentibus infirmitate sit, ut magis, magisque speremus; etenim ejus misericordia semper major erit nostra indignitate, & potentia nostra infirmitate. Ille facit quidquid sibi libitum fuerit, & potenti manui illius nihil potest resistere. *P. Segneri in Meditationibus suis.*

Ipsa in viribus nostris diffidentia, quæ efficit ut ad eum confugiamus illi est jucundissima.

Quantum Domino jucunda est nostra in propriis viribus diffidentia! Multo illi acceptiores sumus, quam cum nosmet firmos, & constantes arbitramur, quia Deus vulgo audaces animas confundit. *Domine non relinquis præsumentes de te, & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias.* Et profecto videmus plures in virtute sua confidentes, in præliandi occasionibus turpiter defecisse; *Intendentes, & mittentes arcum, conversi sunt in die belli*; cum interire qui timebant, in die prælii steterunt, quia suæ fragilitatis cogitatio illos humiliabat, efficiebat, ut sibi carerent & pro tentationis die ad illum confugerent: *Cum infirmor, tunc potens sum*. Ne igitur animos despondeamus, cum cederemus, ut nobis videtur, si nobis violenta tentatio esset propulsanda. Tunc solum speremus, fore ut resistamus non quidem cum viribus nostris, quarum exilitatem cognoscimus; sed cum auxilio Dei, qui nobis suppetias allaturus est indigentibus. *Dominus mihi adjutor. P. Segneri Tomo 5. Meditat.*

Judith. 6.

Psal. 77.

2. Cor. 12.

Confidentia in Deo nobis commendatur in scripturis.

Confidite in Deo ex toto corde vestro, nobis Deus ipse dicit, per os Sapientis; considerate quidquid hominum est inter Gentes, & scitote neminem, qui in Deo speraverit, fuisse confusum. Quis est ille, qui fidelis in Dei cultu permanserit, & ab illo derelictus fuerit? Qui illum invocavit, & fuit ab illo contemptus? Patres nostri speraverunt in te, inquit Propheta, & liberasti eos, clamaverunt ad te, & salvasti eos, confiderunt in te, & non fuerunt confusi. Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet: Omnem sollicitudinem vestram in Deum projicite, quia ipsi cura est de vobis. Væ illis, qui deficiunt corde, Sapiens ait, qui non confidunt in Deo, & quibus ideo non opitulatur Deus. *P. Croiset in Asceticis Exercit.*

Prov. 3. Eccli. 1. Psalm. 28.

Petr. 5.

Eccli. 2.

Deus deesse nequit sperantibus in se.

Beatus ille, qui confidit in Domino! Potentia Dei illi suppeditat media, quibus nobis subveniet, bonitas illi subveniendi desiderium inspirat, sapientia dirigit illum in electione bonorum, quæ nobis conveniunt. E contra væ illi, qui in carneo brachio confidit! Hominibus, ut plurimum, deest de nobis merendi facultas; quibus facultas est, deest voluntas; & qui opem ferre vellent, nesciunt, quid sit nobis necesse. Quomodo ergo in eorum patrocinio confidere possumus? *P. Segneri in Meditationibus.*

Confidentia in auxilio Domini pro nobis est bonorum omnium origo.

Hinc arguamus, melius esse confidere in Deo, quam in homine; quia confidentia in homine pro nobis est malorum omnium origo, cum contra confidentia in Domino sit causa omnium bonorum. *Benedictus vir, qui confidit in Domino*. Nobis sperandum est quodlibet bonorum genus a fidelitate Dei, quia infidelis esse non potest seu per nequitiam, seu per inconstantiam: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut Filius hominis, ut mutetur*. Nobismet pollicere possumus omnia a potestate Dei; quid enim non sperandum est confidenti in eo, cujus brachium est omnipotens? *Super omnipotentem deliciis afflues*. In Omnipotente non bona solum, verum & delitias inveniemus. Bonitas ejus non ibi subsistet, ut nobis tribuat necessarium, verum etiam addet & quod superabundet; *deliciis afflues*. Cur ergo non retrahimus confidentiam ab hominibus, ut illam in Deo constituamus? Omnis confidentia nostra in Deum unum conferenda est, a quo bona cuncta procedunt: *Tantummodo in me auxilium tuum. Idem.*

Jerem. 17.

Num. 23.

Jobi 22.

Osee 13.

Auxilium nobis a Domino expectandum sine præsumptione, & diffidentia.

Confidentia & præsumptio maxime inter se distant. Præsumptio est sperare in Deo ultra fines, quos nobis præscripsit; confidentia sperare est in Deo intra terminos constitutos. Termini autem hi sunt: cum nobis non inesse cognoscimus tantum virium, quantum ad magna ineunda certamina requiritur, plures optemus, ac flagitemus, nosque ad hæc magna prælia præparemus per ea, quæ leviora sunt, pro quibus gratia præsens sufficit nobis: *Exerce te ipsum ad pietatem*, inquit Apostolus. Sed in hac exercitatione caveamus, ne despondeamus animos eo quod sæpe vincimur, quasi hæc leviora detrimenta, quæ passi sumus indignos nos præbeant, qui a Domino consequamur gratiam insignes referendi victorias. Aliquid in occasionibus amittere, non semper est amovere a nobis Dei nostri auxilium. Illud removemus dumtaxat cum ex mera ignavia cedimus, & vincimur, quia repugnare nolumus, quasi Deus unus pro nobis certaturus esset, ac victoriam relaturus. Hoc displicet Deo tunc in nobis videnti præsumptionem, non autem veram confidentiam. Et profecto quoniam Dominus est præsidium nostrum, hoc est, quoniam opitulatur nobis, expectat etiam ut & ipsi pro virili parte aliquid efficiamus; alioquin non simpliciter opem nobis ferret, sed unus ipse totum pondus sustineret. Ita cum credimus deesse nobis vires, quibus esset opus, ad superandas magnas difficultates, quas aliquando nobis objicit in tempus futurum, optemus hasce vires minime communes, Deum precibus fatigemus, ut illas necessitatis tempore concedat, & interea communibus gratiis utamur, quæ nobis concessæ sunt ad communia prælia sustinenda. Mihi videor Deus te satis diligere, ut tibi fideliter serviam, licet eorum omnium, quæ mihi in terris antiquissima sunt, jacturam subiturus essem: sed quin tempus teram inquirens, qualis futurus essem in delicatis hujusmodi occasionibus; sufficit mihi scire te meam esse fortitudinem, præsidiumque. Infirmitatis meæ cognitio, quin animum minuat, spem meam excitabit. Oblectaris, Domine, opitulans ægris fidenter auxilium tuum postulantibus; numquid me labi sines uni tibi incumbentem? *Pater Segneri Tomo 5. Meditat.*

Gratiæ incertitudo auget meritum confidentiæ nostræ.

Incertitudo, in qua sumus, num simus in statu gratiæ necne, nobis adeo utilis est, ut si quis illam se nobis ablaturum polliceretur, oblationi huic subscribendum non esset. Quorsum istud? Ut Deo ostenderemus, nos velle omnino pendere ab illo, nostramque confidentiam in illius misericordia collocare: *Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo*. Heu! intelligerene possumus, quodnam sit meritum apud Dominum, ita in manu illius sortem nostram remittere! Hoc est maximum sacrificium, & maximus honor, quem illi deferre valeat creatura. Ita humilis, vivida, & heroica ista confidentia præsentissimum est medium ad salutem nostram certam faciendam. Sancta

Isai. 12.

cta quædam anima plurimos annos acerrimis agitata fuerat sollicitudinibus, ignorans an esset in gratiæ statu necne. Tandem vero tantam induit confidentiam in misericordia Dei, ut licet Deus illi certum salutis suæ pignus obtulisset, hoc repudiasset, ajebat, ut semper a sola Domini voluntate penderet. *Pater Segneri in Meditat.*

Quid nobis faciendum in hac incertitudine, ut saluti nostræ consulamus.

Ut huc veniamus sufficit, quod nostra conscientia nihil exprobret nobis, quod nos dignos effecerit odio Dei, ex quo per pœnitentiam cum illo in gratiam redivimus. Sufficit nos ita jugiter affectos esse, ut melius, quam fieri possit serviamus illi, & juxta status nostri modulum ei placeamus, eumque glorificemus. Sufficit, quod decreverimus illum numquam meditate, ac scienter vel in levibus lædere. Hoc pretio salus nostra secura est: Si cor nostrum nihil exprobrat nobis, liberum accessum habemus ad Deum. *Idem.*

Confidentia in Deo nobis utilior est certitudine, quam habere possumus status nostri in gratia.

Verum est Dei judicia esse tamquam profundum pelagus, quod dimetiri non licet; sed cuinam anchoræ fidere possumus? Illi ipsi. Ad illum indesinenter ferventibus precibus confugiamus, bonitatem illius in nostris egestatibus deprecemur, obtestemur eum, ne permittat, ut illi infideles evadamus. Confidentia, quam per hoc illi testamur, nobis erit utilior omni certitudine, quam de salute nostra possemus recipere. Quæ quo magis

Jerem. 39.

cresceret, eo meritum nostrum minueretur. *Erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.* Nolo aliud salutis meæ pignus, quam misericordiam Dei volentis certe salvare me, & qui non potest perdere me nisi per nequitiam meam. Me mea terrent peccata, sed infinita bonitas tua, sanguis, quem effudisti pro me; mens, quam mihi inspirasti, ut tibi tantum serviram, me confirmant. Te amo, Domine; vel saltem volo amare te; muni hæc desideria, illa per gratiam tuam purifica. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Ex quo mihi calamitas irruit, me desertum, derelictumque intuitus sum: *Unicus, & pauper sum ego.* Tu Domine es unica consolatio mea, virtus, & præsidium meum: *Ad te Domine levavi animam meam.* Nihil me sustinet, nisi bonitas tua, & adspectus misericordiæ tuæ. Non cesso attolere cor meum ad te, Domine; in te uno meam confidentiam constituo. *In te confido non erubescam.* Ne mihi aliquando pudori sit, te a me fuisse derelictum. *P. Croiset in Exercit. Asceticis.*

Exempla veræ confidentiæ in persona Abrahæ.

Ad examen revocemus, quid promiserit Abrahæ Deus, & præcepta illi contra ejusdem spem irrogata. Promissum illi fuerat fore ut Isaac frequentissimæ sobolis pater fieret, nihilominus præcipit Deus Abrahæ, ut hunc eumdem immolet Isaac. Numquid hoc præcepto deterritus Abraham fuit? Quamvis præceptum, atque promissio invicem sibi adversari viderentur, non hæsit; neque de spe dejectus fuit. Minime conquestus est sibi verba data fuisse, cum sibi felix progenies fuerat promissa, quandoquidem jubebatur illi vitam adimere, qui hujus seminis tamquam radix erat futurus. Cum Deus aliquid pollicitus est, nihil nobis timorem debet incutere, & de spe deturbare. Hoc supremam Dei potestatem ostendit, quod consiliorum suorum fines assequitur per ea, quæ prorsus videntur opposita; Quæ causa fuit, propter quam Abraham non hæsit, neque parere dubitavit. Fide obtulit Abraham Isaac

Hebr. 11. 17.

cum tentaretur, & unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones. *Ex Opusculis S. Chrysostomi.*

Confidentia in Deo efficax medium est ad petitionum nostrarum effectum obtinendum.

Nostra in Deum confidentia hunc, ut ita dicam, cogit, ut nostra exaudiat vota, & supernos, quantumvis indignos misericordiæ suæ thesauros effundat. Ita ille affluenter effundit illos super fideles animas in ipso fidentes. Immo etiam nihil magis cupere videtur Deus quam filiis suis hanc solatio plenissimam veritatem persuadere; & dicere possumus nihil hoc vel apertius connotatum, vel frequentius in Scripturis esse repetitum. In te Domine speravi, inquit Propheta, non confundar in æternum; & alibi. Beatus, qui confidit in Domino. Omnes Psalmi David, omnia Prophetarum scripta, omnes Bibliorum paginæ repletæ sunt hortationibus ad Fideles, ut omnem confidentiam suam in Deo constituant, quam efficacem imo potentissimam esse affirmant. Quænam via brevior, atque facilior ad illa obtinenda, quæ petimus? Querimur nonnumquam eo quod voti non damnamur; sed potius de modica confidentia nostra conqueramur. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus. Tomo 1.*

Psalm. 30 & 33.

Non in creatis, sed in uno Deo confidendum est.

Experimur quotidie creatarum rerum impotentiam, atque infidelitatem, quin hoc valeat imminuere confidentiam, quam in illis habemus. Identidem revertimur ad hos calamos, qui toties cessērunt, & confracti sunt in manibus nostris. Quorsum ergo adeo parum speramus in Domino, in hoc Domino, cujus immensa potestas est, & adeo explorata fidelitas? Quorsum licet summam Salvatoris hujus erga nos bonitatem, atque benevolentiam credamus, tam ægre in illo confidimus? Hinc fit, quia non revocamus ad examen, nec serio meditamur causas, & rationes, quas habemus in eo omnem confidentiam nostram constituendi. Ea nobiscum repetamus, quæ pro nobis Deus fecit, & dixit. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus Tomo 4.*

Idem pergit argumentum.

Non aliam inquiramus causam defectus confidentiæ in Deo, quam ingratitudinem nostram, & modicam devotionem. Quando de aliquo male meriti non cessamus, nemo credit, illum, de quo male meriti sumus, licet nostri amantissimus, velit nobis gratificari. Ipsum conscientiæ nostræ testimonium illum est, quod nostram in Deo confidentiam infirmat, nutantemque reddit. Hinc est, quod fidelibus animabus, quod Sanctis, tantum est confidentiæ in Domino; quippe horum conscientia nullam ipsis satis gravem exprobat confidentiam. Vultis ne in vobis experiri validam hanc, integramque in Domino confidentiam? Ne illi degenetis quidquam eorum; quæ petit a vobis, atque tunc illum sine diffidentia precabimini, & haud hæsitanter in illo sperabitis. Nihil nobis magis obest, quam defectus hujus in Deo confidentiæ. Defectus hic efficit, ut preces nostræ fructu careant; omnes apud Deum potentes essemus, si in nobis adesset confidentia in illo, & fides. *Idem ibidem.*

Nulla certitudo est in confidentia in hominibus.

Quam parum in hominibus fidendum est! Præsidium caducum, fragile, inane! Nihil figere potest levitatem cordis inconstantis, nobis, ac mutatorii. Sincerissimæ amoris protestationes, ipsa etiam officia a simulatione magis abhorrentia; ipsa etiam verissima beneficia ad levissimæ auræ flatum dissipantur; omnia ad leviusculam novi systematis speciem evanescunt. Væ illis, qui his sensibus innituntur. Nil mobilius humano corde; nil reipsa frequentius, & celerius mutatur hoc sensuum, actionum, judiciorum, & existimationis nostræ principio. Sicuti amor, & cupiditates sunt præcipuum illius organum; mirum non est, si hominum vivendi ratio sit eorum ingenio conformis. Æstimaris, laudaris, protegeris, amaris. Numquid virtus tua, num præclaræ qualitates illæ, quæ in te renident, num meritum tuum tot tibi conciliant amicos, principum virorum patrocinia promerentur, te a populo secernunt? Nihil æquius videtur, nihil melius constitutum, nihil tibi promittere potest existimationem, fortunam, favorem diutius duratura. Ne id putes; ne in his confidas. Satis est ingruat quidam partium spiritus, parum prosperus eventus, casus aliquis molestus, motibus etiam ut totum hoc corruat præsidium, ut omnia hæc vincula conterantur, ut omnia hæc benevolentiæ monstra evanescant. Recentes causæ recentes sensus peperere; parum satis est invidiæ, timo-

timoris, recentis affectus, ut rerum omnium facies muteur. Sed quid inde arguendum? Hoc. Donec confidentiam nostram in creatis rebus collocabimus, omnia figuram mutabunt; ubi prima irruerit adversitas, ab hominibus derelinquemur. Ergo nobis in uno Deo fidendum est; unus ille stabilis est, permanens, immutabilis; neque particeps humanæ mobilitatis. Igitur tuti esse non possumus, & ab omnibus malis securi, quam in uno illo confidentiam nostram collocando. *Pater Croiset in Asceticis exercitationibus Tomo 1.*

CONFORMITAS DIVINÆ VOLUNTATI;

SUBMISSIO PRÆCEPTIS ILLIUS.

MONITUM.



Hoc argumentum de conformitate nostræ voluntatis cum voluntate Dei cum duobus, tribusve aliis argumentis conjunctum est, quæ naturaliter cum eo permiscentur, vel quæ illius partem etiam constituunt. Hoc quodammodo sejungi nequit a Providentia, de qua Concionator loqui non potest, quin simul hortetur, ut dispositionibus illius pareatur. Fermè etiam confunditur cum Confidentia in Deum omnibus in rebus habenda; quomodo enim confidentiam nostram in Deum testari possumus, nisi omnino nosmet eidem tradamus? Arcto denique vinculo cum adversitatibus, atque tribulationibus connexum est; qui enim hoc argumentum pertractat, eum sibi finem proponere debet, ut audientium animos disponat ad recipiendas afflictiones, & quidquid a Dei manu procedit, reputans hanc Dei mentem esse, cum nobis immittit adversa. Hæc tamen nequaquam oberunt, quominus hic in argumento id præstemus, quod in aliis id genus; videlicet ut peculiariter conformitatem divinæ voluntati consideremus, quin de aliis argumentis cum eadem connexis loquamur, nisi obiter, & quatenus ad præcipuum hoc argumentum referuntur.

Hæc ea sunt quæ in hoc argumento præmonenda existimavi, nisi fortasse animadvertendum superest, quamquam conformitas hæc ad obedientiam referri potest, tamen virtutem esse magis generalem, quæ latius ad omnes occasiones, officia, tempora, & locos extenditur, & quæ præstantissimas etiam virtutes complectitur; ita ut hæc una satis esse possit ad omnes actiones nostras sanctificandas; ideoque argumentum hoc nulli cedat utilitate inter ea, quæ a Concionatoribus possunt pertractari.

PARAGRAPHUS PRIMUS

Multiplex Concionum hujus argumenti Structura.

I. D ostendendas utilitates, quæ nobis cedere possunt ex hac nostræ voluntatis conformatione cum voluntate Dei, Sancta hæc exercitatio considerari potest, quatenus refertur. 1. ad Deum, cujus voluntati sese subjicit, atque conformat; 2. ad nosmetipsos, qui Dei voluntati conformamur; 3. ad res, quibus nosmet subjicimus, & in quibus perfectam hanc exercemus conformitatem; quæ quidem sunt hujus vitæ eventus, quicumque tandem illi sint; officia omnia, & ea etiam, quæ molestissima possunt accidere. Hæc tria concionis partitionem facile nobis præbebunt.

Pars prima; hoc majus est, magis acceptum, magisque gloriosum, quod Deo offerre possimus, Sacrificium; nihil melius est, quam facere, quæ jubet, & libenter accipere, quidquid ab ipso proficiscitur. Majus quidem Sacrificium est, quid enim majus efficere possumus, quam nosmetipsos dare, atque inter cetera illi immolare id, quod ægrius eximus, propriam videlicet voluntatem? Gloriosius autem Deo Sacrificium est, quo videlicet eidem majorem gloriam procurare possumus; per hoc enim, eam fatemur Supremum Dominatorem, Omnipotentem, cui nihil resistere potest, & cui omnia esse debent subjecta: Per hoc ipse regnat in nobis, quemadmodum in Universo mundo. Hoc denique acceptissimum est Deo Sacrificium, quid enim majus a nobis potest expetere, quam promptam, fidelemque submissionem, ut voluntati illius pareamus, ejusdem obsequamur consiliis, & placitis obtemperemus.

Pars altera. Quod ad nos pertinet, qui omnino divinæ voluntati nosmet subjicimus, eique conformamur: 1. Hæc est exercitatio Sanctissima; Sanctitas enim, & perfectio omnis, quam Deus a nobis exigere, & expectare potest, in eo posita est, ut ipsius voluntatem perficiamus. Hæc perfectissima charitas est ipso testante: *Qui observat mandata mea, ille est, qui diligit me.* 2. Quemadmodum per hoc fieri minime potest, quominus placeamus Deo, ita fieri nequit, quominus placeamus & nobismetipsis, & contenti simus, quæcumque tandem eveniant: nihil enim contingere potest contra voluntatem Dei: unica ratio est, qua semper in hac vita beati esse possumus, & ea perfrui felicitate, qui ad Cœlestem Beatorum felicitatem non procul recedat; quæ quidem in hoc sita est, ut Dei voluntatem perficiant. Inconcussa felicitas, quæ nos ipsos constituit extra jactum quantumcumque terræ hujus adversitatum; felicitas, quæ est in nobismetipsis: quæ omnino pendet a nobis, & quam invitis nemo potest eripere.

Pars tertia, quæ respicit ea in quibus nosmet divinæ voluntati subjicimus; 1. Per nostræ voluntatis cum divina conformationem nullo in discrimine terrena hæc omnia a nobis habentur, honores, injuriæ, gloria, ignominia, divitiæ, paupertas, bona, vel mala valetudo. Dei voluntas sola efficit, ut alia aliis anteferamus, citra quam recto examine in neutram

tram partem nostra inclinat voluntas.

2. Per hanc in eum statum adducimur, ubi quidquid accidit, nobis utile est, nostræ prodest sanctitati, nostram coronam, nostramque in Cœlo auget felicitatem; 3. per hanc denique supra terrena omnia attollimur, a nulla re pendemus, & quodammodo ipsi Deo similes sumus.

II. 1. Justum, & æquum est, nos divinæ voluntati prorsus esse subjectos: cum enim voluntas nostra naturaliter in malum proclivis sit, divina vero e contra sit recta, & justa, immo eadem rectitudo, & justitia; opus est, ut nosmet illi subjiciamus, nostram cum illius voluntate accommodemus; eidemque rebus in omnibus conformari studeamus. 2. Hoc omnino necessarium est, si hac in vita pace, & tranquillitate frui desideramus: quemadmodum enim nemo resistere potest Divinæ huic voluntati, quæ velis, nolis semper adimpletur, nonne melius est ultro eidem conformari, quam ægre, atque invitam cervicem flectere sub Superioris, atque inflexibilis voluntatis imperio? 3. suave, & jucundum est eidem perfecte subjectum esse; vel potius hic fons est lætitiæ nostræ, solidæ, atque immutabilis tranquillitatis.

III. 1. Hæc summa est Christianæ prudentiæ, ac Sapientiæ, Dei voluntatem cognoscere; ideoque huic cognoscendæ tamquam maximo Salutis nostræ negotio vacandum est: 2. summa Sanctitatis, Christianæque perfectionis est, eadem rebus in omnibus exequi.

3. Hujus, alteriusque vitæ felicitas in hac sita est, ut eidem perfecte conformemur.

IV. 1. Quidquid in hoc mundo evenit, non sine divinæ voluntatis imperio contingit; ideoque velis, nolis, eidem temet subjicere debes: tuum est explorare utrum æquius, & utilius futurum sit: 2. quidquid divinæ hujus voluntatis imperio contingit, semper nobis utilius, & melius est; ideoque, qui illi renititur, propriæ utilitati adversatur.

3. Nihil recte factum, nihil ad Cœli gloriam promerendam idoneum, nihil Deo acceptum est, nisi quidquid facimus, vel patimur, hac mente faciamus ut Sanctam hanc Dei voluntatem adimpleamus.

V. Tota Sanctitas, atque perfectio nostra in hoc sita est, ut Dei voluntatem faciamus, quod tribus rationibus probari potest.

1. Quia Dei voluntas Sancta est, & norma Sanctitatis ipsius; unde sequitur, nos Sanctos esse, prout Divinæ huic voluntati conformamur.

2. Quia JESUS CHRISTUS, quod quidem nostrum Exemplar est, eidem semper fuit in omnibus actionibus, omnibusque momentis suæ vitæ conformis; & quemadmodum tota Sanctitas nostra in eo consistit, ut illi similes simus; Divinæ voluntati conformitas ea est, in qua perfectissime ipsum imitari valeamus.

3. Si sublimior perfectio in perfectiori charitate consistit, quod certissimum est; minus certum non est, perfectissimam charitatem consistere in hoc, ut semper præsto simus divinæ voluntati rebus in omnibus perficiendæ.

VI. 1. Divinæ voluntatis conformitas, non efficit nostrum Dominos, nostrorumque affectuum victores; ut enim libenti animo excipiamus quidquid nobis accidit, atque re nulla turbemur, opus est, ut propriam voluntatem omnino abdicemus.

2. Hæc ratio est sese supra humana omnia attollendi, ita enim contra quæcumque fortunæ tela protegimur, atque statuimur extra jactum sortis, & nefariæ hominum voluntatis.

VII. Qui renuit facere voluntatem Dei, ac sese illi subjicere in hac vita infelix est.

1. Quia voluntatem suam tantummodo exequi cupit, sexcentos nanciscitur obices, quos neque infringere, neque superare potest; ideoque indesinenter est turbatus, agitatus, sæpe etiam confusus, & cedere coactus.

2. Quia Deus illum tradit inordinatis corruptæ voluntatis desideriis, ut loquar cum Propheta; ideoque in seipso invenit & supplicium, & suæ calamitatis originem; cum enim desideriis, & affectibus suis facere satis non possit, ab illis laniatur, & discerpitur, & nulla umquam requie perfruitur, ut ait S. Augustinus: *Statuisti, Domine, ut omnis inordinatus affectus sibi ipse pœna sit.*

3. Quia in iis, quæ contra voluntatem suam accidunt, nullum umquam reperit solatium, quod ipsius dolorem lenire possit. Qua in re illius supplicium simile est pœnæ, quam in altera vita patiuntur infelicia propriæ voluntatis mancipia, quæ nihil efficere poterunt eorum, quæ vellent, ac semper ea facere tenebuntur, quæ minime vellent, quemadmodum disertissime in libris de consideratione Sanctus Bernardus ait.

1. Conformitas voluntati Divinæ est compendium totius Doctrinæ JESU CHRISTI, ita ut hæc una sufficiat ad vitam, moresque nostros secundum Evangelica præcepta instituendos. VIII.

2. Hæc est virtutum omnium perfectio, ita ut ipsa una sufficiat, & nos Sanctos, perfectosque efficere possit.

3. Ex hac metietur Deus mercedem illam, quam speramus, & expectamus in Cœlo; hæc enim omnia merita nostra in terris constituit.

1. Qui lubens Divinæ seipsum subjicit voluntati, eamque rebus in omnibus adimplere studet, hic est homo juxta cor Dei, quo elogio Scriptura Sanctum Regem David concelebrat, Deus vicissim illius preces exaudit, ejusque voluntatem adimplet: *voluntatem timentium se faciet.* IX.

2. Hic est perfectus Discipulus Redemptoris tamquam primam conditionem petentis, sui ipsius, hoc est propriæ voluntatis abnegationem, ut divinæ semper adhæreat.

3. Hic omnino mortuus est mundo, sibi affectibusque suis, qui omnia nullo habet in discrimine, & Deo unice placere studet voluntatem ejus perficiens.

Tria ad hominem perfecte felicem efficiendum requiruntur, quæ in hac vita in eo tantum inveniuntur, qui Dei paret voluntati, eique ultro sese submittit, licet aversa fortuna jactetur. X.

1. Ille felix est, cui nihil accidit contra voluntatem, cui omnia e voto cedunt; hæc vulgatissima est mortalium sententia, qui hanc de terrena felicitate ideam sibi adstruxerunt. At non operosum est, ostendere, hoc non inveniri nisi in eo, qui divinæ voluntati sese omnino submittit.

2. Ut aliquis felix sit, intra se illud possidere bonum debet, quod felicem constituit, ita ut eripi quolibet casu non possit. Quid autem nobis magis proprium, magisque nostrum, & magis in nobismetipsis est, quam nostra voluntas, quam nihil prohibere potest, ne id velit, quod Deus? hoc profecto est imitari eam beatitudinem, qua Sancti in Cœlo fruuntur.

3. Opus est bonum, quod possidetur, omnia vota nostra replere, ut nos beatos efficiat; quod accidit in eo, quod ea omnia vult, quæ placent Deo, & cujus votorum summa hæc est, ut Dei voluntatem exequatur. *Desumptum ex Abbate de Monmorel pro quarta post Epiphaniam Dominica.*

Voluntati duæ pravæ insunt qualitates, quas non nisi conformatio divinæ voluntati corrigere potest. 1. Labilis est, & minime recta: æquum igitur est, ut ad certam, rectamque normam dirigatur, quæ est divina voluntas. 2. Levis est, & inconstans; oportet igitur, ut firmæ, atque immutabili regulæ applicetur. At nihil est præter divinam voluntatem quod firmum, rectumque sit; igitur hæc una inconstantiam nostræ voluntatis figere potest. *Joly propositione pro sexta post Pentecosten Dominica.* XI.

Nostra quam maxime refert, ultro voluntatem subdere voluntati Dei. XII.

1. Quia voluntas Dei eo tendit, ut nos beatos in Cælis efficiat.

2. Quia nostræ divinæ voluntatis conformatio in

in hac etiam vita felices non facit. *Pater de laColombiere Sermone hujus argumenti in tom.* 4.

XIII. Ut in hac vita felices scimus, duo requiruntur, quæ in sola nostræ ad Divinam voluntatem conformatione invenitur.

Primum est quod nihil sit nobis ferendum,

Alterum, quod nihil sit nobis desiderandum. *Ex eodem ibidem.*

XIV. Voluntatem nostram divinæ conformantibus nobis.

1. Deus contentus est, & nibil ultra a nobis exigere potest, illi quippe reddimus, quod suum est.

2. Nos quoque contenti sumus; ideoque felices. *Desumptum ex Patre Girouft in Quadragesima.*

XV. 1. Homo rationabilis sese Divinæ submittere debet voluntati, ut sit felix in terra.

2. Homo Christianus Divinæ voluntati sese subjicere debet, ut sit felix in Cœlo. *Essais de Sermone du Careme.*

XVI. 1. Hæc est devotio tutior, & solidior. Corporis mortificatio, jejunia, pœnitentia, oratio, illusioni, amoris proprii libidini, ac dæmonis fraudibus sunt obnoxia: sed in conformatione nostræ voluntatis cum divina nihil metuendum est.

2. Hæc est devotio perfectior; etenim nos Deo magis conjungit, & per hanc eosdem cum Deo sensus habemus, eadem desideria, atque negotia.

3. Hæc denique devotio suavior est; maximum enim solatium adfert. *Ibidem Sermone pro feria secunda post secundam Dominicam.*

XVII. Per hanc conformitatem voluntas nostras tres illas qualitates assumit, quæ propriæ sunt Divinæ voluntatis, quæ secundum Apostolum est *bona*, *beneplacens*, *& perfecta.*

Prima indigitat objectum, cui adhærere debet, qui Deus est.

Altera significat modum, & circumstantias.

Tertia intentionem, qua cætera animantur. Facienda sunt quæ Deus vult, eo modo quo vult, & ob id solum, quia vult. *Dozenne in morali JESU CHRISTI.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, atque Auctores, ubi inveniri possit copia ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *in Enchirid. cap.* 95. 96. ostendit, nihil in mundo fieri, nisi quod Deus fieri vult, illud vel ipse faciens, vel permittens ut fiat.

Idem *cap.* 100. 101. *libri ejusdem* ostendit, quantumvis improbi peccent, Deum tamen eorumdem uti peccatis, ut suam voluntatem adimpleat.

Idem *in Enarrat.* 2. *in Psalm.* 31. docet, homini voluntatem suam divinæ esse conformandam.

Idem *in Psalm.* 32. illa explicans verba, *rectos decet collaudatio*, ostendit, rectos corde, illos esse; qui Divinam voluntatem suæ præferunt, & *in Psalm.* 63. ostendit, quanam in re eam sequi debeamus.

S. Gregorius *lib.* 2. *Moralium*, Deum, qui prava hominum voluntate ad eos vel puniendos, vel exercendos utitur, medicis comparat, qui utuntur hirudinibus, ut crassiorem superfluumque ægrotantium Sanguinem educant.

S. Ambrosius *l.* 3. *Hexaem. cap.* 1., *&* 17. conqueritur, quod sensu carentia obtemperent Deo; homo vero eidem semet subjicere detrectet.

S. Hieronymus *Epistol.* 14. *ad Celantiam*, docet, veram pietatem in hoc positam, ut Dei voluntatem perficias.

Origenes *homil.* 6. *in cap.* 3. *Math.* hæc explicans verba, *quis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* latius ostendit, ea, quæ spiritu carent, obtemperare Deo, & illius voluntatem efficere; hominem vero eidem obniti.

S. Fulgentius Epist. 2. detegit causam, propter quam non sumus Deo perfecte submissi.

S. Fortunatus Pictaviensis Episcopus in Dominicæ Orationis expositione fusius explicat quonam in sensu ea verba intelligenda sint: *fiat voluntas tua.*

S. Bernardus Sermonem hujus argumenti edidit, cui titulus: *Quomodo voluntas nostra divinæ voluntati subjici debeat.*

Idem *Serm.* 7. *in Conversione Pauli*, hæc Apostoli referens verba, *Domine quid me vis facere?* ostendit perfectæ conditionis indicium esse, divinæ, subjici voluntati.

Idem *Sermon.* 3. *de Resurrection.*, acriter contra propriam voluntatem divinæ oppositam invehitur.

Idem *tract. de Diligendo Deo*, deflet malum humanæ voluntatis, quæ divinæ adversatur.

Drexellius hac de re prolixum habet tractatum, vel potius librum integrum, cui titulus *Heliotropium*, & de hoc argumento loquitur etiam *in Rosis.* Ascetici, aliique.

Alphonsus Rodriguez; Pater Antonius Gaudier *de natura & statibus perfectionis*.

Pater *Saint Jure lib.* 3. *de Cognitione Domini nostri cap.* 3. amplos edidere tractatus.

Liber, cui titulus de puritate intentionis, uberius de Divina agit voluntate.

Thomas a Kempis *l.* 3. *c.* 87. §. 2.

Franciscus Arias *tract. de mortif. c.* 11.

Theophilus Bernardinus *l.* 2. *de perfect. cap.* 15. 16. 17.

Bernardinus Rosignolus *de Discipl. l.* 2. *c.* 19.

Eusebius Nierembergensis *in vita Divina*, *& in lib. de adorat. in Spiritu.*

Pater Delingendes feria quarta hebdomadæ Sanctæ. Concionatores Recentes.

Mathias Faber *Conc.* 2. *in tom.* 3. *post Epiph.*

Pater Girouft hac de re Sermonem edidit in Quadragesima.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, hoc etiam tractat feria tertia majoris hebdomadæ.

Satazin in adventu suo Sermonem habet, ubi JESUM CHRISTUM nostræ voluntatis reparatorem ostendit per submissionem nostræ ad suam.

Formentieres in Quadragesima.

Lohner verbo *Resignatio.*

Peraldus titulo *Voluntas.* Qui collectanea ediderunt.

Alii de hac re locuti non sunt, nisi sub titulo Obedientiæ, cum qua argumentum hoc miscuerunt.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

NUm Dei possumus resistere voluntati? Genes. 50.

Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Job 1.

Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat. 1. Reg. c. 3.

Dominus faciet quo bonum est in conspectu suo. 2. Reg. c. 10.

Nonne Deo subjecta erit anima mea? Psalm. 61.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Psalm. 58.

Præsto sum: faciat Deus quod bonum est coram se. 2. Reg. c. 15.

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Psalm. 142.

In

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Psalm. 39.

Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Isaiæ 46.

Quis est iste qui dixit ut fieret, Domino non jubente? Thren. 3

Deus voluntatem timentium se faciet. Psalm. 144.

Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. 1. Machab. c. 3.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Matth. 6.

Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Matth. 12. & Marci 3.

Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Matth. 7.

Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Matth. 11.

Pater, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Matth. 26.

Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Ibidem.

Pate .... transfer calicem hunc a me; sed non quod ego volo, sed quod tu. Marc. 14.

Non mea voluntas, sed tua fiat. Luc. 22.

Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me. Joann. 4.

Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Joann. 5.

Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam; sed voluntatem ejus qui misit me. Joann. 6.

Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar. Joann. 7.

Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas a Deo sunt. Eccli. 11.

In voluntate tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati. Esther 13.

Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? Amos 3.

Quæ placita sunt ei facio semper. Joann. 8.

Domine quid me vis facere? Act. 9.

Inveni David, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas? Act. 13.

Ut probetis quæ sit voluntas Dei, bona & beneplacens, & perfecta. Ad Rom. 12.

Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Ad Ephes. 5.

Voluntati ejus quis resistit? Ad Rom. 9.

Hoc faciemus, si quidem permiserit Deus. Ad Hebr. 6.

Si Deus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc & illud. Jacob. 4.

Qui facit voluntatem Dei, manet in æternum. 1. Joan. 2.

Ille servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. Luc. 12.

Quievimus, dicentes: Domini voluntas fiat. Act. 2.

Exempla ex veteri Testamento desumpta.

Exemplũ Abrahæ. NOsmet subjicere debemus Divinæ voluntati, non in iis solum eventibus, qui a nobis minime pendent, verum etiam in susceptis Consiliis, quibus nihil mali inest, & quæ exequi in nostra est potestate: tenemur enim ea relinquere, statim ac nobis ostendit Deus, consilia sua esse nostris opposita. Ita S. Augustinus, nihil non æquum erat in eo consilio, quod susceperat Abraham alendi, atque servandi Filium suum; sed repente cessit, a Deo eumdem mactare jussus. Non ideo dixeris, primum ejusdem consilium criminosum fuisse; culpa tamen nequaquam vacasset Sanctus Patriarcha, si in proposita voluntate perstitisset, & nisi propriam divinæ voluntati conformasset, postquam Sacrificium sibi a Deo fuerat imperatum.

Exemplũ Job. In hoc argumento præterire nullo modo possum exemplum Job, qui Divinæ voluntati adhærebat, omniaque ab illius dextera recipere consueverat, ut inter tot mala, quibus circumundique premebatur, Dei tantum percutientis manum videret. Pecora sua direpta fuerant, non a latronibus; Domus eversæ, non a ventis, atque tempestatibus, neque crudelis uxoris lingua illi ingesserat opprobria; sed manus tua o Deus, ipsum unice percusserat, hanc ille considerabat tamquam sibi vulnera infligentem, atque sub ejusdem ictibus humiliabatur: *Manus Domini tetigit me*. Job. 19. Hæc debet esse Sententia nostra, hic animus, ubi flagella deſæviunt; cum obtrectator ille nobis infert contumeliam, cum invidus tyrannica auctoritate nos opprimit; cum iracundus injuriis, & calumniis persequitur; cum inexorabilis creditor offam de manibus eruit; Dei percutientis, omnesque vitæ nostræ eventus dirigentis manum osculemur.

Testimonium, quod hac in re Deus ipse Davidi perhibuit. Hac in re eximium nobis suppetit testimonium, quod Deus Sancto Regi David perhibuit, illum appellans hominem juxta cor suum, & ad unguem omnes voluntates suas adimplentem. Modus vero ipse, quo hoc illi perhibetur testimonium alioquin præstantissimum, longe præstantior est; quandoquidem peculiarissimam indigitat benevolentiam: exclamat enim, se tandem aliquando invenisse hominem hunc mandatis suis obtemperantem, ac semper voluntati suæ exequendæ paratum: *Inveni David servum meum*; Act. 13. perinde ac illum omnibus sæculis quæsivisset, atque illum inter eos omnes, qui fuerunt unquam tandem deprehendisset. Adeo verum est, per quam, raro in terris inveniri hominem perfecte divinæ voluntati conformem: sed hujus caracteris homo, si quis unquam invenitur, homo est juxta cor Dei, quem ille diligit, protegit, & peculiari favore prosequitur.

Exemplum S. Patriarchæ Joseph. Sancti Patriarchæ Joseph Exemplum nobis liquido ostendit, quomodo Deus, consilia, & voluntates suas adimpleat per ea ipsa, per quæ homines illa prohibere conantur. Sanctus hic Patriarcha hac indiguit virtute, eamque dubio procul exercuit, fratribus sibi mortem intentantibus, & sane nihil boni sibi præstolari poterat ab invidia, & odio, quod illi in ipsum conceperant. Neque minus eidem fuit necessaria, cum fratres de altissima eductum cisterna, quo ipsum demiserant, tamquam mancipium vendiderunt. Præsertim vero Divinæ huic voluntati sese tradere debuit, cum falso ab Uxore domini sui Putiphar de intentato stupro accusatur in carcerem conjectus est. Et profecto profuit illi divinæ voluntati sese ita submisisse; Deus enim magnam de illo cogitabat, atque per vias adeo oppositas ad supremam potestatem adduxit, ad quam ipsum evehere cupiebat, & cujus non obscura dederat præsagia in ejusdem pueritia mysticis illis somniis, quæ eidem fratrum invidiam conflarunt. Ideoque cum illi esset persuasum nihil in hac vita contingere, nisi secundum Dei voluntatem, hac ipsa ratione usus est, ut fratrum suorum crimen licet atrocissimum aliquo modo excusaret; illis dicens, hoc permisisse Deum, ut aliquando ipsis vitam servaret, & summa annonæ caritate laborantibus victum præberet. *Non vestro consilio*, addit ille, *sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi Patrem Pharaonis, & Dominum universæ Domus ejus, ac Principem in omnem terram Ægypti*.

Exemplum Tobiæ. Sanctus quoque Tobias perfectam hanc resignationem nos docet iis verbis, quæ satis indigitant sensus cordis ipsius, & quomodo hæc virtus alte ibi radices jecisset. Cum enim funestum ob eventum oculorum acie careret, sine qua, ut ajebat, ille,

ille nullam in via voluptatem gustare poterat, Dei mandatis obsequens adeo magnum virtutis suæ periculum facientis, exclamavit: *Justus es, Domine, & omnia judicia tua justa sunt ...... Et nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum.* Nonne hæc perfecta, & integra est Divinæ voluntati conformitas?

Exempla ex novo Testamento desumpta.

J. C. exemplum. SAnctus Paulus secundum Davidis prophetiam docet JESUM CHRISTUM ingredientem in mundum, Patri suo dixisse: *hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam; Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Ps. 39. Hoc autem ille toto vitæ suæ tempore ad unguem adimplevit, semper se se Paternæ voluntati submittens. Huic enim ut seipsum subjiceret, cum vix in lucem editus fuit, in molestissimum pertexit exilium, atque præstantissimas dotes, virtutesque suas, ardentissimumque zelum pro Patris sui gloria, & animarum salute intra fabri lignarii officinam continuit, ut obscuram, atque ut mihi videtur, inutilem vitam traduceret. In publicum vero tunc denique prodiit, cum præstituta sibi a Patre tempora accesserunt; cumque ab eo quærebatur aliquid, de quo nondum a Patre sibi fuerat imperatum, tempus sibi constitutum a Patre nondum advenisse reddebat. Quomodo vero illius imperio sese in Olivarum horto submiserit; alibi dicam. *Desumptum ex P. Nepven in Spiritu Christianismi.*

S. Pauli exemplum. Nemo unus ignorat, S. Paulum, statim ac ab eodem Filio Dei fuit conversus, & ex acerrimo persecutore in præstantissimum Apostolum, ac Electionis Vas mutatus, ut divini nominis gloriam late ad gentes omnes diffunderet; statim ac, inquam, conversus fuit, illud primum protulisse verbum, quo sese Victoris sui voluntati devovit, ac tantum sese illi subjecit, quantum antea fuerat in illum rebellis; *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. Neque minus patet, quomodo fidem præstiterit, quia non labores, non pericula, non persecutiones, quæ ob id illi perferendæ fuere, numquam vel flectere, vel deterrere illum valuerunt. Verum enim vero quantum rebus in omnibus divinæ adhæserit voluntati, & quomodo saluberrimam hanc Sententiam iis immiserit omnibus, quos JESU CHRISTO lucratus est, ex eo potissimum innotescit, quod allaturus sum. Amici, ac Discipuli ipsius omnem navabant operam, ut illum a proposito consilio Jerosolymam sese conferendi dimoverent, vitæ ejusdem periculum prævidentes, cui iter hoc importune, ut opinabantur, susceptum illum objiciebat. Nihil illi intentatum reliquerunt, preces, sollicitationes, lacrymas; greges sui, totiusque Ecclesiæ utilitatem ob oculos ponentes, omnesque rationes afferentes, quas impensus amor, quo eum prosequebantur, suggerebat. Verum cum illis significavit Apostolus, hanc Dei esse voluntatem; non restiterunt amplius, sed potius preces in benedictiones, & vota mutarunt pro felici itineris eventu, omnes uno ore clamantes: *Domini voluntas fiat.* Act. 21.

Sanctorum novæ legis exempla. Cum nostræ voluntatis divinæ voluntati conformatio virtus sit non solum Sanctorum propria, sed quæ omnes etiam Sanctos efficiat; jure affirmare possumus, eos qui præ cæteris Sanctitate floruerunt, virtutem hanc perfectiori in gradu possedisse.

Beatissima Dei Genitrix Virgo primum, dubio procul, inter Sanctos locum obtinere debet; ita præ cæteris divinæ voluntati se magis conformem exhibuit, & dicere possumus etiam, eamdem immediate per consensum, quem pro Incarnatione Verbi ab ea Deus præstolabatur, statim Dei sui parentem factam fuisse: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Luc. 1. Universa vita illius non aliud fuit, quam jugis divinæ huic voluntati submissio in iis, quæ præcipiebantur in Lege, in iis, quæ pro Filio suo passa est, & in omnibus privatæ vitæ suæ actionibus.

S. Joseph Sanctissimæ Virginis Sponsus eminenti profecto Sanctitate præditus esse debebat, ut recte eo perfungeretur munere, eamque sustineret dignitatem, ad quam Deus ipsum evexerat: verum in eo potissimum illius Sanctitas, & peculiare meritum enituit, quod in Incarnationis Oeconomia, & in Incarnati Verbi Cura, quam illi commiserat Deus, diligentissime executus est.

Apostoli qui primitias Spiritus acceperunt, consequenter majores etiam gratias obtinuerunt, præstantioribusque favoribus fuere cumulati; sed munus ad quod fuerant electi, & ministerium, quod ipsis erat exercendum, numquam profecto digne explevissent, nisi perfecte divinis imperiis sese conformassent.

APPLICATIONES.

SPiritum rectum innova in visceribus meis. P. 50. Propheta Deum rogabat ut sibi cor rectum tribueret: Ut autem rectus sit Spiritus, opus est, hunc divinæ voluntatis, tamquam primæ directionis regulæ, sese accommodare. Primum hominem rectum creaverat Deus, ut Sacer Textus enarrat: sed ille ab Auctoris sui voluntate recedens, spiritus ejusdem rectitudinem amisit, & in sui ipsius considerationibus, necnon in propriæ utilitatis, quam omnibus suis consiliis immiscet, perquisitione aberravit: Si cupit igitur iterum dirigi, omnes voluntates suas divinæ subjicere debet: ab ea regulas omnes desumere, ac rebus in omnibus eamdem consulere. Dei quippe voluntas sceptrum est directionis, secum oculum ferens: cum providentia regit, cum consideratione jubet, ac sine perturbatione disponit. Cum ergo intellectus Dei norma sit, ac libella omnis veritatis, quin unquam falli, & errare queat; ejusdem voluntas similiter est omnis bonitatis regula cum rectitudine adeo inflexibili, ut numquam claudicare, vel in minimum malum possit inclinare: & uti nihil inveniri potest intellectui ejusdem conforme, quod abhorreat a veritate: ita nihil esse potest suæ voluntatis objectum, quod deflectat a rectitudine. Voluntas nostra, ut recta sit, esse debet divinæ conformis.

Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi. Psalm. 118. Qui Dei voluntatem perficere novit, ille vere doctissimus est, licet etiam alia quacumque cognitione careat; & qui maxime reconditas scientias assecutus est, nisi Dei voluntatem cognoverit, nihil omnino scit. Hoc Regius Propheta nos docuit, quo teste, tota hominis doctrina a divinæ voluntatis cognitione dependet. *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi.* Dei legem meditari, ejusdem mandata perquirere, voluntatem ejus perficere, eamque cognoscere, hoc hominem doctum, sapientemque constituit.

Est omnipotentem esse, Dei voluntatem perficere. *Introibo in potentias Domini.* Psalm. 70. Quandoquidem voluntas divina est omnipotens, & nihil contra eamdem obnititur, vel potest obniti, si huic nostram conformaverimus, nonne cum Regio Psalte jure dicere possumus: *Introibo in potentias Domini?* Quidquid voluero, fiet; nihil enim velle potero, nisi quod vult Deus, quod consentit cum eo: quod alibi idem Propheta inquit: *Deus voluntatem timentium se faciet.*

Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei. Ad Ephes. 5. Intelligentia, secundum Philosophos, prima tantum respicit principia: qui hac ignorat, nonnisi fallaces illationes inde potest haurire. Primum autem Religionis principium, est ordo, & voluntas Dei; quam qui cognoscere

ficere nescit, vitam, quæ Christianum hominem decet, vivere nequit. Si Fidelis intelligens est, Dei lex unica illius est regula; nullius rei rationem quærit, & omnibus haud ægre sese submittit. Deus jubet, Deus vult; hoc satis est, ut Spiritus illius sese submittat. *Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei.*

Hoc est totum Dei esse, non aliud, quàm Dei voluntatem habere.

Vocaberis voluntas mea in ea. Isaia 62. Nostram abnegantes voluntatem, ut nosmet Divinæ subjiciamus, evadimus in novam creaturam, de qua loquitur Deus apud Isaiam: *Vocaberis voluntas mea in ea*; videlicet, eris creatura non aliam habens voluntatem, quam meam. Præstantissimum privilegium est hoc appellari nomine, neque satis intelligi potest, nisi supponatur creatura prorsus Sancta, nullam humanam habens voluntatem, ac tota in Deum transformata.

Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. Joann. 4. Non secus ac sine alimento corpus subsistere nequit, neque semel, vel bis tantum in vita, sed quotidie, & cum voluptate cibus illi præbetur; ita Salvator in Patris sui voluntate perficienda voluptatem percipiebat: huic uni vacabat, hæ illius erant deliciæ. Exemplar hoc verus Christi fidelis ob oculos sibi proponere debet. Quemadmodum per gratiam vivit, divinam hanc vitam alere debet ea alimonia, quæ sit suæ naturæ conformis; nihilque illi magis convenit, quam rebus in omnibus Dei voluntatem perficere. *Desumptum ex Opusculo Bellarmini de septem verbis Domini in Cruce prolatis.*

Explicantur ex Orationis Dominicæ verba fiat voluntas tua.

Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo, & in terra. Cum hoc cœlesti Patri nos dicimus, idem est, ac si aliis verbis, secundum S. Augustini explicationem, illi diceremus: Nos propter te in eadem dispositione versamur, ac Angeli, & Beati in Cœlo. Hi tibi quidem in Cœlo, nos vero in terra famulamur; illi numquam tibi injuriam in Cœlo inferunt, utinam neque nos in terra inferremus; & ut illi in Cœlo omnes voluntates tuas adimplent, ita nos quoque eadem celeritate, ac fidelitate illas adimpleremus in terra.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum in hoc argumento.

E*Adem velle, & eadem nolle, ea demum firma amicitia est.* Hieronym. ad Demetriadem.

Dicimus: Fiat voluntas tua: non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus, quod Deus vult. Cyprian. de Orat. Domin.

Satanæ voluntas semper iniqua est, sed numquam potestas injusta: quia a semetipso voluntatem habet, sed a Domino potestatem: quod enim facere inique appetit, hoc Deus fieri nonnisi juste permittit. Gregor. 2. Moral. c. 6.

Miro modo fit, ut quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit. Idem, Moral. 6. c. 12.

Suam sibi quisque facit legem, quando communi & æternæ legi propriam præfert voluntatem, perverse suum volens imitari Creatorem, ut sit ipse sibi lex, suique juris. Idem.

Passus es aliquid mali: si velis non est malum: gratias age Deo, & mutatur malum in bonum. Chrysost.

Subjecti sumus Deo, sed non sumus omnino subjecti: quia ex nobis nascitur quod divinæ renititur voluntati. Sanctus Fulgent. Epist. 4.

Summa justitia est voluntas Dei, summa prudentia est divinæ voluntatis ac divinæ Providentiæ decretis acquiescere. Salvian.

Da Domine quod jubes, & jube quod vis. Aug. in Confess. c. 29.

Adam erexit cervicem, velut in potestate sua esse cupiens, & nolens subdi voluntati Dei. Idem, Tract. 4. in Epist. Joann.

Quidquid hic accidit contra voluntatem nostram, noveris non accidere nisi de voluntate Dei, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius. Idem, in Psalm. 148.

Qui sunt recti corde? Qui voluntatem suam ad Dei voluntatem dirigunt, non voluntatem Dei ad suam curvare conantur. Aug. in Psalm. 123.

Velle quod Deus vult, hoc est jam similem Deo esse; non posse velle nisi quod Deus, hoc est jam esse quod Deus est. Bernardus.

Ita subjici voluntas nostra debet voluntati divinæ, ut quod certum est eum velle, id nos velimus omnino, & quod certum est nolle, similiter execremur. Idem, in serm. Quomodo voluntas nostra divinæ subjici debeat.

Totius humilitatis summa in eo videtur consistere, si voluntas nostra divinæ, ut dignum est, subjecta sit voluntati. Idem, ibidem.

Hoc perfectæ conversionis est forma: Domine, quid me vis facere? Idem, Serm. 1. in Convers. Sancti Pauli.

Nostra voluntas bona a Deo creata perfecta non erit, quousque suo Creatori perfecte subjecta sit. Idem Tract. de lib. Arbitr.

Scio creaturam omnem, velit, nolit, subjectam esse Creatori; sed a creatura rationali voluntaria subjectio quæritur. Idem, Serm. quam volunt, &c.

Dei voluntas est rationabilis quædam æquitatis directio, inconvertibilis atque indeclinabilis, cui illisa omnis pravitas conturbetur necesse est. Idem, l. 5. de Consid. c. 12.

Mihi est pro omni ratione, apud summam illam rationem nihil fieri sine ratione. Gregor. Nazianz. Orat. 5.

Devoranda contumeliæ grande inventum! (Divina voluntas.) Ambros.

O virum ante Evangelium, Evangelicum, & Apostolicum ante præcepta Apostolica! Hieronym. in illa verba Jobi: Sicut Domino placuit, ita factum est, &c.

Unusquisque malus apud se habet voluntatem nocendi; ut autem possit nocere, non habet in potestate: ut velit jam reus est; ut possit, occulta dispensatione providentiæ Dei in alium permittitur ad pœnam, in alium permittitur ad probationem, in alium permittitur ad coronam. Augustin. in Psalmum 29.

Vide quid tibi fecerit iniquus, quid justus Deus; ille voluit, iste permisit. Idem in Psalm. 61.

Voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam; prava enim est tua, regula est illa; stet regula, & quod pravum est ad regulam corrigatur. Idem, in Psalm. 31.

Hoc est totum bonum homini, ut conformet se voluntati divinæ. S. Thomas in Conc. Dominic. infr. oct. Epiph.

Quæ dementia est potius trahi quam sequi. Senec. de vita beata, c. 15.

PARAGRAPHUS V.

Quæ ex Theologia ad hoc argumentum hauriri possunt.

COnformitas nostræ voluntati cum divina, vel nostræ voluntatis resignatio voluntati Dei, est actus charitatis, & perfecti amoris Dei, per quem homo Christianus sese omnino tradit Supremi hujus Entis providentiæ, & vult ab illius beneplacito pendere, ac rebus in omnibus sese illius imperio subjicere. Hanc hujus virtutis ideam nobis adstruunt quicumque de hac virtute disseruerunt, quæ considerari potest in actuali exercitatione voluntatis humanæ, quam divina gratia prævenit, & juvat auxilio; vel in cordis dispositione, & veluti habi-

Quid sit divinæ voluntati conformitas.

habitus quidam, quo semper præsto sumus ad ea perficienda, quæ Deus petit ex nobis, atque ad animum divinis mandatis ultro subjiciendum.

Conformitas hæc supponit voluntatis nostræ indifferentiam.

Notandum est, necessario requiri, ut hæ duæ virtutes simul inveniantur ad hoc, ut perfecte nostra voluntas sit divinæ conformis: primum nempe perfecta voluntatis nostræ indifferentia pro iis omnibus, quæ divinitus nobis accidere possunt; ita ut in neutram partem inclinet, sed in perfecto æquilibrio persistat: deinde vero integra voluntatis submissio quibuscumque rebus suas Deo de nobis, bonisque nostris, & his omnibus, quæ pertinent ad nos statuere placuerit. Altera harum virtutum innuitur per illas Heli Summi Pontificis verba, cum Samuel eidem nunciavit mala, quibus ipsum, omnemque domum illius Deus erat percussurus: *Dominus est; quod bonum est in oculis suis faciat*: 1. Reg. c. 3. Altera vero per illa S. Job verba indigitatur: *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*.

Quid pro hac indifferentia, & resignatione sit intelligendum.

Ubi sermo est de illa indifferentia, in qua voluntas nostra consistere debet, & de resignatione, quæ efficit, ut quibuscumque Dei mandatis acquiescamus; nequaquam intelligenda est ea negligentia, qua nihil afficimur, & omnia negligimus, itaut ipsam salutis nostræ curam penitus abjiciamus; hanc prætexentes causam, quod omnino a Dei voluntate pendemus. Sed indifferentiam, & resignationem intelligimus iis mediis, quibus Deus uti voluerit ad nostram Sanctificationem, qualia sunt bona, vel mala valetudo &c. Immo neque per hanc conformitatem, & resignationem intelligimus nobis esse interdictum, adversæ fortunæ tela, quantum in nobis est, evitare, gravia mala prævertere, & licitis, legitimisque rationibus inimicorum nostrorum opprobriis, vel improbe factis obsistere; intelligitur vero tantum, nos postquam pro virili mala hæc evitare studuerimus, paratos esse debere ad recipienda de manu Dei quæcumque accidere nobis permiserit.

Bifariam Dei voluntas potest cōsiderari.

Ut rite argumentum hoc pertractetur, sciendum est, Dei voluntatem bifariam considerari posse, vel intra seipsam, vel extra; vel quemadmodum post S. Thomam 1. part. q. 19. art. 10. loquuntur Theologi, duplicem in Deo voluntatem esse circa ea quæ ad nos pertinent, alteram quidem absolutam, alteram vero (absit verbo invidia) a vobis pendentem: aliud enim est voluntas Dei, qua aliquid absolute vult, aliud illa, per quam aliquid a nobis vult. Quod absolute vult, voluntas beneplaciti, vel Dei beneplacitum vocatur; veluti cum Rex absolute, & imperiose dicit: quia tale est beneplacitum nostrum. Cum Deus aliquid vult, hoc modo; non solum nulla Creatura audet, immo neque potest, adversari. Sed cum Deus aliquid vult tamquam dependenter a nobis, voluntas signi vocatur: namque extrinsecis quibusdam signis id quod petit, exigitque, significat. Huic vero resistere possumus; sinit enim in nostra potestate ea, quæ se velle a nobis testatur; ita ut illa facere, vel secus, nobis omnino integrum sit.

Hoc in argumento quamplures sunt veritates extra omnis dubitationis aleam positæ, quæ potius præsupponendæ sunt, quam prolixis argumentationibus comprobandæ. Prima est; Dei voluntatem velis, nolis, semper adimpleri: namque, ut S. Augustinus inquit, nisi ultro in hac vita nosmet illi subjicimus, inviti subjici cogemur in altera. Secunda; Dei voluntatem esse debere humanarum omnium voluntatum normam; ipsa enim essentialiter justa, & æqua est: ideoque nihil bonum, & justum est, nisi quatenus conforme est supremæ hujus regulæ. Tertia; nihil in hoc mundo contingere, nisi divinæ hujus voluntatis imperio, peccata vero, licet ipse minime velit, imo prohibeat, atque puniat, quippe quæ illius mandatis adversantur; hæc etiam permitti eas ab causas, quæ illi compertæ, & exploratæ sunt, & quæ nonnisi justissimæ esse possunt; ideoque earum magis rationem habendam esse, quam voluntatis illius, qui peccat nos afficiens contumelia. Quarta denique; quidquid accidit, & quidquid permittit Deus, quamtumvis sit naturalibus studiis nostris oppositum, id nihilominus melius esse, ac nobis utilius: id enim ex ea charitate, qua semper nos diligit, inferendum est.

Quomodo nobis Deus suam voluntatem significet.

Ut Dei voluntatem faciamus, eique nosmet subjiciamus, illa cognoscere necesse est; ut vero eam cognoscere valeamus, ab eo nobis declaretur, atque manifestetur, oportet, ita ut ambigere non possimus, hoc, & illud ab ipso efflagitari. Hoc autem ipse facit: primum enim voluntatem suam nobis aperit in iis præceptis, quibus obtemperare tenemur, iisque consiliis, quibus adhærere nobis utilissimum est. Secundo hæc eadem voluntas nobis significatur eorum mandatis, quibus jus est imperandi nobis; hi enim erga nos tenent locum Dei, ejusque obtinent auctoritatem. Tertio nobis Deus suam prodit, aperitque voluntatem immediate per inspirationes, quibus resistentes Dei voluntati resistimus. Quarto denique divinam hanc voluntatem ex iis etiam casibus, qui divinæ providentiæ dispositione contingunt, cognoscere possumus; uti enim jam dictum est, verum est, immo de fide, nihil nisi secundum dominicæ voluntatis dispositionem accidere.

Cum a Deo petimus, ut voluntas ipsius semper in nobis fiat, ab eo petimus, ut voluntas nostra voluntati ipsius sit ita subjecta, ut studeat solum, quomodo placeat eidem, 1. adnitendo eam fideliter adimplere, quæ nobis præcipit lege sua; 2. ita nobismetipsis invigilando, ut nihil eorum faciamus, quæ ab eo facere prohibemur; 3. in omnibus vitæ casibus sanctæ ipsius voluntati nosmet subjiciendo; 4. sed præcipua JESU CHRISTI intentio in oratione hac, quam illi effundimus, ea est, ut cupiamus, petamusque ab eo perfectionem vitæ Christianæ, quæ in hoc posita est, ut propria voluntate omnino carentes, sed cor rectum, & voluntatem divinæ penitus conformem habentes perfecte adhæreamus Deo, eique subjiciamur. Hoc autem fieri nequit, nisi Dei voluntas semper in nobis fiat; videlicet nisi eam semper faciamus: ut enim S. Augustinus *Hom.* 42. & *Serm.* 48. *de diversis* ait; tunc Dei voluntas fit in nobis, cum Dei ipsius facimus voluntatem, & in hoc perfecta conformitas sita est, ut & cupiamus esse, & vere simus secundum cor Dei.

Quomodo voluntas Dei in nobis adimpleatur.

Dei voluntas mandatis, legisque præceptis, aliisque modis declarata, in Cœlo semper perficitur, in Inferno autem semper respuitur; ibi enim blasphemiæ contra eam evomuntur: In terris vero, ubi Deus libero arbitrio nostro, cui tamen ipsius gratia opitulatur, optionem reliquit ea perficiendi, quæ se a nobis velle testatur, illa quidem aliquando perficitur, non autem semper; sæpe enim illius mandatis resistimus; quamquam plerumque, si per improbitatem illi resistimus, eam tamen semper adimplet ex nobis exigens pœnas.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Per nostrā Divinæ voluntati resignationem affectibus nostris dominamur.

PEr hanc nostræ voluntatis cum divina conformitatem fidelis affectuum suorum perfecte fit dominus. Nulla ipsi dominatur invidia; cum enim nullo habeat in discrimine, utrum ad honores evehatur, necne; aliena sublimitas, nullum ipsi dolorem adfert: nulla tentatur ambitione; cum enim hoc unum quærat, ut Dei seipsum submittat imperiis, non curat, utrum alii suis subjiciantur: tristitiæ mœroribus non afficitur; cogitans enim calamitates, modo esse tamquam divinæ justitiæ plagas, modo tamquam divinæ opus misericordiæ, semper vero tamquam effectus illius voluntatis, quæ suæ norma est: numquam dolore potest torqueri:

queri: neque timet etiam suam sibi eripi felicitatem: cum enim felicitas sua nequaquam posita sit in bonis, dignitatibus, honoribus, quibus fruitur, illis minime inhærens, non metuit eorum jacturam; ideoque futunæ mutatio illius non obest felicitati. *Abbas de Monmorel Serm.* I. *in Evang.* 4. *Dom. post Epiph.*

Erret humana cupiditas, quomodocumque voluerit, fallacia persequens bona, huc tamen semper redeundum est; hæc unica est, quæ in terris inveniri possit felicitas; Dei voluntati parere, mandatis illius sese submittere, nullo in discrimine habere bonam, vel malam valetudinem; dignitates, vel humilitatem; prospera, vel adversa; vitam vel mortem? Deo æque de rebus omnibus gratias agere, & in malis æque, ac in bonis corde magis, quam ore dicere: sit nomen Domini benedictum. Hæc si desit submissio, licet maxime prospero rerum eventu perfrueremur, ibi tamen tumultus, animi agitationes, & mala inveniremus: ea vero cum adest, certi esse possumus, in maximis etiam adversitatibus perfecta tranquillitate, absolutaque felicitate nos esse perfruituros. Profecto qui a Dei nutu pendet, hunc nulla torquent desideria; videns enim, se illorum summam assequi non posse, illa abjicit, sciens facilius esse illa exuere, quam explere; postmodum vero perfecte felix erit quandoquidem affirmari potest cum Philosopho nescio quo, eum, qui cordis sui aditum inanibus desideriis intercludit, hunc, ut ita dicam, in eo statu versari, ut de felicitate cum ipso Deo contendere possit. *Idem.*

Ille felix est, cui nihil evenit contra voluntatem; ac nihil evenit contra voluntatem illius, qui divino sese subjicit imperio; cum enim voluntas ipsius sit cum divina conjuncta, æque fieri non potest, ut aliquid contra ipsius accidat voluntatem, ac fieri nequaquam potest, ut aliquid contra Dei voluntatem eveniat. Hæc autem illa ratio est, propter quam tranquillus est, qui a Dei nutibus pendet: ægritudines, bonorum jacturæ, calamitates, tela omnia in irritum cedunt, eumque commovere non possunt immotæ rupis instar, in quam pelagi fluctus confringuntur quidem, sed efficere nequeunt, ut concutiatur, & loco cedat. Os quidem aperit, non autem ut in questus erumpat, sed ut JESUS CHRISTUS quem sibi tamquam divinum exemplar proposuit, repetat verba: *Non sicut ego volo, sed sicut tu: non mea voluntas; sed tua fiat. Idem.*

Justorum felicitas, in ipsorum submissione consistit.

Sanctorum felicitas in eo posita est, ut Deo ita adhæreant, ut inde minime possint velle divelli; sed justorum in hoc mundo felicitas in perfecta divinæ voluntati submissione consistit; quam quidem amittere possunt, sed nisi velint, non possunt amittere. Felicitas hæc proculdubio pendet a voluntate naturaliter mobili; sed voluntas hæc saltem pendet a nobis, nihilque efficere potest, ut inviti eam mutemus; itaque homo hic divinæ voluntati submissus, Deo adhærens, a reliquis omnibus divulsus, infra Deum per submissionem suam, supra omnia terræ bona per generosum eorum contemptum, in Deo nanciscitur suum gaudium, suas divitias, suam tranquillitatem, cumque vinculis, adeo suavibus simul, & fortibus sit cum ipso conjunctus, ut non sit ultra cum eodem nisi unus, idemque spiritus; nihil illi suam eripere potest felicitatem.

Actus submissionis mandatis Dei.

Fac, Domine, ut tuum exemplum imitati, Patris Cœlestis imperio perfecte simus submissi; subjice Domine hos rebelles animos legibus suis, ut sincere atque fidenter tibi dicere possimus, quod parum attente, ac parum utiliter quotidie dicimus tibi: *Fiat voluntas tua.* Visne nos in honore versari? *fiat.* Visne, in humilitatis squalore sordescere? *fiat.* Vis nobis morbos immittere? Vis nos valetudine bona gaudere? *fiat;* Dignitas, humiliatio, prosperitas, calamitas, vita, mors nullo nobis erunt in discrimine, ubi nos constitueris in submissione perfecta, quæ nobis quidem pignus erit, & arrha æternæ felicitatis.

Verus fidelis, qui sequitur JESUM CHRISTUM, id præsertim nosse debet, quod ab se expectat Deus; hoc ille quotidie Deum orat, & cum suas preces offert, dicit eidem: *Fiat voluntas tua.* Actiones illius verbis erunt oppositæ, nisi operam diligentissime navet, ut Dei voluntatem sequatur; quomodo vero sincere in id potest incumbere, ut Dei sequatur voluntatem, nisi eam contendat agnoscere? Tam utile est cognitionem hanc comparare, quam verum est, Dei voluntatem unicam esse regulam, juxta quam de rerum omnium bonitate, vel improbitate judicium ferendum est. Itaque cum facimus, vel sequimur voluntatem Dei, bene semper facimus, at quantumvis parum ab hac sanctissima regula recedamus, aberramus statim, ac in præceps prolabimur. *Lambert in anno Evangelico; homilia in diem festum S. Joannis Evangelistæ.*

A Deo petendum, ut nobis voluntatem suam aperiat.

Sancti Viri, qui norunt, quantum intersit Dei voluntatem rebus in omnibus sequi, nihil ardentius optant, quam cognoscere, quid ex ipsis velit Deus. Quinam sunt Davidis ardores, cum sanctus hic Rex impensissimum desiderium suum divinæ voluntatis cognoscendæ testatur? Domine, ait ille Deo in æstu orationis suæ: *Doce me facere voluntatem tuam.* Hæc verba jugiter repetere deberemus, nihilque a Deo petere possumus nobis magis necessarium, quam gratiam voluntatis ipsius intelligendæ. Hæc fuit præclara illa Sancti Pauli oratio, cum Deus miraculum edidit, ut illius cor attingeret, ipsumque ad se pertraheret: *Domine quid me vis facere?* O præstantissimum orationis exemplar, nihil velle, nihil cupere, sese Deo submittere, mandatis illius capessendis præsto esse, simul ac ea nobis significare dignatus fuerit! *Domine quid me vis facere? Idem.*

Quomodo J. C. hanc virtutem exercuit.

Dei Filius Paternis obtemperare mandatis ex ipso conceptionis suæ tempore incœpit, & ad mortem usque prosecutus est; etenim ex quo anima ipsius creata fuit, & corpori conjuncta usum libertatis habuit, gratia, atque sapientia repleta fuit, & ex eo tempore obedientiam exercuit, ut ille testatur, cum ait: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Ps. 39. Significat autem, præcipuam virtutem, quam illi tribuunt Prophetæ, & ob quam illum laudibus celebrant, esse hanc divinæ voluntati submissionem; ideoque addit ille, decrevi, Domine, facere voluntatem tuam; tanto amore Sanctam legem tuam prosequor, ut, ne illius obliviscar unquam, sed eam sedulo observem, illam in corde, immo in medio cordis insculpserim. Hoc ipsum magis explicitis verbis alibi dixit: Qui me misit, mecum est, neque me solum reliquit, nihil enim facio, quod ipsi minime placeat. Cum ergo hæc submissio omnium sacrificiorum præstantissimum sit, ut docet in Scripturis Spiritus Sanctus, dici potest, omnes actiones Filii Dei, totidem fuisse veluti sacrificia odoris suavissimi, atque acceptissimi Patri ejusdem. *Ex Bellarmini opusculo de septem verbis &c.*

Homo unus Dei voluntati resistit.

Nihil magis temerarium est, quam obniti velle supremi Creatoris imperio; quæ temeritas ex omnibus creatis rebus hominis dumtaxat est; ille unus contra Deum rebellat, & a suis tantummodo voluntatibus pendet. Angeli in Cœlo unice vacant Divinæ voluntati efficiendæ; *Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.* Terræ animantibus nescio quid inest, rationis locum obtinens, eaque in jugi obedientia nutibus creatoris ipsorum coercens. Creaturæ, quas omnium maxime sensu carere scimus, eodem prædita videntur, ut suo pareant Creatori. Testis est ignis, qui urentem calorem suum exuit, penitusque oppositas qualitates assumpsit, ne tribus innocentibus pueris in Babylonicam fornacem conjectis, officeret: Testes mare, ac venti, qui licet effrænes susque deque illud perturbassent, atque ab imis sedibus miscuissent, ubi Dei imperantis vocem audivere, statim dicto obtemperantes, quievere, *Quis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Matth. 8. Quænam igitur hæc est hominis insania, ut con-

fit contra illius voluntatem obniti velit, cui nihil resistere potest? Quos conatus contra illum exercere potest, seu quo nihil potest conari? Quid efficere potest contra Deum mortalis? Velit, nolit, illi cedat oportet, ac imperiosæ hujus voluntatis sese auctoritati subjiciat: *Num Dei possumus resistere voluntati?* Genes. 50. *Essais de Sermone pro feria secunda post secundam Quadragesima Dominicam.*

Sese divinæ voluntati nequaquam conformare idem est, ac omnia in se mala pertrahere sine ullo solatio. Vita sexcentis malis repleta est: undequaque nobis imminent mala; inter syrtes, scopulosque versamur: extra nos, inter nos, supra nos, infra nos nonnisi malorum occasiones, causasque circumspicimus. Nisi Deum habeamus ducem, quem sequamur, & cui nosmet tradamus, fieri minime potest, quo minus tot malis obruamur. Non vis a Dei nutu pendere; non mereris, ut ipse te regat: & nisi voluntati illius adhærere velis, mereris, ut ille te tradat iis malis omnibus, quæ tibi circumstant; indignumque te præbes gratiis omnibus, quas iis elargitur, qui in ipso suam omnem fiduciam constituunt. Nihil præcipit, nihil permittit Deus, nisi ad majorem hominum utilitatem: illius ergo consiliis reluctans, tuæ felicitati resistis, ac te infinitis bonis privas, quæ tibi secreta providentiæ suæ dispositione, quam venerari debebas, destinabat. *Ibidem.*

Æquum est, ut homo sua voluntatem divinæ subjiciat.

Mirum non est, quod creatura mera omnes voluntates suas abdicare teneatur, ut in ipsa Dei solius voluntas dominetur. Illa in centro suo quiescit, ubi in hoc statu versetur; propterea quod creatura nihil est amplius, cum a Creatore suo minime pendet. Dici immo potest prodigii loco habendum, videre creaturam submissionis suæ vincula infringentem: quod quidem accidit ubi non amat amplius Deum, vel illum non timet amplius; duo hæc enim amoris, timorisque vincula nos Deo connectunt. Hoc, inquam, prodigium est in mera creatura, cum enim essentialiter pendeat a Deo in essentia sua, suisque actionibus, manifesta rebellio est detractare illius voluntati submissionem, ac pro virili supremam illius potestatem eludere. *Sarazin, in Adventu.*

Perfecta charitas, ideoque virtus perfecta in eo consistit, ut rebus in omnibus puram Dei voluntatem adimpleamus. Puram Dei voluntatem appello, nostra enim in ea nullam obtinet partem. Quot autem virtutes hæc una voluntas complectitur! Ibi nostra nitet fides, ubi fatemur nihil in Mundo, præter peccatum, accidere nisi per illam. Ibi confidentiam nostram testamur, etenim omnino in Dei sapientiam, providentiam, & bonitatem confidimus. Ibi patientiam, humilitatem, pœnitentiam exercemus nosmet illius flagellis subjicientes tamquam peccatores, & ultro omnia divinæ justitiæ supplicia suscipientes. Ibi denique Deo, tamquam Domino obedientiam præstamus. *P. Giroust in Quadrag.*

Per hoc in terra quantum esse licet, beati sumus.

Celerior, & brevior in terris via ad felicitatem, quæ in terris esse potest perfectissima, assequendam, est fortiori cedere, sub omnipotenti Dei manu nosmet humiliare, contra torrentis vim minime obluctari, neque conari ea reformare, quæ Cœlum sine ulla opera nostra direxit, & quod nobis etiam invitis exequi noverit; sed nosmet rerum omnium cursui accommodare, ac eodem nosmet duci sinere: propterea quod Deus, cujus voluntates justissimæ sunt, ac iis etiam utiles, qui easdem sequuntur, ita prævidit, & ita decrevit. Ubi hoc fiat, quot doloribus parcimus, quot considerationes effugimus, quæ malum exasperant, quin illi medeantur? Libenter suscipimus, quidquid præcipit Deus, idque libenter suscipiendo lenius, ac mitius efficimus. *Idem.*

Numquid Deus minus est Dominus tuus, quam tu famulorum tuorum, in quos adeo absolutam dominationem habere contendis? Numquid eorum Creator es? Numquid eorum Salvator? numquid Deus? Habesne bona æterna, quibus eos remunereris? habesne æterna supplicia, quibus eos plectas? Deo æque te subjice, ut illos tibi subjectos esse contendis, & satis est. Ubi semel voluntatem suam prodiderit, ubi semel locutus fuerit, tuumne est obmurmurare, disputare, resistere? Tuumne, o terræ vermis, contra Dominum universorum obniti? *Idem.*

Domine quid vis me facere? nihil excipiebat S. Paulus: *quid vis?* nos quoque aliquando ut ille diximus: *Domine quid vis me facere?* Sed numquam tam late ut Apostolus. Latent semper in cordibus nostris exceptiones quædam; sunt ibi nonnulli recessus, quo si Deus penetrare velit, nosmet eidem subjicere detrectamus. Verum scias oportet, Deum integram submissionem expetere, & quemadmodum ipse totum cor nostrum effinxit, ita petere ut totum cor nostrum perfecta conformitate eidem submittatur..... Illius quidem imperiis, hac vel in illa re te submittis; sed cum illas tu elegeris; non sunt ultra secundum divinum imperium, & quamplurimum de ipsorum merito perit. Dei imagine notata esse debet ea pecunia quæ futura est pretium æternitatis. *Idem.*

Quid velit Dei Filius imperans, ut nostram Divinæ voluntatem subjiciamus.

Quid petit Dei Filius cum suadet, ut Patris sui voluntatem faciamus? Nonne semper hæc necessario perficitur, & in hominis potestate non est, eidem adversari? Hoc petit, ut ultro, & non ægre illud feramus jugum, quo nulla ratione excutere possumus; vult, nobis immittere vinculorum nostrorum amorem, ut & illa nobis leviora videantur, & ipse locum inveniat submissionem nostram remunerandi. Itaque cum prædicatur de conformitate beneplacito Domini nostri, vel cum in nobismetipsis deliberamus, utrum omnino divinæ voluntati nosmet tradere debeamus; scitisne quanam de re agitur? agitur fideles, utrum ea in necessitate, in qua sumus, ea aggrediendi, quæ placent Deo, præstet potius necessariam submissionem in meritum nostrum convertere, quam inutili resistentia illum ad iracundiam provocare: utrum præstet cor nostrum esse in lege Dei, ut loquitur Propheta, an sub eadem lege ingemiscere; utrum præstet illi adhærere tamquam amantissimos famulos, an vinculis cogi tanquam mancipia: verbo utrum præstet facere voluntatem Domini eo modo, quo in Cœlo perficitur, quemadmodum quotidie petimus; an eo modo quo in Inferno adimpletur. *P. de la Colombiere tom. 4. serm. hujus arg.*

Ille, cujus voluntas divinæ prorsus est conformata, extra jactum est malorum cujuscumque generis; tum eorum quæ moralia vocantur, & non aliud sunt nisi peccata; tum eorum, quæ dicuntur naturalia. Peccatum non aliud est, quam nostræ contra divinam voluntatem rebellis: liquet autem nullam ibi esse posse rebellionem, ubi est perfecta submissio. Cætera quæcunque mala pro nobis mala non sunt, nisi quatenus voluntati nostræ opponuntur; statim ac enim aliquid volumus; quantumvis in aliorum hominum existimatione sit malum, nobis bonum est: itaque si voluero quidquid vult Deus, certissime ero ab omnibus malis immunis, cum nihil accidere mihi possit in vita, quod sit divinæ, ideoque etiam meæ voluntati contrarium. *Idem.*

Felicitas facientis voluntatẽ Domini.

Felicitas illius, cujus voluntas a Dei pendet voluntate, constans est, immutabilis, æterna; nullus metus illam perturbat, nullus casus eam potest evertere. Illum mihi videre videor tamquam prealto insidentem scopulo in mari; videt furentes fluctus illidi, quin terreatur; gaudet immo eos intueri, & enumerare prout sub pedibus suis confringuntur. Turbatum mare sit, vel tranquillum; venti hinc fluctus impellant, vel inde repellant; æque immobilis permanet, quia rei adhæret quæ solida est, & quati non potest. Hinc proficiscitur tranquillitas illa, pax & perpetua serenitas oris, ingeniumque semper sibi constans, quod in veris Dei servis deprehendimus,

dimus. Jure quidem, o animæ sanctæ, sollicitudinem omnem abjecistis; in Dei vestri voluntate omnibus vitæ hujus calamitatibus tutissimum perfugium invenistis; altius super tempestatum regionem ascendistis, ubi nulla detonat procella; vobisque neque homines, neque dæmones sunt metuendi. Quodcumque fiat, quodcumque accidat, vel nihil vobis obfuturum est, vel ipsi Deo etiam est obfuturum: *Altissimum posuisti refugium tuum: non accedet ad te malum*. Psalm. 90. *Idem*.

Magnum quidem est in hac vita nihil pati posse: hæc tamen non satis ampla felicitas est; requiritur etiam, ut nihil cupere possis. Hic eorum omnium status est, qui cæce volunt quidquid vult Deus: Cum enim eorum desideria sint eadem, ac desideria Dei; fieri nequit, quominus votorum suorum summam assequantur: nihil enim Deus frustra cupit. Ad hæc quantum nobis est submissionis voluntati Dei, tantum Deo est indulgentiæ voluntatibus nostris! Ex quo illi unice obtemperare quærimus, videtur ille enixius inquirere, ut nostra adimpleat vota. Preces nostras non exaudit solum, verum etiam prævertit: immo etiam in corde ea ipsa scrutatur desideria, quæ propter amorem illius suffocare adnisi sumus; illa complet, illa cumulat; immo etiam longius excedit. *Idem*.

Epicteti in hanc rem sententia.

Me pudet, auditores, videre ethnicum nescio quem, illuminatissimis etiam Christifidelibus de voluntate Dei, & submissione mandatis ejusdem præcepta tribuentem. Nullus dubito, quominus illa a Christianis didicerit, vel ipse etiam Christianus fuerit; id saltem satis est probabile, & plurimi hoc sentiunt. Quomodocumque sit, audite, quid in hoc argumento nos doceat. Deus ipse cogendus esset, ut ego invitus aliquid efficere possem; donec enim efficit Deus, quod ipse placuerit, liber non esse non possum, non enim aliud volo, nisi quod ille facit. *Nulla res cogere me magis potest, quam ipsum Deum*. Vult Deus, me ægrotare: ægritudo mihi jucundior est ipsa valetudine: ut pauper sim; divitem esse nollem: ut mortalium omnium ludibrium sim: omnes me spernant, atque contemnant, in hoc meam gloriam versari duco. Oportet ne me isthic, vel alibi vitam ducere; dies meos in pace, vel negotiorum turba transigere: me in ipso ætati flore, vel senectute confectum obire, dicere nescio, quid horum ego mallem: sed statim ac elegerit Deus, mihique indicaverit, quorsum cor suum inclinet: cor meum statim partem illam amplectitur, ibique suam felicitatem inveniet. *Idem*.

Cur mihi tantum boni non est, idem Philosophus inquit, ut semper Dei mei voluntatibus conformis sim! tanta mihi cupiditas est sequendi nutum, & beneplacitum ejus, ut me tædeat nonnumquam, quod Deus nequaquam mihi significet, quid a me velit, quod si divinando assequi possem, certe prævertetem! Mea maxima voluptas, atque lætitia est semper esse paratum ad ea efficienda, quæ vult Deus. *O utinam mors hæc scribentem, hæc loquentem, hæc cogitantem mors opprimat*. Quam felix essem, si imperfecta submissione voluntatibus Dei mei fato concederem! Quid vobis videtur auditores de Philosophi hujus sententia? Nonne jure nonnulli disputant, utrum Christi fidelis fuerit, & salutem sit assecutus? *Pater Grisel Quadragesima*.

Divinæ voluntati Conformitas virtus est generalis, & universalis.

Virtus hæc omnium maxime generalis est propter officia, maxime universalis propter personas, maxime necessaria propter meritum, maxime utilis propter Dei gloriam. Maxime generalis propter diversa mortalium munera, cæteræ enim virtutes quibusdam tantum muneribus adhærere videntur. Potes enim bonus esse Concionator, fervens Missionarius, egregius Doctor, quin iis virtutibus effulgens, quæ in Magistratu requiruntur; at nullus est status, nullum munus, nulla conditio, in qua necesse non sit, sese voluntati Dei conformare. Maxime universalis est ratione personarum; nobiles, ignobiles; Principes, Subditi; pauperes, divites: omnes divinæ voluntati debent esse conformes. Maxime necessaria est propter meritum; hoc enim si desit, haberi nequit &c. *Desumptum ex Anonymo Auctore*.

Hæc est, o Domine, maxima mortalium calamitas, quod voluntas tua a voluntate nostra sejuncta est: alioquin, cum nihil accidat, nisi quod vis, & eo modo, quovis, semper essent contenti. Tribue igitur, Domine, hanc nobis conformitatem imperiis tuis, quæ una nostram efficere potest felicitatem: atque tunc nullo in discrimine habentes bonum, vel malum, divitias, vel paupertatem, bonam, vel malam valetudinem, vitam vel mortem, in omnibus hisce statibus ex corde dicemus: *Fiat voluntas tua: sit nomen Domini benedictum*: Job 1. Quibuscumque premamur ærumnis, quibuscumque afficiamur doloribus, malum non deprecabimur vero solum, ut magnam nobis conferas in malis nostris patientiam, atque perfectam voluntati tuæ submissionem; hæ quippe viæ sunt, per quas tibi conformes esse possumus. *Abbas de Monmorel serm. pro 6. post Pent. Domin.*

Fons, & omnis corruptionis origo est efficere velle, ut nostra voluntas sit norma divinæ.

Monet S. Augustinus generale corruptionis morum nostrorum principium hoc esse, quod cum debeamus nos ipsos regere secundum Dei voluntatem; vellemus, Deum voluntatem suam nostræ accommodare; vellemus, rationem eam, quam servamus cordis nostri pravitatem excusaturi, esse divinæ legis fundamentum, & normam. Hinc prælium initur inter humanum cor, quod affectuum omnium est sedes, & Dei voluntatem, quæ omnis sanctitatis fons est atque principium. Quodnam huic bello remedium inveniri potest? quinam placare poterit rebellem hunc erga Dominum suum? quid pacem conciliare poterit inter voluntatem Dei, quæ vim propulsat, & hominis voluntatem, quæ injuste vim audet inferre? Nihil aliud, auditores, nisi submissio voluntatis nostræ voluntati Dei; ubi consideretur, Dei voluntatem supremam esse, eamque adimpletum iri, quidquid voluntas nostra in oppositum tendat. *Desumptum ex Patre de la Rue sermone de Legis observantia*.

Quod malum homines inferre possunt illi, cui non alia voluntas est, quam divina? Possunt hi quidem auferre bona, honores, dignitates, verum hæc ille nequaquam reputat veluti propria, neque dicet unquam, hæc per vim, & injustitiam eripi sibi; sed dicet potius, hæc sibi auferri a manu Dei, qui novit, ipsum fortasse illi abusurum. Addet etiam se jure conqueri non posse quod ab se repetantur ea, quibus nimis diu gavisus est, & quæ sua vere non sunt. Potest illius existimatio discerpi, in pravum sensum innocentissima etiam verba converti, optimisque actionibus teterrima facies appingi; illi persuasum erit, licet de rebus accusetur, quæ fictæ sunt, se tamen coram Deo reum esse de aliis, quarum nomine non accusatur. *Auctor Anonymus*.

Vera servatio est sese Divinæ voluntati conformare.

Divinæ voluntati submissio proprie Religionis Christianæ spiritus est; ideo JESUS CHRISTUS nihil fecit, nisi secundum Patris voluntatem, nobisque præcepit, ut hanc orationem effunderemus: *Fiat voluntas tua*. Submissio Divinæ voluntati tutissima, atque perfectissima est hominis Christiani devotio. Tutissima quidem; nulli enim obnoxia est illusioni. In contemplatione non deest dolus, & illusio: in mortificatione etiam invenitur; quæ nulla esse potest in perfecta divinæ voluntati conformitate. Perfectissima etiam est, nos enim particulari quadam ratione conjungit cum Deo, efficitque, ut per conformitatem nostræ voluntatis cum sua, quodammodo unum, & idem simus cum illo. *Essais de serm. pour la Carheme tom. 2. serm. pro Dominica 4.*

Joseph ad altissimum dignitatis verticem in Ægypto elatus, & per auctoritatem suam fratrum suorum, de quibus jure conqueri poterat, terror effectus, atque protector, nonne illis considerandum proponit, in ea persecutione, qua illum vexaverunt, ipsos divinæ tantum voluntatis fuisse ministros: proditionem, teterrimamque perfidiam, quam

in

in ipsum exercuerant divinæ providentiæ potius, quam illorum invidiæ effectum fuisse: se quidem ab illis venundatum, ut in Ægyptum deferretur; sed non eorum consilio, at Dei ita disponentis imperio in terram illam fuisse delatum: *non vestro consilio; sed Dei voluntate huc missus sum*. Gen. 45. Tales etiam fuere justorum plurimorum sensus erga se persequentes. Eadem venerabantur flagella, quibus ad eos plectendos Deus utebatur. Primi Fideles manum percutientem deosculabantur. *Pater Massillon sermone pro feria 6. Cinerum*.

Virtus hæc est omnium temporum, omniumque virtutes complectitur.

Ex omnibus his, quæ ad animæ vitam fovendam prodesse possunt, divinæ voluntati conformitas illud unum est, quod æternum durare possit, ac nullum unquam finem sit habiturum. Humilitas, patientia, mortificatio, ipsa etiam fides, & spes, in beata æternitate non aderunt, & sæpe earum exercitationem mutare, vel interrumpere oportet: virtutes omnes, neque statuum omnium, neque omnium temporum sunt: sed facere voluntatem Dei, omnes virtutes complectitur, atque omni tempore, omnibusque conditionum generibus convenit. Nihil ergo melius facere vel possumus, vel debemus, quam imitari Filium Dei, qui dicebat, cibum suum esse Patris sui voluntatem perficere, cujus consilia, & opera semper ob oculos ipsius versabantur. *P. Dozenne in morali JESU CHRISTI. De Conformitate voluntati divina*.

Rebus in omnibus, sive jucundæ nobis accidant, sive injucundæ, divina tantum voluntas inspicienda est, atque eredendum eas omnes ex eodem amore profectas: *A dextris, & a sinistris, per infamiam, & bonam famam*. 2. ad Cor. 6. Cor suum tantæ casuum varietati accommodare, & in hac inæqualitate semper æqualem consistere, hoc est recta incedere, quin ad dextram, vel sinistram deertetur, quin quæratur, quod placere potest, quin evitetur, quod displicere, hoc est dicere cum David; Psalm. 58. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum* in utramque fortunam, cum prosperam, tum adversam; quomodocumque me ipsum vertas, & res omnes disponas. *Idem*.

Conformitas facit ut afflictiones cum voluptate percipiamus.

Afflictio, quatenus afflictio, Deo accepta non est; sed illi tantummodo placet, quia nobis prodest. Cum aliquis perfecte sese divinæ tradidit voluntati, nulla ipsi adversitas accidit, quæ antea per Dei cor, ubi divinum aliquid haurit, non pertransierit. Hac de causa anima bene disposita antefert amaritudinem, quæ sibi a Deo, dulcedini, quæ a Mundo procedit; vel potius quascumque res nullo habens in discrimine, libenter recipit, quidquid illi immittere vult Deus, & in hoc uno voluptatem nanciscitur. Vobis autem, quorum frequens de malis vestris auditur querela, de vestra cæcitate, vel ingratitudine potius querendum est, nisi illa tamquam munera præstantissima, ac summo in pretio habenda existimetis. *Idem*.

Si quod nobis immittit Deus, merus est bonitatis ejusdem effectus, cur nostræ utilitati adversamur? sin autem iræ, cur eamdem lenire non studemus, nosmet justitiæ illius submittentes? Faceremus, hoc pacto, ut iracundia illius in lenitatem, & justitia in misericordiam converteretur. Verum quomodonam dicere possumus: hoc volo; illud nolo: quandoquidem ignoramus, quid nobis utilius futurum sit? Numquid nos fallit, utilissimum esse Divinæ voluntati nosmet conformare? *Idem*.

Quo magis divinæ voluntati conformamur, eo minus patimur.

Certo scias, quo magis parata erit voluntas tua cruci subeundæ, eo minus grave humeris tuis hoc onus futurum: econtra vero si tua abhorreat voluntas, malis, quæ tibi aliunde ingruent, tuus hic dolor accedet, & nihil magis excruciabit te, quam voluntas Divinæ opposita. Ad hæc, si cum de passionibus ageretur, debuit CHRISTUS JESUS voluntatem suam minime sequi; quomodonam voluntatis nostræ oppositioni autem præbere debemus? Immo quam potiori jure debemus dicere: *Non mea voluntas, sed tua fiat?* O Domine. Luc. 22. S. Bernardus ajebat, cur dicis, *Mea voluntas non fiat?* Si voluntas hæc non erat bona, quomodo erat tua? sin autem bona, cur illam abnegas? Bona procul dubio erat, sed illam abnegare debuisti, ut melior fieret. Quantum igitur æquius est, nos hoc ipsum & dicere, & facere, cum voluntas nostra tam mala sit, & corrupta? Sed hoc tibi sacrificium facientes, nonne tibi gratias habere debemus, quod pro victima excipere digneris voluntatem, qua sæpe sumus abusi? Quæ licet bona esset, nonne tua toto cœlo melior est? Præclarum ergo fructum referemus nostram cum tua voluntate commutantes? *Idem*.

Ne vel muneris vilitatem, vel ejusdem difficultatem causemur; hæ enim validæ rationes esse non possunt, ut a voluntate Dei perficienda excusemur. Quid humile, abjectumque est, si Deus hoc velit? quid amplum, & præclarum, si Deus hoc minime velit? Voluntas illius nonne abjectissima quævis officia nobiliora efficit, quam præstantissima quælibet ministeria? quodcunque ille munus imponat, nonne hoc nobis maximo honori esse debet? Quod autem ad rerum pertinet difficultatem, Deus, qui illas præcipit, pollicetur etiam, se nobis vires ad eas perficiendas suppeditaturum. Nobis vero optandum esset, ut gravia, & difficilia imperaret; nobis enim hæc propter illius imperium, & voluntatem aggredientibus ille majores vires, validiusque auxilium ad illa exequenda conferre tenetur. *Idem*.

Dei gloria est, nos perfecte illius voluntati conformari.

Dei solius est absolute, atque independenter suam voluntatem perficere. Si conatis illius imperium effugere, & ab ejusdem nutu nequaquam pendere; vim infers ejusdem auctoritati, & coronam illius eripere velle videris: *Sed eris corona gloria in manu Domini*, ut loquitur Isaias c. 63. si ad unguem præceptis ipsius obtemperaveris. Non aliæ igitur inquirendæ rationes sunt, ut facias, & velis, quod ipse vult, præter voluntatem ipsius. Hæc ratio est, contra rationes excedens. *Dominus est*. *Idem*.

Semper mihi satisfacere nequeo agens secundum voluntatem meam; hoc vero semper accidit, ubi mea voluntas fit divinæ concors. Votorum meorum objecta non semper pendent a me; at semper esse possum Dominus votorum meorum ultro me divinæ voluntati submittens. Si vis igitur esse felix, voluntatem tuam ad ea tantum coarcta, quæ ab eadem pendent; at scias nihil ab eadem magis pendere, quam sese divinæ voluntati submittere. Hæc præstantissima ratio est, voluntatem tuam semper faciendi, eam numquam faciendo. Semper cum aliqua voluptate id facimus, quod volumus, præsertim vero cum alii voluntati nostræ submittuntur; at quænam voluptas esse debet, ubi efficiamus, ut voluntas Dei fiat nostra? beati in hoc majorem, quam in eodem Paradiso voluptatem inveniunt. Ita anima voluntati divinæ perfecte conformis in hac ipsa vita ea fruitur felicitate, quæ a Cœlesti beatitudine non procul distat; & secum fert hanc eamdem beatitudinem, quam nullum unquam negotium infringere valet. Verum enim vero licet in hoc non deesset molestia; quid nostra refert, utrum quod accidit placeat nobis, dummodo placeat Deo? *Idem*.

Deus vult & permittit quidquid evenit.

Non est malum in Civitate, Propheta ait, quod non faciat Dominus. Unicum malum, quod ille nolit, peccatum est: hoc permittit solum; sed ea vult, quæ inde consequuntur. Damnat ille invidiam fratrum Joseph; sed vult effectum illius, nempe Josephi servitutem. Judæorum furorem horret, sed jubet, ac præcipit mortem Filii sui, quæ illum consequitur. Illatam tibi injustitiam persequetur; sed vult eam jacturam, eamque tribulationem, quam tibi parit. Quomodonam conqueri non possumus de malis hujusmodi, cum illa in seipsis spectentur? at quomodo de illis possumus conqueri, cum in Dei voluntate conspiciantur? Hæc vult Deus: Quot rationes hæc continet vox apud eos, qui fidem habent, qui Deum norunt, & diligunt! Aliquisne fidelis hoc dicere auderet: Deus hoc vult; ego autem nolo? *Pater Nepveu tom. 1. Christianarum Considerationum*.

Perfectio nostra in hoc posita est, ut Dei voluntatem faciamus, eique nosmet subjiciamus. Voluntas Dei sanctissima est, & omnis sanctitatis norma: Nos igitur Sancti sumus prout magis normæ huic conformamur. JESUS CHRISTUS Nostrum exemplar est, & nos ideo Sancti sumus, quia eidem similes sumus; ac tantum eidem similes sumus, quantum divinæ voluntati conformes. Ita ille profitetur, se in hunc mundum venisse, ut non suam, licet justissimam, sed Patris sui faceret voluntatem. Denique perfectio, & sanctitas nostra in Charitate consistunt; Charitas est legis plenitudo, S. Paulus inquit; Charitas vero perfecta in hoc posita est, ut plenius Dei voluntas perficiatur. *Qui habet mandata mea, & servat ea*, ipse JESUS CHRISTUS inquit, *ille est qui diligit me*. Jo. 14. Nonnumquam estis solliciti, ambigitis enim, utrum Deum vere diligatis, quæ quidem justissima est sollicitudinis causa: verumtamen si semper estis parati, ut voluntatem illius perficiatis, atque eidem vosmet submittatis, certi estis, ipsum diligi a vobis. *Idem tom. 3.*

Ista conformitas felicitatem nostram divinæ similem facit. Divinæ voluntati conformitas hominem beatum efficit ipsa Dei ejusdem beatitudine. Quid enim Deum infinite beatum constituit? hoc sane, quod facit quidquid vult, & nihil vult, nisi quod bonum est, & in seipso invenit omne bonum, quod vult. Homo vero voluntati divinæ perfecte conformis, hæc omnia obtinet bona. Facit quidquid vult, quia non vult, nisi quod vult Deus; & quoniam Dei voluntas semper quomodocumque adimpletur, ita & illius voluntas semper adimpletur. Non vult, nisi quod bonum est; qui enim non vult, nisi quod vult Deus, velle non potest, nisi quod bonum, & optimum est. Denique in seipso invenit omne bonum; sua enim divinæ voluntati conformitas, cum arcte illum conjungat cum Deo, efficit, ut Deum ipsum possideat; quod autem bonum unquam deesse potest, Deum possidenti? *Idem*.

Hoc nobis persuasum esse debet, nihil a Deo, qui bonus est adeo, nobis evenire posse, nisi quod optimum sit. Si quandoque nos plectit, & ictus illius graves nobis videntur: tandem cor ipsius percutientem manum regit, & cor ejus semper est cor Patris; hoc est cor lenitate, & benevolentia refertum. Itaque non solum flagellis illius nosmet subjicere, sed etiam amare debemus: neque solum debemus percutientem admovere manum; verumetiam illam deosculari. Ad hunc perfectionis gradum hortatur S. Jacobus Fideles, cum ait: *omne gaudium existimate Fratres mei, cum in tentationes varias incideritis*. *Idem in libro de spiritu Christianismi*.

Nequicquam Divinæ resistimus voluntati. Esto, si divinæ voluntati resistentes in morbis, aliisve hujus vitæ casibus eorum cursum, ac vim inhibere possemus! Verumtamen velitis, nolitis æque semper Dei voluntas adimplebitur; hæc immota rupes est, quam ad vos pertrahere minime potestis, quantumcumque adnitamini. Non petit ex vobis consensum vestrum Deus, ut malum producat, vel frænet: hoc non statuit in voluntate vestra: consensum vestrum ideo petit ex vobis, ut tribulationes vestras utiles faciat consilio, gloriæ suæ, & vestræ salutis. Quamobrem impatientia vestra, ac renitentia non aliud efficiunt, nisi quod vobis auferunt meritum, aliaque vestrarum tribulationum bona, ac vos ipsos coram Deo nocentes efficiunt. *Auctor Anonymus*.

S. Bernardus ait, in Inferno non flammas, sed jugem, violentamque oppositionem, quæ inter Dei, & damnatorum voluntates invenitur, horum supplicium esse, atque infernum. Jubet Deus illos pati: illi vero pati detrectant: Dei voluntas expletur, & eorum voluntas contra Dei voluntatem rebellat. Hoc unice Infernum constituit, hoc tormentorum omnium sævissimum est, videlicet *volo* ultoris Dei, & *nolo* creaturæ inflexibilis, & impœnitentis. Aufer damnatis propriam hanc voluntatem, fac ut omnino sese divinæ subjiciant voluntati justissimam de illorum sceleribus ultionem deposcentis, jam nullus erit amplius damnatorum Infernus, desinent esse infelices, erunt inter flammas contenti. *Idem*.

Voluntas nostra divinæ conformata juxta Salvatoris exemplū. Dei Filius pridie quam pateretur in eo mortis horrore, quo, quatenus homo, turbatus erat, exclamavit quidem; Pater mi, si possibile est, transeat a me Calix iste; sed vult, etiam a vobis exemplum suum secutis addi; verumtamen non mea voluntas fiat, sed tua. Vos autem e contra nihil omnino ferre velletis! Contra providentiæ consilia obmurmuratis! In Cœlum, terramque irascimini! Nonne manifesta hæc est vestræ voluntatis oppositio voluntati divinæ? nonne hoc est id nolle, quod ipse vult, & quantum in vobis est, ea abjicere, quæ ab ejusdem manu procedunt? Attente perpendite maximam Incarnati Verbi submissionem, tum cum turbatus erat, atque omnes affectus, seditione facta, tumultus ciere non desinebant, eidem gravissimos exhibendo cruciatus, quos erat subiturus, namque inter hanc æstuosissimam turbam, oratio, quam Patri effudit, huc tandem redit, ut videlicet propria voluntas sua minime adimpleatur. *Idem*.

Qui religiose vitam instituit; non magis hilari animo ea bona recipere debet, quæ obtinet a Deo, quam ipsa mala, quæ sibi ab eodem immittuntur; eadem enim auctoritas, sapientia, providentia, misericordia eadem eventibus omnibus præsidet, seu tristes illi sint, seu læti. Qui cum voluptate in prosperis Deo gratias agit, rubore suffunderetur ob ingrati animi vitium, quod sibi benefactoris sui oblivionem immitteret. Nonne ob easdem rationes in adversis obedientiam testari tenetur? Sin autem conqueritur, nonne seipsum rebellionis nomine contra Dominum suum debet arguere, quandoquidem illi persuasum est, hunc pœnarum æque, ac gratiarum esse distributorem? Licetne illi ex propriæ voluntatis placito hæc potius, quam illa sibi eligere, ac supremæ manus, quam veneratur, flagella, vel munera moderari; vel conari, ut quod timet, in alios decidat, qui æque ac ipse ab eadem divina voluntate dependent? Solida, & religiosa virtus non patitur immutari sententiam, ubi fortuna mutetur. *Liber, cui titulus; Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale*.

Debemus semper Dei voluntatem facere, & possumus. Non possumus Dei voluntatem explere æque perfecte, ac Angeli, qui cum sint in Cœlo, omnia Dei consilia in Deo ipso cognoscunt, atque ita illis sunt omnino conformes, & rebus in omnibus subjecti. Ope tamen gratiæ Dei possumus voluntatem eamdem extra ipsum Deum pluribus rationibus cognoscere, quæ sunt tamquam sensibilia ejusdem indicia, eamque semper cogitationibus, verbis & actionibus efficere possumus, si eidem fideles sumus. Omnes enim cogitationes, quæ in mentem subeunt, omnia desideria, & consilia, quæ sese nobis offerunt, actiones omnes, quas facere volumus, cum sint vel bonæ, & divinæ legi conformes, vel malæ, & huic legi contrariæ, vel neutræ; si, ubi eas perpenderimus, malas esse invenimus, illas abjiciemus tamquam a Deo prohibitas; sin bonas & secundum Dei legem, illas faciemus cum intentione placendi Deo, atque adimplendi voluntatem ejus in illis: sin autem neutræ videntur, nos illas bonas, & saluti nostræ utiles efficiemus eas propter amorem Dei, & aliqua bona intentione facientes. *Bartholomeus Carranza in tractatu de oratione Dominicali*.

Cum pax, & consensus qui inter Angelos, & Beatos in Cœlo invenitur, ex eorum submissione divinæ voluntati nascatur; contraria ratione; & vere dicere possumus, si in hac lacrymarum valle tot occurrunt ærumnæ, calamitates, labores, bella, tumultus, & dissidia inter homines, hoc inde profectum, quod quisque Dei voluntatem relinquit, ut sequatur. Hæc enim propria voluntas, ut Sanctus Augustinus *de lib. arb. cap. 3. & 4.* docet, non aliud est, quam ille proprius amor, & illa cupiditas, quam S. Paulus malorum omnium radicem appellat. Namque scelera omnia, quæ in mundo patrantur, proficiscuntur

ex in-

ex infelici hoc fonte, ex hoc funesto germine peccati Adæ, quod omnia vitia, omnemque mortalium improbitatem producit. *Idem*.

Religiosi obedientiæ regulis inhærentes certi sunt, se semper Dei voluntatem facere.

Dei voluntatem ita aperte, & liquido cognoscere, ut de illa ambigi nequeat; hoc opus, hic labor est. In plerisque conditionibus plurima adsunt incerta, quæ lex divina non moderatur, & quæ dubitationum causas, ac sæpe etiam sollicitudinem viris bonis producunt; sed in Religiosorum vita, ubi munera omnia rite instituta sunt, itaut vix respirandi tempus permittatur, omnia, & pro exercitationibus, & pro temporibus notata sunt. Libertas nulla ferme re potest abuti; obedientia omnia sibi reservans ea sanctificavit. Levitas, & inconstantia nullæ sunt; sufficit lumen sequi, quod præcedit, ut tuto incedatur; nulla deliberandi cura est, agendi tantum superest studium, & qui fidelis est, imitari potest perennem JESU CHRISTI obedientiam, cujus vitæ initium, atque exitus semper fuere cum conformitate Paternæ voluntati conjuncta. *Liber, cui titulus; Tractatus de oratione*.

Divinæ voluntati conformitas efficit, ut justus afflictus, exagitatus, & si mavis etiam oppressus constanti tranquillitate fruatur, possideat in patientia, & in pace, quæ, ut Apostolus inquit, omnem humanum sensum exuperat, animam suam, & ex propriis malis suum hauriat solatium. Quorsum isthuc? Quia in mundo respicit supremam voluntatem, cui seipsum gaudet conformare: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum*. Job 1. Impius vero e contra eo ictu perculsus, quo prosternitur, reprobi, ut ita dicam, personam gerit, blasphemiam evomens in Cœlum: omnia sibi infesta nactus in terra, amicos insimulans, furens adversus inimicos, sese tradit deperationi. *P. Bourdaloue Sermone de Providentia*.

Conformitas hæc præ cæteris Virtutibus Filio Dei maxime cordi fuit.

Divinæ voluntatis conformitas fuit quodammodo virtus præ cæteris Redemptori gratissima, hanc enim ipse in toto vitæ suæ curriculo exercuit, quin ne momento quidem ab illa recederet: *In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam*. Ad Hebr. 10. Hæc effecit, ut de sinu Patris egrederetur venturus in terram: hæc illum isthic detinuit, donec Deo placuit, hanc denique in novissimis etiam vitæ suæ momentis ad unguem exercuit. Ut divinam voluntatem expleret, tamdiu in silentio delituit: ad illius nutum in mundum prodiit, ac populis prædicavit: ut illi sese conformaret, laboravit, itinera ingressus est, jejunavit, oravit, miracula operatus est, cætera absolvit munera missionis suæ, quam a Patre receperat; denique ut se eidem perfecte submissum ostenderet, persecutiones, injustitias, contemptus, sævissimosque cruciatus perpessus est, & postremo suæ ergo Patrem obedientiæ coronidem posuit suum effundens sanguinem, & in Cruce spiritum tradens: *factus obediens usque ad mortem; mortem autem Crucis*. Ad Philipp. 2. *Ex manuscripto sermone*.

Mundi Salvator in agone illo, quem in Olivarum horto perpessus est; ubi creata quælibet illum deseruisse videbantur, hoc unum petiit a Patre: *Non mea voluntas fiat*. Luc. 2. Et profecto ea in occasione hæc voluntatis submissio maxime requirebatur, cum natura refugeret amarum passionis Calicem exhaurire. Tunc ille voluntatis suæ obtulit holocaustum, ut Æterni Patris tantummodo voluntatem perficeret. O præstantissimum sacrificium centies pretiosius, & gloriosius Deo, quam corporis, & vitæ suæ Sacrificium! Non desunt nobis occasiones imitandi tantæ virtutis perfectionem in sexcentis inopinatis casibus, qui Sanctatum animarum constantiam concutere possunt. Nobis cum Salvatore *Jo*. 18. dicendum est: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum*? Deus hoc permisit. Publicæ calamitates molestiam afferunt: Consanguineorum, amicorumque mala nos torquent: nos casus ille perturbat? nobismetipsis cum vero confusionis, & verecundiæ sensu dicamus: *Calicem, quem dedit mihi Pater non vis, ut bibam illum*? Deus hanc permisit jacturam; afflictionem: æquo animo ferenda est. *Pater de la Colombiere in Meditationibus de Passione*.

Divinæ voluntati submissio in tribulationibus.

Nefas est conqueri: & in murmurationem erumpere, ubi constet, nos pati eo quod Deus ita jubet. Tenetur Creatura Creatoris sui obsequi imperio: nimis felix procul dubio, si eidem obsequatur cum vitæ, bonorumque jactura: obligatio inevitabilis, & quam nemo non sentit. Attamen cor vestrum excæcatum admittitur, ut supremæ hujus voluntatis intuitum vobis eripiat, humanæ tantum voluntati obsecuturis. De vobis actum est, calamitas vestra certa est, familia vestra extincta: quin recogitetis consilia omnipotentis Dei, proximum accusatis, qui bonorum vestrorum avidus diem vobis dixit; ambitiosorum hominum, turbam insimulatis, qui favori vestro, vestræque auctoritati invidentes falsa, fictaque narrantes, atque in sequiorem sensum dicta, factaque vestra detorquentes effecerunt, ut ille Princeps, cujus necessarii eratis, vos ægre patiatur, & causam inquirat, ut vos procul dimoveat &c. *Ex serm. manuscr. P. Stephani Chamillard*.

Me me trado in manus tuas Domine: volve, revolve limum hunc, eam, quam mavis, illi formam tribue, mox illum contere, tuus est; opponi non debet: satis est, ut tuis consiliis inserviat, & nihil obsistat tuo beneplacito, pro quo factus sum. Pete, jube, prohibe; quid me vis facere? quid item vis me non facere? attolle, dejice, consolare: tuis vacabo præceptis, rei cuicumque inutilis, te semper æque venerabor, nihilque mihi restat nisi, ut cum Sanctissima matre tua in omnibus dicam: *Fiat mihi secundum verbum tuum*. *Auctor Anonymus*.

Divinæ voluntati submissio nota est animæ rectæ, puritatisque cordis.

Cor mundum, atque recta intentio certius dignosci non potest, quam ex obedientia divinæ voluntati, & fideli mandatorum Dei observantia. Divina voluntas fons est moralis rectitudinis cogitationum nostrarum, desideriorum, actionum; ipsa unica est norma innocentiæ cordis nostri, & justitiæ operum nostrorum: ipsa ubicumque est, boni naturam constituit; ipsa virtute vetustior est, quem, ut ita dicam, in omnes mortalium actiones invexit. De cordis nostri dispositione judicium ferendum est ex ea submissione, quæ pendet ab illa æterna lege, quæ judiciis omnibus præest, & quæ una de vera integritate adjudicat. Vis nosse, utrum consilia nostra pura sint, & rectæ intentiones nostræ? vide utrum in illis Dei voluntas adsit, utrum Spiritu ejusdem animeris, & scias, virtutem hanc ad altissimum perfectionis apicem evasuram, ubi dicere poteris cum S. Paulo; *Domine, quid me vis facere!* vel quid vis facere de me? *Desumptum ex Collectione Orationum Accademiæ Gallicæ oblatarum anno 1667. serm.* 3.

Omnibus in rebus, quæ facienda suscipimus, Dei voluntatem explorare debemus, eaque inconsulta nihil adniti; illa enim suprema rectitudo est, nihilque rectum fieri potest, ubi illius motus non sequeris, & ejusdem consiliis non gubernaris. E contra vero cum prudentiam sequimur divinæ oppositam; quemadmodum divina falli non potest, ita opus est, ut nostra in errorem impingat: & quemadmodum ex duabus rebus, quæ invicem colliduntur, opus est; ut imbecillior cedat ictui fortioris; ita cum humana voluntas sit divinæ opposita, opus omnino est, ut ictui cedat ac tandem frangatur impetu supremæ potestatis, cui ipsa adversatur. *De la Volpilliere, sermone de malo regimine*.

Quandonam perfecte Dei voluntati subjecti simus.

Cum Deo æqui libenter inservio in iis, quæ mihi molesta sunt, atque in iis, quæ mihi accidunt perjucunda; & cum Dei voluntas semper mihi accepta est, vel morbos, bonorumque jacturam, vel bonam valetudinem, opumque afferat copiam: Cum fidelis bis habet cor paratum, ut David: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*: Cor meum tibi præsto est, cum ea facis, quæ mihi placent, sed æque præsto, cum illa accidunt, quæ mihi displicent. At ubinam gentium fidelem inveniemus, qui in Dei mandatis, neque severitatem, neque lenitatem considerет; sed hæc esse tantum mandata Dei reputans hac ratio-

ratione libenti animo sese subjiciat? *Desumpt. ex serm. quodam Fromentieres*.

Hoc principium est omnibus probatum, validisque argumentis confirmatum, opus esse, ut quod rectum est, regat, id quod distortum est; & quod in seipso est immutabile, & nulli vitio obnoxium, id corrigat, quod mobile, & nutans. At Dei voluntas recta est, immutabilis, & essentialiter sancta, nostra vero inconstans, & nequam: opus est igitur, ut rebus in omnibus voluntas nostra submittatur legibus Domini, & omnino mandata illius exequatur: quod ipsum ratio, & natura nos docet. Verum enim vero in adversitatibus vitæ vestræ ad Deumne confugistis? Ab ipsone solatium vestrum expectastis? numquid mandatis illius unice paruistis? immo e contra quot querelæ, quot sollicitudines, quot murmura? Quantum obstitistis calicem hunc intuiti? Quantum Dei mandatis adversati estis? Quantum adorabilibus voluntatibus ejus estis reluctati? Volebatisne tunc, quod ille vult; an potius velletis, ipsum velle, quod vos ipsi cupitis: injustæ illius litis victoriam, persecutoris illius oppressionem, proximi interitum, Filii curationem? *Idem*.

Antequam Dei voluntas nobis sit explorata, nullam habere debemus voluntatem.

In ancipiti versari debemus, ac in neutram inclinare partem, donec Dei voluntas nobis fuerit explorata; at statim ac illa, quæ suprema est regula nostra, fuerit nobis comperta, quin aliquid ultra ponderemus, statim eam sequi debemus. Ante id tempus cuncta nobis nullo esse debent in discrimine; Bona valetudo, & mala; copia, & inopia, tenebræ, & dignitas: non enim adnitendum est & nobis, sed ut Deo satisfaciamus; neque considerandum, quod in nostram utilitatem, ac honorem cessurum est, sed quod est Deo jucundius, & gloriosius futurum. Ut verbo me expediam, nosmet illius obedientiæ debemus tradere, nosmet ejusdem spiritum regere, & eo, quem nobis imprimit, motu moveri. *De la Volpilliere in quodam serm.*

Cum puer Samuel nunciavit Heli summo Pontifici terribiles minas, quas illi intentabat Deus: non dixit Heli, hunc esse tenebrarum Angelum, qui fallere conatetur: sed agnovit statim Deum esse sibi minitantem, ac per os pueri illius sibi loquentem: *Dominus est; quod bonum est in oculis suis faciat*. 1. Reg. 3. O anima christiana, quam egregium exemplum! Sexcentæ hinc, inde tibi ingruent calamitates: non ideo huic, vel illi irascaris; ne accuses inimicum tuum, nec improbitatem invidentis felicitati tuæ; ne succenseas nequitiæ sortis tuæ, vel injustitiæ virorum potentium: sed potentem Dei manum agnosce, & dic cum Heli: *Dominus est; quod bonum est in oculis suis faciat. Desumptum ex libro, cui titulus: Exercise du Chrêtien Interieur*.

Inter Creata solus homo Dei voluntati resistit.

Inter omnia creata nihil est, quod magis divinæ voluntati adhærere debeat, quam humana voluntas: & nihilominus hæc una ab eadem procul recedit. Videte a summo Cœlorum usque ad imum abyssi, utrum vel una sit creatura, quæ ad unguem adorabilis hujus voluntatis imperia non exequatur, quin vel uno tantum momento unquam ab illis recedat. Nonne Cœli, & sydera ad hanc usque diem eumdem servant in suis motibus ordinem, quem in ipsa creatione divina voluntas illis indixit? Terra, & omnia elementa: animantia, & arbores: verbo, entia qualibet nonne ubique, & semper adorabilis hujus voluntatis imperia facessunt? Illa immo tanta solertia, ac zelo facessunt, ut in nihilum redigi mallent, quam dicto illius non parere. Verumne igitur est, humana voluntas, te, quæ præ ceteris quibuscumque creatis rebus divinæ voluntati temet conformare debes, te inquam adeo ingratam esse, ut illam aspererneris, te unam adeo insolentem, ut contra eamdem obniti velis, te unam adeo nefariam, ut jugi inobedientia ac rebellione eidem adverseris: te denique adeo improbam, ut injuriam illi rependas, a quo indesinenter gratiis, & benedictionibus cumularis? *Idem*.

Quemadmodum Dei Filius venit in terras tamquam mortalium magister, æque ac Salvator: aliorum magistrorum methodum servasse videtur, qui ut facilius discipulorum suorum menti sua imprimant præcepta, a generalibus quibusdam rudimentis incipiunt, quæ sunt prima veluti elementa ad reliquarum rerum captum faciliorem viam aperientia. Hoc autem consilio, cum illius doctrina hunc sibi propositum finem habeat, ut nos Sanctos, perfectosque efficiat: virtutem hanc tamquam primum fundamentum constituit, & veluti primam dispositionem exposcit, ut præsto simus voluntati Patris sui exequendæ perfecta mandatis ejusdem submissione, sine qua nullus in hac scientia fieri progressus potest: *Siquis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit*. Jo. 7. Verum enim vero hac in re ab aliis Præceptoribus differre videtur, qui ex facilioribus, & perfectioribus initium ducunt, ut pedetentim discipulos suos ad scientiam manuducant, ac tandem illos perfectos efficiant. Divinus iste Magister e contra incipit statim ab iis quæ sublimiora, & perfectiora sunt, atque ut ita dicam, ab ipso sanctitatis, & perfectionis cumulo, qui est perfecta nostræ voluntatis cum divina conformitas, inde enim & ipse incipere voluit nobis præbiturus exemplum, cum in mundum minime venerit, neque inde fuerit egressus, nisi juxta Dei Patris imperium: & cum ceteras virtutes per intervalla dumtaxat exerceret, prout sese ferebat occasio, hanc autem jugiter, & indesinenter: *Quæ placita sunt ei, facio semper*; Jo. 8. Hanc cibum suum appellavit, innuens, illam vitæ spiritus nihilo minus esse necessariam, quam sit vitæ corporis esca: *Cibus meus est, ut faciam voluntatem Patris mei*. Joan. 4. Hanc tanto habuit in pretio, ut aliquando, Discipulos suos digito ostendens, affirmaverit, eos qui Patris sui voluntatem fecissent, sibi fratris, & sororis matrisque loco futuros: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est*. Matt. 42. ac tandem pro illis tantum cœlum apertum esse docuerit. Hinc autem inferendum est, hoc esse totius doctrinæ divini hujus præceptoris compendium; hac una sectione sapientiam omnem contineri; in hac una virtute reliquas omnes includi, & solidissimam sanctitatem in facillima, & familiarissima vitæ nostræ actione comprehendi. *Auctor sermonum in omnia Christianæ Disciplinæ argumenta, sermone audito*.

Quandonam tibi obtemperabimus, Domine, sine contradictione? quandonam dicam tibi quacumque in occasione cum sinceritate, fiat voluntas tua, non mea? quandonam me illam secutum fuisse pœnituit, & quando gavisus sum, quod meæ adhæserim voluntati? Divinæ voluntatis consilio factum est, ut omnes Sancti suimetipsorum curam deserentes, eamque unam tibi obtemperandi reservantes ad eam, quam possident, & in æternum possessuri sunt, felicitatem pervenirent: ego vero terræ hujus vermis meipsum regere volo! Cœlum, Elementa, universaque omnia ordinem, motuumque suorum regulam servant propter impressionem, quam a tua voluntate recipiunt: ego vero cinis, & pulvis aliquid me posse credam procul a te? *De Passione Domini Tom. 2.* — Desiderii divinæ voluntatis exequendæ.

Pulcherrimum perfectæ submissionis exemplum nobis suppetit in S. Job. Nunciantur illi ablata pecora, quæ opes ejusdem erant; eversæ domus, & earum ruina filii sepulti; ipse vero sedens in sterquilinio ulceribus, vermibusque derosus, quid agit in statu adeo deplorabili? tamquam ferreus esset, vel æneus, tranquillus permanet, & manum adeo gravia sibi vulnera infligentem adorat. Ad hæc Uxore, & amicis illum excitare studentibus, ut de Divina conqueratur providentia ipse in illos insurgit, eos improbat, atque confundit. *Desumptum ex manuscripto*.

Dei voluntatem facimus status nostri munera explentes.

Ad Dei voluntatem efficiendam non aliud requiritur, quam status sui munera perfecte adimplere; quandoquidem ipse etiam JESUS CHRISTUS censuit,

fuit, nihil seipso dignius triginta annorum spatio fuere potuisse, quam perfecte iis officiis defungi, quæ statui humili, abjectoque, quem sibi elegerat, maxime convenirent. Alia quæcumque via nos fallit. Nimis facere velle, nisi id fiat, quod fieri debet illusio est; & semper fit, quod debet fieri, cum id fit, quod jubet Deus. At minima etiam status nostri munera adimplentes certi sumus, nos ea facere, quæ placent Deo. Ita qui in mundo vivunt, quin extra conditionis suæ limites egrediantur in iis, quæ quotidie facere tenentur, id inveniunt, quod faciendum est ad acquirendam sanctitatem. Excusabilesne erunt coram Deo, si hoc minime fecerint, illi, qui pro mundo multo plura efficiunt, quam quæ pro Deo facere tenentur, ut salutem assequantur? *Auctor Anonymus.*

Quotusquisque cum S. Job ait: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suspiciamus?* Miram argumentandi rationem, quam plerique fidelium ignorant! Quæso enim, unquamne, Lectores lectissimi, hoc pacto estis argumentati? Eosdemne sensus erga Deum in adversis, atque in prosperis servare consuevistis? Quæ prospere eveniunt nos gaudio afficiunt, quæ secus, mœrore. Fortasse Deo gratias egistis bonis cumulati; sed fortasse ubi lævum aliquid accidit, estis conquesti: sed anima divinæ voluntati submissa in utraque fortuna semper est eadem. Eum enim spiritum habeat Dei magnitudine, & majestate occupatum, videt a nobis generatim adorandum esse, quidquid ille jubet, cumque sibi persuasum sit de suprema illius æquitate; scit quidquid ab illo imperatur, semper justum esse; atque turpe futurum si de eo, quod juste præcipitur, conqueremur: & quin bona, & mala in seipsis consideret, Dei tantum eadem immittentis manum respicit, qui in eorumdem distributione semper est sapiens æque, & misericors. *Sermo manuscriptus.*

Indicium est nos vere velle esse, cum ad voluntatem illius efficiendam parati sumus.

Omnes sumus Dei, cum voluntatem nostram adeo plene, atque integre abnegamus, ut divina voluntas occupet locum voluntatis illius, quam nos ipsi reliquimus; ipsaque in nobis efficit omnia, omniaque operatur: cuique illi adeo perfecta defertur obedientia, ut nihil inveniri possit, quod illi resistat. Non solum imperia, sed minimi etiam nutus illius adimplentur, ita ut voluntas nostras propriis sit motibus intermortua, nullamque actionem habeat, nisi ut sese submittat, & pareat. Quemadmodum vero hæc voluntas sancta hac dispositione Deo præstat, quod illi debet, verum est dicere, fidelem in hoc statu talem esse, qualem Deus vult, & omnino ad Deum pertinere. *Abbas Trappensis Collatione pro die Assumptionis.*

Nihil utilius, nihilque gloriosius ex laboribus muneribusque nostris expectare, vel cupere possumus, quam placere Deo; quin illud nobis negotium facessat, vel quomodo, vel in quo placeamus; si juberemur omnes vitæ nostræ dies in iis exerceri, quæ in terris maxime sunt molesta, atque contemptibilia, atque nosmet iis omnibus fraudare, quæ suavissima & jucundissima possunt accidere; si Deus ita vellet, nonne nobis honori esset, & gloriæ voluntatem illius adimplere? Sin autem præciperet, ut in obscuræ vitæ latebris per integram æternitatem jaceremus, non aliam mercedem, nisi eidem placendi assecuturi; nonne nimis felices essemus, & nimia hæc esset merces laborum nostrorum? *Domine, quid me vis facere.* Act. 9. Exclamavit Apostolus, statim ac illum tetigit Deus. Verbum breve quidem, sed efficax, & dignum Apostoli, qui se totum esse cupit Domini sui! Verum quotusquisque hodie invenitur, qui ad eum perfectionis gradum pervenerit, ad quem Sanctus ille in ipso suæ conversionis momento? Non desunt multo plures, qui Evangelicum cæcum imitantur, & qui interrogandi sunt, ut hic olim a Salvatore: *quid tibi vis faciam?* 2. Luc. 18. quin advertatur, non esse Dei, voluntatem nostram perficere, sed nostrum esse explorare voluntatem Dei, ut illam adimpleamus.

Nos pudere debere, quod divinæ voluntati sumus parum subjecti.

Nos pudeat videntes mare, & ventos, atque entia magis rebellia, magisque sensu carentia, promptius parere dicto Dei, quam nos ejusdem legi, & voluntati obtemperemus, Illi Entia qualibet paruerunt; dicam aliquid amplius, in ipso etiam nihilo obedientiam invenit Deus; nos vero nihilum rebelle, semper illi resistimus, numquam illi obtemperamus, Videmus, S. Hieronymus inquit, creata quælibet agnoscere Creatorem; hic mari imperat, & minatur, mare autem sentit imperantem: non per errorem Hæreticorum quæcumque animata esse credentium; sed per majestatem Domini, coram quo sensibilia fiunt, quæcumque sensu carent pro nobis. O nos miserrimos! Cum Deus audiendus est, nimis pro rebus creatis sensibiles, pro Creatore insensibiles sumus. Nonne igitur ipse jure nobis illud exprobrare potest, quod olim populo suo per Isaiam Prophetam: *vocavi, & non erat, qui audiret, locutus sum, & non audistis?* Ejusdem inobedientiæ, ac rebellionis fontes metuamus, ne vobis illa accidant mala, quæ eidem populo minitatur. *Abbas de Monmorel homilia in 4. Dominica post Epiphaniam.*

Valida profecto ratio est ad persuadendum, ut divinæ pareamus voluntati, scire, Divinam hanc voluntatem id semper velle, quod nobis optimum, & utilissimum est. Cum de hac veritate certi simus; heu, Domine, de nobis fac quodcumque tibi placuerit; quid nobis opus sit, tu melius nosti, quam nos; voluntas tua bona est, nostra mala: tua immutabilis, nostra nutans; tua infinite sapiens, nostra illusionibus, erroribusque referta. Numquid melius facere possumus, quam nosmet tibi regendos tradere? *Joly propositione pro 6. post Pentecosten Dominica.*

Justum est divinæ parere voluntati.

Ad Deum spectamus, o Fideles, ob eos omnes titulos, qui legitimam dominationem statuere possunt; Deus est animæ, corporis, vitæ, bonorumque nostrorum Dominus. Unicam tantummodo voluntatem nobis liberam relinquere voluit: sed cum hæc ipsa libertas a Deo proficiscatur, Deum ejusdem Dominum esse opus est. Licet in actionibus suis a nemine pendeat: subjecta tamen sit in principio suo; licet Domini jugum possit excutere, illi tamen debet esse submissa: integrum est illi obtemperare, vel secus, sed imperium detrectare citra scelus non potest. Potestas, quam divinitus obtinuit egrediendi ex iis finibus, quos illi præscripsit Deus efficere debet, ut sese eidem sponte subjiciat; & hæc libertas, qua a legitimo Rege nostro deficere possumus, hoc unum fecit, quod servitutem in obedientiam immutat. Nisi enim nosmet subjicere voluerimus legibus, quæ pro subditis rogatæ fuerunt, illis erimus obnoxii, quæ sunt rebellibus irrogatæ; si ex Dei Dominio in hac vita dilabimur, ad illud in altera redibimus, nihilque nostræ libertatis reliquum erit, nisi murmur, & querela voluntatis rebellis catenis vinctæ, & quodammodo obrutæ pondere illius potestatis, cui subesse noluerit. Ultro igitur nosmet subjiciamus legitimæ huic potestati, antequam cogamur &c. *Essais de Panegyriquez, tom. 1. sermone pro die Purificationis.*

Hæc renitentia inutilis est; quodcumque enim conetur homo, Deus semper dominus est; doleat, murmuret, frendat, quod decrevit Dominus, certissime fiet. Murmurantem contra mandata Dei Sanctus Chrysostomus Oceani tempestatibus comparat. Æstuosum hoc elementum sæpe in Cœlum minari videtur, & ab imis sedibus egredi, itaut omnia late prostratutum videatur; sed nequicquam ventis vehementioribus opem ferentibus mare conatur: *huc usque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Job 38. Ad Creatoris, Dominique imperium fluctus coercere tenetur, atque parere. Hoc ipsum de iracundis hominibus dicendum est, qui furorem suum, atque indignationem in ipsum Deum ferre velle videntur: omnes eorum conatus in irritum cedent:

huc

huc usque venies. Oportet semper, ut Dei voluntas fiat, & nostra mandatis illius sese submittat. *Essais de sermons pour la careme. Sermone pro Dominica quarta*.

Praxis Conformitatis voluntati Divinæ.

Quamquam hæc praxis facilis sit, summopere utilis, & accepta Deo, dici posset occasionem conformitatis hujus divinæ voluntati exercendæ perraro adesse, ac proprie in adversis inveniri; verumtamen e contra nobilem, præstantemque hanc virtutem omnium esse temporum, omniumque locorum affirmo. Quamvis enim magnæ calamitates quotidie non accidant neque in omnibus conditionibus accidere soleant; possumus tamen nosmet quotidie offerre Deo, ac paratos esse ad recipienda quæcumque mala de manu Dei, ubi ea nobis voluerit immittere. Si tibi auferre vellet Deus Filium hunc, quem unice diligis; si permitteret, ut victus eo abires judicio, in quo de omni bonorum tuorum summa agitur; si vir ille, in quo spem omnem, & omne præsidium tuum collocasti, inopina morte tibi eriperetur; si domus tua, omnisque supellex subita correpta flamma conflagraret, magna quidem spiritus constantia indigeres, ut ictus adeo graves æquo animo ferres. Dei voluntatem hanc in te nondum nosti. Sed illam præverte; ultro temetipsum subjice, non iis solum, quæ facere decrevit; sed iis etiam, quæ facere posset: tu certe præstantissimis meritis non carebis. Dic illi, ut olim Sanctus Rex David: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*. Sin autem ad aliquid peculiare descendere cupis, ac tibi resignationis hujus quotidianam exercitationem effingere; singulis diebus diluculo ea omnia perpende, quæ eadem die tibi molestissima accidere possent. Finge evenire posse, ut hac die malum aliquod tibi nuncietur; fortasse antequam advesperascat, te insigni contumelia affectum iri; fortasse illum, quem præ ceteris adamas, invida morte a te iri divulsum: tu ipse nescis, utrum subito, tragicoque fine tibi sit obeundum. Omnibus hisce malis tuam voluntatem submitte, si hæc Deo permittere placuerit; Ita Deo sacrificium offeres ejus rei, quæ non accidet, sed nihilo minus sacrificium erit Deo acceptum, atque jucundum; tuisque ille meritis adscribet, quod præsto fueris voluntati ipsius proficiendæ, & hoc illi satis erit fortasse, quin malum aliquod tibi ulterius immittat. *Desumptum ex Patre de la Colombiere in sermone hujus argumenti*.

Hæc veritas est, quam nemo umquam in dubium vocavit, creaturarum rerum ita proprium est pendere a Deo uti Dei proprium a nullo pendere. In hac Creaturæ submissione, & Creatoris imperio humilitas Christiana, & vera cordis humani submissio fundatur; fieri enim minime potest, ut nosmet quidem agnoscamus a Deo pendentes, Deum vero pendentem a nemine, quin nosmet humiliemus, illius auctoritatem venerantes, & obedientiam illi profitentes, quæ proprie est nostræ voluntatis divinæ voluntati submissio. Verum nostræ ambitionis effectus est, neminem pati, qui nobis imperet, & a quo pendeamus. Hic humani Spiritus caracter est, quem Evangelium nobis in Filio prodigo ostendit audacter a Patre bonorum suorum partim expetente. Quorsum enim amabo vos, insolens hæc petitio tendebat? nisi ut diceret Patri: a te ultra pendere nolo; pati nequeo, ut in tua sit potestate libertas mea? Hoc secreto dicimus Deo, quotiescumque de ejusdem imperiis conquerimur, & ut olim Judæi clamamus: *Nolumus hunc regnare super nos*. Quod inveniuntur Christiani, qui vitæ suæ regimen cum Deo partiri volunt consentientes quidem, se ab eo deduci, sed illac, qua ipsi volunt; itaut si Deus per morbos, vel adversa illos ducere velit, ipsi e contra per bonam valetudinem, atque per prospera cupiant deduci? *Sarazin in Adventu*.

Omnia aggredi possumus, ubi velit Deus.

Quid faciendum est nobis, qui sub Crucis Vexillo Christianæ militiæ dedimus nomen, ut Jerosolymam Cœlestem acquireremus, nisi quod strenui illi Cruce signati ut Jerosolymæ toto Cœlo minus desideratbilis possessionem acquirerent? Duo hæc verba *Deus vult*, magni illius exercitus anima erat, & gloriosissimi illius conatus causa. Hæc autem acu depictæ in omnibus vexillis fulgebant, sed longe magis in singulorum cordibus erant descripta. Hæc tot strenuos Fideles adegerunt, ut patriæ commodis, voluptatibusque neglectis in longinquas plagas deveherentur per sexcenta terræ marisque pericula: cumque urbes essent oppugnandæ, manus conserendæ, vel difficile opus aliquod periculosæ plenum aleæ aggrediendum, satis erat eadem verba proferre: *Deus vult*. Tunc Duces, militesque magis quam humana virtute excitati velut heroes decertabant, certi sibi aut vincendum esse, aut moriendum: æque ad utrumque parati, nihilque nisi Dei voluntatem spectantes. *Pater Dozenne*.

In Historia Cruce signatorum in Concilio Claramontano anno 1093.

Salvatoris resignatio in mortali agonia.

Salvator ab omni prorsus natura destitutus, præterquam a quibusdam discipulis, qui ad modicum adhuc tempus fideles erant permansuri, horribili perculsus immagine supplicii, in quo turpitudo cum sævitia certabant, sibi quamprimum subeundi, Cœlestem Patrem orat, & ex eo petit, ut si fieri posset, cruciatus eos, qui sibi obversabantur animo, averteret. Votum autem, quod ob impendentium jam tormentorum intuitum adeo videbatur æquum; Votum adhuc æquius propter nuncupantis integerrimam innocentiam; Votum, cujus moderatio ex iis etiam innotescit verbis, quibus conceptum est; eodem nihilominus temporis momento integra submissione divinæ voluntati corrigitur. Fiat voluntas tua, ait ille Patri: at quæ voluntas? quam severa, ne sævam dicam, futura esset satis ipsi erat compertum. Videbat, se in irritatæ justitiæ manus traditum, lenitatem omnino suspensam intuebatur: attamen ut Filii obedientiam expleret, propriæ calamitati subscripsit, atque inter acerrimos dolores unicum hoc illi solatium fuit, oculos in eam manum, a qua ita afficiebatur, intendere. *Idem*.

Verum esto; si Divinæ voluntati vosmet conformare detrectantes in ægritudinibus, & adversis, eorum cursum inhibere, vel vim moderari liceret? At non ita: velis, nolis, Dei voluntas, quæ tibi hæc immisit mala, nihilo secius explebitur. Hæc immota rupes est, quam ad te numquam pertrahes, quoscumque conatus exeras. Non petit Deus consensum tuum, ut mali tui cursum vel frænet, vel persequatur; hoc tibi integrum non relinquit: illum tantummodo petit, ut, quæ pateris adversa & sibi in gloriam, & tibi cedant in salutem. Itaque Impatientia, ac renitentia tua non aliud præstant, nisi quod passionis tuæ tibi meritum auferunt, teque nocentem coram Deo faciunt. *Auctor Anonymus*.

Vera sapientia & cognoscere, & facere voluntatem Dei.

Docet Apostolus, in hoc positam esse sapientiam, ut per eam intelligentiam, quam nobis impertit Deus, cognoscamus, quænam sit voluntas ipsius: *Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quænam sit voluntas Dei*; ut hac explorata, & comperta, juxta eamdem actiones nostras instituamus. Hinc autem patet illud discrimen, quod inter divinam, humanamque sapientiam intercedit; discrimen in hoc positum, quod humana sapientia, quæ in illis reperitur, qui in Mundo sapientes nuncupantur, seipsum, suaque lumina sequitur; divina autem sapientia, quæ in iis requiritur omnibus, qui vere sunt JESU CHRISTI discipuli, illud sequitur lumen, quod dat illis Deus. Consulit Deum, ubi aliquid faciendum sit, legibus illius paret; neque expetit aliud, nisi ut Deo obsequatur, & placeat. Nostrum est explorare; utrum hac sapientia regamur, & nobis curæ sit Dei voluntatem inquirere, ut eam secuti vere sapientes simus; non desunt enim qui eam non cognoscunt, immo neque cognoscere cupiunt; ne

eidem

eidem adhærere coguntur. Hic ille status est, de quo loquitur David: *Noluit intelligere, ut bene ageret*, Psalm. 35. Noluit exploratum habere, quid ex se peteret Deus, ne bonum agnoscens illud exercere teneretur. *Liber, cui titulus, Instr. Chretiennes Instr. pro 20. Domin. post Pentec.*

Non desunt, qui Dei voluntatem se agnoscere velle testentur; verum cum hæc ipsis aperitur; si quod dicitur, eis non arridet, opponuntur, nisi palam, saltem clanculum, ac intra se; & illi, a quibus erudiuntur, apud ipsos suspicione non vacant. Status hic periculosus est: quid enim prodest consulere Medicum, si illi obtemperare detrectas? quid poscere pharmaca, quæ epotare non vis? Alii vero quærunt quænam sit Dei voluntas, & humiliter etiam lumen, atque monita sibi tradita excipiunt; sed hæc ipsis nimis ardua videntur, ac se nimis infirmos esse dicunt, ut sequantur, saltem eo modo, quo deberent, id, quod ex ipsis expetit Deus. Hi vero, cum fateantur sibi a Deo primam gratiam fuisse collatam, lumen videlicet, & mentis docilitatem; summa cura debent adniti, ut & alteram precibus consequantur, vim nempe agendi, & exequendi, quod Deus ab illis se cupere significavit. *Idem.*

Notæ, ex quibus dignosci potest utrum voluntas nostra sit Divinæ conformis. Nosse cupis, Sanctus Augustinus ait, utrum cor rectum habeas? Tunc habes, cum in bono, quod facis, Deus tibi placet, & in malo, quod pateris, Deus tibi non displicet. *Qui sunt recti corde?* alibi inquit: *Qui voluntatem suam ad Dei voluntatem dirigunt, non voluntatem Dei ad suam curvare conantur*. Nonnumquam voluntas Dei est, ut incolumis valeas, nonnumquam vero, ut morbo labores. Si cum vales, Dei voluntas tibi accidit perjucunda, & cum ægrotas, ea tibi amara videtur; cor rectum non est, & voluntas tua non est divinæ conformis. Cur? quia voluntatem tuam ad divinæ voluntatis normam minime instituis; sed Dei voluntatem quæ recta est, detorquere cupis ad tuam. Tua tibi corrigenda est, & Divinæ conformanda: tunc autem cor rectum habebis. *Auctor Anonymus.*

Nihil melius exprimit verum caracterem conformitatis voluntati divinæ, quam sui metipsius abnegatio, quandoquidem ista complectitur omnes varias dispositiones, quæ in ea requiruntur. Anima in hoc statu posita dicit Deo: *Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ*, Psalm. 30. O Deus, me met tibi penitus trado, ut rebus in omnibus pendeam a te, & me sanctæ voluntati tuæ prorsus conformem. Me ipsum in manibus tuis statuo, itaque esse volo, *sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum*, inquit Propheta. Psalm. 122. Non videbo, non cupiam, non faciam, nisi quod me vis facere, cupere, videre; namque in iis omnibus quæ video, quæ cupio, quæ facio, non aliud inquiro, nisi ut faciam voluntatem tuam. *Idem.*

Ratio voluntatis nostræ est Divinæ conformandæ. Ut intelligamus, quomodo voluntas nostra divinæ sit conformanda, tres tantum considerandæ sunt circumstantiæ, quas in oratione, quam Dominus noster in horto effudit, deprehendimus: *Non quod ego volo*: Marc. 14. *Non sicut ego volo*: Matth. 26. *Non mea voluntas, sed tua fiat*. Luc. 22. Hæc verba tria præstantissima continent documenta: ostendunt quippe voluntatem Dei finem esse omnis voluntatis; ejusdem normam esse, ac in eadem dominari omnino debere. Itaque in iis omnibus, quæ sibi voluntas nostra proponit, ad Dei voluntatem, tamquam finem suum tendere debet; in iis, quæ fecit, eidem sese tamquam regulæ debet conformare; denique in iis omnibus, quæ accidunt, divino ejusdem imperio sese submittere debet. Et in iis, quæ a nobis petit Deus, & in iis, quæ ab eodem petimus, velle debemus, quod ille vult, velle debemus eo modo, quo ipse vult; velle tandem debemus, quia ille vult. *Idem.*

Si ita affecti fuerimus, Dei voluntas nos summa cumulabit lætitia in consolationibus interioribus; in ariditatibus, tædiis, & distractionibus nos tuebitur; nostros inhibebit questus, sicubi nobis adversa contigerint: in dubietatibus, & incertitudinibus nos confirmabit; dissipabit timores nostros, & ut omnia verbo complectar, nos in solida, immotaque petra constituet, ubi nihil nos concutere poterit. Omnis licet infernus sæviat contra eam animam, quæ id unum vult, quod vult Deus, frustra illi interitum minitatur; Deus enim pro eadem in hoc certamine stat, quia illa Dei est, & vitam vivit prorsus divinam: *Sic affici, deificari est*. S. Bernardus Tract. de diligendo Deo capit. decimo, inquit, *Idem.*

Non debemus velle quod vult Deus quia Deus vult quod nos volumus. Hic autem vos monitos volo, cavendum esse, ne velimus, quod Deus vult, hac una de causa, quod ille vult, quod nos volumus, & eo modo, quo volumus. Licet voluntas ipsius nostris studiis, consiliis, cupiditatibus adversaretur, illi tamen nosmet submittere oporteret; tunc etiam cum studia nostra bona essent, sancta consilia, & perfecta in seipsis desideria; nam anima, quæ Deum unice diligit, non aliud velle debet, nisi Dei sui voluntatem explere. *Idem.*

Nonne æquum est, Domine, ut, si, postquam calicem epotasti, omnemque illius amaritudinem ebibisti, in imo aliquid subsederit, nobis præclare actum existimemus si post te illud exhaurire liceat, ac tecum dicere: *Si possibile est, transeat a me Calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: Matth. 26. vel cum Propheta Psalm. 115. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*? Hoc autem munere perfungimur, cum in eorum malorum varietate, quæ ut nobis accidant, permittis, in consanguineorum obitu, in morbis, jacturis bonorum, omnes hos casus respicimus, tamquam a te profectos, eosque de tua manu recipimus, cum resignatione perfecta, profundaque tranquillitate: *Abbas Trappensis in moralibus considerationibus in Evangelium S. Matthæi.*

Suave est sese Dei tradere voluntati. Nihil majus nobis solamen, tranquillioremque pacem afferre potest, quam si nosmet Providentiæ, ac divinæ voluntati tradamus, omnes illius dispositiones amemus, neque aliam Lætitiam, aliudve solatium agnoscamus, quam divinæ, supremæque hujus voluntatis imperio obtemperare; tunc enim quidquid prævidere possumus eventurum, constantiam nostram minime labefactat. Intrepidi omnes fortunæ calamitates respicimus, & nosmet confirmamus contra timorem earum rerum, quæ nos istic accidere possunt, quantumvis duræ sint, atque acerbæ, parati ad recipiendum etiam cum gratiarum actione, quidquid a Dei manu nobis advenerit, & cum pace profunda, quidquid amaritudinis ibi inveniatur. Ad id autem nos scire sufficit, bona æque, ac mala inde proficisci, ut cum Sapiente dicere valeamus: *Non contristabit justum quidquid acciderit ei*. Prov. 12. *Idem.*

Cum eorum jacturam faciamus, cum quibus nobis jucundissima erat necessitudo, eventum hunc oculis fidei intueri debemus, Dei providentiam in perfecta submissione adorantes. Ipse absolute disponit de omnium hominum fato, & quemadmodum illos non consulit vitam elargiens, ita inconsultis etiam eripit vitam. Ipse absolutus est Dominus, & quodcumque faciat; jure nullo de illo conqueri possumus. *Idem Tomo 1. de ses Maximes Chretiennes.*

Vera pacis, atque tranquillitatis tuendæ ratio est, omnia vota nostra in Dei manu statuere; efficere, ut voluntas nostra Divinæ cedat, ac paratos esse, ut ab optimis etiam consiliis recedamus, ubi invictus aliquis obex occurrat, & difficultates, quas in illis nanciscimur, liquido ostendant, illa a Deo minime probari. Profecto omnes sollicitudines, quibus in hoc mundo torquemur, inde solum proficiscuntur, quod Divinis imperiis submissi non sumus, & quod nosmet Divinæ Providentiæ non tradimus.

Adni-

Adnitimur, ut ita dicam, contra Providentiæ dispositiones, illi resistimus, ejusque consiliis, quin ne intelligamus quidem, adversamur. Ita cum in statu violento versemur, sine requie in jugi motu, & perturbatione vitam traducimus. Centrum nostrum est cordis nostri divino conformitas: eaque unica ratio est, propter quam procellis, ac tempestatibus animus noster non agitatur. Deus Rex est pacis: opus est, pacem ubique reperiri, ubi ille regnat, & nonnisi tumultus, ac divisio esse potest, ubi ipse non dominatur. *Idem*.

CONSCIENTIA
BONA, ET MALA.
CONSCIENTIA ERRONEA.

Malæ Conscientiæ tormentum, bonæ pax, & tranquillitas.

MONITUM.



Um hoc in titulo de nocua, innocuaque Conscientia, de pace, atque tranquillitate; quæ bona adhæret, deque cruciatibus, quos mala parit, mihi loquendum sit; illud primum adnitendum censui, ne ea, quæ ad noxiam pertinent Conscientiam cum mentis cæcitate, & cordis induratione, quæ inde proficiscuntur, confunderentur: quamquam tria hæc argumenta, de quibus sub variis titulis locuti sumus, quodam quasi vinculo inter se contineantur, itaut de quovis singillatim ea dici possint, quæ de aliis dicuntur. Hic autem circa varias Conscientiæ species versabitur; erronea, quam sibi quisque fingit falsa principia supponens, iisque mordicus inhærens; illius, cujus error minus est liber. Conscientiæ deceptæ; Scrupulosæ: pœnitus ferme extinctæ, & circa tumultus, & cruciatus malæ conscientiæ, non tranquillitatem, qua viri boni fruuntur, quibus nullum scelus sua exprobrat conscientia.

Cum argumentum hoc angustis sane finibus contineatur, facere minime potui quominus eamdem sæpe tunderem incudem; quippe auctores, ex quibus ista collegi, in iisdem fere sententiis conveniunt. Illorum vero, quibus hisce meis collectaneis uti placuerit, interent ea, quæ argumento sibi proposito erunt utilia, decerpere: præsertim vero multa nancifcentur ad ostendendum miserrimum noxiæ conscientiæ statum, quæ in hac vita maturato inferni suppliciis torquetur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Systemata.

I. 

Ulgatius argumentum, quod de conscientia generatim pertractetur, est erronea conscientia, argumentum procul dubio utilissimum, & maxime necessarium, & quod in partes duas dividi potest. Prima nihil tam commune, & nihilominus tam male fundatum, quam erronea conscientia; altera nihil magis necessarium, & nihilominus nihil infrequentius, ac difficilius, quam erroneæ conscientiæ mederi.

Pars prior. Non agimus hoc in loco de peccatis illis, quæ facile agnoscuntur, & quæ illico horrorem cient; veluti manifestæ, gravissimæque injustitiæ, turpissimæ libidines, insignes ultiones, teterrimæ proditiones, atroces calumniæ, aliaque id genus, quibus difficile est, ut acquiescat conscientia: quæ potius penitus extincta dicenda est, cum hujusmodi scelera non horremus, eaque sine ullo conscientiæ stimulo perpetramus. Veruntamen non desunt alia longe plurima, ubi difficile non est erroneam sibi conscientiam efficere: exempli gratia nonne viri nobiles honori sibi vertunt acceptam injuriam repellere, & inimicorum cruorem effundere? Contra Evangelii præceptum conscientiam nobis conformamus hanc prætexentes causam, quod in mortalium luce sine honore versari non possumus, aliter infames habendi. In Foro quot ambages, inutiles formalitates, & moræ, quæ efficiunt, ut judicio certantes sumptibus conficiantur? Hæc omnia licere fallaci conscientia putamus. In negotiis quot versutiæ? credimus in alios acceptum detrimentum posse converti. In Ecclesiasticis quot palliatæ simoniæ? in mundi amatoribus, quæ licentia, luxus, profusio? Nihil hoc vulgatius; attamen nihil hoc pejus fundatum. Hæc autem præjudicia, & fallaces sententiæ, ex quibus conscientia fallax oboritur, his præsertim rationibus innituntur.

Primum quidem commentitiæ necessitati, putamus enim aliter fieri non posse. Ita sexcenti minime servant jejunia, ac impune Quadragesimam violant ob leviuscula incommoda, ac necessitatem adesse putant, ubi ne umbra quidem necessitatis adest, ideoque suæ conscientiæ quietem conciliant. Similiter credunt generis sui dignitatem, & gradum luxu, immodicisque sumptibus esse tuendum &c. Secundo consuetudini insistunt, quasi licentia, quam sibi arrogat Mundus, contra Dei Leges præscriptionem facere posset. Ita consuetudo probare videtur, morem hunc vestium immodestarum, turpes hasce nuditates, necessitudines has nimis teneras, ubi credunt se facere, quod alii faciunt, & in hac re libidini suæ conscientiam conformant. 3. Bonorum virorum exemplo, & sententiæ, quæ cum nostra congruere existimatur, adhærent; consulunt Doctores, ut eorum auctoritate seipsos confirment, sed rem dissimulant, & circumstantias immutant &c.

Pars altera. Nihil difficilius, & nihilominus nihil magis necessarium est, quam fallacem conscientiam reformare, illam ab errore evocare, ac demum fallacia præjudicia, quæ animo inhærent, con-

convellere. Necessitas quidem rei veritatem agnoscendi satis per se patet; in hoc enim salus nostra versatur, & hæc fallax conscientia, cum per se culpa minime vacet, excusare nequit peccata, quorum est causa, neque nos coram Deo tueri; verum in hoc insistendum est, ut difficultas tanto huic malo remedium afferendi innotescat. Hæc autem difficultas triplici ex capite sumitur. 1. Ex habitu, qui per peccatum contrahitur, namque cum nobis persuadeamus aliquid licitum esse, quod etiam utile, ac jucundum videtur; hoc sæpe facimus; deinde vero omnis ea difficultas, qua pravus quilibet habitus infringitur, in hoc etiam infringendo invenitur: immo majori adhuc cum labore vincitur; quippe corrigendus est error, & illusio, in qua diutius versati sumus, & quem abjicere minime vellemus; & corrigendus est etiam amor ille, quo quædam vitia prosequimur, ubi illis improbum secuti ducem nosmet tradidimus. 2. Ex quadam insensibilitate, in quam labimur, quæ efficit, ut nullum conscientiæ stimulum sentientes in rebus, a quibus peccatum abesse putamus, fere neque intelligimus quidem nobis ex eo statu esse emergendum, nihil nos urget; errorem omnem procul abjecisse videmur; vel si illum adhuc agnoscimus, non movemur. 3. Ex positiva pertinacia, qua mordicus sententiam nostram tueri gloriamur, eamque ita insipienter probare contendimus, ut de errore in cæcitatem proruamus; deinde vero de abysso in abyssum: unde nemo sese recipere potest, nisi summa Dei misericordia, quod rarissime accidit, nos inde divellat. Hinc inferendum est, nihil nobis adeo pertimescendum esse, quam nobismet fallacem conscientiam effingere; nihilque nobis diligentius cavendum, propter gravissimum salutis æternæ periculum, cui sumus obnoxii, ubi hujusmodi conscientiæ improbitati innitamur.

II. In idem argumentum de falsa conscientia hac alia insistere possumus via, quæ triplici propositione continetur.

Prima: nihil magis esse speciosum, quam rationes eas quas conscientia fallax vulgo prætexit, quæ hæ ferme sunt. 1. Consuetudo; nonne id faciendum quod alii faciunt? cur ab aliis recedendum in illis est, quæ ambitionem potius, & præsumptionem redolent? 2. Virorum eorum, qui sapientiæ, & honestatis laude maxime florent, & quæ apud homines bonos in pretio sunt, consensus: fierine potest viros hujusmodi seipsos damnare velle, & contra ea lumina, quibus vere illustrantur, operari? 3. Eorum indulgentia, qui nobis duces esse deberent, qui hac in re tacent, vel connivent; & Deus ut nos puniat, quod veræ conscientiæ nostræ vocibus aures præbere noluimus, permittit, ut in errorem inducamur.

Propositio altera: nihil funestius esse, quam conscientiæ fallacis effectus, pacem videlicet, atque tranquillitatem. Donec dubitamus, & nendum sumus tranquilli, peccatum adhuc pavidum est; metuimus, nutamus; at ubi occalluit conscientia, tunc nos recte agere existimamus, cum maxime erramus. Status hic miserrimus est: deinceps enim nulla res movere nos potest; infernus, Judicium Dei: in his enim obstupescimus &c.

Tertia: nihil tristius esse, quam finem, & malum hoc esse incurabile. 1. Intellectus fallacibus argumentis in suo errore confirmatur. 2. Cor, & voluntas adhærent malo, & hæc efficit adhæsio, ut in malo persistamus, & diem obeamus.

III. Circa idem argumentum hæc assumi divisio potest. 1. Facile esse, fallacem sibi conscientiam efficere. 2. Maxime periculosum esse fallacem sibi conscientiam effingere. 3. Inutile prorsus futurum fallacis conscientiæ testimonium producere. Hoc est: fallax conscientia facile in malum impellit; fallax conscientia periculose attenditur: fallax conscientia futilis est in divino judicio excusatio. Hæc tota est concionis structura. *Desumptum ex veris Sermonibus, P. Bourdalove Sermone 4. primi Adventus.*

Hoc ipsum falsæ conscientiæ argumentum ita pertractari potest, ut concio duas partes habeat. IV.

In quarum altera ostendi potest, falsæ conscientiæ statum vulgatissimum esse, & neminem tamen se in eodem versari, credere; quemadmodum in iis, quæ ad scientias, humanamque vitam generatim pertinent, qui in errore est, se ibi non esse opinatur, & e contra putat, eos omnes falli, qui a sua abhorrent sententia.

In altera vero ostendetur, statum hunc periculosum esse, & funestum, & nihilominus eos, qui illuc evasere, se in tuto esse opinari, atque ita sese æternæ damnationi subjicere, quin hoc advertant, & hoc ipsis negotium facessat.

Hoc supposito, duplex esse conscientiæ genus, generatim loquendo; alteram videlicet bonam, nefariam alteram, ad examen revocari possunt diversæ agitationes, quæ utramque sequuntur, & quem fructum velit Deus, ut homines ex interioribus hisce turbis percipiant, quæ nonnisi peculiari divinæ Providentiæ consilio nos agitant. V.

Primum, tentat Deus sanctissimas, atque integerrimas animas conscientiæ earum tumultu; Ostendendum est hoc tentationis genus pœnarum omnium gravissimam & atrocissimam esse; at simul nihil esse, quod animam melius emundet, eamque humiliorem & obedientiorem efficiat &c.

Deinde, angit Deus impiorum animas conscientiæ ipsorum turbis, & stimulis. Ostendendum est hoc supplicium esse maturatum inferni genus, quo Deus in hac vita scelera persequitur; at simul unicam hanc illis supetesse viam, ut resipiscant, donec intelligere valent adhuc, undenam hoc telum, quo vulnerantur, processerit.

Sermo de illis potest institui, qui conscientiam suam fugiunt, & de amoris proprii versutiis. VI.

1. Sese colligere, & conscientiæ suæ statum cognoscere nolunt, ne eidem mederi teneantur: *Noluit intelligere, ut bene ageret*, ut loquitur Scriptura; *Psalm.* 35. nolunt a vitiis recedere, & vivendi rationem immutare; atque complacent sibi in voluntaria & affectata ignorantia.

2. Sua dissimulant flagitia, licet ea norint: illa sibimetipsis abscondunt, & sibi persuadent, non esse tanta; imbecillitatis potius, quam improbitatis effectus esse; ac tandem se non esse ita nocentes, ut nonnulli, qui ex exteriori tantum facie judicium ferunt, possunt existimare.

3. Veri conscientiæ stimuli, & redargutiones tamquam inanes scrupuli habentur; quod illa in nostra vivendi ratione improbat, non exiguum aliquid tantum, sed nihil esse; immo ipsa effugitur, vel per contemptum, vel per simulationem contemptus.

Punctum primum. Nihil suavius, nihilque nobis jucundius, quam bonæ conscientiæ pax, & tranquillitas. VII.

Alterum. Nihil molestius, & gravius, quam nefariæ conscientiæ redargutiones, stimuli, atque cruciatus. Hoc pacto in una concione simul conjungi potest, quidquid ad hoc pertinet argumentum.

De bona tantum conscientia sermo potest haberi, & in duabus concionis partibus notæ, & utilitates illius possunt ostendi. VIII.

Pars prior. Notæ bonæ conscientiæ: 1. Contritionis spiritus propter patrata scelera, quemadmodum S. Paulus quartodecimo post conversionem suam anno adhuc dolorem fovebat, eo quod JESU CHRISTI Ecclesiam fuisset persecutus. 2. Interius testimonium, quod nobis perhibet conscientia; nos malle rerum omnium jacturam pati, quam per lethale peccatum Dei amicitiam amittere. 3. Cura, & sedulitas in minimis etiam criminibus evitandis.

Pars altera. Utilitates vero hæ sunt. 1. Nihil metuitur, quod dolorem afferat, cum Deus unice time-

timetur. 2. Nostrum in nobismet solatium invenimus, licet nobis omnes adversarentur. 3. Extra jactum omnium vitæ hujus casuum sumus.

IX. Pro concionis argumento bonam conscientiam eligentes, illis Sapientiæ c. 7. uti possumus: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, atque ostendere, re ipsa tria bonorum genera, quæ novimus, utile, honestum, & delectabile, in bona conscientia inveniri.

1. Pro utili; Scriptura sexcentas promittit benedictiones viro bono Deum timenti, integramque conscientiam habenti; & Regius Propheta ubi fusius illa recensuit, his verbi concludit: *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum*, Ps. 127.

2. Honor, & gloria, ex Apostoli 2. *ad Cor.* 1. sententia, bonæ conscientiæ inhærere videntur: *Hæc est gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ*; vera siquidem gloria in ea existimatione consistit, quam de nobis Deus habet: neque Dei existimationem mereri potest, nisi innocentia, gratia, & conscientia ab omni scelere immunis.

3. Voluptas, & lætitia ita bonæ conscientiæ adhærere solent, ut eam juge convivium Sapiens appellet; & sane vera, solida, ac diuturna lætitia ea est, quam nemo nobis eripere potest, ut loquitur ipse Dei Filius.

X. De tribus conscientiæ muneribus.

1. Testis est, qui nos accusat, & quem recusare non possumus. Oculatus testis, qui factum, vel jus dissimulare non potest, immo testis, quem fugere, & evitare non licet.

2. Judex est, qui cum sit integerrimus, atque illuminatus, corrumpi, decipique non potest.

3. Tortor est, qui nos punit, & crudelissima æque, ac æquissima nobis infligit supplicia.

XI. Considerari conscientia potest in stimulis, quos gignit. 1. in justis: 2. in peccatoribus, qui nondum in iniquitate consenuerunt: 3. in iis, qui in sceleribus occalluerunt.

Inprimis tentatio est, qua Deus utitur ad eorum sanctificationem.

In secundis severus magister est, cujus voce utitur Deus ad eorum conversionem.

In postremis invisibile instrumentum est, quo utitur Deus ad mysterium reprobationis eorum consummandum.

XII. De fallaci pace, ac tranquillitate malæ conscientiæ inter ea scelera, in quibus alte demersus est peccator. Fatalis hæc quies duplici consideratione oppugnari potest; hinc quidem docendo, undenam hæc falsa pax tranquillæ conscientiæ inter nequissima flagitia oboriatur; inde vero quid requiem illam turbare possit, ideoque nequissimum hunc conscientiæ errorem auferre: hoc est ostendere possumus.

1. Quænam sint adeo fatalis securitatis principia: quod erit primæ partis argumentum.

2. Quænam sint remedia; quod in altera parte docendum erit. *Desumptum ex Dictionario Morali. Sermone primo de Conscientia.*

XIII. Adsunt conscientiæ quædam laxæ nimis, quæ plura sibi licere putant, quæ falso sibi persuadent contra Dei legem non esse; nec desunt conscientiæ nimis rigidæ, pavidæ ac religiosæ: ideoque.

1. Nimium laxis metus est incutiendus, ac ostendendum in vita amatorum mundi plurima occurrere peccata, quæ illi ne norunt quidem, & quæ citra quamlibet religionem committunt.

2. Pavidis autem solatium prudenter afferendum est, ac adnitendum, ut illis tranquillitas redeat. *Ibidem Sermone secundo.*

XIV. De falsa conscientia id probari potest, quod jam dictum est, sed alia specie.

1. Causas, & principia illius esse periculosa, videlicet ignorantiam adfectatam, consuetudines, affectus.

2. Effectus noxios esse, & nos in mala gravissima inducere.

3. Exitum vero, finemque esse funestos.

De eodem fallacis conscientiæ argumento. XV.

1. Ostendenda desunt illius principia, & docendum quomodo efformetur.

2. Mox vera tradenda remedia. *Desumptum ex P. Girouft in Adventu sermone de conscientia.* ubi fallacis conscientiæ principia hæc assignat, cordis corruptionem, mentis cæcitatem, & Dei ipsius punitionem. Cor in peccato suo peccator tranquillitate perfruitur? quia mens illius occæcata est, & ita Deus illum punit.

De fallaci pace, & tranquillitate conscientiæ, ostendi potest. XVI.

1. Fictam hanc pacem esse terribilem effectum iræ Dei, æternæ infelicitatis impiorum præsagium, ac periculosissimum statum, ad quem hac in vita redigi possint.

2. Facile esse, & commune fallacem sibi comparare conscientiam, ut ficta pace homines perfruantur. *Ex Auctore sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta. In Dom. serm. pro prima Dom. post Pasch.*

De vera pace, & tranquillitate conscientiæ. XVII.

Punctum primum. Ostendi potest, hoc bonorum omnium, quæ in hac vita possidere possimus, pretiosissimum.

Punctum alterum. Bonum hoc adeo pretiosum facile amitti. Alterum quidem ostendet utilitates, quas ex hujus pacis possessione percipimus; alterum vero curam impendendam, ut illam tueamur. *Ibidem. Sermone pro feria tertia Paschæ.*

De conscientiæ illusionibus. XVIII.

1. Conscientia decipitur; non enim nosmet adeo noxios existimamus.

2. Soporatur.

3. Suffocatur, & prorsus extinguitur.

Tres præsertim sunt status conscientiæ, quæ duce indiget, ut ex sua emergat infelicitate. XIX.

Primus est conscientiæ malæ, perditæ, &, ut inquit Apostolus, cauteriatæ, cui mederi possunt ii stimuli, quibus synderesis adhuc illam identidem excitat.

Alter est conscientiæ erroneæ, quæ falsis dogmatibus imbuta est; hæc autem dirigenda est luminibus Evangelii, ac Verbi Domini.

Tertius denique est conscientiæ impeditæ, ac involutæ, quæ seipsam non novit, ac indiget luminibus rationis, ut sua interesse concipiat salutis suæ negotiis operam diligentem navare. *Ex Auctore Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta. Tomo 4. Dominic.*

De funestis effectibus malæ conscientiæ. XX.

1. Hinc sequitur, ubi falsa conscientia sit, nullum esse malum, quod patrare non possit.

2. Malum audacter, & tranquille sive stimulis, scrupulisque committi.

3. Malum sine ulla reditus, ac pœnitentiæ spe perpetrari. *P. Bourdalove in veris sermonibus suis; Primo Adventu, Puncto secundo concionis de fallaci conscientia.*

Tria sunt fallacis conscientiæ principia. XXI.

1. Corruptio cordis.

2. Cæcitas mentis.

3. Dei in peccatorem animadversio.

Conscientia simul est & lumen, quod amori proprio non satis arridet, & objurgatio, quæ cordis pacem perturbat, omnemque vitæ suavitatem corrumpit. Nos autem quid facimus? Alii lumen extinguunt, alii Censori suo os claudunt: duo status, alter altero funestior, uterque duplici propositione impugnandi. XXII.

Propositio prima. Nihil iniquius iis rationibus, quibus passim mortales utuntur ad conscientiæ lumina extinguenda.

Propositio altera. Nihil perniciosius, quam eo conscientiam suam deduxisse, ut inter flagitia tranquillitate fruatur.

PARA-

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, ubi supellex inveniri possit ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Ambrosius *l. 7. Epistolarum Epist. 44. ad Constantinum* ostendit conscientiæ nostræ testimonio tantum innitendum esse, cum declinamus a malo, & bonum facimus seu clanculum, seu coram hominibus.

Idem libro primo de Officiis graphice describit conscientiam scelerum suorum recordatione turbatam, & agitatam.

Idem l. 2. de iisdem, loquitur de felicitate, qua bona conscientia perfruitur.

S. Hieronymus *Epist. 49. ad Innocentium* insigne adfert exemplum imperterritæ conscientiæ.

Idem *l. 16. in cap. 57. Isaiæ* hæc explicans verba, *Cor impii quasi mare fervens*, criminosæ conscientiæ tumultus describit.

S. Gregorius *l. 1. Moralium c. 1.* docet quomodo mundari conscientia possit.

Idem *l. 12. Moral. c. 21.* hæc Job verba interpretatus, *sonitus terroris semper in auribus illius* ostendit quanta quidem sit bonæ conscientiæ lætitia, quanta vero perturbatio nefariæ.

S. Augustinus *in Ps. 36.* aliquot adfert exempla cruciatuum eorum, quibus mala itorquet conscientia, & *in Ps. 33.* ostendit, quanta cum difficultate sese colligat ille, cujus conscientia nefaria est, ac perturbata.

Idem hoc ipsum ostendit *Ps.* 100. hæc explicans verba: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.*

Idem, vel Auctor Sermonum ad Fratres in Eremo, de bonæ conscientiæ hilaritate loquitur.

Idem *in Ps* 45. ostendit, nullum esse tormentum, quod cum prava conscientia compatari possit, & *in Ps.* 53. de conscientiæ integerrimæ, & ab omni scelere immunis felicitate late differit.

S. Basilius *Hom. 4. de Grat. act.* loquitur de pace, & tranquillitate, qua vir bonus perfruitur propter conscientiæ suæ testimonium.

Origenes *Hom. 13. in Genes.* ostendit conscientiæ rectæ pacem, atque tranquillitatem.

S. Joannes Chrysostomus *Hom. 5. in Epist. ad Timoth.* ostendit conscientiam judicem esse incorruptibilem.

Idem *Hom. 25. ad pop. Antioch.* ostendit nihil prosternere, vel mœrore afficere posse virum bonum, cui conscientia nullum scelus exprobrat.

Idem *Hom. 1. & 4. de Lazaro* malæ conscientiæ egregiam habet hypotiposim.

S. Bernardus librum edidit de conscientia, ubi plurima habet, atque præstantissima, præsertim vero in altera parte, ubi agit de rectæ conscientiæ bono, ac utilitate, ac de nefariæ cruciatu; necnon adfert rationes, quibus illa quidem servari possit, hæc autem corrigi.

Idem *de interiori domo c. 22.* de bonæ conscientiæ lætitia verba facit.

Idem *l. de Consid. c. 12.* ostendit horrorem, quo opprimitur anima, ubi suam explorat conscientiam omni flagitiorum genere coinquinatam.

Idem in tractatu de præcepto, & dispensatione *c.* 14. docet, quid faciendum, ut conscientia munda, ac integra servetur.

S. Chrysostomus *Hom. 2. in Ps. 50.* ostendit non deesse peccatores, quorum conscientia æque ac justorum tranquilla est; sed illos tunc esse extrema cæcitate perculsos.

Ascetici aliique. Gerson in tractatu de remediis contra pusillanimitatem, scite de variis conscientiæ statibus disputat.

Ludovicus Blosius hac de re præstantissimum edidit tractatum, cui titulus de consolatione pusillanimium.

S. Theresia in epistola quadam ad P. Alvares, unum ex directoribus suis, scripta pulcherrima ad hoc argumentum spectantia, collegit.

P. Alphonsus Rodriguez tractatum edidit de scrupulis, ubi plura sunt ad conscientiam spectantia.

P. Ludovicus Granatensis in Peccatorum duce c. 16. de bona conscientia verba facit, cumque recenset inter eas utilitates, quæ a virtutis exercitatione proveniunt.

P. Ludovicus a Ponte l. 1. Sermonis familiaris cum Deo.

Infiniti propemodum sunt id genus Ascetici Auctores, qui hoc argumentum pertractant, & quos referre nimis esset laboris. Theologi quoque, & Casuistæ pro modulo suo hac de re agunt.

Matthias Faber *Conc. 7. in Dom. secundam Adventus: & Conc. 6. in Dom. 4. post Epiph.*

Abbas de Breteville in libro, cui titulus *Essais de Sermons* Sermone tertio pro feria quarta hebdomadæ sanctæ.

P. Girouft in Adventu suo, tertio prætextu, sermonem habet de fallaci pace conscientiæ.

P. Bourdalove in veris sermonibus recens editis. Sermone quarto Adventus primi.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, sermonem habet de fallaci conscientia, in Dominicali pro Dominica prima post Pascha.

Idem Sermone pro feria tertia Paschatis loquitur de vera pace cordis, & requie conscientiæ.

Idem Tomo quarto Domin. sermonem integrum habet de conscientiæ regimine.

Drexellius in David c. 2. & 26.

Ludovicus Granatensis in locis communibus.

Busæus *in Viridario. Tit. Conscientia bona.*

Labata. Summa Prædicantium.

Berchorius.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

TImebis nocte & die; mane dices: quis mihi det vesperam? & vespere, quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem qua terreberis. Deuteron. c. 28.

Dabo pavorem in cordibus eorum: terrebit eos sonitus folii volantis, & ita fugient quasi gladium. Levit. c. 26.

Signatum est super nos lumen vultus tui. Ps. 4.

Die ac nocte gravata est super me manus tua; conversus sum in ærumna mea; dum configitur spina. Ps. 31.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Ps. 50.

Dabit tibi Dominus cor pavidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore. Deuteron. 28.

Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis. Ps. 111.

Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Ps. 37.

Secura mens quasi juge convivium. Prov. 15.

Fugit impius nemine persequente; justus autem, quasi leo confidens, absque terrore erit. Prov. 28.

In timore Domini declinatur a malo. Prov. 16.

Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia. Sap. 17.

Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. Eccl. 13.

Non est oblectamentum super cordis gaudium. Eccl. 30.

In omni opere tuo, crede ex fide animæ tuæ, hoc est enim conservatio mandatorum. Eccl. 32.

Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Prov. 18.

Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis? Job 7.

Som-

Sonitus terroris semper in auribus illius; & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Job 15.

Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te. Jerem. 2.

Gentes ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis. Ad Roman. 2.

Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Ibidem.

Gloria nostra hac est testimonium conscientiæ nostræ. 2. ad Corinth. 1.

Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. 1. ad Corinth. 4.

Habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt. 1. ad Timoth. 1.

Habentes cauteriatam conscientiam. 1. ad Timoth. 4.

Vermis eorum non moritur. Marc. 9.

Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. 1. Joan. 3.

Exempla Veteris, novique Testamenti.

Exempla primorum parentum in Paradiso terrestri.

STatim ac primi parentes nostri Dei præcepta transgressi sunt, pudor, & verecundia eorum conscientiam agitarunt, antequam etiam supremus judex illos damnasset, fugerunt, sese abdiderunt, puduit ipsos nuditatis suæ, arborumque foliis sese cooperuerunt. Qua in re Sancti Patres animadvertunt, illos fuisse perterritos non Dei adspectu, sed metu, ac pudore eo quod coram illo sontes apparere debebant; tunc enim conscientiam suam ipsis infidelitatem cœpit exprobrare. Tunc oculos aperuere, atque intuiti sunt periculum, cui ipsos justa Creatoris ira objiciebat, cum innocentiæ suæ tempore nihil illis vel a Deo, vel a rebus creatis esset pertimescendum. Pudor ipse sese nudos videndi non tantam illis peperit confusionem, quantam scelus, quod non poterant neque seipsis, neque Deo abscondere; quamcumque excusationem adferrent. Illud autem in hac prima redargutione, qua conscientia hominem nocentem corripuit, animadvertendum est, quod si motus adeo violentos peperit in loco delitiarum, & propter unicum crimen, quid tandem futurum sit, cum conscientia gravissimis fœdata sceleribus neque sui ipsius, neque Dei effugere possit intuitum?

Exemplū Cain.

Verum profecto est, animam in peccato oblectari, sed justitia Dei, quæ non procul illam requirit, eamdem per ipsam peccantis conscientiam punit: tunc enim adspectus peccati illius, quod ipsi erat in delitiis, fit ejusdem pœna, & supplicium. Cain in mundo solus erat, vel saltem, qui tunc erant, consanguinitatis vinculis illi adhærebant; nulla adhuc lex erat, quæ interfectores aliquo supplicio damnaret; & quamvis lex lata fuisset, nondum institutum fuerat tribunal, ex quo sontes essent judicandi. Undenam igitur hæc querela: quicumque me invenerit, occidet me? Metuit, jam sentit iram Dei magis humana terribilem; ipsum sua torquet conscientia, atque in fratribus tot illi inimicos ostendit, sanguinis legem nihilo magis, quam ipse cum Abel, servaturos. At non vult Deus, illum occidi, ut deplorabilis status illius exemplum sit posteritati; ut mala ipsius sint tamquam publica vox mortalibus omnibus, lex vivens, animata columna, ut S. Gregorius Nazianzenus loquitur, docens mortales omnes, ne, si miserrimi esse noluerint, suam lædant conscientiam.

Exemplū Balthasar.

Adhuc inter voluptates, & meretricias illecebras Balthasar versabatur, cum manus in pariete aulæ, ubi celeberrimum illud convivium fiebat, ignotos caracteres descripsit. Expalluit tunc facies ejus, cogitationes turbatæ sunt, & genua trementia vicissim collisa sunt. Putasne conscientiam illius tranquillam fuisse, cum corpus violenter adeo agitaretur? Immo motus erant conscientiæ, qui in corpore illius motus naturæ prorsus oppositos gignebant. Manus hæc illum commovit; eaque omnem scelerum ipsius horrorem, omnemque Dei in ipsum iram aperiente, nullam potuit requiem invenire. Ita Dei ira metuitur, & metus hic violenter agitat conscientiam, quæ se nocentem intelligit.

Exemplū fratrum Joseph.

Ad cujuscumque periculi, vel supplicii, quod divina infligat justitia, conspectum, conscientia, jampridem sopita expergiscitur, revocatque memoriam sceleris illius, quod jam antiquatum videbatur, & de quo ne cogitabatur quidem. Fratres Joseph eum in arcto carcere versatentur, eo conjecti fratris sui jussu, qui in Ægypto dominabatur, tunc sese colligere cœperunt, & exclamare: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius ..... idcirco venit super nos ista tribulatio.* Fortasse non ante sceleris sui meminerant; atque Deum nequaquam illud intuitum fuisse sperabant; sed conscientia post diuturnum soporem oculos aperit, ac tandem suam videt calamitatem.

Exemplū Davidis.

David, quem pœnitentia Deo chariorem efficit, quam scelera in oculis ejusdem effecissent infensum, David crudele hoc testimonium conscientiæ experiebatur, cum oculis in terram demissis, madentibusque lacrymarum imbre genis, ajebat, Psalm. 37. *Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.* Nequicquam optimates ejus triumphos ipsius enarrabant; frustra consentiebant omnia, ut illum beatum efficerent; nihil enim ab oculis ipsius scelerum patratorum imaginem auferre poterat. Modo cruor adhuc fumans ex Uriæ vulneribus emanans, modo proditionis infamia, modo adulterii turpitudo ob oculos ipsius versabatur, ut illum excruciarent: *Peccatum meum contra me est semper*, suspirans exclamat, Psalm. 52. quo magis infelicia scelerum meorum vestigia delere conor, eo magis conscientia illa mihi in mentem revocat, neque ullam requiem invenio: *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum*, Psalm. 37.

Antiochi exemplū.

Cum audit Antiochus Lysiæ exercitum profligatum fuisse, ore mœsto amicis ait; 1. Mach. 6. *dixi in corde meo: in quantam tribulationem deveni: & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui jucundus eram, & dilectus in potestate mea: Reminiscor malorum quæ feci in Jerusalem*, & sine causa me voluisse omnes Judæam inhabitantes delere. Tot injustitiæ, & oppressiones, quæ jussu meo factæ sunt, tot innocentes bonis exuti, ac cæsi; tot sacrilegia a me in Jerosolymæ Templo patrata, totidem sunt testes, judices, carnifices, qui me sævissime laniant.

Exempla conscientiæ tranquillæ.

Talis erat Sancti Job quies, cum ajebat, se non paucis jam annis vixisse, quin ullius criminis conscientia redargueretur: Talis Apostoli, omnem gloriam suam in conscientiæ suæ testimonio constituentis: Talis pœnitentis David, cum certus veniæ quam peccato suo concesserat Deus, & satisfactionis, qua divinam justitiam leniverat, in lætitia cordis sui dicebat, Psalm. 16. *In justitia apparebo conspectui tuo.* Nonne deinde visi sunt Martyres ad supplicia tamquam ad triumphum properantes, atque inter sævissimos cruciatus præ lætitia exultantes &c.

Quid de ea dicat S. Paulus.

Sancti Pauli conscientia nihil illi exprobrabat; attamen solatium, quo inde afficiebatur, satis non erat, ut confirmaretur contra memoriam malorum, quæ olim JESU CHRISTI Ecclesiæ persecutor attulerat. Inter ardua itinera, ac juges Apostolatus labores corpus suum castigabat, & in servitutem redigebat, ne alienæ saluti impendens operam, negligeret suam; unde liquet, conscientiam ipsius spei timorem admiscuisse, & illi solatium simul, & afflictionem attulisse. Et profecto animæ Deum amanti nihil acerbius est, quam nescire, utrum amore, an odio sit digna; ac facile intelligi potest, quo Dei amor perfectior est, eo incertitudinem hanc esse acerbiorem. In hoc tamen

men statu Deus justos omnes in terra sinit, ut illos in humilitate contineat.

APPLICATIONES.

Mala conscientiæ dolor. *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Psalm. 31. Nonne verum est, cum spina pedi, vel alteri cuipiam corporis parti hæret infixa, te nequaquam somnum capere posse, nisi prius evellatur? Ita S. Bernardus ait, patrandum a te facinus spina est vulnerans animam tuam, & nullam tibi requiem relinquens; *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum,* inquit S. Paulus Apostolus *ad Rom.* 2. Semper inquietus eris, semper conscientiæ stimulis agitaberis, donec avulsa fuerit hæc spina per veram pœnitentiam. Unum dumtaxat remedium illi pacem potest afferre, si in statum gratiæ revertatur. Conscientiæ quies tibi pretiosior tunc erit, quam omnes simul terræ divitiæ.

Miscuit vobis Dominus spiritum soporis. Isaiæ c. 29. *Et dedit illis Dominus spiritum compunctionis.* Ad Rom. 11. Fallax conscientiæ tranquillitas a Deo pœna est permittente, ut peccator non amplius sentiat stimulos conscientiæ suæ, neque excitetur amplius aculeis, quibus antea pungebatur, ac prohibebant, ne in sceleribus requiem inveniret. Itaque in hoc statu manet tamquam defixus, & demersus, quin ne cogitatio quidem illi unquam subeat, vim faciendi, ut inde egrediatur: hæc enim est eorum Apostoli verborum *ad Rom.* 11. sententia, *dedit illis Dominus spiritum compunctionis;* non enim significat, Deum illis contritionis, & pœnitentiæ spiritum immisisse. E contra juxta S. Chrysostomi explicationem hac figurata loquendi ratione innuere vult, Deum cor eorum confodisse, ut pravis ipsorum habitibus illos configeret; quemadmodum accidit, ut plura simul nodo eodem connectantur, singula perforari; & S. Chrysostomus asserit Deum quodam veluti clavo peccatotis conscientiam cum peccato illius confixisse. *Misit spiritum transpunctionis, & transfixionis cum peccato.*

Fallax conscientiæ qui et Dei supplicii.

Scrutare, si quid tuorum apud me inveneris. Genes. 32. Hæc sunt verba S. Patriarchæ Jacob, cum Dei jussu ex Labani soceri sui domo egressus est. Hic enim persecutus est illum, ratus aliquid sibi ablatum fuisse, sed Jacob, qui nihil nisi labore suo legitime parta secum abduxerat, ait illi: *Scrutare, si quid tuorum apud me inveneris.* Cum singula diligenter lustrasset Labanus, nihil invenit. S. Ambrosius animæ Christianæ hæc applicat verba, cui recta conscientia fidele hoc perhibet coram Deo testimonium, se integram vitæ, scelerisque puram semper fuisse. Cum prodibit ad tribunal Dei, eamque Dæmon accusabit, audacter respondere poterit: *Scrutare, si quid tuorum in me inveneris.* Nihil habeo, quod tuum sit: lustra, scrutare, quantumlibet, nihil tuæ superbiæ tuarumque fraudum in me repeteris, tuta erit, nihil enim sibi a conscientia exprobrabitur.

De bonæ consciẽtiæ tranquillitate.

Tibi dabo terram Chanaan. Psalm. 104. Scite animadvertit Richardus a Sancto Victore, Chananæos, & Israelitas deinceps terram promissam incoluisse, quæ vera est tranquillæ conscientiæ figura; Jerusalem quippe *visionem pacis* significat. Chananæi tunc erant mortalium omnium nequissimi; Israelitæ vero populus Dei, atque iis temporibus mortalium omnium optimi. Utrique tamen terram eamdem possederunt; quod nobis ostendit, duplex hominum genus habere posse conscientiæ tranquillitatem; optimos videlicet, ac pessimos: hi enim in tanta vivunt securitate, quanta si optimorum virtutes omnes haberent. Impii, statim ac in iniquitatis abyssum prolapsi sunt, omnia contemnunt, neque ultra justitiam Dei timent, justi vero ea charitate succensi, quæ foras mittit timorem, summa pace fruuntur.

Liberat animas testis fidelis. Prov. 14. De bona conscientia proprie hæc sapientis verba dici possunt, ipsa enim vere fidelis est testis, qui non solum rationem habet eorum omnium, quæ facimus, dicimus, cogitamus; sed qui ea æqua, vel iniqua esse testatur, & intentiones omnes, cum rectæ sunt, justificat. Ad hæc *liberat animas* a morte æterna, a Divinæ justitiæ metu, ab injustis omnibus inimicorum criminibus, cum illi, quibus fidele hoc testimonium non perhibet, numquam divinæ justitiæ tela possint evadere. Recta conscientia bona.

Vermis eorum non moritur. Marc. 9. Mala conscientia in Evangelio melius indigitari non potest; quam vermis nomine, atque similitudine. Tres præsertim afferri possunt rationes: prima est, quia quemadmodum vermis lignum rodit, fructusque depascitur, ubi natus est: similiter conscientia illius cor pungit, & rodit, qui peccatum admisit: Altera; quemadmodum vermis jugiter rodit subjectum, cui semel adhæserit: ita peccatum semel patratum indesinenter noxiam torquet conscientiam: Tertia denique, quemadmodum vermis in rebus dulcibus gignitur, & in amaris moritur: ita conscientiæ vermis, qui in peccati dulcedine nascitur, nonnisi per pœnitentiæ amaritudinem, peccatorumque dolorem emori potest.

In pace amaritudo mea amarissima. Isaiæ 38. Nullus peccator est, qui inter suarum voluptatum illecebras dicere nequeat hæc Prophetæ verba: *In pace amaritudo mea amarissima.* In sensuum meorum malacia, anima mea tempestatibus agitatur; in pace, quam omnes affectus mei percussere cum objectis, quibus oblectantur, cor meum conturbatum est: corpus quidem voluptatibus innatat; anima vero doloribus dilaniatur. Rea conscientia inter voluptates ipsas amaritudinem percipit.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Humana judicia potest subterfugere mala agens, sed non judicium conscientiæ. Gregor. l. 27. Moral. c. 17.

Quid prodest si omnes laudent, & conscientia accuset? aut quid poterit obesse, si omnes derogant, & sola conscientia defendat? Idem super Ezech. Hom. l. 9.

Bonarum mentium est culpas agnoscere, ubi culpa non est. Idem, Epist. ad Augustinum, Anglorum Episcopum.

Bona conscientia nullius oculos fugit. Idem, Epist. 47.

Felix conscientia, quæ afflictionis tempore, bonorum operum recordatur. Hier. l. 11. comment.

Nullus post culpam impunitati locus est, cum sit reatus ipse supplicium. Idem, Epist. ad Demetriadem.

Quæ pœna gravior quam interioris vulnus conscientiæ? nonne hoc magis fugiendum quam mors, dispendium, exilium, debilitas, dolor? Ambros. de Offic.

Tantus splendor honestatis est, ut vitam beatam efficiat tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ. Idem, l. 2. offic.

Quod severius judicium, quam domesticum, quo unusquisque sibi est reus, seque ipse arguit? omnia adversa habet, qui sibi ipse displicet, ipse sui accusator, ipse sui testis; nec invenit quo fugiat, qui ipse perurget & stimulat. Idem, lib. 3. de Offic.

Verius ac jucundius gaudebis de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias. August. l. de catech. Rud.

Jussisti Domine, & sic est, ut pœna sibi ipse sit omnis inordinatus affectus. Idem, l. 2. Confess.

Quisquis malus est, male secum est: torqueatur necesse est, sibi tormentum est; ipse est enim pœna sua, quem torquet conscientia sua: fugit ab inimico, quo potuerit, a se quo fugiet? Idem, in Ps. 36.

Conscientia mala, bona sperare non potest. Idem in Ps. 31.

Conscientiam malam laudantis præconium non sanat, nec bonam vulnerat convicium. Idem, contra Petil.

Quid dulcius bona conscientia? quæ si non est, & mala est; pungit, & amara sunt omnia. Idem, Tract. sup. cap. ult. Prov.

Quando Deus erit judex, alius testis quam conscientia tua non erit. Idem, in Ps. 37.

Inter judicem justum, & conscientiam tuam, noli timere nisi causam tuam. Ib.

Quidquid vis, homo, potes fugere, præter conscientiam tuam, interius nihil potes habere quo fugias a conscientia tua, si redunt te peccata tua. Idem in Ps. 30.

Judicis tribunal est in mente tua; sedet tibi Deus, adest accusatrix conscientia, tortor, timor. Idem, in Ps. 57.

Quisquis non facit quod debet, sine intervallo patitur quod debet: quoniam tanta est beatitudo justitiæ, ut nemo ab ea miseriam possit abscedere. Idem, l. 3. de lib. arb. c. 15.

Ira divinæ inchoatio est, quod hic patitur peccator. Idem, in Ps. 6.

Potest obtenebrari conscientia, quia non est Deus; extingui non potest, quia a Deo est. Tertull.

Omne malum aut timore aut pudore natura perfudit. Idem, in Apol.

Nullus est qui dum operatur malum, bonum adesse putat: sed occasiones fingit: cæterum ille, etsi verbis fortassis crimen diluat, conscientiam tamen ipse suam effugere nequam poterit. Chrysost. Hom. 5. in 2. Epist. ad Timoth.

Nemo prætexat quod ignorans virtutem negligat; sufficientem enim magistrum habemus conscientiam. Idem, Hom. 54. in Gen.

Conscientia peccati formidinis mater. Idem, in Ps. 50.

Quemadmodum seipsum nemo potest effugere, ita nec illam interioris ejus curiæ sententiam. Idem ad Popul. Antioch.

Hoc tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit; eo quod divinum est, & a Deo nostris impositum cervicibus. Idem, ib.

Peccator conscientiam quasi carnificem circumgestat, se laniantem, flagellantem perpetuo. Idem, Serm. 1. de Lazaro.

Judicem in animo perpetuo vigilantem & attentum constituit Deus. Idem Chrysost. Serm. 4. de diversis.

Conscientia domesticum & verum tribunal. Gregor. Naz.

Infernus quidam & carcer animæ, rea conscientia est. Bernard. Serm. 23. in Cantic.

O felix conscientiæ puritas! o felix sanctæ conscientiæ jucunditas! Idem.

Sicut rivus, quocumque fluit, terram cavat, ita conscientia mala rodere occulte mentem non cessat. Idem, l. 4. de Consid.

Magnæ divitiæ, bona conscientia; & revera quid in rebus ditius vel dulcius? quid in terra quietius atque securius? bona conscientia damnum rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus. Idem, Epist. 373.

Bona conscientia secura erit, cum corpus morietur: secura, cum anima coram Deo præsentabitur; secura, cum utrumque, in die judicii, ante tribunal terrificum justi judicis statuetur. Idem, l. de interiori domo, c. 23.

Qui magis mortuus est eo, qui portat ignem in sinu, peccatum in conscientia, nec sentit, nec excutit, nec expavescit? Idem, de Consid.

Sufficit adversum os loquentium iniqua, opinio bonorum cum testimonio conscientiæ. Idem, super Cantic.

Sicut probis probitas ipsa fit præmium; ita improbis nequitia ipsa supplicium est. Boetius l. 4. de consol. Philos.

Omnia fugere poterit homo præter cor suum: non enim potest a se quisquam recedere: quocumque enim abierit, reatus sui conscientia illum non derelinquit. Isidorus in Syn.

Conscientia accusat de præterito, remurmurat de præsenti, præcavet de futuro. S. Bonav. l. 2. Comp. Theol. c. 5.

Nulla pœna gravior, pœna conscientiæ: vis numquam esse tristis, bene vive; secura mens tristitiam sustinet: bona vita semper gaudium habet: conscientia autem rei semper in pœna est. Isid. l. 2. solit.

Liber signatus & clausus, & in die judicii aperiendus. Hugo Card. l. 2. de anima.

Si gaudium est in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo; & si alicubi tribulatio & angustia, hoc melius novit mala conscientia. Lib. de Imit. Chr. l. 2. c. 4.

Intolerabilis cruciatus. Hugo a S. Vict. tract. de inter. dom.

Plerique famam, conscientiam autem pauci verentur. Seneca, l. de moribus.

Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris, quam teipsum. Idem.

O te miserum si contemnis hunc testem! Idem.

Nullum theatrum virtuti, conscientia majus est, Cicero 2. Tuscul.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia desumi potest ad hoc pertinens argumentum.

Non parum difficile reor esse accuratam, ac genuinam conscientiæ definitionem adferre, quin cum Synderesi confundatur, quæ nomine tenus inter se profecto differre solum videntur. Eas tamen nequaquam confundit D. Thomas, ait enim *1. qu. 79. art. 12.* Synderesim lumen esse naturale, quo ad malum quidem evitandum, bonum vero efficiendum impellimur; eamque non vult esse animæ facultatem, qualis est intellectus, atque voluntas; sed habitum, quo prima rerum a nobis faciendarum principia cognoscimus: Addit etiam *ib. art. 13.* Conscientiam proprie esse actum, & scientiæ nostræ applicationem alicui peculiari objecto, per quam judicamus utrum bonum sit, necne; utrum fugiendum, an inquirendum; nobisque de præteritis vel bonum perhibet testimonium, vel stimulorum aculeis redarguit. *Definitur conscientia.*

Theologorum vero plerique per hoc conscientiæ nomen judicium intelligunt, quod nostra mens fert, & quod recta ratio dictat de iis, quæ in illis occasionibus, quæ sese nobis offerunt, facienda, fugiendave sunt; quo judicio tamquam duce, ac norma debemus uti, ut hoc, vel illud amplectamur. Quidam paucioribus verbis ajunt, hunc esse actum intellectus, quo judicamus, quid faciendum sit, quid non ita, quid etiam vitandum, quid secus, iis in occasionibus, ubi aliquid operari tenemur. Verum quin torqueantur justam conscientiæ definitionem scrutaturi Patres, atque Concionatores, ad comparationes confugiunt, quæ aliquam nobis illius, quod quærimus, ideam possunt adstruere. Dicunt conscientiam librum esse, in quo invisibili manu describuntur peccata nostra prout committuntur a nobis. Addunt domesticum esse Deum, vel saltem dominum a Deo immediate pendentem; hanc infra Deum quidem esse, sed supra homines; obtinere in cordibus nostris locum Entis infiniti: nomine ipsius loqui; ejus jura tueri, & exequi judicia. Dicere mallem secundum Regii Prophetæ sententiam, illam esse quamdam Legis æternæ participationem; hoc enim lumen, quod nobis intus verum, falsumque detegit, & quod ut voluntati eam, quæ ipsi convenit, materiam suggerat, bonum etiam, & malum indigitat, est emanatio illius Legis æternæ, quam Deus in cordibus nostris insuffit: *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Ps. 4. *Quid ampliorem nobis conscientiæ cognitionem possit conferre.*

Conscientia judicat de actionibus omnibus, quæ factæ fuerunt, & ex hoc judicio animæ tranquillitas, stimu- *Varii conscientiæ effectus, vel officia.*

stimulique nascuntur, cum enim conscientia hæc efficiat, ut illa suam agendi rationem perpendat, dijudicat utrum justæ, ac legitimæ fint eædem actiones. Ex altera parte facit, ut norit illum, qui Dei legem violat, & pœnitentiam non agit, ob legis ejusdem perfractionem aliquando damnatum, atque punitum iri. Illa cognoscit de facto, & de jure; efficit, ut nocens sentiat, a se divinam Legem fuisse perfractam, & pœnitentiam suam infirmam esse, vel fortasse nondum inceptam. Tunc pronunciat, animam fontem esse, & damnationi proximam.

Duo conscientiæ genera.

Duplex conscientiæ genus cum S. Bernardo distinguere possumus; bonam alteram, alteram malam. Bona, ait ille, iterum in species duas est dividenda, non secus ac mala: adest enim, Pater idem sequitur, conscientia bona turbata, & conscientia bona tranquilla, non secus ac conscientia mala altera inquieta est, & agitata; altera vero pacata, & obdurata. His alias etiam conscientiæ divisiones addere possumus. Adest enim conscientia erronea, fallax, & decepta, alia anceps, quæ consilium capere non potest, ubi agendum est; alia religiosa, quæ metuit, vel quæ sibi persuadet in iis, quæcumque facit, adesse malum: alia indurata, quam cauteriatam vocat Apostolus, quæ nullis amplius stimulis afficitur.

Numquam licet contra conscientiam agere.

Si Conciliis, Sanctis Patribus, omnibusque Doctoribus fides habenda est, numquam licet agere contra internum propriæ conscientiæ judicium, licet erroneum esset, vel anceps: *Non licet operari ex conscientia vel errante, vel dubia*; Conc. Lateran. Can. 41. & passim usuvenit, quod ex se peccatum non est, tale per accidens fiat, ubi tale existimatur, & nibilo secius expletur.

Plures, variæque sunt causæ erroris conscientiæ. Præcipuæ sunt: 1. ignorantia simplex, cum, quod in se malum est, recte factum ducimus, vel contra: 2. negligentia, cum laborem effugimus discendi, quid nobis faciendum, evitandumque: 3. superbia, cum sapientiorum, doctiorumque sententiæ judicium nostrum subjicere detrectamus. 4. inordinatus sui ipsius amor; qua propter Seneca ait: *Perit omne judicium, si res transierit in affectum*.

Fallax, & mala conscientia ex iisdē principiis proficiscitur.

Fallax, & mala conscientia ex iisdem causis proficiscuntur: propria ignorantur officia, eaque ignorari placet; hæc ignorantia est cum improbitate conjuncta: vel ea cognoscere negligimus, ac studium, & inclinationem nostram sequimur. Ignorantia peccatum abscondit, consuetudo illud probat, affectus justificat; & hæc omnia simul, ubi adsint, sine ulla religione in maxima quælibet scelera labimur. Volumus, id justum esse, quod facimus; non solum studia nostra sequimur; credere volumus licere nobis ea sequi; mentem ab iis avertimus, quæ veritatem nobis aperire possent; iis vero advertimus, quæ illum possunt corrumpere. Tantum abest, ut cordatos, doctosque viros consulamus, quod a nobismet dumtaxat petimus consilium, & quod censoris improbitate aliis minime parceremus, exequimur, nobis cæca indulgentia licere arbitramur.

Quamquam fallax, & erronea conscientia vulgo ex judicii depravatione, & corruptione oboriatur; habitus tamen illi plurimum confert, efficit enim, ut peccator in peccato sopore capiatur, ac illud non novit. Initio quidem ostendebat ratio, contractui huic fœnus adjacere, negotium illud vetitum esse, licentiam hanc non licere; illud citra culpam suscipi minime posse: Primum quidem acriter exprobrabat conscientia, at postquam peccatis assuevimus, ea non amplius peccata esse ducimus: immo illa excusamus, defendimus. Peccator hic litteras non didicit, ut in iis, quæ ad affectum suum pertinent, agit Theologum, & contra eos disputat, a quibus cum charitate de officiis suis admonetur.

Quid sit conscientiæ stimulus.

Conscientiæ stimulus sensus est acer de peccato nostro, & ultrici justitia Dei, cum totus criminis horror nostris sese oculis prodit; videmus, quam pœnam mereatur, cognoscimus Deum omnipotentem, justum, ultorem, qui nos persequitur, & concipimus, quousque severitas illius sit processura. Cum hæc omnia nobis ob oculos mentis versentur, atque intrinsecus nosmet sontes esse sentiamus, metuimus, ne in hoc statu nos opprimat mors. Hi stimuli non semper æque violenti sunt, alioquin nimis turbarent animam, ideoque pro improborum conversione inutiles essent; at peccatum semper horribile apparet, & Dei justitia terribilis. Cor agitatum seipsum exprobrat, & accusat in omnibus peccati sui circumstantiis, atque tunc timor superat quidem, verum in anima aliquam spem misericordiæ relinquit, qua fulcitur, ut vetat, ne omnino desperationi se tradat.

Animadvertite, Sanctus Augustinus ait, reprobationem non procul abesse a peccatoribus illis, qui nullis stimulis exagitantur. Cum peccatum aliquem in anima scrupulum, vel tumultum relinquit, indicio est, cor nondum esse induratum; sed cum in profunda pace vivimus sine mortis, æternæque damnationis, quæ imminet, metu, tunc peccator suis excæcatus affectibus in interitum ruit.

Conscientiæ torpor ex Dei supplicio proficiscitur.

Verum est, ac semper animadvertendum, Deum non quærere explicite in hac insensibilitate conscientiæ, atque fatali requie nos continere, neque per se conferre aliquid vel motu proprio, vel etiam prorsus cessando a quacumque actione, atque inspiratione: verumtamen si agit, hæc levis est actio, quam nullus sequitur effectus; si loquitur, exilis vox est, quæ ad imum usque animæ non penetrat, illam excitatura. Gratia neque in mente, neque in corde ulterius facit vividas illas impressiones, quæ alterum persuadeant, alterum moveant. Recedit Deus tamquam Medicus, qui ab ægro discedit postquam omnem in eo curando navavit operam, qui ne ultra illum inutiliter torqueat, fatali immersum lethargo relinquit.

Cum altius originem repeto, invenio adfectatam hanc intrepiditatem, licet hoc dissimuletur, proficisci ex secreta voluntate in eo permanendi statu, in quo sumus, eadem insistendi via, in iisdem habitibus perseverandi, & ut me verbo expediam, nosmet minime convertendi: ideoque procul a memoria semovendi objecta omnia, quæ in animam tumultum aliquem immittere possent, claudendi oculos omnibus veritatibus fidei, numquam discendi, quid nobis faciendum sit, ne illud facere teneamur, ac tandem nosmet in adfectata ignorantia confirmandi contra quoscumque conscientiæ tumultus.

Undenam falsa, & mala conscientia oriatur.

Scelera nostra, nostrique in via salutis errores inde proficiscuntur, quod præter Dei Legem altera etiam est regula, a qua actionum nostrarum rectitudo pendet, & quam sequi debemus; vel potius quod Dei Lex quæ generalis est omnium humanarum actionum norma, nobis singillatim applicari debet per regulam aliam adhuc propiorem, & magis immediatam, quæ est ipsa conscientia.

Quid enim conscientia est? Sanctus Thomas duplici verbo nos docet: est Divinæ legis applicatio sibi ab omnibus singillatim facta. Docet autem experientia, quemlibet hanc sibi Dei Legem applicare secundum sua lumina, secundum spiritus sui caracterem? immo etiam secundum secretos motus, præsentemque cordis sui dispositionem: Hinc accidit, ut hæc Divina lex perperam applicata, quin semper in praxi tuta pro nobis sit regula, seu boni faciundi, seu mali evitandi, contra Dei ipsius intentionem nobis sit regula fallax, qua abutimur, & cujus auctoritatem prætexímus modo, ut malum admittamus, modo vero ut a virtutis persequendæ obligationibus deflectamus.

In rerum ordine, qui Dei ordo est, desideria secundum conscientiam esse debent, non autem conscientia regi debet secundum desideria. Attamen S. Augustinus ait, hæc est illusio, & iniquitas, cui nisi providemus, sumus obnoxii. Quin deside-

tia nostra regamus ex nostris conscientiis; ex desideriis nobis conscientias facimus; & quoniam desideriis nostris conscientiæ innituntur, quid accidit? Quidquid volumus prout volumus, nobis bonum fit, & videtur: *Quodcumque volumus, bonum est.*

Cur peccator fit in suo peccato tranquillus. Quæritur, cur accidat sæpe, ut peccator in suo peccato quiescat? Facilis patet responsio: quod nempe cor illius corruptum est, spiritus ejus excæcatus, & Deus per hoc illum punit. Cor illius corruptum est, & in eo statu nihil eorum sentit, quæ ipsum turbare possent, spiritus excæcatus est, & in cæca præsumptione, quæ illum seducit, nihil eorum videt, quæ suum auferre possent errorem, denique illum punit Deus; & supplicium in eo positum est, quod ea denegat lumina, quæ spiritum illustrare possent, easque gratias, quæ cor possent movere.

Nemo repente fit pessimus, neque gradu uno de vitæ integritate in scelus, & flagitia prorrumpit. Ita peccator, post Tertullianum Sanctus Bernardus ait, initio peccandi numquam tranquillus est; verum cum conscientia adhuc delicata sit, & sensus acres, peccatum stimulum suum non sine dolore infigit. Timetur, deliberatur, resistitur: & ipsa etiam natura, licet corrupta in animam effundit, vel rationabilem verecundiam, propter quam nos sceleris pudet, vel metum salutarem, propter quem peccati effectus metuimus.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, Neotericisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Conscientiæ vox, & sensus Religionis. NUlla vox elatior est, quam conscientiæ: hæc est exprobratio æque inevitabilis, ac occulta; testis æque irreprehensibilis, ac domesticus. Natura alte adeo Dei cognitionem, & veritatem in anima nostra insculpsit, Salvianus ait, ut deleri minime possit, & nemo fere mortalium est, licet impius, ac rebellis, qui in aliquo inopinato periculo positus, oculos, manusque in Cœlum non tendat gratiam Entis omnipotentis impetraturus, qui cœlos elegit, ut ibi gloriæ suæ divitias ostendat. *D' Abillon libro de Divinitate propugnata contra Atheos.*

Libenter cum Tertulliano quærerem, undenam fit, quod peccatores, qui sæpius in vita conscientiæ stimulos pacem suam perturbantes suffocarunt, illos, quidquid conentur, in morte suffocare minime possint. Quot enim videmus, qui longo scelerum habitu, cum plurimorum annorum usu occalluerunt, fallaci pace fruuntur, & sine ulla inquietudine, atque tumultu transigunt dies; & qui tamen accedente morte contremiscunt, expallent, atque terribilibus curis affligantur? Doctor idem admirabilem adfert hujus rei causam: inde enim factum ait, quod anima, cum in peccatoris vita tenebris fuerit involuta, quas illius affectus, & improbitas eidem offuderat, *Tunc erumpit in apertum ad meram, & puram lucem.* Antea nihil videbat, quia nihil videre volebat, ac se affectuum suorum vile mancipium effecerat: verum cum de corpore discessura est, tunc suam recipit libertatem. *Joly 2. Tomo Propositionum.*

Conscientia peccatorem inter voluptates turbat. Quoties in peccato extimuistis, cum hominum a vobis deceptorum suffragiis absolutis, vestra conscientia ad eum Judicem appellavit, qui neque falli potest, neque corrumpi, neque evitari? Quo labore secretam hanc suffocatis vocem, vosmet in ipsis voluptatibus perturbantem, ad minimum quodlibet periculum excitantem metum, vobisque pallorem, tremoremque afferentem, & quæ in antecessum exequi velle videtur sententiam, quam in vos prolaturus est Deus? Cogitatio hæc, moriendum esse, quæ justorum solatium, & requies est, terror, suppliciumque improborum; nisi est naturalis luminis impressio, cur nam omnibus terrarum populis communis est? cur omnibus temporibus regnat? *Pater Cheminais Sermone de Judiciis Dei.*

Ex quo scelus patratur, Conscientia, quæ antea dissuaserat, illud aperte damnare incipit, & contra sontis improbitatem invehere, ultionem ob sibi vim illatam exposcere, ac seipsam ulcisci. At ubi crimen fuerit absolutum, tunc pejus est; cum enim voluptas defierit, affectusque laxatus fuerit, anima dolore corripitur, & conscientiæ exprobrationibus dilaniatur. Affectus effecit, ut virus inconsiderate epotaremus; voluptas illud quodam dulcore temperavit, at ubi viscera pervasit, ibi acerrimos gignit cruciatus. Silentium vero conscientiæ longe magis est metuendum. Postquam illa diu vel locuta est, vel etiam clamavit irrito labore; accidit nonnumquam, ut terribili quidem, verumtamen justo judicio, conscientia in æternum conticescat, ac nos in lethali sopore demersos relinquat. Tunc enim Deus nobis suas gratias subtrahit, atque hoc in statu omnia silent; nihil cor nostrum movet, nulla vos illud excitat, nulli casus terrorem incutere possunt; voces omnes obmutescunt, & quid inde expectandum? *P. de la Colombiere in Considerationibus.*

Quid sibi vult ita conscientia, quæ repente turbatur, & in questus, & redargutiones erumpit? Hæc profecto Dæmonis vox non est, quandoquidem nos ad bonum impellit; neque nostra est, nobis etiam invitis loquitur. Reliquum igitur est hanc Dei vocem esse, ideoque quidquid illa dicit audiendum est, singula enim illius verba totidem sunt leges, secundum quas erimus judicandi. *Idem Tom. 2. Sermonum.* Conscientia Dei vox.

Si huic Synderesi aures præbere voluerimus, clamat illa quidem *non licet*, ut olim Herodi Joannes. Sed plerique peccatorum, quantum in ipsis est, conantur extinguere lumen hoc naturale, suamque conscientiam corrumpere; seipsos excæcant, & ob nimium lumen, ut ita dicam, hoc lumen amittunt. Quomodonam? Cum diu agere nequeant contra conscientiam suam, aliam sibi erroneam, atque fallacem efficiunt eos consulendo auctores, & libros, qui suspicione non carent, & rationes quærendo, quibus sententiam suam, vel potius cordis sui desideria, vel actionem aliquam probent, quam recta ratio statim improbat, atque damnat, præsertim vero cum de simonia, fœnore, impudicitia sermo est. Non desunt, qui ipsam Theologiam torquent, ut quod cupiunt, inde exprimant, ut enim illic accedat auctoritas alicui sceleri, quod patrare cupiunt, vel pravæ consuetudini, quam ægerrime abjicerent: tot consulunt Casuistas, atque Theologos, donec tandem imperitum aliquem nanciscantur, qui ipsorum faveat sententiæ. Innocentem hominem quæstioni subjice, primum quidem veritatem ore rotundo fatebitur; at iterum, ac tertio illum torque, doloris magnitudo, quidquid volueris, extorquebit. Ita quæstioni subjice Theologiam integerrimam veritatis sequestrem; statim quidem verum dicet: hoc falsa conscientia non licet; hoc sanæ Ecclesiæ doctrinæ ex diametro opponitur; hoc unanimi Doctorum sententiæ adversatur; sed quæstiones iterando, ac factum, vel jus modo in hanc, modo in illam partem flectendo, tandem Doctor aliquis invenietur, qui calculum addat, cui conscientiam tuam conformabis. Sed recta conscientia diverticula hæc, & has ambages non quærit: *Revertimini ad cor.* Revertimini, peccatores, ad conscientiam vestram, neque vosmet falli quærite; audite, quid illa dicat, ipsa enim optima, & tutissima regula est, quam sequi possitis: ipsa adeo justa est, ut in propria etiam causa seipsam condemnet: rationes omnes emendicatæ, vel tanto studio conquisitæ vos coram tribunali ipsius nequeunt justificare, & quacumque versutia, ac dolo utamini, fieri nequit, ut scelus vestrum ab illa probetur. *P. Antonius de S. Martino a Porta in secunda parte libri, cui titulus; la Conduite de la grace.*

Quot

Conscientiam nobis prout placuerit effigimus.

Quot periculosæ ambages, quot turpes versutiæ ad Legem Dei eludendam? Salutis systema nobismet ad libitum concinnamus, ea, quæ magis arrident, principia nobis proponimus, virtus omnis in placito nostro constituitur, eumque Confessarium repellimus, qui cum agere nequeat contra propriæ conscientiæ lumina, nihil de importuna severitate remittit; Verbo, omnibus abrenunciamus, ne nosmetipsos abnegare cogamur. Si magnum scelus esse putamus fratris nostri bona usurpare, fere numquam nobis religioni vertimus illius existimationem, vel aperta obtrectatione, vel meditato verborum circuitu lacessere. *Sermo manuscriptus.*

Verum est, Dei legem in se puram esse, sinceram, & æternam: *Lex Domini immaculata*, Psalm. 18. sed hæc lex ab homine intellecta, ab homine explicata, ab homine adimpleta, lex est æque nutans, æque dissimulata, dicamne? æque corrupta, & impura, ac hominis voluntas. Dei quidem Lex est, non inficior; sed alius hoc, alius alio modo illum inflectit, quod illius simplicitatem, sinceritatem, atque integritatem corrumpit. Deus illum puram, atque immutabilem proposuit; nos tamen per summum nefas eamdem invertimus, atque torquemus: atque ut verbo me expediam, licet divina sit, per depravatam hominis voluntatem fit mutabilis, & humana. *Ex sermone manuscripto.*

Facile est falsam sibi efformare conscientiam.

Facillimum est in mundo fallacem sibi conscientiam effingere, quid enim facilius, quam concupiscentiæ nostræ studium sequi? Cum mens nostra sublimia spectet, difficile est, ut illi cognitiones nostræ sese conforment. Inde superbia, & ambitio, inde versutiæ, assentationes, negotia, ut ad propositum nobis finem perveniamus, nihil inter vos communius, nihil tamen, quod negligentius attendatis. Dixi nihil in mundo facilius esse quam sibi nefarias, malasque conscientias efficere; cur autem? quia nihil est facilius, quam injusta, ac temeraria desideria concipere, & inanes ambitiosasque cogitationes fovere. Nonne inde proficiscitur conscientia hæc inordinata, cæca, & erronea? Inordinata quidem, nostra enim desideria secundum conscientiam, non conscientia secundum desideria debet ordinari; nos vero oppositum facimus; desideriis acti non aliam regulam patimur; & opus est, ut conscientia voluntati sese accommodet, & præpostera inversione desideria fiunt conscientiæ regula, & quia desideria circa ea, quæ nobis placent versantur, ideo quæ placent a conscientia probantur. *Omne quodcumque volumus, bonum est*, Sanctus Augustinus ait: fortasse quod, idem addit, nobis jucundum videtur, ideo justum esse opinamur. Undenam hoc? ex infelici imperio, quod desideria in conscientiam nostram usurpant, quæ de rebus postmodum judicat, non secundum illud, quod sunt, sed quod nobis placent. *Ex Sermone, qui Patris Bourdaloue tribuitur.*

Quomodo falsa conscientia fiat, & naturale lumen extinguatur.

Conscientia non est chimæra, & malum, de quo loquor, confictum non est: æque homini naturale est conscientiam habere, ac habere rationem. Conscientia ex Divino Joanne Damasceno, est *Lex mentis*, hoc est, ut Sanctus Augustinus inquit, lumen, quod nobis omnibus contulit Deus, ut bonum a malo secerneremus: *Lumen ad discretionem mali*. Regula est, Sanctus Thomas ait, qua in occasionibus utimur, ut cognoscamus, quid faciendum, fugiendumve sit: *Regula agendorum, fugiendorumque*. Hinc, Fideles, sequi mihi videtur, fieri nequaquam posse, ut lumen hoc extinguatur, vel hæc regula curvetur; si enim a Deo proficiscitur, essentialiter recta est; & si naturalis est, a Deo proficiscitur. Attamen nonnisi sæpe contingit, ut ultro, & culpabili ratione rationem nostram corrumpamus, ducem nostrum fallamus, nostrum lumen extinguamus; quomodonam? sæpe, præsertim vero in iis, quæ a primis legis naturalis initiis orta sunt, voluntas corripit judicium, & vicissim ab eodem corrumpitur. Fit igitur quidam veluti circulus depravationis mentem inter, & cor. Principium, quod licet abstractum sit, vel saltem nobis theoretice tale videatur, practice tamen certum, & evidens est, per quod id efficitur, quod erroneam conscientiam vocamus, hoc est fallax judicium circa ea, quæ ad morum praxim pertinent. *Desumptum ex manuscripto P. Francisci Catron.*

Statim ac effectus aliquis, quicumque ille sit, corde nostro potitur, quantumvis inordinatus sit; ei tamen satisfacere adnitimur: sed tunc omnes spiritus nostri tumultus, omnemque conscientiæ potestatem, imperiumque experimur. Quid tunc faciendum? negligendine conscientiæ stimuli? contra rationis lumina peccandum est? Hoc nimis esset difficile, ac nova semper prælia essent sustinenda. Brevior est via, dulcis sui lumen corrumpere, & efficere, ut conscientia affectus nostri lingua loquatur. Ad id autem his ferme artibus utimur. Ignorabo, quid deceat, quid non in iis, quæ ad conscientiam pertinent, & ignorantia mihi erit apud Deum excusatio. Alii dicunt, in ipsa ratione mea, vel in facilis, commodique Confessarii decisionibus inveniam, quid mentis meæ luminibus opponam; ut verbo me expediam; alii fallacem sibi efficiunt conscientiam extinguentes lumina sua, alii vero his fallacia substituentes. Hoc autem illud est, quod Sanctus Thomas conscientiam positive, & negative falsam appellat. *Idem.*

Ignorantia falsam conscientiam efficiens sæpe ex voluntaria spiritus nostri distractione proficiscitur.

Conscientia antequam in scelus labamur, fere semper in mentes nostras lumen quoddam immittit, quod illius turpitudinem detegat: lumen infirmum, quod non aliud est, quam veluti majoris luminis crepusculum. Nos autem quid facimus? palpebras aperimus, ut statim claudamus. Testes voco eos omnes, quibus accidit, ut in gravia ea scelera laberentur, quibus semper comes adhæret verecundia; ignorabantne ipsi abominationem, & turpitudinem? Tales fuere impudicissimi senes, qui olim stuprum Susannæ inferre conati sunt: *Everterunt sensum suum ...... ut non viderent*. Daniel. 17. Per ætatem, rerumque experientiam satis cognoscere poterant, quanta sit adulterii in calumniam degenerantis infamia. Quot rationes illos deterrere debuissent, si animum illis voluissent appellere? Ætas ipsorum, senes erant; dignitas, erant Judices; status, captivi erant in Regno alieno; religio, erant Judæi inter idolorum cultores degentes, quibus scandalum afferebant: peccati locus, domus videlicet viri, cui dedecus inferre volebant; libidinis objectum, Susanna erat mulier frugi, ac solitudinis amans, ideoque difficilior, quæ corrumperetur. Illi tamen omnibus his rationibus non afficiuntur, ab illis quippe suas removent cogitationes: *Everterunt sensum suum*. Rationes vero supernaturales nullam in ipsis efficiunt impressionem; cœli adspectus illos movisset, & legislatoris memoria effecisset, ut legis reminiscerentur: *Declinaverunt oculos suos ne viderent cœlum*. Hoc it omnes quotidie præstant, qui affectata sese tuentur ignorantia. Dubia oboriuntur, verum ea dilui negligimus: bonorum nostrorum assem lustrare nolumus, ne ea, quæ metuimus, restituere teneamur: affectionum quarumdam naturam scrutari respuimus, ne illas infringere teneamur. At certum est, ignorantiam hanc nequaquam excusabilem fieri per ea, a quibus oritur. Per mentis dissipationem, vel distractionem ignoras; at hujusmodi ignorantia necessariane est, an invincibilis? nonne tuum erat, seriis considerationibus mentis tuæ levitatem cohibere? *Idem.*

Modus autem, quo peccatores erroneam conscientiam sua probant ratione, injustus prorsus est, & nefarius. Ita Hæresiarchæ omnes interierunt: Primum quidem dubitando fallacia dogmata proponebant, modo vero quærebant rationes, quibus probarent, quod mordicus asserebant. Falsa evidentia falsam peperit obstinationem; denique se ratio-

rationem habere sæpius repetentes, eo processerunt, ut eam se habere sibi persuaserint. Humana ratio quid de te unquam fit, ubi semel affectus dominatus fuerit tui! Synagoga congregata; videlicet sapientissima illius populi capita, qui numquam luminibus, & mentis acie caruisse creditus fuit, cum de JESU CHRISTO ageretur, ita argumentabatur: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Joan. 11. Hic homo maxima operatur miracula; hoc inficiari non possumus: illum ergo debemus occidere. Proh superi! quam cæca est hominum mens, ubi serviat affectibus! Quam injustum est, sibi conscientiam effingere, uti ratione libuerit! *Idem*.

Aliquando ex aliena auctoritate nobis falsam conscientiam effingimus.

Neque puteris, me omnes consiliis capiundis vias istic præcludere velle; hæc legitima sunt, ac tuta generatim loquendo; alioquin quid esset fideli in dubiis agendum, si rationi suæ nequaquam fidere debens, de alienis etiam decisionibus, Confessarii videlicet, Pastoris, animæque suæ directoris diffidere teneretur? Hoc unum ajo in hujusmodi Consiliis bona fide opus esse: Ut illuminemur, non ut fallamur, vel ut erroribus nostris aliqua accedat auctoritas ad oraculum confugiendum est. Emendicamus flagitiis nostris auctoritatem ut ea sine conscientiæ tumultu patrare possimus; de uno de alium abimus Confessarium, donec aliquem affectui nostro æquiorem nanciscimur: ab hujus decisionibus pendemus, & quamvis aliter suadeat conscientia, tamen falli gaudemus. *Idem*.

Conscientiæ stimuli, quibus torquebatur David post peccatum.

Effecit Deus, ut David post peccatum suum experiretur, quidquid stimulorum, atque cruciatuum afferre possit conscientia. Cordis ejus descriptio attentionem vestram meretur: *Miser factus sum*, inquit ille, *tota die contristatus ingrediebar*, Psalm. 37. Statim ac peccavi, sum factus miser. Nihil mihi proderat dignitatis, quam obtinebam, amplitudinem, & impunitatem, quam post patratum facinus, sperare poteram, animo reputare; nihil proderat solatium inter voluptatum copiam, & tranquillitatem inter assentantium aulicorum plausus perquirere. *Miser factus sum*: gestabam enim intra me inseparabilem, atque incorruptibilem mei sceleris testem. Inseparabilem quidem, eum quippe quocumque trahebam super solium, in Concilium, in publicos cœtus, inter ipsa etiam solatia. *Peccatum meum contra me est semper*: Psalm. 50. Indesinenter Uriæ cruorem effusum circumspicio; uxor viri per summum nefas necati memoriam excitat; in cubili quoque me hæc atrox cura persequitur; somnus, qui cæteris tranquillitatem, & pacem, mihi horrorem, tumultum, atque tristitiam adfert: *Dormivi conturbatus*, Psalm. 56. Incorruptibilem quoque in conscientia mea testem invenio. Quid enim intentatum reliqui, ut illum seducerem, ut illius clamores compescerem? Peccati mei excusationes commensus sum: *Ad excusandas excusationes in peccatis*: Psalm. 54. Affectus me excæcavit, ajebam; præsens objectum me fefellit: Tu, Domine, inducias cordis mei tumultibus tribue: *Sed tu Domine usquequo?* Psalm. 6. Nequaquam, Auditores; nihil noxiæ conscientiæ terrores sedare potest: *Tota die contristatus ingrediebar*. Psam. 37. Quo autem spectarunt hi stimuli? Ad Pœnitentiam, o Fideles: Deus convertere vult David, ideoque illi timorem injicit, eumque persequitur, O quam felices estis vos, quos adhuc sceleris pudet! Profecto religiosæ conscientiæ tranquillitas bonorum omnium est maximum: sed post irreprehensibilis conscientiæ pacem nullum tantum est bonum, quod noxiæ conscientiæ tumultum, & stimulos æquet. E contra vero conscientia in scelere tranquilla, caracter est, & prævium quodammodo indicium certæ, atque inevitabilis reprobationis, nisi Divina misericordia aliter velit, cujus quidem rei paucissima extant exempla. *Idem*.

Malæ conscientiæ tormenta.

Terror ille, quo impii nonnumquam corripiuntur, id probat, quod S. Chrysostomus asserit, illos videlicet in hoc ipso mundo puniri, antequam æternis torqueantur suppliciis, quos illis in altero justitia divina præparavit. Si modum quæris; per seipsos, Doctor idem respondebit: hæc enim prima est Divinæ justitiæ sententia, quæ voluit, ut peccatum pœna semper subsequeretur. In hoc autem mala consistit conscientia, quæ peccatoribus non solum testis adest, & accusator, verum etiam judex, & carnifex; testis est unus sexcentis prævalens, & tanto magis timendus, quod rejici non potest, quia semper ocularis: non refelli quia semper verax; non flecti, quia semper inexorabilis; non metu vinci, quia semper liber, & in anima dominans, non semoveri, quia semper præsens, ac fonti comes individuus; non cogi denique, ut taceat, quia incessanter loquitur, & in corde, non in auribus clamat. Impii ab hoc interno judice fugam capessere nequeunt; eos enim semper, & ubique nanciscitur; eos in judicium rapit, & indesinenter coram tribunali suo jubet adstare: ibique eos accusat, judicat, & ne permittit quidem hiscere, ut causam dicant; illos sine provocationis spe damnat, & secretam hanc sententiam statim subsequuntur pœnæ, ac tormenta, quibus ab eodem tortore cruciatur. *Ex Moralibus Homiliis. Homil. pro prima Adventus Dominica.*

Profecto interiores hi stimuli, & secretus hic horror, quod peccatum in animo relinquit, terribile supplicium est, illudque admirabili ratione S. Augustinus *in Psal.* 45. describit. *Inter omnes tribulationes animæ humanæ nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum. Nam si ibi vulnus non sit, sanumque sit intus hominis, quod conscientia vocatur; ubicumque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inveniet Deum. Si autem ibi requies non est propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non est; quid facturus est homo? quo confugiet cum cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad civitatem, a publico ad domum, a domo in cubiculum, & sequitur tribulatio. A cubiculo jam quo fugiat non habet, nisi in interius cubile suum. Porro si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illuc potest confugere: pellitur inde, & cum inde pellitur, a seipso pellitur. Et ecce hostem suum invenit, quo confugerat: seipsum quo fugiturus est? Quocumque fugerit se trahit post se; & quocumque talem traxerit se, cruciat se de se. Ipse sunt tribulationes, quæ inveniunt hominem nimis; acerbiores enim non sunt: tanto non sunt acerbiores, quanto non sunt interiores.* Ita impios horribilis peccatorum suorum imago per varios terrores circumagit. *Ex iisdem Hom. Moralibus.*

Contra propriam conscientiam agere facilius est, quod fere numquam eluitur.

Qui per ignorantiam peccant, impetum, vim, furoremque vehementis alicujus affectus sese colligere aliquando possunt; sed qui conscientiæ suæ lumina contemnunt, & vel secretis de causis, vel humanas rationes bonæ conscientiæ sensus extinguunt, novamque sibi, & prorsus oppositam conscientiam effingunt, & eam, quam norunt, veritatem impugnant; per hæc scelerum genera passim omnem spem salutis amittunt; numquam fere resipiscunt, & in hac vita in desperationem corruunt, non semper quidem desperationi Judæ similem, quæ exterior fuit, ac manifesta, sed illi Sacerdotum, & Pharisæorum, quæ prorsus interior fuit, ac latens. *Ex iisdem Homiliis Hom. de Passione Domini.*

Sanctus Chrysostomus Synderesim, atque conscientiam æternam vocat, accusatricem, quam Deus nobis individuam comitem addit, ut aperte, ac non dissimulate omnia scelera repræsentet; ut sine conniventia nos improbet, & sine indulgentia nos damnet; & hac de causa adhibet illa stimulos, curas, verecundiam, mœrorem, & pœnitentiam, qui totidem sunt ministri justissimæ severitatis illius inexorabilis odii, quo Deus peccatum prosequitur. *Accusatricem*

satricem perpetuam, quæ decipi, & decipere numquam possit. Maimbourg. Sermone pro feria tertia post tertiam Quad. Dom.

Conscientia peccatorem morientem lanians.

In calamitosi hujus temporis circumstantiis irritata conscientia omnes colligit sordes peccatoris, easque huic projicit in faciem. Ecce, inquit illa, opera tua, ac nefariæ vitæ tuæ fructus; ecce quid te subsequi debeat accedentem ad tribunal Dei. Velut ait Sanctus Gregorius, conscientia quamdam veluti aciem instruit peccatorum, ut moriturum arcta obsidione circumundique premat. Ita sane loquitur Propheta, Psalmo trigesimo nono. *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ.* Hæc illa est obsidio funesta per Jerosolymæ obsidionem repræsentata, quæ tempus visitationis suæ non cognoverat. *P. Texier Sermone pro feria quinta post secundam Quadragesima Dominicam.*

Nemo unus inficiari potest, conscientiæ pacem maximum esse bonorum omnium quæ in hac vita possidere possimus, & omnia sæculi gaudia non posse ineffabilem hanc dulcedinem exæquare, quam secreto impertit Deus timentibus se. Ideo a Sapiente Prov. 15. *Secura mens juge convivium* vocatur, & Propheta peccatores omnes invitat, ut veniant, & videant, quam suavis est Dominus, & felici experientia cognoscant, quantopere innocuæ voluptates, quas Deus exercitationi virtutis immiscet, noxias superent voluptates, quibus impii se ingurgitant. Ethnici quoque veritatem hanc testati sunt, & quantum malæ conscientiæ supplicia exaggerarunt, tantum illius requiem, suavitatem, lætitiam, tranquillitatem extulerunt, quæ nulli obnoxia crimini supremum bonum in semet invenire videtur. *Essais de Sermons. Tomo secundo. Tertia post Pentecosten Dominica.*

Malæ conscientiæ testimonium evitari non potest.

Testes reo terrorem incutiunt, cum illos evitare, rejicere, & vel auro, vel promissionibus corrumpere nequit. Talis est conscientia contra peccatorem perhibens testimonium de sceleribus omnibus, quæ operatus est. Illam fugere, recusare, delinire nullo modo potest, & ideo illius testimonium est formidabile. Nequicquam nocturnis tenebris flagitia vestra contegere adnitimini; nequicquam locos ab hominum consuetudine procul sepositos inquiritis, ut in omne criminum genus proruatis; nequicquam vestra dignitas, atque auctoritas illis os obstruunt, qui iniquitates vestras intuentur, & metum illis incutientes prohibetis, ne vestra flagitia in apricum proferant; quocumque eatis, & quocumque in statu sitis semper vobiscum adest conscientia vestra, atque acerrimis exprobrationibus efficit, ut pudore, & confusione suffundamini. *Ponamus*, inquit S. Chrysostomus, *nulli notum esse flagitium alicujus, præterquam ipsi uni: quomodo feret conscientiam redarguentem acerbam, & amarulentam accusatricem secum ferens?* Nullus peccatori acerbior est, oculus quam suus: neque intuitus magis gravis, simulque magis inevitabilis, quam propriæ conscientiæ, S. Bernardus addit. *Ibidem pro feria 4. Majoris hebdomada.*

Vobis non erit integrum, o peccatores, conscientiæ vestræ testimonium rejicere; hic testis est, qui omnia vidit, & omnibus scelerum vestrorum circumstantiis adfuit: nullo modo vobis erit facultas testem hunc corrumpendi, hac de causa, S. Chrysostomus inquit, quod testis hic immediate a Deo institutus est, ideo nullam habet peccantis rationem. Non thronos, neque Principum diademata reveretur; nemini parcit; exprobrat, accusat, condemnat eodem tempore, quo mundus plaudit, atque commendat. Esto quidem nihil vobis extrinsecus metuendum sit, nullus Judex vos persequatur; testes omnes auro, & auctoritate corrupti a vobis sint; hoc nondum satis est, ut pacatam vitam ducatis. Heu! intra vosmet geritis testem vos accusantem, & longe magis quam testes omnes simul vos confundentem. *Idem.*

Conscientia futurorum metu peccatorem torquet.

Haud difficile est cognoscere, conscientiam peccatoris torqueri non solum pro præterito, atque præsenti, verum etiam pro futuro, efficiendo, ut in antecessum omnia justa patiantur supplicia, quorum timorem ipsis injicit. Hoc jam testatum reliquit Sanctus Job, ubi ait, peccatorem existimare, se circumundique gladios suo jugulo necem intentantes, & ea, quæ sibi manent supplicia, intueri: *Circumspectans undique gladium.* Job 15. Fingite vobis videre sontem aliquem, cui mortis sententia recitatur: miser hic jam suo torquetur supplicio, quilibet illi carnifex suus videtur, & pro una vera morte sexcentas fert in imaginatione sua, quæ nequaquam sunt minus crudeles. O miseram peccatoris, quem propria conscientia damnat, imaginem! modo se videt in Dei judicio accusatum, & ab inexorabili judice æternis suppliciis addictum: modo se præcipitem in infernas abyssus datum sentit; modo ad infelicissimæ æternitatis cogitationem comæ capitis rigent: denique damnatur, antequam damnetur, vel vitam trahit damnatis ipsis nihilo beatiorem. *Idem.*

Peccator, S. Bernardus ait, numquam tranquillus est initio flagitiorum suorum; cum teneram adhuc, & mollem habent conscientiam, peccatum nonnisi cum dolore suum infert aculeum. Ille timet, resistit, trepidat, & magnis tumultibus agitatur. Gravis sarcina peccatum est; sarcina, quæ primum quidem non ferenda videtur, quæ ex non ferenda fit onerosa, ex onerosa levis, ex levi commoda, & quæ cum commoda, & facilis est, tantum abest, ut dolorem ferat, uti assolet, quod immo in anima funestam pacem relinquit. *Ex Dictionario Morali. Sermone primo de Conscientia.*

Ratio obtinendi tranquillitatem conscientiæ.

Inter varia remedia, quæ nobis relinquit Deus, ad morbum adeo periculosum qualis est peccatrix, & tranquilla conscientia, curandum; primum, atque potissimum est vivida, & jugis idea terribilium Dei judiciorum; quod melius explicari nequit, quam præstantissima S. Augustini doctrina animadvertentis hoc interesse discrimen inter eum timorem quo Deum & illum, quo homines veremur; hunc nempe ex animæ infirmitate proficisci, illum vero ex conscientia vel jam bona, vel quæ proxime futura bona est. Generosus ille appellatur, qui neminem metuit; sed furor est Deum non timere: inde enim initium ducendum est, ut illum metuentes audiamus; audientes amemus, amantes in eum statum adducamur, ubi ultra nobis metuendus non sit: non per superbam duritiem, sed per assiduam nobismetipsis attentionem, jugemque vigilantiam in mandatis illius adimplendis. *Idem.*

Fallax conscientiæ tranquillitas, via lata, ac patens, quot perdis Fideles! Aliquid sibi interdicunt, in aliis vero, quæ sibi licere volunt, sunt indulgentiores; ab iis abstinent vitiis, quibus proclives non sunt, ac iis sese ingurgitant, qui sensus, & studia cordis alliciunt. Attamen Dei lex una est, & individua; idem spiritus eam dictavit, manus eadem illam tulit, eadem merces, eademque supplicia pro aliorum quidem solatio, aliorum vero damnatione proponuntur. Falletis ergo, si adeo falsis insistens principiis credis Domini via ambulare, & conscientiæ tibi pacem comparare; non secus ac illi, qui adfectata pietate levia quædam sectantur exercitia, cum interim sine ullo metu majora præcepta perfringant. *Idem Sermone secundo.*

De scrupulis conscientiæ.

Cum dæmon aliquem in peccatum pertrahere desperat, seu fallaci voluptatum, quas illi proponit, illecebra, seu inani honorum, bonorumque, quæ illi pollicetur fulgore, non ideo cessat: tormenta tantum immutat suppetias ex specie quadam religiosæ conscientiæ petens, cujus favore ob oculos nostros minimas quasvis imperfectiones exaggerat, easque tamquam gravissima peccata demonstrat, nobis objiciens in via lapides offensionis, in quos impingamus, & li-

& licita nobis exhibens tamquam nefaria, ac tandem nos in fatalem hanc redigens necessitatem, ut vel nihil agamus, vel mala tantum. Cum huc pervenit anima, in sanctissimis etiam operibus trepidat, & quemadmodum quidquid coacte fit, fatigat, quamprimum per scrupulum derelinquit, quod per pietatem susceperat. *Idem*.

O funestos animæ nimis religiosæ, & conscientiæ nimis arctæ scrupulos, quos Dæmon jacit, & sunt tamquam tot obices animam in salutis via removentes, eamque in viam proditionis quamprimum præcipitem dantes! *Ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor*, Psal. 13. Trepidat, ubi trepidandi causa non adest; peccat, ubi non est peccati materia: alliditur, atque perit, ubi nulli sunt scopuli. Quam miser est status illius! quandoquidem ubi solatium invenire deberet, laborem nanciscitur, suisque stimulis dedita, ibi sæpe gressum figit, ubi ad progrediendum vires essent sumendæ. *Idem*.

Quomodo conscientiæ vocem suffocare adnitatur peccator.

In rebus dubiis non semper conscientiam nostram consulimus; hic incommodus esset Propheta; vox illius, ut olim S. Joannis Baptistæ incessanter clamaret: *Non licet*. O homo negotiis intentus, te ipsum damnas tuis injustitiis; quod facis *non licet*. Vana Mulier, hæ consuetudines tuæ malæ sunt; frustra te nihil agere mali profiteris: conscientia tua clamat, *non licet*. Verum huic fatale temperamentum invenitur. Homo illi lucri cupidus nihil prætermittit, ut conscientiæ silentium indicat, atque ut sine religione ulla seipsum decipiat, alios quærit, a quibus decipiatur, confessarios nempe, vel imperitos, vel infirmos, vel quæstus avidos, qui dicunt, non opus esse, ut restitutionibus ad pauperiem redigatur; & satis esse si filiis, aut hæredibus hoc onus relinquat, post mortem suam male parta restituendi. Illa vero mulier sexcentos quærit prætextus, ut pravam vivendi rationem suam probet: se nihil mali facere profitetur; vitæ potius, quam honoris detrimentum esse passurum hominem illum, cujus consuetudine gaudet intra duos, vel ad summum tres menses abiturum. Ita conscientiæ suæ testimonium corrumpere satagit, eique frænum injicere. Sed hoc fieri nequaquam potest: hæc enim Conscientia Dei vox est, & ille majorem huic voci vim tribuet, ut exaudiatur. *Ibidem in Considerationibus*.

Quinam testis, carnifex, judex est mala conscientia? Testis est, quem nemo rejicere, evitare, corrumpere potest. Evitari non potest, quippe interior est, nos quocumque persequitur; in urbes, in agros, noctu, interdiu, in saltus, & nemora, in compita, & plateas. Rejici non potest; omnia scit, omnia videt, & ex omnibus oculis, qui in peccatorem defixi sunt, nullus majus illi incommodum affert, quam suum, suæque conscientiæ testimonium. Denique testis hic corrumpi non potest; alii quidem humano ritu loquuntur; hic vero Dei mandato loquitur; alii miseratione ducti solatium aliquod fontibus afferre possunt: hic semper sincerus, & incorruptus eos inter ipsas suavissimas voluptates perturbat. *Idem*.

Causæ tumultus, & agitationis malæ conscientiæ.

Quinam est malæ conscientiæ tumultus, ubi nos alicui sceleri obnoxios sentimus? Extra nos nihil, nisi calamitates impendent; intra nos nihil nisi curæ stimulique versantur; supra nos cœlum est, quod tamquam hæreditatem respicimus, a qua prohiberi metemur; infra nos infernus est, quo parum abest; ut præcipites demur; circa nos, ac prope latus nostrum mors est noxiæ vitæ stamen obtruncatura. Post hæc qua voluptate frui possumus, quam requiem percipere? Sin autem agitatæ tot objectis conscientiæ stimuli nobis ad salutem non prosunt; certissimum indicium est, nos Pharaone ipso duriores esse, & ferme actum esse de nostra salute. *Idem*.

Videte, S. Augustinus ait, quomodo mors, & reprobatio prope sequatur eos peccatores, quos conscientiæ stimuli non torquent. Cum peccatum aliquem in anima scrupulum, tumultumque relinquit, indicio est, nondum induratam esse conscientiam; sed cum profunda pace gaudemus, quin impendentem nobis mortem, damnationemque timeamus; tunc peccator affectibus suis tamquam curru trahitur, & magno cum impetu ruit in infernum. Etenim undenam ista fatalis tranquillitas oritur? inde sane, quod dæmon eam tamquam propugnaculum, quo sese recepit, tuetur. Cum fortis armatus custodit atrium suum (hæc est Evangelii parabola) in pace sunt ea, quæ possidet: tunc peccator intra Dæmonis cohortem continetur; tunc fortis armatus illum sine oppositione, sine certamine, sine timore, sine conscientiæ stimulis possidet. Cavet hic, ne quid illi negotium facessat, eumque perturbet: *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes: Pax; & non erat Pax*: Jer. 6. Medetur vulneribus animæ lethali ictu sauciatæ; & cum interim mortalia vulnera exasperantur, magisque computrescunt, pacifica tantum illi verba pronunciat. *Idem*.

Falsa conscientia plerumque ex affectata ignorantia proficiscitur.

Hic eorum status est, qui in crassa, & voluntaria officiorum suorum ignorantia versantur. Vestrum peccatum est, o viri dignitate præstantes cum ut fallacem vobismet comparetis intrepiditatem, quid facere teneamini, nosse non vultis. Vestrum peccatum est, o viri divitiis affluentes, cum injustitiæ vestræ fructu perfruituri intelligere negligitis eam, quæ vobis instat necessitatem restituendi bona, quæ vestra non sunt, & pauperibus erogandi ea, quæ licet vestra sint, usui vestro supersunt. Vestrum est, o libidinosi, qui ut pacate in flagitiis vestris volutemini, quid per Dei legem liceat, quid non, cognoscere detrectatis. Vestrum avari, qui confictam prætendentes necessitatem vel futuræ egestatis metum, aurum argentumque in arca asservatis, & futilibus rationibus conscientiæ vestræ stimulos suffocare conamini. *Idem*.

Conscientia dux est, quem sequi oportet; pædagogus, cui resistere minime licet; Judex, cujus sententias exequi opus est; Hos omnes illi aufert titulos, qui semel prolatis decisionibus illius, acquiescere detrectat. Si times, ne ipsa perperam judicet; præcipit prudentia, ut maturato illius judicia perpendas, atque scruteris, antequam illius pareas imperiis; at ubi constat, justa esse ejus consilia; rectamque viam ab illa indigitari, consiliis illius hærendum est, eaque explenda omnia, quæ proponit, tamquam legitima, & necessaria; & Deum contemnere est, sese non dedere impulsibus Conscientiæ bonum suadentis. *Ex quodam tractatu de Conscientia*.

De Conscientiæ illusionibus.

Contra eas illusiones, quas sibi effingit Conscientia, maxime necessarium est, animum advertere, & moralis disciplinæ præcepta adhibere. Cum enim illæ sint vitiorum, virtutis personam induentium simulationes, prudentia opus est ad hanc illis personam auferendam, eaque abducenda velamenta, quibus sordes, ac turpitudinem suam studet contegere. Quomodo quilibet in defectibus suis sibi indulgeat, satis liquet; callide imminuuntur, neque omnis eorum patet deformitas. Hic primus, & fortasse uberrimus fons est illusionis. E contra vero quod ad virtutes attinet, illas extollimus, exaggeramus; quilibet se cæteris præstare putat; & ita in errorem inducitur, &c. *Ibidem*.

Nonnumquam facilius est gravissimas solvere difficultates, quam simplices auferre scrupulos: cum enim hi non aliud sint quam inquietudines, & curæ, quas sibi imaginatio confringit, fallunt rationem; quæ nullam in ipsos vim habet, ut ex anima expellat, ubi semel eadem potiti sint. Profecto scrupuli plerumque in timidis, infirmisque animabus oriuntur. Scrupulosi vulgo iis comparantur, qui noctu iter suscipientes præ terrore, ac tenebris sibi videntur phantasmata, & ad minimum quodlibet objectum expallescunt. Hoc in statu Conscientia turbata, & agitata est, quid consilii capiat incerta:

cir-

circumundique cogitationum suarum oppositionibus acta, atque oppugnata scrupulis inita consilia evertentibus; vim ultra non habent decernendi, & eligendi. Tutissima ad illos ejiciendos via est causam eorum inquirere, ac sedulo scrutari, undenam falsi hi timores, atque tumultus oriantur. Tristitia, ignorantia, ac superstitio plurimos gignunt scrupulos; neque delicatæ, ac religiosæ conscientiæ sui desunt. Tristitia tamen uberrimus fons est; spiritus mœrore tabescens tristes, horridasque officiorum suorum sibi fingit ideas, sibique vivendi genus austerum, & ferox præscribit: tunc imaginatio tetro hoc, & lugubri temperamento incalescens, chimæras effingit, quibus territa furit, & trepidat: Deum sibi tamquam inexorabilem judicem exhibet, quem æterna supplicia lenire non possunt, ac illius acerrimam justitiam tantummodo spectat, quæ nonnisi victimarum cruore placatur. Tristes id genus cogitationes in anima tumultum cient: quæ ubique difficultates nanciscitur: in singulos gradus contremiscit, & progredi non audet metuens, ne in præceps ruat. Hæ sunt tristium, ac solitariam vitam agentium infirmitates. *Idem*.

Scrupuli non semper sunt notæ imbecillitatis. Scrupuli non semper sunt animæ infirmæ nota; animæ religiosæ timores contemnendi non sunt, saltem enim diligentiam excitant, & attentionem instaurant. E contra vero illa vis animæ difficultates quascumque deglutientis, sæpe vel negligentia est; vel obduratio; & hanc prætexens causam quod minuta hæc consectari dedignaris, nonnumquam graves etiam defectus prætermittis. Timor hic, qui omnia diligentius ad examen accersere satagit, fortasse tutior est decisiva illa confidentia, quam nihil terret: præstat nonnumquam perfectionibus ipsis non satis fidere, quam in defectibus esse indulgentiorem. Status illius, quem aliqui scrupuli torquent, miserior est, sed fortasse tutior: & status illius qui nullo agitatur scrupulorum tumultu pacatior est, sed fortasse periculosior. Homines suapte natura sibimetipsis indulgent, ac minus periculum scribit, qui severiorem partem amplectitur. Itaque non improbandi sunt illi scrupuli, qui perfectioris pietatis excitant desiderium, & qui nos identidem monent, ut nobismet a peccatis caveamus. *Ibidem*.

Ad periculi alicujus, vel a Divina justitia inflicti supplicii conspectum conscientia jamdudum sopita expergiscitur, & revocat in memoriam peccatum, quod oblivione deleverat. Filii Jacob ea in calamitate, in quam se cecidisse arbitrabantur, exclamarunt; *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.... idcirco venit super nos ista tribulatio*. Numquam fortasse adverterant animum ad scelus suum, ex quo illud patraverant, immo fortasse condiderant se a Deo visos nequaquam fuisse; sed conscientia ipsorum diutius decepta oculos aperit, & suum facinus agnoscit. *Idem*.

Conscientia se ipsa decipere admititur. Noxia conscientia, quantum in se est, adlaborat, ut seipsam fugiat. Quot invenit diverticula, ut seipsam distrahat, vel obstupescat; vel ut sibi obicem statuat, ne se perperam egisse dijudicet? Cain urbem ædificat ratus futurum ut instrumentorum, opificumque strepitus conscientiæ clamores superet. Saul se coram cythara psalli jubet, & sperat futurum ut musici concentus secretas cordis sui increpationes deliniant. Hæc tamen omnia sunt inutilia: peccatum memoriæ insculptum, inustumque conscientiæ sese prodit semper; & nobis etiam invitis fit conscientiæ judicium. *Idem*.

Pax est innocentiæ privilegium; ideo primus hominum parens in terrestri Paradiso nullo tumultu, metuve afficiebatur. Donec conscientia nullum sibi crimen exprobravit, nihil ille neque a Cœlo, neque ab hominibus timuit. In Cœlo Deus ipsius incolumitati invigilabat; in terra creatæ res eidem obesse non poterant; quoniam vanitati subjectæ non fuerant, & divina justitia nullam inveniebat causam, propter quam exerceret ultionem; Omnia demum extrinsecus erant tranquilla, donec interior hominis conscientia munda erat. Sed statim ac ille sese crimine obstrinxit; tumultus, & agitatio animam illius pervaserunt; & homo innocentiæ jacturam passus omnibus illius fructibus caruit. Tenuis aura tunc illum terrere potuit; & metus, ac trepidatio eo magis percrebuit, quo magis divinæ justitiæ magnitudinem, & horrores, qui illius ultionem comitantur, agnovit. *Idem*.

Conscientia scrupulosa. Scrupuli in anima violentum ob causas leves tumultum cient; conscientia, quæ illis agitatur, minimas consectatur res, & magnas sæpe contemnit; quid sibi consilium capiendum sit, hæret aqua, quælibet enim perexigua difficultas illam deterret; laqueos sese ubique videre opinatur; peccatum, quod non admisit, prosequitur lacrymis; virtutes suæ ipsi tremorem injiciunt, & ob innocentiam æque ac ob defectus, atque crimina expavescit; dolor illius difficilius lenitur, quam qui ex legitima causa procedit. Si postulat ratio, ut mœrore afficiatur, dolori fines etiam constituit; sed nihil frænare potest tristitiam, quam scrupuli pariunt; ideoque sæpe modum excedit. Ratio ad eam leniendam est nimis infirma, si illi præberentur aures, nulli scrupuli invenirentur. Pietas dolorem non lenit; e contra enim pietas non satis probata efficit, ut ratio minime audiatur, & ortum ac vitam scrupulis tribuit. *Idem*.

Scrupulis obnoxia conscientia timet omnia, quemadmodum noctu iter agentibus obvium quidlibet injicit trepidationem; aliquando foliorum crepitus, & aliquod minus etiam quandoque illos in fugam convertit; quippe chimæræ, & commentitia phantasmata terrorem illis incutiunt, & efficiunt, ut pallentes, ac semianimes domum suam ingrediuntur, necnon occasionem illis tribuunt, ut deinceps tragicas tabellas, tamquam veras narrationes venditent. Scrupuli autem ferme inde oriuntur, quod conscientia non satis liquido novit quid sibi fugiendum, quidve faciendum sit. Ubi vera non adsint peccata, alia sibi finget, quibus turbabitur, & conficta crimina, æque ac vera illam torquebunt. Facili negotio pravi horum scrupulorum effectus concipi possunt; nam donec quæritur hæsitanter quid faciendum sit, & anima in ancipiti posita, quo se vertat, ignorat, Deo non servitur: donec minuta quædam nos detinent, & brevis aliqua oratio in via moratur; eum, ad quem contendimus finem, minime assequimur. Cum conscientiæ pax, vel voluptas, quam ex pietate percipimus, de possessione sua sit ejecta ab iis doloribus, quibus afficitur, minus pro hac laboramus. Scrupulosa conscientia sæpe torquetur; quid sibi velit, ignorat; & curæ quin ipsius augeant perfectionem, & sanctitatem; inde illam avertunt, infirmant, & sæpe etiam extinguunt. *Idem*.

Pax hæc comparatur navi, qua Jonas vehebatur, & comparatio sane æqua est. Cum Jonas in navis imo, ubi a nemine videbatur, in utramque autem sterteret, tandem deprehensus fuit a nautis, qui hac illac jugiter discurrebant. Minime putabant illi hominem hunc sævientis tempestatis esse causam; sed tandem inevitabilis naufragii metus eos coegit, ut rebellem Prophetam in mare projicerent; quo ejecto statim procella detonuit. Non semper scimus, vel saltem non cogitamus, a nobis grave aliquod scelus fuisse patratum: in imis conscientiæ recessibus dormit, nullumque motum edit, ex quo sentiatur. Affectus ubi expletus fuerit, tacet, cumque sceleris actus transierit, illius etiam excidit memoria. At cave ne credas; procella non cessabit, nisi prius per pœnitentiam crimen hoc projiciatur. *Idem*.

De conscientiæ stimulis. Præsentes voluptates non ita peccatoris animam occupant, ut quandoque saltem oculos non convertat ad elapsos annos iniquitatis. Dies tenebrarum, qui præterierunt, non omnino ex mente illius exciderunt, sed subinde in memoriam redit importuna eorum imago, qua discruciatur. Horribilis hæc scelerum congeries; quæ per intervalla ad o-

ad ostium conscientiæ pulsant, majorem adhuc terrorem incutiunt jamjam morituro; ea quippe flagitia, quæ olim deinceps patrabat, universa ictu oculi videt; tot gratiæ contemptæ, tot promissiones violatæ, tot momenta, & occasiones salutis suæ procurandæ flocci factæ: tot scelera, de quibus olim gloriabatur, & quorum nunc pudet, totidem monstra sunt, in quæ peccator oculos non audet conjicere sine gravissimo labore, acerrimisque doloribus. Hæc ea sunt, quæ sese peccatoris morituri cogitationibus offerunt. *Idem*.

Semper intra nosmetipsos importunum judicem gerimus, ex erroribus nostris nos revocantem, atque severis objurgationibus suis lætissimas etiam voluptates turbantem. Hæc est sors peccatoris: ubique metus, doloris, curarumque, quibus torquetur, causam nanciscitur: Miser, quod suos nequeat affectus superare; miserior, quod importunos conscientiæ stimulos retundere nequeat. Quid igitur peccatori faciendum, ut doloribus suis solatium inveniat? de objecto in objectum discurrit, & ubique solamen quærit &c. *Idem*.

Conscientia inordinatis cupiditatibus, improbisque studiis obluctatur.

Intellectus sæpe se decipi sinit fictis luminibus, & affectus facile in eam partem concedunt, quæ sibi a mundo exhibetur: sed conscientia, ut plurimum magis religiosa, ac pura tentatoris consiliis obsistit; prohibet, ne scelus admittatur, cumque admissum fuerit, excitat pœnitentiam. Hæc quidem legislator non est: conscientia enim novas leges non irrogat, sed eas repræsentat: hæc ob oculos ponit leges a Deo latas, cumque infringuntur, testis est sexcentis par; videt enim secretissimos cordis nostri motus, eique nihil antiquius est, quam nostra salus, ita ut nosmet prodere nullo modo possit. Secundum illius testimonium judicabimus, vel potius ipsa conscientia tribunal ascendet nos absolutura, vel damnatura, ac tandem ipsa pœnas, ac præmia distribuit; quia carnifex est in hac, & in æterna vita eos torquens, qui suas leges infringit, vel remuneratrix solatium, lætitiam, & gloriam illis impertiens, qui ejusdem motus, atque inspirationes fuerint secuti. *Idem*.

Omnes sæpe conatus exerimus, ut prævertamus, vel propulsemus patrati sceleris cogitationem, cum sese nobis offert; sed frustra conamur; peccatum enim suos habet stimulos, qui tanto impetu conscientiam laniant, ut quamcumque vim faciat, facere non potest quominus hoc objecto repleatur. Vellet anima illud sibimetipsi abscondere; judicare nollet, se egisse perperam, quia hoc judicium suas turbat voluptates, & amorem proprium offendit. Quot diverticula quærit? at frustra: peccatum semper sese repræsentat, ac inter suavissimas voluptates sæpissime damnatio sentitur, quam contra patratum facinus conscientia pronunciat. Ita judicium hoc nobis invitis expletur. *Idem*.

Conscientia speculum est, quemadmodum speculum repræsentat objecta, ita conscientia nobis nostra videnda objicit crimina. Non desunt specula, quibus pulvis, sordesque adhæserunt, quæ obstant, ne objecta in naturali statu nobis appareant. Passiones, & vitiorum habitus causa sunt, ut confuse animæ status, & patratorum scelerum magnitudo sentiatur; verum quemadmodum specula detergi possunt, vel igni mundari, ut naturalem objectorum speciem referant; conscientiæ nostræ aliquando Dei præsentia detersæ, nostras virtutes, vel vitia exhibebunt, quin aliquid de gloria, vel horrore illorum imminuat; & hoc nobis prævertendum est peccatum nostrum agnoscendo, ut illud in hac vita deleamus. *Idem*.

Quomodo conscientia sit speculum.

Conscientia considerati potest vel tamquam testis, vel tamquam judex; sub utroque enim intuitu non semper id facit, quod debet. Neque enim omnia errata recenset, uti tenetur, sed aliqua illi excidunt, vel illam fallunt; quamobrem Sanctus Rex David orabat Deum, ut illa etiam sibi peccata dimitteret, quæ minime noverat. Parum advertit ad patrata flagitia; sæpe illa tuetur, eorumque causam agit. Quin illa condemnet, ea negat, æneamque frontem induit, ut inter scelera suam probet integritatem. Hinc quamplures conscientia carere vulgo dicimus; hæc enim in ipsis nullum ex iis actibus parit, qui eam manifestant, videlicet, verecundiam, & damnationem, quam peccata merentur. *Idem*.

De conscientia nostra sæpe ex aliena judicium ferimus.

Sæpe de conscientia nostra judicamus ex aliena, & nullum hoc esse potest magis fallax judicium, Æquone animo pateremur in mundo, ut judex aliquis de nostro capite, bonisque judicaret ex alterius causa, quæ cum nostra aliquam habeat similitudinem? Hoc autem judicium nonne fallax esset? Attamen de æterna salute pro nobismetipsis decidimus ex alicujus hominis vivendi ratione, quam ne satis quidem fortasse novimus. Deinde secundum extrinsecam hujus hominis speciem judicamus; numquid, nobis compertum est, utrum clam gerat in corde telum alte defixum, quo misere confossus est? utrum ille noverit internos animi tumultus, terroresque quibus cruciatur, dissimulare, ad eum evitandum pudorem, qui peccata subsequitur? *Idem*.

Dei justitia a decepta conscientia ad conscientiam rectius informatam provocat; tunc illius judicium antiquat, efficitque ut debita peccati pœna luatur. O miser tamdiu decepte, quam tristis te manet sors, cum jamjam moriturus tecum solus eris! denudatam conscientiam tuam videbis, cujus si modo redargutiones vix pateris, quomodonam tunc feres damnationes illius, qui penitiores cordis tui latebras videt? Te ipsum quidem fallere poteris, non ita Deum, cui cum David dicere debebis: *Judica me Deus*. Psalm. 42. Immo neque te ipsum perfecte decipere nescies; tua enim conscientia divino illustrata lumine te condemnabit, atque tunc illius increpationes, & dolor pares erunt illusionum tuarum suavitati, atque diuturnitati. *Idem*.

Peccatores conscientiam suam suffocare conantur.

Suffocatur conscientia, clamoribus ejus aures obstruimus, eosque, quantum in nobis est, removemus. Fur amovet lumen, quo scelus suum proditur: & latro, si posset, judicem suum obtruncaret. Ratio naturalis, atque conscientia sufficiunt, ut earum luce peccatum dignoscamus: rationem hanc procul avertimus; conscientiam delemus per ea omnia, quæ eamdem distinere possunt, ac nihil prætermittimus, ne illius clamor nostris auribus accidat. Quæruntur ludi, spectacula, convivia, cum Prophetæ jubent, nos cinere aspergi, & indui cilicio: nobismetipsis clanculum dicimus; manducemus, & bibamus, cras enim moriemus. Mortis intuitus ad peccatorum nostrorum pœnitentiam nos deberet impellere; sed cum eam nobis objicit conscientia, ut timorem incutiat, illam procul avertimus iterando gaudia, & hoc pacto illius consilia evitamus. Sensim peccandi habitum contrahimus contra ipsum naturale lumen, propriamque conscientiam, & si quando involuntariæ quædam dubitationes, & secretæ objurgationes nostram voluptatem, affectumque perturbant; quin aures præbeamus, & eas ambiguitates extricare adnitamur, illas contemnimus, inanes scrupulos, ac imbecillitatem vocamus, eosque supprimimus, suffocamus: & scelus minorem in nobis horrorem ciet, ubi frequentius patratur. Mirandum igitur non est, si peccatores quidam conscientiam suam minime sentiunt: frustra enim loqueretur, ejusque increpationes in irritum cederent, quoniam contemni consueverunt. *Idem*.

Sæpe sua cuique conscientia interroganda est, ut nos illuminet, instruat, regat. Alios facile decipere possumus, cum illos in re dubia consulimus. Additur, imminuitur, regitur, immutatur quæstionis status secundum ea studia, quibus agimur: ipsi etiam sese fallere possunt; at cuncta permitte conscientiæ tuæ, ipsa partem objecti cognoscit; audi ejus responsa; tuta quippe præbebit consilia,

filia, & eam quæ tibi erit capessenda, aperiet viam. Operæ pretium est ab ea sæpius animæ nostræ statum sciscitari; mirum enim profecto est, ut in ambiguitate nobismet placeamus, omnique vitæ nostræ spatio ignorare velimus, utrum in ea via simus, quæ ad Cœlos, an quæ deducit ad inferos, utrum sub vitiorum, an virtutum jugo versemur. Una conscientia hanc nobis auferre incertitudinem potest, morali certitudine nos cum Deo in gratiam rediisse confirmans. *Idem*.

Conscientiæ lumina sequi debemus. Quandoquidem conscientia Dei locum obtinet, legibus illius obtemperare, & motus, quos nobis inspirat, sequi debemus: Quandoquidem testis est, omnes actiones nostras inspiciens, pudore suffundi debemus, si quid agimus, quod nos dedecore afficiat; immo secretæ etiam cogitationes, quæ in ipsis cordis nostri latebris fiunt, ubi divinæ legi adversantur, ruborem nobis injicere debent: Demum quandoquidem judex est de sorte nostra dijudicans, omnia conati fas est, ut illum nobis deliniamus. Hæc rebus in omnibus, in dubiis vero potissimum est consulenda: si enim ante quam agamus, illam consuleremus, pleraque crimina, quæ committimus cæco affectuum impetu rapti, nequaquam committeremus. Per tempus liceret nobis primos sedare tumultus, quibus ultra præscriptos fines impellimur; & conscientia nobis indesinenter indigitante, quid deceat, quid non, fieri non posset, ut crebro eam violaremus. *Idem*.

Verum est simplicium conscientiam plerumque meliorem esse, quam eorum, qui majoribus luminibus illustrati sunt; primi enim eas ignorant artes, quibus color vitiis linitur, ideoque numquam ab iis recedunt, quæ lumen evangelii ipsis præscribit, & sanius de officiis, statuque suo judicium ferunt. Felix simplicitas, quæ nos feliciter in Cœlum adducit, & non objicit animam nostram turbis, & sollicitudinibus, quas major scientia producit. Non ideo tamen generalis inferenda est argumentatio ex eo quod nonnulli suo lumine abutuntur; non enim sequitur, exiguum lumen, vel carceris obscuritatem solaribus radiis esse præferendam, eo quod scelesti quidam lumen suum in pravum usum convertunt. *Idem*.

De conscientiæ sopore. Conscientiam, ubi decepta fuit, nonnumquam sopor invadit. Somnus in natura, vitium, quas labor dissipavit, reparator est: curæ, sollicitudines, affectus, ægritudines in sinu ejus quiescunt; verum maximo cum conscientiæ ipsius detrimento. Conscientia per negligentiam in aliquot peccata labitur: inde somno capitur, mox in securitatem transit, ac demum in certissimum interitum ruit, nisi Deus omnem gratiæ suæ vim ad illam liberandam impendat. Similis est in navi dormientibus, qui periculum, in quo versantur non vident: neque ventorum sævientium strepitu, neque fluctuum impetu, neque navis agitatæ motu excitantur, Heu miseros! eo fortasse temporis momento, quo jucundis fruuntur somniis, ac portum se attingere arbitrantur, vel illidunt in scopulos vel in abyssum descendunt. O vivam sopitæ conscientiæ imaginem! fallacibus recreatur speciebus, eamque nec Dei minæ, nec propriæ movent calamitates. *Idem*.

Voluptates procula sunt soporifera conscientiam æque ac sensus impedientia. Illa oculos claudit, non videt amplius flagitia, & velut Issachar requiem bonam esse arbitratur. Minus conquerendum esset, si esset æterna; sed illam Deus suis suppliciis perturbat, mors illam interrumpit; & quemadmodum vox Archangeli de sepulcris eos omnes educet; qui illic quiescunt, hæc eadem vox conscientiam de tumulo, & cubili evocabit. Ipsa quoque in judicium prodibit contra eos, qui eidem soporem immiserant, & efficiet, ut brevia illa fictæ tranquillitatis momenta, quibus gavisi sunt, æternis rependant cruciatibus. Denique peccatores capiti suo substernunt cervical conflatum ex eorum locorum congerie quos ex Bibliis conquisiverunt, qui gratiam, & misericordiam peccatoribus pollicentur; quin illud attendant, eos omnes scelerum horrorem supponere, & sinceram exposcere pœnitentiam, ubi fuerint patrata, *Idem*.

De conscientiæ obduratione. Conscientia post soporem induratur; quod maximum est felicitatis fastigium, ad quod impii contendunt. Contenti sunt, dummodo non audiant ultra secretum hunc testem, a quo accusantur, & formidabilem hunc judicem, a quo condemnantur; & locum habeant sperandi fore, ut eos numquam audient. Nihil prætermittunt, ut illi silentium indicant, & illius tumultus inhibeant; sed hoc plerumque non assequuntur, nisi longa peccatorum serie, quæ simul coacervata conscientiam obruunt, ac prohibent, ne sese attollat. De scelere in scelus ruunt, iisque consuescunt; quod primum terrebar, ubi sæpe fuerit admissum, negotium ultra non facessit. Non defuere animæ castæ, quæ ob unicum oculorum conjectum, vel ob voculam minus honeste prolatam, rubore suffundebantur, quæ mox libidini mancipatæ hanc sibi gloriæ verterunt, vel potius in hac vitæ suæ delicias collocarunt. *Idem*.

Hanc conscientiæ speciem cauteriatam S. Paulus appellat: quemadmodum enim carnes, aut nervi partis alicujus in humano corpore sensum amittunt, ubi adusti fuere: similiter conscientia, quæ ad minima peccata erubescit, cum gravia crebro committuntur, obduratur & nullum ferme dolorem sentit. Peccatum ignis est, cujus volucres flammæ molestum aliquod vestigium sæpe relinquunt; nigredine inficiunt; dolorem gignunt, sed ubi pruna aliquandiu eidem adhæserit loco, omnem prorsus sensum avellit. Si vehementis alicujus tentationis vi in scelus aliquod labimur, conscientia labem aliquam contrahit, & hoc illius stimuli indigitant; verum si sæpe eadem iteratur culpa, interit conscientia, & sensus ita perfecte extinguitur, ut ultra non agat, *Idem*.

De falsa conscientiæ tranquillitate. Donec indurata est conscientia nullo tumultu agitatur; omnes enim fatentur, quamdam malam esse conscientiam, quæ nihilominus tranquilla est; at quænam tranquillitas? melius dixerim, quæ tempestas? Quiescendum non est, cum sinu gestamus hostem dormientem quovis momento somnus cessare potest; atque tunc majori, quam antea vi debacchabitur. Cum in conscientia peccatum latet, pax neque tuta esse potest, neque diuturna. Navis Jonæ aliquot horas fortasse felici cursu æquor araverat; non diu perstitit malacia, atque subito sæviens procella, non deseviit nisi postquam Propheta rebellis in mare projectus fuit. Cum peccato aliquandiu in vita felices esse possumus; at non absunt procella, & naufragium; quod effugere minime licet, nisi pondus, & peccatum, quod nobis inest, projiciamus. *Idem*.

Conscientia, cui non est explorata Domini voluntas, vix officium suum novit: non satis distinguit inter fas, & nefas; timet se omisisse, quod ad salutem erat necessarium; angitur propter ea, quæ neque opinanti quidem exciderunt; sollicitatur pro negligentia earum rerum, quæ sibi perficiendæ erant, ubique reperit culpam; Dæmonis suggestiones vera peccata esse putat; atque hinc illi emanant mœrores, & dolores, quia non satis exprimi possunt.

Sæpe Deus in hac vita peccatorum punit tortore conscientia. Ad extremum usque corruptio procederet, si in inferno tantum Deus peccata punire expectaret, & in vita nihil funestum occurreret. Divina Sapientia atque justitia postulant, ut impiorum conscientia per intervalla expergiscatur, ut illos de extremi judicii, æternorumque ignium veritate persuadeat. Facile de his suppliciis, quæ futurum nostris aufert oculis, dubitatum fuisset, at præsens tranquillitas pignus æternæ pacis fuisset. Sed interius hoc judicium, quod conscientia facit, & hæ præcones pœnæ, quas post se trahit peccatum; inferni scintillæ in hac etiam vita super improbos volitantes, eosque comburere incipientes, illum

etiam

etiam invitum de pœnis æternis, de quibus antea dubitabat, certum efficiunt. Cæterum conscientia imagine futuri judicii, & alicujus pœnæ sensu excitata majori vi expergiscitur, facilius vincula infringit, quibus vitio adhærebat, & inevitabili coacta necessitate libentius pœnitentiam amplectitur. *Idem*.

Conscientia judex incorruptus.

Quærit S. Chrysostomus, cur Deus adeo vigilantem judicem nobis posuerit, conscientiam videlicet. Judices alii corrumpuntur auro, assentationibus flectuntur, deterrentur minis, sed conscientia pro tribunali sedens nemini parcit. Illi pecuniam sponde, minas, blanditiasve adhibe, semper æquam sententiam feret, & reus se judice numquam absolvetur, quamvis a nullo accusetur. Numquam peccati obliviscitur, licet jampridem patratum fuerit; dum adhuc sceleris actus permanet, conticescit, tunc enim voluptate inebriatur; at statim asperis, vehementibusque increpationibus instat; hac in re a puerpera dissimilis; hæc enim partus doloribus dilaniatur, at postmodum gaudet, sed peccator, qui crimen parit, eo momento aliqua afficitur voluptate, at deinde summo dolore conficitur, donec conscientia, atque Deus fuerint placati. *Idem*.

Peccator conscientiam obstupefacere admititur, eique silentium indicere, cum nimis acriter loquitur. Modo illam dimittit in aliud tempus, ut olim Festus Sanctum Paulum, *audiemus te de hoc iterum*: modo se voluptatibus immergit, quæ illam molliunt, & vocem ejus infirmiorem efficiunt; modo maxima negotiorum turba distinetur, quæ animam adeo perfecte replet, ut conscientia nesciat, quo pervadat, & qua sibi viam inveniat: non secus ac in iis sacrificiis, quæ Idolo Moloc offerebantur, tubarum clangore, tympanorumque tinnitu magnus edebatur strepitus, ne parentum auribus acciderent gemitus & ejulatus filiorum, qui cremabantur, ne excitata natura hujusmodi sacrificia perhorresceret. Impius, qui animam suam immolat dæmoni, occupationum suarum strepitu cor suum obstupefacere conatur, ac prohibere, ne sibi conscientia verum ipsius statum repræsentet, & ex illius intuitu, repleatur horrore. Sibi otium aufert: atque omnes sui corporis partes variis occupationibus distinet, ut omnem suimetipsius cognoscendi occasionem effugiat. *Idem*.

De voce, & silentio conscientiæ.

Stimuli sunt effectus peccati: sed in hac vita nequaquam individui sunt comites ejusdem. Cum relinquat aliquando quietis intervalla Deus conscientiis pavidis, nimis enim auctus dolor ad desperationem inducit, eo quam in reliquo vitæ spatio nonnullis eos stimulos suspendit Dominus, non ideo negandi sunt, nimis multi illos experti sunt, ac nulli fas est, eos in dubium accersere. Non dicimus conscientiam semper loqui, satis est, si sæpe loquatur. Cum vehementes sunt affectus, conticescit, quippe clamores ipsius tunc essent inutiles; quemadmodum sermo seditiosam plebem sæpe magis exasperat, sed cum sedatur, vel infirmatur affectus, tunc illa recipit imperium suum, & si cui diuturniorem requiem relinquit, ad illius morem certissime redit, atque tunc temporis tumultus animam morbi vehementia infirmatam invenientes, eam opprimunt, eosque desperationis motus cient, quos humana solatia frænare non possunt. Demum si post vitam tantum loqui iterum incipit, tanto pejus hoc accidit peccatori: quia nulla superest amplius medicina. *Idem*.

Peccatoribus nihil magis formidandum est, quam mors, & infernus: hic enim scelerum suorum pœnæ ipsis luendæ sunt. Attamen aliqui nonnumquam visi sunt vitæ mortem ac infernum anteferre doloribus, quibus propter conscientiæ suæ stimulos conficiebantur. Extremum profecto malum hoc esse, credendum est, quia rationem ita perturbat, vel sinit eam eredere, quod nihil impostetum æque terribile futurum sit, ac illud quod præsenti tempore patitur. Violenta quidem in Juda erat avaritia; illum enim coegit, ut Magistrum suum proderet; at Conscientiæ turba fuit violentior; ipsum enim impulit, ut acceptam pecuniam restitueret: tanta autem ea turba fuit, ut non aliam haberet spem, nisi in inferno, neque solatium aliquod, nisi cum dæmone. Quod solatium! Spes desinit cum vita; mortem sibi festinans æternum petit; verum nihil eum deterret; jamjam adeo turbatus est, ut integrum illi non sit sua inire consilia; vel si illa init, ea statim rejicit; quia non illico suæ calamitati medentur; credit, nihil terribilius in ipso inferno inveniri eo tumultu, quo miserrime urgetur. *Idem*.

Conscientia ex affectibus cognoscitur.

Conscientia ex affectibus cognoscitur; licet difficillimum sit, æquam illius ideam sibi adstruere. Tempori similis est, quod quid esset, se satis nosse dicebat S. Augustinus, si a nemine quæreretur; at nescire quid esset, ajebat, si quis ab ipso illius definitionem expeteret. Theologi quidam credidere, habitum esse, qui paulatim in nobismetipsis efficitur; sed habitus amitti possunt, conscientia vero prorsus numquam amittitur. Ejicitur, sed ejicientem sequitur: renascitur, cum mortua creditur; & cum etiam de illa ne cogitamus quidem, tunc nos torquet, & angit. *Idem*.

Nullum tormentum gravius est conscientiæ, quæ nondum omnem timorem abjecit, stimulis, & angoribus, qui secreto nos torquent. Nullam sinunt requiem; illos proferre metuimus; quocumque eorum sensum gerimus. Externa remedia illos exasperant; & ad Deum converti debemus, ut illi molliantur. Frustra peccator, quem sua conscientia persequitur, pœnæ suæ aures nequaquam præbere conatur: consuetudines, familiaritates, spectacula, voluptates, negotia poterunt fortasse ad breve tempus aculeos removere, sed ut deinde altiora, gravioraque cordi vulnera inferant. Cogitur indesinenter videre scelus, quo laniatur, & satis est illud intueri, ut secum immitissimum carnificem gerat. Dei misericordia unicum perfugium est, ubi tranquillitatem valeat invenire; at donec vera pœnitentia non afficiatur, mœrore, atque animi perturbatione conficietur. Cum amici aliquot horis illius tetram imaginationem recreaverint, cum communes mundi motus aliquandiu mentem ejus distraxerint ab ea cogitatione, qua premitur, ad se redire cogetur, ac per otium doloris sui amaritudinem degustare. *Liber, cui titulus, Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale*.

Bonæ conscientiæ solatium.

Virtus ad quælibet expedienda consilia tutissima via est, immotumque fulcrum contra fortunæ motus incertos æque, ac vehementes. Nemo calamitosus propter naturalem rerum humanarum inconstantiam dubitare potest, utrum virtutem amplectens meliorem susceperit causam, & in salutis via reperiatur. Invenit in se ipso solidarum earum voluptatum principium quas in cor bona effundit Conscientia, & quæ rectitudinem, ac probitatem comitantur. Cum possidetur, quod majori in pretio est habendum, cæterorum jacturam passi facile solatium nanciscimur; saltem enim certi sumus, ea, quæ tenemus, iis, quæ amisimus, toto cœlo præstare. *Idem*.

Vos o peccatores accersit Deus, ut tristes, sævosque motus, quibus discruciamini, leniat. Abscondite, per me licet, supplicia vestra, ea non proferte, sed simulato oris habitu illa contegite. Esto, nihil intentatum relinquatis, ut amaras scelerum vestrorum cogitationes amoveatis, atque terribiles conscientiæ tumultus vos non afficiant, sed aculeos, qui vos confodiunt, sentitis: transeunt voluptates vestræ; solitudo vos obruit, valetudo infirmatur, vita fugit, flagitia vos fatigant, scelera augentur. Cuinam placere potest affectata persona, quam geritis? aliquid ne præter secretam infelicitatis vestræ cognitionem requiritur, ut ad amabilem Deum confugiatis, qui tandiu elata voce vos evocat, ut felices efficiat. *Idem Tomo 2.*

Verum

Dei lex sancta in se ab humanis affectibus corrupta fallacem efficit conscientiam.

Verum est; Dei Lex absolute considerata in se ipsa, & in Deo, qui est ejusdem principium, simplex, & uniformis est; Lex est invariabilis, & immutabilis; Lex Sancta, & irreprehensibilis, uti loquitur Regius Propheta. Sed Dei lex ab homine extensa, ab homine explicata, secundum hominis spiritum conformata, denique ad hominis conscientiam redacta, tot varias sumit formas, quot sumit hominum capita; mutationi obnoxia invenitur æque ac homo illam observans, vel qui eam se observare profitetur, per naturalem inconstantiam mutabilis est: dicamne? fit etiam non solum imperfectioni, verum etiam corruptioni obnoxia, uti nos sumus, cum illa abutimur, per illam agere, & eumdem sequi existimantes. Hæc Dei Lex est, non diffiteor; sed hic eam hoc modo, ille alio interpretatur, & sensim nullum in nobis habet simplicitatis, atque uniformitatis caracterem. Dei Lex est, sed pro variis statibus, in quibus versamur, eam hodie coarctamus, cras vero laxamus; hodie præsius ad litteram intelligendam ducimus, cras inflectendam paulisper esse censemus; ideoque in nobis nullam habet stabilitatem. Lex Dei est: sed inanibus ratiocinationibus eam nostris opinionibus nostrisque studiis accommodamus; & hac ratione facimus ut a sua sanctitate degeneret. *P. Bourdalove in veris sermonibus. Serm.* 1. *Adv. serm.* 4.

Psalmista verba faciens de pernitiosis erroribus, ac detestabilibus opinionibus, quæ apud mortales percrebrescunt, & quibus peccatorum, impiorumque conscientiæ imbuuntur, ait peccatorem, & impium hos errores corde concipere, eosque in corde suo figere; & cor ipsorum fontem esse unde emanant, & in corde suo dicere consuevisse, quidquid aptum est ad se in peccato, & impietate sua confirmandum: *Dixit in corde suo.* Ps. 49. Si rationem suam audivisset, hæc prorsus opposi.um suasisset: Si fidem consuluisset, hæc cum ratione consentiens respondisset illi; deciperis: lex est qua id prohibetur, quod tu sine metu conaris; tribunal supremum est; ubi secundum legem hanc judicaberis; Deus est; & inter attributa Dei Providentia essentiæ ejusdem præ cæteris maxime intima est, & hujus Providentiæ pars est districta illa justitia, qua suum scelus puniet. Hoc Religio simul, & ratio illi, quamvis impio persuasissent; sed quod cordi suo tantum credere voluit, cor ad ipsum fallendum dispositum dixit illi in hoc, vel in illo casu rationem non adeo arctam illi obligationem injicere: fidem ipsius nimis immitem esse, si hucusque Dei ultionem proveheret; & his omnibus suam imbuit conscientiam. *Idem.*

Conscientia corrupta fexcentos invenit prætextus, ut in peccato perseverit.

Ex omnibus affectibus notissimum, & vulgatissimum desumamus. Criminosam Mundi affectionem fovemus, eamque cum conscientia conciliare cupimus: quid agimus? relinquendæ consuetudines sunt, abrumpendæ licentiæ, occasiones fugiendæ, quæ turpem, inordinatumque hunc affectum tuentur; statim ac corde hic fuerit Dominatus, quot fictæ, sed speciosæ rationes suggerit, ut hac in re larius Conscientiæ fines protendat; ut præcepti jugum excutiat, ut vim ejus imminuat; ut jus, licet apertissimum in dubium vocet, ut in facto, licet manifesto, nequaquam conveniat, ut probet occasionem neque proximam esse, neque voluntariam, licet utrumque sit; ut inanibus prætextibus vim tribuat, ac ostendat se nullo modo ex illo, in quo malo est, emergere posse, ut colorem inducat pertinacissimis cunctationibus quibus ex flagitiis suis nescit divelli. Jam vero cum hæc sit hominis indoles, ubi hinc suo urgetur affectus, inde vero, quid deceat, intelligit, vel potius, ubi cor ipsius jam, quid sibi faciendum, constituit: nonne miraculum habendum esset, si in hoc statu conscientiam puram servaret, puram inquam atque erroribus vacuam? *Idem.*

Vis stimulorum conscientiæ.

Peccare, præterit; sed peccasse, numquam præterire potest. Cain sæva actus invidia fratrem occidit; plures deinde effluxerunt anni; sed cædes peracta malum est, quod illum in omnem torquebit æternitatem, hic vermis est, qui indesinenter cor ejus depascetur, ac nullam requiem illi relinquet. Cain procul secedit a loco, ubi facinus suum patraverat; per saltus ac nemora vagatur; sed semper cum suo scelere permanet. Illum fratris cruor quocumque subsequitur; & in quibuscumque objectis, quæ oculis ipsius sese offerunt, cædem suam intuetur. Hac de causa ajebat David peccatum suum sibi ob oculos incessanter versari: *Peccatum meum contra me est semper.* Psal. 50. Numquam cessabit quominus menti meæ sese objiciat: præteriit dies, qua illud patravi; voluptas non viget amplius, illecebra evanuit; objectum, tentatio, omnia pertransiere; peccatum tantummodo superest: peccatum, quod indesinenter insurgit in me tamquam hostis, & persecutor; peccatum, quod quocumque me vertam, nullam mihi requiem concedit: omnia mihi blandiuntur, amici, complicesque mei mihi assentantur, sed peccatum meum semper coram me est, & contra me. *P. De la Rue in Sermone Temporis.*

Animæ, quæ a recta virtutis via aberrare incipit, idem accidit, quod ægrotanti, qui ubi febris effervescere incipit, turbatur, angitur, affligitur, sed prout vapores cerebrum occupant, quo magis vires illius infirmantur, eo magis querelæ ipsius imminuuntur; donec prorsus incaluerit, quia tunc natura vi morbi victa, in speciem tranquillitatis quadam perfrui videtur; ita ut ubi lethali obruitur letargo ita pacatus videatur, ac si profundo, suavique somno reficeretur. Ita peccator in primis affectus inordinati furoribus, turbatur, angitur; Conscientiæ stimuli eum torquere non cessant; gratia simul, & ratio nihil intentatum relinquunt perniciosissimi salutis inimici progressum prohibituræ; & fieri nequit, quominus cor, quod intestini hujus belli veluti theatrum est, agitetur; sed quo magis affectus dominari incipit, certamen defervescit, & in hoc statu peccator quiescere videtur, Deus, cujus infinita est misericordia, & qui non vult mortem peccatoris, adhuc bonos sensus immittit, qui si in rectum usum converterentur, ad cumularissimam conversionem peccatorem impellere possent; sed expediret illis quodammodo hujusmodi carere gratiis, quam easdem recipere; efficiunt enim nocentiorem, qui illis abutitur, eique indignationis, & iræ thesaurum accumulant. *Essais de Sermons pro Dominica* Quasi modo.

Fallacis conscientiæ status deplorabilis.

Deflemus nonnumquam infelicem peccatoris statum, qui insanis sese mancipavit affectibus, & quæ sæva malorum habituum tyrannis peccati servum constituit. Illius ob miseriam ingemiscimus; de illius salute metuimus; at nonne longe calamitosior est illius animæ status, quam error seduxit? Peccator ille saltem se errare novit: ante oculos ipsius sceleris sui versatur imago, & majori cum cognitione delinquit; quamobrem minus incorrigibilis est. Cæterum vitii deformitas, virtutis decor, conscientiæ stimuli, judiciorum Dei timor, sunt veluti totidem voces eumdem ad officium revocantes. At hoc ipsum dicendum nequaquam est de eo peccatore, qui errat, & errorem suum non agnoscit. Nulla huic superest spes; quemadmodum sine cognitione peccat: ita sine scrupulo, & sine conscientiæ stimulis peccat. Vermis, qui cor ejus corrodit, in corde illius videtur quiescere: & conscientia, quæ adeo salutaris est, cum exprobrat malum, seu in illo decepta sit, sive illum decipiat, eum in profunda tranquillitate relinquit. *Ex Oratione Accademiæ Gallicæ oblata anno* 1695.

Dummodo externæ Religionis species aliqua serventur, & nescio quis oris habitus ad virtutem compositus, præseferatur, statim quilibet suum sibi conscientiæ systema effingit, quo protectus in salutis negotio tranquillus est. At ignoramusne, hæreticos quoque suum sibi systema proponere, & ritus quosdam præ nobis majori cum diligentia serva-

servare? Credimus tamen ipsos cum omnibus ritibus suis, & illa honestatis laude, quam jactant, in certum exitium præcipites ruere: neque injuria id credimus: at cuinam revelationi, cuinam Evangelio hæc nostra nititur certitudo, quam de salute nostra habere conamur? Sumus, inquies, in Religione verá: ipsi vero non item. Profecto nisi in iis, quæ ad salutem pertinent, falli gaudemus, utrum præstat, nihilne, vel fere nihil credere de iis, quæ facienda sunt, an nihil eorum facere, quæ creduntur. *Pater Croiset, in Recessu pro una singulorum mensium Die.*

Quoddam aliquando conscientiæ systema nobis effingimus, quod maxime periculosum est.

Fallax conscientiæ Systema nobismet affingentes tranquille in maximis flagitiis versamur: & hic status eo magis metuendus est, quia stimuli pro tentationibus, salutaria consilia pro erroribus habentur, quibus semper nobismetipsis diligentissime cavemus. Malum periculosum est, & æger horret remedia, neque se illis indigere putat. Quænam salutis spes adest, ubi cor æque, & mens ægrotant? in iis, quæ ad conscientiam pertinent, nihil magis perniciosum est, quam illusiones; & illis frequentius nihil. *P. Croiset Tomo 2. Considerationum.*

Hæc synderesis, & hi conscientiæ stimuli, quibus peccator urgetur, plane probant, in ipso esse, at eodem invito, semper futuram partem illius, quæ mori non poterit, & quæ numquam illi vel inter jucundissimas voluptates requiem permittet: secretos aculeos, quibus in vita sua torquetur, totidem fore veritatis hujus argumenta; impotentiam sedandi hosce stimulos præjudicium esse immortalitatis principii cujusdam reclamantis; secretam repugnantiam, vel inevitabilem curam, qua efficitur, ubi malum operatur, perspicuam esse principii ejusdem probationem: & interiorem hanc voluptatem, quæ virtutis exercitationem subsequitur, esse, ut Tertullianus ait, testimonium animæ naturaliter Christianæ, quæ Deum scelerum vindicem, & virtutis remuneratorem agnoscit. *Auctor Anonymus.*

SUPPLEMENTUM.

Conscientia, ejus Stimuli, Exprobrationes.

Conscientiæ stimuli sunt gratia Dei.

Simulac peccamus, in nobismetipsis experimur conscientiæ stimulos nobis peccatum nostrum exprobrantis. Hos autem stimulos Dei gratiam esse, ajo: Quid enim est gratia, & quomodo illam ignorant, qui quotidie gratiis cumulantur? Gratia, inquiunt Theologi, auxilium est, quod hominibus largitur Deus, ut agere, & mereri possint cœlestia; & si peccatores sunt, ut conversionem suam valeant operari. Ita loquuntur scholæ: Sed hæc omnia adamussim quadrant synderesi, videlicet stimulis conscientiæ, qui in nobis post scelus oboriuntur: certum quippe est, Deum esse illorum auctorem, hunc propter amorem nostri in nobis illos ciere, & iisdem uti ad nos convertendos, unde argumentor stimulis hisce omnes inesse veræ gratiæ qualitates. Deum illorum esse principium, nihil hoc est apertius; quandoquidem hoc passim docet Scriptura. Utique ego, Deus ait peccatorem quemdam allocutus, ipse ego tibi exprobrabo magnitudinem sceleris tui; cum hoc patrato turbabitur conscientia tua. Ne succenseas alteri, nisi mihi, neque alibi quæras, unde hæc perturbatio. Centies tentatione victus, tibi metipsi ignaviam tuam dissimulare quærebas: avertebas oculos ne videres peccatum tuum; & credebas me quoque taliter operaturum, tibique consensurum. Sed falleris. Ego quippe Dominus, ac Deus tuus semper me profitebor accusatorem tuum, nec umquam me lædes, quo minus statim, te invito, contra faciem tuam scelus tuum, omnemque sceleris horrorem constituam. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* (Psalm. 49.) Videtisne Christiani, quomodo Deus est præcipuus auctor stimulorum conscientiæ? Sed qua de causa eos operatur in nobis? Jam dixi: propter amorem nostri, per effectum bonitatis suæ & misericordiæ suæ effusionem. Nonne hoc ipse testatur? *Ego, quos amo, arguo:* & illos arguens diligo. (Apocal. 3.) *P. Bourdalove in Dominicali.*

Mirabilis modus, quo hæc gratia producitur.

Inter cæteras gratias Conscientiæ stimulus maxime admirabilis est, si cogitetur modus, quo ille producitur. In quo igitur situm est miraculum istud? In hoc, quod peccatum hominis suapte natura adeo oppositum gratiis Dei, tamen his originem tribuit? Si enim setio animum adverteritis, peccati stimulus per ipsum peccatum gignitur; & aliunde dubitari non potest, quominus hic stimulus sit gratia, quam S. Chrysostomus considerans exclamat; Quam admirabilis, Domine, in consiliis suis est misericordia tua! quam potens in operationibus suis, quam sapiens in omni conversionis hominum œconomia! Operaris in nobis gratiæ miracula, ut nos salvos facias eo ipso temporis momento, quo scelus nostrum te cogere deberet, ut nos puniturus miracula faceres justitiæ. Assumis enim peccatum a nobis commissum, ut inde exprimas gratiam quæ nos exprobrat eo quod illud patravimus: hoc uteris, quod nos reos effecit, ut ipse nos justifices, & hoc, quod nobis mortem pepererat, ut revoces ad vitam. *Idem.*

Conscientia nostra nobis exprobrat flagitia.

Peccator arrogans, & induratus nequicquam obstruit os illis, qui ipsum reprehendere deberent in pacatissima nocte, cum sæpe intemperantia sua expergefactus audit vocem ex imo corde, clamorem pertetritæ conscientiæ incessantes clamantis: Quandonam hoc improbum vitæ genus cessabit? Non horres vitia tua, injustitias, impietatem, scandala tua? Non times funestam mortem, & divinæ justitiæ severitatem? Heu miser, sacrilege, luxuriose! Heu mulier improba, superba, impudica, adultera! Nihil sedare potest has cruentas lancinatæ conscientiæ exprobrationes. Sed quinam erit hic vermis corrodens in inferno, qui Reprobos in æternum torquebit, & numquam morietur? Potui, & non feci; gloriam amisi, cum illam mihi poteram comparare; ego ipse unus fum cladis auctor meæ. Heu fratres; ne hic conscientiæ vermis inutiliter crucier in hac via, ne illum experiamur in altera. Dociles nosmet præbeamus huic monitori secreto, donec illius redargutiones esse possunt nobis salutares. *De la Chetardie in quadam ex Homiliis.*

Peccatorem ipsa torquet conscientia.

Ecclesiæ Patres nobis exhibent conscientiam tamquam tribunal, in quo ipsa actor est, testis, judex, carnifex, supplicium, & reus. Quis dolor est, cum ab amico, ab altero animæ nostræ dimidio accusamur? Peccator ipse tenetur seipsum accusare, idque cum acrimonia, & amaritudine, S. Joannes Chrysostomus inquit; *Conscientia acerba, & amarulenta accusatrix.* (Homilia 2. de verbis, Isaiæ.) Quis mœror, cum postquam irrito conatu scelus nostrum celare sumus adnisi, nosmet jam convictos, ac omni perfugio carentes invenimus? Proprii peccatoris oculi contra illum testantur: *Nullus molestior oculus suo cujusque*, S. Bernardus inquit. (De Considerat. l. 5.) Quis dolor, cum Judex nullum præbet miserationis indicium! Peccator seipsum damnans summam adhibet severitatem: *Nullum severius judicium quam domesticum*, S. Ambrosius ait. (l. 7. ep. 47.) Quænam tristitia non posse sententiæ contra nos latæ lenimentum aliquod invenire? Peccator, idem S. Pater inquit, seipsum torquet eadem severitate, qua seipsum judicat: *Unusquisque animum suum severum judicem... & vindicem criminis habet.* (Ibidem.) Quis labor, dum unum non sufficit supplicium, ac vellent, ut omnia simul perferremus! Peccator ipse semet infinito tormentorum genere obruit. Hæc S. Joannis Chrysostomi sententia est: *Peccator post facinus ambulat, sustinens innumerabiles pœnas.* Juxta Spiritus Sancti, Sanctorumque Doctorum locutiones, sua illum conscientia, pungit, percutit, mordet, lancinat, rodit, conterit, exasperat, occidit. Vestram appello experientiam; quomodo vos cruciant

clant conscientiæ vestræ stimuli, cum licet illa clamaret, suosque clamores ingeminaret cupiditatibus vestris brutorum more obsecuti fuistis &c. *P. la Pesse*, *Sermone de Conscientiæ stimulis*.

Statim ac peccator scelus cōmisit testis interior illum exprobrat,

Simulac peccatum patratum est, interior stimulus quidem, qui est quidam divinæ justitiæ minister, conscientiam invadit. Hic est veluti spina, numquam cessans, quin pungat; velut vermis, qui illam semper depascitur; intellectus enim habet actus, qui voluntatem præcedunt, & hi repræsentant illi, quid faciendum sit, quidve fugiendum, bonum scilicet, & malum. Alii etiam sequuntur illam. Si voluntas bonum amplectitur, illam consolatur, illi blanditur, ut ita dicam, atque exhilarat; sin autem cedit in malum; eamdem accusat, perturbat, & angit, & ex duobus hisce actibus, facile dignoscitur confusio impiorum in consiliorum suorum varietate. Etenim ante voluptatum suarum perfruitionem, inveniunt conscientiam, quæ noxiis illorum consiliis adversatur. Huic silentium indicere nequeunt; hæc vox est S. Joannis jugiter Herodi clamitans: *Non licet*. Hoc vetitum est; hoc legi divinæ adversatur; & hæc contradictio prohibet facilitatem committendi peccatum. Quod si hos stimulos negligis, ut quæsitis voluptatibus perfruaris; frustra post earum perfruitionem impunem te abiturum opinaris: tuum enim crimen simul est supplicium tuum. Idem tibi accidet, quod Herodi, qui licet S. Joannem sustulisset, cædes illius fuit quidem ab assentatoribus commendata; sed numquam audiit verba fieri de miraculosa Sancti hujus Præcursoris vita, quin in imo corde gravissimis sceleris sui stimulis lancinaretur. *P. Gibieu*.

Math. 14.

Fructum, quem percipiunt illi quorum conscientia pura est in hora mortis.

Illi, quorum pura conscientia est, maximum inde referunt fructum, qui illos intra hujus vitæ angustias consolatur, qui eos cogit, ut æquo animo sustineant hominum persecutiones, qui illos hilares, pacatosque efficit in beatæ mutationis in ipsis tandem perficiendæ expectatione; qui efficit, ut præsentes contemnant adversitates, ut præteritarum obliviscantur, bonis persimiles Israelitis, qui non reminiscebantur malorum, quæ ab Ægyptiis pertulerant, nisi ut ferventius semet ad Promissæ telluris acquisitionem inflammarent; vel illis, qui procella jactati, & furentis elementi inconstantiæ expositi, propitium expetunt ventum, amatam requirunt patriam, ubi per otium fruerentur voluptate, quam summam obtinent, ubi vident se ex erroribus suis emersisse, & periculis sibi impendentibus se esse defunctos. Talis est conditio illius, qui nullis conscientiæ stimulis torquetur, nec habet, quod exprobret sibi. *Ex Moralibus Sermonibus*. *Tomo* 1.

Quam funestus est peccatoris status non sentientis malum suū & stimulos cōscientiæ suæ.

Quantumvis mala ducatur vita, quantumvis alte in omnium vitiorum colluvie demersus sis, nullusne tibi labor sustinendus est, ne Evangelicas Veritates credas? Nihilne tibi stat aculeatos conscientiæ stimulos retundere? Retundine ita possunt, ut non ultra revertantur? Sentirene potes annos tuos fluere, & crines canescere, quin ex te ipso quæras, quo itur, vel ubi cadendum erit? *Conscientia peccati formidinis mater*, S. Joannes Chrysostomus inquit. Commune est timere postquam peccatum fuit; & fieri nequit ut voti sit compos, qui timet eo quod male vixit. Esto brutalis vita celer ad tempus terribilia objecta, quæ malorum æternitas nobis repræsentat; per intervalla excitatur ratio, & quibusdam momentis ratio apparet. Hinc videre necesse est, quod turbat, & invitos hoc videre necesse est. Quæ autem voluptas esse potest illa, quæ gustari minime potest, quin homo, sese in brutorum numerum conjiciat, ante quorum oculos præsens dumtaxat versatur? Invidendumne est huic statui? Invidendumne est situi adeo funesto, quanto major est peccatoris calamitas, si hic hujus nullum habet sensum? *P. La Pesse*.

In Ps. 50.

Status mortis in quo peccator est, omnem illi metum aufert.

Si anima Christiani inter flagitia viventis, non esset in statu mortis, fierine posset, ut quietis momentum gustaret? Scit, se esse in dæmonis potestate, se in singula momenta mori posse; infernum patere, ad illum deglutiendum; fortasse nullas sibi efficaces gratias superesse. Tamen sine metu, ac sollicitudine gaudet tranquille voluptatibus, quas novit causam esse infortunii sui. Hæ cognitiones, quas illi invito tribuit fides, permanent sine actione, & sine effectu. Hæ illud non turbant. Agit, loquitur tamquam nihil inde sibi faciendum esset, nisi in hac vita gaudendum, & in altera nihil pertimescendum. *Ex speciminibus Ethnicorum*.

Funestus status peccatoris, quem conscientiæ vermis corrodit.

Quinam deplorabilior status illo peccatoris, qui conscientiæ suæ latratibus torquetur? Quocumque adeat, quocumque se recipiat, semper ante oculos gerit imaginem sceleris sui effundentem amaritudinem super omnes voluptates: *Peccatum meum contra me est semper*. Conscientia terribilis judex est, cui nobis jugiter respondendum est, qui nos, ubicumque simus persequitur, nos accusat, nos damnat. Ubique attollit vocem suam, inter negotiorum impedimenta, æque ac inter solitudinem; inter profana oblectamenta æque ac inter asceticas exercitationes. Hæc ultima est cogitatio, quæ peccatorem relinquat, & prima, quæ sese illi offerat. Nocte ipsa, licet requiei destinata, non vacat ille hujusmodi sollicitudinibus, conscientia jugiter oculis ejus objiciente & criminis enormitatem, & pœnam, quæ illum manet in altera vita. *Ipsa nos circumit, obturbat, laniat, flagellat; & domi, & foris, & in mensa, & in templo; dormientem, & surgentem adoritur &c.* Hanc conscientiæ vocem Adam sine terrore audire non potuit post culpam: *Audivi vocem tuam, & timui*. Hæc eadem conscientiæ vox adeo turbabat, & agitabat Cain, ut ubique criminis sui vindicem pœnam se inveniri posse putaret. *Christiana Considerationes*.

S. Chrysostomus.

Genes. 3.

Conscientiæ silentium terribilius est clamore ejusdem.

Si conscientiæ vox adeo terribilis est, ejus silentium longe magis metuendum est, quia indicium est reprobationis; in eo quippe statu nulla dari potest conversio. Nihil tunc in peccatoris animo impressionem gignere potest; nihil eum movet, nihil afficit. Veritates, quæ præ cæteris maxime terribiles sunt, quæ solæ illum convertere possent, non conferunt ultra nisi ad illum indurandum. Ad extremum hoc tamquam per gradus pervenitur. Primum conscientiæ stimulos animus advertit; mox tamquam inanes scrupuli ducuntur; nobismet persuademus ea, quæ passim fieri videntur, non admodum esse criminosa; denique paulatim omnes hosce stimulos suffocamus. Sed conscientia, quæ dum vivimus tacet quasi intermortua, in morte peccatoris excitatur, & terribilius, quam antea clamat, revocans in morientis memoriam omnia vitæ anteactæ facinora, quorum copia, enormitas, circumstantiæ illum ad desperationem adigunt, suadentque, nullam amplius superesse misericordiam, quam expectet a Deo cum omni justitiæ suæ severitate debitas pœnas jam jam expetituro: *Peccator videbit, & irascetur: Dentibus suis fremet, & tabescet*. *Ibidem*.

Psal. 111.

Peccatori videndum est utrum conscientia sua clamet, an sileat.

In utro horum statuum conscientia vestra versatur? Clamatne, an tacet? necesse quippe est, ut sit in alterutro. Cum prope est, ut Deum lædatis, auditisne intra vosmetipsos vocem dicentem, ut olim S. Joannes Herodi: *Non licet*? Hoc vetat Deus. Si ultro in hac cogitatione persistitis; si pravum habetis colloquium; si quid agitis auctore animi ægritudine, qua turbamini; si impudicum legitis libellum; Jam jam Dei gratiam amittis, illius indignationis objectum evaditis, vosque periculo objicitis, ut in æternum sitis victima justitiæ illius in inferno. Numquid hosce stimulos suffocare adnisi estis, ut audacius peccaretis? Si adhuc vestra loquitur conscientia, illam audite; argumento est, vos nondum fuisse derelictos a Deo. Sed si illam abnuitis audire, jam jam callum ducitis, & reprobationis vestræ cumulum additis. Si enim conscientiam vestram non auditis amplius: quem audietis? Et si nullum auditis, quomodo convertemini? *Si vocem ejus*

Psalm. 94.

ejus audieritis; nolite obdurare corda vestra. Ibidem.

Quam miser sit status peccatoris, qui credit se perfecta pace frui, cum nullis amplius stimulis agitur.

Heu! Quam parum cogitatur, & quam facile homines in suis judiciis falluntur. Credunt se beatos, cum conscientiæ suæ stimulos retundere valuerunt; putant, nihil sibi esse metuendum, quia verbum non addit conscientia; quæ imo res terrorem incutere debet. Numquid fortasse in supplicium permisit Deus, ut nostra non amplius nos exprobret conscientia? Quantumvis rebelles gratiæ tuæ fuimus, Domine, non statim ideo in nos animadverte pœna adeo terribili, quæ esset nostri interitus causa. Excita potius in animabus nostris salutares turbas, quæ amaritudine adspergentes omnia, quæ nos fascinant, oblectamenta, attentiores nos præbeant vocibus conscientiæ clamantis. Si jam tam miseri sumus, ut salutarem vocem hanc jugulare velimus: fac ut altius clamet, jugiter nobis scelerum nostrorum enormitatem objiciens, atque æternitatem suppliciorum, quibus plectis peccatores in inferis. Cupiditas, & fallacia mundi placita, quæ me hactenus fefellerunt, & quæ imperiosius in cor meum dominatura fallacem subrogarunt conscientiam illi, quam mihi tribuisti, & quam illa in præsentiarum jugularunt omnes exerent conatus suos, ut me projiciant rursus in miserum statum, ubi nimis diu versatus sum. Redde mihi, Domine, illam conscientiæ religionem, quæ olim mihi erat, antequam me mancipārem inconditis cordis mei desideriis, & quæ efficiebat, ut ad solam peccati umbram trepidarem. Potissimum vero me tuere adversus funestum hoc conscientiæ silentium, quod me certissime ad finalem impœnitentiam, æternamque damnationem adduceret. *Ibidem.*

Habemus in nobismetipsis testem irreprehensibilem actuum nostrorum.

Gerimus in imo corde secretum instinctum, qui nos obstupefacit, qui terrificis nos replet imaginibus, ubi peccaturi sumus; qui nos turbat, & agitat, ubi peccavimus. Nihil satis efficax est, ut natum cum homine sensum revellat, & qui homo ipse est; semperque vitium crudelibus suis sollicitudinibus erit ultio virtutis. Ne tamen nosmetipsos decipiamus; si sensus hic adeo profundus, & acer tuetur animam a portentosa insensibilitate, saltem per negligentiam nostram laxatur; & quidquid acrimoniæ, ac vehementiæ in eo est, nostra extinguitur negligentia. *Sermo quartus Accademiæ anni* 1701.

Deus per misericordiam suā efficit, ut argumenta amaritudinis recipiamus in nostris voluptatibus per conscientiæ stimulos.

Peccator potiori jure, quam olim Job potest Deo hæc verba dicere: *Scribis contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Non cessas, Domine, insculpere in conscientia mea causas amaritudinis contra me; videris velle me conficere memoria peccatorum adolescentiæ meæ. Necto teneras necessitudines, ut jucundius fluant dies mei: curo semper novam aliquam alere affectionem, quæ me occupet. *Scribis*, & hoc ipso tempore scribis in corde meo meam damnationem. Me immergo in mundi tumultus, in impedimenta negotiorum, in motus societatum: *Scribis*, & mihi amarissimos præparas stimulos. Voluptatis ergo itinera ingredior; me aleæ, & compotationibus totum impendo: *Scribis*; mihimet soli trador in solitudine; invenio te in penetralibus animæ meæ descripsisse vivam imaginem iniquitatis meæ. Eo feror, quo me voluptas advocat; sexcenta verso consilia, ut animum a terrore tuorum judiciorum avertam: *Scribis*; frustra delere conor imaginem peccatorum meorum, tu vero illam perspicuis coloribus illinis, qui mihi invito illum semper ob oculos statuunt. Sequor lædere te; *Scribis*; tu vero sequeris scribere stylo amarissimo scelera mea. Tandem mori nolo, Deus mi, quin prius egerim pœnitentiam; sed adhuc parum quietis donec anni juventutis meæ prætereant. *Scribis*: semper manu tenes calamum, ut scribas peccata mea, & me cogas, ut haud cunctanter agam pœnitentiam. Quoniam ita sum audax, ut dubitare, & argumentari velim de veritatibus Religionis, sine, me tranquille versari in periculo, quod subire gestio. *Scribis*; non possum ferre turbam, terroremque: sentio animam meam a te nova repleri amaritudine. *Ex Sermone Patris la Pesse. Tomo* 3.

Scribis, Scribis contra me amaritudines. Eodem tempore, quo mihi occurrit hæc adeo amabilis persona; dicis hanc esse objectum ultionis tuæ, & ministrum Dæmonis, ut me præcipitem det in infernum; dum ea fruor lætitia, quam injustum lucrum excitaverat in me, mihi in mentem revocas irrevocabilem illam sententiam, quam es laturus in me. Saltem, Deus meus, remitte mihi dolorem, quo propter adolescentiæ meæ peccata conficior: *Sed consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Quia nondum lacrymis meis delevi vetera peccata, in singula momenta illorum mihi proponis imaginem, ut dolore contabescam. Numquam pacata conscientia, numquam voluptate pura, numquam serena die, nullo umquam doloris lenimento fruar. *Scribis contra me amaritudines, & consummere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Ex tormentis vestris proficite, Auditores, agite pœnitentiam, cum Deo in gratiam revertimini, peccatum a vobis dolore vestro removete. Ne inutiliter adeo acerbam pœnam patiamini; Judicis vestri misericordia effundit in anima vestra amaritudinem, ut cupiatis, ac mereamini delicias gratiæ suæ, & suæ dilectionis. *Sermo Patris la Pesse. Tomo* 3.

Deus intrinsecus exprobrat peccatori iniquitates ejus.

Deus intrinsecus peccatorem alloquitur; non cessat exprobrare eidem ejus scelera, impietatem, modicum fidei, licentiam. Loquitur Deus per conscientiæ stimulos, per extremi judicii terrorem, per mortis metum, per funestos casus, ac lethales perturbationes. Loquitur Deus per Oratores Sacros, per asceticos libellos, per motus pios, per perfunctoria conversionis desideria, per secros afflatus, qui gratiæ sermo est. Denique loquitur Deus per ærumnas, & morbos, non secus ac per prosperos eventus; & nos omnibus hisce vocibus duri sumus, omnique sensu caremus? *Ego vado.* Deus a nobis recedit, tacet, voces omnes post quamdam resistentiæ continuationem, post multiplicem quemdam gratiarum, & inspirationum abusum, obmutescunt; & si post extremas hasce minas loquitur Deus, ideo loquitur, ut obstinatis peccatoribus prædicat, illos in peccato, finalique impœnitentia esse morituros. Et nemo est, Salvator addit loquens ad Judæos, qui ex miserrimo statu hoc vos educere valeat, ac eo, quo ego vado, vos possit adducere. *P. Croiset in Asceticis exercitationibus Tomo* 2.

De bona malaque conscientia.

Virtus, & vitium fere eodem utuntur sermone, ac nos ipsi in hoc fallimur aliquando. Nihil melius bonam simulat conscientiam, quam fallax; religionis causæ, rationes pietatis, prætextus charitatis, & zeli, omnia usurpantur ad tranquillitatem afferendam, ad fucum faciendum, ad seducendum. Quot mortales cupiditate moventur, donec se virtute duntaxat agi arbitrantur. Quot cor, atque conscientiam suam ludificantur? Ubi cordis corruptio mentem pervasit; statim conscientia pervertitur. Quo majori quis pollet ingenio, hujus illusio eo incurabilior est; error numquam perniciosior est, quam cum effectus est improbitatis cordis, & perversitatis spiritus. Cur adeo solertes, industriique in nostro simus interitu? Cur non agamus recte, ac simpliciter, ubi præsertim agitur de salute? Numquid cupiditas quantumvis dissimulata, quamcumque personam gerat, Deum fallere potest? Licet nobis ad arbitrium fucum faciamus, Deo numquam verba dabimus. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus Tomo* 3.

Quam agitetur peccator stimulis cōscientiæ suæ.

Quomodonam peccator, cui aliquid reliquum est conscientiæ, dies, noctesque traducit. Quam crudelibus turbis, ac sollicitudinibus utitur! Quam terribilibus somniis luditur! Claudit ne oculos, ut dormiat, postremum illud, quod videt, est scelus suum. Aperit oculos, ut vigilet,

primum

primum illud objectum, quod occurrit vigilanti est crimen suum. Somnus illius interrumpitur noctu; ecce statim sese illi offert gravis illa injustitia, horribile hoc adulterium. Si domesticæ rei, negotiisque suis vacat, si agi magistratus alicujus obitutus officia, injustitia, & adulterium ab eo non recedunt; velut si quis laboraret ex cancro, deberet semper illius turpitudinem, putorem, erubescentiam, totumque suæ infirmitatis horrorem pati. Patri magnum consolationis esset argumentum intueri se amabili familia circumseptum pueris formosis, modestis, bonarum artium, & partium stipatum. Pro nihilo duceret graves pœnas, quas in eorum institutione pertulit: sed scelerum suorum cura, atque commercium eripit illi gaudium, & gravi eum mærore perfundit, & obruit. Hoc ipsum crimen, quod tanta sedulitate molitus est, quod serio, & cunctanter meditatus est, & tanta festinatione executus, ipsum & mundo, & sibi odibilem facit: Uxor, filii, amici, Domestici post illum ferre debebunt sexcentos contemptus, & contumelias. Dulcissima esset huic matri voluptas dilectam intueri progeniem, quæ valeat curas illius, parcitatem, ac vota sustinere; sed criminosum hoc vinculum non finit, ut animum advertat ad effectus hujus misericordiæ, quæ tot crimina tot beneficiis rependit. Peccatum, quod in causa fuit, ut fuimet ipsius obliviscere tur, erat sors, lepos, necessitudo, infirmitas, gratificandi studium: Factum est turpe monstrum, quod illam urget, ut se præcipitem der, ut se aquis præfocet, ut se pugione confodiat; & viri virtus, filiorum innocentia, famulorum fidelitas, illam in singula exprobrant momenta, dicuntque: Quid hoc rei est? *Sermo P. la Pesse. Tom. 3.*

Conscientia Peccatoris est adversaria, ut prosit.

Conscientia dicitur adversarius noster in morali sensu, quem illi tribuunt Sancti Doctores, non quod illa nos oderit, tunc enim esset inimicus; sed quod adversatur inconditis studiis nostris, & erga nos fungitur munere, quo Angelus olim erga Balaam imprudentem: *Ego veni, ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria.* Adversarius iste modo vult nos a malo deterrere, modo in bonum impellere. In hujusmodi variis occasionibus æque noster est adversarius; nam semper in alterutro nobis adversatur. Verum hæccine justa esset causa, propter quam illam odisse deberemus? Anne contra, propter quam magis magisque deberemus amare? *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudolentia oscula odientis.* Inimicus, qui nobis blanditur, cupiditas est; illum odisse non possumus; Amicos, qui nos corripit, est conscientia; hunc non satis amare possumus. Si volumus illam cessare quominus adversetur nobis, illi conemur satisfacere, ea, quæ juste petit, tribuendo. E contra vero inimicum affligamus, omnia cupiditati negando: *Et affige inimicum.* Conscientia nostra in nobis habet jura, quæ in discrimen nequeunt revocari: hodierna die illi satis facili negotio satisfacere possumus; accepto hoc tempore utamus: alioquin tempus erit, quo omne debitum nobis ad extremum quadrantem erit dissolvendum. De hac veritate cur nobis persuasum non est? ne ipsi quidem adeo frequenter æquissimas, atque urgentissimas conscientiæ nostræ sollicitationes non contemneremus. *P. Segneri in Med.*

Num. 22. Prov. 27. Eccli. 36.

Conscientiæ consentiendum illico est.

Nobis cito consentiendum est cum hoc adversario, abstinendo a malo, a quo ipsa nos conscientia detorquet, & faciendo bonum, ad quod nos eadem impellit. Hæc consensio non diu differenda est: *Esto consentiens cito.* Non jubemur uno ictu id facere; quippe res plerumque deliberationem requirunt; sed cito facere ne tempus teramus antequam concludamus. Et sane accidere potest ut cum adversario nostro fere ad extremum viæ spatium pervenerimus, & hæc via est mortalis hæc vita, in qua David Deum obtestabatur, ut suos gressus dirigeret: *Dirige in conspectu tuo viam meam.* Consciéntia, quæ noster est adversarius numquam recedit a nobis toto itineris spatio. Sed quid accidet nobis, si hoc tempore cum illa non consenserimus? Ubi finis accesserit, non erit amplius adversarius nobiscum agens amice, & quærens pacem cum adversario conciliare; inflexibilis erit accusator, qui omni utetur jure suo. Numquid hic adversarius modo aliquam habet cum vobis controversiam? Num in imo corde aliquid petit, cui a vobis nondum satisfactum fuit? Aliquod pietatis opus, aliquam imminutionem commodorum nostrorum nimia cura conquisitorum? Quodcumque hoc sit, *Esto consentiens cito*, donec versaris in via cum illo; In fine quippe itineris, in mortis momento, nullus erit amplius sermo de reconciliatione. Frustra concupisces te oblationes ejus non rejecisse; ille nihil cedet; jura sua valere jubebit, omnesque rationes suas singillatim exponet. Hoc lumen est, quod palam profert quidquid damnatum est. *Idem ibidem.*

Matth. 5. Psal. 5.

Necesse est cum conscientia consentire.

Satis superque expertus scio Domine, conscientiam meam esse adversarium meum, propter ipsius sollicitationes, exprobrationes, & minas. Væ mihi! Jura illius in dubium revocari non possunt, & nihil est, quod justis interrogationibus illius possit responderi. Necesse igitur est, ut illi satisfaciam, & revera hoc interest mea. Etenim quid illa tandem petit a me, nisi ut prava studia mea coerceam, ut sim qualis esse debeo, ut mihi finem me dignum proponam, ut vera bona conquiram? Hodie me accusat conscientia, sed omnia inter illam, & me aguntur, & transiguntur; sibi vult satisfieri, perdere autem me non vult. Expectabo ne sententiam, quam certissime aliquando contra me obtentura est, & quam ad extremum usque apicem exequi debebo? Testimonium illius repudiari non poterit; quæ inde subsequetur sententia, non poterit revocari: portio mea non poterit tunc aliud esse quam teterrimus carcer, unde non egrediar nisi ad extremum usque quadrantem æs conflatum dissolveri. Illic nulla mihi speranda erit remissio, nullum supplicii mei lenimentum. Verum si carcer ipse esset infernus, omnibus rebus exuar, ideoque omnino solvendo non ero. Cum ergo ibi damnatus ero, donec satisfecero, ibi in æternum damnatus ero. Ex hoc ipso temporis momento, Domine, uti volo salutari monito, quod tribuisti mihi, ut videlicet cito cum mea conscientia consentiam, & pactum, quod cum eadem ferire volo, hoc est, ut quidquid illa mihi proposuerit faciendum, cæce illi subscribam, & exequar. *In Specimine Sermonum.*

Conscientia lex est interior simulque pœnæ legis perfractæ.

Conscientia, vetus quidam Auctor ait, lex est prohibens scelus antequam committatur, simulque pœna est illud puniens, postquam fuerit commissum: *Ante crimen, præceptum est; post peccatum est flagellum.* Hæc Dei ipsius vox est in imo animarum nostrarum loquentis; secretus Prædicator est, nobis repræsentans honorem peccati, & pœnas illud subsecuturas. Cum enim Deus hominem creaverit, ut in viis justitiæ ambularet, in singulorum animabus insculpsit notas quasdam nitentes, quæ inter ignorantiæ nostræ tenebras nobis ostendunt viam ingrediendam, ut ad beatam felicitatem perveniamus secundum illa Prophetæ verba: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Interiores hi radii, infusæ hæ boni, malique cognitiones; hæc prima disciplinæ naturalis principia, eadem sunt apud omnes terrarum populos. Nam licet differant inter se Religiones; fundamentum, in quo sita est hæc Religionum varietas, idem est, ac apud Christianos; & si tot absurda, necnon tot oppositiones inter varias religiones occurrunt; amoris proprii corruptio variavit, ut ita dicam diversos hosce cultus, rationi incumbentes. *Specimina Sermonum in dies Dominicos post Pentecosten, Sermone 13.*

Psal. 4.

Conscientia mortis momento tradet iudici peccatorem.

Inevitabile nobis imminens malum, nisi cum nostra conscientia consenserimus, hoc est, quod in morte tradet nos Judici, qui est JESUS CHRISTUS. Illa nos arcesset, diem nobis dicet, & constituet Reos pro Tribunali ejus; ipsa contra nos actoris, atque testis obibit officia; ipsa nos simul accusabit, & invictis rationibus evincet; simulque secundum illius testimonia, & probationes judicabimur. Sed dubitare non possumus, quominus ex hoc judicio relatura sit sententiam sibi favorabilem; quippe testatur Evangelium nos propter illius testimonium tradendos esse tortoribus, & trudendos in carcerem. (Matth. 5.) Eo igitur momento, quo conscientia contra nos tulerit testimonium, sine ulla provocationis spe, condemnabimur, ac trademur in æternum Angelis divinæ justitiæ ministris. Quænam esset dementia nolle in præsentiarum consentire cum adversario, qui aliquando ante JESU CHRISTI tribunal adeo terribilis nobis futurus est? *Esto consentiens adversario tuo cito... ne forte tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris.* Carceris nostri pœna non est ad statum tempus duratura; toto cœlo superabit, quidquid nobis statura fuisset consensio cum adversario, cum adhuc res erat in nostra potestate. Adhuc tempus est; sed hoc quamprimum aufugiet; haud cunctanter eodem utamur, si sapimus: *Esto consentiens adversario tuo cito. P. Segneri in Meditationibus.*

Explorata, atque comperta nostræ conscientiæ auctoritate apud supremi Judicis tribunal, nemo est, qui illius non expectet suffragium. Sed quomodonam hoc bonum conscientiæ testimonium possumus obtinere? Id fiet sane conando illam in rem nostram pertrahere, non autem inanibus subtilitatibus illam impediendo, ut nostra agendi ratio tamquam justa probetur. Nequaquam; ad conscientiam spectat consensionis pacta proponere. Illius est regere universa; nostrum autem est sequi intentiones illius. Illa nos comitatur, & in viam æternitatis deducit; nostrum igitur est sequi lumina ejus, & vocem audire. Sed vocem hanc quæ nos erudit, quæ nobis officia nostra, nostrosque errores aperit, quoties adnisi fumus, non audire, & in cordibus nostris suffocare? *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* (Prov. 28.) Conscientia lex est, & regula vitæ, quam digitus Dei in cordibus nostris insculpsit. Si autem oratio declinantis aurem, ne legem audiat, execrabilis est, quid erit conantis Divinam hanc legem corrumpere, ut sua per illam flagitia probentur? Tamen non semper audiendi sunt conscientiæ stimuli, cum nonnisi post factum sentiuntur. Quod pertinet ad animas pavidas, quæ millies ad examen revocantes ea quæ faciunt, inquietæ locum præbent scrupulis infinitis. Sed ubi loquitur conscientia, antequam agamus, vult semper audiri, saltem, ut deliberandi tempus assumatur. Huic etiam attentiores nosmet præbere debemus, cum vox illius nostris clamoribus animatur; tunc enim apertius liquet, nos non sine causa admoneri. *Idem.*

Conscientiæ nostræ stimulos coram Deo evitare non possumus.

Quodnam hoc mihi erit spectaculum, & quid mihi dicendum erit? Quidquid afferre vellem, insurgeret in me conscientia mea, & mendacii me redargueret. Ipsa quippe consentiet cum Deo, ut me infidelitatis insimulet, & ex invito extorquebit tristem hanc, brevemque, sed crudelissimam confessionem, *peccavi.* Cur modo hoc non dico? Cum fructu nunc illud dicerem. Cur id coram Deo, humilis pœnitentiæ sensu non dico, ne hoc ipsum fateri teneat pro Tribunali ejusdem ad mortalem desperationem adductus. Cur me non præbeo attentiorem exprobrationibus conscientiæ meæ; cur secundum Jesu Christi consilium, eam delinire non satago, cito consentiens cum illa, ne illa me judici tradat? Postquam illi satisfecero; fiet mihi Orator coram Deo; ostendet illi pœnitentiam, sincerumque dolorem meum, mea bona consilia, & salutares effectus, qui illa fuerint consecuti. Delebit illa de libris æternæ justitiæ, quidquid in iis scriptum erit contra me, omniumque criminum meorum veniam obtinebit. *Ex spirituali recessu Patris Bourdalove.*



CONSUETUDO, MOS,

Tyrannicum Consuetudinis Imperium, servitus eorum, qui eidem obsequuntur, &c.

MONITUM.



Onsuetudinis nomen æquivocum est; nonnumquam enim significat habitum virtutis alicujus, aut vitii, veluti cum dicimus, alicui jurandi inesse consuetudinem, vel aliquem labori assuetum esse ab adolescentia: aliquando vero hoc nomen usurpatur ad usum illum significandum, qui aliquo in loco, & apud aliquas gentes percrebuit; veluti cum dicimus: hæc est consuetudo induendi. In posteriori hac significatione istic accipimus consuetudinem, quæ norma est, quam plerique fidelium sequuntur, & secundum quam præcipuas vitæ suæ regunt actiones. Verum dubitari non potest, quominus, cum hæ consuetudines pravæ, & periculosæ sint, maximis sceleribus originem præbeant; ideoque neque ambigere fas, quin boni Concionatoris sit omnes nervos intendere ad eas evellendas; quippe illi persuasum esse debet, hac ratione securi radicem arboris obtruncari, atque viam intercidi vitiis, atque criminibus, quæ impune orbe toto grassantur.

Necessarium esse non reor admonendum, a nobis verba fieri de mala consuetudine tantummodo generatim, quin aliquam peculiariter impugnemus; tot enim sunt, quot vitia, quæ varia Concionatoribus suppeditant argumenta, de quibus singillatim suo loco dicendum. Hic vero notandum, argumentum istud magnam habere cum scandalo, vel malo exemplo conjunctionem, hoc enim consuetudini præbet initium. Neque minorem habet cum humano respectu rationem, qui efficit, ut sequamur consuetudinem, ne digito notemur, vel irrideamur, nisi eidem conformemur. Denique non abhorret etiam a pravarum societatum frequentia, in quarum mores, actionesque facile abimus. Hac tamen cura nostra versabitur, ne varia hæc argumenta confundamus, & ne ex aliis mutuemur, quod huic valeat intervenire, cum per se maxima rerum copia diffluat.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti structura.

I. Ommunis sententia est, pluribus in rebus consuetudinem vim legis habere, atque ab eadem recedendum non esse; quod quidem habere locum nequit, nisi in licitis, honestisque ritibus, & iis quæ Reipublicæ utilia esse censentur, cui privatus quisque prodesse pro viribus debet. Hoc tamen minime prohibet, quominus in vitiis atque sceleribus ex perniciosissimis consuetudinibus quædam fiat lex: sed tunc lex hæc injusta est, lex turpis, lex dura, & tyrannica, cui ultra obsequuntur, qui consuetudinem pro vitæ suæ norma suscipiunt. Legis hujus injustitia primum innotescit, eo quod nos impellit in vitium, cui nulla vis, nullum imperium, nulla humana lex, nos addicere possunt. Neque deest turpitudo præsertim vero apud Christifideles, qui libertate filiorum Dei gaudere, eamque summa sedulitate tueri tenentur: hac enim lege, mundi, peccati, & mox etiam dæmonis mancipia fiunt. Illius tandem sævitia, atque tyrannica potestas patet ex molestiis iis rebus, quas exigit; & ex iis tormentis, quibus mundi sectatores excruciat. Hæc esse potest concionis partitio.

Quod ad primum punctum attinet, legis hujus per consuetudinem irrogatæ potest ostendi injustitia: 1. In ipso ejusdem principio, & origine; quandoquidem ex errore ortum suum ducit Tertulliano Teste; primum quidem ex ignorantia; deinde vero ex licentia, vel alio quopiam defectu, qui statim minus acer est, & magis simulatus, sensim sese insinuans, & obrepens, cui ansam præbet multitudo, quem fovet impunitas, & qui tandem per Magistratuum negligentiam, & inertiam eorum, qui malum in ipsis incunabulis opprimere possunt, convalescit, & confirmatur. 2. In seipsa; quia opposita est legi naturali, rectæ videlicet rationi; legi Divinæ, & Evangelicæ: contra quas leges nulla humana lex, statutum nullum ab hominibus excogitatum, nulla conventio inter homines inita potest præscribere. Ad hæc donec lex positiva humana, sive Ecclesiastica sit, sive civilis, in cujus etiam contemptum sæpe consuetudo mala invehitur, nihil remiserit, & auctoritas humana legitima vere eidem adversari persistit, prava consuetudo hac etiam de causa est vera rebellio. Sin alioquin juri vel naturali vel divino minime opponitur, fieri poterit, ut Legislatores aliqua tandem utantur indulgentia, & tunc vim obtinebit: sed toto eo temporis spatio, convalescit, & roboratur per justæ potestatis contemptum jugiter reclamantis, semper est criminosa. Hac una de causa, si cæteræ abessent, ex se non aliud est quam temeraria usurpatio, ac tumultuosus usus fictitiæ auctoritatis, quam sibi arrogat multitudo, quæ tantum abest, ut jure pro libidine legis irrogare possit, quod immo regimine indiget & corrigenda est legibus superioribus, quæ illam in officio contineant. Denique consuetudo constituta per consensum, vel explicitum, vel tacitum multitudinis bona esse potest, & vim legis obtinere, ubi nulli legitimæ auctoritati adversetur; ac de hoc istic sermo non est: sed prava est, & nulla tolerantia, vel malo exemplo probari poterit, ubi simul vel naturali legi, vel divinæ opponatur: 3. In effectibus suis, quia auctoritate sua probat scelus, quod ex se iniquitas est, ac injustitia, & recentibus etiam criminibus aperit viam. Janua aperta adducit ad alteram, quæ statim & ipsa aperitur. Multitudo, quæ hæc omnia constituit, nullam habet regulam, de licentia in licentiam progreditur &c.

Punctum alterum. Hæc consuetudinis lex christiano viro non potest non turpis esse, 1. Quia illum efficit profugum a JESU CHRISTO, cujus leges, atque præcepta quæ in baptismo fuerat amplexus, audet rejicere, ut Mundi sequatur consuetudines, quibus adeo solemniter renunciaverat; atque ita ostendit, se diligere mundum, se illi adhærere, se illi placere velle, & quemadmodum nemo potest duobus Dominis servire; ubi palam mundo inservit, illi obsequitur, ejusque leges sectatur, palam quodammodo profitetur, se non esse amplius servum Salvatoris hominum: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Ad Gal. 1. 2. Quia hæc eadem lex homines facit servos peccati, ut loquitur Apostolus: mundi enim consuetudines eas semper intelligimus, quæ nefariæ sunt, & perniciosæ. Ita quemadmodum Sanctus Paulus concupiscentiam appellat legem peccati, quæ erat in membris suis, & quæ ipsum captivabat, quod ad peccatum sollicitabat: nos hoc ipsum dicere possumus de consuetudine, quæ est mundi lex; illam videlicet legem esse peccati, ad illud enim nos quodammodo pertrahit. 3. Hæc necessaria illatione homines efficit servos dæmonis, quem Dei Filius mundi Principem vocat. Itaque hic etiam suas habet leges, quas irrogat subditis suis: & hæ leges sunt consuetudines, per quas dominatur mundo, & quibus, qui mundum sequuntur, sese submittere tenentur, tamquam illius mancipia sub detestabili tyranni jugo posita.

Punctum tertium. Lex est gravis, atque molesta, qua sæpe cogimur agere contra studia nostra, contra rationis nostræ lumina, contra stimulos conscientiæ nostræ: verumtamen non audemus eidem resistere, neque torrenti consuetudinis obluctari. Hic describere possumus eos labores, eaque tormenta, quæ patimur, ut nosmet accommodemus variæ induendi consuetudini, quæ quotidie immutatur. Cum plerumque non suppetat unde necessariis vitæ sumptibus suppleamus, volumus tamen, immo debemus æmulari eos, qui ejusdem sunt ordinis, & conditionis in illis, quæ ad familiam, supellectilem, victumque spectant: hæc enim est consuetudo; huic conformari debemus. Cum Reipublicæ calamitas aliqua vectigal, vel tributum præter ordinem nobis infligit, facere minime possumus, quominus in querimonias, & murmura erumpamus; verumtamen si recens aliqua indumentorum prodeat norma; si consuetudinis lex effusiores sumptus efflagitet, ne hiscere quidem audemus: & licet nobis integrum sit nobiscum dispensare; hoc tamen facere nemo audet. Quæ unquam lex durior, quæ servitus molestior! O beatos illos, quibus tanta constantia inest, ut libertate filiorum Dei perfruantur.

Nobis etiam pro concionis argumento assumere possumus provinciam diluendorum trium inanium prætextuum, qui vulgo afferuntur ab illis, qui mundi sequuntur consuetudines, & putant sese illis conformare debere. II.

Primus: Rem esse difficilem, ne impossibilem dicam, vivere in mundo, & a mundi vita abhorrere. Non aliud nobis inesse temperamentum, quam aliis; neque non magis quam alios mundi illecebris resistere posse. Ut ostendamus hujus prætextus iniquitatem, atque falsitatem, mundi hujus consuetudines in duas veluti classes sunt distinguendæ. Primum in eas, quæ honestæ, atque decoræ sunt juxta ideam æquam, & rationabilem, licet arbitrariam cujuscumque regionis; & quæ factæ sunt quodammodo necessariæ ad cujuscumque loci societatem civilem servandam. Secundo in eas, quæ vel invehunt morum licentiam, vel eidem suffragantur. Prioribus nosmet conformare non prohibemur: & Deus, qui non imperat, ut a mundo recedamus, per

per consequens nobis permittit, ut ejusdem leges, & consuetudines sectemur, eas, videlicet, in quibus nihil pravi est, vel quæ sunt indifferentes. Sed in iis consuetudinibus, quæ ad crimen adducunt, nullus esse potest legitimus prætextus se iisdem subjiciendi, quemadmodum nullus esse potest peccatum committendi, vel amandi virium; alterum enim necessario ex altero consequitur.

Secundus: Neminem credere se male agere ea facientem, quæ in communi usu sunt posita. Prætextus hic supponit per usum, & consuetudinem licitum fieri, quod in se criminosum est, ac divina lege prohibitum. At hic ipse prætextus acriter refellendus est; ipsa luce clarius ostendendo nullam consuetudinem auctoritate sua probari posse, quod per se vitiosum est, vel palam ad vitium adducit.

Tertius: Licet præ aliis, nostris studiis, nostroque ingenio dominari possemus, neminem velle tamen in populo solum esse, qui digito notetur, atque censuræ, & irrisioni eorum objiciatur, qui aliter vitam instituunt: verbo, iis, qui in eadem societate vivunt, vitam esse debere conformem ad pacem cum aliis servandam; alioquin fieri non posse, quin aliorum odium, atque contemptum subeamus. Prætextus hic probaret, oportere improbos, & vitiosos esse, quia alii tales sunt, & generalem corruptionem esse sequendam: Quod ex se corruit.

III. Tres sunt apertissimi nostræ salutis hostes, cum quibus nobis decertandum, & quibus nulla unquam est habenda fides & a quibus nos diligenter tueri debemus; mundus videlicet, caro, & Dæmon, qua in re ostendendi potest.

1. Pravam consuetudinem sua auctoritate probare, quod mundus facit, quia ille nos nequaquam seducit nisi malis exemplis, quæ nostris oculis abjicit, & pravis consuetudinibus, quas ipse constituit, & ad quas sequendas nos etiam invitat.

2. Consuetudo id insinuat, quod suggerit Dæmon: hic enim consuetudine utitur, ut nobis talia solatia, tales voluptates, atque mores persuadeat.

3. Consuetudo novas addit illecebras iis omnibus, quæ carni, sensibusque blandiuntur. *Hæc concionis structura desumpta est ex Hugone a Sancto Victore.*

IV. Pars prior. Ostendere possumus vim, atque imperium pravæ consuetudinis, quæ sæpe ratione ipsa, veritate, & fide potentior est, itaut negligantur, & contemnantur tres istæ regulæ quas nobis tradidit Deus, ut ad earum normam vita nostra componeretur; & præstet nobis sequi aliorum exempla, & consuetudines, quas constitutas invenimus.

Pars altera. Quænam vero est ratio perniciosas hasce consuetudines abolendi, ac efficiendi ne ab illis rapiamus. Hæc est, ut ratione utamur ad periculum agnoscendum; veritate ad intelligendam viam, quam sequi debemus; & fide, ut hanc tamquam actionum nostrarum ducem, normamque sequamur.

V. 1. Prava consuetudo ortum habet a crimine, quod sensim invehitur: at postquam constituta fuerit, hoc ipsum crimen sua probat auctoritate, & illud excusat.

2. Multitudo, atque ingens mortalium numerus efficit consuetudinem; sed hæc ipsa causa est, quod crimina sunt frequentiora, atque in infinitum augentur.

3. Consuetudo sceleri aufert deformitatem, & illius committendi verecundiam: & hac ipsa de causa illud efficit periculosius, quia spem omnem generatim aufert, fore ut ex tota multitudine malum adeo inveteratum auferatur, cujus illud additamentum est ipso malo pejus, quod videlicet minime penditur; atque fore ut ab ea consuetudine privati avertantur, qui nihil ibi intuentur, quod in pretio minime habeatur.

1. Mala consuetudo perennis est fons peccatorum, qui numquam exhauritur, & quo nos semper magis rapi patiemur.

VI. 2. Prætextus est, qui tantum abest, ut nos excuset, quod immo nocentiores efficit coram Deo, quandoquidem cum minime velimus de rebus judicium ferre ex nobismetipsis secundum rationem, quam Deus tradidit nobis, cumque alios Judices sequi cupiamus: malumus turbam sectari, quam aures præbere scripturis, atque voci Ecclesiæ divinæ, per quam non cessat nobis aptissimas exhibere regulas ad nosmet præmuniendos, atque illuminandos.

Punctum primum. Hoc malum publicum est, & commune, quod non ideo tamen cuilibet singillatim minus adfert detrimenti, simile pesti, & contagioso morbo, qui eo magis est metuendus, quo vulgatior.

VII. Punctum alterum. Hoc malum est pro nobis particulare in hoc eodem sensu magis extensum, magisque molestum, omnes pravos effectus suos, omnesque populationes, quas parit revocans, ut nos earum simus reddituri rationem, quia illas & exemplo, & suffragio probamus, quia quotidie errorem aliis prædicamus, quia eos omnes, a quibus videmur, in eumdem errorem invitamus; & quia quantum in nobis est, causa erimus, ne consuetudo hæc in sequentia sæcula propagetur. Quorum igitur malorum nos ita participes facimus!

VIII. Prava consuetudo ex S. Ambrosii sententia, est

1. Causa cæcitatis peccatoribus, qui se non errare putant eidem sese conformantes.

2. Causa Confusionis Ecclesiæ, quæ filios suos vitiis, sceleribusque addictos videt, & quæ terrarum orbem a se mutatum, atque conversum, in pristinum statum redeuntem intuetur.

3. Causa tentationis animabus justis, quæ urgentur, ut in parte validiores, frequentiores secedant. *Ex morali Dictionario.*

IX. 1. Facere, quod facit vitiosum vulgus, ejusque nefarias consuetudines sequi, magna est mentis infirmitas, vel dicam melius, insania mera. Hoc in priori puncto videbitis.

2. Pravas has consuetudines sequi, & sese conformare multitudini, quæ flagitiosa est, hæc major est cordis corruptio: hoc enim est quærere scelerum suorum impunitatem in multitudine iniquorum, atque ita cum illis societatem inire, magis lætari ob malum, quam si soli hoc patraremus: gaudere, quod virium plurimos habet sectatores; exultare, eo quod hic prætextus suppetat ad conscientiæ stimulos evitandos, atque ita quotidie magis in pejus ruere. Ubi enim nulli amplius sunt stimuli, cor est omnino corruptum.

X. 1. Quantum sit malum, pravam consuetudinem invehere; ita enim rei sumus omnium scelerum, quæ ab illam sequentibus perpetrantur.

2. Quanti intersit eidem celeriter obluctari, ne deinceps malum fiat incurabile. Interest charitatis, nisi ad id aliunde teneamur: interest justitiæ si publicam personam gerimus, vel si nosipsi huic periculo contulimus aliquid. *Ex eodem.*

XI. Christiani tres in classes dividi possunt, Sanctus quidam vir ait, cujus scripta inter S. Bernardi opera circumferuntur. Primi quidam sunt spiritus rudes & crassi, qui Christiani vocantur, eo quod Baptismate sacro abluti sunt, & extrinsecus id faciunt, quod veri Christiani; sed neque fide reguntur, neque charitate inflammantur. Secundi majori lumine pollent, & majori cognitione: sciunt quod facere tenentur, sed adhuc in ambiguo versantur; vitium quidem improbant, sed illud omnino non deserunt. Hi sunt semichristiani adhuc fluctuantes, atque nutantes. Tertii illi sunt, qui fideliter suis perfunguntur officiis, & qui numquam ab iisdem recedunt. Certum est autem pravæ consuetudines omnibus detrimentum afferre.

1. Primos secum trahunt, quin hi ne obnitantur quidem.

2. Alios

2. Alios impellunt, ut certi consilii potiorem sequantur numerum, & putent nihil sibi ab illis esse metuendum.

3. Tertios denique quatiunt, ac nutantes efficiunt. *Ex eodem*.

XII. 1. Nihil in Christianismo minorem habere debet auctoritatem, quam pravæ consuetudines, quandoquidem omnes Sancti, verique Fideles semper contra easdem invecti sunt. Hoc ostendendum est plurimis auctoritatibus, atque exemplis, quæ validam impressionem efficiant.

2. Mala consuetudo per consequens, nonnisi falsam pacem, fictamque conscientiæ securitatem tribuere potest illis, qui hoc utuntur prætextu, ut in sceleribus suis volutentur. Peccator jam nutans, & labans urgendus est, ut contra fallaces has præventiones suffragium ferat; eique infelix ista confidentia est auferenda.

XIII. Ita vivitur, inquiunt mundani. Quomodo separari possumus a turba, a qua trahimur? Deinde vero vobis cum mundo est agendum, quomodo vero semper vitam ducere possumus oppositam mundo! Vivendum est, ut alii vivunt. Ut horum propositio melius intelligeretur, addere etiam possent, opus esse, ut damnentur cum iis, qui damnantur. Falsa hæc sententia diluenda est, atque huic opponendæ aliæ duæ.

Prima. Vivendum est cum iis, qui bene vivunt: non debemus velle omnibus interesse societatibus, omnibus gaudere solatiis, omnibus implicari negotiis, immo neque omnes mundi regulas, omnesque mores sequi: sed paulo remotiorem vitam vivere cum iis, qui vitam ducunt sanctiorem.

Altera. Bene vivendum cum iis etiam, qui male vivunt; sublimes virtutes exercere debemus, ut nosmet præmuniamus, atque eidem consuetudinis torrenti nosmet opponamus, ut spem auferamus nosmet secum trahendi illis, qui in interitum abeunt: ut eos revocemus, & perfugium præbeamus illis, qui eosdem vellent effugere. *Pater la Pesse tom. 4. de Metu sese in Mundo distinguendi sancto vivendi genere*.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, atque Auctores, ex quibus hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras elaborandas.

Sancti Patres. SAnctus Cyprianus in Epistola ad Donatum plurima habet hujus argumenti.

Idem in libro de spectaculis ostendit malas consuetudines tribuere vitiis Patronos, & defensores.

Tertullianus libro *de velandis Virginibus ostendit* pravas consuetudines oriri ex simplicitate, ignorantia, & ex vitiis populorum.

S. Augustinus *Serm*. 18. *de verbis Domini* ostendit contra malas consuetudines obluctandum esse, & docet quomodo agendum cum iis, qui easdem sequuntur.

Idem *l*. 6. *de Civit. cap*. 10. ostendit insanam, ac indignam eorum servitutem, qui pravis consuetudinibus obsequuntur.

Idem *l*. 3. *de Doctrina Christiana* præstantissimas adfert regulas dignoscendi pravas consuetudines a bonis.

S. Chrysostomus *Serm*. 26. *ad Populum Antiochenum* invehitur contra superstitiosam consuetudinem, quæ eo in populo percrebuerat.

Idem *hom*. 66. *in c*. 27. *Genesis* docet pravam consuetudinem non excusare a peccato, alioquin omnia excusanda esse flagitia.

Salvianus de hac re passim verba facit; præsertim vero in libris de Providentia.

Ascetici. Pater Bonal ex S. Francisci familia de Observantia, eo libro, cui titulus *le Chrètien du Tems*, hoc argumentum fusius pertractavit in quarta parte operis sui.

Concionatores. P. Girouſt in Adventu prætextu quinto sermonem habet de consuetudine, ubi docet multitudinem, & qualitatem eorum, qui consuetudinem instituunt, duos esse inanes prætextus.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Fidelis argumenta in Adventu habet hujus argumenti sermonem.

In Morali dictionario duos sermones, plurimasque considerationes invenietis.

Centuriatores hoc argumentum cum habituali peccato confuderunt.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

NON *sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio, plurimorum acquiesces sententia, ut a vero devies*. Exod. 23.

Omnis caro corruperat viam suam. Genes. 6.

Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum....... & factum est illis in scandalum. Ps. 105.

Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem? Ps. 93.

Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Ps. 13.

Ergo erravimus a via veritatis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Sap. 5.

Interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est. Ibidem 14.

Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea. Jer. 9.

Leges populorum vana sunt. Idem 10.

Intrate per angustam portam, quia lata porta & spaciosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam, Quam angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam. Matth. 7.

Ab initio non fuit sic. Matth. 19.

Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Matth. 15.

Nolite conformari huic sæculo. Ad Rom. 12.

Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 1. ad Cor. 11.

Non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Ibid. 10.

Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Ad Galat. 1.

Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. Jacob. 4.

Exempla ex Veteri Testamento decerpta.

Israelitæ captivitatis tempore in Assyriorum mores abierunt. NIhil melius ostendere nobis valet potestatem, atque imperium consuetudinis in animos mortalium, quam Israelitarum exemplum, qui in Babylonicam abducti fuerunt captivitatem, qui non multo post in Assyriorum vitia, & consuetudines abierunt, ita ut illis commixti, atque confusi, & quamprimum exemplis eorum corrupti cum cupiditate postliminio revertendi abjecerint quoque eos pietatis sensus, quos cum ipso lacte hauserant, atque thus adoleverint Idolis eorum, inter quos versabantur. Tantæ difficultatis est propulsare vim illam, quam consuetudo mortalium animis infert, qui plerumque id faciunt, quod ab aliis fieri conspiciunt, & qui, nisi peculiaris Dei gratia opituletur, nimis imbecilles sunt, ut obnitantur contra torrentem consuetudinis, omnia secum late trahentem.

Nonne mirum est, quod consuetudo dulcedinem quamdam inspergat iis etiam rebus, quæ omni prorsus sapore carent, & quas antea detestabamur? Hoc tamen apparuit in iisdem Israelitis, qui Ægy-

Ægyptia eruti captivitate, atque enutriti manna, quæ omne saporis genus complectebatur, & quam ideo tamquam suavissimam escam comedere debebant, illius nausea capti cæpas, & allia concupiverunt, quibus in Ægypto assueverant. Sane dicendum est, consuetudinem qua bruta ferocissima, atque ingenia magis indomita cicurantur, immutare quæque temperamenta, antipathias, gustus, mentem, sensus, ac studia magis naturalia: & jure dicunt, hanc alteram esse naturam priori multo validiorem.

Deus æque & auctores, & sectatores pravæ cōsuetudinis plectit.

Qui malas invexere consuetudines pravo exemplo, a Deo punientur citra quamlibet dubitationem: sed Divina justitia minime parcet iis, qui pravis adhæserunt consuetudinibus. Jeroboam impius Rex Israel fecit peccare populum suum, eique fuit scandali causa; ideo nomen illius maledictum erit in æternum, ejusque memoriam sacra Biblia execrantur. Meritas quidem ipse luit scelerum pœnas: sed populus qui pravum ejusdem exemplum secutus est, aliquamne coram Deo peccati sui nactus est excusationem? Audite quomodo Deus ipse loquatur tertio Regum cap. 14. post damnationem per Abdiam Prophetam contra Jeroboam prolatam, quam totius domus ejusdem excidium subsecutum est, hæc addit idem Propheta contra populum, qui nefarium pessimi Regis exemplum fuerat secutus: *Et tradet Dominus Israel, propter peccata Jeroboam, qui peccavit, & peccare fecit Israel*: propter peccata Jeroboam, quem infidelis hic populus imitatus fuerat, tradet Deus universum Israel in potestatem hostium ipsius, ab ipsis penitus delendum, atque exterminandum.

Diligenter perpendite omnia ultionis exempla, qua Deus in mortales desævit propter eorum scelera, & iniquitates: Ibique considerate, Deum semper, & vitiorum auctores, & eorumdem participes; & eos, qui consuetudini dederunt initium, & qui post illam abiere, pari pœna mulctasse. In Diluvio universali, in quo infames illi Gigantes, illi potentes sæculi, omnes interiere, numquid illi solum, quorum scelera magis erant insignia, debitas scelerum suorum pœnas luerunt? Cum infames Urbes Sodoma, & Gomorrha conflagrarunt, qui peccaverant solum, eo quod consuetudinem, & aliorum exempla secuti fuerant, evaseruntne eas flammas, quibus alii fuerunt consumpti? numquid Pharao solus, ejusque Aulici, Consiliarii, Ministri, & Magi, Ægyptiis plagis fuere percussi? An vero populus omnis peccati particeps, fuit etiam supplicii socius? Nonne omnis exercitus secutus exemplum Regis populum Dei persequentis eodem fuit involutus naufragio? Nonne imbecilles animæ quæ ad aurei Vituli cultum sese rapi passæ fuerant, populi multitudine, & exemplo coactæ; nonne in ore gladii cæsæ sunt, atque fuerunt ex numero viginti trium millium, quorum sanguine Filii Levi manus suas consecrarunt?

Matathiæ virtus pravis consuetudinibus resistentis. 1. Mach. 2.

Antiochus armata manu Jerosoymam ingressus Judæis imperavit, ut Idolis thus adolerent, cujus imperio cum plurimi turpissime obtemperassent, ratus est futurum ut Matathias etiam imperata exequeretur. Regis Nuntius illum convenit, dixitque illi: Princeps, & clarissimus, & magnus es in hac Civitate; potes si vis Regis gratiam demereri: fac solum quod fecerunt omnes populi, qui permanserunt in Jerusalem; dignabitur ille, te, filiosque tuos sua gratia, evehetque domum tuam, & locupletissimis muneribus decorabit. Quid? ego ne (elata voce Matathias exclamat, ut audiatur a populo) ego ne Dei mei legem infringam, ut Ethnicorum superstitionibus hæream? Licet gentes omnes Regi Antiocho obsequerentur; licet omnes Judæi id efficerent, quod ille jubet, ego, filii, fratresque mei non recedemus ab ea obedientia, quam legi Patrum nostrorum debemus. Generosos profecto sensus, quos nosipsi debemus concipere; sancta, & justa verba, quæ illis reddere debemus, qui nos hortantur, ut prophanas consuetudines, moresque divinis legibus oppositos sequamur?

Alia eorum exempla qui pravis cōsuetudinibus obstiterunt.

Quid autem facis, ubi teipsum excusare contendis ingenti eorum numero, qui te præcesserunt, & pertraxerunt post se? Contra teipsum adfers argumenta. Quid igitur faciendum est? Sinendum est, uti fideles Israelitæ fecerunt, populum flectere genua coram Baal, atque honor Dei Israel servandus. Relinquendum est quemadmodum Tobias junior præstitit, ut adorantium turbæ sacrilegæ impiis Jeroboami Idolis adoleant Thura; tu vero interim in Templum Domini secede, eique preces effunde. Dicendum est, quod olim Sapiens, & Sanctus Senex Eleazarus dixit: si Deum ejusque legem prodidero, potero quidem fortasse hominum aucupari gratiam, eorumque evitare inimicitias, sed in me cœlestem iram conflabo, nihilque tueri me poterit adversus ultionem ejusdem. Mihi vero præstat potius ut ea secutus, quæ fallacibus hominum sententiis, perniciosisque consuetudinibus adversantur, eorum odium, atque contemptum subeam, quam decidam in manum supremi Judicis, cui nihil resistere potest, & contra quem nulla humana potentia me defendere poterit.

Exempla ex Novo Testamento desumpta.

Dei Filius in Mundū venit, ut pravas illius consuetudines aboleret.

NON extrema inter causas, propter quas Dei Filius in terras descendit, hæc fuit; ut omnino tolleret, atque aboleret consuetudines partim vitiosas, partim sacrilegas, atque nefarias, quibus universus terrarum orbis diffluebat: non enim, ut Sancti Patres inquiunt, ullus esse homo poterat, nisi simul, & Deus esset, qui Judæis, atque Gentilibus persuaderet, aliter vivendum esse, quam vixissent majores sui, & aliter quam consanguinei, similesque sui, inter quos nati erant, hactenus vixerent. Quælibet humanæ rationes nimis fuissent infirmæ, ut mortalium hominum sensus, & consuetudines immutarentur: infinita virtus, divina auctoritas, verbo, hominis Dei requirebatur exemplum, ut hominibus antiquis auferrentur errores, ut inveterati usus antiquarentur, & convellerentur vitia, quæ longo sæculorum decursu abierant in consuetudinem.

Consuetudines malæ, cujuscumque generis illæ sint, contra Dei Legem præscriptionis vim obtinere non possunt. Hæc fuit causa, propter quam Dei Filius olim Pharisæorum, legisque Sacerdotum nefariam redarguit consuetudinem, quam sub pietatis prætextu invexerant, & quæ unam ex præcipuis decalogi legibus evertebat; abusum videlicet, quem populo persuaserant conferendi ministris Templi ea, quæ erant necessaria, ut parentes suos ad ultimam necessitatem redactos aliquo solatio reficerent; ita enim se nequaquam teneri arbitrabantur laborantibus opem ferre, & illud explere munus quod naturali simul, & divinæ legi innixum est. Advertite quæso quid illi JESUS CHRISTUS respondeat: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*. Matth. 15. O tristes Hypocritæ, quid contenditis? hic usus, hæc consuetudo non proficiscitur a Deo, qui præcepit, ut parentes colerentur, atque totis viribus auxilium ipsis ferretur. Hæc fallax est legis interpretatio ad saturandam crudelem notitiam vestram excogitata; vestrasque traditiones divino subrogatis imperio: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*.

Regis dispensationes tolerantur magis, quam permittuntur.

Legimus etiam apud S. Matthæum cap. 19. Pharisæos, ut Salvatorem tentarent quondam ex eo quæsivisse, liceatne homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? cumque JESUS CHRISTUS explicitis Scripturæ verbis probasset hoc Dei præceptis opponi, & ab hominibus dividenda non esse, quæ Deus arcte conjunxit: hæc si vera sunt: Pharisæi urgere cœperunt, cur ergo Moyses præcepit, ut viro integrum esset relinquere Uxorem suam illi tradendo chirographum, quo eam a se repudiari testaretur? Tunc vero Salvator respondit: pro-

propter duritiam cordis vestri hac usus est indulgentia Moyses: *etenim ab initio non fuit sic*. Ita quot abusus pro legibus a nobis habentur, licet nec Dei, nec Prophetarum illis accedat auctoritas? Quot æqua esse censemus, quæ permittuntur, vel potius tolerantur solum, quia nullum pati possunt remedium?

Ut quamptimum hæ consuetudines antiquentur, quas alii statuere conantur, vel ut convellantur antiquæ, quibus alii mordicus inhærere volunt, & quæ ad flagitia, & scelera aperiunt viam, uti debemus ratione, & exemplo S. Pauli, qui videns christianos, qui erant Corinthi persistere velle in ea consuetudine, vel eam instaurare, quæ vigebat apud ipsos, antequam fidem amplecterentur, sibimet ultro citroque lites inferendi; totis viribus obluctatus est ea recensens mala, quæ ex illa certissime proficiscerentur, eisque tandem ostendens hunc non esse fidelium morem, & se numquam passurum, ut in Ecclesiam introduceretur. Quam felix floridusque hodierna die esset Christianismus, si hæc oppositio vel interdictum vim suam semper servasset: Sed consuetudo prævaluit, & hoc hodie malum est incurabile.

APPLICATIONES.

In eorum mores trahimus, cū quibus vivimus.

BEatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in Cathedra pestilentiæ non sedit. *Psalm. 1.* S. Augustinus in horum Prophetæ verborum ordine mysterium quoddam deprehendit; *abiit*, *stetit*, *sedit*. Primum enim in impiorum cætum abimus; *abiit*; hic est primus quodammodo gressus, qui fit in lata ea via, de qua loquitur Evangelium. Secundo cum illis initur consuetudo, eorum vivendi genus, & mores inquirimus, & illorum sententiæ sensim in mentem nostram pervadunt. Status noster, genus, & nonnumquam affinitas, atque propinquitas nos cum illis conjungentes, nobis afferunt, uti videtur, omnem metuendi causam, atque ab eorum exemplis cavendis. Idcirco tantum abest, quod contra perniciosos illorum sensus nobis cavendum esse putemus, quod immo in illis immoramur, *stetit*: nobis placent, eos gustamus, eos sequi volumus: ea enim quæ jugiter ob oculos nostros versantur sensim cor ipsum pervadunt; & ut plurimum ea sectamur, quæ frequentius approbari videmus. Illud vero tandem cladem nostram absolvit, quia hanc ipsam consuetudinem tamquam vivendi normam assumimus, & ab eadem nonnisi cum gravissimis doloribus recedere possumus; in ea confirmamur, eam tuemur, quasi tutissimam aliquam fidei nostræ doctrinam. *Desumptum ex Auctore Sermonum in omnia Ethica Christianæ argumenta. Serm. 14. Adventus.*

Fac nobis Deos, qui nos præcedant. Exod. 32. Israelitæ ex Duce, a quo per maria, atque deserta in terram promissam deducebantur, petierunt olim, ut ipsis visibiles proponeret Deos, qui præirent, & ipsos per ignota ea loca sequerentur. Populus ille, qui tanto studio in idololatriam ferebatur, videre cupiebat duces, rectoresque suos, ne aberraret; sed in hoc ipso maxime errabat. Hi enim visibiles Dii erant Idola, & duces, qui nequaquam præcedere potuissent; quos cæcos Duces si fuissent secuti, multo magis in interitum festinassent. At crederesne hodiernos homines plerumque Idolum sequi, ac visibilem Deum, qui cum S. Paulo vocari potest, Deus hujus sæculi? *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium*. 2. Cor. 4. Hoc autem Idolum est consuetudo; & aliorum exemplum, quod quisque sequi vult ac sibi honori vertit, si illud sequatur. Inest huic tanta illecebra, ut summa cum difficultate ab eo nobis cavere possimus. *Ex Auctore eodem.*

Male consuetudines viæ sunt fallentes eos, qui sequuntur illas.

Sicut exaltantur Cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris. Isaiæ 55. Cum Spiritus Sanctus de consuetudinibus verba faciens illas vias hominum vocat, ideo hoc utitur vocabulo, quod nihil illis similius est, quam hujusmodi latæ viæ, per quas itur, quia omnes illac ire conspiciuntur. Præcedentium vestigia trahunt subsequentes quin hæc duo curentur; alterum, quod qui errant, efficere quidem possunt, ut trita sit via, non autem, ut recta; alterum hanc viam esse stratam, quia prætereuntium quilibet vestigia reliquit, qui cum essent primi, æque semitam ignorabant, ac illi, qui subsecuti sunt. *P. Bonal*.

Sicut in manu forti erudivit me, ne irem in via populi hujus. Isaiæ 8. Hoc est, Deus forti, electaque sua gratia me servavit incolumem ab eo malo, in quod me præcipitem egisset idololatræ populi societas, atque diutior incolatus in ea gente, cujus viæ perversæ, ac nefariæ consuetudines me pertraxissent: nam perinde ac sola vox suffectura non esset, ut me illuc averteret, omnem brachii virtutem adhibuit. Verum ea, quæ adduntur a Propheta apertius adhuc indigitant ferme insuperabilem difficultatem pravis consuetudinibus obluctandi, vel easdem abdicandi, ubi post illas semel abierimus: *omnia enim, quæ loquitur populus iste, conjuratio est*. Publicus consensus videtur societates omnes in tot conjuratorum manus immutasse, quæ simul contra rectam Domini viam coaluerunt: propinqui, amici, æquales, & qui supra nos sunt, simul conjurasse videntur, ne tenerent, ne ostenderent, ne nos sequi permitterent, nisi latam viam, quæ ducit ad mortem.

Constanter consuetudinis torrenti debemus obniti.

Etiamsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. Matth. 26. Hæc verus fidelis dicere deberet non spiritu præsumptionis, quemadmodum ea protulit S. Petrus Apostolus, pridie quam JESUS pateretur; sed sensu christianæ generositatis, & illius fidelitatis, quam debemus Domino, cui famulamur. Etiamsi mortales omnes, Domine, te desererent, & unusquisque consuetudinis torrente raptus latam sequeretur viam, quæ ad mortem, & damnationem adducit, ego unus huic torrenti obniterer, neque multitudine abripi sinerem. Ita licet omnes sancta in jocum traducerent, vel in cœtibus proximi existimationem discerperent; ego unus contra adeo perniciosam consuetudinem obluctarer. Quamvis conspicerem omnes homines ad periculosa spectacula confluere, in alea, mundanisque solatiis tempus terere, ego illos, pro viribus avertam, atque tibi fidelis adhærere persistam. Licet unus partes tuas sequi deberem, licet ab omnibus contemni, atque increpari, constanter hærebo, neque patiar, ut secum me consuetudinis impetus rapiat: etiamsi *omnes scandalizati fuerint in te: ego numquam scandalizabor*.

Nos legem habemus, & secundum legem debet mori. Joannis 19. Hoc dixerunt Judæi rabie, ac furore perciti contra Dei Filium, Pilatum coarctuti, ut morti adjudicaret illum, quem tamquam nocentissimum ad illius Tribunal pertraxerant. Hoc ipsum plerique Christiani hodierna quoque die dicunt, nisi ore, saltem corde: se habere consuetudinem vim legis habentem, secundum quam Salvator mori debet. Cum enim illi, qui in luxu, & voluptatibus mollem vitam ducit, dico hanc vivendi rationem esse Evangelio contrariam; consuetudinem hanc, vel hunc usum obesse conscientiæ; ideoque Filio Dei mortem inferre; quandoquidem quodlibet mortale peccatum causa est dolorum ipsius, cruci ejus inscripta, eique aufert aliud vitæ genus, quam divinus hic Salvator habet in animabus nostris per gratiam: frigide respondebit hanc esse consuetudinem; hodierna die non aliter vitam agi posse; faciendum quod alii faciant; sibi non esse reformandum mundum, neque præscribendas illi novas leges, sed potius sequendas illas, quæ in usu sunt positæ: *Nos habemus legem, & secundum legem debet mori*. Perversus hic mundus quamplurimas habet id genus leges, hoc est consuetudines, & agendi modos, qui Filio Dei inferunt mor-

tem; quandoquidem totidem sunt consuetudines noxiæ.

Crudelitas, & iniquitas Mundi volentis, nos gratiæ mori, potius quam legem suæ minime sequi.

Secundum legem nostram debet mori. Cum ex ea Matre mundana, ac parum devota quæro, cur velit, ut ipsius quoque filia iisdem vestigiis insistat; ex hoc patre ambitioso, negotiis dedito, Dei metu carente, voluptatum, atque societatum cupido, cur velit filium quoque suum similiter agere: ex falsis amicis, qui ferre nequeunt quod aliquis hactenus sapiens in virtute persistat, ex quo illius nacti sunt amicitiam; nonne satis est, si ipsi tantum damnentur, quin velint, ut filius etiam, filia, & amicus iisdem suppliciis addicantur? Rèddent; *nos legem habemus, & secundum legem debet mori, &c.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum hoc in loco.

EXempla fiunt, quæ esse jam facinora destiterunt, lenocinante ad vitia publicæ authoritatis malo. Cypr. Epist. 1.

Unde non jam vitiis excusatio, sed authoritas datur. Idem, l. de Spectaculis.

Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est: relicto ergo errore, sequamur veritatem. Idem, Epist. ad Pompon.

Homicidium cum admittunt singuli, crimen est; virtus vocatur cum publice geritur. Idem, Epist. ad Donatum.

Consensere jura peccatis, & cœpit licitum esse quod publicum est. Idem, ibidem.

Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit. Tertull. de veland. Virg.

Non prævaleat Evangelio, neque privilegium nationum, neque patrocinium personarum. Idem, ibidem.

Consuetudo initium ab aliqua ignorantia, vel simplicitate sortita, in usum per successionem corroboratur. Idem, ibid.

Sanitatis patrocinium insanientium turba est. Aug. l. 6. de Civit.

Consuetudo non debet impedire veritatem Dei. Idem, in Ps. 30.

Invadens omnia consuetudo pro lege observatur. Aug. l. de decem Chordis, c. 4.

Peccata quamvis magna & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur. Idem, l. de Fide, Spe, & Charitate, cap. 8.

Væ tibi flumen moris humani! quis resistit tibi? quandiu non siccaberis? Idem, libr. 1. Confess. cap. 16.

Num aliorum peccata virtutes tuæ sunt? an malorum tuorum putas solatium, si multos tui similes habeas? Hier. Epist. 48.

Per diversa errorum diverticula ad viam multitudinis revertimur. Idem.

Vive cum paucis, ut cum paucis inveniri merearis in regno Dei. Cassian. l. 4. Instit.

Ad negligentiam vitæ nos negligentium turba non persuadeat; nec ad damnum propriæ salutis, alienis ducamur erroribus. S. Eucherius, Epist. ad Valer.

Quid nobis in illo Dei judicio proderit multitudo, ubi singuli judicabuntur? Idem.

Attendis quid alius faciat, non quod Deus te facere jubeat; metiris te comparatione pejoris, non vita melioris. Bernard.

Debet nos judicium veritatis ducere, non privilegium consuetudinis. Idem.

Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. Seneca, l. de Beata Vita, cap. 2.

Inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur. Idem, Epist. 123.

Recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est. Idem, Epist. 58.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia, atque Ethicæ Fontibus hauriri possit ad hoc argumentum.

Quid sit consuetudo, & quid per illam intelligatur.

CONsuetudo generatim sumpta est jus quoddam moribus populorum invectum, quod transit in legem, & vim legis obtinet, ubi peculiari aliqua in occasione lex ipsa deficiat. Hanc tradit definitionem Gratianus *dist. 1. cap. Consuetudo.* Eam paucioribus verbis S. Augustinus definit, cum ait, illam esse consensum multarum personarum simul viventium, eamdemque vivendi rationem habentium, quæ temporum successione id facit, quod usum vocamus. S. Thomas, aliique Theologi, eam inter leges recensent, eique legis nomen tribuunt: & quemadmodum hoc jus est non scriptum, & quod usus unice docet, sensim instituitur non vi aut minis, sed libero populorum consensu, qui eidem sese accommodant primum & mox unanimi voluntate conformant. Quibus S. Thomas 1. 2. *q. 97. art. 3. ad 2. & 3.* addit, humanam legem, de qua hic quæstio est, non solum per consuetudinem immutari posse, vel interpretationem suscipere; sed consuetudinem posse quoque vim legis obtinere: cum enim est honesta, atque a Principe tolerata, declarat, ac sufficienter prodit legislatoris voluntatem, & mox potest interpretari legem, eamque usu contrario abrogare.

Cum mores esse possint, vel boni, vel mali, vel neutri, possunt etiam in tres species distingui. Quædam sunt consuetudines Sanctæ, laudabiles, atque utiles Reipublicæ; quædam etiam, a quibus abhorrere citra peccatum non possumus, licet veteri tantum traditioni, atque immemorabili sint innixæ: aliæ vero, a quibus rationabiliter abhorrere non possumus, si inter homines vitam ducere volumus. Ita jurisprudentia suas consuetudiness habet; societas Civilis suas; omnia Regna, nationes omnes, omnesque fere Civitates suas, quæ subditos obligant, & eos, qui ibi sedem suam collocare statuerunt. Non desunt etiam neutræ consuetudines, quibus operæ pretium est sese conformare ad evitandam adfectatæ singularitatis exprobrationem; aliæ vero sunt malæ, & perniciosæ, quas nec recta ratio, nec publica utilitas, nec bonus ordo Reipublicæ, nec certæ vitæ necessitates invexerunt: consuetudines modo profectæ ex populi cæcitate, modo ex morum nequitia, modo ex perniciosis exemplis, modo ex quibusdam dispensationibus, quæ interitum afferunt, & iis a quibus permittuntur, & iis, qui illas sequuntur. Hæ illæ sunt nefariæ consuetudines, contra quas Concionator zelum suum exercere debet, & de quibus unice in hoc tractatu sermo est.

Pravarum consuetudinum causæ.

Pravarum harum consuetudinum causæ ad quatuor præcipuas redigi possunt. Prima est, pravum eorum exemplum, qui in honore sunt constituti, & aliqua auctoritate insigniti. Profecto cum illi seipsos a legibus dispensant, vel sibi permittunt aliquid contra bonos mores; exemplum eorum; cujus eo major est vis, quo magis illi suspiciuntur, aliis præbet ansam hoc ipsum faciendi, ita ut illos imitante multitudine brevi intervallo publica fiat consuetudo. Altera est populorum assentatio, qui ipsa eorum vitia, imitantur, a quibus reguntur: vel etiam inter pares, qui alios offendere nolunt, cum quibus vitam ducere tenentur, eorumdem moribus sese accommodantes, & ab aliis invectam consuetudinem confirmantes. Tertia est naturæ nostræ corruptio, atque insitum illud studium, quo homines in malum rapiuntur: placet enim intueri ex aliorum exemplo sceleribus nostris auctoritatem accedere, cumque vicissim exemplo nostro aliena vitia confirmemus, ea particulari consuetudine, quæ illuc obrepit, & ex alia quæ

isthuc invehitur; tandem consuetudinem efficimus generalem. Quarta est Magistratuum hac in re dissimulatio, & tolerantia: inertia, quæ sæpe soporem immittit in iis, quorum est efficere, ut leges serventur, ac sedulo invigilare actionibus publicis, ut omnia flagitia tollantur. Sæpe enim usuvenit, ut Ministri, quos populi reverentur, ac metuunt, Principum quidem, & Reipublicæ negotia diligentius curent, non autem Dei; ita ut, quin ipsi pravum tribuant exemplum, de quo hoc in loco non agimus, & licet per se irreprehensibiles sint, tamen corripiendi sint propter eam indulgentiam, qua patiuntur nefarios usus, & eas consuetudines obrepere quæ tantum, & bonis moribus, & Religioni afferunt detrimentum. Neque ambigendum est quominus coram Deo propter simplicem omissionem, & curæ defectum sint æque nocentes ac illi, qui actionibus suis hos abusus, & has consuetudines invehunt. Cum vero qui sanctiori auctoritate insigniti sunt, propter incuriam æqualia ingruere sinunt mala, quodnam judicium debent præstolari?

Quomodo fiat consuetudo. Consuetudo non tota simul, neque eodem temporis momento invehitur, sed paulatim ac temporum successione, quod ipsum consuetudinis vocabulum satis indigitat. Itaque actio prima, licet publica, atque populi totius consensu facta, & in qua plurimi interfuerunt, dici quidem potest initium consuetudinis; at consuetudo hæc nondum est efformata, donec per tempus, & usum receptum fuerit, quod fuerat inceptum. Sed cum aliquis primum præbuit exemplum, alter illud sequitur, & imitatur; alii deinde his primis adhærent, & populus quin perpendat, quo trahatur, sese duci sinit, & ea via graditur, qua ipsum naturale rapit studium. Ita generalis consuetudo, quæ non aliud est nisi continuatio particularium actionum uniuscujusque, statuitur, & roboratur; ut quod evitare non posset censoriam notam, atque vituperationem eorum, qui virtute, rectoque sensu sunt præditi, si semel tantum vel tantum ab uno factum fuisset; tandem generaliter adeo receptum sit atque approbatum, postquam sæpe, & dici hoc ipsum multi fecerunt; ut sapientes illi viri, qui, cum malum oriretur, illud jure improbare videbantur, vel alii non minoribus virtutibus insignes, qui in eorum locum suffecti, vellent adhuc adversari malo, quod jam pedem fixit; non videantur amplius audiendi.

Popularium consuetudinum vis imperiumque. Docet experientia, inter veras leges, eas, quas consuetudines irrogaverunt, fortiores esse; atque diuturniores illis, quæ in tabulis tantum descriptæ sunt; & idem dici potest de vitiis, publicisque sceleribus, quæ temporum successione in legem quodammodo transierunt. Hinc fit, ut quamvis Ecclesia nequicquam censuras intentet, invehantur Concionatores, bonique viri conquerantur, & gemant, videmus tamen pessimas consuetudines, turpes Ethnicæ licentiæ reliquias, quæ inter fideles sese perennarunt. SS. Augustinus, Ambrosius, & Chrysostomus conquerebantur de quibusdam temporum suorum consuetudinibus, quæ superstitionem redolebant, qualis hodie quoque est bacchanaliorum licentia; quidam ludi, & quædam spectacula, quæ nulla vel sæcularis, vel Ecclesiastica lex potuit abolere, & quæ post tot sæcula ad nos usque pervenerunt.

Gravissimum damnum, quod prava consuetudo adfert; non illud solum est, quod plurimorum peccatorum est causa, verum error est, & falsa persuasio, quam in mentibus nostris relinquit, nos satis esse excusatos, cum illam præteximus. Mira profecto cæcitas, quæ efficit, ut sæpe infringantur Sanctissimæ Christianismi leges sine ullo metu, immo etiam sine ulla religione; quia nemo se teneri putat eas servare leges, quæ servantur a nemine; neque nemo persuadere sibi potest, se perperam agere id agentem, quod ab aliis agi intuetur. Ita consuetudo quamtumvis mala, atque flagitiosa, fit norma plurimorum, qui crassa stupiditate non aliud vitæ genus agnoscunt, quam quod suis oculis intuentur; cum interim alii, qui melius has ipsas res dignoscere possent, si earum curam gerere dignarentur; quin diligentius revocent ad examen, utrum consuetudo illa bona sit, an nefaria, satis esse putant scire hanc consuetudinem esse, ne sibi licere credant eamdem sequi; cum non aliam excusationem prætexere possint, quam hanc ipsam consuetudinem, quæ ipsorum favet libertati.

Discrimen inter Ecclesiasticas, & populares consuetudines. Cum sermo est de veteri consuetudine, atque antiquis traditionibus, Ecclesiasticæ a popularibus sunt distinguendæ; nemo enim animo concipere potest quot errores, sententiæ erroneæ, superstitiones obrepserint, atque viguerint in rudi populo, qui narratiunculas fictitias, merasque fabulas putat esse constantes veritates, quas alii quidem a Patribus suis acceperunt, alii ad filios suos transmittunt. Quod autem pertinet ad Consuetudines Ecclesiæ; quin verba faciamus de veritatibus fidei, quæ nostri argumenti non sunt; illis omnino nosmet conformare debemus. Quodsi in iis quæ ad mores pertinent, illa nonnumquam indulgentia usa est, & cum filiis suis quadam utitur suavitate, notandum tamen est, ab illa numquam approbatum fuisse, quod nefas est; & si quando toleravit crimina quædam, neque adeo severe in quosdam abusus animadvertere perseveravit, ea causa fuit, quod illos prohibere non potuit, vel quod in rem minime censuit omnem legum suarum severitatem impendere ad illos coercendos, verita ne majus aliquod malum sequeretur. Verumtamen ea possessio, quam nos assecutos arbitramur sub hoc prætextu crimina eadem committendi, criminibus ipsis nullam auctoritatem impertit.

S. Augustinus hac in re sapientissimum suppeditat monitum, cum ait, ubi de fide agitur, nobis non esse recedendum ab illis, quæ generatim in fidelium consuetudine posita esse cognoscimus: *Multitudini credentium defertur*; idque Ecclesiæ præ cæteris me submittit, concludit ille, populorum omnium auctoritas, atque consensus; *Tenet me consensus populorum*. Verum enim vero si bonum est credere, quod plures credunt, sæpe bonum non est agere, quod plures agunt? & in praxi solam veritatem sequi debemus, ut docet S. Bernardus, non autem fallax privilegium, quod mundus multitudini tribuit, & quo cum gravissimo periculo abutimur: *Debet nos judicium veritatis ducere, non privilegium consuetudinis*. Hoc est quin rationem habeamus eorum, quæ a mundo fiunt, ea solum investiganda sunt, quæ sunt facienda, eaque, ubi cognita fuerint, omnino facere, licet ea facientesne unum quidem sectatorem simus habituri.

Numerum loqui in moribus est sequi viam latam. Ad hæc animadvertendum est tamquam maximum in hac materia principium, tantum abesse, quod ingens numerus, qui consuetudinem efficit, vitæ nostræ normam præscribere debeat, quod immo e contra Dei Filius in Evangelio multitudini semper reprobationis caracterem apposuit. Commune principium est, frequentiores vias esse etiam tutiores; quod si ubique alibi verum est; næ illud quidem in salutis negotio, & in iis quæ ad Cœlum spectant, verum non est. E contra via, quæ ducit in Cœlum arcta est, ac numerus eam ingredientium sane exiguus: ea autem via, quæ ducit ad interitum, quam lata est, & quot mortales terunt illam! Pro multitudine vero illorum, qui in lata via currunt ad interitum, nequaquam intelligendi sunt soli infideles; sed Filius Dei innuere vult inter ipsos etiam Christianos, ac in Ecclesia vera longe plures esse, qui latam ingrediuntur viam, insistere volentes consuetudini, & sequi eam multitudinem, a qua eadem consuetudo formatur.

Constans quoque est apud Theologos principium,

pium, consuetudinem quantumvis antiqua, & universalis illa sit, obesse non posse legi naturæ, quæ prima, atque vetustissima legum omnium est, & quam Deus digito suo humanis cordibus insculpsit, quæ recta est, certa, atque invariabilis; unde sequitur etiam non posse ulla re deleri, abrogari, aut corrumpi. Itaque quodcumque huic legi adversatur, iniquum, & injustum est, neque licere umquam potest. Consuetudo igitur, quæ aliquid vellet invehere contra rectam rationem, & naturalem æquitatem, numquam est recipienda, & si qua hujusmodi invenitur, quæ apud barbaras gentes invaluerit, inde judicium ferendum est illis rationis lumen vitio ademptum fuisse. Hoc ipsum dicendum est de divinis legibus, quæ cum rogatæ fuerint ab auctoritate humanæ cuilibet auctoritati superiore, atque a suprema ratione profecta, nulla consuetudo, & nulla creata potentia illis potest derogare.

Principes neque statuere possunt, atque probare malam consuetudinem.

Quamquam Principibus jus sit leges ferendi, atque efficiendi, ut semel latæ observentur, & S. Paulus nos moneat Dei imperio resistere eum, qui legitimæ potestati resistit: cavendum nihilominus est, ne hoc principio abutamur, ut sequamur nefarias consuetudines, quibus illi fortasse locum præbere potuerunt, vel quas ipsi probari videntur. Duo enim distinguenda sunt in iis, qui sunt in dignitate constituti, & a quibus pendemus; eorum videlicet auctoritas, & vita; quarum alteram quidem vereri debemus, alteram vero nequaquam sequi fas est. Jure quidem exigere possunt obedientiam, & jure non possunt efficere, ut mores suos subditi imitentur; & cum divinitus jubeamur explicite eorum obsequi imperiis, sæpe e contra prohibemur illorum exempla imitari.

Lex Sancta abrogari non potest per consuetudinem non sanctam; viget illa, quamvis abusus plurimi ipsam impugnent; & nisi vis, quam servat, operatur salutem, vel sanctificationem hominum, ambigendum non est, quominus eorum damnationem non operetur. Nisi contineat aliquem articulum divini juris, vel aliquam legis naturalis obligationem; si licet sacra ex earum numero sit, quæ mutari possunt, neque versetur circa eam materiam, quæ sit alioquin magni momenti, ita ut nihil mali accidat, nisi servetur; sequi possumus consuetudinem, quæ illius obtinuerit locum ex consensu auctoritatis, cujus est hæc omnia regere. Sin autem cum hujus generis sit materia, tamen gravis est momenti; sed laudabili fuerit abrogata consuetudine, quæ bonum gignit par illi, quod constantissima legis hujus observantia parere poterat: tunc etiam consuetudini ita receptæ jure defertur. Verum si ex legis extinctione mala oriantur, publica scandala, & gravia incommoda; certum eo in casu abjiciendam esse consuetudinem, & habendam tamquam abusum, atque corruptionem; & quamvis huic faveant, & tempus, & numerus, & qualitas eorum, qui ipsam tuentur; nihil tamen posse contra legis ejusdem auctoritatem. Alioquin sequeretur, ut ipsa etiam mala licita fierent, cum in communi consuetudine inveniuntur; & lex quovis usus genere deleretur, quæ quidem esset omnium confusionum gravissima.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, & recentioribus Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Prava consuetudo facile recipitur.

Facite nobismet persuademus consuetudinem, recepiam, & diuturno usu constitutam esse, vel fidelem interpretem, vel justam legis exceptionem. Quis enim ignorat gravissimas quaslibet transgressiones, ubi semel in consuetudinem abiere, pro privilegiis haberi? Ita eadem vi, qua ferocissimæ belluæ cicuriuntur, & difficillima quævis facilia fiunt, atque eventus magis insueti admirationem amplius non afferunt: vi eadem diuturna, & generalis consuetudo videndi mala, quæ patrantur, cum pudorem aufert, qui peccatis adhæret, suffocat conscientiæ stimulos, sensus pietatis extinguit, atque gravissima quælibet peccata nobis efficit familiaria; juxta S. Cypriani Epist. ad Donatum sententiam: *Consenuere jura peccati, & cœpit licitum esse, quod publicum est. P. Bonal in libro cui titulus, le Chrêtien du Tems parte 4.*

Cum generalis consuetudo non aliud sit, quam continuatio earumdem actionum particularium, quas sæpe, atque diu ingens personarum numerus exercuit: accidit, ut quod improbaretur, atque redargueretur, si semel tantum, & ab uno factum fuisset, tandem, & laudetur, & approbetur, ex quo & sæpius, & a pluribus factum fuerit. Ita donec cædes in usu erat apud barbaros tantum, efferatosque populos, infrequens erat, & habebatur tamquam gravissima contumelia humanæ societati illata, & tamquam usurpatio contra auctoritatem Dei, qui unus supremus est vitæ omnium hominum Dominus. At ex quo nobiles Viri sublimem gloriæ verticem in nequissima gladiatorum exercitatione constituerunt cœdes, facta est fere unica virtus Nobilium, qui præclare gestas has res ex singularium certaminum numero censent. Ita res eædem, quin naturam mutent, mutant nomen, & quæ erant unius sæculi vitia, fiunt virtutes alterius. Post hæc, dic si lubet, nos cæcos non esse, qui non videamus eam rem, cui præ cæteris plurimum deferimus, sub consuetudinis nomine non aliud esse, quem congeriem ignorantiarum, errorum, vel scelerum plerorumque mortalium. Certum est enim, si quælibet actio seorsim, ac diligentius, juxta legis rigorem ad examen vocaretur damnari mereretur, & severissima pœna mulctari. Attamen si abusus hujusmodi summatim considerantur, habentur tamquam dispensationes, vel præscriptiones contra legem eamdem, quasi multitudini jus inesset mutandi rerum qualitatem; quasi posset tempus profanas res consecrare; quasi Dei justitia cum peccatorum multitudine pacisceretur, neque peccatum puniret, nisi cum solum invenitur; quasi tandem quod olim injustum, atque illicitum fuit, non esset amplius, ex quo impiorum numerus numerum bonorum excedit. *Idem.*

Quid faciat consuetudinem, & unde hæc proficiscatur.

Ex quonam compositam esse putas consuetudinem hominum, nisi conflata est ex consuetudinibus singulorum? Quid publicum usum efficit, nisi plurimorum particularium usus; nos quoque cum cæteris pravis christianis remissionibus nostris conferimus aliquid ad eos instituendos abusus, qui late grassantur. Quis igitur nobis reliquus est prætextus ut nostrum vivendi genus excusantes aliorum vivendi genus proferamus; quandoquidem alii similiter nostrum proferunt, ut excusent suum! Nefariæ actiones nostræ, & ipsæ ex earum numero sunt, quæ simul collectæ efficiunt publicum malum, quod consuetudo, mos, tempus, mundus vocatur. Hinc reciproca illa fluit revolutionis corruptio, quæ orbiculari motu semper it, reditque; nos imitamur alios, nos alii imitantur: & quid nos facimus, quod nefariæ alicujus actionis, vel exemplar non sit, vel imitatio? Publica exempla nosipsos corrumpunt, at personalia exempla nostra publicum vitiant. Perennis est primorum ad secunda, secundorum ad prima reciprocus æstus. Quis nescit pelagus repleri fluviis sese in illud exonerantibus, hos vero vicissim ex maris ejusdem sinu recipere aquas suas, cum illud secretis canalibus tantum subtus terram sese exoneret, quantum supra repletur? Dici etiam potest, universum genus humanum nullum habere flagitium, quod nostrum quisque non attulerit illi, ipso cum fœnore nobis reddente, quod a nobis recepit. *Idem.*

Liqui-

Liquido constat, nos esse auctores hujus consuetudinis, quam tantopere veneramur, ubi semel illam invexerimus. Et ut vera dicam, colimus Idolum opus manuum nostrarum, cui materiam ipsam formamque suppeditamus. Ut plurimum incipit, ut Tertullianus ait, ex aliqua ignorantia, vel simplicitate; deinde vero temporum successione invalescit usu; ac tandem contra ipsam veritatem asseritur. Aliquid nobis fas esse ducimus, alter hoc idem sibi fas esse debere putat; plures deinde eamdem sibi vindicant facultatem, & cum videmus, neminem hoc sibi religioni vertere, majori audacia minorique verecundia illud ipsum persequemur, cujus tot ob oculos nostros versantur exempla. Ita ex quo scelerum nostrorum imitatio conscios nobis addiderit; hi vicissim ad scelera multiplicanda nos ipsos impellunt. Ex hoc autem per plures reiteratos actus particularis in vita nostra efficitur Consuetudo, quam cum similes imitatorum nostrorum consuetudines, & sequantur, & confirment, ex alienis, nostrisque consuetudinibus simul generalis fit consuetudo, cujus nomen est venerabile. His gradibus consuetudo, quæ nostrum opus est, fit nostrum Idolum. *Idem*.

Quid facere debeamus, ut consuetudinis cursum moremur.

Quemadmodum constat, generales mores subsistere eo solum, quod particulares fidelium mores vigent; ita ad inane hoc *publicæ consuetudinis* phantasma evertendum non aliud requiritur, nisi ut quilibet singillatim vitæ suæ reformandæ operam navet. Medicina, ut ajunt, non tractat hominem generatim, sed hunc, vel illum ægrotum particulariter. Nobis nequaquam inspicienda sunt illa, quæ omnes faciunt; consideremus solum quid mihi, tibique faciendum sit; si membra singula bene valebunt, totum etiam corpus bona valetudine perfruetur. Quod si nos tenemur, idque facilius est, nostram potius immutare vitam, quam sæculum nostrum, quilibet sibimetipsi dicat opus est: *medice cura teipsum*. Ex teipso incipe; te primum cura. *Idem*.

Quandoquidem generale malum nihil est aliud, quam acervus consuetudinum malarum, ex singulorum criminibus intumescens, & quoniam singuli nobiscum gestamus partem nostram corruptionis hujus, quæ totum fidelium corpus inficit, nullum melius inveniri consilium potest, quam si quisque conetur seipsum emundare ab ea iniquitatis parte, quam in hanc massam contulit ..... Hoc igitur agitur, ut particularis nostra cesset consuetudo, nisi ea sit officio nostro conformis; ut eam publicæ consuetudini non imputemus, seu ut imitemur illam quia regula nostra non est; sed ut illam criminemur, quandoquidem propter nostra tantum flagitia est flagitiosa. Nosmetipsos accusemus, quin loquamur de aliis; & certi simus, nos aliis non amplius similes futuros, ex quo non erimus amplius similes nostri. Undenam enim putas maximum peccatorum malum proficisci? Hoc sane tantum non est, quod ab initio alios secuti Duces, cæcorum more deerraverint; quantum quod apertis oculis semper in errore suo perseverant, cum enim diutius per infirmitatem, atque imprudentiam secuti fuerint prima vestigia, quæ sibi occurrerunt, ultro eadem relegunt vestigia sua, atque seipsos imitantur, quemadmodum alios fuerant imitati. *Idem*.

Aliorum exemplū & consuetudinem sequi ne fas.

Pravæ consuetudines publicæ procellis similes sunt. In nostra potestate non est prohibere, ne pluat, vel grandinet in agro; sed ut nosmet ab imbribus, vel tempestatibus tueamur, nostrum est quærere tectum, quo subire possimus. Cum ad terram appellere cupimus, non conamur fluminis impetum remorari; sed naviculam duntaxat alligamus, aquam vero præterfluere sinimus. Ut depravati sæculi corruptionem evadamus, singuli tenentur vitam suam sanctificare, non autem immutare communem, nisi seipsum immutando. Quemadmodum enim alieni morbi vobis mortem nequeunt inferre, ita pravæ aliorum consuetudines efficere nequeunt, ut a Deo damnemur, & reprobemur. *Idem*.

Inutile est, contra sæculi mores generaliter invehi, quin in nobismetipsis restituere adnitamur christianam fidem, quam ibi subvertimus. Fallax, quæ vulgo viget, sententia, Religionis remissam vim, morumque corruptionem temporum esse calamitatem, non defectum fidelium, gravissimus error est, propter quem mortales suis flagitiis inhærent, Hic illis error auferendus est, atque dicendum, ne malum alibi inquirant; quam in indispositione sua: tenebras in nostris tamen oculis esse, vitia ex nobis oriri, atque ut verum dicam, non sæculum esse corruptum, sed nostrum singulos esse corruptos. Cæterum quin remedia ad salutem procurandam requiramus, imitabimur intemperantes ægros, qui recidivas suas, vel aeris inclementiæ, vel pravis syderum influxibus acceptas referunt, & ne verbum quidem faciunt de malo vitæ suæ regimine, pravoque temperamento, ut in comessationibus suis, & compotationibus perseverent. Nobis dicere satis est, mala esse tempora, nos felices fuisse futuros, si voluisset Deus, ut sæculo minus corrupto nasceremur; mundum hodierna die nullam pati medicinam, quin sincere dicamus, nos male vivere, nobisque, ut beati simus hoc unum deesse, quod meliores non sumus .... Universales consuetudines, quæ per abstractionem a nobis procul videntur, reipsa in nobis sunt; vel si quæ extra nos sunt, illæ ad jurisdictionem nostram non pertinent. *Idem*.

Inutile est publica accusare peccata quin nostris ut tédamus.

Quid est corruptio publica, & universalis consuetudo, nisi inanis idea, quæ ad hoc unum inservit, ut pravum ingenium nostrum excusemus, & ut zelo fallaci verba demus? Verumtamen ipsum consideremus malum; admoveamus vulneri digitum: non aliud in mundo malum est, quam corruptio nostra, & eorum, qui nostri similes sunt. Illud nos vero fallit, quod præterquam quod medicinæ difficultas prætextum nostræ præbet negligentiæ, causam illius rejicimus in consuetudinem. Quænam alia consuetudo, amabo vos, nobis nocere potest, quam nostra? De quonam tempore, vestra quidem sententia, Deus nobis rationem repetet, quam illius, quod amittimus? Censuræ generalis consuetudinis, & morum sæculi totius; in iis, qui nullam habent auctoritatem, neque medicinam possunt afferre, sæpe eorum declamationes, sunt, qui malunt eloquentiam suam exercere, quam vitam reformare. Attamen nihil vulgatius est, quam in toto Christianismo querimonias audire contra temporum nostrorum abusus: nihil vero infrequentius, quam fidelem intueri in id serio intentum, ut sua scelera corrigat. *Idem*.

Quam difficile sit consuetudini non parere.

Cum in stratam processimus viam, & undique turba stipati sumus, jam fieri non posse videtur, ut per multitudinem viam nobis recedentibus aperiamus, vel ut resistamus contra impetum tot mortalium, quo trahimur: sequi opus est, saltem ita existimatur, turbæ motum, & alienis gradibus, & ad alienum arbitrium incedere. Eundum est cum euntibus, immorandum cum immorantibus. atque ita pergendum uti inceptum est, ideoque semper cum pluribus errandum, ac tandem sine ulla reditus spe intereundum. *Idem*.

Non postrema corruptionis fidelium causa ex eo proficiscitur, quod se benefacere putant, cum faciunt id, quod magnus corruptorum hominum numerus facit, licet re ipsa non intereant, nisi quod imitantur intereuntes, pravasque consuetudines sequuntur. Plurimorum fidelium flagitioso vivendi genere spectato, nemo se teneri putat ad ea servanda, quæ a nemine fere servantur: quilibet sine stimulis peccat, quia videt fratres impudenter peccantes, & pauci se peccare arbitrantur: cum id tantum efficiant, quod & alii faciunt. Cum malum hucusque processit, propter ægrotantium

tium multitudinem percrebrescit. Vitium quod natura sua illecebras habet, recentia adhuc blandimenta, alia subsidia, majoremque auctoritatem ab improborum societate, & approbatione adipiscitur. Flagitiosorum hominum conversio fit difficilior; quod salutem suam alienæ voluntati subjiciunt, quod quietam vitam ducunt, atque publica quodammodo fide freti confidunt, se per latam viam in Cœlum tendere, cum illa deducat ad mortem. *Idem.*

Consuetudinis imperium, atque potestas.

Væ tibi flumen moris humani! qui resistit tibi? S. Augustinus exclamat. Mundi consuetudo, torrens est, qui nos rapit. At nondum satis est dicere, consuetudinem hanc instar esse torrentis nos secum trahentis; habet illa quidem impetum, ac vim, ut secum obvia quælibet rapiat; sed illius duratio magis est diuturna. Si torrens est rapidus, celeriter defluit; at hoc non accidit in consuetudine: hæc enim cohiberi non potest, quia multitudo populorum qui illam sequuntur, qui illam recipiunt, & qui eidem sese conformant, sunt, ut inquit Scriptura, velut aquæ, quæ congregantur, & quæ propter congeriem suam exhauriri non possunt. *P. Thomassinus in Confessiones S. Augustini.*

Speciosissimus æque ac frequentissimus inter omnes prætextus, quibus utitur peccator, ut flagitiosum vivendi genus suum excuset, est consuetudo; putat omnem abesse culpam, ubi ait, ita in mundo consuescere, & ex alienis exemplis quamdam sibi necessitatis efficit speciem. Cæterum nequaquam miror, quod hic prætextus adeo familiaris in mundo sit, mundus enim infirmitate, ambitione, & adulatione repletus est, quæ proximæ sunt dispositiones ad tyrannicam consuetudinis potestatem statuendam. Non desunt, qui per infirmitatem sequantur torrentem, atque semper eo sese vertant, quo illos pertrahit multitudo; non enim satis roboris habent, ut illi resistant. Non desunt alii, qui turpi adulatione aliorum, cum quibus vivere debent, gratiam aucupantes; in eorum mores transeunt, & quantum in ipsis est, actionibus eorum sese conformant. Denique plures irrideri metuentes, humanis rapiuntur respectibus: superbia extrinsecus eam illis approbationem extorquet, quam sæpe intrinsecus negant; & magno sese conformant numero, quia objici nolunt iis dicteriis, quæ peculiare vivendi genus illis conflaret. *Pater Gironst in Adventu pro Sermone de Consuetudine.*

Abusus, qui per consuetudinem invehuntur.

Ullane periculosior, vel frequentior esse potest illusio? Quot falsa principia in mundo hoc obrepserunt, quæ conscientias in fallaci detinent securitate? Quibusdam anni temporibus aleæ, ludis, aliisque solatiis vacare consueverunt: in illis integros dies, & sæpe etiam noctes insumunt: in cœtibus sexcentas loquendi rationes sibi permittunt; in societatibus sexcentas sibi vindicant licentias, quin umquam eas sibi vertant religioni. Quorsum autem? quia hæc est consuetudo. Ut extrinsecus inanis quidam fulgor, & pompa servetur, nullis parcitur sumptibus; cum interim secreto & famulis, & mercatoribus stipenda negentur. Familiæ, filiorumque abjicitur cura; illis vix alimenta præbentur, ut suppetat, unde voluptatem possint explere, & hac in re nullis conscientiæ stimulis utuntur. Quorsum istud? quia hæc est consuetudo. Beneficiorum occulta transigitur mercatura, & quarumdam adinventionum suffragio ea emuntur, atque væneunt, quæ magis sancta sunt, & sacra; industriis ambagibus ex pecunia fructus percipitur quin vel fundi alienentur vel sors ipsa periculum subeat: legitimæ creditoris postulationes eluduntur, cum interim prematur debitor, ac sine ulla miseratione urgeatur; honores quæruntur, qui scientiam postulant, quin iisdem obeundis pares simus; gravissima nonnumquam dirimuntur negotia, quin necessaria nobis adsit scientia; nihilominus vero conscientia non mordet. Quorsus istud? quia hæc est consuetudo. Verbo; plurimi damnantur, quia hæc est sese damnandi consuetudo. *Idem.*

Vestrum scelus est, o Principes hujus mundi, quibus Cœlum contulit auctoritatem vos ipsi ea vi, quam vestra habent exempla, statuitis, lateque diffunditis eos usus, contra quos e contra omnem potestatem vestram exercere deberetis ad eorum, vel prævertendam originem, vel cursum inhibendum. Heu! quantum flagitium est; quod Princeps inter aulicos, eumdem studentes imitari, quod Magistratus totius Civitatis oculis expositus unum illum intuentibus; quod Pater ea in familia cujus est caput; quorum omnium pro eo caractere, & loco, quem obtinent, est vivendi regulam servare, illi ipsi plerumque auctores sint pravarum consuetudinum, quæ invehuntur, & scandalum præbeant illis, quos eorum curæ credidit Deus, & quibus, & Duces esse deberent, & lumen? Quodnam flagitium, o mulieres, quibus, vel dignitas, vel distinctio aliqua, quæcumque illa sit, quamdam tribuit superioritatem, quæ actiones, moresque vestros tamquam totidem leges aliis proponit; cum hac imperii specie abutimini, ut vel eos invehatis induendi modos, qui scandalo vacui non sunt, & quos vanitas vestra adinvenit; vel de medio tollatis officia quædam, quæ vosipsos torquent, & quæ nihilominus sunt contra sæculi licentiam necessaria quædam antidota! *Idem.*

In judicio Dei prætextus consuetudinis non admittitur.

Præclaram sane excusationem in Dei judicium afferendam cum dicetis illi: Domine proximi mei existimationem proscindere ausus sum, quia neque alii parcebant meæ: aliena mihi vindicavi bona, quia aliis hoc sibi religioni minime vertebant: sacros pollui recessus irreverentia mea; neque enim alii majori verecundia utebantur: in mollitie, atque inertia sine bonis operibus, atque pœnitentia vitam traduxi, ita enim, & alii facere consueverunt! O te insanum! S. Chrysostomus respondet, te ipsum eo tempore accusas, quo te excusare contendis. Nonne te admonuerat Deus ut Mundum effugeres, quippe qui tuus erat inimicus? JESUS CHRISTUS Discipulos suos nonne gregem exiguum vocaverat? Quid facis ergo, ubi teipsum excusaturus ingentem profers eorum numerum, qui te præcesserunt, & pertraxerunt post se? Producis invictos sane contra teipsum titulos; tuaque sola confessio sufficit, ut damneris. *Idem.*

Quemadmodum plerumque nulla tutior methodus est in illis, quæ credenda sunt, ita e contra nihil periculosius est in iis, quæ sunt agenda, quam majorem multitudinem sequi. In latioribus viis nulla est salutis securitas, atque, ut salvemus, angustas semitas consectari nos decet. Omnes Ecclesiæ Patres consentiunt nullum magis constans, apertumque reprobationis indicium esse, quam multitudinis mores imitari. Hæc autem veritas innititur oraculo JESU CHRISTI asserentis *Matth.* 10. multos quidem vocatos esse, paucos vero electos. Liquet igitur, ut electi simus, hoc est, ut salvemur, exiguum numerum nobis esse imitandum, eos vero, qui multitudinem imitantur, permanere in corrupta eorum massa, qui licet vocati sunt, tamen non salvantur. *Essais de Sermons pro feria 3. majoris hebdomadæ.*

Mala consuetudo omnes homines corrumpere potest.

Mihi propositum non est hoc in loco latius disserere de pravorum exemplorum vi, deque periculo, quod in flagitiosorum hominum consuetudine occurrit: nemo enim unus ignorat, scelesti hominis amicitiam sapientissimum quemlibet pervertere posse, neque deesse quamdam necessitatis speciem in eorum mores abeundi, cum quibus frequenter versamur. Vos igitur cogitare potestis, quid de hoc homine, vel de muliere illa fiat, quo temere mundum sectantur ejusdem mores, atque præcepta secuturi, quæ quidem non unum dumtaxat virum, sed populos integros depravare consueverunt. Unus nonnumquam flagitiosus satis est ad universam Urbis alicujus adolescentiam

corrum-

corrumpendam; Una mulier sæpe totam Regum aulam infecit, neque defuerunt viri nequam, qui labem in integras Provincias effunderent, & flagitiosis factis, vel dictis maxima etiam Regna polluerunt: Nunc autem cum criminosorum infinitus sit numerus, cum plurimi flagitiosi pudore, Religione, & conscientia, carentes infirmum fragilemque hominem obsideant; hiccine se illis restituturum speret? profugus aliquis peste laborans clanculum magnam Urbem ingressus illam ad arma conclamare cogeret: re enim vera periculum adesset, ne tota hac lue contabesceret; unus vero qui cætum ingreditur hominum teterrimam pestem afflant, sibi cavere non debeat? Tantum est, pravæ consuetudinis periculum. *P. de la Colombiere Serm.* 57.

Satis est, nobis favere consuetudinem, ut nobismet persuadeamus, nos a recta etiam non aberrare quasi rectæ viræ, bonorumque morum via similis esset magnarum Urbium itineribus, quæ cognoscuntur ex multitudine stractarum semitarum illuc ducentium: Quot actiones profecto nobis confusionem ingererent, ac nos nobismetipsis exprobraremus, si soli, vel cum paucis illa perficeremus; quæ tamen pudorem non cient, eo quod consuetudo, & multitudinis exemplum, quod divinæ opponimus legi, suffragatur? Nulla esset mulier, quæ luxum vanitatemque suam non redargueret, nulla, quæ inanes ornatus, qui animabus infirmis interitum adferunt, damnaret, nisi illis faveret auctoritas consuetudinis, & usus, cui sese jure conformare posse arbitrantur. Nullus esset ambitiosus, ac dives nequam, cui aliquam saltem inquietudinem non afferrent violentiæ, vexationes, usuræ, & injustitiæ, quas operatus est; nisi in consuetudine perfugium nancisceretur, quo tanquam in arcem confugit, ut sese tueatur ab increpationibus, quas, & ipse sibi, & alii efficere possent. Hæc est consuetudo, hic usus, ita assolet; non ideo vivo, ut totum humanum genus castigem, atque reformem. *De S. Martino in Quad.*

Sæpe ex consuetudine operamur. Usus, & Consuetudo maximam plerumque in virtutibus nostri occupat partem. Consuetudo est Missam, & Concionem audiendi, statis diebus confitendi, atque communicandi; inter hæc exempla sumus enutriti; Consuetudo hæc recepta est, & probata, igitur eam sequi debemus; verumtamen citra præjudicium prædominantis affectus, qui, & ipse sua afferit jura, & non secus ac virtus, frui vult privilegio consuetudinis, quæ quidem est veluti clypeus generalis, quem omnes legi Divinæ, ac rationi opponere consueverunt conscientiam suam cum vitiis conciliaturi. Dicis, ambitionem, vanitatem, luxum, solatia nimium libera esse vitia, quæ & morum disciplina, & divina lege damnantur: attamen hæc vivendi consuetudo, neque alia ratione vivitur; mundo egrediendum esset, & quodlibet ejusdem commercium abdicandum, ut hæc omnia præcepta negligerentur. Huic interim universalis consuetudinis fundamento innixi Dei legem suffocamus, conscientiæ, & rationi soporem injicimus; nobisque religionem conflamus prorsus profanam atque mundanam, ubi passio aliquid rationi, & virtuti permittit, hac proposita conditione virtutem nihil illi esse negaturam. *Idem.*

Nolite conformari huic sæculo, S. Paulus inquit. Præceptum hoc quod ille fidelibus omnibus tradit in Romanorum persona, difficillimum est, quod in tota christiana vita servetur. Non imperat, ut a mundo recedamus, sed ne mundo conformemur, videlicet, ne amemus quod diligit Mundus, ne faciamus, quod ille facit. Ob id autem resistendum est vi consuetudinis, atque fortiter contra mundi torrentem obnitendum. Vis autem exempli, & consuetudinis suo numquam videatur effectu; se enim per omnes sensus communicat, & lectio quædam est numquam intermissa. Ita sicubi gentium hæc viget consuetudo ut artem aliquam, vel professionem amplectantur, vis hæc ad eamdem omnes impellit: *Essais de Morale Tom.* 4.

Non desunt opiniones quædam, quæ in Mundo regnant, & quæ consuetudine, & exemplo eorum, qui optimi habentur, atque dicuntur, probatæ non possunt ulterius dignosci. Sine ulla Religione eas amplectimur, & sine conscientiæ stimulis easdem fovemus rati nos tutos esse, cum socios habeamus. Persuaderi plerisque non potest ea, quæ vulgo fiunt, esse posse mala. Igitur secundum has opiniones operamur, salutemque nostram in periculum adducimus, licet illæ non minus temerariæ sint, quia communes; sexcentæ enim rationes, totidemque exempla deterrere possent eos, qui sequuntur illas, nisi vis consuetudinis, & mundi exemplum illos excæcasset. *Idem.* Consuetudo pro lege habetur.

Veritates usu, & consuetudine, quam temporum corruptio invexit, adeo infirmantur, ut vix possint agnosci. Quilibet clausos habet oculos, ne sua videat officia; sequitur ea, quæ in usu posita videt; vivere vult quemadmodum alios vivere intuetur; & se in tuto esse putat id faciens, quod alii faciunt; perinde ac ingens numerus certum adferret vadimonium & iniquitas probaretur, statim ac in consuetudinem abiit. *Abbas Trappensis libro de Sanctitate Monastica.*

Si mortales omnes sancte viverent, nos vero soli peccaremus, quem terrorem nobis conscientiæ nostræ status inferret? At non ideo nobis minus est metuendum; non enim juxta alienarum actionum normam judicabimur. Deus pro norma non consuetudinem profert, sed Evangelium, non hominum exemplum, sed JESU CHRISTI. Gravissimus error est arbitrari ex peccantium multitudine vitio auctoritatem accedere, vel hoc propter illam impunitatem acquirere. Hoc accidere potest in humano regimine, ubi infirmitas cogit, ut nimis magno improborum numero venia promittatur: sed coram Deo omnes simul homines quid sunt? Quænam hæc esset Divinitatis idea, si liceret scelus, ubi scelesti multiplicarentur? *P. Chemi-nais tom.* 1. Multitudo vitia non probat.

Dic quæso: in Evangelio quænam certior nota reprobationis invenitur, quam multitudinem sequi? Cum JESUS CHRISTUS docere voluit discrimen, quod adest inter perditionis, & salutis viam, quodnam tradidit ignem, ut utramque certissime agnosceremus? *Lata porta, & spatiosa via est, qua ducit ad perditionem; & multi sunt, qui intrant per eam.* Matth. 7. Dicine potuit apertius? hodierna hæc certissima humanæ reprobrationis nota ea est, quæ nos contra metum judiciorum Dei confirmat, qui nobis eam tradidit pro signo certissimæ damnationis. Dices illi, in hoc conscientiam suam acquievisse; si te solum cogitasses, fortasse futurum fuisse, ut vitæ suæ scelera intuitus expavesceres; se vero haud ægre consuetudinis torrentem secutum fuisse. Triste, crede mihi, solatium est interire cum pluribus. Memento electorum numerum exiguum, reproborum vero ingentem esse. Si quid fidei in te reliquum est, ubi multitudinem videris contremisces; licet bona hæc sibi videatur via, oportet omnino eam malam esse; quandoquidem JESUS CHRISTUS illam viam esse reproborum affirmat. Imprudentis est alienam sequi temeritatem: quid vero facto opus sit Dei Filius te melius agnoscit. *Idem.*

Consuetudo, & usus, qui in Mundo vigent, vulgo præjudicium quoddam efficiunt, quod objicere multi laboris est, & quod sæpissime Evangelii præceptis opponitur. Ut de solatiis, & voluptatibus exempli gratia loquamur; hanc nobis regulam præscribit Evangelium, eam viam esse nobis amplectendam, quæ nos adducit, ut nosmet JESU CHRISTO conformes efficiamur; ut, quantum possumus, imitemur passiones illius, publicamque vitam mortificatam, laboribusque exercitam: ac docet non alio pretio gloriam, nisi per passiones acquiri. Verum enim vero consuetudi- Periculosa consuetudinis præjudicia.

nis

nis præjudicium est, aliquod recreationis tempus requiri; hoc rationem exposcere; & voluptatem legitimam fieri, ubi caute, honesteque percipiatur. Acquiescunt omnes maximæ multitudinis exemplo, & putant se viventes ut alii vivunt, nullum subire periculum. Hinc sibi religioni non vertunt, spectacula, atque Theatra adire; immo gloriantur eos omnes, qui scrupulum injicere vellent, tamquam imbecillos, infirmosque contemnere. Evangelica præcepta deseruntur, & Mundi dogmata in pretio sunt: mundus ipse consulitur, atque in sacris pœnitentiæ Tribunalibus quotidie peccatores videmus, qui secundum mundi præcepta, ac sermonem loquuntur; qui in eo ipso loco, ubi mundus damnandus est, mundi consuetudinem tamquam optimam afferunt, excusationem. Consuetudo hæc illis in os ingerit verba, postquam actionum eorumdem extiterit norma. ***Decerptum ex Sermone P. Massillon de Confessione.***

At enim nobis quoque degustandæ sunt suavitates, atque licentiæ ætati nostræ permissæ. Divites sumus; opus est, ut in mundo effulgeamus non secus ac alii. Obscuro nati loco sumus, sed eximiis donati talentis, & quibusdam optimis naturalibus qualitatibus præditi; oportet igitur tenebras dissipare, imum gradum relinquere, ac nosmet supra maximum quemlibet attollere. Magnos Patronos habemus, bona nominis existimatione fruimur, fortunæ domesticæ in singulos dies augescunt; fructus ex illis percipiendus est, atque omnis opera in id transmittenda, ut ad eximios Reipublicæ gradus evehamur. Verbo illius sexus, nobilitatis, generis sumus, quod nos in publicum prodire cogit; opus igitur est, ut publicos usus, moresque sectemur. Tantæ nobis sunt opes, ut commode citra laborem vitam ducamus. Igitur dies in otio, atque inertia sunt transigendi, non secus ac alii nostræ conditionis consueverunt; eædem voluptates permittendæ, idem luxus sequendus, iisdem ornatibus utendum, ac illi, qui panes, vel fortasse etiam minores reditus habent. Hæ regulæ sunt, vulgatissimæ, hæc dogmata omnibus probata, neque nostrum est ea redarguere. At ex vobis quæro, quisnam probare potest hos usus, qui minime decent, vel sanctitatem status vestri, vel promissiones, quas christianam Religionem amplectendo edidistis; cum luxum, atque mundi vanitatem sequamini, eo quod non videatis virus illis inspersum, quo vestrum cor contabescit! ***Idem in Sermone de exiguo Electorum numero.***

Consuetudo nobis prætextus est, eamque pro excusatione afferimus.

Ex vobis quæro; quidnam perniciosos hosce abusus probat? Numquid sancta JESU CHRISTI doctrina, an corruptæ mundi sententiæ? Numquid leges, & consuetudines sæculi, an immutabiles leges Evangelii? Regula enim opus est, ut tuti sitis. Vos autem communem usum hunc esse, & in mundo probatum respondetis: quid ultra afferatis, vobis non suppetit. Non ideo nati sumus, ut tot mortalium facta corrigeremus; mundum ingressi hos invenimus constitutos usus, nobisque illos Patres nostri hæreditario veluti jure reliquerunt; & eorum probitati, atque Religioni inferremus injuriam, si crederemus ipsos voluisse, & semetipsos fallere & nos. Non sumus sapientiores, quam mortales omnes simul, a quibus dogmata hujusmodi probantur. Pro nobis stat consuetudo: hæc nos tutos efficit in vita, quæ flagitiosa est, ideoque saluti prorsus opposita. Nemo Evangelium considerat, nemo juxta sacrarum Scripturarum Oracula suam vivendi rationem instituit, neque animum advertit ad id quod per Prophetam suum Dominus docet, cavendum videlicet diligentissime, ne gentium vias sequamur; & leges, atque sententias populorum inanes esse: *Leges populorum vanæ sunt*. Jerem. 10. Nemo cogitat, Deum nobis certissimas reliquisse regulas in Scripturis Sanctis, secundum quas vitam nostram conformare debemus, quæ numquam mutetur. *Idem*.

Quænam est multitudinis causa? quam igitur viam frequentior numerus sequitur? nonne viam latam, quam JESUS CHRISTUS condemnat? Facitis, ita enim dicere soletis, ea tantum quæ faciunt alii: sed omnes illi, qui ad Nabuchodonosor imperium cum populi turba superbo illi simulacro genua flectere voluerunt, nonne eodem supplicio fuere percussi! Illi omnes, qui Tobiæ ævo inanes Patrum suorum Deos venerati fuerunt, numquid innocentes habiti sunt, eo quod ingenti essent in numero? Ea tantum facitis, quæ faciunt alii: sed Dominus vester sæculum non est, neque huic vosmet conformare debetis, neque multitudo vobis regulam debet præbere. Facitis ea tantum, quæ faciunt alii: esto; eodem igitur, ac alii, supplicio afficiemini; calamitas vestra par erit eorum infelicitati. Vos tamen in hoc quieti estis citra religionem perniciosissimos usus sequimini, & ut plurimum in eo errore, in quo vitam duxistis, diem extremum clauditis. O funestam mundi, insanarumque ejusdem opinionum illusionem! Quousque tot fideles in Dæmonis laqueos detrahes! O insanam fidelis animæ cæcitatem, quæ ita inanibus confidit regulis, quæ ipsam in interitum ducunt! *Idem*.

Via consuetudinis lata.

In Evangelio duplex via memoratur, per quam incedere possumus; altera quidem arcta quæ ducit ad vitam, & quam pauci sequuntur, & altera lata, quam omnes fere amplectuntur, & quæ ducit ad interitum. Utram arripere debeo? utram sequi? Opusne est, eos sequar, qui meæ sunt ætatis, sexus, ordinis, status, qui latam mundi viam sectantur? Me miserum! si magnum numerum hunc sequar, quo stipatus sum, in interitum ruam: novi equidem latam hanc viam maledicto esse subjectam, & ingentem mortalium numerum illac gradiendo, nequaquam salvari. Verumtamen tantum abest quod ita nobiscum loquamur, ut immo e contra hæc taciti dicamus: nihil facio, quod alii non faciant. Non sum equidem sequioris conditionis, ac alii; illi etiam animæ suæ salutem curare debent. Qui ejusdem ætatis, ordinis, conditionis sunt, vivunt, ut ego; & ego vivo, uti assolet vulgo: cur non vivam, ut illi, quorum bene vivere æque interest ac mea? O vos miseros! Si salutem vestram operari cupitis, hanc numquam profecto assequemini eam secuti viam, quæ a mundo probatur. *Idem*.

Proh superi! quam insipientes homines sunt salutem suam in periculum adducentes, eo quod ab aliis adducitur; & sese damnationi subjicientes, quod, & alii seipsos subjiciunt! confidite o Mortales in eorum multitudine, qui faciunt, quæ vos facitis, eosque sequuntur usus, quos sequimini; quasi Deus perdere non auderet eos omnes, qui vivunt, quomodo vos vivitis; quasi potentia sua non æque illum, & maximi, & minimi numeri Dominum constitueret. Numquid multitudo illum prohibuit, ne in cinerem redigeret quinque Civitates nequissimas; ne urbis superbæ muros everteret; ne infideles populos exterminaret; ne Regem cum toto exercitu deglutiret; ne Ægypti murmuratores morte percuteret? Ergone illum prohibebit multitudo, ne vos ipsos puniat, qui mundi leges mandatis suis anteferre nequaquam veremini? Noxios non numerat; iniquitatem tantummodo considerat; neque aliud sperare potest mortalis multitudinem sequens, & perniciosos ejusdem mores imitatus, quam totidem habere sui infortunii, æternique interitus socios. *Idem*.

In morum disciplina multitudinem sequi pessimum est.

At enim communem secutus viam nullum periculum adis: neque aliter tibi agendum est, ac tot aliis, qui teipso sapientiores habentur. Ast hoccine te tutum facit? Numquid ignoras multitudinis causam magis esse perniciosam ac si vitam ad aliorum exempla institueris, te nequaquam futurum in exiguo eo numero, cui Dominus tuum Regnum spopondit? Numquid hæc tibi sors placet? Non vis ergo ex prædestinatorum esse numero, qui

ro, qui mundum, ejusque opiniones condemnant; de te ergo actum jam est, tuamque partem hæreditatis Cœlestis cedis illis, qui arctiorem viam amplectuntur? Numquid fatum hoc tibi tantopere arridet? *Idem*.

In mundo magis exemplo vivitur, quam ratione. Pudor, qui validissimum animæ propugnaculum est, tunc amittitur, cum omnes simul nobiscum peccant: omnes sibi promittunt impunitatem; & quædam ideæ, quas de divina Misericordia conceperunt, hanc spem fovent. Nimis infirmus est animus, neque nosmet supra mundum attollere, publicum contemnere judicium, & alienæ vivendi rationis censores fieri possumus prorsus oppositam vitam ducendo. Quilibet suum genus, conditionem, honorem, cum sectatorum hujus mundi conditionibus confert: cumque se inferiorem inveniat pluribus in rebus illis, qui corruptionis auctores fuerunt, veretur, ne cum illis quamdam schismatis speciem efficiat. Meum non est, inquit, populos reformare, neque enim ego rationem redditurus sum scelerum, quæ ab illis patrantur: isti, vel illi qui consuetudinem invexerunt ipsi pœnas dabunt. Quomodonam ab illis sejungi possum? Vel de regione hac, vel de vita mihi esset migrandum. Vivendum est, quomodo vivitur. *Desumptum ex tractatu quodam de Conscientia*.

Mundi mores sequi nefas est.

Sancti fuere semper, semperque erunt exiguo in numero; ideoque eorum memoria fulgidior eluxit, quod se ab omni crimine vacuos servarunt, tamquam Abraham inter Chananæos, Moyses in Pharaonis aula, & Daniel Babylone. Hæc Mundi semper erit consuetudo; torrens est, quem cohibere non possumus; verumtamen adverso flumine natandum est, neque sinendum, ut ejusdem impetu rapiamur; alioquin in æternum exitium pertrahendi. Ne expectes virtutem sequi, ubi passim probetur ab omnibus: hoc enim prodigium est, nullo unquam tempore eventurum. Adhuc in mundo tantum superest justitiæ, quantum satis est (quin divinæ ratio habeatur) ut improbos persequamur, & virtutem debitis laudibus cumulemus. Amplum est ab iis contemni, qui dolent, videntes virtutem probari, quemadmodum fideles dolent vitium, ubicumque regnare videntes. *Idem*.

Disce inter funestas has consuetudines, in quibus mundi abusus consistit, neminem salvum fieri posse, nisi singulare vivendi genus instituat, & eos, qui vivere in mundo volunt, ut veros Christifideles decet, ibi etiam sese distinguere posse peculiari quadam vivendi ratione, quin ex ipso mundo egrediantur, fixas imitari stellas, quæ primo impetu Cœli, cui adhærent, abreptæ, habent tamen inter se singulæ motum contrarium. Veri fideles quamquam generalis consuetudinis torrente rapiantur, similiter obniti debent contra præcepta, exempla, pravasque consuetudines ejusdem mundi, quin ab illis trahi patiantur; currere debent cursum suum, ac digne eo perfungi ministerio, quod divina providentia eisdem committere dignata est. Disce, ne actiones, moresque suos juxta mundi usus, & leges accommodes; namque Sanctis Evangelii præceptis, atque legibus vita nostra sedulo est conformanda. *Desumptum ex Manuscripto Sermone*.

Omnes hoc faciunt: igitur faciendum est. O pessimam argumentationem! O improbam illationem! Qui ita loquitur, nequaquam loquitur, uti fidelem decet, immo neque uti Philosophum Ethnicum. Quidam ex illis testatus est, satis certo argumento probari rem malam esse, cum ab ingenti populi multitudine fieri consuevit: *Argumentum pessimi, multitudo*. Sapientum causa neque major est, neque frequentior: quantumvis probata videatur consuetudo, nequit tamen contra veritatem præscribere: illam ergo relinquamus, & sequamur hanc, nisi errare velimus. *P. Nepveu in Christianis Considerationibus*.

Eos sequi, & imitari oportet, qui veritatem tuentur, licet exiguus eorum sit numerus; eos fugere, & ab illis recedere præstat, qui errorem sequuntur, quantumvis eorum numerus maris arenas excedat. Multitudo fallacem confert auctoritatem improborum nequitiæ; imponit illa quidem rudibus, & imbecillis, neutros tamen justificat. Error, qui universalis factus est, naturam non mutat; & qui vitiis difluunt, quæ cum potiori hominum parte communia sunt, communes cum iisdem pœnas, ac supplicia recipient. *Abbas Trappensis. Tractatu de Meditationibus*.

Secundum mundi consuetudines damnamur.

Hæc est mundi consuetudo: hoc vulgo dicitur in omnibus vitiis, atque sceleribus, a quibus recedere nolumus; hæc est mundi consuetudo dicendi, quod scitur, & quidquid de aliis cogitatur; jurandi, superbiendi, & proximum contemnendi. Utique, hæc est consuetudo JESU CHRISTO adversandi; hæc est consuetudo a JESU CHRISTO damnandi: sed tuum est recedere a numero reproborum, nisi velis cum improbis pari pœna mulctari. *Ex Auct. Anonym.*

Peccata videntur non esse amplius magna flagitia, eo quod facta sunt magna exempla; publica auctoritas tantam illis contulit fidem, atque admirationem, inquit S. Cyprianus. Magna flagitia ideo non amplius redarguuntur, eo quod tertia mortalium pars esset damnanda, quasi non admonuisset Apostolus, ne hujus sæculi moribus conformaremur, vel quasi depravari mores temporum successione cum Evangelicis legibus in gratiam rediissent. Hæccine ignorantia est, an infirmitas, turpitudo, adulatio? Hæc omnia simul sunt vitia. Negligunt edoceri, quid fieri deceat, quid non; atque ea perpendere contemnunt, quæ sunt necessaria; hæc est ignorantia: cedunt torrentis vi, cui obluctari non audent: hæc est infirmitas: amicos, Patronosque sibi comparare student: & quemadmodum, vel eorum amicitia abdicanda est, vel conciliandi eos imitando, cum sint vitiosi, utrumvis eligatur, hæc est adulatio. Hæc autem principia adeo nefaria bonos effectus parere possunt? mores hujusmodi adeo labantes essene possunt fundamentum ædificii salutis nostræ? *Ex Morali Dictionario*.

Conscientiæ stimulos suffocamus, ut pravas consuetudines sequamur.

Difficile est, quod perniciosas secuti consuetudines, nullam interiorem exprobrationem sentiatis, & numquam vobismetipsis dicatis, procul a recta virtutis via deerrasse: difficile est, ne aliquando vos tangant recta quorumdam piorum hominum exempla numquam in hujusmodi scelera labentium. Vel nisi intra vosmetipsos ullam harum salubrium impressionum percipitis: timete, ne vos dereliquerit Deus, cum ex D. Bernardi sententia, nihil deterius sit conscientia mala, & tranquilla. Verum magis adhuc nocentes, ac majori vituperatione digni estis, si cum vobis liceat occurrere malo, rectoque vivendi genere aliquam illi afferri medicinam, illud vel incuria vestra, vel pravo exemplo probatis. *Idem*.

Post hæc ob commentitiam innocentiam gloriare tu, qui hanc iniquitatis eluviem auges: tu qui expectas, ut mortales morum disciplinam immutent, quin ipse eos rogas ad hanc mutationem, eam, quam debes, scelerum suorum abominationem testatus: tu, qui dicis aliis cessandum ab iis faciendis quæ faciunt, ad hoc ut te exemplis eorum conformes: quin illos a viis ipsorum nefariis deterreas, illis bonam, uti teneris, ostendens: tu qui flagitiosi hominis scelera spectas, quin animum advertas ad illa, quæ tibi præcipiuntur a Deo: tu, qui fortasse minus criminosus, quam alii, sed semper criminosus, qui audes teipsum comparare cum illis, non qui sanctiorem, sed qui teipso deteriorem vitam traducunt. Dic ergo peccatorem jam absolutum esse, cum prolixum recenset eorum numerum, qui ejusdem peccati sunt conscii, atque inter illos quosdam etiam seipso nocentiores indigitat: dic ergo rebellem subditum non esse gravi pœna puniendum, cum alios profert,

fert, quam læsæ majestatis crimine sunt nocentiores. *Idem*.

Malæ consuetudines divinæ legi subrogantur.

Divinæ legi malas opponis consuetudines, quæ, Tertulliano teste, originem suam aliorum quidem ignorantiæ, aliorum vero simplicitati acceptam referre debent, qui cum primi seipsos deceperint, eos deinde, qui sequuntur, decipiunt, atque in errorem inducunt. Imitamur eos, quos videmus; ii, qui nos vident, nos imitantur: modo exempla sumus, modo imitatores; modo fratres nostros pervertimus nefariis exemplis; modo vero vicissim aliena nos pervertunt exempla jugi perniciosarum consuetudinum æstu. *Idem*.

Nonne, ut robur huic accedat consuetudini, inanes suas traditiones ignorantia recenset, doctique viri glossemata, & futiles legum exceptiones meditantur: tepidi dispensationes inquirunt; pertinaces, qui se ratione victos sentiunt, iis adhærent mordicus, quæ fieri vident pro sceleribus usu probatis decertantes, ut eorum usu nequissimæ vitæ suæ scelera excusent? Ad consuetudinem hanc probandam nonne quotidie existunt lenes; atque indulgentes Patroni vitiorum, qui eadem tueri, & propugnare contendunt, S. Cypriano teste, eaque commendant, quasi satis non esset seipsum purgare ab iis malis, quæ fiunt, & opus esset sibi, vel aliis etiam persuadere, omnem in iis criminis umbram abesse? *Idem*.

Improbi pravis lætantur consuetudinibus.

Hominum plerique vivere volunt, ut in mundo passim vivitur, eo quod multitudo suo favet ingenio, & jucunde suos palpat affectus. Id faciunt, quod Arnobius de Ethnicis dicebat, qui cæca traditione libentes Patrum suorum superstitiosas consuetudines recipiebant, quin ad examen illas vocarent, utrum bonæ essent, an malæ: satis contenti quod a majoribus suis per publicam fidem ad seipsos usque fuissent transmissæ. Abusus isti sint, necne; nihil refert: isti abusus amantur: gaudent, eo quod illos invaluisse vident, fortasse dolituri, si aliter consuevisset. Quo plura ante se vident exempla, eo magis sibi persuadere lætantur, eos abusus licere: quamquam plurimæ occurrant rationes, propter quas eos damnandos esse innotescit. Non verentur Deum offendere, cum qui illum offendit solus non est; nonnumquam etiam sive ex libidine, sive ex aliis placendi studio, quin ulla adsit, vel lucri spes, vel voluptas ultionis malum illud efficitur, quod non amaretur, nisi a pluribus fieret, qui diliguntur.

Ubi extremum clauseris diem, & judicandus accesseris, numquid hæc tua locum habebit excusatio? Utique Domine, Sanctissimum nomen tuum blasphemavi: verùm illud ipsum, & alii blasphemabant, atque ut ego, hanc sermonis putabant elegantiam: furatus equidem sum, atque ut opes congererem, nefariis consiliis aliena bona evertere non timui: sed longe plurimi hoc facere consueverant: teterrimis obtrectationibus proximi mei existimationem dilaniavi, sed obtrectatio erat condimentum conversationum, atque sodalitatum: inanibus ornamentis faciem decorando tempus illud transegi, quod mihi concesseras, ut in salutis opus impenderem: sed hæc erat consuetudo, hic æqualium mihi mulierum usus: non satis diligenter jejunia quæ ab Ecclesia præcipiuntur, servavi; sed jejunandi abierat consuetudo, neque solus hanc mihi libertatem arrogabam, immo longe plurimi in majora his scelera proruerunt. Atquis non videt, miseras id genus excusationes hominem nocentiorem efficere, & nequiorem cordis corruptionem ostendere? *Idem*.

Magna mala, quæ pravæ consuetudines pariunt.

Perniciosæ consuetudines fluminum fontes imitantur, qui cum primum exiles sint, deinde augentur, atque intumescunt. Incæperunt alii; tu facis, quod alii faciunt: alii seipsum sequentur, cumque tu ipse non modicum profeceris, ut eluvies illa augeretur, rationem redditurus eris eorum malorum, quæ ab ipsis fuere patrata. Sed plerique Fideles minus scire gestiunt, quid faciendum sit, quam quid fiat. Celebrant quidem viros bonos; & admirantur: in praxi vero ab illorum exemplis abhorrent. Se peccare non putant, ubi plurimos secum peccare cognoscunt, quasi malæ consuetudines legibus derogarent, vel quasi nefarium aliquod facinus omnem nequitiam exueret, ex quo pluribus commune fit: cum nocentium multitudo nonnisi vitii turpitudinem, & scandali augeat abominationem. *Idem*.

Jure S. Cyprianus ait, consuetudinem contra rationem, quæ veritas est, constituit eam non aliud esse, quam erroris, & cæcitatis vetustatem. Hinc auctores, vel patroni consuetudinum harum cæci sunt, cæcorum Duces; qui vero eos sequuntur, vel potius ab illis se trahi sinunt, cæci sunt, qui a cæcis ducuntur: non enim ratio, nec veritas eos ducit, sed error illos perdit, ac fallit; eosdem per semitas deducens, quæ ducunt in interitum. Illud vero magis deplorandum est, quod hic error est voluntarius: non enim volunt rationem, & Dei legem sequi, quam boni, ac sapientes Viri, qua verbis, quo exemplis ipsis proponunt. Nullam in cæcitate sua excusationem invenient, non secus ac cæci duces sui; consuetudo enim obesse non debet veritati, quæ per illos de erroribus triumphum referre debebat. Frustra, S. Cyprianus addit, illos, ubi ratione seipsos tueri ulterius non possunt, usum; & consuetudinem nobis opponere; perinde ac mundi corrupti consuetudo majori in pretio, quam ipsa veritas esset habenda. *Maimbourg. Sermone pro feria quarta post Tertiam Quadragesimæ Dominicam*.

Pravæ exсusatio est ad consuetudinem confugere.

Neque dixeris: quomodonam vivere possum eas horrens consuetudines, quæ jampridem invaluere, tot honestissimorum virorum usu probatæ, adeo generaliter ubique receptæ, præsertim vero iis in locis, & cœtibus, in quibus versor? Sæcula omnia, omnes Christianæ Religionis Heroes, Nationes omnes, omnesque terrarum plagæ unanimi, ac pene conflato consensu, illud tibi respondebunt, quod in hoc argumento Tertullianus: *veritate nemo præscribere potest*. Nihil potest justam præscriptionem contra veritatem acquirere: non temporum diuturnitas, non qualitas personarum, non populorum privilegia illius jura valent infringere, vel quidquam contra eamdem conari. Etsi mundus ea dicere pergat, quod semper consuevit; sua scelera, atque insanias probaturus: hæc est consuetudo: cum eodem Auctore eidem responde: scimus quidem Dei Filium seipsum veritatem nuncupasse, ipse vero se vocasse consuetudinem, nescimus. Cum igitur consuetudo neque veritas sit, neque JESUS CHRISTUS, illa profecto non erit nostrarum regula. *Idem*.

Tu, o Veritas suprema! Incarnatum Verbum! unice regere debes actiones nostras, & doctrinæ tuæ oraculis, & vitæ tuæ exemplis: non autem mundus, qui nonnisi illas corrumpere potest, & sententiarum suarum errore, & suorum exemplorum nequitia. Venisti, ut vinceres mundum; nos autem optabimus, ut hic triumphum referat? Omnes ejusdem leges evertisti; Nos illas restituere conabimur? Sapientiam, ac veritatem tuam substituisti erroribus, atque insaniæ, quæ in illius consuetudinibus videbatur; nos vero errores eosdem revocare audebimus, ut inde disciplinæ nostræ regulas, atque principia instituamus? Igitur consilium nobis ineundum esset, ut te perderemus, atque simul perderemus nosmetipsos a veritate, & via, quæ ducit ad vitam, recedentes. *Idem*.

Deus multitudinis rationem non habet sed virtutis unius.

Multitudinem non considerat Deus, neque rationem habet ejusdem: sed virtutis eorum, qui sibi fideles existunt, neque magno numero se trahi patiuntur. Profecto Moyses, & Filii Israel, qui in aliena terra captivi eum secreto venerati sunt, & fideles eidem servierunt, nonne eidem jucundiores fuere, quam innumerabilis Ægyptiorum multitudo superstitiosis regionis suæ consuetudinibus adhærentium! Trecenti Gedeonis milites, qui

rem-

temperantiam suam ostenderunt cavis potantes manibus, nonne prælati fuere reliquo exercitui, qui sese abjecit in terram, ut avidius ex eodem flumine ebiberet, ac citius suam sitim expleret? Elias exigua hominum caterva stipatus sua Domino offerens sacrificia super Victimas de Cœlo ignem & benedictiones elicit; cum interim totius Idololatræ populi holocausta reprobantur. Etsi perditionis Filii universali diluvio submersi fuerunt, Noe tamen familia arcæ inclusa jucundissimum perfugium invenit. Ut verbo me expediam, ingenti numero quidam reprobationis caracter inhærere videtur; quandoquidem Scriptura nonnisi de exiguo electorum, & prædestinatorum numero loquitur. Quapropter quin ullam rationem habeamus eorum, qui magno in numero flagitiose vivunt, paucorum sequamur exempla; qui in officio suo fideles præsistunt. *Collectum ex variis Auctoribus.*

Veritas consuetudini prævalere debet; abusus numquam migrabit in legem. Inanis est excusatio, qua aleam, ludosque ex consuetudine propugnare contendimus, & communem luxum proprio aliquam auctoritatem afferre posse putamus; semper enim vere dicetur, officium voluptati esse anteferendum: Futilis excusatio est te æs alienum non dissolvere, quia hæc est consuetudo; eleemosyna semper erit præceptum: consuetudo licet fere probata numquam severam pudoris legem evertit. At enim consuetudo hæc nonne Deum lenit? vel saltem nonne justitiæ ipsius severitatem imminuit? Nequaquam; immo illum magis irritat, quippe præferimus iniquorum hominum consuetudinem legi Dei, qui ipsa est sapientia, & cui uni obtemperare tenemur. *In sermonibus, qui sub nomine P. de la Rue circumferuntur. Serm. pro feria 4. post tertiam Quadragesimæ Dominicam.*

Oportet, fideles esse Deo, & contra pravæ consuetudinis torrentem adniti.

Quid igitur? Quia Deus nullos ferme veros fideles habet, erit deserendus? Heu frater, ne sequaris torrentem consuetudinis; licet bona causa ad unum te redigeretur; ubi cum reliquis hominibus periculum adires; hoc tamen periculum tibi uni immineret. Evita ergo solus naufragium, si reliqui homines interire volunt: hoc a te petit Deus. Cur teipsum cum aliis perdere cupis? Numquid nescis justum virum solum esse clypeum contra iram Dei? Sodoma, & Gomorrha pro decem Justis flammis non fuissent addictæ; sed quia Loth solus erant justus, solus quoque exire debuit Sodomis. Impiorum vero multitudo numquid Urbes illas excusavit? *Idem.*

Tanta est infelix consuetudinis potentia, ut S. Augustinus *l. 1. Conf. c. 16.* eam jure rapido torrenti comparet; & fluvio vehementi, qui secum obvia quælibet trahens nihil offendit, quod suas vires sustineat; *Væ tibi flumen moris humani! Quis resistet tibi?* Nullum discrimen adest, nisi quod qui fluminis pernicitate rapiuntur, sese interire vident, ideoque cœlestem opem deposcunt: sed torrens consuetudinis aufert illis, quos trahit, interitus sui cognitionem, efficitque, ut scopulos portum esse arbitrentur. Quis inficias ire potest, hanc vivendi rationem horribilem esse mentis cæcitatem! Ne in tantam ruamus calamitatem, meminerimus secundum egregium S. Cypriani Ep. 74. dictum, malam consuetudinem veritati præscribere nequaquam posse, quia *consuetudo sine veritate vetustas erroris est. Auctor Anonymus.*

Quædam bonæ sunt & indifferentes cōsuetudines quas sequi licet.

Hoc in loco non loquor de iis consuetudinibus, quæ in omnibus regionibus inviolabiles sunt, & quæ cum indigenis natæ habendæ sunt potius tamquam morum, atque temperamenti effectus, quam veluti mentis eorum electio. Hoc profecto esset evertere velle jura, quæ amor Patriæ apud nationes omnes sacravit, & quæ partem efficiunt earum legum, quæ ibi servantur. Loquor tantum de libidine, & inconstantia nobis ingenita; propter quam probamus hodie, quod olim damnaveramus; & quæ efficit ut hoc tempore ridiculum videatur, quod aliis temporibus sequebantur; vel potius de pravis illis consuetudinibus loquor; quibus vanitas atque licentia originem præbuere. *Liber, cui titulus, Vitæ Civilis Officia. Tomo 2.*

Abusus, atque corruptio probari videntur, ubi vulgo consueverunt: non desunt Sanctissimæ leges, quibus se nequaquam teneri homines putant, eo quod omnes unanimi consensu ea non sequuntur; & quantum in nobis est consuetudini deferimus auctoritatem Dei mandata abrogandi. In hoc generali errore quilibet propter turbam eorum, qui secum errant, se tutum putat; cumque ratio non sit amplius communis Dux, alii aliis vicissim tamquam ducibus utimur, ut ruamus ad interitum; decipimur, & decipimus; pravo innitimur eorum exemplo, qui nostro vicissim innituntur, *In Collectione orationum anni 1695.*

Quomodo facta nostra alieno tuemur exemplo.

Consuetudinis torrens nos trahit, & exemplum sanioris hominum partis, quæ has vias sectatur, ita potens est, ut eidem obniti nequaquam possimus. Nosmet eorum excusamus exemplo, quorum dignitatem, meritumque veremur: illi ipsi, qui majori zelo in gravissima declamare consueverunt flagitia; sæpe suum exercent ingenium eas fallaces, quas sequimur, opiniones probaturi. Ab illorum sapientia, & vita pendemus, neque videmus hos sapientes, quos sequimur, minus in via salutis nobis duces, quam scelerum nostrorum socios esse futuros. *Ibidem serm. 4.*

Haud ægre nobismetipsis permittimus aculeatas irrisiones, subdolas, beneque tornatas obtrectationes, jucundas fabulas, facetos, parumque verecundos jocos, lætas, nimiumque familiares agendi rationes, mundanos ornatus, ipsi etiam urbanitati adversantes, desiderium sese ostendendi, atque spectandi, adulationes, atque alia id genus. Hæc omnia tamquam receptæ consuetudines considerantur; qui hæc minime consectarentur, tamquam hodiernæ vitæ ignari existimarentur; atque nimiæ insimularentur severitatis; qui hæc vellent proscribere. Verumtamen usus hujusmodi totidem sunt flagitia, & si diligentius bona fide introspicerentur; laxior quoque morum disciplina, ea pati non posset.... Agnosceretur eorum periculum, venenumque detegeretur, nisi in hujusmodi rebus non secus ac in reliquis lata quædam principia nobis proponeremus, quibus in praxi adhæreremus. Nemo sane tam audax esse potest, qui eadem libertate, qua sexcentis in peculiaribus punctis, quæ pro libidine disputantur, cum propriæ conscientiæ detrimento sententiam suam auderet proferre. Gloriantur plurimi, se scrupulis nequaquam urgeri, atque mala omnia, quæ inde consequi possunt, consuetudine probari respondent, quasi contra Dei legem ulla dari possit præscriptio. *P. Girouſt in Adventu suo, sermone hujus argumenti.*

Prætextus qui adfertur, ad cōsuetudinem fovendam.

At enim, mundus igitur susque, deque miscendus est, omnesque illius consuetudines reformandæ; quandoquidem eas ipsas redarguit, quæ a plurimis probatæ sunt, qui profecto damnandi sunt, si illorum vivendi ratio damnatur. Respondeo equidem, hac in re dubitandum non esse, si consuetudines flagitiosæ sint, & cum scandalo conjunctæ; quandoquidem illi, & illæ, a quibus præbetur scandalum, expectare debent eas maledictiones, quas contra scandalorum auctores Dominus pronunciavit: *Væ mundo a scandalis.* Quid ergo faciendum, ne ulla scandala præbeantur? Numquid omnino mundus deserendus est, inter claustra fugiendum, aliunde solitudines, omnesque civiles societates abdicandæ? Vide quousque progrediatur hæc ineptissima argumentatio, & quousque res proferuntur, cum a communi sensu, atque a consuetudine procul receditur? Nequaquam, auditores; quemadmodum hoc mihi non arrogo, ut reformare consuetudinem velim iis in rebus, quæ per se malæ non sunt; ita affirmo eas reformandas, vel omnino potius relinquendas, quæ peccato aperiunt viam, hæc enim sine peccato fieri non possunt, & scandali præbent occasionem; nulla enim esse potest consuetu-

do quæ contra Dei legem præscribat. Hujusmodi sunt ornantus illi, & inverecunda vestimenta, atque eæ nuditates quas non sine ingenti scandalo mulieres ostentant, & quas nullum unquam exemplum, consuetudo nulla, nulla ratio probare potest. *Auctor Anonymus.*

Falsa mundi sententia mundum esse sequendũ. Hoc est mundi amatorum axioma: qui in mundo est, vivere debet, ut alii vivunt; hoc est sinere debet sese a turba serviliter rapi, quin illud quærat, quo vadat, tunc etiam cum certo sciat, se in interitum rapi. Verum sanæ mentis est cæce hos duces sequi? Quæ ratio suadet, sese alienis ingeniis, atque affectibus tradere? Si alii peccant, cur peccandum cum aliis? At rationabiliterne persuadere nobis possumus alios non errare? Faciendum est, quod alii faciunt: videlicet nosmet damnare tranquille debemus, uti alii damnantur; ac nullam religionem habere, nisi ex consuetudine, urbanitate, ut habent alii; nostris nosmet tradere desideriis; nihil aliud, nisi nostra negotia consulere; ad comparanda bona animum dumtaxat impendere; ita enim alii faciunt: videlicet dies sunt transigendi in perpetua propriæ salutis oblivione, sub extremum vitæ finem differenda est imaginaria conversio, & moriendum in summa rerum desperatione, quod faciunt alii dolentes, quod non antea fuerint conversi. Sed quinam sunt isti alii, quos nobis in exemplum debemus proponere? Numquid perspectæ probitatis sunt homines, & quorum Christiana, atque frugi vivendi ratio reverentiam ipsis conciliat? Horum numerus exiguus est. Numquid saltem exiguum hunc numerum nobismetipsis proponimus? Nequaquam profecto. Isti alii sunt hæc inertium hominum turba, quorum plerique omni carent religione, qui viris bonis salutis æternæ curam relinquentes in æterna Dei oblivione suam vitam traducunt, atque inutilibus tantum rebus, & chimæris aluntur. *P. Croiset in Spiritualibus Considerationibus.*

CONTINENTIA, CASTITAS, PURITAS, ET QUIDQUID AD HANC VIRTUTEM PERTINET.

ARGUMENTUM.



Primum quidem mihi persuaseram, hoc argumentum nequaquam satis copiæ suppeditaturum ad concionem elucubrandam, eamque fortasse rationem esse, propter quam viæ hodierna die concionatorem offendimus hac de re singillatim sermonem integrum suscipientem. Cum vero deinde invenerim tot Sanctos Patres huic argumento excolendo curam impendisse; neque defuisse illis, unde integros libros, prolixasque epistolas implerent; quæ omnia inferius a nobis indigitabuntur; duplex hæc mihi subiit cogitatio; altera quidem, maxime utilitatis esse, materiam hanc pertractare; quandoquidem tot doctrina, & sanctitate præstantes viri molam hanc versarunt; altera vero, licet hoc argumentum ut plurimum minime sit totius Orationis, paucissimas tamen conciones esse, quibus aliquid ad hanc virtutem pertinens non admisceatur, seu ad impuritatis vitium evellendum, seu ad modestiæ, & pudicitiæ laudes extollendas; ideoque me eleum, operamque non perditurum, si quidquid in hoc argumento scite dictum invenissem, illud in medium afferrem.

Novi equidem, rem prorsus difficilem esse de Castitate verba facere, quin sermo incidat oppositi vitii; duo enim hæc argumenta nimis arcte connectuntur invicem, ut de altero sine alterius mentione vix loqui possit; spero tamen, nihil a me istic repetitum iri ex iis, quæ de impuro amore alibi dicta sunt; hoc moneo tantum, si quis aliquid ulterius in alterutro argumento petierit, hoc se facile in altero abunde inventurum.

Præterea notandum est, quamvis hic titulus de Castitate solum, variisque virtutis hujus vel partibus, vel speciebus loquatur, latius tamen patere; non enim facere possumus, quominus de rationibus illius tuenda, de ejusdem amittendæ occasionibus, de inimicis eam lacessentibus, de cura adversus eos adhibenda, verba faciamus; quantumvis hæc ut plurimum separata sint argumenta alibi seorsim tractanda.

Notandum quoque reor, licet inter se hæc differant, Castitas, Continentia, Pudicitia, & Virginitas, a nobis tamen confundi, & promiscue de illis haberi sermonem prout res fert; & statuum diversitatem, qua distinguuntur, non prohibere, quominus quilibet ea, quæ ad suum pertinent, sibi propria faciat.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Systemata.

I. 

Rimum quod statim sese offert systema est, in duplici concionis parte, ostendere: 1. ex omnibus virtutibus maxime teneram; fragilem, & facilem, quæ amittatur, majoribusque obnoxiam periculis esse castitatem, quæ nulla ferme ex parte tuta est. 2. magna tamen vis, & constantia opus esse ad virtutem hanc acquirendam, propugnandam, atque tuendam; quamquam nonnisi per summam ignaviam a nobis amitti possit, si illius jacturam faciamus.

Pars Prior. Incipiendum est, ostendendo arctam, ac inevitabilem obligationem, quam Christiana lex omnibus hominibus generatim indicit tuendæ Castitatis, quæ singulorum statum, in quo quisque a Providentia fuit constitutus, proprie decet; conjugalis quidem in connubio, & virginalis in cœlibatu. Hæc enim virtus, ut liquet, varios habet gradus, quorum perfectissimus consilii est; sed Continentia, vel Castitas cujuslibet status propria est præcepti, & præceptum hoc a nemine potest infringi, quin se obliget noxæ. Ut autem eam afferamus fidelitatem, quæ in præcepti hujus observantia requiritur, & eas supremus difficultates, quas naturæ nostræ corruptio experitur; requiritur, ut probe teneamus, quid præcipiatur,

piatur, ideoque virtus, circa quam versatur, vel ad quam nos impellit oppositum vitium proscribens, determinata sit, & peculiaris aliqua virtus a cæteris distincta, & proprium legis hujus subjectum. Hæc autem virtus, ut dictum est, proprie Castitas appellatur: Continentia enim latius extenditur, & in eo posita est, ut in quolibet genere voluptates modereris, easque continens intra eos fines, quos illis lex divina præscripsit; quamvis usus hoc nomen cum Castitatis, & Puritatis vocabulo confundat. His igitur positis, ajo, Castitatem virtutem esse profecto nobilem, & eximiam, qua ad ipsam usque Angelorum conditionem evehimur; sed simul esse virtutum omnium maxime teneram, fragilemque propter naturale studium, quo in oppositas illi voluptates rapimur. 1. Virtus hæc suapte natura fragilis est, ad eam quippe infringendam solus sufficit oculorum conjectus, sola cogitatio, solum verbum, & quæcumque vel exigua licentia: quamobrem tenetur Fidelis sibi diligentissime cavere, ac se tueri contra sensuum suorum, omniumque objectorum illecebras. 2. Imbecillis, & fragilis est, propter inimicorum, quibus incessanter non intermissis viribus oppugnatur, multitudinem, vim, & pertinaciam, itaut prorsus cœlesti egent auxilio, ut eorum vires eludat. 3. fragilis est; ut enim Apostolus inquit, thesaurus est, quem in fictilibus vasis deferimus, quæ ad singula momenta confringi possunt, scopulis, qui in hujus vitæ cursu frequentes occurrunt, collisa; colloquiis videlicet, consuetudinibus, visitationibus, solatiis; quæ quidem totidem sunt veluti laquei contra virtutem hanc positi, in quos non impingere difficillimum est. Adde his, eam a nobilmetipsis effici imbecilliorem in inimicorum nostrorum castra transfugientibus: nosmet enim sexcentis objicimus periculis modo per imprudentiam, modo scientes, atque volentes, quin cogitemus peccandi occasionibus sese objicere, idem prorsus esse, ac proprium excidium velle, & inquirere. Parti huic finis imponi potest, generatim exaggerando facilitatem amittendæ adeo pretiosæ virtutis, ac ostendendo materiæ parvitatem a peccato mortali non excusare, ubi actio voluntaria sit, & voluptas considerate, & cum consensu quæratur.

Pars altera. Numquam majori vi, ac fortitudine opus est, quam ad virtutem hanc acquirendam, tuendam, atque servandam. Hæc illatio ultro consequitur ex ea veritate, quam supra probavimus, eaque facile potest roborari. Quia 1. validi hostes non solum nobis oppugnandi sunt, verum etiam superandi, quandoquidem vinci est, ex illis victoriam non reportare. 2. Magni nobis obices vincendi sunt: 3. res prorsus difficiles debemus aggredi, ut votorum summam consequamur.

Primum igitur, dixi jam, nobis plurimis hostibus esse decertandum, modo autem dico, illas longe potentissimas esse, quod ad nos impugnandos blanditiis, illecebris, voluptatibus, tamquam armis utuntur; & Christiani hominis fortitudo in hoc posita est (quod ipsum multo difficilius est) ut aliter omnino, quam aperta fronte confligat, videlicet ut hostes suos fugiat, ac vitet.

Secundo Fidelis fortitudo in hoc potissimum emicare debet, in quo fortitudo qualibet sita est, scilicet ut obices omnes infringat. At naturale studium, ac temperamentum, quod coercendum est; affectus nostri, qui sunt subigendi; mollities, luxus, crapula, quæ prorsus proscribenda sunt; pravi habitus, quos fortasse contraximus, eradicandi, noxia quævis vincula infringenda, ut virtutem hanc tueamur, & fugiamus vitium; quinam sunt obices! quænam difficultates! quæ moræ! quæ vincula! qua vi, animique præsentia opus est!

Tertio denique; Si vis, ac fortitudo in eo posita est, ut quæ longe difficillima sunt, aggrediamur, ubi per illa ad propositum finem perveniendum est; nihil est quod aggredi non teneamur; adeo necessarium, & grave certamen nobis subeundum est, ut virtutem hanc tueamur! Quid non fecerunt Sancti? Alii quidem ab omni prorsus hominum consuetudine secesserunt, vel in solitudines aufugientes, vel in claustra sese recipientes; alii jejuniis, atque austeritatibus semet afflixerunt: alii oris decus fœdarunt &c.

II. Ostendere possumus omnia bona in hac una virtute contineri, ac de illa prædicare, quod olim Salomon de Sapientia: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

1. Bonum honestum, nihil enim ea majori honore dignum est coram Deo, coram hominibus. Hoc testantur Scripturæ, hac de re mirabilia Sancti Patres enarrant; immo ipsi etiam Ethnici virtutem hanc admirati, eamque laudibus eximiis prosecuti, Virgines suas singulari in honore habuerunt. Veritatis hujus probationes peti possunt ex libro Hieronymi Plati, de bono status Religiosi.

2. Utile quoque bonum in illa invenitur: Quæ enim gratiæ, quæ virtutes eam in hac vita comitantur? & quænam felicitas in altera illam subsequitur?

3. Neque deest bonum delectabile, gaudium, & requies conscientiæ; & cum S. Augustino dicere possumus, eum, qui sibi corporis voluptates interdicit, spiritualibus a Deo voluptatibus cumulari: *Intrabas tu pro eis, omni voluptate dulcior.*

III. 1. Virtutis hujus pretium, & dignitas: *Non est ponderatio continentis animæ.* Illa nos Angelis similes & Deo propiores facit, illa corporum nostrorum decor, & animarum est pulchritudo.

2. Rationes illius acquirendæ, atque tuendæ. Metus, atque præsentia Dei: vigilantia; occasionum, & objectorum, in quæ tamquam in scopulos allidimur, fuga.

IV. Hic Tertulliani locus justæ orationis argumentum suppeditare posse videtur. *Hæc nos commendat Domino, connectit Christo: Beata ipsa, & beatos efficiens apud quoscumque habitare dignatur.*

1. Nos acceptos efficit Deo, qui cum sit puritas ipsa, singulari amore hanc virtutem prosequitur, & nihil illi oppositum pati potest.

2. Nos JESU CHRISTO connectit propter similitudinem, quam cum hoc homine Deo, ex Virgine nato habemus, & qui supremus est virtutis hujus prototypus.

3. Nostram in hac, & in altera vita felicitatem constituit: etenim nunc quidem prout magis, minusve in nobis perfecta est, magis minusve nos immunes efficit ab hujus mundi miseriis, servitute, & curis; deinde vero promissam nobis cœli gloriam impertit.

V. In Scripturis invenio, tres corporibus nostris qualitates inesse, propter quas eadem ab omni impudicitia pura, atque integra tueri debemus.

1. Vocantur JESU CHRISTI membra; ideoque imitari debent puritatem mystici capitis; alioquin eam meremur exprobrationem, qua S. Paulus eos insectatur, qui obscœnis sese mancipant voluptatibus: *Tollens ergo membrum Christi faciam membrum meretricis?* 1. ad Cor. 6.

2. Templa sunt Spiritus Sancti; per Baptismum, aliaque Sacramenta quodammodo consecrata; neque minori reverentia ea prosequi, nos decet, quam templa ipsa saxis, ac cæmentis extructa.

3. Conjunguntur realiter puro, ac virginali JESU CHRISTI corpori in Eucharistia; quapropter nos ab aliquibus SS. Patrum *Concorporei Christi vocamur*. Quanam ergo in puritate servari fas est corpora nostra, quæ ita Salvatoris terrarum corpori agglutinantur?

VI. 1. Si Castitas suas habet molestias, difficultates, & cruces, habet etiam suas delicias, gaudia, solatia, voluptates.

2. Si hostes habet, a quibus oppugnatur, ac sibi pertinacissimum bellum indicitur; suas etiam suppetias habet, suos fautores, ac præstantissima præsidia, quibus seipsam propugnet, de hostibus præclaras victorias referat, atque triumphorum suorum uberrimos fructus recipiat.

3. Si sterilis est secundum carnem, secundum spiritum fœcunda est bonorum operum.

VII. Quandoquidem castitas virtus est, debet, non secus ac virtutes reliquæ, sedem suam habere in voluntate, quæ superior est animæ pars, & mox etiam sedem sibi in corpore constituere, per quod exteriores virtutis actus exerceantur.

1. Quatenus in mente, atque in voluntate sita est, in eo consistit, quod homo cogitationum, votorumque suorum est dominus; atque summa fide, ac celeritate obscœnas repellit ideas, quas exteriora objecta excitare potuerunt.

2. Quatenus vero in corpore, in hoc consistit, quod homo Dominus est suorum oculorum, aurium; cæterorumque sensuum, qui excitare possunt cogitationes, vel motus, huic virtuti adversantes.

VIII. Continentiæ, vel Castitatis præceptum duo complectitur: primum ut ab illicitis voluptatibus abstineamus; alterum, ut omnem a nobis amoveamus speciem, quæ aliquam incontinentiæ suspicionem possit ingerere, vel quæ alienæ obesse posset integritati pravo exemplo, quod per eam potest præberi.

IX. 1. Non desunt, qui virtutis hujus pretium minime norunt; quibus hujus meritum, præstantia, ac bona sunt ostendenda.

2. Non desunt, qui ignorant, quid illa significet, atque arctis nimium finibus eam circumscribunt; atque his ostendendum est quousque, & ad quæ præceptum illius extendatur.

3. Non desunt, quibus non suppetit satis virium ad præceptum hoc, ea, qua par est diligentia, servandum; iique excitandi sunt spe felicitatis, ac præmiorum, quæ hæc ipsis virtus comparabit.

X. Cum a Sanctis Patribus Virgines passim nuncupentur Angeli, & hoc elogio ut plurimum, decorentur; Virginibus, ac illis, qui puritatem excolunt, duplex illud applicari potest officium, quod Angelis a Scriptura tribuitur.

Primum, quod semper coram Deo adstent, eum laudibus celebrent, & ab illius adspectu numquam recedant.

Alterum, quod hominibus assistant, illis sanctas cogitationes immittant, atque a mala deterreant. Similiter homines pudici, ac Virgines, qui sunt Angeli terræ cum Deo conversantur, & mox etiam exemplo auxiliantur hominibus, eosque ad modestiam compositi externo oris habitu ad Dei pertrahunt servitutem.

XI. 1. Præceptum, quo a Deo jubemur continentiam nostri status propriam servare, non excedit vires nostras, quamcumque prætexamus causam seu ex infirmitate nostra, seu ex inita consuetudine, seu ex occasionibus, quibus nostra nos conditio, atque officia nostra objiciunt, desumptam.

2. Et Dei, & nostra referebat, præceptum hoc ferri studiis nostris adeo oppositum; alioquin enim mundus sceleribus, atque flagitiis redundasset.

XII. Per puritatem, constantemque illius tuendæ voluntatem illis medemur vulneribus, quæ nobis originale peccatum inflixit.

1. Concupiscentiæ, quam hac ratione compescimus, & cujus insanos furores inhibemus.

2. Affectibus in appetitu contra rationem insurgentibus; quorum vehementissimus, ac magis indomitus ille est, quo obscœnas voluptates deperimus; qui quidem animam nostram miserrime populatur.

3. Voluntatis nostræ infirmati, atque inconstantiæ; præsertim vero cum nos voto ad hanc virtutem majori, qua fieri possit, perfectione excolendam, obstringimus.

PARAGRAPHUS II.

Fontes Auctoresque, ex quibus hauriri copia possit ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus integrum edidit librum *de Sancta Virginitate*, ubi nihil ad hoc argumentum pertinens prætermissum est.

Idem alium quoque librum conscripsit *de Honestate mulierum*, ubi docet, evitandas esse occasiones, in quibus puritas periculum pati possit.

Idem lib. 1. *de Nuptiis* c. 4. ostendit, Ethnicis nequaquam fuisse veram castitatis ideam, & egregiam virtutem hanc ne novisse quidem.

Idem *l.* 1. *de Civit. c.* 18. virtutem hanc, ut cæteras, in mente sedem habere demonstrat.

Idem Sermone 249. *de Tempore* virtutis hujus elogium contexuit, & mirabiles illius utilitates recensuit, de quibus verba fecit etiam sermonibus 16. 244. & 250. uti de Conjugali castitate sermone 243.

Idem Confessionum l. 6. multa habet, eaque egregia ad hanc rem pertinentia.

S. Cyprianus librum habet: *de bono Disciplinæ, & Pudicitiæ*, ubi quidquid hac de re inquit, notatu dignum est.

S. Ambrosius librum scripsit de Viduis.

Idem *Epist. ad Siricium Papam* docet virginitatem conjugio præferendam.

Idem *l.* 1. *de Officiis* de modestia, ac pudore, quæ Castitatem comitari debent verba facit.

Idem *l.* 1. *de Pænit. c.* 13. docet quid faciendum sit ad hanc virtutem servandam.

Idem denique tres edidit hujus argumenti libros.

S. Hieronymus *l.* 1. *in Jovinianum* de Virginum felicitate, ac bonis loquitur, & adfert eorum exempla, qui ex Ethnicis hac virtute excelluerunt.

Idem in Epistola ad Nepotianum egregia adfert præcepta ad hanc virtutem servandam. Hoc ipsum tractat argumentum in epistola quarta, quæ ad *Rusticum monachum* est, & in Epistola 47. ubi *de vitando suspecto contubernio* verba facit.

Idem *in Regula Monachorum ad Paulam, & Eustochium* docet, illis frequentes consuetudines, & quodvis familiaritatis genus cum viris esse evitandum.

Tertullianus in libris *ad Uxorem de Pudicitia, & de cultu mulierum* multa habet hujus argumenti.

S. Athanasius librum edidit de Virginitate; cujus argumenti libros etiam elucubrati sunt SS. Damasus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Fulgentius, Zeno Veronensis &c.

S. Hieronymus præter ea, quæ adnotavimus, duas habet prolixas epistolas, alteram *ad Salvinam*, alteram ad *Furiam* datas; quas ipse etiam duos libellos appellat.

S. Chrysostomus quoque librum *de Virginitate* composuit, ubi cap. 75. ostendit, quomodo Virgines sexcentis immunes sint curis, quibus nuptæ occupantur; & quomodo facilius Deo vacare possint; Deinde vero Virginum vitam comparat cum vita Angelorum.

Idem librum edidit de *Continentia Joseph*, ubi plurima scite animadvertit cum sancti hujus Patriarchæ pertinentia; *& in Hom.* 44. *in Gen.* iterum hoc ipsum exemplum attingit, ac illud tamquam Castitatis documentum proponit.

S. Basilius *lib. Constit. Monast. c.* 4. ad castitatem perfecte servandam non repellendas tantum esse docet turpes cogitationes, sed evitandum quidquid illas ingerere valeat.

Idem in libro, *quem de vera Virginitate* inscripsit, docet Virginibus majorem curam habendam esse puritatis animarum suarum, quam corporum.

Cassianus *Collat.* 12. c. 4. & 7. de variis castitatis gradibus loquitur.

Alcimus Avitus in operibus suis non pauca habet in virtutis hujus commendationem.

Trithemius *l.* 1. *hom.* 21. *ad Monach.* ostendit, quænam esse debeat vera Castitas.

S. Bernardus *serm.* 23. *&* 58. *ad Sororem* docet quam metuenda sit impuritas, & quam caute castitas conservanda.

Idem *Hom.* 4. *super Missus est*, loquitur de prudentia, quæ in Virginibus requiritur.

Auctores aliqui. Vitæ spiritualis Magistri hac in re Sanctos Patres secuti sunt: ne unus enim eorum est, qui de Castitate; ac rationibus eamdem tuendi non differuerit. Hi autem ferme sunt, ex quibus ad conciones elaborandas majorem copiam elicere possumus.

P. Ludovicus Granatensis in Peccatorum Duce *tr.* 2. *c.* 6.

P. Ludovicus a Ponte. *Tom.* 3. *tract.* 2. *cap.* 4. *& tract.* 6. *c.* 9.

P. Alphonsus Rodriquez, *Tertia parte Tractatu quarto.*

Hieronymus Platus in tribus partibus libri *de bono status Religiosi.*

Antonius Gaudier, *De natura, & causis Perfectionis. Part.* 4. *c.* 15.

Jacobus Alvares. *Tom.* 2. *l.* 5. *part.* 2.

Franciscus Arias. *Tom.* 3. *de imitatione Christi.*

Nicolaus Lancicius. *Opusc.* 2. *cap.* 7. *& Opusc.* 4. *cap.* 14.

Baldexanus. *In stimulo Virtutum l.* 2. *c.* 1. 2. 3. 7. 8. *&* 9.

Petrus Sanchez. *In regno Dei p.* 5. *c.* 8.

Lucas Pinelli *tom.* 3. *tract.* 3.

Bernardinus Rosignolius *l.* 4. *de Discipl. Christ. cap.* 35.

Drexellius *in Niceta, & in Rosis part.* 1. *c.* 9.

Petrus Canisius *in Opere Catech. q.* 4.

P. Caussinus in Aula sancta *l.* 3. *sect.* 4. ubi de Castitatis exercitio loquitur.

P. Dozenne in Morali JESU CHRISTI.

Abbas Fenelon in libro, cui titulus. *Instruction Chretienne pour l'Education des Filles.*

Lambert in sermonibus de vita Ecclesiastica serm. 14. de Castitate.

Matthias Faber *in Auct. In festo S. Cathar. Them.* 1.

Concionatores. Peraldus Tom. 2. plurima habet hujus argumenti capita. In undecimo de Virginum in 12. de Viduarum, in 13. de Ecclesiasticorum; in 14. de conjugum continentia verba facit.

Busæus *in Viridario tit. Castitas*, plurima habet ejusdem argumenti capita.

Raynerius de Pisis *in Panth.* V. *Continentia.*

Lobetius)
Labata) Verbo *Castitas.*
Summa Prædicantium)

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Job 31.

Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det. Sapient. 8.

Incoinquinata, quæ nescivit torum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Sapient. 3.

O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius; quoniam apud Deum nota est, & apud homines. Sap. 4.

Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem. Prov. 22.

Incorruptio facit esse proximum Deo. Sap. 6.

Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. Eccli. 9.

Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Ibidem.

Propter speciem mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Ibidem.

Ne respicias in mulieris speciem, & ne concupiscas mulierem in specie. Eccli. 25.

Omnis ponderatio non est digna continentis animæ. Ib. c. 26.

Confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, & post virum tuum alterum nescieris: ideo eris benedicta in æternum. Judith 15.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Matth. 5.

In Resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Matth. 22.

Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est a Patre meo. Matth. 19.

Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. 1. ad Cor. c. 7.

Mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu, & quomodo placeat Deo. Ibidem.

Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; & qui non jungit, melius facit. Ibid.

Beatior autem erit (vidua) *si sic permanserit secundum meum consilium.* Ibid.

Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. 2. ad Cor. 4.

Fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis. Ad Ephes. 5.

Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore. 1. ad Thessal. c. 4.

De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino ut sim fidelis. 1. ad Cor. 7.

Teipsum castum custodi. 1. ad Tim. 5.

Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Apocal. 14.

Exempla ex Veteri Testamento desumpta.

Exempla Josephi. Ubinam illustrius invenietur exemplum pudicitiæ majoribus sollicitationibus probatæ, quam illud prisci illius Joseph, quam certatim Patres laudibus celebrasse videntur? Liquet, a qua, & quomodo, in ipso ætatis flore, ac vi, fuerit sollicitatus ea in lege, ubi solum naturæ præceptum tota erat morum disciplina. Non ignorabat ille, omnia sibi esse metuenda a muliere, cujus amor in furorem convertendus erat ad servi repulsam ulciscendam, in cujus vitam omnem obtinebat auctoritatem. Cæterum fidei consonum est, nihil ab illa fuisse prætermissum, non blanditias, non minas, non promissiones, ut eumdem ad obscœnæ cupiditati suæ satisfaciendum polliceret. Sed fidelis servi obnitentia dominam magis irritavit. Non profuit illi, repræsentare fidem, quam hero suo debebat, qui omnia domestica ipsius curæ dereliquerat potius, quam tradiderat; quapropter tantum illi dedecus inferre non poterat. At impudica mulier quin sese colligeret, adeo sapientibus excusationibus aures obstruxit, oculosque considerationibus omnibus clausit, ut cæco affectui pareret. Itaque cum effrænata servum insectaretur impudentia, sanctus adolescens, ut ex illius manibus elaberetur, ei suum pallium reliquit, ne, ut S. Gregorius Nyssenus inquit, virus, quo impurissima mulier tactu vestes imbuere potuisset, cor suum aliquando pervaderet.

Exempla S. Job. Sancti Job Continentia tantis profecto periculis tentata non fuit; sed fidelis vigilantia, qua oculos suos custodiebat, ne ab illis cor seduceretur, satis ostendit quanam cura puritatem suam tueretur, & quanto in pretio eamdem haberet: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Job c. 31. Secretum cum oculis suis pactum percusserat, ut numquam aciem suam in innuptam, nuptamque converterent, vel retinerent; quod quidem pactum fidelissime explevit in eo etiam mi-

miserrimo statu, ad quem redactus fuit, quemadmodum Interpretes animadvertunt: Ubi perpendere haud abs re est, mulieris intuitum magnam perflare contagionem; quandoquidem homo, cujus totum fere corpus sanie, ac tabo diffluit, & spiritus mœrore confectus peculiari Dei unius protectione fulcitur, se tutum esse non posse ratus est, nisi cum oculis suis pacisceretur, ne virginem ultam inspicerent?

Susannæ exemplũ. Susannæ exemplum adhuc admirabilius est; maluit enim turpis, sævæque mortis subire periculum, quam castitatis suæ gloriam denigrare secreto crimine, quod uni Deo fuisset compertum. Sed hæc ipsa cogitatio, quod nempe a Deo videretur, illam contra turpissimorum senum effrænem impudentiam confirmavit, qui tempus, & occasionem nacti fuerant eamdem solam, ac sine teste deprehendendi. Nota satis est historia; verum hæc in eadem animadvertere possumus. Primum perpendenda est cæcitas, ad quam impuritas egerat senes illos & propter ætatem venerabiles, & spectabiles propter dignitatem, quam in populo obtinebant, cujus Judices erant constituti. Viros igitur hac dignitate insignitos, cum castam mulierem deperirent, non puduit, ultro citroque sibi detestabile aperire consilium, & in communi consulere, quid facto opus esset, ut votorum summam consequerentur. Hi profecto, ut Scriptura notat, avertérunt oculos, ne cœlum suspicerent, ad omnem amovendam cogitationem, quæ excitare posset horrorem facinoris, quod machinabantur; ita ut accedentes ad locum, ubi erat Susanna, quæ statum suum, ac eorum insolentiam intuita plurimo rubore suffusa est; consilium suum non celarunt eamdem, atque ut illam ad sua vota pertraherent, minitati sunt, seipsam stupri accusaturos, quasi cum formoso juvene obscœnis operam dantem voluptatibus deprehendissent. Vide quousque insaniæ cœcus hic affectus impulerit homines, quos non ætas, non dignitas, non ultoris Dei metus potuit a proposito deterrere. Verum heroicam etiam pudicissimæ fœminæ constantiam intueamur; quæ ne momento quidem hæsit inter vitæ, ac pudicitiæ jacturam dubitabunda: sed cum Dei timor alte cordi ipsius esset impressus, eos clamores emisit, quos quidem sciebat sibi necis causam futuros; sed qui impudentissimis senibus ostenderunt, nihil ipsis sperandum relinqui; quandoquidem decreverat pudica mulier mortem potius, & publicum subire dedecus, quam secreto scelere coinquinari. Reliqua historiæ pars liquido ostendit, quantopere Deo cordi sint innocentes, ii vero præsertim, qui excolunt castitatem.

Exemplũ Judith. Omittendum non est hac in re celeberrimum Judith exemplum; verum cum magis admirabile sit, quam imitabile, inde ad suggestum nihil referri potest, nisi quod ipsa Scriptura animadvertit; *Confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris ..... ideo benedicta eris in æternum*: Judith 15. Deum videlicet passim pudicis uti personis ad maxima quæque pro gloria sua perficienda. *Confortatum est cor tuum*. Et constat ratio; cum enim illæ magis expeditæ sint terrenis curis, & carnem, ac sanguinem minime sequantur, Deo magis adhærent, ideoque ad maxima quæque aggredienda sunt magis idoneæ. Ex omnium etiam sæculorum historia cognoscimus, Deum ut plurimum iisdem usum esse, ut illis gravissima, & maximi momenti negotia committeret. Sed purum, & solitarium vitæ genus, quod illustris hæc mulier toto viduitatis suæ tempore professa est; licet omnibus iis præfulgeret dotibus, quibus existimationem ibi comparare poterat; exemplar esse potest omnibus Christianis viduis, ad quod suas actiones, atque instituta conforment.

Exemplũ Eliæ aliorumque nonnullorum Prophetarum. Quamquam Virginitas in veteri Testamento in usu posita adeo frequenter non fuerit, immo etiam quædam opprobrii species fuerit habita (auferebat quippe hominibus spem affinitatis, & cognationis cum Messia ex semine Abrahaæ nascituro) virtutis hujus tamen non defuerunt exempla: quandoquidem Elias, Jeremias, Daniel, aliique nonnulli Prophetæ eam constanter servarunt. Hanc ob causam, ut S. Ambrosius animadvertit, Deus illis distinctius sese communicavit, ac iisdem usus est, ut præstantissima quæque perficeret, eosque insignioribus gratiis cumulavit.

Exempla ex Novo Testamento desumpta.

Exemplũ B.Virginis. PErfectissimum, atque absolutissimum quod unquam in mera Creatura affulserit puritatis exemplum, est beatissima Dei Mater, Virgo per excellentiam, quæ ipsos Angelos superavit. Hæc prima virginitatis extulit vexillum eo voto quod ante omnes concepit; quemadmodum conjicere est ex verbis, quæ ipsa dixit Angelo nuncianti futurum, ut illa sinu suo Verbum Æternum conciperet: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Luc. 1. Itaque puritatis virginalis status inde suam accepit originem, atque ut ita dicam, eodem sinu conceptus fuit, quo ipse Dei Filius, qui eadem est puritas, & fulgor lucis æternæ, carnem assumpsit. Itaque Sancti Patres ajunt, si Deus inter homines nasciturus erat, ex Virgine fuisse nasciturum: Et si Virgo erat paritura, Deum hominem pariturum fuisse.

Exempla alia. Ne istic omnia congeram elogia, quibus Sancti Patres Beatissimam Virginem celebrarunt, & quibus toties Evangelici suggestus personuerunt, alia percurramus exempla, quæ lex nova nobis suppeditat. Quam castum esse decuit illum, quem Deus Mariæ conjugem destinavit, ut puritatis ejusdem custos esset, & columen? Quænam similitudinis perfectio inter duas hasce personas inveniri debuit, quas elegerat, ac destinaverat Deus alteram quidem, ut esset Mater sua, alteram vero, ut matris hujus honorem tueretur, tamquam sponsus: & esset veluti umbra Spiritui Sancto in incarnati Verbi conceptione?

Illi omnes, qui rationem aliquam cum JESU CHRISTO habuere a cæteris magis distinctam, in hac virtute potissimum excelluere, quemadmodum uterque S. Joannes: alter quidem gloriosus ejusdem Præcursor Baptista, alter Evangelista, & dilectus discipulus, quem deinde elegit, ut pro se tamquam Filium Beatissimæ Virgini subrogaret, quam illi moriturus enixius commendavit. Sin autem Apostoli, qui eum secuti sunt, atque illius Evangelium annunciarunt, non omnes fuere Virgines tunc temporis, quo hæc virtus non hoc habebatur in pretio; ipsi tamen, ex quo ad Apostolatum evocati fuere, semper castitatem servarunt: & S. Paulus per antonomasiam, Apostolus nuncupatus, satis minime putans suadere castitatem uniuscujusque status propriam, optabat etiam, ut omnes sui similes essent, atque seipsum hac in re imitarentur respuentes conjugia; quamquam statum hunc suaserit solum quemadmodum, ipse Dei Filius effecerat: *De Virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do*. Verum quin alia inquiramus exempla, satis est dicere cum Sanctis Augustino, & Ambrosio, quod simul ac Evangelium publicatum fuit, statim terrarum orbis Virginibus repletus est, & quamplurimi vitam suam effuderunt, ut hanc virtutem servarent, quæ præ veteri lege Christianæ Religioni erat reservata.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Casti sunt Angelis similes. VEnerunt duo Angeli Sodomam vespere &c. Gen. c. 9. Qui Sodomis aufugerunt, Angelum habuere ducem; ut ostenderetur, angelicam requiri virtutem ut sensuum voluptates fugiantur, & quo magis ab hac voluptate recedimus, eo magis nos ad spirituum cœlestium conditionem accedere: quandoquidem castitas, ut ipse ait JESUS CHRISTUS pro-

propria virtus est Angelorum: *Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*. Matth. 22. Quinam autem magis ab ejusmodi voluptatibus recedit, quam qui perpetuæ castitatis votum nuncupans ultro sibi voluptatum omnium usum interdicit?

Castæ personæ sunt sponsæ Filii Dei.

Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. 2. ad Corinth. 11. Profecto Virginitas corporis de præcepto non est: sed castitas fidelibus omnibus necessaria quædam est species virginitatis animas eorum dignas efficiens, quæ sint Sponsæ JESU CHRISTI. Omnes enim Fideles spiritualia cum Salvatore sponsalia contraxerunt juxta illa S. Pauli verba: *despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Omnes animæ justæ Ecclesiam efficiunt, hanc JESU CHRISTI Virginem Sponsam, atque ita quædam Spiritualis Virginitas statui fidelium adhæret. Idcirco prudentum fatuarumque Virginum parabola eas ad quinarium numerum redigit; in quo, S. Augustino teste, fidelium universitas mystice continetur; quia quinque sensus humani corporis Virgines esse debent. Hinc etiam Deus ait; animam, quæ ab ipso recedit, ut adhæreat mundo, adulteram esse, fidem legitimo juratam sponso infringentem.

Tota pulchra es, amica mea. Cant. 4. Cœlestis Sponsus in Canticis Sponsam suam bis pulchram vocat, ut innuat, duplicem illi inesse debere pulchritudinem, & opus esse, ut non minus puritatis habeat in anima, quam castitatis in corpore: *quam pulchra es amica mea, quam pulchra es!* Videtur autem ab illis, quibus arcte sese conjungit, JESUS CHRISTUS non solam corporis castitatem, vel puritatem animæ circa externos motus, sed perfectam castitatem exigere, hoc est integritatem, quæ ea omnia proscribat, quæ huic virtuti adversantur.

Puritas nos supra naturam nostram extollit.

Eripe me de luto. Psalm. 68. In hujus virtutis laudem quid majus, atque præstantius dici potest, quam illi attribuere facultatem eripiendi de luto, qui est naturæ nostræ origo, ut ad Angelorum conditionem, & ad ipsius similitudinem attollat? Hæc enim ea virtus est, quæ quodammodo corpora in spirituum naturam traducit, quæ terrenis curis nos expedit, quæ aptos nos facit ad cœlestes veritates contemplandas, & quæ reipsa tamquam de luto nos eripit, nos ipsos de sensuum voluptatibus eruens, quæ spiritum brutorum more deturpant, & hominem bestiis similem faciunt.

Sapientiæ cumulus est, se castum & ab omni forde immunem tueri.

Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det ..... adii Dominum, & deprecatus sum illum .... da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam. Sap. 8. 9. Mirum numquid est, quod Salamon a Deo castitatem impetraturus, quam Cœli donum esse confitetur, sapientiam deposcat: quod præstat ea in oratione, quam Deo effudit ut insignem hunc favorem essequeretur? caste, integreque vitam ducere, & hanc sibi vivendi rationem eligere nonne magnæ sapientiæ indicium est, & effectus? vel potius mirum non est ad virtutem hanc tuendam non vulgari sapientia opus esse; maxima enim in operibus omnibus requiritur vigilantia, sedula, & jugis cura in sensibus, verbis, omnibusque cordis motibus regendis, in prævidendis occasionibus, & periculis, in quibus illius jactura fieri possit, atque in scrutandis rationibus, quibus resisti possit tot hostibus, qui virtutem alioquin adeo teneram atque fragilem circumundique oppugnant?

Contremisco equidem, ubi audio S. Paulum Timotheo discipulo suo hæc præcipientem: *Te ipsum castum custodi*. 1. ad Timoth. 5. Hic vir erat summa vitæ austeritate, laboribus, atque mortificationibus ad maciem usque confectus; qui cum sibimetipsi perpetuum indixisset jejunium, atque illud rite servaret, modico indigebat vino, ut effætas austeritatibus, atque laboribus vires, repararet. Hoc illi Paulus permittit; cæterum monet, ut accuratius invigilet perfectam animæ, corporisque puritatem servaturus perinde ac non posset citra periculum modico vino suum corpus reficere; *te ipsum castum custodi*. Contremisco, inquam quandoquidem testis sum vestræ philauciæ; atque novi mollitiem hanc, qua commoda vestra perquiritis, corpori vestro blandituri, & satis appetitui vestro facturi.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum in hoc argumento.

Pudicitia est honor corporum, ornamentum morum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiæ caput. Cyprian. de bono Discipl. & Pudicit.

Beata ipsa & beatos efficiens, apud quoscumque habitare dignatur. Idem, ibidem.

Virgines, illustrior portio gregis Christi. Idem.

Dei imago (Virginitas) *respondens ad sanctimoniam Domini*. Idem.

Adversus carnem obstinata certatio. Idem l ib. de Veland. Virg.

Virgo, non esse tantum, sed intelligi debet & credi: ut nemo, dum virginem viderit, dubitet an virgo sit. Idem.

Lubrica spes est, qua inter fomenta peccati, salvari se sperat: incerta victoria est, inter arma hostilia pugnare. Idem, de sing. Cleric.

Vera & pura virginitas nihil magis timet quam seipsam: etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet: confugit ad velamen capitis quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat adversus ictus tentationum, adversus jacula scandalorum. Tertull. l. de veland. Virg.

Circumduc vallum verecundiæ (velum;) *murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos*. Idem, ibidem.

Cum omnes templum simus Dei, illato in nos & consecrato Spiritu sancto, ejus templi æditua & antistes pudicitia est: quæ nihil immundum & prophanum inferri sinat. Idem, l. de cult. fœm. c. 1.

Ad Leonem damnando christianam (Virginem) potius quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna & omni morte reputari. Idem, in Apol.

Pudicitiæ Christianæ satis non est esse purum & videri; tanta enim debet esse plenitudo ejus, ut emanet ab anima ad habitum, & eructet a conscientia in superficiem. Idem, l. 2. de cult. fœm.

Virginem magis laudando, quam vituperando confundas. Idem, l. de veland. Virg.

Ubi Deus, ibi puritas. Idem, de cast. fœm.

Funambuli castitatis (ita appellat eos qui se periculo amittendæ castitatis exponunt.) Idem, l. de pudicit.

Facilius est pro castitate quam cum castitate mori, Idem.

Alterius suspicione violatur. Idem de cult. fœm.

Pudicitia sollicita non est cui placeat, nisi sibi: pudicitia nihil ornamentorum quærit: decus suum ipsa est. Idem, l. de Pudicit.

Hæc (Pudicitia) *nos commendat Domino, connectit Christo, beata ipsa, & beatos efficiens*. Idem ibid.

Quod continentia genus (nempe virginitas) *quasi fastigium est, omniumque consummatio virtutum; ad quam si quis eniti atque eluctari potuerit, hunc servum Dominus, hunc discipulum magister agnoscet: hic terram triumphabit, hi erit consimilis Deo*. Lactantius, l. 6. c. 23.

Plerique (inter primos Christianos) *inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius, quam gloriantur*. Minutius Felix in Octav.

Mulier nupta, est Christi ex parte; at virgo, tota Christi fit: illa se totam alligat mundo, hæc autem nullo modo se ei accommodat; quod est pars quædam innupta, est totum in virgine. Greg. Naz.

O virginitas! corona quæ numquam marcescit, sacrarium Spiritus sancti, gemma pretiosissima, a paucis inventa! S. Athan. l. de Virg.

Quis negat hanc vitam fluxisse de cœlo, quam non facile invenimus in terris, nisi postquam Deus in hac terreni corporis membra descendit? Ambr. l. 1. de virg.

Castitas Angelos facit, qui eam servavit, Angelus est. Idem.

Quanta est virginitatis gratia, quæ meruit a Christo eligi ut esset corporale Dei templum, in quo corporaliter habitaret plenitudo divinitatis! Idem, l. de Offic.

Major est victoria Virginum quam Angelorum: Angeli enim sine carne vivunt; Virgines vero in carne triumphant. Idem, l. de Viduis.

Virginitatis integritas Angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetua imitatio. Aug. l. de Virg. c. 23.

Nemo miretur si Angelis Virgines comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur. Ambrof. lib. 1. de Virg.

Non ideo laudabilis virginitas quia in Martyribus reperitur, sed quia ipsa Martyres facit. Idem, ib.

Trepidare Virginum est, & ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri. Idem, l. 2. in Luc.

Hæc, nubes, aera, Angelos, syderaque transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit, & toto hausit pectore: e cœlo accersivit, quod imitaretur in terris. Idem, l. de Virg.

Magnum est virginitas, quæ hominem incorruptibili Deo simillimum facit. Basil. lib. de Virginit.

O Virginitas! Opulenta, indeficiens, corona immarcescibilis, templum Dei, domicilium Spiritus Sancti, gloriatio Apostolorum, Angelorum vita, Sanctorum corona! Athanas. lib. extremo de Virginit.

Eas, quæ in virginitate degunt, in pretio habete veluti Christi sacerdotes: viduas in pudicitia permanentes, ut altare Dei. S. Ignatius ad Tarsenses. Epist. 7. & 9.

Virgines serva, ut pretiosa Christi monilia. Idem, ad Ascionem.

Felix conscientia, & beata virginitas, in cujus corde, nullus alterius amor quam ipsius Christi incenditur! Hieron. in Epist.

Crebra munuscula, & dulces litteras, & sudariola, & prægustatos cibos sanctus amor non habet: hæc enim omnia carnem sapiunt, & procul sunt ab amore casto. Idem.

Divitiæ tuæ, virginitas tua, thesaurus tuus est; thesaurus irrecuperabilis, postquam semel amissus est. Idem, ad Demetr.

Quacumque virtute polleas, quibuscumque opibus niteas; si cingulo castitatis careas, omnia per terram trahes. Idem.

Præ cæteris discipulis diligebat Jesus unum, nempe Joannem, & hunc specialis prærogativa castitatis, ampliore dilectione fecerat dignum. Idem.

Sponsa Christi Arca est Testamenti, intrinsecus & extrinsecus deaurata, custos legis Domini: super hoc propitiatorium, quasi super Cherubim sedere vult Dominus. Idem, Epist. 22. ad Eustoch.

Audenter loquar: cum omnia possit Deus, Virginem suscitare post ruinam non potest: valet quidem liberare de pœna, sed non coronare corruptam. Idem, ibid.

Pudicitia in primis retinenda est, quæ omissa omnis virtus ruit. Lib. 1. adversus Jovinian.

Hæc pauperem commendat, divitem extollit, deformem redimit. Idem, ibidem.

In hac, muliebrium virtutum principatus est. Ibidem.

Nullus tutus aspectus. Idem, in Epist.

Inter omnia certamina Christianorum, duriora sunt prælia castitatis; nam ibi continua pugna, & rarior victoria. August. lib. de Honest. Matrim. cap. 2.

Castus est qui amorem amore exclusit, ignemque carnis igne spiritus exclusit. Ibidem.

Dominus noster ideo per casta Virginis membra venit ad terras, ut ostenderet Deum esse castitatis authorem. Idem, Serm. 17. de Tempore.

Pudicitia res est animæ, virginitas corporis. Idem, contr. Julian. c. 4.

Quid prodest cui est continentia, si dominetur superbia? Idem, in Serm. 57. super Matth.

Continentia virtus est animæ, & comitem habet fortitudinem. Idem, l. 2. de Civit.

Pudicitia, vi, nec in carne, nec in anima, violari potest. Idem, Epist. 22.

Virginitatis bonum, quantum magnum video; tanto ei, ne pereat, furem superbiam pertimesco. Idem, l. de Virg.

Quid prodest integra caro, mente corrupta? melius est humile conjugium, quam superba virginitas. Idem, in Ps. 26.

Gravem castitas sortita est inimicum, cui semper cum timore resistitur. Idem.

Ne dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, Idem, Epist. 211.

Nobis ad Virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, major & cura, de ea custodienda; quia cito potest amitti. Idem l. de doct. Christ. Ex Cypriano de discipl. & hab. Virginum.

In corde mundo delectationes supernæ miscentur. Idem.

Per virginitatem, integritas carnis ipsi Creatori animæ & carnis consecratur, & vovetur. Idem, lib. de sancta Virg.

Nulla carnis fœcunditas sanctæ virginitati, etiam carnis, comparari potest. Idem, ibid.

Gloriosum & insignem inter virtutes castitas tenet locum; quia ipsa sola est, quæ mundas mentes hominum præstat videre Deum. Idem, Serm. 249. de Temp.

Difficilis est res virginitas, ideo rara quia difficilis. Hier. in Jovinian.

Per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis. Greg. l. 19. Moral. c. 12.

Nec castitas magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquod sine castitate. Idem, Hom. 13. in Evang.

Per Moysem, luxuria perpetrata, per Christum authorem pudicitiæ, luxuria cogitata damnatur. Idem, in Moral.

Nihil valet apud Deum aut superba castitas, aut humilitas inquinata. Idem, 21. Moral. c. 2.

Differunt quidem inter se homo pudicus & Angelus, sed felicitate, non virtute; sed etsi illius castitas sit felicior, hujus tamen fortior concluditur. Bernard. in Epist.

Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore, statum quemdam immortalitatis & gloriæ repræsentant. ibidem.

Castitas sine charitate, lampas sine oleo: subtrahe oleum, lampas non lucet; tolle charitatem, castitas non placet. Idem, ib.

Solent Virgines, quæ vere Virgines sunt, semper ad omnem viri affatum pavere, & numquam esse securæ: & ut caveant timenda, etiam tuta pertimescere. Idem, Serm. super Missus est.

Virginitate placuit, humilitate concepit. Idem (loquitur de B. Virgine.)

Continentia non habet meritum apud Deum, quæ gloriam requirit humanam. Idem, Serm. 8. in Cant.

Quid castitate decorius, quæ mundum, de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum denique de homine facit? Idem, Epist. 42.

Nulla est castitas carnis, quam non commendat humilitas mentis. Greg. in Moral.

In virginitate exemplar habetur angelicæ sanctitatis. Athan. l. de Virgin.

Non secundum carnem vivere, angelicum est, & superius natura. Greg. Naz.

Vir-

Virgines adhuc in terra degentes, municipatum habent in cœlis. Cassianus, l. 2. c. 6.

Angelis semper cognata virginitas; in carne praeter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. Chrys. Serm. 143.

Angelorum gloriam acquirere majus est quam habere; Angelum esse felicitatis est; virginem esse, virtutis. Idem, ibidem.

Diutius virginitatis donum fluxit in fœminas, quia cœpit a fœmina. Hieronym. Epist. 22. ad Eustoch.

Castitas, qua vera est & aterna formositas. Zeno Veron. Serm. de Pudicitia.

Quantum es miranda pudicitia, qua aliter laudari te non vis, quam ut custodiaris! Idem, ibidem.

Tu in virginibus felix, in viduis fortis, in conjugiis fidelis, in Sacerdotibus pura, in Martyribus gloriosa, in Angelis clara, in omnibus vero Regina. Idem, ibid.

Ut nihil aliud esset, ut nulla merces alia virginem sequeretur; sufficeret ei hac sola prælatio: cogitare quæ Domini sunt. (Ut ait Apostolus,) Hieron. apud Jovin.

Sola est virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest; res magis voti, quam præcepti. Ambros. in adhortatione ad Virg.

Tenera res in fœminis fama pudicitia est. Hieron. Epist. 9.

Pudicitiam solam novit conscientia, & humani oculi hujus rei certi judices esse non possunt. Idem, Epist. 128.

Invicem se eadem oculorum genera desiderant: ejusdem libidinis est videri & videre. Tertull. l. de veland. Virg. c. 2.

Pudicitia, flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, prajudicium omnis bonæ mentis. Idem, l. de Pudicit.

PARAGRAPHUS VI.

Quæ ex Theologia, ad hoc argumentum, possunt desumi.

Castitatis ejusque specierum definitio.

CAstitas, si in proprio sensu accipiatur, virtus est & moralis, per quam ab illicitis quidem carnis voluptatibus abstinemus, licitis vero modice utimur. Cum hæc virtus sit, ideo voluntarius habitus est, qui in anima, tamquam in subjecto suo est; sed qui habet corpus pro materia, & pro subjecto, in quo exercetur: animæ enim proprium est corporeis uti membris secundum rationem, atque modum, qui ab eadem ratione præscribitur. Castitas hoc in sensu accepta in tres species distinguitur, ratione quarum generis locum tenet: prima, eaque præstantissima, est puritas virginalis, quæ omnes prorsus carnales voluptates licitas æque ac illicitas a se repellit; sive Deo consecrata sit religionis voto, sive hoc servet ex mero consilio, atque constanti proposito, numquam violandi puritatem aliquo actu voluntario, qui illi advertetur. Species altera eorum est, qui cum aliquandiu in conjugio vitam transegerint, post conjugis alterius obitum, reliquum vitæ spatium in cœlibatu, sanctaque viduitate traducunt. Tertia denique est castitas conjugalis in mutua fidelitate consistens, quam vicissim conjuges servant, quo matrimonio dumtaxat secundum Dei Leges, atque temperantiæ regulam, utuntur.

Varia hujus virtutis nomina.

Virtus hæc plura habet nomina, quæ passim promiscue confunduntur, quamvis distincta sit eorum significatio. Nomen Pudicitiæ, proprie honestatem significat, qua sensus nostros cohibemus, ne quid indecorum, & quod puritatem lædat deprehendatur in nobis. Continentiæ significatio latius patet; quandoquidem comprehendit abstinentiam ab omni sensuum incomposita voluptate; quamvis peculiarius ad abstinentiam ab inhonestis voluptatibus significandam transferatur. Puritatis nomen magis adhuc genericum est, ac dicitur, de his omnibus, quæ clara, & munda sunt; cumque de morum agitur disciplina, vitæ integritatem significat, & ad castitatem indigitandam traducitur. Hoc etiam nomine frequentius utimur, quippe quod omnia excludit vitia virtuti opposita, de qua sermo est.

De virtutis hujus præstantia.

De virtutis hujus præstantia judicium ferre licet, ex ubertimis laudibus, quibus Sancti Patres illam celebrarunt, & quæ superius a nobis allatæ sunt; præsertim vero ex S. Basilii elogio, qui Theologorum more loquens ait, per hanc Virtutem nos ad Deum propius accedere; non eo quod hæc virtutum omnium sit præstantissima, licet imperfecto ipsius gradu nempe Virginitate sumatur; quandoquidem Theologales virtutes, & ex moralibus Religio ratione objecti sui illam antecellant: verum dicere possumus, virtutem hanc Deo in paucis esse acceptissimam, & nos ad alium amorem facilius disponere, atque prorsus peculiari ratione nosmet cum illo conjungere.

Dubitandum non est, quominus Virginitas, & continentiæ status conjugio sit anteferendus, ubi semel S. Paulus hoc aperte docuerit, & Divus Thomas *ar.* 4. *qu.* 152. rationes attulerit. Qua in re diligenter personam inter ac statum distinguendum est: aliquis enim in perfectissimo statu reperitur, qui tamen a status sui perfectione, quam maxime distat, & aliquis est in statu minus perfecto, qui tamen summa fide omnia sui status officia adimplens, longo post se relinquit intervallo eum, qui statum amplexus est sublimiorem. Sed quamvis non desint homines conjugii vinculis irretiti, qui Virginibus præstent, & Sanctitate, & perfectione; hoc tamen non abest, quominus virginitatis, & continentiæ status Deo sit acceptior, magis meritorius, & ad nos ad sublimiorem perfectionis gradum evehendos magis idoneus. Non oportet igitur æquare meritum Virginis, & nuptæ, si cætera sint paria; ita in Cœlo peculiaris gloria, & corona destinata est Virginibus, quibus sacer Textus hanc tribuit prærogativam, quod sequuntur Agnum quocumque ierit, tamquam perfectiorem cum ipso habentes similitudinem.

De Castitatis præcepto.

Quid de castitatis præcepto Biblia, atque Theologi doceant, omnibus compertum, atque exploratum est; primum videlicet virginitatem, quæ maxima est hujus virtutis perfectio, non esse præcepti, sed tantum consilii: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*: 1. ad Cor. 7. Sed consilium, quod toto Cœlo utilius est, quam ulla mortalis affinitas, iis, quibus illius tuendi, & desiderium, & vim Deus est elargitus: secundo castitatem illius status propriam, in quo singulos providentia constituit, inevitabile esse præceptum: Tertio quamlibet voluntariam, & considerate quæsitam in hac materia voluptatem esse peccatum mortale; & juxta communem Doctorum sententiam, neminem a peccato excusari propter materiæ levitatem, sed tantummodo propter attentionis, vel consensus defectum.

De voto Castitatis.

Castitas, quæ Deo vocatur fit longe præstantior, & magis meritoria propter rationes actionibus omnibus, omnibusque virtutibus, quibus explicito adstringimur voto, communes; præter quam quod ita in bono magis confirmamur, nobisque eripitur ipsa etiam moralis aliter agendi facultas.

Rationes autem adeo præclaræ, teneræque virtutis tuendæ, præter orationem, sine qua servari nequit continentia, quæ peculiare Dei donum est, hæ fermæ sunt, mortificatio, diligens sensuum nostrorum cura, fuga omnium occasionum, in quibus hæc virtus periculum pati possit; velox immundis cogitationibus resistentia; jugis vigilantia, quibus adde fugam otii, quod est vitiorum omnium origo.

Bona continentiæ.

Extra omnem dubitationis aleam positum est virginum, & eorum qui continentiam tuetur statum majores habere utilitates, quam ipsum conjugium. Princeps autem illa est, quam Apostolus in priori ad Co-

ad Corinthios Epistola indigitat; eos videlicet, qui conjugii vinculis irretiti sunt, plurimis curis detineri, nihil autem obesse, quominus Virgo Deo serviat, si velit; ac sese eidem penitus devoveat. Altera est; quemadmodum omnis perfectio in hoc posita est, ut quis viram vivat Spiritualem; qualis erit post resurrectionem vita Beatorum; dubitandi locus non est, eas, quæ ad hunc statum propius accedunt, ac majorem cum eodem similitudinem habent, aptiores, ac breviores esse vias, ut eo perveniatur: cujus generis profecto sunt continentia, & virginitas. Tertia; ille, qui continens est, magnam exercet mortificationem, sibimetipsi interdicens voluptates, quas corrupta natura tantopere deperit; unde complures arguunt, vim quam nobismetipsis inferimus, ut virtutem hanc tueamur, tutissimum esse nostræ prædestinationis indicium.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribus Concionatoribus loci hujus Argumenti.

De puritatis prægstantia.

QUis humano *Virginitatem* potest ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? aut quis naturali voce complecti, quod supra usum naturæ sit? E cœlo accersivit, quod imitaretur in terris. Nec immerito vivendi sibi usum quæsivit e cœlo, quæ sponsum sibi invenit in Cœlo. Hæc nubes, aera, Angelos, sideraque transgrediens, verbum Dei in ipso sinu Patris invenit, & toto hausit pectore. Nam quis tantum cum invenerit relinquat boni? .... Postremo non meum est illud, quoniam, quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in Cœlo. Nemo ergo miretur, si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur. *Ex S. Ambrosio l. 2. de Virginibus.*

Puritas nos Beatis in Cœlo similes facit.

Conjicere possumus quanta sit hujus virtutis præstantia; quæ tanta est, ut nulla alia re vel anima, vel corpus ad eum felicitatis statum propius accedere possit, ad quem evehemur, & ad eam vitam quam post resurrectionem in Cœlo ducemus; ubi corpora nostra non erunt amplius morti, & corruptioni obnoxia, uti modo sunt, sed incorruptibilia, atque immortalia, & toto Cœlo semota ab humili, abjectaque qualitate, quam S. Paulus vocat *animalem*, cujus quælibet actio singillatim maximam habet cum brutorum actionibus similitudinem. Hanc autem felicitatem paucis complexus fuisse verbis JESUS CHRISTUS videtur, cum ait, in Cœlo nulla futuras nuptias, connubia nulla, quia in gloria homines erunt ad instar Angelorum. Quicumque ergo in cælibatu vitam ducit, & conatur cor suum tamquam sanctum Templum tueri, corporis, animæque suæ puritate propius cœlestem gloriam imitatur. Quamobrem S. Cyprianus de Virginibus Deo consecratis verba faciens inquit: vos in antecessum esse incipitis, quod aliquando in cælo eritis; antequam ex hoc mundo egrediamini, resurrectionis gloriam possidetis; per mundum pertransitis, quin de mundo cogitetis, & cum in innocentia perseveratis, similes Angelis estis. *Desumptum ex Auctore Anonymo.*

Nos Deo quodammodo similes efficit.

Fatendum est, Sanctus Basilius inquit, puritatem esse magnum aliquid, & ratum; quandoquidem, ut omnia verbo complectar, efficit, ut mortalis ad divinam incorruptibilitatem accedat. Certum autem est, si virtus hæc in corpore, tamquam in subjecto suo, residet, illam nihilominus ab anima tamquam origine, & fonte procedere: si enim anima pura est, puritatis illius particeps est corpus, cumque illa agnoscat Deum maxime purum esse, & ab omni labe semotum, vult eidem similis esse, ut fidelis sit, suamque tuens puritatem, hanc ad corpus usque transmittit, ut Deo fidelius obsequatur. Itaque eum pro virili ab omni sorde pura mundaque permanere cogatur, tamquam speculum, in se recipit sui Creatoris imaginem, quæ in eadem omnia suæ pulchritudinis imprimit lineamenta. *Idem.*

Quid ad virtutis hujus gloriam sublimius, atque præstantius dici potest, quam cum Sanctis Patribus illi attribuere potestatem nosmet educendi de luto, qui naturæ nostræ origo est, ut nos ad Angelorum conditionem, & ipsius Dei similitudinem evehat? bonum adeo conforme naturæ nostræ studio, ut dæmon nihil aptius invenerit ad protoparentes nostros decipiendos, quam si iisdem polliceretur, futurum ut essent tamquam Dii. Sed quod falso ipsis pollicitus est ille, cujus non erat promissi fidem solvere, hoc nos per hanc virtutem assequimur. Ut autem illius gloriæ, atque præstantiæ accedat cumulus, cum publico, solemnique confirmatur voto in Religiosi alicujus persona, particeps hæc etiam fit immutabilitatis Dei, atque Sanctorum, qui de statu suo deturbari non possunt, neque sua felicitate privari. *Idem.*

Dubitandum non est, quominus Deus ab illis, qui sese eidem per Sacra Religionis vota devovent, eam exigat puritatem, quæ adeo sublimi affinitati conveniat. Sufficiet, si lubet, corporum castitas in conjugiis, quæ cum filiis hominum contrahuntur; sed JESUS CHRISTUS in animabus, quas tamquam sponsas recipit, exigit puritatem dignam sua; & ad illas potius quam ad alias ea referuntur Spiritus Sancti verba: *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum.* Talis sit Sanctitas vestra, ut mea Sanctitas esse possit illius norma, & mensura. Et profecto videtis sponsum in Canticis velle, ut Sponsæ pulchritudo perfecta sit, atque absoluta: cor enim illius adeo afficitur iis omnibus, quæ ab ea proficiscuntur, ut unius intuitus incuria, unius cincinni incompositus ordo gravissimum illi vulnus infligat: *vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Ita vult, ne levissimum quidem defectum, ut maculam in ea reperiri: *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Fidei consonum non est, JESUM CHRISTUM ab illis, quibus Religionis nodo intime conjungitur; expetere solum castitatem sensuum, vel puritatem animæ, quatenus pertinet ad exteriora flagitia, non autem perfectam castitatem; hoc est integritatem, quæ omnibus voluptatibus igni, & aqua interdicat, & procul amoveat quidquid hac in re Deo potest displicere. *Abbas Trappensis in vita Monastica Officiis tom. 1. quæst. 4.*

Castitas, quam Religiosus servare tenetur, nihil minus significat, quam vivendi, agendique rationem prorsus irreprehensibilem. Illa in omnem vitæ disciplinam extenditur, & nihil patitur eorum, quæ puritati vitium possunt adferre. Cum ille sese penitus JESU CHRISTO devoveat; neque ulla sit actio, ulla vox, ulla cogitatio, ullum vitæ momentum quod Dei non sit, oportet, ut Deus unus totus totum, quantum est, illius cor adimpleat. At ne putetis, me hoc in loco sensus meos venditare, audite quid S. Basilius sentiat. Magnus hic Ecclesiæ Doctor virginitatis gratiam non in eo tantum consistere docet, quod a conjugio abstineamus; sed opus esse ait, in omni vitæ ratione, ac in omni morum disciplina Virgines esse; eos omnes, qui ad hunc statum vocantur perfectam præseferre debere continentiam, atque esse ab omni corruptione, & impuritate prorsus immunes. Et sane quamplurimi in fornicationem ipsis etiam vocibus nonnumquam decidunt, oculorum conjecta adulteria committunt, auditu polluuntur, sinunt corruptionem pervadere cor suum, atque bibendi, & manducandi excessu temperantiæ fines excedunt. *Idem.*

Non loquor autem de sensuum continentia, & castitate; satis enim nostis, quid deceat, & hac in re auctorum sententiæ non discrepant. Mementote solum, hanc esse basin ædificii totius, cum eadem pereuntis, licet illa una non sufficiat pro ejus- De continentia, & sensuum castitate.

ejusdem conservatione. Hoc persuasum sit, a vobis Thesaurum in fictili vasculo ferri. Tamquam naufragium evitate quidquid vel minimum vulnus illi potest inferre; & quodlibet in re tanti momenti, vel leve malum tamquam maximum malorum omnium existimate, ex quo emergere minime liceat. Licet enim nullus sit lapsus, ex quo divina opem ferente manu consurgere non possimus, & donec peccata nostra lacrymis abstergere possimus de venia desperandum non sit: hujusmodi curationes tamen adeo sunt infrequentes, ut dicere possimus eum, qui hac in re deliquerit, satis lacrymarum invenire non posse, ut suam defleat infelicitatem, & peccatum suum deleat. *Idem.*

Castæ puellæ non satis est crimen, & extrema flagitia evitare; illa neque ullam voculam, neque ullum oculorum conjectum paulo liberiorem scelere vacare putat, ipsas etiam minus voluntarias cogitationes perhorret. Non satis est illi in maximis rebus esse irreprehensibilem; omnia hac in re ipsi videntur maxima; non oculos, non aures habet, ut ea videat, vel audiat, quæ vel minimam labem menti suæ possunt offundere; Impudicæ fabulæ, historiolæ nefariæ, quæ hodierna die passim audiuntur; si auribus ejus acciderent, statim a cœtu dilaberetur. Qui autem dicere potest quousque illius cura, & religio progrediatur? improborum societates fugit; non se credit, iis etiam, qui cautius agunt, & loquuntur. In illis, qui maxime virtute præstant sexuum differentiam, in mulieribus morum, atque sententiarum corruptionem extimescit. *Pater de la Colombiere tomo secundo.*

Cogitatio præsentis Dei maximum est hujus virtutis subsidium.

Cogitare præsentem Deum, & nos ab illo ubique videri, non parum prodest, ut nosmet contineamus, ut nulla in re virtutem adeo teneram offendamus, & denique ne quidquam faciamus, quod indecorum sit vel nefarium; nihil quod tenebrarum licentiam redoleat. Homo enim, ut ita dicam, secum gerit lumen, propter quod ubique conspicitur, neque eidem fas est, vel sese occulere, vel aliam personam inducere; lumen enim illud detegit, quidquid ipse facit, testi facta illius propius exploranti, accusatori assidue post illius terga clamanti, & judici, cui os sublinire non potest. Fidelis, cui de his veritatibus persuasum fuerit, quocumque in loco sit, quodcumque faciat, potestne minus modeste, & pudice se gerere? foverene potest desiderium aliquod huic virtuti contrarium, quæ ita cordi est illi, ut nihil ferre possit, a quo vel minimum labefactetur? Si sola cogitatio, sapientem aliquem testem adesse, frœnum esset iis etiam, qui majori libidine furunt; nullamne vim habebunt oculi Dei, quibus nulla nox est, tenebræ nullæ? illius præsentia nos intra modestiæ fines continere non poterit? *Pater le Moine. Tractatu de modestia.*

A teneris usque unguiculis innutritæ ornamentorum, indumentorumque recentibus consuetudinibus examinandis, sæculi vanitatibus persequendis, spectaculis diligendis apud profanos Scriptores alienis amoribus colligendis, atque discendo quomodo, & astu, & oris specie, uti possint ad seducendas animas; in id unum institutæ, ut cupiant solum spectare, & spectari; atque se beatas putent, si lenociniis suis, atque illecebris, adolescentulum aliquem in amorem sui pellicere noverint; hujus farinæ Virgines possunt ne cor corruptum non habere? nonne e contra fidem adstruunt, animam suam esse corruptam? inde hic immodestus oris habitus, qui ad hoc inventus videtur, ut castitatem jamjam labantem, nutantemque annunciet; hinc sermones illi parum castigati, & ad licentiam propius accedentes; hinc, ut verbo me expediam, ei vivendi ratio, quæ omni suspicione non caret. *Desumptum ex manuscripto sermone Patris Stepani Camillard.*

Pravorum librorum lectio maxime officio castitati.

Relicta Sanctorum librorum lectione, quæ foveat pietatem fidelium, plerique ad eos auctores confugiunt, qui suis satisfaciant desideriis. Non contenti nefaria eorum librorum lectura, ubi adolescentes dolos callide nectendi artem ediscunt, eos quærunt libros, qui impuri amoris affectum inspirant; ea ratione, quæ quo magis suavis est, eo magis est perniciosa; & comœdias, in quibus noxii exhibentur affectus, & quæ pessimum virus, ac labem inspirant. *Desumptum ex sermone Patris Massillon.*

Nullus dubitandi locus est, quin JESUS CHRISTUS damnaverit intuitus nimium liberos, atque adspectus objectorum, quæ nostram cupiditatem irritant. Hæc sunt Dei ipsius verba: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Qua in re duplex obtutuum genus distinguendum est; alii enim sunt honestatis, urbanitatis, necessitatis, iique sunt cum severa modestia conjuncti, quos quidem a Salvatore damnatos nequaquam fuisse liquido patet. Alii vero curiosi sunt, adfectati, qui ad oculorum explendam satietatem, accidunt; iique profecto semper sunt noxii. Qui enim ita oculorum aciem conjicit, næ ille sese objicit periculo in semetipso impurissimam flammam accendendi. De hoc intuitu loquens Sanctus Gregorius Nazianzenus ait, virum Castum adeo esse cautum, ut se peccare putet, si ea intueatur objecta, quorum aspectus aliquo modo potest puritatem lacessere. *Lambert in sermonibus de vita Ecclesiastica 14. sermone de castitate.*

Narrat Tertullianus, non defuisse Philosophos, qui oculos sibi effoderunt, quia se caste vivere posse desperabant, donec sibi licuisset, illa intueri objecta, quæ ipsorum inflammabant cupiditatem. Violentum hoc remedium, ad quod confugere tenebantur, palam ostendit, maximam fuisse eorum incontinentiam. Aliter fidelis agit; oculos suos servat, sed non intuetur objecta illa, quæ in se excitare possunt prava desideria. Veritates in corde ejus insculptæ efficiunt, ut ad hæc objecta nihil magis attendat, quam si vere cœcus esset; *animus adversus libidines cæcus est*. Ergo si vultis animarum puritatem tueri, oculis vestris dominamini, qui ex omnibus sensibus, ut Sanctus Gregorius Nazianzenus animadvertit, sensus est maxime vividus, & præceps, & ad coercendum difficillimus. Cogitate imprudentem oculorum conjectum, periculosæ cogitationis esse parentem, perniciosam vero cogitationem producere noxiam cupiditatem; atque ut Dei Filius ait: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Idem.*

Castus oculos suos castigare debet.

Ex quo audes oculorum aciem liberius quocumque conjicere, scias, cor tuum jam esse corruptum, quemadmodum explicite docet S. Augustinus, cum asserit, illum, cujus oculi casti non sunt, non posse cor castum habere. Quanti stetit imprudens intuitus Davidi, & quam funesta scelera secum ille pertraxit? scias cum oculis tuis salutare fœdus illud icere, quod cum suis Job olim percussit: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Job 31. feci cum oculis meis pactum salutare: quodnam autem hoc est? scilicet ne unquam aperirentur ad ea curiosius inspicienda, quibus affectus nostri irritantur. *Idem.*

S. Chrysostomus imperat, ut Matres procul a virginibus suis amoveant quidquid earum pudicitiæ potest detrimentum inferre; eisque suadet, ut ad earum servandam puritatem ea præstent omnia, quæ efficiunt, ut ab igne illas præservent. O matres fideles, eadem utimini diligentia cum Virginibus vestris, cavete ne consuescant cum aliis puellis, quorum immodestia in vestimentis, levitas in actionibus, in verbis appareat licentia. Ne habeatis domi impudentes ancillas, ac parum bene moratas pedissequas, ne qua scintilla in filiæ vestræ animam decidens gravissimum ibi pariat incendium. Illam procul arcete ab earum puellarum atque mulierum consuetudine, quibus mundi aura perplacet, & quæ in jocum traducunt eas, quæ pietati vacant,

Quam præstet conjugio virginitas.

De conjugii Sanctitate citra errorem dubitare non licet; verum Virginitati denegari minime possunt ea privilegia, propter quæ idem præstat; quin ipsum Dei Filium lædamus. Hoc enim est virtutem lædere, qua nihil eidem antiquius fuit; & obsistere veritati, quam & ipse protulit, & toties iis iteravit oraculis, quibus, tamquam sibi, fidem haberi jussit: quia per illorum os, & calamum, ad nos loquitur, & nos erudit. Docet Evangelium, JESUM CHRISTUM ex hac virtute, quam in persona sua consecravit, quam peculiari familiaritate dignatus est, quam in charissimis amicis suis commendavit, quam iis omnibus, qui conjugii vincula subire nolunt, præscripsit, ottum ducere voluisse. *Desumptum ex libro, cui titulus, Discours sur les sujets les plus ordinaires des Desordres du monde, par le P. Hellodore de Paris. Sermone quinto.*

Virginitas corpus, animumque sanctificat; personam Deo penitus devovet, illam divellens ab his omnibus, quæ vel minimam partem ipsius possent distrahere. Hæc virtus animum magis idoneum reddit, ut Deo vacet, perfectiones illius meditetur, cum eo versetur eidemque placere studeat; quia nulla angitur cura placendi viro, atque familiam tegendi. Virtus hæc efficit, ut cor ardentius, atque constantius Deum possit amare, non enim patitur, ut cor inter virum, ac filios dividatur. Hæc denique virtus opem fert, ut Deo serviamus majori fide, diligentia, facilitate, quia hominem disponit ad illum cognoscendum, atque perfectius amandum, eidemque majorem relinquit libertatem illius servituti sese devovendi; quæ omnia bona ab Apostolo exhibentur in prima ad Corinth. Epistola cap. 7. ubi addit, virtutem hanc particulare Dei donum esse, & effectum gratiæ singularem: ipsum sibi hoc non arrogare, ut fidelibus eam præcipiat virtutem, quam neque Deus ipse jussit, verumeamdem etiam atque etiam suadere tanquam fidelem Domini Ministrum, qui & ipse Dei spiritum se habere putat: se fateri quidem, sanctum esse conjugium, ac magnum honorem deberi societati, quæ JESU CHRISTI sanguine fuerit sanctificata, & quæ imago est fœderis ejusdem cum Ecclesia; verumtamen se majori in pretio habere virtutem eam, quæ majorem habet cum infinita Dei puritate similitudinem, & quam JESUS CHRISTUS, & electione sua, & laudibus conjugio docuit anteferendam. *Idem.*

Difficultates in hac virtute tuenda superandæ.

Non sine pluribus, iisque gravissimis certaminibus hæc virtus persistit in proposito atque in fidelitate digna, quam JESUS CHRISTUS, & Apostolus laudibus celebrent. Homo ut suam tueatur innocentiam sæpe Dæmonem, mundum, spiritum, cor, corpusque suum superare debet; sibi denegare debet, quod enixius desiderat, sibique interdicere voluptates, ne Deo displiceat. Merito igitur Deo ea placet virtus, quæ tot agitur curis, ut illi placeat; merito majora ille præparat præmia virtuti, quæ sibi egregiam, jucundamque servit servitutem; merito triumphos magis gloriosos destinat virtuti, quæ sæpius pro ipso dimicat, quæ hominem contra seipsum acuit; eumque cogit, ut contra se decertans de seipso victoriam reportet, ut puritatis Deo satisfaciat. *Idem.*

Pictura quælibet, quæ nobis Vesuvii, aliorumque montium sinu suo perpetuos ignes alentium, flammas exhibet; tabulæ, & imagines, quæ ob oculos nostros insignium oppidorum incendia repræsentant; denique maxime horribiles Infernarum flammarum, vel eorum ignium, qui post sæculorum finem quidquid est super terram, absumpturi sunt, pictæ imagines; omnes hæ repræsentationes, quæ nos perterrefaciunt, ne unam quidem ignis scintillam producere possunt in iis etiam rebus, quæ ad ignem corripiendum sunt magis dispositæ: sed intuitus tabulæ lascivum objectum, inhonestum, & indecorum corporis habitum referentis, aliquando potest in corde tantum ignem accendere, ut homo officii, & propositi sui obliviscatur iis obsecuturus cogitationibus, quas obscenæ illæ imagines excitant. *Idem.*

In re hac minima etiam licentia[?] ine tuendæ.

Pudor cum aliis rationibus conjunctus pati nequit eas licentias, quæ palam noxiæ videntur in iis, quibus adhuc Dei timor, & aliquis honestatis sensus supersunt. Sed licet sanctum propositum pudicitiæ servandæ conceperis; assiduitas, sermones blandi, epistolia affectu redundantia, cæteraque vehementis amoris indicia paulatim cor ipsum emolliunt, frontem indurant, acerrima etiam proposita, eaque studia infirmant, quæ & genus, & institutio ad virtutem immiserant. Denique longius etiam omni expectatione proceditur; & numquam existimassemus nos in illud scelus decidere posse, propter quod reliquum vitæ spatium erubescimus. Fieri quoque posset; ut qui leves has licentias, vel sibi permiserit, vel secum exerceri passus fuerit, nullum umquam turpe desiderium conciperet; sufficit tamen, ut metuendi ratio constet ad hoc ut noxæ mortalis reus sit, atque sese ab illis abstinere teneatur. *Idem.*

Primos, minimosque affectus adeo noxii, atque proditorii impetus coerce, neque adeo perfidis speciebus fucum tibi fieri sinas. Putas blanditias has, & hujusmodi exiguas licentias ad summum esse nascentis affectus indicia, quem, ubi volueris, facile convellere poteris; vel scintillas quasdam, quæ ubi ad officium diligentius attenderis, statim possis extinguere: verum considera scintillas has ex eodem igne proficisci, qui maxima producit incendia, & levia hæc amoris indicia ex eadem affectione oriri, per quam gravissima flagitia patrantur. Sed oleum, operamque perdo, ea tibi ob oculos subjiciens pericula, quibus temetipsum objicis parum passionis hujus effectus extimescens; Tibimetipsi, tuæque experientiæ integrum relinquo, in re hac edoceri, neque ad impuras has cogitationes, ad incompositos motus, ad violentas cordis tui agitationes remitto. Tibimetipsi crede illa in re, ubi adversus adeo periculosum hostem satis tibi cavere non potes. *Idem.*

De malis contra puritatem cogitationibus.

Neque putes, externo aliquo inimico te ad malum sollicitari, quem quidem omni vi, ac servitute propulsare debeas, vel illi saltem constanter obniti: sæpe tu ipsum te ad malum sollicitas: animus tuus, cogitationes tuæ te impellunt, ut crimini assensum præbeas; hæ te cogunt, ut te ipsum corrumpas, ac tibimet eripias eam virtutem, propter quam Deo places. Easne agere sines? illisne citra horrorem præbebis aures? illas cum voluptate fovebis? nullum conatum exeres ad eas propulsandas? si illis assentiris, immo si ultro in iisdem moraris, jam periit castitas tua; cor tuum mundum est, & tua voluntas corrupta. At enim absit, ut aliquid turpe audeam, & id exequar, quod exhibent cogitationes, & cujus adeo vividam graphidem mea mihi proponit imaginatio: at nonne satis nocens es, quod has cogitationes audis, quod non statim illas repellis, quod per negligentiam majoribus flagitiis præbes occasionem? *Idem.*

Certissima veritas est: atque extra omnem dubitationis aleam posita, nos teneri ad ea evitanda, quæcumque puritatem lædere possunt; ideoque nobis abstinendum ab inspiciendis tabulis, imaginibus, simulacris, actionibus, nuditatibus, a legendis libris, & epistolis, quæ excitare possint cogitationes, vel desideria opposita castitati. Certum est nobis moderate utendum esse esculentis, & poculentis, quæ ut plurimum has cogitationes, & mala pariunt desideria; præsertim vero vitandum otium, quod corruptionis fons est, ex quo plerumque turpes oriuntur cogitationes; ea autem ratio est, quod non solum scelus est malum committere, sed culpa non vacat a malo committendo procul non abesse, & profecto non est abesse a malo illius occasionem inquirere, vel in illius committendi occasione versari. *Idem.*

Satis

Omnem etiam abjicere speciem debemus, quæ castitati adversari videatur.

Satis casti non sumus, cum causam præbemus, ut a proximis impudici habeamur; si enim puritatem eo haberemus in pretio, quo est habenda, illius jacturam non pateremur, neque in hominum existimatione ansam illi præbentes judicandi, quod non satis a vitio eidem opposito abhorreamus. Quapropter cum virtutem hanc exercere teneamur, tenemur quoque, nihil intueri, nihil audire, nihil loqui, quod sit castitati contrarium; sed ea gerere indumenta debemus, eos ornatus, in quibus nihil non conforme huic virtuti inveniatur. Inanibus pompis abrenunciandum est, flammis adjudicandi sunt libri, & castiganda simulacra, vel tabulæ, quæ fidem adstruunt virtutem hanc non satis digne a nobis æstimari; atque evitanda sunt eorum, qui liberiores putantur, consortia. Hucusque late extenditur obligatio omnem relinquendi speciem, quæ hominibus persuadere possit, castitatem a nobis non satis amari; quandoquidem tanta incuria illam extrinsecus tueri negligimus. *Idem*.

Castitas omnem impuritatis speciem prorsus proscribit, ac summa cura prævertit, omnemque flagitii amovet suspicionem; quantum in ipsa est, sensus sibi conformes inspirat; ejus honestas, atque modestia in illorum corda sese insinuat, a quibus diligitur, atque nimia libidinis insania furere existimandi sunt illi; quorum insolentiam virtutes hæ non coercent. Castitas se possidentem ab iis omnibus purificat, quæ oculos, os, aures, & corpus reliquum fœdare possunt; nihil aspicit, nihil inquit, nihil audit, nihil ostendit, quod claritati suæ labem possit offundere. Nihil non purissimum in homine casto deprehendi potest; nihil enim in se, nihil in domesticis suis castitas patitur, quod non sit sibi conforme. Hæc summa cura seipsam tuetur, & meruit, ne vincatur, eo quod & corporis, & mentis, & cordis sui dolos timet, ne cum externis hostibus suas vires conjungant, a quibus separari non potest, nisi cor perditione facta cum eisdem conjuret. Hac de causa nihil facere, nihil pati tenetur, quod hostibus suis vim addere possit, qui unanimi agentes consensu conjunctis viribus impetum faciunt, ut illam expugnent. Considerat illa suam cladem, suumque excidium timet in his omnibus, a quibus labefactari, & superari potest; ideoque a veteri quodam auctore *munimen sanctimoniæ appellatur*. *Idem*.

Casti curå gerunt castitatis proximi.

Virtus hæc cum proximi puritate ita cohæret, ut contra eamdem agere, atque ad ejusdem excidium aliquid conferre minime possit. Castitas parere potest etiam castitatem: hanc enim flagitiosissimo cuique, & increpationibus, & exemplis potest persuadere: at numquam potest, saltem data opera, gignere impuritatem. Illius obtutus, sermones, vestes, facta puritatem inspirant; eaque extrinsecus æque ac intrinsecus purissima est. Non enim satis est Deo cor purum esse; optat etiam, ut videatur, ac jubet omnem hominibus auferri causam suspicionis contra castitatem externa corporis specie quam virtus hæc pati non potest; non solum, quod opposita est studiis illius, ejusque propriæ securitati, sed quod aliorum puritatem impugnat, quæ sibi charissima est, & cujus curam sibi diligentissime gerendam esse arbitratur. *Idem*.

Crederene te castum potes, cum aliis tot præbeas occasiones de castitate tua suspicandi? castitas procul ab homine semovet omnem speciem, quæ dubitationem ingerere possit utrum ille oppositum vitium abominetur, tu vero oculos conjicis, loqueris, audis, teipsum comis, cum illis versaris, quibus negotium nequaquam facessit, quid de se alii sentiant, & judicent, & qui ne moventur quidem, si male audiant. Castitas peculiarem gerit curam inimicis omnem aditum intercludendi, ne oppugnetur; tu vero omnem illis patefacis aditum, ansam omnem, atque audaciam præbes eo corporis habitu, qui illos ad te impugnandum invitat, iisque persuadet, futurum ut non diu eorum impetus sustineas, cum jam fere victus sis. *Idem*.

Castitas cum difficultate servatur.

Christiana castitas omnia divinitus accepit; ut Tertullianus inquit: Cœlum illi ortum, institutionem, ac disciplinam tradidit. Excellens tamen hæc virtus non ideo minus rara est; perfecta non est, nisi cum plurimis difficultatibus, & vix perpetuam castitatem inveneris. Hoc olim S. Hieronymus hæretico respondit pro mundi conservatione laboranti, ac metuenti, ne Virginitas Urbibus Cives auferret. Virginitas difficilis est, Pater hic ait, & quia difficilis, rara; si omnes virtutem hanc excolere possent, Dei Filius non diceret: *Qui potest capere capiat*. Qui eamdem tueri conantur, illi sciunt, quanti sibi stet; & qua austeritate sibi jejunandum sit, ut fomitem subtrahant concupiscentiæ: quæ omnes cura inutilis adhuc est, nisi divinæ gratiæ subsidium accesserit: & nisi Deus suum brachium tetenderit, actum jam est de humana imbecillitate. *Idem*.

Nemo unus ignorat, Virginitatis jacturam reparari non posse. Gratia efficere potest pœnitentem; pœnitentia potest efficere, ut homo convertatur; conversio vero hominem castum, & sanctum præstare potest, sed non gratia, non pœnitentia, non conversio, non castitas, non sanctitas reparare possunt amissam virginitatem. Deus, qui commissum contra hanc virtutem facinus remittere potest, virtutem ipsam non potest restituere: potest quidem attollere, qui cecidit ad gratiæ gradum sublimiorem, sed neque nomen, nec qualitatem Virginis illi reddere potest; hæc enim virtus integerrima est corporis, mentisque puritas, quam nullum unquam coinquinavit scelus, nullus unquam gravi flagitio consensus fœdavit. Virtus adeo pretiosa meretur igitur, ut ad eam tuendam omnis cura impendatur. *Idem*.

Josephi, & Susannæ elogium.

Susannæ castitatem cum Josephi castitate comparo; adeo honestam mulierem cum adolescente adeo puro; Dei amicam cum filio Israel: uterque castitate sua similem coronam promeretur. Sub utriusque victoris pedes victos statuo; impudicam Ægyptiam dominam liberi servi sub pedibus Joseph, & sub Susannæ pedibus duos illos impudentissimos Senes: Susanna, & Joseph duo erunt castitatis patroni; mulierum, & virorum exempla. Eorum fulgor in universum effundetur orbem; ipsi erunt tamquam resurrectionis primitiæ; ipsi adulteros judices judicabunt; ipsi legitimorum conjugiorum honorem tuebuntur. *Desumptum ex quodam sermone S. Asterii.*

Puritas virtus est, quæ nos Angelis æquat: Puritas illorum felicior est, nostra generosior: nobis adversus carnem confligendum est; illis vero non item. Nos inter tot inimicos nonnisi magnis certaminibus puritatem nostram servare possumus: ex quibus etiam quam pauci Victores egrediuntur! Virginitas nos Deo propiores facit; in ipso Deo, S. Ambrosius ait, exemplum, quod imitetur, inquirit: æternus enim Pater & Virgo, & Pater est. Ita Deus carnem assumere volens, voluit ex Virgine nasci; ita puras animas summa benevolentia complectitur, illis magis peculiari ratione sese communicat, illis sua detegit secreta, illas suis cumulat beneficiis. Magnas profecto JESUS CHRISTUS Petro contulit gratias; quippe zeli ipsius rationem censuit habendam; sed Joannes solus, qui Virgo est, super pectus, & cor JESU CHRISTI requiescit; illi uni aditus patet ad divinum hoc Sanctuarium, illi uni gravissima, & maximi momenti secreta aperiuntur. Confessores, Martyres, Apostoli magna quidem habent privilegia; sed Virginibus tantum datum videtur, sequi Agnum quocumque ierit. Hæ, sponsæ illius sunt, & egregia hæc qualitas illis ubicumque aditum aperit. *P. Nepveu in Christianis Considerationibus tom. 4.*

Virginitas Thesaurus est pretiosissimus, ad quem servandum tot animæ generosæ sanguinem, vitamque suam profuderunt. Thesauri hujus cura difficilis est, sed jactura irreparabilis. Gratia semel amissa iterum acquiri potest, at Virginitas non potest reparari;

& nihilominus nihil facilius est, quam eamdem amittere. Nos vero adeo facile Thesaurum hunc exponentes, illius jacturam quærere videmur, & fortasse nostræ adscribimus felicitati detrimentum, quod nobis esse deberet æterni doloris causa! *Idem.*

Curiositas quomodo ut huic virtuti contraria. Impuritatis Dæmon cor illius expugnare cupiens, qui nondum pudorem, ac Dei metum abjecit, eadem ferme utitur arte, qua exercitus Imperator, qui de spe dejectus vi oppidum aliquod expugnandi cum oppidanis secreta init colloquia: ita dæmon nonnullis passionibus utitur, quæ videntur innocuæ, vel quæ saltem nulli sunt obnoxiæ suspicioni, & quæ cum ipso nullam habere videntur necessitudinem, fretus futurum ut earum auxilio quamprimum occupet cor, quod sibi non satis cavebit, atque certissime ejusdem assequatur imperium. Hujusmodi autem passiones sunt vanitas, curiositas, præsumptio; quid enim cum impuritatis peccato minus rationem habere videtur, quam istæ? Istæ tamen Dæmonis Regnum in mundo constituunt, atque inde ejiciunt castitatem. *Idem.*

Affectus, qui minorem cum impuritatis peccato rationem habere videtur, at nihilominus eidem in corda nostra aditum aperit, curiositas est, quæ efficit, ut noxios libros evolvamus. Nihil innocentiæ, atque puritati tot adolescentulorum perniciosius est quam libri ineptissimorum amorum refertissimi, qui sub inani specie sermonem edocendi mores corrumpunt. Si eorum lectione mens eruditur, vitiatur animus; si discitur mundus, dediscitur Christianismus, & per jacturam devotionis, timoris Dei, & puritatis, qui quidem frequentissimus est hujusmodi lectionum fructus, sensim aperitur via ad castitatis jacturam. *Idem.*

Maxima incendia plerumque ex neglecta scintilla orta sunt: maximi lapsus sæpe ex inconsiderato obtutu proficiscuntur, quemadmodum accidit David, qui in scelus ruit, eo quod a periculoso objecto statim oculos non avertit. Quoties animæ innocentis excidium attulit ambiguum verbum, a quo non statim sublata fuit cogitatio? maxima quæque flagitia exigua quadam licentia, quæ non illico fuit coercita, initium habuere.... Adde his quod quantumvis parum flammæ admoveatur, lucerna extincta quidem, sed adhuc fumigans, facile accenditur. Hæc fortassis est cordibus vestris dispositio? illud pro virili ab illis objectis arcete, a quibus flammam corripere potest. *Idem.*

Occasiones, in quibus hæc virtus maxime periclitatur. Spectacula, choreæ, comœdiæ, amatorii libelli, nimium tenera cantica, sermones nimium liberi, æquivoca, vel obscœna verba, parum modesti mulierum gestus, oris habitus nimium hilaris, nimis mundana ornamenta, periculosæ nuditates, consuetudines, ac nimis intimæ familiaritates, sunt veluti arma, quibus Dæmon puritatem aggreditur. Hæc omnia sibi permittere, vel pati in illis, qui pendent a vobis, idem est ac assentiri Dæmoni impuritatis, atque perniciosis ejusdem conatibus velificari. Quis pudor mulieribus, & puellis, quæ se christianas nuncupant, Dæmonis instrumenta fieri? nihilominus vero se castas esse contendere, idem est ac factum asserere, quod omnino fieri non potest. Id sperare præsumptionis est; id a Deo petere, illum vel tentare est, vel illudere. *Idem tom.* 3.

Pudor quidem suos habet scopulos, eum nobismet diligentissime non cavemus, neque eas quæ necessariæ sunt, curas impendimus: at nihil periculosius est, quam cum improbis consuescere; vitus, quod illi inspirant, optimam quamlibet naturam corrumpit, ac sensim post illorum exemplum abimus. Ita ad servandam adeo teneram virtutem, cui nostræ felicitatis hostis laqueos ubique struit, omnino interdicenda sunt adolescentibus colloquia teneri amoris referta, blanditiæ, illecebræ, colloquia solius cum sola, deambulationes, visitationes, & frequentes assiduitates: Quotidie enim videmus horum nimis liberarum consuetudinum effectus maxime funestos. Quod ad puellas attinet, matribus nequaquam satis esse debet, si easdem a theatris, comœdiis, malisque cœtibus arceant; verum neque permittere debent, ut lascivos, effeminatosque numeros, & verba vel audiant, vel canant; ne infelici hac illecebra cor earum molliatur. Non ideo tamen includendas puto, vel prohibendum illis, ne aliquem videant; permittenda utique sunt illis solatia honestæque animi relaxationes cum sodalibus suis, quarum sapientia, & virtus sit explorata. Matres tamen & ipsæ interesse debent, atque ostendere, non displicere sibi, ut illæ, dummodo citra noxam fiat, oblectentur. *Ex pluribus locis collectum.*

Quam Deo accepta sit puritas. Cum puritas magis admirabilis sit, ex Patrum sententia, in hominibus ea carne circumdatis, quæ præsto est ad rebellandum adversus spiritum, quam in Angelis; hæc facit, ut Deus cœlum pro terra relinquat cum Virginibus conversaturus, quæ sunt inseparabiles Agni sociæ, maxime illustris portio Dominici gregis, & locupletissimus Ecclesiæ Thesaurus. Utique fideles, dignissimum divinitatis in hoc mundo Templum est anima innocens, quæ Virginali candore commendat dona gratiæ, & Spiritus Sancti, quibus ornata est; quæ semper sibimetipsi attenta sedulo omnes amoves cogitationes, quæ interiori concupiscentiæ fomiti alimenta suppeditare possent; & quæ non solum prohibet, ne vel levis infernalis hujus ignis fumus ad superiorem usque partem se attollat, verum etiam diligenter custodit vas carneum, quo circumdatur, ut secundum Apostoli consilium illud ad omni labe mundum tueatur: *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione*, 1. ad Thessal. 4. *Essais de sermons, pro Adventu.*

Puritatis, & humilitatis fœdus. Morales Theologi docent invisibili quadam catena virtutes omnes ita invicem sibi connecti, ut earum una perfecte acquiri non possit, quin & aliæ simul acquirantur. Hic tamen nexus inter humilitatem, atque Virginitatem præcipue deprehenditur. Eorum, quæ in terris accidunt, experientia nos docet, superbas animas plerumque affectibus ignominiæ tradi. Deus enim ita punit Pseudosapientes illos, qui buccis superbia tumentibus fallacis prudentiæ præcepta venditabant. Facta sunt illi pravorum desideriorum, obscœnarumque cupiditatum mancipia: *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*. Cum enim Dæmon sit spiritus immundus, quia Spiritus superbus est, ex duplici hac nota discipuli illius agnoscuntur. *Idem.*

Desiderium placendi oppositum Castitati. Fieri non potest, Tertullianus ait, te castam esse, ubi foves desiderium proximi oculos in temet convertendi: *Non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter irritatorem libidinis scimus*. Quereris, modestiam hanc nimium esse severam, nimiumque difficilem; castitatem nimis molestam fieri propter nostræ carnis infirmitatem, & hoc sæculo arduum esse illam tueri. Attamen inevitabile præceptum est tueri castitatem propriam status sui cum ipso etiam vitæ ipsius impendio. At restitistine eo usque, ut sanguinem tuum, ut olim Beata Agnes, effunderes? Vellesne subire martyrium exemplo tot Sanctarum Virginum, quæ mortem, atque sævissimos cruciatus pati maluere, quam pretiosum hunc thesaurum amittere? *Ibidem.*

Te plurimis pravis cogitationibus obsideri, & agitari, non miror. Si oblectaris illas animo versare, atque fovere, jam nocens es: verumtamen invito si obrepunt, si illa repellis, si tibi displicent, si nihil intentatum relinquis, ut eas procul ejicias; scias, toties tuum augeri meritum, ac tibi totidem in Cœlo coronas acquiri. *Dæmonum est malas cogitationes suggerere*, S. Bernardus ait; *nostrum est illico eas expellere*. At inquies, omnes meas vires contendo, verum hoc assequi non possum. Quid assequi non potes? ut videlicet penitus exulent, & numquam ultra revertantur; an ut

illis

illis resistas? fateor quidem non semper in sua potestate esse positum, ne te importune lacessant; at tuum est, vacuos efficere omnes Dæmonis conatus. Pro certo teneas oportet hac in re S. Bernardi regulam: *Cogitatio immunda mentem non inquinat, cum pulsat, nisi cum hanc sibi per delectationem subjugat. Pater Duneau sermone pro feria quarta post tertiam hebdomadam Quadragesimæ.*

Pudor, & modestia castitatem tuentur.

Pudor, & modestia sociæ sunt, & custodes castitatis; hæc numquam læditur, donec pudor nos regit. Hoc vero in modestia utilius, & majori in pretio habendum est, quod cum virtute prædita sit virtutem pulchritudini impertit; cum sancta sit, animas sanctificat, & facit, ut placeant Deo. Ipsa remedium est duplicem habens in pulchritudine effectum; illam corrigit, ac præservat; eam enim in hoc statu constituit, ut neminem lædat, & a nemine lædatur: recentem illi decorem tribuit, quin augeat malum effectum, quem illa parere consuevit. *Auctor Anonymus.*

Affirmare, mortales omnes coram impuritatis idolo genua flectere, Dei spiritum non posse ulterius in homine permanere, quia omnes carnem suam polluerunt, hæ locutiones quidem sunt nimis acres, nimisque vehementes declamationes, quas zelus ex ore ferventium Concionatorum extorquet. At sibi persuadere fieri non posse, ut quisquam universale hoc diluvium effugiat; voluptatem omnia latæ suæ ditioni subjicere, severissimam quoque virtutem sibi satis cavere non posse, non deesse momentum illud fatale, quod ænea etiam corda flectat, & subigat; hæc rapsodia est impurarum sententiarum, quæ toties in scæna repetitæ fuerunt, & quas concentus per aures in ipsam mentem traduxit, Sententiarum inquam, quas flagitiosi homines arripiunt cum voluptate, quia studiis suis favent, & imbecillitatis suæ afferunt excusationem. Sed si vere loquendum est, ac certioribus principiis, hoc est promissionibus JESU CHRISTI, vi gratiæ, ac virtuti Sanguinis Dei insistendum, dici ne potest, adeo paucos a generali contagione immunes fuisse, ut eorum exempla libidinosis objicere minime liceat? *Sermo manuscriptus Patris Fr. Catrou.*

Natura castitatis principia nobis inspirat, quæ colere fas tis esse: ad hanc virtutem tuendam.

Natura mortalibus omnibus infudit pudorem, & naturalem quemdam horrorem, quo fœdum impuritatis vitium perhorret; neque aliud ipsis fortius propugnaculum est, ne in hoc scelus ruant. Pudicitia hæc, S. Bernardus inquit, efficit, ut omnem vitii turpitudinem intelligamus, hæc nos excitat, ne nosmet polluamus, hæc rubore os nostrum suffundit ad turpis objecti conspectum, hæc naturalis est custos puritatis: *Propugnatrix puritatis innata.* Hæc est existimationis immarcescibile columen: *Famæ custos*; hæc semen, & quodammodo principium castitatis; *Virtutis primitiæ:* denique nota est, atque fere certissimum intemeratæ honestatis indicium: *Insigne totius honesti.* Hic igitur pudor cum nondum extinctus est, tutissimum est contra incompositas voluptates antidotum. Ex temetipso judicium fers, si unquam in crimen aliquod castitati oppositum lapsus fuisti; quot tibi certamina iucunda fuere, non dico solum contra gratiam, vel contra rationis considerationes, sed contra solam verecundiam? Ante patratum scelus accedente libidinoso homine severa modestia te in officio continebat; hæc una ad illius audaciam infringendam satis erat; illa in oculis, in fronte, in oris habitu, in omnibus denique agendi rationibus suis videbatur. Verum ut agnoscas, quam explicitæ sint leges pudicitiæ; nonne verum est, S. Bernardus ait, quod postquam ejusdem jacturam passus fuisti, exteriorem illius habitum affectus, illius personam, ac speciem mutuaris? Quamquam cor tuum libidini mancipasti, tamen modestiæ primæ vestigia præfers: anima perdita est, mollita, corrupta, oculi vero adhuc sunt casti: *Adeo genuinum animi bonum est verecundia, ut qui eam funditus amittere verecundari velle videantur.* Hoc igitur, fideles animæ, validum est propugnaculum a Domino vestris cordibus insitum, ne legem infringeretis: & hoc primum illud est, quod licentia vestra conatur subvertere. *Idem.*

Naturalis superbia, & sensuum nobilitas non modicum subsidium adfert contra puritatis inimicos, & quam optandum esset, ut pudicus contemptus efficeret, ut silentium tot libidinosis hominibus imponeretis, quorum sola vivendi ratio indignos efficit vestra existimatione? Per vos mihi liceat, eadem vobis referre verba, quibus S. Hieronymus utebatur cum illustribus quibusdam Romanis Mulieribus, quarum spiritualem curam gerebat: *discite*, ajebat illis, *in hac parte superbiam Sanctam*. O illustris Paula, o generosa Eustochium, nobilis Consulum progenies! in mente revocate eos sensus, qui satis habuere virium, ut in officio Ethnicas matronas continerent, iisque ut imini sensibus, qui olim tot Lucretias veteri Romæ dederunt. Vobismetipsis dicite, numquid oculi mei rationi imperium præripient: & illi dominabuntur? Numquid ego insani affectus ludibrium, & imprudentis hominis fabula fiam, qui post relatum de mea imbecillitate triumphum mihi illudet, atque invalidam resistentiam meam in jocum traducet? Dicite quoque vobismetipsis, quid contendunt hi, qui illecebris, atque blanda assiduitate me urgent? Numquid sibi persuadent me adeo infirmam fore, ut ipsorum illecebris vincar, vel lucri capiar aviditate? nonne jam me dedecore affecit, qui sensus virtuti meæ adeo iniquos, atque infensos concepit? *Idem.*

Per continentiam adhæremus Deo.

Si legitimus amor Sacramento confirmatus cor hominis dividit; quilibet alius amor cor dividens nonne illud fœdare, & corrumpere debet? naturaliter amor noster in infinita sese effundit objecta; sed per continentiam illum in unum tantum objectum impendimus, quod ejusdem felicitatem constituit, ut ait Augustinus. Sanctorum in Cœlo felicitas in hoc Dei amore sine alterius affectionis immixtione consistit: atque quo magis cor nostrum in hac vita amorem suum emundabit, eo magis ad vitæ alterius felicitatem accedet. *Pater Dozenne in Morali JESU CHRISTI.*

Nihil in mundo ferme timendum est magis quam quod magis placet: cum enim adversus alios inimicos strenue decertemus, ac nosmet tueamur; pro voluptatibus nos ipsos prodimus, & inimicus hic invictus evadit. Videri, laudari, amari, periculosi sunt scopuli; hoc tamen nos ultro desideramus. Sexcenti adversus sævissimos cruciatus extitere forte, qui tamen voluptatum illecebris victi fuere; prælium intra nosmetipsos est, at in visceribus nostris hostem gerimus. Mementote, quod Sanctus Cyprianus ait, inter diversi sexus personas, ubi magis periculum adest, colloquia necessitatis tantum ergo, atque obiter esse habenda: *Accessio quodammodo fugitiva*, semper vero cum ea serietate quæ ad severitatem accedat, tunc etiam cum afflicta persona consolatione fuerit recreanda. Sola imago, quæ in mente superest post colloquium illud, cui aliquis amoris sensus immixtus fuit, sæpe cordis integritatem corrumpit. Ipse etiam spiritualis amor facile in carnalem degenerat. Attendite, ajebat Apostolus, ne ubi spiritu incœperitis, carne desinatis. Impuritatis spiritus nonnumquam puritatis ejusdem integumentis tegitur, ut delicatas, pavidasque animas perdat. *Idem.*

Pulcherrimus ornatus, ac pretiosa Virginis Christianæ supellex, Sanctus Bernardus ajebat, pudor est, ac modestia. Virgini sufficit placere Deo, ac metuit ne placeat hominibus; tantum abest, ut cupiat: *Pereat corpus, quod placere potest oculis, quibus nolo.* Egregiam profecto cujusdam Sanctæ Virginis sententiam! Si Virgo amari vellet, & rationes inquireret, quibus amaretur; næ illa quidem ex Virginum albo expungi mereretur: non enim satis casta esse potest, quæ alios in amittendæ castitatis periculum studet pertrahere. *Idem.*

Ne finas, tibi os sublimiri dæmonis astu suadentis, ne peccati occasiones effugias, & hanc prætexentis causam, futurum videlicet ut victoriam magis gloriosam referas. Fructus, quos non videmus, non adeo cupiditatem nostram accendunt, ac illi, qui ob oculos nostros versantur: intuitum cogitatio subsequitur, cogitatio voluptatem gignit, voluptas consensum rapit. Hoc pacto sæpe exigua scintilla magnum parit incendium. Quantumvis generosa sit castitas, semper tamen necessaria est fuga occasionum: aliis vitiis obluctari facile potes, at huic, quod puritati adversatur, terga statim vertenda sunt. Hæc ideo melius inter Religionis claustra servatur, ubi a majoribus periculis abest, & semper ingenti virtutum numero fulcitur.

Quanam in re casti ab Angelis differant. Quanam in re S. Chrysostomus quærit, veri puritatis amatores ab Angelis differunt? nulla prorsus, idem respondet, nisi quod in corporibus mortalibus puras animas gerunt. Verum si discrimen hoc illos Angelis, & natura, & dignitate inferiores facit; hoc ipsum eosdem, & virtute, & meritis facit superiores. Inter flammas ipsi Angelos habent comites, ut olim tres illi in fornace Babylonica pueri, sed mirum est, quod ignes illi animas carne circumdatas adurere minime valeant; secus vero quod meros, beatosque spiritus non lædant. Neque miraculi loco habendum, quod spiritus ab omni materia expeditus contra immaterialem spiritum confligat; sed portenti instar est, quod spiritus corrupta carne impeditus, qualis noster est, in fugam Spiritus corpore carentes conjiciat. Hæc autem puritatis amor præstat in nobis. Qui carnem suam vicit, est quodammodo supra naturam; qui vero supra naturam est, parum est infra Angelos constitutus. *Idem*.

In hac vita mortali anima naturaliter corporis infirmitatem, atque corruptionem redolet, sed per virginalem puritatem corpus animæ nobilitatis fit particeps, naturam ut ita dicam immutans ac fruens privilegio spirituum. Corpus hoc adeo corruptibile illis simile fit, quæ Angeli nonnunquam assumunt, ut inter homines videantur; vel potius simile est beatorum corporibus, quæ, Apostolo teste, spiritualia resurgent. Itaque Virginitas, ut quidem fit, est futura resurrectionis imago; & in cœlesti vita Virgines præ omnibus animabus sanctis peculiares coronas habebunt. Quomodo ergo revereri debemus corpora nostra, quæ JESUS CHRISTUS destinavit, non solum ut essent sui corporis templa, verum etiam, ut ipsius similitudinem ferrent? ratio potissima, qua nosmet præparare possimus, ut illi in gloria similes evadamus, hæc est, si illius puritatem imitemur. *Idem*.

Amor Filii Dei erga puras animas. Nostin' cordis, corporisque puritate peculiares inesse quasdam illecebras ad cor Filii Dei flectendum? Nostin' ipsum ideo habere voluisse dilectum Discipulum Virginem, Præcursorem Virginem, Matrem Virginem, & Virginibus datum sequi Agnum quocumque ierit? Virtutem hanc semper adeo dilexit, ut cum passus fuerit sexcenta sibi ingeri crimina, ne umbram quidem ferre potuerit illius, quod puritati adversatur: & propter virtutis hujus amorem, licet aliter profunda ipsius suaderet humilitas, insueta via venire voluit in mundum. *Idem*.

Conquerebatur Sanctus Hieronymus plerasque ævi sui Virgines corpore tenus, non spiritu Virgines esse, easque coram Deo nihil hujus virtutis habere; nisi merum, vacuumque nomen. Profecto mundanæ Virgines, virginitas magna in cœlo præmia præstolatur; Sed illuc alia prorsus ratione ab ea, quam putetis, est ingressura. Varii colores, qui faciem vestram illinunt, puritatem deturpant; nævi oris albedinem commendantes, liliorum continentiæ candorem denigrant, hæc omnia adfectata colloquia venena sunt castitatem corrumpentia; luxus, quem tantopere depetitis, paulatim accendit ignem, quo brevi cætera etiam sunt conflagratura. Beatissima Virgo solum sibi adstantem videns Angelum, quod hic viri faciem præseferebat, expavit; vos autem diem perdidisse creditis, nisi certatim homines testati fuerint se capi pulchritudine vestra seu fictitia, seu vera. *Abbas d' Aubignac in libro cui titulus: Essais d' Eloquente. Sermone pro Incarnatione JESU CHRISTI.*

De Viduarum castitate. Sæculi Viduæ longe differunt ab Evangelica, quæ in jejuniis, & precibus vitam suam transigebat in templo; immo illis potius similes videntur, quas Sanctus Paulus vituperat in deliciis viventes. Profecto plurimæ videntur, quæ vitam in deliciis agunt, tamquam in suæ vanitatis elemento. Si, ubi muliebri mundo, auro, sericis, fuco, unguentis seipsas comunt & ornant, sequi putant exemplum Judith, quæ in Scripturis hoc ipsum præstare describitur: næ illæ quidem vehementer falluntur, vel potius seipsas fallere gestiunt. Hoc enim in sancta illa Muliere virtutis effectus fuit; sed in ipsis voluntarium est luxus artificium: illa triduo, vel ad summum quatriduo hoc præstitit; ipsæ vero quotidie: illa vim fecit sollicitudini viduitatis suæ, ut hoc stratagemate infensissimum Patriæ suæ hostem obtruncaret; hæ vero vim faciunt pudori suo, ut inimicis continentiæ suæ vires accendant. Itaque tantum abest, ut in earum Viduarum, quas coli jubet Sanctus Paulus, describendæ sint numero, quod immo merentur, ac sæpe etiam sibi concilianr eorum contemptus, qui propius ipsarum vivendi rationem intuentur. *Idem*.

Puritas ex omnibus virtutibus facillime deperit. Jure existimare possumus, illam aliquando ex semet interire, cum aliquid de ipsius fulgore imminuitur: non satis est, illam a crimine tueri, ut ipsa omnem suam obtineat pulchritudinem; tueri etiam decet externam habitus modestiam, quæ optime illius pudori convenit. Negligens oris habitus, gestus, petulantior incessus, indecens agendi ratio, indumenta luxum mollem, atque dissolutum redolentia, auferunt illi, ut ita dicam, florem æque tenerum, ac jucundum, qui gloriæ suæ partem constituit. Certum est, illum in certum periculum objici, ubi externam modestiæ speciem, atque urbanitatem exuit, quæ illius quoddam est veluti propugnaculum; immo certum est illam exponi non posse, quin dedecoretur. Attamen illæ ipsæ quæ modum servare gloriantur, hoc periculum fere non vident. Amant facilem, liberam, hilaremque consuetudinem; diligunt muliebrem mundum, quo venustas oris commendatur, & quo se placere putant; nectunt familiaritates, quæ ali non possunt, nisi iis rebus quibus inflammatur affectus: prodeunt ad theatra, choreas, spectacula; denique illæ etiam, quibus adhuc religiosa conscientia est, ornatu, habituque non differunt ab iis, quarum castitas est profligata; & quod apertissimum est flagitiorum ævi hujus indicium, in hoc omnem curam transmittunt, ut sese accommodent & tempori, & consuetudini. *Liber cui titulus: Remarques sur divers sujets de Religion, & de morale tomo* I.

Oculi iis omnibus objectis assueti, quæ severa castitas metuere debet, mentem etiam iisdem assuefaciunt: putant, eo quod non timetur, timendum non esse; sibique eos omnes remittunt defectus, in quos decidunt propter eam necessitatem, quam sibi alios sequendi imponunt; immo neque animum dignantur advertere, ut cogitent, utrum illis scelus inhæreat. Si puritatis honor, probitatis, & virtutis vigilantiam non ciet, quidnam mortales poterit excitare? *Idem*.

Puritas semper metuere, ac sibi cavere debet. Vera puritas numquam tranquilla est, numquam enim se satis tutam putat. Timere etiam debet, cum periculum abest, ac temere, & audacter agit, uti pavere cessat; & dici potest, non pavere, ubi sibi fidit. Virtutum pleræque in certaminibus emicant, hæc in fuga. Si hostem quærit, jam semivicta est; si non quæsitum invenit, de victoria certa esse non debet. Si procul ab illo dormitat, ipsum

ipsum excitat; cum illi metum nos injicit, eum provoca. In publicum prodit? ostendere debet, se ægre, & invitam prodire. Delitescit? in tenebris quoque eamdem, ac in luce curam, & vigilantiam debet adhibere; numquam fortior, quam cum omnia eam terrent; numquam amabilior, quam cum severior: at semper pavida, semper contremiscens, si omnem suam possidet gloriam. *Idem.*

Hæc virtus est, de qua ipsi etiam mundi sectatores, dummodo non omnem honoris sui curam abjecerint, jactantius gloriantur: hæc virtus est, cujus existimatio quodammodo plurimos a multorum flagitiorum confusione liberat; hæc virtus est, quam nequissimus quisque revereri cogitur tunc etiam, cum libido eos impellit, ut majori vi, ac impudentia eamdem coinquinent. Cæterum virtus est in primis tenera, quæ sine inviolabili integritate subsistere nequit, quæ semel amissam gloriam reparare nequit; quæ, jure dici potest, plures, magisque metuendos, quam reliquæ simul virtutes habeant habere inimicos. Hinc est, quod castitas præ cæteris virtutibus custodienda est diligentissime, & cavendum sedulo, ne vel minimum lædatur; cum interim non alia fortasse virtus adeo negligatur, & majori cum temeritate periculis objiciatur. Ejus essentiam in hoc positam vulgo putant, quod a nequissimis quibusdam flagitiis, quæ inevitabilis verecundia subsequitur, absint. Se in hac re credunt irreprehensibiles, honori sibi vertunt, neque alios torquere ea severitate, quæ una potest honoris integritatem tueri. Sermones habentur, atque audiuntur, quæ impudicos tantummodo docent; eam sibi vendicant, aliisque permittunt licentiam, qua libido foveri consuevit: iique gestus, orisque habitus adoptantur; qui a vitio separari non possunt. *Idem.*

Castitas argumento esse potest a casto virtutes omnes possideri.

Adeo præclarus, ac nobilis est castitatis caracter ut vere casto omnes virtutes tribuere quodammodo teneamur. Difficile profecto esset genuinam hujus rei causam adferre; dici tamen potest illum, cui tanta virtus est, ut nihil indecorum sibi licere velit, omnemque sibi licentiam interdicat, quæ alere possit affectum; cui tanta inest religio, ut ipsam periculi suspicionem perhorrescat, & minimos etiam motus suos perquam caute scrutetur; dici, inquam, potest, hunc eum esse, qui rei nullius rationem putet habendam, ut Deo fidelis adhæreat. Hic enim modestiæ, & pudoris habitus simul esse non posse videtur eum tumultuoso avaritiæ, odii, & ambitionis impetu. Externa hæc adeo bene composita species animum præsefert ordini, urbanitati, virtuti, quæ plerumque solidam, & Christianam probitatem concomitantur, assuetum. Mores isti adeo prudentes, ac pudici quomodonam locum præbere possunt, ut aliquam injustitiam, vim, furorem, dissimulationem suspicemur? Jugis hæc vigilantia, qua tunc utitur etiam, cum testes non adsunt, cum vanitas non exigit, cum humana ratio nulla suadet, nonne vivæ fidei effectus est, quæ nos coram Deo jugiter tenet, & legi ipsius nos subjicit, cum etiam non aliud, nisi oculos illius timere debemus? Virtus semper mundi licentiam perosa, parata semper ad infringendum cum inordinatis sodalibus consuetudinem, semper ad nefarium quodlibet exemplum reluctans, semper ad erubescendum disposita, si quid sibi maculam effundere posse videatur; semper stabilis, & constans, ut numquam flectatur iis molestiis, quibus urgetur; semper diffidens, ut divinæ tantum gratiæ confidat, cui fideliter respondere conatur; virtus in qua hi mores effulgent, næ illa quidem in se congeriem earum virtutum complecti censetur, quæ Christiani perfectionem constituunt. *Idem.*

Vigilantia, oratio, præsentia Dei ea sunt arma, quæ nobis suggerit gratia, ut nosmet tueamur. Vigilantia custodiam sensus meos; prohibebo ne super illicita objecta sese effundant; non finam aliquem mihi excidere oculorum conjectum, qui in aliorum corda incendium ferat, vel inde referat in meum. Vitabo eorum librorum lectionem, qui mei quidem solatium, cordi vero afferunt corruptionem, eaque aufugiam colloquia quæ nos saltem molliunt, vel propter quæ Spiritus Sancti unctio exarescit: orationem denique impendam tamquam antidotum efficax æque, ac necessarium. Sapientes animarum duces norunt negligentiam orandi, ut plurimum, primam esse dispositionem ad incontinentiam; ego vero semper expavi, ubi adolescentes intuitus sum, qui pietatis amore non afficiebantur, & orationem oderant. Præsertim vero, ut innocentiam meam tuear, Deus semper ante oculos meos versabitur, & quemadmodum omnibus in locis videbo Deum, Deus ubique mihi præsens me intra severæ modestiæ sinus continebit; cumque acerrimis urgebor sollicitationibus, tunc ad illud confugiam antidotum, quo usus est Joseph, Adolescens hic Servus in ætatis suæ flore, cum fatale ipsi momentum immineret, recordatus est Dei, Patrum suorum, & fecit, ut hæc recordatio esset suæ continentiæ præsidium: Deique nomine usus est ad libidinem furentis fœminæ reprimendam. *Quomodo possum peccare, & facere malum hoc in Deum meum:* Fieri ne potest, ut ego contra Deum, cui servio, delinquam? Ipse me videt, ipse mihi adest. *Ex Sermone Patris Catron.*

Incuria, qua corporis puritas defenditur.

Plerique se mundos & spiritu, & corpore putant, cum ob humanas rationes nefaria quædam effugiunt flagitia, quæ animam brutorum conditioni subjiciunt, eamque omnino carnalem efficiunt. Amor proprius qui semper novas artes invenit, quibus hominibus blandiatur; hunc conscientiæ timorem aufert, qui animabus castis severa lex est; eique magnum discrimen ostendit inter mundi voluptates, & scelus, quod easdem subsequitur. Pauci adeo religiosi sunt, qui aures non præbeant meditatis his vocibus, quæ cum indifferentes videantur, adeo perniciosas sententias amplectuntur. Pauci timent omnes has vanitates, quæ placere gestiunt, quæ in cor clanculum obrepunt, atque ibi pessimum virus effundunt eo perniciosius, quo occultius... Pauci hos horrent ludos, hæc spectacula quæ adeo celeres, ac vividas impressiones efficiunt, quæ animam ex parte, adeo sensibili tangunt, quasi jam omnem exuissent in honestatem, atque propter mundi corruptionem jam facta fuissent necessaria. Illi ipsi, qui periculum norunt, sese intra certos fines continent procul a turba, & tumultu, ubi spiritus sub specie acquirendi aliquam elegantiam, & deflectendi a vitio, innocuis illecebris eas artes nanciscitur ad optatum finem assequendum, quæ vitio eodem sunt magis funestæ. *Desumptum ex collectione plurima Elucubrationum Gallicæ Accademiæ oblatarum anno 1677. Sermone 2.*

Timeamus, Fideles, ac tremor nobis incedat hæc Apostoli 1. *ad Cor.* 3. & 6. audientibus verba: *Si quis Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Templum hoc Sanctum est, & vos ipsi hoc Templum estis; nihil igitur pollutum, prophanum nihil ingredi debet. Immo debemus glorificare Deum, cumque ferre in corporibus nostris: videlicet Spiritum Sanctum cujus Templa sunt corpora nostra, ac quocumque eundum sit ire tamquam divinam hanc majestatem gerentes. Ideo purificemus ab omni sorde corpora, mentesque nostras, Dei metu perfectam efficientes nostram sanctitatem. Hæc est conclusio, quam Apostolus ex eo infert, quo sumus Templa Dei, atque ad hoc proponit suæ justitiæ metum; quippe se perditurum minitatur eum, qui Templum suum coinquinaverit. Peccatoribus nonne timor incedere debet, vel potius gravissimus terror, cum toties, atque adeo turpiter, hoc Templum polluant per ea flagitia, quæ nefarie committunt, quid opperiri possunt, cum Deus sit eosdem perditurus? Quomodo post adeo terribiles minas quietam traducere vitam possunt? meminisse debent corpora sua, animaque esse Dei Templa, quandoquidem illi solemniter dedicata fuere cum Sacrum Baptisma receperunt. *Boudon in libro cui Titulus, Le Chrètien Inconnu.*

CON-

CONVERSIO PECCATORIS,

EJUSDEM REDITUS AD DEUM.

Dolor, & Pœnitentia Peccatorum; Mutatio vitæ, interior Pœnitentia, Spiritus Contritionis &c.

MONITUM.



UM argumenti, quod Pœnitentiam respicit, tanta sit amplitudo, ut unico titulo pertractari non possit, operæ me pretium facturum arbitratus sum, si illud bifariam secarem, & in altero titulo primam, ac maxime essentialem pœnitentiæ partem, Conversionem scilicet peccatoris, quæ interior Pœnitentia vocatur, a satisfactione distinctam, quæ divinæ offertur justitiæ exterioribus pœnis, atque austeritatibus, quas ultro pro peccatorum expiatione suscipimus pertractarem. De altera hac parte alibi sub Pœnitentiæ titulo sermo erit: nunc vero de priori tantum verba facturi sumus, quæ est Reditus ad Deum per peccatorum dolorem, ac pœnitentiam, in qua proprie Conversio, vel vitæ mutatio consistit: cum hæc tunc incipiat mutatio, cum vere pœnitet peccatorum præteritorum, non sine constanti proposito imposterum ab iis abstinendi. De Contritione, & dolore, quatenus Sacramenti Pœnitentiæ partem constituit, alibi jam sermo fuit: verum cum isthic magis generatim Pœnitentiam respiciamus, quatenus virtus est, cujus usus non postremus est, nos ad hoc Sacramentum disponere: magis peculiariter ad examen revocabimus qualitates hujus doloris, qui peccatorem immutat, & efficit pœnitentem.

Qua in re animadvertendum est, licet Scriptura Sancta, Sanctique Patres iis in locis, iisque in exemplis, quæ afferunt, vera, sinceraque pœnitentia, vulgo exteriorem cum interiori pœnitentiam conjungant, nihil obesse tamen, quominus hac Concionator sejungat, ut Auditores suos ante cætera ad verum peccatorum suorum dolorem hortetur, eosque ad eumdem vividis considerationibus excitet. Illi enim persuasum esse debet, si cor eorum commovere potuerit, eisque sinceram inspirare pœnitentiam ob supremi Numinis læsam Majestatem, se jamjam eos convertisse, atque ad Confessionem, & ea omnia, quæ ad divinæ justitiæ satisfaciendum requiruntur, impulisse.

Præterea non abs re puto monere, cum inter eos, qui Domini verbum annuntiant, nemo sit, qui de Pœnitentia Sermonem non habeat, si quis in re non censuerit interiores actus ab exterioribus hujus virtutis actionibus separare; primis tamen instituendum esse cum hic præcipuus esse debeat finis, præsens magisque solidus concionis fructus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus argumenti Structura.

I. UM in Conversione Peccator id unum spectare debeat, ut convertat Dei cor merito irritatum contra ipsum, ut Sacer Textus inquit; *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, ut veram efficiat Conversionem, Peccator id imitetur, oportet, quod Deus ipse fecit, ut illum converteret; atque per veram, integramque justificationem in Sanctitatis viam revocaret.

1. Quemadmodum Deus illum prævenit, sollicitat, urget, ut de miserabili statu tandem emergat in quo per se peccator semper volutaretur, cum ex semet vim non habeat non dicam egrediendi, verum neque cogitandi, atque ineundi consilium revertendi ad Deum, a quo per scelera sua ipse ultro secessit; quemadmodum inquam, opus est, ut Deus sanctum illi desiderium inspiret, eique oculos aperiat, ut agnoscat malum, in quod præceps ruit, sui erroris effectus, gravissima supplicia, quæ promeritus est, & quæ evitare non potest, nisi sincera conversione redeat ad officium; & denique omnes illi ob oculos ponat veritates omnes, quæ efficere possunt, ut resipiscat: ita oportet quoque, ut peccator quatenus ad ipsum spectat, Dei vocem audiat, sese urgentibus divinæ gratiæ sollicitationibus dedat, libera, celeri, sinceraque pœnitentia; atque ut ex corde, immo ex toto corde suo convertatur.

2. Quemadmodum ad hoc ut Dei ipsius cor, ut ita dicam, immutetur, & convertatur erga peccatorem, Deus illum odisse desinat, opus est, ideoque in ipso peccatore deleat peccatum, a quo odii sui objectum efficitur, eique reddat suam gratiam, quæ est reconciliationis sigillum, & quæ una in oculis ipsius nos acceptos efficere potest: opus quoque est, peccatorem odisse, atque detestari peccatum, a quo Dei sui hostis efficitur, odio summo, atque internecino quomodo illud odit Deus; certum, & constans ineat consilium illius evertendi; & pro inordinato amore, quo creatum, & fragile bonum prætulit amori, quem debet unico, & summo bono, cui Deus est, divina favente gratia in id unum incumbat, ut gustet, ac formet in se, ac longius, quam poterit, ferat amorem hunc justissimum, quem tot ob causas debet Deo, ut per cordis sui reditum atque conversionem supremum hoc bonum diligat viva, ardentique charitate, per quam fideliter ejusdem adhæreat servituti. Hoc in sensu peccatoris conversio in cordis sui conversione consistit.

3. Quemadmodum Deus se peccatori reconcilians, eique gratiam reddens ab eodem amissam, simul etiam reddit omnia dona, atque privilegia, quæ illi peccatum arripuerat, obliviscitur injuriarum, quibus ab ingrato affectus fuit, remittit illi æternam, quam peccatis suis meritus fuerat, pœnam, & si fidelis divino adhæserit servitio, ipsum recen-

recentibus cumulat beneficiis: ita vicissim peccator integra, perfectaque conversione renunciare debet omnibus inordinatis affectibus, quibus creatas res deperibat; coercere, & impugnare passiones suas; veteres habitus delere, ac convellere; atque renunciare noxiis affectionibus, quæ ipsum a Dei servitute averterunt; ut imposterum bonis tantum operibus, & pietatis actionibus vacet, ac in dies majorem in se charitatem accendat. Ita magni Peccatores post Conversionem suam majores sancti effecti sunt, quam si numquam a Dei servitute descivissent, & aliquandiu in flagitiis vitam non traduxissent.

II. Hoc ipsum argumentum aliter efferri potest, in priori parte ostendendo, quid agat Deus pro peccatoris conversione; in altera vero, quid agendum peccatori: peccatoris enim Conversio opus est utriusque, cum neuter sine altero quidquam facere valeat.

Pars prior. Deus 1. sæpe annos integros, invictaque patientia peccatorem præstolatur, 2. illum urget, sollicitat, immo etiam persequitur, quasi indigeret peccatoris illius, cujus amicitiam requirit; at quasi Deus ipse intulisset injuriam, & non fuisset affectus eadem. 3. Nostris utitur calamitatibus, ærumnis, doloribus, ut nos a peccato ad suam revocet servitutem.

Pars altera: quid facere debeat pro sua Conversione peccator, ut prævenienti Dei bonitati respondeat: 1. fatigare non debet Clementissimi Domini patientiam æternis cunctationibus, sed celeri, sinceroque reditu divinæ bonitati respondere: ***Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*** Ps. 94. 2. Serio, atque ex toto corde suo reverti debet ad Dominum: ***Convertimi ad me in toto corde vestro.*** 3. Generose omnes obices suæ obsistentes Conversioni debet infringere atque strenue ea superare, a quibus prohibetur, ne se penitus Dei servitio devoveat.

III. Cum peccatoris Conversio reditus sit ad Deum, a quo propter scelera sua recessit; tria in hoc reditu sunt consideranda, quæ triplicem sermonis partem possunt constituere; videlicet terminus a quo discedit, quod est peccatum; terminus ad quem accedit, qui est gratia, justificatio, amicitia Dei, & denique via, per quam peccator revertitur ad Deum, & consuetæ illæ rationes, quibus ut plurimum utitur Deus ad peccatorem ab errore suo revocandum.

Punctum primum. Terminus, a quo recedit peccator, status est peccati, & inordinatæ vitæ flagitia; ubi considerari potest infelicitas, cui erat obnoxius, funesti sui erroris affectus, periculum in nullam reditus spem intereundi, nisi divina misericordia cum celeriter revocasset. Quodnam bonum? quas gratiarum actiones Deo reddere tenetur pro incomparabili hoc beneficio? Quam illi metuendum, ne per infidelitatem se iterum in abyssum hanc præcipitem tradat: Qua opus est cura, ut imposterum se ab omni scelere abstineat?

Punctum alterum. Terminus, ad quem hic reditus refertur, gratia est, justificatio, adoptio divina, jus ad cœleste Regnum, atque ejus hæreditatem: peccator hæc omnia recuperat, quorum jacturam miserrime fecerat. Quam mutationem! Quam felicitatem! Quæ beata sors in Conversione hac reperitur? Duorum horum statuum institui comparatio potest, & hinc alterius quidem infelicitas, alterius vero beatitudo amplificari.

Punctum Tertium. Rationes variæ quibus ad nos convertendos utitur Deus totidem sunt hujus reditus viæ. Ostendendum est, quomodo utatur Deus, & iis quæ bene, & iis, quæ male accidunt nobis; prosperis, atque adversis, uti liquet in prodigi Filii reditu: præsertim vero diligenter explicandum est, hanc autem esse divinæ providentiæ, quæ per jacturam omnium fortunæ bonorum, honoris, valetudinis, & eorum omnium, quæ in mundo charissima sunt, ad Deum nos redire compellit.

IV. Commune hoc argumentum est, & a pluribus usurpatum, qui de Mariæ Magdalenæ conversione loquentes ostendunt, quas conditiones habere debeat peccatoris conversio.

Conditio prima; prompta esse debet contra dilationes, & cunctationes, quæ passim afferuntur, & propter quas plerumque pœnitentiæ consilium evanescit.

Altera; esse debet generosa, ut omnes obices, qui adversantur, infringat.

Tertia; esse debet constans, atque durabilis.

V. Cum peccatoris conversio sit de inordinata in ordinatam vitam mutatio; opus est, ut mutatio hæc in mente, in corde, & in exteriori etiam vivendi ratione inveniatur.

Punctum primum; Mutatio mentis. Peccator omnes relinquat opus est, ideas, quas primum fovebat de hujus mundi bonis, nobilitate, opibus, voluptatibus: Ut ea contemnat, quæ antea habebat in pretio, eosque sensus induat de Deo, de æternis alterius vitæ bonis, qui maxime decent. Re ipsa in peccatore, quem Dei manus tetigit, & qui serio converti cogitat, repente mirabilis accidit mutatio, vel potius inversio primarum idearum: alias habet cogitationes, cognitiones alias; quidquid magnum in mundo est in mente illius evanescit, vel deletur a recentibus veritatibus, quas illi Deus aperit, vel iis rebus, quas antea quidem ignorare non poterat, sed numquam in tanta luce conspexerat: ***Spiritum rectum innova in visceribus meis.*** Ps. 50.

Punctum secundum: Mutatio cordis. Opus est, cor non esse amplius idem, ac antea; alios habere fines, alia studia, affectiones alias, ac prorsus opposita illis, quas antea fovebat: ***Cor novum erea in me Deus.*** Quemadmodum antea sua requirebat commoda, solatia, voluptates, nunc mavult secedere, mortificari, sese interius colligere. Quod si affectus non mutat, oportet saltem, ut eorum mutet objecta.

Punctum Tertium: Exterioris vivendi rationis mutatio. Mutatio interioris extrinsecus etiam in nova vitæ disciplina se prodat necesse est, mutato etiam statu, si liqueat, illum, in quo hactenus peccator vixit, periculosum esse, & saluti perniciosum: verum mutandi saltem sunt mores, atque actiones, itaut non amplius furat iracundia, nec vanus sit, loquendi pristinam rationem relinquat, omnes evitet occasiones &c.

VI. ***Misericordia, & veritas obviaverunt sibi, justitia, & pax osculatæ sunt.*** Ps. 84. Ostendi potest peccatoris conversionem opus simul esse misericordiæ, & justitiæ: misericordiæ quidem, ex parte Dei; justitiæ vero, ex parte peccatoris.

Primo. Misericordia ex parte Dei vocantis, & præstolantis peccatorem divina cura indignissimum; illum recipientis, illi parcentis, eique incomprehensibili bonitate amicitiam suam restituentis &c.

Secundo: Justitia ex parte peccatoris, qui 1. Deo reddit gloriam, & cultum, quem illi rapuerat: 2. ulciscitur, reparatque injuriam, quam ipsi intulerat, quandoquidem pœnitentia ducitur, concipitque dolorem; 2. proponit Deo satisfacere pœnis voluntariis, quibus semetipsum addicit.

VII. Pro Dominica Passionis, aut sub illud tempus, Salvatoris Crux, quam nobis ob oculos ponit Ecclesia triplici hac de causa nos ad veram Conversionem debet excitare.

1. Crux apertius, quam cætera, nobis aperit nequitiam, & enormitatem peccati, quod mortem attulit Deo. Ita videmus quamplures Judæos, qui ejusdem morti consenserant, eamque enixius poposcerant, ubi eumdem in Cruce animam efflantem conspexerunt, dolentes rediisse: ***Percutientes pectora sua.*** Luc. 23.

2. Nobis ostendit magnitudinem misericordiæ Dei, qui spem nobis tribuit, & qui eam nobis promeruit, si passionum illius virtutem nobismet appli-

applicare velimus: quæ profecto spes nos excitare debet, ut fidentius ad misericordiam ipsius confugiamus: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ?* Ad Hebr. 3.

3. Docet, tempus hoc maxime idoneum esse ad perfectæ conversionis gratiam obtinendam, hoc quippe tempore Salvator nobis audiendis paratior est, & fortius nos ad se trahit: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Joann. 12.

VIII. De tristitia, ac dolore ob Deum læsum; qui profecto dolor efficit pœnitentiam, & peccatoris conversionem.

1. Dolor hic justus, & legitimus est ob gratiæ jacturam, & ipsum Deum amissum: hæc enim unica jactura est, quæ sit deploranda.

2. Dolor hic utilis est; per illum enim recipimus, quidquid amiseramus, & injuriam, damnumque receptum, æque ac contumeliam illatam Deo reparamus. In aliis quibuscumque occasionibus dolor fere inutilis est.

3. Dolor hic suavis, & jucundus est, quippe moraliter certa nota est, Deum nobiscum sua usurum misericordia.

IX. Ad veram conversionem tria requiruntur, quæ in paucissimis inveniuntur peccatoribus, & quæ hodierna quoque die infrequentes efficiunt conversiones.

1. Conversionem summopere optare debemus: at plerique eam tepide volunt, eorum desideria infirma sunt, languida, & sæpe etiam simplices velleitates.

2. Magna vi opus est ad superandos obices, qui nostræ conversioni adversantur: at hominum plerique ignavi sunt, atque imbecilles tantum conatus exerunt.

3. Firmum, & constans requiritur propositum relinquendi peccatum; ac plerique sunt inconstantes &c.

X. Dolor ob læsum Deum, in quo interior pœnitentia, & vera cordis conversio consistit, debet.

1. In omne reliquæ vitæ spatium permanere.

2. Infringere obices omnes prohibentes, ne penitus nosmet addicamus Deo.

3. In omnia vitæ nostræ peccata se extendere; atque complecti constans propositum numquam imposterum lethali noxa Deum lacessendi.

XI. Ut ad veram, sinceramque conversionem perveniamus, duo sunt absolute necessaria.

Primum, ut omnino peccatum relinquamus stabili, constantique proposito.

Alterum, ut nihil intentatum relinquamus ob delendam nefariam animi propensionem, quæ nos in crimen pertraxit; ne eadem rursus nos in scelus impellat. *Essais de Sermons pro Adventu.*

XII. Cum nobis persuasum jam sit, uti oportet, de necessitate nosmet convertendi, & redeundi ad Deum, quem sceleribus nostris relinqueramus.

Primo videamus conversionis hujus difficultates, ut eas superemus.

Secundo causas earum perpendamus, ne animos despondeamus.

Tertio consideremus, quid ad hoc factu opus sit, ut hoc perficiamus. *Pater Girousst tom. 2. Quadragesima.*

XIII. De vera peccatoris conversione juxta exemplar Filii Prodigi.

1. Incipit ille serio seipsum considerans, suumque statum, atque miseriam perpendens: *In se reversus.* Luc. 15.

2. Præteritam felicitatem cum præsenti egestate comparat; videt discrimen inter Patris sui domum, alienamque terram; horrore capitur licentiæ illius, cujus amore solum Patrium reliquerat. *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Luc. 15.

3. Denique postquam intra se salutaria iniit consilia, illa extrinsecus exequitur; adit Patrem suum, ejusque misericordiam implorat: *Pater peccavi in Cœlum, & coram te. Essais de Sermons in tertiam Quadragesimæ Dominicam.* Luc. 15.

Rationes duæ, propter quas peccatores pauci vere convertuntur. XIV.

Prima: pauci norunt infelicitatem, in quam ipsos præcipites agit peccatum.

Secunda: pauci norunt gratiam, quam illis confert Deus, eorumdem pœnitentiam respiciens. *Idem pro Adventu.*

Veræ conversionis exemplar in S. Pauli Conversione propositum. XV.

1. Deus peccatorem hunc illustrat nitidioribus luminibus suis: *Circumfulsit eum lux de Cœlo.* Act. 9.

1. Deus cum auctoritate ad ipsum loquitur, eique suam voluntatem significat voce gratiarum suarum: *Audivit vocem*, hanc peccator audit, eique respondet.

3. De mente illius omnes aufert ideas bonorum, atque voluptatum hujus mundi: *Apertis oculis nihil videbat*, alios oculos, aliumque ei tribuit intellectum. *Essais de Panegyriques in S. Pauli Conversione.*

De fallaci plurimorum pœnitentia, deque illusione in hac re metuenda. XVI.

Primum, eorum conversio plerumque simulata est, & hypocrita. Mutatio non est in corde, & in voluntate; sed in externo oris habitu: & ad breve tempus dumtaxat: quandoque etiam non mores mutati sunt, sed tempora, fortuna, valetudo, status, efficiunt.

Secunda, conversio hæc est inconstans; & quamtumvis bonum suscepisse propositum videantur, permanent, vel post aliquos dies tales rursus evadunt, quales erant.

Peccatoris conversio a tribus pendet. XVII.

1. A considerationibus præteritorum, ubi vitæ suæ flagitia, infelicitatis abyssum, in quam præceps ruerat, & periculum mortis æternæ, quod subierat, perpendit.

2. A constanti proposito, quod pro futuro concipit.

3. Ab oneribus, quæ suscipit, & quibus pro tempore præsenti se subjicit.

1. Peccatoris conversio magno cum dolore perficitur; hi sunt dolores parturientis. XVIII.

2. Postmodum vero magnam affert lætitiam, ut Salvator ait: *Mulier cum parit, tristitiam habet; cum pepererit, jam non meminit pressuræ, quia natus est homo in mundum.* Joan. 16. Similiter per pœnitentiam homo novus paritur.

Tria essentialia pœnitentiæ officia; mutare mentem, hoc est pœnitentiæ principium; mutare cor, hæc est essentia pœnitentiæ; mutare vitam & mores, hic est pœnitentiæ effectus. XIX.

1. Mutare mentem; videlicet in pœnitentiæ statu contemnere ea omnia, quæ in peccati stat habita fuerunt in pretio; & in pretio habere, quidquid fuerat contemptum.

2. Mutare cor; videlicet odisse, quod amabas, & amare, quod oderas.

3. Vitam, moresque mutare; nempe fugere ea, quæ facere consueveras, & facere, quæ fugiebas. *Ex Patre de la Rue Sermone S. Magdalena.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, ex quibus possit depromi copia ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sanctus Augustinus *in Ps.* 43. *&* 98. Peccatorem vere conversum, & pœnitentem describit. Sancti Patres.

Idem *in Expositione Ps.* 37. ostendit peccatori pœnitentiam agenti scelera deflenda esse; quod ipsum uberius docet in libro de pœnitentiæ utilitate. In libro de vera, & falsa pœnitentia ostendit illis, qui vere conversi sunt cessandum non esse quominus lacrymis sua eluant peccata; & in libro de spiritu, & Anima demonstrat rationem, propter quam in hac vita nobis plorandum est.

Idem *in libro 50. homiliarum homilia 50.* suggerit causas veræ compunctionis; quod ipsum præstat Auctor sermonum ad fratres in Eremo, qui inter S. Augustini opera invenitur.

Idem, vel potius Auctor quæstionum in vetus, novumque Testamentum *quæst.* 102. docet, peccata numquam esse remittenda, nisi peccator eorum dolore afficiatur.

Idem *in expositione Psalm.* 6. 83. 92. 101. 102. ostendit, quid faciat Deus pro conversione nostra, & conatus a nobis exerendos, ut divinis respondeamus consiliis; qua de re loquitur etiam in sermonibus 12. & 54. *de Verbis Domini*.

Idem *l.* 14. *de Trinit. c.* 17. docet nequaquam momento fieri perfectam peccatoris conversionem.

Idem in Confessionibus peccatorum suorum dolorem exprimit vocibus adeo teneris, tantoque affectu refertis, ut legentibus suos sensus inspiret; præsertim vero *l.* 5. *c.* 7. 10. 11. & 13. & *l.* 8. *c.* 1. 2. 3. 4. 5. 9.

Tertullianus in libro de Pœnitentia pulcherrimas habet hac in re sententias, quarum explicatio optimam moralem doctrinam suppeditat.

S. Cyprianus tractatu de Lapsis loquitur de dolore, quo affici pœnitentes debent ob peccata sua.

S. Gregorius *libro quarto Moralium c.* 17. & *l.* 18. *c.* 24. ostendit quantopere dolendum sit peccatori converso pro anteactæ vitæ flagitiis.

Idem *l.* 3. *Dialogorum cap.* 34. refert, & explicat plures compunctionis, & amaritudinis cordis species.

Idem *l.* 3. *in textum capitis primi Regum libri* ostendit, quomodo Deus contritum peccatorem consoletur.

S. Ambrosius in pœnitentiam David plurima habet, eaque pulcherrima, ad peccatorum conversionem spectantia.

S. Chrysostomus in quadam homilia in Epistolam ad Corinthios, loquitur de dolore quem ob Divini Numinis majestatem læsam habere debet Peccator. Hoc ipsum ostendit *hom.* 9. *in c.* 4. *Epist. ad Hebræos*.

Idem duos edidit libros de Compunctione cordis.

Idem *hom.* 5. *de Pœnit. tom.* 5. docet, ignem Inferni, quem sceleribus nostris meriti sumus, lacrymis nostris extinguendum esse, & quænam sit virtus lacrymarum pœnitentiæ.

Idem *hom.* 22. *ad Populum Antiochenum* conversos Peccatores hortatur ad peccata sua in hac vita deflenda; hoc enim tempus est pœnitentiæ.

Origenes *hom.* 1. *in Ps.* 37. hæc Prophetæ explicans verba: *Non est pax ossibus meis afacie peccatorum meorum*; ostendit, Peccatoribus indesinenter ob oculos habenda esse peccata sua eorumque dolorem in corde retinendum.

Idem *hom.* 5. *in cap.* 7. *Levitici* plurima habet hujus argumenti.

S. Basilius *in Psalm.* 73. ostendit exemplo David, quinam esse debeat in pœnitente peccatore spiritus compunctionis.

S. Bernardus *Serm.* 1. *de S. Magdalena* peccatorum dolorem thymiamati confert, quod JESU CHRISTO acceptissimum est. De hoc etiam verba facit in libris de Consideratione, & Conversione ad Clericos.

S. Laurentius Justinianus adhortationem conscripsit, qua peccatores excitat ad conversionem.

S. Bernardinus *tomo quarto Serm.* 17. de peccatorum conversione, & pœnitentiæ spiritu verba facit.

Albertus Magnus libro de Paradiso animæ, verbo *Pœnitentia*.

Quicumque ex SS. Patribus homilias, vel sermones ediderunt in S. Pauli, & S. Magdalenæ conversionem, necnon in Filii prodigi parabolam, utiles admiscuere considerationes ad Peccatorum conversionem spectantes, uti SS. Augustinus, atque Bernardus.

Granatensis in Duce peccatorum validissimas rationes collegit, ut illos ad pœnitentiam impellat. Ascetici aliique.

Petrus *Sanchez in Regno Deipart.* 4. *c.* 7.

Guillelmus Parisiensis in tractatu de Sacramentis, & Legibus.

Cardinalis Bona.

Pater Antonius a Porta ex Carmelitarum Reformatorum familia amplum edidit tractatum theologicum de peccatoris Conversione, ubi quindecim articulis ea omnia complectitur, quæ hac in re scitu opus sunt. Hoc autem præstat in libro cui titulus: *La Conduite de la Grace sur la conversion des ames pecchereses*, in quinta fundamentali veritate.

Godeau in pœnitentiæ tabulis pulcherrimos habet doloris sensus, atque illustria exempla conversionis iniquissimorum Peccatorum.

Pater Haineufve in Ordine vitæ, & morum tertia parte sermone septimo loquitur de difficultate conversionis peccatoris illius, qui sæpe divinos afflatus conscripsit *sect.* 5. & illius, qui peccati alicujus habitum habet, *sect.* 6. & 8.

Pater Nepveu tom. 4. Christianarum Considerationum pro octava die Octobris, doloris, & contritionis causas, & sensus suppeditat.

Pater Gegou in usu Sacramenti Pœnitentiæ, capite de cordis Contritione.

Reina Concione septima de Ninivitarum Conversione, & Pœnitentia.

Maimbourg sermone pro sexta feria post alteram Quadragesimæ Dominicam. De via, & reditu peccatoris.

Biroat in Adventu suo sermonem habet, ubi loquitur de conversionis pœnitentia; uti quoque in altero Adventu suo, quem super pœnitentiam est elucubratus.

Joly tom. 1. Propositionum ostendit, in quo vera pœnitentia consistat, & de illius loquitur necessitate, facilitate, duratione.

Pater Texier Sermone pro quarta Dominica Adventus, hoc ipsum argumentum pertractat.

Pater Giroust pro feria sexta post quartam Quadragesimæ Dominicam sermonem habet de Peccatoris Conversione.

Pater Bourdaloue in Sermonibus sub ejusdem nomine editis, sermonem habet de Magdalenæ conversione, ubi eas conditiones ostendit, quæ in veris conversione inveniuntur.

Pater Cheminais sermone pro die Paschatis.

Pater Masson Oratorii Presbyter Sermonem habet, ubi loquitur de falsitate, atque inconstantia pœnitentiæ plurimorum Peccatorum, & in alio verba facit de mutatione vitæ, atque separatione objectorum, quæ in peccatum nos possunt impellere.

Chenart Doctor Sorbonicus in moralium Sermonum suorum tom. 2. de vera conversione verba facit.

In libro, cui titulus *Essais de Sermons pour l' Avent*, de variis agitur argumentis, quæ conversionem, & cordis pœnitentiam respiciunt, & in eodem *pro Quadragesima* Sermonem habet, cujus analysim superius attulimus de peccatoris conversione juxta Filii prodigi exemplum.

In Dictionario Morali duo Sermones inveniuntur de peccatoris conversione, & alii item duo de contritione, & dolore peccatorum nostrorum, cum pluribus animadversionibus ad utrumque argumentum spectantibus.

Busæus) verbo, *Conversio*.
Labata)

Alii hac de re sub pœnitentiæ titulo sunt locuti.

PARA-

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

CUM *quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen quæsieris ex toto corde, & tota tribulatione animæ tuæ*. Deuter. 4.

Si in corde vestro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, & servite ei soli. 1. Reg. c. 7.

Revertimini a viis vestris pessimis. 4. Reg. c. 17.

Convertimini peccatores, & facite justitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam. Tob. 13.

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Ps. 6.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Ps. 50.

Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Ibidem.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Ibidem.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ; non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Ps. 37.

A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ. Ps. 101.

Renuit consolari anima mea. Ps. 76.

Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Ps. 146.

Peccavi & vere deliqui, & ut eram dignus non recepi. Job. 33.

Dixit David ad Nathan: Peccavi Domine: dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. 2. Reg. c. 12.

Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum. Eccli. 2.

Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua. Ibid. c. 17.

Quam magna misericordia Domini: & propitiatio illius convertentibus ad se. Ib.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. If. 38.

Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus; & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Idem.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Ps. 118.

Non est reversa ad me prævaricatrix Juda in toto corde suo, sed in mendacio. Jer. 3.

Postquam convertisti me, egi pœnitentiam. Jerem. 31.

Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, vita vivet, & non morietur; omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor, & in justitia sua, quam operatus est, vivet. Ezech. c. 18.

Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei. Jerem. 18.

Converte me Domine, & convertar. Idem 31.

Tu fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. Idem, c. 3.

Converte nos Domine ad te, & convertemur. Thren. 5.

Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster: væ nobis, quia peccavimus. Ibidem.

Redite, prævaricatores, ad cor. Isaiæ 46.

Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; & non erit vobis in ruinam iniquitas. Ezech. 18.

Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum: & quare moriemini domus Israel? Ibidem.

Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis: & quare moriemini domus Israel? Idem, c. 33.

Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. Idem, ibid.

Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii; sed ut convertatur impius a via sua, & vivat. Idem, ibid.

Convertimini ad me, ait Dominus exercituum; & convertar ad vos. Zach. 1.

Convertere Israel a me, ait Dominus exercituum; & convertar ad vos. Zach. 1.

Convertere Israel ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. Osee 14.

Convertatur vir a via sua mala. Quis scit si convertatur, & ignoscat Deus, & revertatur a furore iræ suæ; & non peribimus? Jonæ 3.

Revertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus. Malach. 3.

Si ductus pœnitudine cordis reversus fueris ad Dominum in toto corde tuo & tota anima tua, miserebitur tui. Deut. 30.

Amen dico vobis, nisi conversi fueritis .... non intrabitis in regnum cælorum. Matth. 18.

Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Luc. 13.

Egressus foras Petrus flevit amare. Luc. 22.

Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Joann. 6.

Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra. Act. 3.

Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur; sæculi autem tristitia mortem operatur. 2. ad Cor. 7.

Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus; ut misericordiam consequamur; & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Ad Hebr. 4.

Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Joel. 2.

Scrutemur vias nostras, & quæramus & revertamur ad Dominum. Thren. 3.

Exempla ex Veteri Testamento desumpta.

POEnitentia, si pro dolore ob Divini Numinis Majestatem læsam sumatur, eamdem jactitat cum orbe terrarum antiquitatem; quandoquidem statim subsecuta est peccatum, quod in terrestri Paradiso primi Parentes nostri commiserunt. Noluit Deus, primos illos Peccatores ad se statim post patratum facinus accersere; descendit solum in illud deliciarum viridarium, appellavit Adam, qui præ uxore magis erat inexcusabilis ut domini vocem audiens commissi sceleris reminisceretur. Sed improbus, qui ad Creatoris sui clementiam confugere debuerat, confugit ad fugam, ut delitesceret, & ad excusationes, quæ aliquando ipsa noxa nequiores sunt; sed quæ tunc minorem vim habuere ad animæ suæ confusionem, ruboremque tegendum, quam arboris folia, quibus corporis sui nuditatem contexerat. Forsitan ille severissimam mortis evitasset sententiam, quam ex tunc supremus Judex in ipsum, omnemque ipsius progeniem ejaculatus est; si statim crimen suum fuisset confessus, atque sincero dolore, veraque pœnitentia malum hoc fuisset deprecatus. Verum cum hoc ipsum facere prohibuerit superbia; Deus illum cum sceleris consorte de Paradiso voluptatis ejecit, cujus per tempus vix pulchritudinem considerare potuerat, ut gravissimo dolori torquendus traderetur. Tunc cum ea superbiæ nubecula, quæ caliginem affuderat menti protoparentis nostri, evanuisset; sceleris sui magnitudinem intellexit. Ipsum conscientia acri, amaraque exprobratione redarguit, & terra, quæ propter ipsum maledicto subjecta fuerat, illi protinus ostendit, quænam esset ea maledictio, quam sibi suo scelere promeruerat. Tradidit ergo cor suum tristitiæ; oculi ipsius facti sunt duo lacry- Exemplū Adæ.

lacrymarum fontes, & donec sceleris memoria permansit, ejusdem dolore fuit discruciatus. Itaque quemadmodum posteris suis primum sceleris reliquit exemplum, Domini præceptum infringens; primus quoque docuit exemplo, quomodo peccatum sit lacrymis, ac vera pœnitentia expiandum.

Exemplū David. S. Ambrosius ait, videri David ob id tantum peccasse, ut alios doceret quomodo pœnitentia sit instituenda. Docuit, hic Pater inquit, quomodo peccatum committatur, ut doceret, quomodo delendum sit; suaque experientia artem fecit, & ægrotavit, ut Medicus fieret. Post adulterium suum, atque homicidium, quo fidelissimum sibi subditum nequissime sustulit, annum ferme integrum tamquam sopitus in profunda scelerum suorum oblivione permanserat, quin conscientiæ suæ redargutionem ne intelligeret quidem; donec Propheta Nathan illum de hoc sopore excitavit, callide ob oculos ejus injuriam statuens, quam Deo, & proximo intulerat. At audita vix salutari Prophetæ increpatione turbatus, ac perterritus exclamavit: *Peccavi Domino*; verba sane amaritudinis, ac doloris refertissima, quæ fortasse millies, & ultra reliquo vitæ suæ spatio iteravit; verba, quæ cordis ipsius tantum dolorem infixerant, ut peccata sua cogitans nullam posset pacem, & requiem invenire; *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum*. Ps. 37. Tristis interdiu, noctes in assiduis gemitibus transigebat, lectumque suum affluentibus lacrymis irrigabat, neque hujus rei contentus Dominum efflagitabat, ut magis, magisque animam suam ab iniquitatibus emundaret, ita ut unum quidem earum vestigium superesset. Hoc ille pœnitentiæ præbuit exemplum, iis omnibus, qui eumdem in scelere sunt imitati.

Manassis exemplū. Exemplum Manassis, cujus pœnitentia, & dolor in Scripturis describitur nobis vim illam ostendit, quam contritum, & humiliatum cor habet ad iram Dei, ejusque ultionem flectendam. Liceat præterire narrationem scelerum, quibus hic Rex seipsum fœdissime coinquinaverat: non enim citra horrorem legi possunt. Dicere sufficit, ipsum vitam suam jugiter in impudicitiis, impietatibus, sacrilegiis transegisse, utque iniquitati accederet cumulus, omnibus iis abominationibus sævissimas crudelitates addidisse. Quis futurum non credidisset, ut Princeps iste Regum sibi similium exitum inveniret decedens in impietate sua, ut deinde in æternum justitiæ ultricis severitatem experiretur? Sed Domino suffecit illum in hac vita percutere, & fortasse propter optimi Patris pietatem misertus est Filii, huic conferens gratiam, atque medium salutaris pœnitentiæ ob sua flagitia efficiendæ. Manasses ab Assyriis captus fuit, qui totum illius regnum invaserant, cumque seipsum in teterrimum, obscurumque carcerem conjectum, ferreisque onustum catenis conspiceret, amarissimis lacrymis præterita scelera prosecutus est, Deoque effudit humilem illam, ardentemque orationem, cui Spiritus sanctus, qui regit Ecclesiam, in libris Sanctis post Canonica scripta honorabilem locum reservari voluit, ut nos doceret, dolorem pœnitentiæ parem esse debere scelerum nostrorum magnitudini, & nulla esse adeo magna facinora, quæ contriti, & humiliati pœnitentis lacrymæ delere, & expiare non possint.

Ninivitarū exemplū. Nemo unus ignorat, Ninivitarum pœnitentiam olim Dei iram lenisse, cum Propheta Jona Dei verbis, extremum excidium, integramque Civitatis subversionem minitante, ut fatale fulmen averterent ad pœnitentiam confugerunt. Facta est igitur in tota ingenti hac Urbe morum immutatio, ita ut Rex, qui infamis Sardanapalus fuisse creditur, propter mollitiem atque obscœnitates satis notus, cum audisset periculum, quod sibi portendebatur, relicto throno, regiaque purpura, sese cilicio præcinxerit, ac cinere caput consperserit. Ipsi etiam pueri, licet innocentes, immo bruta quoque animantia jejunium severissime servarunt, clamores, gemitusque suos cum nocentium lacrymis immiscuerunt, ut Dei flecterent iram, & ultionem averterent. Illud autem in rem nostram facit, quod animadvertit Scriptura, clamores, gemitusque confusos a Deo exauditos fuisse, quatenus erant signa conversionis cordis eorum, & immutationis morum eorumdem: *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala*. Jonæ 3.

Exempla ex Novo Testamento desumpta.

Magdalenæ conversæ, ac pœnitentis exemplum. Meminisse debemus eorum, quæ scripta sunt de S. Magdalena, quæ hodie exemplar pœnitentiæ Ecclesiæ universæ propositum est; scilicet ipsam peccatricem fuisse, ac pro tali in tota civitate Jerusalem cognitam. Attamen cum Simon illam Peccatricem appellaret, ipsum JESUS CHRISTUS corripuit; non enim amplius peccatrix erat, cum omnino immutata fuisset. Lacrymæ, quibus tunc Domini pedes rigabat; erant pro ipsa Baptismus, quo omnes anteactæ vitæ flagitia abluebantur, & magnitudo doloris, quem ob sua conceperat crimina, eamdem jam integerrimis animabus æquaverat. Verum doloris sui sinceritatem, & conversionis veritatem omnimoda vitæ mutatio probavit: quoniam quantum antea licentiam, atque impuritatem amaverat, tantum credidit, sibi reliquum vitæ spatium in lacrymis atque pœnitentiæ exercitatione transigendum: quantum dilexerat mundum, tantum solitudinem dilexit; quantum cor suum amore prophano fœdatum, corruptumque fuerat, tantum sancto, divinoque amore fuit purificatum; itaut semper apertius ostenderit veritatem eorum verborum, quæ ex ipsius Salvatoris ore audire meruerat. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Luc. 7.

Exemplū S. Petri. In Apostolorum Principe suppetit nobis pœnitentiæ, & conversionis exemplum superiore nequaquam minus admirabile. Necesse non puto hoc in loco referre, qua ignavia Apostolus hic, qui sen per præ se zelum, amoremque erga Magistrum suum tulerat, hunc ipsum negaverit, quem pro Dei viventis Filio fuerat antea confessus. Neque hujus loci reor, memoria repetere occasionem lapsus illius, qui Ecclesiæ firmissimum columen futurus erat. Dicam solum, celerem ipsius conversionem, acerbissimum dolorem, jugesque lacrymas, quæ ex oculis ipsius defluxerunt, quotiescumque sui sceleris meminit, abunde illud reparasse facinus, quantumvis magnum extiterit. Simul ac enim illum Salvator respexit, Apostolus sese colligens vere fuit Cephas, hoc est petra, non virga Moysis, sed JESU CHRISTI obtutu percussa, quæ in salutares sinceræ pœnitentiæ fluctus liquefacta iis lachrymis, quas affluenter effudit, doloris sui magnitudinis, & conversionis sinceritatem probavit. Dicitur enim adeo magnum, acerbumque sceleris sui dolorem servasse, ut toto vitæ suæ spatio fleverit, quin neque longæva ætas, neque tempus, neque illa, quæ domino suo præstiterat officia, neque multiplices in Ecclesia regunda curæ, lacrymarum cursum possent inhibere. Egregium sane doloris, & pœnitentiæ exemplar pro nobis, qui sæpius, atque indignius, quam Sanctus Petrus, divinum Salvatorem læsimus, negavimus, prodidimus.

S. Pauli exemplū. S. Paulus conversus, & S. Paulus in virum alium immutatus, unum, & idem est; ipse in una, eademque persona nobis ostendit primum quidem acerrimum JESU CHRISTI persecutorem, mox vero vas electionis, & Apostolum, qui in omnes gentes tulit ejus nominis gloriam, quod primorum fidelium sanguine delere voluerat. Ipse nobis suum scelus suamque patefecit conversionem: verum non minus sollicitus fuit in explicanda doloris sui vi, & diuturnitate, eo quod Ecclesiæ Persecutor extiterat. Ita enim loquitur in Epistola ad Romanos cap. 9. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea* in

in Spiritu Sancto: quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis. Quasi timuisset testimonium suum in causa propria suspicione nequaquam cariturum, Deum testem invocat eorum, quæ dicturus est, & quæ in vulgus proferri, suæ putat interesse conscientiæ. Quænam autem hæc tanti momenti veritas est, quam ita bene probare conatur, & adeo caute proponit? Hæc, inquit ille; quod tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo, eo quod voluerim inimicus esse JESU CHRISTI, ejusque subire indignationem pro fratribus meis, prohibens ne fidem, & Evangelium amplecterentur: (hic enim genuinus est horum verborum Apostoli sensus.) Tristitia, qua afficiebatur, eo quod JESUM CHRISTUM in membris ipsius persecutus fuisset, erat magna: *tristitia magna:* neque in speciem tantummodo erat, sed intime cordi infixa inhærebat: *cordi meo*. Dolor hic non solum ingens erat, sed assiduus: *& continuus dolor*. Quandoquidem post annos quatuordecim, (juxta Divi Thomæ supputationem) adhuc cor illius dolore urebatur, quasi adhuc recens esset. Quodnam illustrius afferri potest exemplum pœnitentiæ, & contritionis a fidelibus post conversionem semper fovendæ?

Filii Prodigi exemplum. Alia minus insignia exempla, puta, Samaritanæ Mulieris, Zachæi, & S. Matthæi conversionem prætereo, ut in medium proferam magis perspicuum exemplar in Prodigi filii parabola propositum. Hæc in Evangelio satis distincte narratur, ut omittenda non sit; eaque satis cognita est, ut singulis illius circumstantiis non sit immorandum. Nemo unus ignorat, qua ratione filius hic paterna domo fuerit egressus; quam flagitiose peregre profectus vitam duxerit, & ad quas augustias tandem fuerit redactus, cum omnia bona sua dissipasset. Solus ejusdem redditus, & doloris sensus, quos ad Patris pedes provolutus protulit, hujus sunt argumenti. Videte igitur quomodo miseriis, & calamitatibus obrutus sese collegit; quomodo recordatus est divitiarum, quibus fruebatur, donec se in officio continuerat: quomodo consilium inierit redeundi ad Patrem; quibus verbis usus fuerit, & qua clementia, & lenitate a Parente optimo fuerit exceptus.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Peccatoris conversio cor poscit prorsus novum. *COr mundum crea in me Deus*. Ps. 50. Quemadmodum creatio supponit nihilum: ita perfecta peccatoris conversio poscit, ut nihil in ipso antiquorum habituum, vitiorumque supersit; ut ex nihilo superbiæ cor humile existat; ex nihilo impuritatis cor castum prodeat: verbo, opus est, ut homo contritus, & pœnitens per gratiam particeps fiat omnipotentiæ Dei, quæ una creare potest. Videlicet ut citra metaphoram, atque allusionem loquar, ut Peccator convertatur, detestari debet peccata sua eo dolore, qui totum cor ipsius ab objecto peccati sui prorsus divellat, illudque Deo conjungat, atque ut S. Hieronymus inquit, odiisse debet, quod amavit, amare, quod odit; mœrere ob ea, quæ gavisus est, & gaudere ob ea, quæ ipsi mœrorem attulerunt. Hæc perfecta cogitationum, affectionum, votorumque mutatio id facit, quod nova creatura appellatur, novus homo, novus spiritus, novum cor; perinde ac de integro prorsus esset creatum: *Facite vobis cor novum, & spiritum novum*. Ezech. 18. *P. Texier Domin. serm. pro 4. Adventus Dominica*.

Abiit in regionem longinquam. Peccatoris calamitas exhibetur nobis sub Filii prodigi figura, qui paterna egressus domo in regione procul remota sese omnibus flagitiis mancipavit. Peccator a Deo recedit, & recedens a Deo a seipso recedit. *A seipso discedit, qui a Deo recedit*. S. Ambrosius inquit in hunc locum. Ut igitur Peccator hic convertatur, redeat primum oportet, ad se; seipsum colligat, serio eum consideret statum, ad quem propter scelera redactus est; deinde vero ad Deum redeat, ipsius misericordiam imploraturus. Hoc narrat Evangelium de reditu Filii prodigi: *In se reversus dixit ...... surgam, & ibo ad Patrem meum*.

Amplius lava me ab iniquitate mea &c. Ps. 50. Hæc verba nos docent, alteram esse inchoatam reconciliationem cum Deo a nobis ad iracundiam provocato, quæ fit per veniam peccati; alteram vero esse completam, magisque perfectam, quæ fit per continuationem doloris, & pœnitentiæ Spiritum, qui servatur in corde. Hac de causa David quamquam ex Propheta Nathan audivisset peccatum suum a Deo sibi remissum fuisse, nihilominus Deo dicere perseverabat: *Amplius lava me ab iniquitate mea*. Psal. 50. *Quid amplius quæris?* S. Chrysostomus interrogat. Deus dixit, & factum est; peccatum suum deletum est. *Pristinum meum decorem quæro:* esse vellem, quod eram ante; cupio, Domine, ut mecum agas, quomodo agere consueveras, antequam peccarem in te, *ita Pater idem Regem David respondentem inducit*. — Cum Deo semper perfectius per pœnitentiam possumus in gratiam reverti.

Spiritus Domini ferebatur super aquas. Genes. 1. Notatu dignum est, neque pulcherrimo vacat mysterio, quod cum JESUS CHRISTUS Ecclesiæ suæ Spiritum Sanctum sub aquæ forma, & symbolo promisisset cum Samaritana loquens; illum sub ignis symbolo ad Apostolos miserit. Innuere profecto voluit, se animas convertentem illas candidas, purasque per lacrymas efficere, nec non charitate ferventes per flammas, & quemadmodum in ipsis mundi incunabulis, divinus hic Spiritus, ut ita dicam, incunabat aquis calore suo, ut per hoc elementum universo mundo, animam, vitamque tribueret; eumdem retinet ordinem in animæ conversione per aquas pœnitentiæ sua dona, suasque gratias in illa parturiens; hoc est per lacrymas, quas charitatis ignis ex oculis elicit: & requiescens super cor, ex quo tamquam fonte illæ dimanant.

Non est reversa ad me prævaricatrix Juda in toto corde suo, sed in mendacio. Jerem. 3. Exterioribus pœnitentiis, quodcumque tibi libuerit, nomen appinge, ego vero nisi pœnitentiæ hujus cor particeps existat, non puto, hoc esse ad Deum in cordis sinceritate reverti; sed hanc umbram voco, & larvam pœnitentiæ, mendacium, inanemque conversionem. S. Chrysostomus quoque hujusmodi austeritates, quæ ex contrito corde non prodeunt, has lacrymas, quæ ex corde tamquam sanguis ex vulnere non difluunt pœnitentiæ larvas appellat: *penitentiæ larva, & umbra sunt*. Dicis, illos jejunare, faciem eorum squalere, pectus pugnis livescere, illos palam se peccatores fateri, & cum gemitibus, & ululatibus Domini misericordiam deprecari. Eos equidem commendarem, si cor vere immutatum esset; sed cum vivant, uti vivunt, & in flagitiis suis perseverent, hæ sunt Pharisaicæ pœnitentiæ, & fictitiæ austeritates. *Ex Dictionario morali*. — Nulla vera est pœnitentia, nisi fuerit ex toto corde.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum in hoc argumento.

PErfecta nostra conversio inveniet Deum paratum, August. in Ps. 6.

Conversio ad bonum non homini, sed Deo adscribenda. Idem, Epist. 130.

Ovis perdita numquam reverteretur, nisi Pastoris misericordiam consequeretur. Idem, in Serm. de Temp.

Prius est mutandus homo, ut opera mutentur. Idem, Serm. 12. de verbis Domini.

Convertamur ad meliora, dum in nostra sunt pote-

potestate remedia; *hic extinguamus mortem*, *moriendo peccatis*; *hic vitam*, *vitæ meritis acquiramus æternis*. Idem, Sermon. de Adventu ad Judicium.

In actione Pœnitentiæ, *non jam consideranda est mensura temporis*, *quam doloris*. Idem; in Enchirid. c. 63.

Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, *& amor Dei*, *quando sic pœnites*, *ut tibi amarum sapiat in anima*, *quod ante dulce fuit in vita*. Idem, Serm. 7. de Temp.

Proruperunt flumina oculorum, *acceptabile sacrificium tuum*, *Domine*. Idem August. lib. 8. Confess.

Culpabiliter durus est, *qui deflet damna temporis*, *mortem amici*; *& dolorem peccati lacrymis non ostendit*. Idem, l. de vera & falsa Pœnit.

Multi gemunt, *& ego gemo*, *quia male gemunt*. *Amisit quis nummum? gemit*; *amisit fidem? non gemit*. Idem.

Stetit Ninive, *an eversa est? Ego autem puto impletum fuisse quod Propheta prædixerat*. *Respice quæ fuit Ninive*; *& vide quia eversa est*: *eversa est in malo*, *ædificata est in bono*; *sicut eversus*, *Paulus Persecutor*; *ædificatus*, *Paulus Prædicator*. Idem, in Ps. 60.

Hæc est magnificentia Domini, *justificatio peccatoris*, *hæc est magnificentia Domini*: *quoniam ubi abundavit delictum*, *superabundavit & gratia*. Idem, in Ps. 111.

Quid est Pœnitentia, *nisi sua in seipsum iracundia?* Idem, Serm. de 4. Temp.

Ascendat homo adversum se tribunal mentis suæ, *atque ita constituto in corde judicio*, *adsit accusatrix cogitatio*, *testis conscientia*, *carnifex timor*; *inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas fluat*. Idem, Serm. ult. de Temp.

Numquam est sera conversio: *Latro de cruce transit ad paradisum*. Hier. Ep. ad Lætam.

Vide quantum sit auxilium Dei, *& quam fragilis humana conditio*: *ut hoc ipsum*, *quod pœnitentiam facit*, *nisi nos Dominus ante converterit*, *& nisi Dei nitamur auxilio*, *numquam implere valeamus*. Idem, in Jerem.

Quæ peccata fletus iste non purget? quas inveteratas maculas hæc lamenta non abluant? Idem, in Epit. Fabiolæ.

Vera est pœnitentia, *jugiter flectibus commissa diluere*, *& abluta non iterare*. Idem, in Ps. 118.

O felix pœnitentia, *quæ ad se Dei trahit oculos*, *& furentem Dei sententiam confesso errore mutavit!* Idem, in Epitaph. Fab.

Sine aliquo intervallo conjunguntur, *& lacryma peccatoris*, *& misericordia Salvatoris*. Ambrос. Serm. 6.

Petrus flevit amare, *fletuque culpam diluit*. Idem, in Hymn.

Confessionis suæ testimonium, *in perpetua sæcula*, *vulgato dolore transmisit*. Idem, l. 2. de Apolog. Davidis.

Ille Rex tantus & potens, *ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam*; *sed præmatura confessione*, *atque immenso dolore*, *reddidit peccatum suum Domino*. Idem, ibidem.

Peccatum, *quod per pœnitentiam non diluitur*, *mox suo pondere ad aliud trahit*. Greg. l. 25. Moral. c. 9.

Pœnitentiam agere, *est perpetrata mala plangere*, *& plangenda non perpetrare*. Gregor. in Ev. Homil. 24.

Plerumque fit gratior Deo, *post culpam*, *amore fervens vita*, *quam securitate torpens innocentia*. Idem.

Fletibus se abluit, *& lacrymis se baptizat*. Cypr. Serm. de Cœna Dom.

Nec quantitas criminis, *nec brevitas temporis*, *nec horæ extremitas*, *si vera fuerit contritio*, *excludit a venia*. Cypr. ib.

Seria pœnitentia numquam sera. Idem, de Lapsis.

Semper ad indulgentiam Dei aditus patet. Idem.

Ubi emendatio nulla, *ibi pœnitentia necessario vana*. Tert. l. de pœn. c. 5.

Plerumque jejuniis preces alere, *ingemiscere lacrymis*, *& mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum*, *hoc est pœnitentis munus*. Idem, ibidem.

Multus est peccati ignis: *atqui modica extinguit eum lacryma*; *lacryma enim rogum extinguit peccatorum*. Chrysostom. Homil. 5. de Pœnitent. tom. 5.

Sola est compunctio cordis, *quæ sicut ignis omne animæ vitium perurit*, *abstergit universa mala & delet*. Idem, l. 2. de Compunct. Cordis.

Hoc solum est quod a nobis exposcetur, *ut semper recordemur mala nostra*, *& conscientiam gestorum habeamus ante oculos*. Idem, ibidem.

Peccatores; *dic*: *Peccavi*; *& solvisti peccatum*. Idem, Hom. 5. de Pœn.

Diluvium peccati. Idem, ibid.

Sine dolore cordis, *mortificationes corporis*, *pœnitentiæ larva*, *& umbra ista sunt*. Idem, Hom. 5. in Epist. ad Cor.

Firmissime tene, *& nullatenus dubita*, *neminem hic posse pœnitentiam agere*, *nisi quem Deus illuminaverit*, *& gratuita sua miseratione converterit*. S. Fulgentius, de Fide ad Petrum.

Felices, *sancte Apostole*, *lacrymæ tuæ*, *quæ ad diluendam culpam negationis*, *virtutem sacri habuere baptismatis!* S. Leo, Serm. de Pass.

Descendit gladius pius in viscera peccatoris, *& uno eodemque ictu*, *incolumi corporis manente materia*, *interficit veterem hominem*, *& creat novum*. Zeno Veron. l. de Pœn. ad Neoph.

Dico omnes ignorare Deum, *qui nolunt converti ad eum*; *ferum & terribilem imaginantur*, *qui amabilis est*; *& mentitur iniquitas sibi*, *formans sibi idolum*, *pro eo quod non est*. Bernard. super Cantic.

Solet inter primordia conversionis, *acrius insurgere tentatio pravæ consuetudinis*. Idem, ibidem.

Qua fronte attollo oculos ad vultum Patris tam boni, *tam malus filius? Exitus aquarum deducite oculi mei*, *aperiat confusio faciem meam*, *deficiat in dolore vita mea*, *& anni mei in gemitibus*. Idem, Serm. 6. in Cant.

Hæc nempe est salvationis nostræ principium, *cum incipimus respuere quod diligebamus*, *dolere unde lætabamur*, *amplecti quod timebamus*, *sequi quod fugiebamus*, *optare quod contemnebamus*. Idem, Serm. 2. de Circumcis.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum possit desumi.

QUamquam sub eodem titulo isthic, & peccatoris conversionem, & interiorem pœnitentiam, & peccatorum dolorem, & spiritum compunctionis complectamur, nihilominus discrimen illud, quod mens inter hos cordis actus, & motus statuere potest, efficit, ut variæ eorumdem ideæ, & notiones tribuantur. 1. Peccatoris conversio proprie reditus est cordis ad Deum, a quo per peccata recesserat. Quemadmodum enim per peccatum a Deo quidem recedimus, & accedimus ad creaturam juxta vulgatissimam definitionem: *Aversio a Deo*, *& conversio ad creaturam*: Ita per conversionem nostram a creatura recedentes ad Deum convertimur, & felici hoc reditu anima nostra emundatur, æternæque felicitati acquirendæ par efficitur. 2. Tridentina Synodus: *Sess.* 14. *c.* 4. declarat, contritionem, seu perfecta illa sit, seu imperfecta quin vera adsit conversio, tria necessario complecti, primum cessationem a peccato; alterum

Quid sit Conversio, pœnitentia interior; dolor cordis & spiritus compunctionis.

vitæ

vitæ novæ constans propositum, atque initium: tertium odium, atque a transacta ante conversionem vita aversionem. *Non solum cessationem a peccato; & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere*. Tertio pœnitentiæ, vel compunctionis spiritus dolor est habitualis ab læsam Dei majestatem: licet enim unum sufficere possit momentum ad eliciendum contritionis actum, sive perfecta illa sit, sive imperfecta, quæ deleat peccatum ac nos justificet, vel per Sacramentum jam receptum, vel ex propria virtute; æquum, & necessarium nihilominus est, quemadmodum S. Thomas *Suppl. quæst.* 1. & 3. *part. quæst.* 84. *art.* 9. 10. asserit, ac plurimis rationibus confirmat, ut interior hic dolor, & cordis mœstitia in reliquum vitæ spatium vigeat, semperque in pœnitente remaneat amaritudo propter commissum facinus, juxta illa Regis Prophetæ: *Psal.* 50. verba: *Peccatum meum contra me est semper*: & hoc præsertim in sensu S. Augustinus, atque Tridentina Synodus ajunt, Christiani vitam jugem esse debere pœnitentiam.

Dicere possumus pœnitentiam duabus constare partibus; interioribus videlicet sensibus, exterioribusque exercitationibus; & in hac partium varietate non deesse, quid spiritui respondeat, quid corpori. Interior ejusdem spiritus immutabilis est, qualis est rerum spiritualium natura, quæ mutari non possunt. Corpus, atque exterior species cujuscumque actionis pluribus est obnoxia mutationibus; unde proficiscuntur variæ pœnitentiæ exercitationes, cum antiquæ, tum novæ. Sed interior spiritus nondum mutari potuit; in eo quippe pœnitentiæ essentia consistit; cum externæ exercitationes, atque austeritates illius quidem effectus sint, non autem pars essentialis. Itaque sine hoc spiritu, qui in peccatorum dolore, constantique proposito non ulterius peccandi consistit, ipsum pœnitentiæ Sacramentum omni effectu careret, atque externa, quæcumque severitas inutilis esset.

Quid intelligendū pro continua pœnitentia, quæ est efficienda. Ut clarius hucusque dicta explicentur; cum dicimus fidelem post Baptismi gratiam amissam Conversum reliquo vitæ suæ spatio pœnitentiam agere debere, non ideo vult Ecclesia peccatorem conversum damnare, ut assiduis maceretur jejuniis; atque asperrimis affligatur ciliciis. Hanc quidem olim, & longe severiorem cum fructu disciplinam retinuit, nobisque esse curæ illa deberet, ut hanc in nosmetipsos exerceremus severitatem, & piæ Matris indulgentia non abuteremur: sed ultro cum constantia, atque fervore satisfactiones hujusmodi amplecteremur: verumtamen ea semper prodest, ut assidua sit nostra pœnitentia. Quid hoc rei est? Numquid præcipit, ut peccator conversus reliquos dies suos in jugi, & actuali peccatorum suorum pœnitentia traducat? Haud ita sane; humana enim infirmitas statum hunc pati non potest, nihilque a nobis exigit Deus, quod supra vires nostras sit positum. Illud vero poscit Ecclesia, ut qui Dei iram promeruit legis ipsius perfractione, reliquo vitæ spatio suæ ingratitudinis, atque perfidiæ memoriam habitualem retineat, quæ per intervalla actualem excitet dolorem. Ad hæc exigit, ut conversus peccator in omni vitæ suæ ratione præseferat sanctum sui met ipsius odium, perfectam Divinis imperiis submissionem, vividumque pietatis fervorem; hi quippe virtutis veræ pœnitentiæ sunt fructus.

Pœnitentia in eo, quo isthic accipimus sensu, cum quodammodo sit & Dei ad hominem, & hominis ad Deum conversio; orthodoxæ veritatis est, opus utriusque requiri; Dei quidem per gratiam, hominis vero per consensum, liberamque divinæ voluntati submissionem. Hac de causa in Scripturis sanctis nonnumquam peccator ad Deum confugit, & ab eo petit, ut convertatur: *converte me, & convertar*: Jerem. 31. Aliquando vero Deus ipse peccatorem accersit, & ab eo petit, ut convertatur; *Convertimini in toto corde vestro*: Joel 2. namque ad veram pœnitentiam requiritur, ut Deus peccatorem clementissimo dignetur obtutu, qui Dei reditus, & conversio erga nos appellatur; & peccator per vitæ mutationem, sinceramque scelerum suorum pœnitentiam, clementi huic misericordiæ obtutui respondeat, quæ peccatoris conversio vocatur. Hac autem in re animadvertendum est primo, in peccatoris pœnitentia, vel conversione semper Deum primum agere, ipsum nos prævertere, vocare, sollicitare, & interioribus gratiis urgere: 2. Nobis vitio vertendum esse, nisi convertamur: numquam enim desunt nobis gratiæ, quæ ad id absolute necessariæ sunt; quamvis adeo pertinaces adeoque iniquitatibus addicti peccatores inveniantur, quibus nulla reliqua est ad conversionem via præter orationis gratiam, nemini unquam negatam; per quam orare, & obtinere possunt gratias vehementiores, magisque immediatas, ut sese reipsa convertant.

In Tridentini Concilii Catechismo docemur per hos gradus ad veram perveniri pœnitentiam. 1. Dei misericordia peccatorem prævertit, ejusque cor movet. 2. Hoc lumine præventus peccator interius per fidem accedit ad Deum: ut enim (quemadmodum docet Apostolus) accedamus ad eum primo credendum est Deum esse, & hunc esse inquirentium se remuneratorem. 3. Cor nostrum incessit timor æterni supplicii. 4. Spes Divinæ misericordiæ obtinendæ consilium immittit vitæ genus immutandi, postquam peccatorem læsi Numinis pœnituerit. 5. Denique veritate cor illius calefaciente filialis oritur timor, qui efficit, ut unice dolens, quod Deum ipsum vel in minima re offendit, prorsus peccati habitum abjiciat, totusque immutetur. *Quibus gradibus fiat in Peccatore conversio.*

Quærunt Theologi, cuinam ex divinis perfectionibus peccatorum conversio accepta sit referenda? utrum hic effectus sit misericordiæ, an sapientiæ, an denique potentiæ? Extra omnem dubitationis aleam positum est, tria hæc attributa aliquid operi huic conferre: verum, ut intelligamus, quænam sit singulorum pars, tres distinguendi sunt actus, vel operationes Dei in gratiarum suarum distributione; videlicet decretum, directio, & executio. Dei bonitatis est decernere peccatoris conversionem: non enim gratiam hanc mereri possumus, neque Deum cogere, ut eamdem nobis impertiat. Sapientia dirigit, studet, disponit, eligit occasiones, in quibus prænoscit Deus futurum, ut Peccator suis sollicitationibus cedat. Hoc denique potentia exequitur; quandoquidem dici potest in hoc opere summam Dei potestatem impendi. *Hæc mutatio dexteræ excelsi*. Psal. 76. *Peccatoris Conversio ex parte Dei considerata.*

Cum dicimus Deum disponere occasiones convertendi peccatorem, ne putes opus esse, ut Deus quærat, vel præstoletur occasiones, in quibus suas gratias conferat, & quæ sint efficaces. Ipse a tempore non pendet, cumque sit supremus bonorum suorum dispensator, sæpe etiam has gratias elargitur iis in occasionibus, quæ oppositæ sunt finibus suis, iisque personis, quæ iisdem reluctantur. Attamen sapientiæ, ac supernaturalis providentiæ effectus est, hæc subsidia, has gratias conferre iis in occasionibus, quæ efficiunt, ut libentius accipiantur, peccatorem iis circumstantiis, iisque temporibus afficiendo, quibus ipsius voluntas minus a pœnitentia distat, & paratior est, ut sese divinæ voluntati submittat.

Diximus jam, conversionem hanc in cordis pœnitentia consistere. Hanc autem cordis pœnitentiam tunc habemus, cum sperantes nos Dei misericordiam, & peccatorum veniam assecuturos ad ipsum ex toto corde convertimur, patrata scelera execramur, atque firmum, & constans consilium suscipimus vitæ rationem mutandi. Quoniam vero pœnitentiam hanc dolor, & tristitia concomitatur, quæ agitatio quædam est, & afflictio; immo quemadmodum a plerisque vocatur, passio a peccati horrore inseparabilis; inde profectum est, ut vulgo *De conversione ex parte peccatoris considerata.*

hæc

hæc nomina confundatur: conversio peccatoris, læsi Numinis dolor, interior Spiritus, & cordis pœnitentia.

Dolor ob Dei læsam majestatem, quæ prima, & præcipua est pars conversionis, necessario supernaturalis esse debet: cum enim peccati destructio, & animæ ad Deum conversio, sint supernaturales affectus, gigni non possunt, nisi per dolorem, qui, & ipse supernaturalis sit. Opus est igitur Dei gratiam principium esse lacrymarum, quas pœnitens peccator effundit, & quas Numinis amissi dolor elicit, sunt enim, ut ait Tertullianus, pretium, quo jactura nostra reparatur. Quamvis autem alibi de pœnitentiæ Sacramento locuti attulerimus ea, quæ docent Theologi de contritione, quæ Sacramenti ejusdem pars est potissima; operæ tamen pretium est animadvertere, hunc ipsum dolorem adeo necessarium pro pœnitentia, quatenus virtus est, habere debere easdem conditiones, easdemque qualitates. Hoc voluntarium est odium peccati ex Divi Thomæ sententia; non igitur simplex est passio: odium est peccati, quo ad illud destruendum excitamur: non igitur simplex est cessatio, vel intermissio peccati; odium est cum dolore conjunctum; igitur verbo tenus odium est; sed cor ipsum pervadit? odium est, & detestatio peccati; non igitur rugitus est, qualem edidit Esau, neque cogitabunda est vultus consternatio, qualis fuit Cain, neque simplex præteritorum malorum memoria, qualis Antiochi: ***Reminiscor malorum quæ feci in Jerusalem***: 1. Mach. 6. Sed animæ odium est, interior detestatio, compunctio, eamdem vulnerans; cordis contritio, quæ ejusdem mollit duritiem; atque voluntatis tristia, quæ eamdem lanians ejus salutem operatur.

De læsi Numinis dolore pœnitentiam constituente.

Quamvis peccatoris conversio vera, & sincera esse non possit citra amaritudinem, & peccatorum dolorem, qui, ut loquuntur Theologi, appretiative major sit doloribus quibus creatorum bonorum jactura nos posset efficere; hoc tamen non obest, quominus conversio vera sit, & realis, licet summum hunc Conversionis apicem non attigerit. Crebro etiam accidit, ut rerum temporalium magis, quam Spiritualium jactura nos mœrore conficiat: exempli gratia non desunt, qui nonnumquam magis dolent ob amici, vel filii interitum, quam propter peccata sua, quamquam vero horum dolore tangatur. Ideo hic dolor, & hæc detestatio in voluntate esse debet, nec requiritur necessario, ut sit in appetitu. Hoc ipsum de lacrymis ex æquo dicendum est: quamvis enim in pœnitentia sint optandæ, nihilque justius, & æquius esse possit, easque Scripturæ, & Patres commendent tamquam sensibilis doloris notam, cum, ut loquitur Sanctus Augustinus, sint quodammodo sanguis vulnerati cordis per oculos tamquam proprios rivulos effusus; illæ tamen si desint, nihilominus dolor peccatorum verus esse potest, atque sincerus.

Notæ conversionis veræ, verique doloris peccatorum.

Cum duplex tristitiæ genus ab Apostolo distinguatur, quarum altera, quæ secundum Deum appellatur, salutarem pœnitentiam producat: ***Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur***. 2. Cor. 7. altera vero sæculi est, & producit mortem: ***Sæculi autem tristitia mortem operatur***; Illa, quæ secundum Deum est, & oritur ex dolore divinæ læsæ majestatis, agnoscitur ex effectibus, quos producit, qui totidem sunt ejusdem veluti notæ, quas paucis verbis Sanctus Bernardus collegit: ***Operatur sollicitudinem, indignationem, timorem, desiderium, æmulationem, vindictam***. Prima nota est, si hæc tristitia, vel dolor ob Deum læsum nobis sollicitam injiciat curam salutis nostræ; altera si in nobis contra nosmet sinceram excitet indignationem; tertia si nobis salutarem judiciorum Dei metum incutiat; quarta si efficax illius amandi, eique inserviendi desiderium accendat; quinta si piam in nobis cieat æmulationem ad eos imitandos, qui diligunt Deum, eique famulantur; sexta denique si nos impellat ad reparandas severa vindicta contumelias, quibus Deum ipsum offendimus. Hæ notæ sunt, hi caracteres, ex quibus de pœnitentiæ, & conversionis nostræ sinceritate judicare debemus.

Pœnitentiæ natura.

Quærit Sanctus Thomas, utrum pœnitentia sit virtus peculiaris, & ab alia quavis morali virtute distincta: atque affirmative concludit; seu quod Evangelium peculiare proponit hujus virtutis præceptum a reliquis omnibus distinctum; seu quod in pœnitentia occurrit peculiaris bonitatis, ac excellentiæ ratio, per quam pœnitens in id unum incumbit, ut peccatum commissum destruatur, quatenus peccatum hoc Deo infert contumeliam: quod sane peculiarem continet causam ab aliis virtutibus procul diversam, & in qua pœnitentia cum nulla alia virtute concurrit. Addit autem laudatus Doctor, hanc eamdem pœnitentiam quatenus virtutem esse justitiæ speciem; seu quod illius sit injuriam ulcisci contra Deum admissam, quæ quidem ultio, uti liquet, actus est justitiæ proprius; seu quod per actus, & opera, quæ dirigit, & ad quæ impellit, Deo reddere conetur honorem, & cultum, qui eidem debetur, & quem peccatum præcedens illi eripuerat; quod quidem, & ipsum justitiæ est, injuriam aliis illatam reparare. Verum quidem est justitiam, quæ in pœnitentia invenitur, non esse meram, simplicemque justitiam; nulla enim talis esse potest inter creaturam, & Creatorem, quemadmodum neque inter servum, & Dominum, inter Patrem, & Filium; ea nihilominus est quædam species justitiæ. Hæc est magni illius doctoris doctrina, quam nosse operæ pretium est, ut hac in re nihil absurdum dicatur.

Conversio integra esse debet.

Notandum est, quemadmodum fides, & charitas sunt individuæ, itaut hunc quidem Religionis articulum credere, illum autem non item, idem sit ac prorsus fide supernaturali, & divina carere, quæ late ad omnia revelata objecta sese debet extendere, & unum quidem præceptum observare, non aliud, quod æque irrogatum est, idem est, ac penitus omnem exuere charitatem, cujus officia separari non possunt: eadem ratione de peccatorum pœnitentia, & conversione esse disserendum; atque inferendum, quod unius lethalis noxæ contra Deum patratæ, non autem alterius agere pœnitentiam, hæc non est pœnitentia vera sincerusque dolor. Itaque Conversio nostra dividi nequaquam potest; eaque integra esse debet, atque complecti per omnium peccatorum dolorem, firmumque, & constans propositum ea ulterius non perpetrandi.

In Peccatoris Conversione virtutum omnium cœtus invenitur. Fides quidem interesse debet, ut credatur merces promissa abdicantibus mundi vanitates, & voluptates, quibus divina lege fuit interdictum; spes, ut confidamus in promissionibus Dei veniam polliciti peccatorum, quæ cor contritum, & humiliatum detestatur; charitas, ut procul ex corde expellatur alius quilibet amor, quam Dei, cui per conversionem cor nostrum devovetur, & consecratur; Fortitudo ad nosmet contra pusillanimitatem, quæ passim optima perturbant consilia, confirmandos.

Innocentiæ cum Pœnitentia comparatio.

Opus non est, ut innocentiam cum pœnitentia conferamus, neque adnitamur earum exæquare bona, ut commendemus beneficium Redemptoris, qui in lege gratiæ alteram nobis hanc virtutem tradidit, qua originali justitiæ supplere valeamus. Dici posset, pœnitentiam eos colligere thesauros, quos innocentia fortasse neglexisset, illam in laboribus magis infatigabilem, tutiorem in humilitate, gratioremque esse eo quod majoribus aucta est beneficiis. Verum, quin hæc quæstio intus, & in cute nobis sit inspicienda, notare satis est, pœnitentiam duo complecti; peccatum, quod supponit, & gratiam; qua ipsum deletur. Quatenus peccatum

catum supponit, infra innocentiam est, tamen vitio hominis dumtaxat: quatenus vero complectitur potentem gratiam delentem peccata, augentemque pœnitentium fervorem; ipsam innocentiam vel exæquat, vel exsuperat, efficitque, ut Redemptoris gloria magis effulgeat. Queamadmodum enim Dei enituit omnipotentia ex nihilo universa educentis; similiter Redemptor Mundum peccatis corruptum reparans, satis ostendit, in hoc nihilo patuisse minus infinimam suam potestatem. Hoc unum animadvertimus discrimen, quod in redemptionis gloriam cedit; licet utrumque hoc opus sit principii ejusdem effectus; posterius tamen esse admirabilius, quia major oppositio, atque distantia inter peccatum, & gratiam, quam inter nihilum, & esse invenitur.

In corde pœnitentia consummari debet, quod in corde consummatur peccatum. Peccatum vere peccatum non est, donec in mente consistit; omnino peccatum non est, nisi cor illud approbet, eique assentiatur: pœnitantia quoque donec in mente retinetur, inchoata tantum est, & proprie pœnitentia non est, nisi in cor ipsum descenderit. Omnes autem cordis affectiones ad duas potissimum rediguntur, & amorem, & odium, qui duo motus magis naturales sunt inter eos qui ex voluntate possint proficisci. Quod malum in corde peccatum gignit? Hoc sane, quod mundi corruptio ibi Dei locum usurpat. Fatuum cor amorem suum Mundo, a quo corrumpitur, impendit; hic enim efficit, ut pœnitens oderit, quidquid inordinato creaturum rerum amori adversatur. Quid e contra in corde facit pœnitentia? In peccatore ad Deum suum accedente divinum amorem producit, & ejicit quidquid illum evertere potest, eidemque imposterum aliquam labem adspergere posset: hæc enim ex Sancti Augustini sententia tota est essentia pœnitentiæ. *Pœnitentiam veram non facit, nisi amor Dei, & odium Peccati.*

Quisnam amor Dei sit pro vera pœnitentia necessarius. Hoc in loco disceptandum non est, utrum amor, qui reconciliationem nostram operari debet, meræ esse debeat benevolentiæ, an concupiscentiæ? Iis subscribo, quæ Scriptura, & Patres docent; videlicet propter verum Dei amorem ea omnia, quæ Dei sunt, generatim esse præferenda iis, quæ non sunt: loquor autem de iis rebus, quæ sunt impedimentum, vel conditio ad habitualem gratiam; quin ad examen revocem, utrum hic amor ex liberali, vel secus charitate procedat. Deus rebus omnibus præferendus est, ut ea charitate diligatur, quæ in vera conversione requiritur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Ascetici, Neotericisque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Conversio esse debet cordis, & sententiæ mutatio. NUlla unquam vera conversio fieri potest, quin Deus cor prorsus immutet, vel potius, quin cor carneum illis tribuat, qui habent lapideum, ut facilius motibus spiritus sui, & gratiæ suæ impressionibus pateant. Denique cum Deus prodigium hoc vult operari peccatoribus odium sæculi inspiret opus est, & quin peccator ejusdem sæculi consuetudinibus conformetur, seipsum omnino reformet vera renovatione, integraque extinctione spiritus erroris, atque mendacii, a quo possidetur: *Nolite conformari huic sæculo; sed reformamini in novitate sensus vestri*; ad Rom. 12. ut agnoscens, secundum ejusdem Apostoli verba Dei voluntatem, quid illi acceptum sit, quid bonum, atque perfectum, amplectatur vivendi genus anteactæ vitæ prorsus oppositum, videlicet incipiat odisse, quod amaverat, & habere tamquam objectum contemptus sui quidquid antea pro amoris, & existimationis objecto respexerat. Videlicet nihil requiritur minus, quam omnium præcedentium affectionum inversio, & omnimoda priorum dogmatum, sententiarumque destructio: Oportet igitur, ut qui, exempli gratia, durus, & immitis erat, misericors fiat, qui injuriarum oblivisci non poterat, parcere discat; qui ferox erat, patiens fiat, qui voluptatibus deditus hilarem ducebat vitam, tristitiam, doloremque requirat, vel saltem patiatur; qui flagitiosam ducebat vitam, atque in impudiciciis volutabatur, puritatem antea ignotam amplectatur: quæ omnia cordis mutationem supponunt. Homo Dei afflatu percitus sese omnino illi devovet, atque in illius famulatu perseveraturum proponit, verbo, vere conversus est. *Abbas Trappensis tom. 2. Collationum in Epistolas, & Evangelia Dominicarum; Collatione pro nona post Pentecosten Dominica.*

Ne putes aliquem ad Deum sese convertere posse, & talem qualis erat permanere: cor, & amor mutanda sunt, ideoque etiam mores, & actiones. Hoc palam ostendit illusionem eorum, qui Deo sese convertisse opinantur, quin re ipsa in illis ulla appareat mutatio, qui hujus mundi bona, æque ac olim depereunt; qui eadem non intermissa sollicitudine, ut antea requirunt; qui æque ob leves injurias succensent, qui pietatis operibus nihil relinquunt temporis, & qui de more omnes curas suas in terrena impendunt negotia. Quod enim indicium est hujus viæ mortales vicisse mundum, quandoquidem spiritus mundi æque ac olim in ipsis viget, & operatur? Ne illi quidem abstinent a quibusdam actionibus, quæ palam nefariæ sunt: Hoc tamen non abest quominus mundus dominetur in illis, quoniam ipse est plerarumque actionum suarum objectum; ultro hilariter, sedulo, accurate faciunt quidquid mundum sapit; ægre, languide, negligenter quidquid respicit Deum. Dæmon quidem hæc simul componere gestit, æternæque damnationis metum, & quorumdam criminum horrorem permittit, dummodo cor idem, ac antea, remaneat, scilicet terrena hæc spectet tamquam summum bonum, & felicitatem. *Essais de Morale tom. 5.*

Peccator Prodigum Filium imitari debet, qui novum confidentiæ sensum concipit; & quamquam Pater unus ille sit, quem offenderit, unus tamen est, in quem speret. Non cogitat ille asylum sibi apud eos amicos perquirere, quos sibi inter vitæ suæ flagitia comparaverat; amicos nequam! qui cum ex illius sceleribus quæstum ceperint, primi omnium ejusdem vivendi genus vituperant. Utique ad Patrem meum redire volo, novi cor ejus; ex quo me ad officium revertentem viderit, acceptæ injuriæ obliviscetur. Si nullam, nisi in hominibus, spem haberem, actum esset de me: ob virtutem suam nimis superbi meæ illuderent calamitati: sed in cœlestis Patris mei corde eam misericordiam me spero inventurum, quam omnia flagitia mea exhaurire non potuerunt. *P. Cheminais in Libello seorsim edito, cui titulus*; Sentimens de pieté. Peccator ad Deum fidenter reverti debet.

Cum Deus Peccatores revocare vult, eosque de iniquitatis sinu quodammodo evellere, omnes eorumdem vias spinis impedit, omnesque eorum perturbat voluptates. Efficit, ut in peccato tantum amaritudinis inveniant; in eo Babylonis Calice, quem epotabant, tantum virus adspergit, ut illum tandem rejiciant, in Deo veram requiem inquirant, viam mutent, justitiæ sensus iterum foveant, & in virtutis semitam revertantur. Sed humanæ salutis inimicus prorsus oppositam agendi rationem sectatur: illis conversionem suam tamquam opus arduum, & fere impossibile, minimos culices tamquam Elephantos, faciles colles, tamquam inaccessas rupes, amœnas valles, tamquam interminatas abyssos repræsentat. Relinquamus figuras. Callida descriptione illis persuadere conatur conversionem esse juge martyrium, ac tristem servitutem; efficit, ut loquatur natura, ut affectus operetur, ut habiturum pondus sentiatur. Quæ ferenda inferendaque prælia! conatus deficit, labascit animus, arma de manibus deci- Dæmon, ut illos deterreant sexcentas objicit difficultates.

decidunt, nihilque faciendum suscipitur, quoniam de fine assequendo desperatur. *Pate Girouft secundo Quadragesimæ tomo. Sermone de Peccatoris Conversione.*

Sine animæ dolore, sine sincera peccati detestatione, nequicquam Deo te putas satisfacturum: illi placere non potes, neque cum eodem in gratiam redite, Te coram ipso profundissima humilitate prosterne, millies tunde pectus, ad illum manus attolle, & ad illius misericordiam flectendam eas voces inquire, quæ magnam habeant vim, & sint ad movendum aptissimæ: ejulatus, & suspiria emitte, lacrymis madent oculi. Verum si tantum corpus humilietur, os loquatur, oculi plorent, at cor nihil dicat, nihil sentiat; humiliationes hujusmodi, verba, suspiria, ploratus externa sunt, quæ Deus minime respicit, Ille pro victima cor ipsum petit; cor pœnitens, & contritum. Audeo tamen dicere, te Deo simul nec majus, nec minus offerre sacrificium posse, Profecto non majus; nihil enim in te pretiosius est corde, nihilque difficilius quam illud a noxiis convellere objectis, quæ ipsum Deo surripuerunt, atque illud supremo reddere Creatori. Non item minus: quid enim post tot injurias exigere potest, quam pœnitentiam? Quid autem? licet ille gravissimis lacessitus fuerit contumeliis, paratus erit ad antiquandas omnes suæ justitiæ contra te latas sententias, ad omnes gratiæ suæ justitiæ thesauros effundendos in te, ad celerem, perfectamque veniam elargiendam, ad te sinu suo recipiendum, atque in filiorum numero recensendum; tu vero semper inimicus illum amare non incipies; semper rebellis efficacem, liberamque transactorum flagitiorum confessionem non facies? Hoc si contendis, si speras, recentem Deo facis injuriam: & hoc sane est, quod in communibus fidelium pœnitentiis formido. *Idem Sermone de Passione sub finem puncti primi.*

Rationes ad peccatorum dolorem excitandum in nobis. Hisce utamur rationibus ad peccatorum dolorem in nobismet excitandum. Nobismet exhibeamus peccati deformitatem, odium, quo Deus illud persequitur, æterna supplicia illi impendentia, & quidquid JESUS CHRISTUS passus est, ut nos ab eodem tueretur: perpendamus denique ingratitudinis nostræ magnitudinem, & contemptum superabundantis gratiæ, quam nobis salvator promeruit, æternamque infelicitatem, in quam certissime ruemus, nisi gratia eadem utamur, nihilque esse debere putemus quod pro nostra reconciliatione non aggrediamur; tunc juxta Scripturæ loquendi rationem plangemus, & ululabimus, faciemus planctum velut draconum, & luctum, quasi struthionum: *Mich.* 1. pectus nostrum, ut olim Publicanus ille, tundemus testaturi, cor nostrum quia antea omnia deliquit primum etiam omnium esse puniendum: illud atteremus perfecta, sinceraque contritione; *Isai.* 38. Recogitabimus nostros in amaritudine animæ nostræ annos, quos in nefaria hilaritate transegimus, conabimurque in nobismetipsis sanctam excitare tristitiam, quæ cum sit secundum Deum, stabilem, ac permanentem pro salute assequenda operabitur pœnitentiam. *Abbas de Monmorel, tom. 5. Homilia de Passione.* 1. ad Cor.

Quærit S. Augustinus, *quare turbatus est Christus*, Lazarum a mortuis excitans? & ideo turbatum ait, ut doceret, turbam hanc de ipso in nos transire debere, & id quod in JESU CHRISTO charitatis erat affectus, in nobis affectum esse dedere, & doloris, & metus: *Nisi ut significaretur tibi; quod & tu turbari debeas.* Si in peccati statu turbaris, ne timeas; e contra vero metue, si eo in statu minime turbaris; quies tempestate ipsa pejor esset; Vel time, si modice tantum turbaris, itaut hæc turba non operetur in te conversionem. Turbare igitur, ut Deus animæ tuæ vulnera curet, ut æque fidenter ac David dicere possis: *Sana me, Domine, quoniam turbata sunt ossa mea.* Psalm. 3. Immo si parum turbaris, teipsum videns peccatis circumdatum, divina exagitatum justitia; ac jamjam in impœnitentia moriturum, ingemisce, neque tibi sit satis horror brevi duraturus, & fremitus perfunctorius. Ut enim S. Augustinus addit, homo suæ iniquitatis horrore percitus, *Contra se fremere debet, ut violentia pœnitendi cedat consuetudo peccandi. Desumptum ex Sermonibus, qui sub nomine Patris Bourdaloue feruntur. Sermone pro feria 6. post quartam Quadragesimæ hebdomadam.*

Hæc peccatoris conversio opus est divinæ omnipotentiæ: alioquin quomodonam repente immutari possunt ideæ, studia, sensus; mortificari vehementes passiones, validæ affectiones infringi, violenta desideria coerceri, inveterata odia suffocari, amores adhuc ferventes extingui, resisti ponderi habituum, rerum terrenarum existimatio, & voluptas amitti, & Cœlestium dumtaxat amore inflammari? Hoc citra miraculum neque fit, neque fieri potest; hæc mutatio iis similis est, quæ in natura contingunt: Deus unus illas repente potest operari. *P. Aurelianensis tom. 1. Serm. de Conversione.* Peccatoris conversio opus est Omnipotentis Dei dextera.

Non unius diei opus est nostra conversio, neque putes, te jam conversum fuisse eo quod semel accesseris ad Sacramenta, & diebus aliquot a sæculi hujus recesseris via. Exterior quidem conversio una peragitur die, sed conversio cordis cum vita ipsa est permansura. Nullus dies, hora nulla præterire debet, qua ad eamdem non adlaboremus; & nobis præclare cesserit, si post omnes conatus extrema mortis hora adventante eam cordis conversionem, quæ vere perfecta sit, obtinuerimus. *Non una die perficitur*, S. Bernardus ait: *Utinam vel in omni vita, qua degimus in corpore valeat consumi! Desumptum ex Christianis Sermonibus, Sermone pro quarta post Pentecosten Dominica.*

Bona sua aliquot eleemosynis sacrificare, perfectum quidem est; verum terrena sacrificantur, ac semper ea asservantur, quæ ad victum sunt necessaria. Deo passiones aliquas, & mortificationes sacrificare sanctum quidem est, verum fatearis necesse est, corpus tantummodo sacrificari. At sacrificare Deo animi nostri studia magis chara, atque tenera, animum ab iis, quæ adamantur, divellere; hoc sane est, omnia Deo sacrificare: omnia enim simul, & cor, & mens, & cogitationes, & voluptates sacrificantur, eorumque ne memoria quidem reservatur, nisi ad detestanda. Tunc profecto verum peccatorum nostrorum dolorem ostendimus, tunc sinceram agimus pœnitentiam; quantum enim per peccatum a Deo recesseramus, ut creatas res sequeremur, tantum ab eo recessisse dolemus, & ab illis discedimus, ut Deo uni hæreamus, fatentes Deum unum mereri, ut eidem ex toto corde inserviamus. *Pater Masson Oratorii Sacerdos Sermone decimotertio de Adventu, qui est de Pœnitentia.* Per cordis conversionem Deo chara omnia sacrificamus.

Cum de pœnitentia agitur consulere nefas est, S. Chrysostomus inquit, æque ac nefas est ambigere, cum agitur de fide, Qui ultro de fidei articulo dubitat, infidelis est, inquiunt Theologi, quicumque deliberat, atque hæret an convertatur impœnitens est. Cur? quia certo pœnitentia amplectenda est, non deliberandum, an sit ampectenda: pœnitentiam agere, inquit Pater idem, non deliberare est, sed concludere; non disponere, sed Dei vocem audire; non velle, sed jam voluisse, itaut cum adhuc delibero, nondum egerim pœnitentiam. Qui pugnat adhuc, nondum victoriam retulit, immo in periculo versatur, ne victus acie cedat: sed jure dici potest, illum, qui deliberat, & ambigit, neque certus est adhuc consilii sui, jam semivictum esse, & quam primum omnino esse vincendum. *P. Bourdaloue Sermone pro Feria 5. post quintam Quadragesimæ hebdomadam.*

Nos omnino converti nolumus; si enim efficaciter nosmet Deo devovere vellemus, eo ipso, quo vellemus, momento, nosmet eidem traderemus; Serio converti nolumus.

nam

nam eo, quo vellemus, momento possemus etiam; quoniam velle uti opus, & posse unum, & idem est. Verum ut plurimum inanes languentis voluntatis conatus exerimus, quæ vanam speciem, fallacemque sui ipsius imaginem producit; hoc non aliud est quam ego vellem; eumque nobismetipsis nos velle dicimus, mera est illusio, quam ignavia nostra facili negotio potest calumniæ redarguere. Cum vere volumus, S. Chrysostomus inquit; hæc voluntas statim sese pluribus prodit actionibus, quas illa producit, ut quo contendit assequatur. Hæc imperiosa facultas est in reliquas animæ facultates adeo absolutum exercens imperium, ut earum nullam otiari permittat, ut quod præcipit, exequantur. *Maimbourg Sermone pro feria 6. post primam Quadragesimæ Dominicam.*

S. Augustinus *l.* 8. *Confess.* seipsum in hoc statu describens, videns, inquit, dormientem hominem, qui æque expergiscitur; medius est vigiliam inter, & somnum, neque omnino dormiens, neque vigilans omnino, sed utriusque particeps somni, & vigiliæ, itaut neque vigilantis habeat activitatem, nec quietam dormientis tranquillitatem. Assurgit quidem tamquam de cubili egressurus; at per inertiam relabitur, ibique iterum, iterumque volvitur, quin stratum relinquere possit: *Cogitationes quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium; qui tamen superati soporis altitudine remerguntur.* Semisopitus, & veluti somnians dimidiata quædam profert verba nihil prorsus significantia, & tandem post aliquam conatus speciem summo cum languore editam somnus, cui sese tradit ultro, illum magis quam ante iterum capit. *Idem.*

De S. Pauli conversione. Statim ac Deus Sanctum Saulum illuminavit, ejusque cor tetigit; novus hic pœnitens petiit, quid sibi faciendum, cupiens operi admovere manum, & labori omnem curam impendere: *Domine quid me vis facere?* Act. 9. Non est in eorum sententia, qui Deum omnia facturum putant, & qui vellent a Deo vitiis omnibus exui, quemadmodum vestibus suis exuuntur. Vellent, ex nequissimis peccatoribus a Deo in Sanctos converti sine ullo ipsorum labore. Sanctus Paulus non ita conversus fuit; omnia in ipso mutata sunt, quia rerum omnium principium, cor nempe immutatum est. *Domine, quid me vis facere?* Cor superbum tu certe mutaberis, nulla honoris, nulla mundi ratio me prohibet. Mihi interdicenda hæc voluptas est, ne cum hoc, vel illa consuescam? Deus hoc vult; satis est; id fiet, licet mihi præ dolore moriendum esset. *Pater Texier Panegyrico conversionis S. Pauli.*

Sanctus Chrysostomus inquit, peccatum unicum esse malum, quod lacrymis curari possit. Dicere etiam possumus hoc unicum esse malum, quod defleri mereatur. Quare igitur hoc unicum malum est, quod minime defleatur? fierine potest ut nobis exploratæ sint rationes omnes, propter quas dolendum est nobis? Utique fideles hæ nobis sunt exploratæ, sed non satis illas concipimus. Puer scit quidem se Patris optimi jacturam fecisse; quem mors nuper abstulit; ille tamen in maximo familiæ luctu, & ridet, & ludit; non enim satis novit, quantam fecerit jacturam: at major natu frater, qui per ætatem rationis maturitatem assecutus est, nullum dolori invenire potest solatium. *Pater de la Colombiere. Sermone de Confessione.*

Quomodo peccator suum videns interitum affici debeat. Si consideratio magnitudinis, bonitatis, justitiæ Dei satis vitium non habet ad nos movendos, experiamur utrum propriæ duritiæ intuitus flectere nos possit. O me miserum! Ergone gratiam amittens, rationem, omnemque sensum amisi? Nihil me movet, non amor, non metus, non beneficia, non pœnæ? numquid infidelitatibus meis accessit cumulus? Numquid me Dominus dereliquit? Terræ vermis contra Universorum Creatorem insurgere ausus est, & perfidiæ suæ ipsum pœnitere non potest? Millies contempsi, injuriis affeci eum, qui mihi vitam tribuit; eum, qui pro me suam vitam impendis, & adeo enormem ingratitudinem non perhorresco? In ipso inferni ore versor, in funesto eo statu, in quo sum, mori possum, neque contremisco, neque me timor exanimat? Hæc ego ne cogitabam quidem, cum Dominum lædebam; & licet hæc cogitassem, passio adeo vehemens tunc erat, ut mirum esse non debuisset, si tunc his cogitationibus non fuissem affectus; nunc autem has commode veritates intueor, neque illis movetur animus meus? Quid igitur Domine? numquid in nullam spem reditus perii? nullus ergo pro me locus erit misericordiæ? Numquid, o Deus, me in æternum repulisti? *Idem.*

Peccator vere conversus eos fovere sensus debet, quos olim prodigus Filius. Nequaquam Domine! dignus non sum, qui inter filios tuos numerer; verum hodie coram cœlestibus omnibus, quos irritavi, juro, nullum me tibi imposterum fideliorem servum futurum. Nimium, heu nimium! tanta misericordia abusus sum; tibi ultra o Domine resistere nequeo! Fateor duritiam meam, diutius contra amorem tuum obluctari non posse. Quam me movet adspectus misericordiæ, qua erga me usus es, cum me in peccato meo non confoderis, licet audacia atque obstinatione mea te ad id compellere velle viderer? Quanta tua hæc in me gratia est, quod me semel adhuc revocare digneris? quinam esse debent animi grati sensus eo, quod me revocas, a te numquam ultra recessurum? Centies tibi pollicitus sum, centies promissi fidem perfregi; sed numquam ita promisi, ut hodie, & sentio jam me tibi imposterum fidelem futurum. Desiderium hoc, quo non peccata solum, verum omnes etiam occasiones, omnesque peccati species, relinquere cupio; hæc nausea, qua ea omnia fastidio, quæ olim mihi placebant; virtus hæc, quam mihi inspiras, ut affectibus meis immortale bellum indicam; hæ omnes gratiæ sunt, quæ mihi firmissimam quodammodo constantiam pollicentur. *Idem.*

Cum anima nostra per peccatum a Deo recedit, jacturæ nostræ magnitudinem nulla vox exprimere potest, nulla mens potest intelligere. Etenim Dei amicitiam amittimus, quia Deum ipsum amittimus. Attamen mirum est, quam flocci fiat hæc maximi bonorum omnium jactura; inde tamen mihi stupor non incessit, non enim scimus, quid facimus; Deum fere ipsum ignoramus, & passio extinguit in nobis exiguam eam, quam habemus cognitionem. Illud vero obstupesco, quod Deus, qui nihilum nostrum perfecte cognoscit, qui nullam reipsa jacturam patitur, cum ab illo recedimus: quod Deus, inquam, recedentibus nobis, tantum dolorem testetur, atque nihil prætermittat, ut ad ipsum reverti nos cogat. Æque se dolere testatur, ac Pastor, qui ovem amisit, & paupercula mulier, quæ duas tantum drachmas habens, harum alteram sibi deesse deprehendit: quandoquidem duplici hac similitudine utitur JESUS CHRISTUS suum nobis dolorem ob discessum nostrum significaturus. Sed cum jam amissos recipit, & ovis, quæ deerraverat, redit in septa; quam ipse lætitiam ostendit? Nonne ipse ille testatur Cœlum omne gaudere ad reditum peccatoris pœnitentiam agentis? *Idem.*

Quid primum facere debeat peccator conversus. Prima peccatoris infelicitas in Evangelio nobis exhibetur sub figura filii Prodigi, qui de paterna Domo egressus *abiit in regionem longinquam.* Hoc peccator facit, qui sese inordinatis cogitationibus, ac desideriis tradens a Deo recedit, & a Deo recedens recedit a semetipso, ut inquit S Ambrosius: *A seipso discedit, qui a Deo recedit.* Hic a seipso discessus status est, & dispositio generalis omnium peccatorum, quicumque tandem illi sint; avari, ambitiosi, iracundi, ultores, semper sunt extra se, & de illis queritur Deus per Prophetas; *foras fugerunt a me*; Recesserunt a me, & fugerunt

runt foras; quia Deo naturæ corruptæ incompositis studiis colluctante, eamque in officio continere, qua stimulis conscientiæ, qua judiciorum suorum metu conante; ideo peccatores corripiunt fugam. Quod autem primo faciendum est, ut vere quis pœnitens fiat, hoc est, ut ex tristi, atque infelici hoc exteriori statu egrediatur, & peccator sese convertere studens illud primum facere tenetur, quod prodigus filius, *qui in se reversus est*. Oportet, ipsum sua peccata cognoscere, eorum enormitatem detegere, & quidquid sibi horrorem possit injicere, ut sensibilem percipiat doloris amaritudinem, & hac ratione ad Patrem suum revertatur. *P. Texier Domin. tom. 1. quarta Adventus Dominica.*

Inquies fortasse in peccatore unum tantum voluntatis actum requiri, ac unum liberi arbitrii motum, quo peccata sua detestetur; hunc autem actum brevi temporis momento elici posse. Ita sane est: verum ut voluntas ad hunc actum eliciendum sese determinet, & constans ineat propositum, iterum non amandi, quæ semper amavit, neque faciendi, quæ semper facere consuevit, multum requiritur temporis, multa sunt sustinenda certamina. Nostræ voluntatis consensus momento quidem dari potest; sed hunc elicere, hoc opus, hic labor est. Hoc si adeo facile tibi videtur, cur cogi vis? cur tot divinis afflatibus, tot conscientiæ exprobrationibus obluctaris? Ea profecto causa est, quia omnia consensui huic opponuntur; voluntas tua, Dæmones, caro, mundus, verbo, omnes nostræ salutis inimici. Omnes istæ oppositiones superandæ sunt; hæc flagitiosa voluntas subigenda est, iis omnibus studiis abrenuntiandum, dæmonibus resistendum. Hic multum opus requiritur, neque adeo facile hoc est, quomodo hominum plerique comminiscuntur.

Conversio simulata propter constantiæ ac stabilis propositi defectum.

Nihil in mundo frequentius est, quam hujusmodi peccatores, qui perfunctoriis aliquibus excitati stimulis, terribilibus exemplis perterriti, iniquitatis suæ pondere fatigati, aliquo modo sese convertere vellent. Vellent quidem flagitiosis habitibus, inordinatis passionibus, turpibus affectionibus liberari, atque medii inter flagitia ad justorum pacem adspirant: verum ne minimum quidem conantur, ut sua vincula infringant, nihil moliuntur, ut pravos habitus exuant; delibant, quantum possunt, venenatam peccati dulcedinem, tunc cum ejusdem amaritudinem a se vellent removere. Dicunt illi quidem; se velle converti: veruntamen Deus in penitioribus animæ ipsorum latebris scrutatur perversam voluntatem, & naturale propositum in sceleribus suis persistendi. *Essais de Sermons pro tertia Adventus Dominica.*

Heu! quid nobis plorandum, nisi Dei jacturam ploremus? Ullane calamitas est fidelium lacrymis digna, si peccatum non est, propter quod divina excidunt gratia? Gratia JESU CHRISTI nonne drachma illa est Evangelica, jactura cujus mundi totius acquisitione reparari non potest, & cujus possessio, omnibus licet perituris bonis careamus, nos efficit locupletes? Hic ob Deum amissum dolor, quæ ad illum inveniendum conditio est prorsus necessaria, esse debet supernaturalis. Cum peccati destructio, animæque ad Deum conversio, affectus sint supernaturales, gigni profecto non possunt nisi eo dolore, qui & ipse sit supernaturalis. Ad hoc requiritur, ut gratia Dei sit principium pœnitentium lacrymarum, quas ob dolorem amissi Dei peccator effundit: illæ sunt, Tertullianus inquit, pretium quo jactura hæc reparatur. Quæcumque fidelis anima dolere debet, vel quod a Deo separata sit per vincula corporis, quibus retinetur, vel quod illum amiserit per peccatum. *Ibidem Dominica prima post Epiphaniam.*

Rationes cognoscendi utrum simus vere conversi.

Scire vis, utrum sis vere conversus? Scrutare cor tuum, illius affectiones ad examen revoca, ut secretiores ejusdem motus agnoscas. Ante hac mundum amabas: illumne amplius amas? Perdite honores cupiebas: eosne respicis tanquam onera, & impedimenta? Eosne fugis, quia periculum nosti, quibus patet, qui cæteris præest? Nemini cedere optabas; numquid hodie Dei humilis vestigia sectaris, teipsum contemnis, & paratus es, ut novissimum recubitum diligas? Voluptatibus, atque solatiis abditus eras; hæc una erat cogitatio tua: nunc secessum, & mortificationem modo complecteris? Quærebas olim ambages, subtiliaque argumenta, ut bonum, quod tuum vere non erat, possideres; impræsentiarum numquid ampliori restitutione illas injurias, & detrimenta reparas? Pauperum egestas te minime afficiebat, eosque inclementi oculo despiciebas; Numquid hodie hilariter in egenorum sinum effundis ea bona, quibus longe, effuseque te Deus donavit? O nos miseros! si de peccatoris conversione ex hujusmodi principiis judicare velimus, quotusquisque invenietur, de cujus sincera conversione tuti esse possimus! *Ibidem Sermo pro tertiadecima post Pentecosten Dominica.*

Natura in semet nihil invenire potest, quo flagitia sua valeat destruere, & licet fide non edoceremur, a gratia effectus hos in animabus produci, ratio sufficeret, ut hac de re persuaderemur. Possumus quidem naturaliter aliquam mundi hujus perfunctoriam nauseam concipere; terrenarum inconstantiam obiter cogitare, ob quosdam defectus, vel quædam turpia facinora secreto erubescere; licet enim gratia similes motus in cordibus nostris pariat, nonnumquam tamen sola ratio eosdem producit. Sed ut sint vera conversionis primordia, propter quæ accedamus ad Deum, descendant, opus est, a Patre luminum, qui virium nostrarum principium est, & origo. Tu igitur, qui in vita tua quædam conversionis signa cognoscis, qui felici transitu de peccato ad pœnitentiam egressus es, sæpe, ut olim Apostolus, collatam tibi a Deo gratiam fatere. Sancto terrore percitus horrentes respice abyssos, unde auxiliatrix illius manus te eduxit; cogita in teipso, quantus esset iniquitatum tuarum numerus, si te nequitiæ suæ tradidisset, eosque humilitatis, & grati animi sensus fovens, quos in te hujusmodi cogitationes excitabunt, cum Regio Psalte exclama: *Misericordias Domini in æternum cantabo*. Ps. 88. *Essais de Panegyriques in Conversione S. Pauli.*

De proposito conversi peccatoris de non ulterius peccando.

Peccatoris vere conversi propositum omnia tempora complecti debet; ita ut si peccator æternum vivere posset, propositum deberet elicere per hanc omnem æternitatem in Dei amore atque odio peccati perseverandi. Cum Salvator Paraliticum curavit, non dixit illi, ne pecces ultra; sed *noli amplius peccare*; Joann. 8. hoc absolute non posco, ut ulterius minime pecces; id equidem cuperem, sed talis est tuæ voluntatis fragilitas, ut hoc citra audaciæ notam polliceri non possis; hoc solum posco, ut consilium capias ulterius non peccandi; *noli amplius peccare*. Æternum hoc propositum non amplius lædendi Deum est quædam reparatio injuriæ, quam eidem intulimus, cum ab eodem recessimus, ut res creatas consectaremur; & quædam veluti nova electio, quam facimus, ut jam factam retractemus electionem, qua peccati suavitatem innocentibus virtutis illecebris prætuleramus. Qui considerate lethale peccatum committit, mavult in æternum carere Deo, ut peccati voluptatem percipiat: ita pœnitens velle debet in æternum peccati voluptate carere, ut fruatur ea felicitate qua gaudent, qui adhærent Deo. *Essais de Sermons de l'Avent.*

Miseri sumus, quorum sera est pœnitentia; verum saltem sincera illa sit. Pro virili ea, quæ fecimus, mala reparemus; & qui errorum nostrorum testes fuerunt, sint etiam testes nostri reditus, & conversionis. Opem fer Domine! Et si infirmis hisce principiis cor nostrum non omnino teipsum, ac unum te sectatur; sentiat saltem si debere tuum esse. Convellamus ex animo turpis illius affectus reliquias, qui nimis alte radices suas jecit,

cit, & vivamus uti vivendum est. *Auctor Anonymus*.

Poenitentia esse debet in corde. Propheta Joel, qui divino illustratus spiritu praevidebat, quot deinceps futurae essent fallaces poenitentiae, etiam, atque etiam commendat, ut homines ex corde, & *ex toto corde* convertantur. Omnis homo est in corde. S. Petrus 1. *Ep. cap.* 3. id quod proprie hominem Christianum facit hominem cordis appellat. Cor hoc totum peccati contagione corruptum est: illud autem mutandum est, ut opera mutentur? *Muta cor, & mutabitur opus*. Ut vere convertamur, corda nostra scindenda sunt, non vestimenta nostra, ut idem Propheta inquit: opus est, ut a Deo recipiamus cor gratiae pro hoc peccati corde, quod nobismetipsis effinximus; cor vivum, & animatum pro corde nostro lapideo vita, sensuque carente; cor purum, & rectum pro corde immundo, & flagitioso. Non recipit Deus superficialem poenitentiam, quae vestes solum, non vitam reformet, quae exteriora tantum mutet, non interiora: vult hominem converti in corde, & doloris sinceritatem ostendere a se mundi amores avertentem, ac sese magis magisque in Dei amore confirmantem. *Desumptum ex libro, cui titulus: Vitae Prophetarum in vita Prophetae Joel*.

In oppressione, quam Pharao in Israelitas exercebat fidelem deprehendite imaginem eorum, quae nos inter, & Daemonem accidunt, cum nosmet convertere cogitamus. Crudelis hic Tyrannus ne minimam quidem cogitationem pati potest, omnes tunc suas vires instaurat bona consilia nostra dissipaturus, atque ablaturus primum illum spei radium, qui nobis affulgere incipiebat, ut in majorem desperationem labamur. Contra nosmetipsos excitat eos omnes, qui consilium nostrum possunt infirmare; efficit, ut illius nosmetipsos poeniteat ac nos irritat in eos, qui in hoc opus incumbunt ut nos a lapsu prohibeant, & quin eos precemur, ne deterreantur impedimentis, quae huic tanto bono possent obsistere, nos ipsi sumus praecipua difficultas, quam in hoc opere inveniant. *Ibidem in vita Moysis*.

Peccatoris conversio fit cum agitatione, ac tumultu. Conversiones in ordine gratiae eodem modo fiunt, ac mutationes in natura, videlicet cum agitatione, & tumultu: & si quando aliter accidunt, ut illa David per Prophetae Nathan verba, infrequentes hae sunt & miraculo proximae. Conversiones, ut plurimum fiunt, quomodo facta est Sancti Augustini Conversio, non sine labore, resistentia, timore, sollicitudine, metu. Qui nimis delicati huic tumultui sese verentur objicere, in periculo versantur, ne sibi accidat, quod olim Felici Syriae Praesidi, de quo in Actis Apostolorum est sermo; qui perterritus iis veritatibus, quas Sanctus Paulus praedicabat, illum sermonem abrumpere jussit, & reliqua se alia die auditurum spopondit. *Pater Aurelianensis, sermone de amore veritatis*.

S. Augustinus S. Pauli lectione commotus, cor suum variis sensibus, ac desideriis fervere sentiebat. Plorabat etiam, ac singultus, & ejulatus emittebat; verum frustra; optimos quidem sensus fovebat, & de moribus immutandis consilium capere non poterat; cupiebat ille quidem, & nihil statuebat; praeterita scelera lacrymis prosequebatur, & impelli non poterat, ut imposterum vitae suae rationem inverteret. Hinc profecto pater, quaenam sit hujus infirmitatis origo, de qua toties mundi sectatores queruntur, quod videlicet satis virium sibi non suppetat, ut resistant torrenti, a quo rapiuntur, temperamento, quod sibi dominatur, objectis, a quibus alliciuntur, affectibus, a quibus urgentur, mundo, a quo licet inviti rapiuntur, pravis exemplis, a quibus corrumpuntur. *Idem serm. de Tentationibus*.

Rerum creationem ex chaos productione incoepit Deus; quae quidem confusa, & informis erat rerum omnium congregatio; ubi tenebris lumen, terra coelo erant commixti. Ita asserere possumus primum divinae gratiae in hominem peccatorem effectum hunc esse statim quidem illius cor confundere, & maximis terroribus perturbare: illico chaos quoddam conficere cogitationum ipsius confusione, ac aestuoso sexcentorum motuum, violentarumque agitationum tumultu: chaos, in quo lumen veritatis adhuc est cum praejudiciis carnis, sanguinisque commixtum; terrena cum coelestibus confusa; bene vivendi consilia cum hujus mundi desideriis perturbata. Mundum hunc non repente creavit Deus; sed illius partes deinceps condidit: Deus idem in novae creaturae productione successive operatur, & per gradus in nobis nostram conversionem, & sanctificationem affirmat. Incoepit Deus chaos ipsum extricare de tenebrarum sinu lumen educens; novam etiam producere incipit creaturam efficiens, ut lux ejusdem menti affulgeat, quae primum ignorantiae tenebris fallacibusque praejudiciis erat referta. *Desumptum ex alio Auctore*.

De Peccatoris conversione generatim. Peccatorem considerare possumus ante conversionem, in ipsa conversione, & post conversionem. Nihilum illius conversionem praecedens (absit verbo invidia) majus est, quam quod mundi creationem praecessit; vis, quam Dominus in illius conversionem impendit, major est, quoniam omnipotentis brachii sui conatus exerit; & demum magis laborat Deus prohibiturus, ne ille post conversionem iterum se corrumpat, quam adlaboret, ut primae creationis opera semel efformata tueatur. Ante primam creationem simplex tantummodo nihilum rerum essentiam praecessit; hic vero praeter justitiae, & sanctitatis nihilum novam creaturam praecedens, corruptio, & nequitia majorem obicem, quam simplex nihilum statuit. Cum Dei potentia id producebat, quod antea nihilum fuerat, nullos habebat hostes, quos superaret; agebat in nihilo, sibique nihilum non resistebat: sed gratiae novam creaturam producenti plurima resistunt praejudicia, passiones, quae actioni illius adversantur: & naturale illud studium, quo versus nihilum sanctitatis rapimur, longe majus est ille, quo versus naturae nihilum tendimus. *Idem*.

S. Ambrosius inquit lacrymas consuevisse legatione fungi apud Deum pro nocentibus: *Lacrymae solent legationem suscipere pro delictis*. Peccator a Deo in exilium pulsus non habet, quem pro se mittat oratorem: preces illius ad Coelum usque non ascendunt, infirmae sunt; oportet, ut gemitus hac legatione fungantur. Estote, lacrymae meae mei doloris testes! Ita Magdalena JESUM CHRISTUM alloquitur, quin ne ullum quidem proferat verbum. Erubuisset illa discens ea, quae ad Salvatoris pedes provoluta flere non erubuit. Ante Dei Tribunal si causam verbis egeris victus, sin lacrymis, victor judicio decedis. Lacrymae sunt oratrices, quarum silentium satis est eloquens quandoquidem Regius Propheta dicit. Ps. 6. *Exaudivit Dominus vocem fletus mei. Abbas de Marue Panegyrico sanctae Magdalenae*.

Cur peccatoris conversio accepta sit Deo? Undenam, o Domine, ita post conversionem suam S. Augustinus ajebat, tantam percipis oblectationem animam, quae decreverat revocans, ut videaris malle jacturam reparare, quam prohibere? Cupis potius recuperare, quam tueri, & prodigi Filii reditus tibi magis placet, quam majoris natu obedientia; magisque laetaris ob centesimam ovem, quae amissa fuerat, inventam, quam ob nonaginta novem servatas! procul dubio ea causa dicenda est, quod triumphus post praelium refertur, & quo cruentius fuit praelium, eo victoria accidit jucundior. Diuturna desideria possessionem suaviorem efficiunt. O quanam tu ipse peccator poenitens Angelos afficis laetitia, cum postquam diu, ac pertinaciter restitisti, victrici tandem gratiae cedis! *Idem in S. Augustini Panegyrico*.

Deum nequaquam despicere cor contritum, & humiliatum, jam Regius Propheta testatus est. Oculi omnes, qui in Coelis sunt, poenitentis plorantes oculos intuentur, & Deus ipse videtur, nullum habere jucun-

jucundius objectum, in quod suos convertat oculos: & quemadmodum sol respicit nubem, quam ipse attraxit in aera, & quæ in tenuem solvitur imbrem, itaut oblectari videatur illam intuens, illam suis radiis inaurans, & illa admirabilia gignens meteora, quæ Deus tamquam signum, & nuncium fœderis cum hominibus initi statuit; hoc ipsum divinus justitiæ sol in contriti cordis lacrymas operatur. Hæ tristitiæ nubes, quibus anima pœnitens obvoluta est, Deo sunt jucundæ; in illas ejaculatur gratiæ suæ radios, easdem in levissimum imbrem resolventes; eas indurat, atque exornat gratiis suis, quibus anima per peccatum fuerat exuta; ibique efficit, & producit eam conscientiæ tranquillitatem, eam pacem, quam se cum peccatore ad se confugiente facturum spopondit. *Ex Italico P. Alberti Panegyrico S. Francisci Xaverii.*

Peccatoris conversio utplurimū a timore exorditur.

Conversiones ut plurimum ex metu incipiunt, ac desinunt in amorem. Judiciorum Dei metus ingerit perfectionum ejusdem amorem, acui similis, ait S. Augustinus, aditum filo aperienti. Timor hic, ut Propheta loquitur, carnem salutari terrore confodit, ut in animam charitatis perfectionem immittat. Ideo Sapiens Dei timorem vitæ fontem appellat; *Timor Domini fons vitæ*. Prov. 14. Quemadmodum enim exiguus fons intra rupis alicujus sinum, & in visceribus terræ abditus extrinsecus prosiliens rivum facit, qui defluens percrebescit, & sese cum ingentium fluminum aquis consocians, cum eisdem in Oceanum tendit: ita exigui terrores, quos in pœnitentiam anima excitat Deus, sunt veluti fons salutis adhuc abditus, atque in ipso corde sepultus. Salit autem extrinsecus per quasdam doloris notas, & actus pœnitentiæ; augetur subinde affluentia gratiarum per Sacramenta defluentium, ad quæ nocentes adducit; & tandem in divini amoris fluvium convertitur, & feliciter desinit, in charitatis perfectionem, quæ omnem timorem expellit: *Charitas foras mittit timorem*. 1. Joan. 4. *Abbas du Jarry Panegirico Sanctæ Magdalenæ.*

Spiritus agitatio ubi conversionem meditatur.

Sanctus hic Pœnitens, videlicet Augustinus, quodam ex felicibus illis momentis, quibus Dei Spiritus efficit in animabus secretos tumultus, & eas interiores agitationes, quæ novi hominis partum præcedunt; dies antiquos recogitans, æternosque meditans annos, variis hinc inde actus cogitationibus, quas Dei justitia, & misericordia suggerunt; modo cum horrore, in impenetrabilium judiciorum, quibus terretur abysso errabundus, modo inter horrentes tenebras ipsi radium sibi affulgentem intuitus, sese repente inter domini brachia, & ut ita dicam in portum projiciens post vehementissimam procellam, amoris, & gratitudinis actus impetu exclamat: *Dixi nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelsi. Idem in Panegyrico S. Augustini.*

Cum Saulum irreconciliabilem JESU CHRISTI inimicum tanto zelo prædicantem intueor Sacrosanctum nomen illud, in quod nequissima rabie percitus evomebat blasphemias, eumque electum video, ut gentibus annunciet divinitatem capitis, cujus membra crudeliter persequebatur; Cum Magdalenam cerno ex infelicissima passionum sæculi victima in divinam Salvatoris amatricem immutatam, omnemque sacri amoris vim in ejus corde mederi insano profani amoris furori. Cum Matthæum intueor, ex publicanorum telonio repente in Apostolorum societatem traductum; cum Propheta *Ps. 76.* exclamo; *Hæc mutatio dexteræ Excelsi*. Sed hæc omnia, quæ in celeberrimis affulsere conversionibus simul congregata in Magdalenæ conversione inveniuntur. *Idem in Panegyrico S. Magdalenæ.*

Pœnitentis animæ sensus.

Heu, Domine, ubinam eram in illo infelicissimo statu; sanctus Pœnitens Augustinus exclamat (mentem illius assequi conabor potius quam verba referre) ubi eram Domine? quibus profundis, densissimisque tenebris insepultus eram? quod chaos horrendum inter me, ac te innumerabilis peccatorum meorum multitudo statuerat? Me miserum, tranquillum soporem cupiebam in umbra mortis; nihil sentiebam ex gravissimo correptionis, & scandali odore, quem in Ecclesia exhalabam; meorumque scelerum tumulus æternus fuisset animæ meæ incolatus, nisi omnipotens vox tua hunc Lazarum de sepulcro excitasset. Tabidam vitiorum auram afflabam, iniquitatis fermentum universam cordis mei massam corruperat, & fons infectus in omnem vitam meam effundebat perennem scelerum, flagitiorumque eluvionem. Immortales igitur gratias ago misericordiæ tuæ, quod divisionis murum, quo a te sejungebar, prostraveris, mihique auxiliatricem manum tetenderis, quæ de profunda, & terribili abysso me eduxit. *Idem in Panegyrico S. Augustini.*

Quam deplorandus est infelicis animæ status, quæ subjecta legi peccati tyrannidem exercentis in ipsam, malum facit, quod minime vult, & quod vult, bonum minime facit! quæ peccati amaritudinem, pudoremque sentit, eidem se mancipat ad sanctas virtutis delicias adspirans! In miserrimo hoc statu, o Deus, omnipotens gratiæ tuæ virtus retulit de mea infirmitate triumphum. Tu perfregisti vincula mea, & ego tibi hostiam laudis sacrifico. Effecisti, ut deciderent integumenta, quibus oculi mei erant circumdati, easque illecebras dissipasti, quæ sensus, rationemque meam captivaverant. O me felicem, o me beatum, si quod mihi reliquum est vitæ spatium impendam ad tempus, quod noxie perdidi, reparandum! Jam victus sum Domine! divina lumina tua mentem meam illustrarunt; toto cordis impetu te adoro, divinæque bonitati tuæ benedico. Egredimini ex anima mea misera objecta, quibus eum cultum impendi, qui uni Deo debebatur. Corruptos hos rivos derelinquo, ut in ipso aquæ vivæ fonte meam sitim extinguam. *Idem.*

Tumultus peccatoris antequam se pœniteat.

Quoties cum jam prope esset, ut novum hominem pareret, ad ipsos usque partus dolores processit, antequam in lucem illum ederet? Quoties prohibitus gravibus quidem, sed suavibus catenis, atque amore ductus ineffabilium justitiæ pulchritudinum, quarum quædam illecebræ cor ejus tetigerant obiter, dilaniatus fuit crudelibus cordis sui ambiguitatibus, quod sibimetipsi contrarium, bonum, quod vult non operatur, & operatur malum, quod minime vult? Quoties vehementibus gratiæ sollicitationes suas iterantis, prout ejusdem resistentia augebatur, oppugnationibus actus a Deo aliquot adhuc dies, aliquot petiit momenta, ut seipsum a rebus creatis divelleret? Quoties cum jamjam voluptatibus suis vale extremum esset dicturus, blandam audiit fascinantium voluptatum vocem, se retinentium, sibique dicentium; Augustine quomodo sine nobis vivere poteris? Aliquando vero tandem post iterata prælia illud momentum affulsit, quod cœlo, terræque summam attulit lætitiam. *Idem.*

Hoc Domine magnum est tuæ gratiæ prodigium; hoc *Domine opus tuum*. Perturbationes, quæ in mente humana contingunt, naturalem ordinem non excedunt, participes sunt inconstantiæ, atque infirmitatis principii sui, neque parere possunt mutationes has admirabiles, & fere incredibiles, per quas terrenus, & carnalis homo in spiritualem, atque cœlestem prorsus convertitur. Hoc sane nonnisi divinum esse potest principium, quod ex hominibus facit deos; hoc est pretiosum gratiæ fermentum, quod in corruptam humani cordis massam effusum illam momento purificat. *Idem.*

Quinam esse debeat dolor peccatoris vere conversi.

Cor vestrum sine Deo vos a Deo removet; cor vestrum, cum Deo, & per divini Spiritus motum efficere debet, ut ad eum accedatis; cor vestrum flagitiosam in rebus creatis voluptatem invenit; in corde vestro fieri debet vera, & amara contritio, quod Creatorem reliquistis. Quocumque modo peccatoris justificatio fiat, necesse est, ut ille duo sibi objecta proponat; peccata quæ commisit, ut ea detestetur; Deum, quem læsit, ut illum placet, & cum eodem redeat in gratiam. Horum autem

nihil

nihil fieri potest, nisi cor in partem accedat, immo nisi primam, optimamque partem obtineat. Nihil horum fieri potest, nisi peccator Spiritum novum habeat, & novum cor. Spiritum novum, ut cognoscat nihilum creatarum rerum, quas habebat in pretio, & infinitas Creatoris perfectiones, quas contemnebat; cor novum, ut oderit objecta quæ perdite amabat, atque illud ad Deum convertat, quam oderat. Horum nihil fieri potest, nisi misericors Deus renovet Spiritum, & in homine cor mundum creet: ut olim David *Psal.* 50. humiliter precabatur: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Dictionarium morale.*

Sæpe exterior homo se accusat, & homo interior se excusat; homo exterior ait; me pœnitet offendisse Deum; & homo interior inquit; me minime pœnitet. Homo exterior se peccata relicturum promittit, & homo interior illis adhæret; homo exterior horrore perculsus æternorum ignium, quos timet, converti desiderat; & homo interior illectus suavitate voluptatum, quas amat, aut converti non vult, aut frigide vult. Alter quidem nimis infirmus est, ut bonum operetur, alter nimis validus, ut malum sequatur, & in hoc adeo oppositorum studiorum conflictu contingit, quod S. Augustinus ait, dolorem superficialem esse, inutilem, mendacem. Vult, & non vult, quia ex toto corde non vult; præcipitur, non obtemperatur, quia non absolute præcipitur. Intelligitur opus esse, de peccato emergere, ac illud omnino detestari; sed desunt vires, ut veritas perspecta adimpleatur. Natura gratiam, passio jus ipsum vincit; duo loquuntur homines, & non sine quadam contradictionis specie duo corda in uno, eodemque corde geruntur. *Idem sermo primus de Contritione.*

Plerique ob sua peccata non dolent. Multi gemunt, inquit S. Augustinus, & ego gemo, & ideo gemo, quia male gemunt. Multi aliis in occasionibus frigide quieti sunt, & pacati; super eos gemo, & ideo gemo, quod illos in hac fatali ignavia conspicio. Pecuniam amiserunt? gemunt: amiserunt fidem, & gratiam Dei? minime gemunt; Lis aliqua vel incendium rem domesticam perturbavit? gemunt; nihilque intentatum relinquunt, ut jacturam hanc reparent, licet ut plurimum conatus ipsorum in irritum cedant. Peccata voluntarie patrata illos in infelicitatum omnium miserrimam deturbarunt. Si extrinsecus aliquem dolorem ostendunt, hoc satis esse arbitrantur; tristitiam aliquam fronte præseferentes, at non eamdem in cordibus suis imprimentes. *Idem.*

Cum ignis compunctionis animam fovet, ut hæc a Deo excusa sopore suo excitetur, tunc tamquam ingentia scelera respicit ea, quæ sibi levia videbantur errata. Tunc minimos etiam horret defectus: perinde ac nequissimi essent: adeo Deum lædere, eique displicere timet; adeo malum perhorrescit, ut pudore suffundatur eo quod abjectis, terrenisque rebus olim adhæserit, in quibus per summam indignitatem elanguerat. Tales sunt doloris ipsius effectus: effectus adeo admirabiles, ut quo dignior est, quæ a Deo diligatur propter fidelitatem, qua ipsius gratiæ respondet, & metum, ne in ulla, vel minima re, quæ eidem displiceat, eo se indigniorem existimet, non tam, quod est, quam quod ipsa fuit, serio considerans. *Idem.*

Quinam verum peccatorũ dolorem habeat. Quinam verum habet peccatorum dolorem, eorumque veniam recipit? Ille, S. Cyprianus *tract. de peccat.* respondet, qui coram Deo ex toto corde ingemiscit, qui vero dolore tangitur peccatorum suorum, qui pœnitentia ducitur, qui malum deprecatur; qui lethalibus confossus vulneribus suum malum agnoscit; qui peccata sua cum dolore perpendit, qui scelerum suorum intelligens enormitatem de misericordia Dei non desperat; quamvis per temerariam confidentiam nihil præsumat, optime sciens quantum per affectionem Patris indulgens, & misericors est, tantum propter Judicis qualitatem esse terribilem. *Idem.*

Quoties Domine parum abfuit, ne sceleribus meis onustus in Inferi flammas deciderem, nisi Sancta, & gratuita misericordia tua mei fuisset miserta? Cum adsis ubique, manum meam apprehendisti, neque permisisti, ut ruerem in funestissimum duplicis mortis statum, & anima quæ in æternæ prædestinationis tuæ ordine tibi erat accepta, in interitum laberetur. Cor contritum, & humiliatum non despexisti. In quas miserias anima mea redacta erat? Attamen tetigisti vulnera ejus, ut ab eadem cognoscerentur, atque ut rebus omnibus abdicatis ad te per sinceram conversionem rediret. Ita Domine quo major fuit infelicitas mea, eo major fuit misericordia tua iis rationibus utens, per quas meam cognoscerem infelicitatem. Tamen nihilo secius fallaces mundi hujus vanitates, atque voluptates iterum mihi dicunt, parumper adhuc præstolare: minime decet præcipiti fervore ab iis secedere, ad quæ reverti, ubi semel derelicta fuerint, turpe futurum sit. Tanta est, Domine, motuum varietas, quibus agitatur anima mea, ut minori in periculo versetur navis contrariis ventis hæc illac acta. O mirum! beatam vitam amo, & eodem temporis momento, quo illam quæro, eamdem fugio? fallaces vitæ hujus suavitates me fascinant, mecum catenam meam traho, & contemnens, quidquid mihi dici potest ut tuam gravitatem amplectar, obluctor dexteræ, quæ liberare me vult, & de amata eripere servitute! *Idem.* *Sensus S. Augustini post conversioné. Confess. l. 5. c. 9.* *Ibid. c. 7.*

Per peccatum in corde tuo contumeliose creaturam Creatori prætulisti: in conversione cor tibi mutandum est, ut creaturæ præferas Creatorem. O miserum cor! tecum dicere debes, tu omnium malorum meorum origo fuisti; opus est, ut divina favente gratia bonorum omnium origo fias: o cor nequam! sine te quidquid in mente mea circumagitur, quidquid meo ore profertur, quidquid spiritui meo confusius offertur, me corrumpere nequit; verum si per pravam dispositionem tuam consensum præsto iis, quæ mihi essent detestanda, jam reus fio, atque in statu mortis invenior. Oportet igitur, o cor improbum, ut quemadmodum in rebellione mea primum fuisti, primum etiam immoleris in conversione mea. *Idem.*

Cur velit Deus, ut peccata defleamus. Numquid dixeris ideo lætari Deum afflictionibus nostris, nostrisque lacrymis ali? nequaquam, S. Gregorius respondet, sed vult, animarum nostrarum morbos oppositis curari remediis: vult, ut qui ab ipso per voluptatum dulcedinem secesseramus, ad eumdem per lacrymarum amaritudinem revertamur; qui cecideramus per eorum usum quæ nobis erant illicita, resurgamus per voluntariam eorum, quæ licita sunt, privationem; ut qui corda nostra improbæ lætitiæ aperueramus, eadem claudamus salutari tristitia, & qui a superbia lethaliter vulnerati fueramus, per amorem abjectæ, humilisque vitæ tumori huic medeamur. *Idem in Moralibus Considerationibus de Conversione.*

Paucæ sunt conversiones veræ, quia pauci fideles sunt, qui vere vitam suam mutent, qui suos affectus impugnent, qui pravos habitus exuant; pauci, qui secessum ament, qui peccata sua defleant, qui verum compunctionis spiritum habeant, eumque præseferant, eam vitæ rationem instituentes, quæ anteactæ sit prorsus opposita. Alioquin enim quomodo intelligere possunt, cor suum vere mutatum fuisse? E contra vero ignavi tantum atque hypocritæ videntur, qui quin affectibus suis bellum indicant, eum ipsis fœdus percutere student, & dictum aliquot, vel ad summum mensium inducias exposcunt, ut deinde rursus primam cum ipsis consuetudinem ineant: *Commeatum faciunt delinquendi.* Tertul. l. de Pœnit. *Idem.*

Deus nostram capit conversioné. Deus conversionem nostram unice quærit: quidquid in ipso, & extra ipsum est, nos ad illam sollicitat. Cogitationes ejus sunt cogitationes pacis. Ad nos venit, ut tuta, atque salutaria adferat remedia illis, qui contrito sunt corde; ut suavissimam captivis tribuat libertatem, ut salutis annos annun-

annuntiet illis, qui inter misericordiæ suæ brachia confugerint. Ministri illius ministri sunt reconciliationis; in ipsorum ore ponit verba pacis; per illos nos hortatur, ut convertamur, & cum ipso redeamus in gratiam. Verum denique a nobis dolorem poscit scelerum nostrorum, & hoc dolore nobis toto cœlo majorem æternumque dolorem remittit. *Idem*.

Consilium, quod magnus ille vir suscepit agendi pœnitentiam, efficax fuit, atque per illud confundit tot inania desideria ad virtutis adspectum elicita, tot consilia, quæ in irritum abierunt eo, quod morum licentia, ac molle vivendi genus deseri non potuerunt. Videmus justos constanter in justitiæ semita gradientes, & actiones eorum nos alliciunt. Sanctitas enim cum fulgorem emittit, qui serius, ocyus oculos peccatorum perstringit: ita sensim desiderium relinquendi vitii, ejusque in æternum relinquendi concipimus; lata via, per quam tamdiu cucurrimus tædio afficere nos incipit: sed bona hæc desideria tamquam somnia evanescunt; in catenis nostris volvimur, revolvimurque, & illas infringere non conamur, & in eo conversio tota subsistit, quod nosmet convertere, & justorum sequi vestigia cupivimus, quin tamen ea sequeremur. *Ex manuscripto sermone*.

Efficacia desiderii exemplo filii Prodigi.

Prodigus Filius, quem jure proponimus tamquam veræ Conversionis exemplar in sterili speculatione non subsistit. Nullum interfuit intervallum inter consilium initum, atque absolutum: *surgam*, exclamavit, *& ibo ad Patrem meum*. Cum ad ipsum pervenero, quin inutiles emendicem excusationes, ut eumdem flectam ad misericordiam, & ut a capite meo justissimæ indignationis ipsius pondus avertam; coram ipso confitebor peccatum meum, & illud cum dolore confitebor. Affirmabo, me contra Cœlum, & contra ipsum peccasse, & per scelerum meorum indignitatem non mereri, ut Filius suus vocer. Vidisti, Domine, errantem hunc Filium ad te reverti; ipse unus majorem attulit in Cœlo lætitiam Angelis, atque Beatis, quam attulerit justorum nonaginta novem perseverantia. *Idem*.

Fatendum est, magnam esse vim Dæmonis, ejusque nequitiam: ingentes ille victorias retulit, plurimosque de corde humano triumphos reportavit; verumtamen vim, potestatemque suam in eos præsertim exercet, qui ab eodem aufugere conantur. Quemadmodum præcipiebat Pharao, ut Israelitarum filii enecarentur, simul ac in lucem editi fuissent, ita Dæmon insidias struit, crudelitatem suam exercere, & mortem illis inferre studet, qui Dei esse filios incipiunt. Eo in statu imbecilliores sunt, minus hostilibus assueti dolis, & facilius superantur. Sicuti Pharao videns populum Israel ex Ægypto abeuntem suas collegit copias, cumque ad Erythræi maris oras persecutus est, ut ille hinc quidem se validissimo circumventum exercitu, inde vero rubro conclusum mari conspiciens, quo in statu mors evitari nullo pacto posse videbatur, perterritus Moysen jugularet, & ad vincula, servitutemque rediret: ita Dæmon, ubi videt animam aufugientem, illi repræsentat quidquid majorem ciere horrorem valet; potestatem, quæ eamdem perdere valeat, armatam justitiam, altissimam abyssum, ubi ignes æterni succensi sunt, nequissima scelera, quæ ad Dei Tribunal validis accusationibus se delaturum minitatur. Videtur hinc nulla animæ relinqui spes aufugiendi, ac tutius esse ultro ad Dæmonis obedientiam redire, quam indesinenter inutili terrore torqueri. Sed animos non despondit Israel; clamoribus suis Cœlum penetravit, & Deus suam potestatem ostendit. Inimici interierunt in mari, & in ulteriori littore Israel gratiarum actionis canticum cecinit. *Desumptum ex tractatu de conscientia tom. 2. l. 2. c. 1.*

Peccatorum dolor habendus.

Vides tertium pœnitentem, plorantem, suspiria emittentem; illum audis enixius Deum flagitantem: undenam hæ lacrymæ, hæc suspiria, hæ preces, nisi a spiritu Dei illa efformante? Habet in corde sincerum ob læsam Dei majestatem dolorem, vividumque peccati sensum, ac satis aptum ad conscientiam excitandam, & cor immutandum; hoc illud est, quod expectat, quod exigit Deus, ut peccatoris misereatur. Anima igitur primum quidem sentit peccata sua, eorum deformitatem, ac divinæ legi oppositionem cognoscit. Ex cognitione hac horroris sensus exsistit; videtur pœna, quam scelera merentur, timerique incipit: ex hoc sensu conscientiæ tumultus exoritur, propter quem auxilium imploratur. Auxilium non alibi, nisi apud Deum inveniri posse cognoscitur; ad illum procumbitur, criminis ingenua confessio adhibetur, coram illo humiliatur. Hujus humiliationis motus efficit odium peccati, quod ad perfectiorem dolorem disponit, qui verum Dei amorem complectitur. *Idem*.

Cadaveris horror nos percellit, videmus corpus, cui nonnisi horrida insunt lineamenta, pallidum, livens, immobile, insensibile, frigidum, Multo magis horremus, si illud in sepulcro perpendimus, cujus artus defluunt, sanie, taboque conspersum, a vermibus jam derosum. Nemo Ethnicus sibi fingere posset humanam potentiam, quæ illi motum, calorem, vitamque redderet: cadaveris hujus resurrectio Dei opus existimatur. Peccatoris mutationem non miramur adeo: Nihilominus multo magis admirabilis est, & apertius, quam resuscitati immutatio divinitatem ostendit. Mentene assequimur statum animæ, quæ in lethali peccato versabatur? Numquid ulla mors hac horridior fingi potest? Mors spiritualis, ideoque mors æterna, quæ hanc animam imaginem fecerat dæmonis, inferni prædam, spectaculum Dei, ac mortalium oculis abominabile? Quid animæ huic decorem omnem ademerat? Quid omnem illi motum versus finem suum abstulerat? Quid illam in tantam infelicitatem conjecerat, ut nulla hominum, nulla Angelorum vis ei salutem, aut solatium posset adferre? Admiremur, timeamus Deum mortuos resuscitantem; sed admiremur, benedicamus Deo peccatores resuscitanti; *Liber cui titulus, Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale*.

Fallax dolor, & simulata contritio.

Detestaris, inquis, peccatum tuum, illud odisti; saltem ita credis: sed fortasse falleris hoc tibi perhibens testimonium, & commentitia contritio tua coram Deo nihil tale est, quale tibi videtur. Fortasse magis peccati turpitudo, quam ejusdem nequitia; magis calamitas tibi impendens, quam Dei odium, & indignatio te movent: si hoc verum est, dolor, contritio prorsus humana. Fortasse ideo erras, quia pœnitentiæ gratias, quæ sunt in te, cum pœnitentia, quæ non est, & conversionis desideria, quæ tibi inspirat Deus, cum conversione tua, a qua maxime distas, confundis: videlicet te jam mutatum, & conversum putas, cum hoc tantum cupias: hoc si verum est, contritio apparens. At visne de hac incertitudine emergere? Nosse vis quinam sis, quin verbis semper æquivocis, & suspectis immoreris, vide, utrum peccati occasionem reliquetis. *Pater Bourdalove; sermone de Pœnitentia.*

Quænam est sæculi hujus illusio? Quin de Peccatoris conversione judicium feramus ex fructibus pœnitentiæ, quibus illa probatur, qualia sunt, peccati occasionem evitare, bona male parta restituere, illarum scandalum reparare; judicamus ex iis, quæ maxime sunt ambigua, & quæ majorem speciem præseferunt, quam habent soliditatem. Intueri vellent, ut olim, peccatores in cinere, & cilicio humiliatos, jejuniorum austeritate ad maciem confectos. Præclara quidem species; sed species dolosa, si interim, atque ante cætera naturalibus charitatis, & justitiæ officiis satisfacere non conatur. Has disciplinæ regulas quas mitigare temporum decursu e re censuit Ecclesia, adhuc vigere vellent; & ego quoque vellem: sed cum hae essentiali conditione, ut fundamentales, & essentiales leges, a quibus neque Ecclesia, neque Deus ipse dispensarunt, observarentur; ad quas tamen ne animus quidem advertitur; eo quod Pharisaico ducti

spiritu

spiritu in ipso pœnitentiæ cortice hæremus, & ejusdem veros fructus relinquimus. *Idem*.

Lætitia, & solatium peccatoris vere conversi.

Peccator, qui sincere ad Deum cupit reverti, quas sibi consolationes, quæ solatia pollicere potest? simulac dolore afficitur, amotisque effundit lacrymas, unctio secreta ipsum lætitia cumulat: contremiscens, ac plorans prope aras voluptates percipit longe suaviores illis, quas per vivendi licentiam quæsiverat. Cum robore suffusus, sævisque laniatus stimulis coram Crucifixo suo cor contritum effundit, interius percipit gaudium, quod mitigat, & ad cicatricem vocat vulnus animæ suæ illud aperiens, atque exacerbans. Si in pœnitentia adeo solida nanciscitur solatia; quanta demum erit illius consolatio, ubi innocentiæ jacturam reparaverit? Si sese offerens Deo tamquam inimicum, & justitiæ illius severitatem metuentem tranquillæ confidentiæ bonis perfruitur; quænam erit pax animæ suæ, cum accedet ad Deum tamquam amicum, & gratiarum illius suavitate prævenitus? Si tanta miseratione, o Domine, rebellem recipis servum; quanta bonitate recipies obtemperantem filium, & ad officium suum revertentem? *Idem*.

O me beatum si numquam Deum coegissem, ut suam mihi auferret amicitiam! si numquam peccata patrassem, quæ me illius indignationi objecissent! Me mea fidelitas fortitudine, & lætitia adimpleret; summa cum tranquillitate virtutis dulcedine fruerer; nihil mihi esset reliquum, nisi ut cum confidentia semper jucundiore in viam salutis progrederer; innocentiæ meæ tuendæ invigilarem, quin distraherer, & me puderet jacturæ illius, quam passus sum; non teneretur cor meum pœnitentiæ suæ amaritudinem cum voluptate charitatis miscere: Deum meum diligerem, & ab eo petere non deberem, ut oblivisceretur, quod non semper ipsum amaverim. Sed o summam amabilis Dei misericordiam, quem tanta affeci contumelia; ipse peccatum meum mihi in bonum convertit! Fortasse præclarissimis clementiæ ipsius testimoniis minime afficerer, nisi mihi pepercisset ea bonitate, qua omnino eram indignus. Lacrymas effundo, dolore conficior: lacrymæ, dolorque meus eos mihi sensus inspirant, quos jure de charitatis ejusdem excessu concipio. Tetendit ille manum inimico suo; eum recepit, illi blanditus est, eumque beneficiis suis cumulavit. Post tantum perfidiæ scelus aliquidne simile expectare potuissem? Præstolari dignatus est, ut in me reverterer, ad se rediturus. Lapsus mei recordatio meam vigilantiam, meumque in ipsius servitute fervorem ciet, fortasse minus fideliter eidem hærerem, si non me pertermuisset infelicitas mea, quæ ab eodem secessi; horror periculi, e quo tandem evasi, manet mihi alta mente repostus, ut deinceps majori cum attentione ea persequar, quæ mihi ad salutem sunt necessaria. *Liber cui titulus, Remarquez sur divers sujets de Religion, & de morale tom. 3.*

Vera conversionis indicia.

Si verum est me post vitam homine Christiano indigne transactam, certum inisse consilium memet corrigendi, cœlumque lucrandi; incœpi odisse ea, quæ diligebam; quærere, quæ metuebam, diligere quæ perhorrescebam, cupere, quæ contemnebam. Tandem enim si vitam mutavi, si mores, si sensus; ideæ non sunt amplius eædem, affectus alias regulas habent, objecta, quibus distineor, alia sunt ab illis, quibus antea vacabam. Si ad eumdem finem semper contendo, si eosdem motus sentio, si ea facio, quæ facere consuevi, nequicquam meam conscientiam illudo, cum fallax mea conversio fuerit. Idem sum peccator ac olim, nisi fortasse nocentior, eo quod mihimetipsi fucum facio. *Idem*.

Sanctissimam legem tuam Domine perfregi, despexi majestatem tuam, defeci ab auctoritate tua, oblitus sum amoris, omniumque gratiarum tuarum, ut abjectissimam creaturam tibi præferrem. Illatam tibi injuriam quomodonam exprimere potero? Immortales tibi ago gratias ob veniam, quam mihi elargiri dignatus es: reus enim extiti gravissimi sceleris, quod mortalium omnium ingratissimus, atque nequissimus committere possit, Vis, ut lacrymæ meæ coram te me certum faciant, cordis mei vulnus per illas ad cicatricem redactum esse, ac per illas mihi ea omnia restituta fuisse bona, quibus justissime a te fueram exutus! Attamen bonitas tua, o Deus, peccati mei horrorem nequaquam delebit. Infamia mea non opponit quidem amplius ob oculos tuos; sed memoria mea revocat illam ad meos, & numquam illius abjiciet imaginem mihi animo alte inhærentem; atque pœnitentia mea insigne erit testimonium ignominiæ, quæ mihi in omnem adhæsisset æternitatem, nisi tu mei misertus fuisses. *Idem*.

Initium, & progressus conversionis peccatoris.

Primum quidem, Sanctus Prosper ait, peccator incipit de se conqueri, & sui ipsius tædio affici: *Peccator jam sibi displicere incipit*; incipit, inquam, suam miseriam, & corruptionem cognoscere, eaque cognitio ipsi desiderium inspirat inde emergendi; sentit vulnera sua, & curari vellet: *Ut sanetur desiderat*; inde seipsum diligentiori excutit examine, secretiores conscientiæ suæ sinus scrutatur, cor suum attollit ad Deum, & quemadmodum scit illum unum operari posse suam curationem, & conversionem, confugit ad ipsum, ut idem perficiat, quod ipsius misericordia inchoavit. *Pater de la Rue, sermone pro feria sexta post secundam Quadragesimæ Dominicam.*

Statim ac perfecte converti cupimus, volumus, & non volumus, & quod volumus, ignoramus: ne enim vera sæpe nihil minus volumus, quam quod nos velle simulamus. Cum Deo parcius agimus, aliquid semper retinemus eorum, quæ nos eidem daturos spopondimus: illorum, quæ petit ex nobis, ambigimus, veremur, ne nimis eidem tribuamus. Proh Deus! quidnam veremur? veremur, ne nosmet penitus tibi tradamus! non quod persuasum nobis non sit, nobis maximæ utilitatis futurum; sed hoc citra laborem fieri non potest, ac nos pigeret omnia perrupisse vincula, quibus mundo adhæremus, nobisque satis est aliqua confringere. *P. Croiset, in primo tomo Recessus spiritualis.*

Nota, ac effectus perfectæ conversionis.

Conversio, quæ fit per pœnitentiam, novum est vitæ genus, quod peccatorem immutat, quod pœnitenti passiones jucundas efficit, & causa est, ut una Cœli via amabilis, & una æterna felicitas desideriis suis digna videatur. Hic novus est amor, propter quem odimus, quod magis amabamus, & amamus, quod oderamus: hic efficax dolor est, propter quem in corde nostro mortua spes reviviscit, fides extincta rursus accenditur, nova charitas reproducitur, ac pro præterito perennes stimuli, pro futuro tempore recens fervor nobis inspiratur; propter quem pro salute nostra semper contremiscimus, ac timemus, ne satis numquam nobismet consuluerimus, ut peccatum effugeremus. *P. Massilon sermone pro feria 3. Paschatis.*

Non petit a vobis Deus, ut efficiatis, ut iniquitas vestra commissa non fuerit; alioquin id peteret, quod fieri minime posset: vult solum, ut oderitis peccatum vestrum, & hanc vobis methodum offert, ad hoc efficiendum. Revocate præteritas actiones, prævaricationes abominabiles cum omnibus circumstantiis, quæ majori odio dignos vos efficere possunt; horribilem earum imaginem vobismet exhibete, atque mentem scelerum vestrorum ideis refertam habentes, sinite cor vestrum operari: inde enim detestatio peccati maxime digna oboritur. Memini, intra vobismetipsos dicetis, cum me eo usque rapi passus sum, ut Deo meo obedientiam detrectarem. Sensi gratiam, & rationem agentem in me, illi restiti, cumque prævaleret cupiditas, assensum præbui sceleribus, quæ sanguine meo vellem delere. Antehac peccatum nonnisi sub jucunda voluptatis imagine, quæ illud concomitabatur, adspexi: hodie vero illud in seipso conspicio, ejusque turpitudinem, atque deformitatem intueor. Quidnam æquius esse potest, Fideles, quam teneri odiisse, quod fuit causa no-

nostræ infelicitatis, & abominari, quod vere odio dignum est? *Sermo manuscriptus Patris Catrou.*

Peccata flere ad perfectam conversionem non sufficit.

Nihil facilius, quam lacrymis prosequi temporales jacturas, fortunas eversas, lites amissas, & calamitates, quæ nobis acciderunt. Nihil hoc naturalius, nihil hoc vulgatius. Ad hujusmodi jacturas deflendas inexhaustus lacrymarum fons in oculis, suspiriorum acervus in corde nostro invenitur, sed ut ploremus quomodo oportet, & veram pœnitentiam faciamus, nosmetipsos sincere odisse opus est: quod tamen ipsum nondum satis est: hoc enim operis est dimidium; sed in hoc nostrum metipsorum odio amor Dei statuendus est. Satis non est dolere, sese mortificare, flere, atque omnia propria negotia abjicere, ad hæc, omnia referenda sunt ad Deum, nihilque nisi propter ipsum faciendum. Quemadmodum in statu peccati omnia ad nosmetipsos tamquam ad finem, terminumque referebamus; in conversione omnia sunt ad Deum referenda. *Pater de la Rue sermone de S. Maria Magdalena.*

Fideles, qui ad pœnitentiæ gratiam contenditis, vel qui saltem eam desideratis, duo hæc principia rite simul conciliate: odium vestri; & amorem Dei: *Pœnitentiam veram non facit, nisi amor Dei, & odium peccati.* Odium autem sui, & Dei amorem voco, præferre Deum, & rebus omnibus, & sibimetipsi; hoc enim est deserere omnia bona sua, omnes voluptates, & quidquid Dei amorem vel extinguere potest, vel imminuere. *Idem.*

Hodierna die mortales inter cæteros micare student, sibique famam comparare; & quemadmodum non desunt peccatores insignes, ita adsunt quoque insignes pœnitentes, qui conversione sua tantum rumorem efficere cupiunt, quantum suis fecere sceleribus. Verum conversiones hujusmodi inanem tantummodo præseferunt speciem, hominesque fallunt, non placent Deo. De illis loquor, qui propter necessitatem convertuntur cum ætatis suæ decor illos impellit; qui peccatum relinquunt diu postquam a peccato relicti fuerunt, & quibus satis est, si mundo moriantur, corpore jamjam morituro, sed illi semper inhærent animo. De illis loquor, qui ideo peccata relinquunt vel eo, quod eorum jam pertæsum est, vel ex quadam ingenii libidine: de illis loquor, qui ob politicas rationes, atque ob utilitatem suam convertuntur, ut populi plausus aucupentur, & eam sibi captent existimationem, quam virtus impertit; ad Deum euntes, ut facilius ad se homines trahant: de illis conversionibus simulatis loquor, ad quas tamquam ad delicatissimum, tutissimumque prætextum tot mortales confugiunt, qui Deo contra Deum ipsum abutentes sub fictarum quarumdam virtutum integumento vera scelera abscondunt. Id genus homines coram hominibus salvi fiunt, coram Deo reprobantur: infelicissimi, quod inhoc mundo quidem inutilis pœnitentiæ pœnas, in inferno autem eos patiuntur cruciatus, quos ipsorum hypocrisis, & peccata merentur! *Essais de sermons pro feria 6. post primam Quadragesimæ Dominicam.*

Verum est, Domine, me uti ignorasse felicitate mea, qua creatus fui, ut essem tuus; erravi ab ea via, quæ me adpostremum finem meum deducebat, neque volui subsequi vocem Pastoris optimi, a qua vocabat; sed fateor, & fletu prosequor errores meos. Quantumvis infidelis fuerim, hoc tamen satis est, ut sperem futurum, ut tua mecum utaris misericordia. Tu Domine, dilexisti me, cum te minime diligebam, cum etiam nihil relinquebam intentatum, ut te cogerem, ne me diligeres: tu me quæsivisti, tunc etiam cum longe fugiebam a te. Quid ergo? cum modo te amare velim, numquid repellar? Cum te inquiram, numquid fugies a me? Hoc cogitare non possum, o Domine, in Patre, in Salvatore, in Deo, qui adeo bonus, & misericors est: & quandoquidem hactenus tantum patientiæ habuisti, ut ferres errores meos, spero, tantum tibi lenitatis futurum, ut mihi parcas. *P. Croiset in Recessu spirituali tom. 1.*

Contritio, quam potens es, quandoquidem vincis invincibilem; Deo exercituum fulmina aufers, & facis, ut JESUS CHRISTUS in animam descendat? S. Chrysostomus inquit. Contritio perfecta quam potens es! quandoquidem tibi nihil resistit; deles non solum culpam, verum etiam pœnam sceleribus debitam, ita ut si anima supremo hoc dolore percita repente a pœnitentis corpore divelleretur, recta in Cœlum contenderet. Sed me miserum. Quam rara est hæc adeo perfecta contritio! ubinam illam hoc sæculo reperiemus? Deus unus illam cognoscit, & hæc aliquando in quibusdam sanctis adeo vehemens extitit, ut præ dolore ad plures abierint. *Joly in prima propositione de Jubileo.*

Veræ conversionis vis, atque potestas.

Quam maxime interest in eo, quod suscepimus nosmet convertendi, nosque Deo prorsus devovendi consilio, nequaquam nutare, atque tepescere. Maxima animi constantia, & inconcussa firmitate triumphus referendus est de omnibus oppositionibus, atque ignavorum hominum irrisionibus, qui adeo nobili, & Christiano consilio adversantur: hac enim firmitate, atque constantia palam ostendimus quod conversi desideramus. Nihil infrequentius est hoc sincero, veroque desiderio, hac plena, sinceraque nosmet Deo devovendi voluntate. Hoc volumus, & hoc rursus minime volumus. Cor sibimetipsi infidele imponit sibi, & se velle credit, quod minime vult, & si mortalium plerique sinceri essent, ac veram animæ suæ dispositionem intelligerent, eorum quilibet affirmare posset de se, quod Augustinus ante conversionem suam de seipso dicebat. Deum quidem orabam de eo, de quo eumdem exorare nequaquam optabam. Ita voluntas nostra dividitur, atque desideriis prorsus oppositis seipsam oppugnat: hinc quidem sese ad Deum attollit, inde vero in infirmitatem, & prava studia dilabitur, quam Sanctus hic Doctor appellat *voluntatem, parte assurgente, cum alia parte cadente, luctantem*, quod illa facere profecto nequit, nisi valido præsidio suffulta. *P. Champigni, Sermone de spirituali cæcitate.*

Contritio, & dolor ob Deum læsum, in quo propriε peccatoris conversio consistit, debet esse supernaturalis; videlicet actus omnes illum componentes, veramque pœnitentiam efficientes, esse non debent vitium naturæ effectus; sed illos Spiritus Sanctus gratiæ suæ lumine, atque auxilio in nobis excitare debet; cumque illos excitaverit, nobiscum producere. Hoc sacræ Litteræ sæpe nos docent, affirmantes, pœnitentiam esse Dei donum, eamque ab ipso petendam cum Hieremia; *Converte me, Domine, & convertar: postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam.* Converte me, Domine, si vis me converti: quomodo enim pœnitentiam agere potero, antequam tu mihi ejusdem sensus inspires, & gratiæ tuæ subsidia ad eam efficiendam mihi præbeas? Et sane cum hi actus pœnitentiæ sint postrema ad peccatoris justificationem, & gratiam, quæ sanctificans appellatur, dispositio; esse debent ordinis ejusdem, ac gratia ista, quæ omnino supernaturalis est. Si enim naturales essent, peccator posset ex semet, propriisque viribus extremam justificationi suæ dispositionem afferre; ideoque conversio ejusdem absolute ab uno illo penderet, quin sollicite cum humilitate, fletu, lacrymisque a Deo illam teneretur exposcere, tamquam donum Dei, ac divinæ miserationis effectum; quamquam ipse nos sine nobis numquam convertat, absque eo quod gratiæ illius motum sequamur: *P. Gegon libro, cui titulus: Usage de Sacrament de Penitence.*

Veræ conversionis notæ.

Si quæramus ex S. Paulo, quid sentiat de veræ conversionis indiciis; utrum necesse sit, ut peccator per omnimodam extinctionem eorum, quæ Deo possunt displicere, mortuus sit omnibus terrenæ vitæ desideriis: dicet ille: *nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in CHRISTO JESU.* Ad Rom. 8. Opus igitur est, ut veterem hominem omnino exuamus. At opus non est ut

est ut illum omnino exuamus, quin ne ulla quidem reliquia supersit? Ita sane; neque putetis conversionem pati posse vitium aliquod, vel aliquam peccati affectionem: *Deponite, & vos hominem*. Vult quin vel unius ratio habeatur, forti, generosaque costantia hæc omnia vincula abrumpi vult, hanc esse totius in totum aliud mutatio, & nostram conversionem talem esse, ut de pœnitente post ipsius conversionem dici possit, hic antea impurus erat homo, non aliud habebat numen præter ventrem, uti loquitur Apostolus, modo vere omnes sensuum voluptates perhorrescit. *Pater Antonius a Portain libro, qui inscribitur: Les Conduites de la Grace sur la Conversion du Pecheur, Quinta veritate fundamentali.*

Hæc sese convertendi voluntas absoluta esse debet: infirmæ voluntates illæ, quæ *velleitates* vocantur, non sufficiunt; harum infernus refertissimus est, & illæ mœstos, atque calamitosos, non autem pœnitentes possunt efficere. Infirma hæc peccati fastidia, infirma hæc erga bonum studia, nos morari possunt, & fallere, sed nunquam justificare nos possunt. Satis non est dicere: ego vellem; dicendum est: ego volo, & id, quodcumque mihi adversetur, nihilominus faciam. Velleitates sunt conditionales voluntates, quæ nihil producunt, quippe quæ necessariam conditionem excludunt: hoc est, peccatum relinquerem, nisi voluptas mihi esset relinquenda, & alienum bonum restituendum; O insanam voluntatem, quæ contradictionem involvit! Ego vellem: hoc est, Deus afflatibus suis me urget, ut a peccato recedam; & donec eidem obluctor, gratiæ motus pro libertatis meæ motibus, sensus pro consensibus, inefficacia conversionis desideria pro ipsis conversionibus accipio. Ita frequenter alios decipimus, postquam nos ipsos deceperimus. *Pater Nepven tom. 1. Considerationum Christianarum.*

Ex S. Augustini sententia oculi Dei duplex hominum genus pati non possunt: eos, qui plorant, quod plorari non debet, & eos, qui minime plorant, quod amarissimas, diuturnasque lacrymas meretur; qui dolent, atque gemunt propter temporalium bonorum jacturam, & qui nullo dolore afficiuntur, quod bonorum æternorum possessione exciderunt; eos demum, qui solliciti sunt, ac sese torquent, propter ea, quorum jacturam, quidquid conentur, moveantque, reparare non poterunt, & eos qui superficiali dolore contenti per veram, sinceramque pœnitentiam negligunt ea sibi acquirere jura, a quibus infeliciter deciderunt, & quorum possessionem sibi certam facere possent, si ea præstarent, quæ requiruntur ad eorum fruitionem iterum sibi comparandam. *Desumptum ex Dictionario Morali.*

Gemitus, & suspiria peccatis tantummodo delendis impendenda.

Ex Patrum, Theologorumque sententia peccatoris conversio magis est admirabilis, quam universorum Creatio. In primo opere creavit Deus, quod non erat, & nihil ejusdem restitit voluntati; in altero Salvator reparat, quod amissum erat, & omnis improbitas gratiæ resistit: in primo solum Dei verbum invenit obedientiam in nihilo, & in omnibus creaturis, quæ illius paruerunt imperio, ut mundus hic perficeretur; in altero Salvator loquitur, & sæpe non auditur; vox sanguinis sui contemnitur, & homines Domino suo rebelles suas etiam utilitates despiciunt. Ipse nihilominus consilium suum ad perfectionem usque deducit; peccatorem justificat; efficit, ut regnet gratia, ubi peccatum triumphaverat; mortuas resuscitat animas, atque in ipsas introducit gratiam. Quemadmodum olim in primi hominis corpus infudit animam, & Scriptura narrat insufflasse Deum in faciem Adæ, ut eidem vitæ, & gratiæ spiritum inspiraret; similiter cordibus Fidelium spiritum pœnitentiæ, qui quidem mortis suæ fructus est, & vitæ eorum principium, Salvator inspirat. *Ex tractatu de pœnitentia de Bellefons.*

Peccatoris dolor in

Docent Sancti, pœnitentiam ad mortem usque esse producendam; peccatum tantum esse malum; ut credi minime debeat, ipsum expiari posse dolore, qui vitæ diuturnitatem non æquet, & Deum nobis parcentem remittere nobis ejusdem plorandi obligationem. Hinc existit discrimen illud, quod inter Sanctorum, & Peccatorum aliorum pœnitentiam deprehendimus. Quamquam Sancti pro peccatis suis satisfaciant, numquam tamen satisfaciunt dolore suo; lacrymis prosequuntur peccata, oderunt illa, fugiunt, ac semper metuunt: alii vero e contra eorum memoriam statim abjiciunt, quo minus eorum pondus percipiunt, eo facilius de impetrata venia sibi persuadent, & huic opinioni insistentes in fallaci tranquillitate vitam traducunt. *Ex libro, cui titulus les souffrances de JESU CHRIRT.*

vitam omnem durare debent.

Non deest inutilis pœnitentia, quam Patres *Pœnitentiam mentis* appellant, hoc est desiderium, & consilium quoddam pœnitentiam agendi. Nemo adeo impius peccator est, qui perpendens vitæ suæ nequitiam, funestosque effectus scelerum suorum, converti minime cupiat, atque id se facturum proponat: sed illius pœnitentia in mente tantum est, non in corde; se velle credit, quod minime vult, seipsum primum fallit, atque existimat se prorsus esse mutatum. *Joly in Propositionibus suis.*

Quid in nobis conversio vera operetur.

Ut redeamus ad Deum, atque in veritate convertamur, a spiritus mutatione initium sumendum est; *facite vobis spiritum novum*, Opus est, ut peccator ex mundano illuminato cæcus fidelis fiat; hoc est penitus debet exuere fallacem carnis, sanguinisque sapientiam, omnia amoris proprii abjicere præjudicia, neque præbere ulterius aures manibus seductæ, deceptæque rationis prætextibus. Peccatum ipsum nonnisi oculis fidei spectare debet, quæ ejusdem omnem detegit enormitatem, & ostendit injuriam infinitæ illatam majestati, & ob oculos ponit æterna, quæ sibi promeruit, supplicia. *Essais de sermons pro quarta Dominica Adventus.*

Cum lumen divinum paulatim sese in animam insinuet, velum aufertur, & fascinatio dissipatur; detegitque errorem, quo hactenus Deum, creaturam, animamque suam prospexerat. Divina justitia sese terribilem oculis ejus ostendit; terrenarum rerum vanitas, creaturarum brevis duratio stuporem injiciunt; universa mundi facies pro ipso immutatur, omnesque inanes imagines evanescunt: *Præterit figura hujus mundi*. 1. ad Corinth. 7. Seipsum non cognoscit amplius, sibimet monstrum videtur; non intelligit, quomodo esse potuerit id quod fuit; vel quomodo evaserit, id quod est; gratia illum rationi eripit, & fides spiritui. *Ibidem.*

De coactis, simulatisque conversionibus.

Cum de Conversione loquor, procul absint a mente vestra homines illi, qui nonnisi acti necessitate convertuntur, cum ipsos provectior ætas impellit; qui a peccato relicti fuerunt, qui de Deo non cogitant, nisi cum eos mundus cogit, ut ipsum abdicent mundum: procul sint a cogitationibus vestris conversiones illæ, quæ propter secretum aliquod tædium fiunt, quod efficit, ut quidam vitiis fatigati ab illis ad aliquod tempus abstineant, & se putent conversi, Deo tribuentes quædam tædiorum suorum intervalla &c. *Ibidem.*

Infirmitati vestræ memet aptare non abnuo: *Humanum dico propter infirmitatem vestram*, ad Rom. 6. per me vobis liceat frequentibus temperare lacrymis, quibus peccata vestra debetis abluere; at simul dico, illis etiam temperandum esse, quas quotidie leves ab causas effunditis. Quid? ubi rerum hujus mundi jacturam patimini, gemitis; & cum salutis vestræ jacturam facitis, non ploratis? Cor vestrum suspiria suppeditabit, ut amici mortem prosequamini, negabit autem, ut eamdem animæ vestræ mortem defleatis? Nisi peccata vestra defletis, veto, ne pro alia qualibet re ploretis; idque veto, quod hoc vestræ etiam intersit conscientiæ. *Fromentieres.*

Difficultas perfectæ conversionis.

In hac mutatione non deest magna difficultas, & labor. Inde insueti illi motus, affectuum cum ratione certamina, prælia naturæ cum gratia, quando recedere debemus a creaturis, quibus fortiter adhæseramus; quæ quidem prælia belle nobis S. Augustinus describit, ea quippe in corde suo fuerat expertus. Quos tumultus non gignunt violenti conatus illi, qui hominem omnino immutantes Dei Regnum in ejus corde constituunt? *P. Nepveu tom. 3. Considerationum.*

Si serio convertimini, omnia corrupti sæculi dogmata debetis abjicere: ac nullo in pretio mundum, ejusque illecebras habere. Nulla vobis esse debet pro illius pompis ambitio, nullum pro illius vanitatibus desiderium: nulla curiositas, nulla zelotypia, nisi ut illius amorem promereamini, qui unice meretur amari. *Idem.*

Scriptura de homine converso tamquam de nova creatura loquitur: profecto enim admirabilis in regenerato homine renovatio producitur. Hic enim non est amplius ille, qui erat; est homo alius, & nova creatura: omnia in ipso mutantur, nihil vetus in ipo dignoscitur, & quacumque ex parte inspiciatur, nova persona deprehenditur. Alii illi sunt oculi; perspicaces, vividique oculi fidei cœlos ipsos penetrantes, ac cœlestia veritatis lumina, divinumque sanctitatis, & virtutis decorem scrutantes; videntes invisibilia, & tamquam præsentia ea, quæ remota sunt, inspicientes. Alias habet aures: aures attentas, & obedientes, quæ oblectantur Dei verbum audire, & quæ sedulo cœli oracula auscultant, ut illa retineant. Alium habet gustum, quo spiritualium deliciarum saporem percipit: alios habet sensus, aliosque motus ab iis, quibus consueverant. Timor illius est, ne peccet, & lædat Deum; ira, zelus est pro Domini gloria; tristitia, dolor est peccatorum; gaudium, conscientiæ pax; amor, charitas erga Deum, & proximum; odium, horror vitii: spes, bonorum æternorum expectatio; exercitationes, pietatis opera; solatia, Dei laudes; vita, jugis pietatis exercitatio. Diceres naturam illius omnino esse immutatam. *Recens Auctor.*

Vera conversionis difficultas.

Hæ mutationes gratiæ non sunt fructus diei unius. Cum fortis armatus semel cordis possessionem adierit, nonnisi summa expellitur cum difficultate; Domus rupibus insistens primo ventorum flatu, nequaquam evertitur; Dæmon in anima regnans nequaquam cedit ubi primum conatum exeris, ut illum ejicias. Similiter gratia in corde non statim confirmatur: lenti sunt illius progressus, & sensim opus suum ad perfectionem adducit. Affectus nostros impugnare debemus, & cum salutis nostræ inimicis confligere, &c. *Desumptum ex manuscripto sermone.*

Desiderium, quod peccator intra seipsum sentit, sese convertendi, & ad Deum redeundi, numquam inspicione vacare debet, nisi in ipso deprehenderit notas quasdam, quas vitæ Spiritualis magistri solent inquirere. Quamplurimæ enim sunt simplices velleitates, quæ pro veris desideriis capiuntur, quæ tantum abest, quod nos justificent, ut quinimmo nos efficiunt nocentiores. In primis autem oportet, ut hoc desiderium contrito cordi inspiret celeritatem ad conversionem, quam primum aggrediendam: constantiam, ut in consilio inito firmus persistat; fortitudinem, ut quidlibet audeat amissam gratiam recuperaturus. Cum de pœnitentia suscipienda deliberatur, Sanctus quidam Vir ait, nondum conversio facta est; conversio, ut plurimum opus est felicium momentorum, quibus Spiritus Sanctus repente animam illuminat, & vividum in eam telum contorquet, quo confoditur, & vulneratur. Ita est; si serius vel uno momento insignis ille pœnitens fuisset conversus, fictus fuisset obduratissimus peccator. Præter hanc promptitudinem peccator ad pœnitentiam evocatus firmitatem habet inconcussam; oculis suis fletum indicit, quo reliquo dierum suorum spatio transactæ vitæ abluat flagitia; assiduis angitur sollicitudinibus circa præsentem vitæ suæ statum, & pro futuro sibi diligentissime cavet. Hoc denique desiderium non vulgaris fortitudo comitatur, saltem nullus videtur sanctus, cui hæc non adfuerit. Augustinus iniit consilium serviendi Deo suo, eumque diligendi? Illum quocumque pretio quæsivit, nihil ipsi videtur impossibile; timiditas ejus evanuit, immutata in summam intrepiditatem, quam ipsi etiam attulit admirationem. *Ex manuscripto Stephani Chamillard.*

Quoniam nulla est ibi vera conversio, ubi nulla interior mutatio, opus est, ut cor nostrum mutetur. At quinam! modo diligat, quod olim aderat; aderit, quod olim unice diligebat, quærat, quod olim fugiebat, & ardenter ea persequatur, a quibus olim abhorrebat: itaut totum cor nostrum sejunctum, separatum, ac divulsum sit ab iis, quæ ipsum in peccatum rapiebant, ut Deo uni prorsus adhæreat. Peccatoris mutatio esse debet præsertim in corde. Nonne verum est, ut remedium suum obtineat effectum, applicandum esse ibi, unde malum procedit? Nonne hæc una ratio est efficaciter morbum curandi? Hoc sane si desit, nulla salus speranda est. At cor peccatoris totum peccati infectione contabuit: illud unica fuit nequissimorum omnium scelerum origo; omnia flagitia ex corde tamquam ex fonte dimanant, quemadmodum Dei Filius inquit. Cum igitur cor sit fons omnium malorum, opus est, cordi remedium applicari. *Chenart Doctor Sorbonicus in sermonibus suis.*

Cum aliquis vere conversus est, postquam illum tetigit Deus, opus est, ut cum Sancto Paulo dicere possit: *Continuo non acquievi carni & sanguini*, ad Gal. 1. Statim ac me Deus ad se convertit, carnis; sanguinisque desideriis non amplius consensi. Ita peccator dicere debet: olim facilis eram ad iracundiam, cum aliquid fieret, vel diceretur, quod mihi displiceret: promptus eram ad judicium de rebus omnibus ferendum, ad resistendum, & contemnendum; negotiis meis nimia sollicitudine urgebar, ægre ferebam eos, cum quibus mihi res erat, & minima quælibet res me summopere angebat. Verum ex quo me tetigit Deus, non consensi ulterius omnibus iis desideriis, quæ Apostolus carnem appellat, & sanguinem: acquiescere enim juxta S. Pauli locutionem carni, & Sanguini, est moveri adhuc rationibus humanis, atque consanguineorum, & affinium causa operari. Quos vere tetigit Deus, hi non habitum solum, verum cor etiam immutant; non sermones solum, verum etiam sensus, & cogitationes. *Liber cui titulus. Instruct. Chretiennes &c. pro vigesima tertia post Pentecosten Dominica.*

Nemo unus fidelis est, qui ignoret minimum quodvis lethale peccatum æternam mereri damnationem, & quot peccata patrantur, totidem esse mortis æternæ sententias, quas quisque contra seipsum pronunciat. Verum est, pœnitentia, cum ingenua, & sincera est, sententias omnes deleri, & antiquari: verum quemadmodum nemo certo scire potest, utrum odium, & dolor peccatorum suorum, & propositum ulterius non peccandi talia sint, qualia requiruntur; inde sequitur, dubium semper esse de validitate pœnitentiæ, ideoque semper ambigendum, utrum in gratiæ statu simus, vel secus. Quomodo igitur ulla pace frui potest fidelis, cum tot peccata commiserit, & totidem æquissimis sententiis morti fuerit addictus! In hac autem incertitudine quomodo potest non indesinenter metuere, & contremiscere? Nemo scit, utrum amore, an odio sit dignus; quam formidabilia hæc verba sunt, S. Bernardus exclamat! In singula momenta mori possunt, & si peccata mea mihi dimissa non fuerunt, de me actum est in æternum! Verum non deest nobis opportuna consolatio: unicum tantummodo suspirium requiritur, & sincera pœnitentia ex corde, quod vere suorum peccatorum & pudet, & piget profecta ad omnem maculam eluendam. At cum Spiritus compunctionis, atque pœnitentiæ in omnem vitam servatur, difficile est, ut inter tot gemitus, & assidua suspiria, nullum sit, quod Dei ipsius cor flectat, qui sæpe ad primas

mas animæ pœnitentis preces placatur. Ideo peccator de præcedentium confessionum validitate incertus jugiter ad Cœlum suspiria debet emittere, & veniam poscere; hæc enim tutissima via est divinæ misericordiæ flectendæ, ac tandem omnium scelerum suorum veniæ exorandæ. *P. Gegon, libro cui titulus: Usus Sacramenti Pœnitentiæ.*

Hoc in sensu, & hoc spiritu contritionis ob oculos David semper peccatum illius versabatur, ut semper illi adesset causa illius execrandi: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Ut Dei misericordiam imploret, atque suum dolorem testetur, quo ob læsa Domini præcepta torquetur, sua jejunia non profert; non ait se cinerem cum pane, & cum potu lacrymas miscuisse; non memorat cilicia, omnesque austeritates, quibus corpus suum affligebat. Solum ait, iniquitates suas, & peccati sui imaginem sibi ante oculos indesinenter versari, & hanc semper cum horrore prospicere, tamquam gravissimum hostem, a quo nulla sibi quies relinquebatur. Hoc fuit unicum spei ipsius fundamentum. *Idem.*

Peccatoris Dolor in ipsa mortis hora, quod converti neglexerit.

Eo momento, quo animam sumus efflaturi transactæ vitæ flagitia perpendimus, & ob oculos nostros versantur eæ occasiones, in quibus salutem nostram operari potuimus: tot sanctæ inspirationes, tot rationes, quæ urgebant, ut converteremur; facilitas immo, & voluptas, quam in lege adimplenda percipiebamus, tot optima exempla! Atque eodem tempore videmus quomodo omnibus hisce subsidiis abusi sumus, quomodo pertinaciter oblectati sumus contra gratiæ sollicitantis vim; qua insania, quo furore nosmet convertere detrectavimus; atque intelligimus nullum pœnitentiæ tempus superesse, nobisque inter has amaritudines, doloresque esse moriendum? Horrores, quorum fulgor mentis meæ aciem perstrinxit, voluptates, propter quas toties effudi lacrymas, mundana gaudia, quæ mei gemitus, & suspiria toties subsecuta sunt; quoties vos ego damnavi? Cur autem tunc sensus meos secutus non sum? *Pater Croiset tom. 2. Recessus pro unica die singulorum mensium.*

Quo dolore non afficimur propter terreni alicujus boni jacturam? Quot effluxerunt lacrymæ, super mortuum illius filii corpus! Defletur corpus, a quo anima in aliquod tempus secedit; & peccator non plorat animam suam per peccatum a Deo suo recedentem. Lacrymarum torrens effunditur super Cadaver, quod effertur ad tumulum, super amicum ex hac vita abeuntem; ego vero cœlum amitto, & anima mea in periculo versatur in æternum intereundi, neque ingemisco? Ne quidem oportet, non dignas foveri ideas peccati, justitiæ Dei, salutis æternæ, vel æternæ infelicitatis, ut non tangamur adspectu scelerum, quæ altera quidem nos privant, ad alteram vero deducunt. Verum nihilominus est gemitus, & lacrymas non esse huic dolori essentiales, & esse illius æquivoca signa. Cor dolore confici potest, quin ex oculis fluant lacrymæ, pœnitentes non semper gemuere. Ex omnibus Apostolorum conversionibus in ea tantum S. Petri de lacrymis incidit sermo. Fatendum attamen est, aquam, quam sincerus dolor elicit ex oculis nostris cum Salvatoris Sanguine conjunctam mirabilem habere vim ad iram Dei flectendam, ejusque misericordiam obtinendam. *Idem.*

Filii Dei lacrymæ nos a plorando nequaquam dispēsant.

Falluntur, qui putant lacrymas JESU CHRISTI nos dispensare, ne nostras effundamus: hæ quippe maximæ sunt necessitatis, eæ vero præsertim, quas lacrymas cordis S. Augustinus appellat; per illas enim spiritualem nostram conversionem incipimus. Inde Magdalenæ conversio sumpsit exordium; *cæpit rigare pedes ejus*; pro se statim illa præstitit, quod deinde pro Lazaro fratre suo. Ita David quoque scelus suum expiavit noctes, diesque plorans, itaut stratum suum lacrymis maderet: ita S. Petrus etiam suum crimen delevit. Cum scelerum nostrorum veniam petimus, non possumus eorumdem dolore non tangi; non enim semper voces tutissimi, & fidelissimi sunt cordis interpretes: lacrymæ vero minus subdolæ sunt, & magis eloquentes, detegunt enim perniciosiores animæ latebras, & frequentiores ejus affectus: *Lacryma totum prodit affectum. Ex sermonibus, qui sub nominis Patris Bourdalous circumferuntur.*

In hoc proprie pœnitentia consistit, ut vere tibi displiceat, offendisse Deum, & justitiæ ejusdem satisfacere quæras. Parum enim est, suum malum agnoscere; ad hæc requiritur, illius dolore affici; oportet salutarem cordis compunctionem concipere, & illam animæ amaritudinem, quam tristitiam secundum Deum vocat Apostolus; tristitiam illam quæ elicit ex corde suspiria, quæ caput cinere adspergit, quæ faciem pallore induit, quæ efficit, ut pectus tundatur, & cilicio induantur artus: tristitiam, ex qua præteritorum pœnitentia, futurorum metus, & pro præsenti angustiæ procedunt; tristitiam quæ columbæ gemitus parit, & facit, ut pro pane sint lacrymæ, quemadmodum loquitur David. Talis profecto est pœnitentiæ effectus, cum vividi sunt sensus illius, & aculeis suis conscientias angit: non solum cor interius secreta affligit molestia, sed extrinsecus etiam in oris suspiria, & lacrymas oculorum erumpit. Ita Regius Propheta se cubile suum larymis rigasse fatetur: ita peccatrix Evangelica lacrymis Domini pedes rigabat, miscebatque fletus sui aquas pretioso unguento, quo eosdem ungebat. *Idem.*

De virtute lacrymarum pœnitentiæ.

Vide, quam efficax sit harum felicium lacrymarum virtus & quantum a communibus, vulgatisque lacrymis differant. Frustra ploras cum ære alieno obstrictus es, & te urgent creditores tui; non ideo tamen æs alienum dissolvis: frustra ploras, cum te gravis aliquis morbus urget; non ideo per lacrymas tuas convalescis: frustra mortuum ploras, non ideo fletuum copia illum in vita revocas. O admirabilem lacrymarum pœnitentiæ virtutem! ipsæ debita nostra dissolvunt, ipsæ morbos nostros curant, ipsæ de peccati morte resuscitant, & dummodo ex corde ploremus, statim in novam creaturam transformamur, & vitam omnino spiritualem, atque cœlestem ducere incipimus. *Idem.*

Excita in me quæso, Domine, eos salutares tumultus, quibus peccatores sæpe agitantur, eam interiorem confusionem, mortalem tristitiam, ac nostri ipsius fastidium, ita ut quemadmodum olim David, mœstus ingrediar: *tota die contristatus ingrediebar*. Psalm. 37. Numquid cito oblitus fuissem status hujus miserrimi, & rursus in eumdem mortali noxa redire vellem? Hic præcox infernus, & majorem ipsa morte mihi horrorem injiciens. *P. Cheminais in libro cui titulus: Sentimens de Pieté.*

Si perpendere velimus, quo pacto in ordine gratiæ Deus operetur; profecto videbimus, hominis regenerationem, & conversionem peccatoris suum habere principium, progressum, atque consummationem, Non ideo tamen ausim affirmare, justificationem, si pro gratiæ infusione sumatur, nequaquam repente fieri. Theologia enim prorsus oppositum docet. Inde autem mora, tempusque requiritur, quod qui actionis subjectum est, resistit aliqua qualitate contraria principio actionis ejusdem. Liquet autem, Deum, cum sit supremus agens, cui nihil in natura resistere posset, repente suam gratiam in cor peccatoris effundere; non enim aliam ibi dispositionem requirit præter eam, quam ibi ipse statuit, Cum igitur ajo, conversioni peccatoris suum esse principium, progressum, & perfectionem; loquor de dispositionibus illam subsequentibus, quæ secundum communem gratiæ œconomiam successive tantum formantur: excitatio, animadversio, metus, admiratio, & deliberatio illam inchoant; quas sequitur amor, cui confidentia succedit; oratio vero extremam adfert dispositionem, eamque perficit gratia. *Liber cui titulus: Colloquia Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.*

Jure

jam mortua est. Dolemus, cum a pluribus simul inimicis nosmet tueri debemus; creatura quælibet parata est ad vestrum interitum, ut Deum suum ulciscatur. Dolemus ob Patris, Conjugis, Amici jacturam; Deum amittentes Patrem, Sponsum, Amicum amisistis. Dolemus, cum ab inimico pendere debemus; Deus vester est inimicus, & ab illo pendetis. Dolemus cum bona excidimus gratia Domini æque potentis, atque amabilis; nullus Dominus Deo potentia, ac bonitate par est, & ille vos odit. Quidquid affligere potest in peccato vestro invenitur.... Omnes vobis dolores concipiendi sunt; mala omnia ploranda: ac deflenda bonorum omnium jactura, ex quo lethale peccatum patrastis. Plura simul mortalia peccata commisistis; & hæc omnia peccata simul in anima vestra eum dolorem non cient, quem naturale malum, leve, contemptibile, neque consideratione dignum excitaret. O Deum læsum! O irritatam justitiam! quid de tot peccatoribus fiet? *Idem*.

Falsa pœnitentia ab æternis non tuetur suppliciis.

Vis ergo esse ex eorum miserorum numero, de quo Propheta locutus est: *Qui descenderunt ad infernum cum armis suis*? Cum plurimorum scelerum reus sis, dolor, atque propositum tuum sola sunt arma, quæ te a divinæ justitiæ telis tueri possunt. Hæc arma otiari sinis, neque illis uteris nisi ut te ipsum decipias. Simulas illa adhibere, ut te ipsum defendas; sed judicis tui jaculis expositus permanes; dolor, ac propositum tibi fucum faciunt, ac in sceleribus tuis, tibi soporem inducunt. Infernus, pœnitentibus oppletus est, qui æque ac tu simulatam doloris speciem præ se tulerunt. Hæc omnia proposita, quæ ut ita dicam, summis labiis inhærent, non prohibebunt interitum tuum. Ad hoc attende, videbis deesse tibi fidem, ac diligentiam, necnon vigilantiam atque constantiam in illis adimplendis. *Idem Tomo 3. serm. de Pœnitentiæ faciendæ consilio*.

Calamitas nostra audaces nos efficere debet ad reparandas, & Deo illatas injurias, & præteritas animarum nostrarum jacturas. Cum Rex David peccati veniam consecutus est, quo zelo exarsit contra inimicos Dei sui? Quot modis eumdem colere adnisus est? Labores, humiliationes, preces, lacrymæ: ad mortem usque sese dolori tradidit, cui nihil abluendum supererat. Quid præstitit Magdalena, ex quo ipsam pœnituit? Quem Dei amorem, quod sui odium prætulit? Quocumque JESUM CHRISTUM secuta est, ubique ad pedes ejus ploravit: mundum omnem contempsit, ut Domino fidem suam testaretur; illum super Calvarium comitata est; armatis satellitibus corpus illius auferre voluit; sese in horrenti specu conclusit, ut in unum illum omnes suas cogitationes impenderet. S. Augustinus postquam suos accusavit errores, satisne sibi fore duxit, si vitam frugi, & ab omni scelere vacuam traduceret, ut suam servaret integritatem? Calamum arripit dextera, ut Domini sui jura tueatur; cor ipsius amorem sexcentis modis effundit: ægre ardori suo moderatur; idololatria, hæresis, impietas ab illustri hoc Pœnitente aufugere nequeunt, semper ab eo lacessitæ, semper confusæ, semperque victæ. Deo injuriam attulisse, tantam recto cordi affert verecundiam, ut nihil intentatum relinquere velit, & impensissimi amoris sui iterata præbere documenta adnitatur, ut præteritum scelus oblivioni tradatur.... Adeo jucundam, hilaremque infringere consuetudinem; hoc procul dubio, neque hæsitanter faciendum est; at qui illi assuetus fuit, ac mox sese Deo devovere decrevit, quasdam sibi etiam innocuas delitias interdicet, quæ flagitiosi amoris imaginem revocare possent; verecundam præseferet modestiam, eaque bona opera aggredietur, quæ castitati servandæ quam maxime prosunt. Impios in Religionis materia sermones damnare; hic necessarius est honos, quem pietas etiam vulgaris debet veritati; sed qui sancta in jocum traduxit, & Providentiæ, atque Æternitatis mysteria contempsit, cæcam præstabit obedientiam in minimis etiam, quæ ad fidem pertineant, ac se plurimi facere ostendet vulgatissimas etiam Ecclesiæ cæremonias. Aliena restituere bona: hoc tempus non est excogitandarum causarum, quibus acti ad hoc nequaquam nos teneri arbitremur; sed qui injuste aliena retinuit, omnes scriniorum suorum evolvet tabulas, omnesque perleget syngraphas, ut minimam etiam æris alieni suspicionem enucleet. Inimico parcere; quid homine Christiano magis dignum? Sed qui cum scandalo inimicitias aluit, summa cum voluptate videbit, alloquetur, inviset olim inimicum suum; cum eo colloquia amoris, ac reverentiæ plenissima miscebit, ac se beatum putabit, si eidem secretam ferre potuerit opem, quam mortales ignorent, & ipse etiam, cui confertur, minime sciat. Mundi impudicitias relinquere; hoc omnes præstare tenentur, sed qui dilexerit illas, in earum odio, honorem suum, atque felicitatem constituet: Indumentorum modestia, recta morum disciplina, ab iis, qui nimium hilarem vitam ducunt, secessus; humilis, & verecundus incessus, civitati universæ cordis ipsius mutationem ostendent..... Quomodo o Deus! anima, quæ sincere quærere vult quæ tua sunt, poterítne se continere intra cancellos officii illius, quod non potest ulla ratione evitare? Nihilne nimis fieri posset ad gratiam, atque misericordiam tuam promerendum? Equidem obstupesco, quod nostræ pœnitentiæ, nostrique propositi, unquam esse contenti possimus; quod de conscientiæ nostræ statu non jugi sollicitudine angamur; quod diuturnæ servituti assueti putemus adeo facile vincula nostra perfracta fuisse...... Fuimus olim inimici insolentes, & pertinaces; modo vero sumus amici frigidi, & ignavi. *Idem*.

Negligentia, qua conversionis negotium transactum est, ostendit illius falsitatem.

In iis consiliis quæ nobis placent, nescio quamdam oris præ nobis ferimus hilaritatem, quæ nostram excitat industriam, nostramque bonam fidem probat; neque aliud vellem argumentum ad consiliorum vestrorum redarguendam fallaciam, quam hanc in illis explendis incuriam. Videmus Pictorem, cui curæ non est, ut affabre in tabula imagines exprimat, eamdem coloribus coinquinare; Scriptorem, qui rudi, pinguique minerva lucubratur, paginas perdere; artificem operi non satis attentum eidem non posse eam tribuere elegantiam, ac dignitatem, quæ auctoris artem commendant. In id toto pectore minime incumbitis, ut vosmet corrigatis; numquam hoc præstare poteritis, eo magis, quod hoc agentibus nihil incuriosius est aggrediendum. Necessario omne studium, atque opera navanda est, ne iterum in ea decidatis flagitia, propter quæ a Domini gratia excidistis. *Idem*.

Longe plura possent afferre ad eas spectantia causas, quæ in peccatoribus scelerum suorum dolorem possunt excitare, ac in illis pœnitentiæ spiritum fovere; sed satis superque hac de re actum est cum loqueremur de Confessione, ac dolore, qui Sacramenti Pœnitentiæ partem constituit.

SUPPLEMENTUM.

Conversio Peccatoris.

Ut vera fiat pœnitentia, peccati odio habendum est.

PRima peccatoris ad Deum reverti cupientis cura esse debet replere cor suum hoc odio peccati, quod non solum præcipuum illius officium est, verum etiam essentia pœnitentiæ, ad quam referendi sunt conatus omnes, ut veniæ gratiam consequamur. Credimus nos rebus omnibus defunctos fuisse, eum peccata nostra confessi sumus, & impositas nobis satisfactiones absolvimus; cum præsertim ad hæc officia omnia nos agi cognoscimus valida persuasione necessitatis nosmet convertendi. Omnia hæc officia magni momenti sunt, salutaria, & necessaria, nihilominus

inutilia, & fructu vacua, nisi intimo peccati odio, & dolori innitantur. Hoc si desit, confessiones nostræ non aliud sunt quam pœnitentia verbalis, satisfactiones externæ, pœnitentiæ species, externæ satisfactiones, inanis imago pœnitentiæ. Lingua nostra, manus, mens munus suum obierunt; cor vero non item. Peccatores nonnisi per illam sumus. Illud vero peccator non est, quod de nobis quoque dicendum est, quia male amavit. Illud non erit pœnitens, sicuti neque nos, nisi cum bene oderimus, quod mala amavimus. *Pater de la Rue in Adventu suo.*

Falsa pœnitentia Jeroboam. Impius Jeroboam cupiens ad imperii sui commodum avertere subditos suos, ne Jerosolymam proficiscerentur in Templo sacrificia oblaturi, statuerat in Bethel prophanum altare, ubi sacrilega manu Domino thus adolebat. Propheta quidam missus ad illi Schisma, & secessionem, quam inter Israel, & Juda constituebat, exprobrandam, cum sese obtulisset minitaturus illi imminens malum; Princeps ille manum extendit imperaturus, ut Propheta detineretur, eodemque temporis momento nervis omnibus rigentibus sensiet manum suam exarescere, & omni motu carere. Facto perculsus agnovit scelus suum; Cœlestem imploravit Clementiam; intercessorem adhibuit Prophetam eumdem, & curationem impetravit. Ecce igitur illum contritum, & pœnitentem? Haud ita quidem; postquam ingemuit, clamavit, petiit, obtinuitque exoptatam gratiam; *Post hæc verba, non est reversus de via sua pessima*; supplicio liberatus, vitæ rationem non immutavit. Non abrogavit edicta, quibus tollebatur commercium inter Templum, & Sacerdotes Dei. Non jugulavit in corde suo odium, quod adversus Reges Juda conceperat. Non amovit a se consilia politica, ipsi schismata, & secessionem suadentia: *Non est reversus, sed e contrario*. Non solum non incessit semper in eadem via, sed factus fuit magis impius, ac rebellis. Pœnitentia Jeroboam, Pœnitentia momenti unius; Numquid talis & vestra est Fratres? *P. Ruæus in Adventu suo.*

3. Reg. 13. 33.

Numquam abjicienda spes est sese convertendi Deo juvante. Date mihi peccatorum omnium nequissimum, qui omnia patraverit scelera, quæ Cœlorum aditum intercludunt, Modo fidei non abrenuntiet, sit impudicus, adulter, calumniator, omni sese iniquitatum generi abdiderit, ac inter tot, tantaque flagitia ad extremam usque senectutem perseveraverit; teneo nondum actum esse de salute ipsius. Si Deus se cupiditate regi pateretur, jure omnis abjicienda spes esset; placari quippe non posset furor tot sceleribus irritatus; sed quoniam ipse sui semper est compos, cum punit eos, a quibus læditur, ille nonnisi bonitate castigat, & propter amorem, quo nos diligit, numquam abjicere debemus spem nosmet convertendi, iterumque cum illo sarciendi amicitiam. *D. Chrysostomus in Opusculis.*

Difficile est sese in mortis hora convertere. Quænam, bona fide, credendi species est post vitam in jugi inobedientia transactam in manifesto contemptu sacerrimarum Dei voluntatum, adeo palam in Evangelio explicitarum, postquam toto vitæ spatio irreligiosa mundi placita sanctissimis JESU CHRISTI institutis proposita fuere, postquam nihil christiano nomine dignum habitum fuit præter baptismum, & fallacem speciem Religionis; postquam serio, & consulto validissimæ gratiæ, maxime urgentes inspirationes, hortamenta pathetica, exempla ad persuadendum aptissima, omniaque præsentissima conversionis media contempta fuerunt, morbum extremum, quo ratio infirmatur, quo inepti efficimur rebus alicujus momenti vacando, quo cogimur arctissima perstringere vincula quæ inquam veritatis species est tempus esse, statum, mediumque aptum ad reparanda scelera omnia, omnesque nequitias vitæ illius, quæ saltem annorum triginta recessum, & pœnitentiam flagitaret? Nonne hoc est Religioni nostræ injuriam inferre, ipsique JESU CHRISTO illudere, arbitrari, quod tuto peccator in hujusmodi ludicro valeat confidere? Quid? Mundana hæc mulier, adolescens ille æquo liberior, Ecclesiasticus ille mundi negotiis implicitus, regularis ea persona adeo parum regularis, adeo immortificata, adeo parum devota, viam nacti sunt eludendi omnia JESU CHRISTI oracula, leges omnes, consilia, minas? Fingite vobis quodcumque placuerit systema, comminiscimini eam morum disciplinam, quæ vobis arrideat; verum christianæ mortis subeundæ mysterium est, ut Christianum decet, ita vitam transigere. Potest Deus operari miracula: sed lugendus sane est, qui salutem suam in miraculo ponit. Stet ergo, Fideles, licet infinita sit Dei misericordia, conversionem suam in mortem usque differre, temeritatem esse, præsumptionem, insaniam; neque utamur amplius jugibus hisce cunctationibus, quæ nos in manifestum pereundi periculum objiciunt. *P. Croiset, in Asceticis Exercitationibus pro singulis anni diebus.*

Spes in bonitate, & misericordia Dei una est ex præcipuis rationibus conversionis peccatorum. Radius spei per peccatoris errores affulgens, perficit, ut ita dicam, opus conversionis ejus. Delineans in animo illius imaginem bonitatis, quam in patre suo est intuitus, quemadmodum de filio prodigo traditum est, induit sensum confidentiæ, & licet pater suus unus sit, quem læserit, in hoc solo confidit: *Ibo ad Patrem*. Non quærit illa perfugium sibi apud amicos, quos inter commessationes suas, atque impudicitias fortasse comparaverat: falsos amicos, amicos infideles, qui cum ex illius immodicis sumptibus fructum retulissent, omnium primi reditum ejus damnassent. Ita est, *ibo ad Patrem*; novi cor illius; ubi me viderit ad officium redeuntem, statim omnium oblivisceretur. Si in hominibus tantum mihi spes superesset, spem omnem abjicerem; nimis de sua virtute superbi meæ illuderent calamitati; sed in corde Patris mei Cœlestis inveniam fontem bonitatis, quem omnes iniquitates meæ imminuere, & multo minus exhaurire potuerunt. Ille mihi æternos minitatur ignes; sed ille magis timet, ut ipse in illos incidam. Hi sunt veri sensus animæ pœnitentis, & si Prodigi Filii errores sunt vera imago errorum peccatoris; reditus illius, omnesque ejusdem facta sunt vera imago animæ vere pœnitentis. *P. Croiset in Ecclesiasticis exercitationibus. Tomo 2.*

Seria consideratio peccatoris de misero statu suo, efficit, ut tamquam prodigus filius revertatur ad Deum. Salubres animadversiones, quas efficit Peccator in eum statum, ad quem redactus est, Pathetica comparatio status sui procul a Patre, & illius, quo in Patris sui domo fruebatur, efficit ut suam agnoscat insaniam, & errorem. Felix illud momentum, quo peccator luminis supernaturalis ope suos detegit errores, & per otium servitutis suæ indignitatem considerat! quapropter peccator init consilium sese convertendi, & ad Deum redeundi: *Surgam, & ibo ad Patrem*. Actum jam est, nullæ amplius nectuntur moræ, neque in crastinum pœnitentia differtur, Jam discedendum statuit, ut revertatur ad Patrem, & discedit. Reformationis Meditamenta, conversiones in futurum tempus constitutæ: Flores sine fructibus; illicium, quod peccatori soporem immittit, cumque perdit: *Ibo ad Patrem*. Vera contritio semper confidentiam inspirat. Peccator sum, verum est, Domine, sed tu Pater meus es; Plecti mereor, tibique jus est me perdendi; sed num ideo cessas, quominus saluti meæ consulas; oblivisceris potes, quanti tibi sto? Cogita, filium misericordiam tuam deposcentem? & si, tot licet sceleribus te coinquinaverim, non ideo tamen cessas esse Patrem meum; quamvis nequissimus sim, memineris etiam, me tuum esse filium? Postquam Salvator peccatoris imaginem nobis in prodigi Filii persona proposuit, suam proponit in persona Patris filii hujus conversi. *Idem, Tomo 2.*

Exemplum conversionis S. Magdalenæ. Permota misero statu, in quo vivebat, tandem urgentibus gratiæ sollicitationibus victas dat manus,

tus. Non differt illa conversionem suam in crastinum: *ut cognovit*. Eo ipso temporis momento, quo Deus detexit eidem animæ ipsius vulnera, illico init consilium confugiendi ad divinum hunc Medicum. Quot, qui in inferno cremantur, modo Cœlesti beatitudine perfruerentur, nisi eamdem habentes cognitionem per lumen gratiæ, eamdemque inspirationem, & cogitationem sese convertendi non distulissent in diem festum, in tempus aliud, in crastinum conversionem suam. Infelix mora, quot animarum exitium es! Non deerant Magdalenæ rationes propter quas in tempus suam conversionem differret. Erat adhuc in ipso adolescentiæ flore, optima fruebatur valetudine; ætas maturior, minusque ridens videbatur tempus aptius mutationi, quæ non falleret: saltem loci circumstantia non leve impedimentum videbatur. JESUS CHRISTUS exceptus fuerat convivio a Pharisæo quodam, magnus ibi cœtus erat; omnes improbi, immitesque censores, quibus satis, superque illa erat cognita. Si conversio facienda est, cur tanta hac in luce facienda est? Videtur hæc quædam esse reformationis ostentatio. Dilatio non videbatur admodum diuturna, & convivium non satis accommodatum videbatur theatrum, ubi hæc ageretur fabula. Cura propriæ existimationis est habenda. Hujusmodi pompa erat satis publica, & insignis libidinum ejus confessio. Ita loquitur Spiritus Mundi, & carnis; at Dei Spiritus longe aliter: *Ut cognovit*. Statim ac audiit Magdalena, ubi Salvatorem suum poterat invenire, accurrit statim. Aulam convivalem ingreditur, per turbam viam sibi facit, & singultibus, lacrymisque solum loquens ad JESU CHRISTI pedes procidit, eosque suis fletibus rigat. Nil audacius, nil generosius anima vere conversa. Scelus effrons est, vitium quascumque humanas rationes contemnit; sed dicere etiam possumus conversionem veram majorem animi vim inspirare. Hinc feramus judicium de merito, ac sinceritate apparentium harum conversionum, ignavarum, timidarum, quæ semper dimidiatæ sunt, & metuunt etiam, ut habeantur ab hominibus tamquam reditus ad Deum, & mundi abdicatio. *P. Croiset. Ibidem. Tomo tertio.*

Veræ Conversionis exempla. Peccatoris conversio non in eo sita est, ut peccator præterita execretur flagitia, eorumque veniam obtineat; hanc sequi debet vita fervens, pœnitens, & quæ sit aliis exemplo. Quænam morum reformatio excellentior, quæ ferventior devotio, quæ stabilior perseverantia, quæ diutior austeriorque pœnitentia, quis Dei amor perfectior, & generosior? Ullane fuit JESU CHRISTI famula fidelior Magdalena? Ullane fuit occasio testandi Magistro, Dominoque suo suæ charitatis ardorem, quem non illa arripuerit? Si quæ supersunt luxus, & vanitatis ejusdem reliquiæ; has illa palam sacrificat; semperque illud tempus eligit, quo frequentior est cœtus, ut super Salvatoris pedes pretiosa effundat unguenta. *Idem.*

Est tentare Deum in mortis tempus suam differre conversionem. Conversionem suam in mortem differre, ac velle bene mori, postquam male vita traducta fuit; hoc est tentare Deum, & ab eo quærere miraculum; Deus enim hanc veluti communem legem constituit, qualis vita fuit, talem futuram & mortem; & malam mortem effectum esse vitæ malæ; & cum, qui Dei inimicus vixerit, vulgo Dei inimicum moriturum. Lex ista a S. Paulo rogata fuit: *Nolite errare fratres; Deus non irridetur; quæ seminaverit homo, hæc & metet.* Ne inanis vos spes ista decipiat, mortem vita meliorem futuram; hæc enim vita tempus est sationis, & mors tempus messis; Lex autem est, eum, qui quotidie seminat vanitates, & corruptionem, hunc mortis tempore nonnisi maledicta esse collecturum. Attamen quænam est mortalium insania? Vitam in voluptatibus transigunt; avidi sunt honorum, numquam satis uberem divitiarum messem collegerunt; jugiter in mortali peccato vivunt, & nihilominus tanta eorum securitas est, quanta si semper in innocentia vixissent. Quem alium expectare possunt finem, nisi miserrimum; quandoquidem jure præcepit Deus, ut animæ, quæ illius vivens oblita fuisset, ipse etiam in hora mortis illius oblivisceretur. *Pater Antonius a Sancto Martino de Porta, in libro, cui titulus: Les conduites de la Grace.*

Quia tunc habitus mali tantus est, ut locum teneat rationis. Licet peccator in majori morbi sui impetu, immo etiam usque ad mortem rationis usu fruatur; tamen habitus peccati rationis ejusdem locum tenet, & si vult semet convertere ad Deum, statim infelix hic habitus jampridem regnans in anima illius operatur, ac superiorem sibi vindicat locum; prætereaquamquod in magnis quæ repente incidunt malis, non agit amplius ratio, sed habitus in malo contractus qui in ejus locum suffectus est: *In repentinis agimus ex habitu*, Philosophus inquit. Videte animam bonam repente magno aliquo casu perculsam: Primus hujus conatus erit celeriter mentem attollere in Deum, ad gratiam illius implorandam: Impius e contra adversus Sydera, malos syderum influxus, & nescio quod fatum, quod rebus in omnibus dominari arbitratur, exardescet. Ita cum mortis periculum ingruit restitutio bonorum male partorum differtur, de reditu in gratiam cum inimicis ne cogitatur quidem, imo neque animus impelli potest, ut illi æquo animo videantur. Quid in causa est? Diuturnus peccati habitus gratiæ motus exuperans. *Ibidem.*

Nullus est status ubi de salute sit desperandum. Quocumque in statu in hoc mundo esse possimus, semper a Deo jubemur de salute nostra non desperare. Ab illo certe ea facere non jubemur quæ fieri nequeunt; ergo in miserrimo etiam, in quo versamur statu, non desperare. Hoc quidem sine gratia præstare non possumus. Jussio igitur designat oblationem gratiæ ad id explendum, vel saltem ad gratiam hanc impetrandam: *Jubet facere, quæ potes, & petere, quæ non potes.* Sanctus Augustinus ait. Nequis, ait, magnas hasce tentationes superare, quibus tam crebro agitaris; tibi gratia fortiori esset opus: esto: Sed fac semper quod in tua situm est potestate; fuge occasiones: hoc facere potes. Non potes te convertere; eroga eleemosynas, quæ tibi gratiam, per quam converti possis, obtinebunt. Denique sine gratia nequis resistere; hanc pete, & fac, ut petatur ab aliis. *Idem.*

Timor in suavem ducendi vitam prohibere nō debet conversionem nostram. In ea, quam meditor, conversione nihil mihi gravius est tædio, quod mihi erit hauriendum. Quando his responderem, te satis hilariter plurimum temporis spatium transegisse, ac tempus esse illud expiandi in solitudine, in qua tibi considerända proponeres teterrima objecta, inferni cruciatus, eorumque intolerabilem diuturnitatem, numquid justa esset hæc tua querela? Si tædium ubi hauriendum est duntaxat, levissimas pœnas hauries. Cum ea ambitionis machinamenta ibi non cesserunt e sententia; cum voluptuaria illa consilia non fluxerunt ex voto; cum viri principes adversariorum tuorum precibus subscripserunt, & opellæ tuæ obliti sunt, num æquo animo, non ægre, aut gravate temporis adeo male insumpti jacturam perpessus es? Sed quæso: quem in mundo non tædet? Tædet aulicum expectantem Dominum suum, ac multo magis mercedem suam. Tædet vitiligatorem operientem judicem suum & litis suæ finem sollicitantem. Tædet militem vel stipendia, vel commeatum præstolantem. Tædet Magistratum partium jura, quin earumdem affectionibus agatur, audientem; ac tædet viatorem magnos labores, ac pericula obeuntem, antequam ad exoptatum locum perveniat. Hominum plerique invicem tædio afficiuntur. Spectacula cum magnificentia; cætus cum hilaritate, aula cum nitore, Palatia cum luxu non prohibent, quominus tædio capiamur. Quocumque recedis, fers tecum quemdam tristitiæ fontem, qui efficit, ut tu ti-

tu tibi non ferendus videatis. Da te ipsum Deo, æquius te ipsum feres; atque cum Sancto Rege fateberis, qui hoc frequenti experientia didicerat, unam in domo Domini diem majorem afferre tranquillitatem & gaudium, quam annos mille in tabernaculis peccatorum. *Abbas Boileau in delectis sententiis &c.*

Certum non est tempus vobis adfuturum pœnitendi in morte.

Peccator suam conversionem in mortis tempus rejiciens, supponit se tunc uti oportet peccata sua confessurum, & ubi fuerit, uti oportet, confessus, salutem suam in tuto futuram. Hic est triplex funiculus, quo spiritus tenebrarum utitur ad peccatorem in captivitate sua retinendum. Ubi mors imminebit, confitebimini, dicitis. Quis vos hoc spondere potest? Omnia e contra minitantur vobis contrarium; Dominus, qui tamquam fur adveniet, homines qui singulis momentis vitæ vestræ vim possunt inferre; creata anima carentia, a quibus sexcenti inopinati casus metuendi sunt vobis, valetudo vestra sexcentis obnoxia vicibus; quæ repente sensuum, rationisque usum vobis possunt eripere. Similes Amasæ, qui adit Joab, quin videat gladium, quo erat confodiendus, non videtis quot tela manu gerat mors jamjam contorquenda, ut vobis vitam eripiat? *P. Segneri in Meditationibus.*

Conversio nostra non est ita difficilis, ut opinamur.

Ut convertamur, magna quidem exantlanda sunt; sed tantum abest, quod hæc peccatorem a pœnitentia deterrere debeant, ut immo lætandum sit illi ob fructus, quos inde se sperat consecuturum. Non parum stetit Zachæo, male parta restituere, & Magdalenæ suas vanitates expiare; & si hujusmodi conversiones duæ in exemplum essent nostræ conversionis assumendæ, nil redderetur, nisi quod citra scelus retineri non potest; non abrenuntiaretur, nisi id, quod citra damnationem reservari non potest. Verum si hoc fecerimus Sacrificium, quodnam erit meritum nostrum erga Deum? Quæ consolatio in iis etiam, quæ ad Mundum pertinent? Hoc agitur, ut litis hujus finis fiat? Minor erit erogatio pecuniæ, quæ a vobis petitur, quam quæ requiritur in persequenda causa, ex qua prætoris suffragio victi abire potestis, & cujus procuratio multum vobis negotiorum facesset, multoque vos mœrore conficiet. Hoc agitur, ut dimittatur injuria. Majorem invenietis requiem illam jugulando, quam ultionis repetendæ vias inquirendo. Hoc agitur, ut luxui modus statuatur: temporum calamitas hos non patitur sumptus; sed quam majori voluptate fruemini, sæpius, quam consuevistis, de Deo cogitantes? meliora præbentes exempla quam præbuistis? Nonne magis diligemini, mortem meditantes? Nonne tempus est cum hac familiaritatem ineundi, eamque vobis propitiam reddendi? Quæ si vera sunt, conversio viderine debet adeo terribilis, qualem vobismet illam fingitis? *Abbas Boileau in delectis sententiis.*

Nil insanius quam sperare, futurum ut in morte convertamur postquam in vita abusi fuerimus patientia Dei.

Non solum abutitur peccator bonitate Dei, ut perseveret in malo, & semper augeat numerum iniquitatum suarum, verum etiam seipsum fallit, se tandem conversum iri, salutemque suam esse operaturum. Ad gravissima quæque delenda scelera unum, ais, sufficit suspirium, unus sincerus dolor, quod momenti unius opus esse potest; & momentum hoc, sperat, se in morte saltem inventurum. Quæ præsumptio! quæ quonam evadere potest nisi in finalem impœnitentiam! Quod divinæ sinus Misericordiæ mortis tempore pateret illi, qui nonnisi per infirmitatem, fragilitatem, & cupiditatum vim peccasset, non admodum admiraret; quod vero illi pateat, qui ex ipsa Dei misericordia peccandi ansam arripuit; hoc sperare temeritatis est. Quænam insania salutis suæ spem constituere in Pœnitentiæ momento, quod juxta communis Providentiæ rationem concedendum est nemini! Si quis eorum salutem consequitur, qui in Dei misericordia confidunt, ut pœnitentiam suam differant in mortem; hic nonnisi inusitatus esse potest ejusdem misericordiæ conatus; quem operiri nequissimæ præsumptionis est. *P. Segneri in Medit.*

Gratus animus quo peccator testari debet Deo ob gratiam suæ conversionis.

Ut quodam modo respondeamus amori Dei amantissimi, nequaquam satis est, ut hodie ab illius injuriis cessemus; sed nosmet omnino devovere illius servituti debemus. Serviendum nobis est illi in iis, quæ facilia sunt factu, verum etiam in iis, quæ nobis maximum facessunt negotium, & magis sunt ardua. Quis posset in Dei cultu tepescere, si sæpius mente secum volutaret hæc verba: *Servire me fecisti peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis?* (Isai. 43.) Insculpe verba hæc ad pedes crucifixi tui, si necesse est, ut jugiter revocent in mentem tibi memoriam beneficiorum Dei tui, tibique incessanter infidelitatum tuarum exprobrent magnitudinem. *P. Segneri in Medit.*

Quid afferat lætitiæ Deo in conversione peccatoris.

Si Deus tanta se affici lætitia testatur in peccatoris unius conversione, non ideo credendum est ab illo pluris fieri peccatorem conversum, quam nonagintanovem justos non egentes pœnitentia. Gaudium non oritur semper ex amore prælationis; passim oritur ex quibusdam casibus insuetis, qui animum nostrum jucunda singularitate percellunt. Conversio autem peccatoris Deo misericordiarum est unus ex raris illis eventibus, qui placent eidem, & quos præ cæteris concupiscit. Anima JESU CHRISTI Sanguine redempta deerravit, de salute illius actum videbatur; & Salvator videt illam revertentem ad se, cum jamjam erat in æternum peritura. Hæc est lætitiæ ejusdem causa: *Gaudium erit super uno peccatore pœnitentiam agente.* (Luc. 15.) Ecce cur pater familias tanto apparatu recipit juniorem filium, qui ab illo recesserat. *Mortuus erat*, ait ille, *& revixit; perierat, & inventus est.* (Luc. 15.) Hæc agendi ratio, qua Deus peccatorem excipit, nos summa erga ipsum charitate replere deberet; Opus sane est salutem nostram illi cordi esse, quandoquidem tanto illum gaudio afficit nostra conversio. Crederet ne quispiam, Omnipotentem, qui unus sibi sufficit, tanta affici cura ob fatum humilis creaturæ, nisi hoc ille nobis affirmaret: *Dico vobis? Idem.*

Peccator pœnitentiam in mortem rejiciens, fere impœnitens moritur.

Nisi quamprimum agitis pœnitentiam, quam debetis, opus est, vos illam saltem morti proximos agere. Verum cum in peccato consenuetitis, quam graves difficultates vobis erunt superandæ, ut vosmet convertatis ad Deum? Bona male parta restituenda erunt; verum quomodo animum appellere poteritis ad familiam in egestate, vel saltem in decidendi necessitate relinquendam? Inimico parcendum erit, noxio amori vale dicendum; verum quomodo repente ab odio ad amorem, ab amore ad odium gradus faciendus, cum per otium animi cupiditas altius in corde radices egit? In divina Providentia erit confidendum; sed quinam obex huic pœnitentiæ erit abusus divinæ misericordiæ? Itaque quocumque se vertat mortis tempore peccator, qui in peccatis occaluit, nonnisi insuperabiles offendit difficultates. Hæ autem illæ sunt, quas nobis repræsentat Jeremias sub imagine montium caligantium, & quas celeri pœnitentia monet esse prævertendas: *Antequam offendant pedes tui ad montes caliginosos.* Vi opus est, ut ascendere quis possit ad montem; peccator vero, qui habitum contraxit, nonnisi infirmitas est. Montes caligine obducti sunt; quomodonam peccator, cui nihil luminis est, traducet illos, quin in præceps ruat? Denique tenebricosi montes isti periculosis obsidentur hostibus, illic in insidiis peccatorem operientibus, qui loci natura freti omnes suas colligunt vires, & dolos ut illum perdant. Clades mea igitur quodammodo certa est, si ita miser sum, ut pœnitentiam meam in mortis horam velim rejicere. *P. Segneri in suis Medit.*

Illusio peccatoris pœnitentiam in tempus mortis differentium.

Error impii est, pœnitentiam in mortem rejicere: quia nemo est, qui saluti suæ abrenunciet; Peccator sperat se salvum futurum, & vult aliquando ea præstare, quæ ad id sunt necessaria.

Ita est: stat illi conscientiæ suæ consulere, peccata sua confiteri, illorum veniam a Domino deprecari: verum quo tempore hæc sibi facienda proponit? Tempore mortis. Hoc fortasse peccatoris labia non proferunt; sed hoc plane cordis ejusdem affectio significat. Si peccator statis diebus sese offert ad pœnitentiæ Tribunal, heu! quænam confessio! Superficiale criminum suorum examen, ac longe imperfectior sese corrigendi voluntas. Satis voti sui compos est, si sibi dicere queat se Sacramentis fuisse refectum; fortasse etiam aliqua oblectatione perfunditur; anno proximo se melius disponet, sibique tempus sumet, quo rite conscientiæ suæ rimas scrutetur. Sed quod tempus! horam mortis. Ita pro te ipse respondeo cæce mortalis! talis modo est status tuus. Status tristis! Error toto cœlo periculosior. Hunc intellige Christiane, & extrude: *Ne demoreris in errore impiorum*. Tempus mortis numquam erit tempus pœnitentiæ; igitur pœnitentiam age ante mortem: *Ante mortem confitere*. *P. Segneri in Medit.*

Eccli. 17.

Ibidem.

Peccatori in morte sese convertenti plura sustinenda sunt prælia.

Cum peccatore suppono confessionem iniquitatum ejus, morte imminente peractam, & dolorem, quem tunc temporis concipit, ante JESU CHRISTI tribunal admitti; at ideone salus ejus in tuto est? Haud ita sane, tunc enim quot illi cient prælia inferorum potestates? *Spiritus, qui ad vindictam creati sunt....in tempore consummationis effundent virtutem*. Spiritus hi ad ultionem facti novissima mortis hora, omnes exerunt conatus suos, omnes adhibent dolos, ut sibi fugientem prædam iterum capiant. Ægre ferentes sibi elabi Peccatorem, de cujus victoria erant securi, recenti rabie in illum feruntur, nullumque præterire patiuntur reliqui temporis momentum, ut iterum adeant cordis illius possessionem: *Descendit ad vos Diabolus, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet*. Jampridem agnoscunt Dæmones accessus maxime debiles hujus peccatoris: fere numquam irrito eventu tentaverunt illum; quanti laboris esset, illi noxiam oblectationem immittere erga objecta, quæ paulo ante deperibat? Vulnera cordis, quod vix convaluit, satisne clausa sunt, ut adeo validis impressionibus resistant? Sancti etiam, heu, concussi fuerunt, quid de te fieret, qui calamus es fragilis? Ne tibi blandiaris igitur, o Christiane, te morti proximum veram acturum esse pœnitentiam. Error hic nimis charo sane tibi staret pretio. *Idem*.

Eccli. 36.

Apoc. 12.

Ut fit perfecta contritio, nulli affectui parcendum est.

Si vel unum fuerit peccatum, quod ipse detestatus non fueris; hæc exceptio sacrificium tuum efficit non solum inutile, verum etiam abominabile in oculis Dei. Reprobatio Saul, pœna fuit miserationis perperam acceptæ, quoniam pepercit Regi cuidam, quem sibi immolari jusserat Deus: & caussa damnationis plurimorum Fidelium, est ea cura, qua sibi aliquod crimen reservant, cui magis inhærent, & quod sibi sacrificari omnino vult Deus. Non semper propter gravissima, vel plurima peccata damnamur; sed unum satis est, cui nimium adhæremus; quia de illo numquam sincere nos confitemur, vel numquam satis perfecte ab eodem divellimur. Hac in re nulla est bona fides, neque cum Deo, neque cum Confessario tuo, neque cum teipso. Peccatum dissimulatur, vel minuitur, sed malum est, quod si nosmetipsos, & Confessarium, fallimus, Deum numquam fallere possumus. Quæcumque alia huic Sacrificia offeramus, cum pepercerimus huic nobis inhærenti sceleri, huic cordis nostri unico: tantum aberit, quod hæc sacrificia Deum mulceant, illum magis, magisque irritabunt. Illa contemnet, & horrebit. Heu! si quæ ad Deum leniendum instituta sunt, his maxime irritatur; ubi erit spes mea? *P. Nepveu in Christianis Animadversionibus*.

Quam difficilia sint conversionis principia.

Haud ignoro, quanti stet animæ e peccatis resurgere, ac se vere convertere, hanc novi hominis parturitionem maximos afferre dolores voluntati peccatoris: generalem hanc inversionem, quæ sit in anima pœnitente scio plurimam in ea ciere agitationem, ac turbam, ut S. Augustinus testatur; qui hoc palam fuerat expertus: *Fit strepitus, cum impietas convertitur*. Sed mementote, tellurem in Salvatoris resurrectione contremuisse, & secreti hi tumultus, quos animæ infirmæ sustinere non valent, animos addere debent veris pœnitentibus, ac spem in illis ciere, S. Ambrosius ait; quia veræ sunt resurrectionis indicia: *Terræ motus, imperitis metus, fidelibus resurrectio est*. Nostrum est ergo ex pretiosis hisce momentis, a quibus nostra pendet salus; ex hujusmodi agitationibus terroribusque mortalibus, quos in animabus nostris ciet gratia, proficere; & per fidelitatem efficere, ut novus homo cum JESU CHRISTO resurget. Tandem enim secreti hujusmodi tumultus sedantur, bona hæc consilia dissipantur, interiora hæc lumina evanescunt. Fatigatus Deus pulsando ostium cordium nostrorum, ac inveniendo nos sollicitationibus suis surdos, recedit. Sed nos confidimus in aliquot suspiriis, tenerisque sensibus cordis, quos in nobis gratia producit; & parum est, quominus conversionis semina, quæ per nostram gratiæ resistentiam suffocavimus, quo fructibus dignis pœnitentiæ accipiamus. *Abbas du Jarry*.

Quid mereatur suam conversionem procrastinans.

Homo qui in peccati mortalis statu positus conversionem differt, homo est, qui a Deo recedit, & recedere vult. Quid huic expectandum est, nisi ut Deus quoque vicissim ab illo recedat? Homo qui in peccati mortalis statu positus conversionem suam differt, homo est qui magnum habet frigus erga Deum. Quid huic expectandum est, nisi ut Deus gelidum illi se præbeat? Homo, qui in peccati mortalis statu differt sam conversionem, homo est qui Deum in ludibrium sibi vertit; Quid huic expectandum est, nisi quod Deus quoque illum vicissim irrideat, ac perdat? At hujus viæ homo nonne indignum se præbet, qui conversionis suæ gratiam recipiat? Nondum satis dico; aliquid ultra addendum est. Non solum indignus est, qui a Deo hanc gratiam consequatur; sed meretur hanc sibi negari. Non meretur Dei opem, meretur se deseri a Deo; non meretur, Deum ipsi parcere, meretur a Deo male mulctari. *Abbas Boileau in Quadragesima*.

Peccator conversionem differens irridet Deum.

Peccator suam differens conversionem irridet Deum: nonne justum est, Deum quoque vicissim, illud irridere? Fingite vobis subditum Principi dicentem: Nolo mori in rebellione; sine me adhuc biennio, triennio talem esse, qui sum: hoc elapso tempore non feram amplius arma contra te. Nonne præter propter hoc idem est ac dicere: Sine, Domine, ut in præsentiarum te lædam, non multo post ero tuus. Insolens derisio severissimis coercenda pœnis, quæ gravissimam infert adorabilibus Dei perfectionibus contumeliam! Contumeliam justitiæ, ex hoc momento ad illud, quod flagito peccatorum meorum mensura non replebitur. Contumeliam Providentiæ: Domine, sine me facere: da duorum adhuc, vel trium annorum inducias cupiditatibus meis. Contumeliam Sanctitati ejus: Sine, me adhuc esse peccatorem, neque turbes tranquillitatem conscientiæ meæ. Contumeliam misericordiæ: nondum exhausta est pro me; ad illud usque tempus ego securus ero de te, Deus meus, deinceps tu securus eris de me. Tantum abest, quod ego velim comparari his pertinacibus, qui in mortem differunt vitæ suæ mutationem, ego in antecessum sumptus illos reparabo; quibus mihi statura est; & pœnitentia, quam agere constitui; ita erit præclara, ut rationi illius accensere possim voluptates easdem, quas adhuc gustare decrevi. Quamvis vocibus adeo contumeliosis non utaris; hæc præter propter est mens tua, qui per tot annos differs conversionem tuam. Dicamne? Qui sapit de procrastinatione tua non aliud præter hoc feret judicium. Vis usque ad statum tempus talis esse, qualis es; videlicet inimicus

cus Dei, cum statueris esse aliquando ejusdem amicus. Nonne hoc est illudere Deo? Sed vide, ne erres: Deus impune numquam irridetur. *Abbas Boileau in Quadragesima.*

Notæ falsæ conversionis.

Undenam fit, Christiani, quod assertæ conversiones vestræ non aliud sunt, quam vitiorum mutationes? quod gradus fit a voluptate ad ambitionem, ab ambitione ad avaritiam; a tumultu vitæ criminosæ ad inutilis vitæ otiositatem? quod quæritur enitescere in mundo quodam, cujus pietatis species tegit corruptionem, ut olim micare quærebatur inter profanas sæculi societates! quod cum non liceat amplius in se hominum ora, vultusque convertere propter bona quædam, quæ evanuerunt, damnum sarcire studetur per ficti zeli sollicitudinem; & ita numquam acquiritur vera, & solida pietas, quæ in sincera, veraque a mundo secessione consistit. Undenam hoc fit? nisi quod ipsa peccati radix non evellitur; quod inter fictitias hasce mutationes, nunquam cor mutatur; quod semper eodem amore mundi ducimur, & excæcamur. Auferamus ab his cordibus mundi amorem: & in nobis statim illius vestigia evanescent. *Abbas du Jarry.*

Latitudo, & gaudium duæ sunt qualitates cordis vere conversi ad Deū. 3. Reg. 4. Cant. 5.

Sacra Scriptura duas præclaras tribuit qualitates cordi, quod vere ad Deum suum reversum, aliquid conari vult, ut illi placeat: latitudinem videlicet, & gaudium: *Dabit ei latitudinem cordis*; hæc prior est; *In die lætitiæ cordis ejus*, en altera. Se Deo tradere secundum omnem cordis sui latitudinem; non aliud innuere videtur, nisi inevitabilem, & universalem omnibus mandatis illius obedientiam: *Ad omnia mandata tua dirigebar;* (Psalm. 118.) fugam & odium generale vel levissimæ suspicionis, aut speciem cujuscumque peccati. *Omnem viam iniquam odio habui.* (Psalm. 118.) Latitudo hæc, S. Dionysio teste, quædam est sancta charitatis intemperantia, qua anima cum inexplebilibus desideriis omnes sarciendi injurias, quibus ab illa Deus affectus fuit; nihil agere, nihil pati, ut uni illi placeat, decrevit. Non videt ullam humiliationis abyssum sibi satis profundam; nullas videt difficultates suæ pares virtuti, & cupit quibuscumque rationibus fieri potest facere satis Deo huic misericordiarum, quem gravissime lacessivit. *P. Gibieu Oratorii.*

Virtutum omnium cætus necesse est, ut sit perfecta conversio.

Ut perfecta sit conversio, requiritur congeries, & universitas virtutum omnium. Opem ferre debet fides, ut credamus præmia large, effuseque illis promissa, qui omnibus abrenuntiant illecebris carnis, & mundi: Spes, ut confidamus in promissionibus, quas fecit Deus animabus, quæ corde contrito, & humiliato sincere convertuntur ad ipsum: charitas, quæ in æternum alium quemlibet extrudit dolorem ex corde quam Dei, cujus infinita bonitas est, & cui vult illa in nullum reditum per conversionem suam se devovere. Fortitudine quoque necesse est, ut inter frequentia pericula roboremur, & ejiciamus ex cordibus nostris servilem metum, atque pusillanimitatem, quæ ut plurimum piis consiliis nostris obsistit. *Idem.*

Dolor ob læsum Dei numen, & odiū peccatorum multo pollet ingenio ad reparand. injurias divinæ majestati illatas.

Non crederes ex omnibus animi nostri affectionibus eam, quæ cæteris ingenio præstat; esse dolorem. Hoc S. Gregorius Nazianzenus testatur. Licet enim hæc sexcentas tristitiæ nebulas offundat spiritui, quæ illum omnino prosternere videntur, non obest tamen, quominus plura excogitet media, quibus, quo contendit, evadat. Sed multo ingeniosior est, cum duabus aliis affectionibus, amore, & odio perturbatur .... quod liquet in hoc dolore, qui pœnitentiam efficit, & a gratia excitatur. Quot illa sanctas artes non adhibet? Quid non suadet amor ob crimen in Deum patratum perterritus? Quid non audet odium, ut injuriam Deo illatam persequatur? Suppetunt nobis hujus veritatis exempla in David, Magdalena, S. Petro. *Idem.*

Vera contritio non in eo sita est, quod lacrymis quod continuo maneant oculi, sed dolore criminum sucrum cōteratur.

Verum quid vobis esse videtur contritio? Quid? ex oculis lacrymarum oceanum profundere? vestes discindere; sacco indui; pugnis pectus tundere? Nequaquam in hoc vera pœnitentia sita non est. Non eget Deus hac externa specie, nisi quatenus indigitat interiorem animi partem dolore affectam propter scelera, contra Divinam majestatem patrata. Conversio igitur est acer dolor, & vividus cordis sensus ob læsum Deum; non secus ac vera humilitas non est terram deosculari, ac se peccatorum omnium nequissimum appellare. Hæc omnia externa sunt. Deus interiorem exigit partem, cor ipsum; quale est seipsum nihilum agnoscere, se intra mortales omnes existimare, velle humiliari, patienter humiliationes & contemptus omnes sustinere; lætari etiam ob ea, quæ cient ruborem, & confusionem. Hæc omnia interiora sunt; ideoque his Deus oblectatur. *Idem.*

Oratio a peccatore facienda ad obtinendam conversionem.

Domine, non intres in judicium cum servo tuo; neque enim coram te justificabitur quilibet vivens. Heu! Si iniquitates meas observaveris, Domine, quomodonam coram te subsistere potero? JESUS Salvator meus miserere servi tui; Memento Domine, quod in manibus tuis, & in corde tuo insculpsisti me, lege hos caracteres amoris, & salva miserum hunc peccatorem. Pater æterne, respice in faciem Christi tui, & propter dolores illius, fac mecum misericordiam. Heu Domine! quonam mœrore contabesco, eo quod adeo infidelis extiterim tibi. Oh si lacrymis, & cruore meo delere possem peccata, quæ admisi! Salvator amabilis, misericors Pelicane, lava me in Sanguine tuo, purifica impuram hanc creaturam, ac cela omnes maculas animæ meæ. *P. Novet in suis Meditationibus.*

In futuro confidere pro conversione facienda error est errorum omnium maximus.

Error est, & stultitia eorum, qui mundo famulantur, correctionem suam in extremum ætatis exitum differre perinde ac fœdus cum Deo percussissent; & quasi futurum tempus aget esset, cujus dictionem haberent ad ibi ædificandam diutinæ vitæ spem atque certitudinem. Hæc dilatio, & procrastinatio conjicit tandem animam in periculum moriendi in deplorabili statu; ad quod ostendendum suppono bifariam labi aliquem posse in hoc maximum malorum omnium malum, quale est mors in peccato, & finalis impœnitentia. Formalis impœnitentia primum accidit, cum anima eo usque infelix est, ut videns, sibi moriendum esse, ac damnationis sententiam subeundam, hoc minime curat, ut Scriptura loquitur, cum morte, ac Inferno pactum feriat. Deus adorabilis justitiæ suo consilio, obliviscitur illam in morte, quemadmodum infelix hæc anima oblitā fuerat Dei in vita. Secundo oritur ab omissione, quæ fuit voluntaria. Exempli gratia, aliquis gravi affectus morbo peccata sua tenuit confiteri donec convaluerit. Hæc formalis est impœnitentia, quæ novum est scelus, voluntaria pœnitentiæ omissione genitum, quam sibi procurare tenebatur, ac in morbi necessitate se in bonum statum adducere. Impœnitentia materialis est, cum omissio pœnitentiæ fit quin aliquid accedat numero peccatorum, in quibus invenitur peccator; veluti cum æger medicum obtestatur; ne sibi blandiatur, & libere morbi sui statum sibi aperiat, medicus vero interposita jurisjurandi fide, nullum ipsi periculum imminere testatur. Ægrotus nihilominus moritur, & damnatur, non quod confessus non fuerit, sed propter peccata, quibus gravatus erat, & quorum neque confessionem, neque contritionem elicuerat. Formalis impœnitentia, ut plurimum, nonnisi in nequissimis peccatoribus, Atheis, & de salute sua desperantibus accidit. Quod si vestium vitæ genus ab his gravibus sceleribus, & hac abest desperatione, moneo vos tamen, materialem impœnitentiam passim illis accidere qui sub fallaci spe vitæ diutioris negligunt afflatus Dei, & terribiles ultionum ejus effectus contemnunt, *Ex libro, qui inscribitur: Le conduite de la grace, P. Antonii a S. Martino a Porta.*

Posita etiam longioris vitæ certitudine certo hæc pro-

Verum esto, qui conversionem suam in futurum tempus rejiciunt, certissime norint se vita hac plurimos adhuc annos perfruituros, neque conversioni suæ tempus defuturum; nonne justam hinc habent metuen-

deffe nequit, ut quis malus bene moriatur.

metuendi causam, ut hoc ipsum tempus sibi funestum, & calamitosum futurum sit, & causa damnationis æternæ, & ut juxta Scripturarum verba, Deus tempus ipsum in testem adducat adversum illos: *Vocabit adversum me tempus*, & tunc sibi dicat: *Vocabit adversum me tempus* Miser; Deus tantum tibi temporis largitus est, ut converteteris; & quin illud impenderes secundum mentem illius; hoc abusus est. Certus esse potes Deum ostensurum indignationem suam, videns bonitatem suam neglectam a te, tempus pœnitentiæ contemptum, & Sanguinem ejus nihili habitum. Hoc ipsum tempus quod peccatoribus dederat Deus, ut converterentur, illos torquebit; hoc ipsum illos in hora mortis accusabit: *Vocabit adversum me tempus*. Quomodo ergo speranda erit vera conversio eo tempore, quo confirmati ut ita dicam in sceleribus, flagitiisque nostris, nihil de Cœlo toties, tamque graviter læso expectare possumus, nisi funestissimos effectus iræ Dei, & gravissimæ indignationis illius? *Idem*.

Thren. 1.

Peccatum in actione præsenti consideratum minus periculosũ est, quam habitus peccati ipsius.

Nullus peccator est adeo derelictus, propriique boni inimicus, qui huc usque procedat, ut audeat dicere, nolo umquam mutare vitam; hoc enim idem esset, ac si diceret, nolo nec in vita, neque in morte agere pœnitentiam: volo me præcipitem dare in malorum omnium teterrimum, quale est finalis impœnitentia, æternaque indignatio Dei. Talis vir procul dubio mortalium omnium perditissimus haberetur. Attamen ab hujus nequitia non admodum mihi abhorrere videtur ille, qui ait; converti volo, sed alio tempore; quia dicens volo mutare vitam, sed alio tempore, talem in peccato habitum requirit, ut cum sese convertere voluerit, ita in sceleribus suis consepultus futurus sit, ut non liceat ipsi catenas suas frangere, ideoque numquam ei liceat converti. Habitus in malo longe vehementior est, quam eædem actiones peccati. Cum dixeris, & juraveris; numquam convertar: hæc momentanea actio est? cujus te pœnitere potest. Sed per jugem scelerum seriem, numquam intermissam adeo validum in malo habitum, validamque in peccato firmitatem acquires, ut cum deinceps vitam mutare volueris, non tibi sit integrum facere, quod cupies. *Idem*.

In arena ædificare est, confidere in verbo *Peccavi* in exitu vitæ.

Plurimorum insignium peccatorum sermo est, dummodo in mortis articulo vere illud enuntient verbum *Peccavi*, se salutis suæ certos esse. Horum stultorum in hac re cæcitas terribilis est, non enim vident, quod in hoc spem suam collocare, certe est finali impœnitentia interire. Inter ceteras gratias ea, quæ magis gratis conceditur, est hæc gratia finalis, a qua pendet æterna salus; quia illam ex se nullo pacto potest aliquis promereri. Donec optima fruitur valetudine, potest quidem per se cooperari gratiæ, ac ita recentes adipisci gratias, ut a peccato recedat, & sese in bono confirmet; sed peccator morbo oppressus, jampridem lectulo inhærens, sexcentis mundi curis implicitus, tempus proxime futurum horrens: nullum ex sensibus suis liberum habens, quomodonam respondere, potest gratiæ, huic gratiæ, quæ de æternitate illius est disceptatura? Sancti quinquaginta, & sexaginta annos fletus, precesque suas produxerunt, ut gratiam hanc consequerentur, & ubi hinc migrandum illis fuit incerti, utrum voti essent damnandi trepidaverunt; peccator vero veteranus, miser, qui in omni vitiorum genere consenuit, iniquitatum sentina, præsumet, se gratiam hanc impetraturum, postquam toties illam impugnaverit, toties contempserit, toties rejecerit; quasi plurimos annos impenderit, ad eam adipiscendam; quasi prolixa meritorum serie fretus ipsam sibi promittere potuerit; quasi illam ipsi deberet Deus? Errorem hunc tandem abjicite peccatores; mors est vitæ imago; omnes dies vestros in prolixa iniquitatum serie transegistis; in sceleribus vestris moriemini. *Auctor Recens*.

Ad bonam conversionem non solũ nulla amplius peccata committẽda sunt, sed commissa etiam sunt expianda.

Sanctus Gregorius peccatoribus vere, & ex animo converti cupientibus monitum præberi jubet, quod fere numquam illis præbetur, vel cujus praxim illi ut plurimum negligunt; moneri jubet, illos falso sibi persuadere propterea quod peccata sua non multiplicant, se ab aliis expiandis immunes esse. Manus, quæ scribere cesset non ideo delet, quæ scripsit; lingua, quæ infandas evomuit contumelias, tacendo nequaquam satisfecit; & qui ære alieno adstrictus est, nequaquam a conflatis debitis dissolvendis est immunis, hac de causa, quia recentia non conflat. Peccatum labes est, injuria, debitum: cogitate igitur quid vobis faciendum sit, ne a Domino in judicio redarguamini. Numquid oblectatur Deus nos torquens, lacrymisque nostris se ipsum pascens? Haud ita quidem, respondet Sanctus hic Pontifex; sed vult morbos animarum nostrarum per ea, quæ sunt contraria, remedia curari. Vult, quoniam ab illo propter voluptatum dulcedinem recessimus, per lacrymarum nostrarum amaritudinem ad ipsum reverti; quoniam lapsi sumus per usum rerum illarum, quæ nobis interdictæ erant; nos aliquando resurgere per voluntariam earum rerum privationem, quæ nobis permissæ sunt; quoniam oculos impudenti gaudio aperuimus, illos salutari tristitia claudamus; & quoniam superbia nostra nobis lethale intulit vulnus, tumorem humilitate, & abjectæ vitæ amore curemus. *Ex Dictionario morali*.

Gratia sola ex se non peragit omnia in peccatoris conversione.

Angelus non transfert Sanctum Petrum extra carcerem; sed huic præcipit, ut circumdet sibi vestimentum suum, & illum sequatur. Peccator ne speres gratiam in conversione tua omnia peragere; illa quidem se tibi offert, prævenit te, tibi dat motum, & potestatem, ut agas, sed, ut ex hoc statu emergas opus est, ut & ipse cum eadem agas, eique obsequaris. Error in Christiana morum disciplina admodum perniciosus; omne bonum acceptum referre gratiæ, non autem homini etiam, qui gratiæ respondet. Hoc sane est sub humiliandi peccatoris prætexta omnem illi peccati horrorem auferre, & in sceleris excessu ei tranquillitatem conciliare. *Morales Considerationes cum notis in Acta Apostolorum*.

Cur diffidendum sit de pœnitẽtia in morte dilata.

Curnam creditis Patres tantopere de illorum salute dubitare, qui se convertendos esse cogitant, cum erunt morituri? Numquid difficilius Deo est gratia sua tangere Peccatores in extremo mortis articulo, quam alio quovis tempore? an mortis extremum spatium exceptum est in ea promissione, qua Deus hominibus pollicitus est, se cum illis rediturum in gratiam, ubicumque ex corde sese convertissent? Nil horum sane verum est. Deus semper æque potens est, & misericordiæ suæ sinus semper æque conversis peccatoribus patet. Sed credidere Patres hujusmodi conversiones a sinceritate abhorrere, & esse potius effectum status illius, in quo sunt, quam mutationem cordis; eaque ratio est, quod in via communi cor non statim mutat objectum, & finem. *Tractatus de Modis, quibus tentatur Deus*.

Non satis est ore tenus peccata sua confiteri.

Ad optimam confessionem rite peragendam satis ne est seipsum accusare de sceleribus suis pro Tribunali pœnitentiæ, tundere pectus suum; ante actæ vitæ dolorem extrinsecus testari, ac polliceri se in posterum vitæ rationem esse immutaturum? Si hoc verum esset, Saul, qui Samueli fatebatur se peccasse, *Peccavi*, Antiochus, qui præclara fovebat consilia adorandi Deum Israel, iterum ædificandi Templum Jerusalem, immo semet Judæorum numero adscribendi, contriti ex hac vita excessissent. Sed heu, quam æquivoca sunt hæc conversionis argumenta! Si peccator (licet ageret animam) charitatis motu quodam sese convertit, ac tantum elicit amoris actum, qui omnia peccatorum illius vincula abrumpat, ecce in omnem æternitatem beatus est, S. Gregorius inquit; sed ubinam est hic peccator, qui

qui adeo perfectam habeat Charitatem præsertim vero, cum diutius præsumpsit de misericordia Dei, & visitationum ejus tempus contempsit. *Dictionarium Morale. Tom. 1.*

Æternorũ cruciatuũ consideratio efficere debet, ut resipiscamus. Divina justitia adeo diuturna, & crudelia præparat impœnitenti peccatori supplicia, ut fieri quodammodo nequeat, ut anima, quæ nondum abjecit spem conversionis, atque salutis, non perturbetur salutari quodam timore, quo ad officium redire cogitur, sibique dicat, quid feci? Quibus memet periculis objeci? Infernus plenus est reprobis, qui tot non commiserunt peccata, quot ego. Quid ipsi Deo fecerunt? Quid ego illi? Et si ille in me, ut in illos animadvertisset, ubinam essem? *Ex Historicis Sanctorum Elogiis. Tomo primo.*

Cum peccator solit consilium sese convertendi Deum orare debet, ut suam illi voluntatẽ aperiat. Cum quis vere converti vult, petat, oportet a Deo, ut ipsi voluntatem aperiat suam; certumque ineat consilium semet illi devovendi, atque omnia ejusdem mandata exequendi. *Domine quid me vis facere?* Anima numquam reverti potest ad Deum nisi per vias illis oppositas, per quas ab illo recessit. At illa non recessit a Deo nisi faciens voluntatem propriam, eam vero Domini sui contemnens; ergo ad illum nequit reverti, nisi mortificando, impugnando, sacrificando incompositam hanc voluntatem, quæ causa fuit scelerum suorum. Si Divinæ voluntatis cognitione lumina fallacia sunt, in mente nihil est nisi error, cæcitas, & mendacium. Nisi voluntas hæc impleatur, nihil est in corde nisi illusio, hypocrisis, & corruptio. *Ibidem.*

Deus autem misericordia tantopere oblectatur, ut velit, Angelos sibi tantam felicitatem gratulari. Quam igitur utilitatem nancisceris, Domine, in peccatoris conversione, ut tibi tantam pariat lætitiam? Quomodonam adeo jucunda tibi esse potest humilis creaturæ servitus, ut velis Angelos ipsos, Æternique regni tui incolas tibi tantam felicitatem gratulari: *Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Poterat ne Dei Filius peccatori tribuere majora argumenta confidendi in illius misericordia? Quis peccator desperare potest de venia, ubi suorum scelerum enormitatem intuetur, si audet hæc salutis verba proferre ore veritatis ipsius? Ceterum cur alibi dicit Deus per Prophetam suum, quacumque die peccaverit justus, se non recordaturum amplius justitiæ suæ? Hac in re admirari debemus admirabilem Dei erga creaturas suas providentiam, His minitatur, ne cadant; aliis Divinæ suæ misericordiæ spem largitur, ne peccata illos in desperationem dejiciant. Si ergo justi estis, timete Dei iram ne cadatis; sin peccatores, confidite in Deo, ut resurgatis. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus. Tomo 5.*

Æquum est, peccatores, ut dolor vester quodammodo exæquet peccatum vestrum: *Convertimini, sicut in profundum recesseratis.* Peccatum vestrum fuit voluntarium adfectatum, pertinax: Illius committendi occasionem nacti estis, & procurastis; injustum illud negotium, hæc impudicitia fuit tristis fructus industriæ, atque sollicitudinis vestræ. Dolor vester esse debet sincerus, acer, constans: Omnem occupare debet curam vestram, omnem metum, ac desideria: Vestramque efficere debet spem, atque lætitiam. Heu! quousque processistis, cum læsistis Deum? & unde emergendum vobis est, ut ad eum revertamini? Vobis longissima ingredienda via est, ut eum reperiatis. Sed vos vestri misereat, illum etiam miserescet: veniet ad vos. Ipse etiam exoptat beatum illud momentum, quod vos illi restituet: Ulnas jam tendit, ut infirmitati vestræ opem ferat, ut vos amplectatur. *Sermo Patris la Pesse, Tomo 3.*

CORRECTIO FRATERNA,

REPREHENSIO, PUNITIO, Etc.

MONITUM.

PAUCISSIMA invenies argumenta, quæ hoc facilius repleri possint propter rerum ingentem copiam, quæ inveniuntur apud Sanctos Patres, Asceticos, atque cum Veteres, tum Neotericos Concionatores, qui de Correctione fraterna integros edidere sermones. In eo vero tota difficultas sita est, ut ex tanta rerum supellectile, quam tot Auctores suppeditant, prudens electio fiat. Hoc tamen argumentum arctioribus, quam alia plura cancellis continetur, neque multa sunt hoc simpliciora: licet enim in hoc accidere sermo possit de dissimulatione, & alienorum peccatorum tolerantia, quæ Correctioni, & increpationi fraternæ opponuntur; hi defectus adeo naturaliter referuntur ad ea, quæ in earum virtutum laudem dicenda sunt, quibus directe adversantur, ut in concione ab illis separari minime possint, dummodo argumentum hoc funditus sit pertractandum. Tria tantum notanda occurrunt.

Primum, quemadmodum Correctio pro quovis peccatorum genere, & cuivis personarum conditioni fieri potest, concionatori sedulam impendendam esse curam, ne a suo recedat argumento late nimis disserens de peccatorum gravitate, de malis, quæ consequi possent, de defectibus qui sunt corripiendi, atque arrepta occasione inductionis, quæ erit instituenda, propositi sui obliviscatur.

Secundo cavendum etiam diligenter est, ne, quæ consilii in hac materia sunt, cum iis confundantur, quæ sunt præcepti: ideoque memorandæ sunt circumstantiæ, in quibus hæc fieri debeat correctio; & quando, & quomodo, & quibus, & a quibus sit instituenda. Cum enim nullum præceptum adsit, in cujus observantia major requiratur prudentia, ita nullum argumentum est, ubi majori prudentia opus sit, ut statuatur ad quosnam præsertim hæc correctio fraterna pertineat.

Tertio denique cum nequaquam minus rarum, atque difficile sit, æqui, bonique facere correctionem, quam eamdem dato tempore suscipere; opera pretium est in concionibus ad charitatem fraternam spectantibus utrumque miscere; vel nisi placuerit seorsim de utroque habere concionem, semper alterum ita pertractare, ut ad alterum referatur, itaut alterius cognitio sit tamquam gradus ad cognitionem alterius, vel saltem alterutrum ex his argumentis, de quo explicite verba facere non aggredimur, verissimum certissimumque supponere.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Systemata.

I. EGregia concionis partitio, & quæ statim sese offert, hæc sane est, ut ostendas: 1. obligationem correctionis fraternæ faciendæ: cujus naturæ sit præceptum, quo hoc agere jubemur, & cuinam rationi innitatur. 2. Ad quos hoc officium, & hæc obligatio pertineat. 3. Ratio hoc munere fungendi, quæ tres esse possunt concionis partes.

Pars prima: Quale sit hoc præceptum. Licet scire sufficiat, præceptum hoc esse divinum explicite, & in lege veteri, & in lege nova irrogatum; haud abs re est nihilominus rem altius repetere, atque docere, præceptum hoc esse de jure naturæ innixum: 1. amori, quo Deum prosequi debemus, & zelo, quem pro ipsius gloria testari debemus: quibus enim in occasionibus hunc præ nobis ferre melius possumus, quam prohibendo, ne ipse lædatur, & ne ignominia afficiatur? Terræ hujus Principes ministros suos habent, qui eorum jura tuentur, & injurias, atque contumelias eisdem illatas, prosequuntur: nonne igitur æquum est, ut Universorum Dominus servos habeat, qui suum erga eumdem amorem testentur, suumque probent zelum corripientes palam, & corrigentes eos a quibus divinas leges violari conspexerint? Itaque hoc ille, & omnibus hominibus generatim, & singulis particulariter præcepit. 2. Præceptum hoc innixum est charitati proximi, in quo & continetur, ejusdem partem constituens: *Mandavit ille unicuique de proximo suo*. Eccli. 17. Hæc autem charitas erga proximum utilius exerceri non potest, quam prohibendo, ne ille in interitum ruat, eumque a peccatis revocando, quæ fortasse essent causa damnationis ejusdem. Itaque quomodo contra charitatem peccaret, qui proximum in præceps lapsum non erueret; vel qui non prohiberet, ne laberetur, eumdem de periculo certiorem minime faciens: contra idem præceptum delinqueret, qui non vetaret, ipsum in flagitiis suis permanere, vel non præberet opem, ut ex infelici eo statu emergeret in quo versatur, & in quem fortasse lapsus est eo, quod minime admonitus fuit. 3. Hoc denique præceptum innititur curæ, quæ singulis esse debet de bono Reipublicæ: si enim nemo corriperet, vel corrigeret peccatores, qui officiorum suorum obliviscuntur, peccatum quamprimum fieret scandalum, & lues, quæ generatim sese ubique effunderet; ideoque Judices, & Magistratus instituti sunt, ut tantum malum averteretur. Verum quia hoc minime sufficeret; hinc est, quod cum vitium in privatas personas, & cum minori rumore obrepit; si nostræ accidat cognitioni, quilibet pro mensura illius, quam obtinet, existimationis: a Deo constitutus est ut si opus sit, fratrem corripiat, & generatim ut mali progressus, atque effectus, quod fieri poterit, citra temeritatem, atque indecentiam prohibeat.

Pars altera: quinam hoc præcepto obligentur: 1. Extra omnem dubitationis aleam positum est ad id eos præsertim teneri, qui alienis moribus debent invigilare: Magistratus erga sibi subditos Cives; Pastores in grege suo; Parentes cum filiis, & familia sua; Dominos cum servis, & generatim quicumque super alios aliquam obtinent auctoritatem, quod unus quodammodo inhæret eorum caracteri, & dignitati, quam occupant; reddituri enim sunt Deo rationem de illorum interitu, quos Deus peculiariter ipsorum curæ commisit. 2. At credis fortasse ad hos tantum hoc præceptum referri, neque putas hoc officium ad quemlibet singillatim spectare, cujuscumque status, & conditionis ille sit, ac te, quem ab hoc onere legitime solutum censes, ad illud fortasse magis, quam alios plures teneri. Profecto Magistratus quatenus hac auctoritate insigniti non omnia peccatorum genera punire possunt, eorumque officium nequaquam extenditur ad peculiares occasiones omnes, ubi læditur Deus. Pastores non semper vident, vel norunt flagitia eorum omnium, a quibus suus grex componitur, neque tenentur curiosius inquirere quidquid in singulis domibus peragatur: Concionatores nequeunt vitia usque ad individuum perstringere, & exprobrare: immo ministerio suo essent indigni, si nominatim personas indigitarent. Cujus igitur erit redarguere vitium illius, qui propter justitiæ metum nondum tenetur fugam arripere; illius, cui tu unus fortasse loqui audes; vitium, quod clanculum sese producit, & cujus tu unus fortasse testis es? Quis denique tenetur corrigere secundum occasiones, quas cuique tempus, & locus aperiunt? Ego sane affirmo, vestrum singulos teneri pro peccatis, quæ ob oculos vestros patrari videtis: & hoc explicite docet Salvator in Evangelio eo in casu, qui vulgo accidere solet; ubi quamquam videamur causa nostra ducti corripere velle; nihilominus proximi salus multo magis, quam nostra voluntas requiritur: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum*: Matth. 18. ubi institui potest inductio aliarum occasionum, in quibus præceptum hoc obligat.

Pars tertia: quo modo servandum est. Quemadmodum imprudenter fieret, si indiscriminatim quodlibet personarum genus corrigeretur, ita nosse oportet modum, qui servandus est, tempora, quæ sunt aptiora, occasiones, in quibus utilius est abstinere, ne dum malo medicinam afferre studemus, illud augeamus: vel in quibus melius est inutilis reprehensionis onerosam curam abjicere. Nemo satis cognoscere potest, qua prudentia opus sit in negotio adeo tenero, & delicato: habenda enim diligenter est ratio ætatis, dignitatis, ingenii, præsentis dispositionis cum eorum, qui corripiunt, tum eorum, qui sunt corripiendi; ideo Concionator hæc fusius persequi debebit, brevibusque ostendere exemplis, quomodo instituenda correctio sit: 1. cum inferioribus: 2. cum paribus: 3. cum Superioribus, atque orationis finem imponere magnum illud bonum amplificans, quod ex Correctione hac existere potest.

Hoc ipsum argumentum aliter etiam proponi potest. 1. Fraterna Correctio de præcepto est, & præceptum istud obligat; hoc certissimum est: neque dubitandum. 2. A quibus præceptum hoc sit observandum: hac in re aliquæ occurrere difficultates possunt, quæ sunt elucidandæ. 3. quando, quibus in occasionibus, & quo ordine præceptum hoc sit observandum, ubi diligens explicatio requiritur.

Post explicatam obligationem, qua præceptum hoc adimplere tenemur pro Concionis argumento desumere possumus. 1. Magnitudinem, & qualitatem peccati, quod committitur, ubi deficimus: 2. defectus evitandos, ut rite hoc munere perfungamur, & ne correctionem hanc, ut crebro usuvenit, vel nocuam, vel inutilem efficiamus. Peccatum igitur, quod committimus non corrigentes: peccatum quod corrigentes etiam committimus. II.

Pars prior. Cum non corripimus fratrem iis in occasionibus, in quibus hoc præstare tenemur: 1. rei efficimur eorumdem scelerum, quæ committuntur ab eo, quem minime increpamus: hoc enim efficit, ut ille in vitiis, flagitiisque suis perseveret: 2. gravius etiam, quam ille fortasse peccare possumus, quia hinc illius sceleri cooperamur: inde vero majori cum cognitione, ac minori præventione, quam passio producit, evadimus causa interitus, & damnationis ejusdem. Ideo minitatur Deus futurum, ut rationem de nobis exposcat: *De manu viri, & fratris ejus requiram animam hominis*. Gen. 9. *Et sanguinem ejus de manu tua requiram*. Ezech. 33. 9. Probamus etiam hac

hac conniventia scelus ab aliis suspectum, & causa sumus, ut funesta imitatione illud ipsi quoque committant.

Pars altera. Quemadmodum sæpe contra charitatem peccamus minime corripientes, sæpe etiam corripientes, & contra prudentiam, & contra charitatem peccamus. Hi igitur defectus vitandi sunt; 1. ne importune correctio fiat, cum aliquis ira succensus est, vel passionis vi raptus facit; tunc enim quodcumque dixeris oleum addet camino, eumque magis irritabit. 2. Ne hoc nimis aspere, sed leniter fiat, ut docet Apostolus; quippe ira, & asperitas nostra fratrem exasperabit: & qui antea uno tantum laboraba: malo huic alterius quoque accessio fiat, 3. Ne palam exprobremus, quod clam actum est.

III. Ea omnia quæ ad hanc materiam pertinent una tantum Concione complecti possumus, ita propositionem partientes, quomodo correctio facienda est; & quomodo recipienda,

Punctum primum. Prudenter correctio instituenda est habita ratione qualitatis eorum, qui corripiuntur, sceleris, quod improbatur, circumstantiarum, in quibus corripiendum est: namque pro earum varietate aliter est corripiendum.

Punctum alterum: recipienda est: 1. cum humilitate, nosmet peccatores confitendo, quin per superbiam factum excusare velimus: 2. cum actione gatiarum tamquam beneficium, quoniam re ipsa satis magnum est; & hac ratione nequaquam pravam nobis adesse voluntatem ostendimus: 3. cum desiderio proficiendi, & nosmet corrigendi; quod ipsum adhibendum est, quandoquidem correctio nobis fert opem, atque rei hujus necessitatem ostendit.

IV. Tria sunt hominum genera, qui sibi corripiendum esse minime ducunt, quamquam correctionis præceptum excipiat neminem. 1. Quidam corripere non audent, quia metuunt redargutiones suas contemptum iri, vel timent sibi odium conflare, & excidere ab eorum gratia qui sunt corripiendi. 2. Alii nesciunt, quomodo corripiendum sit, & qua via insistere debeant. 3. Alii denique non corripiunt; quia non æqui, bonique factæ fuerunt aliis temporibus correptiones suæ, & quod nullum percipere potuerunt fructum ex redargutionibus suis.

Primorum timor in primo puncto confundendus est,

Secundis, immo tertiis etiam ostendendum est, illos non satis novisse quo pacto corrigere deberent pro varietate personarum, correctione indigentium: quod erit punctum alterum,

Denique ad prætextum omnem tertiis etiam auferendum, & si opus sit, ad illos magis excitandos, metumque illis auferendum, eorum causa agenda est apud nocentes, eisque ostendendum magnum illud bonum, quod sapiens correctio ipsis afferre potest, quo seipsos privant cum illam rejiciunt; & generatim explicandus erit modus, quo correptio recipi, nec non afferendæ rationes, propter quas æqui, bonique consuli debeat. Et hoc erit punctum tertium.

V. Fraterna correctio christiana, & sancta est, cum oritur ex charitatis principio: itaque hoc unum corripientibus ob oculos versari debet, non autem desiderium satisfaciendi affectui suo. Nihil aggrediendum, nihil faciendum præ dolore, invidia, simultate, vel propter cupiditatem ostendendæ auctoritatis, sed fratris salus unice inquirenda est. *Lucratus eris fratrem tuum*. Educendus est de errore, in quo versatur, meliora illi desideria immittenda, procurandus felix in Dei gratiam reditus, eaque pax, & lætitia, qua in hac etiam vita nos afficit virtus.

Secundo salutaris est, & efficax, ubi illam dirigit prudentia; hoc est, cum tempus commodum præstolamur, eamque opportune suscipimus, non sine ea lenitate, quæ hac in re præsertim requiritur.

Tertio maxime est meritoria, cum Dei gloriam, tanquam finem, nobismetipsis proponimus. Peccatis enim frænum injicimus, irreverentiam, & impietatem deterremus, nomen Domini sanctificamus, & ut ab aliis sanctificentur, magis magisque conamur; liberali huic Regi gaudium afferimus, cum atria sua per nos cultoribus ridet repleta: præsertim vero illud explemus desiderium quod homo Deus in toto vitæ suæ mortalis cursu potissimum testatus est &c.

Prudentia omnino necessaria est, ut fraterna correctio cum fructu percipiatur. VI.

1. Necessaria est ut bonum a malo, verum a falso secernatur: uti etiam intelligatur, quæ tacenda, dicendave sint, quæ corripienda, vel dissimulanda.

2. Necessaria est, ut nosmetipsos diligenti excutiamus examine, & videamus, utrum iisdem defectibus simus obnoxii, quos in aliis reprehendimus, vel alteri cuipiam, propter quod jure nobis reddi queat; *Medice cura teipsum*.

3. Necessaria est, ut tempus capiatur, & afferantur temperamenta, quæ correctionis amaritudinem valeant lenire. *Desumptum ex Dictionario morali*.

Pauci correctionem hanc efficiunt, licet hoc præceptum generatim ad omnes, & singulos pateat; ex paucis vero illam exercentibus longe pauciores sunt, quibus cum fructu hoc accidat, VII.

1. Qui illam negligis, corripe fratrem tuum, ubi illum a virtutis via deerrantem conspexeris. Hoc urgens est charitatis officium.

2. Qui illam perperam facis, disce, quid requiratur, ut cum fructu fieri possit, & quid præcavendum, ut votis damneris. In prima igitur parte erit obligatio hoc munere perfungendi; in altera rationes, quibus eodem debeamus perfungi. *Ibidem*.

Quomodo correctiones sint recipiendæ. Duæ propositiones concionis hujus partitionem constituunt. VIII.

1. Periculum, cui nosmet objicimus, & malum, quod nobismet conflamus salutaria contemnentes monita, vel contra corripientes nosmet irritando.

2. Quænam mentis, & cordis dispositio quæratur, ut ex correctionibus fructum feramus. *Ibidem*.

Ut Correctio sit utilis, fieri debet: 1. cum auctoritate, alioquin æqui, bonique non fiet, & ex corripiente queretur, quo titulo hoc sibi vindicet jus; vel quomodo hanc sibi potestatem, vel audaciam arroget? Hæc autem auctoritas vel ab ortu proficiscitur uti in nobilibus viris, vel a munere, ut in Judicibus, & Magistratibus, vel ab amicitia, ut in amicis. IX.

2. Cum prudentia; alioquin inutilis erit, quia non instituta, uti opus erat.

3. Cum integerrima charitate, ita ut omnia ad Dei gloriam referantur. *Ibidem*.

Quod tamen hic dicitur de auctoritate, in apertiori correptione intelligendum est: Etenim in ea, quæ cautius instituitur, reverentia, quam præ nobismet ferimus, vel solus etiam zelus, quibusdam in occasionibus justificare potest eam licentiam, quam nobismet vindicamus,

Zelus, quo ad corrigendum, vel ad corripiendum proximum fecimus, tres habere debet qualitates. X.

1. Bono exemplo confirmari debet; alioquin vobis conflat contemptum, & irrisionem eorum, quos corripere volumus.

2. Debet esse *secundum scientiam*, videlicet prudens, atque discretum: alioquin animos potius exasperabit,

3. Constans esse debet, & firmus, ubi hoc requiratur.

Fratrem tenemur corripere, & ad id nos cogit, XI.
1. Præceptum, quod irrogavit Deus;
2. Honor Dei, qui hoc deposcit;
3. Salus proximi, quæ vobis credita est.

Frater tuus, ubi deliquerit corrigendus est, XII.
1. Hoc, amor, quo Deum prosequi debes, exposcit; punctum primum,

2. Amor,

2. Amor, quo proximum tuum complecti debes, ad id te sollicitat; punctum alienum.

3. Moderare correctionem hanc, eamque aggredere iis omnibus in circumstantiis, quas illa requirit. *P. Bourdalove in Sermonibus, qui sub ejus nomine circumferuntur.*

XIII. Opus est, ut fraterna correctio instituatur juxta exemplar illius, qua nos corrigit Deus.

1. Deus nos cum summa tranquillitate castigat: *cum tranquillitate judicas*; hoc igitur nobis sine affectuum emotione ulla præstandum est.

2. Hoc facit cum reverentia; *Cum magna reverentia disponis nos*. Reverentia autem metus est amore mixtus: curemus fratres nostros admonere, atque ita nostram illis ostendamus charitatem; vereamur, ne eo oris habitu, vocisque tono, vel ita importune hoc faciamus, ut iisdem displicere possimus. Hæc amoris, motusque immixtio erga eos, qui nostri similes sunt, nobis multo melius convenit, quam Deo erga creaturas.

3. Cum in speciem durius nos redarguere tenetur, tunc etiam semper bonitatem, & misericordiam præfefert: *Das locum in peccatis, pœnitentiæ ..... ut cum de nobis judicatur, speremus misericordiam tuam*. Hoc nostrum exemplar est, imitemur illud. *Ibidem*.

XIV. In hoc quamdam Apostolatus speciem exercemus.

1. Ab ipso Deo missionem recepimus: *Si peccaverit in te frater tuus: vade, & corripe eum.*

2. Hoc munere perfungi possumus: *Si te audierit*.

3. Eumdem etiam fructum possumus sperare: *Lucratus eris fratrem tuum*. Tres causæ officii nostri, quo errantes fratres corripere tenemur. *Bivoat*.

XV. Fratres corrigere tenemur; hoc primum erit concionis punctum. Tenemur autem 1. propter zelum odii contra peccatum, 2. propter zelum amoris pro Dei gloria, cui infertur contumelia, 3. propter zelum charitatis erga proximum nostrum, cujus salutem pro virili procurare debemus.

Tenemur scire modos hoc efficiendi: 1. Leniter incipiendum est: 2. cum non proficit lenitas, acrior correptio adhibenda: 3. cum privatæ correctiones inutiles sunt, si hoc nobis nostra conditio permiserit, palam corrigere possumus.

XVI. Punctum primum; quantæ necessitatis sit fraterna correctio ad proximi salutem: 1. Ita frænum injicitur eorum flagitiis, quod quidem ipsis maximum malum est: 2. Vetamus, ne alii peccent. 3. Deo fratrem lucramur, & hujus saluti felici eventu consulimus.

Punctum alterum; rationes deterrentes, ne hoc faciamus, & adeo necessatio munere perfungamur. 1. Fallax amicitia. 2. Nostra utilitas: veremur enim hunc lædere, quem minime volumus; nobis enim hoc obfuturum putamus; Non dico illum aperte offendentes, neque rationem habentes ejusdem existimationis, quam rectus sensus, & virtus defendere consueverunt, sed illi ostendentes ipsius agendi rationem a nobis, vel minimum improbare. 3. Incuria qua verum proximi nostri bonum negligimus.

XVII. 1. Quidam minime corrigunt, cum & possunt, & debent; & his ostendendum est, ipsos ad hoc præstandum lege teneri.

2. Alii hoc perperam faciunt, hique erudiendi sunt, ut rite hoc munere perfungantur.

3. Alii denique, & zelo satis fervent, & ea, quæ requiritur, præditi sunt prudentia, ut corripiant, quemadmodum par est, sed nimis sensibiles sunt, & pati nequeunt, ut vicissim corripiantur: his autem ostendenda est suæ actionis iniquitas; quo bono & se, & alios privent; & quomodo hac ratione omnem adimant auctoritatem correptionibus suis.

XVIII. 1. Justitia sæpe exigit, ut peccator corrigatur.

2. Charitas hoc infinitis in occasionibus deposcit.

3. Prudentia vult, utramque secundum personas, & circumstantias regi.

Regulæ fraternæ correctionis, & conditiones, quæ in ea requiruntur, fere sunt quatuor. XIX.

1. Comes esse debet prudentia; namque hæc si desit, correctio omnino inutilis est. Hæc autem prudentia consistit in hoc, ut ratio habeatur temporum, locorum, personarum, aliarumque circumstantiarum. 2. Comes esse debet, & zelus alioquin in infirmitatem, & humanum respectum degenerat; vitium palpatur potius quam vere corripiatur: sed hic zelus sine impetu esse debet, & sine indignatione. 3. Comes esse debet justitia; corripere enim innocentem, vel qui levis, aut ambigui facti nocens existimatur, hoc sane est auctoritatem suam contemptui objicere, & iis, qui corripiuntur indignationis ansam præbere, quin eorum malis vera medicina afferatur.

4. Comes esse debet auctoritas, hoc est per illum fieri cujus est aliis invigilandi, eosque ab erroribus suis revocandi. Hoc sermonis sistema formalem supponit correctionem iis in circumstantiis habendam quæ vere poscunt, ut corripiens superior sit, vel quæ fidem adstruere possunt, corripientem hoc jure velle corrigere. *Desumptum ex hujus argumenti homilia in D. Sulpicii prolata, & mox typis edita.*

Cum fraternæ correptionis præceptum positivum sit, neque obliget semper, & quovis tempore, suasque habeat exceptiones, atque dispensationes. XX.

1. Examinandum est, quandonam hoc facere teneamur, & quibus in circumstantiis nequaquam cogamur: Proponenda doctrina est, & materia omnis scite excutienda in hoc primo puncto.

2. Si hoc præstare tenemur, docendum quomodo hoc facere debeamus, quod ipsum ad tria redigi potest; scilicet, ut corrigamus, 1. leves errores cum indulgentia: 2. homines dociles, & obedientes cum charitate; 3. Rebelles cum rubore. Hæc omnia in altero puncto sunt explicanda.

Triplex ratio, propter quam hoc præstare cogimur. XXI.

1. Postulat Charitas, ut proximum corripiamus, ubi cum aliqua fructus spe id nos facere possimus, sive ut ad frugem redeat, qui peccaverit, seu ut a peccati contagione præserventur illi, coram quibus peccaverit. Præceptum hoc plus, minusve nos urget, juxta eas necessitates, quibus remedium afferendum est; & quamvis late ad omnia se extendat, quæ charitatem erga fratres nostros respiciunt, illius præsertim tunc meminisse debemus, cum de eorum agitur spirituali utilitate, pro qua multo majora, quam pro aliis utilitatibus, sunt a nobis facienda. Attamen quid fit? quantulo constaret impendio amico illis consanguineo, locupleti viro, cui in cœtibus adeo libentem omnes præbent aurem, ad officium tot homines, cum quibus quotidie versatur, revocare? idque tanto magis quod idem præceptum imperat, ut hoc leniter, sine temeritate, atque superbia fiat; modo aperte, modo etiam indirecte, quin unquam a prudentiæ regulis recedamus.

2. Generositas poscit, ut charitas hæc suam habeat extensionem, & ut evitentur prætextus propter quos nimis facile judicamus; vel conatum hunc cum nimio periculo esse conjunctum, vel inutilem futurum esse laborem; poscit, inquam, generositas, ne quis metuat pro causa adeo bona leve discrimen subire, & oleum, operamque perdere. Nihil ne pro Deo, pro fratrum nostrorum bono, & salute ferendum est? Cur statim desperandum? Numquid tam cito consilia nostra deserimus, ubi statuimus alicujus aucupari gratiam, a cujus libidine sexcenta ferre debemus? Quænam gloria negligere, immo etiam subire has irrisiones, atque repulsas, quas nequaquam meremur, cum rite instituta correctio fuerit, easque tamquam pretiosum laborum nostrum fructum referre! Hac ratione fortasse assequemur, ut saltem nostro perfungamur munere, existimantes nos aliquid ultra assecuturos; & ad agen-

dum alacriores erimus, cum major atteritio, majorque constantia requiretur.

3. Justitia poscit pluribus in occasionibus hanc fieri correctionem, licet ubique cum prudentia, quin nos labor, vel dolor fortasse, quo inde afficiamur, deterreat. Itaque hæc obligatio ad omnem Pastorem, Magistratum, Superiorem, quicumque tandem ille sit, pertinet, secundum omnem suæ jurisdictionis, atque auctoritatis extensionem. Quamvis habendus esses pro Censore importuno, & periculum aliquod tibi subeundum esset, tacite saltem, vel indirecte teneris redarguere peccantem coram te, ne nocens existimet suum a te probari facinus, eo quod non corripitur.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri possit rerum copia ad hoc argumentum pertractandum.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus librum edidit *de Correptione & Gratia*, ubi ostendit, correctionem non esse inutilem, quamquam Deus gratia sua nos interius admoneat, atque corripiat.

Idem *l.* 1. *de Civit.* ostendit Præsules a Deo institutos fuisse ut peccata corripiant, & illis aliquando rationem reddendam esse interitus subditorum suorum, qui interierint, eo, quod non fuerunt admoniti.

Idem l. 2. *Sermonum Domini in monte* ostendit, illum, qui alterum corripit, & redarguit, irreprehensibilem esse debere in iis, quæ in alio reprehendit, vel si eidem vitio esset obnoxius, sese diligenter corrigere.

Idem *in Epist.* 19. *ad S. Hieronymum* docet quomodo corripiendi sint æquales, vel superiores nostri juxta S. Pauli exemplum S. Petrum redarguentis.

Idem *Serm.* 16. *de verbis Domini* loquitur de correctione, quæ privatæ facienda est.

Idem *in epist.* 87. *ad Felic. & Rusticum*, ostendit, non facile inveniri, qui æqui bonique consulant increpationes; sed hoc esse necessarium, & singulos teneri, ut hoc præstent.

Idem *Serm.* 15. *de Verb. Matth.* exemplo Medicorum difficilia sæpe remedia imperantium docet, nihil inhumanitatis in severa correctione inveniri, ubi est necessaria.

Idem, vel quisquis est Auctor Sermonum 14. ad fratres in Eremo prolixum habet Sermonem de fraternæ correctionis utilitate.

Idem *l.* 1. *de Civit. c.* 9. quærens, cur sæpe boni una cum impiis plectantur, ideo eodem involvi supplicio respondet, quia aliena peccata dissimulant.

Idem *tract.* 10. *in S. Joannem* docet, quinam sit verus zelus, cum quo correctio facienda est.

Idem *l.* 50. *Homil. homilia* 4. docet quænam requirantur in corripiente, qualitates, & *homil.* 46. *Libri ejusdem* ostendit, quid in peccatoribus, atque Justis operetur correctio.

S. Gregorius *l.* 10. *Moralium* docet sapientis esse audire aliorum monita, & redargutiones; & *lib.* 33. *Moralium eorumdem* de illis verba facit, qui ubi corripiuntur, sese excusant, & correctionem in sequiorem partem accipiunt.

Idem *Past. part.* 2. *cap.* 10. uberem habet Sermonem de correctione, qua peccatores corripere tenemur; peculiariter vero explicat methodum in corrigendo servandam.

Idem *l.* 13. *in Job cap.* 3. docet, quomodo indociles, & rebelles sint corripiendi. *Lib.* 14. *cap.* 13. tradit ordinem in correptionibus servandum: *l.* 20. *cap.* 17. tradit quinam sint peccatores, in quibus corripiendis oleum, operamque perdimus: *l.* 33. *c.* 8. quid nobis proponere debeamus aliena redarguentes vitia: *l.* 24. *c.* 20. in severioribus correctionibus humilitatem, & charitatem servandam: *l.* 26. *c.* 28. Cavendum, ne corripiamus aliquem, ubi ad iracundiam exarsimus: *l.* 29. *c.* 6. ostendit peccatum detrectantium aliena vitia corripere.

Idem in Regum libros ostendit, quænam prudentia in corripiendo requiratur.

Idem *hom.* 9. in Ezechielem docet discrimen, quo erga Superiores, & inferiores nosmet gerere debemus, cum illos corripere teneamur.

Idem pluribus aliis in locis de correctione fraterna verba facit; veluti *l.* 33. *in Job c.* 24. *&* 32. *c.* 17. præsertim vero *in hom.* 32. *in Evangelia.*

S. Chrysostomus *l.* 3. *contra vituperatores vitæ Monasticæ* ostendit Supremum Judicem rationem ex nobis expetiturum salutis fratrum nostrorum, qui interierint eo, quod illos minime corripuerimus.

Idem *in hom.* 30. *in Epist. ad Hebræos* non corripientem comparat cum eleemosynam facere detrectante: & hoc ipsum docet *hom.* 44. *in primam ad Corinth. Epistolam.*

Idem *hom.* 3. *ad populum Antiochenum* docet quanam suavitate sit corrigendum.

Idem *in cap.* 16. *primæ ad Corinth. Epistolæ* docet, qua patientia, & submissione correctiones sint recipiendæ.

Idem *hom.* 1. *ad populum Antiochenum*, qua constantia vitium corripiendum sit docet S. Joannis Baptistæ exemplo.

Idem *homil.* 3. *ad eumdem populum* docet, quam suaviter instituenda sit correctio, ubi illam suscipere teneamur.

Idem *hom.* 16. *ad eumdem populum*, fideles ad fraternam correctionem exhortatur propter spem præmii, & boni, quod fratribus nostris procurabimus.

Idem in postrema homilia in Epistolam ad Romanos, docet, quinam ad corripiendum sint magis idonei.

Idem in caput 19. S. Lucæ homil. 1. de Lazaro, docet non desistendum a corrigendo, & corripiendo; licet nullum ex correptione fructum simus percepturi. Loquitur ille quidem ad Pastores, & Concionatores; sed quod ait omnes excitare potest, ut hoc constanter aggrediantur.

Idem in oratione quadam contra Judæos, quæ tomo 5. invenitur, ostendit quanti apud Deum meriti sit fraterna correctio.

Idem habet homiliam de modo recipiendi reprehensiones, de quo loquitur etiam in hom. 44. ad populum Antiochenum.

Idem *hom.* 43. *in Genesim* docet, inexcusabilem esse, qui aliena vitia improbare detrectat.

Idem *hom.* 44. *in Epistolam ad Corinth.* docet, quanam prudentia uti debent corripientes.

S. Ambrosius *l.* 8. *in S. Lucam* docet, quanam moderatione corripiendum sit.

Idem *in Ps.* 118. verba facit de correctione pro particularibus peccatis instituenda.

S. Hieronymus pluribus in locis loquitur de correctione peccantium, præsertim vero *in cap.* 9. *&* 18. Proverbiorum, & 12. Ecclesiastici. De hac re etiam idem loquitur *l.* 2. *in c.* 7. *Prophetæ Amos*, & docet, correptionem æqui, bonique consulendam.

S. Gregorius Nazianzenus verba faciens de modo in disputationibus servando ostendit, cavendum, ne inimico animo corripiatur, & puniatur.

S. Basilius in *regulis fusius disputatis, quæst.* 52. ostendit, eos ipsos, qui præsunt aliis, non debere effugere correptiones eorum, qui sunt sibi subjecti.

Idem *tom.* 1. *hom.* 3. illa Prophetæ explicans verba: *Et opprobrium non accepit adversus proximum*, de fraterna correctione verba facit, ejusque & finem explicat, & utilitatem; & *tom.* 2. *interrog.* 47. illius obligationem ostendit exemplis ex Scriptura desumptis.

Idem *hom.* 3. *in Psal.* 14. pluribus argumentis correctionis hujus probat necessitatem.

Orige-

Origenes *hom. 6. in 16. cap. Ezechielis* refert exempla Prophetarum, qui omnibus sese objecerunt periculis, ut hoc munere perfungerentur.

Idem in *hom. 1. in Ps. 37.* docet quonam spiritu recipienda sit aliena correctio, & quibus sese objiciat malis, qui eadem se lædi putat.

S. Petrus Damiani in Epistola ad Desiderium Abbatem, & ad Aripandum Monachum ostendit utilitatem, quam adfert correctio, ubi nosmet eidem subjicimus.

S. Cæsareus Arelatensis *hom.* 8. ostendit quomodo sit recipienda correctio.

S. Bernardus *Serm. 44. in Cantica* in correptionibus suavitatem cum firmitate miscendam ostendit.

Idem Sermone de Nativitate S. Joannis Baptistæ, & tractatu de gradibus humilitatis hac de re præstantissima tradit præcepta.

Idem *Serm.* 2. pro die festo Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum docet reprehensiones cum gratiarum actione recipiendas.

Dionysius Carthusianus in Operibus Minoribus *tom.* 2. fusius hoc argumentum persequitur.

Ascetici aliique. Pater Alphonsus Rodriguez tertia parte tractatum habet hujus argumenti.

Pater *Saint Jure* l. 3. de cognitione, & amore Domini Nostri fusius hac de re loquitur.

Liber, cui titulus *Instructions Chretiennes*, *tom.* 5.

Nicolaus Honapus in summa virtutum, & vitiorum.

Raynerius de Pisis in Pantheologia, titulo, correctio.

Osorius feria secunda post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

Concionatores. Gaspar Sanchez feria quarta post Dominicam primam Quadragesimæ.

Molinier Sermone pro feria tertia post tertiam Quadragesimæ Dominicam.

Reina Con. 15. Quadragesimæ.

Pater Delingendes tom. 2. Sermonum Quadragesimalium.

Maymbourg Sermone pro feria tertia post tertiam Quadragesimæ Dominicam.

Biroat pro eadem die.

Pater Duneau Sermone pro die eodem.

De Breteville in libro, cui titulus *Essais de Sermens*, tres, vel quatuor habet deinceps hujus argumenti Sermones pro feria tertia post tertiam Quadragesimæ Dominicam.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Dom. in Evangelium Dominicæ quintæ Quadragesimæ.

Busæus in Viridario.
Labata in Thesauro.
Granatensis in locis com.
Bercorius.
Summa Prædicantium
) V. Correctio.

Dandinus l. 48. Sacrorum Ethicorum in quatuor, vel quinque capitibus infinita propemodum in hoc argumentum collegit.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

NON *oderis fratrem tuum in corde tuo; sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum*. Lev. 19.

Noli arguere derisorem, ne oderit te. Proverb. 9.

Argue sapientem, & diliget te. Ibid.

Via vitæ custodienti disciplinam; qui autem increpationes relinquit, errat. Prov. 10.

Plus proficit correptio apud sapientem, quam centum plagæ apud stultum. Prov. 17.

Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. Prov. 15.

Qui arguunt laudabuntur; & super ipsos veniet benedictio. Prov. 24.

Qui acquiescit arguenti, glorificabitur. Prov. 13.

Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus. Prov. 27.

Qui odit increpationes, insipiens est. Prov. 12.

Qui increpationes odit, morietur. Prov. 15.

Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magis, quam ille qui per linguæ blandimenta decipit. Prov. 28.

Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus. Prov. 29.

Quem diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Prov. 3.

Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur. Prov. 15.

Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientum commorabitur. Prov. 15.

Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. Eccl. 7.

Perversi difficile corriguntur. Eccl. 1.

Probata virtus corripit insipientes. Sap. 2.

Vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus. Eccl. 10.

Qui odit disciplinam minuitur vita. Eccl. 19.

Quam bonum est, correptum, manifestare pœnitentiam! sic enim effugies voluntarium peccatum. Eccl. 20.

Priusquam interroges, ne vituperes quemquam; & cum interrogaveris, corripe juste. Eccl. 7.

Est correptio mendax. Eccl. 19.

Corripe proximum antequam commineris; & da locum timori Altissimi. Eccl. 19.

Corripe amicum, ne forte non intellexerit; & dicat; Non feci; &, si fecerit, ne iterum addat facere. Eccl. 19.

Curavimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam. Jer. 51.

Ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. Matth. 7.

Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras? Luc. 6.

Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; & si pœnitentiam egerit, dimitte illum. Luc. 17.

Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Matth. 18.

Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum; magis autem redarguite. Ad Ephes. 5.

Nolite, si quis non obedit verbo nostro, quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. 2. ad Thess. c. 3.

Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Ad Galat. 6.

Non ut confundam vos hæc scribo; sed ut filios meos charissimos moneo. 1. ad Cor. c. 4.

Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant. 1. ad Tim. c. 5.

Prædica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. 2. ad Tim. 4.

Hæreticum hominem, post unam & secundam correptionem devita; sciens quia subversus est. Ad Tit. 3.

Increpa dure, ut sani sint in fide. Ibid. 1.

Corripite inquietos, consolamini pusillanimes. Ad Tit. 5.

Si quis ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis illum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum. Jac. 5.

Exempla ex Veteri Testamento desumpta.

Deus corripit Adā.

VEtustissima, quæ unquam facta fuerit correctio, ea est, qua Deus Adam corripuit. Sed primus hic nocens illam superbe recepit, atque iniquo animo tulit Dei ipsius vocem. Attulit ipse sui sceleris excusationem, ut a se culpam deflectere voluit, Evam solam peccasse: immo per summam audaciam in Deum ipsum insurrexit, atque eidem acceptum quodammodo retulit facinus suum, se in errorem impulsum dicens a muliere, quam ipse Deus illi sociam adjunxerat. Hoc ipsum omnes fere filii Adam efficiunt; corripientem ferre non possunt: in alios ea mala rejiciunt, quæ ipsi faciunt, immo corripientes ipsos damnare conantur: *Omnis, qui corripitur, quærit in corripiente, quod corripiat*, S. Augustinus inquit, *& plus gaudet de infirmitate incerta quam de infirmitate correpta*.

Heli a Deo percussus.

Si per ignavam conniventiam patiemur fratres nostros in vitiis suis misere interire, nos ipsi interitus eorum pœnas luemus, tamquam flagitiorum eorumdem participes, atque fautores. Non alio opus est ad hoc ostendendum argumento, quam insigni, funestoque Heli exemplo ignavi Patris familias, simulque Principis Sacerdotum, qui eodem tempore universæ Judæorum Reipublicæ præerat, qui, quod non dicam dissimulasset; sed parum acriter corripuisset avaritiam, impietatem, impotentiam, & Sacrilegia Ophni, & Phinees filiorum suorum, qui sua abutebantur auctoritate, ut divina, humanaque omnia miscerent; honorem, atque opes pro tota progenie sua amisit, & ipse quoque de viventium numero exturbatus fuit subita, tragicaque morte correptus post filiorum suorum cædem, Arcam fœderis captam, & exercitum, cui filii præerant, occisione deletum. Adeo terribiles pœnas luit, quod, quemadmodum per Prophetam suum Deus illi significaverat, minori in pretio habuerat Dominum Deum Israel, quam filios suos, quorum scelera per summam ignaviam probaverat.

Quomodo Jonathas filius Saul Patrem correxerit.

Jonathas Filius Saul videns Patrem suum in Davidem ira succensum, quadam die conatus est, hunc Patri reconciliare, quod ab Rege tunc impetrare non potuit. Sed alia vice commoda fandi tempora nactus, ac Patrem hilari animo intuitus, apud illum de David locutus est, ea enarrans, quæ hic Regno attulerat bona, affirmans, hunc servorum omnium esse fidelissimum, atque tandem ostendens quantum & sibimet, & toti Regno detrimentum afferret, si tantum virum perderet. His verbis opportune prolatis ita parentis sui cor immutavit Jonathas, ut Saul Regis fide intermissa spoponderit, se non ultra persecuturum esse Davidem, atque permisit, ut hic tuto ad aulam accederet. Tantum interest uti nosse occasionibus ad correctionem instituendam apud illum, qui ob inordinatum aliquem affectum suimetipsius oblitus est.

Samuel tamquam Judex Israel a Deo super Universum populum constitutus auctoritate sua uti poterat, ut vitium, quod in ea gente grassabatur, corriperet, atque puniret; verum ne exprobrationes, quibus peccatores castigaturus erat, suo carerent effectu, illis convocata concione dixit: Aliquidne in me deprehendistis, propter quod sim corrigendus? Numquid aliquis ex vobis est, quem impotentet oppresserim, cujus bona rapuerim, vel a quo munuscula acceperim? Eja audacter loquimini, paratus enim sum, ut totius vitæ meæ rationem reddam. Verum cum respondissent una voce omnes, nihil esse, quod ipsi objici posset: non ita ego de vobis idem sentire possum, iterum ait, neque vobis simile testimonium perhibere; vos in judicium coram Deo appello: & reliqua, quæ in Scripturis videri possunt. Cum ergo hactenus divina abusi fueritis misericordia in id incumbite, ut sincera pœnitentia Dei iram flectatis &c.

Nathan Propheta Regem David castigat.

David in adulterium ceciderat, quod cæde deinde contegere adnisus est. Nemo unus aderat, qui Regi scelerum horum enormitatem auderet exprobrare, atque integer ferme elapsus erat annus, quin hic Princeps sese colligeret. Tandem aliquando misit Deus Prophetam Nathan, a quo corriperetur. At quomodonam Propheta ille sese disposuit, ut perfungeretur munere adeo delicato, quod sane plurimum prudentiæ requirebat? Non accedit ille quidem, S. Augustinus ait, imprudenti zelo palam Regis peccata exprobraturus; arte utitur, commodum tempus aucupatur, atque viam excogitat, qua effecta, ut Rex ipse propriæ damnationis sententiam proferat, commentus parabolam divitis cujusdam, qui amicis suis convivium instructurus, ut suo parceret gregi, pauperis ovem surripuit, quam unam hic domi alebat, suum solatium, atque delitias. Quo supplicio dignus est Princeps, qui tantum facinus ausus est? Morte, statim David adjecit; atque quadruplum reddere debet illius, quod proximo eripuit. Tunc autem Nathan; *tu es ille vir;* in te lata sententia est, tu Uxorem Uriæ servi tui rapuisti. Quem autem habuerit eventum hæc sapiens correptio, nemo unus ignorat. David scelus suum confessus iis sese subjecit suppliciis, quæcumque ab ipso Deus poposcisset.

Zelus, & constantia Prophetæ Eliæ corripientis Jezabel.

Cum vidit Elias gravissima impiæ Jezabel Sacrilegia Dei cultum abolere conantis, quid reliquit intentatum, ut eidem resisteret? Preces adhibet, minas, invectivas, exprobrationes, cœlestem ignem, sexcentaque miracula, quæ ad hoc ipsum impendit; videns autem idololatriam nihilominus triumphum referre, & in irritum cedere omnes redargutiones suas, quibus nequaquam pepercerat; tunc in desertum secessit certus consilii se Religioni, quæ evertebatur, & honori divino, qui ubique contemnebatur, nequaquam esse velle superstitem. Qua animi constantia Propheta idem convenit Regem Achab, possessionem adeuntem vineæ Nabot, qui ejusdem imperio, vel saltem auctoritate, hac ad innocentem opprimendum fuerat occisus? Qua audacia Regi dixit, *occidisti, & possedisti*; illi deinde portendens ultionem, quam Deus erat sumpturus?

Sæpe permittit Deus, ut, qui ferre nequeunt eos a quibus cum zelo, & charitate corripiuntur, incidant in palpatores, a quibus falluntur, & decipiuntur. Hujus rei præstantissimum occurrit exemplum 3. Regum libro cap. 22. Cum Michæas Propheta loqueretur coram Achab Rege Israel, atque hunc iracundia correptum videret, quod contra mentem ejusdem verba facere ausus esset, ipse quoque succensuit, & visionem, quæ sibi superiori nocte contigerat, enarravit. Vidi, inquit, exercituum Dominum throno Majestatis insidentem, paratum ad perdendum, & evertendum Achab. Cum autem omnes operam suam in illius excidium detrectarent impendere, accessit Demon, & ait, ego perdam illum: cui Dominus, quid facies, inquit, ut illum perdas? *Decipiam eum*, Sathan respondit; quærentique Domino, quo pacto illum esset decepturus, *in quo* ? reddit ille, *ero spiritus mendacii in ore omnium Prophetarum ejus*. Quibus auditis *egredere, & fac ita*, Deus inquit: *decipies, & prævalebis*; cum enim semel spiritus mendacii per adulationem animam ejus invaserit, spiritus veritatis aditum sibi numquam inveniet. Hoc, o Fideles, quotidie accidit vobis! Quæritis hominem, qui fœnora vestra, luxus, jocos, vanitatem non corripiat: permittet Deus, ut incidatis in manus cum hominis hujus viæ, tum aliorum etiam, qui in flagitiis vestris adulabuntur vobis, & erunt causa interitus vestri.

Ut plurimum difficulē corrigendū.

Cum aliquem corripio, parcendum est pudori illius, qui corripitur eodem tempore, quo ejusdem saluti consulitur: *Intendens correctioni, parcens*

suus pudori. Intuere admirabilem Patriarchæ *Joseph* hac in re prudentiam, qui per ea verba describi videtur. Vult sese tradere cognoscendum fratribus suis, neque id efficere potest, quin illis in memoriam revocet eorum crimen, & nequissimam proditionem. Quamobrem omnes recedere jussit, ut hæc recognitio quæ fieri minime poterat sine manifesta exprobratione perfidiæ, & crudelitatis, sine teste ullo transigeretur. Deinde vero, quasi nihil sibi cum illis fuisset, post adeo inexpectatam manifestationem jussit ipsis eum honorem deferri, qui tamquam fratribus suis debebatur. Tamquam Fratres in totius Ægypti luce illos excepit, & bifariam amorem suum admirabiliter testatus est, palam quidem eos in honorem habendo, clanculum eos corrigendo. Hoc pacto correctio, ut plurimum instituenda est, ita, ut animi nostri ægritudo sub zeli prætextu dolorem suum non evomat; sed omnia amoris spiritu, & cum fraterna charitate transigantur.

In Lege veteri plurimæ correctiones occurrunt; aliæ quidem suavitatis, & circumspectionis plenissimæ, aliæ vero acres, ferventesque pro ratione criminum, & eorum, qui corripiuntur, qualitate. Abraham corripuit Abimelech pro quodam puteo, quem Regis hujus famuli violenter usurpaverant. Jacob acri redargutione exprobravit Ruben, Simeon, & Levi Filios suos; acrius vero Noe invectus est in Chanaan, in ipsum maledictionem suam ejaculatus. Mitius, suaviusque, & Jethro Noysem, & Abigail virum suum Nabal redarguit. At infiniti propemodum laboris esset omnes hoc in loco referre species; omniaque fraternæ charitatis exempla, quæ Scriptura nobis potest suppeditare. Addamus tantummodo quædam ex novo Testamento deprompta.

Exempla ex Novo Testamento decerpta.

De correctione, qua S. Jo. Bapt. Herodem redarguit.

NEmo graviori morbo laborat, quam cui pharmacorum usus cedit in morbi augmentum. Hoc locum peculiariter habet in illis, qui seu ab hominibus, seu Dei ipsius nomine correpti, quin salutaria consilia æqui, bonique faciant, succenseri in illos, a quibus leniter corripiuntur. Hujus rei celeberrimum occurrit exemplum apud Sanctum Lucam, ubi dicitur Herodes a Sancto Joanne Baptista correptus, eo quod tulisset Herodiadem sui fratris Uxorem, cæteris criminibus cumulum addidisse insignem huc sanctitate virum in carcere primum detrudi, & mox jubens obtruncari.

Plurima occurrunt in Evangeliis exempla correctionum, quas alias quidem suaviores, severiores alias Salvator Apostolis suis fecit. Inter cæteras vero illa emicat, qua Sanctum Thomam Discipulum suum redarguit, eidem post Resurrectionem suam detegens vulnera, eumque admonens, ne ultra infidelis esset. Non deserit ille in infirmitate errantem Discipulum, illum sedulo quærit. Aliis primum sese offert, ut eorum testimonio hunc ad credendum disponat; sese tandem huic offert, ut summa charitate ad officium revocet, eumque propriis oculis convincat: ut videlicet nos doceat peccatoribus occurrendum esse, & non esse verum Pontificem, qui aliorum infirmitatibus compati nescit. Illum suaviter corripit, illi veniam concedit, illius consulit existimationi, eumque domi clausis januis redarguit. Cum illius noxa Apostolis tantum esset explorata, coram illis dolum de hac verba facit. Neque prolixis sermonibus, acerbis querimoniis, amarisque utitur exprobrationibus illum revocaturus ad officium, pauca adhibet verba, eaque adhortationis potius, quam correptionis in corde D. Thomæ fidem, & charitatem fere extinctas excitantia.

Quomodo Salvator Discipulos in Emaus tendentes corripuit.

Neque minori usus est indulgentia cum duobus Discipulis, qui in Emaus proficiscebantur, titubantes in fide, tristes, atque dolentes propter mortem sui Præceptoris. Cum enim sese illis comitem addidisset in via, eosque sciscitatus esset, de quonam re miscerent colloquia, ubi tristitiæ eorumdem causam accepit; ea scilicet quæ illis diebus Jerosolymæ transacta fuerant de JESU Nazareno, & cognovit ipsos quidem sperare quodammodo, futurum ut a mortuis resurgere posset, quemadmodum receperat; Sed spe adeo infirma, ut turbarentur, & viderentur non adhibere fidem iis, quæ ab aliis fuerant visa: Clementissimus Salvator duorum Discipulorum errorem misertus incœpit illis explicare Scripturæ sensum, & enucleare, quæ Prophetæ cecinerunt de passione sua, deque Resurrectionis gloria, quam per tormenta sibi promereri debuerat. Ita illos confirmavit in fide, eorumque incredulitatem corripiens in corde ipsorum charitatis ignem accendit, cujus reliquiæ, prope erat, ut penitus extinguerentur. Deinde vero cum in fractione panis sese illis agnoscendum præbuisset, ab eorum oculis evanuit eosdem fidei, veræque Spei plenos relinquens.

Cum ad JESUM CHRISTUM adducta fuit Mulier in adulterio deprehensa, sese inclinavit in terram, digito litteras quasdam descripturus in pulvere, accersitisque accusatoribus quæsivit ab eis, ut, qui ex eorum numero peccato careret, primum in eam Mulierem conjiceret lapidem. Hoc facto nos monet, ut ante cætera zeli nostri severitatem in nosmetipsos convertamus, & diligenti examine excutiamus errores nostros, eosque corrigamus. Ita justitia loquitur, S. Augustinus inquit, in particulari judicio, quod in proximum profertur, cum illum corripere aggredimur. Impudica quidem Mulier punienda est, sed oporteret, illam puniri ab iis, qui non essent nocentiores eadem; opus est adimplere legem, sed optandum esset, ut ab iis adimpleretur, qui eamdem minime violassent. Idcirco creditur JESUS CHRISTUS sese in terram inclinans descripsisse in pulvere peccata eorum, qui eamdem accusabant; & Accusatores ea legentes maxima confusione suffusos abiisse. Tunc vero Salvator ruborem intuitus, quem accusata pertulerat, illam supplicio liberavit, quo damnabatur in lege, eamque tantummodo monuit, ne ulterius peccaret.

Non desunt in Evangelio, & Actis Apostolorum plurima correctionis exempla partim cum suavitate, partim cum severitate conjuncta. S. Joannes Baptista zelo succensus Judæos corripuit, illos *genimina viperarum* appellans; Sanctus Stephanus eos duræ cervicis, indociles, & incircumcisos corde vocat, Salvator Scribas, & Pharisæos propter ipsorum hypocrisim redarguit: & acribus verbis Sanctum Petrum corripuit suadere conantem, ne sese passioni subjiceret. Qua severitate usus non est idem S. Petrus cum Anania, & Saphira, atque cum Simone Mago, & S. Paulus cum Elyma pariter mago? &c. — Alia correptionum exempla.

Applicationes aliquorum Scripturæ locorum huic argumento.

Qui per silentium alienis connivens sceleribus Cœli maledictiones merentur.

VÆ *mihi quia tacui!* Isai. 6. ajebat Isaias Propheta. Quod potiori jure dicendum esset ab illis, qui aliqua pollentes auctoritate vitium patiuntur, quin illud corripiant. O Patrem ignavum! qui non audet Filium suum corripere, atque punire, quodnam malum utriusque ipse conflat? O improbos Magistratus, improbumque Pastorem, qui publica intuentur flagitia, quin moveantur, & necessariam afferre studeant medicinam? Obtrectatorem, qui loquitur, cum tacendum esset, & Deus, & homines odere; sed illum qui tacet, cum loquendum esset, & cum fratrem corrigere deberet, hic in se Dei maledicta detorquet: *Væ mihi quia tacui.*

Correptio mendax; Eccli. 19. Si animi nostri ægritudo efficit, ut proximum corripiamus, numquam in correptionibus deerit livor, impetus, atque nimia severitas; eaque correctio erit plena menda-

mendacii, atque illusionis, ut inquit Sapiens: *correptio mendax*; Vera enim semper inquirit bonum illius, qui corripitur, mendax autem satisfacit pravo corripientis ingenio. Hinc non vult Apostolus, cujuslibet generis personas erudiendi, monendique Provinciam arrogare sibi; sed spirituales tantum, illas videlicet, quæ spiritu Dei, lenitatis, & amoris sunt animatæ: *in spiritu lenitatis*. Omnes quidem ad id tenentur. Verum teneatur etiam ad id hunc lenitatis assumere spiritum, eamque agendi rationem sequi, quæ vere sit cum christiana charitate conjuncta, & quæ illos actu, in hoc, homines spirituales efficiat.

In Correctione vitia non personas odisse debemus.

Perfecto odio oderam illos. Ps. 138. Quid sibi vult hoc odium perfectum; quandoquidem neminem, immo neque infensissimos hostes odisse debemus? significat, S. Augustinus respondet, corripientibus duo esse distinguenda: hinc quidem nequitiam, qua peccatores aguntur, vel scelus quo fœdati sunt, inde vero personam eorum, vel qualitatem, quam gerunt. Justum autem, Sanctum, perfectumque odium, quo animati esse debemus ad eos corripiendos, tale esse debet, ut non oderimus eorum personas propter vitia, neque vitia amemus propter personas, atque ita semper parati simus, ubi se obtulerit occasio ad reprehendendum vitium, personas vero semper diligendas.

Correctionis usus, & effectus.

Verba Sapientis quasi stimuli, & quasi clavi in altum defixi. Eccli. 12. Hæ duæ loquendi rationes sibi videntur oppositæ propter diversum duorum instrumentorum usum, quorum imaginem hoc in loco Salomon mutuatur. Stimuli enim efficiunt, ut lentiora etiam jumenta corripiant gradum; clavi, autem e contra res figunt; ac tenent, ita ut moveri non possint. Sed in correptionibus, & redargutionibus verba Sapientis duplicem hunc usum habent: stimulant enim, atque excitant inertes homines, ut suo satisfaciant officio; *quasi stimuli*; sed sunt tamquam clavi, quibus homines vagi, & inconstantes severæ correctionis metu in virtute firmantur.

Opportune, importune, argue, obsecra, increpa. 2. ad Timoth. 4. Quid sibi vult hæc vox, *importune*? Prodessene possunt remedia importune propinata? Apostolus innuere voluit, licet videremur importune loqui iis, qui æquo non ferunt animo correptiones nostras, nobis nihilominus credendum esse, hoc illis utile futurum. Lenitatis Spiritus nos debet impellere, ut licet illi obluctamur, fervemus tamen, & exerceamus amorem, quo illos complectimur, & quo eorum studemus saluti. Tandem enim plurimi secum deinde animo repetentes, quæ sibi dicta fuerant, seipsos acrius, ac severius corripuerunt animadvertentes jure se fuisse exprobratos: & quamvis a facie Medici recessissent subirati; nihilominus vi correctionis sensim cor eorum penetrante, tandem convaluerunt. Hoc sane minime accideret, si semper vellemus incumbere ad curationem illius, cujus membra computrescunt, donec illi placeret ferrum, ignemque pati.

Fraternæ charitatis præceptum a paucis servatum.

Num custos fratris mei sum ego? Gen. 4. Licet fraterna correctio, & cura, qua quilibet gerere debet salutis proximi sui, præceptum sit maxime necessarium atque fidelibus omnibus irrogatum, quotusquisque tamen putat zelum hunc ad se pertinere? Unusquisque rationem Deo de seipso tantum esse redditurum putat; satis esse sibimetipsi consulere, cum omnibus in rebus sibi debeat invigilare, quin aliis censor accedere velit. *Num custos fratris mei sum ego*, inquiunt ipsi cum Cain? Ego vero ipsos utique esse respondeo: *In reos majestatis, & publicos hostes omnis homo miles*, inquit Tertullianus. Cum de re publica, & de Principis salute agitur omnes homines naturaliter milites sunt, & arma capere tenentur; his enim in casibus Patriæ, & Principis salus, suprema lex est. Similiter quoque cum de Dei gloria, & de proximi agitur salute, omnis Christianus est miles, & pugnare debet; omnis Christianus est Apostolus; & debet prædicare, neque hoc prætermittere potest, quin lethali sese obliget noxæ; Dei enim præceptum explicitum est: *Mandavit illis unicuique de proximo suo*.

Petre amas me? pasce oves meas, Joan. 21. Hominum Salvator ex Divo Petro quærebat, ut si ab ipso amaretur, amorem ille suum testaretur dominici gregis curam gerendo, videlicet fratrum suorum saluti prospiciendo. Quod ille tunc Divo Petro, hodie quoque omnibus fidelibus inquit, hos quidem publice non omittit, ut olim Apostolos ad Evangelium gentibus prædicandum? ud peculiarem illis missionem tradidit, ut privatim prædicent: *Mandavit illis unicuique de proximo suo*. Ideoque quilibet audacter dicere potest cum Sancto Paulo: *Væ mihi si non evangelizavero*: Væ mihi, nisi perfunctus fuero eo munere, quod mihi JESUS CHRISTUS imposuit, ut pro viribus fratrum meorum saluti consulerem. Si hac in re dessum, infringo primum præceptorum omnium, quo Deum ipsum amari cogor, & hac negligentia ostendo, me non affici iis, quæ ad JESUM CHRISTUM maxime pertinent, qui nullius rei tantum habet curam, quam salutis hominum.

Quam magnum sit bonum aliquid proximorum saluti conferre.

Lucratus eris fratrem tuum; Matth. 18. Si propter correctionem, qua fratrem tuum admonueris, ille ad frugem redierit, & a peccato recesserit, maximum feceris quæstum, & fratrem Deo lucratus es. Hæc est valida ratio, quam ipse Salvator adfert, ut homines ad hanc charitatis actionem erga fratrem suum exercendam impellat. Si frater tuus vitæ periculum subierit, vel fame ad extremam redactus maciem, vel in alio quopiam periculo constitutus, eumque ope tua servare possis, potesne illi detrectare subsidium, quin te mortis ejusdem reum efficias? Mors vero animæ atque æternus ejusdem interitus, cujus periculum subiit Deum lacessens, nonne multo magis formidanda sunt, quam corporum mors? Tu vero non eris particeps peccatorum, & damnationis fratris tui, cum, te non admonente, sese colligere nequeat, te salubertima correctione ipsum non corripiente, resipiscere tandem non possit? E contra vero quanta erit illius erga te obligatio, si illum de perditionis via reduxeris, Cœlum eidem aperueris, eidemque salutem procuraveris? *Lucratus eris fratrem tuum*. Quas tibi gratias referre debebit ille, cui in tam gravi necessitate opem attuleris, quantum se tibi debere aliquando testabitur? Salvator vero, & ipse tibi debebit, quod id procuraveris, quod illi tantopere cordi est, videlicet salutem fratris tui, pro qua ipse Sanguinem suum effudit.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum, hujus argumenti.

Debemus amando corripere, non nocendi aviditate, sed studio corrigendi. August. Serm. 16. de verb. Domini.

Quicumque corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, qui corripi non vis. Idem, lib. de Corrept. & Grat.

Tuum vitium est quod malus es; & majus vitium corripi nolle quia malus es. Idem, ibid.

Corripiendis male agentibus parce, cum metuis ne deteriores ex hoc efficiantur. Idem, l. 2. de Civit. c. 9.

Numquam alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum liquido nobis responderimus, dilectione nos facere. Idem, in Epist. ad Galat.

Quidquid ulcerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis. Dilige, & dic quidquid voles. Idem, ibid.

Rara & magna necessitate objurationes adhibendæ sunt; ita tamen ut in hi etiam ipsis, non nobis,

nobis, sed Deo serviatur. Idem, l. 2. de Serm. Dom.

Molestus est medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio; ille ligando, iste cadendo; sed ambo diligendo. Si autem istos negligant, & perire permittant, ista potius falsa mansuetudo crudelis est, Idem, Epist. ad Bonif.

Detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandi charitas sincera subveniat. Idem, ibidem.

Corripienda sunt coram omnibus quæ peccantur coram omnibus: ipsa vero corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius. Distribuite tempora, & concordat scriptura. Idem, Serm. 16. de verb. Dom. concilians locum Matth. *inter te, &c.* cum locis 1. *Tim.* 5. Coram omnibus argue, & *Prov.* 10. Qui arguit palam, facem facit.

Plurimum interest quo quisque animo parcat: sicut enim est aliquando misericordia puniens, ita & crudelitas parcens. Idem, Epist. 64. ad Marcum.

Non omnis qui parcit, amicus est, nec omnis qui verberat, inimicus. Idem, Epist. ad Vincent. Donatist.

Non putes te amare servum, quando non cadis: aut tum amare filium, quando eum non corripis: non ista est charitas, sed languor. Idem, de Charit. Serm. 7.

Juste alios reprehendit, qui non habet quod in se alius reprehendat. Idem, in Ps. 5.

Intendens correptioni, parcens pudori. Idem, Serm. 10. de verb. Dom.

Tu vulnus fratris contemnis: tu eum vides perire, & negligis: pejor es tu tacendo, quam ille viciando. Idem, ibidem.

Si eos, in quos nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittimus, rei coram ipsis erimus. Idem, l. 5. contra Julian. c. 3.

Si severitas disciplinæ dormiat depressa, sævit impunita nequitia. Idem, Serm. 15. de verb. Domin.

Quos corrigere non valemus, peccatis eorum non communicemus. Idem, Epist. 166. ad Donatist.

Superbi, lenissima admonitione ad pejora præcipitia provocantur. Idem, Serm. 36. de Sanctis.

Adhibenda est a nobis medicinaliter severa correctio; Dei autem est illis eam facere utilem. Idem, l. de Correpr. & Grat. c. 16.

Regat disciplina rigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet rigorem: & sic alterum commendetur ex altero, ut nec rigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. Gregorius, l. 19. Moral.

Profecto se esse Dei denegat, qui in quantum sufficit, vitam carnalium corrigere recusat. Idem, in Past. c. 59.

Qui non corrigit resecanda, commisit; & facientis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Idem, in Registro.

Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda: sed palam sunt arguendi, qui palam nocent, ut dum aperta objurgatione sanantur, ii qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Idem, ibidem.

Multos novimus, qui arguente nullo, peccatores se confitentur: cum vero de culpa sua fuerint fortasse correpti, patrocinium defensionis quærunt, ne peccatores esse videantur. Idem, l. 21. Moral.

Mundus esse a vitiis debet, qui aliena corrigere curat. Idem, l. 6. Moral.

Qui potest emandare, & negligit, participem procuidubio se constituit: quia alterius bonum juvat, suum facit. Idem, in Registro.

In correctione hunc noveris esse ordinem observandum, ut personas diligas, & vitia persequaris: ne si aliter fortasse agere volueris, transeat in crudelitatem correctio, & perdas quos emendare desideras. Idem, ibidem, l. 9. c. 8.

Tanto humili corde alios corrigamus, quanto nos ipsos, in iis quos emendamus, agnoscimus. Idem, l. 23. Moral.

Sunt bona correptiones, & plerumque meliores; quam tacita amicitia: etsi lædi se putat amicus, tu tamen corripe. Ambrof. l. 3. de Offic.

Plus proficit amica correctio, quam accusatio turbulenta: illa pudorem incutit, hæc indignationem movet. Idem, in Lucam.

Quisquis peccantem fratrem non arguit, quodam modo hortatur ut peccet. Idem, Serm. 6.

Peccatum unius, quod cognitum non arguitur, multos contaminat, imo omnes, qui norint, & non devitant, aut cum possunt arguere, dissimulant: non enim sibi videtur peccare, quando a nullo corripitur, vel vitatur. Idem, Epist. 1. ad Corinth.

Omnis correptio amara quidem videtur ad præsens, sed fructus parit dulcissimos. Hieron. l. 1. in Jeremiam.

Corripiendus est frater tuus seorsim, ne si semel pudorem & verecundiam amiserit, remaneat in peccato; & si quidem audierit, lucrifacimus animam ejus; & per alterius salutem, nobis quoque acquitur salus. Idem, l. 3. Comment. in Matth.

Eos maxime elegerim, qui sunt acres & vehementes, qui peccatum aperiunt, qui reprehendunt; hoc enim maxima miserdiæ & clementiæ est, mederi vulneribus. Chrysost.

In omnibus peccantibus pecco, quando non increpo. S. Prosper, l. 3. de vit. Cont. c. 23.

Odio habeantur peccata, non homines; corripiantur tumidi, tolerentur infirmi; & quod severius castigare necesse est, non sævientis plectatur animo, sed medentis. S. Leo.

Facientis proculdubio culpam habet, qui quod potest, corrigere, negligit emendare. Idem.

Plus erga corrigendum agat benevolentia, quam severitas; plus cohortatio, quam commotio: plus charitas, quam potestas. Idem, Epist. ad Anastas.

Est consentire, silere cum arguere possis, & scimus quod eadem pœna facientes maneat, & consentientes. Bernard. in Nat. Jo: Baptistæ.

Ferveat in nobis zelus ille, ferveat amor justitiæ, odium iniquitatis; nemo vitia palpet, peccata dissimulet nemo. Idem, Serm. de Joanne Baptista.

Qui arguit, veritatem habeat ut cognitor, mansuetudinem ut Pater, justitiam ut Judex. Idem, in hæc verba, *Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam, &c.*

Impunitas, incuria soboles, insolentiæ mater, transgressionem nutrix est. Idem, l. 3. de Consid.

Cum arguuntur vitia, & inde scandalum oritur, ipse sibi scandali causa est, qui facit quod argui debeat; non ille qui arguit. Idem, super Cantica.

Objurgationi semper aliquid blande commiste; facilius penetrant verba, quæ mollia vadunt, quam quæ aspera. Seneca in Epist.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu ad hoc argumentum depromi possit.

FRaternæ correctionis nomine quamlibet correptionem intelligimus, quæ spiritu charitatis fit ob delictum aliquod patratum, ut nocens vel malum reparet, vel imposterum ab aliis patrandis abstineat. Correptio hæc si leniter, & blande fiat, monitum, & correptio vocatur; sin autem asperioribus verbis, reprehensio, objurgatio, vel increpatio dicitur. Hanc nobis rationem tradit S. Augustinus, & hoc ipse interesse docet inter verba reprehendere, castigare, & corrigere, quibus tamen utimur indiscriminatim de fraterna correctione loquentes. D. Thomas, 2. 2. *qu.* 33. *art.* 1. illum charitatis actum appellat, seu quod spiritualis est eleemosyna; seu quod quocumque nomine vocetur, hic ipsi propositus finis est, ut a proximo nostro summum avertat malum, peccatum videlicet, eique summum procuret bonum, hoc est animæ. *Quid sit fraterna correctio.*

animæ salutem. Quibus addit, si correctio hæc adhibeatur, ne scelus latius grassetur, & ne impunitas alia similia suadeat facinora, tunc esse actum justitiæ, ad quam spectat reparare injuriam publico illatam, licet nihil aliud fuisset effectum, quam januam hanc aperire, & quæ injuria adhuc persistere, nisi ostium illud clauderetur.

Duo correctionis genera.

Ex S. Doctoris hujus sententia inferri potest, noxam peccantis, bifariam posse considerari, vel tamquam peccatori solum noxiam, vel etiam noxiam populo, qui inde scandali occasionem excepit: unde sequitur, duplex esse correctionum genus, alterum ut medeamur alienis peccatis, quæ tamquam propria eadem patrantis mala censentur; alterum ut afferatur remedium peccatis, quatenus perniciem afferunt populo per scandalum, quod illi tribuitur. Prima proprie est fraterna correctio, quam charitatis actum esse diximus, altera vero ea est, quam actum justitiæ appellavimus. Prima illa omnes homines obligat, & erga omnes: Secunda vero directe, & regulariter obligat solum Præsules, Superiores, Magistratus erga boni regiminis perturbatores. Prior intra simplices admonitiones, & correptiones subsistit; altera usque ad scelerum punitionem procedit: illa ab inferiore fieri potest erga superiorem: hæc vero nonnisi a Superiore fit erga inferiorem.

Correctio fraterna de præcepto est, nō tantū de consilio.

Theologorum post D. Thomam 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 1. communis est sententia, fraternam correctionem generatim sumptam præcepti esse, non autem solius consilii: quod probant per ea JESU CHRISTI verba: *Matth.* 18. *si peccaverit in te frater tuus: vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum*. Et generatim constat ratio; charitas enim finis est cujuscumque præcepti quemadmodum Apostolus inquit: 1. ad Timoth. 1. *finis præcepti charitas*; & Salvator ipse nos docuit legem universam in duplici charitatis præcepto contineri. Igitur quidquid huic divinæ virtuti adversatur, vel conjunctim, vel seorsim hac lege prohibetur; & quidquid ad eam servandam necessarium est, eadem præcipitur. Et profecto si negligimus corripere, cum opus est, fratrem nostrum, & Dei, & proximi lædimus charitatem. Quod ad proximi charitatem pertinet, hoc illa perspicuæ verba ostendunt: *Lucratus eris fratrem tuum*: Ergo ille perierat, infert S. Augustinus.

Unde sequitur, fraternam correctionem imperatam esse, ut proximum ex magis periculoso lapsu attollamus, quam si in præceps, vel in mare cecidisset. At charitatem infringeret, qui opem non fratri jamjam sese aquis submergenti, vel in eo statu posito, ut in præceps prolapsurus esset, nisi illi tenderet manum, & hanc per summam inhumanitatem illi detrectaret: igitur hanc eamdem charitatem infringit, qui salutaribus monitis opem eidem non fert, ut e peccato suo egrediatur: ideoque hoc est præceptum naturale, atque divinum ex eo universali principio deductum: fac aliis, quod tibi vis fieri. Essene potest, ut quis proximum suum tamquam semetipsum diligat, qui eumdem videns intereuntem, illius non afficitur periculo, quod valeat prohibere?

Hoc peccatum est etiam contra charitatem, quam debemus Deo; non solum quod illi inobedientes sumus, & violamus præceptum, quod nobis explicite indixit imperans, ut fratres nostros deerrantes corrigeremus: verum etiam, quod ostendimus illum non amare, quemadmodum filius amare debet Patrem, & subditus Principem, si eumdem lædi videntes lædentem non increpamus. Quid diceres de filio, qui videret Patrem suum male haberi, quin illi ferret opem? vel de subdito, qui summa animi tranquillitate spectaret Regem suum affici contumelia? Nos vero quotidie tot in Deum blasphemias, tot murmura audimus; tot iniquitates patrari intuemur, quin hanc insolentiam audeamus reprimere! Apertiusne potest ostendi, non inesse nobis pro Deo eam charitatem, quam petit a nobis; tantum enim abest, quod flagremus zelo gloriæ nominis sui, ut immo contumeliis ejusdem nos ne tangi quidem ostendamus? Primum, sanctissimumque præceptorum omnium illud procuIdubio est, quo omnibus animæ nostræ viribus Deum amare tenemur, Si proximum suum veluti seipsum, uti superius dictum est, non amat, qui patitur ipsum interire, neque Deum omnibus amat viribus, qui æquo animo fert, ut mortali noxa lædatur. Quis autem ambigit utrum Deum lædi patiatur, qui id prohibere potest, neque lædentem redarguit? *Si amas Christum, corrige*, inquit S. Augustinus; si illum vere diligeres, illi injuriam inferri minime patereris. Illum profecto non amat, qui non movetur ejusdem contumelia, neque eam prohibere conatur; neque nocenti suadet, ut æqua satisfactione illatum reparet damnum. Inferendum igitur, eum qui correctionis præceptum, ubi potest, minime exercet, contra duplex charitatis præceptum peccare.

Christianus omnis duplici hac animatus charitate odisse debet, quod Deus detestatur, quodque illi contrarium est; & simul odisse quidquid fratrem suum perdere potest. At certum est, nihil Deum magis perhorrescere, nihilque proximo nostro magis officere quam peccatum: ideoque si fidelis divina hac fervet charitate, neque in aliis peccatum pati poterit, cumque cognoverit, hoc a fratre commissum, nihil relinquet intentatum, ut illud penitus destruat. Cum vero nulla suavior, neque utilior sit ad scelus extinguendum via, quam correctio cum zelo, & Prudentia conjuncta, hac ille utetur medicina adeo efficaci monstrum hoc in ipsis incunabulis suffocaturus, atque prohibiturus, ne progrediatur.

Odium peccati efficere debet, ut peccantem corripiamus.

Fraternæ correctionis præceptum, quemadmodum S. Thomas docet *art.* 2. quæstionis ejusdem, nonnisi datis temporibus, & locis obligat, non autem semper, & quolibet momento? tum eo quod præceptum est affirmativum, tum quod opportunum non esset quavis hora, quovis tempore, & in qualibet occasione, aliquem sceleris redarguere, neque clam, neque coram populo, quod multo minus decet. Virtutum enim actus exigunt, ut circumstantiæ serventur, & agatur juxta prudentiæ regulas, alioquin illæ vitiosæ efficerentur, vel saltem alicui defectui obnoxiæ: quod de quacumque virtute vere dici potest.

Idem S. Doctor conclusione 3. ejusdem articuli ulterius docet; hoc præceptum correctionis tunc obligare solum, cum sperare possumus, ut hac ratione proximus corrigatur. Cum enim ad hunc finem institutum fuerit hoc præceptum, hac ipsa de causa illud in praxim redigere non tenemur; nisi cui jure sperare possumus, futurum ut serius, ocyus e voto nostro res cedant. Etenim quemadmodum, quod ad unum finem ordinatum est, ut scholasticis verbis utar, & ad nullum alium finem dirigitur, ad nihil ultra valet, cum finis cessat: ita pariter si correctio, qua fratres nostros corripimus, talis est, ut nullum inde fructum præstolari possimus pro moribus eorumdem, propter alicujus circumstantiæ defectum; tantum abest, quod eo in casu correctio sit de præcepto, ut immo tunc agit eidem præcepto contraria.

Tunc maxime proximum corripere tenemur cum aliqua spes adest futurum ut corrigatur.

Ecce autem quid ex eodem D. Thoma 2. 2. q. 33. *art.* 2. *ad* 3., aliisque Theologis hauserim circa omissionem rerum, quæ hoc præcepto jubentur; scilicet accidere posse, ut proximum nostrum admonere, & corrigere omittamus triplici modo: 1. cum merito; cum prudenti charitatis consilio, & in iis circumstantiis, quæ ad id requiruntur, abstineamus a fratre corripiendo, veriti ne pejor evadat: 2. cum peccato mortali; cum rationabiliter præsumere possumus futurum, ut sese corrigat proximus, si ipsum leniter corripiamus; tunc enim si correctionem omittimus, mortalis omissio est: 3. cum peccato veniali, cum aliquis humanus respe-

respectus, vel mundana aliqua ratio lentiores, atque tardiores efficit in correctione, vel cum fructus spes tanta non est, vel cum non tanta necessitas urget, ita ut negligentia magnum afferre queat detrimentum.

Regulæ, ex quibus dignosci potest, quando fraterna correctio est adhibenda.

Ut autem sciamus, quandonam aggredienda sit correctio, hæ ferme regulæ sunt: 1. non tenemur, uti diximus, peccatorem corrigere, cum jure credimus correctionem irritam fore; & multo minus, si putamus, futurum ut, quin ullum percipiamus fructum, accidat immo, ut correptus succenseat, & per iracundiam suam Deum gravius offendat. Sin autem de eventu dubitatur, etsi hac in re certum capere consilium non possumus, plerique docent Theologi, omitti correctionem posse citra grave peccatum, & nisi moralem habeamus felicis eventus certitudinem nos cum stato rigore nequaquam teneri. Optimum tamen est sedulo cavere, ne facile nobismet persuadeamus, correctionem fructu carituram: periculum enim imminet, ne hæc persuasio ex ignavia, vel metu oboriatur illis displicendi, quos non audemus de officio suo commonefacere. Secunda regula; juxta Theologorum sententiam privati non tenentur publica peccata corrigere, nisi fortasse per accidens, & indirecte atque tunc etiam semper meminisse debent, se nequaquam Dominos esse. Correctio, de qua hic agimus, secreta esse debet, atque seorsim fieri, quippe inter privatos est transigenda; sed peccatis publicis similis correctio nequaquam satis mederetur; acriorem illam postulant, & satis aptam, ut scandalo afferat medicinam. Possumus quidem, immo debemus, seorsim publicum peccatorem corrigere, & redarguere, ubi occurrat occasio; & ipsi etiam Superiores, cum viam hanc arripere possunt, quippe qui exigere possunt, ut sibi aures attentius adhibeantur, præsertim vero Pastores quibus demandata est animarum cura, plurimum hac in re præstare tenentur: hoc enim idem est, ac mali ipsius radicem convellere: *Dicendum quod etiam in correctione fraterna, quæ ad omnes pertinet, gravior est cura Prælatorum, ut dicit Augustinus in libro de Civitate Dei;* verba sunt D. Thomæ: sed præter hoc remedium alterum etiam publica noxa requirit, ab illis videlicet, qui publicam habent auctoritatem, quales sunt Præsules, Magistratus, & Superiores. Tertia denique regula in fraterna correctione observanda hæc est, ut opportunam scruteris occasionem adeo Sancto munere perfungendi; neque putes e re semper futurum peccantem in ipso delicto deprehensum corripere. Præsertim vero cavendum est, ne hominem redarguamus, cum in ipso affectus fervet magnitudo. Cum enim nihil valeat ratio apud hominem sensu, & ratione carentem, similiter inutile est admonere, & corripere peccatorem actu passionis suæ furore correptum.

Quos corrigere teneamur.

Quamvis fraterna correctio bonum sit, quod universo mundo debemus, nihilominus necessarium non est, ut omnem lustremus Civitatem, eos, qui deliquerint, correpturi; sed satis est, ut hoc charitatis officium inter eos contineatur, cum quibus res aliqua nobis est, & qui aliquo affinitatis, amicitiæ, vel societatis vinculo sunt nobis conjuncti. Hoc enim præceptum nequaquam obligat privatos homines, ut curiosius alienas explorent actiones, quas corripiant, atque redarguant. Hoc ad Superiores pertinet erga eos, qui sub eorum auctoritate versantur veluti ad Patres erga filios, & Dominos erga servos, quibus invigilare tenentur, & de quibus sunt rationem reddituri. Pro aliis vero, in quos neque auctoritatem, neque jurisdictionem obtinent, satis est, si corripiant malum, quod in ipsis vident, vel quod fortuito ipsorum auribus accidit; atque tunc quoque eas observare debent conditiones, quas superius attulimus. Ita docet S. Augustinus serm. 16. de verbis Dom. *Non quærendo quid reprehendas, sed videndo, quid corrigas, ... alioquin efficeremur exploratores vitæ aliorum.*

Licet nemo corrigere valeat, neque ad frugem revocare possit eum, quem semel Deus dereliquit; unusquisque tamen nostrum vi præcepti hujus tenetur ea quæcumque potest conari non sine spe gratiæ, & cœlestis auxilii. Quis enim cognoscere potest suprema Dei consilia in eos, quos gravissimis abditos sceleribus intuemur? Alioquin vero nonne bene sperare cogimur de misericordia Dei, qui fidei persecutorem in Apostolum, & vas electionis convertit, & flagitiosissimos peccatores in admirabiles sanctos mutavit? Igitur nullius unquam salus desperanda est; ideoque non est ab improbis corrigendis cessandum. Hac mente S. Paulus Timotheum Discipulum hortatur, ne cesset unquam corrigere, admonere, omnesque exercere artes ad peccatores ad officium revocandos: *Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.* 2. ad Tim. 4. Quod Apostolus Episcopo dicendum existimavit, cæteris quoque pro documento, atque exemplo esse potest.

Non cessandum, si etiam cōsilia nostra in sequiorem partē accipiantur.

Si quem mones, vel corripis iniquo fert animo correptionem tuam, quod affectus magnitudine excæcatus est; ubi sese collegerit atque perpenderit diligentius, quæ sibi dicta fuerunt, agnoscet, te veri amici munere functum, tibi acceptam referet salutem suam, & serius, ocyus plurimas tibi gratias habebit. Verum esto ingratus sit ille, cui tantum confers beneficium; si vere christiana est charitas tua, non ideo cessare debes, quominus hac in occasione illi opem feras; immo etiam majori zelo pro ipso contra ipsum agas, medicos imitatus, qui minime curant, utrum phreneticum ægrotum lædant, molestum eidem pharmacum præcipientes: si enim illum modo ad iracundiam provocant, sciunt sibi gratias acturum, ubi perfecte convaluerit. Sin autem medicorum conatus e voto non cedit, saltem suo munere perfunguntur, nihilque sua ipsis conscientia exprobrabit, si æger e vita decesserit. Hunc nobis proponere finem debemus proximum corripientes.

Quando & quomodo corrigendum.

Prohibuit Deus, ne temere de proximorum factis judicium ferremus, vel ne ulla nobis suspicio incederet nequitiæ eorum, cum, quæ ab ipsis fiunt, palam nefaria non sint. Vetuit etiam explicite, ne obloqueremur, neque aliis ea detegeremus mala, quæ scimus, ubi secreta, & abscondita sint; sed voluit, ut de peccatis redarguerentur, ubi nostris illa acciderent auribus; & ut leniter admonerentur, primum quidem seorsim ad evitandum ruborem, quo palam suffunderentur; deinde, si nullus ex admonitionibus fructus perciperetur, ut coram uno, vel duobus testibus acrius increparentur, ut melius suum errorem cognoscerent: ac tandem Ecclesiæ toti deferrentur, ut per salutarem confusionem istam sese tandem colligerent. Sin autem hæc omnia in irritum cederent, nihilque correptionibus proficeretur, jussit eos tamquam Ethnicos, & Publicanos haberi, omnemque cum ipsis tolli necessitudinem. Hoc nobis ore proprio præceptum irrogavit JESUS CHRISTUS, & hoc ipse etiam pluribus in occasionibus exercuit. Utinam præceptum hoc servaretur hodie cum eadem severitate, & libertate, qua primis Ecclesiæ sæculis, immo etiam in veteri Lege servabatur! Vitium, quod hodierna die impune grassatur, prodire minime auderet, & cum modo tanta sese efferat jactantia, timeret, & expavesceret; tot enim haberet censores, & judices, quot spectatores, quorum notam, & reprehensionem formidaret.

Non petitur ex nobis omnino, ut in proximo scelerum cursum inhibeamus; sæpe enim mali vis vehementior est ipsis remediis: sed quemadmodum loquitur S. Bernardus lib. de Consid. *exigeris curam, non curationem*. Teneamur solum proximi curam gerere, & malo supremum reprehensionis remedium applicare, quæ si in proximo effectum non obtinuerit, obtinebit in nobis; ita enim perfungamur munere charitatis, quam proximo nostro

stro præstare jubemur. Ita Dei Filius de hujus remedii successu sub conditione tantummodo loquitur: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum:* Matth. 18. Si te audierit, si intellexerit utilitatem suam, si, quem debet, fructum perceperit ex admonitionibus tuis, verus eris ejusdem amicus, & medicus, & quodammodo etiam Salvator. Sed quomodocumque res cessura sit, maximum charitatis munus obibimus, & quemadmodum nihil nobis esse debet antiquius, quam fratrum saluti prodesse: nihil est etiam, quod magis timere debeamus quam ne causam præbeamus illius damnationi, & excidio seu eumdem impellentes in scelus pravo exemplo, seu minime prohibentes, ne cadat, illum non corripiendo, atque admonendo. Utroque modo terribiles illas subimus minas, quas imentat Deus per Prophetam suum illis, qui causa fuerint interitus fratris sui: *Ille quidem in iniquitate sua captus est; sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.* Ezech. 33.

Hujus præcepti necessitas.

Fratris corrigendi, & de peccato suo corripiendi præceptum summæ necessitatis non esse nequit, constituit enim partem præcepti charitatis, quod Deus præceptum suum antonomastice appellat. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Joann. 15. Quemadmodum vero ex Apostoli sententia cætera legis præcepta hoc uno complexus est Deus; asserere possumus, hunc unum charitatis actum, quem erga proximum exercemus illum corripientes, eminenter alios quoslibet continere; quod illum ex maximo malorum omnium, quod est peccatum, educimus; illi maximum bonorum omnium quod est salus æterna, procuramus; illi in necessitatum omnium gravissima opitulamur, illi saluberrimum consiliorum omnium tribuimus, ac tandem amplissimum omnium beneficiorum conferimus. Itaque JESU CHRISTO hæc actio charitatis adeo cordi fuit, ut licet in præcepto generali contineretur, eam peculiariter præcipere voluit hoc explicito mandato: *Si peccaverit in te frater tuus: vade, & corripe eum.* Matth. 18.

Fraterna correctio, quatenus actus est charitatis, non solum ab omnibus exerceri potest, verum etiam cum omnibus, qui delinquunt, qui vitio alicui sunt obnoxii, vel qui scandalum attulerunt; attamen ista correctio aliter, aliterque instituenda est pro statu, & qualitate eorum, qui corripiunt, vel corripiuntur. Etenim primo quæ fieri potest ab inferiore ad Superiorem, vel ad eum qui nos aut dignitate, aut nobilitate superat, esse debet, ex Divi Thomæ sententia, cum quadam reverentia, suavitate, & modestia conjuncta, atque iis verbis, quæ palam ostendant, nos status nostri nequaquam oblitos, sed zelum salutis ejus, vel fidem, quam illi debemus, & quam ipse alias in nobis expertus est, nos in eam spem induxisse futurum, ut æquo pateretur animo, si veritas sibi a nobis diceretur. Correptio deinde subjicienda, æque sincera esse debet, atque modesta. Hæc sunt Divi Thomæ verba: *Ut scilicet, non cum protervia, & duritia, sed cum mansuetudine corrigantur, unde Apostolus dicit: seniorem ne increpaveris; sed obsecra ut Patrem,* 1. ad Timoth. 5. Secundo cum paribus minus caute, magisque audenter agendum; cumque æqualitas ad audendum majorem præbeat ansam, liberius est instituenda correctio; licet semper hac uti debeamus circumspectione, ut aptetur personarum ingenio, amicitiæ, vel necessitudini, quæ interesse potest, & scelerum qualitati, quibus obnoxii sunt. Tertio, cum inferioribus, satis patet Superiori utendum esse auctoritate sua non solum ad eos majori vi corripiendos, verum etiam puniendos, ubi necessitas velit; ita tamen ut semper charitas severissimam etiam leniat correctionem; & postquam illis ostensa fuerit criminis gravitas, & noxii ejusdem effectus, intelligant simul, hanc, & Paternam esse correctionem, & satisfactionem publico debitam.

Amicum prodimus cum illum corripere veremur.

Qui amicum non audet reprehendere, ne ipsum lædat, atque ut sartam tectam cum eo servet amicitiam, non videt profecto se sanctissimas amicitiæ æque, ac charitatis leges infringere manifesta proditione, qua ipsum interire pariter quod salutari consilio ipsum admonere detrectat: quod aliorum censuris, & irrisionibus objicit, quibus fortasse idem, ac nobis jus est illius monendi, & corripiendi; sed cum sint æque inertes, & timidi, eamdem in ipsum infidelitatem committunt. Et sane si hunc diligitis; quamnam præstolaris occasionem, ut tuam illi probes amicitiam, si eam nunc ostendere non audes in hoc, quod primum zeli tui esse debet objectum? Cum ad auferendum maximum suæ salutis obicem una tantum sufficere possit vox, una amici admonitio, & lenis correctio, quæ ipsum de miserrimo statu, in quem lapsus est, educere poterit. Si amicus, quem admones, æquus est, habere profecto debet tibi gratias; sin autem iniquus, tua est indignus amicitia.

Si veram ergà Deum charitatem habemus, qua fideles omnes animari debeat, Dei ipsius mentem debemus assequi, quæ profecto est, odisse peccatum, quod ille unice horret, omnem conatum exerere ad illud destruendum, nihilque intentatum relinquere prohibituros, ne Dei majestas lædatur. Hoc ille præstolatur a nobis: ideo quemadmodum prohibet, ne peccemus, ita præcipit, ut peccantem corripiamus; nulla enim tutior, suavior, & efficacior est via, vel ad prævertendum scelus, vel ad sceleris progressum inhibendum, In hac igitur occasione præsertim ferre præ nobis debemus amorem nostrum erga Deum, atque Mundi Salvatorem. Si vere amas eum, qui venit, ut peccata deleret, audacter peccantem corripe, & redargue. Numquid ignorare potes quantum dedecus Deo peccatum adferat? Heu si hoc tenes, quiescere ne potes, illum contumelia affectum intuitus? Si amicum haberes, cui te totum devovisses, ferresne tacitus, ut coram te illius existimationi nota adspergeretur? ut ille conviciis peteretur, vel domui ejusdem maleolis ignis admoveretur, quin te ipsum moveres, quin ad ignem conclamares, & quin eum tibi defendendum esse censeres? Tu vero, quem Deus amicum vocare dignatur, cui gratia gloriosum hunc titulum præbuit, poteris, ut te inspectante dedecore ipse afficiatur, in eum ingerantur convitia, ejusque leges, & mandata infringantur? Tu testis es, & spectator, & potes quiescere, quin tu quoque amicitiæ leges infringas, & indignæ infidelitatis reum te constituas?

Quomodo nostra res agitur in proximi correctione.

Dei, & proximi nostri utilitati nostra quoque utilitas addenda est, nobis etiam alii peccant, nisi eos corripuerimus, & increpaverimus: *Si peccaverit in te frater tuus*, inquit Evangelium hoc nobis irrogans præceptum. Si peccaverit contra te, hunc sensum nonnulli verbis allatis appingunt; sed non id innuere velle Dei Filius mihi videtur. Si enim corripere teneremur, cum læsi fuimus; homines sane, qui nimium injuriis afficiuntur, præceptum hoc, quod ipsorum faveret studiis, satis superque adimplerent: eorum questus, exprobrationes, sæpe etiam ira, & ultio in occasionibus, enitescerent, ultra quam par esset: & ita pauca scelera correctione carerent, si noxa nos tantum respiceret. Quamobrem alii censent, verba illa *peccaverit in te*, significare velle, *coram te*, quasi nos ipsos offenderet, qui nobis inspectantibus offendit Deum, quem amare, & cujus honorem nostræ etiam utilitati anteferre debemus. Hac ipsa de causa nosipsi peccamus cum aliena patimur peccata, nec equis, & quadrigis adnitimur, ut ea prohibeamus. Sensus autem maxime naturalis, quem Sancti Patres huic loco tribuunt, hic est, in nosipsos reipsa peccari, cum coram nobis peccatur in Deum, quia hæc actio esse potest nobis causa peccati, vel propter malum exemplum, quod nobis tribuitur, vel propter imbecillitatem, & ignaviam,

qua

qua peccatum corripimus, vel propter defectum charitatis, quem ostendimus, fratri non afferentes opem, ut lapsus consurgat, eumdem minime redarguentes, ut opus est, atque tenemur. Igitur propter propriam utilitatem proximum debemus corrigere, nisi velimus sceleris sui, fieri participes, & a nobis rationem deposci malorum omnium, quæ ejusdem exemplo patrantur. Hoc præcepto si hujus necessitatem ostendit, quod videlicet in hoc ita res agitur nostra, ut Deus a nobis rationem sit expetiturus; atque hinc docemur aliquem existimare se divinæ ultioni obnoxium non fore, quia inter sua peccata recenset ea solum, quæ ipse patravit, quin attendat, ut olim Regius Propheta, non deesse aliena peccata, quorum a nobis rationem exiget Deus, & quæ nostra fiunt, & quod cum possemus, illa non prohibuimus. Satis enim est officio huic defuisse, ut simus nocentes; quamquam fortasse ad hujus articuli necessitatem numquam appulerimus animum: ***Et ab alienis parce servo tuo.*** Ps. 18.

Ut corrigere possimus, uti decet, & cum veritate, proximos nostros de ipsorum defectibus; non satis est mero agi zelo, atque charitate urgeri, requiritur ulterius, ut qui corripit, immunis sit a vitiis iisdem, quæ reprehendit, atque vituperat. Ita docet etiam S. Thomas, nihil magis enervem correctionem efficere, quam intueri corripientem iisdem obnoxium vitiis, quæ corripit. Itaque oportet præferre boni exempli auctoritatem, atque præclaram probitatis existimationem; alioquin nihil injustius, nihilque magis ridiculum, & quod magis mereatur eorum, qui corripiuntur, censuram, atque contemptum, quam si nosipsi correctione indigeamus. Nihil stultius quam hominem violentum, atque furentem modestiæ, atque patientiæ præcepta tradere velle, & hominem libidinosum, & voluptatibus deditum temperantiæ documenta suis amicis dictare. Nonne hoc est sese alieno contemptui objicere, aliisque ansam præbere dicendi, quod est in Evangelio: ***Medice cura te ipsum?*** Heus tu, qui aliis mederi contendis, cur non uteris iis pharmacis, quæ aliis propinas? Quod si metus, nostræque auctoritatis reverentia prohibuerint illos, ne in faciem hæc nobis exprobrent; saltem clam in ludibrium traducent monita nostra nosque cum amicis suis irridebunt. Verum si irreprehensibiles fuerimus, correctio nostra cum charitate conjuncta felici eventu carere non poterit.

Non necesse est omni prorsus culpa vacare ut jure alios corripias.

Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, non sequitur, nos prorsus perfectos, & ab omni labe vacuos esse debere, ut vindicare nobis possimus jus alios admonendi, & corripiendi: si enim hoc verum esset, nemo teneretur peccantes corrigere; nemo enim a culpa immunis est. Et si opus esset semper, nos æquiores esse illis, qui in viam justitiæ sunt revocandi, quis citra criminosam audaciam hanc sibi posset Provinciam deposcere? quandoquidem in communibus erroribus, quos sæpe tenemur redarguere, optimus quisque tantum habet infirmitatis, ut similis videatur illis, quos corripit, quapropter præcepto hoc persungi minime posset, quod nihilominus generale est, omnesque vicissim homines obligat. Sufficit ergo irreprehensibilem vitam ducere bonorumque virorum communem mereri approbationem, ut jure corripiamus vitia, quæ ad cognitionem nostram perveniunt, quin totius humani generis censuram exerceamus.

Correctio ad hoc, ut utilis sit, quamplures habere debet circumstantias, quibus ipsa lenitur. Ea enim accommodanda est ingenio eorum, qui corripiuntur, ideoque opus est, eorum studia, infirmioremque partem agnoscere, ut modo utilitatis, modo gloriæ, & existimationis, modo ætatis, & dignitatis rationem illis proponamus. Nimis violenta reprehensio peccatorem exasperare potius potest, quam revocare ad officium, & alia importune adhibita quocumque effectu carebit. Si elata voce superbum hominem alloquemur, lapis erit super lapidem violenter cadens, ex cujus lapsu igneæ scintillæ emicabunt. Si corripiendus pavidus est, æquum erit, ac facile ex hac ipsa parte ipsum oppugnare, & justum metum ob pravam vivendi rationem eidem injicere: sin autem auctoritate, vel dignitate polleat, blande aditus nobismet aperiendus erit in animum illius, ita ut ipse errata sua cognoscat, & contra se damnationis suæ proferat sententiam, quod in Davide Propheta Nathan obtinuit: ***tu es ille vir.*** 2. Reg. 12. Zelus enim, & charitas certas aperiunt vias, cum vere nobis fratrum nostrorum salus proposita est.

Qui peculiari jure alios tenetur corrigere.

Non desunt quidam, qui præter communem omnibus fidelibus vitia corripiendi obligationem, ad id peculiari tenentur officio, quod eorum statui, honori, loco, muneri adhæret. Exempli gratia, Pater familias invigilare debet filiorum, servorumque suorum actionibus: ipsius interest, eos corrigere cum sese emancipant, & a vera virtutis semita aberrant: ad illum pertinet filiorum educatio: ideoque ipsius est eos corripere, & adolescentiæ præcipites motus compescere. Quis enim ignorare potest auctoritatem patriam primam esse, vetustissimam, ac magis naturalem ex omnibus legibus? Ad hæc cum simul sit domi suæ Dominus: nihilque ibi fieri debeat, nisi de mandato ejusdem, ipse rationem redditurus est de servis suis, cum in illos jus obtineat prorsus diversum a jure Magistratuum, qui potestatem suam non in qualibet occasione, neque propter omnia crimina exercent. Adsunt etiam nonnulli, qui tenentur curam gerere eorum, quos Deus illis commisit: illi autem tenentur corripere ea, quæ noverunt flagitia: quia si rationem reddituri sunt de salute illorum, qui suo subsunt regimini, nonne rationem reddent de eorum sceleribus, quæ saluti ipsorum sunt impedimento? Non desunt alii, quibus profecto adeo explicitum jus non est, sed nihilominus sufficit, ut ad hoc munus explendum necessario teneantur. Hoc autem jus confert amicitia. Amicum habes, cujus auribus omnia secreta committis, & qui vicissim sese aperit tibi: intus ergo, & in cute illius flagitiosum vivendi genus, ejusque impudicitiam nosti. Tuum est, ipsum amice redarguere; & eadem amicitia, quæ hoc tibi jus tribuit, atque aditum aperit faciliorem, peculiarem etiam tibi injicit obligationem. Alia supersunt particularia jura, velut ea, quæ sanguinis propinquitas confert fratrum in fratres, & consanguineorum, quorum interest bona, vel mala cognatorum suorum existimatio, quin loquamur de illis, qui parentum locum obtinent apud eos, in quos parentum obtinent jurisdictionem, quales sunt tutores erga pupillos, Magistri erga discipulos, & Pædagogi erga Nobiles alumnos. Certum est hæc nomina, & officia totidem instituere particulares obligationes corripiendi præter eam, quæ christianis omnibus communis est.

Fraterna correctio, qui præstantissimus quidem est charitatis actus, & cujus tanta necessitas est, plurimas in praxi patitur difficultates, & quo ægrius superbia nostra patitur redargutionem, eo difficilius amor proprius viam ad alios corripiendos nanciscitur. Metus illis displicendi, vel eorum odium sibi conflandi, ratio, quam habemus eorum qui corripiendi sunt, ipsorum qualitas, atque superbia, quæ non patitur, ut ad illos audeamus accedere, naturalis nostra timiditas, vel potius ignavia: denique modicus zelus, quo & pro eorum, & nostra simul salute sumus succensi, totidem sunt difficultates, atque impedimenta, ne explicitum adimpleamus præceptum, cui deesse non possumus, quin nosmet reos efficiamus ejusdem criminis, quod detrectamus corripere; & quemadmodum plurimi Doctores loquuntur, quin fiamus participes scelerum omnium, quæ illi patrant, & mox etiam eorum malorum, quæ eventura

tura sunt; quod non attulimus medicinam, quam poteramus.

Animadvertendum est tamen fraternæ correctionis præcepto nequaquam opponi alienas infirmitates pati, easque ad tempus aliquod dissimulare; hic enim nonnumquam actus est charitatis, quemadmodum monet Apostolus: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*: Non enim dissimulantur, nisi ut tempus opportunum expectetur, ut correctio fiat efficaciter, si est necessaria. Quis enim ignorat, utrum ille peccantis impetus quidam fuerit, ex quo quamprimum sese sit collecturus? Hoc proprie est charitatem prudentia regere, omnia metiri, ut correctio magis opportune, & majori cum fructu efficiatur.

Nimis multi in mundo inveniuntur, qui correctionis prætextu fratribus suis contumeliosas exprobrationes efficiunt, eorum oculis objicientes magis occulta, & obscœna vitæ ipsorum flagitia: sed hujusmodi exprobrationes non aliud sunt, quam effectus ipsorum odii, & furoris, non aliud quærentis, quam eam voluptatem, quam in proximi conviciis experiuntur. Sensus, & rationes hujusmodi prorsus abhorrent ab eo quod petit vere fraterna correctio, quæ est actio sancta, & actus charitatis Dei gloriam, & fratrum utilitatem inquirens. Qui igitur ita Dei opus corrumpunt, animadvertere debent, se obesse potius, quam prosint. Cæterum opus non est, ut injucundus, & ferox oris habitus, quo monita nobis tribuuntur, ad ea contemnenda, si bona fuerint, nos cogat; e contra vero illa cum docilitate audienda sunt, & cavendum, ne propter animi nostri ægritudinem aliter judicemus, quam oporteat, & non intelligamus a nobis esse præstanda ea, de quibus admonemur.

Opportunæ correctionis fructus.

Ambigendum non est, quominus fraterna correctio prudenter adhibita magnam adferat utilitatem corripienti. Insignia autem bona, & fructus præcipui, quos inde percipere potest, quinque sunt, qui sequuntur. Primus est, quod hoc pacto proximus educitur de cæno vitiorum suorum, vel prohibetur, ne magis magisque immergatur. Hoc exprimit Evangelium per ea verba: *Lucratus eris fratrem tuum*: Alter, illi ob oculos statuendo crimina sua efficimus, ut illa cognoscat, etiamsi illis antea non adverteret animum, eique peccatorum horrorem injiciamus: *Corripe amicum, ne non intellexerit, & dicat; non feci*. Eccl. 19. Tertius, quod Cœli benedictiones promeremur, & propriæ saluti consulimus prospicientes alienæ: *Qui arguunt, laudabuntur, & super ipsos veniet benedictio*. Prov. 24. Quartus, quod sæpe amicitiam acquirimus illius, qui a nobis corripitur, vel saltem quemadmodum de ipso melius mereri nequaquam possumus ille saltem habere gratiam debet: *Argue sapientem, & diliget te*. Prov. 9. Quintus, cum publica esse debet correctio, si qui corripitur, ex correptione fructum non percipit, hunc tamen percipiunt alii, & sibi cavent, ne in similia scelera decidant, ne parem subeant correctionem: *Peccantem coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant*. 1. Timoth. 5.

Hujus peccati gravitas ex quatuor capitibus sumitur. 1. Committimus omissionis peccatum, non observantes tantæ necessitatis præceptum. 2. Participes evadimus criminum, quæ a proximo perpetrantur, illa dissimulantes, & non corripientes, & quo magis prohibere tenemur, ne ille cadat, dum actu cadit, eo sumus nocentiores. 3. Causa sumus æternæ illius damnationis, si idcirco ille interierit, ejusque interitus Deo rationem etimus reddituri. 4. Ratio nobis reddenda est de scandalo, quod ille adfert, deque malis omnibus, quæ imposterum ejusdem producent flagitia, eo quod in ipso fonte non inhibuimus cursum, quemadmodum tenebamur.

Duo hominum genera diversa ratione corrigendorum.

Animadvertendum est, proximum bifariam posse considerari, vel enim per fragilitatem in aliquod scelus cecidit, ideoque non indiget alienis monitis, ut inde emergat; vel non agnoscit facinus suum, & illud etiam mordicus tuetur. Quod attinet ad eos, qui per fragilitatem lapsi sunt, quod innuunt ea verba: *Siquis praeoccupatus fuerit*; qui eos tenetur corripere, debet, quantum muneris sui ratio patitur, summa uti lenitate, videns lapsum eo in statu reperiri, in quo correptionem æqui, bonique consulere potest; ideoque hæc prima via est, quippe quæ optima, quam nobis Dominus commendat. Hic præsertim humana fragilitas consideranda est, neque superbiendum, ubi fratrem lapsum videmus, immo e contra considerandum, nos æque fragiles esse, ideoque in humilitatis, & lenitatis spiritu eumdem esse commonefaciendum: *Considerans te ipsum, ne & tu tenteris*. Verum enim vero si res tibi fuerit cum illis, qui scelus suum non agnoscunt; tunc severior objurgatio erit adhibenda, quæ a S. Paulo *increpatio, & correptio* vocatur. Quod enim docet Apostolus, corripiendos esse in Spiritu lenitatis eos, qui sua videntes flagitia, illa confitentur, atque sese humiliant; hæc sane nequaquam ratio est, quia indiscriminatim cum omnibus sit utendum.

Cæterum si non desunt flagitia, quæ non corripere nefas est, non desunt etiam alia quædam, quæ dissimulare potius intersit. Hoc autem accidit, cum correptiones, quin correptos meliores efficiant, eos magis irritant, atque exasperant. Huic innixi principio, quod omnium sæculorum experientia probavit, ea ferenda esse mala didicimus, quæ corripiendo curare non possumus.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Fierine potest, quæso Fratres, ut Deus magis deferatur quam terræ hujus Principes? Mirum! tanto ardore Regum honori studemus, ut si vel minima ipsis inferatur injuria, vel aliqua contra eorum majestatem fiat conjuratio, excitemur, & ut utar verbis Tertulliani cap. 2. Apologetici sui, arripiamus arma, & milites simus: *contra læsæ majestatis reos omnis homo miles*: Quid autem! Terræ hujus Principes subditos habebunt adeo studiosos sui, & Regum Rex neminem reperiet qui fidelis sit, & qui ipsius injurias propulset? Inertes christiani videbunt ipsum affici contumelia, videbunt vim ejus vitæ intentari; neque movebuntur? Nonne hoc est, Augustinus ait, sese nocentem efficere rebellionis, & sceleris, quod non corripitur? Ad arma currendum putas pro Rege, quem fortasse numquam vidisti; tuum esse arbitraris populi seditionem compescere; quantumvis autem a Deo te amari scias, nihil pro ejusdem gloria conaris? Non te fugit Deum tanta te prosequi benevolentia, ut ad tuam utilitatem omnia disponat; quotidie percipis amoris ejusdem effectus: & licet tot sis beneficiis cumulatus, cum te inspectante lacessitur, ne hiscere quidem audes; neque pro ejus gloria decertare contendis? Aliquem ex fratribus tuis vides ejusdem sanguine imbutum, & gloriæ ipsius nebulam offundere conantem, tu vero langues, atque in criminoso metu te contines! Heu! Fierine potest, ut fidelis Dei spiritu animatus sit, ejusque amore succensus, si illius gloria non tangitur, si ad eam tuendam nihil audet generosum? *In Sermonibus, qui sub Patris Bourdaloue nomine circumferuntur pro feria tertia post tertiam Quadragesimæ Dominicam*.

Amor, & Dei gloria nos ad proximos corrigendos impellere debent.

Nemo non tenetur fratrem corrigere.

Qui legitimis rationibus immunes esse possunt a necessitate corporalem eleemosynam erogandi, illi ipsi secum dispensare non possunt a necessitate spiritualis eleemosynæ exercendæ, videlicet fratres suos corrigendi. Mercator, Nobilis aliquis Vir, Civis, dicet: plurimos habeo filios, tempora sunt calamitosa, ægre invenio, unde alam familiam meam; næ hic quidem nisi fictitiam prætexit egestatem, & inanes adfert excusationes non

tene-

tenetur eleemosynam erogare: sed in quocumque statu ille sit, numquam fratrem suum corripere non tenetur. Novit ille proximum in periculo versari moriendi in peccato, ipse illum pravo irretitum habitu videt, hoc scit, hoc novit: nisi illum inde conetur educere, Carnifex est, & rationem redditurus animæ fratris sui, quem perdidit, eo quod non corripuit. *Idem*.

Hoc illud est argumentum, quod vos de hac veritate præ cæteris persuadere debet. Christianus omnis amare debet proximum suum ex supranaturalis charitatis principio: charitas vero supernaturalis ordinem amat; ita ut opem proximo laboranti ferens semper majores inquirat necessitates, ut illis ante cæteras solatium afferat. Necessitatum autem omnium maxima, omniumque calamitatum miserrima, est in peccatum ruere, & cœlestibus bonis indigere. Hæc igitur charitas, si vera, & christiana est, hujusmodi necessitates debet auferre, hanc egestatem propulsare, ne fratres in has decidant calamitates. At qui nonnisi per fraternam correctionem id potest efficere: quicumque ergo fidelis vere proximum suum diligens, ipsum tenetur corrigere. Omnis enim fidelis proximum suum cum ordine amare debet, neque cum ordine illum amare potest, nisi majus minori bonum anteferat: neque majus minori bonum anteferre potest nisi præferat tempori æternitatem; ideoque pro æternitate proximum diligat. Pergamus. Illum pro æternitate amare non potest, nisi cupiens, ut in virtute sit; at hic in virtute esse non potest, nisi emergat e vitio, in quo versatur: neque melius inde potest emergere, quam per correctionem, & salutaria monita sibi præbenda; ideo fidelis quicumque, qui fratrem integro, & ordinato amore, & pro æternitate amare tenetur, hunc etiam tenetur corripere. *Idem*.

Correctio non ex ira, aliove animi motu facienda.

Cum fidelis fratrem corripit hoc ille cum ratione, non autem passione aliqua præstare debet; rationis enim defectus inutiles efficit correctiones. Passio ridicula efficit uxorum contra viros querimonias; cachinnis objicit virorum contra uxores, & patrum contra filios, & Dominorum contra Servos querelas: sed nihil æquius est, quam alium cum tranquillitate, non autem cum præcipiti impetu spiritus corripere. Si animi ægritudine correptus corrigis, quem fructum sperare potes? Cum iratus quispiam alium corripiat ullane spes esse potest futurum, ut hunc leniat? Ideo tenemur in hujusmodi occasionibus numquam ferri iracundia. Attamen vides quid in mundo fiat, & quomodo ibi consuescat; si fit correctio, hæc plerumque ex insana proficiscitur cupiditate sese tamquam Superiorem aliis jactandi; & qui hoc pacto corripitur magis, magisque exasperatur, quin ad officium revocetur. Cur istud? quia cum alium sceleris corrigimus, scelus aliud patramus, atque hoc pacto, nos nocentes sumus; cum alterius noxam corripere volumus. Cæterum si qua vitæ nostræ actio poscit, ut compos tui sis, & agas cum tranquillitate, hæc sane correctio est. Et ratio constat: ut enim utiliter corrigas, explorare debes ingenium corrigendi; illius infirmiorem partem cognoscas opus est, tempus fandi commodum præstoleris, omniaque illius studia diligentius scruteris. Si ferox sit ejus ingenium, cavendum, ne illum offendas; si timidum, vel iners, excitandus est, & sic de cæteris. Hæc autem quomodo præstari possunt cum passionis impetu rapimur ad corripiendum? *Idem*.

Reprehensio fieri debet cum humilitate: alicui enim insultare, cum aliquid ab ipso cupimus obtinere, numquid est animum illius præparare ad ea, quæ sumus dicturi? Nonne satis pudoris eidem injicimus ob oculos ipsius facinus suum statuentes, quin velimus etiam illius miseriæ, atque cæcitati insultare? Si peccator es æque ac ille, qui corripiendus est, & hoc illi exploratum est, videat te ipsum cum eodem humiliari, & quin superbiæ spiritu illi exprobres scelus suum, temetipsum in eadem conditione constitue; *Congemiscamus*, ut ait S. Augustinus. Cum eodem lacrymas misce, & humiliter dic, quid sentias de illius vivendi ratione: hæc enim certissima ratio est ejus lucrandi. *Idem*.

Correctio aptior via lucrandi fratrem.

Lucratus eris fratrem tuum, inquit Evangelium; illius concionator eris, & Apostolus, apud illum Dei Vicarius eris, gratiarum Cœlestium dispensator, nunciusque fidelis. Certum est enim Deum plurimas gratias correctionibus adnectere, & aliquem fortasse numquam salutem æternam consecuturum fuisse, nisi fuisset correptus: atque ita, qui eumdem corripuit, auctor est salutis ipsius. Aliquidne ulterius requiritur, ut cogaris fratrem tuum aberrantem corripere? *Idem*.

Cum Chirurgus novacula abscessum ferit, ingentem adfert dolorem, partemque infirmam summo rigore torquet: sed postquam inde labem, ac tabum abstersit, leniter eamdem attrectat, illam vittis circumligat, atque multa admovet lenimenta; diceresque ipsum palpare, quod antea tanta cum severitate secuerat. Ubi Christianus correctionem exercet, novacula quodammodo secat, & acerbissimam facit incisionem; sed paulo post ægram partem palpat, atque fratri suo majorem benevolentiam, quam ante, testatur. *Idem*.

Oportet, ut in correctione zelo comes boni exemplum accedat.

Bonum exemplum si desit, zelus omni caret fructu in illis, cum quibus exercetur; censorum monita contemnuntur, & inde arripitur etiam occasio in deterius ruendi. Monita contemnuntur, quia contemnuntur personæ: earum vitia eo magis exaggerantur, quo magis illæ exaggerare conantur aliena; nihil illi parcitur, quia nihil parcere student. Ex falso eorum zelo nequiores fiunt: putant enim correpti ea, quæ sibi dicuntur, iis tantum esse dicenda, qui spiritu carent, neque vera ea putant, quia a corripiente exerceri non vident. Da mihi judicem, quem omnes justitiæ corruptorem agnoscant: præstantissima hic de æquitate dogmata tradat, & persequatur abusus: illum videbimus, ejusque vivendi ratio cum iis quæ ab ipso venditantur præceptis collata persuadebit aliis, ipsum nequaquam credere, quæ dicit. Da mihi Patrem libidinosum, matrem inverecundam filiis suis præcepta tradentes, alterum quidem pudicitiæ, alteram vero modestiæ: quem fructum invenient? Satis est mundum intueri, ut hæ pateant veritates. Te ipsum corrige, disce alios eadem excipere lenitate, qua te ipsum: severitas in animarum regimine omnibus scopulis est perniciosior. Hoc plane Apostolis suis Salvator ostendit: cum enim de Cœlo ignem educere vellent ad nonnullorum delicta punienda, acriter illos reprehendit testatus severitatem hanc non esse secundum spiritum suum. *Idem sermone de zelo*.

Vanitas, propter quam contemnimus monita illius, qui scelera nostra redarguit, sæpe nos æque injustos, ac indociles efficit. Contemnere illum conamur, a quo contemni videmur, scelera nostra increpante; perinde ac speraremus reparare eam existimationis jacturam, quam in ipso nos fecisse putamus, omnem illius existimationem abjicientes. Verumtamen ita nosmetipsos eo bono privamus; quod ex alterius correctione consequi possumus. Ipse quoque suas habet infirmitates, suas imperfectiones, defectus suos. De hoc querendum non est: fortasse meretur etiam, ut acrius corripiatur, quam nos ipse reprehenderit: fortasse etiam hoc ipsum vitium, quod in nobis redarguit, nomini ejusdem labem offundit. Verumtamen æque, & ut Christianum decet, cogitat de vitio, quo ego laboro, & quod fateri me pudet. Ego vero ut christiane, & sapienter agam, quicumque sit corripientis caracter, vocem illius aspernari non debeo propter utilitatem, quam inde percipere possum; & de illius correptionibus conqueri nequeo, quin simul nequior evadam. *Desumptum ex libro, cui titulus; Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale*.

Quid spectare debeat corripiens.

Corripiens maximam habere rationem debet pudoris illius, qui corripitur: in hoc consistit ars præcipua correctionis. Monitum utile esse nequit, nisi quatenus persuadet: nec persuadet, nisi quatenus dis-

dispositionem invenit, ut moveat: nemo vero dispositus est, ut moveatur, nisi quatenus est obnoxius verecundiæ. Si nocens molli infirmaque indulgentia corripitur; Quidquid turpe in ipsius facinore existit non movebit illum, neque ille sese corrigendi desiderium concipiet. Si cum impetu, acrimonia, & eo vocis tono, qui contemptum redoleat, corripiatur; animum sceleri suo ne advertet quidem: unice intentus contumeliæ, qua se affectum putabit, obliviscetur sceleris sui, ut illatam sibi persequatur injuriam. Violenta, & contumeliosa correptio adhuc nequiorem effectum obtinebit. Peccator adeo superbe exceptus non curabit suam tueri existimationem, quam nullo esse in pretio cognoscet, & quam tamquam profligatam putabit: censebitque sibi non parci, eo quod nihil boni ab eo expectetur. Contumeliosa hac præventione ad iracundiam lacessitus, quin ipsum pœniteat, fit obstinatior: in maxima etiam præceps ruet sceleta, tamquam ulturus injustitiam sibi illatam, eo quod tam male audiat; putabit se reparare posse offensam, quam correctioni inesse arbitratur, magis flagitioso vivendi genere ostendens se correctionis auctorem contemnere. Contemptu contemptum punire conabitur, quia qui ipsum corripuit, adeo impudenter vanitatem, amoremque proprium, magis quam zelum, & charitatem præsetulit. *Idem*.

Licet correptionis lenitas effectu esset caritura, prudentia docet, eadem uti ante severitatem: Æquum enim est credere, eos, qui corripiuntur, nequaquam passuros se flecti corripientis superbia, atque duritia: Hoc nobis præjudicium inspirat humanitas. Nihil magis efficere potest, ut indocilitate nostra obstinatiores evadamus, quam videre alios de nostra docilitate diffidere: tunc enim adnitimur, ne flectamur, cum nostri nullam rationem haberi cognoscimus. Quamtumvis parum rationis habeamus, nos ipsi scelus nostrum damnamus, & nos valde lædit, qui nobiscum agit, perinde ac malefacta minime improbaremus: Videtur enim nobis exprobrare, vel stupiditatem, vel pertinaciam scelere ipso nequiorem; minus pudendum est peccasse, quam peccati non pœnitere. Quicumque sit hominis caracter, præsumere debemus. Leni, honestaque correptione magis, quam aspera, & superba esse movendum. Verum est ferox ingenium aliquando non cedere, nisi auctoritati imperiosæ, quæ illi dominatur; sed hoc minime prohibet, quin plerumque adnitendum sit, ut palpando illud curemus. Id si fecerimus, nullum periculum adest, nisi ut remedium in irritum cedat; alioquin vero periculum adest, ut malum, quod curari potest, fiat incurabilius. Qui austera monita recepit, atque cum contemptu corripitur, existimare potest corripientem non aliud quærere, nisi voluntatem suam; difficile enim credimus aliis ita cordi esse nostram utilitatem, ut in iis, quæ nostro bono officiunt, adeo facile tangantur. Austerus oris habitus satis probat corripientis vanitatem; & illum ipsum nequaquam satis sibi dominari. Ad corrigendum peccatorem maxime interest existimare, ipsum bonos sensus suscipere posse; si enim hoc verum est, ipsum lenitate lucrabimur; & severitas illum posset exasperare. Necesse etiam est proprios defectus cognoscere, ne injustam expetamus voluptatem, cum justam facere contendimus correptionem. *Idem*.

Vanus timor amittendi amici, cum corripiendo.

Amicum corripiens vereris fortasse, ne illi molestus sis, atque initam cum ipso necessitudinem tenearis infringere: si illi accidunt molesta monita tua, eorum magis indiget; reus est sceleris, quod eidem exprobras, ac præterea superbus est. Si times, ne illi displiceas, duo simul illi affers mala: efficis, ut consuescat malo, quod patravit, ejusque foves vanitatem. Hoc autem faciens cogitare ne potes te vere esse amicum illius? At putas, ipsum esse amicum tuum, si tantum cavere debes, ne verbo illum offendas? Irritatur, ubi tutissimum amoris tui testimonium illi præbes: non credit igitur se a te amari; potesne tu credere te amari ab illo? Vera amicitia id genus timores non patitur. *Idem*.

Hujus obligationis ratio ex ipsis Evangelii verbis desumitur, ubi fidelis tamquam frater noster exhibetur: *Si peccaverit in te frater tuus*. Fideles isti peccatores quidem sunt, sed sunt fratres nostri; peccata, quæ illos efficiunt miseros, eorumque animas decipiunt, nos ad miserationem debent excitare. Calamitosos intuentes miseremur, tunc præcipue cum nobis naturæ, vel affinitatis, vel necessitudinis vinculis conjuncti sunt; quænam autem major esse calamitas potest, quam peccatorem videre in damnationis statu, atque in æterni excidii periculo positum? Hunc autem corporeis intuemur oculis, quia restes fumus sceleris ejusdem; illum & oculis fidei intuemur, quæ in peccatis ipsius nobis magnitudinem infelicitatis ejus ostendit. Nihil ultra requiritur, ut misericordia ducatur animus noster, ubi corporales egenorum necessitates videmus, ut illis opem feramus. Igitur si spirituales inspicimus necessitates, nonne fides nostra nos debet impellere, ut opportuna correctione illis subsidium feramus? Inter corporis, animæque necessitates hoc etiam discriminis interest, ut qui corporeis premuntur, implorent opem, suam egestatem ostentent, suasque infelicitates præbeant inspiciendas, ut aliquod solatium recipiant; hoc autem dicendum non est de spiritualibus peccatorum necessitatibus; quemadmodum illas voluntas facit, illas etiam diligit, & quin ab illis liberari petat, in illis complacet sibi; quin sua vulnera ostentet, ea tegit, atque excusat instar illius qui phrenesi laborat, qui & medicum horret, & medicinam. Hoc autem illud est, quod maxime nostram ciere debet miserationem. *Biroat*. *Serm. pro feria* 3. *post* 3. *Quadragesimæ Dominicam*.

Corrigentes efficimus, ut se colligant peccatores.

Cum fratrem admones de peccato commisso, illum cogis, ut sese colligat conscientiæ vocem auditurus, atque facinoris sui magnitudinem inspecturus, itaut nocens sese exteriori, interiorique bello lacessitum videns, interiori quidem propter secretas accusationes, exteriori vero propter sensibiles correctiones, nullibi locum inveniat, ubi has exprobrationes possit effugere, & ubique nactus imaginem sceleris tui, tandem sese corrigere, atque vivendi rationem immutare teneatur.

Hæc olim S. Augustini ævo agitari consueverat quæstio, ubi de gratia agebatur; utrum, quandoquidem Dei gratia peccatores convertit, atque exteriora subsidia ad eos convertendos nequaquam sufficiunt, utrum, inquam, opus esset fraternæ correctionis præceptum servare; pro illis enim hanc gratiam conversionis petere satis esse arbitrabantur. Respondet S. Augustinus, licet Deus ex se solo operari queat peccatoris conversionem, atque mutationem; ipsum tamen fraternam correptionem requirere tamquam ordinariam suæ gratiæ viam; seu quod videns Deus te fratrem corripere, hanc arripiat occasionem interiores gratias elargiendi seu exterius hoc subsidium interiori, quæ est gratia, conjungat, ut homo suavius, atque fortius operetur; quemadmodum precibus utitur, ut peccatores convertat.

Per correctionem fieri possumus Apostoli, & alienæ saluti prodesse.

Fructus, quem ex fratrum nostrorum correctione referimus, hic est, quod eorum animas lucramur. Nisi homini illi in impudicitiis alte demerso verbum dixisses, fortasse in peccato suo permansisset, sexcentaque alia crimina patrasset, cum omnia potius, quam vitæ mutationem cogitaret: hoc illi præclarum præstitisti officium correctione tua, quæ ipsius correctionem operata est, ipsumque de scelerum suorum cœno eduxit: *Lucratus eris fratrem tuum*. Hoc unum satis fuit, ut excitarentur Apostoli ad Evangelium gentibus omnibus prædicandum; omnia tranarunt maria, omnesque terras lustrarunt, ipsaque tyrannorum provocarunt supplicia; & si quis causam ab illis sciscitatus fuisset, respondissent, sibi lucrandas esse animas, quarum saluti ut consulerent, vitam suam objicere, san-

sanguinemque suum effundere non detrectabant. Nos cum proximo id ipsum præstare possumus, quod Apostoli prædicatione sua præstiterunt: esse possumus Apostoli, Concionatores, & cooperatores saluti fratrum nostrorum, illos increpationibus, & & correptionibus saluberrimis in salutis viam revocantes. *Idem*.

Certum est, eum qui non corripit fratrem suum, cum explicito Dei mandato hoc præstare jubeatur, grave peccatum committere. S. Gregorius ulterius procedit, & ait, per silentium nos fieri participes peccatorum, quæ non corrigimus, & quæ intempestiva lenitate dissimulamus. Fratrem corrigere potuisti, illum non corripuisti, idem peccatum ac ille patrasti. *Qui emendare potest, & negligit, participem se proculdubio constituit*. Ulterius adhuc progreditur S. Augustinus, & ait, non corripientes nocentiores esse peccantibus. *Tu vulnus fratris contemnis; pejor es tacendo, quam ille conviciando. Idem*.

Illud vero nos excitare debet, ut hoc munere perfungamur, quod hac in re ejusdem JESU CHRISTI fungimur officio; *Qui venit quærere, & salvum facere, quod perierat*. Luc. 19. Hoc est gloriosum munus proximum suum corripientis. Hic post JESUM CHRISTUM alter est ipsius Salvator, alter Redemptor; atque si illum a morte non liberat cum possit, animæ illius rationem redditurus est sumptibus propriæ. Si esurienti panem non præbere scelus, & cædes est: *Si non pavisti, occidisti*, quid erit sinere, ut anima pereat, ac in præceps ruat? *Tot occidimus, quot ad mortem scientes ire sinimus*, S. Augustinus addit. Verum quotnam sunt, qui fratres suos corrigere renuunt? Nonne quilibet ait, ut Cain: *Num custos fratris mei sum ego*? Genes. 4. E contra vero quamplurimi sunt, qui fratres prævertunt, & sunt causa eorum damnationis. *Essais de sermons pro feria* 3. *post tertiam Quadragesimæ Dominicam*.

Insignes quidem, plurimæque rationes nos cogunt, ut fratres nostros corrigamus; verum quisnam hodierna die hoc munus adimplet? Quis ad hoc se teneri cogitat? Cupiditas, fallax amicitia, vel incuria efficiunt, ne quis proximum suum corrigere velit: amicitia quidem efficit, ne illius defectus intelligamus, incuria vero, ne ad eos animum advertamus. Magistratus, Patresfamilias, Domini, Dominæque erga famulos, ancillasque suas hac in re multo magis, quam cæteri sibi debent metuere, & quo major ipsorum est obligatio, eo criminosior est negligentia. *Idem*.

Ad alios corrigendos recta intentio requiritur.

Facile est, nisi diligentius caveatur, correctionem humanorum motuum immixtione confundere; ea enim quæ nobis insita nequitia est, viam invenit, qua per correctionis occasionem sese prodat, semperque ibi adnititur aliquam veneni, atque amaritudinis suæ partem aspergere. Superbia quidem illi imperiosum oris habitum tribuit, ira libenter exonerat ea omnia quibus movetur; nullus affectus est, qui aliqua ex parte illuc viam sibi facere minime curet. Hoc autem prohibere voluit Apostolus præcipiens, ut in *spiritu lenitatis corriperemus*. Prohibet etiam nimis ardentis zeli motus, qui optimi quidem aliis in occasionibus, & erga peccatores alios, esse possunt; sed qui pares non sunt eum corripiendo, qui per ignorantiam, erroremve peccaverit...... Si ad examen revocaremus causas omnes, propter quas nonnulli alios corripiunt; quotusquisque inveniretur, qui hoc recta intentione perageret! Alii quidem ob vanitatem corripiunt, alii propter odium, alii ex libidine, alii etiam per ignorantiam, atque infirmitatem, plurimi per hypocrisim, cæteri vero fere omnes propter avaritiam. *Essais de Morale tom*. 5.

Avaritia prohibet sæpe, ne mortales corrigant fratres suos. Quot sunt Magistratus, qui alienis vitiis, & iniquitatibus saginantur? Quot sunt fallaces amici, qui ex turpi quæstu adulationum suarum aluntur, nequissima vitia in virtutem convertentes, eaque laudantes, quæ Deus perhorrescit? Quot Confessarii, & seipsos, & alios damnationi addicunt ob turpem avaritiam? Hunc si acriter corripio, me deseret, & omnia amittam munuscula, quibus me cumulat: si nobilem eum virum jubeo servis suis stipendia persolvere, a me recedet vir, qui mihi tribuit auctoritatem. O nequissimam crudelitatem, temporalem quæstum præferre æterno exitio animæ divino sanguine redemptæ! *Essais de Sermons*.

Prudentia in correctionibus est necessaria duplici præsertim ex causa; ut leviter corripiantur peccata, quæ lenitatem merentur, & severe illa redarguantur, quæ severitatem exposcunt. Quædam sunt humanæ fragilitatis peccata, quæ leniter punienda sunt: hujusmodi erant, crimina Magdalenæ, & Samaritanæ Mulieris, quas Salvator tanta excepit miseratione. Alia vero sunt nequitiæ, & pertinaciæ peccata omni severitatis genere impugnanda, qualia erant superbia, & hypocrisis Pharisæorum, quos JESUS CHRISTUS tanta severitate corripuit: talis etiam mala eorum religio, qui in Templo vendebant, quæ ejusdem provocavit iracundiam. Verum ut efficaciter corrigas, præ cæteris patientia requiritur: nequissimus quisque converteretur, si felix momentum captare sciremus, quo ad id melius essent dispositi. Malum operamur, eo quod nimia impatientia bonum facere festinamus. In hoc Deum ipsum imitari debemus; quanam ipse patientia peccatorem præstolatur? Numquam illum fastidit; & dummodo sincere convertatur extremo mortis momento, quo animam exhalaturus est, a Deo gravissimorum scelerum obtinet veniam. *Idem*.

Non corripiendum ex mera libidine.

Si scrutaremur cor eorum, qui proximum suum corripere, atque redarguere tantopere cupiunt, videremus profecto plerosque id ex invidia, vel iracundia, vel quia ita ipsorum fert ingenium, præstare. Homo quidem, ut plurimum, ex ingenio operatur, præsertim vero cum proximi sui defectus corripit: ea enim tantum vituperat, quæ ingenio, studiisque suis adversantur. Ambitiosus, & qui ingentes sumptus amat, contra avaros insurgit: avarus contra illos declamat, qui sua in voluptatibus patrimonia obliguriunt; ut verbo me expediam, ea tantum corripimus vitia, quæ displicent nobis, ingenioque nostro opponuntur. Non loquor de illis, quos tetrum nescio quod ingenium jugi exagitat rabie contra mortales omnes, & qui æque, & inique contra alienos defectus invehuntur. Palam enim constat, hunc effectum esse furentis ingenii, & livoris, qui quidem ex corde non satis contento egreditur, & nihil aliud quærit, quam ne aliquem contentum relinquat. Refertus etiam est Mundus illis, qui per invidiam corripiunt; in aliis defectus ideo vident, quia in ipsis vident distinctas qualitates: neque ullum in ipsis defectum corripiunt, nisi quod in iisdem plurimum virtutis elucet. Verum quis nescit, iracundiam passim efficere, ut contra fratrum nostrorum vitia insurgamus? Utimur Deo, ut nobismetipsis satisfaciamus, nostramque persequimur ultionem Dominum simulantes ulcisci. Qui charitatis spiritum non habet, & alia quavis ratione ducitur, quam gloria Dei, aptus non est ad alios monendos, & corrigendos. *Idem*.

Ut proximum utiliter corrigamus, nihil in nobis debemus ostendere, quod correctioni effectum prohibeat. Cavendum est, ne duris vocibus, & aliquo contemptus judicio illius iracundiam, atque superbiam provocemus; Neque illum debemus obruere multa increpationum vi, quæ spem omnem auferat corrigendi eos defectus, quos illi exprobramus. Neque iram præ nobis ferre debemus; ne locum illi præbeamus seipsum tuendi a defectibus illis, quos in ipso deprehendimus, atque accusandi nostram iniquitatem; neque illi credendi locus relinquendus est, hæc monita a nobis tradi ob aliquam utilitatem, vel animi nostri ægritudinem; correctio enim

ubi est cum iis dispositionibus conjuncta, semper maligna est, & fere semper inutilis. *Essais de Morale*.

Quomodo viri summi corripiendi. Cum loquendum est apud Principes, sive sæculares, sive Regulares, hoc semper moderate, ac prudenter agendum est. Metuendum non est, ne vel nimium audaciæ, vel nimium infirmitatis ostendamus: audacia tumultum ciet, adulatio corrumpit, mediaque via invenienda est, qua veritatem æque, & sine duritia, & sine assentatione dicamus. Hæc est mundi sapientia: semper ad periculosa extrema progreditur, semperque vel molestiam affert vel nauseam. Sed cum a divina Sapientia pendemus, mortalium defectus corripimus, quin dignitatis honorem lædamus, vel vitium aggredimur, quin vel Religionis, vel Imperii caput attingamus. *Flechier in Panegyrico S. Bernardi*.

Nihil ab hoc officio detorquere nos poterit, si vel unicam divinæ charitatis scintillam habeamus; tunc enim invictus fiet zelus noster per considerationem gloriæ Dei adeo indigne hominum peccatis lacessitam. Si amico tuo contumelia, Patri tuo vis, atque tibimetipsi inferatur injuria, quid intentatum relinquis, ut indignationem tuam testeris, ut illam propulses, vel illico superbe, & insigni quadam ultione persequaris? Quid autem? nonne Deus amicus tuus est, nonne tuus Pater, Dominus, Princeps, a quo incessanter recipis vitam, eaque tibi in singula momenta conservatur? Hic te inspectante impudentissime lacessitur, sexcentis modis, & per vivendi licentiam, impietatem, & blasphemias coram te omnes ejusdem leges infringuntur, verone hiscere quidem audes? Silentii tui ignavia te horum omnium scelerum participem efficit, turpi ea dissimulatione, qua illa a te probari videntur, cum aliis omnem agendi facultatem relinquis. Ubinam cor tuum est? Ubi fides? ubi zelus? ubi honor? *Maimbourg sermone pro feria 3. post tertiam Quadragesimæ Dominicam*.

Ignavia, qua in re hac nunc temporis late regnat. Ex horribili hac ignavia, quæ hodierna die omnibus fere mortalium conditionibus videtur, conjicere possumus, quam parum nota sit fraterna correctio. Videbunt parentes in familiis suis nostram filiorum insolentiam: passio vero illos excæcat, ne eorum videant flagitia; vel mollit, ne eadem puniant; vel si hoc præstant, tanta infirmitate accidit, ut scelus inde majorem ansam arripiat, & citra metum sese confirmet cum contemnens inimicum, qui adeo parum formidabilis videtur. Norunt Domini servorum suorum nequitiam, & dummodo negotia sua nihil detrimenti patiantur, hanc illi non ægre patiuntur, & ne animum quidem ad illam advertunt. Magistratus in quadam Civitate testes erunt scelerum horribilium, quæ publice patrata christianæ Religioni ingenti scandalo dedecus adferunt, & quia vel corrupti sunt, vel nulla quæstus affulget spes, oculos claudunt ne crimina videant, quibus impunitas quidem præbet audaciam, & quæ impudentia in mortalium omnium lucem proferre non metuit. Terræ hujus Principes minime ignorant eorum impotentiam, qui ipsorum gratiam aucupati sunt, sed quin eamdem coerceant, eam sua protegunt auctoritate, eique præbent perfugium. *Idem*.

Tempus opportunum esse debet, ut optatus correctionis fructus percipi valeat; & nisi fuerit, expectandum est. Expectamus opportunum tempus, ut ægrotis optima remedia applicemus. Catharticum pharmacum importune propinatum humores irritat, & nonnumquam morbum efficit incurabile. Expecta, donec faveat occasio, omnia sint disposita, & sperandi locus adsit fructum aliquem; præsertim vero donec furens affectus defervuerit, atque felicis hujus occasionis momentum nactus, cum visitationis ejusdem tempus accesserit; *vade, & corripe eum*; præfer zelum tuum illi suum ostendens facinus, atque illud remedium adhibens, quod illius curationi censebis aptissimum ..... Ægrotanti pharmacum non præbetur, dum febris incalescit: expectatur; donec defervescat accessus. Peccator affectus sui violentia correptus furit, debacchatur: expecta donec hujus febris tepescat calor, ut eumdem moneas, atque corripias, alioquin virus pro pharmaco eidem propinabis, & bonum hoc officium fraternæ correctionis, quod eidem debes, propter tui zeli imprudentiam causa fiet, atque instrumentum furoris. *Ne ministerium correctionis, in arma vertamus furoris*. Greg. in Ps. 3. Pœnit. *Idem*.

Hoc amore, & hac lenitate lucraberis fratrem tuum; hic erit prudentis correctionis tuæ fructus, hic felix eventus: *lucratus eris fratrem tuum*. Lucrari animam Deo numquid majus, atque illustrius lucrum fieri potest umquam? Num aliqua præstantior laborum merces experi potest? Num aliquid opimius lucrari possumus; quandoquidem anima coram Deo magis est pretiosa, quam quæcumque in universo mundo inveniuntur, quæ facta non fuerunt, nisi ut aliquid animæ bonum conferrent; quandoquidem hic est thesaurus absconditus, ad quem comparandum, cœlestibus relictis Dei Filius in terram descendit; hæc pretiosa illa margarita, pro qua alia quæcumque reliquit, hoc denique Regnum, quod suum effundens sanguinem acquisivit? *Idem*. Lenitas animas Deo lucratur.

Cum concionator publicam personam gerat, sub ministerio, atque officio tenetur contra vitia, atque scelera invehi, quæ sunt iis in locis, ubi Dei Verbum annuntiat, frequentiora, quin tamen nominatim, vel eo verborum circuitu ita personas describat, ut jure hunc, vel illum notare velle existimetur. Sin autem nocens aliquis sibi dictum putet, atque in se Concionatorem probra sua ejaculatum existimet; næ quidem iniquus est judex: quia vitii correptio e suggestu neminem singillatim tangit, sed omnes generatim, qui eadem labe notati sunt; alioquin numquam vitia essent redarguenda, quia numquam desunt iisdem obnoxii: quod minime tamen prohibet, quominus cavendum sit, ne ad peculiaria descendamus, vel ad eas circumstantias adeo aperte explicitas, ut omnes intelligere possint, de quo loquamur, & occasionem arripere valeant auditores, ut, quæ dicta fuerunt, alicui singulariter applicent. Hoc enim idem est, ac palam personæ nomen proferre; vel eam adeo aptis coloribus exhibere, ut dicta uni illi possint convenire. *P. Duncan. Serm. pro feria 3. post tertiam Quadragesimæ Dominicam*.

Correctio primum secreta esse debet. Correctio juxta ea, quæ Dei Filius præcepit, primum quidem seorsim est adhibenda: *Corripe eum inter te, & ipsum solum*. Qua in re jure quidem S. Hieron. queritur, homines plerosque oppositum prorsus efficere. Qui enim alterius peccatum celare deberet, atque illud ipsi uni patefacere; huic uni minime dicit; qua in re contra JESU CHRISTI præceptum delinquimus; sed ut vel odio, vel ultioni nostræ satisfaciamus, illud iis omnibus enarramus, qui peccantem norunt: & hoc pacto ex secreto publicum fit quia singulis dicitur, quasi uni tantum diceretur; atque ita tot mortales hoc norunt, ut præstitisset illum stentorea voce in vulgus conclamasse, quod, quin proximi nostri malo remedium afferat, aliud longe majus operatur. *Idem*.

Jeremias Propheta videns peccata, quibus populus Deum ad iracundiam provocabat, illum sæpe redarguit, idque tanto zelo, ut in se gravissimam persecutionem excitaverit, & magna in ipsum seditio fuerit coorta. Phassur templi Custos vir omni iniquitate inquinatus Prophetam hunc irritati populi furori, atque vindictæ objecit, eumque in profundum lacum dejici jussit, ubi prope fuit, ut incommodis, & fame interiret. Hæc mala timorem injecerunt Prophetæ, ejusque zelus ita deferbuit, ut inierit consilium non amplius corrigendi illius populi vitia, qui adeo iniquo ferebat animo ea, quæ Dei verbis fuerat loquutus: *& dixi non recordabor ejus, neque loquar ultra in no-*

in nomine illius. Jer. 20. Verum ubi sese collegit, atque agnovit, se indignum fore ministerii sui dignitate, si Dominum suum dedecore affectum intuitus, dolore non restaretur, decrevit potius vitæ periculum subire, omniaque perpeti mala, quam in adeo justa occasione silere, atque dissimulare. Et profecto valde mirum est, quod cum tanta benevolentia nos prosequatur Deus, ut illas, quæ nobis inferuntur, injurias tamquam sibi illatas existimet, nos adeo simus ignavi, ut contumelias illius non putemus nostra. Æternam minitatur damnationem, si quis contumeliosum verbum fratri suo dixerit; nos vero non audebimus leniter corripere eum, qui Sanctissimum Dei nomen blasphemat? Hoc fane nonnisi ex charitatis defectu potest proficisci. *Idem*.

Ob charitatis defectum Fraterna correctio non exercetur.

Sæculi calamitas eo usque processit, ut quemadmodum non desunt fratres secundum carnem omni amicitia carentes, inter Christianos quoque quamplurimi sint falsi fratres, qui sua tantummodo curant. O charitas! quam misere in hominibus intepuisti! Quotidie videmus eos, qui de fratribus suis obloquuntur: aliquis ne invenitur, qui audeat dicere obtrectationem esse effugiendam. Videntur, qui blasphemant, atque fanda, infandaque proferunt; quinam eos audet corripere? Videntur, qui manifestas exercent injustitias: quinam dicit illis: perperam facitis? Si isti viri Principes sunt, eos palpare malumus, quam redarguere, ne illis displiceamus; si pares; eorum amicitiam veremur amittere; si inferiores, illos despicimus, dicimusque: quid ad me? Alienis immisceri negotiis minime mihi placet; si illum de officio suo admonuero, hic fortasse ei deerit reverentiæ, quam mihi debet. *Idem*.

Nemo audet exprobrare nobis Viris ipsorum peccata, atque flagitia: nemo audet nunciare David, ipsum eum hominem esse, qui abstulit ovem, quam pauper possidebat: nemo audet dicere Herodi, nequaquam licere ingenti cum scandalo cum Uxore fratris sui consuescere. Videtur dignitas, atque nobilitas summos Viros extra correctionis, regularumque Religionis jactum statuere, & divini verbi præcones, illos attingere nequaquam posse: atque inde sæpissime usuvenit, ut maxima scelera diuturna sint, quia numquam Evangelico zelo corripiuntur. *Desumptum ex manuscripto sermone*.

Ratio correctionis instituendæ.

Nemo uberiori cum fructu alios corrigere potest, quam qui, ubi conquisiverit quid in corripiendis laude dignum affulgeat, ex eorum laudibus ducit exordium, & mox facinus quod est correpturus, imminuit. Elogium callide suo loco positum non lædit superbiam, quæ alioquin contumuisset, conciliat fidem, quæ abhorruisset, insinuat monita, quæ propulsata fuissent. Voluptas, quam ex laudibus nostris percipimus, efficit, ut eam quoque, quæ denegatur, mereri studeamus. Ubi defectus imminuitur, & sceleris nostri pars quædam contegitur, nobis aditus aperitur, ut reliqua fateamur, eaque confessio efficit, ut nosmet corrigamus. Nolumus excidere ex laudantis opinione, & libenter eam reformationem suscipimus, quam facilem scimus, & gloriosam existimamus. Si cui detegimus omnes ipsius defectus, omniaque scelera, quanta sunt, & sine ulla præcautione, nobis res erit cum illius vanitate, qua fallitur, cum ignavia, qua corrigi prohibetur, cum illius constantia, quæ abjicitur. Visne celeriter hos omnes obices auferre? Cum ejusdem passionibus clanculum compositio quædam ineunda est; periculosum enim esset easdem aperte lacessere. Hunc lauda, si quid in ipso laude dignum deprehendis; ita illius veritati auferes arma; nec statim quidem defectus omnes, omniaque scelera eidem ostende, ita illius silebit ignavia, atque ejus constantiam excitabis. *De Saey, in tractatu de Amicitia*.

Optarem equidem, ut amor proprius, cujus in nostris sceleribus excusandis maxime pollet ingenium, nequaquam minus polleret in excusationibus inveniendis, quibus proximi delicta contegeret; & ut omne studium collocaremus ad ea mala minuenda, & lenienda, quæ prorsus probare non possumus. Justitiæ quidem tribuamus, quidquid illa petit, non abnuo; ea mala damnemus quæ excusare non possumus; sed austeritas intempestiva charitatis jura non lædat. Ægre, invitique damnemus, & corripiamus: summi etiam fortasse viri in ealapsi sunt, quæ fratri exprobramus: ille fortasse, quem vituperamus, aliis temporibus dignas laudibus actiones, & in eodem genere operatus est. Has producamus; illius pudorem cum illustrium virorum erubescentia confundamus, vel propriis ejusdem virtutibus contegamus. Hæc nostra sunt officia, ubi proximi defectus damnare, & vituperare tenemur. *Idem*.

Ratio habenda est amici, qui corripitur.

Cognosce statim fratris tui defectus, si illum admonere debes; ne palperis, quandoquidem ad eos evertendos debet adlaborare. Si fieri minime posset, ut media insisteremus via inter cognitionem, atque ignorantiam defectuum eorum, qui nostro subsunt regimini, præferrem ipsam ignorantiam, vel negligentiam cognoscendi luminis nimis importuno in illis cognoscendis, nimisque sedulæ vigilantiæ in detegendis. Quod si adeo perspicaci lumini polles, hoc in teipsum converte; ibi sane videbis plurima corripienda. Metue tantum, ut videas defectus tuos, quantum ut alienos inspicias; cæcitas, qua tua non vides, neque intueatur aliena: omnia rectius procedent, cumque alios redarguere debebis semper ante in ipsum te oculos conjice. *Idem*.

Acres censuræ, ac nimium vehementes redargutiones ostendunt potius fervorem ingenii, quam proximi amorem, vel zelum gloriæ Dei. Violentæ contra mortalium peccata invectivæ avertunt cor, suffocant sensus, & desideria pœnitentiæ; lenitas vero peccatorem lucratur, atque in viam salutis pertrahit. Censuræ, & reprehensiones non solum acres esse non debent; verum etiam aptandæ sunt peccatis corripiendis: alioquin nostrum ibi agit ingenium, atque suos sensus exaggerat. JESU CHRISTI discipuli petebant, ut ignis de cœlo in Samaritanos descenderet, atque putabant suum Dei causa zelum ostendere contra Schismaticos, qui ultionem illius merebantur; opinabantur saltem se imitari Eliam Prophetam, cujus zelus tot laudibus celebratur: attamen nescio quo spiritu agamini, illis Dei Filius ajebat. S. Paulus Christianos persequens se nutantem legem, jamjam casuram sustinere arbitrabatur: quæcumque vox alia, præter cœlestem, illum perculisset, omni prorsus caruisset effectu in corde illius, vox profecto lenitatis, & miraculosa patenter requirebatur, ut hic spiritus zeli de errore in rectam viam adduceretur. *Decerptum ex quodam tractatu de conscientia*.

In correctionibus cautius agendum.

Cum de proximo corripiendo agitur, magna circumspectione opus est, atque adnitendum, ut omnis correctionis amaritudo auferatur. Seorsim reprehendenda sunt secreta peccata, & generalibus utendum verbis, in quibus tamen seipsum agnoscere possit peccator juxta JESU CHRISTI exempla, qui Judæ crimen cognoscens in cætu aliorum Apostolorum dixit tantummodo futurum ut ab uno eorum traderetur. *De Monmorel homilia pro prima Dominica Adventus, & prima post Pentecosten Dominica*.

Magna requiritur prudentia, ut rite tam difficili munere, quale est fraternæ correctionis officium, perfungamur: opus est, ut qui hanc suscepturus est Provinciam, talem sese gerat, qualem Deus ipse illum in Jeremiæ persona descripsit: *Ecce constitui te hodie super gentes, & super Regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*. Cujuslibet generis personam gerere debet tanquam Proteus, qui formam, & faciem mutare dixerit pro varietate temporum, occasionum, rerum, personarum ad abusus, pravasque consuetudines eradicandas, & bonos, sanctosque mores substituendos: Videlicet esse debet Medicus omnia habens pharmacorum genera, quibus uti sciat, & ubi oportet, & cum oportet; atque ubi opus fuerit, ignem, ferrumque admoveat, & oleum vulneribus infun-

infundat, prout mali natura poposcerit: non autem quemadmodum Medici Israel, *Qui curabant cum ignominia contritionem filiæ populi mei*. Si enim hæc sibi prudentia deest, periculum imminet, ne vulneribus venenum infundas, & dum ea curare conaris, eadem efficias insanabilia. *Desumptum ex Italico Reina.*

Quorumdam SS. Patrum de correctionibus sententiæ.

Supponunt semper, ut ille, cui jus adest reprehendendi, & corrigendi, prudenter agere debeat pro temporum, rerum, personarumque discrimine, & noverit omnem procul removere furorem, vim omnem, verborum aculeos, derisiones, aliaque id genus, quæ in imprudentibus correptionibus possunt occurrere. Verum numquam cogitarunt omnino in exilium ejicere severitatem, constantiam, dura, atque humiliantia verba, immo & quamdam iræ speciem. Verum profecto est, S. Basilium pluribus in locis docere, Superiorem citra passionem esse corrigendum, ne ipse in peccatum decidat cum alios inde conatur educere; illi habendam esse rationem eorum, quos corrigit, induendo Patris, & Medici sensus, atque cum miseratione, & benevolentia opus curationis aggrediendum. Verumtamen insignis hic ductor animarum satis ostendit, se non esse in ea sententia, ut quemvis rigorem, & severitatem qualibet in occasione censeat esse damnandam; exigit enim, ut ubi oportuerit vis correctionis præseferat inflammatas quasdam dispositiones; & quamvis iracundiæ excitetur ignis, tamen mansuetudinis meritum servetur, & diversam agendi rationem sæpe vitio potius, quam virtuti esse adscribendam: Sicarios, & Medicos ferro uti, illos quidem cum crudelitate ad vitam eripiendam, hos vero cum prudentia, & charitate ad illam servandam: Atque tandem reprehensiones nonnumquam acres esse debere, & amaritudinis plenas. Itaque si magnus hic Doctor furorem, imprudentiam, veram iracundiam, nimiamque damnat severitatem, rectum earum approbat usum. Neque prætermittenda est hac in re S. Benedicti sententia; vult enim, eam servari formam, quam præscripsit Apostolus, cum ait: *argue, obsecra, increpa*; videlicet pro temporum, locorum, personarumque diversitate, vel lenibus verbis, vel iis vocibus, quæ terrorem incutiunt, modo secundum duri, severique Domini, modo amantis, indulgentisque Patris exemplum. Ita quoque intelligendus est S. Bernardus, cum docet, quomodo agere cum subditis debeamus; passim enim ait, severitatem nonnumquam esse necessariam, & vini robur, cum olei suavitate esse miscendum; amara remedia, severas accerrimasque reprehensiones cum levibus, benevolisque increpationibus: sin autem, qui bono resistunt, perfrictæ sint frontis, tunc adhibendam esse duritiam, quæ illorum vincat resistentiam, æque peccari, & irascendo, ubi opus non est, & non irascendo, ubi opus. Hinc sequitur, eos longe decipi, qui christianam pietatem constituunt in suavitate quadam, & patientia rebus in omnibus servanda, quæ numquam perturbetur; vel potius in mollitie, & languore quodam propter metum pacis turbandæ. *Hæc omnia deprompta sunt ex Abbatis Trappensis primo tomo de vita Monastica officiis c. 12.*

Vides, S. Augustinus ait, scelera fratris tui, vides improbam consuetudinem, in qua irretitus est; vides illum, ne tria quidem proferre verba, quin jusjurandum, vel aliquam blasphemiam immisceat: posses prudentia tua, & fide, quam habet in te, & existimatione, quam qualitas vel beneficia tua tibi apud illum compararunt, posses inquam efficere, ut sese corrigeret. Parentes non moventur, ut filii libidinem, & filiæ vanitatem coerceant, qui intereunt propter licentiam, quæ ipsis permittitur quoscumque cætus adeundi; herus servorum suorum impietatem, atque nequitiam castigare minime adnititur. Heu! isti non solum participes fiunt peccati fratrum suorum; sed ipsi silentio suo, quam illi sceleribus, sunt nocentiores. *Vulnus fratris conspicis: vides in eo peccatum, & negligis: pejor es tacendo, quam ille conviciando.* Quorsum? quia peccatoris passio, atque cæcitas prohibent, ne æternam cogitet calamitatem, in quam præceps ruit: tu vero, qui apertis oculis, ac mente tranquilla eum vides, neque injuris, quam recipit Deus, neque excidio illius, qui Deum lædit, afficeris: *Pejor es tacendo, quam ille conviciando. P. Gegon usu Sacramenti Pœnitentiæ.*

Nihil utilius est ad progrediendum in via pietatis, simulque nihil difficilius, quam sapienter, atque sancte corripere, & severitatem reprehensionis cum charitatis suavitate conjungere. S. Paulus in Epistola ad Galatas paucissimis verbis sanctæ hujus actionis conditiones complectitur. Ubi enim fideles admonuit, ut simul in pace vivant, hoc monitum tradit iis, qui ad alios corripiendos sunt idonei; *Instruite*, inquit ille, *in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris*. Itaque S. Paulus voluit eos corripi, qui in scelus aliquod labentur, verum ad hoc simul animum adverti, futurum ut & ipse corripiens similia committere possit peccata, ut misereatur eorum, qui ceciderunt, eosque eadem lenitate corripiat, qua ipse corripi vellet, si cecidisset. *Liber, cui titulus, Instructions Chretiennes. Tom. 5.* — Reprehensionis severitas charitatis suavitate temperanda.

Si acriter corripuerimus, metuamus, ne iræ nostræ motus ad aliquod ultionis desiderium nos rapiat; quidquid animo ita ulcerato dicemus, erit potius impetus ulciscentis, quam charitas corrigentis. Ama igitur, S. Augustinus inquit, & dic, quod vis. Quod cum injuria dictum videbitur, reipsa non erit, si corde fovebis desiderium sanandi fratrem tuum. *Idem.*

Hæc fraternæ correctionis lex si rite servaretur, quodnam peccatorum diluvium prohiberet! quem in virtutibus progressum charitas prudens atque imperterrita efficeret! Sed seu negligentia sit, vel metus proximo displicendi, ejusque odium sibi conflandi, sive imprudentia, quia non præcavetur id, quod necesse est, ut objurgationes nostræ utiles fiant; nimis frequenter accidit, ut quantum hæc est necessaria correctio, tantum vel neglecta, vel inutilis sit: Pauci illam exercent, & qui illam cum fructu exerceant, longe sunt pauciores. *Ex Morali Dictionario Sermone 1. de Correctione.* — De necessitate hujus præcepti.

Audacter post S. Cyprianum dicamus; Phinees, qui impudicos persequantur, Moyses, qui sacrilegos puniant, Samueles, qui Saules corripiant, hodierna die infrequentissime occurrunt. Videtur peccatum, & tacetur; audiuntur blasphemorum imprecationes, vel irrisiones Atheorum, & tacetur; Lupi ingrediuntur in septa, & canes non latrant: Hostes mœnia diruunt, ut Jerosolymam depopulentur, & Excubiæ, quas Deus super muros constituit, ad arma non conclamant. Morborum lues in dies semper augetur; sapientesque correctiones, quæ utilia esse possunt remedia, negliguntur. *Idem.*

Illi, quibus ob æquas, legitimasque causas dispensatum est, ne corporales eleemosynas erogent, tenentur semper spiritualem, de qua sermo est, ubi opus fuerit, erogare. Ingentes passus es jacturas: tempora iniqua sunt. Filiorum numerus augetur, vix possides ea, quæ sunt ad victum necessaria; Eleemosynæ præceptum tibi irrogatum non est. Sed frater tuus coram te peccat, atque per peccatum, jacturarum omnium maximam patitur: servi, filiique tui fanda, infandaque omnia committunt, correptionis præceptum tibi irrogatum est: nisi eos corripueris, nisi omnem curam impenderis eos ad officium revocaturus, nocentissimus es coram Deo, qui animæ, sanguinisque ipsorum rationem ex te se expetiturum esse profitetur. *Idem.* — Qui corporalem erogare eleemosynam non tenentur, spiritualem tenentur.

Quotusquisque est, qui hoc præceptum novit, & illud adimpleat? Plerique se nequaquam teneri arbitrantur; satis enim, superque mihi est, ajunt illi, si mihimetipsi invigilem; quilibet feret sarcinulas suas; cum nimis occupatus sim vacans saluti meæ, alienam non curo: utrum impudici sint, blasphemi, nequam, necne, sua interest, non mea: *quid ad me?* Non tua interest, S. Jo. Chrysostomi respondet; cujus igitur interest? Num dæmonis, omnes tentare, & perdere cupientis? Num interest impiorum

scelera

scelera palpantium, atque adulationibus suis, vel exemplorum correptione illa probantium? *Idem*.

Hic explete munus negligimus.

Nisi putamus, nos minime teneri ad fratres corripiendos hac fallaci de causa; tamen alia de causa istud charitatis officium negligimus. Nemo, sibi vult aliena conflare odia, nemo cum amicis irritam necessitudinem infringere, nemo filio aberranti dolorem, & mœrorem inferre; immo nonnumquam etiam famulum redarguere detrectamus. Satis est, si fideliter Domino famuletur, atque rei domesticæ curam gerat; cætera non curantur. Si Virgo hilaris sit, atque venusta, mundumque norit; mater imprudens sexcenta illi permittet parum honesta & patietur ejusdem non satis decoram licentiam. Videbit hæc mater indulgens eas horas quæ precibus, ac pietati essent dicandæ in choreas, atque Comœdias traduci; pro libris Asceticis, ex quibus filia ediscere posset pietatis officia, illam intuebitur alios legentem libros, mentem illius vanitate replentes; & quin in iis versetur virginum cœtibus, unde bona percipere posset exempla, in eos sese tradere, quæ ipsam corrumpere possunt. Hoccine est Patrem esse, hoccine Matrem? *Idem*.

At enim, inquies, correctio erit inutilis. Quis hoc tibi dixit? Esto tamen, quandoquidem vis, non ideo tamen præcepto minus teneris. Dei est, verbis tuis eam addere unctionem, & vim, quæ ipsi placuerit: sed tuum est hoc munere perfungi quomodocumque res cessura sit. Juberis proximi tui curam gerere: illum sanare nequaquam juberis: Cum imperat JESUS CHRISTUS, ut proximum corrigas, non imperat tibi, ut salutaria monita eum, quem optas, fructum inveniant: fac solum quidquid ea in occasione zelus tibi inspiraverit, permitte Deo cætera. *Idem*.

Quanta opus est prudentia, ut salutaris fiat correctio? quot sunt cavenda, & providenda! Ratio habenda est diligenter status, & conditionis personarum: viri summi non æque corripiuntur, ac imi; cum Dominis non eodem pacto loquendum, quo cum servis. Nathan Davidis peccatum parabola involvit, eaque figurata correctio effecit, ut sese Rex ille corrigeret. Virorum Principum animus irritandus non est: verbum duriusculum illos ad iracundiam provocat: monitum vero opportunum illos revocat ad virtutem. Sæpe claudendi sunt oculi, ne videamus quæ faciunt, eorumque errata quodammodo eminus sunt prospicienda præter propter uti fecit Deus, qui se ignorare simulavit locum, quo se receperat Adam, ut eidem dicere posset, *Adam ubi es*? *Idem*.

Quid sit proximi correctio.

Si correptio in seipsa inspiciatur, hæc est, inquit Origenes, peculiare judicium, quod homo in hominem seorsim exercet: hæc est, inquit S. Ambrosius, personalis censura, & accusatio peccatorem ad seipsum revocans: hæc est, inquit S. Augustinus, salutaris amaritudo, cujus veritas, & charitas efficiunt, ut ille suam sentiat iniquitatem: hæc denique, S. Gregorius Nazianzenus addit, externa vox est, quam adhibet Deus, ut suppleat interiori conscientiæ voci, cujus sæpe stimuli retunduntur; vel verbo suo, quod nequiter a nobismetipsis avertimus, quin illud nostris egestatibus, privatisque malis applicemus. *Idem*. *Serm*. 2.

Cum Peccator contra corripientem ira intumescit; cum saxo durior reverti detrectat, ut rectum virtutis tramitem, a quo recesserat, amplectatur; cum similis Pharaoni habituali pertinacia Moysis correptiones irridet; quænam spes est futurum ut æternam salutem consequatur? Novane pro ipso, o Deus, conversionis adminicula suscitabis? Hoc quidem facere posses; sed aptior, atque vulgatior ad conversionem via est seipsum docilem præbere monitis, quæ sibi tribuuntur, alienasque correctiones in bonum usum convertere. Hoc est utique præsentissimum remedium, & hanc gratiam ab infinita misericordia tua petere debemus. *Idem*.

Mala, in quæ pec

Quam monstruosa peccatorum congeries, cum hæc peccatori absconduntur; vel cum hæc sibi peccator abscondit! Inde fluit crassa quidem, sed criminosa scelerum omnium ignorantia; eadem quoque cæcitas, quæ est etiam peccati causa, cujus sæpe effectus est, & pœna. Inde sexcenta flagitia, quæ propter impunitatem grassantur: flagitia, quæ cessare profecto possent si quis prudenti, atque sapienti audacia eos admoneret, qui illuc labuntur. Inde tot publica scandala, quæ sane interciderentur, si plus charitatis, atque zeli haberemus, & si peccatores sese dociles præberent severis quidem, sed utilibus exprobrationibus sapientiæ vulnerantis quidem, sed simul etiam curantis. *Idem*.

correctionis defectu labitur peccator.

Nihil aptius efficere potest vitium mutum, censorem spectabilem, correctionem utilem, quam vita sancta, atque irreprehensibilis. Quomodo enim cum fructu in aliis damnare possumus ea, quæ nobis licere existimamus? Eorum avaritiam, si avarus sis; furorem, si iracundus; calliditatem, si subdolus; obtrectationes, si irrisor, atque maledicus? Nonne jure dicere possent: *Medice cura te ipsum*? *Idem in Considerationibus*.

Superbia efficit, ut iniquo feramus animo corripientem.

Ejus gloriæ cupidi, quam per peccatum in oculis Dei amisimus, externam illius speciem in hominum oculis tueri desideramus: dicimusque, ut olim Saul Samueli; saltem honora me coram senioribus Israel. Æque superbi ac primus Adam, cujus vitia ad nos usque cum natura migrarunt, turpem nuditatem nostram celare conamur; satis putantes, si frondibus ex ea decerptis arbore, quæ sane arbor vitæ non est, nosmet contegamus. Hoc posito quidquid nobis dicitur, ut de peccato nostro corripiamur, acerbum, molestumque accidit nobis. *Idem*.

Vides hominem ira furentem; qui neque seipsum cognoscit; vinum, vel passio ipsum in hunc statum conjecit: frustra hoc in statu illum corrigere adniteris. Expecta donec procella deservierit: fortasse Spiritus Sancti aura flabit in illum, eumque in portum adducet; fortasse hic voluptatibus mancipatus erubescet, atque tunc tempus sibi æque ac illi favebit. Admiramur nonnumquam peccatores, qui ex nostra quidem sententia acriores meriti sunt redargutiones, lenibus blandisque verbis excipi: at non intelligimus quibusdam in occasionibus necessariam esse sapientem hanc indulgentiam, sine qua omnia corrumperentur, quin ulla malo medicina afferretur. *Idem*.

Indulgentiam in mollitiem degenerare non debet.

Opus non est, ut indulgentia qua erga proximum utimur, in mollem, nimiamque suavitatem degeneret. Si enim verum est, proximum nostrum nobis tamquam nosmetipsos amandum, verum quoque est, quod eum nosmetipsos damnare, atque punire debeamus, debemus etiam hanc eamdem servare regulam cum illis, qui sunt tamquam nosipsi: nisi dicere velimus cum S. Bernardo si quid severitatis, atque suavitatis in Christiana charitate invenitur, utilius esse, ut illas quidem pro nobis arripiamus, hanc vero relinquamus proximo, ut ad officium revocetur. Non desunt homines adeo severi, qui nullum habent sensum lenitatis; e contra vero alii ita lenes, & indulgentes sunt, ut nullam disciplinæ regulam, nullum ordinem servent: utrobique peccatur, ibi quidem per excessum, hic per defectum; atque inde fit, ut correctionis præceptum, vel omittatur, vel inutile fiat. Utrique igitur monendi sunt, ut æquum servent temperamentum, atque exactam servantes disciplinam numquam a lenitate recedant; & utentes lenitate, numquam rigorem disciplinæ relinquant: cum pertinaces animos corrigunt, nequaquam seipsos indurent contra omnem miserationis sensum: & cum infirmas animas consolantur, non sinant se nimia ferri indulgentia. *Idem*.

Non deest in homine principium superbiæ, quo correptiones omnes contemnit: mavult errare semper, quam in rectam virtutis viam iis revocari monitis, quæ sibi ob oculos suam ponant improbitatem,

mavult laudari, atque palpari, quam corrigi, tunc etiam cum nequissime operatur. Hæc sane non postrema est errorum suorum causa. Hoc est magnæ corruptionis, vel insanissimæ obstinationis indicium, putare, seipsum regere posse, præsertim vero in iis, quæ maximi momenti sunt negotiis, sine cujuscumque lumine, & auxilio. Hominum plerique cæci sunt, & inique ratiocinantur in iis, quæ ad ipsos pertinent; amor proprius rationis lumina infirmat, efficitque, ut sæpe pejora sequantur. *Abbas de Bellegarde in libris Moralibus ex Veteri Testamento desumptis.*

Correctionem æqui, bonique facere rectis spiritus nota est.

Undenam hominum plerique, qui tanta cura suis negotiis invigilant, nolunt tamen se corrigi, ubi deliquerint? Cor eorum intumescit, ignis exardescit in faciem, & eorum certissimum subit odium, qui illos corripere velit: videntur metuere, ne sibi error auferatur. Major vis requiritur, quam vulgo in hominibus adsit, ut æqui, bonique faciamus corripientis verba, atque bona fide fateamur; nos fuisse deceptos. Salutaria monita, quæ nobis afferuntur magnæ sunt utilitatis, vel ad Dei gratiam salvandam, vel ad eam recipiendam, ubi fuerit amissa; & hoc in sensu, qui ferre nequit correctionem, contemnit animam suam, quemadmodum loquitur Sapiens. *Idem.*

Quanam dexteritate opus est, ut hoc opus delicatum adeo perficiamus? Qua prudentia usus non est Propheta Nathan, ut Regem David contineret? Ipse etiam David erat Propheta: sed simul erat, & Rex, eaque proponenda fuit parabola, quæ nullum præseferre videretur caracterem increpationis, qua ille Regem erat objurgaturus. Principum virorum sors hac in re calamitosior est, quam pauperum, quibus sine fuco veritas nuda proponitur. *Blandiendum est illis, ut audiant veritatem*, S. Augustinus ajebat de hujus terræ divitibus verba faciens. *Desumptum ex hujus argumenti homilia primum recitata, mox edita.*

Correctio facienda 1. clam; 2. leniter; 3. paucis.

S. Joannis Baptistæ prudentia in sequentibus præsertim circumstantiis enituisse mihi videtur. Primum in hoc quod Herodem seorsim corripuit, & ad illum non ad alios locutus est, neque alienis auribus Regis scelera recitavit: *dicebat Herodi*: quo pacto diligenter adimplevit, quod a Salvatore præcipitur: *Corripe inter te, & ipsum solum*. Alioquin enim si alienum crimen in vulgus proferes, hæc non erit amplius correctio, sed diffamatio; lædes charitatem, charitatis actum cupiens exercere, tuaque imprudentia efficiet, ut abjiciatur correctio tua. Peccantem sapienti alloquere temperamento, ac stude illi pœnitentiam non confusionem ingerere: *Intendens correctioni, parcens pudori*, inquit Augustinus *serm. 16. de Verbis Dom.* Cave, ne illius scelera aliis enarres; alioquin illi diem dices, non corriges; accusabis, non curabis. *Curare volo, non accusare*. Secundo S. Joannes Herodem corripiens modesta æque ac leni loquendi ratione usus est, sine declamatione, sine furore, sine acrimonia, sine elato vocis tono: *dicebat Herodi*. Tertio Sanctus iste Præcursor correctionem paucissimis verbis complexus est: *non licet tibi*: tria illi verba sufficiunt. Profecto magnæ, prolixæque declamationes, exprobrationes illæ, quæ nullum inveniunt finem, minæ, atque animadversiones de ira Dei, de turpitudine, funestisque effectibus peccati non aliud efficiunt, quam reprehensioni, quæ per seipsam satis est amara, & molesta, majorem molestiam, & amaritudinem addere. Hoc autem nonne idem est, ac efficere, ut qui corripitur in nosipsos succenseat, & nequior fiat, cum meliorem studemus efficere, inquit S. Augustinus *Ne quem vis facere correctiorem, facias pejorem*. Hujusmodi ergo redargutiones, atque animadversiones, ut plurimum, in tempus magis opportunum sunt rejiciendæ. *In eadem homilia.*

Peccata, quæ in Scripturis correpta videmus, ut plurimum, habitus sunt qualia David, & Herodis; corripere enim pro peccato, quod vix patratum est, & cum nimis violentus affectus est, nonne hoc est ulcus abscindere, quod nondum maturatum est? Præbe igitur aliquod tempus considerationi, & religioni; fortasse qui peccavit resipiscet, atque utiliter resipiscet. Denique correctio potissimum respicit peccata, quibus adhæret scandalum, quæ aliis sunt perniciosa, & quibus præsertim invigilare, ex justitia Superiores debent, eaque frænare tenentur. Talia, vel similia, ut plurimum, erant peccata, quæ per Prophetas corripiebat Deus. Non ideo dixerim his minora æquo esse animo ferenda; illa quidem corripienda sunt, neque hæc negligenda: sed certum est in utrisque corrigendis plurima esse præcavenda, & quamplurimas esse res correptione dignas, pro quibus tamen satis esse debet lacrymas, & preces effundere. Etenim velle ea omnia, quæ committuntur, errata corrigere, hic sane zelus esset æque periculosus, atque insipiens. *In eadem homilia.*

Qui corripit alios ipse sit culpa vacuus.

Cæterum tu, qui corripis alios, nisi hoc propter dignitatem efficere potes, saltem ea nota probitate, atque irreprehensibili vita auctoritatem obtinuisse debes: alioquin enim correctiones tuæ fere semper inutiles erunt fratri tuo, & noxiæ uonori caracteris tui, si quem obtines, præsertim vero si Ecclesiasticam vitam profiteris. Ad te enim ea spectabunt Scripturæ verba: *Peccatori dixit Deus: quare tu enarras justitias meas, & assumis Testamentum meum per os tuum?* Verba pietatis cum vita tua non congruunt, Sapientes correptiones suas improbum vivendi genus mentitur, & quod tu ipse contemneris, veritates, quas prædicas, in jocum traducuntur. Qui alios reprehendit; ipse irreprehensibilis sit, oportet; alioquin dicetur illi: *Medice cura teipsum*. Et ipse corripiens erubescet, quin illi, quem corripit, ruborem incutiat. Ne me redarguas, indocilis inquiet, quod mundum diligo, quod opes congero, quod fortunam aucupor; fateor quidem in hoc nocens sum, tu vero plurimis aliis de causis nihilo es innocentior. *In eadem homilia.*

Qui pravo genere vivendi scandalum offerunt, non semper eo insigniti sunt caractere, ut nobis eos corripiendi libertas auferatur. Liceret nobis, quin prudentiæ, atque reverentiæ deessemus, ipsis suam ostendere improbitatem. Non difficile esset nancisci occasionem eos alloquendi, ut citra aliquod dedecus illos corriperemus; frœnum, quo retinemur, nobisque claudit os, profecto non est charitas. Nostrum est invigilare subditorum moribus, & quantum in nobis est, eos sanctificare, qui chari sunt nobis; cum autem dicis, te immisceri nolle iis, quæ ad te minime pertinent, fallax prætextus est, quo ego uti non ausim. Non male cogitamus de actionibus religioni, virtutique contrariis; ideoque ignorantia eorum, quæ dicenda essent, futilis est excusatio. Non desunt adeo aperta facinora, quæ de sua nequitia nullam relinquunt dubitationem; ita lex, quæ nobis irrogata est, ut animas de perditionis via monitis nostris revocemus, facillime adimpleri posset, si Deum metueremus, si zelo gloriæ ipsius essemus succensi. Dicamus ergo, a nobis infringi præceptum correctionis fraternæ, quia alia ipsius præcepta infringuntur a nobis. Si fidelem eidem præstaremus obedientiam, æque fortes essemus, ut aliis testari possemus cum dolorem, quo propter ipsorum legis inobedientiam afficimur. Erubescentia peccandi remoratur admonitionem, cujus debitores sumus peccantibus. Non curamus illos revocare ad officium, eo quod cognoscimus nos quoque alieno indigere subsidio. *Liber, cui titulus. Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale.*

Falsus zelus sese plerúque alicrum immiscet correctioni.

Si in proximo defectus quosdam invenio, neque ea mihi charitas est, & humilitas, ut credam me decipi posse, cur tanto ardore, tantaque festinatione adnitor, ut illi mortalibus omnibus comperti fiant, atque explorati? Nullus verus esse potest sine charitate zelus. At dic quæso, ex virtute proceduntne omnes illæ curæ, quas impendis, ut fratrum tuorum errata detegas, & deinde vituperes? Ingentes defe-

defectus habent, inquies: verum nihilne boni in ipsis inest, quod proferre possis, ut reprehensionem tuam aliqua ratione demulceas? si quid recte factum intueri potes, cur mala tantummodo vides? Ea vero sensibilis lætitia, & secreta voluptas, qua alios abjectos, despectosque vides, eane effectus est puri zeli, & christianæ charitatis? Nullumne periculum subest, ne imprudens ille fervor, propter quem proximum cum scandalo, atque rumore reprehendi, zelus hic inquietus, acer, amarus sit affectus quidam personatus? *P. Croiset in Considerationibus Spiritualibus.*

Quænam illusio privato homini, qui, cum debeat suam tantum vivendi rationem castigare, vacar iis detegendis, quæ reprehensibilia esse possunt in aliena; quin intra domesticos parietes seipsum contineat juxta Apostoli consilium, atque in id operam omnem transmittat, ut perfecte status sui perfungantur officio? Jugibus prosequitur lacrymis morum sæculi licentiam; & cum in singulos dies magis se abdat negotiis suis intentus lucro, & contra sibi abæratos asperrimus, cumque subita exardescat ita adversus eos, a quibus lacessitur, postulat, ut omnium mortalium genus reformetur, ipse vero seipsum reformare non cogitat. Minus ostendenda pietas est, minus acrimoniæ requiritur, minus furoris in zelo, & plus integritatis, plus bonæ fidei, plus justitiæ; verbo, plus charitatis, sine qua maxima quælibet virtus illusio est? *Idem.*

De publicis malis non conquerendū graviter.

Avertat Deus, quod licentiam sæculi probare velimus, atque sub ignavæ blandæque charitatis prætextu vitio velimus velificari: tanta hæc temporum, morumque licentia, sane deflenda est. Verum enim vero cum hæc tibi demandata non fuerit Provincia, ut alienos defectus censoria nota castiges, cur tanto cum strepitu quereris? cur tanta cum acrimonia, ex amaritudine corripis? Teipsum ad frugem revocare incipe, atque tunc hoc solatium habebis, te efficaciter ad morum reformationem adlaborasse. *Idem.*

Metus quædam est via, qua Deus jubet Superiores uti, ut eas in officio contineant, qui sibi subditi sunt; impunitas vero fons est inexhaustus vitiorum omnium, & flagitiorum. Certissimum est, quandoquidem hoc æterna veritas docuit, ubi minores defectus corripere negligimus, fieri nequaquam posse, quominus majores accidant; & si altius repetenda esset origo malorum in legibus violatis, vel remissa mandatorum observantia, inveniremus sane primam tot malorum causam fuisse Magistratuum, Dominorum, atque Superiorum incuriam, qua in eos animadvertere neglexerunt, qui ab officio recesserunt. *Abbas Trappensis. Tomo 1. Dogmatum Christianorum.*

Si diligentius ad examen revocare velimus rationes, propter quas nonnulli conqueruntur de pravis actionibus, quarum testes sunt, & quas propter caracterem suum dissimulare non possunt; inveniemus sane, eorum indignationem nequaquam ob illud inflammari, quod majori reprehensione dignum est. Deus scelere offenditur; hæc ea causa est, propter quam ante aliam quamlibet considerationem scelus fidelem animam irritare debet. Pater corripit Filium ob factum aliquod, quo divina præcepta læduntur. Verum prima corripientis intentio eane est, ut nocentem sanctificet, atque ad Deum revocet? Si patiebatur, ipsum affectibus incompositis rapi, turpe illi fuisset, videre in se recidere infamiam scelerum, quæ permisisset: at afficiturne acri dolore ob Deo illatam injuriam? Nonne magis afficeretur, si filius hic in infirmitatem sua indignam fortuna decideret, vel mortalium omnium contemptum sibi conflaret? Amicus testatur amico dolorem, quem sibi illius afferunt scelera ..... Si ullam habet divini honoris rationem, maxima afficietur molestia & vix fortasse lacrymas continebit: amici sui bona existimatio, temporalia negotia, decor, necessitudinis illius, qua simul conjuncti sunt, omnem vigilantiam, omnemque amicitiæ suæ zelum exhauriunt. Superior aberrantem corripier subditum; virtus illius efficere debet, ut oderit eam perfidiam, quæ tantam divinæ misericordiæ infert injuriam; verum satis probabile videtur, regiminis sui felicitatem, metum, ne aliqua auctoritati suæ labes inferatur, quorumdam temporalium bonorum jacturam, non modicam habere partem eo in motu, qui eumdem ad corripiendum impellit. Correctio sane magis efficax esset, si esset magis christiana. Hoc sane est Deum negligere, illius ea in actione oblivisci, in qua gloria ipsius tanto dedecore afficitur. *Liber, cui titulus; Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale.*

Reprehensio illius qui nobis melior nō est, contemnenda non est.

Qui corripit, se vitium odisse ostendit; qui vero corripitur, se illud nequaquam odisse demonstrat. Uter horum majorem præsefert sapientiam? Non curo, quinam sit, qui me corripere velit, hic meliores sane sensus haber, quam ego; ille quidem æquius, atque, ut cristianum hominem decet, de iis defectibus cogitat, quibus obnoxius sum, & quos & agnoscere, & relinquere vereor. Quicumque alioquin sit corripientis caracter, illius lumina in pretio habere deberem propter eam, quam inde possum percipere utilitatem: neque de illius correptionibus conqueri possum, quin pejor fiam. *Qui etsi iisdem teneatur criminibus, certe in eo melior est, quod sua ei mala non placeant.* Hieron. Ep. 4. *Idem.*

Præceptum, quo fratres jubemur corrigere, ex illis profecto est, qui minus observantur: licet illius observantia non adeo infrequens esse debere videatur. Nosmet prohibere non possumus, quo minus vitium damnemus, quod exerceri intuemur; non igitur ob luminis defectum tacemus, cum alienorum criminum testes sumus. Immo, neque videtur, non satis liquere nobis, utrum crimen damnandum sit: ergo silentium nostrum effectus non est impiæ ignorantiæ. Ii qui flagitioso vivendi genere nobis scandalum afferunt, non semper eo sunt caractere insigniti, qui nobis corripiendi libertatem eripiat; nobisque liceret: incolumi reverentia, atque sapientia illis ob oculos suos scelus statuere. Levi negotio nancisci possemus loquendi occasionem, ut illos corriperemus, quin dedecore eosdem afficeremus; charitas non est frænum, quod nos contineat, nobisque os claudat. Nostrum est subditorum nostrorum moribus invigilare, & quantum in nobis est, eos qui chari sunt nobis, sanctificare: at alienis immisceri nolle negotiis, inanis prætextus est, quem afferre non auderemus. Non male cogitamus de actionibus religioni, virtutique contrariis: ideoque eorum, quæ a nobis essent dicenda, ignorantia futilis est excusatio. Si dicimus incertum esse judicium, quod in corripiendum ferimus, nos ipsos decipimus: non enim desunt apertissima crimina, de quorum nequitia nefas est dubitare. Si rationes, quibus impulsi fuimus, cum renuimus proximum nostrum corrigere, uti debebamus, adeo palam suam, & falla- ciam, & infirmitatem præseferunt: lex nobis irrogata, ut monitis nostris animas de via perditionis eripiamus, ne illa quidem potest impleri, si aliquis Dei metus, & gloriæ ipsius zelus nobis inesset. Dicamus ideo a nobis correctionis fraternæ præceptum infringi, quia alia etiam Dei præcepta contemnimus. Si fideli obedientia obsequeremur Deo, satis constantiæ nobis suppeteret, ut testaremur aliis, cum dolorem, quem ipsorum nobis adfert inobedientia. Pudor male operandi prohibet, ne malum operantes redarguamus, uti par est. Non quærimus quomodo alios in rectam virtutis viam revocare possimus, quia, & nosmetipsos hac monitione indigere cognoscimus. Vanitas nostra metuit, ne afferatur: extinguit in nobis charitatem hanc, quæ fratrem nostrum posset humiliare. Non ægre illum corriperemus, ut vitam homine christiano dignam duceret, si nosipsi christianam vitam sequeremur. *Idem.*

SUP.

SUPPLEMENTUM.

Correctio Fraterna.

Correctio Fraterna est magnum Charitatis erga proximum argumentum, qui a sceleribus suis revocatur.

Apostolus fideles omnes hortatur, ut mutuam erga fratres christianam charitatem, verumque habeant zelum alienæ salutis. Fratres, inquit ille, si quis ex vobis a recta via deerraverit, & ab aliquo ad eamdem revocatus fuerit; noverit, hominem qui ab errore suo peccatorem revocaverit, salvam facturum animam illius a morte æterna, & cooperiturum multitudinem peccatorum: *Et operiet multitudinem peccatorum!* Videlicet ille qui peccatorem ad salutis viam revocaverit, eamdem adipiscetur gloriam, quam si salvam fecisset animam, & a Dei misericordia facile propriorum peccatorum veniam consequetur. Hoc ipsum scribit S. Paulus ad Timotheum: *Hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt*: *P. Croiset in Asceticis Exercit. Tom.* 4.

Jacobi 5. — 1. Tim. 4.

Quo spiritu inspicienda sint proximi vitia, & quo pacto corrigenda.

Aliena vitia intuemini non quidem irato animo, sed misericordi; neque illa ipsa excipio, quæ vobis nocuerint: e contra pro his magis, quam aliis, vos assuescere volo, ut penitus a corde vestro exulet quæcumque acrimonia, indignatio, amaritudo. Si igitur frater tuus te læsit, vel tibi scandalum intulit, vade; ac privatim illum de scelere redargue; verum cum non aliud tibi spectandum sit, nisi ut lucreris illum, lenibus, blandisque verbis illum alloquere; sume tibi commoda fandi tempora, ne videaris illi dolorem velle inferre, negotium illi facessere, confundere illum, sed curare; & te magis dolere vicem illius, qui tantum tibi peperit damnum, quam tuam, qui injuria affectus fuisti. Nemo charitatis sensus inspirat, nisi qui iisdem repletus est. Lenis correctio, benevola, opportune instituta semper est salutaris; cum e contra quæ cum acrimonia, & ira, vel importune peragitur, avertit animos; atque exasperat. Agnoscet fortasse peccator injuriam, damnabit peccatum; sed superbus ille modus, ac durus, quo corripitur, efficit, ut illam tueri velit, ac propugnare. Paucissimi non æquissimo ferrent animo correctionem, si semper, uti par est, illi comes accederet lenitas, atque charitas. Hujus rei illustria nobis proposuit exempla JESUS CHRISTUS, qui potissimum vult correctionem clanculum, remotisque arbitris esse faciendam; *Inter te, & ipsum solum. Idem. Tomo* 2.

Ejusdem argumenti.

Si quidquid privatim conatus es, ut fratrem ad officium revocares, pergit Salvator, irritum fuerit; dic Ecclesiæ; Præsules certiores fac, & nisi sese collegerit, si in suo errore perstiterit, si optimam hanc parentem non audierit, tibi sit tamquam Ethnicus, & Publicanus. Quot facienda sunt Christiano, antequam jure possit cum amico suo amicitiam discindere, vel ab illa discedere; scitus quidam interpres ait! Primum quidem illum privatim perquirere debet; mox coram sapientibus aliquot viris, quorum ope eum lucrari adnitatur, & qui testes sint, nihil ad id fuisse prætermissum. Denique Ecclesiam debet arcessere ob hanc, quam cupit, mutationem obtinendam. *P. Croiset. Ibidem.*

Agnoscendum est peccatoris ingenium, antequam correctionis opus suscipiatur.

Lenitate potius, quam vi permovendi illi sunt, qui sunt ad virtutem revocandi; sed quænam tenenda via sit cum illis, qui ingenio sunt pravo, non satis liquet; si eos palpas, cum duriuscule tractandi sunt, malum eorum nonnisi ex dimidio curatur; Si gravius inveheris in illos; correctionem fastidiunt, ut animum despondeant; constringunt vincula sua, neque ultra de remediis verba sibi fieri patiuntur. Plurimi extrema quæque ausi sunt, quia pro criminum magnitudine se puniendos esse intellexerunt. Non semper operæ pretium est aptare pœnas peccatis; sedulo inspiciendi sunt peccatorum animi, ut liqueat qualiter affecti sint, ne quod scissum est sarcire cupiens, deteriorem patias scissuram; videlicet ne quin attollas, qui cecidit, in profundum dejicias. Si cum omnibus leniter agas, si sensim, & sine sensu conatis pervadere animum infirmiorum, quos voluptates molliunt, vel quibus generis nobilitas, & opes superbiam suadent, hac ratione fortasse persuadere poteris, ut vitia sua ablegent; sed si illos severius, ac imperiosius tractare ausus fueris, nullum ex correctionibus tuis fructum percipient. Ubi verecundiæ cancelli superati sunt, ad impotentiam devenitur; nemo blanditiis, minis, beneficiis se flecti sinit; ruunt in omne nefas deterius, quam illi, quibus Propheta exprobrabat, quasi frontem haberent meretricum, & pudorem omnem excussissent. *Ex Opusculis S. Chrysostomi.*

Difficile est bene correctionem facere, & recipere.

Præcipit Apostolus, quomodo nosmet gerere debeamus erga eos, qui labuntur, dicens correctionem non esse omnino necessariam; neque enim in Cœlo futura est, ubi nihil erit corrigendum. Supponit ergo vitium aliquod in eo, qui corrigendus est. Bene corrigere difficile est, æqui bonique eam facere difficilius; quapropter S. Augustinus de S. Paulo, qui S. Petrum corripuit, verba faciens, docens laudabilius, & majus opus esse correctionem haud gravate ferre, quam habere corrigendi fortitudinem. Simplices fideles hoc non tenentur obire munus quacumque ex causa. Noxæ, quæ difficilius curandæ videntur, peculiarium Medicorum artem exposcunt, & superant vel commune lumen, vel vocationem communem fidelium. Noxæ igitur, quarum correctio quodammodo ad Christianos omnes pertinet, quin ad id indigeant peculiari munere, vel missione, sunt noxæ, quæ admonitionem dumtaxat requirunt, & quæ in illis remanent, qui eas commiserunt, cum sincera voluntate sese corrigendi, ubi fuerint admoniti. Demum errata sunt ignorantiæ vel quæ inopinato accidunt, quemadmodum ostendit Apostolus his verbis. *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. Tourneux in Anno Christiano. Tomo* 10.

ad Gal. 6.

Verba aptanda sunt corrigendis.

Quibus alii corrigendi sunt, cavendum est, ne quid sui immisceant ingenii, sed ut omnia peragant in spiritu lenitatis. In hoc præsertim sequi opus est Spiritum Dei, quo animamur. Qui omnes humanos motus excludit, verbo lenitatis, excludit etiam motus zeli ardentis, qui cum in aliis occasionibus boni esse queant erga peccatores alios, non sunt tamen accommodati illis, qui per ignorantiam, vel casum peccaverunt. Accidere posset, quod operæ pretium esset vehementius loqui, sed optimus omnium canon est, submittere verba statui eorum, qui sunt corrigendi: Interius vero corrigens habere debet cor amore, & charitate plenum erga fratrem, qui lapsus est. Ama, S. Augustinus ait, & dic quidquid volueris; quod contumeliosum videbitur, tale non erit, cum in corde tuo nil erit, nisi desiderium salutem fratris tui procurandi. Omnia igitur in hoc sita sunt, ut adsit tibi charitas erga fratrem tuum; efficiet hæc ut superes repulsas, & contradictiones, quæ in hujus officii praxi occurrunt aliquando, ac eas in optimum usum convertas. Sed nil magis teneram hanc, & commiserantem excitat charitatem, quam nostri periculi consideratio. *Tourneux in Anno Christiano. Tomo* 10.

Exempla correctionis eorum, qui diliguntur.

Duo pulcherrima exempla, quibus in Scripturis docemur, quomodo corrigendi sunt illi, qui amantur, nobis præbentur a Joseph, & Moyse. Joseph quidem erga fratres suos docet quomodo ipsi pares sine invidia corrigere debeamus: Moyses vero erga populum docet, quomodo sine duritia inferiores nostros corripiamus. Plorat Joseph corrigens fratres, atque ostendens crimen, quod commiserunt: hæc est miseratio, quam erga pares excitat benevolentia. Moyses mori vult pro populo, & nihilo secius in illum animadvertit; hæc charitas est, quam amor ciet erga inferiores. Joseph erga fratres simulat iracundiam, eisque parcit: Moyses erga subditos, illos punit, & pro illis a Deo veniam deprecatur. *Abbas Boileau in delectis sententiis.*

Ad amicos potissimum pertinet.

Ad amicos pertinet fraterna correctio eo potissimum jure, quod hac in re nihil e sententia potest con-

Unde fraterna correctio; quis caeteris quibuscumque huic muneri sunt aptiores.

contingere; nisi adsit amicitiae significatio. Remedium hoc violentum est, leniendus est: quis vero hoc melius faciat amico! Incisio est cum dolore conjuncta. Qui melius aegrum praeparare potest, quam qui neque scalprum, neque novaculam ostentat? Amicitiae est excogitare haec adeo necessaria temperamenta, sed aliis in occasionibus adeo difficilia, & inutilia; nam undenam fit, ut adeo paucis haec bevertant? Haec est causa, quia putant, illos corrigere potius, ut suo pareant ingenio, quam ut meliores efficiant, quos corrigunt; quia seipsos non consulunt; si hominem hunc ita aggrederer, vel ita, nonne illum lucrarer? Quia respiciuntur, tamquam homines, qui cauteriatum, & exacerbatum habentes animum in alios bilis suae amaritudinem exonerant; quia corrigentes non norunt, vel non praestolantur commoda fandi tempora, quibus monita, & correptiones facilius admitterentur. Sed cum adest sincera, & vere christiana amicitia omnes hujusmodi obices facile auferuntur. Amicus apud amicum omni vacat suspicione; remotis arbitris corripit, utiturque libera, honestaque familiaritate. Amici rationem habet, eique ignoscit; cumque illius ingenium calleat, ea eligit ad corripiendum momenta, quibus majorem valeat referre utilitatem. *Idem*.

Ad proximum cum fructu corrigendum modus servandus est.

Sunt, qui correctiones suas, ac reprehensiones, quae difficillimae sunt Concionatorum partes, tunc peragere differant, cum de suggestu incaluerunt, & fervor capiti accessit; & hinc satis crebro accidit, id, quod alio tempore fervor vocandus esset, potius in furorem migrare, & mentis insaniam; nam nimia loquendi, pugnandique libidine, bilis aestuat potius, quam zelus; & Deus, ut sapienter animadvertit Philo Judaeus, interdicto caverat, gravissimis poenis propositis, ne Sacrificia, & Holocautomata elementari, profanoque igne absumerentur; videlicet correctiones in aestu cupiditatis, & iracundiae peractae aptiores sunt ad animos exasperandos, quam illos in rectam viam revocandos. Ita ignis hic, qui olim de coelo descenderat, Sacerdotum ministerio alebatur, videlicet zelo honoris Dei, & salutis proximi. *Ex Tractatu Italo, cui titulus: l' Eternità Consigliera*.

Fraternae correctioni comes accedere debet prudentia.

. Prudentia omnino requiritur in correctione fraterna, quae si illa deesset virtus, fieret non inutilis solum, verum etiam noxia. Ita Salvator nobis hujus modum traditurus, hic muneri adnotandum illud praefigit verbum: *Attendite*. Animum advertite ad id, quod estis facturi, si quae enim in vita est occasio, ubi ad examen rite vocanda sit necessitas, & effectus ejus rei, quam aggredimur; sane hoc vel in primis curandum est: Si tanta adhibenda est attentio ne caro viva laedatur, cum caro mortua abscindenda est; quantum praecautionis afferendum est, cum cordis nostri concupiscentiae sunt resecandae? Quanam dexteritate utendum est, ut operatio admodum delicata fiat? Quanam prudentia usus est Nathan Propheta, ubi Davidem corripere voluit? Illi proposuit parabolam &c. *De la Chetardie in quadam Homilia*.

Correctio primum secreta esse debet *Matth. 18. 15.*

· Cum fratrem corripis, primum *Corripe inter te, & ipsum solum*, ita enim diligenter exequeris quod in hujusmodi occasione praecipit Salvator. Alioquin si crimen ejus evulgaveris, haec non erit amplius correctio, sed diffamatio. Laedes charitatem volens charitatis actum exercere; imprudentia tua fiat, ut rejiciatur correctio tua. Illum alloquere cum modo, cura in illo ciere poenitentiam, non confusionem, juxta S. Augustini monitum; cave, ne ipse illius vitia aliis aperias, hoc enim esset dicere illi dicere, non cum corrigere; accusare, non curare; idem S. Pater ait. *Idem*.

Paucis faciendus est. *1. Reg. 13. 11.*

Samuel corripiens Saulem pauca illi protulit verba: *Quid fecisti? Stulte egisti*. Et profecto prolixae declamationes, atque exprobrationes nullum habentes finem; minae, & considerationes de ira Dei, de peccati turpitudine, & effectis saepe correctionem molestam efficiunt, cum per se jam sit satis amara. Nonne hoc est illum, qui corripitur, urgere, ut in te rebellet; & nocentior fiat, quem efficere cupis probiorem? Ne quem vis facere correctiorem, facias pejorem. *Idem*.

Moderata esse debet, & cum causa.

Constat, & id satis docet experientia, correptionem fundamentis laborantem non minus nocenti obesse, quam proprium scelus; & zelum adeo parum illuminatum minus optandum esse in corripiente, quam silentium de peccato, quod corripiendum est. Antequam aliquem de crimine corripias, certus esto hoc ab illo fuisse commissum, atque tunc correptionem crimini accommoda: *Priusquam interroget, ne vituperes quemquam, & cum interrogaveris corripe juste. Idem*.

Injustitia est alios corripere, & sibi parcere.

Se mentis parum sanae ostendit, qui minora fratrum suorum vitia consectatur, & redarguit, cum interea de suis non laboret, quae longe graviora sunt. Trabs toto coelo major est quam palea: Non videmus trabem in oculo nostro, & observamus paleam in alieno. Videlicet in aliis detegimus exempli gratia, leves impatientias, quae illis excidunt; nec videmus iracundiam, quae in nobis dominatur. Nonne hic cumulus est injustitiae? Neque illud praetexendum est, quod alii facilius videntur, quam nosmetipsos videamus. Inutilis color! Non agitur istic de corporeis oculis, sed de oculis animae; de mentis nostrae attentione ad nosmetipsos, quae nobis vitia nostra detegit. Hoc textus Graecus innuit. *Trabem, quae in oculo tuo est non consideras*. Antequam igitur proximum judicemus, atque damnemus serio nosmet colligamus, & perpendemus, utrum nobis eadem sint vitia, immo etiam graviora, quam illi, ac nosmet agnoscentes longe imperfectiores proximo, facile zelum nostrum coercebimus, quo ad illum corripiendum impellimur. Quam enim parum decet, donec ipsi vitiis diffluimus oculos nostros in alienas tantum noxas defigere? Sapientissimum ergo consilium nostrum erit, ad nostram conversionem animum advertere, antequam simus de aliena solliciti. Habemus trabem in oculo nostro, videlicet, grave crimen dominatur in nobis, & de hoc non laboramus, & ne cogitamus quidem; cogitamus vero de noxis proximi, quae saepe leviores sunt nostris. Quae caecitas! *Qui ergo alium doces, teipsum non doces. Pater Segneri in Meditationibus*. *Rom. 2.*

Ejusdem argumenti.

Quandiu nosmetipsos negligemus, quam utilitatem a curis nostris fratrem percipient? Quin proficiant ex zelo, quem contra illorum noxas ostendimus, nos semper irridebunt. Si enim trabs, quam habemus in oculo, non vetat quominus videamus paleam, quae est in oculo eorum; palea, quam habent in oculo non prohibebit illos etiam, ne videant trabem, quae in oculo nostro est; ac in ludibrium vertentes zelum nostrum merito dicent: *Medice cura teipsum*. Ulterius etiam procedent ab irrisione ad indignationem; ac scandalizabuntur videntes se corrigi a nequioribus se. *Ante judicium para justitiam tibi, & antequam loquaris, disce*. Vis exercere cum fructu talenta, quae tibi contulit Deus, ut ad fratrum tuorum conversionem attendas? incipe a tui ipsius conversione, & lacrymis elue scelera tua. Tunc aestimabunt illi zelum tuum, ac proficient ex monitis tuis. Nonne insignis temeritas est, & non ferenda stultitia velle cum manibus lutulentis pulverem ex alterius ore detergere? *Ab immundo quid mundabitur? Idem ibidem*. *Eccli. 18.* *Eccli. 34.*

Ut Correctio sit efficax tempus est eligendum.

De correctione idem sentiendum, ac de auxilio, quod praeberi potest iis, qui furenti procella agitantur. Interlucet scissum fulguribus coelum, venti undequaque furunt, & navis semifracta hac illac fertur; quomodo huic praestes opem? Hoc unum facere potes, ut manus in coelum attollas, eorumque doleas vicem; te enim fluctibus committere, ut eos de praesenti periculo adducas, hoc est, temere in periculum dare, ut pereas cum illis. Vides hominem adeo iracundum, ut seipsum minime noverit; vinum, vel cupiditas in hanc illum

illum dedit insaniam; irrito labore cum in hoc statu positum corrigere conabetis; attende donec procella detonuerit; fortasse ventus Spiritus Sancti afflabit illum, & adducet in portum; fortasse illum pudebit suarum libidinum; atque tunc temporis spatium illi opitulabitur, & tibi. *Ex dictionario Morali.*

Correctio cum lenitate facienda est.

Quidquid dicitur aut fit magno cum impetu, proximo corrigendo aptum non est; ubinam aliquem intuemur fructum durioris hujus agendi rationis? Corda sunt demulcenda, nec illa mulcentur nisi charitatis, atque benevolentiæ argumentis. Satis non est rationem habere. Rationem corrumpit, ac dedecorat, qui illam imperiosius, ac severius tuetur. Lenitate, patientia, suavitate sensim flectuntur animi, ad veritatem excipiendam disponuntur, immittitur in illos veterum præoccupationum diffidentia, inspiratur illis necessaria confidentia, & ad incompositos habitus superandos inflammantur. Cum, qui indiget correctione, vult corrigentem suo ingenio obsequi; nequaquam ad seipsum corrigendum paratus est. Amor proprius semper rebellat contra asperum monitorem. Deus ipse id genus correctionibus non benedicit; iracundia, ut S. Jacobus ait, numquam operatur justitiam Dei. *De Fenelon Cameracensis Episcopus in delectis sermonibus.*

Quomodo sit acceptanda correctio.

Monita, quæ nobis præbentur beneficii loco habenda sunt, & tamquam validum adminiculum, quo noxis omnibus liberari possumus, ideoque non alacriter tantum, sed avide etiam recipienda sunt. Ipsa, quæ illa consequitur amaritudo, nobis esse debet jucunda, quoniam humilitatis bonum procurat nobis, & amorem proprium præcipuum inimicum nostrum infirmat. Ita quin tantum hoc bonum procurantibus nos tædio, vel amaritudine aliqua affici testemur; nihil nobis prætermittendum est, ut immo gratiam illis habere videamur, ut liberemus illos metu, ne nos a se læsos fuisse putent, ut illos invitemus, ut quam sæpissime de nobis mereantur, atque ut omnem illis metum auferamus, qui eos nimis cautos, & pavidos posset efficere. *Ex Tractatu de Charitate, & amore proprio.*

Si alios reformare voluerimus, quin nosmet ipsos reformemus zelus noster aliis scandalo erit, & nobis detrimento.

Alienos mores reformare velle, quin de nobismetipsis reformandis cogitemus, hoc efficere est ut zelus noster nobis quidem noceat, aliis vero scandalo sit. Hoc non inutile tantum est, sed noxium quoque nobis præsertim. Nam ex quo *alium judicas, te ipsum condemnas.* Igitur nosmet constituendo judices fratrum nostrorum, cum & ipsi nocentes simus, Dei iracundiam in nos provocamus. Verum quidem est, Principibus, Præsulibus, Magistratibus, & iis omnibus, quibus juris dicundi potestas collata est, hoc esse faciendum licet se nocentiores illo sentiant, quem damnant. Verum præter illos, hoc jus est quod nemini sibi vindicare licet; immo ne ipsis quidem Evangelici Verbi ministris. Irreprehensibilis tibi vita ducenda est, antequam possis in aliis reprehendere seu palam, seu clam, flagitiosum vitæ genus quod ducunt: *Mundati sunt Sacerdotes, & Levitæ, & mundaverunt populum.* (2. Esdr. 12.) Alios corrigere velle, cum ipsi corrigendi sumus, præsumptio est, & scandalum simul, si alii norunt quod sumus; & hoc voco Dei iracundiam provocare. Si per præsumptionem delinquimus, æquum est ut Deus confundat superbum, conantem tegere nequitiam suam corripiendo aliquam. *Percutiet te Deus paries dealbate.* (Act. 23.) Si præsumptioni scandalum accedat, æquum est adhuc, ut Deus nos condemnet tamquam seductores, qui sermonibus suis animas convertere velle videntur, & re ipsa eas suo exemplo pervertunt. *Ejusmodi pseudo Apostoli sunt operarii subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi.* (2. Cor. 11.) *P. Segneri in Meditationibus.*

Dei iram in se concitat qui aliena vitia corripere vult & negligere propria. Isa. 65.

Nihilominus laude dignum est fratres nostros, si quid peccaverint, corrigere; verum antea de noxis nostris nosmet corrigere cogitemus. Alioquin eo magis Dei iracundiam irritabimus, quo in oculis ejus erimus nocentiores, dum in oculis hominum justos videri appetemus. *Væ qui dicunt, recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es: isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.* Quid prodest heu! ad aliorum perfectionem incumbere, si vis ipse in tua sordescere iniquitate? Ita omnium laborum fructus apud homines, & coram Deo meritum omne amittitur. Zelus qui incipit ab Apostoli reformatione, solus efficax esse potest; & meritis accensendus. Quoties examinans, & condemnans alios, ne cogitans quidem severissimam in me ipsum protuli sententiam? Nimis indignus sum, Deus, indulgentia tua, quin adhuc iracundiam tuam provocem censuram in alios exercendo. *Idem ibidem.*

Ratio bonam efficiendi correctionem.

Non omnia tempora, neque loci omnes apti sunt; ut cum fructu fraternæ charitatis munere perfungaris? Cave ne fratrem statim in arena corripias; da illi tempus crimen suum considerandi; sine ardorem illius defervere; expecta donec ratio cupiditatem adhuc ferventem superet; ubi tranquillior erit, aptior erit proficiendo ex monitis tuis. Tu etiam fortasse indiges tempore, ut quæ tibi dicenda sint cogites; fortasse tuum etiam cor turbatius est, atque tibi quædam nimis significantia suggereret verba ad turbam augendam, quam ad animum mulcendum aptiora? Diligentissimam habe rationem illius, quem corripere studes, & ad id parce illius verecundiæ; locum quære, ubi secreto eum alloqui possis. Fatebitur fortasse crimen suum seorsim correptus, qui illud mordicus tueri vellet coram aliis exprobratus. *Morali novi Testamenti. Pater la Neuville tomo 1.*

Ejusdem argumenti.

Ut a fratre audiaris tibi prudenter, ac leniter loquendum est. 1. Prudenter quidem in correptionibus, quibus proximum corrigere debebis, ad unguem Sancti Pauli consilium sequere: primum rationem habe caracteris, ætatis, ordinis, actualium affectionum illius, qui a te est arguendus; deinde vero criminum, quæ sunt corrigenda. Christiana Sapientia magnum statuit discrimen inter eam reprehensionem, qua primum, & qua iteratum crimen redarguit; qua leve facinus, vel grave peccatum; qua noxam, cujus nullus videtur funestus exitus futurus, vel quam alia multa subsecutura sunt, corripit. 2. *Leniter*. Verus zelus numquam amarus est, & charitas per se suavis est. Cum igitur acrius, imperosius, violentius fratrem tuum corripueris, id a te fieri arbitrabitur per invidiam, iram, cupiditatem; & inde monita tua in irritum abibunt, & quin fratrem lucreris, illum in nullam spem reditus perdes. Odi, puni noxam, sed nocenti parce, eumque dilige. Quælibet correctio per se satis amara est, ne augeas amaritudinem ejus duritia verborum, & oris habitu nimium elato, & severo. Præsertim conare te irreprehensibilem præbere in iis, quæ tibi in aliis sunt corrigenda. *Idem.*

Conditiones zeli habendi in proximi correctione.

Non desit zelus proximorum vitia corrigenti; extinctæ quippe charitatis indicium est, si desideretur; sed zelus iste numquam sit acer, imprudens, sed humilis, ad miserationem pronus, & moderatus. Plorandum est, cum morum licentia videtur, sed cum præpositus non es vitiis aliorum corrigendis, cur tanta acrimonia, & amaritudine reprehendis? Modus hanc morum rationem corripiendi est vita frugi, & boni exempli in nobismetipsis, & hic unus, qui decet eos, quibus aliorum cura demandata est, & unus, qui numquam suo careat fructu. Considerate igitur ad quem zelus vester sese extendere debeat, & quinam a vobis sint corrigendi, & cogitate vos rationem esse reddituros eorum, qui vobis subditi sunt. Ne confidatis nimium in bona eorum fide: ne dicatis, satis ætatis habere, ut agnoscere debeant officia sua; sed eorum vitia corripite non sine modo. Primum zeli vestri documentum sit bonum exemplum, neque confiditis in zelo alterius, qui

vobis

vobis negligentiùs creditam provinciam procurabunt. Estote igitur rigidi, quin sitis amari, & austeri; contumeliosis verbis abstinete; facite, ut persuasum omnibus sit zelum vestrum Christianum esse, ideoque a charitate inseparabilem. *Ex Asceticis Exercitationibus P. Croiset Tomo 2.*

Monitum iis, qui regulari vel saeculari praesunt communitati.

Praeesne Corpori, aut Communitati? Indefesso tibi zelo opus est, ut nec admittas, neque patiaris aliquid pietatis laxari; sed mone cum lenitate, corrige cum modo, sed praesertim tuo loquere exemplo; tibi nulla in te indulgens, ad unguem exactus esto, ne tibi aliquam vindices dispensationem, atque tunc mala corriges, & Communitatis tuae reformationem incipies. Omnis zelus inquietus, acer, mordax pseudo zelus est. Zelus tuus sit lenis, beneficus, charitate plenus; fallitur, qui sibi zeli satis esse pro aliorum correctione arbitratur, si pro propria desit perfectione. Non diligimus magis proximum, quam nosmetipsos; qui tunc zelus vocatur est proprie vividum ingenium, ac merus ambitionis effectus. *Idem.*

Quo fine, & consilio correctio sit facienda.


Esse te oportet tamquam pium medicum erga peccatores, ut docet mundi Salvator; curare vulnera, quae ipsi sibi intulerunt, non inferre recentia. Respice ergo aliena crimina non irascens, sed miserescens. Si ergo te laesit frater tuus, vel tibi scandalo est; illum seorsim conveni, ob illius oculos statue peccatum ipsius, verum cum non aliud tibi quaerendum sit, quam ut lucreris illum, blandis, lenibusque verbis illum affare; fandique tempus elige. Sentiat ille te intentum esse, non ut illi negotium facessas, vel de illo ultionem reposcas, sed ut illi medearis; teque magis affici malo, quod ille sibi intulit, quam quod tibi illatum est. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus. Tomo 2.*

Fructus correctionis lenis, & opportune adhibitae.

Correctio lenis, & cum Charitate conjuncta, nec non opportune facta semper salutaris est; cum e contra illa, quae fit cum acrimonia, vel ira, vel importune avertit animum & exasperat cor. Reus quidem agnoscit noxam, factumque damnat; sed superbus, durusque modus, quo corripitur, efficit, ut ille mordicus crimini suo velit inhaerere, ac illud tueri. Pauci haberent gratiam correpti, si cum charitate, & lenitate corrigerentur. JESUS CHRISTUS insignia nobis praebuit exempla; ac praesertim jubet correctionem clanculum fieri: *Inter te, & ipsum solum.* Quaelibet correctio publice instituta in illius, qui corripitur cor tot infert vulnera, quot testes habet. Videtur tunc quaeri potius, ut in illo confusio excitetur, quam illi praebeatur medicina. Si correctionem tuam audiverit, addit Salvator, non minimum quaestum fecisti; etenim aliquid contulisti, ut animam fratris tui lucrareris. *Lucratus eris fratrem tuum. Idem.*

De fraternae correctionis utilitate.


Quomodo hodierna die inter fideles hic disciplinae servatur articulus? Plerique illum ignorant, & omnes alii fere negligunt. Hoc tamen gravissimae utilitatis officium est innixum utrique praecepto Charitatis erga Deum, & erga proximum. Possumusne amare Deum, & non affici contumeliis, quae illi per fratris nostri peccatum infertur? Possumusne fratrem nostrum diligere, & non affici dolore ob periculum animae ipsius? Adhibeamus ergo eas artes, quas nobis tradit JESUS CHRISTUS ad gloriam illius reparandam, & in viam salutis revocandos eos, qui nobis videntibus ab eadem recedunt. Gradus, verbum, unica visitatio opportune facta sufficit saepe, ut duos hosce effectus simul producat. Frater tuus erga te charitatem violaverat; jam crimen suum agnoscebat, ejusque poenitentia tenebatur. Illud reparare cupiebat, & ad id nihil praestolabatur amplius, quam propitiam occasionem. Hanc illi praebe cum praevertens; quodcumque ipse prior fueris aggressus, statim in corde illius restituere potest charitatem. Haec in corde tuo parum sane altas radices egit, si abnuis id facere, quod adeo utile est, & facile. *Ex Morali novi Testamenti P. Laneuville, Tomo 4.*



CURIOSITAS,

DISSIPATIO SPIRITUS, EFFUSIO CORDIS, IN SUIS OFFICIIS INCURIA &c.

MONITUM.



Tiamsi titulus hic satis aperte praeseferat, de quo istic agatur, opera tamen pretium reor admonere, nos in hoc loco, neque inertiam complecti, neque temporis jacturam, neque alia argumenta, quaecum hoc rationem aliquam possent habere, ut unice de curiositate verba faciamus, quae mentem nostram dissipat, eamque penitus occupat, vel nugis, vel iis rebus, quae non solum ad nos minime pertinent, verum etiam, quae efficiunt, ut oblivioni tradamus earum rerum curam, quae ad nos personaliter spectant.

Verum est, variam esse Curiositatem hanc pro varietate objectorum, quibus destinetur, & mala, quae parit totidem suppeditare posse argumenta Concionum. Veruntamen reor illam ad eos obices hic esse coarctandam, quos pietati, curae salutis, & veri Christiani officiis opponit. In hoc etiam sese continere debet Sacer Orator, ne nimis vagum sermonem instituat. Itaque hoc in loco nequaquam accusamus homines, vel ne magnis sceleribus, in quae praecipites ruunt, vel de vitiis, quibus maxime patent; sed eos hortamur, ut praecipuam illorum auferant causam, quae est Curiositas, Dissipatio mentis, & cordis Effusio in objecta plurima, a quibus distrahuntur, atque ab officiis status sui, suorum munerum, suaeque Religionis arcentur.

Caeterum ex hoc argumento plurimum percipi potest utilitatis, quandoquidem hoc illud sibi proponere debet, ut auditores a vanis saeculi curis amoveat, iisque medeatur malis, quae Curiositas adfert; praeterea locum praebet plurimis inductionibus, atque moralibus descriptionibus quibus mortales ad Christianam vigilantiam, sedulamque in omnibus officiis suis curam possunt excitari.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus argumenti Synopsis.

I. Uriositatem omnino oppositam esse spiritui Religionis Christianæ, & vitæ veri Christiani: Fidelium plerique in hoc pernicioso errore versantur; Curiositatem ex levium peccatorum numero esse, affectumque innocuum, & venia dignum, quem nemo ferme coercere contendit. Consideratur enim tamquam medium aliquod ad ignorantiæ tenebras, cum qua nascimur, excutiendas idoneum; tamquam indicium aliquod nobilitatis animæ nostræ, & quoddam relati desiderium, omnibus hominibus natura inditum, ad vitæ hujus labores, mœrores, ærumnasque leniendas. Verum quidem hoc esset, si recte hoc affectu sciremus uti; sed corruptio, quæ ab eodem sejungi vix potest, fons est scelerum omnium, & causa omnium malorum, quæ in mundo videntur; quod ipsum probandum aggredior, ostendens curiositatem christianæ Religionis spiritui, & veræ christifidelis vitæ, prorsus opponi. Hæc autem sunt argumenta.

Christianæ Religionis spiritus tribus in rebus præcipue consistit., quas ipse Dei Filius instituit, & quæ ex constantissimis Evangelii dogmatibus eruuntur. Primum quidem in jugi mortificatione, & interiori omnium inordinatorum affectuum, & exteriori sensuum omnium. Secundo in vigilantia, atque attentione, qua nosmetipsos, atque cor nostrum tueri debemus, ad omnes amoris proprii motus, omnesque inimicorum salutis nostræ laqueos evitandos. Tertio in vita laboribus exercita, inertiæ inimica, & in id intenta, ut Cœlum acquirat. Huic autem spiritui vitæque Christianæ quid magis oppositum est, quam Curiositas? 1. Namque pro jugi rebus in omnibus mortificatione, Curiositas efficit, ut cor sese effundat extrinsecus; neque aliud quæratur, nisi voluptas, & sensuum omnium æque ac omnium desideriorum satisfactio. Curiositas ergo nonne inimica est Christianæ mortificationis? ideoque in præcipuo Christianæ Religionis fundamento spiritui ejusdem opposita? 2. Nec minus opposita est vigilantiæ, qua jugiter nobismetipsis vacare debemus, & quam Salvator tantopere commendavit: sed pro hac adeo necessaria vigilantia, quid aliud Curiositas præstat, nisi ut iis, quæ extrinsecus fiunt, intenti simus, longa aggrediamur itinera, ut illi satisfaciamus, nobis nostrum metipsorum ingerens oblivionem, ut alienis tantummodo vacemus negotiis? Denique 3. si vita Christiana in hoc posita est, ut virtutes, & merita comparemus ad Cœlum acquirendum: quid illi magis oppositum esse potest ipsa Curiositate, quæ efficit, ut mortalium plerique in assidua versentur incuria, quæ est malorum omnium origo?

II. De malis, quæ ex Curiositate proficiscuntur.

1. Curiositas omnia sciendi, discendique, causa est propter quam nosmetipsos ignoramus, ac nosmet cognoscere negligimus, quæ quidem scientiarum omnium est utilissima.

2. Curiositas, qua scire cupimus, quid alii faciant, alienisque negotiis immiscemur, efficit ut propria negligamus: ea saltem, quorum nobis maxime debet interesse; videlicet officia status nostri, & curam familiæ nostræ, & eorum, qui pendent a nobis.

3. Curiositas, qua rata, pretiosa, & non communia conquirimus, efficit, ut iisdem cor nostrum adhæreat, omnisque affectus nugis impendatur cor illud dividentibus, quod unice in solida, æternaque bona deberet impendi.

III. Quomodo Curiositas devotioni opposita sit.

1. Devotio in interiori spiritus collectione consistit; sed curiositas nos distrahit, dissipatque, efficiens, ut exteriora objecta sequamur.

2. Devotio nos a creatis quibuscumque rebus divellit, atque omnino separat ab iis quæ mundus amat, ac depetit: Patet per Curiositatem nos rebus illis adhærere quandoquidem tanta festinatione, & sollicitudine non perquireremus illas, nisi easdem diligeremus.

3. Devotio facit, ut unice rebus in omnibus quæramus Deum, cui nosmet perfecte devoveamus. E contra vero Curiositas nos a Deo removet, nisi ab eodem prorsus divellat, efficiens, ut in creatis rebus voluptatem nostram quæramus, & inveniamus.

Curiositas in personis Dei servitio dicatis. IV.

1. Curiositas mentem dissipat, sensim fervorem imminuit, ac efficit tandem, ut devotionis Spiritus evanescat: neque ad hoc probandum alia requiruntur argumenta præter experientiam, quæ aperte docet, inde teporem, ac religionis relaxationem incipere.

2. Efficit, ut Religiosi status sui officia, & pietatis exercitationes negligant, ut non sine regularitatis detrimento iis vacent, quæ externa sunt.

3. Efficit, ut in mundum redeant quærentes mundi solatia, & iis rebus vacantes, a quibus distinentur, & distrahuntur.

Malum, quod Curiositas singulis privatim adfert. V.

1. Curiositas omnium ferme tentationum fons est; illas enim inquirit, irritat, alit, & fovet, qui per Curiositatem videre vult, audire, & possidere objecta, quæ illas possunt excitare, & producere.

2. Plurimorum peccatorum fons est: puta vanitatis, obtrectationis, temerarii judicii de alienis moribus, mendacium narrationum &c.

3. Causa est maximorum malorum, quæ in mundo contingunt, jurgiorum, inimicitiarum, zelotypiarum, dissensionum: cujus rei in Scripturis, omniumque historiis passim occurrunt exempla.

De Curiositatis effectibus. VI.

1. Curiositas levis videtur defectus, quem facilius, & accusamus, & excusamus: sed simul est occasio maximorum criminum, cui temere nosmetipsos objicimus.

2. Optimas quaslibet actiones corrumpit: hoc commune habet cum vana gloria, quod quantumvis laude sit digna actio illa, quam ob alterutrum ex iis causis aggredimur, nullius meriti est coram Deo; immo sæpe illius iracundiam provocat, & severissima ejusdem meretur supplicia.

3. Efficit, ut cor sese effundens extrinsecus exhauriatur, & amittat quidquid virtutis, meriti, ac pietatis olim fortasse comparaverat.

Curiositas cum sit, vel effectus, vel causa dissipationis spiritus, & effusionis cordis nostri in bona externa. VII.

1. Magnum obicem statuit luminibus Cœli, interioribusque gratiis, quibus Deus mentem fidelium illustrat, & cor illorum tangit, ut sese colligant, & resipiscant.

2. Inspirat habitualem nauseam orationis, verbi divini, aliarumque sanctarum exercitationum.

3. Deinde profundam immittit oblivionem, integram salutis negligentiam, & contemptum saluberrimarum admonitionum, quibus adeo nefarium vivendi genus posset redargui.

Curiositas peculiariter duobus præceptis opponitur, quæ Dei Filius tradidit nobis ad vitæ nostræ disciplinam instituendam. VIII.

1. Ut indesinenter nobismetipsis invigilemus ad evitandos omnes inimicorum laqueos, omnes passionum nostrarum impetus, omnesque exteriorum objectorum illecebras. Verum præcepto huic quid magis

magis opponitur, quam Curiositas, quæ nos dissipat, distrahitque, mentemque nostram ad alia quæcumque traducit.

2. Præcepit Dominus illis, qui eum sequi vellent, ut corde saltem, atque affectu terrena omnia abdicarent; At quodnam apertius indicium inveniri potest hæc nobis placere, hæc a nobis amari, nos mordicus adhærere pompis, voluptatibus, atque solatiis hujus mundi, quam Curiositas, qua ad illa rapimur, inquirenda, ad potiorem temporis nostri partem in illis absumendam?

IX. In Duplici sermonis parte ostendere possumus.

1. Curiositatem, passionem esse inimicam quietis, cum animæ, tum corporis illius qui eadem possidetur. Sexcentas parit sollicitudines, efficit, ut periculosa, & longa suscipiantur itinera, illud multis laboribus impedit, e quibus vix possit emergere, ac tandem conscientiæ tumultus excitat, a quibus liberari non potest, nisi inquietam hanc passionem abjiciat, quæ omnem vitæ suæ tranquillitatem perturbat. Adde his, Curiositatem æque insatiabilem esse, atque avaritiam, cujus species quædam videtur, numquam enim contenta est; de objecto migrat in objectum, & numquam dicit sufficit: *Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur*. Eccl.1.

2. Ut perfruamur pace, & tranquillitate, quæ potissimam vitæ hujus felicitatem constituit, Curiositatem nostram jugi mortificatione esse coercendam, quin hæc passio in omnem plerumque vitam producitur: jugi, inquam, mortificatione interiori, exteriorique desideriorum omnium inordinatorum, omniumque sensuum nostrorum, oculorum, aurium, aliorumque Curiositatem excitantium, ac denique assidua in nosmetipsos vigilantia.

X. Hominum Curiositas nullis cancellis arctatur, inter omnes extenditur, quæ non jure ejusdem objecta, in præteritum, præsens, atque futurum, ex cujus cognitione voluptatem aliquam percipere possumus. Hoc argumentum, ni fallor, occasionem tribuere potest concioni ad morum disciplinam utilissimæ.

1. Circa præteritum: Curiositas laudabilis esse potest, & utilis, cum circa eum finem versetur, ut ex iis, quæ retroactis sæculis acciderunt discat, quomodo imposterum vitam suam regere debeat; occurrunt enim quamplurima facta, & exempla, quæ totidem præclara documenta suppeditant.

2. Circa futura: Noxia Curiositas est ex Syderum motu hominum fata, atque res ex illorum libertate pendentes intelligere velle: sed superstitiosa atque detestabilis Curiositas est eadem cognoscere velle Dæmonum ministerio per sacrilegia, divinos, dæmonesque consulendo.

3. Circa præsentia, seu quæ generatim in Universo terrarum orbe fiunt, seu particulariter, quæ in alienis accidunt familiis &c. Hæc inquieta Curiositas est nos distrahens, atque eam prohibens attentionem, qua nobismetipsis esset invigilandum.

XI. Vulgo Curiositas in tres distinguitur species, quarum singulæ noxiæ sunt, & saluti nostræ afferunt detrimentum, idque propter tria objecta, quæ easdem excitare consueverunt.

Primum respicit divina, occulta providentiæ secreta, & mysteria, mentem, & captum nostrum excedentia.

Alterum objectum ea sunt, quæ infra nos sunt; quæ videlicet digna non sunt, ut illis animum advertamus, & quæ ubi mentem nostram corruperint, cor ipsum corrumpere possunt.

Tertium denique ea sunt, quæ circa nos accidunt; videlicet proximorum nostrorum mores, & facta. Ubi ostendere possumus.

1. Curiositatem in iis, quæ ad fidem pertinent, ad secreta, atque mysteria, quæ Deus nobis detegere noluit, nos in periculum objicere, ut fidei jacturam faciamus, & divinæ Majestatis fulgore perstringamur. Hoc fecerunt omnes Hæretici, qui credere noluerunt, quod non voluerunt intelligere.

2. Pro iis, quæ infra nos sunt, intelligenda est mali cognitio, quod propter naturale studium, atque propensionem, qua in illud rapimur, concupiscentiam magis irritat, nosque impellit, ut per experientiam id agnoscamus, quod per studium, atque speculationem didicimus; & constat, quod indiscreta curiositate malum agnoscere velle idem est, ac ab eo perpetrando non abhorrere; & hoc illud est periculum, cui Curiositas nostra nos abjicit.

3. Neque minus periculosa est earum rerum Curiositas, quæ circa nos accidunt; videlicet curiosius aliena facta, moresque investigandi; hæc enim est peccatorum contra charitatem origo. Præbet enim occasionem obtrectationibus, suspicionibus, iniquis judiciis, & efficit, ne propriis attendamus officiis in id semper attenti, ut scrutemur, quomodo alii suis perfungantur.

Curiositas magnum est salutis impedimentum.

1. Ut adlaboremus, quemadmodum opus est in salutis nostræ negotio, opus est, nos omnes nervos, omnemque operam contendere tamquam in maximo, atque præcipuo negotio; at nihil magis prohibet, ut serio id reputemus, quam Curiositas, quæ mentem dissipat, efficitque, ut illius recordationem penitus amittamus. XII.

2. Ut salvemur, credere, & sequi debemus æterna dogmata, quæ nobis a Fide traduntur, & quæ ab Evangelio salutis scientia vocatur: *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus*. Curiositas vero nos in errorem adducit, efficitque, ut in materia fidei de rebus omnibus ambigamus.

3. Ut salutem nostram certam faciamus, in praxim redigenda sunt christianæ Religionis principia, humilitas, charitas, sensuum mortificatio &c. At nihil mores nostros magis corrumpit, quam ipsa Curiositas, quæ nihil aliud quærit, nisi ut expleatur.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras elucubrandas.

Sanctus Augustinus *lib.* 10. *Confess. cap.* 35. 37. fusius Curiositatis caracterem describit.

Idem in Confessionibus sæpe conqueritur de spiritus sui dissipatione, & Effusione cordis in creata bona, quas Curiositas in ipso pepererat.

Idem *l.* 3. *Confess. c.* 2. loquitur de Curiositate, qua Theatrorum spectacula deperibat, & de ea parte, quam Auditores sibi arrogant in funestis casibus, quæ ibi repræsentantur.

Idem *lib. de moribus Ecclesiæ c.* 21. eorum vituperat Curiositatem, qui Christianas virtutes negligunt, ut rerum naturalium vacent cognitioni.

Idem *tract. in Epist. Joannis* loquens de iis, quæ Salvator Dæmoni respondit suadenti, ut de summo Templi vertice sese præcipitem daret, ostendit, improbam esse Curiositatem extraordinaria de fidei nostræ veritate petere argumenta.

Idem *lib.* 8. *de Civit. c.* 19. *&* *l.* 2. *de doctrina Christ. c.* 23. damnabilem corripit Curiositatem, ex Dæmonibus futura, vel abdita cognoscendi, vel per magiam, vel per vacuas superstitiones.

S. Hieronymus *Epist.* 146. *ad Damasum* invehitur contra Sacerdotes, & Ministros Domini, qui Sacrorum librorum lectionem negligentes prophanis, curiosisque scientiis vacant, & legunt parum honestos Poetas, aliosque id genus libros, qui periculosi sunt, eorumque statum dedecent.

Idem *Epist.* 22. *ad Eustochium* Virginibus Curiosorum librorum lecturam interdicit.

S. Gregorius *Homil.* 36. *in Evang.* ostendit præcipuum hominis curiosi munus, maximumque ejusdem peccatum esse, alienam vitam scrutari, & suam negligere.

Idem *lib.* 12. *Moral. c.* 23. *&* 24. ostendit, quam peri-

periculosum sit sese extrinsecus nimium effundere per inquietam Curiositatem, qua Spiritus dissipatur.

S. Chrysostomus *Exhortatione in c.11. S. Matthei* ostendit, quam periculosa Christiano viro sit spectacula vivendi curiositas.

Idem *in c.24. S. Matthai* acriter contra judiciariam astrologiam declamat; quippe quæ docet curiosa quædam, quæ perniciosa sunt, atque ipsi Deo contumeliosa.

S. Bernardus *in l. de modo bene vivendi, quam Sorori sua inscripsit. Serm.54.* totus circa Curiositatem versatur.

Idem *tract. de gradibus humilitatis*, ubi ait primum superbiæ gradum esse Curiositatem, docet, quibus signis, atque indiciis curiosus valeat cognosci.

Ascetici alii que. Granatensis *Tractatu de Oratione, & Meditatione c.2. §.7.* ostendit quantum devotioni Curiositas obsit.

Idem *c.4. tract. ejusdem §.6.* ostendit inani curiositate ea nequaquam esse quærenda, quæ supra nos sunt.

P. Ludovicus a Ponte in Duce peccatorum tractatu de mortificatione &c. cap.8.

P. Caussinus *in Aula sancta tract.3. de Affectibus* verba facit de Curiositate, & malis, quæ in mundo producit.

P. Guillove in opere majori passim loquitur de vita dissipata, de curiositate, & sensuum mortificatione.

Quicumque scripserunt contra spectacula, contra pravatorum librorum lectionem, contra sæculi vanitates, hæc omnia mala accepta referunt curiositate. Hos autem Auctores in iis titulis afferemus, ubi de his argumentis tractabimus.

Dandinus *in Ethicis sacris l.2. de fide SS.* Patrum auctoritate docet quam periculosa sit in materia fidei Curiositas.

Joannes Vitalis *in Speculo Morali, tract. de rumoribus non audiendis, & rebus curiosis.*

Matthæus Fasianus *in Exposit.7. Peccat. Mortal.* loquitur de curiositate.

Nicolaus Hanapus *in summa c.123.* fusius de curiositate mundana differit.

Guillelmus Baldesanus *l. contra intemperantiam cap.11.* ubi agit de custodia oculorum, uberius loquitur de curiositate, cujus præcipua instrumenta sunt oculi.

Thiers in libro, cui titulus de ludis, atque solatiis *c.9.* ostendit, curiositatem inspiciendi tabulas, statuas, & lasciva spectacula, cum ab Evangelicæ disciplinæ, tum ab Ethnicorum Philosophorum, qui aliquam bonorum morum curam habuerunt, doctrina abhorrere. Plutarchus in Moralibus tractatum habet de Curiositate.

His omnibus subnecti possunt Auctores illi, qui de ipsius collectione, recessu, & christiana vigilantia disseruerunt.

Concionatores nuperi. Mathias Faber *in fest. S. Joan. Apost. Conc.4.* loquitur de quinque curiositatis speciebus, quæ sunt evitandæ.

Pater Duneau *serm. pro Dominica infra octavam Epiphania*, ostendit præclarum Doctrinæ, atque scientiarum usum esse faciendum, & diligenter cavendum ab illis abusibus, qui illic solent obrepere.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, in Argumentis Particularibus sermonem habet de curiositate generatim.

Qui collectanea ediderunt. Granatensis in locis communibus V. *Curiositas.*

Busæus in Panario V. *Curiositas.*

P. Theophilus Raynaudus *tom. de virtutibus lib.6. sect.2. c.4.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Eccl.3.

Quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Ibidem.

Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Prov.25.

In rebus supervacuis noli scrutari multipliciter.... non enim tibi necessarium, ea qua sunt abscondita, videre oculis tuis. Eccli.3.

Vani sunt homines in quibus non subest scientia Dei. Sap.13.

Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Eccl.1.

Renunciavit cor meum, ultra laborare sub sole. Eccl.2.

Annunciate nobis quæ ventura sunt, & dicemus quod Dii estis vos. Is.41.

Fili mi, ne in multis sint actus tui. Eccli.11.

Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis, cogitationes illius. Eccli.33.

Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia. Sap.4.

Væ qui cogitatis inutile? Mich.2.

Telas aranearum texuerunt. Is.59.

Filii hominum usquequo gravi corde: ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Ps.4.

Cum me convertissem ad universa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi. Eccl.2.

Omni custodia custodi cor tuum. Prov.4.

Magister, volumus a te signum videre. Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei. Matth.12.

Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Act.1.

Per totam noctem laborantes nihil cepimus. Luc.5.

Martha, Martha, sollicita es & turbaris erga plurima: porro unum est necessarium. Luc.10.

Semper discentes, & nunquam ad scientiam pervenientes, 2. ad Timoth.3.

Averte oculos meos ne videant vanitatem. Ps.118.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes. Ib.

Ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. 2. ad Thessal. c.3.

Adolescentiores viduas devita ..... otiosæ discunt circuire domos: non solum otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet. 1. ad Timoth.5.

Qui ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid novi. Act.17.

Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Eccli.9.

Proposui in animo meo quærere, & investigare sapienter quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea. Eccle.1.

Operam detis ut quieti sitis, & negotium vestrum agatis. 1. ad Thessal. c.4.

Exempla ex Veteri, Novoque Testamento desumpta.

Curiositas in uxore Loth punita. Curiositas eamdem fere cum mundo jactat antiquitatem, quandoquidem in primo protoparentum nostrorum scelere non abfuit. Dæmon quidem sub Serpentis imagine primum mulieri obtulit fructum; qui ne tangeretur, vetuerat Deus; illam invitavit, ut eodem vesceretur, pollicitus futurum, ut non mortem, quam Deus fuerat minitatus, sed vitæ

vitæ immortalis originem, ibi nancisceretur, & præterea boni, malique cognitionem assequeretur, quæ profecto satis superque ad mulieris curiositatem excitandam idonea videbantur. Cæterum non abhorret a fide, callidissimum Serpentem nihil reliquisse intentatum, ut fructus illius pulchritudinem, atque præstantiam, super cæteros, qui in eo voluptatis Paradiso inveniebatur, commendaret. Nihil ulterius requirebatur, ut Eva impelleretur ad illius faciendum periculum quod tantam omni posteritati attulit calamitatem. Ita jure dicere possumus primam tentationem, primamque malorum omnium mundi hujus originem extitisse curiositatem.

Curiositas in uxore Loth punita.

Uxor Loth ea levitate, quæ sexui huic satis est communis, oblita eorum, quæ sibi ab Angelis fuerant imperata, ne post tergum respiceret; cum credere minime posset curiositatem hanc eminus intuendi Urbem Cœlesti flamma conflagrantem, vitæ ipsius detrimento luendam esse; se eadem corripi passa est, atque audiens tumorem, stridoremque flammarum permixtum eorum clamoribus, qui viventes ignibus absumebantur, sese convertit spectaculum illud intuitura. Sed hoc terroris spectaculum videre cupiens, ipsa facta est spectaculum formidabile: quippe illico immutata fuit in statuam salis, quæ fuit tamquam monumentum æternum, quemadmodum inquit Scriptura, quo edocerentur homines, qui sese objiciunt periculis propter indiscretas curiositates suas, ubi sibi persuadere non possunt perfunctorium oculorum conjectum, & levem curiositatem frequenter esse posse magnorum malorum originem.

Bethsamitarum curiositas severe punita.

Alterum quoque longe terribilius nobis tradidit exemplum Deus ea cæde, qua Bethsamitas percussit, eo quod curiosius Arcam fœderis fuissent intuiti, cum Philistiin eam remiserunt postquam aliquot menses eamdem in potestate sua retinuissent. Quidam SS. Patres, plurimique Interpretes quærunt, quodnam adeo enorme scelus Bethsamitæ patrare potuerant, quo Deum cogerent adeo severum exercere supplicium mortem inferendo quinquaginta millibus e plebe præter septuaginta eorum, qui in populo magni nominis erant. *Eo quod vidissent Arcam Domini*. Quid? Numquid tantum scelus fuit oculorum aciem conjecisse in pretiosum hoc pignus divinæ protectionis? In Sacrum hoc depositum, a quo nationis illius felicitas pendebat? In Sanctuarium hoc, unde Dominus sua præbebat oracula? Nonne dignum erat obtutu eorum spectaculum, videre Arcam illam, quam contra spem omnem feliciter adeo receperant? Nequaquam: scelus non erat eamdem respexisse, sed illam curiosis oculis introspexisse ablato, quemadmodum existimatur, velo, quo cooperiebatur, ut diligentius viderent, atque perpenderent, quid in illa contineretur. Hac quidem in re defuit Bethsamitarum reverentia; hæc temeraria curiositas fuit, quæ tantum illis, sed justissimum conflavit excidium.

Curiositas Dinæ mali gravissimi causa.

Licet curiositas in scelus nequaquam impelleret, nonne sæpe occasionem tribuit peccandi? Testis esto curiosa Dina. Sacer Textus tragicam descriptionem eorum nobis malorum tradit, quæ hæc mundana puella peperit profecta, ut Regionis illius, quo recens cum Jacob Patre suo pervenerat, videret mulieres. Rapta enim fuit, & Stuprum passa, quam contumeliam deinde fratres ipsius persecuti sunt, Civitatem omnem depopulati, omnibus illius Civibus internecione deletis.

Pœna curiositatis David.

Quantam Davidi perniciem attulit oculorum conjectus nimium curiosus? Post maculatam vitæ suæ innocentiam nonne plurimis obnoxius fuit malis, quæ populum etiam universum in familiæ suæ calamitatibus involvit? Tunc non cogitabat ille hos funestos eventus, quorum intuitus iste principium futurum erat, & causa: verumtamen sua doctus fuit experientia, nulla esse mala, quæ Curiositas secum non trahat. Hoc jam alia in occasione cognoverat, cum curiositate actus scire voluit imperii sui robur, & quot milites armis ferendis pares conscribere posset, ubi opus esset, Exercitum satis validum componere ad bellum, vel propulsandum, vel cuicumque hosti inferendum. Explevit ille quidem curiositatem suam, verum hæc illi gravissimo stetit impendio; videlicet morte septuaginta millium ex subditis suis, quos teterrima lues brevi abstulit intervallo; & Rex ipse, licet tanta sanctitatis laude præstaret, summa cum difficultate Dei lenivit iram, adeo vana curiositate irritatam.

Curiositas Reginæ Saba.

Verumtamen ex omnibus hisce funestis exemplis, nequaquam inferendum est, quodlibet curiositatis genus esse vituperandum, atque Dei ultionem mereri. Scriptura quidem probavit, laudibusque extulit curiositatem Reginæ Saba, cui cum mira nunciata fuissent de Salomonis sapientia, innocenti acta curiositate propriis intueri oculis concupivit, utrum ea, quæ ferebantur, ipsam veritatem excederent. Longum itaque suscepit iter, ut ipsa fidele præberet sibimetipsi testimonium; cumque admirata esset ordinem, qui Regiis ædibus servabatur, magnificentiam, qua illi ministrabatur, & Sapientiam, quæ in omnibus Regiis actionibus elucebat, tanto stupore perculsa fuit, ut extra se quodammodo rapta exclamaverit, rei veritate famam ipsam superari, quæ licet omnia amplificare consueverit, ad aures ipsius nequaquam attulerat potiorem earum rerum partem, quas ipsa suis oculis intuebatur. Culpa sane caruit illius curiositas; etenim ex remotis Regionibus illuc accesserat, ut ex Sapientissimi Regis exemplo perciperet, quomodo populum, imperiumque sibi a Deo traditum regeret, atque tueretur.

Ipse Salomon eam damnavit curiositatem, cui sese abdiderat.

Ad inanem, inutilemque curiositatem damnandam, nihil gravius afferri posse reor, quam, quæ sapiens ait secundo capite Ecclesiastici, ubi prolixam habet enumerationem omnium inanium occupationum, conatuum, laborumque omnium, quos impendit, ut inquietis, mobilibusque desideriis suis faceret satis; qua absoluta sincere confitetur in curiositatis suæ objectis se nihil nactum fuisse præter vanitatem, laborem, cordis amaritudinem, atque male insumptorum laborum pœnitentiam, quos omnes tandem abdicavit, ut magis seriis, majorisque momenti negotiis vacaret; *Renunciavit cor meum ultra laborare sub Sole*. Eccles. c. 2.

Novum Testamentum, non alia nobis hac in re suppeditat argumenta, quam sapientissimas responsiones, quas Dei Filius reddidit illis, qui ab ipso ea quæsiverunt, sciscitatique sunt, quæ eo spectabant, ut inani interrogantium satisfieret curiositati, & quorum cognitio, vel ad illorum eruditionem, vel ad salutem ipsorum utilis esse non poterat. En autem quid legimus in Evangelio. Primum quidem non æque, sed aspere excepit Judæos, prodigium aliquod ab ipso videre cupientes: *Magister volumus a te signum videre*. Quemadmodum Spiritu Curiositatis tantummodo agebantur, ut hanc missionis, & potestatis ipsius probationem expeterent, ita ille respondit; *Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei*. Quærit illa quidem prodigium; sed quandoquidem non aliud cupit, nisi inanem suam curiositatem explere; illi nullum dabitur signum; neque enim fas est, ut divina potestas hac ratione illudatur. Secundo cum ductus fuit coram Herode, ad quem miserat illum Pilatus. Enixius optaverat Princeps ille JESUM videre sperans futurum, ut coram se miraculum aliquod operaretur: sed hic Homo Deus, qui Supremam habebat in naturam omnem auctoritatem, ita ut satis esset proferre verbum, ut dicto illius omnia obtemperarent, posseque ille Principis hujus desideriis indulgens evadere ex manibus & persecutione illorum, qui in mortem ipsius conjuraverant, nequaquam dignatus est, vel ullum quidem proferre verbum, maluitque indignationem

illius subire, atque traduci in ludibrium satellitum, ac ministrorum illius, quam mortem effugere cœlesti hominis curiositati satisfaciendo. Tertio eadem ferme ratione cum Pilato usus est. Donec Romanus hic Judex illum interrogavit de criminibus, quæ ipsi ab inimicis ingerebantur, summa usus reverentia respondit, ita ut Pilatus de Judice fieret ejusdem Patronus, & apertissimum innocentiæ ipsius testimonium præberet. Cum vero alia ab eo quæsivit, quæ ad illius integritatem probandam minime pertinebant, altum servavit silentium, quod stuporem attulit eidem Pilato, a quo de eodem fuit exprobratus; veruntamen pati maluit Salvator, quam aliquid illius curiositati permittere. Quarto eadem etiam ratione utebatur cum Apostolis suis, cum quibus familiariter versabatur, & quibus nonnumquam maximi momenti arcana aperiebat. Cum enim eo privilegio, quod amicitia, qua illos dignabatur, ipsis conferebat, aliqua de re audebant illum interrogare, licet plerumque importunas, futilesque proponerent illi quæstiones, eorum tamen patiebatur ignorantiam; immo patienter illos erudiebat: sed acriter eos corripiebat cum curiosas quæstiones proponerent, ex quibus nihil utilitatis percipere poterant; velut cum ex eo quæsiverunt, utrum Regnum Israel esset restituturus. Quid enim tunc Divinus ille Magister curiosis respondit Discipulis? *Non est vestrum nosse tempora, & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.*

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Vana curiositas est ea scire velle, quæ saluti nostræ non prosunt.

VAni sunt homines, in quibus non subest scientia Dei. Sap. 13. Vani sunt homines, hoc est oleum, operamque perdunt ea curiosius quærentes, quæ æternæ ipsorum felicitati non prosunt, nisi Deus primum fuerit perquisitionum, & cognitionum earumdem objectum. Reliqua omnia nihil sunt aliud, quam curiositas mera, & omnis scientia nostra non aliud est, quam vana inquieti spiritus oblectatio, qui non meminit se in hac vita versari, ut cognoscat, & diligat Deum. Itaque quidquid ad nobilem hunc finem minime tendit, scientia, labor, negotium, occupatio, sollicitudo, cujuscumque generis ea sit, a Christiano haberi non debet, nisi inanis curiositas, quæ ab unico, & vero fine nostro divertit, ad quem omnes cogitationes, verba, auctores, desideria, consilia nostra sunt referenda.

Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Eccl. 1. Multitudo objectorum, in quæ celeri, festinaque curiositate spiritus, sensusque nostri se effundunt, nos occupat, distrahit, dissipat, & ab officiis nostris avertit. Hoc proculdubio salutis nostræ obstaculum est; hæc enim assidua præsentibus rebus attentio nos detinet, neque sinit, nos cogitare salutis nostræ negotium, in quod curas omnes deberemus impendere. Profecto curiositas hoc habet commune cum opum cupiditate, quod neutra potest expleri; omnia semper videre vult, audire omnia; sempe avida nova quædam detegendi, nihil intentatum relinquit, ut novas cognitiones acquirat, quæ sæpe non minus inutiles sunt, quam opes, quas undequaque avarus congerit, & ex quibus nullum percipit fructum præter voluptatem eas possidendi. Tandem enim cui bono esse potest audire rumores omnes, qui accidunt, & quos curiosus avidissime consectatur? Hæ temporum novitates, de quibus in crastinam diem sermonem differre non patitur? Narratio eorum omnium, quæ in familiis, atque urbe tota aguntur, & transiguntur? Attamen omnia recipit, omnibus suppletur, & semper permanet vacuus; numquam voti compos, semper inquietus, de objecto in objectum migrans, quin per tempus ulli eorum possit immorari: *Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.*

Temeraria curiositas est secreta Dei penetrare velle consilia.

Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Eccli. 3. Cave, ne inani mentis subtilitate scrutari velis mysteria, quæ perspicacissimam rationem excedunt, vel quæ luminum naturalium vim, ac virtutem exuperant. Necesse non est, nosse arcana, quæ Deus celare nos voluit; ea sunt abyssi tenebris involutæ, neque ulli introspiciendæ. Itaque temeraria curiositas est audere Providentiæ secreta rimari, ac velle Religionis mysteria detegere, & nimis ultra incomprehensibilem divinæ Sapientiæ abyssum penetrare, rationem ex eodem expetere Providentiæ ipsius, altitudinem judiciorum ejus investigare, argumentari, atque disceptare de iis, quæ in fide sunt magis sublimia, & humilem cordis nostri submissionem exposcunt. Hic locum habet Sapientis Monitum: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.*

Nisi videro, non credam. Joann. 20. Hoc ajebat Thomas incredulus, reliquis Apostolis sibi nunciantibus, quod Salvatorem a mortuis excitatum conspexerant. Apostoli hujus curiositas eo usque processit, ut manibus attrectare vellet vulnera, quibus JESU CHRISTI corpus fuerat confossum, digitosque suos inferre foraminibus manuum, & lateris ut certo cognosceret, esse vere corpus illud, quod iis vulneribus fuerat apertum: quod ostendit curiositatem in iis, quæ ad Religionem pertinent, ut plurimum ad incredulitatem usque procedere iis etiam in rebus, quæ apertissima sunt. Hujusmodi enim mortales curiosi ea tantum credunt quæ suismet oculis intuentur, anilesque fabulas putant alterius vitæ præmia; & supplicia, & sacratissima nostra mysteria illis incredibilia videntur. Vellent enim ea capere posse, ut crederent: ita, ut hæc temeraria curiositas ut plurimum in Atheismum inducat, quo usque nisi pervenitur, saltem sibi Philosophorum more Religionem comminiscuntur, ea tantum credentes, quæ vident, vel quæ rationis suæ vi comprehendere possunt.

Curiositas suffocat Dei gratias, divinique verbi fructus.

Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres Cœli comederunt illud. Luc. 8. In seminis parabola, cum pars illius cecidisset secus viam, prætereuntium pedibus contrita fuit, & volucres comederunt illam. Parabolam hanc ipse Dei Filius explicuit; & sane belle ostendit quid in anima dissipata curiositas efficere consuevit. Postquam enim dixit JESUS, semen hoc, de quo loquebatur, Dei verbum esse, sive interius, quod est gratia, sive exterius, quod ex ore illud enunciantis prodit; addit magnam hujus seminis partem secus latam viam cadere, quæ nimis patet, & prætereuntibus, quorum pedibus teritur, & avibus Cœli, quæ illum auferunt; quod innuit cor seipsum per omnes sensus effundere. Hic enim effectus est curiositatis; hæc est latæ viæ species; omnia prætergrediuntur, cogitationes, desideria, affectus; imagines rerum, quæ videntur, & amantur. Sexcenta alia aliis sibi succedunt consilia; perennis est æstus; vix bona aliqua cogitatio concipitur, vel bonum verbum auditur, cum sexcentæ aliæ cogitationes, sexcentæque aliæ occupationes illud oblivioni tradunt: illudque auferunt aves Cœli: videlicet vaga desideria, inanesque curiositates. Viatores pedibus obterunt divinum hoc semen, hoc est rumor, tumultus, societates, quæ per curiositatem quæruntur: hæc omnia semen illud convellunt cum jamjam est germinaturum, atque ex telluris sinu proditurum.

Annunciate nobis, quæ ventura sunt & dicemus, quod Dii estis vos. Is. 41. Verum profecto est homini naturaliter insitum esse desiderium sciendi: ex quo nonnulli rationem eliciunt ad probandam illius nobilitatem, atque similitudinem cum divinitate, quæ omnia novit, & quam nihil fallere potest: sed si malum intueamur, quod hoc desiderium illi potest inferre, dicendum potius est, esse imitationem quamdam, vel quemadmodum loquitur Tertullianus, vitiosam divinitatis æmulationem, qualis fuit Protoparentum nostrorum, quibus mendacii Pater spopondit futurum, ut diis similes essent, eo quod bonum, & malum cognoscerent. Ego vero libenter quamdam originalis peccati speciem vocarem, vel quem-

quemadmodum alii censent, effectum amoris proprii rebus in omnibus uni sibi satisfacere quærentis, cui cum minime sufficiat præsertim cognoscere, vult etiam scire futura, ut fiat species quædam mortalis divinitatis: *Eritis sicut Dii scientes bonum, & malum*. O fallacem divinitatis æmulationem! O infelicissimam Curiositatem! In quam malorum abyssum homines dedisti præcipites, quos sæpe Dæmonibus similes effecisti pro ea similitudine, quam cum Deo illis te comparaturam pollicebaris. O beatos oculos, qui omnibus hujusmodi impiis, inanibus, & criminosis abrenuntiant curiositatibus, ut unice iis rationibus vacent, quibus imposterum beatam sibi procurare possint æternitatem! Si præterita nosse cupimus ideo cupiamus, ut eorum, qui nos præcesserunt exemplo intelligamus impiorum mala, & effectus divinæ ultionis, quos illi promeruere: atque, ut justorum exemplis conformemur, qui vixerunt ante nos, atque vestigiis suis eas indigitarunt semitas, per quas ad æternam felicitatem possumus pervenire. Si optamus nosse præsentia, exordium fiat à cognitione nostrummetipsorum, quin curiosius alienos mores scrutemur; oculosque claudamus tot rebus, quæ nobis prodesse non possunt. Si cognosceres, S. Bernardus ait, Terræ latitudinem, altitudinem Cœlorum, ac maris profunditatem, ignorares autem, quid fieret in te, sine fundamento ædificares, & quodcumque extrueres, non aliud esset, quam congestus pulvis minimo venti flatu dissipandus. Quod attinet ad futura, ne prævertamus illa cognitione curiosa; nobisque sufficiat sapienti vitæ ratione eisdem prospicere.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum, hujus argumenti.

O*Mnis anima curiosa indocta est*. Aug. lib. de agone Christ. c. 4.

Curiositas motus est animæ morituræ. Idem, l. 13. Confess.

Curiositas invenit heresim. Idem, tract. 97. in Joannem.

Omnis illa quæ appellatur curiositas, nihil aliud quærit quam de rerum cognitione lætitiam. Idem, lib. de vera Relig. c. 45.

Curiosus est, qui ea requirit, quæ nihil ad se pertinent; studiosus quæ ad se attinent requirit. Idem, lib. de utilitate credendi, c. 9.

In consideratione creaturarum non est vana & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia & semper permanentia faciendus. Idem, l. de vera relig. c. 29.

Volentes gaudere forinsecus facile evanescunt, & effunduntur in ea quæ videntur, & temporalia sunt, & imagines rerum famelica cogitatione lambunt. Aug. l. 9. Conf. c. 4.

Curiosum genus hominum ad cognoscendum vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Idem, l. 10. Confess.

Sunt quædam, quæ nescire quam scire sit melius. Idem, in Enchir. c. 17.

Si non prius a secretioribus cordis expellitur importuna secularium multitudo curarum, anima, quæ intus jacet mortua, non resurget. Gregor. lib. 18. Moral. c. 22.

Vox Dei non sonat in foro, non auditur in publico; secretum concilium, secretumque quærit auditum. Bernardus.

Frivola prorsus & inanis ac nugatoria est curiositas; & nescio quid durius illi imprecer, quam ut habeat quod requirit, & quo curiosa inquietudine delectatur. idem, in floribus.

Sunt qui scire volunt tantum ut sciant; & turpis curiositas est. Idem, Serm. 36. in Cant.

Quo a te curiose recedis? cui te interim commitis? Idem, in tract. de Grad. humilit.

Dum anima a sui circumspectione torpescit, incuria sui, curiosam se in alios facit. Idem, ibidem.

Tamdiu quisque sua peccata ignorat, quamdiu curiose aliena considerat. Idem, de inter. domo. cap. 43.

Si ad te, o homo, vigilanter attendas, mirum est si ad aliud unquam attendas. Idem, de Grad. Humil.

Curiosus foras egreditur, & exterius omnia considerat, qui sic interna non considerat, præterita non respicit, futura non prospicit. Idem.

Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda; quæ autem manifesta fecit, non sunt negligenda: ne in illis illicite curiosi, in his damnabiliter inveniamur ingrati. S. Prosper, de vocat. Gent.

Curiositas reum facit, non peritum. Zeno Veronensis.

Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt; cum tamen summa Philosophia sit, cognitio sui. Hugo a S. Vict. l. de anima, c. 9.

Non est sine periculo curiosius exquirere ea, quibus minus assuevimus; stultissimum autem omnino examini subjicere ea quæ mentem nostram transcendunt, & tentare ea, quæ intelligere impossibile est. Cyrill. Alexand. l. de recta Fide.

Si porta oculorum bene munita fuerit, tota illa civitas cordis nostri ab assultu vitiorum quieta erit. Hugo a S. Vict. in Psalm. 13.

Gravis ac vehemens est proditor, oculus vagus, atque distractus. S. Ephrem. Parænesi 37.

Mens oculis, tamquam fenestris utitur. Lactant. de opific. Dei.

Nihil in homine, cui curiositas prosit, invenies. Bernard. de Convers. ad Cler. c. 12.

Vanus labor, qui studio varietatis assumitur. Idem, ibidem.

Curiositas, etsi culpa non est, culpa tamen occasio est; & indicium commissæ, & causa est committendæ. Idem, ibidem.

Non consideres mala quæ alii faciunt, sed consideres bona quæ tu facere debes. Idem, lib. de modo bene vivendi.

Tamdiu homo ignorat peccata sua quæ debuerat flere, & cognoscere, quamdiu aliena vitia exquirit curiose. Idem, ibidem.

Facilius reprehendimus vitia uniuscujusque hominis, quam virtutes imitamur; nec quid boni quisque fecerit agnoscere cupimus, sed quid mali egerit perscrutamur. Idem, ibid.

Cave curiositatem, omitte curas alienæ vitæ; nulla curiositas animum tuum decipiat, ne tu oblita tuorum morum, alienos perquiras. Idem, ibidem.

Scire numquam desideres quod scire non debes. Idem, ibid.

Scito pro certo quia curiositas periculosa præsumptio est. Idem, ibid.

Curiositas damnosa peritia est, ad heresim provocat, in fabulas sacrilegas præcipitat mentem, in causis obscuris reddit audaces, in rebus ignotis facit homines præcipites. Idem, ibid.

Cor lasciviendo perfluit, & per sensus carnis circumquaque se diffundens, nullatenus ad se redire sufficit. Laurent. Justinian.

PARAGRAPHUS V.

Quid Theologia huic argumento suppeditare possit.

CUriositatis nomine vulgo intelligitur immoderatum, inordinatumque desiderium ea videndi, & cognoscendi, quæ ad nos minime spectant; inutilia, ineptaque, quæ a quacumque meliori occupatione animum distinent, distrahuntque, & tandem nos in scelus impellere possunt, vel mentem dissipare, nosque ab officiis nostris avertere.

Quid sit curiositas & quid per illam sit intelligendum.

Ut huic argumento lux accedat cum S. Augustino supponendum est, magnum interesse discrimen

inter Curiosum, qui omnia scire desiderat, & studiosum, qui mentem scientiarum, artiumque cognitione cupit excolere; uterque enim ardentissimo sciendi flagrat desiderio. Curiosus enim, Pater ille ait, ea studet inquirere, quorum cognitio ipsi minime prodest; qui vero studiis vacat, ut doctus fiat, ad ea incumbit, quæ sibi sunt necessaria, vel ut rite statûs sui munere perfungatur, vel ut vitam suam inter homines instituere edoceatur.

Ex hoc discrimine perspicuam, distinctamque Curiositatis ideam, & notionem concipere possumus, quæ alioquin æquivoca est, atque in partem utramque potest inflecti. Eam vero hoc in loco, ex deteriori parte conspicimus, tamquam animæ ægritudinem, quemadmodum Veteres nonnulli illam vocarunt; tamquam inquietum, ac periculosum affectum, vel tamquam vitium, a quo nobis est diligentissime cavendum. Quamquam inficias ire non possumus, curiositatem esse uti affectus reliquos; hoc est indifferentem; potest enim in bonum usum converti, quippe quæ fundamentum est scientiarum omnium, & tunc solum est criminosa, cum eos excedit limites, quos illis Deus, ratio, & natura præscripsit.

Præcipua curiositatis causa. Liquido constat præcipuam curiositatis causam esse immortificationem sensuum, quibus facultas relinquitur sese in omnia objecta effundendi. Cum enim Spiritus noster non agat, nisi per sensus, repletusque sit illis objectis, quæ ab iisdem sibi exhibentur; nihil aliud cogitat, ac deinde voluntas nihil aliud inquirit, nisi ut quæ eidem accidunt perjucunda, procuret. Hinc curiosi hominis vita omnino extrinsecus effusa est, suisque sensibus obsequens. Verum quidem est, non semper eam omnem inveniri voluptatem, quæ in exterioribus rebus inquiritur; tandem enim fastidimus, atque fatigamur earum rerum oblectatione, quæ antea nobis quam maxime placebant; sed per curiositatem hanc nauseam, fastidiumque evitamus de objecto in objectum migrantes, & nulli immorantes, nisi donec ex eo voluptatem percipimus.

Curiositas, quæ mentis dissipationem, & integram cordis nostri effusionem parit in extrinseca objecta, referri potest. 1. Ad acidiæ peccatum, quod ex septem capitalibus est, quandoquidem significat divinarum rerum nauseam, & negligentiam in statu, ac Religionis nostræ muneribus exequendis; interim enim alteri cuicumque rei vacare malumus. Itaque, si per hanc curiositatem Spiritus ita sit dissipatus, ut præceptum aliquod, vel aliquod ad salutem necessarium munus explere contemnat, palam innotescit mortale peccatum committi. 2. Curiositas ad inertiam, & otium referri potest, cujus quædam est species non eo quod nihil omnino fiat, sed quod inutilibus rebus vacamus, & oblectamur nugis, quæ a negotiis maximi momenti mentem nostram avertunt.

Curiositas efficit, ne orare, aliisque pietatis exercitiis vacare possimus. Nemo ad Deum potest accedere, atque divinas illius communicationes percipere sine precibus, & oratione, quæ earum quidam veluti rivulus est: eaque certissima veritas est, neque in dubium revocanda. Sed curiositas, quæ ex mentis dissipatione, ac sensuum immortificatione proficiscitur cum orationis consuetudine simul esse non potest: ex hac enim mentis effusione in exteriora objecta, sensus imagines eorum percipiunt, quibus illa repletur, & quas secum quocumque gerit. Hæ autem imagines sese offerunt nostræ imaginationi; ubi orationi vacare cupimus, nos turbant, distrahuntque, & quamdam veluti nubeculam Deum inter, & animam statuunt, quæ prohibet, ne Dei lumina recipiamus, omnemque nobis aufert attentionem necessario huic sanctæ exercitationi afferendam. Hæc ratio est, propter quam quicumque ad interiorem vitam, intimamque cum Deo conversationem adspirant, in hoc potissimum adlaborant, ut creatas has imagines exuant, quas curiositas, & mentis dissipatio, in animo eorum producit, qui sensus suos cohibere non possunt. Hinc fit, ut si quando a sese velint colligere, & orationi vacare, spiritus eorum pateat distractionibus, nauseis, fastidiisque: quod non minimum sane malum est ex plurimis, quæ curiositas gignit.

Curiositas, quæ mentis dissipationem, & cordis effusionem erga exteriora objecta significat, quamprimum ex anima aufert sensus omnes pietatis, ac devotionis, quos sanctissimorum mysteriorum cogitatio, Christianarumque veritatum meditatio illi fortassis infuderat: mens enim nugis, ineptisque oblectatiunculis occupata rebus seriis, cujusmodi eæ sunt, quæ ad salutem pertinent, vacare non potest, eadem ferme ratione qua oculi, qui cum terrenis hisce rebus inhæreant defixi, nequeunt simul Cœlestia contemplari. Cor quod nimis sese extrinsecus effundit, ibi vires omnes exhaurit suas: creata quælibet Dei memoriam ciere deberent, sed hæc plerumque efficiunt, ut illius obliviscamur: Externa communicatio, nisi prudentissime adhibeatur, exhaurit animam bonis sensibus, quos fovebat, eamque prorsus oppositis replet. Hac de causa illam numquam optare debemus per Curiositatem, & tunc etiam cum necessitas cogit, maxima semper est diligentia adhibenda. Ad hæc Asceticorum omnium certissimum est axioma, Domino nequaquam placere animæ Curiosæ, inquietæ, & dissipatæ agitationem; & uno ore docent spiritum sese extrinsecus per oculos, aures, aliosque sensus effundentem similem esse cisternis illis, de quibus loquitur Jeremias, quæ undequaque fatiscentes aquas continere non valent. Gratiæ, quas Spiritus Sanctus infundit, bonæ cogitationes, sanctæque effusiones, illico defluunt. Ut cor Deo repleatur, creaturis omnibus exhauriendum est; id autem, qua ratione fieri potest, cum per curiositatem illas avide consectetur?

Curiositas et ingenito discendi studio proficiscitur. Omnis homo naturaliter scire desiderat. Ita Philosophus Metaphysicorum libros orditur; & hanc veritatem probat ex amore, quo sensus nostros prosequimur, quibus utimur ad scientiæ acquisitionem, præsertim vero visum, qui necessarius est non solum ut agamus, verum etiam, ut agnoscamus rerum varietatem, atque differentiam, licet cognitio hæc nequaquam sit nobis profutura. Hoc ipsum de auditu dicere possumus, naturaliter enim Curiosi sumus ea discendi, quæ ignoramus, licet non alium percipimus fructum, quam recentem alicujus rei cognitionem. Hic autem naturalis instinctus omnibus quidem hominibus communis est; sed non par in omnibus, videmus enim passionem hanc in aliis esse ardentiorem, & quemadmodum ingens est varietas earum rerum, quæ sciri possunt, & non omnibus idem ingenium est, eademque studia: hinc fit, ut libentius alii aliis artibus vacent. Addit his S. Augustinus animam nostram nihil enixius optare, quam veritatis cognitionem: *Quid enim fortius desiderat anima, quam veritatem?* Nihilominus cum veritates omnes ejusdem naturæ non sint, & aliæ aliis sint præstantiores, eas majori affectione perquirimus, quas majori habemus in pretio. Quod si cognitiones, quas acquirere cupimus, utiles sunt, ut digne status nostri perfungamur officiis, ut recte vivamus, ut mentem excolamus, vel ut alium quemlibet honestum finem assequamur, hoc laudabile desiderium est, & unum ex iis privilegiis, quibus homines præ cæteris animantibus perfruuntur. Cum vero inepta, atque inutilia, vel quæ ad nos minime pertinent, scire cupimus, non alium ob finem, nisi ut secretam expleamus pruriginem audiendi, videndi, discendique ea, quæ scire nihil interest nostra; tunc inanis curiositas est a virtute, ac vera pietate longissime abhorrens. Sin autem sciendi desiderium eousque procedat, ut divina, quæ sunt super nostrum captum posita, & quæ nobis detegere noluit Deus, scrutari velimus, hæc est temeraria curiositas, & perniciosa præsumptio. Tandem vero cum noxiis diabolicisque artibus ea scire cupimus, quæ numquam cognoscere deberemus; damnabilis est curiositas, & eorum tantummodo propria, qui in hac etiam vita animas suas dæmoni devoverunt.

Si

Si mentis humanae curiositas intra eos cancellos contineretur, ut rationes scrutari vellet, quae omnem hominem debent impellere ad fidem amplectendam, qualia sunt miracula, mundi conversio, ea ratio, qua peracta est, & unanimis Sapientum omnium consensus; haec sane curiositas, quae magnum adfert auxilium ad nos confirmandos in fide, nequaquam esse vituperanda. Sed longius suam curiositatem producere, exquirere rationem eorum, quae dixit Deus intelligere velle, cur Deus quaedam permittat, & secreta providentiae Consilia, vel mysteria, quae rationem nostram exuperant scrutari velle: hoc profecto fidem nostram ambiguam facit, atque labantem, & saepe etiam causa est, ut illius jacturam faciamus.

Quando curiositas vitiosa sit & reprehensibilis. Curiositas, quae sensibilium rerum cognitionem respicit, vitiosa esse potest, quemadmodum docet D. Thomas 2.2.q. 167. art. 2. cum minime referatur ad aliquam utilitatem, vel cum prohibeat alterius rei cognitionem, quae nobis esset profutura, vel cum ad aliquod malum referatur, puta, ad alienas actiones scrutandas, ut inde arripiatur occasio vituperandi alios, vel obtrectandi, vel contemnendi. Qua in re vitae spiritualis Magistri docent, Curiositatem generatim loquendo fontem esse tentationum, vulgatissimam temerariorum judiciorum, & obtrectationum causam, & virus optimas quaslibet actiones corrumpens: unde inferunt, interiorem mortificationem in coercenda curiositate consistere.

PARAGRAPHUS VI.

Decerpti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci.

CUm sciendi cupiditas homini sit insita a natura, injustum profecto esset eamdem absolute, & sine ulla exceptione damnare; quamvis S. Thomas ipsius etiam veritatis perquisitionem in rebus creatis condemnet, nisi pia animi consideratione ad Creatorem referatur, & nisi tot mirabilium rerum intuitus oculos, mentesque nostras perstringentium ad id tendat, ut admirabilium operum Auctorem cognoscamus. Mihi, fideles, nequaquam illud consilium est, ut ad adeo sublimem perfectionis apicem vos attollam, mundum vobis exhibens, veluti scholam, omniaque creata, tot veluti libros, qui nos erudire possunt Duce magno illo Magistro, qui illuminat omnem hominem, quemadmodum *Joannes c.* 1. loquitur. Illud tantum quaero, ut magnum obstaculum auferam, quod in scientia salutis invenitur, in hoc positum quod inquieta curiositate rapi nos patimur ad sexcentarum rerum perquisitionem, & cognitionem, quae non solum prodesse non possunt, sed quam maxime officiunt. *Ex Auctore sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta.*

Curiositas mentem dissipat, ac prohibet, ne salutis nostrae negotio vacemus. Quod curiositas magnam mentis dissipationem efficiat, eamque avertat, ne ad ea, quae homini Christiano sunt necessaria, sedulo incumbat magno salutis suae negotio vacatura, profecto in dubium revocari nequaquam posse mihi videtur: quandoquidem hic proprius est ejusdem effectus, qui etiam inanis Curiositatis nomen eidem attribuit. Reor potius de hac inordinata cupiditate mentem suam replendi cognitionibus, quae profuturae non sunt, dici posse, quod Apostolus inquit de insatiabili divitiarum congerendarum cupiditate. Qui enim alterutra possidetur, iisdem sunt obnoxii periculis, & calamitatibus; *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quae mergunt homines in interitum, & in perditionem.* Quod quidem mea sententia non est multum deflectere a vero, cum haec S. Pauli verba de avaritia prolata ad curiositatem, immodicumque omnia sciendi desiderium traducimus; quoniam haec quoque species est avaritiae, nihilo minus vel periculosa, vel nocens. Utraque haec passio fames, sitis, desiderium, inordinata cupiditas appellatur; sed parabola aequior, & verborum S. Pauli applicatio aptior efficitur ab effectu utrique communi; utraque enim facit, ut in laqueum Diaboli decidamus, qui ut mentem nostram avertat ab attentione, qua officiis nostris vacare debemus, utque nobis curam auferat ejus negotii, quo nihil unquam nobis esse debet antiquius, hoc nobis immittit sollicitum desiderium discendi, cognoscendique res vanas, atque inutiles, quod quidem curiositas vulgo appellatur; ego vero cum Apostolo laqueum Diaboli voco, nobis multa ingerentis objecta, quibus animus noster distrahitur, & quae avidam, & inexaturabilem curiositatem hanc explere non valeat: *desideria multa.* Hoc non unum dumtaxat desiderium inordinatum, sed multiplex; cupiditas est nullis cancellis coercita; nam quemadmodum Sapiens *Eccles.* 1. ait: *non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Idem.*

Hominem curiosum, omniaque videndi, sciendique cupidum; jure dicere possumus, numquam in seipso inveniri; haec enim curiositas per omnia exteriora objecta illum circumagit, atque adeo raro ex inanibus occupationibus suis seipsum colligit, ut miraculi loco habeatur, si nonnumquam ad se revertatur. Haec autem distracta, dissipataque vita, est ne Christiana? Essene potest via, qua ad nostrum finem perveniamus? Haud ita profecto. Haec impeditissima est viarum ambages, absentia, vel potius evagatio, quae nos in perniciem adducit. Heu! Fideles, quot hujus viae mortales inveniuntur, qui per curiositatem ea omnia, quae rara sunt, & quae recentia consectantur; qui vitam suam in jugi objectorum vicissitudine transigunt; qui iis omnibus inhaerent, quae vident, & qui per ingenium aeque mobile, ac curiosum nunc ea contemnunt, quae olim festinanter conquisiverunt; & quod persequebantur, cum illud eminus tantum prospicerent, nauseam illis ciet jam possidentibus, atque commode eodem pro libidine perfruentibus. Vel dicamus potius iis similes esse, qui accumbentes mensae exquisitissimis epulis refertissimae satietatem quamdam praeseferunt, qua fastidientes omnia aliud pro alio relinquunt, ut ex singulis aliquid delibent: quae non tantum fames est, quam curiositas efficiens, ut per varia ferculorum genera manus circumferatur; itaut dicere possumus, illos sola dapum multitudine saturari. *Idem.*

In Communi mundi hujus consuetudine mens curiosa indesinenter sese effundit extrinsecus aliquod objectum, quod sibi satisfaciat, inquirens; quod cum invenire minime possit, vaga curiositate de uno transit in alterum, incessanter eligit, & mutat, & nihil nanciscitur, quo sua vota repleantur; in nulla re conquiescit, quia rebus omnibus fatigatur, & omnia fastidit ..... Hoc est curiositatis ingenium, series videlicet desideriorum sibimet invicem succedentium.

Cum hominum desideria varia sint pro varietate objectorum, circa quae versantur, ita curiositas multiplex est. Alii quidem perdite scientias inquirunt, brevi temporis intervallo integra devorant volumina, omnesque sapientes, quaestionibus, ac dubitationibus suis valent delassare; & simul ac liber aliquis in lucem prodiit, statim eorum manibus teritur. Haec sane curiositas redarguenda minime videretur, si esset ordinata, neque illis sufficere posset earum rerum cognitio, quae utiles sunt, & necessariae; sed cum illa sit inquieta cupiditas, omnia sciendi, discendive, cibus est indigestus, qui facilius obesse poterit, quam prodesse; & de illis, quibus studiorum suorum non alius propositus finis est, quam ut expleant curiositatem suam, dici potest, quod S. Paulus ait, ipsos quidem studere indesinenter, quin rerum scientiam assequantur, salutis videlicet suae, aeternaeque felicitatis: *semper discentes, & numquam ad scientiam pervenientes.* 2. ad Timoth. 3. *Idem.* Curiositas pro objectorum varietate varia.

Quis nescit, curiositatem rebus omnibus iis etiam, quae ad vitam sunt maxime necessariae, immisceri? Indigemus alimentis, quibus nutriatur corpus, vestimentis, quibus tegatur, domibus, quibus immoremur, varia pro variis usibus supellectili, aliisque sexcentis ad vitae commoditatem. Necessitas primum singula in simplicitate invenit; sed

curiositas hoc habet commune cum cupiditate, quod omnia multiplicat, vel saltem efficit opulentiora, atque ornatiora, quin major fit eorum necessitas. Hinc prodierunt mirabilis artis, atque naturæ opera, quibus raritas ipsa pretium addit: hinc pretiosi lapides undequaque conquisiti, hinc elegantes tabulæ, hinc antiquitatis pretiosæ reliquiæ, hinc nova Artificum adinventa, quæ statim ac in lucem prodierunt, vel in sciti alicujus viri musæum, vel ad exornandam magni Principis aulam transferuntur. Hinc varii indumentorum modi, qui licet plerumque inepti sint, propter novitatis gratiam nihilominus placent. Circa hæc curiosorum versatur cura; digna proculdubio Christianis hominibus occupatio, quorum cor a terrenis omnibus divulsum esse debet, perdite ea omnia, quæ rarissima, & exquisitissima sunt ad inanem curiositatem explendam conquirere! *Idem*.

Curiositas speciatim in vestimentis. Indumentis quidem carere non potestis tum honestatis gratia, tum ad temporum propulsandam injuriam: possetis hac in re tamen christianam exercere modestiam, atque necessitati crassiores panni sufficerent, sed curiositas adversatur, neque voti compos est, nisi pretiosissimi, atque elegantissimi ornatus accesserint, quos idcirco ex remotissimis regionibus accersit. Si recens aliqua indumentorum ratio prodit; expectare non possumus, donec primum indumentum attritum sit, ut novum comparetur. Sed quo usque hac in re procedit curiositas? Hoc nostis, o Mulieres, quæ indumentorum, atque ornatuum amorem, ad extrema usque producitis. Si dubitatis, utrum curiositas ista saluti vestræ impedimento esse possit, dicere sufficiat, hanc invexisse luxum, immodicos sumptus, vanitatemque pompatum, quibus abrenunciare debuistis cum primum christianæ Religioni dedistis nomen, & quas deperire non potestis, quin Christianorum spem abdicetis. *Idem*.

Quid dicam de supellectilibus, ubi curiositas potiorem partem invenit, quam commoditas, & urbanitas? Quid cogitatis de conviviis, opiparisque Cœnis? nonne curiositas cum intemperantia sese in illis commiscet? Epulæ, quæ rarissimæ sunt, nonne tamquam exquisitissimæ afferuntur? Temporum fructus, & vina, quæ nostra fert Regio, semper minori habentur in pretio. Ut verbo me expediam, non famem tantum, ac sitim, sed ipsam curiositatem explere concedimus. Quid de solatiis dicam? Ullane in ipsis voluptas percipitur, nisi satis fiat curiositati, & nisi ea adsint omnia, quæ nova sunt, & quæ nonnisi novitate sua possunt oblectationem afferre? Tandem vero nonne curiositas affectus nostros perturbare videtur? qua ipsa re nonne saluti nostræ magnum obstaculum injicit? *Idem*.

Curiositas nostræ saluti obstaculum; & quomodo. Curiositas magnum injicit obstaculum saluti nostræ per eam mentis dissipationem, quam parit multitudo objectorum, eventuum, spectaculorum, quibus distinetur, & a majoris momenti curis distrahitur. Distrahitur enim, & dissipatur anima sese effundens exterius, itaut in hoc statu impar fit omnibus pietatis exercitationibus, neque vacare possit sui status, suæque Religionis officiis. Sancti omnes agnovere hanc spiritus dissipationem, in quam curiositas animam jacit, cum evagatur in tanta objectorum, quæ sibi a mundo exhibentur, varietate. Itaque quicumque serio saluti suæ prospicere voluerunt, initium duxerunt relinquendo sodalitates, atque spectacula, & ea omnia quæ festinantius curiositas quærit. Hæc enim omnia dissipant vires necessarias illi, qui serio magno salutis suæ negotio vacare contendit. Curiositatem hanc esse putarunt generale impedimentum cætera omnia quodammodo complectens, vel universalem quamdam passionem, quæ ad omnia objecta refertur, & quæ constituit tamquam partem aliquam cupiditatis iis omnibus inhærentis, quæ cor divellere possunt ab eo, quo unice potest repleri. *Idem*.

Curiositas non solum fons est plurimorum desideriorum, quæ ab Apostolo *desideria multa*, & *inutilia vocantur*; verum etiam otiosæ cujusdam inertiæ, quæ in aliquid serium, & christiano viro dignum nequit incumbere. His adnumero eos omnes, qui rerum, quæ recentet accidunt, & quæ apud alios populos fiunt, sunt curiosi, & qui omnia temporum, omniaque Principum consilia scire volunt, & quasi omnia prorsus Reipublicæ negotia sibi explorata essent, atque comperta, Politicorum more disceptant, & quid factum, quidque faciendum sit conjectando assequi student. Alios intentos video omnibus rumoribus, qui circumferuntur, & qui sæpe falso proferuntur, ut inanis hæc alatur curiositas, quæ vera æque, ac non vera indiscriminatim arripit, & quæ pascitur, imaginarias fovens ideas præliorum, obsidionum, & consiliorum, quæ jamjam sint proditura. Alii vero, quibus satis non est ea nosse, quæ tam procul fiunt, privatorum domos ingrediuntur, ut diligentissime familiarum omnium calleant negotia, bona, affinitates, lites, dissensiones. Alii denique, quibus nullum est negotium, omne transigunt tempus visitationibus ultro citroque recipiendis, reddendisque, venditando quæcumque sciunt, & inquirendo quæcumque fiunt, atque dicuntur. Alii demum curiosiores oculis suis ea intueri volunt, quæ legerunt; quamobrem longa aggrediuntur itinera, de Regno in Regnum migrant, Urbes, atque insignes substructiones admiraturi; atque ut mentem æque, ac oculos expleant, discere gestiunt mores, divitias, vires, & quæcumque rara sunt omnibus in terris, eaque consectantur omnia, quæ nullius esse possunt utilitatis, & quæ alienam tantummodo fatigant curiositatem, cum illa subinde importune, opportuneque in omni cœtu enarrantur. Hæc sane cum Apostolo vocari potest vana curiositas ea sciendi, quæ ad nos minime pertinent, omnem dissipans attentionem iis rebus impendendam, quæ nos propius attingunt, & quæ nostræ virtuti, & sanctitati conferre aliquid possunt. *Idem*.

Mala, quæ curiositas parit. Numquid opus est, Auditores, hoc in loco illa exhibere mala, quæ curiositas parit? Sufficiat potius affirmare omnia terrarum mala non aliud initium sortita fuisse in ipso sæculorum primordio, quemadmodum in Protoparentum nostrorum exemplo prospeximus. Verum quin altius ea repetamus tempora; sexcenta sunt quæ ignorare operæ pretium est, quorum perquisitio quietem nostram perturbat, & quorum cognitio nos ad alienam perturbandam impellit. Qui curiose nimis ea scire gestit, quæ de seipso dicuntur, nonne plerumque odium, atque vindictam concipit contra eos, a quibus eo non habetur in pretio, quod se mereri putat; vel contra eos, quibus sententia sua incautius ore elapsa est? Qui aliena penetrare conatur consilia, nonne sibi parit inimicitias, sibique molesta conflat negotia? Qui vero nimis scrutari vult ea ipsa, quæ ad se spectant, nonne passim mœroris causas deprehendit? Inordinatum hoc quæcumque sciendi desiderium nonne sæpe occasionem præbet iis rebus, quarum effectus prævidere non possumus: sed qui efficiunt, ut earum pretium pro inani curiositate solvamus? *Idem*.

Dum Sapiens monet, ne ea scrutemur, quæ caputm nostrum exuperant, facile judicare possumus ab eo scientiam nequaquam damnari; quandoquidem hanc ille divinitus acceperat, & hac mortalibus cæteris antecellebat: immo neque secretorum naturæ cognitionem; quandoquidem mentis suæ perspicacitate plantarum omnium ab Hyssopo ad Cedros Libani, virtutes cognoverat, eique natura omnes Thesauros suos aperuisse videbatur. Immo neque temeritatis, vel præsumptionis nomine supernaturalium veritatum perquisitionem insimulat, quarum cognitio necessaria est ut æternam felicitatem assequamur; quandoquidem JESUS-CHRISTUS, in quo omnes scientiæ, ac sapientiæ Thesauri continebantur, de Cœlo in terram descendit, ut de illis nos erudiret. Pro curiositate igitur,

cui Sapiens non vult sese homines tradere, intelligenda profecto est præsumptio secreta providentiæ scrutandi, Religionis mysteria detegendi, abyssum consiliorum Dei, ut loquitur Propheta, penetrandi, investigandi altitudinem judiciorum ejus, & de iis disceptandi, quæ in Religione nostra magis sunt a captu nostro seposita. *Altiora te ne quæsieris*. Eccli. 3. *Idem*.

Curiositas magnum fidei obstaculum.

Curiositas in iis, quæ ad fidem pertinent, semper habita fuit tamquam magnum Christianæ Religionis obstaculum, quia plerumque curiosos in errorem, vel hæresim impellit. Hæc olim Philosophos quosdam deterruit, ne illam amplecterentur, & hodierna quoque die causa est, propter quam illam abdicent mente saltem, & corde fideles quamplurimi, id tantum credere volentes, quod concipere possunt. Hæc ratio est propter quam tot mortales intuemur, *Qui circumferuntur omni vento doctrinæ*, qui res novas amant, ipsas etiam, quæ suspicioni, & periculo sunt magis obnoxiæ. At mirumne; cum curiositas sit errorum omnium, omnium hæresum, quæ sæculis omnibus insurrexerunt principium? Nova enim opinio statim ac in mentem aliquam pervasit in fidei principiis laborantem, statim propter superbiam tamquam felix adinventum respicitur; curiositas deinde alios æque habentes impellit, ut errorem illum perdiscant; ubi cum aliquam veritatis speciem deprehendant, qua falluntur, statim pertinaciter tuentur eas sententias, in quas ex mera curiositate impegerunt. Hac ratione errores omnes invaluerunt. Eos novitas curiosis ingeniis commendavit, quæ fallaci specie decepta fuerunt: eorumque curiositas funestos peperit lapsus, qui post se infinitos pertraxere, atque in maximis etiam Regnis religionis inversionem pepererе. *Idem*.

Curiositates damnabiles, & omnino vetitæ.

Quemadmodum quædam sunt, quæ ad humanam curiositatem non pertinent, quædam etiam scientiæ, & cognitiones sunt eidem interdictæ: ideoque rationes omnes, quæ adhibentur, ut illuc perveniatur, criminosæ sunt, atque detestabiles. Hujusmodi sunt superstitiosæ artes divinandi, futura prænoscendi, vel prædicendi effectus, nullum nexum, aut rationem habentes cum causis, vel iis adminiculis, quæ adhibentur; præstigia, veneficia, sortilegia, artes omnes diabolicæ, & effectus, qui cum ex naturali principio nequeant proficisci, homines curiositate adacti fuerunt, ut id assecuturi cum dæmonibus inirent necessitudinem. Hujusmodi curiositates magna sunt scelera; nemo diffitetur. Scriptura illas cum ipsorum Auctoribus detestatur; divinæ humanæque leges eas puniunt, perinde ac Dei ipsius jura, & potestatem sibi arrogare contendant: verumtamen huc usque sæpe homines curiositas rapit, ut a Dæmone discant, quod humani spiritus acumen celare Deus voluit. *Idem*.

Inter noxias curiositates, nequaquam adnumero Astrologiæ scientiam, dummodo inter præscriptos sibi cancellos contineatur. Stude, si tibi lubet, Cœlorum motum, syderumque cursum; metire, si vales, eorum magnitudinem, distantiam, altitudinem; portende Eclypses, temporum mutationes; de Cometis, aliisque Phænomenis, quæ per intervalla videntur, differe; nova instrumentorum genera excogita, ut Solis maculas intuearis, & ea deprehendas, quæ præterita sæcula ignorarunt. Verum hæc sibi sufficiant; nihil molire contra hominum libertatem; ne jactes in Syderibus, quæ eorum nativitati præfuerunt, eorumdem fata perlegere, noli invehere in mundum cæcam fatalitatem, quam christiana Religio semper perhorruit, hæc enim curiositas futura cognoscendi, quæ a libertate unice pendet, non solum in magna deducit scelera; sed ipsa maximum scelus est. *Idem*.

Curiositas sæpe mortales in gravissima scelera impulit.

Ita est; proculdubio curiositas hominibus maximorum fuit scelerum causa, eique accepta referenda sunt adulteria, & homicidia, quorum in sacra, prophanaque historia sexcenta supersunt exempla; & Rerumpublicarum, Imperiorumque pernicies in extremam usque posteritatem hanc memoriam traducet. Hæc non solum hæreticos peperit, & Hæresiarchas; quemadmodum jam dictum est: sed etiam impios insignes, veluti Julianum Apostatam, & quosdam Philosophos ævi ejusdem, quos curiositas ad extrema usque crudelitatis scelera pertulit hominum viventium corpora dissecantes, ut maxime intimarum partium, ordinem, situmque, extremosque cordis motus intuerentur. Quid dicam de sævissimis experimentis, quæ tentavit curiositas, matrum fætarum abscindens sinum, ut conclusos ibi parvulos introspicerent? Verum missa faciamus hæc nefanda scelera, quorum consuetudinem christiana Religio delevit; Sed quæ sæpius Curiositas revocavit, postquam e fidelibus Religionis profugos fecit, qui fidei mysteria intelligere desperantes, nihil intentatum reliquerunt, ut naturæ saltem mysteria detegerent. *Idem*.

Neque præterire possum eam calamitatem, quam in caput suum detorquent quamplurimi, qui licet Ecclesia apertissime vetet, Canones intentent supplicia, naturale præceptum prohibeat, ne peccandi occasioni sese abjiciant, & licet civiles omnes Ecclesiasticæque leges interdicant; licentiam sibi arrogant cujuscumque generis libros legendi, quorum alii sensus fidei, & Religioni contrarios inspirant, alii vero in vitium, morumque corruptionem inducunt. Non desunt, qui aperte vivendi licentiam suadeant; alii id sensim efficere student mollientes animum iis affectibus, qui maxime sunt periculosi; alii denique, ubi scelus personatum est, & sententiæ Christianæ Religioni prorsus appositæ ea arte exornantur, ut facile quilibet eas gustare desideret. Unus Dei timor, atque salutis negotium effrænem hanc licentiam compescere potest. Animadvertite fideles inter nefarios hos libros non deesse, qui mentem corrumpant; videlicet, qui per impressionem, quam lectura facit, sensus inspirent oppositos vel pietati, vel fidei pro varietate argumentorum, de quibus agitur; quod si inutiles tantummodo sensus contineant, saltem dissipant mentem, ibique saluberrimas suffocant cogitationes, traducentes illam ad inanes oblectatiunculas, nugasque, rationabili, & christiano homine indignas. Alios etiam adesse diximus, qui in vitium, atque licentiam impellunt, & hujus generis libri quo elegantius conscripti sunt, eo jucundiores accidunt, & bonis moribus corrumpendis aptiores sunt. Itaque cum mentis corruptio, ac vitæ nostræ scelus, duo sint effectus magis metuendi, magisque certi librorum nequam, si salus nostra cordi nobis est, curiositatem hanc frænare debemus. *Idem*.

De spectaculorum curiositate.

Quantumvis magnum illud sit bonum, quo a natura donati fuimus, quæ facultatem impertit omnia videndi objecta, quæ oculos nostros perstringunt, nescio utrum maxima fidelium pars deberet hodie eandem orationem effundere Deo, quam Regius Propheta Ps. 118. effundebat: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*. Averte, Domine, oculos meos ab iis spectaculis, quæ propter cupiditatem explendæ curiositatis meæ tantopere quæro, & in quibus vanitas, pompa, magnificentia, & quidquid in mundo majores habet illecebras, nitidiori in luce refulget. Quid enim ibi videtur nisi objecta, quæ nos seducere possunt? Nonne periculosa curiositas est ad ea cum affectu, & ne dicam, cum furore, confluere, quemadmodum plurimi ad illa concurrunt? Spectacula hujusmodi si omnino criminosa non sunt, dici tamen potest, fere semper esse periculosa; quandoquidem vanitatis amorem inspirant, & quemadmodum S. Bernardus inquit, ea non licet videre, quæ cupere minime licet. Cæterum pleraque id genus spectacula opposita sunt spiritui Religionis Christianæ, & professioni, qua solemniter polliciti sumus, nos pompas hujus mundi abdicaturos. Harum autem rerum curiositatem ostendere nonne est palam ad easdem reverti? Ita profecto; atque olim nota hæc erat Apostasiæ a fide, & religione, quemadmodum disertissimus Salvianus affirmat: *Est quædam in spectaculis Apostatatio fidei*. *Idem in Sermone de spectaculis*.

In mundi hujus vulgari Consuetudine curiositas efficit, ut anima sese effundat extrinsecus, & dissipetur; atque hinc accidit, quod pietatis exercitiis sit impar, solidisque, & interioribus rebus vacare nullatenus valeat. Agnovit quidem S. Augustinus hanc animæ divisionem, & dissipationem, quæ fit, quin ipsa illa percipiat; cum nimia curiositate semet effundit in varia objecta, quæ sibi a mundo exhibentur. Cum enim cupiditas magnam habeat ad hæc objecta rationem, efficit, ut anima mirabili activitate sese illis communicet, atque conjungat, quin sequatur Deum, eique unice adhæreat. *Liber cui titulus, Solitudo Christiana.*

Quocumque in statu vivamus, magnam semper erga sensibilia bona propensionem habemus: mens nostra illis repletur, & cor nostrum in illas se effundit; nisi curiositatem coerceamus, oculos, linguam, sensusque omnes regamus; hi enim sunt fontes malorum eorum, quæ veneno animas nostras inficiunt. Quidam deserit mundum, vitamque solitariam vivere statuit: suæ illum sequuntur ideæ in ipsam solitudinem, & nisi aditum intercluserit variis objectis, quæ suos sensus officiunt, hæc iterum prævalebunt; illius imaginatio multiplici phantasmate replebitur; mens cogitationes inanes fovebit; cor incompositos motus, & mala desideria producet, ita ut seipsum dissipatum, inquietum, & in ipso portu agitatum inveniat, perinde ac si tempestate ageretur adhuc; & curiositas efficiet, ut mente, animoque revertatur in mundum; quem corpore tenus reliquit. *Abbas Trappensis in explicatione regulæ S. Bened. tom. 1.*

Cum Viatores magnum arripiunt iter (hæc est S. Chrysost. similitudo) varia, quæ intuentur objecta, fluentia flumina, virentia nemora, ridentia prata, ita jucunde eorum alliciunt oculos, ut omnino sint dissipati. Hoc ipsum in hac vita accidit sectatoribus Mundi: quæcumque res illos morantur, & detinent; omnia videre cupiunt, audire volunt, quidquid dicitur; & attenti sunt omnibus, quæcumque fiunt. Rumores, qui percrebrescunt, eventus, qui accidunt, negotia, quæ tractantur, sermones, qui habentur, omnia illos occupant, omnibusque illi replentur. Quomodonam salutaria monita, quæ illi traduntur, & verbum Dei, quod audiunt nonnumquam, aliquam in ipsis impressionem efficere possunt, cum desit attentio, qua per curiositatem uti minime possunt? Hoc semen est quod teritur pedibus; quemadmodum loquitur Evangelium, hoc verbum est, quod corporeis tantum auribus auditur; sed cordis aures illi obstruuntur; vel si verbum illuc ingreditur, longius tamen non procedit; ac statim Diabolus adest, ut hoc vitæ semen evellat, ne credatur ab audientibus, vel exerceatur a credentibus, & illud exercentes minime salutem consequantur. *Joly propositione pro Dominica Sexagesima.*

Curiositas Dei communicationes in anima nostra impedit.

Si ipsum viris bonis colloquium prohibet sæpe divinas communicationes, quomodonam mundanæ conversationes, quas curiositas tantopere deperit, eas non prohibebunt? Verba quæ audiuntur, objectorum imagines, quæ sese offerunt, solatia, quæ nos detinent, dissipantque, nonne mentem nostram penitus occupant? Ita sane, ut cum nosmet colligere cupimus, & in Deum cogitationes nostras transferre, turba cogitationum, quas mens ipsa revocat, seipsam confundens, animum nostrum perturbet & animam ita perturbatam Deus pati non possit.

In quibusdam personis jugem videmus dissipationem, miram cordis, mentisque evagationem, propter quam indiscriminatim sese in omnia effundunt objectorum genera, inania, inepta, periculosa, & sæpe etiam noxia, nullam sibimetipsis vim inferentes, ut sensuum, imaginationis, mentis, & cordis evagationem prohibeant. Nihil tam metuunt, quam ne sese colligere teneantur, ut cordis sui motibus invigilent, ut omnia flagitia, atque impedimenta suæ conscientiæ cognoscant. Immo eorumdem ignorantiam adfectant, ne illis mederi cogantur. Id unum denique inquirunt quomodo a seipsis parum jucundas cogitationes avertant, atque sibimetipsis stuporem injiciant, ne exprobrantis conscientiæ suæ importunos stimulos audiant. *P. Nepveu tom. 2. Considerationum Christian.*

Naturaliter ad mentis dissipationem ferimur.

Naturaliter ad mentis dissipationem proclives sumus, non minori cura mentis nostræ, quam nostri cordis libertatem quærentes. Quamdam captivitatis speciem putamus cogitationum nostrarum collectionem, quæ curiositatem expellit, atque cordi aufert hanc libertatem, qua gaudet per universa discurrendi, & sese in cujuslibet generis objecta effundendi. Vanitas nihil minus confert huic dissipationi, quam curiositas: Si enim, quin ita nosmet effunderemus sæpius nosmet colligeremus; in nobis sane plurimas infirmitates defectusque intueremur, qui quidem superbiam nostram nequaquam palparent. Ideo quantum possumus avertimus oculos ab hujusmodi objectis parum adeo jucundis. Voluptas denique cum vanitate conjungitur, eaque recens est illecebra curiositati, quæ jucunda quidem appetit, molesta vero fastidit.

Quemadmodum inconstantia verus est cordis nostri caracter, & singula momenta, quibus nostra deficit attentio, & vigilantia, varias impressiones efficiunt, quæ ægre abraduntur; dici etiam potest ab hac inconstantia gigni curiositatem, & alteram ex altera consequi necessario: quamobrem tantus fit desideriorum concursus cor ipsum dissipantium, ut illud revocare, eique dominari, imposterum nequeamus. Cogitationes nostræ, desideria, factaque in ipsa multitudine confunduntur, & cor nostrum pro nobis fit veluti abyssus, cujus vix ipsam superficiem agnoscere possumus. Næ igitur vehementer errant, qui post vitam dissipatam, atque sæcularibus rebus inanibusque objectis vacantem se facile colligere, & resipiscere sperant. *Sermo Manusc.*

Anima nostra est velut aqua, quæ ubi tubulis contineatur, sursum attollitur, quia ad tantum ascendit altitudinis, quanta est fontis, unde effluxit, altitudo; verum ubi vagari permittatur, in agros libere effusa disperditur. Ita spiritus noster curiositate dissipatus, inutilium verborum, quæ effutiuntur, atque audiuntur, multitudine, & objectorum, quæ oculis accidunt, varietate, in hæc exteriora, objectaque effunditur, tamquam in totidem rivulos, neque sese inde colligere potest, ut sua cognoscat officia. Hoc in statu sese objicit anima hostium suorum telis, qui undequaque, qua vi aperta, qua insidiis illam oppugnant, nullo satellite, qui eam tueatur, & protegat circumseptam. Hac de causa Sapiens ait, hominem, qui sese continere nequit, ne loquatur, oppido similem esse, quod undique hostilibus aggressionibus pateat, non mœnibus, non vallo munitum. *Ex Solitarii cujusdam Epistolis; Epistola prima.*

Fieri fere non potest, ut in mundi commercio, præ curiositate non dissipemur.

Quomodonam quotidie mundi hujus negotiis interesse possumus, quin nosmetipsos dissipemus, & corrumpamus? Quomodonam incessanter obluctari contra vim plurimorum objectorum, quæ sese nobis offerunt catervatim, quæ nos circumundique obsident, quæ indesinenter conantur, ut per sensus in animam irruant? Quomodonam neque perstringere, neque concutere nos poterit divitiarum fulgor, illecebræ fastus, atque magnificentia mundanarum rerum, quæ jugiter oculis nostris collucent, ut nos suis promissionibus alliciant, spectaculis detineant, & jucundo phantasmate fascinent? Quomodo fieri potest, ut exemplorum atque consuetudinis torrens nos rapiat? Numquid semper obniti possumus contra eas sententias, & usus, qui suavissimis cordis nostri affectionibus favent, & obluctari contra objecta, quæ per curiositatem enixius conquirimus? *In Collectione orationum Accademiæ Gallicæ oblatarum.*

Nulla re magis spiritus noster dissipatur, quam cum iis immiscetur, quæ ad alios pertinent. Hac tamen in re nos magis curiositas tentat, & S. Augustinus animadvertit nos naturaliter æque in alienis negotiis esse curiosos, ac negligentes, & inertes in no-

nostris. Ex omnibus Creaturum rerum imaginibus, quæ in anima nostra imprimuntur, nullis magis occupamur, quam imaginibus eorum, cum quibus versamur, & quos cognoscimus, & proprie solitarius est, qui alios homines non intuetur. Quamobrem anima quæ serio officiis suis, propriæ cognitioni, salutisque suæ negotio vacare vult, juxta sanctorum omnium consilium suam debet coercere curiositatem, & oculos ab alii avertere, satis enim est si sibi consulat; alioquin extra omnem dubitationis aleam certissimum est, illam inutilibus speciebus, superfluisque curis repletum iri. Superbit illa quidem singulis momentis intuita, cor suum tumultu, atque indignatione contra aliorum defectus fervere: vix seipsam poterit continere, ne loquatur; fallax zelus impatientia incitatus, cui occasionem curiositas tribuit, illam indesinenter laniabit, atque ita occupabit, ut pacem omnem amittat: *Decerptum ex t. 1. Epistolarum Patris Surin.*

Curiositas, qua alienis immiscemur, efficit, ut negotiorū nostrorum obliviscamur.

Eo quod Curiositatem nostram coercere minime admitimur, & alienis immisceri negotiis festinamus, quot res inutiles; quot accidunt actiones, considerationes, communicationes; consilia, solatia, quæ non solum proximi nostri negotiis necessaria non sunt, nostris vero maxime noxia? Eæ quippe res quibus animum nostrum deberemus impendere, negliguntur omnino, admirabilia nostræ Religionis objecta in animus nostras nullam impressionem efficiunt; futiles nugæ, leve aliquod negotiulum, acrius attentionem nostram ad se pertrahit, quam hæ res quibus vacare nostra quam maxime refert. *Idem.*

Quam difficile est mundi hujus immisceri negotiis, quin sæpe distrahamur, & nos curiositas dissipet? Objecta, quæ sensus nostros afficiunt, numquam ferme in sensibus nostris subsistunt; Ut plurimum mentem ipsam invadunt, cogitationes occupant nostras, Dei oblivionem immittunt; & si quando omnem illius memoriam non auferunt, saltem applicationem nostram imminuunt, caliginem quamdam offundunt, ne illius magnitudinem, atque bonitatem intueamur. Intermittunt, atque abrumpunt reverentiæ, & amoris sensus, easque laudes, quibus illum celebrare tenemur, & adhuc dici potest, hoc minimum esse malum, quod curiositas pariat. *P. le Valois Epistola 6. de Recessu.*

Dissipatus, & curiosus interioti vitæ ineptus est.

Cum Deo communicaturi in hoc primum sedulo incumbendum est, ut mentem, & cor quibuscumque inutilibus rebus expediant. Qui scire quærunt, quidquid fiat, oculosque jugiter habent apertos, ut alienos mores explorent, qui præclaras prætexentes caussas cujuscumque generis negotia amplectuntur, iisque immiscentur occupationibus, quæ ad ipsos minime pertinent; hi sane plura debent abjicere, ut sese ad convertendum cum Deo apte disponant. Hujus vitæ vir tantum abest, ut dispositus sit ad familiariter communicandum cum Domino, ut ne id cogitet quidem, tunc etiam cum ad id cogitare maxime teneatur. Interim Deus non loquitur illis, & si loqueretur, numquid audiretur, ea in agitatione, iisque in turbis, quibus homo suam explere curiositatem contendit? *Auctor recent.*

Ut nosmet colligamus, quemadmodum oportet, ad interiorem vitam vivendam, ante cætera evitandæ sunt inutiles omnes curiositates, ad quas nos rapit naturalis quædam libido omnia sciendi. Videre volumus quidquid sese nobis offert, audire quidquid dicitur, ac denique cujuscumque speciei objectis immorari, & ut cum S. Augustino loquar, avidissime famelicas cogitationes nostras circumferimus in imagines omnium terrenarum rerum, & hic inordinatus appetitus eam in nobis gignit perturbationem, quæ satis exprimi nequit. Efficit enim, ut naturales animæ nostræ facultates in perquisitione inanium voluptatum exhaustæ, pares non sint, ut intrinsecus vires omnes suas colligant iis vacaturæ exercitationibus, ex quibus major utilitas percipiatur. *Ex Epistola Surin tom. 1.*

Quanam in re cur. oti-

Ad evitanda mala omnia, quæ ex curiositate proficiscuntur, satis nequaquam est sibi interdicere spectacula, aliaque profana solatia, quæ majorem mentis dissipationem, & cordis effusionem efficiunt; recedendum quoque est ab iis cœtibus, ubi facetæ, mimicæque narratiunculæ afferuntur, & ubi id unum quæritur, ut cum proximi detrimento oblectentur. Non loquor autem de nimium liberis cœtibus, ubi mens, & cor non dissipantur solum, verum etiam omnino corrumpuntur: de illis loquor, qui indifferentes vocantur, in quibus omnia fabularum genera venditantur, ubi narrantur quæcumque in Civitate fiunt, ubi familiæ omnes censoria severitate notantur. Verum esto, non aliud committatur malum; nonne satis magnum malum est, inde referre mentem prorsus dissipatam, inanibusque refertam ideis semper recurrentibus cum de Deo cogitandum est, & orationi vacandum? Adde, si vis, te ipsum colligere, atque in hoc statu permanere, abstinendum esse a superfluis visitationibus, quæ ad tempus tantummodo traducendum instituuntur; hæc enim jam dissipationis nota est, secum morari non posse, & alibi oblectationem inquirere. Et sane quis inficiari poterit hujusmodi visitationes, morosasque conversationes in nobis molestas relinquere imagines eorum omnium, quæ visa, & audita fuerunt, atque ut plurimum nos ex hujusmodi cœtibus recedere mente inani, & fatigata, quæ inde ut plurimum fastidium refert, unde voluptatem percipere cogitabat? Hoc denique nobis persuasum esse debet, quandoquidem satis aperte docet experientia, ineptos hos sermones, inutilia colloquia, superfluas visitationes prohibere, ne justam aliquam vitæ rationem sequi possimus, ne orationi tempus necessarium possimus tribuere, omnibusque status nostri, & Religionis officiis perfungi.

... tificanda ne in majora mala ruamus.

Non desunt notæ quædam ex quibus spiritus nostri dissipationem cognoscere possumus. Hujusmodi sunt gaudia nimium effusa, in quibus spiritus ipse, & cor extra se videntur egredi, & ubi satis liquido apparet nondum acquisitum fuisse in omnes affectus imperium; facile enim ea consectamur, quæ spiritu rationabili sunt indigna. Hæc effusio lætitiæ in peculiaribus occursibus fieri consuevit, cum nostrum metipsorum obliviscimur, ac parum caute nosmet tradimus curiositati. Illud vero divino spiritui multo magis oppositum est, necnon maximæ dissipationis indicium, cum semper læti, ridentesque sumus; non enim desunt nonnulli, qui nullam maturitatis speciem non facie, non verbis, non gestibus præseferunt. Id genus homines hilaris ingenii dicuntur, qui nihil dicunt, quin in solutos cachinnos erumpant, & immodica ferantur lætitia, qui curiosius omnia scire festinant, ut oblectandi occasionem arripiant; qui mortalium omnium risum excutiunt, qui quæcumque vident in jocum traducunt, ac dummodo faceti habeantur, negotium illis non facessit, utrum fanda, infandaque dicant. Hæc sunt dissipatæ mentis indicia. *Pater Guillore. Tractatu de sensuum mortificatione.*

Qui tantam præsefert curiositatem, inane gaudium, ac mentis evagationem, liquido ostendit se Deo repletum non esse, & Sanctis illius motibus recipiendis nequaquam parem; necnon facili negotio, quæcumque sese offerat occasio, evagari per cordis sui effusionem. Neque dixeris hos homines, qui semper lætantur, qui omnia conquirunt, qui nihil dicunt, quod non sit joco, aut sale conditum; ne dixeris, inquam, id genus homines a gravibus obtrectationibus abstinere, sedulo cavere, ne quempiam lædant, eorumque vivendi genus culpa vacare. Esto quidem, eorum vita non æque sit criminosa ac impiorum, & eorum, qui se omnibus sceleribus mancipant: verum hiccine caracter est veri fidelis, qui Deo dignos sensus foveat, atque omnibus officiis suis vacet? Hæc mentis dissipatio nonne illis communicatur, qui cum ipsis consueverunt? Nonne ex omnibus cœtibus proscribit sermones, qui aliquem pietatis sensum immittere possent? Nonne e contra immoderatum gaudium inspirat? *Idem Tractatu de Spiritu serio.*

Curio-

Curiositas est spiritualis avaritia.

Curiositas, vel desiderium res inanes sciendi spiritualis est avaritia, non minus periculosa, quam quæ circa temporalia bona versatur, curiosi quippe in eamdem cordis decidunt ariditatem, & avari. Hi quidem vitam suam traducunt replendis areis, opibusque congerendis, quin illis pro salute sua utuntur, eas pauperibus erogantes; illi vero quin veræ pietatis spiritum concipiant, & humiliores fiant, prout doctiores evadunt, semper magis fiunt vani, prout majorem scientiam acquirunt, propriæ cognitionis existimatione intumescunt. Sæpe quidem veritatis fulgorem diligunt, sed illius praxim effugiunt; aliquando eam cognoscere gaudent, non ut meliores evadant, sed ut sapientiores videantur, atque in cœtibus majorem laudem aucupentur &c. *Desumptum ex morali Christiana in Pater.*

Quot fideles vitam suam in rebus inanibus transigunt, tantummodo ut suæ curiositati faciant satis? Alii quidem inquirendo Philosophicum lapidem sua dissipant bona, suæque officiunt valetudini sperantes, se tandem inventuros, quod numquam invenient. Aliis placet locupletissimas struere Bibliothecas, pretiosissimis libris repletas, quos quidem elegantissime compingi volunt, sed quos numquam legunt, eosdem videndi mera voluptate contenti. Quot tabulis ingentis pretii, & ab egregiis pictoribus, elaboratis oblectantur, & ad eas comparandas ingentem auri vim impendunt? Quod voluptatem suam in viridariis excolendis collocant, eaque pulcherrimis floribus, fructibusque exquisitissimis ornant ex Regionibus exoticis accersitis, ut se solos id genus fructuum, florumque possidere glorientur? Alii alia quærunt, atque sumptibus minime parcunt, ut suum expleant affectum. Cum autem hujusmodi occupationes inanes sint, & ad salutem inutiles, atque ad curiositatem, & oculorum concupiscentiam explendam tantummodo inserviant; peccata sunt, de quibus coram Deo ratio erit reddenda, eo quod temporis jactura facta est, & opes in has nugas expensæ, quæ in pauperibus alendis erant insumendæ. *Ibid. l. 8. sect. 4. art. 1.*

Abjicite, S. Augustinus ait, omnes has periculosas curiositates, quibus spectacula, ornatus, servorumque pompam tantopere deperitis: abjicite improbas curiositates, propter quas proximi vestri actiones, motus, negotia, exploratis. Verum sancta vobis curiositas insit, ut cognoscatis tot malorum abditorum genera in Xenodochiis, in carceribus, in caliginosis locis, ubi perfugium habet paupertas ex divitum ædibus ejecta. Quin voluptuosa spectacula, profanosque concentus consectemini, audite clamores, gemitusque egenorum, quibus panis deest; cum interim vos inter delicias versemini. Quin vestram foveatis vanitatem, aliasque affectiones excitetis obscœnarum tabularum, magnificorumque aulæorum intuitu, languentem charitatem excitate, miserrima subite tecta, ubi in sordibus, & squalore egeni, imagines JESU CHRISTI, patiuntur &c. *Essais de Sermons pro sexta post Pentecosten Dominica.*

DETRACTIO,

CALUMNIA, ET QUIDQUID PERTINET AD JACTURAM ALIENÆ EXISTIMATIONIS.

MONITUM.



Quemadmodum detractionis vitium quovis tempore in paucis fuit vulgatissimum, ita hujus argumenti Sermones frequentius in SS. Patrum scriptis occurrunt, & de Christianis suggestibus audiuntur. Pauci Concionatores Argumentum hoc intactum relinquere, & nos collegimus ea quæ validiora, & aptiora censuimus ad vitii adeo communis, & perniciosi horrorem ciendum.

Admonendum dumtaxat est, licet discrimen, quod calumniam inter ac detractionem interest, prospectum sit, exploratumque; tamen utrumque in eadem concione confundi veluti duas ejusdem peccati species; cum simplici detractioni calumnia solam falsitatem, atque mendacium adjiciat, quæ quidem circumstantia est peccatum aggravans, ac illius reparationem difficiliorem efficiens.

Sæpe equidem animadverti perpauca esse argumenta, quibus libentius aures adhibeantur, quam cum contra detractionem sacer Orator invehitur: ideoque nullum esse, quod majorem concionatoribus occasionem præbeat mores hujus temporis vivis coloribus exhibendi. Quamobrem accepta hac attentione utendum est, ut criminis horror imprimatur, & ut justus excitetur metus, ne quis in hoc scelus ruat, seu malum, quod novit, in apricum proferens, seu malum, quod ab aliis proditur, audiens.

Argumentum hoc pertractantibus utilissimum quoque monitum est, ut præsertim in arcta, atque inevitabili necessitate immorentur reparandi honoris, qui per detractionem aut calumniam proximo præreptus fuit; nihil enim aptius esse potest ad coercendam proclivitatem, qua naturaliter in hoc peccatum ferimur; sed reparationis hujus difficultas exaggeranda est, quæ illam arduam quidem, non autem impossibilem efficit.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Sermonum hujus argumenti Systemata.

I. RO concionis partitione, & argumento desumi possunt tres propositiones; quæ quidquid hac in re validissimum, magisque necessarium est, complectuntur. Prima est, detractionem horribile crimen esse, quod tamen homines vulgo non perhorrescunt; quandoquidem illud passim committunt. 2. Crimen turpe est, sed quod sine verecundia, & sine metu existimationis nostræ quidem amittendæ; alienæ vero obscurandæ patratur. Tertia, contagiosum crimen est, ad quod evitandum nulla tamen cura adhibetur, multoque minus ad reparandum.

Propositio prima: *Grande crimen detractio*, S. Bernardus exclamat. Et profecto licet detractor nihil efficeret mali, præterquamquod unionem, concordiam, fraternamque infringeret charitatem, inexplicabile quidem malum efficeret, ac seipsum gravissimi sceleris reum statueret, fundamentalem Christianæ Religionis legem evertens. Dei Filius agnoscens quanti momenti esset hanc servare præcipuam Regni sui legem, pridie quam moreretur tria insignia opera operatus est; ad hoc enim adorabile Corporis sui Sacramentum instituit; explicitum Apostolis suis mandatum irrogavit, ut sese mutuo diligerent: Æterno Patri suo preces fudit, ut illos in dilectione hac confirmaret. Corporis enim sui Sacramentum, quod Communio vocatur, nonne ideo recipitur, ut simul omnes uniamur, quemadmodum S. Augustinus testatur? Mutuæ dilectionis præceptum, quod JESUS CHRISTUS Apostolis tradidit, nonne ad eorum consensionem spectabat? Denique Patrem suum oravit & pro illis, & pro cunctis, qui in ipsum erant credituri per prædicationis eorum ministerium. *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te*; ut omnes unum essent ad imitationem admirabilis illius unitatis, quæ in adorabili Trinitate est inter Patrem, ac Filium. Quid autem detractor? Quantum in ipso est, fundamentalem hanc legem evertit, & labefactat: eas sejungit personas, pro quarum unione Deus suum effudit sanguinem: animos eorum separat, quos quotidie Dominici corporis Sacramentum unire contendit, mutuæ dilectionis præceptum infringit odio, invidia, & zelotypia, qua flagrat in eum, de quo obloquitur, ac sensu ultionis, & inimicitiæ, quem læsus in lædentem fovet: inutilem efficit orationem, quam Dei Filius jam jam moriturus pro omnium fidelium unione effudit, ac discordias serit inter eos, qui numquam fortasse in gratiam sunt redituri. Hoc illud est, quod peccatum hoc coram Deo quidem adeo enorme efficit, coram hominibus vero odiosum adeo: sed quam parum illud homines horrent, quandoquidem ipsum facile, omnibus in locis, omnibusque in cœtibus patrant? Quomodo vitium hoc omnium statuum est, conditionum omnium, omnis generis mortalium; ut hoc recreationis loco quodammodo habeatur, ut sine ulla religione patretur, ut merito etiam sibi vertant scire alienis sumptibus societati placere, eique afferre delectationem. Hoc in loco ad ostendendam criminis magnitudinem, & enormitatem, latius differi potest de injuria, qua afficitur proximus, cujus officitur existimationi, quæ quidem bonorum omnium pretiosissimum est: deque funestis detractionis effectibus, necnon de obligatione, quæ contrahitur, injuriam hanc quocumque pretio reparandi &c.

Propositio altera, Detractionis peccatum non minus turpe est, quam horribile, & enorme; quod fortasse ægre quis sibi persuadebit, cogitans hac re sibi acris ingenii laudem conciliare, cum voluptate ab omnibus audiri, totius conventus plausus mereri, & demum complures hoc pacto narrationis lepidæ texendæ laudem aucupari, &c. Hoc pacto vult etiam haberi sincerus, ac improbator malorum, vel saltem lepidus homo, qui risum excutere novit, ac infirmam cujuslibet partem deprehendere. Verum nihilominus hoc turpe crimen esse probo. 1. Quia non ferenda ignavia est absentem, & qui se tueri non possit, qui ne hiscit quidem, & qui te fortasse numquam læsit, lacessere; vel si tibi est inimicus, ignava profecto ultio est illius existimationem detere, quem coram non auderes attingere. Proprios defectus aperit, qui in apricum profert alienos: ostendit se subiratum esse, atque dolorem suum dissimulare non posse, se invidum, superbumve esse, quia metuit ne alterius existimatio suo nomini officiat. 3. Habetur tamquam maledicus, quo caractere nullus sane turpior est. *Summa turpitudinis est, nihil fœdius*, S. Bernardus inquit. His tamen non obstantibus detractor impudens est, cui æque parum propria existimatio cordi est, ac aliena.

Propositio tertia. Vitium hoc est etiam contagiosum; & nihilominus nulla adhibetur diligentia ad illud evitandum, nulla cura ad cursum illius inhibendum, vel ad illatam injuriam reparandam. Hic primum ostendendum est, quomodo secreta detractio sese effundat, ac publicus rumor fiat; deinde vero quomodo detractor malum, quod intulit, separare teneatur, & quam difficile hoc facere possit.

Ostendendum est, quamvis detractio vulgatissimum sit crimen, & ad committendum facillimum, difficillime tamen dimitti. II.

Primum: Peccatum hoc vulgatissimum est; hoc satis docet experientia. 1. Hoc maxime naturale est; superbia enim, & gloriæ desiderium, quod ex ipsa nobiscum gerimus nativitate, nobis suadet aliis obtrectare, ut ipsi crescamus, cum alienæ gloriæ imminutio, nostræ incrementum videatur. 2. Quodammodo necessarium videtur; in cœtibus enim qua de re sermo habendus sit, ignoratur, nisi de aliis instituatur. 3. Facillimum est, quia detractores non fatigantur, & detractiones cum voluptate audiuntur. In aliis omnibus peccatis aliquis semper metus est, ne quid detrimentum nostra patiatur existimatio; sed detrahens nihil veretur, immo oblectatur; & quovis tempore, & loco detrahit; omnia mortalium genera hoc possunt efficere, & detractio tot variis modis committitur, ut nemo hoc agere ignoret; ideoque nihil hoc vulgarius est, nihil facilius.

Secundo; peccatum hoc adeo commune, adeoque facile, quod committatur, difficillime tamen dimittitur; detractio enim non charitatem solum, verum etiam justitiam lædit, & peccata contra justitiam non remittuntur, nisi illatum reparetur damnum, & læso fiat satis: Quantum igitur rara est detractionis reparatio, difficilis, & moraliter fere impossibilis; tantum difficile est veniam illius obtinere. Furtum est, homicidium est; major est injuria, quæ mortali possit inferri; illi enim existimationem aufert, quem sæpe bonis ipsis, vitaque habet chariorem. Damni hujus reparandi ostendenda est difficultas: 1. Ex parte illius, qui oblocutus est, qui animum inducere nequit ut palinodiam canat, si calumniam intulit; & nescit quomodo se gerere debeat, si tantum alterius famæ obtrectavit. 2. Ex parte illius, de quo oblocutus est, huic enim satisfaciendum est &c.

Pro Concionis argumento, & partitione desumi potest hic S. Bernardi locus: *Detractio grande vitium est, detractio grande peccatum est, detractio grande crimen est.* III.

1. *Grande vitium est* in habitu. Oritur ex superbia, odio, invidia, omnium vitiorum nequitiam continet, ac illorum instrumentum est. 2. *Grande peccatum est* in actu propter damnum fere irreparabile, quod infert proximo. 3. *Grande crimen est* propter funestos exitus & mala, quæ parere consuevit.

IV. In duabus orationis partibus ostendi potest primum malum, quod detractio parit, in quam adeo proclives sumus vel ob animi levitatem, vel ob aliquam ægritudinem. Secundo bonum, & utilitas, quam percipere possumus ex detractionibus, quibus nomini nostro obtrectatur.

Primo, quoad malum, quod nostræ pariunt detractiones. 1. Charitatem violant proximi existimationem lædendo. 2. Discordiam, ac dissidium ferunt inter detrahentem, & illum, de quo detrahitur; 3. Nonnumquam obest non personarum solum, verum etiam familiarum existimationi, ita ut infamiæ notam earum nomini inustam nullo pacto possint eluere. 4. Detractor seipsum in morali salutis suæ impossibilitate constituit propter difficultatem reparandi damnum illud, quod intulit. 5. Sæpe causa est damnationis eorum, de quibus detrahit, qui contra eos qui suo nomini officiunt, odium concipiunt, ac ultionem moliuntur.

Secundo quo ad bona; & utilitates quas percipere possumus ex detractionibus, quibus alii nomini nostro maculam offundere adnituntur; potest mirum in modum sanctificationi nostræ inservire. 1. Exemplarem vitam nos ducere cogit, ne cui locum præbeamus detrahendi. 2. Occasionem præbet exercendæ patientiæ; non enim majorem magisque heroicam præ nobis ferre possumus patientiam, quam si non iniquo feramus animo ea, quæ de nobis mala dicuntur: 3. Locum quoque aperit præstantissimis actibus charitatis christianæ injurias dimittendi, & bene de illis dicendi, qui de nobis obloquti sunt &c.

V. Pro concionis de detractione argumento desumi potest S. Bernardi sententia, dicentis obtrectatione tres simul personas uno tantum ictu necari.

1. Detrahentem; detractio enim, quæ ex se ipsa magnum crimen est contra charitatem proximo debitam, efficit, ut detractor gratiæ vitam amittat: ubi latius de peccati gravitate potest disceptari. 2. Audientem eam, qui non peccat minus detrahente, & gravius etiam nonnumquam, illum excitans, illi plaudens, eique animos faciens; qui si deesset, in irritum cederet detractio, vel saltem non adeo funestos exitus haberet. 3. Illum, cui detrahitur: detractio enim civilem vitam aufert, quam ille habet apud eos omnes, a quibus habetur in pretio, vitam longe pretiosiorem ipsa naturali vita; quoniam ad eam servandam hæc in discrimen adducitur.

VI. 1. Detrahendi facilitas non efficit detractionem venia digniorem. 2. Ejus reparandi difficultas justæ reparationis necessitatem non minuit, neque illam excusabilem reddit. Quod illam difficilem ad reparandum facit, nequaquam ab integra, exactaque reparatione dispensat.

VII. Detractio peccatum est, quod duplici ex causa reprobationis gerit caracterem.

Prior ex peccati hujus natura desumitur, quod facillime patratur, quod difficillime exuitur, eo quod ad veniam obtinendam adhuc longe difficilius reparatur.

Altera ex dispositione cordis, ac mentis in detrahente, qui invidiæ, superbiæ, ambitionis, vel ultionis spiritu ad proximi existimationem lædendam impellitur; quæ quidem animi ægritudines sunt damnationis nostræ causæ, & principia.

VIII. 1. Detractionis causæ semper corruptæ sunt, & criminosæ; detrahitur per invidiam, odium, zelotypiam, quæ contra proximum concepta fuit; illum detractor in aliorum existimatione perdere conatur, & super competitoris interitum existimationem suam statuere contendit &c. 2. Detractionis circumstantiæ numquam culpa vacant: detrahitur coram iis, apud quos bene audiebat ille, cujus læditur existimatio; impetitur absens, & qui contumeliam propulsare non potest; dicuntur incerta, vel falsa, vel quæ vera sunt, exaggerantur, & detractio in calumniam mutatur. 3. Effectus perniciosi detractionis sunt fere semper irreparabiles.

Prætextus, qui ad detractionem excusandam afferuntur, futiles sunt. IX.

Primus est levitas defectuum proximi, qui tamquam parvi momenti considerantur, quasi alienæ existimationi nullum afferant detrimentum, qua in re sæpissime fallimur.

Alter est, quod licet res magnæ essent, earum nota publicitas efficit, ut sermonibus nostris nihil eorum, de quibus loquimur, nomini officiamus.

Tertius est, quod Dei, cui servimus gloria, non patitur, ut eorum, qui dedecorant illam, temeritatem, ac impotentiam feramus. *P. Massilon Sermone de Detractione.*

Detrahitur per nequitiam, & levitatem; atque hoc pacto Detractio arbor est lethalis, quæ in duos bipartita ramos universum Terrarum Orbem inficit. Ostendamus ergo enormitatem utriusque hujus speciei detractionis, quarum altera naturaliter horrorem, altera ciet confusionem. X.

Primum punctum eam ostendet detractionem, quæ fit per nequitiam, & quam grave, Deo, hominibusque invisum peccatum hoc sit.

Punctum alterum versabitur circa detractionem, quæ oritur ex levitate. Vitium hoc nobis abrogat fidem ac naturam levem, mobilemque significat, ex qua nihil sperari, & expectari valeat. *Auctor Anonymus.*

1. Nihil ignavius, & odiosius nihil detractionis peccato. 2. Nihil ad salutem periculosius. *Ex Sermonibus sub nomine P. Bourdalove editis.* XI.

Detractionis peccatum licet turpe ac infame, se ipsum abscondit. XII.

1. Sub veritate; fas esse putatur in lucem afferre ea, quæ de proximo constant, dummodo nihil falsum immisceatur. 2. Sub nomine Justitiæ: creditur æquum esse, bonum quidem laudare, malum autem vituperare, ubicumque reperiantur, ac nemini fieri injuriam, cum tales exhibentur, quales revera sunt. 3. Sub pietatis integumento; jactitant enim, in hoc Dei gloriam verti, ut qui male vivunt, agnoscantur, ne quis eos secutus illorum exemplis corrumpatur.

1. Detractio peccatum est, quod nulla consuetudine probari potest, 2. quod nullo prætextu potest excusari; 3. quod nulla satisfactione potest reparari. XIII.

1. Peccatum est in origine sua turpe, & infame; oritur enim ex ambitione, invidia, zelotypia, vel aliquo simili affectu. 2. In progressu periculosum, quia cum studio, & arte committitur. 3. In exitu, & effectibus funestum, atque irreparabile. XIV.

Detractor exhiberi potest: 1. tamquam crudelis, furensque inimicus, quem passio sua ad funestissimos quoslibet effectus potest impellere. XV.

2. Tamquam callidus, versutusque inimicus, qui ut proximo noceat acutissimis utitur artibus, quas humana excogitare potest industria.

3. Tamquam fere invictus inimicus, cujus tela evitari non possunt, & vulnera nequeunt curari. Detractionis crudelitas; detractionis artificium; difficultas reparandi damnum, quod infert detractio tres efficient partes concionis. *Ex Auctore Sermonum de omnibus Christiane Disciplina argumentis in Adventu.*

Ostendi potest, quod detractioni aures præbere, non minus peccatum est contra justitiam, & contra charitatem, quam proximo debemus, quam si ipsi detraheremus. XVI.

1. Justitia prohibere debet injuriam, quæ proximo infertur, ubi id facere valeamus. Hoc primum

mum erit punctum. 2. Charitas nos excitare debet ad proximum tuendum, eique præclarum hoc officium præstandum, quia hoc possumus, & quod hoc unum fortasse est, in quo de eodem bene mereri possimus. Hoc erit alterum. *Idem Dominica tertia Quadragesimæ in Dominicali.*

XVII. 1. Nullum peccatum est, quod magis metuendum sit, quam alienæ existimationis Detractio. 2. Nulla noxa est, in qua majus invenire possimus solatium, quam cum de nobis detrahitur.

Pars prior: peccatum metuendum est 1. cum facilis in illud lapsus pateat: at nullum peccatum facilius ipsa detractione committitur. Omnes animi ægritudines nos ad hanc impellunt, & nulla res ab eadem deterret. 2. Cum peccatum est grave: At nihil majorem proximo infert injuriam, quam ejusdem existimationem auferre. 3. Cum difficile reparatur; liquet autem, quanta cum difficultate reparetur damnum, quod infert detractio.

Pars altera, nullam videlicet noxam esse, ubi majus inveniatur solatium, quam cum existimationi nostræ obtrectatur.

1. Quia nemo detractionis malum evitare potest, non nobiles, non ignobiles, non nocentes, non innocentes. 2. Quia illi, qui præ cæteris nituerunt, ac virtutibus floruerunt hac lacessiti fuerunt. 3. Nobis quatenus Christianis solatio esse debet ipsum JESU CHRISTI exemplum.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras elucubrandas.

Sancti Patres. Sanctus Augustinus, *l. de bono viduitatis*, loquitur de suæ existimationis cura habenda, ne locus detractioni præbeatur.

Idem *l. 2. & 3. contr. litter. Petiliani* testatur se contemnere contumeliosos sermones, qui de seipso habebantur.

Idem in *Psalm.* 90. hæc explicans verba: *Ipse liberavit me de laqueo venantium, & a verbo aspero*, ostendit propter detractiones, quibus nostra læditur existimatio; animos non esse abjiciendos.

Idem *in Ps.* 119. docet quomodo ferenda sit detractio.

Idem *in Enarrat. Ps.* 108. loquitur de calumniis, quæ ingerebantur Filio Dei, qui de illis per Prophetam conqueritur.

Idem vel auctor libri *de Conflictu vitiorum, & virtutum* docet quid discriminis intercedat inter correctionem, & detractionem, & vanas detrahentium excusationes explodit.

Idem, vel Auctor *Serm. 26. & 45. ad fratres in Eremo* loquitur de detractione.

Idem in *Ps. 16. & 139.* fusius de hoc loquitur vitio.

S. Hieronymus *Epist. 14. ad Celantiam*, ostendit ita vivendum, ut nulla detractioni præbeatur occasio; quæ ubi evitari non potest, christiane ferenda est.

Idem in prolixa *ad Oceanum* epistola hoc ipsum JESU CHRISTI docet exemplo.

Idem *Epist. 1. ad Demetriadem* docet detractionem magnum esse tum in detrahente, tum in audiente peccatum.

Idem in Ps. 100. hoc ipsum ostendit.

Idem *Epist. ad Rusticum Monachum* docet qua cura detractio, & detractores fugiendi sint.

S. Greg. *l. 9. Ep. Epist. 39. ad Theoclistam* docet quomodo existimationis nostræ detractio ferenda sit.

Idem *l. 6. Epist.* 14. prolixum habet de detractione sermonem, ubi egregia tradit præcepta.

Idem *l. 8. Epist. 24. ad Pallad. Presbyt.* docet, quomodo cum detractoribus agendum sit.

Idem *Homil. 9. in Ezechielem* hoc ipsum docet modo detractores corripiens, modo illos fugiens &c.

Idem de detractione loquitur *l. 3. mor. in Job c. 11. & l. 7. c. 17. & l. 23. c. 4.*

S. Cyprianus *Epist. 69.*

S. Ephrem *l. de morbo linguæ.*

S. Joannes Climacus *gradu* 10.

Origenes Homil. 7. in Numeros, animadvertit, Moysem numquam majori in honore apud Deum fuisse, quam cum Legislatori huic fuit obtrectatum.

Idem *Homil. in Ps. 36. & l. 3. in Job* agit de detractione.

S. Chrysostomus *Hom. 3. ad Popul. Antioch.* detractionis mala ostendit, & versutiam, qua detractor utitur, ut inferat damnum.

Idem *Hom. 42. in c. 12.* Matthæi in exhortatione ostendit calumniam calumnianti tantum obesse.

Idem *Cant. 1. de Lazaro tom. 2.* de nequitia, & arte detractionis verba facit.

Idem *Hom. 26. in Act. Apost.* docet detractionem, qua lacessimur, esse contemnendam.

S. Basilius ad Neocæsareæ cives scribens refutat calumnias, quæ sibi ingestæ fuerant, & fusius differit de detractione, & detractionis contemptu.

Idem in Epistola *ad Bosphorium Episcopum* de eodem argumento, in eadem loquitur occasione.

Idem *in regul. brev. respons.* 25. docet quibus in occasionibus liceat proximi defectus proferre.

S. Bernardus *l. de triplici custodia* detractionem viperæ comparat, ac ostendit solum illius afflatum tribus necem inferre.

Idem *Serm. 24. in Cant.* detegit secretum detractionis virus, ejusque perniciem.

Idem *in 2. parte Serm. 33. ad Sororem* detractionis sævitiam, & gravitatem ostendit.

S. Bernardinus Tomo 1. Serm. 23. & Tomo 2. serm. 29.

Grammatensis in Duce Peccatorum c. 11. §. 1. Ascetici aliique.

P. Saint Jure libro de cognitione, amore Domini nostri l. 3. sect. 8.

Cardinalis Bona in Christianæ vitæ principiis cap. 8.

Idem in alio opere, cui titulus manuductio ad Cœlum.

Drexellius *in Phaetonte*.

P. Caussinus in Aula sancta, tract. 3. sect. 3. ubi de invidia, & detractione.

P. Suffren Tomo 1. Anni Christiani cap. 7. section. 4.

P. Nepveu in Christianis considerationibus Tomo 1. pro 9. Die Martii, & Tomo 2. pro 10. Die Maji.

Liber, cui titulus: Animadversiones in varia Religionis, & Moralis argumenta, Tomo 2.

Biroat Sermone secundo pro tertia Quadragesimæ Dominica. Concionatores recentes.

P. De la Colombiere Tomo 4. Serm. 78.

Joly Tomo 4. Propositionum, Propositione pro 11. post Pentecost. Dominica.

P. Bourdaloue sermone pro feria 2. Hebdomadæ sanctæ.

Abbas de S. Martino.

De la Volpilliere.

La Font Propositione pro 11. Dominica post Pentecosten.

In Concionibus sub nomine P. de la Rue editis.

Specimen sermonum, tomo 1, serm. pro 3. Quadragesimæ Dominica.

Idem tom. 2. Dominicali, serm. pro 3. post Pentecosten Dominica.

Fromentieres.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta Sermone 22. Adventus.

Idem sermone pro 3. Dominica Quadragesimæ in Dominicale, contra audientes detractionem.

Idem tom. 3. Sermonum particularium sermone de cura suæ existimationis tuendæ.

Peral-

Qui collectanea ediderunt. Peraldus *tom. 2. de peccato linguæ c. 9.*
Labatha)
Busæus) Titulo *Detractio*.
Lohner)
Berchorius)

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturæ huic argumento.

QUare non timuistis detrahere servo meo Moysi? Num. 12.

Non facies calumniam proximo tuo; non eris criminator, nec susurro. Lev. 9.

Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Ps. 13.

Exacuerunt ut gladium linguas suas; intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. Ps. 63.

Lingua tua concinnabat dolos. Ps. 49.

Cujus os maledictione plenum est, & amaritudine, & dolo: sub lingua ejus labor & dolor. Ps. 10.

Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. Ps. 100.

Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi. Ps. 108.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Ps. 119.

Domine libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa. Ibid.

Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Ps. 140.

Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat. Prov. 13.

Abominatio hominum detractor. Prov. 24.

Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum, & ruinam utriusque quis novit? Ibid.

Remove a te os pravum, & detrahentia labia sint procul a te. Prov. 4.

Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem. Prov. 25.

Attende ne forte labaris in lingua, & sit casus tuus insanabilis in mortem. Eccli. 28.

Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. Ibid.

Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius. Eccl. 7.

Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. Eccl. 10.

Qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium. Sap. 1.

Vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorum. Ecclef. 4.

Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te. Eccli. 19.

Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras. Eccli. 28.

Recede procul a calumnia. Isaiæ 54.

Qui calumniatus est, & vim fecit fratri, ecce mortuus est in iniquitate sua. Ezech. 18.

Detractores, Deo odibiles. Ad Rom. 1.

Timeo ne forte contentiones, dissensiones, & detractiones sint inter vos. 2. ad Cor. c. 12.

Neque fornicarii, neque adulteri, neque fures, neque avari, neque maledici, regnum Dei possidebunt. 1. ad Cor. 6.

Lingua, universitas iniquitatis ..... inquietum malum, plena veneno mortifero. Jac. 3.

Linguam autem nullus hominum domare potest. Idem, ib.

Exempla ex Veteri, novoque Testamento deprompta.

SAnctus vir Job rupe constantior, & adamante solidior, cum uno ictu bonorum omnium, filiorumque jacturam patiebatur, cum sexcentis malis obruebatur, vermibusque per omnes corporis artus glifcentibus depascebatur, ipsa etiam uxore inter tot hæc mala sibi insultante, cuncta ferebat, quin ne in minimam quidem querimoniam erumperet. Sed ubi audiit amicos suos sibi obtrectantes, & credentes ipsum propter peccata sua tot confectum esse vulneribus, tunc se continere non potuit, quin turbaretur, & magnum cor ipsius hac moveretur injuria. Quædam peculiaris vis inest calumniis, quæ altius corda nostra pervadit, quam ipsæ etiam contumeliæ sæpe facere consueverint. Reliqua mala quibusdam cum circumstantiis conjuncta sunt, quæ eorum dolorem imminuunt; plurimos invenimus, qui ea, ut ita dicam, nobiscum quodammodo gerunt, & qui nobis animos faciunt, ut ea constanti, magnoque animo perferamus, sed in calumniis omnia isthæc solatia amittimus. — *Quanto dolore affectus fuerit Job ob illatam sibi calumniam.*

Cum Maria Soror Moysis de fratre suo perperam oblocuta fuisset, Deus ita indignatus est, ut nebula, qua Tabernaculum tegebatur, evanuerit, & illa, quæ fratri obtrectaverat, in aterna lepra fuerit infecta. Ubi animadvertit Origenes, nebulam recessisse, ut ostenderet, Spiritus Sancti gratiam a detractore recedere, animamque ejus statim leprarum omnium turpissima, peccato videlicet fœdari. Israelitæ quoque alias Moysi detraxerunt, & illico immisit in illos Deus serpentes, a quibus ingens eorum numerus absumpti fuere. Hanc eamdem ob causam Core, Dathan, & Abiron viventes adhuc tellure absorpti sunt, & ducenti, ac quinquaginta ejusdem seditionis socii igni conflagrarunt. *Num.* 11. & 12.

Doeg Idumæus cum nunciasset Sauli, Achimelechum Davidi commeatus suppeditasse, causa fuit, ut Rex ille ad iracundiam irritatus octoginta quinque viros, deferentes Ephod occideret, quin vel mulieribus, vel parvulis parceret. 1. *Reg.* 21. Cum principes Philistiim (1. *Reg.* 29.) contumeliose dictis Regis Geth animum contra Davidem inflammasset, in causa fuerunt, quod tanto viro credita provincia abrogata fuit; satis frequens harum detractionum exitus, quæ alienæ officiunt existimationi, ac perniciosos gignunt effectus. Absalon, qui Regnum affectabat illis omnibus, quibus res aliqua apud Regem erat transigenda dicebat; Nemo est, qui constitutus a Rege vos audiat, ac vestras dirimat lites. Duo illi, qui Susannæ stuprum inferre conati sunt, eidem cum honore vitam quoque ademissent, nisi Daniel adolescens a Deo, ut illius causam tueretur, suscitatus illos calumniæ crimine redarguisset, atque ut meritas darent pœnas effecisset. Ex hisce exemplis videre est causas, & perniciosos ejus criminis effectus, quod hodierna die adeo vulgatum est, atque in omnibus fere conditionibus regnat. — *Exempla quædam nequitiæ, & effectuū detractionis.*

Jeremias indigitare volens conjurationem, quam ad ipsum perdendum sui conflaverant inimici, ita eos loquentes inducit: *Venite percutiamus eum lingua.* Ad illum vulnerandum non aliis armis utamur, conemur famam illius imminuere, & existimationem ejus deterere; ictus linguæ majus illi damnum, quam gladii ancipitis vulnera infligent. Hic idem Propheta egregiam instruit descriptionem malorum quæ obtrectatrix lingua alienæ infert existimationi sub imagine fertilis oleæ, quæ visu pulcherrima est, & circum undique ramosa attollit brachia fructibus prægravis; sed cui repente ignis adhæret, ac levi aura perflante omnes ramos, & fructus, omnemque arboris decorem depascitur: *Ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fructeta ejus.* Jerem. 18. — *Jeremiæ Prophetæ exemplū.*

Oliva

Oliva hæc imago est hominis frugi, ac virtutibus præditi, suo muneri intenti, semperque irreprehensibilem viam ducentis. Verum quid sibi vult hæc aura levis, qua ignis actus arbori usque ad medullas inhæret? Hæc detractionis figura est: pauca satis, superque sunt verba, ad boni hominis existimationem lædendam.

Detractio non aliter melius repræsentari potest, quam per lapidem illum, qui celeberrimam statuam, de qua Daniel Propheta loquitur, confregit. Aureum illius erat caput, corpus argenteum, femora ænea, pedes lutei. Lapillus ex proximo lapsus monte illam percutit non in aureo quidem capite, ubi lapsus fuisset inutilis, non in corpore argenteo, ubi nimis sonorum edidisset strepitum, non in æneis femoribus, in quæ illisus forte fractus fuisset, sed in pedibus, qui maxime fragiles erant, eamque statim evertit. Hoc linguæ telum facit. Detractor viri boni existimationi caliginem offundere cupiens, nequaquam virtutes ejus impugnat; omnis enim in irritum cederet conatus illius, si hac ex parte illum aggrederetur; at si in eo vel minimum deprehendere potest defectum, inde arripit occasionem nomini illius labem offundendi; & hac ex parte existimationem ejus conatur evertere.

Detractio Magis Pharaonis comparatur.

Moyses ut aliquo prodigio Pharaoni probaret mandatum, quod ipse a Domino acceperat, projecit in terram baculum, quem gerebat manu, & illico in serpentem conversus est. Deinde vix illum e terra suscepit, cum pristinæ formæ redditus est. Regis Magi simile prodigium operari conati sunt, at non eumdem exitum habuere. Baculos quidem in angues converterunt, ubi eos projecerunt in terram; verum illi semper remansere serpentes, & quocumque uterentur præstigio, illos in pristinam redigere formam non valuerunt. *Exod.* 7. Ita maledici, & calumniatores possunt quidem deformare proximum suum; & heu nimis id frequenter, & feliciter præstant! possunt quidem illum, ut ita dicam, in serpentem mutare, eumque ita exhibere, ut horrorem cieat; possunt aliorum denigrare famam, eorumque bonam existimationem in odium convertere. Baculi sunt in angues mutati: Verum, ut scite Origenes *hom. in cap. 2. Num.* animadvertit, illis priorem formam, hoc est pristinam existimationem reddere minime possunt. Quod in serpentem mutatur, in aliorum mente, ac imaginatione serpens erit: pravæ ideæ, quas de aliis adstruxerunt, eædem semper remanebunt; credent omnes, hos esse serpentes, homines pravos, perniciosos, & quibus fidendum non est.

Sæpe cum in privato aliquod vitium deprehenditur, hoc nomine totum corpus, cujus membrum est insimulatur. Hæc sæva est injustitia, quam detractio adhibere solet, & cujus exemplum Aman posteritati reliquit, cum Mardochæum perditurus, populum Judæum universum accusavit, quasi in Assueri statum novas leges inveheret. Contra hoc injustitiæ genus consueto zelo S. Augustinus invehitur. Doletis, Christianos omnes corruptos esse, quia eorum aliquis officiorum suorum obliviscitur; Sacerdotes omnes vitiosos, quia aliqui ex illis ministerii sui sanctitatem dedecorant: Religiosos omnes nefarios esse &c.

Quomodo Pharisæi calumniati sunt Filio Dei.

Si nosse cupis detrahentium, & calumniantium characterem, vide, quid agant Scribæ, & Pharisæi, ut JESU CHRISTI innocentiam, atque potentiam in suspicionem adducant. Explorabant omnes gressus illius, atque in insignioribus ejusdem miraculis quasdam dumtaxat temporis, locique circumstantias observabant, quas improbis censuris suis magis favere opinabantur, oculos avertentes a miraculo, eosque variis tantum invidiæ suæ objectis intendentes. Quin laudibus extollerent admirabilem curationem hominis illius, cujus manus prorsus exaruerat, illi verterunt crimini, quod eum die festo curasset, tamquam Mercenarius esset medicus, vel impius; & quandoquidem calumnia numquam caret inventis contra ipsam veritatem, tunc præsertim cum auctoritas illi non deest; detractionibus suis adnitebantur persuadere populo, quod hominis hujus miracula mera essent præstigia. Apostoli quoque, ac discipuli Salvatoris calumniis petiti fuere, neque illis tum ante, cum post obitum Filii Dei pepercit detractio. Hoc testantur Pharisæorum querelæ, qui aliquando eos apud JESUM CHRISTUM insimularunt, quod Majorum suorum traditiones minime servarent. Quoties vero accusati, immo etiam damnati fuerunt propter calumnias, fictasque criminationes, quæ illis coram judicibus, atque principibus affictæ fuerunt? Satis est Apostolorum acta perlegere, ut plurima occurrant exempla.

S. Clemens Papa, & S. Petri discipulus narrat, Magistrum suum fidelibus dicere consuevisse, triplex esse interfectorum genus æque fere in Dei oculis abominabile. Sicarii, qui ut Cain, corporis vitam fratribus suis barbara eripiunt crudelitate: Ultores, qui illos lethali odio persequuntur, eisque mortem optant ob injuriam, qua se affectos fuisse credunt; ac tandem, qui alienam proscindunt existimationem, eisque honestam auferunt vitam, & existimationem, quam apud honestos homines obtinebant.

Quorumdam Scripturæ locorum Applicationes.

Charitas aliena peccata operit, non aperit.

UNiversa delicta operit charitas. Proverb. 10. Charitas studet eorum, quos diligit, celare peccata; cumque omnes homines diligat, ita peccatorum omnium memoriam abolere vellet. Sermo incidere nequit de homine adeo nefario, cujus partes ille non tueatur, & pro quo aliquid reponendum minime inveniat. Obtrectantium malam fidem exaggerat; improbitatem extollit, quæ nonnumquam perfectissimis etiam virtutibus atræ loliginis succum conatur adspergere. Profert innocentium virorum exempla, qui calumniis lacessiti fuere; contradictionem nanciscitur in iis, quæ de eo, cujus nomini obtrectatur, dicuntur; in illis quamdam deprehendit impossibilitatem; præteritas actiones commendat: malo, quod corripitur, omne opponit bonum, quod aliunde scit, detractionem infirmatura, eique, si fieri potest omnem fidem abrogatura. Sin autem factum adeo patet, ut negari non possit, intentionem saltem adnititur excusare; crimen imminuere contendit noxam in ignorantiam, vel incuriam, vel in nimis urgentem tentationem rejiciens; tunc fortasse primum lapsum esse: alium quemlibet simili in occasione lapsum fortasse fuisse.

Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis, & non declines cor meum in verba malitiæ. Psalm. 140. Statue Domine labiis meis quoddam veluti satellitium, ne inde egrediatur, quod in corde retineri jubebis. Prudentia, & circumspectio ostium sint ori meo, quod claudatur sermonibus omnibus, qui vel minimum detractionem redoleant. Ideo mihi linguam tribuisti, ut te laudibus celebrarem, aliosque ad te laudandum impellerem. Fac, si fieri potest, ut numquam in hunc usum solvatur. Quid? hæc lingua, quam sæpius adorabilis corporis tui attactu, hoc amoris tui mysterio sanctificas, sermonibus charitati oppositis polluatur? Ne, Domine, hoc permittas; ego sane nihil prætermittam, ne in crimen hoc decidam.

De iis, qui non audent corripere detrahentes proximo suo.

Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum. Isaiæ 6. In persona eorum, qui detrahentibus adhibent aures tantum dolorem testatur Isaias, quod tacuerit, ac silentium servaverit. At quomodonam fieri, Propheta, potest, ut polluta habeas labia, quia tacuisti? Hoc facile intelligerem, si locutus esses, ac contumeliosa, obscœna, vel inutilia verba protulisses. Videmus quotidie eos, quos pœnitet se nimium fuisse locutos, at neminem fere, quem

quem se tacuisse pœniteat. At sequentia verba veram doloris Isaiæ causam aperiunt: *Vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito*. Ideo criminosum erat prophetæ silentium, quod cum versaretur in populo ad detrahendum prono, & cujus colloquiis nullum accidere poterat argumentum, quam de alienis defectibus sermo, tantum nefas dissimulaverat, quin illum corriperet, atque huic consuetudini adversaretur. Hæc res illum efficiebat detractionis alienæ reum, atque consortem.

Ecce quantus ignis, quam magnam sylvam incendit. Jac. 3. Detractio re adhuc integra exigua erat scintilla, at nova invenit nutrimenta, illis adhæsit; & quamprimum in magnum ignem exarsit quo brevi maxima quælibet nemora conflagrarunt. *Ecce quantus ignis, quam magnam sylvam incendit*. Hesterna die laudibus extollebantur proceræ arbores, quæ in vastis nemoribus in cœlum minabantur, hodierna vero nihil præter carbonum, cinerumque congeriem superest. Hesterna die locupletissimæ ædes, ac superba videbantur palatia; hodierna vero nonnisi tristia eorum vestigia supersunt. Ecclesiasticus ille sapiens habebatur, munerique suo obeundo intentus; Judex ille æquissimus, ac integerrimus; Mercator ille fidelis; attamen hodie in civitate nomen eorum proscinditur, eorumque virtutes non aliud sunt quam pulvis, & cinis. Quænam est tot malorum causa? Detractio: *Ecce quantus ignis, quam magnam sylvam incendit*.

Curam habe de bono nomine, plus enim tibi proderit, quam mille thesauri: Eccli. 41. Salomon nos hortatur ut existimationis nostræ curam geramus, & caveamus quidquid illi nebulam potest effundere; alibique ait illam maximis quibuslibet divitiis esse anteferendam. Nonne hoc insignem proximo injuriam inferre est, ac maximam injustitiam admittere, eidem per detractionem rem tanti pretii auferre? Nonne hoc est gravissimam, acerbissimamque mortem infligere, illi famam eripere, quæ vitæ ipsius vita est; illum ad hunc statum redigere, ut palam prodire non audeat, ac præ verecundia longius absit a societate honestorum virorum, qui illum ultra pati non poterunt?

De malis quæ parit lingua præsertim vero per detractionem.

Solutum est vinculum ejus, & loquebatur recte. Marci 7. Ingens proculdubio miraculum fuit illud, quod in Evangelio narratur, cum Dei Filius muti hominis linguam solvit, effecitque ut bene, ac distincte loqueretur; verum multo majus esset miraculum, atque toto cœlo utilius, si Deus per miraculum superiori prorsus oppositum plerorumque mortalium linguam alligaret, eique frænum immittens, ne adeo mala, & incommoda simul inhiberentur, exhausto quodammodo fonte, unde manant in mundum, ubi omnia susque, deque pervertunt? Si enim linguæ peccata ea non sunt, quæ nos nocentiores efficiunt, hæc certe frequentius nos reos faciunt; & Spiritus sanctus qui quodam in loco testatur difficile esse diu citra scelus loqui, docet etiam difficile esse a culpa vacare, quantumvis parum loquamur; ubi perfectum vocat, qui loquens non peccat.

Domine libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa. Ps. 119. Regius Propheta mœrore confectus quondam confugit ad Deum, ut aliquod dolori suo inveniret solatium. *Ad Dominum cum tribularer clamavi*. At quænam erat doloris ipsius causa? *Domine libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa*: Verum quid illi reddidit Deus? quodnam illi præscripsit remedium? Nullum sane; satisque Deo fuit dicere: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam*? Ut ostenderet nullum esse remedium alto vulneri, quod lingua detractoris infert; vel si quod lingua detractoris infert; vel si quod est, esse difficile adeo, & acerbum, ut vix, & ne vix quidem inveniri possit, qui eidem sese subjicere velit.

Detractio est peccatum contra justitiam quod reparare tenemur.

Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Psalm. 7. Quodlibet peccatum contra justitiam post se trahit duplicem obligationem, qua reparatio illius fit difficilis. Ita S. Augustinus hunc explicans locum Psalmorum injustitiam interpretatur pro alieni juris violatione, atque ita concludit: Ne miremini, ait ille, si injustitia, ex Prophetæ sententia, dolorem pariat: *Concepit dolorem*. Injustitiæ enim peccatum, cum expiandum est, duplicem imponit obligationem; alteram quidem cum omnibus peccatis communem, ad Deum videlicet iterum accedendi per peccatorum pœnitentiam; alteram vero satisfaciendi proximo per justam ejus damni reparationem, quod illius bonis, aut honori fuerit illatum. Unde arguit, injustitiæ pœnitentiam longe difficiliorem esse communium peccatorum pœnitentia, quia gravem continet obligationem restituendi, vel reparandi damnum: *Parturiit injustitiam, & concepit dolorem*. Ex hoc principio sequitur, quoniam detractio opus est injustitiæ infringentis jura, quæ quilibet habet ad honorem suum, peccatum hoc longe difficilius reparari, quam vulgo cætera. Hæc igitur difficultas, hæc reparationis verecundia eos coerceat, qui in sævas detractiones erumpunt, & cohibeat impetum passionis illius, quæ tanto sumptu erit reparanda. *P. Catrou*.

Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit. Eccl. 10. Detractoris lingua a Spiritu sancto comparatur linguæ serpentis, cujus morsus licet vix sentiatur, tamen venenum in ipsa usque immittit præcordia. Quo callidior est detractio, eo minus nocentem se putat mortalis, & reipsa magis est nocens. Telum, quia acutum est, numquid ideo minus mortale est? Oleum, quod illi superinfunditur, vulneribus inferendis illud aptius efficit. Morsus Serpentis sub floribus delitescentis numquid minus virulentus est? Et virus, quod nobis in suavissimo liquore propinatur, numquid minus virus est? Hæ detractiones tot verborum involucris ornatæ, numquid minus ad vivum usque penetrant; ac minus mortales sunt?

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum loci, atque sententiæ hujus argumenti.

Pejor est detractio in magni nominis viris, quam in plebeis. Aug. contra Petilian.

Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra. Idem, de bono viduitatis.

Detractio est mordacior, quam veracior reprehensio. Idem, lib. de 50. Hom. Homil. 20.

Detractio grave peccatum est, & gravis damnatio est. Idem, Serm. 1. de Quadrages.

Unus Deus judex est, nullus falso crimine læditur, quia non cui objicitur, sed objicienti potius imputatur. Idem in Ps. 118.

Cum detrahitur bonis, ab iis qui videntur alicujus momenti esse, & docti, in scandalum cadunt infirmi, qui adhuc nesciunt judicare. Idem, in Psalm. 49.

Majora sunt vulnera linguæ quam gladii: gladius enim corpus interficit, animam autem non interficit. Idem, vel quivis Author Sermon. ad fratres in Eremo.

Servis Dei merces falsis detractoribus crescit, sed crescit etiam pœna detrahentibus. Idem, Author, Serm. 53.

Frustra irascimur obtrectationibus nostris, si eis ipsi obtrectandi materiam ministramus. Hieronymus, Epist. 14.

Si vultu hilari audis detractorem, tu illi das fomitem detrahendi; ille ignem excutit, tu substernis igniarium. Idem.

Si facie subtristi & aversa detractorem audias, discet ille non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri. Idem.

Discat

Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facile detrahere. Idem, Epist. 4. ad Nepotian.

Vitium satis hominum est, & suam laudem quaerentium, alios viles facere, quia alterius vituperatione se laudari putant, & qui suo merito placere non possunt, placere volunt in comparatione malorum. Idem.

Nemo invito auditori libenter refert. Idem.

Qui testem in cælo habet, reprehensiones hominum metuere non debet. Greg. l. 13. Moral.

De invidia detractio nascitur. Idem, 3. Moral. in Job 17.

Cum lingua derogantium corrigi nequeunt, aequanimiter sunt per omnia toleranda. Idem, Homil. 9. in Ezech.

Hoc maxime vitio periclitatur genus humanum. Idem.

Pauci admodum sunt, qui huic vitio renuncient, raroque invenies qui ita irreprehensibilem vitam exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam. S. Paulinus, Ep. 14. ad Cælant.

Tanta mali hujus libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum incidant. Idem, ibidem.

Beatus est, qui ita se contra hoc vitium armavit, ut apud eum detrahere nemo audeat. Idem, ibidem.

Hoc ideo malum celebro, & idcirco in multis fervet hoc vitium, quia pene ab omnibus libenter auditur. Idem, ibidem.

Diabolicus hic maledicendi laqueus est, & peccatum nullam voluptatem, sed tantum damnum alterius afferens, & magnum delictorum acervum efficiens. Chryf. Hom. 44. in Matth.

Grave malum, & turbulentus dæmon est detractio. Idem, in Psal. 100.

Ex detractione odia pullulant, jurgia conflantur, dissidia ortum trahunt, suspiciones malæ procreantur. Idem, ibidem.

Dic proximo detrahenti, habes quem laudes? aures aperio, ut unguenta suscipiam; si vero malum velis dicere, obturo aures; nec enim stercus & cœnum accipere sustineo. Idem, Hom. 3. ad Popul. Antioch.

Levis quidem res sermo, leviter volat, sed graviter vulnerat; leviter transit, sed graviter urit. Bernardus, in Psalm. 56.

Gladius equidem anceps, imo triceps, est lingua detractoris. Idem, Psalm. 56.

Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim. Idem, l. 2. de Consid.

Omnino sufficit adversus os loquentium iniqua, opinio bonorum cum testimonio conscientiæ. Idem, Hom. 24. in Cant.

Detractio grande vitium est, detractio grande peccatum est, detractio grande crimen est. Idem, l. de modo bene vivendi.

Nonnulli quodam simulata verecundia fuco, conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Idem.

Hanc tibi regulam constituas, ut omnem, qui palam veretur dicere, quod in ore locutus est, suspectum habeas, Idem, l. de Consid.

Infirma condemnatio est qua de alterius infamatione fulcitur. Tertull.

Detractor intus rumpitur invidia, & qua utatur via non invenit, nisi detrahendi libidine. S. Ephrem, de malo linguæ.

Audiendo detractorem, & non reprehendendo, maledicta ejus comprobare videtur tamquam vera. Idem.

Esuriendi libido terminum habet, detrahendi libido non habet. Salvianus.

Detractor paucis voluptati, nullis amori, omnibus odio est. Sidonius Apoll. l. 3. Epist. Epist. 13.

Necat animam suam, dum vulnerat famam alienam. August. l. 50. Homil.

Quid aliud intendit detractor, nisi ut is cui detrahit, in odium veniat aliorum? Bernardus, Sermon. 24. in Cant.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum depromi possit.

Detractionis definitio. Detrahere, vel obloqui de proximo est ejus absentis injustam existimationi labem offundere. Quamobrem detractio ex D. Thoma 2. 2. *qu.* 73. *art.* 1. est alienæ existimationis diffamatio, quæ vel in totum, vel ex parte destruitur occultis verbis, hoc est, eo absente, cui obtrectatur. Definitio hæc justa est secundum eumdem Doctorem; quia ab aliis quibuscumque peccatis distinguitur proximo damnum inferentibus. 1. *Verbis* qua voce distinguitur a peccatis, quæ facto patrantur, qualia sunt cœdes, injuria &c. 2. *Existimationi diffamatio*, quo vocabulo distinguitur a furto, ac latrocinio, per quod sola fortunæ bona rapiuntur. 3. *Verbis occultis*, quæ dicuntur eo absente, qui in ludibrium traducitur, differt ab injuria, quæ fit præsenti, & coram testibus, qualia sunt contumelia, probrum, exprobratio, insultatio. 4. Additur tandem *vel ex parte*, ut enim alicui detrahatur sufficit auferre partem existimationis, quam aliquis sibi virtute, aut aliqua bona qualitate comparaverat, quæ in eo esse credebatur, vel conari, ut ille existimationis hujus faciat detrimentum.

Discrimen inter detractioné & calumniam. Quæ a nobis de detractione dicta sunt, supponunt, malum de proximo prolatum verum esse, & secretum. Si enim quod adfertur, ut palam nomini illius labes offundatur, veritati contrarium est, crimen hoc speciem mutat, neque amplius est detractio simplex, sed calumnia, quæ coram Deo magis adhuc enormis est, & coram hominibus odiosa, quia innocuis conficta appingit scelera, vel quia optimas etiam actiones inique traducit, illis pravam tribuentes, quam non habent, intentionem. Hac in re calumnia communem detractionem improbitate, ac nequitia superat; hæc enim proximi honorem aufert abdita, licet vera, ejus peccata in lucem proferendo: Sed cumulus improbitatis est justis, sanctisque animabus calumniari, illis ficta supponendo crimina, quibus coram hominibus dedecorentur.

In Christiana morum disciplina error est apud plurimos vulgatissimus, quod detrahere non dicatur qui de proximo suo ea profert mala, quæ vera sunt; nullumque peccatum committatur, nisi res falso, nequiterque confictæ referantur. S. Thomas fallax hoc præjudicium evertit: *Detractor vocatur non quia de veritate; sed quia de fama proximi detrahit*. Falsa contra proximi existimationem ferere calumnia est; sed rem veram dicere, quæ illius nomini officiat, detractio est. Nequam igitur prætextus est dicere ea quæ afferuntur, vera esse; nam quamvis vera sint, hoc est detractionis peccatum.

Unde conjici possit de gravitate peccati detractionis. Nihil melius nobis aperit enormitatem peccati detractionis, quantum ejus boni, quod nobis præripitur pretium. *Tanto majus est nocumentum, quanto majus deletur bonum*, S. Thomas ait. At existimatio, quæ per detractionem aufertur, quodam in sensu, bonorum omnium maximum est, & cui cætera sacrificantur. Mundus, Religio, Politica consentiunt in ea cura, quæ de bona existimatione habenda est. Quamobrem S. Augustinus docuit nobis duo maxima inesse bona, conscientiam, & existimationem; existimationem, quæ nos efficit irreprehensibiles coram oculis hominum, & quomodo omnia Christiani hominis officia Deum inter, & proximum dividuntur; si tenemur nullam conscientiæ nostræ labem adspergere, tenemur quoque nullum existimationis nostræ pati detrimentum; quoniam Religio eam considerat tamquam bonum

odorem vitæ; quæ tantum conducit ad virtutem inter Christianos servandam, quantum vitium ad eam confert corrumpendam. Hæ rationes, quæ nobis innuunt præstantiam boni inhærentis existimationi nostræ, aperiunt enormitatem vitii, inhærentem detractioni, per quam tantum boni nobis aufertur. Hinc Apostolus eam in eodem gradu cum furto constituit; si enim furtum nobis bona, & divitias aufert; obtrectatio nobis eripit thesaurum, qui bonis, divitiisque omnibus esse debet antiquior, & quemadmodum sæpe honor vita ipsa nobis charior est, dici potest detractor quamdam committere homicidii speciem longe crudeliorem, cum proximi honori lethale vulnus infligit.

Notandum illud est, quod Theologi docent, de peccati hujus gravitate nequaquam judicandum esse, ex magnitudine rerum, quæ de proximo dicuntur, sed ex damno, quod illi per detractionem infertur: Nam licet crimen, quod refertur, veniale tantummodo sit, fieri tamen potest, ut in lucem prolatum insignem auctori jacturam afferat, seu propter peculiarem existimationem, qua apud mortales omnes perfruitur, seu propter statum, ac professionem ejus, quæ non vulgarem virtutem efflagitat. E contra si noxa, quæ alii tribuitur, non admodum illius existimationem imminuit, patet, injuriam eidem illatam multo minorem esse, ideoque & minus gravem esse obtrectationem. Exempli gratia si dicas, aliquem martis castra secutum cum alio singulari certamine decertasse; licet hæc sit enormis culpa; tamen quia hoc crimen non afficit dedecore milites, quorum plurimi in hoc etiam gloriantur; non plurimum de illius existimatione peribit; at si de Religioso viro loquens, eum mordacem, vanum, immortificatum esse dicis, liquet, te plurimum de ea imminuere existimatione, in qua virtus illius habebatur; atque ita insignem illi inferens injuriam graviter peccas, quamvis malum, quod de eodem prædicas, venialis noxæ terminos non excedat.

Detractio suapte natura mortale peccatum est & quando sit tantum veniale.

Sanctus Thomas memorata quæstione articulo secundo, tradit, formalem detractionem, quæ fit animo denigrandæ alienæ existimationis, semper esse mortale peccatum; quoniam non mediocre infert detrimentum existimationi proximi, quæ pluris facienda est, quam temporales divitiæ; & quia per hujus existimationis jacturam proximo facultas aufertur plurima faciendi, quæ reipublicæ essent utilia: quæ enim fides haberi potest actionibus illius, qui nequam habetur? In sequenti vero conclusione idem addit, imprudentem detractionem sine animo alienæ existimationis lædendæ non esse mortalem, quatenus nocendi abest voluntas; sed si quæ temere effutiuntur tanta sint, ut proximo non exiguum afferant nominis detrimentum; detractio gravis est propter ea, quæ dicuntur; & levitas mentis, vel imprudentia non excusat a necessitate illatam injuriam reparandi; quæ res diligenter est attendenda.

Varia detractionū genera.

Quinque potissimum sunt detractionum genera, quæ in mundo adhiberi consueverunt. Primum est, cum proximo fictum crimen appingitur; qualia fuere ea, quæ Judæi in JESUM CHRISTUM confixere, illum ad tumultum populum concitasse. Alterum est, cum proximi peccatum narratur iis omnibus convestitum circumstantiis, quibus augetur; quod Pharisæus cum Magdalena operatus est. Tertium est, bonas proximi qualitates illis malum allinendo corrumpere; quod fecit diabolus cum Job, dicens illum ob solam utilitatem Domino servire. Quartum est, cum iis quæ de proximo dicuntur bona, ejusque laudibus, non assentimur; qualis fuit Judæorum detractio, qui tamdiu cæci nati miraculum in dubium vocarunt. Quintum denique & postremum detractionis genus est, reticere bonum, quod scitur, præsertim vero iis in occasionibus, ubi proximi utilitas flagitat, ut virtutes illius in lucem afferantur; & ubi justitiæ ratio nos cogit, ut illas celebremus.

Hoc autem in vitio illud diligenter est animadvertendum, quod non semper ut detrahas, opus est, multa dicere; unicum verbum sufficit, unicus vocis tonus, qui nihil significat, & qui tamen significat omnia; actio, gestus, motus capitis, vel manus; simplex oculorum conjectus funestum hunc effectum producere potest. Minimus nutus, & quod minus exprimit, hac in re semper magnam habet vim exprimendi. Intelliguntur hominum sensus, ubi dimidiatam proferant vocem; intelliguntur, quin hiscant; cumque silentium nonnumquam æque ac verba significant.

Duæ sunt detractionum species.

Duæ detractionum species distingui possunt, quibus passim mortales utuntur: altera crassior est, eorum qui imprudenter, aperteque quidquid in buccam venit, effutiunt; callidior altera, quæ clanculum, & per cuniculos veluti irrepit, qualis eorum est, qui simulatæ modestiæ personam inducunt improbitati, quam animo conceperunt, & quam intus retinere non possunt. Primum quidem profunda emittunt suspiria, & adfectata gravitate, demissis in terram oculis, flebilique voce extrinsecus proferunt detractionem, cui fidem eo magis conciliant, quod postquam omnes proximi sui defectus protulerunt in lucem, ut detractio sua miserantis potius charitatis habeatur effectus, quam improbæ invidiæ, exclamare non cessent: doleo equidem vehementissime; hujusmodi enim homines aliunde optimis sunt qualitatibus præditi; quod alterum detractionis genus procul dubio vulgatius est, & periculosius.

Qui detrahentem audiunt, peccant, & nonnunquam sunt ipso detrahente nocentiores.

Hæc est Theologorum omnium post S. Thomam sententia, eum, qui detractionem audit, quin detrahenti resistat (posito tamen quod rationabiliter eidem resistere valeat) per consensum, atque silentium fieri ejusdem detractionis participem; illi enim qui alicui peccato consentiunt non sunt minus nocentes illud patrantibus; quemadmodum docet Apostolus. S. hic Doctor *qu. citata art.* 4. addit eum, qui alienam audit, & patitur detractionem præ metu, negligentia, vel sese opponendi pudore, non autem præ illius audiendæ voluptate, venialiter tantum peccare duabus rebus suppositis; altera quidem si novit damnum hac detractione illatum ingens non fore; altera vero, si non ea polleat auctoritate, qua detrahentem corripere possit. Sæpe accidit, ut detractionem audientes sint detrahentibus nocentiores, nisi enim illos, dum charitatem violent, corripiant, & severo oculorum conjectu dolorem testentur, quo his sermonibus afficiuntur, incitant eos, qui detrahunt, ut longius procedant, curiosius percontantes circumstantias, quæ narrationi leporem, lucemque possunt afferre; liquido patet, quod illos ad recentem provocant detractionem, & ideo nocentiores sunt, & causa potissima injuriæ, qua afficitur ille, cui obtrectatur, & qui vertitur in ludibrium.

Omnia peccata conscientiam aggravant coram Deo, sed ea, quæ proximum vel in bonis, vel in honore, vel in vita lædunt illam, & coram Deo, & coram hominibus simul aggravant. At ea quæ ad Deum, quæque ad proximum pertinent ita conjuncta sunt, S. Jo. Chrysostomus inquit, ut Deus numquam ea remittat peccata, quibus ipse lacessitus fuit, nisi hominum damna fuerint reparata. Ad ea, quæ ad Deum referuntur, reparanda sufficit dolor naturalis; Deus enim se flecti sinit solo dolore, quo peccator ob numen læsum conficitur: Sed ut ea, quæ ad proximum spectant, reparentur, addenda est sinceræ pœnitentiæ integra restitutio, quæ quidem ubi agitur de detractione, longe difficilior est, quam alibi; vulnera enim, quæ alienæ existimationi inferuntur, nonnisi cum extremo labore, & difficultate possunt reparari. Cum per fas,

& ne-

& nefas alienis bonis petitus es, si deest tibi, unde illa restituas, non teneris, dummodo verum tibi restituendi insit desiderium; sed quidquid accidat, detractori semper illata noxa reparanda est, quippe honor proximi bonum est, quod semper restituere potes, tantum exempli gratia existimationis, ac reverentiæ præseferens erga proximum, quantum contemptum præ se erga eumdem tulisti: ac de illo cum laude tantum loquens quantum de eodem oblocutus fuisti. Nisi per teipsum restituere potes fructum injustitiæ, ac rapinæ tuæ, hoc per alium facere potes; sed ubi de detractione sermo est, reparatio debet esse personalis. Frustra hac in re indulgentes queruntur Confessarii. Deus in Cœlo nequaquam ratam facit absolutionem, quæ in terris extorquetur, nisi hæc absolute necessaria conditio comes accedat.

Necessitas reparandæ detractionis.

Quemadmodum bifariam proximi existimatio lædi potest; bifariam quoque potest reparari. Vel enim aliena læditur existimatio ea, quæ vera sunt, in lucem proferendo, quæ quidem detractio est; vel ficta comminiscendo, quæ calumnia est, & directam flagitat reparationem etiam cum propriæ existimationis detrimento; justum quippe est, ut tuus patiatur honor ad hoc, ut honor fratris tui reparetur; & in hac humiliatione debiti tui dissolutio consistit. At nondum satis; cum enim ore tenus reparatur fuit læsus fratris honor, teneris etiam pecunia omnes reparare jacturas, quas noxia diffamatio pepererit. Ita cum servi fides in suspicionem adducitur, eique offunditur labes, omnes atræ calumniæ effectus reparandi sunt. Cum de simplici agitur detractione, consentiunt omnes, indirectam restitutionem sufficere; hoc est se non teneri tunc ad palinodiam canendam, ac mendacio reparandum honorem; qui vel nimis sincera, vel imprudenti nimis veritatis confessione fuit læsus. Hisce in circumstantiis justitiæ obligatio eo usque fertur, ut fratri tantum existimationis reddatur, quantum ademptum fuit, tantumque laudibus ille cumuletur, quantum probris petitus fuit; ac ea ex parte, quæ digna laude est exhibeatur, quemadmodum ex parte odiosa fuit exhibitus.

Quid faciendum detractionem audienti.

Quæstioni huic respondet S. Hieronymus: non dicimus te peccare, ubi detrahentem audis, quin inde ulla perfundaris voluptate; dicimus tantum, te debere horum alterutrum facere. 1. Si dignitas, vel honos tibi aliquam confert auctoritatem in detrahentem, silentium illi indicendum est, ac ipse corripiendus ob pravos incœptos sermones, prohibendusque, ne eos prosequatur. 2. Sin autem hac auctoritate cares, pro virili conari debes, ut immutetur sermo; tuere eum, qui accusatur; leniter ostende ea, quæ dicuntur, conficta esse posse; severum indue oris habitum, ut sermonem hunc tibi displicere sentiant; & tandem, nisi aliter liceat detractionem prohibere, a cætu recede.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Detractionis nequitia rationes inquirentis, ut hominum officiant nomini.

DEtractioni rationes numquam desunt: secretum illius virus artem novit tanta calliditate eas præparandi, easque tanto lepore, ac verborum concinnitate efferendi, ut quidquid vult, persuadeat. Si Religio nullas suppeditat, a politia illas petit; & quos perdere cupit, exhibet tamquam periculosos homines, quibus fidendum non est. Impune conscientias ipsas rimatur, & nisi in præsenti eorum, quos petit, innocentia quidquam reperiat, præterita inquirit, omnemque scientiæ suæ exerit improbitatem, ut historias proferat, atque illationes hauriat, quibus probentur suspiciones, quas aliorum mentibus studet ingerere, postquam illis detrahentis animus fuerit imbutus. *Ex libro cui titulus: Vita Prophetarum.*

In plerisque mortalibus fœda improbitas deprehenditur, quæ efficit, ut honestum hominem bona existimatione gaudentem lacessant; hujus meritis parcere nequeunt, nec possunt pati laudes, quibus ubique celebratur. Quid interest tua, utrum homo hic ab omnibus generatim probetur? Numquid illius meritum invidos oculos tuos perstringit? Metuis, ne tuo nomini officiat? Quem fructum percipies postquam maledictis tuis illum perdideris? Visne sumptibus existimationis ejus crescere? Certo scias quidquid de illo oblocutus fueris majorem tibi, quam illi injuriam illaturum; haberis tamquam invidus &c. *Abbas de Bellegarde in tractatu de Sinceritate.*

Nequitia eorum qui detractionem audiunt.

Te illius amicum jactas, cujus absentis læditur existimatio; testis es eorum, quæ de illo inofficiose dicuntur; & quin silere cogas eos, qui illi obtrectant, corporis habitu, ac gestu probas, quidquid ab illis profertur. Vim non habes tuendi causam illius, cui præsenti blandiris, & cui quotidie sexcenties amicitiæ sinceritatem profiteris; hanccine tu personam gerere debes? ..... Cum accidit, ut de aliquo te audiente detrahatur, quod crebro accidit, nonne adjicis virus improbatum animadversionum tuarum, nonne iis, quæ dicuntur ab aliis, deterius aliquid addis? Præsertim vero cave ne illis, quibus obtrectatum fuit, ea referas, quæ de ipsis contumeliosius dicta fuere; neque enim de illo benemereris quibus hæc nuntias, & certissime illorum tibi conflas inimicitias, qui aliorum nomini labem offunderunt. *Idem.*

Silentium præsentissimum est remedium contra detractionem; querelæ, exprobrationes, explicationes illam exasperant, non extinguunt. Qui non videtur affici iis, quæ de se inofficiose dicuntur, non lacessitur ultra. Virtus hæc insignis est, & modico stat sumptu; leniter cum illis agere, qui tuæ obstrepunt existimationi. Cogimur sæpe vivere cum hominibus incommodis, atque furentibus; misereri nos oportet imbecillitates eorum, & pati ea, quæ vobis modo, de vobis modo male dicunt. Æquitas animi, quam præ te fers, cum tibi obtrectatur, sæpe magis obtrectantibus displicet, quam acerrima quævis responsio. *Idem.*

Detractor postquam de omnibus oblocutus est, atque aliorum nomini labem offudit, putat hoc ludicrum aliquid esse, quod mundi consuetudine probatur. Verum Deus aliter omnino judicat; nosque admonet, se rationem expetiturum unius etiam verbi otiose, atque inutiliter prolati. Quomodo ergo pœnas reposcet ob contumeliosa verba, quæ ad vivum usque inferunt vulnus, & quæ totidem veluti ictus pugionis habentur? *Idem in expositione Proverbiorum.*

Nonnumquam in mundo contumeliosa dicta, & calumniæ effunduntur, quæ adeo boni nominis existimationi officiunt, ut insignis quælibet virtus labefactari videatur. Quid tunc faciendum? In bona conscientia aliquod contra hæc mala solatium inveniendum est. Tunc homo sapiens Deo magis adhærere contendit, illi ultionem relinquens ejus, quæ sibi fit, contumeliæ. *Idem.*

Alii simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videns alta præmitti suspiria, sicque quadam cum gravitate, & tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto persuadibiliorem, quanto creditur ab iis, qui audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu, quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quod diligo eum satis, & numquam potui de hac re corrigere eum: Et alius; Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo istud, sed per me numquam innotuisset; At quoniam per alterum patefacta res est, negare non possum; dolens dico, revera ita est. Et addit: Grande damnum: nam alias quidem in pluribus valet, cæterum in hac parte (ut verum fateamur) excusari minime potest. *Ex S. Bernardo sermone 24. in Cantica.*

De reparatione detractionis.

Quodnam conscientiæ detractoris onus imminet, cui talis reparatio facienda est? onus tamen, quod nec pietas, neque devotio illum possunt exonerare, nisi primum ex integro reparaverit omnia damna, quæ illius detractio proximo peperit. Quodnam difficilius examen, quam quod facere tenetur malorum omnium, quæ pepetit, omniumque suspicionum, quas de eo, cui calumniatus est, in populi animos jecit? Ibi virtus in jocum traducta; hic virtutis laus attrita; ibi damnum illatum; hic eversa familia; ibi simultates excitatæ, bic satæ discordiæ. Eheu crudelem detractionis cladem! proprii etiam pudoris detrimento tot malis reparare tenetur; attamen nihil infrequentius hodierna die, quam hæc reparatio videtur. Fatentur omnes æquissimum esse, quod illatum proximo damnum reparetur; omnes seipsos accusent; & nulla fit reparatio. Nihilominus ad Sacramenta frequens patet accessus, preces effunduntur, Pœnitentiæ Sacramento peccata expiantur; veruntamen viget iniquitas, nisi ampla fiat eorum malorum reparatio, quæ maledicta pepererunt. *P. Massillon Sermone de Invidia.*

Sæculi tanta labes est, ut detractiones, quæ majori cum improbitate, ac injustitia ibi effunduntur, facilius officere possint nomini eorum, qui peculiariter pietatem profitentur. Nulla res est, in qua detrahentis improbitas majori cum scandalo, ac detrimento enitescat. In lucem proferuntur, & amplificantur defectus privati hominis quem conditionis suæ ratio minime cogit singularis sanctitatis speciem præseferre; at quidquid illi obtrectatum fuerit, ad unum illum pertinebit. Vituperabitur aliquis opifex, nobilis, Pater familias, verum illatum eorum existimationis vulnus intra eos continebitur, & in eorum simile nequaquam desæviet ...... Viri boni, Ecclesiastici, Religiosi ii tantum sunt, in quos omnes late effunditur quidquid ab uno, alterove eorum fuerit peccatum. Vir aliquis pietati addictus erumpit in iras, vel cupidius terrena bona consectatur; statim devoti omnes tamquam ultionis cupidi, & avari traducuntur. Inter modestiam compositamque vitæ rationem, quam præ se Ecclesiasticus quidem fert, parum decoræ necessitudinis vinculum elucet; non ille unus culpabitur; sed Ecclesiastici omnes tamquam hypocritæ, ac nefarii redarguentur. Si Religiosus aliquis quidquam statu suo minus dignum gesserit: Religiosos omnes damnabit detractio, quæ ita factum in lucem proferet, ut in omnium dedecus cedat, qui eidem familiæ nomen dederunt. *Liber cui titulus: Animadversiones in varia Religionis, & Moralis argumenta.*

Proclive illud ingenium, quo rapimur, ut in mundo ea, quæ sancta sunt contemnamus, hanc detrahendi rationem inspirat. Licentia minus iis parcit, quæ magis revereri deberet; seipsam probare contendit, contra fidem iis vitæ statibus abrogare, qui per se majori reverentia sunt digni. Devoti, Ecclesiastici, & Religiosi adeo tetram adstruens ideam, cur in eorum statu non utitur eadem, qua in cæteris, distinctione? Cur non solum petit nocentem, quin tot illi noxæ consortes adjiciat, in quos suum evomat virus? Saltem, quandoquidem hoc illi perplacet, eodem telo plures, sed minus improba, furentique rabie confodiat; & quoniam detrahere vult, saltem intra ea quæ sunt verisimilia se contineat. Charitas detrahentium pruriginem deberet extinguere; eosque admonere. Charitatis leges nonnisi propter Religionis defectum tanta cum licentia subverti. *Idem.*

Humilitatemne habet, qui in ludibrium vertit innocentiam, atque censoriam sibi vendicans auctoritatem, gloriam aufert illi, cui obtrectat? Ullumne humanitatis principium in eo reliquum est, qui virus adspergens alienis factis, atque intentionibus, quidquid boni fit, in sequiorem partem interpretatur? Credine potest aliquam adhuc probitatis speciem servari, cum amici adversus amicos, fratres adversus fratres excitantur exaggerando, & patrati mali veritatem amplificando? Sed ubi est boni celandi generositas? nonne hinc maxima quæque mala procedunt? *Ex manuscripto sermone de detractione.*

Injuria, quæ per detractionem proximo infertur.

Hæc levissima sunt eorum malorum, quæ parit detractio; verum illis ne advertitur animus? id ne reputatur, quod alicujus meritum dissimulantes, vel imminuentes pretium earum rerum, quæ utiles esse possunt iis, qui nobis minime perplacent, vel exceptionem aliquam adfectantes, vel malignum frigus præ nobis ferentes nonnumquam statuimus obicem fortunæ non solum hominis unius, verum etiam sæpe totius reipublicæ? Putamusne in his id tantum inquiri, quomodo libidini nostræ faciamus satis, quin æquum meritis locum relinquamus? Credimusne coram Deo nobis de hoc rationem non esse reddendam? Demum cohibere nos possumus, quominus lacrymis prosequamur hoc silentium, quod de alienis meritis improbe servatur? Quid igitur de illis dicendum, qui malum exasperant? Nonne detractionis injustitia detestanda est? *Idem.*

Antequam nigrum theta affigatur illi, qui accusatus est, non audietur? Cum de bonis fortunæ agitur, nemo indicta causa damnatur; Judices utramque partem audiunt, probationes, quæ factum palam ostendant, requirunt; alioquin injuste judicaturi. Sed cum agitur de obtrectatione primum jus est absentem damnare. Id quod calliditas dicitur, & opportuni temporis captandi ad obtrectandum cognitio totam mundi scientiam constituit, quæ tota ad hoc unum refertur, ut personam tuam ferre scias. Cum ille de quo detrahere cupis, adest, conaris in speciem illius quam solertissimam habere rationem; & oris habitu ad affectationem composito omnes illius sensus probare simulas: at ubi absit, simul certum, incertum, serium, ridiculumque comminisces, ac suspiciones pro rationibus affers, dummodo imperceptibile vulnus inferas, & ille cui hujusmodi vulnera infligis ex iis est, quos amicos putas, & qui amicus esse debet propterea quod de te toties optime meritus fuit. *Idem.*

Statua illa aurea, hoc est, insignis illa existimatio unico lapidis ictu eversa fuit, Daniel Propheta inquit: *Lapis sine manibus*. Ictus quidem videtur, non videtur manus; attamen unico hujus lapidis ictu existimatio tanto labore parta corruit. At enim, præsentes homines reveremur, ita se detractores tuentur. Quid autem sinceritas, & generositas? Numquid unquam huic ignaviæ locus esse deberet? Quid porro videre potentes homines sua abuti potentia usque ad excidium existimationis eorum, quibus hæc præ omnibus mundi bonis est charior? Numquid obliti sunt, quod in auctoritate sua rationem invenire deberent, propter quam illis parcerent, quos leviter attingere nequeunt? O Mundi Principes, per calumnias vestras usque ad integram existimationis eorum, qui vobis subditi sunt jactutam protenditis? Cur vestram voluptatem non sine honoris eorumdem detrimento inquiritis? Hoc pacto illi, qui præ cæteris honoris aliquo gradu nitent, suam ostendunt iracundiam; primum quidem mera simultas est, quæ mox in mortale desinit odium, cujus causa plerumque solum in pravo eorum inest ingenio. Heu! nonne sexcenti vobis suppetunt modi, quibus pœnas repetatis ex illis, qui vos aliquo dolore affecerunt? incuria, quam illis testari potestis, nonne satis magna pœna est? Verum ad vindictam uti detractione, turpis est ignavia, gravis injustitia, & maxima, quæ extiterit unquam, crudelitas. *Idem.*

Quam difficilis sit detractionis reparatio.

Videte, utrum detractionis reparatio sit facilis, simulque judicate, quid sibi velit, damno reparationem congruentem efficere. Ipsum etiam qui illam velit efficere, numquid posse existimatis? Proh

huma-

humani generis improbitatem: quantumvis ignavus sis, aures apertas invenies ad audiendam obtrectationem, qua proximo detrahis; at illasne apertas reperies, ubi illum laudibus extuleris? faciles quidem detractioni præbebuntur aures, laudes vero non audientur; & si verum est, nihil esse æque frigidum ac laudes, quæ post detractionem alicui tribuuntur, non audieris, ubi illatum damnum reparare, & palinodiam canere volueris. Verum esto, audiaris: justam reparationem efficias, frigidæ hæ laudes tuæ tibi uni tantum recinendæ sunt, an illis omnibus iterandæ, qui te detrahentem audierunt? Homines nequaquam eadem facilitate bonum, malumque credunt; quomodo ergo credere potes, te illis eam ablaturum mentem, ac sententiam, cujus tu ipse auctor fuisti? *Idem*.

Si cum illis mihi res esset, qui aperte dumtaxat detrahunt, satis esset ostendere, quid in hoc vitio rationi, atque urbanitati oppositum inveniatur, ut horror injiciatur illis, qui sunt hoc scelere adstricti; sed non desunt detractores quidam, qui fratrum existimationem summa calliditate discerpunt, & qui alienas aures, plaususque sibi conciliant. Detractio, quam ferunt, in omnem fere terrarum orbem se effundit; non claustra, non templa veretur; in summis æque ac imis, apud divites æque ac pauperes invenitur. Hoc vitium non abhorret ab eorum colloquiis, qui sanctissimam vitam vivere existimantur. Zelum ipsum ingreditur, justorum charitate se tegit, ac dici potest, ne unum quidem ab hoc scelere linguam suam, & labia innocua servasse. *P. Massillon sermone hujus argumenti pro Passionis Dominica.*

Describendo detractionis & malorum quæ gignit. Lingua, Sanctus Jacobus Apostolus inquit, ignis est devorans, iniquitatis universitas, malum inquietum, pestiferi veneni fons; quæ omnia detractioni applicarem, si justam hujus criminis ideam vobis nunc vellem adstruere. Detrahentis lingua ignis est devorans, pulcherrimos quoslibet flores exsiccans, immitem furorem suum in triticum æque ac paleam, spiritum, & corpus, populum, & Principem exercens; qui quacumque prætervolat, terram exhalat mephitim; qui in ipsa usque terræ viscera pervadit, ut quod mortalium memoriæ mortuum est, proferat in apricum; qui in putidis cineribus intra sepulcrorum horrorem latentibus leves inquirit defectus, quos & Dominus dimisit, & tempus oblivioni tradidit; & qui fuco, quo illos illixit, æque præsentes ostendit, ac illis essent temporibus, quo homines vivebant; qui atrum loliginis succum allinit iis, quos nequit absumere, & urere novit antequam luceat, ne quis suas flammas effugiat. Addere possem detractionem infamem esse secretamque superbiam, quæ fratris talenta in censurarum objecta convertens, existimationi illius lethale vulnus infligit; odium eo gravius, quo occultius; indignam nequitiam, quæ præsentes quidem laudat, absentes vero vituperat; meditatam barbariem, quæ nullam unquam invenire potest excusationem; scandalum impium, quod voluptatem, solatiumque inquirenti mortem infert; crudelem injustitiam, qua fratri quidquid illi charissimum est, eripitur. Hoc vitio societates dissociari, in Regni bellum accendi, in Rebus publicis turbas excitari, in familiis discordias seri, fratres adversus fratres, virum in uxorem armari: hoc principium æque ac abjectissimæ plebis vitium esse; eorum, qui omnibus disciplinis exculti sunt, ac eorum, qui omnium sunt expertes litterarum: *Inquietum malum*. Denique dici potest, *universitas iniquitatis*, omnia eodem plena esse, & nullum esse locum, ubi non impune grassetur. Linguam detractoris mortifero plenam esse veneno; spicula ejus venenata esse; verba ejus necem inferre, ac ipsum etiam silentium vulnera infligere: *Plena veneno mortifero*. Hæc est vitii hujus imago. *Idem*.

Vobismet applicate vulnus, quod fratri infertis, ac ex dolore vestro damnum eidem allatum metimini. Dicitis illius existimationem a vobis non lædi, & ea quæ de illo in vulgus profertis, nullum eidem parere detrimentum; at quæso quonam in illum animo effectis affecti, si tantumdem ille de vobis oblocutus fuisset? Proh Deus! quis furor? tunc non satis vobis esset verborum ultionem reposcere, ipsam etiam intentionem investigaretis. Frustra aliquis vos ad lenitatem hortaturus diceret levem esse injuriam, existimationis vestræ nullam fieri jacturam, hæc nomini vestro nullam labem offundere: etenim fureretis; vestrique minime compotes, cæteris furorem hunc damnantibus, soli vestram justissimam esse querelam affirmaretis. Eheu fratres! Iterum dico, Vobismet applicate vulnus, quod alteri infertis, vobisque illud illatum putate: numquid hoc levius fratri vestro, quam vobis est? Cor pro fratre aliud, ac pro vobis pondus habetis? Omnia fratri vestro levia sunt, vobis autem gravissima! Verum esto, leves sint fratris defectus, & aliquidne illis additis de vestro? Ullamne conjecturarum vestrarum improbitatem admiscetis? Nonne vulneribus, quæ infligitis, fucum additis, qui non minus periculosus est, quod est sale conditus? atque ut ex fratre vestro Heroem efficiatis, qui placeat, nonne quibusdam utimini locutionibus, quæ audientium animos ita disponant, ut iniquius de eodem ferant judicium? Nonne detractiones vestras quodnam silentio obvolvitis, quod affectatis, & plus cogitandum relinquit quam quod dicere poteratis; sub quibusdam signis, quæ, cum ostendant vos de industria intra justos charitatis terminos contineri velle, nullos audientibus terminos servandos relinquunt? Hoc pacto calumniator fit, qui se neque detractorem esse credidit. Ad hæc licet etiam detractiones istæ per se leves essent, talesne sunt ratione habita ejus de quo fiunt? *Idem*.

Justi, Ecclesiastici, ac illi, qui Divino cultui dicati sunt, habendi sunt velut Arca Fœderis a peccatoribus non attingendæ, & Deus ulciscitur vel levissimas etiam injurias, quibus afficiuntur. Possunt illi quidem ut Arca nutare; virtus enim licet fortissima non semper æque consistit, verum ægre fert Dominus peccatorum temeritatem, qui illos audent attingere. Vix enim manum extendunt, ut Oza, qui ausus est labantem fœderis arcam fulcire, cum illico eos percutit morte; & indignum est, quod illi qui imitatores dumtaxat invenire deberent, censores inveniant. Ita pueri statim in arena ab ursis devorati fuerunt, eo quod calvitiem Prophetæ irriserunt: ita impius quidam cum tota interiit domo, quod hominis Dei prophetiam vertit in ludibrium.... Non enim patitur Deus eos, quos ipse honore dignatur, fieri peccatorum ludibria. *Idem*.

Fratrum tuorum defectus in amici unius auriculam revelas; sed ille, cui hos narras, alteri committit; dumque per ora feruntur, prout magis communes fiunt, magis augentur. Detractoris lingua similis est igneæ scintillæ, quæ ingentem sylvam comburit; publicorum sermonum defectus est malum semper majus pro rei veritate exhibere: quod re adhuc integra de fratre dixisti, parum est, sed unusquisque eorum, quibus dixisti, aliquid addent de suo; & singuli pro libidine aliquid comminiscentur. Esto quidem, fons fere sit imperceptibilis; fluvius tamen inde exiens universam civitatem inundat: sicque maximum existimationis fratris sui detrimentum. Viduæ oleum defluet, quousque non deerunt vasa, quibus contineatur; levis hæc detractio in infinitum crescet, si per plurimorum ora feratur.

Tu qui adeo libere loqueris, & tanta cum voluptate de hujus hominis lapsu, felicior illo es, quod de tuis nemo loquitur: verum culpane vacas? Putant homines tibi majorem inesse virtutem; & Deus, qui cordis latebras, penitioresque sinus scrutatur, idemne cum hominibus judicat? Non debes igitur existimationem tuam nisi quibusdam cautionibus, quas eludere potest Deus permittens, ut de

ut de te pejus, quam tu de aliis, homines loquantur. De aliis libenter obloqueris ; Verum cave, ne alii de te cum gaudio obloquantur. Memento eum, qui gladio ferit, gladio periturum. Tu qui ancipiti linguæ gladio fratrem vulneras, gladio eodem pariter vulnerabêris. Eadem te manet fors, ac tu quoque fies cœtuum fabula, & ludibrium. Quidam abstinere non potest quominus eorum, qui aliquid peccant, crimen exaggeret, sed prout ipse peccat, sua quoque crimina amplificantur. Ardentissimus videtur in aliorum nominibus exquirendis, sed statim ac illinc egreditur, primus omnium probriis proscinditur ; & qui fratrem damnaverat, primus est, qui a mundo damnetur. *Idem*.

Vulgo de illis detrahitur, qui de aliis detrahunt.

Proximi tui existimationem discerpis, modo quidem apertis detractionibus, modo vero per cuniculos, ut ita dicam, in audientium animos irrepens callide, atque versute, acerbissimum sermonem blanda quadam præfatione condiens, ac floribus circumundique exornans, quod mox veneno inficias. Persuasum tibi sit, non defuturas obtrectantium linguas, quæ in te insurgentes venenatis detractionibus tibi ea in animi parte vulnera infligent, ubi dolor acerbissimus futurus sit. Non parcent honori, & sapientiæ tuæ; vetis fictisque rumoribus innocentiæ tuæ labem offundent: illos maligna credulitas approbabit; verum patientia tua inter ea probra, quæ tibi ingerentur, judicium adstruet, utrum te eorum, quæ de aliis oblocutus fuisti, pœniteat. *Flechier sermone pro die festo Conversionis S. Pauli*.

Si invidia in mundo communis est, numquid detractio minus late grassatur? Omnia scire cupiunt, ut de omnibus loqui possint ; mores, ac personas inquirunt, ut illis nebulam adspergendi voluptate perfundantur. Non factis, non prophanis, non vitiis, non virtutibus parcitur. Nullum in vita crimen est, quod non detegatur ; nullum in familiis dedecus quod in apricum non proferatur. Quod bonum fit, negligitur, ignoratur ; malum vero tenetur, & ut ita dicam, augurando cognoscitur. Judicatur non actionum dumtaxat, verum etiam cogitationum, ac intentionum, quas sibi reservasse videtur Deus, malum, & cor humanum licet minime videatur, ac invium sit detrectantium oculis, eorum tamen probra, & obtutus evitare non potest. Unicuique sua est detrahendi methodus: alius aperte existimationi fratris sui lethale vulnus infert, quin illud leniat, vel saltem mucronem, quo infertur, contegat ; alius verba multis verborum lenociniis condire non cessat &c. *Idem. Serm. 2. pro Comitiis statuum Occitaniæ*.

Quinam detractionis vitio maxime pateant.

Si quæris quinam detractionis vitio maxime pateant, respondebo: Ille juvenis qui cum integros dies non aliud habeat negotium, quam totius urbis percurrendæ, sedulo inquirit vel minimam querimoniam, quæ virum inter, & uxorem fuit oborta ; qui suopte ingenio ad hilaritatem factus primo statim occursu deprehendit, quid unicuique ridiculum insit, atque intra breve unius horæ spatium, novit ob oculos audientium exhibere quidquid mortalium est, quibus os, habitusque, & corporis gestus sit parum abnormis; & qui haud hæsitanter de omnium meritis disceptat, eorumque verum, aut falsum caracterem describit. Homo ille, qui publicis conductus videtur stipendiis, ut familiarum omnium nomenclaturam, & facta recenseat ; & qui, ubi sese obtulerit occasio, fidelem texit historiam rerum a parentibus, abavisque illius, de quo accidit sermo, gestarum. Mulier illa, quæ secretis invidiæ stimulis acta, & injuria, qua privatim affecta fuit, excitata, & dolens, quod aliqua vel etiam amica, & familiaris, sibi fuerit antehabita, statim exardescit, ubi de industria aliquot prolata fuerint verba in eorum laudem, quorum amorem abjecit. *Ex manuscripto sermone Pat. Stephani Chamillard*.

Qui hujusmodi sermones sibi in habitum convertere studet, habeat proculdubio necesse est, leporem, acrimoniam, festivitatem, quæ aliis quibuslibet negata est. Fas huic est, nugari, augere, levissimam quamlibet rem amplificare, sexcentos casus supponere, & festivis, mimicisque locutionibus uti. Quæ autem tunc sese prodit hilaritas? ipsi etiam gestus, ipse oculorum circumactus, omnia lacessunt, & placent. Ego quidem non intelligo, quomodo mortalis hisce dotibus præditus cœtum virorum, qui pietatem, & Christianam charitatem nullo habent in discrimine, tædio afficere valeat. Detractori idem accidit, quod Satyrico; uterque existimationem suam, iis debent argumentis, quæ tractant; & si de seriis tantum loquerentur fortasse inter cæteros non eminerent. Verum quam infelix talentum est, & perniciosa cognitio, nosse cum lepore proximi existimationem lacessere, & callere artem onerandi conscientiam sexcentis peccatis, quæ numquam fortasse deleri poterunt! *Idem*.

Deus detractionis culpam nõ dimittit, nisi damnum proximo illatum reparatum fuerit.

Sanctus Chrysostomus ait, Deum ad pacem, & concordiam inter homines fovendam, docuisse, nullam nobis ab illo veniam sperandam, cum aliquod ex iis criminibus patraverimus, in quibus res fratrum nostrorum aguntur, nisi primum illatum damnum reparare inceperimus. Itaque Deus ille, qui semper paratus est, ut aliquid de suo jure remittat, & nobiscum in gratiam redeat: (vera enim pœnitentia, sincerusque dolor eum lenit, & flectit, si unum ipsum lædere ausi fuerimus) hanc peccatorum nostrorum detestationem repellit, ac se nobis inexorabilem præbet: Deus inquam, alias nobis obligationes injicit, cum illum ad iracundiam provocantes proximo damnum intulimus, ac illud reparare detrectamus. Utique: ubi hæc adsit occasio, a creatura primum venia impetranda est, antequam a Creatore petatur: utriusque negotia simul cohærent, & conjuncta sunt, ita tamen ut quod ad hominem spectat, sit primum. Hujus veniam obtinete contemnis? reliqua inutilia sunt, sine fructu, & sine merito: quæ Veritas ita manifesta est, ut nemo illam ignoret, & quidquid conemur, numquam ex cordibus nostris eam oblitterare possimus. Intelligis ergo, detractori omnino illatum a se damnum reparandum esse. At aliquidne difficilius, quam hoc munus obire? Nihil exaggero ; at equidem credo paucissimos homines velle, & quod maxime terribile est, posse hoc ad unguem explere: & irremissibilis hæc noxa fieret, nisi acceptaret Deus quod facere admitimur, cum id pro virili facimus, quod in nostra positum est facultate. *Idem*.

Experientiam vestram ipse testor. Ex quo in mundi hujus luce versamini, sexcentas insignes, & noxias detractiones vos audisse non dubito ; & fortasse vosmetipsos conscientia vestra redarguit, quod & ipsi in crimen hoc lapsi estis; atque si mecum animo reputare vultis sermones, quos habuistis de adversariis, cum quibus in foro vobis lis erat ; de superiore illo, qui vobis erat infestus, & gravis ; de competitore, cum quo aliquam dignitatem appetebatis, quoties in toto vitæ vestræ spatio vos alteri detraxisse invenietis? Verum enim vero quorum vidistis ea, quæ dixit, retractare? Aliquisne vos ipsos convenit, ut palinodiam caneret, ac se nimis temere locutum fuisse fateretur? Vos ipsi studuistis tutas, certasque invenire vias, ut existimationem, cui damnum intuleratis, repararetis? Heu! licet toties ad Pœnitentiæ tribunal accesseritis, & inter cætera noxam hanc sitis confessi, nondum audita est aliqua retractatio. Si hujus obligationis justa haberetur idea, utraque æque communis esset ; & quot aliis obtrectare audiuntur, totidem dicta retractare audirentur. *Idem*.

J. C. exemplo detractio ferenda est.

Dei servis, cum eorum nomini obtrectatur insigne solatium est, scire, se hoc pacto fieri domesticos illius,

illius; qui ante ipsos, & pro ipsis hoc ipsum est passus. Verum ut hunc honorem, & adeo æstimabile privilegium tueantur, summa officii fide hac in re imitari debent magistrum suum, atque illius exemplum secuti, hominum maledicta, & calumnias ferre. Cum enim Mundus sit miseriarum, pœnarumque locus, nemo est, qui huic, uti cæteris, minime pateat, & Dei servos ab hominibus sæculi sola patientia distinguit. Hi nonnisi inviti, & animo amaritudine, & impatientia repleto ita patiuntur, ut æque nocentes se præbeant, ac illos a quibus læduntur: Servi autem Dei cum humilitate, & pro peccatorum suorum expiatione recipiunt pœnas, quas se mereri putant; vel nisi eas meriti fuerint, eas alacriter sustinent, quoniam digni habiti sunt, qui CHRISTUM JESUM imitentur. *Liber, cui titulus: Passiones Domini JESU CHRISTI.*

Modus rubore suffundendi maledicos, qui omnium maxime præsens, & Christiano dignus sit, est illos per patientiam, suavitatem, & beneficia in virtutibus erudire. Nullum tempus inutilius teritur, quam quod impenditur adnitendo, ne homines loquantur. Qui de proximo suo obloqui gestit, quærit non utrum jure, an injuria aliquid dicat, sed ne sibi desit, quod dicat. Numquam majori flagrat loquendi cupiditate, quam cum rationes illi afferuntur, ut taceat.... Silentium, suavitas, perseverantia in bono, sancta, & sapiens dissimulatio ea sunt arma, quæ validissima obtrectationi valeant opponi; si enim ex nequitia procedit, satis punitur dolore, quo afficitur, quod libidinem suam nequeat explere contra inimicum, qui ictus propulsare dedignatur: Sin autem ex ignorantia, habituque pravo; quam primum illam cohibet silentium, neque diutius blaterat. *Idem.*

Hominum detractiones sunt contemnendæ. Si quod esse potest remedium iis, quæ de nobis dicuntur, illud sane est, nostram vivendi rationem nequaquam secundum hominum dicta conformare; sed potius nullam vituperandi causam illis præbere. Si cordis nostri intentiones actionesque vitæ secundum Evangelii præcepta instituerimus, ea quæ homines dicunt, negotium nobis facessere non debent. Ipsa etiam docet experientia nullum periculosiorem esse scopulum in virtutis via, quam cogitare, quid homines dicturi sint; & eum, qui sese huic subjicit non diu fidelem Deo permanere. *Idem.*

Detractio incurabilis morbus est: inutile igitur est illi mederi velle; ideoque contemnenda est si cordis tranquillitatem servare velimus. Eorum enim, qui detrahunt, plerique hoc faciunt, vel ut ipsi oblectentur, vel ut nobis noceant. Qui ex sola detrahendi libidine detrahunt; nulla religione moventur quantumcumque dolorem afferant aliis, atque se remediis indigere non credunt. Eorum immo agitur voluptas, cum ob ea, quæ dicunt, irascimur, atque ipsorum dicteria impatienter sustinemus..... Quamobrem Philosophi veteres sapienter suadebant, ut detractiones pro salutaribus monitis haberentur, & veluti speculum, quo nobis defectus nostri exhibentur: id enim, quod amicus per amicitiam excusat, vel per reverentiam dissimulat, vel non videt per negligentiam, detractor libere dicit, & palam ea ostendit vitia, quæ nobis sunt metuenda. Hinc Sanctus Bernardus ait, virtutem plurimum roboris, & nitoris amissuram, si absque exercitatione langueat; hanc vero a maledicis, & detractoribus exerceri, atque illorum impotentiam ferendo, eisque bonum pro malo reddendo puriorem fieri, perfectioremque. *Idem.*

Detractio vitium est Deo, & hominibus odiosum. Detractio vitium est universe odiosum; cuinam? Deo, & hominibus: Deo, qui cum sit amor, & charitas essentialis, ideoque essentialem habet detractioni oppositionem: hominibus; quod enim magis infensum est, quam illud vitium, quod non summis, non imis parcit, non sacris, non profanis, & cujus persecutionem neque ipsa capita diademate redimita possunt evitare? Quid magis infensum homine, qui tyrannicam sibi vendicat potestatem in proximorum existimationem, qui eorum famam imminuit, & qui eos aggreditur tunc etiam, cum injuriam propulsare non possunt? Hic autem detractoris caracter est; quapropter cum de illo Scriptura loquitur, cum nobis repræsentat velut hominem eo in loco, ubi immoratur, terribilem: *Terribilem in civitate sua vir linguosus.* Eccli. 9. Et profecto da mihi detractorem, & videbis, hunc sui terrorem quocumque injicere. Timetur in urbibus, in communitatibus, in privatis domibus, apud Principes: verbo, ubicumque est, timetur. Timetur in urbibus, quia ibi seditiones, ac diffidia serit; timetur in Communitatibus, quia ibi alit simultates, & inimicitias &c. *P. Bourdaloue in sermonibus, qui sub ejus nomine circumferuntur.*

Lingua, Sanctus Jacobus ait, malum est inquietum; neque in hominis potestate positum illam cohibere. Affectus omnes cum cordis improbitate conjuncti ad detrahendum impellunt. Aliquem odisti? detractio tuta est, & parum periculosa ulciscendi ratio. Si accesserit invidia, tunc magis virulenta detractio est. Aliena gloria officit nostræ? tenebræ illi sunt offundendæ. Superbia tumes? quis non? existimationem tuam cum alienæ detrimento studes provehere. Ingenii polles acumine? illud lepidis detractionibus ostentas. Non polles? alienis sumptibus crescere conaris, ac tuam infirmitatem celare, alienam exaggerando. Virtutes ipsæ detractioni studere videntur; nec desunt, qui imprudenti zelo sine ulla religione alieno nomini obstrigillant; & malum, quod latet, medendi specie, in publicum scandalum vertunt. *Pater Neveu Tomo 2. Consideræt.*

Detractio ignavum est vitium. Detractio turpe vitium est, & ignavis animabus proprium: quædam est species latrocinii. Hominem palam aggredi non audent; tuto enim aggredi nequeunt; clanculum id fiat. Hominem imparatum aggrediuntur, ne cogitantem quidem, & qui cum absit, nequit vim propulsare. O turpem ignaviam! quæ tanto deterior est, quia hominem petit nobis innoxium, & a quo læsi non fuimus. Vulgo illos tantum lædimus, qui nos læsere; atque tunc ex dolore aliqua peti posse excusatio videtur; quomodo vero excusetur, qui alterum non læsus lædat, eumque pro mera libidine pugione confodiat? Proditio passim accedit ignaviæ; blandis excipitur verbis ille, qui perdendus est, elogiis illi cumulantur, qui malignis detractionibus proscinduntur: laudantur, donec eorum fama minuitur; detractio conditur laudibus vel frigidis, vel malignis, quæ majorem detractioni fidem conciliant, & vulnus magis inevitabile efficiunt. *Idem tomo 1.*

Levitas, & imprudentia numquam coram Deo detractionem excusant. 1. Nam vitium loquacitatis, & habitus per omnes discurrendi locos, & effutiendi quidquid levis imaginatio linguæ imprudenti suggerit, nequaquam Christianæ religionis legibus conformis est. Christianus homo est, qui ex fide vivit; vita illius intenta in id esse debet, ut in spiritu ambulet coram Deo, ut cordis sui motus exploret, & quærat omnia gratiæ momenta, ne ullum sibi elabi patiatur: Verum itane se gerunt imprudentes illi, de quibus loquor? quandonam seipsos colligunt? quandonam Deo vacant? 2. Hæc eadem imprudentia, quam veluti excusationem prætexunt, nonne ipso Dei damnatur oraculo? Per os sapientis locutus est Dominus, & hanc loquacitatem culpa nequaquam vacare testatus est: Prov. 10. *In multiloquio non deerit peccatum*; hoc est secundum S. Hieronymi interpretationem; cave ne loquendi prurigo necessariam auferat tibi considerationem, ad hoc ut quomodo sapientem, verumque Christianum decet, loquaris. Adveniet dies, cum semet excusabit propter imagina-

nationis levitatem, ac verborum affluentiam, in qua difficile est imprudentem non esse. Verumnonne integrum tibi fuit, considerare, quæ diceres? Nonne tibi moderatum inducere poteras silentium? ....

§. JESUS CHRISTUS testatur nobis in judicio inutilium quoque verborum districtam rationem esse reddendam. Quid autem per hæc verba S. Augustinus intelligit? nempe nos rationem esse reddituros verborum omnium, quæ non fides, vel ratio dictaverit; quid porro de verbis detractionis existimandum est? Quid! si levitas ipsa non excusat sermones, qui nullos gignunt effectus malos, qui fratrum existimationem non lædunt, & quibus non alius est improbitatis character, quam temporis jactura, numquid imprudentia detractionis, cujus adeo molesti sunt effectus, poterit excusare? Ne dicas igitur, cum imprudens illud verbum excidit mihi, non considerabam, non attendebam, dicam enim, se attendere, & considerare loqui debuisse. Incendium, quod excitasti, discordia, quam accendisti iis in familiis, quæ olim unanimes erant, merebatur profecto, ut verba tua ad trutinam revocares. Apage peccator infelix; Deus ultor pari pœna & eam quam temere, & eam, quam consulto protulisti, detractionem, mulctabit. *Sermo manuscr. P. Catrou.*

Detractor improbam percipit voluptatẽ, & ob hanc un m detrahet aliquando.

Sæpe ille plausus, quem sibi captat detractor, eaque attentio, quam sibi conciliat, in illius corde improbam parit lætitiam. Quodnam gaudium in cœtibus dominari, omnium in se ora convertere, sales adspergere, sibi risum excutere, ac tandem festivis dicteriis eos sermones condire, qui alioquin nullum haberent saporem, aut festivitatem? Profecto nihil magis comicum, quam detractio; modo ridiculum imitatur; modo sermones, & locutiones mulieris alicujus traducuntur; aliquando illius gustus, ornatus, placendique studium in ludibrium vertuntur; aliquando vita illius censoria nota perstringitur. In præsentis pietatis gratiam præteritis criminibus non parcitur, & præsens hæc etiam pietas in suspicionem vocatur propter præteritam infirmitatem, levissimæ suspiciones tamquam probatissimæ veritates venditantur, & indiscreti sermones tamquam publicæ diffamationes habentur. *Idem.*

Cum detractio invidiæ est effectus (quandoquidem hæc animi ægritudo præ cæteris eadem uti consuevit) turpis est, ac generoso corde indigna. Hoc vos minime fallit, Auditores; invidiæ proprium est gravissimas parere proditiones. Nemo se invidum fateri vult, hoc immo sibimetipsi abscondere gestit; qui enim invidet, inferiorem se fatetur illi, cui invidet; adversarii sui facta comparatione exardescit, & metuit, ne aliena gloria officiat suæ. Quid autem invidus? Veritus ne videatur de propriis diffidere meritis, ac illum, cui obtrectat, plurimi facere, secretæ detractionis consilium ingreditur. Tunc ignave quot vulnera infligit imparato? Quibus artibus utitur, ut illi gloriam auferat, quæ suo officit nomini; Vos testes invoco, quos Mundus in id genus artificiis edocuit. Mulier alienæ invidens formæ, venustati, fortunæ, quot nectit clanculum dolos, ut illi, cui invidet, labem offundat? Competitor, qui alterius dignitatem birquis intuetur oculis, quam prætermittit versutiam? Eheu! Homines metuunt vulgo, ne videantur ignavi; metuant ergo, ne videantur maledici. Detractio, quam parit invidia, semper cordato viro est indigna. *Idem.*

De Detractione ex odio profecta.

Cum detractio ex aperto proficiscitur odio, impudens est, injusta, rabida. Vos terræ judices testor; qui circum vos murmurare videtis acerrimas quaslibet cupiditates, quoties obstupuistis audientes detractionis susurros in auribus vestris, ubi fatale dissidium cives, amicos, consanguineos perturbavit; quam terribilis detractio contra ea nomina, quæ in maxima veneratione sunt posita? Cum de magni momenti agitur re, nihil ducitur nefas: mortuorum cineres agitantur; turbatur requies eorum, ut in lucem proferatur illorum turpitudo, quæ cum illis tumulata esse deberet. At ferendum etiam hoc malum esset, si hic detractionis furor a fervido Declamatore ad Oratorem, qui ex commentariis loquitur gradum non faceret. Quæ enim ista forensis est eloquentia, quis furor præclarissimas deturpare existimationes! Judices, qui hujusmodi causis auresadhiberis, quænam a vobis Deo ratio erit reddenda? Verbum, unicum verbum furentem Oratorem, qui a proposita causa divertit, ut in injustam satyram latius vagetur, revocare potuisset; vos id non fecistis, vos furoris ejusdem rationem eritis reddituri. Verum quænam adhuc terribilior ratio ob contumeliosos libellos, quos odium profert, & quos incuria, vel politia tolerat? At enim animi fervens ægritudo hæc omnia detractionis genera profert. Egregiam sane rationem reddendam Deo ex nobis fratris nostri honorem coinquinatum reposcenti! Domine! odium dumtaxat, vindictam, inimicitias fovebam, ac me rabies mea furentem obtrectatorem effecit dupliciter injustum, quod & acerrimus ultor sui, & furens detractor. *Idem.*

Unus adhuc detractioni superest prætextus, qui speciosus quidem est, at minime solidus, zeli videlicet prætextus: vitium enim, de quo loquor, vulgo solet sanctissima etiam corda pervadere; in Sanctuarium ipsum obrepere, Sacerdotis linguam divino imbutam sanguine polluere; claustra penetrare, ac solitudines; eos, qui pacati sunt, commovere; eos qui Deum timent, ad arma provocare. Unde hoc? quia zeli prætextus fel in sanctissimas etiam animas effundit. Ita Ezechiel Propheta *cap.* 8. ea mala recensens, quæ intra Templi septum a Levitis in commune viventibus patrabantur, addit, idolum zeli inter eos contentionem excitasse: *Idolum zeli ad provocandum æmulationem*. Tunc enim detractio zeli, religionis, publicique boni nomine palliatur; contra temporis vitia, & contra tolerantes illa invehuntur; illis remedium quidem afferre nequeunt; sed suæ libidini satisfaciunt, qua vituperare, & in invectivas erumpere student. Verum esto si in vitia tantum insurgerent: sed eorum auctores produnt, suasque detractiones confirmant zelo, qui secundum scientiam est, non Dei quidem, sed Mundi, qui detractioni personam inducere, eamque pro virtute traducere novit. *Idem.*

In detractionibus inanis gloriæ voluptas invenitur; aliis enim obtrectatur, ut indirecte nosmetipsos laudemus. Nemo unus ferme, si auderet, seipsum laudibus non ornaret; verum quemadmodum si modestia careat, sibi injuriam inferre metuit, tenetur ad occultas, callidasque vias confugere, atque efficere, ut merita sua ab aliis intelligantur, quin in se nimiæ vanitatis exprobrationem convertat. Seipsum palam non audet laudibus extollere; sed sperat fore ut de aliis verba faciens seipsum indirecte commendet; ac testatus nefariæ actionis horrorem, testetur etiam, se virtute sua illi patrandæ imparem esse, & quo magis aliorum vitia detestabitur, eo magis se iisdem vacuum ostendet, aliosque in admirationem rapiet earum virtutum, quas possidet. *Liber, qui inscribitur, Ars cognoscendi seipsum.* — Passim per jactantiam detrahitur.

Tu qui cum voluptate detractioni adhibes aurem, vide, quam committis injustitiam, & obligationem, quam subis reparandi honorem, cui macula offunditur, certum enim est, si detractioni faves, & si aut voluptate, qua te affici ostendis, aut ardore, quo te eidem immisces, detrahentem excitas, atque confirmas, te ejusdem criminis esse participem, ac te non minus, quam illum ad damnum reparandum teneri. Quamvis etiam ad detractionem non excites, neque illi cooperis, nisi illam prohibes, immo per curiositatem bibulis auribus illam excipis, plus, minusve peccas, prout majus, minusve alterius existimationi affers detrimentum. *De la Volpilliere tomo* 3.

Ad

Facilitas committendi peccatum detractionis.

Ad cædem patrandam, S. Chrysostomus inquit, præterquamquod ille, cui paratur, non semper in nostra potestate est, sexcenta sunt præcavenda; tempus ut plurimum importunum est; & non desinunt loci parum ad hæc nefaria explenda consilia accommodati. Adhæc non omne armorum genus tutum est; non ictus omnes vulnera infligunt, neque vulnus quodlibet lethale est; sed ad honorem auferendum, unicum verbum dicendum est; ubicumque adsit ille, cui detrahis, existimationem ejus invenis ibi, ubi adsunt homines, a quibus agnoscitur; ideoque nullus fere locus est, ubi eidem officere nequeas. Ceterum ad id tempore diuturno opus non est, unicum sufficit momentum; vix detrahendi voluntatem concepisti, cum jam acta res est. *P. de la Colombiere Tomo 4. Sermone hujus argumenti.*

Linguæ nostræ mobilitas, si aliæ deessent rationes, ostenderet detrahendi facilitatem; eadem enim qua loqueris facilitate, etiam detrahis. Immo detrahere facilius est, quam loqui. Nonnumquam ipso etiam silentio detrahitur, præsertim vero cum adsectatum, mysticumque videtur. Capitis quassatio, manuum motus, os ad risum compositum, oculi nictatio pulcherrimam quamlibet existimationem lædere potest; & vel minimus ex his nutibus ex se solo tantum nonnumquam valet, quantum prolixa satyra, & crudelis. Verum præter hanc facilitatem momento declarandi id, quod sentimus, vel id quod de aliis cogitari volumus, plurima sunt, quæ detractionem facilem faciunt; puta, voluptas, qua naturaliter detrahentes afficimur, sive hæc improba, & crudelis voluptas ex superbia oriatur, quæ falso persuadet nos ex æqualium depressione crescere, sive effectus invidiæ sit, quæ detrahere gaudet, non ob aliam causam, nisi ut alienæ obstrepat felicitati; quomodocumque sit, inficias ire nemo potest, nobis omnibus secretum inesse studium de proximo detrahendi; cumque naturæ adversari difficillimum sit, nisi maxima utamur vigilantia, natura ipsa facile nos ad detrahendum impellit. *Idem.*

Multiplex iam detrahitur, & variis prætextibus detractio palliatur.

Sæpe ipsa natura leniter nos ad detrahendum impellit per quasdam ambages: ita ut sermo idem, qui ex alicujus laudibus initium duxerat, sensim ad ejusdem probra dilabatur. Qui paulo moderatiores sunt, utuntur arte, & detractiones speciosis quibusdam prætextibus colorant; zelo, æquitatis amore, miseratione erga fratrum defectus; violento, justoque dolore ob contumeliam, qua Deus afficitur, ad loquendum aguntur. Numquam fictæ rationes desunt; & si desunt inimici, vel alii vituperatione digni, virtutem ipsam aggredimur, nonnumquam amicos etiam lacessimus, dummodo detrahendi voluptate non careamus. *Idem.*

Mihi nequaquam propositum est hoc in loco vobis ob oculos ponere omnem vitii hujus turpitudinem; neque eas afferam descriptiones adeo horribiles, quas Sancti Patres, præsertim vero Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, & Bernardus in scriptis suis reliquerunt. Satis liquet quam grave malum sit homini existimationem auferre, quæ tanti in mundo fit, ut nonnumquam vitæ ipsius pretio redimatur. Nemo unus ignorat, detractorem, unico linguæ ictu quodammodo occidere & absentes, quorum nomini obtrectat, & præsentes, quibus scandalum infert, & seipsum, quoniam peccatum committit suapte natura mortale; patet, illum reum fieri malorum omnium, quæ virulenta ejus dicta gignere possunt, odiorum, inimicitiarum, litium, ultionum, cædium, qui consueti sunt fructus detractionis. Hæc omnia maximum peccati hujus horrorem debent immittere. *Idem.*

Detractio commune peccatum est, & quod pauci fugiunt.

Detractio non in corrupto tantum mundo grassatur; pauci sunt ex illis etiam, qui pietatem profitentur, ab hoc vitio immunes; quod ideo *Extrema diaboli laqueum* vocari posse S. Paulinus existimat. Etenim, qui alios evitavit laqueos, in hunc tandem impingit. Abstinebunt fortasse a calumniis, & secretam non revelabunt infamiam, sed non unius generis est detractio. Detrahit, qui falso innocenti crimen appingit, qui pro certo affirmat, quod ex incerto rumore didicit; qui secretum revelat scelus; qui etiam aliis communicat id quod sibi fuerat revelatum. Detractio est in vulgus proferre factum, quod paucissimis erat compertum: alia detractio est, uni tantum committere alterius noxam, nisi necessitas adsit, vel gravis aliqua urgeat ratio. Si de scelere agitur, quod jam notum est, peccari etiam potest, si amplificetur; vel addendo ignotas circumstantias, illius improbitatem augentes, vel eas reticendo, quæ facti turpitudinem possunt imminuere. Ad hæc nonnumquam maligne efferri possunt actiones, quæ extrinsecus bonæ videntur; & seu temerariæ sint suspiciones nostræ, seu alicui innitantur fundamento, semper detrahit, qui illas aliis communicat. *Idem.*

Non desunt hypocritæ pietatem simulantes, qui eo magis metuendi sunt, quo callidius, & versutius detrahunt. Videbitis homines, S. Bernardus ait, qui profunda suspiria emittentes, demittentes oculos, & pallore faciem suam tegentes flebili voce, atque veluti inviti virulentum, improbumque sermonem ordiuntur. Jam actum est, dicet aliquis, hunc enim hominem amavi: nihil inausum reliqui, ut aliam vivendi rationem susciperet: verum oleum, operamque perdidi. Jampridem, inquiet alius, id intellexi, quod tibi dicturus sum: per me non stetit, quo minus factum æterno obrueretur silentio: sed quandoquidem alii de eo locuti sunt, frustra ego tacerem: dico, & dolens dico: verum est illum hoc patrasse facinus. Magnum profecto malum est, prosequitur, adhuc, alioquin enim egregiis virtutibus præditus est: verum quid simulare prodest? hac in re inexcusabilis est. *Idem.*

Difficultas ... tractio ... tulit proximo.

Quomodo ex animis eorum, qui se audierunt, abolere poteris fidem, qua te vera dixisse putant? Quod licet consequaris, non ideo rem expedivisti: detractio, ex quo prodiit ex ore tuo per plurimorum aures peragravit: ab amicis tuis ad eos transiit, quos minime nosti, ab his deinde ad alios, ac rursus alios migravit: qui quinam sint, quærendum tibi est, atque admonendum, ut te palinodiam canente, id credere desinant, quod te referente crediderunt. Difficillimum est tot alloqui mortales, illis vero errorem auferre, difficilius. At ulteriora dicam: licet publicam retractationem efficeres, tibique ex voto contingeret, ut malam opinionem prorsus deleres; dico, te nondum malum omne, quod peperisti, reparasse. Illorum existimatio, quibus numquam obtrectatum fuit, quemdam habet florem, quem & aufert detractio, & retractatio reparare non valet. Ex quo suborta suspicio est, aliquem vel parum honestum esse, vel fidelem parum, quamvis id assequaris, ut omnibus illius probetur integritas: in eorum tamen animis nescio quædam remanet impressio; quæ efficit, ut minus ut olim, bene audiat. Virtus illius minus nitet, & qui semel accusatus fuit, omnino ab omni reprehensione immunis esse non posse videtur. *Idem.*

Hic est spiritus detractionis, spiritus invidiæ, qui omnia deformat, optime confirmatam existimationem, merita satis comperta, & explorata, vivendi rationem ab omnibus probatam, atque ab omni suspicione remotam. Quot mortales ex omni genere, & conditione in hoc delicias, ac voluptatem constituunt, neque alia norunt oblectamenta, nisi quæ detractionis sese condiuntur? Cætera alloquia seu ad pietatem pertinent, seu curiositatem non cient; & nisi versetur sermo circa aliorum defectus, & vitia, nisi aliquantulum detractionis intersit, nullius saporis sunt, & prorsus languent. Ita meritis accensetur, & acris ingenii

cara-

caracter ducitur venuste aliorum existimationem lacessere, lepide historiam nefarii amoris narrare, salibus aliquem perfricare, laudes simul & probra immiscere, ut color quidam, & verisimilitudo accedat calumniæ. Etenim quod in detractione placet, & quæritur, veritas est; neque voluptatem afferunt dicta nisi vera, & ab omni simulatione semota videantur; quamobrem nihil prætermittitur, ut hac in re audientium animi occupentur, qui cum plerumque male affecti sint, & tantum sæpe, quantum qui loquitur, facile credunt quæ sibi dicuntur, dummodo aliqua, vel levis adsit species veritatis. *De Sancto Germano Sermone hujus argumenti.*

Non desunt nonnulli, qui sibi jure esse putant detrahendi.

Non desunt, qui se jure detrahere putant, ut improbi cognoscantur, eosque digito ostendere non secus ac præcipitia, ut quilibet ab illis ubi quam diligentissime caveat; & sub hoc prætextu nullius parcitur existimationi, & bonorum etiam virorum famæ labes offunditur........Hæc autem animi ægritudo, Sanctus Hieronymus ait, ita hominum mentes pervasit, ut illi etiam qui in cæteris omni culpa vacant, in hanc turpissime ruant. Etenim diceres, Sanctus hic Pater ait, eos ex quo aliquis irreprehensibilis est, & frugi, ex quo mulier pietatem colit, & apud omnes bene audit, statim jure suo aliorum vitam censoria nota perstringere; si vel minimus deprehendatur error, palam ostendere curam, qua illum in lucem proferre, aliisque cognoscendum tradere satagunt; si quæ infidelitas, vel secreta adsit iniquitas, opus esse, de hac statim omnes certiores fieri: omnia detegi, omnia publicari: minimos etiam defectus corripi, & hæc omnia ex charitatis principio dici simul, & fieri. *Idem.*

Videndum est quid detractio, faciat, ut suam celet improbitatem, & hac in re Auditorum animos prævertat, modo per illius, qui lædendus est, encomia, modo per fictam miserationem, fucatam amicitiam, adfectatam charitatem, quæ nonnisi ægre loquitur, & invita. Homo hic sane, in paucis honestus est; officiosus, liberalis; verum dolendum est, quod hæc illi infirmitas adsit. Fatendum est: nihil est meritis hujus fœminæ par: acri pollet ingenio, incomparabilis ejus probitas est, charitas non vulgaris, & nisi nescio quo teneretur amore, merita illius omnibus essent numeris absoluta. Magistratus ille præclara fruitur existimatione, nec immerito: verum in hoc mundo perfectus est nemo: ipse quoque non secus ac alii suas habet infirmitates......Tibi equidem hanc rem, dicunt, aperiam; verumtamen hac conditione, ut nemini dicas, atque inter me, ac te tantum permaneat. Non enim viro huic dedecus afferendum est; charitas exercenda est, atque illius existimationi consulendum. Crudele artificium! præcautio ridicula, S. Chrysostomus inquit; vis, eos, quibus aliena detegis vitia, aliorum existimationi consulere, tu vero eidem non consulis? Quamquam tibi integrum fuisset secretum servare vel secus; tu illud non servasti, & eos, quibus illud aperuisti, servaturos putas? Illi omnibus garrient in auriculam; & fortasse hæc est voluntas tua; tu, vulnus aperuisti, nec illud ad cicatricem revocabis: tua positum erat in potestate malum prævertere; eidem vero mederi, non est. *Idem.*

Detractor sæpe aliquam virtutem laudat, mox vitia vituperaturus.

Hæc quoque improba detrahentis est ars, alicujus virtutes laudibus celebrare, ut locum sibi faciat vitiis, atque defectibus vituperandis. Magistratus exempli gratia integritatem commendabit, palam incorruptum esse affirmabis; non auro, non precibus, non gratia impelli posse, ut vel minimam injustitiam committat; verum simul conqueretur de illius tarditate, & negligentia veluti habituali, qua negotia ita producit, ut illi qui apud ipsum lite contendunt, ad pauperiem rediguntur. Laudabit in Ecclesiastico zelum, quem vituperare non potest; in muliere domesticæ rei curam, quam diffiteri nequit; verum simul improbas suspiciones effundet in Ecclesiastici illius integritatem, quem avarum putat, & in mulieris illius verecundiam, cujus abditos defectus profert in lucem. *Ex Morali Dictionario, Sermone primo.*

Aliæ detractionis artes.

Detractores sæpe nihil nisi aliqua æquivoca proferunt verba, ut alii malum reipsa deterius esse suspicentur; os ad risum compositum, oculi nictatio est quædam commentarii species in ea verba, quæ ambigue non sine dolo dixere. Detractionem quodam miserationis contegunt fuco; eorum præfatio semper elogium continet; diceres, eos misereri illorum, quos accusant, collacrymari eos, quos perdere festinant, atque ut summi viri hujus sæculi utar testimonio, ut charitatem exercere credantur, eodem tempore, quo cladem inferunt, neminem cædunt, nisi prius funebri laudatione ei parentaverint. *Idem.*

Quinam vobis videntur esse illi, qui alienæ detractionis crimine adstricti sunt? Vos estis, quibus cum facultas sit, silentium illis indicendi, silentio vestro, ignavaque indulgentia eos vobis placere testamini. Vos, qui nimia credulitate aures adhibetis, & corda aperitis improbis detractionibus, contra quas, religione, & honore impellentibus, invehi deberetis. Vos, qui ejus, qui loquebatur, locum vindicantes nefariam habetis pruriginem detegendi, quod vobis fuerat commissum. Vos, qui per impatientiam effutiendi, quod imprudenter vobis creditum fuerat, & ipsi detrahitis. Si sapientes essetis, probrum illud, quod audistis, labi, ac intermori sineretis; illud æterna oblivione obrueretis, saltem nemini illud diceretis; hoc pacto de proximo vestro bene merentes quod nihil eidem contumeliosum profertis, & hanc etiam erga vos ipsos prudentem charitatem exercentes, quod vosmet in discrimen nequaquam adducitis alienæ improbitatis participes efficiendi. *Idem.*

Detrahentes plerumque Dei gloriam & publicè præterunt utilitatē.

Mirum! si callidissimis detractoribus fides adhibeatur, non odium, non invidia, non superbia, non infirmitas aliqua eos ad loquendum impellit, sed gloria Dei, honor Ecclesiæ, privata, & publica utilitas. Ex eorum sententia, ut peccatores resipiscant, mœror illis afferendus est; & cum monita, quæ illis præbentur, sunt inutilia, opus est eos, quales revera sunt, aliis tradere cognoscendos. Sub hoc specioso prætextu, nulla est existimatio, quæ non lædatur, nulla infirmitas, quæ non proferatur, nullum vitium, quod per omnium aures non traducatur. Illi ipsi, qui extrinsecus religiosi, ac virtute præ cæteris ornati videntur, primi nonnumquam sunt, qui periculosam hanc sibi vendicent facultatem, S. Hieronymus inquit. Statim ac homo frugi est, & mulier devota, ac in vitæ suæ ratione irreprehensibilis, jus sibi comparasse videntur aliorum mores censoria nota castigandi. Si quis labitur, si in infidelitatem, vel secretam aliquam decidit injustitiam, statim hoc omnes norunt; ab omnibus monstratur digito, & minimi etiam illius defectus evulgantur. Hæc autem omnia ex Religionis, & charitatis principio fieri dicuntur, pro bono Ecclesiæ, & eorum utilitate, quorum vitia deteguntur. *Idem sermone secundo.*

Obliti estis vos millies accusasse alios de iisdem sceleribus, quæ in vobis levia, ac venia digna existimastis. Vultis vobis parci, aliis parcere detrectantes. Ad ea, quæ os lædunt, attenti ea, quæ ad alios pertinent, nullo in discrimine habetis; de honoris summa solliciti ne minimum quidem vulnus ferre potestis; & vulnera, quæ lingua vestra aliis infligit, vos minime movent. Vocula inofficiosius in vos prolata vos ita provocat ad iracundiam, ut quidquid fiat satisfaciendi gratia, numquam iras ponere velitis; & ubi proximum læditis, vultis illum levibus, ac perfunctoriis imprudentiæ vestræ excusationibus acquiescere. Frustra

dicunt,

dicunt, verbum sibi temere excidisse, ne cogitantibus quidem; statim quippe redditis, illis fuisse cogitandum, & non ideo minori vos affectos fuisse contumelia. *Vosmetipsos hac eadem mensura metiamini*, neque duplex adhibeatis pondus, duplicemque mensuram, quæ a Spiritu sancto reprobatur. *Idem.*

Detrahentium injustitia, qui aliorum omnes in laevam partem interpretantur.

Mirum detrahentium artificium, S. Basilius inquit! Reticent ea, quæ in alicujus laudem cedunt, ut ea tantum exprimant, quæ illi contemptum conflare possunt. Illum ex altera tantum parte, & ut ita dicam per illius extrema solum ostendunt. Exhibent illum ex eo tantum latere, ubi virtutem inter ac vitium parum discriminis intercedit. Aliquidne inest temeritati, quod ad fortitudinem accedat? Pusillanimitatis, & ignaviæ confinia summæ moderationi, & lenitati conterminа? tamquam temerarios, & audaces ostendunt eos, qui strenui, ac fortes essent habendi; & veluti ignavos, ac pusillanimes exhibent eos, qui tamquam mites, ac moderati essent celebrandi. Charitas vitium quidem celat, virtutem vero palam ostendit; detractio e contra virtutem abscondit, & vitium revelat. *Idem in Considerationibus in hoc argumentum.*

Comparatio Detractionis cum furto.

Vulgo dici solet, si nulli essent, qui absconderent furta, nullos fures futuros; at æquiori jure in Christiana morali dicere possumus, si nulli aures libenter præberent detrahentibus proximo suo; nullum fortasse detrectorem futurum. In furto abominabile adest commercium, ubi alii seu vi, seu dolo aliena auferunt bona, & alii ablata recipiunt, ac distrahunt. In detractione quoque turpe adest commercium, ubi alii proximi famam proscindunt, alii vero, quæ audierunt, narrant, atque promulgant. In furto abscondita est injustitia ubi fures, & conscii præter propter æque nocentes sunt: in detractione altera est injustitia, ubi auctores æque, & approbatores æquali fere sunt crimine adstricti. Denique secundum humanas leges pari pœna puniuntur, & qui furantur, & qui furta distribuunt; & secundum divinas in illos qui detrahunt, & qui eos audiunt libenter, adeo severe animadvertitur, ut facile nequaquam sit statuere utri graviori pœna puniantur illine, qui alienæ obtrectant existimationi, an qui præbent aurem obtrectantibus: *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim. Joly sermone de Detractione pro undecima post Pentecosten Dominica.*

Detractionem audiens peccas, quia vel per incuriam, vel per voluptatem detractioni aditum aperis. Ideo in terris adeo communis, ac familiaris detractio est, quia illius auctores non corripiuntur. Si illis valide adversaremur, si tantum nobis esset zeli, ut potestatem habentes, illos corriperemus, vel mœrore vel austeritate testaremur, pravis eorum sermonibus scandalum nobis inferri; quamprimum hæc maledicta cessarent, vel saltem non cum haberent progressum, atque perpetuitatem, quam habent. Si tibi tantum pectoris esset, animique, ut his humanæ societatis pestibus id diceres, quod olim Sanctus Chrisostomus: *Habetis ne aliquem, quem laudibus condecoretis, libenter vos audiam; aliquem estis vituperaturi, aures meas obstruam: utrum hic fœnerator sit, nec ne, quid ad me? utrum mulier illa pudica sit, an secus, quid ad me?* ea tantum peccata, de quibus rationem reddituri estis Deo, vobis negotium facessant; scrutamini potius vitia vestra, ut ea corrigatis, quam aliena, ut vituperetis; cogitate quid vobis desit, quid domi vestræ fiat, potiusquam improbe exploretis, quid fiat alienæ. Si tibi, inquam, ut Sancto Chrysostomo, tantum animi esset, ut hoc pacto detractores alloquereris, cum eodem credo, eos paucissimos in mundo futuros; & homines hujusmodi inquietos, & periculosos, ubi se contemptos ac ejectos viderent, pravum hunc habitum tandem esse relicturos. *Idem.*

Patres, ut ostendant quot mala pariat detractio, pluribus utuntur similitudinibus; alii eam igni comparant, veneno alii, alii viperis, atque serpentibus. Detractio omnia igni corrumpit; plurimam parit vastitatem, & ad instar furentis illius elementi nulli rei parcit: summos æque, ac imos aggreditur, & si flamma neque Templa, neque Principum palatia reveretur, nihilo majorem adhibet reverentiam detractio. Sacræ Personæ, & qui in sublimiorum dignitatum apice constituti sunt, illam evitare non possunt. Virus est omnia inficiens, omnia corrumpens, nulli rei parcens, eo usque ut a Sancto Jacobo, *Universitas iniquitatis* vocetur: Jacobi 3. Adeo verum est, detractionem pestem esse, quæ quocumque obrepit, & quocumque corruptionem immittit. *Specimen sermonum pro Dominicis, Dominica Quadragesimæ tertia.*

Quam pretiosa sit existimatio, quam nobis aufert detractio.

Divitiæ, voluptates, honores, dignitates amittuntur in morte, sed existimatio in hoc naufragio, in quo humana quælibet nobis intereunt, viget immortalis. Nobis incolumem servat vitæ partem, quam, ut ita dicam, eripit morti, & hæc, ut vetus quidam Pater ait, *Sola est possessio mortuorum*. Ita Spiritus Sanctus etiam, atque etiam nobis commendat, ut illius quam diligentissime curam geramus: *Curam habe de bono nomine*; & Sanctus Paulus Apostolus rebus in omnibus adeo humilis, non se extollit, nisi ut tueatur existimationem suam, quæ ad Apostolatus sui munera uberiori cum fructu obeunda ipsi erant necessaria. Omnes istæ rationes, quæ nobis ostendunt præstantiam boni existimationi nostræ adhærentis, detractionis enormitatem aperiunt. Quo autem in pretio ab hominibus honor semper habitus fuit, quandoquidem ad illum tuendum, & acquirendum adeo frequenter vitam suam in discrimen objecerunt, & sibi hanc veluti inevitabilem legem irrogarunt hujus potius amittendæ, quam se illius periculo objiciendi. Ita dici potest detractor quamdam homicidii speciem committere. *Ibidem Tomo secundo pro tertia post Pentecosten Dominica.*

Humani spiritus nequitia efficit, ut retractationes habeantur tamquam satisfactiones a Religione irrogatæ, quæ, tantum abest, quod contumeliosas deleant ideas, quas illevit detractio, ut illas instaurent. Cæterum detractionis virus sese celeriter adeo effundit, ut afferri nullo modo possit medicina iis omnibus, qui eodem fuerunt imbuti. Ita vulnera proximi existimationi inflicta, numquam fere curantur. Persona illa, cujus nomini labem effudisti: semper animo recurrit eadem coinquinata labe, quam illi per detractionem adspersisti: ita, ut postquam omnes exercueris conatus, ut malum, quod peperisti, reparares, nihil de illius gravitate decesserit. Hæc scintilla est infernalis spiritus afflatu agitata, quæ incendium excitat non ita facile extinguendum, & cujus flammæ sese quoquo versum effundunt tunc etiam, cum deplorabiles ejus effectus cum dolore spectamus. Quæ cum ita sint, mirum non est, quod peccatum hoc committatur omnibus in locis, ab omni personarum genere, qualibet hora, quin fortasse ad id animus advertatur, & quin aliquis illud saltem reparare contendat? *Idem.*

Praxis S. Ambrosii.

Meminerimus quid facere consueverit S. Ambrosius, qui cum fratrem haberet vita ipsa chariorem, cum illo pactus est, numquam sibi ultro citroque revelaturos quidquam, quod alterius officeret existimationi: *Erant nobis omnia communia, solum de vitiis proximorum non erat commune secretum.* Sed heu! hodierna die, statim ac alicujus vitia, vel defectus detecti fuerunt, illico amico alicui narrantur, qui statim in alterius amici auriculam hoc idem garrit, ita ut defectus, qui tamquam secretum aliquid caute aperiuntur in publicum rumorem evadunt. *Auctor Anonymus.*

Videtur nonnumquam devotio detractionis esse cau-

causa in iis, qui pietatem profitentur. Si loquimur, inquiunt, ideo loquimur, quia divinæ gloriæ zelus nos agit. Si tacemus, homo hic in idem facinus haud ægre relabetur. Eheu, pietas nefaria, quæ unicum prohibet conata crimen, quod fortasse crimen non erit, causa est propter quam plura re ipsa peccata patrentur. Proh zelum imprudentissimum, vel potius funestum dæmonis prætextum, qui hac ratione homines perdere conatur, cum id alia qualibet ratione nequeat efficere. Si veram habes charitatem erga hominem hunc, cur illum non convenis, eumque suaviter corrigis; vel cur certiores non facis eos, qui medicinam possunt adhibere, potiusquam illius defectus buccina clangas apud eos, qui malum augent, peccatum omnibus, qui in urbe adsunt, enarrantes? Fatere potius, dæmonem, ne hoc vitium relinquas, illud in animo tuo tamquam virtutis actum exhibere; vel si vere nosti hoc scelus esse, quomodo illud conciliare potes cum ea pietate, quam aperte profiteris? *Biroat Sermone secundo pro tertia Quadragesimæ Dominica.*

Ejusdem argumentum.

Hoc sæculo adinventa est ars de proximo detrahendi eo perniciosior, quominus ab eadem sibi cavent mortales. Excogitata est ratio alienam proscindendi existimationem non quidem violentis furoribus, sed sanctis institutis, intentionibus, quæ in speciem laudabiles sunt, & falso Divinæ gloriæ zelo. Hominibus hujusmodi fides abrogandà est inquiunt; vitium non est relinquendum inter eas tenebras, quibus involutum est: divinæ gloriæ postulat ratio, ut in publicum proferatur. Hoc sibi religioni maxime vertunt, & quamvis plerumque nesciant quid dicant, facta comminiscuntur, exaggerant, vel ea dimidiata dumtaxat proferuntur; generale cum particulari confunditur, additur interpretatio, judicium, disceptatio, eaque omnia ex quodam divinæ gloriæ principio; eo enim usque abusus evasit. Eheu! si in pœnitentiæ spiritu ad trutinam revocaremus, abditas intentiones omnes, quas habuissemus aliorum existimationem imminuentes, quænam esset nostra confessio? Proh Deus, cum cordis contritione diceremus, non lex tua quidem nos ad detrahendum compulit: nos prævaricatores sumus, qui detractionibus nostris gloriam tuam prætexere ausi sumus. *In sermonibus editis sub nomine P. Bourdaloue pro feria secunda majoris hebdomadæ.*

Quid quotidie parit secretas inimicitias, quæ ad honoris summam rediguntur? Quid cruenta gignit prælia divinis, humanisque legibus vetita, nisi imprudentia linguæ maledicæ, ex qua pœnas reposcere læsus cupit? Numquid vobis incederet si in historiæ nostræ decursu videretis fluvios effuso sanguine purpureos, idque ob unicam detractionis vocem? Quid non efficit hæc obtrectatio, cum sese effundit in Satyras, & Opera Poetarum, quæ non aliud profecto præter dæmonem nacta sunt inventorem? Integra elabuntur sæcula in detractione, & post sexcentas reconciliationes vulnus adhuc fluit sanguine, & cicatrix numquam obducitur &c. *Idem.*

Mala, quæ parit detractio.

Antequam JESUS CHRISTUS fieret Judæorum furoris objectum, jampridem erat eorum detractionis. Civitas tota, totaque Provincia de eodem variis distinebantur sententiis; ubique aperti erant inimici, neque deerant alicubi patroni. Sed heu! patroni pavidi, ac nutantes, quorum vox suffocabatur impotentia Judæorum cor tumidum, & obduratum habentium. Si JESUS CHRISTUS innocentiæ speculum, & perfectionis exemplar detractionem non potuit effugere, quomodo illius Discipuli, Apostoli, & servi se eidem nequaquam obnoxios futuros arbitrentur? Quicumque contra illum loquebantur, similiter erant affecti, verum non omnes iisdem innitebantur principiis. Scribas quidem, & Pharisæos agebat invidia, ut perspicua JESU CHRISTI miracula imminuerent, & præclaris ejusdem actionibus maculam adspergerent; populum trahebant prava Pharisæorum exempla, a quibus fuerat deceptus. Ecce quænam fuerit eorum detractio, & nefaria censura de sacra JESU CHRISTI persona. *Auctor Anonymus.*

Quomodo ferre non possumus, ut vel parum nomini nostro obtrectetur.

Perpendite, o fideles, quantopere vos ad iracundiam excitent ea, quæ vobis ingeruntur maledicta: Si unicum in vos inofficiosum verbum proferatur, quinam est cordis vestri sensus? Quo vocis tono in omnigenam linguarum improbitatem invehimini, exaggerantes quod vobis damnum infertur, & quæ vobis justa reparatio debeatur? Quo usque jura vestra, & querimoniam protenditis? Frustra sibi dicet aliquis verbum imprudenti, & ne cogitanti quidem elapsum, vel se non esse illius rumoris auctorem, vel tandem nihil a veritate dissonum dictum fuisse; quo enim loco has omnes inanes excusationes habebitis? Hoc non cogitabam, inquies? Nonne id cogitare tenebaris? Tu auctor non es? Nonne satis hoc a te dictum? At enim nihil nisi clanculum dixi, & prudentibus hominibus: verum quis tibi pollicitus est futurum, ut homines illi te essent prudentiores? Demum dicis, nihil non verum protuli: At velles ne omnia de te dici, quæ vera sunt? Hæc idea est, quam de detractione habemus, cum ejus nomine corripimur: ubi res agitur nostra, satis religiosi sumus, ubi vero de proximi agitur gloria, tunc imprudentes sumus, nullisque agimus conscientiæ stimulis & quidquid de aliis dicimus, cupimus excusari. *Idem.*

Neque satis est veros proximi defectus detegere, aut damnare; si illi subirati sumus, si illum odimus, si qua nobis cum illo simultas est, omnia in leviorem partem interpretamur, atque ex verbis, ac operibus ejus perniciosas illationes elicimus. Illi nefaria consilia, & noxias intentiones tribuimus, atque in ejus vitæ ratione satis superque invenimus, quare illum superbiæ, curiositatis, dissimulationis, hypocrisis nomine redarguamus. Tunc etiam cum in eumdem tam improbos sensus non fovemus, animi ægritudo non sinit ut eosdem foventibus adversemur, efficitque, ut in speciem probemus quidquid illi testantur, quamvis intrinsecus illos damnemus, atque e re nata in illos invehamur, eosque tales exhibeamus, quales nobis sunt visi. *De Sancta Martha. Tomo 2. Tractatuum Asceticorum. Tractatu de Colloquiis.*

Plurium hominum detractiones magis periculosæ.

Cum apud plurimos homines pietate præditos idem error percrebuit, atque se teneri ex conscientia putant eumdem aliis persuadere, eorum conversatio tunc fit maxime periculosus mortalibus laqueus. Opinio enim quæ de eorum virtute pervasit, bona opera quæ ab illis fieri videntur, charitatis eorum argumenta, eorumque integritas ex altera parte plurimum sermonibus eorum ponderis addunt, ex altera vero, si credunt se propter pietatis regulas teneri, ut aliquem aliis cognoscendum tradant, qualem esse arbitrantur; tanta vi, & ardore illius existimationem lacessunt, ut nulla ferme ratione illis resistere valeas. Quamobrem dici potest, nullos calumniatores periculosiores esse piis hominibus, qui cum vel occæcati sint, vel facti ignorantia teneantur, in eo suam pietatem constituunt, ut illis obtrectent, quos non satis agnoscunt. Zelus excæcatus eos contra Dei servos excitat, non secus ac olim Judæos contra JESUM CHRISTUM excitabat. *Idem.*

Callidæ obtrectationes.

Si reminisci posses sermonum, quos cum hominibus etiam virtute præditis miscuisti; intelligeres paucissimos esse, qui, cum de aliis est sermo, abstineant a detractione, sed callida, & quæ vix, & ne vix quidem percipi potest. Vir ille, de Aulico loquentes inquiunt, scitus est, & politicus, cumque seipsum altius attollere studeat, diligentius scrutatur affectus Principis, cui famulatur, & apud quem in pretio est, ut illam in suas pertrahat voluptates. Viro huic alioquin plurima sunt merita; tot prælia sustinuit, ubi egregiam sibi nomi-

nominis famam comparavit; tot certamina pertulit, ex quibus cum summa utilitate, & gloria semper evasit. Opipare, lauteque vescitur, ac plurimam servorum alit familiam. Jam præ cæteris competitoribus tantum præstat, ut nihil ultra queat desiderari; & si de ejusdem fortunæ cursu judicium ferendum est ex ejusdem initiis, certissime, & brevi ad primos gradus, ac Regni dignitates perventurus videtur. Optaret ille quidem eo meliori via adniti, verum cum in aula, in qua est non aliæ viæ pateant ad eumdem finem assequendum, id facere cogitur, quod hodierna die omnes honesti faciunt. Singulare profecto matronæ hujus est meritum; ad miraculum usque mundum novit, omnia tanta peragit cum venustate, ut videntibus omnibus placeat; omnibus nobilibus, honestisque cœtibus interest: nulla fiunt symposia, nullæ choreæ, quibus advocata non adsit. Paulo quidem superba videtur, fastum, & amatoria blandimenta diligit. Aufer ista, qui tamen frequens est mulierum hujus dignitatis caracter, mulierum omnium est optima. Abbas ille vir est spectatissimus; generis nobilitatem cum litterarum eruditione conjungit; talis est oris ejus habitus, ac vitæ ratio, ut facile in eo virtus eluceat: cæterum dici potest paucissimos esse in toto Regno Ecclesiasticis auctos beneficiis, qui præ illo melius collatas a Principe gratias mereatur. Redditibus suis utitur egregie; mensa ejus delicata est; & pretiosa supellex; præ cæteris nitet; venuste, & eleganter concionatur, & nonnisi præcipuos occupat suggestus. In cœtu, & societate nihil illo suavius est; ita ut si meritis par fortuna fuerit, credo brevi ad Infulas perventurum. Inficias tamen ire non possumus, illum paulo nimis Mundum consectari; verum quid? genus, & nobilitas ita vivendi illi necessitatem injiciunt. *In Dialogis Abbatis Joannis, & Presbyteri Eusebii Dialogo secundo.*

Hominum plerique improbe eos oderunt, qui in diversa partium studia abiisse arbitrantur. Credunt, sibi jus esse famam eorum imminuendi, ideoque nihil intentatum relinquunt; convicia, improbæ artes, atroces calumniæ, famosi libelli hæc arma sunt eorum, qui partes diversas sequuntur: quidquid eorum favet cupiditati, probatur; Diceres detractionem in illis non esse amplius vitium, dummodo suum finem consequantur; ipsi etiam magis violenti furores meriti locum habent. Quidquid illis non placet, & ab eorum moribus discrepat, nullo habetur in pretio. In illis tantum mentem, virtutem, meritum, religionem esse volunt, qui in ipsorum partes, ac sententiam concessere. *P. Croiset Tomo secundo Spiritualium considerationum.*

In mundo facile detrahere est, & audire detrahentes.

Qui in mundo vivunt, ex statu suo subjecti sunt plurimis detractionibus audiendis. Curiositas ad eas audiendas allicit, improbitas ad credendas, levitas ad diffundendas, aliisque communicandas. Ita, ex Divi Bernardi sententia, unica detractio plurimos perdit, & dicentem, & eam cum voluptate audientes, & eamdem evulgantes. *Essais de Morale. Tomo 10.*

Detractio ita familiaris effecta est, ut in paucissimis cœtibus non adsit. Ubi simul plures convenere, sermo de iis fit, quæ accidunt in mundo. Hoc theatrum est, in quo actores sunt homines, quorum quilibet suam ludit, ut novit, & potest, personam; eorumque studium est, ut alii aliorum mores, vivendique rationem considerent; non quidem ut eos laudibus prosequantur; sed e contra quemadmodum quilibet se attollere, ac inter cæteros enitescere quærit, ita non aliud quærit, nisi quo pacto dejiciat, ac deprimat eos, qui nomini suo possunt officere. Non habentibus defectus, appingunt; habentium augentur, & multiplicantur; sine ulla religione comminiscuntur, fabulantur. Ita quæ unquam res est, o Domine, quæ te cogat in homines damnationis sententiam inferre, quam improbitas hæc, quæ illos impulit, ut de mortalibus omnibus obloquerentur, & hæc voluptas, quam nemini patentes percipiunt. *Abbas Trappensis in Considerationibus moralibus in Evangelium Sancti Matthæi.*

Nulli sunt nocentiore, vel deterioris notæ mortales, quam qui callide detrahunt, & coloribus abundant ut malum, quod de aliis proferunt, probari faciant, & laudes, quæ illis deferuntur, evertant; qui cum elogio vituperare norunt, ac in suspicionem optimam quamlibet existimationem, prout ipsis libitum fuerit, adducunt; qui officiosi videntur tunc maxime, cum perniciem afferunt; & qui non nocent, nisi cum gratificari velle videntur; qui mites sunt, ut sint crudeles, sinceri, ut sint proditores, & qui venenatas habent laudes aperta detractione deteriores. Id genus hominum non satis horrere possumus. Si nescit homo oblivisci contumeliæ, quæ sibi in ipso irarum fervore ingeritur, quomodo parcet illi, qui consulto, & quasi ex commentario illam depromit? *J. Pic. De filiorum educatione.*

Mulieres præ cæteris ad detrahendum proni.

Mulieres crebro diebus integris de alia re non loquuntur præterquam de defectibus proximi, & de iis, quæ ad alios pertinent. Sexcenta ferunt temeraria judicia, quæ ubi maturius inspiciantur, falsa deprehenduntur; ac in sexcentas erumpunt detractiones, quæ proximi labem offundunt. Omnia [illegible] volunt, de omnibus [illegible] cium, omnia perpendere, omnibus se i[illegible] & non intelligunt, quod sibi necem infe[illegible]; quæ adsunt, docent curiositatem, temeritatem, detractionem, & erga proximum nequitiam. *Auctor Anonymus.*

Sanctitas satis non est, ut nos a calumniis tueatur, & os inimicorum obstruat. Deus non semper mortalium cohibet invidiam. Hæc una ex omnibus animi ægritudinibus nullo vallo coercetur; & donec in terris virtus erit, & meritum, erit etiam detractio. Virtus, quæ magis nitet, magis etiam oppugnatur, perstringit enim oculos eorum, qui vel virtutibus carent, vel vulgarem tantummodo virtutem habent. Itaque qui non usitata virtute renident, non minus sibi contra calumnias, quam contra plausus debent cavere. *Abbas Trappensis in Christianis Sententiis.*

SUPPLEMENTUM.

Detractio & Calumnia.

Omnes detrahunt, & semper detrahitur.

Mortalium omnium crimen est Detractio; ignobilium, qui cum ad nobilitatem nequeant pervenire, detrahendo ulciscuntur: eruditorum, qui eloquentiæ palmam aliis videntur præripere ubi alios satyrico sale melius perfricuerint; scitorum hominum, qui de innocuo pœnas sumere volunt, eo quod illorum nomen Morosi Auctoris menti sese obtulerit; matrum in cœtibus earum; Ecclesiasticorum in conventibus; inimicorum, ut ultioni suæ satisfaciant; pseudo amicorum, ut sinceritatem suam prodant; inferiorum per invidiam; superiorum per ingenium insolens. Semper & fere ubique detrahitur. Satis est plures simul convenisse, ut detractio fiat panis conversationum suarum; quo figurato vocabulo utitur Deus apud Prophetam. In mensa epulæ quidem variant, ac panis semper apponitur. Plura habentur colloquia, sed detractio communis est. Non semper verba fiunt de scientiis, negotiis, pietate. Si de scientiis incidat sermo; hic quam primum rudis habebitur; si de negotiis, ille tamquam subdolus traducetur, si de pietate, non deerit, cui hypocritæ persona affingatur. Alia vitia nonnumquam fatigant; nemini umquam tædet detractionis. *Abbas Boileau in delectis sententiis.*

Tria in detractione distinguenda; illam dicere.

In detractione tria distinguenda sunt, illam dicere, illam ab aliis dici sinere, eique non contradicere. Illam dicere, quæ nequitia est? Illam ab aliis

Illam audire; illi non repugnare. aliis dici sinere, quæ infirmitas? Illi non contradicere, quæ ignavia! Omnium detractionum prima facta fuit in Terrestri Paradiso ab antiquo serpente, qui vulgo *Diabolus* dicitur; hoc est *calumniator*, quæ vox in se obmurmurationem, & detractionem complectitur. Prima, quæ illum audiit libenter, Eva fuit; primus vero qui non contradixerit, Adam. Cui vero peccatum hoc acceptum referendum est? Non quidem serpenti, neque enim serpentis peccatum appellatur; neque primæ mortalium matri; neque enim Evæ peccatum dicitur. Quare? quia simplicitas, & infirmitas Sexus in causa fuit, ut a Serpente deciperetur. Nocentissima fuit tamen, cum rationis lumine uti posset, ut veteri huic Calumniatori resisteret. Sed Adæ vitio scelus hoc tributum fuit; ideoque Adæ peccatum vocatur, quia cum illi jus, & facultas esset prohibendi, & compescendi illud, tamen illi non contradixit. Hoc illius crimen fuit; hæc proprium illius scelus. *Abbas Boileau in delectis sententiis.*

Mala quæ parit detractio. Scriptura nobis exhibens detrahentis caracterem, hunc nobis tamquam terribilem, formidabilemque repræsentat. *Terribilis in civitate homo linguosus*; & profecto terribilis est in civitate, terribilis in communitate, terribilis in privatis domibus, terribilis in magnis, terribilis in parvis. Terribi[illegible] in civitate, quia ibi suscitat seditiones, factio[illegible] in communitate, quia illius pacem, & [illegible] perturbat; in privatis domibus, quia [illegible], & inimicitias ibi fovet; in magnis, quia abutitur fide, quam habent in se, ad perdendum quemcumque ipsi placuerit ex sectatoribus eorum; in parvis quia illos contra se ultro, citroque excitat, atque inflammat. *Terribilis homo linguosus*. Quot familiæ perierunt ob unicam detractionem? Quot amicitiæ scissæ propter unicam irrisionem? Quot corda exacerbata, ac venenata ob imprudentes relationes? Quid quotidie tot apertas parit lites, & contentiones? Nonne vox aliqua, qua aliquis se læsum putat, & cujus ultionem exquirit? Quid invexit tot singularia certamina sapientissime a divinis, humanisque legibus interdicta? Nonne fere aculeatum dictum, quod juxta mendacem Mundi honorem impune abire permittendum non est? *P. Bourdalove in Dominicali.*

Detractio est vitium fermum communium. Quamvis alia vitia semper magis, quam antea latius se effundant; tamen non desunt quidam status, & conditiones, quæ iisdem immunes sunt, seu per gratiam vocationis, seu per virtutis conatum, seu per occasionum defectum, seu denique per quamdam speciem necessitatis. Avaritiæ in Religiosi cor aditus obstructus est; ambitio vix adhærescit obscuris quibusdam conditionibus; non desunt in Christianismo Virgines, fere sine ullo labore de carnis dæmone triumphantes; detractio vero æque in omnes homines suum exercet imperium. Hoc summorum, hoc imorum vitium est, Principum, Populorum, Doctorum, & indoctorum. Vitium aulæ, civitatis, togæ, militiæ, juniorum, atque seniorum. Dicamne, & quisquam inde scandalum arripiet? Non Ita Fratres mei; dicam enim cum omni reverentia, & cautione, qua opus est. Hoc est vitium Sacerdotum æque ac Laicorum, Regularium æque ac sæcularium, Spiritualium, ac devotorum æque, & fortasse etiam magis, quam impiorum. Attendite; non dixi hoc devotionis esse vitium; absit: Devotio semper omnibus vitiis immunis est, & qui vel unum illi appingeret, contumeliam inferret Deo, immo etiam cultui ipsius fidem abrogaret; sed qui devotionem profitentur, habent peccatum sibi proprium non fecus ac alii, & nostis, utrum illis maxime familiaris detractio sit: peccatum, quod animabus alioquin præ cæteris pietate præditis adhæreſcit; peccatum, quod sæpe efficit, ut in illis moriantur omnes gratiæ, atque justitiæ fructus, peccatum, quod eorum mentes corrumpit, cum interea corpora illorum casta permaneant; peccatum; quod triste illius adfert naufragium, postquam periculosissimos noxiarum cupiditatum scopulos superaverunt; peccatum denique quod plurimos perdit devotos, & devotionem ipsam dedecorat. *Idem.*

Ille, de quo loqueris, vel inimicus est, vel amicus, vel neuter; si inimicus, hinc est: quod odium, vel invidia te ad illi obtrectandum impellit; Et hoc apud homines etiam turpis ignavia existimata fuit, atque existimatur; quidquid dicere possis, integrum est nobis nil credere, & asserere te lacessitum fuisse; animi ægritudinem has tibi voces extorquere: si homo hic tuis prodesset negotiis, te non ita de illo esse oblocuturum, immo te in illo approbaturum id, quod improbe in eodem reprehendis. Ita sane dicitur, & sapientes qui te audiunt, furoris tui testes, tantum abest, quod inimicum tuum contemnant, ut immo contemnant te, tuamque irrideant infirmitatem. E contra vero si amicus tuus est, (cui enim parcit Detractio?) quænam ignavia est ita prodere amicitiæ legem, ac insurgere adversus illum, cui patrocinari debes; illum totius coronæ ludibrium facere, cum alibi blandiris illi; eum hinc quidem palpare, inde vero afficere contumelia! Non desunt autem, ipsi nostis, in quibus linguæ intemperantia huc usque infidelitatis procedit, & qui dummodo risum excutiant sibi, non cuiquam parcunt amico. Verum esto nullo in discrimine tibi sit homo ille; nonne aliud turpissimæ ignaviæ genus est, illum adeo gravibus vulneribus confodere? Quoniam illum habes nullo in discrimine, cur illum lacessis? Cum de te malo meritus non sit, cur tu prior de illo malemereris? Quid egit ille, ut in se detractionis tuæ virus converteret? Nil tibi cum illo rixatum est, inquis, & nihilominus lacessis, & vulneras illum? Quæso aliquidne hoc turpius, & ignavius fingi potest? *P. Bourdalove in Dominicali.* *Detractoris ignavia.*

Centies vobis dictum fuit, quicumque detractioni præbet aurem, fieri detractionis consortem, & sæpe nihilo deterius esse detractionem facere, quam pati; & aliquando fortasse plures a Deo damnatum iri, quia detractionem audierint, quam quia proximo obtrectaverint. Scirene vultis cuinam rei fortasse innitatur hæc obligatio? Potissimum nititur detractoris ignaviæ; quia sicuti semper de absentibus maledicit, Providentiæ munus fuit efficere, ut absentes contra malum adeo perniciosum præmunirentur. Huic autem rei sapientissime a Domino consultum fuit per hanc legem charitatis, qua prohibemur adhærere detractioni, & jubemur illam vel silentio nostro damnare, aut verbis refellere, aut auctoritate coercere; ita ut si quis me coram proximi honorem affecerit contumelia, me ipsum existimare debeam tamquam hominem deputatum a Deo ad illum tuendum: tanti momenti est hæc, quam Deus nobis commisit, provincia. Detractor ignavus est; opus est ut christianam præseferamus firmitatem, & charitas in nobis totidem patronos inveniat; alioquin nobis ratio erit reddenda illius detrimenti, quod inde proximus passurus est. *Idem.* *In quo sita sit obligatio aures non præbendi detrahenti.*

Audistis plurimos detrahentes: audistisne aliquem de detractionibus suis palinodiam canentem? Hic defectus est Christianismi; fateor, verum quia palam in discrimen salus adducitur, ubi hoc non adimpletur officium, magni quidem inveniantur, oportet, obices ut rite adimpleatur: Obices sane, qui fontem non excusant, & probant detractionis crudelitatem. Etenim vos qui detrahitis, quomodone ferre poteritis vestrum ruborem, ad viri, vel mulieris hujus honorem reparandum? Agnoscitis periculum, in quo estis ut habeamini mendaces, invidi, improbi, & fortasse etiam aliquid deterius; ut in vosmet convertatis omnia hominum probra. Palinodiam canere est, vosmet ipsos *Nihil adeo difficile est & tam necessarium quam reparare injuriam per detractionem proximo factam.*

ipsos accusare plurimarum rerum, quæ vobis pudorem deberent immittere: attamen hoc pretio vobis est recinenda, alioquin nulla est absolutio, nulla salus. Quam ingredimini vitam, ut errorem auferatis ab illis, qui vos detrahentes audivere? Apud quot mortalium capita, & quot in locis ille, cui atræ loliginis fucum allevistis, deformis videtur? Si vobis tantum itineris faciendum est, quantum vestra obiit detractio, non tam cito terminum assequemini: attamen nulla ad id vobis cura prætermittenda est; & si veremini ne vulnus exasperetis potius quam revocetis ad cicatricem, quot opus erit præcautionibus, sollicitudinibus, difficultatibus! Et si detractio vestra exitus funestos peperisset, odia, lites, temporalium bonorum jacturas: Si Mercator fide caret; Si Orator clientibus destitutus est; si Magistratus auctoritatis passus est detrimentum; si Virgo non habet, cui nubat; si Uxor a viro dissentit; si Ecclesiasticus, & Regularis nequit ultra officii sui munera obire, hæc mala sunt, quorum rationem estis reddituri; & quibus ideo pro viribus a vobis adhibenda est medicina. Theologia hæc manifesta est: hæc morum disciplina est certissima, munus hoc ineluctabile. *P. la Pesse Sermone de Detractione.*

Detractorem Deus, & homines oderunt. Detractor odio est, & cui? Deo simul, & hominibus: Deo, qui essentialiter amor, & Charitas est, & qui ideo essentialem habere debet oppositionem detractioni; quia detractio internecinus est charitatis inimicus: Hominibus, quibus juxta oraculum Spiritus Sancti, detractor est abominatio. Et sane quid odiosius est homine, cujus censuræ omnia patent; cujus tela nemo cujuscumque conditionis ille sit, evadere potest, & a cujus latratibus ne ipsæ quidem potestates esse possunt immunes. Quid odiosius tribunali, quod privata auctoritate constitutum est, ubi de mortalium merito ad arbitrium disceptatur; ubi hic talis declaratur, qualem hunc haberi libido fert? ubi ille nonnumquam æterna notatur infamia, quæ numquam sit imposterum eluenda; ubi omnes suam recipiunt sententiam sine ullo discrimine, ac miseratione irrogatam. *P. Bourdalove in Dominicali.*

Barbara detrahentium crudelitas. Horum imago a Rege Propheta adornata. Voluptas, quam prisci in Gladiatorum certaminibus recipiebant, damnata fuit a Sanctis Patribus; qui illis exprobrarunt barbaram hanc voluptatem, quam ipsa horrebat natura. Sed qui detrahunt proximo suo numquid minus crudeles sunt, & minus nocentes? Sanguinem quidem non effundunt, neque illis auferunt vitam: sed honorem, quem aggrediuntur, nonne sanguine, & vita ipsa charior est? Hæc detrahendi voluptas fluit etiam ex fonte corruptiore, ac turpiorem gerit improbitatis caracterem. Hi spectatores, quos jure suo Sancti Patres inhumanos vocabant, in præliis ejusmodi vivam belli intuebantur imaginem, ubi alii vulnera inferebant, alii propulsabant. Incertus certaminis exitus eorum animos incertos tenebat, uter victoriam esset relaturus. Victoria penes illum erat, cui plus erat animi, virium, dexteritatis, & nonnumquam gloriæ sibi vertebat parcere vitæ duorum Athletarum. Hoc autem detractioni non accidit. Satis non est fratris sui cruorem effusum intueri; illi honor eripitur, quem hominis sanguinem defæcatiorem Sanctus Chrysostomus appellat. Improbi detractores, in hoc certamine estis, Leones, Tigrides, Ursi, qui eum discerpitis; serpentes, aspides, qui illum pungitis, atque mordetis. Prophetam David interrogate, dicet vobis improbum cor vestrum dentibus detractionis lancinare proximum, & linguam vestram esse gladium ancipitem, quo illum confoditis. Quænam certaminis species; quam ignava, quam odiosa! Si inde aliqua refertur victoria, hæc non in eam inclinat partem, qua virtus pugnat, sed qua improbitas, & perfidia digladiantur. Hostem aggredi eo tempore, quo vim vi propulsare non potest; ignave detractionis virus effundere in cœtu, ubi inimici absentia, ac silentio eorum abutitur, qui absentem impune lædi patiuntur, quid indignius? Nulla umquam, ex Sancti Augustini Sententia, ita ad vivum imago proposita fuit, ut illa, quam de detractore nobis David Propheta relinquit. Quocumque ingreditur, circumspicit, quærit, scrutatur; nihil inquietam illius fallit curiositatem. In Cœtum venit ut aliorum quidem aspectitatem, aliorum vero nimiam familiaritatem observet; ut in frigido silentio audiat, quidquid fit, ac dicitur, ut eorum omnium, quæ illi mala visa fuerint, congerat, & agnoscat infortunia, quæ acciderunt illis, & injustitias, quas vel fecerunt, vel passi sunt. *Abbas Boileau in Quadragesima.*

Inanes causæ, quæ prætexuntur, ne detractionis malum farciatur. Arbitramur nos nequaquam teneri ad reparandam detractionem, quia illius primi Auctores non sumus; sed in ea re, ubi charitas lædebatur, numquid aliena enarratio nobis erat cautio secura? Vellemus ipsi secundum aliorum fidem de nobis promiscue credi, quidquid dicitur? Peccatum potestne esse excusatio alterius peccati? Et judicium temere factum quod suapte naturà malum est, dispensaretne a separatione alterius mali, quod est detractio? Contendimus, rumorem, qui passim percrebuerat, rem satis evulgasse: at nonne communis iste rumor, Tertullianus ajebat, singulis diebus teterrima evulgat mendacia; eaque in mundum effundit eodem eventu, quo constantissimas veritates? Nonne communis hujus rumoris caracter est, nonnisi, cum imponit, subsistere, & ubi imponere cessat, evanescere? *Nonne hæc est fama conditio, ut nonnisi cum mentitur, perseveret?* Tertull. Tamen sequebatur ille, sola hæc fama nobis objicitur, cujus auctoritate nituntur, ne quod probamus intelligant. *Hæc tamen profertur in nos sola testis.* Idem. At mirum esset, si res adeo inanis adeo sanctam obligationem posset evertere. Verum quod in hujus opprobrium a me dictum est, nihil aliud est quam secretum, quod illi tuto me committere posse arbitratus sum: Hic est, fratres, respondet S. Ambrosius, scopulus Charitatis; secretum est amico meo creditum; quasi tibi integrum esset me de bona amici tui existimatione dejicere, mihique apud illum bonum nomen auferre; quasi quia tuus est amicus, minor mihi fieret contumelia, si apud illum nulla mihi esse deberet honestatis meæ cura; quasi quem amicum vocat, & ipse alios non haberet amicos, quibus idem secretum committeret; quasi detractionis secretum, illius improbitatem non modo non imminueret, verum etiam augeret in quodam sensu; quia hoc secretum ipsum mihi modum aufert me ipsum excusandi coram amico. *P. Bourdalove in Dominicali.*

Detractio silentii. Non deest quædam tacita detractio. Satis callidi sumus, ut detrahamus quin obloquamur, quin ne verbum quidem proferamus. Gestus adfectatus, simulatus risus, tacendi pertinacia, cum quis laudatur, dimidiata approbatio, quæ complacendi studio partem alteram videtur concedere, alteram vero per charitatem reticere, nictus, capitis motus, suspitium, labiorum percussio, & contractio tamquam ad prohibendum ne detractio egrediatur, diceres eam illic morari, & tunc sensus suos disertissime expromere. Diceres, charitatem, vel christianam prudentiam vetare, ne loquatur; sed hæc nimia est nequitiæ subtilitas. Oculi detrahunt, facies detrahit. Situs mutatio, vocis inflexio cum lingua detractoris conjuncta, detrahet; omnia in illius persona loquuntur. *Abbas Boileau in delectis sententiis.*

Gau-

Detrahentis descriptio. Gaudet detractor familiarum negotia, domesticas dissensiones, negotiationum, vel necessitudinum nexus cognoscere. Hic est repertorium eorum, quæ acciderunt; vivens Commentarius in quo descriptæ sunt lites uxorum cum viris suis; sociorum infidelitates; consanguineorum, & accolarum invidiæ; hic est, ut cum S. Ephrem loquar, publica sentina, quæ totius civitatis sordibus repletur; vultur errans, qui fœtidis cadaveribus pascitur: *Cor ejus congregavit iniquitatem sibi*. At ubi malum aliquod detexit hoc adeo grave est illius cordi, ut ille jugularetur, nisi statim evomeret. Quærit ubicumque aures, a quibus audiatur; aliis narrat petens antea, ut secreti fides servetur, seu ad irritandam insanam pruriginem sciendi, quod oblivioni dandum esset, seu ad captandam voluptatem, qua, si ipse solus id omnibus in aurem susurraverit, perfundendus est: beatus, ut videtur, si eos invenerit, qui augere possint objecta, vel explicare negotiis alicujus nodos, ac sibimet vicissim ultro citroque improbitatem effundere. *Abbas Boileau in Quadragesima*.

D. Ephrem de mala lingua.

Psal. 40.

Pro virili detractionis cursus inhibendus est exemplo J. C. Quantum improbitatis est in eo, qui detractionem effundit, tantum meriti in illo est, qui eam coercet, & damnat. Non pati, ne quid contra charitatem, aut veritatem dicatur; nota est bonæ mentis, & cordis boni character; hoc est solidum habere meritum, & se ad JESU CHRISTI exemplum componere. Judæis male audiunt Ethnici? Ego non inveni tantam fidem in Israel, ait illis Dei Filius de Centurionis fide verba faciens. Ninivitæ insurgent in vos judicii die, illis inquit alibi: Si Tyri, aut Sidone ea patrassem miracula, quæ apud vos operatus sum, urbes illæ, jampridem in sacco, & cinere pœnitentiam egissent. Adducitur ad ipsum mulier in adulterio deprehensa? accusatoribus illius ait, qui vobis sine peccato est hic primus in illam lapidem mittat. Dicunt illi Mariam Magdalenam esse peccatricem in civitate? illam tuetur, asseritque peccata ejus dimitti, quia plurimum diligit. Imitari Salvatorem ita loquentem, hoc sane est facere utilem nocenti correctionem; & efficere ut qui se putat innocentem suum sentiat scelus: hoc est alium lucrari, & alium erudire. *Idem*.

Alius detrahentis character. Si ad examen revocentur artes, & præcautiones, quibus utitur detractor, ut callide suum virus insinuet; quid odiosius, & ignavius, quam clanculum suam effundere detractionem, eamque deferere ubi adsint illi, quos lancinat? Gloriam, virtutemque supprimere, ac delitescere, ut illi auferatur! Inquietum esse, & illius luce perstringi, cum respicitur, & nonnisi trepidando illam lacessere! Canis ille, qui coram leone metuebat, & in fuga tantum spem suam collocabat tunc profert feritatem suam, cum leo e vita decessit, & potest ipse laniata hujus corporis membra mordere. Qui ausus non esset oculos intendere in faciem viri boni, cujus virtus illum perturbasset, vim non habet, nisi ut illum eruat de terra, & sepulcri jura violet. Qui modo cum modestiæ hypocrisi prodiit coram illis, quos alloqui non audebat, & quos a se plurimi fieri testabatur, audet iisdem obtrectare, cum illos non videt amplius; improbans, quod laudabat, ac seipsum condemnans, ut adeo prompta sermonis mutatio fidem magis inveniat. Nonne intelligit se apud honestos cordatosque viros proditorem haberi? Testimonio suo detegi ipsius perfidiam? cum nequeat diu ferre hoc pondus laudum, quas incommoda extorsit præsentia, se metuere, ne quis credat eas jure deberi illis de quibus cum laude locutus est? Haud ægre sibimet gloriam aufert, ut alios privet. Se cum specie quadam turbidi gaudii conjicit in præceps, donec alios secum trahere possit. O ignavum hominem, & infamem! Cum nequeat ad veram pervenire gloriam, nisi per virtutis viam, ulciscitur ei detrahendo; cumque pro suæ dexteritatis titulo non habeat, nisi jus censuræ, quod usurpat: sibi non acquirit nominis celebritatem, nisi quatenus aliis aufert. Infirmum pulchritudinis fundamentum aliena turpitudo! Infirmum virtutis fundamentum aliena peccata! Rem propius inspicite, & hunc verum detrahentium caracterem esse intelligetis. Credunt se carere omnibus vitiis, quæ castigant, & bonos haberi viros, quia aliquos inveniunt, qui boni non sunt. Quinam meritorum cumulus, nulla nisi furto sibi merita comparare? imitari fures, qui cædibus, raptoque vivunt; nullam, nisi quam suffurari potes habere gloriam, ac seipsum reum peculatus honoris statuere, hunc sine auctoritate aliis rapiendo. *Abbas Boileau in Quadragesima*.

Detractio surripit quidquid nobis antiquius est, videlicet existimationem. Libertas opibus, opes vitæ, vita nomini sacrificatur. Opes, non admodum his opus est, ut tranquilla, beataque vita ducatur. Libertas, servire per vim possumus, cum per virtutem spiritus est liber. Vita; non venimus in mundum, ut simus immortales; sed neque ut simus infames. Ita per detractionem proximo aufertur quidquid illi pretiosius est. Telum quod in illum contorquetur, lethale est. Quid post hæc illi prodest vivere? Omnia illius consilia eversa sunt; omnium operum ejus meritum eversum est; ex corde fratrum illius expunctus est, atque tristi exilio mulctatus. *Abbas Boileau in delectis sententiis*. Per detractionem eripitur proximo quidquid illi pretiosissimum est.

Detractio nemini parcit. Non solum omnes detrahunt; non solum semper detrahitur, sed etiam detrahitur de omnibus; de felicibus quidem clam; de miseris vero palam. Detractio non secus, ac mors nemini parcit; non thyaræ, non solio. Vivitur inter tot genera mortalium, næ errat ille, qui detractionem fugere putat? Numquid in tuo merito confidis? improba narratio delet illud; in existimatione tua? hanc detractor corrumpit. Num in dignitatibus illis invidetur; in virtutibus? minuuntur: vitia tantum augentur. *Idem ibidem*.

Detractio gerit caracterem ignaviæ. Putas honorem tuum sarcire, cum alienum labefactas; sed scias te per indignam hanc ultionem tibimet dedecus afferre, & labem tuo nomini adspergere. Detractio inter omnia scelera gerit caracterem ignaviæ, ac turpitudinis, quo omnibus odiosa fit. Ita Spiritus sanctus fœdissimis coloribus exhibet detractionem. Modo serpens est clanculum, ac tacite mordens: *Si mordeat Serpens in silentio*. Aspis lingua celans virus suum: *Venenum aspidum sub labiis*; Modo veneficus mortem exhibens in ciatho: *Plena veneno mortifero*. Modo velut latro jaciens tela *Ut sagittet in obscuris immaculatam*. Quæ omnes comparationes ignaviæ speciem continent, qua omnis detractio infamis efficitur. *P. de la Rue in Quadragesima*. Eccli. 10. ad Rom. 3. Jacob. 3. Psalm. 63.

Detractionis reparatio vix dari potest. Palam Spiritus Sanctus nos admonet, ut linguæ vitia evitemus: *Attende, ne forte labaris in lingua tua; & fiat casus tuus insanabilis ad mortem*, videlicet ne crimen tuum omni careat medicina. Cur ita? Quia unicum detractionis remedium est reparatio, quæ ut plurimum ob tres rationes impossibilis est. Primum propter damni extensionem, quæ sæpe omnes reparationis vires excedit; Secundo propter detrahentis ignaviam, qui animum appellere nequit, ut reparationis munus adimpleat; Tertio propter mundi improbitatem, qui nullam vulgo rationem habet reparationis. *Patris de la Rue in Quadragesima*. Eccli. 28.

Detractio originem ducit ab invidia. Liquet detractionem ab invidia proficisci; neque

que enim aliunde secreta illa oriuntur desideria, quæ cum alieno fiunt detrimento. Timores de aliorum progressu: artes, quibus utimur ad laborum suorum fructus præripiendos: ambages, quæ ad virus alienis factis allinendum adhibentur; improbæ explicationes, quibus in deteriorem sensum eorum sermones flectuntur; frigidum silentium, quod inter laudes aliis collatas servatur: censoria dexteritas, quæ sub aliqua honoris nota tegitur; & tandem apertum hoc bellum illis indictum, qui per cuniculos everti non possunt. *Abbas du Jarry*.

Rationes ne facile fidem habeamus narratiunculis.

Numquamne estis experti, quam inanes, incerti, præcipites sint tumores? Pro nihilo habetis naturalem ad mentiendum propensionem, ad res immodice augendas, & veritatem dissimulandam? Numquamne credidistis vestris hausisse auribus ea, quæ vobis dicta non fuerant? Numquamne verba, quæ vobis dicebantur in alium a vero sensum inflexistis, & ab eo, quem loquentes volebant intelligi? Ii etiam, qui sincerissimi haberi cupiunt, facti alicujus narrationem aggressi, numquid semper eodem pacto enarrant, eademque cura, ne recens aliqua obrepat circumstantia, & ne aliquam immisceant conjecturam? velne tamquam certum vendirent, quod tamquam ambiguum receperunt? Quod si vel parum intersit illorum in quæstione facti; numquid probitati eorum fidendum est, ut credatis veritatem in ore eorum in tuto esse, atque ab omni simulatione, & exageratione immunem? *P. de la Rue in Quadrag.*

Difficile est reparare injuriâ per detractionem illatam.

Existimatio est honorifica opinio, quam homines habent de aliorum virtute, ac meritis: si detractio bonam hanc delevit opinionem in mente illorum omnium, quibus manifestata fuit, quid ad illam reparandam faciendum est? Lumen est, quod detractor extinxit, quid agendum, ut iterum illucescat! Qua arte, vel qua industria, ducenti, vel trecenti revocandi sunt ab ea sententia, quæ cum proximi detrimento illis immissa fuit? Quomodonam civitas integra eo liberanda est errore, quem hausit, cum præsertim, ea proclivitas, qua semper ea, quæ mala sunt credimus, errorem illum probaverit. Licet etiam detractor conversus ea vera esse negaret, quæ prodidit, numquid innocentiæ, virtuti, meritis illum reddet nitorem, & decus, quod illis eripuit? Frustra canitur Palinodia, mens non ita facile ea, quæ credidit, vera non esse credit: adeo verum est, injuriam insignem, quam affert detractio, vix posse reparari. *P. Croiset in anno Christiano*.

Varia detractionum genera.

Varia sunt detractionum genera; detrahitur falso fictum crimen innocenti appingendo, & calumnia est; detrahitur pro re certa affirmando, quod nonnisi ex confuso incertoque rumore collectum est; detrahitur in lucem proferendo crimen, quod occultum est; detrahitur aliis communicando, quod nobis in auriculam commissum est. Detractio est, in vulgus proferre factum, quod nonnisi paucissimis notum est; alia detractio est factum alicui tantum personæ committere nisi necessitas, vel potens aliqua ratio id exigat. Si agitur etiam de crimine, quod innotuit, adhuc peccari potest illud exaggerando, addendo circumstantias, quæ latebant, & quæ facti turpitudinem augent; reticendo vero alias, quæ illam minuunt, ac leniunt. Actiones, quæ extrinsecus videntur in deteriorem partem possumus interpretari; atque tunc seu suspiciones nostræ temerariæ sint, seu aliquo fundamento innitantur, has aliis communicare, detrahere est. Sunt etiam detractiones clamosæ, sunt etiam mutæ; gestus, risus lenis, dimidiatum verbum, tonus vocis, siccum silentium aculeatæ detractionis locum tenere possunt: illæ quibus irrisio admixta est, non sunt aliis minus amaræ; detrahitur, mimica imitatione exprimendo gestum, vel oris habitum defectu aliquo deformem &c. *Idem*.

Facies tristis dissipat linguâ maledicam.

Gaudium, quod prodit in faciem fit magnum malum, cum est veluti signum approbationis quod tribuimus interioribus verbis linguæ detrahentis. Hujusmodi in occasione juxta Sapientis consilium induenda est facies tristis, & seria, quæ in ipso silentio sit secreta damnatio detractionis eorum, quibus palam resistere non possumus propter debitam illis reverentiam. Si diligenter canon hic servaretur, in ipso statim principio detractioni frænum injiceretur: hanc enim animi cupiditatem irritat magis naturalis propensio, qua homines sequuntur illos, qui sese illi mancipant, & cum detrahentibus detrahunt. Quod si detrahentes aliquem in audientibus obicem invenirent, viderent in se relabi contumeliam, quam aliis vellent inferre, ac vererentur, ut sibi magis nocerent, quam illis, de quibus detrahunt. *Auctor Anonymus*.

Detractionibus aures non adstruendæ sunt.

Non satis est ponere ostium prudentiæ labiis; ne detractioni aperiantur, verum secundum Sapientis consilium auribus circumducenda est sepes ex spinis, ad detrahentes coercendos, pungendosque: *Sepi aures tuas spinis*. Intelligite hoc in loco inscitiam, vel injustitiam vestram vos, qui mendacio commodatis aures, & qui vel honoris, vel conscientiæ causa cum a detractionibus ferendis abstineatis, vobis earum credendarum jus, & audiendarum voluptatem reservastis. Quid facitis hoc vestro complacendi studio, hac vestra credulitate? Detrahentem excitatis; fovetis anguem, qui pungit, ut tutius pungat; non vultis latronem esse, sed latronis consortes estis: perperam creditis vos esse innocentes a sanguine fratrum vestrorum, cum per plausus vestros acuitis tela, quibus confodiuntur, & quin illos protegatis, auxilio estis vulneranti. *Linguam nequam noli audire*, neque consentiens esto iis, qui de proximo detrahunt, nisi & ipse pœnas luere velis. Sed quem nobis tribuit Spiritus Sanctus caracterem justitiæ, & innocentiæ viri boni? Hunc. *Qui opprobrium non accepit adversus proximo suos. Flechier*.

Eccli. 28.

Eccli. 28.

Psalm. 14.

Detractio nulli; parcit.

Detractio nulli parcit; quæ virtus adversus illius tela secura est? Quidquid sacerrimum est in Ecclesia, & Republica tutumne est a jaculis, morsibusque linguæ detrahentis? Quam non infert hæc justitiæ, charitati, ac religioni contumeliam? Unum sufficit verbum, ut integerrimæ innocentiæ labes æterna adspergatur. Lapsus acciderat, quem nemo cognoverat; pœnitentia crimen istud deleverat; Deus illud oblivioni tradiderat; detractio illud in memoriam revocat; atque obsistit ipsi Misericordiæ Domini, quia illud perennat, quia punit quodammodo id, quod Deus dimiserat, & cujus fuerat oblitus? Frustra Deus sibi fideles eligit Ministros, frustra mittit præcones suos ut peccatores convertat. Linguæ motus irritos efficit omnes labores eorum, & vulgatissima Providentiæ subsidia frustrantur. Nonne detractio charitatem extinguit, arctissima infringit vincula, teterrima ferit dissidia, irreconciliabiles inflammat inimicitias, præclaris hominibus nebulam offundit, & virtuti sanctissimæ fidem abrogat? Nonne detractio omnia merita extinguit? *P. Croiset in anno Christiano*.

Detestaris scelus tuum, & perhorrescis, conteris cor tuum summo dolore; fateris crimen tuum exacta sinceritate. Luit corpus tuum pœnas, quas lingua tua merita est; nihil hoc æquius, nihil laudabilius, nihil utilius; verum superest adhuc inevitabile officium. Innocens hæc persona, cujus existimationi offecisti, & cui teterrimam offudisti labem, justam exigit reparationem, neque vult Deus hanc veniam concedere, nisi reparaveris insignem injuriam, qua fratrem tuum affecisti;

cisti; nisi famam, quam fœdasti, omnino integram, incolumemque reddideris. *P. Croiset in anno Sancto*.

Quæ fiunt narrantes vulgo peccant.

Narrationes ut plurimum nocentes fiunt, quamvis ea, quæ narrantur vera sint; verba enim quæ repetuntur, in seipsis erant innoxia, ubi spectetur ratio, occasio, & intentio, qua dicta fuerunt, & nocua fiunt nisi quod repetuntur vel imprudenter, vel nequiter illi, qui ea numquam scire debuisset, & cui numquam dicere voluisset ille, qui ea protulit. Quilibet sibi invigilare debet, ne hujusmodi facta narret; hæc enim verba, ut monet Sapiens, sæpe *perveniunt ad intima ventris*; atque ita lethaliter vulneratur charitas, quin agnoscatur. Prov. 26.

Susurro ferit jurgia.

Hæc vulnera multo majora sunt, quam vulgo credant inferentes illa: qui enim vulnerati sunt his verbis, quæ sibi narrantur, facile credunt eos, quibus referuntur acceptæ, animum mutavisse, ac se ab illis non amari, quia malæ narrationes illis aliquam suspicionem injiciunt. Ita, qui maxime consentiebant, dissentiunt, & sensim scinditur illud Christianæ amicitiæ vinculum, quo nihil in terris pretiosius; quia amor idem, quo inter se junguntur homines, hos conjungit Deo. Hinc merito Sapiens ait: *Susurrone subtracto jurgia conquiescent. Idem anonymus.* Prov. 26.

Fides habenda non est iis, quæ narrantur.

Non solum incertæ narrationes aliquando inveniuntur, sed fere omnes tales sunt. Et ubi res serio inquiruntur, semper vel plus, vel minus invenitur. Cupiditas, & mentis iniquitas fere mutant veritatem in iis, quæ ab hominibus ultro citroque narrantur; qui maxime sinceri videntur, & quorum nulla suspicio est, hi tamen nos fallunt, quia falluntur. Sunt, qui ubique interferunt suas animadversiones, & judicia, tamquam facta, & non secernunt ea quæ vera sunt in iis, quæ narrant, & ea, quæ ipsi ratiocinando comminiscuntur, & inde unam veluti historiam concinnant. Ita nulla ferme haberi potest fides iis, quæ ab hominibus referuntur; & sicuti temere judicant, qui ex incertis judicant indiciis, & pleræque narrationes hujusmodi sunt, sequitur, pleraque judicia his innixa narrationibus, esse temeraria. *Tract. de Judiciis Temer.*

Irrisio magnum vulgo crimen est. Prov. 26.

Tunc etiam cum proferuntur per levitatem, non autem nequitiam irrisoria verba, & vere dici possunt hæc jocando dicta fuisse, juxta verbum illud Sapientis: *ludens feci*; non ideo minus peccatur, S. Bernardus ait: jocaris, addit illa, sed audiens, te vera dicere putat. Cor illius vulneratur. At enim vocula est, & per jocum prolata. Hinc imo major noxa tua est; quod Charitatis violationem in jocum convertis. De vulnere non fertur judicium a manu illud inferente, sed ex impressione facta in illo, qui fauciatus est. Quod parvulum videtur, fit majus, cum magnos exitus habere potest: & timens Deum nil eorum negligit, quæ illi possunt displicere. *Recens auctor.*

Irrisio in Ecclesiasticis nocentior quam in Laicis.

Si irrisio in omnium mortalium genere nocua est, quanto erit nocentior in Ecclesiastico, de quo S. Bernardus affirmare non dubitat id, quod in sæcularis ore simplex est jocus, in ore Ecclesiastici esse blasphemiam. Cæterum irrisionis caracter est omnium nequissimus, & homines minus se lædi putant contumelia in ipso iracundiæ æstu prolata, quam minimo quolibet joco. Sed quomodo ferendus in illis est, qui nostras norunt infirmitates propter nostram cum illo necessitudinem, & auctoritatem, quam illi in nosmetipsos concessimus? *San Marthanus Tom. 1.*

Critica est species detractionis specie boni palliata.

Opera aliena nequaquam spiritu justitiæ, & bonitatis impetimus; & minus in aliorum vitiis corrigendis laboramus, quam faciendo, ut nos ab illis immunes censeamur. Alioquin tot curis exerceremur, ut super eorum interitu tolleremur, & cresceremus per ea mala, quæ illis conflamus? Nulla censura est, quamvis moderata, quæ suas non expediat rationes, & jura, sine illius detrimento, quem notat. Quo plura invenit corripienda, eo magis dominatur. Sese attollit prout alios evertit, neque meretur nisi everterit. Ita hoc proprie loquendo est valere, quatenus alii infirmitatibus laborant; & eatenus existimationem mereri, quatenus alii probro digni sunt. *Auctor Recens.*

Ejusdem argumenti.

Cum artis criticæ sit opus aliquod per illud ipsum evertere, auget objecta, atque in jocum traducit. Fodit, penetrat, profert in apricum, quod in mundi totius oculis erat absconditum; ipsa vero non habet oculos nisi ut vitia intueatur. Hæc si abdita sunt, efficit manifesta, si manifesta sunt, efficit magna. Immo id etiam videndum exhibet, quod non est. Æque ex iis, quæ bona sunt, ac ex iis, quæ mala, crescit, ac magis magisque proficit per quasdam contradictiones, quas in sensu maxime naturali deprehendir. Separat quæ conjuncta sunt, atque adfectatis translationibus corpus tribuit separatis locutionibus, ut ex earum nexu contra opus universum risum cieat. Verbo, Critice non immoratur in qualibet sermonis parte, nisi ut ipsa intumescat, & sermonem corrumpat, instar insectorum, quorum natura prava in virus convertit omnia alimenta, quibus utuntur. *Auctor Recens.*

Licet detractio turpe sit vitium, tamen vulgatissimum est.

Undenam fit, ut obtrectatio, quæ vitium est adeo turpe, & rationali homine indignum, sit nihilosecius adeo pervulgatum? Contemnimus, & fere perhorrescimus, qui in cœtibus virulentum dentem proximo illidit, & pauci abstinent quominus mordeant, & saucient. Mirum est, quod adeo parum nobis met timeamus notam, quæ in aliis nos terret. Si leviter cogitemus communem eorum caracterem, qui detrahunt; detractio vitium est auctori suo turpe, eumque efficit illo, de quo detrahitur, contemptibiliorem. Detractio effectus est animæ abjectæ, quæ seipsam parum idoneam sentiens ad honestorum virorum existimationem promerendam, quærit suam tegere infirmitatem alienas amplificans. Nobiles sensus vera honestas efficere deberent ut præclaras animi fratrum nostrorum dotes intueremur, & si quid minus perfectum detegeretur, hoc ipsum excusaremus. Tunc pietas in educationis, & rectitudinis subsidium deberet accedere, ac nos lætitia afficere, ubi videremus fratres, qui talentis suis, vitæque suæ sanctitate Deum possent glorificare. Quo in loco, amabo vos, inculto, honestoque populo haberi potest ille, qui oculos habere videtur solummodo, ut ea scrutetur, quæ aliis pudorem cient? Nonne suppetit occasio cogitandi, hunc noxas suas tegere velle, cum voluptate alienas retegendo? Qui veris ornatus est meritis, nonne sibi honori vertere debet similium sibi virtutem? Et si sapit, nonne plurimi facere eos debet, qui, ut ipse, virtute præditi sunt? Detractorem quacumque in luce tibi placuerit, constitue: nihil in eo magnum reperies; illum repentem semper intueberis. Se ipsum contemptibilem sentiat oportet, cum alios contemnere, ac dejicere quærit. *P. la Pesse Tomo 4.*

Mirum, quot clades in modo pariat detractio.

At enim detractio potius oritur ex animi levitate, quam ex seria cupiditate damnum proximo inferendi. Sed quænam hæc levitas est, quæ lites accendit, ignem in integras jacit familias; quæ omnium conditionum hominibus fucum allinit; quæ suspiciones ciet in nos, qui omni vacant mali suspicione? Quæ levitas, quæ in commune ludibrium trahit eos, qui honestissime vivunt? quæ domui scissuram pariunt, quam fere omnigane excipit ruina? quæ tamquam fabulam traducit, actionem a pluribus æternis lacrymis deplorandam! Quæ levitas, quæ bonis scandalo est, eosque adigit nonnumquam, ut & ipsi scandalum præbeant quod receperunt, quamvis præter mentem, & voluntatem! Bona fide vocari ne levitas potest, vitium, quod virtutem dedecorat, dedecorans eos, qui virtute præditi habentur? Omnes ergo horrere debent detractionem, quia in omni sensu violat quidquid in civili, & christiana societate sanctissimum est. *P. la Pesse Tom. 4.*

Detractio sæpe accidit ex atra bile, & ingenio moroso.

Atra animi ægritudo, agreste ingenium in plurimis est fons jugium detractionum. Hæ feroces sunt animæ, quæ gaudent nocere, aliisque negotium facessere; & quia nulla fruuntur quiete, vulgo in eo totæ sunt, ut in omnes familias turbas conjiciant. Detractor similis est milvio, qui vivit

rapto,

rapto; & carnibus quas rostro, & unguibus discerpsit. Omnia illi crucem figunt, omnia illum irritant; semper paratus ut in deteriorem sensum detorqueat, quæ laude sunt digna, in iis omnibus, quæ habet obvia, reperit unde seipsum exasperet, & fel suum nutriat; veritatem æque ac mendacium exaggerat. Similis araneæ, & bussoni, ex malis terræ humoribus viventibus pascitur omnibus pravis qualitatibus, seu veris, seu fictis eorum etiam virorum, qui in mundo honestissimi habentur. In æquissima moderatione deprehendit excessus. Si quid in mundo recte factum videt, hanc externam speciem ad homines fallendos appellat. Domi tuæ tibi vivis; te atra bile laborantem vocat. Lectionem diligis; hoc a re fieri dicit, ut laudes aucuperis. Pietatis opera exerces; hypocrita es. Ita Detractor omnia perstringit; & qui integerrimus est, dentem illius nequit evitare. *Idem.*

Quam difficile sit reparare injuriam proximo illatam per detractionem.

Verum quidem est, ubi de detractione agitur, ut plurimum non deesse complures sapientes, cordatosque homines, qui non adeo temere fidem habeant insipienti, impio, Pharisæo, meretriculæ. Sed quot sunt creduli parum charitatis amantes, qui in satyram incidunt? Quantum temporis necesse erit ad reparandam jacturam, quam lingua virulenta nostræ intulit existimationi. Vita pluribus annis cum laude anteacta non sarciet fortasse ictum, quem læsus homo temporis momento accepit. Sed omnes oculi inhærentes vestigiis illius, non ita facile patienter se decipi, ut fuere decepti? Verum missile contortum in illum, aliquam semper cicatricem relinquet. Aliqua semper virtutibus nota supererit; & cum semel accusatus fuisti gravis alicujus criminis, in quo puritas, fidelitas, rectitudo læsa fuerit, numquam ferme deletur impressio tota, quam criminatio illa in animis peperit. *P. la Pesse.*

Detractio quodam in sensu causa est, propter quam in ipsis criminibus triumphatur.

Scimus detractionem libenter in mundo audiri; quemque adniti, ut in dies fiat jucundior; enarrationem narratione expectari, urbes plenas esse quadam scurrarum specie de cœtu in cœtum, de regione in regionem euntium, ut varios casus colligant, & effundant; sed quam ipsi injuriam homini inferemus, si illius existimationem tradiderimus tot linguis jam exacuatis ad eam dilaniandam? Hoc pacto, S. Joannes Chrysostomus inquit, auctoritatem tribuimus vitio, non solum detractionis, ad quam natura ipsa proclives sumus ob propriam nostrummet existimationem, verum etiam vitiis omnibus, quæ in sæculo dominari consueverunt. Qui male vivunt, hac de causa animum obstinant suum in sceleribus, quia sibi persuadent, non deesse similes sibi in suo vivendi genere: *Segnior fis, peccati communicatorem nactus.* Impudicus, qui prodit in scænam, audaciorem efficit impudicum, qui spectator sedet. Quot adolescentuli pudoris fræna laxarunt, postquam impudice factum narrari audiverunt? Hinc simus scandali causa viris bonis, qui intumescunt, ac superbiunt, cum se vident vacuos iis criminibus, de quibus loquimur. Hinc magnum detrimentum universæ afferimus Ecclesiæ: facimus enim ut impii atque hæretici triumphent, detegentes improbas actiones, quas fideles ipsi commiserunt. *Idem ibidem.*

Hom. 3. ad Pop. Antioch.

Detractio eo turpior est, quo illa, de quo detrahitur, magis abest.

Omnia in detractionis vitio turpia sunt, quamvis regnet in cœtibus amplissimis, & honestissimis. De absente loquimur, qui seipsum tueri nequit, & qui non diffidit de nobis, qui si sciret, quid in ipso a nobis reprehendatur, seipsum fortasse corrigeret; qui fortasse innocens est, & quem ipsi nonnisi ex aliquorum fidem cognoscimus, quorum interest illi fidem adimere. Nonne summa hæc ignavia est? Nonne factum hoc est indignum non Christiano dicam, sed honesto viro? Præbemus procul dubio pergratum iis cœtibus, in quibus sumus spectaculum; cum aliquando præsenti blandimur, eumque laudibus attollimus absentem vero satyrico sale perfundimus. Sumptibus illius ex toto conventu risum elicimus, ubi ingressus est, alium vocis tonum usurpamus. Adfectatum officium mordaci irrisioni succedit. Partes nostræ nostram omnino decent personam. Cum arte detrahimus, ut pro virili scelus nostrum tegamus; atque ægre ferremus, si tales haberemur, quales sumus; & inviti licet agnoscimus magnum esse pudoris argumentum, alienæ existimationi nebulas offundere. *Pater la Pesse. Tomo 4.*

Quibus artibus detractio utitur, ut illa, quæ dicit habeatur fides. *S. Bernard. Serm. 24. in Cant.*

Simulata hypocritaque modestia, quæ nobismet exprobrat sermonum nostrorum horrorem, & quæ indicium est timoris ejus, quo veremur, ne in caput nostrum probrum incidat, aliis detrahimus. *Videas præmitti alta suspiria; sicut quadam cum gravitate, & tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem?* Quod scurrilitatis genus; ex imo pectore suspiria emittere; humi oculos figere; gravem habitum oris assumere, voce gemitum imitari; idque ut tuto alienæ existimationi officiatur. Ita detractorem videmus, censorio habitu calumniam, libellum offundere, & pia cura efficere, ut in eorum incidant manus, qui fallaciæ fraudem investigare non possunt. Quid conatur detractor? Sibimet persuadere se iis esse immunem criminibus, quorum nomine alios insimulat; & hanc ob causam eo magis infamiæ nota adspergimur, cum alios adspergere conamur. Omni ratione, ac sensu careat opus est ille, qui non intelligit quidquid fratribus nostris exprobramus, verius nostram, quam illorum partem esse. Si proximo detrahere possemus citra Dei læsionem, facinus venia dignum esset; sed inter duas hasce personas adeo arcta conjunctio est, ut prima Christianæ religionis principia nobis sufficere debeant, ut detestemus morum disciplinam adeo alienam, & hactenus illis etiam ignotam, qui Ethicæ superstitionis tenebris impediti sunt. *Idem ibidem.*

Hæretici omnium detractorū nequissimi, & quare.

Hæretici qui præ ceteris morum reformationem crepant, sunt detractorum omnium nequissimi, & detractiones suas majori cum fragore personare faciunt. Fanda, infanda, omnia ipsis licent. Nobis autem mirum esse non debet, si qui Ecclesiam lancinant, non parcunt illis, qui honore fruuntur in filiorum ejus numero adnumerandi. Videntur hypocritæ; vera enim virtus non lædit charitatem. Videntur, inquam, hypocritæ, qui sibi pietatis praxim concinnant Deum colendi iis victimis, quas amori proprio, quas invidiæ, quas iracundiæ, quas falso suo immolant zelo. Quidquid illos offendit, offendit etiam Evangelium; & Evangelium, eorum more interpretatum illis præcipit, ut promiscue lancinent eos omnes, qui ipsorum menti, vel cupiditati se minime accommodant. Eorum tela plerumque maxime profunda, ac periculosa inferunt vulnera; quia minus timentur, & callidius veneno imbuta sunt. Curam etiam gignunt cum videntur ingruere, adeo belle dolosis speciebus involuta sunt. Vir ille, inquient, omnibus esset numeris absolutus, si hanc in se corrigeret infirmitatem. Veritas est, illum huc usque processisse? sed deplorandus est. Quantum mali, quod levis cupiditas, & propensio animi illum huc usque perduxerit! Hoc factu incredibile videretur, nisi cordati viri id testarentur, tandem hoc malum est; & summo dolore conficior. *P. la Pesse Tom. 4.*

Detractor in se ipso semper luit pœnas injuriæ, qua proximum afficit.

Quis umquam sibi solatium afferre poterit saucio tuis crudelibus detractionibus, & calumniis, quas super proximi tui existimationem effudisti: Donec conscientia jucundum præbebit testimonium illis, quorum res præclare gestas detractionibus tuis veneno infecisti: indesinenter conscientia tua exprobrabit tibi injuriam, qua illos affecisti. Non poteris videre illos, quin in vobismetipsis dicatis: hæc illa tristis est victima, qua litavi imprudentiæ meæ, vanitati, invidiæ, vindictæ. Ego illi contumeliosam affinxi labem, quæ illam dedecorat; labem, quæ illi tot peperit contemptus, atque repulsas, labem, quam lacrymæ meæ delere non possunt; labem

labem, quæ in me aliquando resiliet, & propter quam fortasse pœnas æternæ infamiæ sustinebo. *Idem ibidem.*

Detractio oritur ex secreta in animos dominandi libidine. Quid dici potest de detractionibus, & sale satyrico, quo plerumque mortalium colloquia condiuntur; nisi dixerimus, illas fortasse ex infinita superbia, & secreta in animos dominandi libidine proficisci? Quodnam enim aliud habere possent principium? Num procedunt ex vera cupiditate aliena crimina corrigendi? Hoc in casu qui peccasset, summa cum prudentia, & lenitate clanculum corripiendus esset, quin per inanem, sævamque commiserationem crimen ipsum in vulgus proferretur. Num procedunt ex animæ sinceritate facta simpliciter enarrantis sine ulla nocendi intentione? Præterquamquod hæc ingenua sinceritas pluribus in locis est vituperanda, hi spiritus, de quibus loquimur, numquid habent illam, qui illam habere desinunt, cum iis, de quibus detrahunt, plures, quam audire vellent, laudes deferuntur. Procedunt ne ex Dei spiritu, qui mala a bonis operibus tanta æquitate, atque sapientia novit secernere; ut justissime alia commendet, condemnet alia? Profecto methodum hanc se sequi pii hujusmodi censores gloriantur; se quidquid faciant, facile est deprehendere, illos secretam ob artem loqui, sicut olim dæmon primos parentes nostros allocutus est. Hic in fatali eo colloquio nequaquam dixit: Deus injustus est: illis tantummodo quæstiones, ac dubitandi rationes proposuit, ut sensim, sed callide persuaderet illis, quod palam dicere non audebat. *Quid præcepit vobis*. Si Deus justus est, cur vetuit, ne comederetis ex fructibus omnibus, quos ille posuit in Paradiso voluptatis? *Sermones Morales. Tom. 4.*

Subdolæ artes, quibus detractores virus suum in mentem aliorum infundunt. Quibus artibus non utuntur detractores, & critici, ut in audientium animos blande virus instillent, quo imbuti sunt? Nolunt dicere de Judice hoc, ab illo venundari justitiam; de hac puella, corporis quæstum ab ea fieri; de hac muliere, hypocrisi pietatem simulari, de Concionatore hoc, parum sanam illius esse doctrinam, vel plagiarium esse, alienosque labores pro suis venditare; sed in colloquiis suis efficiunt, ut ultro incidant quæstiones, & scrupuli sui; ut illis, cum quibus adesse consueverunt persuadeant, quod dicere non auderent. Judex hic in judiciis recte ferendis consultissimus est; nihil mali facit, nisi quod vult; sed cur inquiunt? Cur favet illis, quos commendatos habet? Cur semper sollicitudinem ostendit suam, ut in rebus etiam injustis indulgeat amico, qui sese illi devovit? Puella hæc modesta est; animum inducere nequeo, ut mihi persuadeam, illam sontem esse ejus criminis, quo fieret totius civitatis fabula. Sed cur? Cur privatas fovet necessitudines cum illo, qui plus æquo liberam trahit vitam? Cur hanc colit amicitiam, quæ pessime audit. Mulier illa devota est, & charitate plena; sed in ejus pietate nimium affectationis inest, vel nimium minusculatum superstitionum. Liber hic satis bonus est; sed quidquid boni illi est, ab alio est auctore; hæc non est nisi congeries quædam ex aliorum scriptis consarcinata. *Ibidem.*

DEVOTIO,

PIETAS, VERA, ET FALSA DEVOTIO.

MONITUM.



Argumentum hoc, quod nullus fere ex veteribus Concionatoribus attigit, hodierna die ita vulgatum est, ut de eo integræ passim conciones audiantur. Ipsi etiam Sancti Patres nequaquam locuti sunt de devotione eo in sensu, in quo istic accipitur nisi sub nomine Christianismi, vitæ, virtutisque Christianæ, vel Professionis Religionis illius, quam sumus amplexi. Hodie vero cum concionatoribus Moralis maxime arrideat, turpe rati sunt eam præterire virtutem, quæ inter illas, quæ morales vocantur, principem obtinet locum; Religionem videlicet, quæ Dei cultum respicit, cujus præstantissimus, atque excellentissimus actus est devotio.

Ut argumentum hoc utilius fiat, de devotione agemus, non autem in eo sensu, in quo vulgo usurpatur pro affectione erga preces, vel proprio ille sensu, quam viri boni Orationi Mentali vacantes percipiunt; sed pro publica professione, quæ fit, fidelis, ferventisque Christiani officia adimplendi, atque bona opera exercendi; hoc enim devotum esse, & colere devotionem significat.

Verum cum facile, immo etiam frequentissimum sit, a vera via recedere, seipsum fallere, aliisque etiam in hac re imponere; quippe virtus hæc inter gravissimorum, ac perniciosissimorum vitiorum confinia posita est: loquemur etiam de devotionis defectibus; nec non veræ falsæque devotionis notas trademus. Quod autem ad hypocrisim pertinet, quæ vitium est illi maxime oppositum, & quod sæpe tribuit occasionem in suspicionem vocandi pietatem ipsam, quæ maxime sincera, sanctaque habetur; seorsim de eadem peculiari titulo agemus, non secus ac de fervore; uberrimam enim rerum copiam utrumque hoc argumentum suppeditat. Denique sicuti nullum invenit finem obtrectatio, ubi hanc rem attigerit; Concionatori ea suppeditabimus, quæ satis, superque esse valeant ad devotionem tuendam, docendosque Auditores, quid facto opus sit, quid non item, ut sint vere devoti.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Systemata.

I. PRO concionis argumento provinciam aggredi possumus; 1. Tuendi devotionem contra impios, & flagitiosos homines, qui, cum omni prorsus pietatis sensu careant, ubique in jocum traducere conantur nequissimis irrisionibus, impiisque dicteriis eos, qui palam eam profitentur. 2. Eos consolandi, qui hujusmodi aculeatis sermonibus impetuntur, & qui vel a Dei servitute recedere possent, vel sanctas exercitationes suas relinquere propter adeo obstinatæ persecutionis timorem.

In parte priori ostendi potest; 1. temeritas judiciorum, quæ ab impiis fiunt de piorum hominum devotione secundum nefariam, quam & ipsi animo imbiberunt devotionis ideam, & aliis conantur ingerere. Si enim Dei jura invadere est de interiori fratris sui pietate judicium ferre, cum etiam aliqua suppetit causa exprobrandæ actionis, quæ extrinsecus quidem videtur (nisi etiam re ipsa sit) prorsus inexcusabilis; quo potiori jure dicendus est ille sibi divinam vindicare auctoritatem, & iniquum ferre judicium de agentis intentione, cum externa species bona sit, atque irreprehensibilis? Quid autem? Charitas jubet, intentionem saltem excusari, cum factum ipsum laudari, probarique non potest; & licebit credere, pravam esse intentionem, cum actio exterior recta sit, qualis est cultus, qui defertur Deo, sedula in religionis officiis opera, fidelis divinarum legum observantia, vel naturale illud studium, quo nonnulli ad pietatis exercitationem trahuntur? S. Paulus eos accusat, qui de fratribus suis male judicant ex sola externa specie, quasi illi rei essent ejus criminis, de quo alios insimulant; quid igitur dicere potuisset de illis, qui adeo lævum judicium ferunt ex iis actionibus, quæ non solum innocuæ sunt, verum etiam piæ, & sanctæ? Nonne hoc est de sanæ mentis judicio prorsus esse dejectum, similemque iis esse, qui per coloratam crystallum intuentes objecta, omnia colore imbuta conspiciunt? Hoc est, de mortalibus omnibus judicant secundum animi sui dispositionem: impii sunt, ideoque mortales omnes impios esse supponunt. 2. Eorum suspicio non solum temeraria est, verum etiam injusta: ex illis enim quæro, utrum quod mercator aliquis ipsis fucum fecerit, possint ideo jure mercatores omnes dolosos esse arbitrari? si Judex aliquis muneribus se corrumpi passus fuerit; si Ecclesiasticus a recto virtutis tramite aberraverit, utrum Judices omnes tamquam iniquos, & Ecclesiasticos tamquam suo indignos caractere possint existimare? Quemadmodum laboraret argumentum, si ex aliquorum vitio generalis crueretur illatio; ita neque recte argui potest, quod nonnulli devotione abutuntur, ideo devotos omnes, vel hypocritas esse, vel avaros, vel inurbanos, & humanæ societatis osores: ac tandem nullam esse sinceram devotionem, nullam veram pietatem. Longe aliter S. Augustinus argumentatur, uti illuminatum Theologum decet: ait enim, veritatem mendacio, & sinceritatem calliditati præcessisse, neque sciri unquam potuisse, utrum falsi existerent devoti, nisi primum exploratum fuisset, veros adesse; neque ullum in devotione futurum fuisse abusum, nisi fuisset compertum, non deesse quamplurimos, qui eadem utantur egregie. 3. Impii ex nequitia & devotione obloquuntur, eosque irridens, qui eam propalam profitentur. Quorsum enim eorum spectat obtrectatio, nisi ut sua excusent flagitia, ac fidem adstruant, viros bonos, & qui frugi vivunt, ipsis meliores non esse; sed esse tantum in sceleribus suis contegendis callidiores. Excusationem igitur duntaxat, vel prætextum sceleribus quærunt, eumque se invenisse arbitrantur, cum aliquid minus rectum excidit illis, qui religiosius vitam ducere existimantur; ideoque illos in ludibrium traducunt, atque in cœtibus omnibus irrident; ac se jure pietati, officiisque omnibus fidem abrogare posse opinantur.

Pars altera eos consolari debet, qui pietatem profitentur, eosque contra impiorum dicteria confirmare; ideoque 1. illos hortari, & excitare ad persecutionem hanc propter Deum æquo animo ferendam; illis ob oculos ponendo, ac in mentem revocando, mirum non esse, quod, cum Christiana Religio ab ipsis usque incunabulis per tot sæcula fuerit exagitata, devotio, quæ illius actus est, & publica professio, ubi in praxi exerceatur, linguis impiorum, ut olim Religio Tyrannorum cruciatibus, torqueatur; & quomodo olim fidelibus gravissima ingerebantur crimina, hodie nulla sint scelera, quæ devotis falso non imputentur; ac tandem nostram in hoc requiri constantiam, nostramque in Dei servitio fidem, ut constanter impiorum irrisiones patiamur, quandoquidem pro illius amore parati esse debemus suppliciis omnibus, ac ipsi etiam morti subeundæ. 2. Ostendendum est, illos ex irrisionibus, atque contumeliosis impiorum dicteriis saluberrimum haurire posse documentum; si enim ulli sunt ex iis defectibus quorum insimulantur, obnoxii, sese corrigere possunt; sin autem præclaram habent bene merendi, & ad virtutem progrediendi occasionem. 3. In hoc ipso consolari eos possumus, quod similes sunt JESU CHRISTO &c.

Alterum argumentum haud ita dissimile priori. II.

1. Sunt, qui devotionem damnant, atque vituperant; & contra hos illius causa est peroranda.

2. Sunt, qui eam perhorrescunt, ac se se eidem mancipare detrectant propter auctoritatem, quæ illi inesse arbitrantur.

Pro parte priori. Devotionem considerant, quasi Deo injuriam afferat, illam hypocrisis insimulantes, quasi sincera non sit. Quis eos judices constituit? quo jure hanc sibi vindicant auctoritatem, cum Dei unius sit cor ipsum, atque intentionem scrutari? Si quæ sunt falsæ devotiones; num ideo nullæ sunt veræ? Ad hæc damnatur quasi proximo incommoda: ad quam criminationem diluendam ostendendum est, illam in charitate esse peculiariter positam, omnesque eas habere qualitates, quas amabili huic virtuti S. Paulus attribuit. Denique redarguitur quasi sibimet nimis indulgeat, mollis sit, & delicata: e contra vero ostendendum est, illam in seipsam severam esse, ac sine mortificatione esse non posse.

Pro parte altera, quæ ad eos spectat, qui eidem sese addicere metuunt propter labores, & cruces, quæ subeundæ sunt, ut tot officiis, atque exercitationibus sese subjiciant; ostendendum est, multo majores in Mundi, quam in Dei servitute ferendos esse labores, Deum vero mitissimum esse Dominum omnes mulcentem curas, quæ propter ipsius amorem suscipiuntur.

Ostendi potest in quo vera devotio consistat: ex quo facili negotio dignosci poterit a falsa, ac de utraque, & in notis, & in aliis judicium ferri. III.

Primum ea vera est devotio, quæ nos ab omnium creatarum rerum affectione divellit, quæ a mundanis societatibus amovet, quæ generalem nobis immittit divitiarum, pomparum, voluptatum, omniumque mundi solatiorum contemptum. Antequam huc perveneriraus, nequaquam putandum est, nos vere devotos esse; & nisi hæ notæ liquido appareant, æqua semper remanet causa de veritate devotionis suspicandi.

Secundo, vera devotio nos Deo adnectit per cultum sincerum, qui ex ipso corde, apertaque, fideli, & constanti professione procedit.

Tertio in id præsertim incumbit, ut interiorem efformet hominem, passiones evincat, cupiditatem omnem,

omnem, ac propriam voluntatem abjiciat: Verbo; vera est abdicatio nostrummetipsorum, ut Deo uni vacemus, nosmet eidem devoventes; unde etiam devotionis nomen profectum est.

IV. Devotio cum ex Divo Bernardo virtus sit propria cordis: *Res est cordis gratia devotionis*, habere debet qualitates cordis, ac particeps esse omnium motuum ipsius, ideoque.

1. Quemadmodum cor abditum est, devotio quoque principium habere debet in parte interiori; & uti loquitur Evangelium, nonnisi ex abundantia cordis extrinsecus sese proferre. Hoc si absit, affectatio mera est, hypocrisis, velum, & larva pietatis.

2. Quemadmodum cor ordinatum est constans, ac uniforme in motibus, naturalibusque operationibus suis; pietas quoque, & vera devotio ordinata esse debet in bonis operibus, in precibus, in cultu, quem defert Deo, & in officiis illis, quæ proximo præstat; quidquid enim abnorme est, ac ex mera libidine fit, hoc Deo esse nequit acceptum.

V. Anima vere devota similis est Virginibus sapientibus, de quibus loquitur Evangelium, quibus nihil antiquius fuit, quam ut alerent lampades suas: 1. lumen, quod hominem sincere devotum illustrat, sublimis est de Deo conceptus, qui efficit, ut se beatos putent, qui eidem famulantur, idque sibi gloriæ vertant, & quacumque in occasione præseferant. 2. Ardor, quo anima flagrat, magnus est fervor in illius servitute, qui ad eas omnes actiones nos excitat, quibus illum colere possumus; efficitque, ut omnes superemus obices, illis adversantes consiliis, quæ ad gloriam ipsius procurandam concepimus. Hæ sunt partes duæ veram devotionem constituentes, notæque, vel effectus duo spiritus Dei: cum e contra cæcitas, atque tepiditas, cum de pietate sermo est, hanc vel modicam esse, vel omnino nullam significent.

VI. Tria sunt hominum genera devotionis abrogantium fidem; videlicet 1. Impii, qui illam suis obtrectationibus proscindunt, ut vitia, ac iniquitates suas quodammodo excusent: 2. Hypocritæ, qui efficiunt, ut illius indigna concipiatur idea, secreta flagitia affectatæ pietatis velamine contegentes. 3. Ignavi, atque inertes, qui eam sibi fingunt nimis molestam, atque austeram, atque hoc prætextu abutuntur, ut illam prorsus abjiciant. Primi refellendi sunt consilii eorundem improbitatem ostendendo. Secundi confundendi sunt, probandumque ab illis in pretio haberi virtutem, quandoquidem eadem sese cooperire contendunt. Tertiis vero auferendus est error, ac demonstrandum, devotionem non esse tam austeram quam ipsi opinantur.

VII. Pro tribus concionis partibus, desumi possunt tres hæ veritates, quæ communi quodam vinculo sibi cohærent, ac sese invicem consequuntur.

Veritas prima: devotio vera non est, nisi sit in corde; quæ constans est veritas, quod in spiritu, & veritate oportet adorare. Hoc si desit, dissimulatio est, & Hypocrisis in oculis Dei abominabilis.

Secunda: Devotio in corde vera non est, nisi per exteriorem cultum sese prodat; Hoc est nisi extrinsecus ea pietatis expleat officia, easque exercitationes, quas Religio a nobis deposcit.

Tertia: Deo accepta non est, neque coram proximo suavem potest odorem effundere, nisi statui, & conditioni nostræ sit accommodata. Hæc concionis structura ea omnia complecti mihi videtur, quæ in hoc argumento dici possunt.

VIII. Possumus etiam amplificare tres illas veritates, quæ sequuntur, atque ex illis concionem elucubrari.

1. Devotio statuum omnium, & conditionum est propria; & nihilomininus plurimi inter claustra remittunt illam, quasi Cœnobitarum tantummodo propriam.

2. Omnium ætatum est; atque in senectutem rejiciunt.

3. Cujuslibet generis ingeniorum; ac simplicium dumtaxat esse opinantur: *Ex Morali Dictionario.*

Quamvis devotio quasdam notas habeat æquivocas, & ficta veram ita sedulo imitetur, ut alteram ab altera secernere non levis sit operæ; non desunt tamen notæ quædam adeo apertæ, propriæque veræ devotionis, ut iis decipi difficile sit. IX.

Prima est, integerrima generositas, qua anima Deum tantummodo quærit, quin terrenarum rerum ullum sibi finem proponat; & proximo inservit, quin ullam utilitatem expectet. Ficta e contra pietas semper est quæstus avida; ideoque jure suspicione non caret.

Altera est humilitas sine affectatione; non enim quærit ea facere, quæ videantur, & unde honorem aucupari possit, sed humillimis pietatis operibus vacat.

Tertia est charitas mitis, quæ omnem in se adhibet severitatem, omnemque in proximos indulgentiam. *P. Bourdaloue Sermone pro feria 5. post tertiam Quadragesimæ Dominicam.*

Duo præsertim insignes defectus occurrunt, qui devotionem corrumpunt, atque eam fictam esse, & eum, a quo exercetur, in errore versari palam ostendunt. X.

Prior est, summa religione servare, quod consilii est, cum interim quod præcepti est, impune violetur; vel potius additamentum ei præferre, quod caput est, & quod levis est momenti iis, quæ summæ sunt necessitatis, antefetre.

Posterior, sanctitatem, atque perfectionem extra status sui fines inquirere, ita ut conditionem ex devotione, non autem devotionem ex conditione propria metiamur. *P. Gironst, Sermone de vera, ac falsa pietate.*

Tria etiam considerari possunt personarum genera, devotione abutentium, in quibus illa æque desideratur. XI.

Primi sunt illi, qui exteriora tantummodo quærunt, quin solidum, nempe charitatem, aliasque virtutes sectentur; minutas exercitationes, & nugas, quæ nonnumquam superstitionem redolent, religiosius inquirentes. Hi sunt spiritus imbecilles.

Secundi, illi sunt, qui solidum, & quod maxime essentiale est, consectari affirmantes, externam omnem devotionis speciem contemnunt ac volunt pietatem omnem intus latere. Horum manifestus est error; se quidem vere devotos esse jactitant, sed ipsa magis communia devotionis exercitia dedignantur.

Tertii utrisque opponuntur; devotione abutuntur, ut inertiam suam contegant, & statim ac piorum hominum speciem induerunt, nihil eorum faciunt, quæ juxta officii, atque conditionis suæ statum deberent efficere. *Maimburg Sermone pro feria secunda majoris hebdomadæ.*

Religio essentialia duo officia complectitur; alterum quidem erga Deum, alterum erga proximum: XII. 1. Deo quidem debemus amorem, supremum cultum, atque integrum nostrummetipsorum, omniumque facultatum nostrarum sacrificium; quod illi exhibemus interiori pietate. 2. Proximo vero debemus virtutum, & pietatis exempla, quæ quidem illi suppeditamus omnibus veri Christiani muneribus exemplari devotione perfungentes; quæ ideo sese extrinsecus etiam prodere debet. *Desumptum ex Christianis Sermonibus. Sermone de Hypocrisi.*

Ut plurimum in devotione nostra superbi sumus; XIII. & in judicio alienæ temerarii. Hi duo defectus duplici propositione impugnandi sunt.

1. Non satis fidendum propriæ devotioni propter illusiones, in quas decidere, & defectus, quos ibi committere possumus, quin eos agnoscamus.

2. Cautius agendum in judiciis, quæ de aliena pietate proferimus, ne vel nobis hypocrisis suspicio oboriatur, vel hoc nomine alios damnemus.

In duplici Concionis parte ostendere possumus. XIV.

1. Pos-

1. Posse omnes devotionem excolere, namque statibus, muneribus, conditionibusque omnibus accommodata est.

2. In singulis statibus non deesse magna subsidia, quæ illam nobis reddant faciliorem; gratias, occasiones testandæ fidei nostræ Deo, & opportuna auxilia, quibus suffulti officiis nostris perfungamur; ideoque nullam nos prætexere causam posse, ne pietatem impensius colamus.

XV. Vulgatissimus defectus in devotione occurrens est, illam esse inordinatam. Hujus autem rei hæ notæ sunt, quibus addenda remedia.

1. Cum supererogationis consiliique opera consectamur, interim ea negligentes, quæ præcepti sunt, & ad statum nostrum pertinent.

2. Cum, quin summa fide majora præcepta exerceamus, leves, ac nullius momenti rebus immoramur.

3. Cum, in officiis, atque exercitationibus nutantes sumus, instabilesque.

XVI. Errores duo, in Devotione occurrentes.

1. Alii eam nimis austeram, severamque & putant, & aliis exhibent, ideoque alios ab eadem deterrent.

2. Alii e contra devotionem habent nimis sensibus indulgentem, & delicatam, atque JESUM CHRISTUM cum Belial; cum Mundo Deum conciliare contendunt. *Ex Dictionario Morali.*

XVII. Tres falsæ devotionis caracteres.

Primus est indiscretio, & importunitas.

Alter est amarus quidam zelus omnibus monitis, & correctionibus inspersus.

Tertius, superbia, & cupiditas dominandi in iis omnibus, quæ ad pietatem pertinent. *Idem.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri rerum copia potest ad propositas Concionum structuras elaborandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus in libro de vera Religione, ac in altero de Beata vita loquitur de Devotione eo in sensu, in quo illam accipimus.

Idem de eadem verba facit etiam in libris 10. & 11. de Civitate Dei.

S. Chrysostomus *in cap. 8. S. Matthæi* docent nihil utilius esse ad veram pietatem suspiciendam, quam humilis divinarum rerum cogitatio.

Idem *in cap. 12.* ostendit Christianos esse veros Israelitas, a quibus juge sabbathum servandum est & viam Dei minus molestam esse, quam mundi.

Idem *in cap. 14.* indignum ait Christiano viro propter temporalia servire Deo.

Idem *in cap. 21.* egregiam instituit comparationem inter Mundanos, ac Cœnobitas, & Solitarios, ubi horum sanctorum hominum vitam in pietatis exercitationibus transactam describit.

Idem *in cap. 22.* Christianis iterum Eremitarum vitam proponit, illos ad pietatem excitaturus; quod ipsum argumentum rursum in capite 23. pertractat.

S. Bernardus in sermonibus de Ascensione docet per devotionem omnes pietatis exercitationes faciles fieri.

Idem *l. 1. de Consid.* ostendit nimias curas extrinsecas officere devotioni.

Idem *Serm. 10. in Cantica* de contemplationis suavitate loquitur.

Idem *Serm. 22. in eadem Cantica* docet a pietatis exercitationibus non desistendum, si in illis gustus, & suavitas non percipiatur.

Idem *Serm. 52. in eadem Cantica* ostendit, Dei præsentiam maxime ad spiritum devotionis excitandum, fovendumque conferre.

S. Bonaventura in Asceticis Tractatibus, præsertim vero in illo de sex alis Seraphim de pluribus devotionis effectibus verba facit.

S. Laurentius Justinianus in Tractatibus de Disciplina Monastica, & conjugio Animæ cum Divino verbo de hac re loquitur uberius.

Richardus a S. Victore in Cantica, & in Tractatu de interioris hominis instructione *l. 2.*

S. Franciscus Salesius in admirabili libro de Introductione ad vitam devotam, devotionis naturam, proprietates, ac præstantiam ostendit, & præterea quomodo anima devota sese attollat ad Deum per Orationem, usumque Sacramentorum; ac tandem loquitur de praxi christianarum virtutum, quæ si desint, nemo esse potest vere devotus, ita ut vel hic unus liber ea omnia, quæ in hoc argumento possunt optari, abunde suppeditet.

Granatensis *in part. 2. c. 2, & 3.* loquitur de devotarum animarum tentationibus, ac impedimentis devotionis *c. 34. &c.*

Cardinalis Bona *l. de Disciplina psallendi.*

R. P. Masson Chartusianæ Familiæ Generalis veram adstruit devotionis ideam in libro cui titulus Introductio ad vitam Religiosam.

Cardinalis Bellarminus in Opusculo de *Ascensione mentis in Deum* rationem tradit, qua jugiter in Deum attollamur, & contemplativam vitam ducamus.

P. Haineufve in tomo 4. Ordinis serm. 26. hoc tractat argumentum.

P. Guillore *in tract. cui tit. Maximes Spirituales. Maxim. 4.* ostendit non omnes semper ad majorem perfectionem, hoc est ad sublimiorem devotionem esse dirigendos; & *Maxim. sequ.* docet singulos ad status, munerisque sui perfectionem esse adducendos; & *max. 7.* loquitur de corporis austeritatibus, quando, & quomodo pietati sint necessariæ.

Jacobus Alvares *Tom. 3. part. 3.* amplum habet tractatum de devotione, ubi ad examen revocat quidquid ad hanc virtutem refertur.

P. Gaudier in tractatu de Oratione *part. 2.* loquitur de devotionis defectu.

Franciscus Suarez *de Relig. Tom. 2. tract. 3.* Theologice hoc argumentum exhaurit.

Lessius *de Justitia, & jure l. 2. c. 37.*

Reinerius de Pisis *tit. Devotio.*

P. Caussinus in Aula Sancta tract. 2. Enunciato 9. loquitur de falsa devotione, omnibusque speciebus illius: de devotione nigra, tetra, superstitiosa, affectata, hypocrita &c.

Idem Enunciato sequenti de solida devotione verba facit.

P. Ludovicus Franciscus d' Argentano ex Capucinorum Familia in Collationibus Theologicis, & Asceticis de Magnalibus Virginis *collatione 23. art. 1. 2. 3.* tuetur devotionem contra impiorum, & eorum, a quibus ignoratur, criminationes; *& collat. 30. art. 10.* loquitur de virtutis hujus usu, & necessitate.

Cambolas lib. cui titulus, Exemplar Vitæ Cristianæ *c. 3. §. 5.* loquitur de devotionis abusu; *c. 6. §. 3.* contra eos invehitur, qui mundum, ejusque præcepta cum christianæ vitæ institutis conciliare contendunt; & *§. 6. capitis ejusdem* ostendit, qui pietatem profitentur, & mundi mores sequuntur, inanem dumtaxat devotionis speciem habere.

P. Cordier Tomo secundo Familiæ sanctæ cap. 3. ostendit, quam necessaria sit in familia devotio.

P. Dozenne l. de Morali JESU CHRISTI art. 6. plura devotionis tradit præcepta.

Liber cui titulus; Schola JESU CHRISTI Francisci Pean Theologiæ Doctoris de devotione, & christiana pietate late disserit.

P. Croiset in spiritualibus Considerationibus to. 1. prolixum habet caput de falsa pietate; capite vero sequenti de vera agit devotione.

Immensi laboris esset eos recensere qui de pietate loquuntur, & devotionis tradunt præcepta; eos, quos memoravimus, in medium attulisse sufficiat.

In Morali dictionario duos hujus argumenti sermones invenies. Concionatores.

Inter sermones sub P. Bourdalove nomine editos; Feria quarta post tertiam Quadragesimæ hebdomadam sermo est præcipuos veræ devotionis characteres indigitans.

P. Giroust pro Feria tertia Hebdomadæ secundæ in Quadragesima loquitur de vera, & falsa pietate.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Adventu veræ, falsæque devotionis profert caracteres.

Maimbourg veræ devotionis tradit ideam in Magdalena ad JESU CHRISTI pedes provoluta, sermone pro feria secunda majoris hebdomadæ.

P. Grisel in Quadragesima eamdem secutus est iđeam in S. Mariæ Magdalenæ Panegyrico.

In Christianis sermonibus pro quinta post Pentecostem Dominica sermo est de iis sensibus, quos homini Christiano Religio vera debet inspirare.

Quicumque de hypocrisi disseruerunt, indirecte de vera devotione locuti sunt.

Qui collectanea ediderunt. P. Ludovicus Granatensis in locis Communibus titulo *Devotio*.

Busæus in Viridario fusius de hoc loquitur argumento.

Centuriatores alii nonnisi data occasione de hac devotione locuti sunt; idque sub titulo Religionis.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te! Ps. 30.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Ps. 35.

Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? Ps. 34.

Lex Dei in corde ipsius. Ps. 36.

Lex tua in medio cordis mei. Ps. 39.

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Ps. 62.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Ps. 118.

Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem .... donec inveniam locum Domino. Ps. 131.

Non habet amaritudinem convictus illius, neque tædium conversatio illius. Sap. 8.

Cor meum, & caro mea, exultaverunt in Deum vivum. Ps. 83.

Dominus autem intuetur cor. 1. Reg. c. 16.

Posuit oculum suum super corda eorum, ostendere illis magnalia operum suorum. Eccli. 17.

Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Matth. c. 15.

Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me. Ibid.

Sine causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. Ibid.

Venit hora.....quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Joan. 4.

Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Ibid.

Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Matth. 23.

Graditur via non bona post cogitationes suas. Isaiæ 62.

Pietas ad omia utilis est. 1. ad Timoth. 4.

Religiositas custodiet & justificabit cor. Eccli. 1.

Absconditus cordis homo. 1. Petri 3.

Memor fui Dei, & delectatus sum. Ps. 76.

Exempla ex utroque Testamento deprompta.

Exemplum Abrahæ. Quacumque in significatione devotio sumatur, seu pro Religionis actu, seu pro voluntate, quæ nos ad Deo inserviendum impellit, seu pro earum rerum omnium, quæ ad Domini cultum pertinent, amore; Sanctus Patriarcha Abraham luculentissimum nobis illius suppeditare potest exemplum. Et profecto curnam putas Deum illi imperasse, ut sibi unigenitum suum, unicum amoris objectum, senectutis columen, diuturnæque posteritatis spem sacrificaret? Non ideo sane, quod oblectetur ille humano cruore, præsertim vero cruore filii paterna effusio dextera; videmus enim e contra in Lege ipsum id genus sacrificia perhorrescere; sed quod inspicere vult, quænam futura sit dispositio cordis Abrahæ, ubi gravissimum hoc mandatum acceperit; & utrum amor, quo charissimum prosequitur filium suum Isaac eam superaturus sit obedientiam, quam debet Deo. Itaque ubi heroicam magni hujus Patriarchæ virtutem intuitus est, ipsam voluntatis dispositionem pro effectu acceptam habuit, eique insigne illud perhibuit testimonium; illum videlicet perfecte, integreque servitio suo esse devotum; quandoquidem præsto erat, ut omnia conaretur, omniaque sine ulla exceptione sacrificaret; in quo vera devotio consistit. *Nunc cognovi, quod times Deum.* Genes. 22.

Abjecit Deus sacrificium Saul, quantumvis omnem actus religiosi speciem præferret; non enim juxta suam voluntatem oblatum fuit; neque profectum ex animo, qui divinis exequendis imperiis promptus esset, atque submissus. Itaque Regis hujus factum improbavit Samuel tamquam importunum, habitumque potius fuit veluti idololatriæ species, quam actus Religionis: *Quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* 1. Reg. 15. Jussus fuerat Saul Amalecitis bellum indicere, eisque deletis omnia igne ferroque vastare; at ratus nimis magnam se jacturam subiturum, si tantas opes absumeret flamma, ea sibi reservavit, quæ maximi pretii esse duxit; cumque Dei verbis a Samuele exprobraretur, satis validam se afferre excusationem arbitratus est dicens, se pretiosissimas igni subtraxisse manubias, Domino sacrificandas. Fallacem pietatem, sacrilegam religionem! Non indiget Deus oblationibus, atque muneribus; cordis puritatem, mandatis suis obedientiam, nostræ voluntatis suæ conformationem exposcit. Falsa devotio Saul.

Vera devotio principium habere debet in corde, & nisi pietatis actiones ex hoc fonte non manaverint, quantumvis egregiam extrinsecus speciem ostentent, Deo acceptæ esse non possunt. Ideo in Scripturis nihil enixius, quam cor, petitur a Deo. Ibi enim videmus, illum Abelis quidem accipere sacrificium, quod ex corde proficiscebatur, Cain vero repellere, cujus particeps cor non erat; Moysi præcipere, ut interiorem Arcæ partem primum, mox vero exteriorem auro exornaret. Scimus, Davidem fuisse hominem secundum cor Dei; cor enim sanctissimi Regis semper erat ad exequenda Dei mandata paratum: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Psal. 107. ac denique in actibus quibuscumque, patet Deum ante cætera cor intueri: *Dominus autem intuetur cor.* 1. Reg. 16. Exempla, devotionē in corde esse debere probantia.

Cum devotionis virtuti latiorem tribuamus significationem præ ea, quam illi Theologi tribuunt, & hoc nomine intelligamus sanctam vitam, piam, pro Dei servitio zelo succensam, in lege servanda sedulam & paratam debitum Deo cultum deferendo; hoc in sensu piorum, devotorumque albo omnes veteris Testamenti Sancti possunt accenseri. Ita Abel, Noe, Job, Jacob, Josias, Josaphat, Ezechias, Prophetæ omnes, aliique innumeri devoti fuere; pietas enim, religio, sanctitas, nomina sunt, quibus Sacra utitur Scriptura ad illud indigitandum, quod a nobis devotio nuncupatur.

Licet vera devotio omnem oderit mollitiem, omnibusque in rebus mortificationem requirat, & corporis austeritates exerceat; putandum tamen non est in his devotionem consistere; & hæc esse certa veræ devotionis indicia. In Bibliis enim videmus, Falsa devotio prophetarum Baal.

Pro-

Prophetas Baal pseudoprophetas fuisse; licet ipsa austeritate vero Dei Prophetas superarent; barbara enim pietate membra sua cultris secabant, laniabantque, ita ut cruore diffueret. Itaque vera devotio ea non est, quæ virtutem omnem immodicis, nimiisque austeritatibus collocat, corpus quidem infirmantibus, omnemque spiritus vim extinguentibus; neque ea, quæ sine Ecclesiæ præcepto, vel sapientis Ducis alicujus consilio severissimos ritus consectatur magis ut propriæ voluntari satisfaciat, quam ullo pietatis sensu: & in his omnem Christianismi perfectionem constituit, quin aliis perfungatur muneribus, quæ magis sunt essentialia, & ad quæ servanda arctiori necessitate tenemur. Sæpe etiam sub externis hujusmodi austeritatibus secreta latet superbia; sed internæ mortificationes nullis sunt obnoxiæ illusionibus.

Devotio nequaquam propria est, ut nonnulli putant, aliquorum dumtaxat hominum; vel quorumdam vitæ statuum, aut professionum. Omnium temporum est, omnium conditionum, earum etiam, quæ ab eadem magis abhorrere videntur. In Scripturis enim videmus non defuisse Davidi, qui ingentis Regni pluribus distractus curis tempus tamen inveniebat, quo centies singulis diebus Domino suo laudes diceret; Moysem, qui frequentissimi populi duxerat, ad Deum indesinenter confugisse, eumque rebus in omnibus consuluisse; Josue exercitus imperatorem egregia pietatis laude floruisse; Esther in Assueri Aula ad maximi terrarum Regis thalamum evectam nihil magis odisse quam fastum, atque jactantiam, neque majores unquam percepisse delitias, quam cum in recessu in Deum unum cogitationes suas transferebat; Judith, quæ in gente sua tanto in honore habebatur, vitam frugi, sanctéque duxisse, sese induisse cilicio, atque ad unguem jejunia, festos dies, omnesque Legis cæremonias servasse.

Publicanus, & Pharisæus Evangelici. Publicanus, & Pharisæus in Evangelio nos tamquam exempla proponuntur, alter quidem veræ, alter vero falsæ devotionis; sed Dei unius est alteram ab altera dignoscere. Ex duobus hisce exemplis post veritatis ejusdem sententiam, & verbum, innotescit, illum, qui majorem habere putat pietatem, ut plurimum omnino eadem carere. Sed ex iis, quæ faciunt hypocritæ, cognoscere possumus, quid nobis faciendum sit, ut vere devoti simus; atque metuere debemus, ne damnemus eos, qui aliquando fortasse nos accusabunt, & condemnabunt.

Magdalena perfectæ devotionis exemplū. Post beatissimam Virginem in Evangelio nullum perfectius devotionis exemplar invenimus, quam Magdalenam; ea quippe omnes ejus qualitates, sensus, officia, & exercitationes complectitur. Modo ad Salvatoris pedes procumbit, eas lacrymis abluens, modo illum ubique, ut Canticorum Sponsa, quærit, eoque invento suavissimo charitatis impetu extra se rapta perfruitur: *Quæsivi, quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam:* Cant. 3. modo super caput ejus pretiosi unguenti phialam effundit, ac eodem pedes inungit, quos suis capillis detergit; quo charitatis officio tanto cum fervore perfungitur, ut cum aromatico unguento cor ipsum effundere videatur: modo æque tenera, ac solida devotione ipsum ad Calvariæ usque cacumen persequitur passionum ipsius consors futura; mox illum in sepulcro requirit, ut justa persolvat; eoque non invento, sollicita sciscitatur, ubinam positus fuerit, & ad eum auferendum sibi satis virium futurum arbitratur. Omnes, quibus agitur, motus totidem sunt teneræ, solidæ, ferventis, constantisque simul devotionis indicia, & effectus; quamobrem Dei filius dixit, ipsam quidem optimam elegisse partem, numquam ab eadem auferendam.

Exempla reliqua nimis multa sunt, ut possint recenseri. Hoc in numero adscribi possunt Apostoli omnes, præsertim vero S. Petrus, cujus ardentissima devotio fuit; & S. Joannes, qui summo Dei flagrabat amore, deinde vero discipuli, qui Salvatorem secuti sunt, piæ mulieres, quæ eumdem subsequebantur, Cornelius Centurio, qui in Actis c. 10. *Religiosus, ac timens Deum* appellatur, & S. Timotheus, qui a S. Paulo *Homo Dei* dicitur.

APPLICATIONES.

Quomodo corpus, sensusque ex animæ devotione afficiuntur. Cor meum, *& caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Ps 83. Quomodonam caro, pars hæc nostrummetipsorum animalis gaudium, & requiem suam in Deo potest invenire, quod quidem spiritus est illam quodammodo gustantis, ac delibantis, uti alibi idem loquitur Propheta? Cum lumen insuetum repente spiritum illuminet, ac recens ardor sancto amore voluntatem inflammet; anima suavitate repleta hanc appetitui communicat, qui ipsius pars est; quæ deinde in carnem, sensusque diffunditur, qui hac facultate reguntur. Hinc fit, ut labor, ac dolor, qui in Dei servitio est, non percipiatur; ut sancta hilaritate mandatorum illius vis percurratur; ac devoti homines ibi voluptatem inveniant, ubi tepidi, ac devotione carentes laborem tantum, ac fastidium inveniunt.

Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Psalm. 100. His verbis Propheta docet, devotionem quamprimum arescere, ac imminui, nisi oratione enutriatur. Hæc est S. Bonaventuræ animadversio, qui ad hoc probandum Prophetæ allata utitur auctoritate; & hoc ipsum quotidiana etiam docet experientia: Si enim desit oratio, sensim pietatis remittuntur officia, bona consilia oblivioni traduntur, & passiones omnes, quibus devotio soporem immiserat, rursus expergiscuntur. Quamobrem ubi de homine devoto sermo est, ut plurimum homo orationi deditus intelligitur, & effectus pro causa usurpatur. Devotio ad orationem excitat, & oratio fovet devotionem; utraque vero a Spiritu Sancto modo cibus, modo pinguedo animæ, & signum salutis ejusdem vocatur: *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.*

Absconditus cordis homo. 1. Petri 3. Lex vetus, ex S. Pauli testimonio, neminem adducebat ad perfectionem. Omnis in figuris posita erat, & si veram habebat sanctitatem, hæc extrinsecus quidem incipiebat, & mox in cor ipsum transibat; cumque vultus, & sacrificia illius non essent aliud, nisi umbræ cultus, & sacrificii novæ Legis, hic finis illius erat, ut externis actionibus ea præsignaret, quæ interna erant futura. E contra vero Christiana Religio statim pietatem in ipso corde constituit, & hæc pietas *absconditus cordis homo* a Sancto Petro vocatur: mox vero præcipit, ut per actionum sanctitatem illam extrinsecus proferamus.

Quomodo per devotionem induimus J. C. *Induimini Dominum JESUM CHRISTUM*. Ad Rom. 13. Te, Domine Salvator hominum, indui volo secundum Apostoli tui consilium; at si extrinsecus tantum induerer per virtutes mere exteriores, quid de me esset? quænam esset pietatis larva ad iram tuam excitandam, quam ad misericordiam promerendam accommodatior? Fac igitur, ut hoc devotionis indumentum, quod utique geram proximum meum ædificaturus, interiorem hominem contegat: *Absconditus cordis homo*, hominem, qui tua gratia efformatus ex tuo spiritu vivat, & intra se invisibilia virtutum tuarum servet lineamenta; hominem, qui in omnibus officiis suis fidelis, ea omnia majora æque ac minora diligenter adimpleat; hominem, qui prudens, ac sapiens ea, quæ præcepti sunt, atque ad statum suum pertinent, iis præferat, quæ sunt supererogationis; hominem denique, qui omnino sit sacer, devotusque. *Ex Morali Dictionario.*

Pietas ad omnia utilis. 1. ad Timoth. 4. Et sane cui non utilis pietas? Usum habet in omnibus locis,

locis, temporibus, rebus; in Ecclesiis æque, ac in Regum penetralibus. Per hanc audimus verbum ab hominibus prolatum, tamquam verbum Dei, quale reipsa est, illudque recipimus quemadmodum arens tellus recipit imbrem; per hanc divinorum beneficiorum consideratio nos afficit, amoris ejusdem cogitatio succendit, promissiones solatium afferunt, minæ perterrent. Sine hac Verbum Dei quod esse debet instar gladii ancipitis, in cordis nostri durite retunditur; & sine hac obstinationis scelere scelus impœnitentiæ cumulamus. Hæc vera devotio cubicula nostra in angusta templa convertit, quo descendit divinitas; hæc efficit, ut Deus nobis loquatur, ut nos loquamur illi, nobisque sua aperiat oracula, ac suas consolationes infundat.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum loci, atque sententia hujus argumenti.

Dulciores sunt lacrymæ orationum, quam gaudia theatrorum. August. in Ps. 127.

Quamquam hæc infirma habeant suas delectationes, suosque amores: non tamen tali modo delectant, sicuti tu Deus noster. Idem in Medit.

Est gaudium quod non datur impiis, sed eis, qui te gratis colunt Domine, quorum gaudium tu ipse es. Idem in Confess.

Si habet animus unde oblectetur extrinsecus, sine deliciis manet interius. Idem in Joannem.

Si forinsecus ea quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiant, nemo est tam insulsus, qui præcepta arbitretur impleri. Idem, Quæst. 54. in Deuter.

Quis cultus ejus, nisi amor ejus? Idem in Ps. 32.

Hoc nimis doleo, quod multa quæ in sacris libris magna sunt, minus teneantur, & parva nimis introducantur. Idem, Ebist. 110. ad Januar.

Religionem, quam Christus liberam esse voluit, servilibus oneribus premunt. Idem ibid.

Hæc perfecta justitia est; si potius potiora, si minus minora diligamus. Idem, Epist. 119. ad Jan.

Pietas vera est verax Dei cultus. Idem, l. 4. de Civ. Dei, cap. 23.

Sine vera pietate & religione, omne quamvis laudabile ingenium, superbia vanescit, & decidit. Idem, l. 2. de Civit. c. 5.

Cum mens internam dulcedinem degustat, amore æstuat, videtque se videre non posse quod ardenter diligit; nec tamen ardenter diligeret, nisi aliquatenus videret. Greg. l. 4. Moral. c. 12.

Gravis est iniquitas, quando is qui perversus est ostendere alios perversos molitur; ut inde minus malus appareat, quod alios sanctos non esse docuerit. Idem, l. 12. c. 15.

Quanto quis minus æterna intelligit, tanto delectabilius in temporalibus requiescit. Idem super Ezechielem.

Devotio est fervor bonæ voluntatis, quem mens cohibere non valens certis manifestat indiciis. Cassianus in Collat.

Deus non æstimat quemquam ex eventu rerum, sed ex affectu. Cyprian.

Non improbo eos qui castigant corpus suum; sed satanas mille artibus nonnumquam illudit incautis. Idem de dupl. Martyr.

Habet hanc vim dulcedo cœlestium pulchritudinum, ut quanto intentius quæritur, tanto ardentius desideretur: ingerunt de cupiditate appetitum, & non faciunt de satietate fastidium. Eufeb. Emiss. Serm. de B. Maximo.

Tanta esse debet ejus (devotionis) *lenitudo, ut emanet ab animo ad habitum*. Tertul. de cultu mulier.

Gustato spiritu, necesse est desipere carnem; affectanti cœlestia, terrena non sapiunt; æternis inhianti, fastidio sunt transitoria. Bernard. in Epist.

Cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere mundum. Idem in Sermonib.

Hoc debes semper observare, ut non occidas carnem tuam, sed vitia. Idem, de modo beate vivendi.

Ingratum est quidquid obtuleris, neglecto eo, ad quod teneris. Idem.

Quæstuosa res est nomen Christi. Gilbertus Abbas in Cantic.

Nihil est in rebus humanis religione præstantius, eamque summa vi oportet defendi. Lactantius l. 3. cap. 10.

Devotionis virtus ordine prima est, quæ est fundamentum cæterarum, meritoque hanc primam exegit Deus ab Abraham. Ambrof. l. de Abraham.

Res est cordis, gratia devotionis. Bernardus.

Hæc gratia devotionis, est unctio docens de omnibus; quam expertus novit, inexpertus ignorat: quoniam nemo scit, nisi qui accipit. Idem in declamat. de verbis Apost. Petri. Ecce nos reliquimus omnia.

PARAGRAPHUS V.

Quid in hoc argumento ex Theologiæ penu possit depromi.

Quid sit devotio, & variæ nominis significationes.

CUM *Devotionis* nomen æquivocum sit, difficile est virtutis hujus æquam notionem tribuere, & iis omnibus rebus, quæ devotionis nomine significantur, convenientem. Nonnumquam hoc nomine indigitatur interior suavitas, atque solatium, quo anima in oratione perfunditur; quo in sensu SS. Augustinus, atque Bernardus de ea vulgo loquuntur. Alii hoc vocabulo intelligunt quemdam affectum, ac studium erga pietatis exercitia, & ea omnia, quæ Dei cultum respiciunt; eoque in sensu SS. Ambrosius, & Gregorius, ut plurimum, hoc nomine utuntur. Credunt nonnulli hanc esse cordis affectionem, quod divinis rebus palam afficitur; quamobrem ubi hæc cogitamus, vel de his sermonem audimus haberi, in lacrymas dissolvimur. Alii vero cum plerisque Theologis dicunt, hanc sanctam esse lætitiam ac mentis alacritatem, qua Sancti ea, quæ Dei sunt, consectantur. Hi Doctores devotionem cum fervore confundunt, qui potius devotionis qualitas est, & conditio, quam ipsa devotio. Sæpe devotum dicimus, qui frequens ad Sacramenta accedit, atque pietatis exercitiis sese crebro mancipat; tunc vero effectus usurpatur pro causa. Sed eo in sensu, in quo istic devotionem accipimus, aperta professio est vitæ secundum omnia Religionis officia, & statum, in quo nos Providentia constituit, & munus, quod illius imperio, sumus amplexi, diligenter instituta. Quod non longe abest ea definitione, quam tradit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 82. dicens, hanc alacrem esse voluntatem, propter quam hilariter ea omnia perficimus, quæ ad Dei cultum pertinent; quibus hoc unum addimus; nempe juxta singulorum statum & conditionem ad eos prohibendos abusus, qui in devotionem magis, quam in quamcumque virtutem aliam obrepunt.

Hæc notio ipso devotionis nomine sumitur, quod ex verbo *devovere* originem duxit; quapropter devoti illi proprie vocantur, qui Deo suo sese devoverunt. Itaque, ut pressius loquamur, religionis virtus, quæ moralium omnium virtutum princeps est, ac præstantissima, nos ad ea impellit, quæcumque ad Dei cultum pertinent; devotio autem efficit, ut ea omnia alacriter, & cum gaudio exerceamus, ibique voluptatem nanciscamur, atque interiori voluptate repleamur. Hinc sequitur, devotionem quemdam in sensu esse religionis actum, in altero vero particularem esse virtutem, licet Sancti Patres sæpe illam cum ipsa religione confundant, & frequentius *pietatem*, non-

nonnumquam etiam Divini spiritus unctionem appellent. Hodie vero devotorum nomen eorum proprium est, qui pietatem, bona opera, sanctaque charitatis exercitia peculiariter profitentur.

Vera devotio inter duo vitia sita est, quæ sunt ejusdem extrema.

Vera devotio inter duo extrema vitia, superstitionem, videlicet, atque impietatem sita est. Superstitio quidem per mentis imbecillitatem peccat; impietas vero, commentitiam spiritus vim affectans per nequitiam potius delinquit: altera nimis credula est, altera vero satis credula non est; utraque duplicem efficiunt scopulum, ut vere devotus sis, diligentissime evitandum. Attamen superstitio excusatione dignior videtur; namque inter falsas ideas, quas sibi proponit imaginatio, aliqua bonæ affectionis elucet nota; cum impietas e contra omnia simul intellectum, voluntatemque corrumpat. Verum ne in alterutrum horum scopulorum impingas, satis est, ut eas diligentissime serves pietatis exercitationes, quas vel præcipit, vel probat Ecclesia.

Fundamentale est christianæ Moralis Axioma, veram, solidamque pietatem potius in sensu cordis, quam in exteriori actione consistere; & Deum majorem habere rationem affectionum, votorumque nostrorum, quam operum. Deus cor præsertim spectat, cor petit, atque exigit; & quantumvis illum colere possis exteriori mandatorum illius observantia, nisi cor interiori motu simul accesserit, Deo acceptus esse non poteris. Ita in Prophetis videmus, contempsisse Deum sacrificia, quæ non erant interiori cordis pietate animata.

In devotione exteriores cultus prætermittendi non sunt.

Licet vera, ac solida devotio in eo consistat, ut Deo in spiritu, & veritate serviamus, quemadmodum ipsa Veritas docuit; tamen non prohibet externos cultus, cæremonias, vocales preces, genuflexiones, omnesque motus, quos devotio suggerit, prudentia regit, permittit Ecclesia; & quos nonnisi audacissima temeritate, S. Augustinus inquit, hæretici, ac impii vituperant. Et patet ratio; cum enim homo corpore constet, ac spiritu, efficere tenetur, ut utraque hæc sui ipsius pars suæ erga Deum pietati famuletur, & debet interiori cultui exteriorem adjicere, non secus ac Publicanus, quem laudat Evangelium, cordis contritioni, ac spiritus humiliationi lacrymarum copiam, & fervorem, quo pectus suum tundebat, adjecit.

Cavendum est, ne sensibilis devotionis dulcedinem abjiciamus, vel contemnamus in aliis, quod Theologi mystici docent: licet enim devotio solida nequaquam consistat in hoc gustu, atque suavitate; hæ tamen sunt cœlestes gratiæ: & maxime mundi hujus labores optimam sane mercedem hujusmodi solatiis referrent. Sæpe veræ virtuti opem adferunt, & qui majori Sanctitatis laude floruerunt, uberrimum inde fructum percepere. Verum cavendum quoque, ne quid remittatur, vel relinquatur ex illis exercitationibus sanctis, quibus assuevimus, ubi hujusmodi suavitates imminuantur; alioquin hoc esset Deo, ut conducti assolent, famulari. Deus utplurimum dulcedinem hanc illis degustandam impertit, qui sese illi devovere incipiunt, ut eos ad se pertrahat, atque suæ servituti subjiciat; deinde vero, ubi profecerint, illos esca magis solida enutrit.

Devotionis actus non relinquendi quod illis abutantur hypocritæ.

Vehementer errat, qui putat, devotionis exercitia esse negligenda eo quod illis sese hypocrisis contegit, eaque omittenda esse, ne tamquam hypocrita habeatur. Haud ita, S. Augustinus inquit: non decet oves suis velleribus exui, quod illis nonnumquam utuntur lupi, ut felicius decipiant. Deus, qui est universale rerum omnium principium, vult, corpore etiam, non solum mente sibi serviri: deinde vero proximis etiam debet prodesse devotio, ac bonum hominibus exemplum tribuere, Deo gloriam debitam tribuens. Falsa pietas illis etiam, quos fallit, utilis esse potest; neque enim vident, quod in ipsa improbum latet, ac amant, quod sibi bonum videtur.

Quamvis quicumque fidelis devotus esse debeat, tenetur quippe omnibus suæ Religionis officiis defungi; nihilominus communiter loquendo, videtur devotis nonnihil peculiare communibus addere officiis: ita ut qui sincere devoti esse velint, recentes obligationes contrahere videantur. Namque devotum esse, idem est, ac esse devotum Deo non solum propter Baptismi sui promissiones, verum etiam propter voluntariam, generosam, atque constantem professionem, qua se Deo adhærere devotus decernit. Hoc non est solum Dei subditum esse, sed etiam domesticum, eum propius sequi, ejusque consuetudine sæpius frui.

Quid intelligendum, cum omnes devoti esse debere dicuntur.

Cum dicunt, laicos æque devotos esse debere, ac Regulares; nequaquam intelligendum est, laicum æque ac Regularem ad eamdem devotionem servandam teneri: ita enim confunderentur obligationes, quæ esse debent distinctæ. Religiosi, atque Ecclesiastici propria habent officia; Magistratus etiam, ac Negotiosi homines habent sua, quæ variis vitæ civilis conditionibus, varia esse debent. Verum intelligendum est, unicuique virtutis formam, atque devotionis mensuram ex status sui officiis, & obligationibus esse desumendum, & quidquid ab hac forma abhorret, quantumvis ejusdem fines excedat, supervacuam esse supererogationem, quæ Deo accepta non est, & nihilum prodest, ut aliquem devotum efficiat.

Hinc sequitur, curas, atque negotia, quæ ab officiorum nostrorum ordine non recedunt (dummodo modus ille servetur, quem lex christiana præscribit) non esse devotionis impedimenta: quoniam devotio instituenda est juxta ea munera, quæ explere tenemur, eaque officia, quæ pro conditione nostra nobis sunt obeunda. Inde sequitur etiam, exercitia quælibet, omnem devotionis actum, qui nos ab officiis nostris rite persungendis avertit, mala esse, atque irregularia. Tertio sequitur etiam, licet devotio secessum diligat, ac tranquillum spiritum exigat, inter maximas curas illam servari posse, atque foveri.

Errant, qui putant devotionem nimis esse sublimem, ac perfectis tantum, vel iis, qui ad altissimum perfectionis fastigium contendunt, perviam. Cum varii sint gloriæ in cœlo, & gratiæ gradus in terra, varii quoque sunt gradus devotionis, per quos crescimus in gratia, & magis, magisque ad gloriam attollimur. Ut verbo me expediam: quemadmodum non omnes justi sunt æque perfecti, licet omnes per sanctificantem gratiam sint Dei filii, & amici; ita ordo a Deo constitutus exigit, ut non unum sit devotorum genus, quemadmodum plures futuri sunt Sanctorum, atque Beatorum ordines; Quamobrem cum nemo pro virili non contendere debeat, ut salutem suam operetur, ac Cœlum acquirat, licet primos gloriæ gradus se assecuturum minime speret, ita nemo est, qui devotionem exercere non debeat.

In devotione nequaquam statim ad ea, quæ magis sublimia sunt, contendendum est; expectandum est, donec nos attrahat Deus; alioquin hoc esset aviculas imitari, ut spiritualis vitæ magistri dicunt, quibus cum nondum satis firmæ sint alæ; ubi volare adnituntur, decidunt in terram. Magna profecto illusio est, repente ad altissimos gradus contendere, quo sancti non pervenerunt, nisi per vias minus perfectas summa cum simplicitate incedendo. Hæc immo dæmonis fraus est, atque tentatio, qua studet, a devotione removere, qui Deo famulari incœperunt: illis indiscretas austeritates, atque conatus ultra ipsorum vires positos suadet, ut cum diu eos sustinere non valeant, tædio affecti a devotione, Deique cultu prorsus recedant.

Mentis sublimitas, quæ in scientiarum acquisitione perquiritur, in devotione necessaria non est; hæc enim virtus potius cordis est, quam mentis, & calore magis indiget, quam lumine. Quamobrem vulgo videmus simplices, atque illiteratos homines facilius devotionem excolere, atque constan-

stantius in eadem persistere; & Apostoli, qui procul dubio primi devoti fuere, quippe qui in pietate a Magistrorum omnium præstantissimo eruditi, rudes fuere, in lintribus, scaphisque innutriti, atque sagenis, retibusque dumtaxat attrectandis idonei. Cæterum devotio, si ejus spectetur essentia, nequaquam consistit in sublimibus contemplationibus; illi mediocris mentis sufficit applicatio, quod sane ostendit, non adeo operosum, & arduum esse; ut existimatur, illuc pertingere.

Devotionis effectus. Quamvis pietas, atque devotio omnium bonorum sit causa, totiusque nostræ felicitatis origo; habet tamen peculiares quosdam effectus, quorum præcipue hi ferme sunt. 1. Fervens desiderium conversandi cum Deo, audiendi verbum illius, amorisque sui gratias in Sacramentis recipiendi. Ita David ad Domini sui dilecta tabernacula adspirabat, nihilque in exilio suo gravius, acerbiusque inveniebat, quam ab illius abesse conspectu, aperte professus, se una spe, futurum ut ipsum in domo ejus videret, suffultum fuisse, ne in desperationem decideret. 2. Gaudium, quod vocari potest incomprehensibile; anima enim devota sentit cor suum aperiri, ac in illud ingredi Spiritum Sanctum cum omnibus gratiæ, dulcedinis, consolationumque suarum deliciis, quas, qui percipiunt, satis explicare non possunt. 3. Mundi oblivio, voluptatum ejus nausea, omniumque vanitatum contemptus. 4. Facilitas ea, quæ ad nos pertinent adimplendi, &, ut loquitur Propheta, currendi in via mandatorum Domini, ita ut labores omnes, doloresque, qui in virtute, Deique servitute inveniuntur, protinus abeant, & evanescant. 5. Quædam animæ elevatio, quæ efficit, ut ab omnibus terrenis rebus divulsa rerum divinarum contemplationi unice inhæreat. 6. Zelus ardens gloriæ Dei, quo illum mortalibus omnibus cognoscendum, amandumque tradere adnitimur.

Devotionis impedimenta. Primum spiritui devotionis obstaculum est humanarum consolationum, ac sensibilium voluptatum perquisitio; hæ quippe saltem non minus, quam spiritui caro, interioribus spiritus sancti gaudiis opponuntur. Ita Manna Israelitis deficere occœpit, ubi illi fructibus terræ vesci inceperunt. Alterum est nimis sollicita cura pro terræ hujus bonis, quæ quidem suffocat verbi divini semen, prohibetque, ne radicem in corde jaciat. Tertium curiositas est ea sciendi, quæcumque aguntur, & transiguntur, ac ediscendi sexcentas res inutiles mentem distrahentes, dissipantesque, ac ne Deo suo vacet, prohibentes. Quartum negotiorum impedimentum, & sæcularium multitudo curarum, quibus sine ullo ordine, ac necessitate animum nostrum impendimus.

Alii devotionem constituunt in eo, quod est secundum sensum suum, alii in eo, quod secundum suum studium est: alii in inusitatis, singularibusque exercitationibus; alii in extremis: alii in eo, quod nitet, ac fulget, alii in eo, quod terret, ac abjicit. Alii eam sibi fingunt extra statum suum, alii ultra vires, & potestatem suam. Alii hanc esse putant urbanitatis officiis, regulisque in hujus mundi consuetudine servandis oppositam: alii denique illam prorsus contrariam opinantur arctissimis etiam obligationibus, ac particularibus muneribus, quibus in mundo defungi tenentur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci ad hoc argumentum spectantes.

Vulgo devotio falsis coloribus exhibetur. DEvotio, quæ propria est Christifidelium virtus non æquioribus delineata coloribus fuit, quam virtus Philosophorum, qui eam collocarunt in altissimo montis fastigio, horrentibus undique spinis consiti, asperrimisque rupibus præpediti; cique socios dedere laborem, doloremque, vestem hirtam, atque horribilem, ac oris habitum ad terrorem injiciendum aptissimum. Hæc quidem amaritudine, ac austeritate conflata est, ciliciis induta, atque iis omnibus armata, quæ in pœnitentia magis aspera sunt, atque horrentia. Alii eam omnia fastidientem sibi fingunt, solitudinis amantem, honestissimarum voluptatum inimicam, quæ simul ac aliquod tectum subierit, inde statim societatem, solatia, & hilaritatem expellit. Agreste illi temperamentum tribuunt, ita ut omnem oderit urbanitatem, ornatus omnes contemnat, pretiosam supellectilem abominetur, flammis ornatus omnes addicat, & lacrymis tantummodo alatur. Quid dicam amplius? exhibetur tamquam larva quædam macie confecta, quæ Templis numquam pedem effert, numquam in mundi lucem prodit, eos, quicumque accesserint, terret: ac mirum est, si devotio ita personata, atque his deformata coloribus nemini placeat, nullum habeat spectatorem? Insigne facinus est ex re adeo præstanti terriculamentum efficere. Immodicæ severitates non minus scandalum adferunt, quam importunæ indulgentiæ; & qui timidas deterrent animas horrentem illis devotionis graphidem proponentes, vel a recta virtutis via detorquent usi imaginibus horrorem injicientibus ejus rei, quæ amabilis est, nihilo minus sunt veræ pietatis inimici, quam qui illam laxioribus sententiis impugnant. *P. le Moine in libro, cui titulus, la devotion aisée.*

Devotio nequaquam inaccessibilis est, quemadmodum nonnulli conantur obtrudere; sublimes quidem regiones habet pro magnis animabus, quas ad eminentem perfectionem Deus vocat; at quasdam humiliores etiam pro illis, quæ ægre per viam virtutis incedunt, ideoque non solum pro illis est, qui sæcularibus curis sunt omnino expediti, verum etiam pro illis, qui domesticis negotiis impediti sunt, & omnibus officiis, omnibusque vitæ communis necessitatibus vacant. Hi quoque, non secus ac Religiosi; salutem suam operari, beatamque æternitatem sibi acquirere debent. Mundi impedimenta illos a Christianæ Religionis officiis nequaquam solvunt; & Sancti cujuslibet conditionis, qui in cœlo sunt liquido probant nullam esse conditionem, quæ sanctificari non possit; maximas opes, magnasque virtutes sibimet non adversari, atque e superbis etiam regum ædibus in cœlum patere viam. Attamen numquam visus fuit, neque videbitur unquam Sanctus religione vacuus. Nullus ergo Fidelis est, cui non sit necessaria devotio; hæc enim virtus est, per quam omnibus Christiani hominis officiis defungimur. *Idem.*

Singulorum devotio statui suo debet esse conformis. Hac in re illud primum diligentius est attendendum, quod quilibet virtutis formam, atque devotionis mensuram ex statu sui muneribus, officiisque desumere debet; & quidquid huic formæ abnorme est, licet alioquin egregium, atque speciosum; quidquid ab hac mensura recedit, licet illam magnopere excedat, inanem esse supererogationem, Deo quidem nequaquam acceptam, ad personam vero devotam efficiendam inutilem. Hoc autem posito, quot, heu, exercentur austeritates, quæ tamquam actiones heroicæ putantur, & quæ facta sunt importuna, ordinem tantummodo perturbantia? Quot devoti, devotæque miracula se patrare putant, cum præstigia operantur; aerem verberantes, ut loquitur S. Paulus, fatigantur, summo anhelitu currunt, & semper a meta recedunt, quia extra suum stadium currunt! Quot Templorum, Xenodochiorumque visitationes illis inutiles sunt, quæ domi manere, domesticæque rei curam gerere debent! *Idem.*

Haud equidem ignoro, animas magis elevatas inveniri, quam vulgo sint aliæ; quæ intra status sui officia se minime continent, neque intra eos fines, quos lex indigitavit, subsistunt. Liberalem habent justitiam; atque operibus bonis cumulum addere quærunt; & nisi quæ debent, cum fœnore persol-

persolverint, se munus suum adimplesse nequaquam putant. Verum hæc abundans justitia eam gratiæ affluentiam supponit, quæ non omnibus datur. De communi agimus pietate, quæ munerum omnium fundamentum est, & quæ obligat singulos ad quos extenditur. Quibus addendum est, supererogationes ex plenitudine proficisci debere, neque ad consilia progrediendum esse, nisi prius adimpleta fuerint mandata. Deus non recipit oblationes, quæ ex furto sibi fiunt, & detestatur holocausta, in quibus adest rapina. Unde inferendum eos evertere potius, quam ædificare, qui naturales obligationes, ac legitima officia interire sinunt, ut pro libidine nova sibi officia, novasque pias exercitationes comminiscantur. *Idem*.

Devotio moderate sumenda.

Generale, atque pernecessarium effatum est, devotionem accommodatam esse debere conditionibus, ac statibus omnibus, eorumque officiis, atque oneribus parem. Quæ quidem sententia perniciosissimum errorem, atque illusionem debet auferre, quæ efficit, ut tot existant ignavi, ac profugi, qui devotionem excolere fatigantur, atque tot pavidi, qui eam amplecti detrectant, ne similiter fatigati eam abdicare cogantur. Hæc illusio eorum est, qui quod debent, non faciunt, ac meritum amittunt eorum, quæ supra ea, quæ debent, facere adnituntur; qui ea justitiæ temperantia, & sapientiæ voluntate, de qua loquitur Scriptura, nequaquam contenti, majora assumunt onera, quibus ferendis non valent humeri, ac tandem suo pondere, quod subire voluere, franguntur. Id genus devotis, qui suo se impetu rapi sinunt, ac festinanter currunt, cum pedetentim gradum proferre satis esset, suadendum est, ut satis esse putent eam ingredi viam, quæ in statu suo patet; sibi caveant, ne præpropero gradu festinent, neque longius præcedere velint, ne cupiditate inter cæteros emicandi se rapi sinant; ne ea sibi onera imponant, quæ & vires excedant, & officiis suis paria non sint. *Idem*.

Altera in hac re illorum est illusio, qui eminus majorem prospicientes devotionem, quæ præ vulgari magis enitescit, atque illuc assequi desperantes, seu quod illos viæ longitudo, atque asperitas terret, seu quod detrectant illuc patienter per gradus contendere, omne prorsus devotionis genus relinquunt, & vulgaris, quæ non satis ampla, & præstantioris, quæ nimis elata videntur. Inertibus his impatientibus, qui ignaviæ suæ inanes prætextus inquirunt, ostendendum est, extraordinariam hanc devotionem, quam procul tantum prospiciunt, & quæ illis elatior, atque perfectior videtur, esse fortasse viribus eorum minus aptam, ingenio minus accommodatam, & a status muneribus magis alienam: Fortasse quoque ad hanc a Deo illas nequaquam vocati, & gratiam ipsis concessam eo usque nequaquam pertingere. *Idem*.

Devotio non est rationi, legibus, probatisque consuetudinibus contraria.

Devotio non est vel rationi, vel legibus, vel consuetudinibus, quas leges, & ratio probarunt, contraria. Itaque cum leges, & consuetudines velint, ut viri principes, nobilesque, & qui ad regiam dignitatem propius accedunt, vel in dignitate sunt constituti, ornatioribus præfulgeant in togis; devotio aliquos patitur vestium ornatus, sub quibusdam conditionibus, atque modis, quos & decor, & officium ipsum requirunt. Vult ornamenta hæc omni prorsus arte carere; atque immodicis curis, & adfectatis curiositatibus interdicit; respuit eos cultus in quibus studium, & nimia fulget elegantia, recentes indumentorum modos abhorret, qui sua novitate commendantur, quibus nondum vel temporis præscriptio, vel consuetudinis approbatio, vel auctoritas accessit ex eorum, earumve consuetudine, quos sequi fas est, quin a virtute recedamus, & devotionem ipsam eorum censuræ objiciamus, qui mundum & sequuntur, & diligunt. *Idem*.

Omnibus plane persuasum esse debet, in iis actionibus, quas nobis lex Christiana præscripsit, & quæ ad prima devotæ vitæ officia pertinent, nihil non facile inveniri. Nequaquam requiruntur sublimia, ac mira facta, quæ niteant, & publicam in se admirationem convertant; verum opus est, ut diligenter ea fiant, quæ præcipiuntur, & communis justitiæ mensura sedulo adimpleatur. Hoc illi præstabunt, qui actionum meritum ponderare noverint, qui eas non in subcisivas horas, tempusque solitudinis, mœrorisque remiserint, qui in illis vitæ suæ optimam partem impenderint, qui sibi persuaserint, se nonnisi per illas posse operari salutem suam, atque cætera quæcumque cum salutis negotio collata nugas, & ineptias esse crediderint. *Idem*.

Devotio non inutilis, ut impii dictitant.

Impii, perditique mundi amatores dictitant devotionem inutilem esse, ac ad id unum prodesse, ut emollescant animæ, ac illis timor incedat. Ne dixeris inutilem virtutem eam, sine qua virtutes reliquæ umbra sunt; illi enim, cui devotionis habitus deest, & qui virtutes omnes ad Dei gloriam refert, vera devotio non est. Ne dixeris inutilem virtutem eam, quæ Dei lenit iram, atque procellas ab Imperiis avertunt; virtutem, quæ Sodomam ab ignibus cœlitus delapsis liberasset, si decem tantummodo adfuissent vere justi, qui cum Abraham, insigne illud supplicium fuissent deprecati; virtutem, quæ toties Ecclesiam a naufragio prohibet; virtutem, quæ conscientiam profunda pace, ac divino lumine replet. Ne dixeris per hanc fidelium animas emollescere, quippe harum illa virtutem confirmat, efficitque, ut ipsi occurrant morti, contemnant pericula, nihilque parcant iis in occasionibus, in quibus Dei agitur gloria. *Ex Tractatu de devotione*.

Nemo sane satis exprimere potest negligentiam, qua fidelium plerique pietatis exercitia, non secus ac cætera excipiunt. Mira tarditate ad illa procedunt; liquido patet, illuc non studio, sed consuetudine rapi, huc enim tamquam ad pensum, atque laboriosum opus lento gradu veniunt. Quod autem ægre facimus parcius, quam fieri potest, facimus; ideoque mundo vix horæ quadrantem surripimus, illum daturi Deo, quod ipsum ubi fecerimus, optimos Christicolas nos esse arbitramur. Cum preces effundimus, quippe quæ graves sunt nobis, festinanter eas blateramus; eisque absolutis, onerosissima sarcina liberati videmur. Plerique preces lingua tantum revolvunt, corde in alia distracto; vel si qua in eodem impressio fiat, tantula est, ut brevi deleatur. Si preces indevotæ sunt, numquid reliqua pietatis exercitia majori sunt cum devotione conjuncta? Si Dei verbum auditur, aliqua sane præbetur attentio; at non iis, quæ dicuntur, sed formæ, qua dicuntur; & nisi placuerit concionator, minime auditur. Quanam vero devotione, immo quo tepore, ac frigiditate ad augustum Eucharistiæ Sacramentum accedimus, ubi nobis Domini ipsius caro ad manducandum, sanguis vero ad bibendum tribuitur? Qua majori devotione, & religionis sensu alia pietatis officia persolvimus? *Idem*.

Devotio non fugit innocuas voluptates.

Devotio lætitiæ inimica non est: patitur innocuas a nocuis voluptates secerni: neque ferox est, neque brutalis; sed honesta, urbana, comis, atque modesta: Mollitiem quidem fugit, neque floribus redimitur, sed neque spinis horrens, dirutaque videre gaudet. Verbo; necesse non est, Christianum, ut fidelis sit, in squalore, ac mœrore versari; e contra pietas hilaris est, ac libera. Cor justi juge convivium est, inquit Spiritus Sanctus; & Salvator in Evangelio vetat, ne truculentum, ac macie confectum oris habitum præferamus; immo præcipit ut jejunantes etiam, atque mortificatione corpus castigantes, caput unguentis liniamus, cum palam prodituri sumus, ad omnem pietatis ostentationem evitandam. *Ex eodem Tractatu de devotione*.

Summi viri præ cæteris, & servorum caterva, & vestium ornatu fulgeant, dummodo immodicus

eus ille absit excessus, qui hoc sæculo late viget; verum illis ostendendum est, gloriosius ipsis futurum, si miseras has abdicaverint vanitates: Certum quippe est hac opinionem nullo umquam sæculo fuisse perniciosiorem. Sumptus erogare suæ conditioni pares juxta Mundi conceptum idem est, ac omnem substantiam in luxum, ornamenta, servos, opiparam mensam, aliaque id genus impendere. Cum igitur nobili viro dicimus; ne inter cæteros ejusdem conditionis distingui velit; constat profecto, miram hanc profusionem probari, propter quam ille egenis opem ferendo, publicisque calamitatibus subveniendo fit impar. Dicant, quidquid velint; non credam ego tamen, aliquem vere devotum esse donec inani mundi pompa refulgentem conspexero. Veram fovere devotionem citra veram humilitatem nemo potest, ratio autem, quæ adfertur, propter quam tot inutiles sumptus fiunt; nempe cuique, ut sua conditio fert, esse vivendum, ex ipsa superbia originem duxit. Verus fidelis seipsum in semet considerat, & quatenus refertur ad Deum, scit, se pulverem esse, cineremque; neque ignorar hæc conditionum discrimina a Deo non admitti. Itaque anima quælibet vere devota immodicos hos ornatus, inanesque sumptus abjiciet, atque in bona opera erogabit. *Idem*.

Leva judicia, quæ de devotis fiunt. Nihil vulgatius est, quam judicia, ac iniqui sermones, qui passim de hominibus pietatem colentibus habentur in mundo. Inter hypocritas rejiciuntur; hi sunt falsi devoti, vulgo inquiunt, qui diligentius servant jejunia, qui frequentius sacris intersunt officiis, qui assidue conciones audiunt, qui tanto devotionis apparatu suas preces effundunt, & ad Eucharisticam mensam accedunt. At numquid nos minus boni fideles sumus, quod minorem adfectationem præferimus? In nobis quidem invenitur, quidquid solidum pietati inest; illi inanem ejusdem speciem ostentant. Fatendum profecto est, hypocrisim devotioni insignem injuriam adferre. Non inficior, homines adesse, qui se devotos simulant: improbi non alio integumento frequentius, quam pietatis utuntur; sed quod non desunt hypocritæ ac pseudo-devoti, idcirco inferendum est, nullos omnino devotos esse? Quia non desunt adulterini adamantes, nulli veri adamantes invenientur; Quod nonnulli putant, se huic malo nactos esse medicinam, extrinsecus se devotos non esse adfectant; cum enim intrinsecus aliquo flagrent zelo, ad hypocrisis suspicionem evitandam, sibi palam devotionem præferendam nequaquam esse arbitrantur. Verum hoc est ad malum evitandum in pejus ruere; ac ad duram necessitatem redigi, ut vel committatur scelus, vel in illus committendi occasione jugiter simus, si postremum consilium sequamur. Sed facili negotio sinceritas ab affectatione distinguitur; quantumvis parum Mundi Sectatores hæc norint, numquam modestam pietatem, sapientemque devotionem, quæ nonnisi per profundæ humilitatis nubem internitet, cum adfectata devotione confundent. *Idem*.

Devotio esse debet in corde. Alii Dei legem habent in mente, ut litterati viri, qui student, ut illam ediscant, non exequantur, alii in ore, & lingua, ut Pharisæi: *Dicunt, & non faciunt*. Matth. 23. Plurimi eam in modesto, devoto, mortificatoque oris habitu deferunt; & isti sunt hypocritæ, contra quos Dei filius tantopere declamavit; qui in quadam exteriori specie immorantur, & dealbatis sepulcris similes externa facie, quæ quidem videtur innocens, depravatos mores abscondunt. Sed vir bonus, inquit regius Propheta, homo vere devotus, legem Dei in suo corde tuetur: *Lex Dei ejus in corde ipsius*. Psalm. 36. Hic proprius est ejus caracter. Ex cordis centro devotio ad omnes interioris, exteriorisque hominis facultates diffunditur; illius regit judicia, existimationem, intentiones, gressus, intuitus, voces: Omnes ejus actiones, cogitationes, consilia recta erunt, & æqua; vita illius fugi erit, & numquam virtutem inter, ac vitium nutare videbitur. Cur autem? Eamdem semper ob causam, quia *Lex Dei ejus in corde ipsius. P. Gironst. Serm. de vera, falsaque pietate*.

Tertullianus, cum Ethnicis exprobrasset, illis quidem satis esse, si extrinsecus aliquam virtutis speciem ferrent præ se, quin negotium facesseret, utrum reipsa virtutem excolerent, ita in fidelium favorem sermoni finem imponit: Nos omnem justitiam exercemus, eamque in nobismetipsis servamus; vivimus enim sub oculis legislatoris, qui corda nostra scrutatur, & sub manu Judicis omnipotentis qui nos ubique & percutere, & perdere potest. Omnia ad eam tuendam nos adigunt, persequitur ille: & luminum Dei copia, & latendi impossibilitas, & impendentis æterni supplicii conspectus. Hæc sunt occulta christianæ pietatis artificia; at numquid illa sunt pietatis nostræ principia? Numquid agimus, eo quod fideliter adhæremus Domino, cui famulamur? quod illius legem sancto amore prosequimur? quod illi placendi sincero studio flagramus? quod illius erga nos beneficiis gratias habemus? an saltem quod illius judicia metuimus, vel præmia expectamus? Nonne similes sumus populo illi, qui labiis tenus Deus honorabat, dum cor illius procul esset ab eo? Nonne inter nos corruptissimum Judaismum revocamus? *Idem*.

In iis, quæ ad pietatē spectant ea primū explere debemus quæ sunt de præcepto. Ut Deo placeamus, res velle debemus eo ordine, quo Deus illas vult; ipsius enim voluntas nostræ norma est, ac totius boni principium. Deus enim primum, directe, peculiariter a nobis fieri vult, quod jubet; atque in hoc primum curas omnes debemus impendere. Fac, quodcumque tibi placuerit; Sanctus Bernardus ait; at ne speres ea, quæ a te fient, Deo accepta futura, ubi illa contempseris, quæ lege præstare juberis: *Ingratum est, quidquid obtuleris, neglecto eo, ad quod teneris*. Si rite hoc intelligeretur effatum, quod tamen æquissimum est, atque intellectu facillimum; nequaquam videremus, eos, qui se virtutem colere profitentur, ubi sese tulerit occasio, majorem in negotiis suis sollicitudinem, in quæstu aviditatem, in sibi obæratos crudelitatem, in litibus pertinaciam, in injuriis persequendis ardorem præ se ferre, quam qui Mundum sectantur. Nulla sit pietatis ostentatio, nulla exterior reformatio; hæc nequaquam jubentur; sed major appareat charitas, major justitia, major integritas, major fides; hæc præcipua capita sunt, ad hæc omnes tenemur. *Id*.

Quænam anathemata ejaculatus est JESUS CHRISTUS in Pharisæos? *Væ vobis Pharisæi*. Cur autem? Vos enim qui tanta diligentia menthæ, aliarumque hortensium herbarum decimas Sacerdotibus persolvitis, interim obliviscimini eorum, quæ Deo, & proximo vestro debetis. Nonne ego quoque dicere hoc ipsum possem? Væ vobis, qui integras horas in sacello quopiam ad aras provoluti transigitis, mox vero in cœtu nequissima obtrectatione proximi existimationem proscinditis? Væ vobis, qui toties ad Eucharisticam mensam acceditis, ac inde totam domum perturbatis libidine, impatientia, atque superbia. Quæ pietas? Sanctus Augustinus exclamat; homo pauperibus ingentes eleemosynas erogat, insignibus donariis Ecclesias cumulat, & æs alienum non solvit? Quid illi dicet Deus? Mihi eos ostenditis, de quibus bene meriti estis, ego vobis objicio illos, quibus pejus damnum intulistis: *Vos dicitis, quæ dedistis, & ego dico, quæ furati estis*. Eos ostentatis, quos aluistis, ego vobis obtrudo, quos ad mendicitatem redegistis, ac fame enecastis. *Vos memoramini, quos pavistis, & non recordamini, quos occidistis*. Ne tot orationibus Deum fatigetis, sed suaviores, atque leniores estote: nec tamdiu jejunetis, sed vera vivendi ratio magis sit consona æquitati; ne tantam in vestibus negligentiam præ vobis feratis, sed animus magis excolat humilitatem,

tem, ne tot munera ad aras afferatis, sed ea reddite, quæ vestra non sunt; immo aram ipsam relinquite, si opus est, ut in inimici vestri ruatis amplexus. *Idem P. Gironst.*

Falsa devotio ex secreta superbia proficiscitur.

Falsa devotio plerumque ex secreta superbia proficiscitur. Non enim communia status nostri exercitia sufficiunt, quia præ ceteris emicare contendimus. Communium officiorum observantia quemdam nitorem secum non affert; volatu altiora petenda sunt, & sublimior spiritualitas inquirenda. Postquam in mundo famam nobis comparavimus, illam in ipsa etiam pietate aucupamur. Heu quot hac ad agendum causa impelluntur; qui tamen eadem se agi minime putant. Zelus adeo fervens, quo rapti videntur, quam citius defervesceret si minori enitendi cupiditate flagrarent! *Idem.*

Hic licentiæ spiritus est; quidquid præcipitur, nobis crucem figit, & nescio qua hominis libidine contingat, ut idipsum, quod primum ultro quærebat, ubi mox illud facere teneatur, in onus non ferendum immutetur. Quidquid facimus, in nostra libertate, ac arbitrio positum volumus; cupimusque nobis integrum esse hoc facere, ubi libuerit, & hoc ipsum, ubi libido tulerit, negligere. Statim ac nostræ conditionis exigit status, ut hoc, vel illud faciamus, jam nobis gravissimum videtur, ac non ferendi laboris refertissimum. Jugum excutimus, & quamprimum callide hanc evadere servitutem conamur. *Idem.*

Judæorum devotio a J. C. damnata, quia non erat ex corde.

Qui extimum dumtaxat intueri velit corticem, Scribas quidem, ac Pharisæos Judæorum omnium sanctissimos, ac maxime irreprehensibiles esse fatebitur. Præ cæteris noverant illi suæ Religionis instituta, ejusque præcepta diligentissime servabant. Immo quasi parum esset ad litteræ apicem legem Moysis exequi, quamplura adjiciebant, quæ non præcipiebantur in lege; ac ne umquam in iis, ad quæ tenebantur deficerent, hanc sibimet legem indixerant, ut semper plura præstarent quam quæ erant imperata. Jugiter Orationi vacabant, plurima servabant jejunia, summo zelo in Judæorum sacra Infideles pertrahere adnitebantur; ut verbo me expediam, non pauca opera bona patrabant. Fatendum est in ipsa etiam Christiana Religione, perpaucos existere, qui tanta officii fide munetibus suis perfungi satagant, & si, qui eamdem, ac Pharisæi illi, sedulitatem in pietate adhibent, hos habendos tamquam summa virtute, ac sanctitatis laude florentes. Sed quam diversa sunt ab humanis judicia Dei! Reprobat Deus Pharisaicam hanc devotionem, quia exterior tantum est, & ex corde non prodit. *La Font, Entretiens Ecclesiastiques, pro quinta post Pentecosten Dominica.*

Si qui curant exteriorem vitæ suæ rationem componere, & reformare, pauci interioribus cordis sui motibus invigilant, & vitam emendare, prava desideria coercere; pravos habitus convellere, solidam pietatem jacere adlaborant, mores, sensusque suos cum Evangelicis præceptis conformantes. In exteriori pietatis cortice hærent, externamque tantummodo speciem consectantur; & ex multorum agendi ratione videtur Deus illis plurimum debere, nisi palam præcipua decalogi præcepta perfringant, ac si manum a malo cohibeant; quamvis cor eorum ab eo non abhorreat. Hic Judaicus, & Pharisaicus cultus est, ac minima pas illius, quem ab Fidelibus exigit Deus; neque enim ita Deus in spiritu, & veritate adoratur, quod a veris adoratoribus faciendum esse S. Joannes tradit. Cultus autem, ut talis sit, interiori observantiæ, existimationis, & affectionis sensu debet animari. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* Joan. 4. *Idem.*

Nobis sufficere debent vulgata devotionis via, donec Deus nos altius attollat.

Quænam est eorum cæcitas, qui ad extraordinarias, atque eminentes anhelant vias, per quas placuit Deo electas animas ad apicem perfectionis adducere! Quam ignari sumus in via Dei, putantes, ut sancti simus, ac magni in cœlo, gravissimas austeritates nobis esse exercendas, atque ad Dei gloriam procurandam, ea nobis capessenda, quæ vires nostras excedunt! Errorem hunc abjiciamus: ut devoti, immo etiam ut sancti simus, satis est fideles esse, fideliter divinis gratiis respondere, atque illa explere munera, quæ nostris adhærent conditionibus non sine ardenti desiderio placendi Deo, & voluntatem illi perficiendi. *Idem.*

Vera pietas nequaquam posita est in sincera, mortificataque vita; omnes enim corporis mortificationes cum secretis cupiditatibus subsistere possunt, quæ omnino, simul esse non possunt cum absoluta, ac generali sui ipsius abdicatione, quam ex veris discipulis suis Salvator exquirit. Ea, quæ naturæ maxime incommoda sunt, jucunda, & facilia evadunt, ubi affectus interfit. Itaque si quis austeram, ac solitariam vitam duxerit ob superbiam, atque ut inter alios enitescat, quin ita vivens vim inferat sibi; hic proprio amori satisfacit, quem delere, ac mortificare in Evangelio jubemur. Quod autem amori proprio blanditur, eumque fovet, næ hoc ex christiana severitate proficisci plane non potest, sed potius ex mœsta, tristique austeritate, in qua ingenium, ac temperamentum potiorem, quam virtus, obtinet partem. *Essais de Sermons, pro 14. post Pentecosten Dom.*

Devotio est interior in spiritu, & corde.

Devotio mentis simul, & cordis virtus est, cum enim sublimem de Deo conceptum mente per illam imbibimus, summum erga eumdem nobis amorem inspirat. Hæc, S. Bernardus ait, unctio est, per quam anima altissimas veritates intelligit; lumen est, quod mentis tenebras fugat, & a corde tristitiam expellit; hæc animabus nostris solidus est cibus, qui ingentes tribuit vires, & cujus gustus mundi voluptatum fastidium gignit; hæc denique virtus est multarum aliarum origo, & rivus, per quem in nos cœlestia munera defluunt. Vult Deus, interiori, ac spirituali cultu adorari; cultus enim dumtaxat exterior non aliud est, quam hypocrisis integumentum. Respuit victimas servili metu oblatas, ut olim in Legis umbra, atque figuris; ea cupit sacrificia, quæ filiorum amor offerat in Evangelii lumine, & veritate. Cor in fidei fundamento constitutum per hanc adorationis speciem fit quodammodo templum, quod a nullis temporibus, locisve pendet; templum, quod verus adorator quocumque gestat, ac semper tuetur; templum denique, quod per functiones quæ materiata templa evertentes magis magisque confirmant. Illic exteriores demissiones mentis humilitate sanctificantur; & ita Deus, qui summus est spiritus, coli vult cultu spirituali. *P. Dozenne in Morali JESU CHRISTI.*

Veræ devotionis notæ.

Anima vere devota similis est Virginibus Sapientibus, quæ summo studio lampades suas aluerunt. Lumen, quo illustratur, sublimis est conceptus de Deo; ardor, quo flagrat, magnus est fervor in illius famulatu. Hæ duæ partes veram devotionem constituentes, duo sunt effectus, notæque duæ divini Spiritus; cum tenebræ, ac tepiditas in iis, quæ ad pietatem pertinent, spiritus sint, vel nostri, vel Dæmonis. Hinc intellige, utrum tibi metuenda sit, necne, fatuarum virginum pœna, quæ, quia in lampadibus suis non servaverunt ignem, invenerunt ostium a sponso conclusum; utque tantum hoc malum effugiar, adde semper fidem charitati. *Idem.*

Devotio nequaquam consistit in ea dulcedine, quam in Oratione percipimus; neque in iis lacrymis, ex quibus solatium haurimus, sed in hoc posita est, ut Deo constanter famulemur, omniaque munera nostra rite obeamus. Interiores pœnæ, atque ariditates plerumque sunt vitæ aridæ, atque desertæ, per quas Deus suos amicos traducit. Ille, qui e Sanctorum numero Devoti nomen per antonomasiam sibi comparavit, nonne aliquando se ipsum putabat velut humum arentem; nonne in sanctissimis etiam Divini cultus exercitationibus tædium, fastidiumque inveniebat? Hujusmodi ergo pœnas in mortificationum causas debemus con-

S. Bernardus.

verte-

vertere, quin extrinsecus gaudium, voluptatemque inquiramus. Opus est, ut hoc in statu nosmet voluntarias victimas præbeamus, cum JESU CRISTO morituri, qui in Cruce positus extrema desolatione affectus fuit; nobisque persuadere debemus quod si eidem opem tulerimus, ut suam bajulet crucem, ipse quoque nobis opitulabitur, ut nostram circumferamus. *Idem*.

Contra vituperantes vel contemnentes devotionem. Atheorum, impiorumque dumtaxat est affirmare neminem, nisi qui mente, ac animo caret, devotum esse. Vera devotio aliquid adeo magnum est, ut illuc pertingere nequeamus, nisi divinus spiritus nos ultra naturales vires attollat. Hæc humanæ menti altissima quæque aperit mysteria: hæc etiam in corde nostro generosum ardorem accendit, quo ad difficillima quæque excitatur. Si virtus hæc mulierum magis est propria, quam virorum, ibi vis, atque sapientia divini spiritus magis elucent, qui sapientissimum quemlibet confundit, ac de fortissimo quovis victoriam reportat per ea, quæ maxime sunt imbecillia, & quibus nulla vis, nullum inest lumen, nisi quod confert devotio. Sed inter viros etiam Patriarchæ ne, & veteris Legis Prophetæ, novæ autem Apostoli, Martyresque, Hieronymi, Ambrosii, Augustini erantne ingenia imbecillia, & mollia corda? *Idem*.

Discrimen inter veram fictamque pietatem. Curas omnes debemus impendere, ut devotionis gratiam tueamur, quæ in dulci pace consistit, & quadam facilitate, qua piis objectis afficimur. Hanc autem pacem eo diligentius servare debemus, quo difficilius iterum invenitur, ubi semel fuerit amissa. Illa nos deserit, ubi eam neglexerimus, atque tunc dissipati, infirmique tenemur ad naturæ voluptates confugere. E contra vero illa nos comitante, semper fortes erimus, & in bonum proclives. Itaque ubi intelligimus aliquid nobis auferre vim hanc, & hoc divinum auxilium statim summa fide illud evitare, atque a nobis prohibere debemus. *Auctor nuperus*.

Illud ipsum discrimen quod naturam inter, & artem occurrit, inter veram, fictamque pietatem invenitur. Ars quidem circa exteriora tantum versatur. Vultne sculptor quidam eximius simulacrum elaborare, quod auctori magnam nominis famam comparet? Omnis illius cura in eo versatur, ut scite eas partes componat, quæ spectantium oculis patent; caput belle tornatum, faciem affabre delineatam. Arteriæ, cerebrum, jecur, pulmones, cor ipsum illi negotium nequaquam facessunt; omnisque ars in eo posita est, ut egregie ea fiant, quæ extrinsecus extant. Natura vero aliter operatur. Internis occupata partibus has ante cæteras elaborat; cor, cerebrum, partesque nobiliores, potiora prioraque sunt suarum curarum objecta, quæ vero extrinsecus videntur, postremo curat, quasi operis hæc pars esset postrema. Quid autem ficta devotio? in eo totum opus impendit, ut virtutibus egregiam speciem tribuat, oculos, manus, exterioremque corporis habitum belle componat. Dummodo inanimatum hoc placeat simulacrum, dummodo ex oculis aliquot manent lacrymulæ, os aliquot emittat suspiria, & pectus cum modo tundatur; cætera nullo in discrimine habentur; cor ne afficitur quidem, ac sæpe qui in sensibilibus crucifixi sui vulneribus tenera defigit oscula, sine pietate viventia crucifixi membra derelinquit. Vera devotio alia prorsus ratione operatur. Ab interiori parte semper orditur; scit enim ex anima quidquid vel bonum, vel malum proficisci: primum quidem in illud incumbit, ut mentem regat per fidem, humilemque ad omnia Evangelii præcepta docilitatem; ut cor ipsum recta intentione purificet, & casto, sinceroque amore succendat. *Ex morali Dictionario* I. *Sermone de Devotione*.

Esto quidem, Fideles, religio vestra videatur, verum simul intrinsecus etiam foveri debet: Esto, aliquid extrinsecus effundat; sed primum mentem, & cor ipsum regat, ac statim interiorem partem informet. Virtus, ut perfecta sit, ædificare debet, Tertullianus ait; ut ædificet, sese debet ostendere: Sol lucem habet, ut se videndum exhibeat; ignis calorem, ut se sentiendum tradat: Religioni quoque suum lumen, calorque suus debet inesse, lumen quidem, ut opera nostra bona ab hominibus videantur, atque inde Pater cœlestis glorificetur; calor autem, ut hæc bona opera charitate animata tepidas animas foveant, & ad vitium confundendum, quod impuni sese effert jactantia virtus mortalium sibi reverentiam, amoremque conciliet, *Idem*.

Non desunt homines orationis amantes; habent designatas suarum precum horas, quam exercitationem, nulla umquam re adduci possunt, ut intermittant: laude profecto sunt digni; & hoc Christiani hominis proprium est. Verum si in publica quapiam dignitate sint constituti, illis dicam: ne precibus vacando absumatis horas illas, quæ litibus discutiendis, iisque audiendis, qui judicio certant, insumendæ sunt: ne prolixis orationibus dies teratis, qui prompte sancteque juri dicundo sunt impendendi. Reddite quidem Deo, quod Dei est, at ne obliviscamini reddere Cæsari, quæ Cæsaris sunt; ne per negligentiam vestram, atque in litibus expediendis incuriam familiæ integræ intereant. Hæc quidem iniqua esset devotio, & iis, qui litibus torquentur, funesta. Alios etiam videbimus, qui sibi religioni vertent, si quis non feriatus dies elabatur, quin sacris intersint. Hoc optimum profecto est, atque utinam ita consuesceret, quicumque commode potest; illud vero dolorem adfert, quod cum hac in Dei servitio assiduitate duri sunt, atque inclementes eos, qui pendent ab ipsis. Eorum quidem ædificat pietas, at scandalum adfert sævitia; gaudemus quidem illos frequenter invenientes in Templis, magis vero gauderemus, nisi frequentius invenirentur in foro. *Idem*.

Devotio ætatum omnium est, statuum omnium, sexuum, & conditionum omnium: Sæcularium æque, ac Regularium; nuptarum, ac innuptarum; summorum, imorumque: eorum qui sæcularibus curis omnino expediti sunt, & eorum, qui vitæ civilis officiis, atque necessitatibus occupati ingentes familias trahunt. Gradus quidem varii sunt, & inæqualia erunt præmia; sed utrique salutem suam debent operari, atque æternam consequi hæreditatem. Utrique possunt vere, & constanter esse devoti, & sancti, qui ex omni conditione cœlestem gloriam adepti sunt, satis ostendunt nullam esse, quam pietas sanctificare non possit, & debeat. *Idem Sermone* 2. *de Devotione*.

Non omnia cœtuum genera vobis interdicuntur; verum cum devote, ac pie vitam traducere profiteamini, suademus, ut illis tantum interesse velitis, quibus vel necessitas, vel urbanitas jubet, illis, ex quibus pietas, vel charitas vestra fructum aliquem percipere possit; illis, in quibus seriis, & homine Christiano dignis sermonibus aliquam divini amoris scintillam in fratrum cordibus excitare possitis; illis, in quibus neque frequenter, neque diu distractis interiorem solitudinem servare liceat, quæ aliis commodans, vosmet vestrum revocat ad officium. Visitationes nugatoriæ, ac mere mundanæ, curiositas alios quidem videndi, videndique ab aliis, audiendique atque vicissim narrandi sexcenta futilia, & aliena; multitudo inanium curarum; in iis, quæ supervacanea, atque inutilia sunt libidinosa occupatio, ubi spiritus facessit, cor vero exarescit; hæc ea sunt, quæ vobis interdicuntur. Hoc vobis negotium facessit, inquitis: fateor equidem, at mementote citra molestiam vos devotos esse non posse. Vos enim admonere debeo, quod velle cum devotione suavitatem, & commoditatem vitæ sibi comparare, quin velitis vobismet eam inferre vim, quæ est necessaria, ut tanti nominis muneri respondeatis, idem est ac Deum ipsum, atque devotionem in jocum traducere. *Idem morale Dictionarium*. Quomodo vivere debeant devoti.

Importune censoria nota aliorum vivendi rationem

stem pertingere, & sibi in vitæ suæ sceleribus parcere; de aliena perfectione sollicitos, de sua vero securos esse, proximo suo curam omnem impendere, sibi vero nequaquam vacare; loqui tantum de primis Fidelibus, antiquos dumtaxat Canones proferre, ac indesinenter laxam morum disciplinam deplorare: hoc devotum esse non est. Nequaquam; neque in nimia severitate vera devotio consistit. *Idem.*

Vere devotorum caracter.

Simplicem esse, recessus amantem, exilem in oculis ad suas quidem infirmitates intuendas apertis, ad alienas vero clausis: cognoscere minus, quæ sua sunt, quam quæ proximi: seipsum contemnere, alios vero in pretio habere: omnibus bonum, nulli vero pravum exemplum præbere: famam etiam in bonis operibus fugere: omniaque ad Dei gloriam referre: quæ perfectio est! quæ virtus! Hæc tamen virtus erat primorum Fidelium, qui egregia quidem veræ devotionis exemplaria fuerunt. *Idem in considerationibus in hoc argumentum.*

Devotio ætatum est omnium: plurimi tamen extremam vitæ partem illi volunt impendere. Sæpe tunc solum devotioni appellitur animus, cum mundo non possumus ultra placere: neque Deo magis placet devotio, quam cum illam amplectimur, quando nos mundus perquirit, & habet in pretio. Non desunt, qui devotione senectutem suam ornant, adversamque fortunam solantur: sunt, qui senium præstolantur, vel aliquam calamitatem; & serio vacent pietati. In primis devotio vel ambitionis est, vel necessitatis: a posterioribus inane consilium est devotionis futuræ, & realis contemptus devotionis præsentis. Sed quomodocumque sit, cum nimis sero pietati vacamus, vix verum illius spiritum assequi possumus. *Idem.*

Hoc spiritu adeo opposito spiritui J.C. charitatem in alios exercemus, ut quamdam societatis speciem ineamus cum viris, qui præ cæteris fulgent, & a quibus aliquam utilitatem nos percepturos putamus. Gestimus hac via illorum aucupari gratiam, existimationem nobis conciliare, atque in illis vel honorem nostrum, vel præsidium invenire, atque ita non minus pauperum negotia gerere, quam nostra. Saltem ita caracterem nostrum larva quadam contegimus, ac nosmet prorsus alios ab iis, qui sumus, illis obtrudimus. *Idem.*

Devotio Indiscreta.

Hac indiscreta devotione, postquam proximi existimationem nequissimis obtrectationibus discerpsimus, honorem illius resarcimus, ita ut reparatio sit eadem obtrectatione nocentior. Per hanc, postquam aliis opem ferre, cum poteramus, neglеximus; de illis bene merendi consilium inimus, cum id agere, vel nos ipsi non possumus; vel ex actione nostra illi fructum percipere nequeunt. Per hanc in eleemosynas patrimonia erogamus, cum interim conflatum æs aliorum nequaquam dissolvimus, in carcerum squalore positos invisimus, cum eos, qui arctiori consanguinitatis vinculo sunt nobis conjuncti, deserimus; ultima cera magnam argenti vim in opera pia legamus cum affectam rem familiarem posteris relinquimus. Per hanc denique indiscretam devotionem, aliquis erroribus, vagisque ea tribuit, quibus eorum foveat inertiam; & detrectat solatium auferre pauperum egestati, quorum vita pia est; & aliquis alienæ salutis curam gerit, non prospicit suæ. *Idem.*

Devotio superstitiosa.

Superstitiosas dico devotiones nostras, cum aliqua ex actionibus nostris cæteræ damnantur; Sed heu! nonne hoc quotidie in mundo contingit? Summa officii fide exilia quædam pietatis officia adimplentur, cum interim præcipuæ Christianæ Religionis leges violantur. Tot devoti, qui magnum se patrasse facinus putant, si quando ad breve temporis spatium assuetis precibus desint, integras videntur horas, ne dies dicam, in iis trasigere cœtibus, ubi passim alieno nomini, atque existimationi nebula, ac labes offunditur; Ecclesias ingentibus cumulare donariis, ac pati, pauperes interire fame; altaria locupletare, & animam suam polluere, sanctuarium exornare, & creditoribus suis conflatum æs non persolvere; cæremoniis quibusdam mere exterioribus inhærere, atque cultum divinum intus nequaquam perspicere; cum justo frequenter versari, & justitiam negligere. Nonne hoc Pharisæorum, Judæorumque scelus est, qui sibi religioni vertebant illotis mandacare manibus, cum interim viduam, & pupillos diriperent? *Sermo manuscr.*

Devotio externa.

In devotionibus vestris, ne quæratis semper inanem religionis fulgorem, ac pietatis apparatum, ac intelligite zelum altius intra vos, qua extra insculptum esse debere. Sed nihil utilius est, quam in imo cordis sui veræ, solidæque devotionis principia celare. Tritici granum diu latens humi, segetes feret; semen abditum sulco, copiosam proferet messem, neque ab avibus cœli auferetur, ut illud, quod secus viam, vel super petram ceciderit. Et profecto cum devotio externa tantum est, neque latet in corde, germinare, ac bonum quidquam proferre non potest. Quamprimum autem deficit similis gramini, quod ibi satum non est, ubi radices jacere valeat, & quod cum terræ superficiei tantum adhæreat, statim exarescit: *sicut fœnum tectorum: quod priusquam evellatur, exaruit.* Ps. 128. Ita sæpe insignis aliqua pietas, tamquam fœnum tectorum, virescens, cum radicibus solidis careat, computrescit, atque in ipsa sublimitate sua mortem nanciscitur: Cum verus devotus de virtute in virtutem videatur ascendere, in singulos dies crescere, ac indesinenter procedere, donec dies est: *Justorum semita crescit usque in perfectum diem.* Prov. 4. contra in eo, qui justitiam simulat, fastidium dumtaxat, nauseam, teporemque deprehendimus. *Idem.*

Devotio Pharisaica sub pietatis specie magna scelera tegens.

Humanis rationibus acti ob aliorum oculos reformamur, cum interim cor omni flagitiorum genere coinquinatur. Non desunt, qui coram mundo fictas prætexunt causas, ut callidius suas tegant iniquitates. Palam quidem justi, clam impii; viduæ bona impune diripere, ac orphani substantiam occupare videntur. Simul, & ingentia Templo afferunt dona, & fratribus suis ingentia auferunt bona. Ad aras cruentis manibus, ac ore injuriis, calumniisque refertissimo accedunt; ad summum pharisaico animati zelo ad sanctuarii pedes procumbunt, ut jactitent ea, quæ non faciunt, & ea quæ faciunt, abscondunt. Ita cœcus homo sepulchrum suum extrinsecus dealbare contendit, quod intrinsecus pus, tabumque contineat, atque omnia fictæ speciei deferens, religionem suam in comœdiam, & aram in theatrum vertit, ubi in scœnam vicissim omnes passiones prodeunt, atque maxime essentiales Christianæ Religionis virtutes in jocum traducuntur. *Idem.*

Religio animam recta ad Cœlum, Deumque attollit, cui illius offert possessionem, atque fruitionem; & quin minima contemnat officia, ea præsertim, quæ magis sunt necessaria, consectatur. Ficta devotio minuta auget objecta, magna imminuit; ea quæ majoris momenti sunt, negligit, & levia persequitur: majora peccata deglutit, & contra minora succenset. Hanc conscientiæ integritatem esse putant, atque falluntur; est enim superstitio, spiritus abjectio, ac falsum judicium. Judæorum sacerdotes in Prætorium detrectabant inferre pedem, ne polluerentur, cum interim sanguinem innocentem effunderent. Nolebat alius in ærarium reponere pecuniam, quam retulit Judas, quia pretium sanguinis erat; atque audacter clamabat, sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Non audet Herodes jusjurandum infringere, at Joanni Baptistæ mortem audet inferre, quasi justitia non omnes nodos abrumperet, quos injustitia potuit efficere. *Desumptum ex Tractatu quodam de Conscientia.*

Vera devotio peccati odium inspirat.

Vera devotio gravissimum peccati odium inspirat. Mortem sceleri præfert: Dei gloriam perquirit, quidquid illi nebulam potest offundere; dolorem adfert; quidquid eam promovet, fit nostri amoris objectum; sed minutis noxis non illum deformitatis gradum appingit, quem ex se non habent; & quin eas multiplicet devotiones, quæ ipsam ab officiis suis magis essentialibus possent distrahere, licet minuta nequaquam contemnat, ea tamen ferventius consectatur, quæ sibi salubriora cognoscit. *Idem.*

Nihil vera devotione sanctius, augustius nihil. Cum hæc prompta, ac sincera voluntas sit, qua rapimur ad ea omnia facienda, quæ ad cultum, honoremque Deo debitum spectant; fovet ardorem charitatis, quæ purificat cor; & pie-

& pietatis, quæ illud sanctificat; virtutes colit, & nihil contemnit, quo ad Deum possit attolli, nihil in corde relinquit, quod creaturis adhæreat, ac Deo uni vult adhærere, veritatem cum veri similitudine non confundit, non fervorem cum imprudentia, non lenitatem cum assentatione. Vere devotus J. C. adorat spiritu, & veritate; cultus, quem illi tribuit, ex eminenti pietate proficiscitur; adoratio illius sincera est, atque intentio pura. Non rapit illum cupiditas, non cohibet illum consuetudo, non verecundia efficere potest, ut sui officii fines transiliat, & censura, licet improba sit, numquam ruborem injicit illi, eo quod Deo suo famulatur. Et fervorem habet, ut quod debet adimpleat; & constantiam, ut illius pondus sustineat. Enitet in verbis ejus simplicitas, pietas in actionibus, ac puritas in desideriis. Bonum citra jactantiam operatur; lenis est sine affectatione, humilis sine abjectione; gravia quælibet ministeria obit sine querela; & sine acerbitate aliena vitia redarguit. Verbo, & corde, & labiis devotus est; pietas in factis potius, quam verbis ejus elucet. *Ex Manusc. Serm.*

Vera devotio non est agrestis.

Credendum non est devotum, de quo loquimur, hominem externum oris habitum rudem, austerumque habere, ita ut illius societas timenda sit; morum austeritas nihil aufert urbanitati; & pœnitentiæ opera sine Pharisæorum tristitia scit exercere. Cum bonæ conscientiæ gaudium in corde illius vigeat, sese in faciem effundit; omnia admittit temperamenta, quæ officium suum pro aliorum infirmitate potest permittere. Viam salutis neque latiorem efficit, neque arctiorem; neque semper eas sibi intercidit voluptates, quæ innocuæ sunt, quin illas tamen consectetur; iisque mediocriter, tamquam honestis laborum suorum remissionibus, utitur. *In Collectione orationum Gallica Academia oblatarum anno* 1703.

Illud vero funestissimum est, quod hæ miseræ devotionis chimeræ non faciunt, quod debent, & nihilo secius ultra ea, quæ possunt, facere aggrediuntur. Aggrediuntur quidem opera supererogationis, & ea, ad quæ tenentur, non explent; vellent Ecclesiam reformare, illæ vero majori indigent reformatione; severæ in proximum suum, simul vero in se ipsas molles, ac blandæ. Sed antequam magna aggrediamur, a minimis incipiendum est; ut adeo augustum superstruatur ædificium, moderatio, justitia, fides, aliæque virtutes pro fundamento sunt substernendæ: alioquin cultus, qui Deo tribuitur, inane est Religionis Phantasma, immo etiam proximis fit scandalum Religionis. *Ex Sermone sub P. Bourdalove nomine typis edito.*

Vir bonus, & vere devotus sincero Dei amore flagrat, & in perficiendis Mandatis illius summa voluptate perfungitur. Magnæ virtutes prima sunt votorum ejus objecta; deinde vero minus necessaria persequitur. In seipsum severus, lenis in alios, nihil habet, quod proximum offendat, avertatque: illum æquo animo semper admittit, peccatorem numquam repellit; scit enim se illi virtutis amorem infundere posse, eumque ad frugem revocare. Ignorat omnia hæc carnis, & sanguinis artificia; novit solum, eum, qui Deum suum diligit, diligere, & proximum, eique toties parcere, quoties afficitur contumelia. Quæcumque ad salutem pertinent, sine fuco, & affectatione perspicit, humanis laudibus, plausibusque non præbet aures; gloriam, quæ ex morum sanctitate fluere potest, tamquam periculosissimum laqueum, vel semen tentationis considerat, quod ipsam sanctitatem, quin alat & foveat, deterit, atque extinguit. Suam sentit infirmitatem, simulac virtus, pietasque augetur, ideo gemit, & cor attollit ad Deum illius misericordiam, & gratiam impetraturus. Super homines, a quibus celebratur, Deum videt, cui uni suos labores consecrat. Constans in officio, numquam ab illo recedit: pietatem amat, & quærit; nec non virtutes suas ad summum perfectionis apicem studet provehere. *Ex tractatu quodam de Conscientia.*

Falsa devotio.

Cum devotio respiciat Religionis officia, sæpe illi exterior quædam sufficit exercitatio. Pharisæi admirationem sibi conciliabant austera Sabbathi observantia, ac J. C. redarguebant, quasi diem illum cum Discipulis suis prophanaret. Hæc legis observantia nequaquam beatiores efficiebat Pharisæos, quandoquidem Publicani, ac Meretrices illos in regno Dei præcedebant. Docet experientia neminem illis esse nequiorem, quorum exterior legi obedientia pietatem, ac Religionem omnem constituit. At non fallitur Deus, neque similis est Isaac accipientis Jacob pro Esau, atque ex vestimentis, exteriorique habitu judicantis. Deus imum cor intuetur, & quidquid ibi fiat scrutatur; eos tantum pro filiis, atque hæredibus agnoscit, qui ipsius imaginem referunt; cumque Deo imago in sancta cordis dispositione consistat, qui solam devotionis speciem, atque lineamenta præseferunt, similes sunt mortuis, sensuque carentibus simulacris, qui vitæ umbram habent, & corpus sine anima. *Idem.*

Nullo habentur in pretio perfunctorii illi devotionis sensus, quos afflictio aliqua, vel domesticæ rei jactura, vel jejunii, aut communionis circumstantia quædam producit. Quemadmodum enim metalla igni admota liquescunt, amota vero ad pristinam redeunt duritiem; sæpe cor mollitur & oculi solvuntur in lacrymas, cum percutit Deus; sed ubi divina deferbuit ita, revertimur ad ingenium, quemadmodum Jordanis aquæ montis instar acervabantur, Arca transeunte, sed mox iterum fluere inceperunt. Naturalis corruptio vel inhibetur, vel propulsatur, cum Deus adest per verbum suum, & Sacramenta; sed eadem pernicitate fertur, statim ac desiit devotio. Mente quidem elevantur in Cœlo, Dei colloquio fruuntur, ac superfunduntur dulcedine, qua cor ipsum rumpitur; videntur naturalem conditionem excedere, in cœlum elati, & proximi Deo; attamen nullus status est, ubi frequentiores sint illusiones; in hujusmodi motibus potiorem sibi vindicat partem imaginatio, quam cor: amor proprius potius, quam vera pietas alloquitur Deum. *Idem.*

In devotione singularitas est vitanda.

Inter Christianos, præcipue vero inter eos, qui devoti dicuntur, non desunt spiritus quidam omnino singulares in actionibus suis, atque in vivendi ratione ita abnormes, ut ab omnibus ferme communibus regulis abhorrent, & quasdam solum particulares devotiones consectentur, quæ illorum palpant vanitatem potiusquam satisfaciant pietati. Communia negligunt, quia non habentur in pretio, iis vero solum inhærent, quæ præter ordinem sunt; hæc enim sola ipsis arrident. Ipsorum vivendi ratione omnia singularia sunt; esca, indumentum, sermo, preces, omniaque exercitia; & si jejunant, tunc accidit, cum non jejunat Ecclesia. Denique in omnibus bonis operibus suis tempus, locum, occasionem, & modum captant, quibus ab aliis facile distinguantur. *De la Volpilliere. Sermone de Hypocrisi.*

Nihil odiosius est simulata pietate, & indignatio, quæ in fictitiam virtutem istam concipitur, sæpe etiam in veram se effundit. Fere numquam pati possumus hominem vere pium, sexcenti enim adsunt falsi devoti, qui præstantissima qualitate hac abutuntur, eamque omni mundo pœne intolerabilem faciunt. Statim ac nobis occurrit homo extrinsecus pietati vacans, nobis rem esse putamus cum homine sævissimo, inhumanissimo, atque injustissimo; quia inter eos qui virtutem hanc profitentur inveniuntur quidem omni prorsus lenitate, humanitate, atque justitia carentes. Quam labem offundunt devotioni, hac ita per summam indignitatem abutentes? Quos sensus aliis infundunt? Quam ipsi de eadem concipiunt ideam? Numquid devotus esse quis potest, quin simul & misericors, & justus sit? Numquid propter Deum zelo flagrare potest, nisi & propter proximum flagret? Et potest arbitrari, se primum christianæ virtutis attigisse gradum, nisi prius seipsum exuerit, neque amplius nimis suam quæsiverit utilitatem? *Idem.*

Scrupuli in devotione emendandi.

Si sapientis alicujus ducis consilium, atque documenta sequeremur; non viderentur sane devotiones aliis odiosæ, consanguineis molestæ, proximo injustæ, qui contra devotum illum obmurmurat in pietatis ostentationem, speciosamque charitatem erogantem ea, quæ justitiæ tribuenda essent conflatū æs alienum dissolvendo;

vendo, non viderentur tot avaræ, inhumanæque pietatis victimæ in iis gementes conditionibus, in quas invitæ conjectæ fuerunt sub inani specie eas Deo devovendi: cum devotione, non assumeretur censorius animus de omnibus judicium ferens, atque in omnibus indignans. Spiritus amarus, charitatem vocans quod bilis, & odii plenum est, & nihil probans eorum, quæ ab aliis fiunt, suarum idololatra est cogitationum. Non videretur libido, & furor hic, qui in familiis simultates, atque odia gignunt, sanctasque extinguunt amicitias, quas Christiana indulgentia alere poterat. *Idem*.

In eo potissimum vera, ac falsa devotiones discrepant, quod vera ordinem sequitur, ea consectatur, quæ sunt essentialia, atque necessitatis; falsa vero speciem tantummodo quærit: e. g. sedulam navare operam, ut filii erudiantur sui; invigilare, utrum familia Ecclesiæ præceptis obtemperet, summa fide, ac promptitudine æs alienum dissolvere, opificum mercedem non diu retinere; hæc omnia quidem satis speciosa non sunt, sed sunt necessaria. Duarum, triumve horarum spatium in Templo orationi vacare, eleemosynis colligendis operam dare, omnibus piis civitatis operibus interesse; hoc pulchrum est, speciosum est, omniumque sibi conciliat admirationem; at necessarium non est. Ita cum video speciosa facta cum ardore exquiri, ea vero, quæ præcepti sunt, negligi: statim intelligo in hac devotione ordinem prætermitti, ac jure illi fidem nequaquam adhibeo. Non desunt frequentiores pietatis actus minus quidem speciosi, at Deo magis accepti. Quod uxor e. g. patienter ferat iniquum viri sui ingenium, eumque suo amore deliniat; hoc quidem valde speciosum non est, sed solidum; neque ulla vanitatis, & hypocrisis suspicio subest. Hoc primum in devotione requiritur, ordo videlicet, Quod necessarium est, quantumvis abjectum, semper illi anteferendum, quod est supererogationis, quantumvis speciosum sit. *Ex alio manuscripto sermone*.

Fideli viro numquam metuendum est, ne tamquam hypocrita habeatur; facili enim negotio hæc reprehensio evitatur, cum facile sit servire Deo, ita ut mortales rectam intentionem nostram intelligant, videantque pietatem cum sinceritate conjunctam. Licet enim externa species fallere possit, & non ita facile negotium sit veram a ficta devotione dignoscere; vera tamen quædam habet lineamenta satis nitentia, quibus se cognoscendam tradit, ubi sese proferre cupiat. Lumen est, S. Augustinus inquit, quod omnia detegens, seipsum quoque ostendit; Dei exemplar est, quod Dæmon numquam potest simulare. Fateor quidem sanctitati æquivocos esse caracteres; sed affirmo, non deesse quosdam eidem omnino proprios; humilitatem e. g. sine affectatione, spiritum ab omni avaritiæ specie alienum, agendi rationem semper sibi in virtutis exercitatione constantem: hæc sunt citra hominum censuram posita. *Ex sermone P. Bourdaloue de Devotione*.

Illusiones quæ in devotione occurrunt. Interioris virtutis defectus numquam minus periculosus est, quam externus corporis habitus incompositus, quod quidem grave malum est, & cum majori scandalo conjunctum; vulnera quæ infert ille, nihilo sunt minus funesta, licet minus sentiantur. Illud oculorum malum est, interior animæ morbus; hunc nobiscum gerimus, quin intelligamus; & ideo incurabilis est, quia a mortalibus non cognoscitur, & sæpe illis placet, quibus displicere deberet. Hoc malum in Religionibus etiam austerissimis invenitur, quæ jejunia servat, aliasque corporis afflictationes, sed quæ interiorem pietatem, & cordis reformationem contemnunt. SS. Spiritus, atque simplicitas relinquitur, & sufficit ædificatio quædam, quæ populo tribuitur, necnon discrimen illud, quod inter statum ipsorum, & aliorum, qui flagitiosam vitam ducunt, invenitur. Attamen licet religio sancta sit, nisi vero animetur spiritu, qui quidem SS. Spiritus est, nisi hic motus omnes, exercitationes, omnemque vitæ rationem informet, tantum abest, ut sit, quod esse debeat, quod immo nihil est aliud, nisi larva, & illusio. *Abbas Trappensis lib. 2. de Officiis Monasticis*.

Devotio, ex fructibus, quos adfert, cognoscitur, non autem in æterna vita, sed in hac. Omnibus civitatis bonis operibus interesse student, sanctos cœtus magno cum vulgi rumore colligunt, hortantur, prædicant, agunt, omnia miscent; verbo Religionis zelum præseferunt, aliquam percipiunt utilitatem: Ex quo autem hæc spes evanescit, & ea quæ bene fiunt, Deus unus agnoscit, neque ea prospectat oculus, quo animabantur, neque præsens ulla merces recipitur, obmurmurant, fatigantur, recedunt, & nonnumquam ad turpem etiam pœnitentiam deveniunt. *P. Cheminais. Sermo de Nativitate*.

Nescio quid sibi velint, qui, ut sese accommodent mundo, facilem devotionem proponunt. Mibi videtur devotio sine virtutibus esse non posse, & cum virtutes supra naturam assurgant, praxis earum facilis esse non posse. Ipse etiam Dei Filius inquit: *Contendite intrare per angustam portam*. Itaque velle invenire devotionem in eo vivendi genere, quod naturalium studiorum propensionem sequitur, hoc profecto nequit intelligi. Per ampla ostia facilis aditus patet, non autem per munitarum arcium januas. Cum de pietate agitur, nihil laxius afferendum est; nihil excogitari potest, quod nobiscum dispensare possit ne nobis moriamur; at nobismetipsis mori non aliud est, quam obluctari iis studiis, quibus voluptates, cœtus, ludos, choreas, theatra, deambulationes, ornatusque vanitati dumtaxat inservientes consectamur. In SS. Patrum scriptis nullam nancicimur methodum, qua devotio cum mundi spiritu valeat conciliari. Docent potius, qua ratione huic sit obluctandum, & naturalibus studiis obnitendum tunc etiam, cum innocua nobis videntur. *In Dialogis Spiritualibus P. Surin c. 1. ch. ult.* — Quid cogitandum de devotione, quã faciles quidem efficere suadent.

Non parum distat ad examen vocare, utrum aliquid sit lethale peccatum necne, an utrum cum devotione simul esse queat. Devotio delicatus est virtutum fructus; rerum divinarum gustus, dulcis JESU CHRISTI memoria, mysteriorum illius repræsentatio. Numquid hæc visa sunt unquam in iis, qui luxum, comessationes, mollem vitam, mundum depereunt? Ut gustemus orationem, Dei verbum, communionem; cordis nostri curæ invigilandum est, hoc claudendum, & mens colligenda. Hoc in mundana vita difficillimum est; quomodo igitur facilis ibi poterit esse devotio? Non dixerim tamen, nullas esse voluptates, quæ culpa carere possint. Videri aliquod spectaculum potest, ubi nihil inhonestum, nihil nefarium sit; audiri potest musicarum vocum, fidiumque concentus; adesse convivio, ubi temperantiæ leges serventur: quod si raro fiat, cum devotione simul esse posse negare non ausim. At si hæc in consuetudinem abeant, si magna temporis pars in his transfigatur, si cor hujusmodi voluptatibus expleatur, & nihilominus devotionem servari posse quis putet, haud ita facile illius sententiæ subscripserim. *Idem*.

Nonnisi eo in sensu, in quo Propheta dixit, dici potest: *Dicite Justo, quoniam bene*. Profecto qui virtuti, ac devotioni se mancipant, majori lætitia perfunduntur, quam mundi sectatores in voluptatibus suis; ex quo enim anima pietatem amplecti decrevit, Deus illam tot auxiliis, & benedictionibus cumulat, ut tandem assecuta finem, ad quem contendebat, sibi semper bene fuisse sit affirmatura; atque hoc in sensu devotio eidem facilis extitit. Non diffitebitur illa, sibi ardua iucunda fuisse itinera, atque per arida deserta contemnendum: prælia, & propulsanda, & inferenda; sibimet vim faciendam, multaque perferenda fuisse; at gratia labores, penasque ita temperavit, ut si eas cum consolationibus suis æqua lance ponderare velit, quidquid fecit, quidquid passa est, velut nihilum putet. Tunc vero præsertim cum constanter seipsam vincere perstitit, & naturæ eas voluptates respuere, quas cupit, tanta ad virtutem exercendam facilitas acquiritur, & in veri boni perfruitione pax tanta percipitur, ut tamquam in suo centro quiescat. Hoc est commune illud stadium, per quod fideles, constantesque animas adducit Deus. Tunc illis devotio vere facilis est, quoniam austeritates illis — Quomodo & quo in sensu dici possit oratio facilis esse.

illis suaviores sunt, quam voluptates, quibus in mundanæ vitæ curriculo perfruebantur, amore divino illud adferente solatium, quod nulla unquam affectio humana illis potuit conferre. *Idem*.

Operæ pretium est vos admoneere, Fideles socii, de devotione minime judicandum esse ex illis simulationibus quæ in eorum vita inveniuntur, qui larvam, nomenque pietatis tantummodo gestant, qui actionibus suis eidem abrogant fidem, eamque in suspicionem accersunt apud illos, qui de eadem judicantes solum juxta ea, quæ in ipsorum vita intuiti sunt, nonnisi falsum de ipsa conceptum animo inhibere potuerunt. Vera devotio virtus est sanctissima; vel melius dicam, omnis sanctitatis initium est & Christiano adeo necessaria, ut sine illa non diu persungi possit essentialibus Religionis officiis, iisque paterr præceptis, quæ studiis nostris opposita sunt; nequit enim, moraliter loquendo, iis omnibus, quæ illa imponit, defungi muneribus, nisi quid ea leniat, nobisque efficiat jucunda, quod præstat devotio. *Auctor sermonum in omnia Ethica, Christiana argumenta, in Adventu*.

Inordinata Devotio. Devotio inordinata est, quando statui nostro non est conformis. Talis est illius, qui Magistratum obtinens, muneris sui contemnit officia, ac prolixas preces effundens, quas Deus non petit, ea diu producit negotia, quæ expedire tenetur: talis etiam mulieris, quæ sub devotionis prætextu plures horas in Templo traducit, interim essentialia status sui munera negligens, & filiorum educationem, & quid domi agatur, contemnens. Nihil hoc malo vulgatius est. Quæritur, non quid deceat, sed quid placeat; volumus Christianos esse non autem juxta immutabiles Religionis regulas, sed pro ingenii nostri libidine. Quibusdam inhæremus officiis, non secundum Evangelii consilia, sed secundum varios affectuum nostrorum impulsus. *Flechier*.

De singularitate devotionis. Meminerimus non minus periculosum esse hominum oculos, atque existimationem in se convertere exteriori vitæ austeritate, atque nimis abjecta indumentorum specie, quam illis inferre scandalum iis actionibus, quæ sæculi spiritum nimis redoleant; in mundi commercio nullam sequi tutiorem posse viam, quam simplicitatem æque, & a pharisaica austeritate superbiam alente, & a mundana affectatione vanitatem inspirante, abhorrentem. Si ad austerius, & mortificatius vivendi genus vocamur, inter claustra, & Cœnobia confugiamus. *Abbas du Jarry. Paneg. S. Antonii*.

Vera, & falsa devotio ex corde pendens est. Quid est vera devotio? Flamma est ex divina Charitate, viva, sinceraque fide proveniens; est Deum colere corde, antequam regnet in labiis. Christianus vocatur *Cordis homo*. Dicitur in Scripturis *Dei regnum intra nos esse*, hoc est nonnisi corde nosmet eodem dignos efficere posse. Hoc nobis aperire debet varios mere exterioris devotionis defectus, atque ostendere, nisi illa in id primum incumbat, ut in nobis sinceritatis viscera informet, efficiatque cor, ex quo ea omnia procedant, quæ extrinsecus pateant; devotionem semper inanem, simulatamque futuram. Qui vere devotus est inde incipiens, ubi natura desinit, operi suo modestos, & castos oculos, pavidam, & ad reverentiam compositam frontem, justas, innocuasque manus, verecundum, prudentemque incessum studet effingere; sed hæc omnia essent inutilia, nisi cor primum omnibus hisce qualitatibus præditum affulgeret. Quia religiosus hypocrita speciosum hunc corporis habitum ubique præsefert, & non secus ac vere devotus, in omnibus sensibus suis, exteriorem modestiam refert: religiosus in verbis, religiosus in vestibus, religiosus in omnibus præterquam in corde, ubi inter tot egregias species, fovet invidiam æque periculosam, obtrectandi libidinem æque improbam, ulciscendi cupiditatem æque sævam, desideria æque iniqua, ac si in nulla actionum suarum esset religiosus. *Ex manuscripto sermone*.

Quilibet seipsum diligenti examine inspiciat, videatque, utrum sit ex numero eorum, qui hypocritæ sunt. Donec parum attente ea facimus, quæ Dei sunt; sane metuendum est, nobis devotionem esse mere apparentem, & cor nostrum latere post lutulentum parietem, politica ratione quapiam, vel humano respectu dealbatum. Hic locus est, ubi damnationem nostram invenimus, si hujus viæ sumus. Væ vobis, inquit Dei Filius, qui erogatis eleemosynas, postquam manus, arcasque vestras furtis, rapinque replestis; extrinsecus quidem sinceri, intus vero Pharisæi. Cur cordis penetralia non pervaditis, ut inde ea depromatis lineamenta, quæ extrinsecus enitescere vultis; inde enim homo bonum, malumque educit? Ibi Deus gratiæ suæ thesaurum occulit; inde omnis iniquitatis cumulus procedit. Illinc adulteria, falsa testimonia, injustitiæ, calumniæ, impura desideria, intemperantia, odium, amor proprius; illic superbia sedem constituit, postquam in spiritu adolevit: *De corde exeunt &c.* Cor igitur emundandum est, ut ibi cor inhabitet; alioquin nulla est vera devotio. Dicamus denique, Deum, qui corda scrutatur, & penitiores illius latebras videt, nihil ibi invenire debere, quod externis repugnet actionibus; & hoc ibi profecto videt, utrum Christianus sit fidelis legum suarum observator, an prævaricator earum, utrum veram habeat pietatem, an falsam devotionem.

Devotio mollis sese accommodatur. Inter eos, qui Mundum sectantur, mollis quædam adest devotio, ac sese accommodans, quæ magna est illusio amorem proprium palpans, & fovens. Etenim amor proprius non solum efficit ut nosmetipsos amemus, sed ut ab aliis etiam amari velimus. Deo quidem placere cupimus, at hominibus displicere nollemus; & huic innixi principio, veram pietatem neque terram, neque sævam esse, virtutis lenimentum usque ad servilem assentationem traducimus; eamque omnibus amabilem reddere conantes, illam humano respectui mancipamus. Majori studio cavemus, ne quid in nostra devotione sit, quod imperfectioribus crucem figat, quam ut ea faciamus, quæ animas justas ædificent. Omnia communia, pietatis exercitia, solertia, bona desideria, omnia cedunt timoti, ne minus devotis vel odiosi vel incommodi simus. Hæc non est christiana suavitas, non est vel charitatis, vel rationis officium: servitus est, atque timiditas. Virtutem humaniorem efficere contendentes, eam prorsus naturalem efficimus; & generalis approbatio, qua devotio adeo facilis, atque accommodans commendatur, mirum in modum in ignavis animabus mollem quamdam speciem devotionis enutrit. Vera pietas neque aspera est, neque inurbana; honesta est, officiosa, atque decori studiosa; at abjectiones, politicas rationes, humanos respectus ignorat. *P. Croiset in spiritualibus Considerationibus Tomo 1.*

Occurrunt nonnumquam homines inter eos, qui sanctiorem vitæ rationem profitentur, qui eo quod interiorem spiritum contempserunt, qui veræ devotionis quodammodo anima est, & quod secreta quadam mollitie se vinci passi sunt, inanem tantum habent virtutis phantasma. Propriis cupiditatibus traditi id solum volunt, quod sibi placet, neque faciunt, nisi quod optant; sui ipsius existimatione tumidi, non verentur eos affectus, quos alunt; Falsa illis soporem immittit securitas; atque inani tantum virtutis aura elati virtutem ipsam negligunt. Si status sui ratione proximorum saluti tenentur prospicere, hoc nonnisi cum odioso discrimine præstant; quasi animæ, ad quorum salutem adlaborant, non eodem fuissent pretio redemptæ. Semper amore proprio zelus eorum dirigitur, neque ullum ex bonis operibus gustum percipiunt, nisi hæc ipsi elegerint: ibique Dei gloriam semper inveniri putant, ubi invenitur sua. Ubi de honore agitur ad superstitionem usque delicati, minima quælibet urbanitatis officia summa religione servanda putant, quorum qui aliquod neglexerit, gravissimum facinus patrasse arbitrantur; & hac in re mens nihilo facilius, quam cor, errorem agnoscit. Raro ex iis morbis convalescimus, quos amor proprius fovet, & virtus aliqua probat. *Idem*.

Adest

Devotio consuetudinis. Adest etiam devotio quædam urbanitatis, ex qua nullus Religioni cedit honor. Hic mos est, & consuetudo, quam sequi oportet, & quam vulgo sequimur. Gressum facimus? modestia, recessus, oratio loci sunt communes, quos negligi nefas putatur. Quid enim diceretur de muliere, aut virgine, quæ choreis, spectaculisque iter faceret triduo, vel quatriduo post viri, vel patris obitum? Tunc magis templum decet, quam alea, atque solatium: tunc pietatis exercitia, ac opera bona opportuna sunt: Deo datur, quod dari Mundus ipse probat. At non diu producitur actus; cor quamprimum reparare studet dolorem, quem pertulit, & una cum luctu ipsa etiam urbanitatis devotio terminatur. *Idem*.

Pietatem profiteri volumus; tandem enim minime ignoramus, Christianum pietate carentem esse phantasma Christiani: verum hæc pietas erit statis anni diebus præfixa, quæ temporanea devotio, vel devotionis intervallum vocari potest. Solemnis aliqua festivitas fidem excitat; profana removentur solatia; ad aras acceditur; sed heu! pietas desinit cum festivitate. Nobilis illa Matrona uno tantum die devota est; voluptatum stadium non relictum, sed intermissum est; non diuturnum fuit intervallum; postridie ejus diei, quo se sacra Synaxi refecit, iterum ad ludos, choreas, deambulationes revertitur; neque sese confitens diuturnæ subjici voluit reformationi. Ad eumdem redit luxum, iisdem sese objicit periculis, in voluptuarios cœtus, & ad spectacula, a quibus nonnisi ut mundo quamdam devotionis scœnam exhiberet, abstinerat, statim revertitur. Huc omnis plurimorum pietas redigitur, qui in mundo se Christianos esse profitentur, quod nonnumquam mundana solatia intermittunt; quasi Deus, quem colimus, per intervalla tantummodo amandus esset, atque colendus. *Idem*.

Devoti asperi, & inurbani. Aufert asperos, inurbanosque devotos, quibus nulla vel erga Deum, vel erga homines suavitas, & humanitas est; Apage devotiones spirituum fortium, speculationis, ratiocinationum, magnorum verborum, ac impeditissimorum mysteriorum, sublimiumque conceptuum, quibus nihil affectu plenum, nihil tenerum, nihil sensibile. Homines hujusmodi, ut plurimum, sunt in propriis sententiis pertinaces, suam dumtaxat libidinem sequentes, iis omnibus adversantes, quæ ab eorum sensu abhorrent: ideoque aptiores ad alios deterrendos a devotione, quam ad eamdem alliciendos. Illi asperitate sua derogant fidem; vulgo enim, licet injuste, devoti omnes illis similes esse putantur, & devotio illos incomptos, inurbanos, inofficiosos efficere existimatur. *Nuperus Auctor*.

Christiani, qui Deo vosmet penitus devovere cogitatis, ac devotionem amplecti cogitatis, simul etiam cogitate plures contradictiones vobis esse perferendas. Non deerunt viri boni; qui falso zelo correpti, vel præoccupati, neque satis devotionem vestram agnoscentes, vobis adversabuntur. Non deerunt improbi, qui vos in ludibrium traducent, & tamquam ignavos spiritus arguent. Non deerunt etiam nequiores, qui in vos ipsos insurgent, & consilia vestra penitus evertere conabuntur. Quid vos autem inter tot oppugnantes? quid fiet vestra devotio? Estote constantes: contra omnes conatus, & contradictiones obsistite. Si vera, ac solida vobis virtus erit, de calumnia triumphum refertis; & qui majori feruntur impetu, ut vobis obluctentur, ac vos pertinacius irrideant; hi primi omnium virtutem vestram admirabuntur, quæ omnes obtrectantium sermones, omnesque impiorum irrisiones superaverit. Quantumvis injustus sit Mundus, facere nequit tamen quo minus aliquando veram pietatem celebret, & admiretur, quod imitari detrectat. *Auctor Anonymus*.

Quo errores in hoc devotionis argumento oppositi. Duplex errorum genus devotionem fere contemptibilem efficiunt. Alii eam austerissimam, atque inhumanam fere volunt; alii eam urbanissimam, atque sese accommodantem requirunt. Illi eam efferam, deserta, tenebrasque consectantem, societatis, omnisque lætitiæ inimicam sibi fingunt; hi delicatam, teneramque exhibent, quæ nihil ex voluptatibus suis, vel recto jucundatum societatum ordine patitur minui. Apud illos phantasma, & terriculamentum est; adeo macie, & squalore confecta est; apud hos, fucata est pulchritudo; adeo indulgens, & commoda est. Illi in adeo sublimi regione istam constituunt, ut infirmi se illuc assequi posse desperent; hi vero in adeo humili situ collocant, ut tepidus quilibet ad illam valeat accedere. *Desumptum ex Dictionario Morali*.

Huic devoti nomini fides in mundo ita abrogata est, ut vix ferendum videatur. Nemo est, qui vir bonus, honestusque haberi non cupiat; sed devoti famam quisque detrectat; & plerique si hoc appellentur nomine, injuriam sibi inferri arbitrantur. Unde hoc? nisi quod falso Mundo persuasum est, in hoc devoti nomine nonnihil contemptibile adesse, propter quod eos pudet, qui eodem indignantur. Ventum jam est ad Tertulliani tempora, in Apologetico suo conquerentis, quod Idololatræ tantum Christiani nominis horrorem conceperant, ut quasi certi essent in augusto hoc nomine quodlibet sceleris genus contineri, satis esset probare aliquem eodem appellari, ut statim sævissimis suppliciis adjudicaretur. Nequaquam censebant, de patratis ab illo criminibus cognoscendum; immo Trajanus Cæsar edicto prohibuit, ne contra christianos quæstio ulla haberetur. Satis erat, si hoc se vocari nomine confiterentur; & si obtineri potuisset, ut se Christianos esse negarent, jam judicio absoluti abire permittebantur. Igitur nomen tota illorum erat noxa: *Solius nominis crimen est: quis nominum reatus?* Quænam judicii forma hæccine est, Tertullianus interrogat; si præter nomen nihil in me sceleris est? Cujus quæso criminis redargui nomina possunt, ut extremo supplicio afficiantur? Cognoscite, quid egerim; quærite scelera, quorum nocens sum, eaque punite; sed nomini, quod innocens est, ignoscite. Æquone animo ferendum est, quod Christiani hodierna die eodem in discrimine devoti nomen habeant, ac olim Ethnici Christiani nomen habebant? Exagitantur devoti non propter scelera, quæ committunt, sed propter nomen, quod illis tribuitur. Innocentes essent, nisi devoti appellarentur. *P. d'Argentan ex Capuccinorum familia. De B. Virginis magnalibus collatione vigesima tertia*.

At enim in ævi hujus devotis nihil nisi hypocrisis, improbitas, ac prava fides videtur; at quisnam exploratum, compertumque habere potest mysterium criminum, ac dissimulationum eorumdem? Quinam horror! quænam abominationes! Verum ad hæc non satis attenditis: illi, de quibus loquimini, non sunt devoti, sed impii. Scio quidem non deesse in mundo plurimos pseudo-devotos; sed pseudo-devotus devotus non est. Non loquor de iis qui devotos esse simulant, qui virtutem ipsam coinquinant, & qui satis nequeunt improbari; loquor de ea devotione, quæ sine arte est, sine fuco, quæ Deo uni placere gestit, ejusque agnoscere studet voluntates, ut illas adimpleat. Loquor de sublimibus illi animabus &c. *Idem*. Falsa criminatio contra devotos.

Christiani sæpe præcipuum pietatis caput in exterioribus actibus collocant. Quemadmodum enim externa religionis species aliquid augustum, ac nitens habet, quod oculos perstringit, & venerationem conciliat; eidem facile inhæremus, interioremque partem negligimus. Omnino opus est, ut Christianus interior sit, sæpe sese colligat, ut quid in corde ipsius fiat, quo spiritu animetur, quo affectu moveatur, quem ad finem ejus tendant consilia, quid in actionibus sibi proponat, intelligat; ne post multos exantlatos labores exiguum referat fructum. *Desumptum ex moralibus sermonibus*.

Si vera devotio nostris tantum cogitationibus, studiisque pro acquirenda sanctitate leges indiceret; cum nequeat homo mentis suæ profunditatem, & cordis sinus scrutari, postquam culpa illi tenebras offudit: fere semper ambigeremus, utrum a nobis lex adimpleta fuisset; vel nobis idolum virtutis effinge- De cultu exteriori, qui Deo est deferendus.

fingeremus, ac putaremus jam sanctitatem assecutos esse, ubi illius assequendæ consilium iniissemus. Oportuit igitur, perfectam devotionem in exterioribus actibus æque ac interioribus sensibus consistere, ut magis perspicue cognosceremus, quid nobis faciendum sit, ac melius videre possemus, utrum illud factum fuerit a nobis. *Maimbourg sermone pro feria secunda majoris hebdomadæ.*

Falluntur, qui putant Dei Filium interiorem tantummodo adorationem pro vera devotione poposcisse, cum inquit, veros adoratores in spiritu, & veritate adorare. Non inde sequitur, te verum esse adoratorem, si in spiritu dumtaxat adoras; quamvis necesse sit, & in spiritu adorare, si vis verus esse adorator. Qui extrinsecus tantum adorat, hypocrita est, Deum adorare quidem simulans, re autem vera non adorans: qui adorat solum in spiritu, est vere adorator, non verus; hoc est non perfectus adorator. Dei Filius præcipit, suadetque nobis exteriora devotionis opera, ut hæc sint fidei nostræ columen, justitiæque nostræ subsidium, quam citra quamdam miraculi speciem nec adipisci, neque adeptam servare possumus nisi per eos actus, qui non sint mere intellectuales, atque interiores: ea enim non debet solum intellectus nostri speculationes, mentisque cogitationes, verum etiam cordis desideria, affectuum motus, sensuum regere propensiones. Vitium roboratur in nobis per externos licentiæ, & vanitatis actus: quomodo vero illud infirmare possumus, nisi exterioribus actibus pietatis, & religionis? *Idem.*

Exterior pietatis habitus non est negligendus.

Cum dicimus devotionem interiorem esse debere, & in corde; non ideo affirmamus exteriorem esse negligendam. Oportet enim, Tertullianus ait, ut exteriori quoque vacemus triplici ex causa; primo, ut completa sit; secundo, ut ædificans; tertio, ut constans. Ut sit completa; etenim omnem hominem perficere debet; ut sit ædificans, non enim Deo solum; nobisque, sed etiam proximo debitores sumus, qui a nobis bonum exemplum expectant: constans denique ..... Quamobrem non satis celebrari potest exterior in precibus reverentia, exterior Sacramentorum frequentia, exterior eleemosynarum erogatio; dummodo hæc omnia intra illum consistant ordinem, qui nobis præscribitur. Verum cum Apostolo addo, omnia ex corde, ac spiritu proficisci debere: *In spiritu*, ita ut pietas, quæ oculis patet, non aliud sit, nisi illius emanatio, quæ latet, & quam homines non intuentur. *P. Gironst sermone de vera falsaque pietate.*

Diligenter autem observandum est, non omne devotionis genus conditionum omnium esse proprium. Virtus in eo posita est, ut rite muneribus nostris perfungamur; at munera nostra varia sunt pro statuum varietate. Aliter agere debet Ecclesiasticus, aliter in sæculari dignitate constitutus, aliter, qui militiæ nomen dedit; aliter mater familias rei domesticæ curam gerens, aliter sanctimonialis in claustris; eaque distinctio ita necessaria est, ut quod aliorum sanctitatem constituit, aliorum sit damnatio, & interitus. Hæ sunt, ut loquitur Evangelium, totidem arbores, quæ singulæ fructus suos ferre debent, sed singulæ juxta speciem suam: alioquin succidendæ, ac in ignem mittendæ. *Idem.*

Duo devotionis genera.

In illis ipsis, qui solide adhærent Deo, duplex devotionum genus invenitur: aliæ enim sunt aridæ, macie confectæ, tristes, dolentes, non enim metu carent qui semper cum inquietudine, amaritudine, ac tristitia conjunctus est; aliæ sunt mites, hilares, jucundæ, deliciis affluentes, & gaudio refertæ: nascuntur enim ex amore divino, cui, ut S. Augustinus asserit, semper comes adest suavitas atque voluptas. Ideo Filius Dei in animam sibi adhærentem suavitatem, ac lætitiam infundit, qua leniuntur omnes devotionis austeritates, roboratur infirmitas, sensibilia gaudia contemnuntur, & pax, atque tranquillitas conscientiæ confirmatur. *Maimbourg.*

Hic est nequitiæ mundi hujus effectus. Homo Deo obtemperaturus, atque salutem suam operaturus pietatem sectatur: deinde nihil ignoscitur illi, omniaque illius facta tamquam crimina redarguuntur, ex quo enim pietatem sequitur, non licet illi ullum affectum, ullam imperfectionem habere. Hunc irreprehensibilem esse volunt, & nisi fuerit, pietas ipsa insimulatur. Nequitiam profecto, S. Hieronymus inquit, iniquissimam! Si enim pietas mundi censuræ esse debet obnoxia, saltem hæc mundi censura æqua esset: & nisi clementia uti vellet, saltem a justitia non recederet. Quorsum igitur hæc contra pietatem præjudicia? Quorsum hæ suppositiones, quibus tamquam proprium imputatur illi, quod ab ipsa quoque damnatur? Quorsum secretum hoc odium in eos, qui amplectuntur illam? Quorsum hoc studium, quo integerrima facta, æquissimæque intentiones piorum hominum in ludibrium vertuntur, deprimuntur, veneno inficiuntur? quo bonæ eorum qualitates atteruntur, & malæ, si quando malum aliquod forte exciderit, exaggerantur? Numquid ita cum reliquis hominibus consuevimus? &c. fides, qua Deo inservire illi adnituntur, contemptum, odiumque nostrum meretur. *P. Bourdaloue, in veris sermonibus suis. Adventu secundo. Sermone de Sanctitate.*

Devotione nonnumquam abutimur optatum finem consecuturi.

Accidit non raro, ut re sanctissima, qualis est pietas, atque devotio, abutamur: & utinam scandalum a S. Paulo prædictum, deploratumque non adimpleretur in nobis; quibus cum forte alia quælibet desit via ad mundi hujus honores progrediendi, illuc pervenire contendimus specie quadam vitæ castigatioris; utinam per hanc non aucuparemur opes, non compararemus amicos, & patronorum gratiam non studeremus; utinam per hanc, vel potius in hac non lateret spes, atque consilia tempore suo proferenda: ita ut hæc omnis pietatis fama non ad id unum referretur, ut negotium aliquod e voto cederet, ut cœptum aliquod ad finem suum deduceretur, ut illum nobis delinire, hunc fautorem adsciscere conaremur; verbo, ut eam tueremur societatem, commercium illud indignum sustineremus, quod Apostolus 1. ad Timoth. 6. detestatus est: *Hominum existimantium quæstum esse pietatem.* Tunc dicine posset vel minimum Christianæ pietatis adfuisse vestigium? Hoc sane esset rerum subvertere ideas, atque nosmetipsos fallere velle, si ita judicaremus. *Idem. Sermone de severitate Evangelica.*

Pharisaica devotio est ea contemnere officia, ad quæ tenemur, ut quibus minime tenemur, bonis supererogationis operibus exerceamur. Mulier exempli gratia centies ad sanctum Eucharistiæ sacramentum accedet; at nullam viri, nullam filiorum, nullam familiæ rationem habebit. Mortificabit, si vis, corpus suum, & ne unam quidem de corde suo victoriam reportabit; efficiet ut pro libidine sua tota patiatur familia; ad aras prostrata prolixas proferet preces, in cœtu vero aliorum nomini obtrectabit. Quid est hoc? Pietas Pharisaica; Pharisæi quippe diligentissime ad superstitionem usque servabant quasdam traditiones, ac cæremonias parum necessarias, in quo omnem devotionem suam constituebant; cæterum omnia mandata negligebant. *Idem.*

Plurimi laudant pietatem, quam minime colunt.

Pietas, atque devotio esse debet anima omnium actionum nostrarum, si eas Deo acceptas esse volumus. Hæc veritas, licet Dei verbo probata, apud homines non est ita recepta, ut non desint, qui eamdem rejiciant. Quot occurrunt quotidie, qui ut in irreligione sua Christiani videantur, fatebuntur, eos de sanæ mentis usu dejectos esse, qui pietatem, ac devotionem in pretio non habent, hoc esse bonum, ac virtutem, ad quam acquirendam præ cæteris adlaborandum est; Sacramentorum frequentiam, bonorum operum praxim, summis encomiis esse celebrandam; vitam ad Evangelii normam recte institutam, ac sedulitatem in omnibus Religionis officiis rite adimplendis virtutes esse anima magna vere dignas: sed singulis rebus suum adesse tempus; tunc se animum traducturos ad hæc munera explenda, cum negotia sua in ordinem redegerint, cum familiam suam statuerint,

cum

cum fortunas suas eo usque provexerint, quo provehendas existimant, quæ ubi fuerint absoluta, tunc tandem serio dabunt operam, ut solide fiant devoti, virtutisque sectatores, at ante id tempus virtutem sibi incommodam fore? *Sermo manuscriptus*.

Cum vera, & solida pietas in eo posita sit, ut summa officii fide lex divina servetur; inde regula educenda est, ad cujus se trutinam ponderandus est totus status interior, tota devotionis ratio, tota vitæ forma. Omnes enim status, devotiones omnes, omniaque exercitia, quæ a munerum nostrorum observantia recedunt, mala sunt quemadmodum explicite significat Deus per S. Joannem Apostolum: *Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus*. 1. Joan. 5. Hanc exequendarum Dei legum sedulitatem ac præceptorum illius observantiam suspiciens David exclamat: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*. Ps. 118. Sancto huic Prophetæ cura hæc licet solertissima numquam satisfacere poterat, quæ quantumvis magna esset, sentiebat ille tamen semper multo minorem esse illa, quam præstare tenebatur. *De S. Martha. Tomo 2. Operum Asceticorum*.

Nemo vere devotis melius suis muneribus perfungitur.

Ex quo Deo inserviendi consilium inimus, & quod idem est, ex quo devotionem amplecti incipimus, suaves sumus, humani, justi, humiles, officiosi: atque status nostri officiis rite obeundis operam omnem impendimus. Nulla in amicitia constantia est, nulla bona fides in commercio, nulla probitas in vita, nisi virtuti, pietatique innitatur. Pietas bonum tribuit sensum, rectitudinem, diligentiam, prudentiam. Vera devotio hæc est, ad unguem status sui munera obire. Plurima sunt ea, ad quæ nos obligat commercium, societas, ac varii vitæ status. Nihil majori laude dignum est, quam toto pectore, ac sine ulla intermissione ad satisfaciendum illis incumbere; at quinam præ cæteris melius satisfaciunt, nisi qui devotionem colere inceperunt? Omnes vitæ status percurrere. Quis bonus est pater familias, bonus dominus, bonus judex, consanguineus, amicus, subditus? Quænam verecundior femina, quis fidelior famulus, quis diligentior artifex? Quis promissionum suarum religiosior observator? Quis Domini Sacerdos vigilantior, & virtutum suarum exemplis utilior? Hæ omnes virtutes fructus sunt christianæ pietatis, ac veræ devotionis. *P. Croiset in Considerationibus spiritualibus*.

Neque Deus, neque Evangelium urbanitatis improbat officia, sed regit. Non præcipit, ut solitariam in deserto vitam agamus: sed ut quisque in statu suo vitam homine Christiano vere dignam traducamus. Ita tantum abest, ut homines asperos, inhumanosque faciat, quod nulla res est, quæ magis quam pietas, atque devotio illos suaves, comesque efficere valeat. Quotidie occurrunt exempla. Da mihi aliquem vitiis abditum; hic erit molestus, intractabilis, asper, inurbanus, furens, malæ fidei, ad vindictam pronus, ac ad alienam tantummodo patientiam exercendam idoneus. Da mihi mulierem omni penitus pietatis sensu carentem; vana est, iners, erga filios dura, ancillis immitis, & viri sui gravissima crux. At si devotioni sese illi dederint, jam mansuescunt, æquioresque fiunt, erga omnes liberales, muneribus suis attenti, in statu suo honorabiles, existimatione, atque totius mundi veneratione dignissimi. *Idem*.

Ridicula eorum objectio, qui ajunt devotos in mundo nulli rei utiles esse.

Quam pudet, Domine, Christianos audire dicentes, ex quo devotionem amplectimur, videlicet, ex quo secundum Evangelii præcepta vitam ducere incipimus, fieri molestos, graves, incommodos, inurbanos, ac nulli rei utiles! Numquid in mundo utiles esse non possumus, nisi pietatem abdicaverimus? Neque felices, nisi Ethnicorum, impiorumque more vixerimus? Devotio non prohibet urbanæ societatis commercium, non prohibet honesta solatia, sed nullum agnoscit honestum solatium, quod Christianum non sit. Adhæc vetatne Evangelium, quominus bonorum nostrorum conservationi invigilemus, eaque licitis rationibus augere quæramus? Damnatne Evangelium sollicitudinem providendi familiæ suæ, filios ad ampliores honoris gradus evehendi, prædiorum fructus colligendi, dignitatem suam cum honore & juxta æquitatis regulas tuendi? Prohibetne ultro citroque communia vitæ civilis sibi officia præstare? Num scelus putat honestam animi relaxationem, modestum ornatum, qui genus, nobilitatemque vestram maxime deceat? Nullo modo, sed excessum tantummodo, cupiditatem, nimiamque damnat festinationem. *Idem*.

Hoc autem impii contra devotionem objiciunt. Quot devoti videntur vani, delicati, ac ubi de honore agitur, proni ad iracundiam: quot, quorum devotio alitur ignavia, & qui proculdubio inutiles sunt? quot quorum varium temperamentum, impolitumque ingenium honestorum hominum sibi conflant invidiam, & virtutem minus amabilem reddunt? Certum est, crassos eorum defectus, qui pietatem profitentur, ansam impiis præbuisse, ut ipsi pietati fidem abrogarent. Sed injuria devotioni accepti referuntur defectus, qui ex virtutis carentia proficiscuntur. Quænam major injustitia, quam christianæ pietati ea imputare delicta, quæ damnat, & velle, ipsam esse, quod illi sunt, qui illius nomen ostentant, & qui sua mendaci devotionis specie insignia scelera fovent? *Idem*.

Animus non est advertendus ad eas irrisiones, quibus excipitur pietas.

Quot irrisionibus, inquit, non patent illi, qui virtutem exercent, ac sese mancipant devotioni? Nonne pudet, ita in jocum traduci? Verum enim vero quorumnam irrisionibus devoti homines patent? Numquid eorum, qui honesti sunt, ac probi, quibus displicere semper malum est? Nequaquam; sed impiorum, quibus placere non possumus, quin existimationis nostræ jacturam faciamus, & quibus displicere, quædam est species honoris. Quis enim cordatur, si Christianus sit, irridere possit eum, qui Deum amat, qui legem ejus observat, qui ad illius præcepta suam vivendi rationem conformat, & qui post hanc vitam suppliciorum æternitatem metuens, ad eam evitandam nihil intentatum relinquit? Sin autem impii duntaxat, corruptique homines in jocum traducere possunt, & religionem, & qui eamdem sequuntur; numquid hoc nobis negotium facessere debet, si objectum sinus irrisionis, vel melius dicam, invidiæ eorum? Hujusmodi censura honori esse debet. *Idem P. Croiset*.

Nemo accuratius, ac diligentius minoribus urbanitatis officiis perfungitur, quam qui indesinenter vitæ christianæ officia student explere. Dici potest, veram pietatem cum cordis rectitudine quemdam bonum sensum tribuere, qui diligentissimæ supplet urbanitati, & certum est, ex quo sincere devotus, & pius es, te simul esse honestum, justum, officiosum, & ab omni avaritia remotum.

Falsa devotio commoda, & mitis.

Heu! arbitrarium nobismet fingimus suavis, commodæque devotionis systema, semper cum amore proprio consentientis, semper cum prædominante affectu concordis, semper nostro ingenio conformis. Hæc devotio est juxta cujuslibet ingenium conficta, quæ plurimum ex animi libidine pendet, & homines impellit, ut serviant Deo, non ut hic jubet, sed ut illis placet. Minus quæritur virtus, quam laudes illi inhærentes; privilegiis illius frui desideramus, quin meritum acquirere adnitamur: quoniam sine prætextu errare non lubet, ex vera pietate mutuamur; quidquid amori proprio personam potest inducere. Deo quidem tribuuntur nonnulla cultus exterioris exercitia, at fovuntur intrinsecus desideria, sæculique affectiones vigere; atque externa pietatis specie, omnibus fucum faciente, protecti devote mollem vitam ducimus, ac tandem morimur inter angores, ac desperationes, quas sub vitæ exitum adeo crassa gignit illusio. *Idem*.

Devoti habitus, vel vanitatis ex malo ipsorum ingenio, & inæquali vitæ ratione dignoscuntur; diceres, devotionem eorum ex valetudine, vel bono, lævoque negotiorum successu, vel etiam temporum varietate pendere. Affabiles, & inhumani prout ipsorum

ipsorum habitus fert; numquam illis acceptus eris, nisi eorum temperamentum, animique libidinem investigaveris, & consulueris. Non omnia opera bona illorum gustui accommodantur; non enim omnia eumdem habent gustum. Dissimulatus affectus plerumque apud illos charitatis, vel alterius cujuspiam virtutis occupat locum. Pietatis exercitia illis necessaria nequaquam videntur, nisi quatenus ipsis arrident; & christianam virtutem in alias, aliasque partes detorquentes, facile eidem cor suum accommodant. Nihil amatur, nisi externa speciosæ pietatis superficies; ac sensim vera virtutis, ac devotionis idea oblitteratur. *Idem*.

Vera devotionis caracter in vita civili.

Vera pietas neque sæva est, neque aspera; urbana est, officiosa, affabilis, verum neque demissionem, politicas rationes, humanosque respectus agnoscit. Devotus homo nihil facere debet, ut hominibus displiceat: vult etiam virtus, ut ea, quæ secundum Deum illi placere possunt, minime negligantur. Facilitas ista gratiosa, suave hoc ingenium, quo semper ignavarum animarum infirmitati parcere studemus, non semper est generosæ virtutis argumentum; immo timendum est, ne mera sit philaucia, & falsæ pietatis effectus. *Idem*.

Est etiam devotio quædam ætatis, decori, temporisque. Effœta jam senectus quædam nobis obtrudit officia, quæ mundus quærit, & amat, sine quibus eidem non facile placeas: Ætatis decor, familiæ rationes, repulsæ, irrisiones, contemptus, omnia morum reformationem suadent, omnia ad secessum conclamant; hoc unum reliquum est, quod capiatur consilii, & quod tandem cupiatur. Felices, si vel necessitate, vel contumelia ad præclaram hanc conditionem adacti, cum ea sinceritate, & cordis rectitudine, sine qua Deo placere non possunt, eidem sese devoverent. *Idem*.

Falsi devoti ad levem statim injuriam exardescunt.

Quædam negligentiæ species, quam amor proprius modestiam nominat, quamplures eclat defectus secretamque fovet superbiam, quæ a ficta pietate separari non potest. Ad summum delicati in iis præsertim, quæ lædere videantur eam, quam de seipsis opinionem imbiberunt, parum excusant; & minus adhuc ignoscunt. Hinc in adagium quodammodo versum est, ab irritato devoto, tamquam a peste cavendum; æterna est ejus iracundia, ultio vero eo acrior est, quo magis putat, in persona sua religionem ipsam lacessitam fuisse, & se alios persequi, eo quod injustitiam, alienamque nequitiam perhorrescunt. Mirum profecto est, quod adeo crassus error conscientiam non agitet; at numquid minus mirum est, ut qui religionem vel solo nomine noverit, hunc errorem non videat? O Deus! in quos errores non labuntur? superbia, ubi dominatur, in iis præsertim, quæ ad pietatem, ac religionem pertinent, numquam nisi integram adfert cæcitatem. Cordi ita satis est invenisse viam ea probandi, quæ sibi arrident, atque blandiuntur, ut quidquid requiem suam perturbare potest, penitus oderit; & mens, quæ a corde se trahi sinit, omnia tamquam infesta putat, quæ sibi auferre possunt errores, quibus lætatur; ac in eo tota est, ut sese iisdem conformet. *Idem*.

Quonam dedecore afficitur Christiana Religio monstruosa hac immixtione, quæ hodierna die adeo communis est mundanorum solatiorum, piarumque exercitationum! Heu, Domine! quænam sanctitati legis tuæ infertur injuria? Quid? pietatis simulatio, statis horis ad templum accessus eum excusabit, qui totum fere vitæ suæ curriculum in alea, & otiosis conventibus transigit? Mundana hæc mulier, quam ad aras prostratam vides, ea est, quam nuper ex ludorum Accademia exeuntem vidisti, ac brevi ad choreas, ac theatra se conferet. Devotio illius non ita facile austeritatem induit; longa profanorum solatiorum consuetudo illam circumducit; & superficiali quadam pietatis specie illam protegente in molli vitæ ratione, ac sopore otioso versatur. Quamplures hodie se nactos putant artem cum Religione mundum, cum devotione mundi solatia, omnium voluptatum usum cum Evangelicorum præceptorum severitate conciliandi; similesque populis in Samariam missis, qui modo se Assyrios, modo Israelitas ferentes, postquam Idolis adoleverant thura, verum Deum adorabant; patiuntur, mundum regnare, omnibus ejusdem legibus sese subjiciunt non sine conditione levissimi cujusdam tributi, ut ita dicam, quod Domino statis horis sese persoluturos promittunt; hoc est, dummodo semel in die christiani videantur, se mundi sectatores esse reliquo temporis spatio gloriantur. *Idem*.

Devotio iners, & otiosa.

Inertia sæpe devotionis sibi nomen vindicat. In oratione gustum aliquem inveniunt, ac non sentiunt, hoc esse laboris fastidium. Recessus non prodest nisi otiosorum devotorum inertiæ fovendæ. Devotionem reperiunt in non agendo; interim vero familia, res domestica, negotia, sui status officia negliguntur, ac pessum eunt. Immo eorum miseratione ducuntur, qui res hujusmodi curant; atque misera illusione interior collectio, a mundo discessus, reformatio morum, pietas ædificans appellatur, quod noxia est ignavia, soporem atque cupiditatem inferens animæ. Vera pietas numquam otiosa fuit; novit actionem cum oratione conciliare. Qui solide pius est, præcipuam devotionem in eo constituit, si rite muneribus suis, licet molestissimis, acerbissimisque perfungatur. Scit, perfectionem, quam a nobis exigit Deus, eam esse, quæ statum nostrum maxime decet; ille enim nos ad statum hunc evocavit. *Idem*.

Devotio ostentationis.

Communium officiorum observantia, non est cum aliquo nitore conjuncta; alterius velatu contendendum est, atque sublimior spiritualitas inquirenda. Postquam mundi auram aucupati sumus, in pietate quoque cupimus effulgere; in ipsa modestia superbiam quærimus, pietatis ipsius negotium facimus, in quo melius, quam in reliquis nitescere cupimus: ostentatione tantum alimur: puræ, solidæque virtutes negliguntur, & pro solido ædificio dealbata solum sepulchra ædificamus. Vir bonus, Propheta inquit, Dei legem in suo corde tuetur, neque illum ostentat in manibus. Exteriora qualibet virtutis exercitia sunt laude dignissima; verum nisi ex corde profecta fuerint, externa pietatis specie decipiunt. Pietas, quæ sese oculis prodit, non aliud esse debet, quam latentis indicium; & quomodo nulla fides viva est sine operibus, nulla pietas vera est sine hac fide. *Idem*.

Falsæ devotionis caracter.

Duri, ac imperiosi mores, amoris proprii artificium, cor superbum, elata mens, corporis habitus molles, ac voluptuosi, affectus personati veram quidem efficiunt imaginem plurimorum, qui devoti vocantur: numquam tamen veræ devotionis caracterem efficient. Cum placuerit mundi sectatoribus distinguere eorum defectus, qui se pios esse putant a propriis veræ pietatis caracteribus, videbunt nihil hac esse præstantius, nihil æquius, nihilque magis hominum existimationem, & honorem, quam veram, solidamque virtutem mereri: Fatemur, devotorum defectus veræ devotioni contumeliam intulisse. Quemadmodum, qui religiosam vivendi rationem profitebantur, deprehensum fuit, parum esse mortificatos, sui ipsius existimatione tumentes, propriis sententiis mordicus inhærentes, negotia sua cupidius consectantes, ubi læsi fuerint, ad iracundiam præ cæteris magis pronos, omnibus incommodos, ac ut plurimum ingenii asperi, inhumanique; sensim hæc invaluit consuetudo, ut nonnisi per has nebulas virtus prospiceretur, & prospectus adeo insuavis illius peperit nauseam. *Idem*.

Veræ devotionis caracter.

Undenam impotenter adeo contra devotionem hodie mundus invehitur, ita ut hodie sit argumentum severissimæ impiorum criticæ, & communis omnium fere mortalium censuræ? Inde sane, quod non satis agnoscitur, atque cum exteriori hypocrisi

crisi confunditur, quæ veræ pietati adeo insignem adfert contumeliam, ac devoti nomen adeo infensum efficit, ut aliquando pro injuria accipiatur. Nihil amabilius, nihil honoratius est vera pietate; hæc neque inhumana est, neque inurbana, neque austera, neque aspera. Nequaquam posita est in imprudentis zeli excessu; fastum, atque ostentationem odit; nullis vexatur scrupulis, affectatas ignorat simulationes, & semper sibi constat. Æquitate sibi mentem, cor vero suavitate conciliat, & quo humilior est, eo majorem obtinet reverentiam. Meritum ipsius ex hominum libidine, vagoque conceptu non pendet: solida virtus ejus principium est, Deus unus objectum, & finis. Tantum abest, quod novas consectetur vias, quarum errore decipiatur, ut immo in usitatioribus sui status officiis tutam inveniat viam, qua ad summum perfectionis fastigium contendat. Devotio urbanitatis & elegantiæ speciem non adfectat, sed ne minima quidem urbanitatis munera negligit, & quemadmodum semper cautius, ac diligentius operatur, ita nulla in re deficit. JESU CHRISTI spiritu animata internecinum amori proprio bellum indicit, & in eo semper versatur, ut suos affectus mortificet. *Idem.*

Nullus in terris vitæ status est, in quo nobismet ab illusionibus cavere non debeamus; sed nullus esse videtur, in quo magis sint metuendæ, quam status pietatem profitendi, ibi enim ferme communes sunt. Nihil veræ pietati magis opponitur, quam amor proprius. Hic virtuti aufert, quidquid asperum, austerumque in illa invenitur, nobisque illam exhibet sub ea forma, quæ placet. Illusio nimis crassa esset, si palam affectus aliquis sese proferret, ad quem contegendum amor proprius sexcentos invenit speciosos modos, qui devoti videntur, & ita belle agere novit, ut ipsum naturale ingenium, vel affectio christianarum virtutum personam gerere videatur. Mirum profecto est, quod cum in sexcentis Evangelii locis verus appareat christianæ pietatis prototypus; tamen fictæ illius proponantur imagines, omnes proprii amoris industria delineatæ, qui quidem sese rebus omnibus immiscet, & ubique mutato tantum nomine, idem exercet imperium, vim eamdem obtinet, easdemque irrogat leges. *Auctor recens, & Anonymus.*

Non deest Devotio piorum externa.

Quot devotionem in sola bonorum operum exercitatione præseferunt? Vita abdita, atque interior exsiccat, & extinguit omnem eorum fervorem; tumultu, ac luce opus est, ne langueat; multitudo, rumor eorum excitant devotionem, quæ tranquillitate sopitur. Plura operari gestiunt, & secum præclare actum putant, si sua requies turbetur. Verum parumper hoc serio cogitemus; Numquid mera Dei gloria, proximi charitas, vocationis gratia causæ sunt devotionis adeo activæ, atque tumultuosæ? Quam metuendum est, ne hæc jugis cordis effusio in exteriora semper fit interioris virtutis effectus? Corripitur Martha, quia in agendo nimis sollicita; & tamen cupiendum esset, ut devotio nostra ad agendum æque laudabilibus causis, ac illa Domini ancilla, ageretur. Avertat Deus, quod hic charitatem deterere audeam, & christianum improbare zelum, qui in externa misericordiæ opera sese effundit. Pietas numquam otiatur; sed Spiritus Sanctus eam semper ad agendum movet; secessum amat, & in ipsa quoque actione interiorem collectionem tuetur. Periculum est, ne in sublimi virtute magis famam virtutis, quam virtutem ipsam diligamus. *P. Croiset. Tomo 2. Consid. spiritual.*

Sine mortificatione interiori nulla est pietas: verum hoc effatum amori proprio non placet; ideoque quot ad illud eludendum prætextus, quot falsa præjudicia inveniuntur? Commoda amatur devotio: quidquid mortificationem redolet, & crucem, nimium videtur, & terret. Affectata mollities, sui ipsius amor, suorum commodorum ad delitias usque cupiditas, fastidium rerum earum, quæ nobis minime arrident; monstrosa mundanarum voluptatum piorumque exercitiorum societas; habitualis tepiditas, omnia illusioni huic velificantur. Dummodo spiritualis director adsit, vel sæpe ad confessarium accedamus, hoc satis, superque est, ut nos devotos credamus, & pie hac opinione decepti gravissimas quaslibet imperfectiones toleramus; neque ab illis cavemus, si cum pietatis fama subsistant. *Idem.*

Quomodo falsa devotio ad salutem est periculosa.

Cum falsum nobis devotionis systema concinnaverimus, crassiores imperfectiones negligimus, & status hic eo metuendus est magis, quo magis stimuli tamquam tentationes habentur, & saluberrima consilia tamquam errores, a quibus cavendum sit diligentissime. Nihil perniciosius illusionibus est, ubi de pietate agatur, at nonne dici etiam potest, nihil infrequentius! Ea profecti existimatione, quam fallaci modestiæ, virtutisque specie comparavimus in secura vivimus tranquillitate, licet conscientiæ stimulis torqueamur. Quisnam status hoc infelicior? vera pietas solum est innocentiæ asylum, fallax in inevitabile periculum salutis inducit. *Pater Croiset. Tomo secundo Considerationem Christianarum.*

Devotionis anima, & essentia in vero Dei amore, sinceraque eidem inserviendi cupiditate, consistit; ita ut amor hic regnet in corde nostro, efficiatque, ut Deum creatis quibuscumque rebus anteferamus, melior vitæ nostræ pars ad eum referatur, & hic in nobis præcipuum, ac dominantem affectum constituat. Qui maximam hujus amoris partem habet, hic majorem habet devotionem. Hic autem amor, hæc devotio nequaquam posita est in affectione, quæ ex oculis lacrymarum elicit fontem, & cordis motus ciet; immo neque necessarium est, ut imago humanitatis JESU CHRISTI in nostra imaginatione depicta sæpe in corde aliquem sensibilis amoris excitet motum. Hoc potest quidem pluribus esse utile; sed possumus amare Deum sine hac sensibilitate, ideoque possumus esse vere devoti. Hic igitur amor consistit in amore veritatis, justitiæ, sanctitatis, hoc est Dei justi, Dei sancti, Dei veri; in amore legis illius, & præceptorum ejus; in desiderio sese illis subjiciendi, eaque servandi, & stabilibus, solidis, æternisque rebus adhærendi. *Essaias de morale.*

Quomodo spiritus devotionis sensim amittatur.

Spiritus devotionis triplici ratione potest amitti; scilicet sensim redeundo ad naturæ studia, fallacibus institutis sese corrumpi sinendo, & prava exempla sequendo: Homo Dei spiritu actus, & gratiæ illecebris percitus optima cum voluntate sese devotioni mancipat, seu religionem amplectatur, seu in sæculo vivat. Primum sese penitus Dei servitio devovere, bona opera exercere, serio christiana mortificatione affectibus suis subigendis invigilare proponit; quod quidem sanctissimum est consilium, & ab uno Deo profectum. Sed cum Deus ad eum probandum, quod non raro præstat, sensibiles illi gustus, & consolationes aufert, quibus leniuntur pœnæ, quæ in servitute illius inveniuntur; ille sese videns his suavitatibus, ac cœlestibus consolationibus destitutum, ad terræ solatia revertitur, ac sese inanibus terrenisque voluptatibus recreare contendit. Hinc sibi effingit ideam nimis humilem devotionis, quæ sese accommodat, & longe a primo consilio recedit. Sentit ille quidem redarguentis conscientiæ latratus; at illos dissimulat: non enim audire vult quidquid a se exigat Deus. Ita sese certis cancellis coercens, multo laxioribus, quam quos sibi re adhuc integra constituerat, eam vitæ rationem sequitur, quæ hinc quidem naturæ vim minime inferens, inde vero satis frugi credita eidem maxime arridet. Verum neque in hac persistet diu; paulatim in eum redibit statum, in quo erat, antequam sese Deo devovendi consilium cepisset. *P. Surin. Tomo 2. Dialogorum spiritualium.*

Nimis libera conversatio officit devotioni.

Conversatio, in qua nimis evagamur, plures ad primos errores, veteresque defectus reducit. Statim ac devotus aliquis, licet ad summum perfectionis

ctionis apicem pervenerit, incipit cum proximo, non dicam licentius, & nequius, sed minus caute conversari; statim ac sui in conversatione obliviscitur, neque modestiam satis attente tuetur: devotio illius sensim tepescit, ita ut paulatim amittat, quidquid virtutis fuerat adeptus. Conversatio res est necessaria; ultro citroque cum aliis consuescere opus est; at ibi spiritum devotionis servare difficillimum. Si eo in cœtu, in quo sumus, humanitus inanibus sermonibus, dicteriis, jocisque indulgemus, statim animus noster jacturam patitur. Ex eo conventu dilabimur mente quidem caligine quadam offuscata, corde vero arido; & si hujus generis conversationes frequentiores fiant, omnino devotio tota laxatur, & evanescit. *Idem*.

SUPPLEMENTUM.

Vera virtus peculiares habet notas, ex quibus non cognosci non potest.

FAtendum est veram virtutem illustres quasdam habere notas, ex quibus facile cognoscitur. Lumen est, S. Augustinus ait, quod omnia detegens, seipsum melius detegit; aurum mundum est, quod facile a quibuscumque metallis separatur; Exemplar Autographum est, quod non ita belle exprimi valet, ut ab aliis exemplis non dignoscatur. Fateor equidem inesse virtuti æquivocos caracteres qui fallere possunt; verum non desunt alii certissimi, qui cum illius sint proprii omni vacant suspicione. Humilitas sine adfectatione, charitas sine exceptione, Spiritus lenitatis erga alios, & severitatis in se perfecta, ac realis integritas, uniformis æqualitas in prosperis; tranquilla patientia in adversis, hæc omnia pravis non sunt subjecta judiciis; & illis nemo audet hypocrisis nomen appingere. *P. Bourdalove in Dominicali*.

Vera virtus a falsa distinguitur ex principio, causa, fine.

Vera Christiana virtus a falsa dignoscitur, ex principio suo, quod Deus est, & gratia, quæ illi tribuit valorem, ac pretium; a causa, quæ semper naturalis est, & præbet illi nitorem, quo circum fulget; a fine, qui est placere Deo, & satem suam operari. JESUS CHRISTUS verum exemplum est omnium virtutum, quæ veræ sunt. Sancti vero tabulæ sunt, quæ illum imitantur ad unguem. Ne umquam ex oculis vestris excidant magna hæc exempla. Vultisne cognoscere, an virtus vestra sit vera necne. Ad examen revocate, quodnam sit earum principium, causa, & finis. Ne confidatis in actionibus exterioribus, quantumvis laudabiles videantur, nisi animatæ fuerint charitate, quæ illarum est anima; non aliud sunt, nisi externæ species virtutum. Contendite placere Deo in iis omnibus, quæ facitis, & Dei gloria, JESU CHRISTI, Sanctorumque imitatio, salus animæ vestræ semper sint virtutum vestrarum causa, & finis. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus*.

Cur plurimi videri appetant devoti, ac virtute prædti.

Privilegiis veræ virtutis allicimur; fulgor illius perstringit oculos, & honor qui illam subsequitur, irritat appetitum, ut ita dicam, animæ suapte natura superbæ. Verum cum vera virtus exigat exiguas aliquot violentias, quas sibi quisque debet inferre, ut solidam virtutem assequatur; amor proprius, cui hæc displicet violentia quærit solum virtutis speciem, quæ nitore suo fallit, persona hæc blanda explet superbiam, quin perturbet animi cupiditates, & amori proprio incommodet. Superficialis adfectatur lenitas, fucata modestia, humilitas, quæ in verbis subsistit, & in oris habitu ad fallendum composito. Omnia bona opera, quæ nitent, adoptantur; omnes devotiones, quæ in usu positæ sunt, arripiuntur, & per impiam simulationem, videri volunt, quod non sunt, ut quod vere sunt, lateat. *Idem*.

J. C. horret hypocritas. *Matth. 23.*

Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, ait JESUS CHRISTUS; similes quippe estis sepulchris dealbatis, quæ extrinsecus hominibus formosa videntur, sed intus repleta sunt ossibus mortuorum & omni genere sordium. Ita vos extrinsecus viri boni videmini, & intus repleti estis hypocrisi; & iniquitate. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, pergit Salvator, quia clauditis Regnum Cœlorum hominibus; quia illuc neque vos ingredimini, neque sinitis ingredi eos, qui accedunt, ut ingrediantur. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui solvitis decimas Menthæ, anethi, & Cumini, & qui dereliquistis quidquid in lege præcipuum est, justitiam, misericordiam, & fidelitatem: hæc quidem facienda erant, neque illa omittenda. Duces cæci, qui bibentes incerniculo utimini, ne culicem deglutiatis, & camelum deglutitis. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia extimam calicis partem abstergitis, & intus pleni estis dolo, ac rapina. Progenies viperarum, quomodo iram venturam effugietis? *P. Croiset in anno Christiano*.

Timor ne tamquam hypocritæ habeamur non debet efficere ut a bona semita inflectamus.

Ecce, quod quotidie intuemur nos Ministri JESU CHRISTI, sequestres secretorum animarum, ac sensuum earum. Ecce quod adhortationibus nostris ad animos permovendos aptissimis omnem earum virtutem aufert, & irritum facit ministerium nostrum apud tot Fideles ignavos. Ad pietatem quidem proni sunt; norunt, quid sibi faciendum sit, atque ad id obeundum sunt paratissimi. Nos pro virili eos impellimus, ut suo muneri satisfaciant; nos illis utilitatem, & necessitatem oculis objicimus; videntur ipsi acquiescere dictis nostris, nec non consilium iniisse ea in praxim redigendi; sed ubi primum operi manus est admovenda, funesta ingruit cogitatio, quæ injicit moram. Quid de me loquentur? Credentne, me pietatis causa operari? Sanctissimæ quælibet actiones meæ atro adspergentur veneno; rectæ intentiones meæ in pravum sensum torquebuntur, eæque in risum traducentur. Nonne ita subsistitur in eo statu, ex quo homines emergere cuperent; & ad evitandam hypocrisim vel saltem hypocrisis nomen, & famam, ut ita dicam, in hypocrisim aliam dilabuntur? Si enim hypocrisis est habere speciem pietatis, quin pietas ipsa habeatur; nonne alia hypocrisis est gerere in se pietatis sensum, pietatis æstimationem, ipsamque pietatem, & extrinsecus oppositum prorsus habitum adfectare in speciem damnare, quod intus probatur, & probare, quod intus damnatur; mundi partes suscipere, cum illius corruptio cognoscitur, cum illum secreto perhorrescimus, & ploramus, quod cum illo impliciti sumus; deserere vias Domini, cum illas rectissimas, tutissimasque esse judicamus, & cum felix animi propensio nos ad illas perducit; ut verbo me expediam nos omnino alios ostendere ab iis, qui re ipsa sumus. *P. Bourdalove in Dominicis*.

Vulgo fallimur cum agitur de pietate, ac devotione.

Qui pietatem profitentur, ubi de devotione sermo est, facile decipiuntur. Hanc in exercitiis religionis mere exterioribus collocant. Multæ orationes, confessiones crebræ, sed modicum correctionis. Habetur quidem zelus pro aliorum perfectione, sed propriis cupiditatibus non indicitur bellum. Numquid operam impendimus, ut mores nostros reformemus, animi ægritudines cohibeamus, ingenium emendemus, & nosmet veros, fidelesque Dei servos ostendamus? Numquid serio ad trutinam vitia, in quæ passim labi consuevimus revocamus? Sumusne iracundi, furentes, difficiles, elati? Numquid familiæ nostræ curam negligimus; numquid erga domesticos, & qui nostro subsunt regimini, severi nimium sumus? Numquid morosi, mobiles, fastidiosi? Corrigimusne eas noxas, quæ cum Christiana virtute simul esse non possunt? Correctio nostra certissimum est nostræ pietatis argumentum. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus*.

Oppositi caracteres veræ, & falsæ pietatis.

Discrimen quod solidam inter, fallacemque pietatem invenitur, est, quod hæc adfectat, quod in hominum oculis nitet. Virtutem tantummodo sequitur, ut gloriam consequatur; bonum operatur, ut laudibus cumuletur, & in omni vitæ suæ ratione mundi æstimationem sibi proponit. Id unum quærit, quo apud illum crescere valeat. Ideo secreta

fugit

fugit loca, quæ illam admiratoribus suis subduceret; & semper se profert, ut quocumque effundat fallacia lumina, quæ postquam rudium, infirmorumque perstrinxerunt oculos, illos etiam seducunt. Solida virtus, & pietas vera e contra celat homines virtutes suas, easque mundo, qui illis dignus non est, subtrahit, atque ab omni commercio secernit, ut Deo sint gratiores. Non alios quærit vitæ suorum testes, nisi eum, qui futurus est ipsorum Judex, & præmium, & si quando subducit illos mysticis umbris, quibus tegebantur; & e secretis locis, ubi cum Angelis versabantur, ut cum hominibus agant, imprimit in animabus illorum pium timorem, qui eos tuetur a fallacibus illecebris, quas vel adhibet assentatio per inanes plausus, quibus virtutem extollit; vel quas ipsa etiam vult offerre justitia, ut tribuat quidquid eorum meritis congruit. Sancti nihilominus habent unde utrinque extimescant; quæcumque ipsis deferantur laudes, hæ numquam apud illos suspicione vacant, & seu qui illas tribuunt, justum meritis eorum deferunt obsequium; seu nequitia hac utatur arte ad virtutis eorum faciendum periculum: his non moventur honoribus, & Deo acceptam referentes gloriam, quæ sibi defertur, nihilum dumtaxat sibi reservant. *Auctor recens.*

Mundus contra pios homines furit. Plerumque piis hominibus vitio vertitur, quod in aliis, tamquam egregiæ dotes celebrantur. Si devotus propius domesticis negotiis suis invigilat, spiritus est habendi desiderio tactus: si caute vivit, ac prudentia utitur in rebus suis transigendis; diffidentiæ, & calliditatis arguitur: Si in judicium venit, ut jus suum tueatur; vitiligator habetur: Si amplissimorum virorum rationem habet; assentator est, & politicus; Si prohibet, ne a quopiam opprimatur; jam ultionis est cupidus, violentus, iracundus. Hæ autem qualitates omnes, in eo, qui nullo in discrimine pietatem habet, erunt vigilantia, dexteritas, prudentia necessaria, rei domesticæ cura; sed in pio viro fient litium amor, avaritia, dolus, duplicitas, ita & aliquid fortasse deterius. Ab hoc exigere volent, quod ab alio juste exigi non posse arbitrabuntur; volent, ex quo ille virtutis causam amplexus est, non solum jam quacumque vel levissima labe carere, verum etiam non affici æquissima rerum suarum cura. *P. De la Rue in Quadragesima.*

Ejusdem argumenti. Censores respondete mihi: Devotus nuntium mittat omnibus curis rerum suarum; se, suaque diripi permittat, omni familiæ, filiorumque suorum sollicitudine vacet; nihili ducat existimationem suam; nullam habeat personarum rationem, statim nonne diceretis hunc feris similem esse, imbecillum, indignum vita, & humani generis opprobrium? Quænam igitur vestra libido est, & improbitas? etenim quacumque tandem via sequatur pietatem; vita illius semper est vestris increpationibus obnoxia. Quid illi eas evitaturo reliquum est? nisi ut pietatem abdicet; placitis vestris adhæsurus. Tunc præclaris illius dotibus favebitis, & infirmitatibus ejus suffragabimini, in virtutem convertetis, quidquid in illo vobis odiosissimum videbatur. Erit, licet pluribus diffluat vitiis, bona fides, honor, probitas ipsa, quæ omnia, sententia vestra, longissime præstant pietati. Attamen juxta hanc rationem, mundus contra fideles furit; imperfectiones illorum exaggerans, intentiones illorum veneno inficiens, & in totidem crimina vertens infirmitates eorum ingenio, ac naturæ inhærentes. Si adversum illos non aliæ adferuntur hypocrisis probationes, quam præventiones hujusmodi; probris vestris lædi non possunt, & veri devoti non ita infrequentes sunt, ut arbitramini. *P. de la Rue in Quadragesima.*

Genuina descriptio hypocrisis. Non nisi in morte detegitur. Si videretis hunc hominem simplici indutum veste, facie pallidum, in verbis cautum, in responsionibus modestum, in orationibus suis meditabundum, affabilem cum iis, qui illum conveniunt, inimicum vitiorum omnium, atque incontinentiæ; pauperum egestati consulentem; in prandiis austerum, in muneribus omnibus obeundis sollicitum; ab iis, quæ magnificentiam redolent, alienum; O Sanctum hominem! diceretis; o præclarum virtutum omnium exemplar! Sed si post illius obitum in ejus conclavia adduceremini, ut cognosceretis illum nonnisi in mollibus culcitris recubuisse, præter Asceticos libros, quos ostendere adfectabat, diligentissime alios asservasse amatoriis fabulis, nodisque diffluentes; pro aliquot eleemosynis, quas palam erogabat, contractuum, quibus teterrima usuræ labes adspersa est, singraphas sedulo congessisset; peculiares non defuisse illi aditus, qua fidelis, tutique famuli ministerio pellices ab ipso enutritæ adrepebant: Si Deus vobis hujus hypocritæ cor aperiens ostenderet, hunc non aliud quæsivisse, quam fratribus fucum facere; sub specioso integritatis integumento, avidam ac inexplebilem animam celasse; orasse, ut videretur; jejunasse, & exiguas erogasse stipes, ut licet in speciem adfectata adversaretur modestia, rumor in populum effunderetur; cæterum per mollem, suavemque vitam, quam ducebat, optime novisse reparare damna abstinentiæ suæ, cujus non alia erat causa, quam libido, ac vanitas; redigere creditores suos ad impatientias nectendo moras, & efficere, ut illi de suo abunde supplerent munusculis, quæ ab ipso Templis, atque pauperibus tribuebantur; nonne statim intelligeretis pium errorem, in quem vos fictæ illius virtutes conjecerant? Nonne fatebimini, nonnisi post hominis mortem palam videri posse bonum, vel malum, quod operatus est: *In fine hominis denudatio operum ejus. Eccli. 11.* *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Mundus diserte loquitur de Religione, sed verbo illius moribus ejusdem non consentiunt. Numquam in iis, quæ ad Religionem pertinent, Mundus magis perspicax fuit, & inter illos, qui mundani sunt, plurimos intuemur, qui, vel quia ipsis ita persuasum est, vel ob vanitatem, de sanctis veritatibus sapienter loquuntur. Si eos vides, terrenis tantummodo rebus occupati sunt; si audis, Magistrali auctoritate de cœlestibus decernunt. Mundus flagitiosus est, & diverse invehitur contra flagitia. Delicatus hypocrita in illius ore ponit sublimia, quæ non habet in corde. Multo minus humana ignorat officia; quilibet inde artem sibi confingit, & eloquentissime disserit. Hæc proprie est scientia, & veluti mundi religio familiare argumentum sermonum illius, & otii ejusdem oblectamentum. Ita frustra errores nostros adscriberemus iis placitis, quæ, ut plurimum ita scita sunt, ut in iis, a quibus ostentantur, nihil nisi major in iis sequendis sedulitas requiratur. *Sermo 5. Accademia Anni 1703.*

Si puritas mentis non accedit puritati corporis; hæc sit nobis majus damnationis argumentum. Satis esse non debet mundos esse, & puros corpore: puritas hæc parvi momenti est, nisi comes accesserit puritas mentis, ad quam acquirendam pro viribus nobis contendendum est, si omnino mundos esse desideramus. Quam jure increparentur illi, qui priori contenti de posteriori non essent solliciti; hypocritas esse, qui nihil nisi ad aucupandam perituram hominum existimationem faciunt; solius gloriæ sensu permoveri, ac tandem similes esse dealbatis sepulchris quæ ad Principum, summorumque ducum gloriam attolluntur. Auri nitor, architecturæ magnificentia, ornatuum decor, cælaturæ nobilitas; totum denique opus intuentium admirationem cient; & nihilominus repleta non sunt nisi cineribus, & corruptis cadaveribus. Hoc olim Mundi Salvator exprobrabat Scribis, & Pharisæis: ita illis ostendebat puritatem, & munditiem corporis, sine animæ puritate inutilem esse. A tanto hoc Præceptore discendum nobis est alteram sine altera non inutilem esse tantum, sed nobis esse gravius damnationis argumentum. *Sermo 5. Accademia anni 1677.*

Cum Cœli via sit una, viæ, quas sibi proponunt varia devotorum genera sunt obliquæ. Quot mortales arbitrantur, se recta in Cœlum ituros, pacatam, suavem, tranquillam & sine ulla oppositione vitam ducentes; & altera ex parte quantum fieri potest in pace cum proximo viventes. Quam longe falluntur molles isti Christiani, qui putant se posse sequi JESUM CHRISTUM spinis coronatum, donec incedunt per viam floribus stratam? & sciunt, illos qui passionum laborumque ejus nequaquam fuere participes, neque gloriæ suæ futuros esse consortes. Piis hisce hominibus, qui viam dulcem, ac jucundam sequuntur, adjiciamus eos, qui illusionis, erroris que viam sequuntur. Plures horum species viden-

videntur. Alii perculsi externo Religionis fulgore inhærent magnificæ huic speciei, quæ ipsis placet, cum interim negligunt essentialia ejusdem officia, quæ illis incommodant. Alii in speciem magis spirituales, sed reipsa parum illuminati; condemnant primorum crassitiem, a fidelium cœtibus procul absunt, contemnunt omnes pias exercitationes, quibus alitur pietas. Ut Deo in spiritu, & in veritate serviatur, cuperent a Religione amputari augustas ceremonias, quibus efficitur adeo venerabilis. Asserti hujusmodi spirituales non sunt tamen omnium periculosissimi; sunt etiam quorum errores magis pertimescendi sunt. De recentibus contemplationi deditis loquor, qui commentitiæ perfectionis superbo conceptu pascuntur; homines, qui semper hærentes Deo credunt sibi opus non esse mediatore, vel Evangelio; homines, qui sese recipientes in superiorem animæ suæ partem, sedem perpetuam, ut ipsi dicunt, gratiæ, & veritatis, non dignantur amplius regere motus partis inferioris, eamque in cupiditatum omnium prædam relinquunt: homines, qui in spirituali vita se invenisse putant secretum, quod ipsum fugerat Dei Filium, videlicet intrinsecus servandi cordis puritatem, sese tradentes omnibus naturæ corruptionibus: homines denique, qui in omnia sese immergunt &c. *Sermo secundus Accademiæ 1695.*

Insanire est velle Dei negotia cum negotiis mundi cōciliare.

Non desunt in mundo politici devoti, qui sibi plaudunt quasi mediam invenerint viam ipsis nequaquam molestam, sese Deum inter, ac mundum partientes: qui alteri quidem placere volunt, quin alteri displiceant, & qui fortunam cum virtute conciliare conantur. Ne speretis vos visuros in his nobiles illos, ac generosos sensus, qui fructus sunt fidei constantis, & generosæ. Non admodum in Cœlesti ope confidunt, & ne quid periclitentur in bono, quod agunt, cum Providentia paciscuntur. Videbitis sæpe illos facere, ut prorsus humanis considerationibus cedat, quidquid in Religione Sanctissimum est. Tamen si eos auditis, nihil eorum agendi ratione æquius est. Omnia apud illos ad Sanctuarii pondus appenduntur; nihil est in actionibus suis, quod a ratione, sapientiaque abhorreat. Timor illorum prudentia est; inanis eorum pavor est circumspectio. Opus est ut zelum suum insigniant in conatu quodam Deo quidem glorioso, Ecclesiæ vero periculi; quot non prætexunt causas, ut secum dispensent. Illi sibi dicunt nimiam festinationem esse vituperandam; in rebus magni momenti nihil esse periculo objiciendum; & quærendam esse certitudinem auxiliorum, quæ deficere possent. Ad examen revocant, deliberant, ambigunt, & ratiocinationes circum undique non vident nisi obices undequaque, nisi absurda, nisi difficultates. Verentur, ut se committant, impediantque iis rebus, quæ sibi negotium facessant; ut sibi provocent inimicos, verbo, omnia, præter Deum unum formidant. Gloriæ Dei curam deferunt, utque ei servientes sibi parcant, nihil propter illam exequuntur. Neque ideo dixerim non esse prudenter consulendum in iis, quæ propter Deum aggredimus; sed timida politica a prudenti moderatoque zelo abest longissime. *Ibidem.*

Timendū est, ut ad mortem perveniamus eam sequentes viam, quæ ducit ad vitam.

Quotuplices vias ingrediuntur homines, quin earum pericula norint? Vias superbiæ, & ambitionis; vias suaves, & commodas; vias illusionis, & erroris; vias cautionis, & politicæ; vias pertinaciæ, & cupiditatis; vias, procul dubio periculosissimas, quia per illas inceditur contra Dei voluntatem; quia gressus omnes, qui in illis fiunt totidem sunt lapsus, quia juxta Sapientis sententiam, deducunt tandem ad mortem. Sed quomodo malum hoc evitandum est, ubi semel has vias ingressi fuerimus? In iis cum voluptate percurritur, quia quisque suum sequitur studium. In iis cum securitate ambulatur, quia quisque putat se rectam tenere viam, & in viæ exitu sperat se inventurum locum deliciarum, & quietis. Funesta persuasio, fatalis error, qui hominem ad supremam adducit infelicitatem per viam eamdem, per quam se ad supremam credebat felicitatem perventurum. *Ex eodem sermone.*

Superbia falsæ de-

Facilius est insignem peccatorem ad Deum revocare, quam pseudo justum convertere. Ille sentit suam infelicitatem, hic non item. Ille seipsum condemnat; hic semet propriis manibus coronat. Ille nonnumquam imitatur Publicanum, & per humilem criminum suorum confessionem Dei misericordiam promeretur. Hic Pharisæo similis, texit sibi elogium, vel apologiam, & per superbiam judicium terribile sibi conflat. Ipsæ etiam virtutes suæ nonnihil conferunt ad eum decipiendum. Perstrictus fulgore alicujus actionis piæ, sibi complacet, magis magisque inhæret sensibus suis, & adorat quodammodo suas cogitationes, cum interea extrinsece veri numinis adorator videatur. Ita ad examen non revocat quinam sit status suus, de alieno tantum sollicitus, pro aliorum conversione precatur. Quod ad ipsum pertinet, securus gratiæ, non laborat petiturus a Deo ea lumina, quæ de mentis humanæ erroribus triumphant. Non clamat cum Propheta: *Notam fac mihi viam, in qua ambulem*, cumque non elegerit ut beatus ille Princeps viam veritatis, inscius currit incertum interitum. Tunc omnis curationis spes illi adimitur; tunc non cogitatur amplius de judiciis suis, moribusque reformandis, & de redeundo in rectam viam. Nullus amplius timor est, nulla anxietas, stimulus nullus. Conscientia, quam magnus quidam Episcopus cordis Evangelium, & gratiæ echo appellat, ne verbum quidem profert. Præsenti contentus, de futuro non sollicitus fruitur animus plena requie, perfecta securitate. Status funestus, ubi amor proprius in anima regnat, omnes illius motus regit, eamque per viam suavem, ac facilem ad miserrimam mortem adducit. *Sermo secundus Accademiæ anni 1695.*

votionis ut plurimū comes efficit, ut vix homo possit converti.

Psal. 142.

Descriptio falsæ devotionis.

Quomodonam fieri potest, ut humana mens sit ita ad se fallendam apta, & industria? Magnis abstinere sceleribus, sibi ea, quæ nitent, solatia interdicere, modestis uti indumentis; compositum oris habitum præseferre, per intervalla piis cœtibus interesse; quærere tamen omnia tranquillæ conditionis commoda; sine intermissione contendere ad extruendum inter se, & dolorem, propugnaculum, quod omnis humanarum rerum inconstantia nequeat evertere; necessaria sibi putare, quæcumque mollitiei spiritus excogitare potest: hoc apud pseudo devotos audit, vitam ducere christianam; hoc falsi directores putant sibi tantum licere, aliis autem non item; quia opus habent, ut ajunt, suimetipsorum curam gerere, ac sibi propter proximi salutem consulere. Quam funesta illusio! quam horribilis cæcitas! Asserta illorum pietas oblectatur rebus tantum externis; gaudet palam prolixas orationes habere, bona sua superbe pauperibus erogare, quin alium præterquam vanitatis fructum inde percipiant. Plaudunt sibi quod in oculis propriis sapientes sunt, & in seipsis prudentes. Denique secundum justitiam se agere arbitrantur, cum etiam rem suam quærunt, & propriæ voluntatis suæ complementum. Quid hac præventione est iniquius? *Sermo tertius Accademiæ anni 1695.*

Inveniuntur Pharisæi inter Salvatoris discipulos æque ac in Synagoga.

Si hujus sæculi Pharisæi rite coram Deo cogitarent, quænam sint opera, de quibus gloriantur, seipsos agnoscerent in ea tabula, quam Salvator olim proposuit de Scribis, & Pharisæis legis antiquæ, quibus tanta erat cura servandi Traditiones humanas, & Dei præcepta observare negligebant. Fatendum illis esset infinitum adesse discrimen inter apparentem eorum justitiam & solidam virtutem eorum, qui vere sunt Servi Dei. Cur enim non putant eam, quæ Pharisaica pietas vocatur, esse phantasma, quod lex nova dissipaverit? Viget, hodierna die viget adhuc, & fortasse producit in illis effectus magis periculosos, quam in Pharisæis Synagogæ. Tanta est eorum miseria: sibi complacent non solum in iis, in quibus aliquem habere possunt locum semet inquirendi, sed in illis, quæ magis contemnere, & odisse deberent. Semper suimetipsorum contenti, semper ad gloriandum parati nullum in operibus suis errorem deprehendunt. Dummodo aliquam extrinsecus speciem servent, dummodo de articulis fidei non dubitent, & extrinsecus divino cultui adhæreant, insignem sibi sanctitatem adesse gloriantur. Quid funestius hac via, quæ illis recta videtur? Sicuti

illi

illi nequaquam secuti sunt Dei Filium, quæ unica via est, quæ ducit ad vitam, deerraverunt, & Deus iste terribilis, atque ultor scelerum illos teterrimo suppliciorum omnium torquet; videlicet hac deplorabili cæcitate, quæ est pœna peccati; & ita via hæc quæ illis justa videtur, illos ad mortem adducit. *Sermo tertius Accademiæ anni 1695.*

Quam difficile sit errorem exuere quo implicitus es, & quare.

Tale est periculum fallacis hujus viæ de qua loquitur sapiens; nihil difficilius relinquitur, quia nihil majores habet vires ad allieiendum. Lata est, & late patens; in illam cum omni fastu ac pompa mundi licet ingredi. Suavis est eam sequentibus; cor quin in omnimodam erumpat licentiam libere illic agit ad suorum desideriorum arbitrium; violentia, quam sibi quisque inferre debet; extorris est. Pœnitentia illic invenitur vel omnino neglecta, vel æque blanda ac scelus; & si crimen, & injustitia illic non dominantur, id usuvenit, ut pacatius ad virtutis umbram melius frui liceat erroris illecebra, & melius fovere illusionem, quam quisque imbuit de suæ salutis negotio. E sane si in hujusmodi viis palam grassaretur scelus, nulla ibi securitas inveniretur; nulla ibi spes collocaretur; & nemo inde peccati horrore dimoveretur. Sed asserta vitæ honestas, infelices virtutum species nos illic confirmant, ac figunt. Prætexentes in ea vita nihil esse criminosum, nihil nefarium, nosmet devovemus inertiæ, ac mollem; non secus ac mundanam, vitam ducimus; curis, & sollicitudinibus sæculi occupamur, non secus ac in negotiosæ vitæ tumultu, Prætexentes nihil esse injustum, vel impium, vel etiam ibi extrinsecus adimpleri vitæ civilis, & Religionis officia; tutos esse credimus sub umbra inanis hujus famæ pietatis, & honestatis; quasi Deus nonnisi in insignes peccatores animadverteret, vel e regno suo expulsurus non esset nisi quos hominum dumtaxat judicio damnati sunt. *Sermo Quartus Accademiæ Anni 1655.*

Falsæ pietatis imago.

Virtutem ex libidine amare, quin statim virtus omnis intendatur ad ingenium suum corrigendum, amare virtutem per otii amorem, non ut nosmet Deo devoveamus, sed ut mundum evitemus, ac sua officia evitare, non quod periculosa sunt, sed quia molesta, virtutem amare per conspirationem, & mordicus adhærere illis, qui electi fuerunt tamquam oracula cæteris quibuscumque vitis bonis posthabitis; esse virtute præditum per statum, & non solum secundum statum suum, quasi devotio ex se sola peculiarem statum efficeret qui te deberet subtrahere functionibus cæterorum statuum, teque inutilem reddere mundo reliquo: devotionem usque ad superstitionem extendere, quin utriusque limites dignosci valeant; devotioni addere singulares usus, affectationes, atque ridiculas vanitates: mixturam facere superbiæ, & humilitatis; parsimoniæ, & prodigalitatis, licentiæ, ac pœnitentiæ, serietatis, & lætitiæ; devotionem habere curiosam, inquietam, & imperiosam: sibi persuadere, devotionem conferre jus sciendi omnia, sese omnibus immiscendi, & de omnibus disceptandi; devotionem tamquam fortunæ suæ instrumentum statuere, atque ut omnia verbo complectar illum in artem redigere; hæc falsæ pietatis imago est, vel ut melius dicam, imago pietatis chimæricæ. *P. De la Rue in Adventu.*

Ejusdem argumenti.

Hypocrita homo est, qui suis meritis ebrius nitescere quærit, amplectens omnes publicas bona opera efficiendi occasiones; secretas vero negligens; religioni sibi vertens ea, quæ permissa sunt, condemnans ea, quæ nullo sunt in discrimine, quin fugiat ea, quæ criminosa sunt, nisi vereatur, hoc in vulgus proferendum. Liberalis est erga pauperes, creditoribus durus, zelo ardens pro aliorum salute, in sua vero negligentissimus; qui sibi vitio verteret palam ridere; & secreto detrahere nihil ad religionem pertinere putat; qui querulo vocis tono, non sine risu composito proximi sui existimationem discerpit. Homo est, qui ostentat jejunia sua iis diebus, quibus jejunare non tenetur, quin tamen ea servet, quæ de præcepto servanda sunt; qui sese per humilitatem attollit, & per superbiam despectum reddit, qui per austoritatem punit, & per eleemosynas restituit. His omnibus signis adde hæc etiam; amorem erga seipsum; sexcentas modicas curas, ut consulat valetudini suæ tamquam reipublicæ pretiosæ; luxus quidem horrorem, sed exquisitissimæ elegantiæ sollicitudinem, simplicitatem, ubi nihil deest, quod commodum censetur, & quæ sine magnificentia ea quærit, quæ intelligenti rerum existimatori maxime sapiunt. *Abbas Boileau in delectis sententiis.*

Vera pietatis imago.

Verus devotus talis non est neque per statum, neque per libidinem, neque per simplicitatem. Si non negligit modica; his vacat, postquam majora observaverit. Suo inhæret muneri, & alios proprio vacare sinit. Illos non prius lacrymis prosequitur, nisi antea seipsum fuerit prosecutus. De veritatibus Religionis certus sese coram Deo humiliat, timet, sperat, amat diligens in obeundis muneribus status sui, quæ cæteris quibuscumque præfert, in hoc præcipuam suam statuit devotionem, ut illis rite perfungatur; in honore habens illos, qui exercent consilia, præceptis obtemperant. Sine partium adfectatione conscientiam suam ponit inter manus alicujus ministri Dei, & sæpe, quin teneat methodum orandi juxta regulas, aperit Domino varias necessitates suas, illas vero animæ præsertim, & ab eo enixe quidem, sed simpliciter gratias sanctificationi suæ maxime necessarias precatur. Secreta oblectatio in suavitate dilectionis, quæ mere sensibilis est, & exterior contritio, quæ nonnisi oculorum madore se exprimit, illum non fallunt. Omnia temporibus suis facit, & nihil in eo inordinatum reperitur. Hic fortasse in mundo non habetur devotus, quia non quærit ea, quæ communia non sunt; sed nihil magis timet, quam ut quæ communia sunt prætermittat. Ex his indiciis nonne vera devotio dignoscitur, & quid in illa potest inveniri ridiculum? *Abbas Boileau in delectis sententiis.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Verus devotus talis videri non vult; non aucupatur ille occasiones sese humiliandi, sed obviis utitur. Lætatur cum amicis, quin officiat fratrum suorum existimationi; hos excusat, ubi illi integrum est, illos monet, cum tenetur, & impiorum irrisiones condemnat ea tristitia, quam vultu præsefert, ac illorum detractiones refellit, illas audire abnuens, vel minime eredens. Si ab aliquo læditur, quærit illi beneficia pro injuriis rependere; has obliviscitur potius quam ulciscatur, & non adfectans contemni, ubi contemnitur, gaudet. Oblatas sibi laudes respuit, quin majores sibi promereri velit sub specie repulsæ, quæ placet: Officiosus erga amicos, nonnumquam etiam usque ad periculum bonorum suorum, & libertatis, dummodo nullum adsit periculum conscientiæ suæ; nihil prodigens, nisi beneficia, & valetudinem suam; œconomus inde familiari, præterquamquod in eleemosynis quas de suis erogat bonis: suo muneri intentus, temporis sui custos, domi cum servis familiaris, extra modestus, atque affabilis, orationi deditus sine indecora labiorum deformatione, assiduus in Templo, quin illic videri appetat, Deum laudat ubique, illum super omnia colit, eique quidquid in vita sibi acciderit, benedicit. *Idem.*

Qui impiis ansam præbent abrogandi fidem devotioni.

Talis est naturæ nostræ corruptio, talis est christianæ virtutis præstantia; pro una pietate perfecta, plurimæ inveniuntur vitiosæ; pro una, quam charitas animat; sexcentæ sunt quas urbanitas format, singularitas imitatur, hypocrisis simulat, superbia corrumpit, cupiditas fovet, vanitas ostentat (Cur enim dissimulanda sunt vitia, quæ vera pietas condemnat?) Ille mobilis, & incommodus est in sua devotione, & vult omnes in partes accedere illius ægritudinis, quam sibi sua vitæ sanctitas adfert: Alter suis frænum injiciens cupiditatibus linguam coercere non potest, & a crimine abstinens occupatur in criminibus aliorum enarrandis: Mulier inter varia pietatis officia sibi diligit ea, quæ ipsi maxime arrident, eaque etiam antefert domesticis omnibus, & maxime necessariis officiis, & cæteris noxis, quibus scatet non ferendam adjicit præsumptionem. Ecce quo pacto impietas viam invenerit pietati fidem abrogandi. *Abbas des Alleurs.*

Nota ex quibus cognoscitur utrum vere devoti simus. S. Bern.

Vin' cognoscere, S. Bernardus ait, utrum sincere devotus sis? *Attende solerter quid diligas, quid metuas, unde gaudes, aut contristeris.* Unum Deum dilige, vel si quid amas praeterea, propter Deum ama. Unum illud metue, ut Deo displiceas, vel si quid aliud metuis, propter Deum metue. In Deo tantum laetare, vel si quod aliud objectum tibi laetitiam adfert, intuere illud tamquam illecebram qua utitur, ut te ad seipsum alliciat. Ne doleas nisi ob Dei jacturam, sive ob personalia tua crimina seu ob aliena, vel si quae te alia torquet jactura, respice illam tamquam tentationem, quam ille disponit, ut te emundet, & sibi te propius adjungat. *Ex morali Dictionario.*

Variae qualitates hominis vere devoti.

Hic non congerit opes, ut locupletetur, sed ut de aliis benemereatur; studet, non ut doctior fiat, sed ut fratribus se utilem praestet. Non sibi potens est, sapiens, cordatus, sed ut Dominum eo cultu prosequatur, qui majorem illi conferat gloriam, sed ut proximo majori cum aedificatione & fructu deserviat. Quamvis habeat columbae simplicitatem, non ideo serpentis caret prudentia; novit etiam ex peccatorum vitiis proficere; & corruptiorum mortalium iniquitates illi documento sunt, ut virtutem suam ab omni eorum nequitia praestet incolumem. Primus bajulat totum pondus illius jugi, quod aliis imponit, & sicuti verborum zelus inutilis est, nisi regatur zelo operum; ipse prius opere complet, quod mox aliis persuadet. Quotcumque habeat inimicos, ipse nemini est inimicus: sui, suorumque compos sensuum inter injurias, quibus lacessitur, non parcit solum, sed eas quoque oblivioni tradere conatur. Lenitas, patientia, innocentia, sinceritas, hae sunt artes illius, haec tota vitae ratio. *Idem.*

Quatuor species hypocrisis, & falsae devotionis.

Sancti Doctores quatuor hypocrisis genera distinguunt; simulare bonum, quod non est; dissimulare malum quod est; verum bonum exaggerare; & malum etiam cognitum excusare. Hinc judicemus, an mundus repletus sit hypocritis, quamvis quilibet privatim jactet sinceritatem, & plurimi etiam pietatem. Quonam hodierna die evasit haec virtus, quae ab aliis exigitur; & quam omnes se habere gloriantur? Exulat fere ab omni corde, ac illius dumtaxat nomen retentum est. Utinam nullus eorum insit nobis hypocrisis character, quos memoravimus! Profecto potest hypocrisis nobis hominum laudem & existimationem promereri, qui alioquin nos perhorrescerent, si tales, quales sumus agnoscerent. Sed nullone in discrimi ne habemus in caput nostrum Domini iracundiam convertere? *Simulatores, & callidi provocant iram Dei. P. Segneri.* Isaiae 58.

Deus haud aegrius fert hypocritism, quam Princeps nummos adulterinos.

Nullus est Princeps, qui adulteratos nummos ultro citroque in Regno suo adhiberi patiatur: Sed accuratius hoc scelus coercet, si aurum fuerit adulteratum; cum enim aurum sit metallorum omnium praestantissimum, tunc majus est reipublicae detrimentum. Hoc ipsum dicendum est de dissimulatione, quae in devotionem, & sanctitatem obrepit. Deus satis raro permittit, ut qui sibi genus, scientiam, existimationem vindicant, minime detegantur quinam vere sint, in calumniae poenam, sed longe infrequentius impunes abire sinit hypocritas, qui sanctitatis personam audent induere. *Idem.*

Suscitat Deus illuminatos homines, qui personam auferunt hypocritis, qui pietatis velo se tegunt.

Cum isti sycophantae sub specie virtutis, qua nihil sanctius est, in mundo existimationem adepti sunt; suscitare gestit Deus illuminatos viros, qui hypocritis personam auferunt, pudore illos suffundunt, apud homines de gradu celebritatis dejiciunt, qui illos omnibus spoliant fructibus dissimulationis ipsorum; & permittit, ut criminum suorum dent poenas. *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum ... ne revelet Deus absconsa tua, & in medio Synagogae elidat te: quoniam accessisti maligne ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo, & fallacia.* Eccli. 1. Odium ergo, quo Deus simulatam insectatur virtutem, efficiat, ut imposterum illam oderimus. Nonne haec satis valida est ratio nobis immittendi spiritum rectitudinis, & simplicitatis, in omnes intentiones nostras, & corda? *P. Segneri in Meditationibus.*

Deus odit hypocrisim, & quid illam odibilem faciat.

Nihil Deum magis ad iracundiam, & indignationem excitat, quam hypocrisis. Ita JESUS CHRISTUS cum nullo peccatore durius egit, quam cum hypocritis, uno tantum in sermone octies, vel decies dicit illis anathema. Vae vobis dealbata sepulcra, progenies viperarum, filii tenebrarum, insipientes, qui contenditis Deum simulatae pietatis esse contentum. Stulti, qui fecit quod extrinsecus est, nonne & quod est intrinsecus, fecit? Crimen hypocritarum est quod licet peccatores sint, justos videri appetunt. Ita monstra sunt in Christianismo, S. Augustinus concludit; volunt enim simul duo maxime contraria conjungere; vitium videlicet, & virtutem, superbiam, & humilitatem, abstinentiam, & intemperantiam, mollitiem, & mortificationem, veritatem, & mendacium, charitatem, & odium, rectitudinem, & duplicitatem, devotionem, & licentiam, religionem ipsam, & odium religionis. Haec monstrosa est commixtio, cujus causae sunt cupiditas, inanis gloria, & secreta cordis nequitia, quam horret Deus: *Abominabile Domino cor pravum.* Prov. 3. O Deus veritatis! Quales hodierna die sunt in oculis tuis Christianorum plerique? habesne inter illos sinceros adoratores! O saeculum, quo hypocrisis, & Pharisaeismus dominatur, & quo virtus exterris est! Preserva me, Domine, ab adeo generali contradictione: cor mundum crea in me Deus, cor rectum, quod te adoret, & diligat in veritate. *P. Segneri in Meditationibus.*

Hypocritis Deum ad iracundiam provocat. Job 36.

Tota quorumdam mortalium cura est adfrectare virtutes, quas non habent, vel saltem mundo ea crimina abscondere, quorum nomine insimulantur. Id genus peccatores non solum divinam merentur iram, non secus ac alii, qui peccant; sed, ut Sanctus Job ait, illam provocant, & in se convertunt. Provocant iram Dei. Neque enim peccant, vel cognitionis defectu, vel primo cupiditatis aestu; sed meditate, data opera, & cum audacia, quae tandem provocat, ut ita dicam, iram Dei. *Appropinquare Deo volunt*, inquit Propheta; audent Sacris Ecclesiae mysteriis accedere: socios haberi volunt in Christianis quibusdam coetibus, qui per pietatem suam maxime florent; sanctis etiam professiones amplectuntur, quasi essent seduli divinae legis observatores: *Quasi gens quae justitiam fecerit.* Isai. 58. Ibid. Numquid ergo sperant se Dei oculos fallere posse? Scelestus potest quidem apud homines Sanctus haberi, quia homines non judicant de rebus nisi ex specie externa; sed Deus renes nostros scrutatur, & corda. *Idem.*

Impii devotionem irrident.

In hac generali morum corruptione, quae universum terrarum orbem repleverat, quid non dicebatur contra insignem Noe, ejusque familiae virtutem? Imbecillus homo est, ajebant, qui undequaque scandalum arripit, & visionarius est. Cur non vivit, ut alii? Cur odiosa singularitate inter caeteros quaerit eminescere? Cur haec reformationis, atque regularitatis species? Numquid nos salvari non cupimus aeque ac ille? Numquid unus ille electus erit? Cui bono inania haec terriculamenta? Si Mollis, & delitiis affluens vita quam ducimus, malum esset, numquid omnes adeo universe illam sequerentur? Quid capularis hujus senis minae significant? nonnulli dicere poterant; numquid unus ille praepositus fuit reformationi generis humani? Cur caput suum floribus non coronat, uti nos? Cur sibi pleraque solaria, & oblectamenta nostra interdicit? Cur sua vivendi ratione nostrum damnat luxum, choreas, & opulenta convivia? Cur vetat ne filii sui nostrum sequantur exemplum, nostrisque voluptuaribus coetibus intersint? Quot vero aculeatae irrisiones super operibus, quibus vacabat? Quot mordaces joci ad arcae conspectum? Omnibus nobis pereundum est, insigni sarcasmo dicebant impii. Noe, filiique ejus in pietate sua soli tutum invenient perfugium; frugi eorum, & sancta vitae ratio nimis a nostra dissentit, ut non sit meliorem sortem habitura. Ita hodierna quoque die irrident plurimi, illi omnes videlicet, qui vitam ducunt parum frugi, & parum Christianam. Sed ubi sereni dies, quibus insipientes illi temporibus Noeticis abutebantur caligare inceperunt: cum Coelum irritatum coepit hos torrentes effundere in terras; cum ira-

iratum mare non se continuit amplius intra cancellos suos, & aquæ oculis inspectantibus terrorem, mortemque ipsis etiam montium jugis inferebant, quid accidit irrisoribus illis, & quonam illorum cessere irrisiones? Numquid Noe ab universali ea colluvione incolumis visus est illis imbecillus, ac visionarius? Numquid commiserantes illum in arca sua respiciebant, quemadmodum illum fuerant commiserati intuentes eum suis voluptatibus expertem? Crediderunt ne illum stulte operatum fuisse, non vivendo ut ipsi vivebant, & juxta ipsorum exempla sese voluptatibus minime proluendo? Numquid singularis, vel ut melius dicam, regularis ejusdem vita cecidit ipsi in dedecus. Jurene infelicies illi ejus exemplum minime secuti sunt? Ita bonis viris justitiam aliquando redditurі sunt, qui ad hanc quoque diem modestiam pietatemque illorum vertunt in ludibrium. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Utrum devoti simus intelligi satis non potest nisi ex nostra cum Sanctis similitudine.

Quam enorme discrimen inter nostram hanc assertam virtutem, & illam Sanctorum! Sæpe nobis pietatem non deesse, nobis blandimur, quia illam aliquo habemus in pretio. Christianæ virtutis amorem accipimus, quod sæpe simplex est pretii, & metiri ejusdem cognitio. Volumusque dignoscere, utrum vere devotionem habeamus? De hoc potius ex sensibus nostris, vitaque ipsa judicium feramus, quam ex sterilibus desideriis nostris. Heu! quam longe a vera pietate distamus, cum acres adeo sunt adhuc in nobis cupiditates; cum adhuc illæ in nos dominantur. Numquid devoti sumus, cum adeo parum humiles sumus? Cum adeo sumus immortificati, adeo superbi, adeo molles? Sumusne devoti cum in omnibus nil quærimus nisi commoda nostra? Sumusne devoti, cum alienis meritis invidemus? Cum sumus ultionis cupidi, parum alienis infirmitatibus compatientes, parum sinceri? Sumusne devoti cum sumus avidi, ambitiosi, difficiles. *P. Croiset.*

Morum mutatio tutissimum est veræ pietatis argumentum.

Cum status sui negliguntur officia; frustra gloriatur aliquis omnium operum bonorum se esse consortem. Cum adeo parum mortificatus est, adeo proprio sensui inhærens, adeo difficilis, & asper, certissime parum devotus est. Homo hujusmodi adeo morosus, impatiens, acerbus, cui nihil injucundum potest accidere, quin ejus mens, & cor acescat; quin atra bilis excitetur; hic homo semper tristis, ad ignem concipiendum semper paratus, facilis ad irascendum numquam fere acceptæ obliviscitur injuriæ. Mortales hujusmodi habere quidem possunt pietatis intervalla, sed jure arbitrari non possunt se pietatis habere virtutem. Multum inanis speciei pietatis, quæ extrinsecus fallat; sed multum hypocrisios intus. Frequens Sacramentorum usus expeditissima est ad virtutem acquirendam via; sed ubi cupiditas vividæ sunt, cum post toties repetitam exomologesim, & synaxim æque, ut antea sumus imperfecti; frequens hic usus nequaquam est virtutis veræ argumentum. Errorem abjiciamus; Si nos Sanctis similiter esse oportet, in iis, quæ facimus, illorum imago inspicienda est; aliter, virtutis hæc mera species est, ac superficies; & larva virtutis. Quam longe absumus ab eo statu, in quo sunt animæ veræ virtutis amantes. Fateamur nobis nil virtutis inesse, quamvis illius habendæ verum nobis insit desiderium. Petamus a Deo gratiam hanc, ut imposterum prorsus alia sit vitæ nostræ ratio, dummodo videre possimus, non omnino vana esse nostra veræ virtutis desideria. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Cum de devotione agimus, homines quidem fallere possumus, non Deū.

Deus attendit solum ad eam causam, propter quam illi servimus. Homini, dicit Propheta, satis est externa species, quæ fallit; *Deus autem intuetur cor*; & quantumvis dissimulatæ sint causæ nostræ, quantumcumque impeditæ sint nostræ intentiones: ille explicat omnia, & perfecte omnes ambages nostras intelligit. Serviamus Deo cum simplicitate, & cum corde recto, atque sincero. Ne fidamus studiis nostris, consiliis, cordi. Devotio nostra sit pura, simplex, & humanis expedita rationibus, quæ omne illius auferunt pretium. Studeamus adorare Deum, diligere Deum, servire Deo in spiritu, & veritate. Purificemus intentionem nostram non solum mane propter diem totum, verum etiam initio singularum actionum. Omnem humanum respectum horreamus. Honesto, & Christiano viro nihil indignius est, quam ubi de Religione sermo est, ob humanas causas operari. Deus unus meretur totum cor nostrum: Deus unus esse debet merces nostra; igitur propter Deum tantum agamus. *P. Croiset Tomo 1.*

Pseudodevoti potius mollitiem, quam pietatem sequuntur.

Quot hodie mortales inveniuntur, qui sub pietatis persona vitam ducunt mollem, inertem, otiosam, quibus asserta devotio conferre videtur jus in ipsa inertia, & otiositate vivendi. Nomine tenus devoti illas tantum æstimant laudes quæ mortificationi, ac pœnitentiæ tribuuntur. Nihilominus vitam tantummodo suavem, atque tranquillam requirunt. Mollitiæ nomen illis odio est, sed sæpe molles sunt usque ad delicias. Prætextus valetudinis, quæ ipsis necessaria videtur, eos confirmat, & amoris proprii artificium adeo callidum est, ut sæpe omnia Deo dare arbitremur, cum nihil nobismetipsis negemus. Hinc juges illæ curæ de iis quæ ipsis commodare possunt, vel displicere. Hinc immodica illa sollicitudo in iis, quæ sibi deberi opinantur; adfectata in moderandis laboribus diligentia, quos semper secundum libidinem suam, amoremque proprium metiuntur. Hinc tandem vita illa mollis, iners, immortificata, morosa etiam, quæ veræ pietati est contumeliosa; & quæ efficit, ut protervi homines dicant devotos delicatissimos esse, superbissimos, inertissimos, asperrimos, difficillimosque. Numquam profecto vita mollis vita Christiana fuit; cur ergo vocandi sunt devoti, qui rem, honoremque suum tantum inquirunt, & qui sub composito oris habitu vitam ducunt animalem permittentes mollitiei, quidquid illam decet, & quidquid illam fovere potest. *Croiset in Asceticis Exercitationibus Tomo 1.*

Hypocrisis repit etiam inter claustra & solitudines.

Fallax devotio ita in omnes status, omnesque conditiones irrepit, ut ea ne claustra quidem vacua sint; seipsam tegit quadam vitæ austeritate, & in deserta penetrat ab hominum societate quam remotissima. Religiosus ergo status ab hac labe immunis non est. Amor proprius nos quocumque comitatur, & licet obstet instituti severitas, professionis sanctitas, Regularumque rigor, callet viam resarciendi coactam necessitatem, atque regularitatem. Utitur temperamenti gracilitate, prærogativis ministerii, nominis, dignitatis, ætatis quoque, ut mollitiem insinuet; & nonnumquam, seu per favorem, seu per dexteritatem pro vita laboriosa, mortificata, & pœnitente, ducitur vita mollis, ac iners, quam coacta tolerat indulgentia, sed quam Deus damnabit, & puniet. Quam igitur timendum est Religiosis æque ac laicis ut pietatem suam in pravo conscientiæ principio constituant! Tunc enim adeo hilariter, atque constanter peccatur, ut difficile sit, quod vitæ ratio unquam mutetur. *Idem ibidem.*

Exemplū hypocrisis in persona Pharisæorum.

Mala doctrina semper metuenda est, potissimum cum illam compositus oris habitus comitatur Hypocrisis etiam perniciosum fermentum est, quod optimas quaslibet actiones corrumpit. Quot enim bona opera Pharisæi inutili labore efficiebant? Cum enim illa non facerent, nisi ad hominum existimationem captandam, nullam a Deo mercedem expectare debebant? Quot bona opera in illis fiebant mala, neque enim aliud habebant principium, quam superbiam, quam cupiditatem hanc a S. Augustino vocatam malorum omnium originem, quemadmodum charitas est radix omnium bonorum? Cavendum est ergo a fermento hypocrisis, nec permittendum, ut nos fallant hypocritæ, vel per hypocrisim corrumpamur. Adfectatam sanctitatem repellamus, nobisque timeamus desiderium, quo opera nostra laudibus excipi gestimus; quippe timenda est nobis qualibet licet secreta, ac interior oblectatio, reminiscentibus amorem proprium in omnes actiones nostras obrepere posse, qui ubi fuerit ingressus, tamquam periculosum fermentum omnia potest corrumpere. *Tourneux in Anno Christiano Tomo 8.*

Nihil facilius contrarium

Nihil magis oppositum, magisque inter se contrarium

Mundi potest, quam vera, & falsa devotio, licet nihil magis oppositum inveniatur.

rium est, quam falsa, & vera virtus, & nihil tamen adeo facile simul confunditur, & in quo frequentius fallamur: utrobique eadem externa species est, utrobique eadem facies: utraque tabula omnino sibi similis. Lolii caulis non magis triticum imitatur; immo ut plurimum magis virescit, vegetior est, ac uberior: talis & fallax virtus. Modestia a vera virtute separari non potest: Nullus est hypocrita, qui modestiam fortasse etiam graviorem non adsectet. Qui virtute prædìtus est, mortificatus est: Hypocrita videtur talis, & magis etiam, quam viri boni; severitatem crepat, indesinenter moralis disciplinæ laxitatem deplorat. Neque putes vitam ejus placitis ipsius ex æquo respondeat; nil immortificatius, nil hypocrita mollius; sed nemo illo dissimulatior, nemo ad personas gerendas aptior, cumque omnia in illo simulata sunt; externa illius species simplices fallit. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus Tomo 1.*

Ejusdem argumenti.

Lolium in agro Patris familias satum crescit inter triticum; immo magis allicit oculos, fallit, imponit, sæpe etiam altius attollitur tritico, & hoc abscondit; hauriensque plus humoris, atque nutrimenti, efficit ut triticum exarescat, vel saltem ad maciem redigatur. Hoc accidit quotidie in agro Ecclesiæ. Falsa devotio cum veræ personam induerit, miros efficit progressus, cumque subdola sit, nitet, fallit, seducit. Sciens modestiam esse veluti frontem spiritualis ædificii, hanc imitari studet. Externa hæc species prodest, ut illam frustretur; sed numquid difficile est lolium secernere a tritico? Vera pietas semper est humilis, lenis, cum charitate conjuncta; Deum unum quærit; non audit importunos cupiditatum clamores, non molestas amoris proprii querimonias; & respicit sensus tamquam calumniatores. Mundus apud illam suspicione non caret. Diffidit de proprio corde, cum interim ficta devotio omnia suæ ambitioni, suæque utilitati sacrificat. *Idem Tomo 1.*

Hypocritæ industrii sunt ad varias devotionis personas gerendas, ut melius fallant simplices.

Alii corrumpunt via facili, commoda, & jucunda, quæ tamen omnino adversatur viæ arctæ JESU CHRISTI. Putant alii pietatem sibi futuram esse instrumento, & adsectant gravem oris habitum, ad severitatem compositum, & talem, qui placere possit pietatem, virtutemque diligentibus. Ita hæretici non minimam orbis terrarum partem in errorem induxerunt profitentes, se mores Ecclesiæ præservaturos, cum non aliud quærerent, nisi illius doctrinam corrumpere. Verbo; Quicumque loquitur, & extrinsecus verba facit, ut veri loquebantur Prophetæ, ad fallendos homines, errorésque immiscendos sive in doctrinam, sive in morum disciplinam; unus est ex illis Pseudo-Prophetis, qui sub ovina pelle sunt intus lupi rapaces. *Tourneux in anno Christiano. Tomo 8.*

Quamcumque curam adhibeant hypocritæ, ut se tegant, liquet semper facta eorum a verbis discrepare.

Hypocritæ ita seipsos dissimulare non possunt, ut si attente vita illorum inspiciatur, saltem temporis beneficio quales sunt, non agnoscantur. Verba, & gestus eorum sunt frondes; arbor melius a fructibus dignoscitur. Jejunia, preces, eleemosynæ non sunt virtutes, sed actiones virtutis, cum principium eorum est charitas; peccata vero sunt, cum cupiditas earum est causa. Fructus, quos a nobis expetit Deus, & quos efficit per Spiritum Sanctum suum, ut nos feramus, sunt, Apostolus inquit, charitas, gaudium, pax, lenitas, fides, castitas. Denegetur his Prophetis, S. Augustinus ait, quod simulatione sua lucrari conantur; vel auferatur illis quod jam lucrati sunt, & liquebit utrum sint oves suis pellibus tecti, an lupi sub ovium pellibus absconditi. *Idem Tomo 8.* *Galat. 5.*

Ejusdem argumenti.

Agnoscentur Pseudo-Prophetæ ex actionibus suis; quemadmodum agnoscitur arbor, utrum sit bona ex fructuum suorum bonitate, atque tunc servatur, & colitur; e contra mala esse judicatur, cum fructus illius vel mali sunt, vel nulli; atque tunc abscinditur, & in ignem conjicitur: similiter ut plurimum judicium ferendum est, quanti faciendus sit vir ille, qui aliorum edocendorum curam aggreditur, ex vita, quam ducit. Si enim criminosa est, vel si nulla in ea virtus agnoscitur, de illo diffidendum est, & ab illo cavendum. *Idem Tomo 8.*

Pietas, & devotio non officit progressui nostrorum negotiorum.

Hoc certissimum est, & de hoc nobis persuasum esse debet pietatem nequaquam esse obicem temporalium negotiorum nostrorum progressui: e contra communis, & maxime naturalis via est, ut omnia nobis cedant ex sententia. Nolletis, mihi certum est, prosperitatem per scelus nancisci; & sane hoc ad illam via minime est. Scelestissimus quisque hac via fieri posset beatissimus. Facile est viro nullam habenti conscientiam, fallere, diripere, & bona congerere: verum si per honestas, christianasque vias id assequi optatis, solidam, constantemque virtutem habete; tunc sperare potestis temporales benedictiones, quibus gaudet Deus servos suos cumulare, vobis nequaquam defuturas. Has vobis proculdubio largietur, si divina Providentia, cujus secreta sunt ineffabilia, & ignota non deductura vos est ad sanctitatem per viam tribulationum, per quas crebro incedere videmus eos, qui illi maxime devoti sunt. *P. la Pesse.*

Difficile est numerare bona, quæ nobis pietas procurat.

Quis numerando assequi posset bona quæ ex pietate recipit, qui hanc vere profitetur? Ea recensere non licet, quippe infinita sunt. Virtus nos in æqua continet moderatione, omnes regit gressus nostros, omnia desideria, omnia consilia, omnes denique surrptus. Nobis non permittit spem ullam, quæ ab illa nos recedere cogat. Illa in solatiis nostris, omnem laxitatem, omnem prohibet intemperantiam. Illa nos jubet status nostri, nostræque professionis officia replere. Per illam contenti sumus eo statu in quo placuit Deo nos collocare. Illa nihil veretur adversa, quia omnia illius desideria, omniaque consilia eo tendunt, ut Dei voluntas adimpleatur super illam in omnibus rebus. Illa cupida non est colligendi peritutas opes per dolos injustasque vias, ut prædiorum fines extendat, & redditus suos augeat: quippe contenta est bonis, quæ placuit Deo illi conferre. Denique accepta est Deo, & si minus hominibus displicet; nonne mirum est si tam profunda pace fruatur, qualis ea est, quæ ab eo possidetur. *Recens quidam.*

Deus nonnumquam relinquit in dejectione virtutem ut illi majorem lucem tribuat.

Qui in Christianæ Religionis erudimentis omnino hospes non est, facile intelliget virtutem numquam mercede sua vacuam relinqui, & si quando languescere videtur in tenebris, inde statim fulgidius emergere. Sola Deo placere potest, sola beneficiis ejusdem digna est. Fatendum est tamen non semper ita a Deo fieri, sed aliquando in obscuritate, tenebrisque relinqui; verum si id agit ad majorem sui nominis gloriam, multo gloriosius pietati esse debet, sese adorabili huic Dei sui consilio subjicere. Hoc pacto Deus occasionem bonis tribuit offerendi eidem cumulatius obsequium, & ipsi sibi tutiores, certioresque præbent honores, & præmia, quæ illos in beata manent immortalitate. Virtus alioquin aliquam subire videretur jacturam suæ dignitatis, ac lucis, nisi felicitas eam in terris subsequi non cessaret: Tanta in luce non enitesceret: animæ abjectæ non illam propter ipsam illam magis, quam propter illius fulgorem haberent in pretio; magisque externa illius privilegia, quam vera ejusdem merita suspicerent. Sed quodcumque sit tandem illius factum in terra; certo constat, illam solam dignam esse Cœlestibus donis, & benedictionibus. Hoc nobis persuasum esse debet; si aliqua nobis recti sensus particula superest. *P. la Pesse, & Recens quidam.*

Est præsens remedium in omnibus adversitatibus.

Propter terrenorum negotiorum eventus a tot pendet circumstantiis, ut Deus unus illa feliciter ad finem valeat perducere. Quamobrem nihil vobis antiquius esse oportet, quam Dei cor

pietate

pietate sincera, & minime fucata conciliare; ut ille conatibus vestris benedicere velit. Etenim quot rebus indigetis, ut ubi gravius aliquod negotium aggressi estis hoc vobis benevertat? Vobis decertandum est cum anni temporibus, cum elementis, cum temporum perturbationibus, quin ullum adsit remedium inversioni, quam patere possunt. Non desunt inimici, quorum invidia, zelotypia, secretæ artes brevi omnia perturbare possunt vestra consilia. Si vobis sunt amici, facile possunt deficere. Quid igitur vobis faciendum est, cum tot undique vobis circumstent mala, & vobis sit ab omni parte timendum? Deo unice adhærentis oportet, & pietas præsentissima erit vobis rebus in omnibus medicina. *P. la Pesse, & Recens quidam*.

Metuendū est, ut in Ecclesia multi ad sint hypocritæ ut olim in Synagoga.

Væ nobis, S. Hieronymus ajebat, qui hæreditario jure hausimus spiritum, ac vitia Pharisæorum, quos odit Evangelium. Quinam erant hypocritæ isti adeo fumosi, adeo seduli cæremoniarum Legis observatores, nisi Idololatræ sæculi, qui omnibus in rebus omnium approbationem quærebant? Hinc fluxit illa irreconciliabilis invidia, qua illi exarserunt contra Dei Filium, cujus existimatio nomini eorum officiebat. Condonare illi non potuerunt vitæ sanctitatem, responsionum sapientiam, miraculorum fulgorem, & doctrinæ puritatem, quæ omnia populorum omnium admirationem illi comparabant. Heu! quam metuendum est, ut Christianus orbis sit adhuc imbutus fermento hoc Pharisaico; a quo tantopere discipulis suis, ut sibi caverent, præcipiebat Salvator; & quam verendum est, ut Synagogæ labes Ecclesiæ faciem dedecorent! Contremiscite quicumque estis, inhærentes exterioribus Religionis ritibus, qui zelo succensi propter traditiones vestras magnum infringitis divinæ charitatis præceptum, quod nullam admittit divisionem in eo cultu, quem zelotes Deus flagitat. Timete, ut in his pseudo-justis, quos Dei Filius tanta damnat severitate vosmetipsos agnoscaris; licet ille erga peccatores nonnisi pacis, & misericordiæ verba loqueretur. *Abbas du Jarry in Sermone quodam pro Sancta Nativitatis die*.

Vera pietatis bona.

Raro accidit, ut qui veram possidet pietatem habeat inimicos, & ut adeo ab omni ratione alieni inveniantur homines, qui illum oderint. Non multi occurrunt, qui illi bellum audeant indicere, quin aliquam prætexant causam subdolam, concinnatam, cujus falsitatem aperire difficile non est. Virtus fere semper tuta est ab iis timoribus, malis suspicionibus, insidiis, motibus, difficultatibus, quæ pravorum Christianorum vitam amaram, & non ferendam efficiunt. Probitas explorata magnus progressus est, ut negotium benevertat. Tot viri boni in judicium non vocantur: non intentantur illis lites levem ob causam, non audent omnes eorum tranquillitatem perturbare; immo cupiunt plurimi sese illis conjungere ut propriæ consulant quieti. Veri etiam boni cognoscuntur, cum de utilitate sermo est, rectitudo illorum, & bona fides prodit virtutem, qua animantur. Pseudo devotus non erit adeo simplex & a cupiditate habendi alienus adeo in negotiis suis. Quorsum hoc? Quia pietas vetat, ne propter fluxa bona solliciti simus, ne in illis amorem nostrum constituamus, ne mundanis gaudiis lætemur: sed tamen permittit, ut illa possideamus, sæpe etiam eorum possessionem nobis efficit faciliorem. Pius homo habetur in pretio: impium vero cujuscumque viæ mortales perhorrescunt. *P. la Pesse, Tom.* 4.

Cur Mundus damnet pietatem. Q. inã sit caracter illius.

Hodie tam acriter vulgo contra pietatem invenitur, quia non cognoscitur, & confunditur cum hac exteriori hypocrisi, quæ tantam infert pietati contumeliam. Non desunt hypocritæ, qui veræ devotionis personam induunt; sed persona hæc non diu nos fallit, & dummodo paulisper propius inspiciatur, sese ostendit calliditas. Lupi ovium pelle tecti ovinam dumtaxat cutem habeat, & sub hac semper suum ferox, carnivorumque ingenium ostendunt. Illorum vox, cibus, incessus, omnia illos produnt. Cardui numquam ficus pariunt. Fructus arboris naturam non mentitur. Spinæ numquam relinquunt aciem suam, & quantumvis eatum virescant folia; asperitas ab ipsarum fructu separari non potest. *P. Croiset Tom.* 5. *Exercit. Affectio*.

In quo facile secerni possit a vera pietate.

Hypocrisis veram devotionem frustra imitari contendit: fructus illarum nimis contrarii sunt, ita ut falli nequeat, qui propius earum colorem observat, & gustat saporem. Nihil vera pietate suavius, nihil dulcius, nihil reverentia dignius. Habitus illius neque austerus est, neque molestus. Sita non est in immodici zeli excessu. Fastum odit, atque ostentationem. Humilis est, modesta, simplex, honesta, sine fuco, sine simulatione, & sine duplicitate. Omnis fictionis inimica, animos sibi conciliat rectitudine sua, & cor lenitate. Gravis in simplicitate sua, quo humilior est, eo reverentia est dignior. Meritum ejus non pendet a libidine, vel mobili hominum conceptu. Solida virtus illius est principium, gratia anima est, & Deus unus objectum, causa, & finis. Immerito arbitratur aliquis rusticitatem devotioni esse ingenitam: quia reperitur aliquando in iis, qui se devotos esse profitentur. Inurbanitas vitium est, cujus nomine vera pietas damnatur. Devotio elegantiam non adfectat, sed ne minima quidem negligit urbanitatis officia. Salvatoris spiritu animata mundi Spiritum horret; Internecinum amori proprio bellum indicit, ejusque communis exercitatio est sensus, & cupiditates mortificare. Dei voluntas illam ad agendum impellit. *P. Croiset ibidem*.

Exempla Filii Dei, & Sanctorum ejus sunt formæ, quas vera devotio sibi proponit.

Dei Filius in cruce magnum est exemplar, quod vera devotio sibi proponit. Evangelium sua Lex est; vita Sanctorum schola. Christianarum omnium virtutum gravis illius occupatio, ac studium. Mortis cogitatio tantum abest, quod illi gravis accidat, ut illam immo consoletur. Æternitatis meditatio illam occupat, & Cœlum objectum est desideriorum, atque votorum illius. Pietas adfectata, & subdola remotissimas, & minime vulgares vias sequitur. Vera pietas numquam ex suo statu egreditur. Humilitas, modestia, lenitas, jugis mortificatio, charitas nullis contenta finibus, purum Deo placendi desiderium, summa in officiis suis obeundis solertia, generosa fides, ac universalis; confidentia in Deo sine ulla exceptione; immutabilis perseverantia, eventibus quibuscumque superior; hæc apertissima sunt veræ devotionis argumenta. *Pater Croiset, Tome V.*

Devotio secundum statum suū cuique conformanda.

Vir justus non metitur conditionem suam ex devotione, sed semper devotionem ex conditione, ad quam Deus illum vocavit, eamque potissimum in eo collocat, ut perfecte omnia status sui repleat officia. Nulla pietatis ostentatio; nulla extrinsecus reformatio; nulli gemitus de aliorum laxitate, sed plus charitatis, integritatis, bonæ fidei, mortificationis, humilis de semetipsis sensus. Minus ardoris, ubi de honoris summa agitur, minus duritiei in alienis miseriis. Minus mollitiei quoad propriam personam. Hi sunt articuli præcipui, & veluti basis ac fundamentum veræ devotionis. Quam gravis error est perfectionem suam extra statum suum quærere! variæ sunt conditiones; sed necessitas omnium officiorum obeundorum est eadem. Non omnis Devotio accommodata est variis conditionum generibus: Quod aliorum prodesset sanctitati, obesset aliorum saluti. Juxta Evangelium totidem sunt arbores, quæ suos debent fructus ferre; sed singulæ fructus suæ speciei; & hoc efficit minus excusatione dignam nostram ignaviam, nostrasque infidelitates. *Idem ibidem*.

Qualisnam esse debeat ratio vitæ illius, qui vera virtute prædictus est.

Homo vera prædictus virtute, homo est omni amore proprio, omni simulatione, omni ambitione destitutus. Homo est quovis tempore severus sibi, nihil sibi parcens, mitis vero ergà alios, in quorum gratiam excusat omnia: honestus sine adfectatione; indulgens sine vilitate, officiosus sine spe quæstus; sedulus legis observator sine scrupulis, Deo conjunctus sine contentione. Homo vere devotus est homo de se quam humillime sentiens, qui alios tantum habet in pretio, quin in illis respicit dumtaxat eas virtutes, quas habent, & in seipso vitia tantum considerat, quibus obnoxius est. Cum ille supernaturalia dumtaxat monita sequatur, non putat sibi injuriam inferri ab illis a quibus contemnitur; neque enim honorem, quem hi negant, deberi sibi putat. In Sanctorum schola innutritus vel minima status sui officia præfert fulgidissimis actionibus, quæ ab illius pendent arbitrio, ac voluntate. Homo est, qui suam alit innocentiam exercitationibus mortificationis. Semper voti sui compos, semper affabilis, semper pacatus, semper sibi constans, & inturbatus ita ut prosperis non infletur, non dejiciatur adversis; quippe scit ab eadem manu vitæ hujus tum bona, cum mala procedere; & sicuti sola Dei voluntas vitæ illius norma est, semper facit quidquid vult Deus, & semper vult quidquid Deus facit. *P. Croiset in Exercit. Asceticis*.

Hominibus quidē imponere possumus, sed velle imponere Deo, hoc est insanire.
Ad Galat. 5.

Nolite errare; Deus non irridetur impune. Frustra inanibus ideis vosmetipsos pascitis, frustra vobismet vestrum conscientiæ systema concinatis; Deus secundum suum judicat. Hominibus imponere possumus; sed Deo ipsi volumus imponere. Hypocrisis larvam induit. Omnis hæc species devotionis meræ externæ; omnes hæ pietatis simulationes, nos nocentiores efficiunt. Scrutatur Deus omnes cordis humani sinus, & latebras. Deus justissime omnes intentiones, & causas nostras dignoscit. Deus conscientiæ nostræ imos recessus rimatur. Quæ impietas, quæ insania velle ei dare verba! Et aliter vivere, ac profitemur credere nonne hoc est, Deum irridere velle? Nihil infelicius fallaci conscientia. Quid lucramur aliis imponendo? Quid autem nobismetipsis imponendo inani fulgore pietatis? Quid prosunt hæc omnia coacta argumenta ad colorem illinendum errori, in quo sumus, & eam in qua vivimus, morum laxitatem probandam? Quia nobis placet excusare nostram vivendi rationem quæcumque tandem illa sit; numquid ideo minus erit vitiosa? *Quæ seminaverit homo: hæc & metet. Idem ibidem*.

Quam detestabilis sit in iis quæ ad Religionem pertinent dissimulatio.

Nihil magis odiosum est, & dici potest etiam impium, quam dissimulatio, & scurrilitas in iis, quæ ad religionem, & pietatem pertinent! Quem de Deo conceptum imbibimus, cum illi simulato oris habitu nos imponere posse putamus, qui simplicibus tantum fallendis accommodatum est? Populo quidem fucum facere possumus illum artificiali splendore perstringentes; illi stupor injici potest grandiloquis verbis, & specioso reformationis prætextu. Secreto etiam amoris proprii artificio possumus nosmetipsos fallere; non inusitatum est, quod mens cor ipsum decipiat: cupiditates, illæ vero potissimum libidinis, & superbiæ secreta habent machinamenta, quæ facile molem omnem movent. Spiritus tenebrarum mirum in modum possidet artem sese in Angelum lucis transformandi. Prætextus ipsi, & rationes etiam magis speciosæ impressiones faciunt in anima, quibus resistere arduum est, & magis arduum illis non falli. Cæce nos crassioribus illusionibus mancipamus. Temere in errorem impingimus, eumque pertinaciter propugnamus. Deficimus a legitimis potestatibus a Deo constitutis, & adhuc illi obsequium præstare opinamur. Verbo, servi sumus concupiscentiæ, & desideriorum carnis; & cogitamus, nos vivere secundum spiritum JESU CHRISTI, & secundum purissima Evangelii instituta. Cupiditas est primum agens spiritus avaritiæ, ambitionis, ultionis est anima actionum omnium; & per miseram cæcitatem, per malignam illusionis, errorisque pertinaciam, cupiditas accipitur pro virtute; & acrimonia, inimicitia, indignatio, odium ipsum pro zelo. In hac cordis, mentisque perturbatione tranquillam ducimus vitam cum soporis securitate, quasi Deus esse deberet contentus opella nostra, & favore quarumdam specierum, admodum superficialium nonnullorum bonorum operum, & personæ pietatis; vita ducitur, non mundana solum, verum etiam pagana. *P. Croiset in Exercitationibus Pietatis*.

Nil facilius, quam se ipsum fallere cū agitur de pietate.

Cum agitur de pietate, & amore Dei, sæpe cognitiones, & lumina spiritus pro sensibus, & ardoribus cordis accipiuntur. Cognoscitur quam amabilis Deus est, & obstupescimus etiam illum adeo parum amari videntes. Tunc illecti his æquissimis, piisque sententiis, illum a nobis diligi arbitramur. Complures falluntur, & obstupescent aliquando videntes, & audientes, suum amorem erga Deum nonnisi in imagine extitisse. Cor habet imperium suum, quod minime pendet a mentis imperio. Cognoscimus Deum mereri, ut ab omnibus ametur: Fatemur ingratissimum esse, qui non diligit Deum; sed quia ita cogitavimus, & ita locuti fuimus; dicere ne possumus illum a nobis amari? Quamorimum cor ipsum nobis hunc errorem auferret: *Charitas benigna est, patiens est*, dicit S. Paulus; non invidet, non agit perperam, non inflatur, non est subdola, non quærit, quæ sua sunt; non irascitur, non cogitat malum. Non gaudet ob alienam iniquitatem, vel damnum, sed gaudet de iis, quæ sunt secundum veritatem, & quæ prospera proximis accidunt. Docilis est, humilis, lenis, constans. Ex hac tabula agnosce, utrum vere diligas Deum, & utrum sis in vera devotione. *P. Croiset Tomo* 5.

1. *Ad Corint.* 2.

Ut vere devoti simus, tales esse oportet verbis, & operibus.

Pharisæi extrinsecus magnas exercebant austeritates, quibus populo imponebant. Legi nova superaddebant pondera, & acertime propugnabant Patrum suorum traditiones, quas tamen ipsi saltem ex majori parte fuerant commenti. Diligentissimi erant in decumis persolvendis, ut lege cautum erat; & adfectata supererogatione, conferebant etiam trigesimam, & quadragesimam partem fructuum suorum, adjicientes plura voluntaria sacrificia. Verum superbia, & hypocrisis omnes eorum actiones corrumpebant; quia id unum quærebant, ut in populo dominarentur, & Magnatum existimationem, & benevolentiam sibi compararent; itaque tanta in gente sua pollebant auctoritate, ut oracula, & Magistri haberentur. Occupare volebant primos recubitus in cœnibus, atque conviviis, & nisi in compitis, & quadriviis salus illis diceretur, nefas habebatur. Dei Filius nobis ostensurus, quanto odio ipse persequatur hypocrisim, & quanta cura hæc nobis evitanda sit; ipsa subire non dedignatur laborem ad vivum nobis exprimendi hos pseudo-magistros, ubi inter cætera dicit, illos imponere sarcinas alienis humeris, quas ne extremo quidem digito volunt attingere; ut intelligeremus iis, qui aliis erudiendis dant operam, satis esse non debere, si extremo digito illis viam sequendam ostenderint; sed re ipsa ostendenda esse quæ ab ipsis verbo traduntur. *P. Croiset in Exercitiis Asceticis. Tomo* 5.

DIGNI-

DIGNITAS, HONOR, MAGISTRATUS, QUOMODO IN ILLIS SESE GERERE OPORTEAT, ET EORUM OFFICIA.

MONITUM.



Auci videntur Sermones, ubi non adsit pars quadam contra mundi hujus honores, dignitates, atque Magistratus, ad quos alii quidem genere, alii meritis, favore alii evehuntur; sed pauciores adhuc videntur in hoc argumento de industria elaborati, quod aliis tantummodo supellectilem suppeditare posse videtur. Quam maxime tamen interest scire quomodo sese gerere debeant homines in tanta luce, quem modum servare debeant, quomodo hac cum humilitate Christiana queant conciliari; quo pacto cor ab illis avulsum esse debeat; quomodo contemnenda sint ab illis, a quibus possidentur, & demum quanam iis, qui in dignitate constituti sunt, debeatur reverentia. Huc omnia, que suggeremus, sermonum argumenta collimant. Animadvertendum est solum dignitatum nomine intelligendos esse Magistratus, auctoritatem, jus imperandi, locum, qui supra ceteros obtinetur omniaque honoris indicia, propter que homines habentur in pretio.

Ad hec notandum, argumentum hoc ab ambitione, per quam honores, & magistratus appetuntur, & ab inani gloria differre; licet inter hec plurima communia inveniantur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Synopsis.

I. 

Ummos viros, qui vel nobilitate, vel dignitate, vel alio quovis titulo cæteris præsunt, debere magis Deo fideles esse, atque majori gloriæ ejusdem zelo flagrare, quam cæteros. Tres rationes affabre explicatæ concionis hujus & partitionem, & argumenta præbebunt.

Prima est, grati animi sensus erga Deum, qui illos ad hunc honoris apicem evexit. Efficere poterat Deus, ut obscuro loco nascerentur, atque in pulvere reperent; verum hisce bonis eos cumulare dignatus est ob ea consilia, quæ de illis ab æterno iniit. Deo igitur debent; licet enim omnis hæc terrena amplitudo pro nihilo habeatur coram eodem, & apud ipsum nulla sit personarum acceptio; hæc tamen nobis magna sunt bona, quæ nimis crebro iis etiam, quæ magis realia, atque solida sunt, anteferimus. Illi, qui ab ipso his bonis donati fuere, animum gratum testari tenentur, majori sedulitate, ac fide ea conantes adimplere consilia, quæ Deus de ipsis concepit, iisque fungi muneribus, quæ suæ inhærent conditioni; verbo, se dignos præbere ea electione, qua Deus ipsos cæteris prætulit. Meminisse debent, se Dei imagines esse non solum natura, ut cæteri homines, sed amplitudine, ac potentia; se locum illius obtinere, & ab eodem accepisse auctoritatem, quam in alios exercent; ideoque eadem utendum esse propter Deum, atque secundum fines ejusdem: demum vero cum majorem in Dei ipsius judicio rationem sint reddituri, in munere, ac ministerio sibi credito sese gerere debere secundum leges ab eodem ipsis irrogatas, quas ignorare non possunt. Hoc latum sane aperit campum ostendendi viros in dignitate constitutos ideo Domini esse ministros, ut ipsum, & supra se, & supra eos omnes, quibus imperitant, regnare faciant.

Ratio altera est, ipsos validiori indigere subsidio, Cœlique gratiis prorsus peculiaribus, ut eo in statu, in quo sunt, suæ saluti prospiciant; quandoquidem pluribus patent periculis, & plures habent Deum lædendi occasiones inter opum affluentiam, honorum fulgorem, atque voluptatum illecebras. Et sane sine ulla comparatione plures saluti eorum opponuntur obices, plures obstant virtutis amplectendæ difficultates, graviores, sæviores que tentationes, ideoque majori illis utendum est diligentia, gratiæ cœlestes precibus impetrandæ a Deo, ut olim Salomon petenda sapientia, & christiana prudentia, ut seipsos, & eos regant, quos Deus ipsorum curæ commisit. Adhæc cum illis eadem insit, ac cæteris mortalibus necessitas exercendi christianas virtutes, paupertatem spiritus, humilitatem, temperantiam; quis ambigere potest, utrum hæ virtutes magis difficiles sint in magnarum divitiarum possessione, honoribus, qui eisdem deferuntur, & vitæ hujus libertate, quibus addi possunt vividiores affectus, ac difficilius coercendi; adquæ præstanda nonne virtus non vulgaris requiritur? &c.

Tertia ratio est, quod debent exemplum illis præbere, qui sibi subjecti sunt, qui ad eorum exempla sese componere gestiunt. Itaque cum Deus ad aliquam dignitatem attollit; qui elatus fuerit, non se tantum in hoc statu debet sanctificare, sed plurimum etiam conferre aliorum saluti, exemplo suo faciliorem viam aperire, eosque ad virtutum exercitationem excitare. Quomodo autem bonum hoc præbebunt virtutis exemplum, nisi ipsi boni fuerint, ac vitam irreprehensibilem duxerint? Ex hac veritate terribiles illationes deduci possunt, videlicet ipsos rationem esse reddituros de eorum interitu, quos prava ipsorum exempla perdiderint. Hoc sane D. Pauli verbum terrorem illis incutere debet; *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*, ad Hebr. 13. quarum saluti prospicere debent iis omnibus modis, quos imperii dignitas, & auctoritas possunt suppeditare &c.

II. 1. Dignitates, & magistratus periculosi sunt bonis, quia in periculo versantur sese pervertendi. Rationes per se patent, & neminem fugiunt; ideoque accipiendi non sunt, nisi antea Deum consulueris, & ab eadem vocatus fueris. 2. Adhuc periculosiores, & perniciosiores sunt impiis; illis enim occasiones suppeditant obsequendi affectibus suis, & ingentia crimina perpetrandi. Hinc sequitur eos, qui melius merentur dignitates, præ

præ cæteris illas metuere; &, qui sese illis obtrudunt, & non vocati ad illas obrepunt, atque earumdem muneribus adimplendis non satis pares se norunt, vel eorum adimplendorum mentem non habent, jam in ipsa interitus ora versari, eorumque inevitabilem esse perniciem.

III. 1. Qui aliqua sunt dignitate præditi, in iis honoribus, officiis, & obsequiis, quæ sibi deferuntur agnoscere debent, quid ipsi divinæ debeant majestati, a qua eo in loco sunt constituti. 2. Debent ipsam dignitatem, genus, amplitudinemque suam commendare magnitudine virtutum, quæ solæ magnos coram Deo possunt efficere.

IV. Summorum virorum salus proculdubio difficilior est, ac majori obnoxia periculo, quam salus eorum, qui in conditionis mediocritate subsistunt, ob tres causas ex tribus desumptas officiis, quæ omnibus quidem Christianis communia sunt, sed quæ nobiles majori cum labore obeunt, quam cæteri vulgo.

Prima; humiles esse debent in amplitudine, ac dignitate sua; quod ex S. Bernardi sententia in humilitate magis rarum, difficile, heroicumque invenitur; ideoque si fieri nequit, ut quis salvus fiat, quin fiat humilis, & parvulus; quemadmodum ipse Dei Filius docet: conjicite, utrum non sit difficilius sese demittere, ac humiliare iis, qui in honorum, ac dignitatum lucem refulgent.

Altera; opus est, cor, animumque ab omnibus mundi hujus bonis avellere. At quinam difficilius ab illis divelli possunt, quam qui possident illa, eaque ad gradum, ac dignitatem tuendam necessaria esse arbitrantur?

Tertia temperantes esse debent inter voluptates. Nonne major est difficultas, cum illis perfruendi, & modus suppetit, & facultas?

V. Mundi hujus viri principes duo gravia habent munera, quæ eorum ipsis imponit conditio, & quibus rite perfungi debent, si saluti suæ voluerint prospicere. Primum est, magna erga Deum submissio, qui supra illos est; alterum est, magna erga eos charitas, qui ipsis subjecti sunt. Hæ vero qualitates duæ duobus oppositis vitiis destruuntur, quæ eorum inhærent conditioni; impietate videlicet, quæ efficit, ut per superbiam a Deo rebellent, quod fecerunt tot Reges, Principesque sacrilegi, & impii; & negligant debitum illi cultum præbere, ac nullo religionis munere perfungantur; alterum est contemptus subditorum, quos opprimunt, vel saltem quorum non miserentur.

VI. 1. Terræ hujus principes, ii videlicet, qui vel genere, vel ea, quam obtinent dignitate, supra cæteros elati sunt, ea pericula, quæ in sua conditione inveniuntur, respicere debent veluti maximos salutis suæ obices; ideoque uti debent majori vigilantia, & præcautione, quam cæteri. 2. Illis persuasum esse debet, ad hoc, ut in eo statu salvi fiant, majori virtute opus esse, majoresque præ cæteris conatus sibi esse exerendos.

VII. Nobiles, aliique viri in sublimi aliqua dignitate constituti, indesinenter invigilare, & laborare debent si saluti suæ consulere cupiunt.

1. Quia graviora ipsis, quam cæteris sustinenda sunt prælia, occasiones magis periculosæ, affectus magis vehementes, fortioresque tentationes superandæ &c. 2. Quia major illis reddenda ratio est Deo de suis, deque eorum moribus, quorum cura illis fuit demandata. *P. de la Colombiere.*

VIII. S. Ambrosius in officiis, eorum, qui in dignitate constituti sunt, officia universa ad duo redigit summa capita, sub quibus plures conditiones, insignesque virtutes continentur.

1. Ne cui ullum malum, aut detrimentum inferant. Ad id autem quæ moderatio, quænam requiritur æquitas? 2. Ut omnibus bene faciant, quæ Charitas? &c.

IX. Ut viri nobiles in dignitatibus semetipsos sanctificent, illis persuasum esse debet de duabus hisce veritatibus, quas ita exercere debent, ut eas summa officiorum suorum capita arbitrentur?

Prima est, Deum Deos illos supra infirmorum caput evexisse, ut hos tuerentur, atque indigentibus ferrent opem.

Altera est. Eos debere quoque aliis exemplo prodesse, atque eorum sanctificationi conferre quacumque ope, quam Christiana charitas, divinæque gloriæ zelus suggerere potest. Principes, Nobiles, Magistratus divinam sibi constant iram, atque ultionis ejus effectus in se convertunt. X.

1. Cum, quin Dei honorem, & cultum pro viribus procurent, prohibent, ne colatur, & honoretur. 2. Cum quin justitiam tueantur, legesque propugnent, primi omnium illas infringunt. 3. Cum ad bonos hominum mores corrumpendos iis abutuntur adminiculis, quæ illis præbuit Deus, ut eosdem servarent.

Nobiles viri seipsos in triplici statu considerare possunt, videlicet naturæ, religionis, & conditionis, quam Deo acceptam referre debent; sed quacumque ex parte semetipsos intueantur, in se humiliationis causas invenient. XI.

1. In Natura, homines sunt sicut cæteri, ideoque iisdem infirmitatibus, & ærumnis obnoxii. 2. In Religione, iisdem legibus subjecti sunt, iisdemque perfungi tenentur officiis, quibus alii Christifideles, & sæpe minori sunt in pretio apud Deum, quia minus virtute sunt præditi. 3. In conditione; nisi omnipotens Dei manus eos regat, non possunt esse nisi insignes peccatores, & reprobi. *Flechier pro feria quinta majoris hebdomada.*

Viri principes, quibus potestas, & auctoritas est, pati nequeunt aliquid contra Dei honorem fieri. 2. Pro virili gloriam illius zelare, & procurare tenentur. 3. Quæ Dei sunt, iis præferre debent, quæ sua sunt: & tria hæc necessaria sunt eorum officia. XII.

Mundi hujus Principes magis, quam cæteri, JESU CHRISTI imperio sese submittere debent. XIII.

1. Plus enim debent Deo, qui ad hunc gradum illos evexit, ideoque gratiorem illi animum præstare debent majori obedientia. 2. Quia facilius abuti possunt iis bonis, quæ receperunt a Deo, ideoque illius ope, & gratia magis indigent. 3. Majorem habent obicem virtutibus omnibus, quam reliqui fideles, quamvis eorum dignitates, & magistratus majorem earum exercendarum necessitatem illis injiciant. *Ex libro, qui inscribitur* Essais de sermons *pro Quadragesima. Sermone pro Dominica Palmarum.*

Rationes duas, quibus ostendi potest, nobilibus viris difficilius esse, quam cæteris virtutem colere. XIV.

Prima est: Mundum, in quo vivunt, & qui est eorum veluti elementum, eos quodammodo invitos in scelus trahere; aer illius pestilens est, suamque labem statim effundit. Hi sese conformant præceptis ejusdem, quæ sunt veluti totidem leges. Plurima sane ex Dei parte subsidia, ac potentes gratiæ, in ipsis vero magni conatus, & summa fidelitas, quæ perrara est, requiruntur.

Altera est; Nobiles viros, ut plurimum in luxu, & mollitie vitam traducere, quod quidem christianis virtutibus minime congruit. *Ibidem pro Anni Dominicis. Tomo 4. sermone pro 2. Dominica Adventus.*

Nobilitas tres habet gravissimos sanctitati, atque saluti obices; nobiles enim obnoxii sunt XV.

1. Impietati; non enim de Religione admodum bene sentiunt: se tamquam exigua numina respiciunt: se nequaquam teneri putant ad ea pietatis officia, quæ popello tantum imposita esse arbitrantur. 2. Injustitiæ; non enim Juris sui tantum tenaces sunt, verum illa etiam usurpant, quæ ad ipsos minime pertinent. 3. Voluptati; quoniam magis quam cæteri ad eam excitantur. *Essais de Panegyriques Tomo 2.*

Duo munera, quæ necessario obire tenentur illi XVI.

qui

qui in dignitate constituti sunt, & quibus Deus aliorum regimen credit.

Primum, curare, ut Deo primum serviatur; & populi iis persungantur officiis, quæ supremæ illius Majestati debentur.

Alterum est, hominibus reddere, quod ad eos pertinet. Primum est religionis officium, alterum justitiæ. Ad hæc Principes tenentur, qui eo, quem occupant gradu se præbent indignos, si in alterutro deficiant.

XVII. Quemadmodum Mundi Principes & a nemine pendere volunt, & sibi debitam obedientiam præstari contendunt; ita illis persuasum esse debet, in utroque Deum maxime esse sollicitum, videlicet

1. Velle, ut a se principes omnino pendeant; qui si imperium ejusdem detrectare voluerint, tantum eos deprimere consuevisse, quantum illi se attollere conantur. 2. Nec minus requirere, ut illi suis legibus, & præceptis, quam debent, præstent obedientiam; ideoque normam, quam sequi debent motibus suis hanc esse, ut Deo obsequantur, & pareant eo saltem modo, quo sibi a subditis suis obtemperari desiderant.

XVIII. 1. Mundi honores inanes sunt, fluxi, atque mobilibus rebus innixi. 2. Saluti maxime sunt periculosi. 3. Causa sunt graviorum malorum; quid enim non faciunt illi, qui quocumque pretio se attollere cupiunt? Ullumne divinum, aut humanum jus est, quod minime infringant?

XIX. Dignitas triplici ratione potest considerari. 1. quatenus refertur ad Deum, a quo eam recepimus; 2. ad eos, qui nobis subjecti sunt; 3. ad nos ipsos, qui illam possidemus.

1. Quatenus refertur ad Deum, homines illa uti debent, ut ab aliis ipse honoretur. 2. Quatenus refertur ad eos, quibus præpositi sumus; hi leniter sunt excipiendi; atque modeste utendum auctoritate. 3. Quatenus refertur ad possidentes; hi factum, luxumque debent evitare. *Ex Auctore Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta in Quadragesima pro Dominica Palmarum.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras ornandas.

Sancti Patres. SAnctus Hieronymus in Epistola 5. ubi satis prolixe narrat S. Hilarionis vitam, admiratur præsertim in eo gloriæ, totiusque humanæ amplitudinis contemptum.

Idem *l.* 3. *in c.* 6. *Amos* loquitur de vanitate, inconstantia, ac brevi duratione eorum omnium, quæ magna in mundo vocantur.

Origenes *Homil.* 5. *in Psalm.* 36. hæc Regii Prophetæ explicans verba. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut Cedros Libani, & transivi, & ecce non erat,* ostendit dignitates hasce flocci fieri a Deo, qui sæpe indignissimo cuique illas impertit.

S. Augustinus *l. Quæst. utriusq. test.* docet veram Christiani indignitatem esse, omnem mundi dignitatem, inanemque honorem contemnere.

Idem *l.* 5. *de Civ. Dei c.* 12. ostendit quantum adversetur perfectioni Christifidelis desiderium gloriæ, & dignitatis. Et *c.* 2. prolixum habet sermonem de summorum officiis.

S. Gregorius *lib.* 6. *moral. c.* 5. Hæc Jobi explicans verba; *Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini ejus* ostendit humanam amplitudinem arenæ incumbere, & arborem esse sine radicibus.

S. Augustinus in *Ps.* 102. hæc explicans verba: *Homo, sicut fœnum dies ejus,* ostendit, quam vana sit universa Mundi gloria, & celsitudo.

S. Basilius *Homil.* 3. *in Psalm.* 14. ostendit quænam esse debeat vis Christiani, ne honorum fulgore perstringatur, & ne Principum, omnium-

que mundi potestatum ratione ab officio recedat.

S. Chrysostomus *Hom.* 41. *in Matth.* ostendit, non invidendum principibus viris, neque illis, qui honoribus, dignitatibusque præfulgent, docens eorum gloriam, atque fulgorem nihilum esse.

Idem *Hom.* 7. *in c.* 3. *Epist. ad Coloss.* docet flocci faciendos esse honores, opes, & hujus mundi dignitates.

Idem *Hom.* 73. *in Matth.* ostendit quot mala & publicis afferant rebus, & Ecclesiæ, eorum ambitus, qui primas dignitates affectant.

S. Gregorius *l.* 1. *Epist. c.* 5. suam dolet sortem, quod ad tantum apicem fuerit evectus, atque eorum ostendit periculum, qui in dignitate constituti sunt, ac prima tenent subsellia.

S. Chrysostomus *Serm. Quod Deus est*, docet, Reges quoque, ac Principes Deo subjectos esse debere.

S. Fulgentius *l.* 3. *de verit. Prædest.* 1. *c.* docet, quo pacto Mundi Principes sancti esse possint, & prædestinati.

S. Bernardus *Epist.* 272. *ad Eugenium Papam* Summo huic Pontifici exponit pericula, & scopulos, qui in hac dignitate, honoribusque offenduntur.

Idem in libris de Consideratione, quos eidem Pontifici inscripsit, sæpe, & eloquenter verba facit de muneribus, quæ summis dignitatibus inhærent.

Origenes *Homil.* 20. *in Num.* docet Viros Principes rationem esse reddituros de sceleribus, quæ subditi eorum committunt, cum illos non puniunt, vel cum non omnem collocant curam, ut illi præveniant.

S. Thomas in Opusculis tractatum habet *de regimine Principum*, ubi theologice de Principum muneribus differit. Ascetici, aliique.

Cardinalis Bellarminus librum edidit tripartitum, *de officio Principis Christiani.*

Alium quoque ejusdem argumenti edidit Ribadeneira ad impia Machiavelli dogmata refellenda.

Cambolas *l.* 3. *c.* 6. pluribus in Paragraphis docet, quomodo sese gerere debeant, qui ad honores, & dignitates evecti sunt.

Nicolaus Lancisius *Opuscul.* 8. *l.* 2. *c.* 5. *num.* 52. de hoc loquitur argumento.

P. Caussinus in Aula sancta *Tract.* 1. *in proœmio*, docet aulicos, nobilesque viros teneri christianas virtutes exercere, atque ostendit obices, qui huic rei adversantur.

Gobinet parte quinta de puerorum institutione cap. 11.

Essais de Morale parte prima Tractatu de Principis educatione.

Idem ostendit deinde pluribus in sectionibus, pluribusque argumentis probat, iis qui dignitate aliqua nitent, Christianam perfectionem esse excolendam.

Petrarca in Dialogo de Principum potestate, & amore populorum.

De la Bruyere in caracteribus morum hujus sæculi plures exhibet Principum virorum caracteres, quorum quidam in morali concione locum habere possunt.

Joannes Picus in libro de Filiorum educatione Tractatum habet de educatione Principis.

Reina *Conc.* 13. *fer.* 4. *post Dominic.* 2. *Quadrag.* Sermonem integrum habet de vanitate honorum Mundi. Concionatores.

P. Delingendes *Serm. pro* 4. *Domin. Quadrag.* ex fuga Domini, cum populus, quem in deserto paverat, illum Regem inaugurare cupiebat, occasionem arripit agendi de vanitate, & mobilitate honorum terræ.

Henricus Engelgrave *part.* 2. *in Luc. Evang. in Domin.* 16. *post Pentec.* hoc ipsum pertractat argumentum.

Sarazin tomo 2. Adventus sermonem habet cui

cui titulus, JESUS CHRISTUS *legislator pro Regibus*, *& Principibus*, ubi de Principum virorum officiis loquitur.

Flechier sermone pro feria quinta in Cœna Domini docet, homines in dignitate constitutos humiles esse debere exemplo Filii Dei, & in hac humilitate veram consistere dignitatem.

P. Duneau *Sermone pro feria 6. post quartam Quadragesimæ Dominicam* docet Principum, Magistratuum, & Judicum esse Religionem, justitiam, legesque tueri.

Idem *Sermone pro Dominic. 5. post Pentecost.* loquitur de vanitate honorum mundi, & periculo eorum, qui iisdem abutuntur.

P. De la Colombiere *Serm. pro die Epiphaniæ* docet Magnatibus hujus Mundi indesinenter invigilandum esse, atque saluti suæ prospiciendum.

Auctor Sermonum in Omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Quad. serm. pro Dominica Palmarum ostendit quomodo sese gerere oporteat in dignitatibus.

Qui collectanea ediderunt. Busæus de *statibus* totidem in capitibus loquitur de Officiis Regum, Principum, Judicum, & Magistratuum.

Ludovicus Granatensis Titulo *Honor*.

Labatha Titulo *Magnates*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Diligite justitiam, qui judicatis terram. Sapient. 1.

Judicium durissimum his, qui præsunt, fiet Ibidem 6.

Potentes potenter tormenta patientur. Ibid.

Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Ibidem.

Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed Domini. Paralip. c.19.

Quanto magnus es, humilia te in omnibus: quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Eccli. 3.

Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis. Ibidem, c. 32.

Secundum judicem populi, sic & ministri ejus: & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea. Ibidem, c. 10.

Dominatur Excelsus in regno hominum; & cuicumque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem constituet super eum. Daniel. 4.

Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum. Ibidem, 13.

Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi. Osee 8.

Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incurvabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus solus. Isaiæ, c. 2.

Magnus, & judex, & potens est in honore: & non est major illo, qui timet Deum. Eccli. 10.

Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum: semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini. Ibid. 10.

Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. 1. Regum, c. 2.

Et nunc Reges intelligite: erudimini qui judicatis terram; servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Psalm. 2.

Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. Eccli. 7.

Parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Deuteron. 1.

Elevasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valide. Jobi 30.

Dixerunt omnes viri Israel ad Gedeon: Dominare nostri tu, &c. Quibus ille ait: Non dominabor vestri, sed dominabitur vobis Dominus. Judic. 8.

Cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Luc. 12.

Qui se exaltat, humiliabitur, Ibid. 14.

Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? Joan. 7.

Cum impii sumpserint principatum, gemet populus. Proverb. 29.

Veteris, Novique Testamenti Exempla.

Propheta de primo homine loquens ait, a Deo fuisse gloria circumdatum, atque mundi totius imperio donatum: *Gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum*. Sed non multo post sua ille abusus est potestate contra Dominum rebellans, qua re meritus est ut non solum de gradu deturbaretur, verum etiam ut creata omnia, quibus antea dominabatur, & deficerent, eique negarent obedientiam, quam ipse quoque Deo detrectaverat. Primum exemplum, primumque documentum, quod hominibus præbere voluit Deus fuit ut discerent veram amplitudinem esse Deo subjacere, & prout Principes viri eam conantur eludere obedientiam, quam Cœli, terræque Domino debent, ita illos etiam, qui eisdem subjecti sunt, illud, quod ipsis debent, officium, & obsequium detrectaturos. Adam primus magnitudine sua abusus est.

Abraham, qui non minus exemplar, quam pater extitit fidelium, mirum præbuit exemplum ejus contemptus, in quo ab illis, qui in aliqua dignitate constituti sunt, habendi sunt mundi hujus honores, ut per hoc se iisdem dignos efficiant. Cum enim sæpius illi pollicitus fuisset Deus, ipsum frequentissimæ gentis patrem futurum, atque ex illius sobole Reges, Principesque nascituros hoc ipsum iterato eidem recepit, recens ingresso in eam terram, quo ipsum vocaverat, dicens, terram hanc ipsius, atque posteritatis ejus futuram, ac eumdem illi fore dominaturum. Qua promissione quin magnus vir ille intumesceret, in eo omne gaudium suum constituit, quod videlicet Domino obtemperasset; at in id unum sua intendit consilia quomodo illic sibi, filiisque suis sepulturæ locum compararet. Poteratne melius S. hic Patriarcha docere, licet Deus non spopondisset tantum, verum etiam totius terræ contulisset imperium, nobis quoque ut illi, satis esse debere, obtemperare Deo, nostraque dignitate uti ad majorem ipsius gloriam etiam cum propriæ gloriæ detrimento procurandam? Abraham docuit exemplo mundi honores, esse contemnendos.

Sanctus vir Job proculdubio esse potest magnatibus, Principibusque viris exemplo, quomodo sit utendum dignitate sua, & quomodo sese gerere debeant cum iis, quæ ad ipsos, tum in iis, quæ ad ipsorum subditos pertinent. Magnus erat, & potens, immo inter omnes Orientis principes enitebat, ut loquitur Scriptura: *Magnus inter Orientales*. Verum se hoc fulgore perstringi passus non est; sed e contra Scriptura in ejus persona memorat qualitates omnes, quibus præditi esse debent Principes, ut magni sint coram Deo. Etenim in profunda sapientia sua *Simplex* erat, videlicet sine fuco, & simulatione. *Rectus*, hoc est, justus in absoluta potestate sua; *Timens Deus* cum sibi reverentialem mortalium omnium timorem conciliabat. *Et recedens a malo*, hoc est ab omni scelerum genere, quæ late proscribere conabatur ab omnibus iis locis, ad quæ potestas ipsius extendebatur. Hoc affert, ut virtuti suæ fulgor, cui clausos habebat oculos, e contra in omnium finitimorum Orientis Principum oculis eluceret, eorumque admirationem, laudesque sibi conciliaret.

Joseph in Pharaonis aula Sapiens fuit Minister, fidelis & Deo, & Principi, qui ad tantam dignitatem illum evexerat. Absolutam in Ægyptum univer- Joseph archetypus eorum, qui sunt pu-

blicæ rei administratores.

universam receperat potestatem, eo usque ut Rex illi suum crediderit annulum, quo edicta, quæ huc, illuc mittenda erant, signaret. Ipsum pretiosis induit vestibus, atque currum ascendere jussit; Deo tantum gloriæ eidem rependenti, quantum passus fuerat dejectionis. Quemadmodum vero per sapientiam ad sublimem hunc honoris gradum pervenerat, eadem sapientia deinceps in omnibus usus est, videlicet prudentia, atque modestia, quibus Spiritus Sancti promeruit elogia.

Moyses spernit dignitates.

Moysis facta satis ostendunt quam parvo habendæ sint in pretio ab hominibus insignes dignitates, ad quas illos evehi, divina Providentia permittit. Joseph historicus narrat, Pharaonis filiam, quæ illum sibi adoptaverat in filium, cum adhuc in incunabulis esset, ubi paulo crevisset ætate, quodam die super Regis hujus genua collocasse, atque ex patris capite detractum diadema pueri hujus capiti imposuisse, quo innueret, illum regni successorem futurum: sed puerum indignabundum illud abjecisse, ac pedibus conculcasse; quod portendebat hunc contemptorem omnium dignitatum futurum. Etenim S. Paulus affirmat, illum cum paulo adolevisset, generose negasse, ex Pharaonis filia se genitum, atque afflictionem populi Dei, cujus non particeps esse non poterat, sceptro, omnibusque Ægypti opibus prætulisse. Generosus iste contemptus causa procul dubio fuit, propter quam Deus illum deinceps ad Liberatoris, atque Legislatoris populi sui dignitatem evexit. Quam ubi dignitatem obtinuit, quid sensit de hoc honore, quo illum ornaverat Deus? Hunc onus appellat, ac regimen populi vocat afflictionem, officium matris, atque cursum nutricis; & cum Deo his vocibus queritur: *Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus universi populi ejus super me*. Num. 11. c. 11.

Quid præcepit Deus Josue illi tradens regimen populi sui.

Postquam humanis decessit Moyses, Deus, cum populo suo tradere decrevisset terram, quam Chananæi incolebant, usus est Josue, ut illam expugnaret, atque in eam introduceret Israelitas; hæc illi præcepta tradidit. Non semel jussit illum agere tamquam cordatum virum, sed simul præcipuam spem suam in Dei timore statuere, idque testari ea fide, qua & ipse diligenter observaret, & ab aliis observari curaret, quidquid ipse Moysi præceperat, quin ne latum quidem unguem vel ad dexteram, vel ad sinistram deflecteret. Ad id autem imperavit, ut interdiu, noctuque legeret ea, quæ ipse mandaverat, & quæ fidelis ille Minister post mortem scripta reliquerat, ita ostendens illos, quibus Deus aliorum regimen committit, res omnes gestas ad legis divinæ normam conformare debere, atque semet illi submittere, ut omnibus cœptis suis cœlestes benedictiones promereantur.

Saul inter honores corrumpitur.

Saul antequam regnum obtineret, eximiis fuit virtutibus præditus, vitamque duxit integerrimam. Sacer textus, hoc illi perhibet testimonium primo Regum libro. *Erat Saul electus, & bonus, & non erat vir de filiis Israel melior illo*. Non communis laus est vocari bonum, & electum a Deo inter tot hominum myriades frequentissimam nationem illam componentes. Ille autem ostendit, quam humiliter de se ipso sentiret cum Samuel pro Regis electione congregavit populum, & sors super illum cecidit; etenim se abdidit Regiam dignitatem evitaturus ita ut oraculum fuerit consulendum, a quo proderetur. Denique ad morum ejus innocentiam exprimendam notabili locutione Scriptura usa est: *Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset*. 1. Reg. 13. Sed hæc simplicitas, atque innocentia diu non permansit; honores quam primum mutarunt mores illius, eosque ita corruperunt, ut in regno suo ea facinora patraverit, quæ nimis longum esset referre.

Quid Regina Esther.

Historia Esther in Reginæ hujus persona præbet exemplum prorsus oppositum exemplo Saul, quandoquidem cum dignitate Conjugis Regis Assueri, ad quam Deus illam evexerat, pietatem, atque humilitatem suam servavit incolumem. Sermo, quo alloquitur Deum, veritatis hujus perhibet testimonium. Nosti, Deus, inquit illa, tu, qui ad Reginæ fortunam me evexisti, qui me coegisti, ut huic me subjicerem dignitati, quantopere perhonestam ea gloriæ, atque nobilitatis signa, quæ statis diebus defero, quibus ejus loci, in quo me statuisti, inevitabili necessitate postulat amplitudo. Nosti me universum hunc fastum, tamquam rerum omnium nequissimam abominari.

Exemplis Filii Dei nobis in lege nova sufficere debet.

In nova lege inutile esset alia perquirere exempla contemptus honorum mundi, post illud Filii Dei ipsius, cujus vita, doctrina, factaque omnia nihil aliud ferme nos docent. In Incarnatione semetipsum exinanivit, ut loquitur S. Paulus; in Nativitate, omnes suæ dignitatis notas exuit; in vita nihil sæpius commendavit, quam divitiarum contemptum, voluitque, ut animus ab iis rebus avelleretur, quæ majori in pretio a mortalibus haberi consueverunt. Triginta annis obscuram, latentemque vitam duxit; cum sese prodere voluit, prohibuit, ne miraculorum suorum quædam ab Apostolis evulgarentur; eos, qui de prælatione altercabantur, corripuit; & quomodo duos ex eorum numero primos in Regno ipsius sibi deposcentes accubitus increpaverit, neminem latet: Turbis illum in Regem cupientibus eligere, fugam arripuit: in cruce mortuus est, æternoque Patri reliquit curam ipsum post mortem glorificandi.

Applicationes quorumdam locorum.

Audite somnium meum, quod vidi. Gen. 37. Mirum sane est, neque mysterio vacuum, quemadmodum Sancti Patres animadverterunt, in Scripturis videre, quod opes, potestas, honores, triumphi per somnium vel promissi fuere, vel exhibiti. In somnio Joseph Patriarcha puer adhuc accepit futuræ magnitudinis vaticinia; in somnio, cujus idem fuit interpres, septem summæ frugum omnium vilitatis anni exhibiti fuerunt Pharaoni; in somnio Deus ostendit Esther eam dignitatem, atque amplitudinem, ad quam erat evehenda; in somnio & Gedeon vidit victorias, quas erat relaturus, & sapientia Salomoni promissa fuit, & Nabuchodonosor vidit quatuor celeberrima imperia, quorum alterum alteri erant deinceps successura, & Daniel vidit prælia, atque Triumphos Regum ætatis suæ &c. Sancti Patres detexerunt mysterium, quod in re hac latebat. Inter cæteros vero S. Ambrosius *lib. de Joseph c. 6.* ait, omnem sæculi magnitudinem, ac potestatem somnium esse dumtaxat, non veritatem; & Tertullianus, *in Apolog.* qui in eadem fuit sententia ait: *Omnia imaginaria in hoc sæculo, & nihil veri. Ex Reina Conc.* 13.

Spes impii tamquam lanugo, quæ a vento tollitur. Sap. 5. Nonnulli Sancti Patres animadverterunt, eorumque sententiam Concionatores non pauci eloquentissime exornarunt; Salomonem ad nihilum, & vanitatem omnium mundi honorum indigitandam congessisse quidquid fragilius, atque inconstantius in mundo est, ut hæc tamquam hujus veritatis symbola proponeret. Eos lanugini comparat, quæ a vento abripitur, & circumfertur: *Tamquam lanugo, quæ a vento tollitur*; spumæ, quæ intumescit, sed ad minimam auram dissipatur. *Tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur*; fumo, qui in aerem attollitur, & evanescit; ac tandem hospitis memoriæ qui præterit, & de quo post dies aliquot omnino interiit recordatio. Diceres sane, Sapientem cum satis aptam præbere non posset ideam hujus fragilitatis, conatum fuisse illam mentibus nostris ingerere per ea omnia quæ in terris fragilissima sunt, atque inconstantissima. *Ex P. Delingendes.*

Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domi-

Domini. Prov. 21. Hæc est Spiritus Sancti locutio, & innuit, quemadmodum olim satis fuit cœli cataractas aperiri, ac finere, ut quæ ibi continebantur aquæ, diffluerent ad hoc, ut universalis eluvies terram universam obrueret; ita satis esse a Deo Principum corda derelinqui affectibus eorum, qui sunt tamquam vehementissimi torrentes, quibus nihil resistere valet, ne terram inundent, eamque malis, & calamitatibus repleant. Verum quemadmodum videmus etiam imbres, ac pruinas de cœlo in terram dilapsas causam esse bonorum omnium; quæ illa producit; vel quemadmodum fluvii, qui Provincias irrigant, & Regna, ibi rerum omnium copiam, ac ubertatem afferunt propter commercii facilitatem: ita Deus populis egregium confert beneficium, illis bonum, sapientemque regem, publicæ nempe felicitatis auctorem impertiens. *Auctor Sermonum in omnia Ethica argumenta in oratione funebri Henrici IV.*

Produxit filium Regis, & posuit super eum diadema, & testimonium. 4. Reg. 1. 11. Cum summus Sacerdos Jojada inaugurare voluit Regem Joas, qui Athaliæ furorem effugerat, quæ pueros omnes regiæ sobolis interficiendos curaverat, pium servavit ritum a nobis nequaquam prætereundum. Magnus enim Pontifex ille novum Regem declaraturus supra eumdem, & Diadema, & Legis librum imposuit; alterum in Regiæ dignitatis argumentum, alterum vero, ut doceret, quomodo sese in tanta dignitate gerere debebat; quasi dixisset, illum in hoc libro inventurum quomodo sua erga Deum officia; necnon erga populum justitiam; debitumque amorem persolveret. Hæc hodierna quoque die viget consuetudo, ubi aliquis ad honorem, aut dignitatem quampiam evehitur, jurare cogitur, & sæpe etiam imposita S. Evangeliis dextera, se auctoritate sua secundum leges usurum, atque se earum fidelissimum observatorem futurum; verum ad id sæpe illis consulenda essent Evangelii præcepta, atque cum dignitatis suæ signis gerendus hic liber, a quo de officiis suis erudirentur.

Ibo ad optimates: & ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula. Jerem. 5. Experientia docemur in iis, ut plurimum qui majori pollent auctoritate, atque existimatione, luxum, ambitionem, ultionem, injustitiam, & sæpe etiam impietatem dominari. Testis Jeremias Propheta, qui narrat, a se, cum omnem Jerosolymam lustrasset atque compita, plateasque obivisset, nihil inventum præter licentiam atque flagitia, atque se fuisse deceptum, cum se ratus inventurum bonos homines inter Magistratus, atque spectatissimos cives, nactus est hos omnium primos descivisse a divinis imperiis, & quin aliorum effrænatam coercerent audaciam, illam pravis exemplis, nequissimisque moribus probasse.

Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Ps. 4. Non sufficit Prophetæ affirmare, honores, opes, & voluptates mundi mendaces esse, & fallere; sed ipsum esse mendacium affirmat. *Quæritis mendacium*. Et sane opes pollicentur, se beatos facturas eos, a quibus possidebuntur; sed mentiuntur, ac nos decipiunt; divites enim semper egent in summa affluentia. Honores dicunt, se eorum esse felicitatem qui ad dignitatum, & magistratuum apices evecti sunt; sed mentiuntur; etenim sub purpura, & paludamento spinæ latent; atque onus est honos, qui sustinet rempublicam. Voluptates quoque se jactitant eos beatos efficere, qui sese iisdem mancipant; sed mentiuntur, etenim omnis dulcedinis earum species semper in fel, atque amaritudinem convertitur. *Essais de Sermone pro die Pentecostes*.

Respondebit non sum medicus, & in domo mea non est panis, nolite me constituere principem populi. Isaiæ 3. Mirum quidem hoc responsum est; regnum homini huic defertur, & se Medicum esse negat. Omnium divitiarum possessio illi exhibetur, & sibi panem, vinumque deesse respondet. Hoc mysterium est, quo docemur, Principes legitime imperare non posse, nisi quodammodo sint Medici, ut subditorum suorum incolumitati prospiciant, & nisi panem habuerint, nisi se illis tamquam parentes exhibuerint, ut illos alant, & nutriant. Velle igitur magnum esse, quin egenis feras auxilium, hoc est ordinem a Providentia constitutum subvertere. *Ibidem pro feria quinta post Cineres*.

Videte vocationem vestram. 1. ad Corinth. c. 1. Hoc dici posset Principibus, Magistratibus iisque omnibus, qui imperant aliis. O viri potentes, quæcumque sit auctoritas illa, qua præfulgetis, hæc præcipua qualitas vestra est, Christianos esse, & hoc primum officium, christiano ritu vitam traducere. Vos ipsi ad hoc vivendi genus alios debetis compellere; natura propter gratiam efformata est; atque temporalia tendunt ad spiritualia. Itaque cogitare debetis vos non esse nobiles, magnos, divites, potentes, nisi ut ea expleatis, quæ a vobis Christiana postulat religio pro variis statibus, qui a vobis sanctificandi sunt. *Essais des Paneg. pro die S. Joseph*.

Ego confortavi brachia eorum: & in me cogitaverunt malitiam. Oseæ 7. Conqueritur Deus per Prophetam suum, quod viri principes dignitatibus suis abutantur contra leges, quas tueri tenentur. Roboravi, inquit ille, eorum lacertos; illis potentiæ arma contuli, ac dedi Ministros, qui voluntates meas exequerentur; at improba tantum in me consilia foverunt. Contulit vobis Deus auctoritatem judicandi homines, qui subditi sui sunt; vos autem per summam iniquitatem concedítis in partem inimicorum ejus, horum probantes impotentiam contra innocentes.

Data est a Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Sap. 6. Quidquid vobis potestatis, & auctoritatis inest, accepistis a Domino: efficere poterat, ut in pulvere nasceremini, ac ibi relinquere; ubi alios reliquit, quorum majora vestris erant merita. Si vos ad eum extulit gradum in quo versamini hic honor est, quem bonitas ejus vobis conferre dignata est, & qui vobis nullatenus debebatur; sed simul est onus, quod vobis imposuit, ea propter quod laborare debetis. Sedulo hæc duo sunt distinguenda; & mementote, honorem omnem a vobis Deo acceptum esse referendum, onus vero universum assumendum pro vobis: Vobis laborandum esse, & laborandum juxta mentem ejusdem, videlicet pro gloria ipsius, & populorum ejus utilitate. Id nisi feceritis, cum judices sitis, reos vos fieri scitote, ipsumque Judicem vestrum futurum. Ipse vobis diem dicet, ad tribunal suum accersct, terribilem quæstionem subituros.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Gloriam & honorem non debet sequi virtus; sed ipsa virtutem. Aug. de Civ. Dei, l. 5.

Non tribuamus regni atque imperii potestatem nisi Deo vero, qui dat felicitatem solis piis, regnum vero terrenum piis & impiis. Idem ibid. c. 21.

Opus Regis est vitam suam pro iis quibus regnat exponere. Idem, Serm. 120. de tempore.

Per magna pericula ad majus periculum pervenitur. (Loquitur de favore Principum.) Idem in Confess.

Noli expavescere divitias & gloriam sæculi, quoniam caduca ista sunt, & citius abeunt quam veniunt; somnium est iste thesaurus, evigilas, & recessit. Idem, in Ps. 48.

Reges quanto sunt in majori sublimitate terrena, tanto magis humiliari Deo debent. Idem in Ps. 137.

Quid

Quid sunt honores sæculi nisi typhus & vanitas, & ruinæ periculum? Idem, lib. de catechiz. rudibus.

En conditionis honore intellige quantum debeas Conditori tuo; ut tanto eum ardentius amares, quanto mirabiliorem te ab eo esse conditum intelligeres. Idem, vel incertus Author, lib. de salutaribus documentis.

Qui imperant, non dominandi cupiditate imperent, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed providendi misericordia. Idem, lib. 9. de Civit. c. 4.

Curte jactas de generis nobilitate? numquid non omnium nascendi una conditio est? numquid moriendi una conclusio? Idem, vel alius Author Serm. 48. ad fratres in Eremo.

Excellentis virtutis est officium Regis bene exercere. S. Thomas, tract. de regim. Principum.

Major est virtus non tantum seipsum bene regere, sed plures; & quanto plures, tanto majus præmium. Idem, ibidem.

Nobilitas operis major est quam generis. Ambr. in Offic.

Ut ea agas quæ nulli officiant, prosint omnibus. Idem, l. 1. c. 8. de Offic.

Lubricam videmus ad vitia potestatem, & facultatem imperandi incentivum esse peccantibus. Idem, Apolog. de David. c. 2.

Ostendit diabolus (Christo) omnia regna terræ, in momento temporis, bene in momento, quia diuturna esse nequeunt. Idem, lib. de Abel & Cain, c. 5.

Non est dignum ut inde exigas honorem, unde refugis laborem. Hieron. in Epist.

Summa apud Deum nobilitas clarum esse virtutibus. Idem, Epist. 14.

Optimus est judex, qui his pessimis vitiis, ira & cupiditate, non tenetur. Idem, in c. 36. Job.

Nulli te unquam de generis nobilitate præponas; nescit enim Religio nostra personas, nec conditiones hominum, sed animas inspicit. Idem, Epist. ad Celantiam.

Honor malis exhibitus in eorum commutatur ruinam. Greg. l. 7. Moral.

Iniquorum potentia fœni floribus comparatur in Scriptura, quia nimirum carnalis gloria dum nitet, cadit, dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Idem, l. 7. Moral.

Quidquid in hoc sæculo lætum, delectabile, sublime, aut prosperum cernitur, vanum est, quia difficile habetur, & cito amittitur. Idem, in secundum Regum.

Honores videntur esse dignitates, sed revera non sunt, imo ministeria. Chryf. super Matth.

Non operis ipsius, sed dominationis ac potentiæ desiderium pestilens esse dixi. Idem, l. 3. de Sacerdot.

Qui primatum quærunt, sibi ipsis dedecori sunt, ignorantes hocce pacto, ad infima se detrudere. Idem, Hom. 66. in Matth.

Ille clarus, ille sublimis, ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem suam putet, si dedignetur servire vitiis, & ab iis superari. Idem, sup. Matth.

Præesse malumus quam prodesse. Gregorius.

Inde Imperator, unde est homo; inde illi potestas, unde & spiritus. Tertull. in Apolog.

Vanus error hominis, & inanis cultus dignitatis purpura splendescere, mente sordescere. Minutius Felix in Oct.

Nobilitate generosus es, laudas parentes tuos; pari sorte nascimur, sed virtute distinguimur. Idem, ibidem.

Blandum nomen honos, magna servitus, exitus æger. S. Paulinus, ad Polinar.

Omnia imaginaria in hoc sæculo, & nihil veri. Tertul. in Apolog.

Honor verus virtus animi est. Chryfost. de reparat. lapf.

Sæpe gloria ut acquiratur contemnitur, & mundus ut obtineatur relinquitur. Hugo Cardinalis.

Qui de amore non venit honor, non honor sed adulatio est. Bernard. in Cant.

Virtus mater gloriæ est; sola enim est, cui jure debetur, & secure impenditur. Quæ autem sine virtute, gloria, profecto indebite venit, præpropere affectatur, periculose captatur. Idem, ibidem.

Non est quod blandiatur celsitudo, ubi sollicitudo major. Idem, l. 2. de Consid. c. 4.

Multi non tanta fiducia currerent ad honores, si esse scirent & onera. Idem, Epist. 42.

Facitis hoc quia potestis; sed utrum & debeatis quæstio est. Idem, de Consid. c. 4.

Quomodo non indecens tibi voluntate pro lege uti, & quia non est ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem? Idem, ibidem.

Non vos felices quia præestis; sed si non prodestis, infelices putatote. Idem, Epist. 42.

Si quis de populo deviat, solus perit; verum Principis error multos involvit, & tantis obest, quantis præest ipse. Idem, Epist. 127. ad Ducem Aquitaniæ.

Per quem Reges regnant, ipse nos præfecit populis suis, a nobis tuendis, non subvertendis. Idem, ibidem.

Honores pensamus, non affectamus honores. Idem, Serm. 12. in Cant.

Considero gradum, & casum vereor; considero fastigium dignitatis, & intueor faciem abyssi jacentis deorsum; attendo celsitudinem, & e vicino periculum reformido. Idem, Epist. 272. ad Eugen. Papam.

Pompa mundi, & favor populi fumus est, & aura subito evanescens; & si delectant ad modicum, productiore spatio displicebunt. Chrysol. in quodam Serm.

Fallax suavitas in rebus temporalibus, infructuosus labor, vana spes, perpetuus timor, & periculosa inest jucunditas. Laurent. Justinian. l. de ligno vitæ.

Nomen sine actu & officio suo nihil est; quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, quam hominis titulus sine homine? Salvian. l. 4. de Provid.

Ad hoc honor a paucis emitur, ut cunctorum vastatione solvatur. Quo quid esse indignius, quid iniquius potest? Reddunt miseri dignitatum pretia quas non emerunt; commercium nesciunt, & solutionem sciunt: ut pauci illustrentur, mundus evertitur. Idem, ibidem.

Omnis gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, æternæ gloriæ comparata, vanitas est & stultitia. Lib. 3. c. 40. de Imitatione Christi.

Brevis gloria, quæ ab hominibus datur & accipitur. Idem, l. 2. c. 6.

Confragosa in fastigium dignitatis via est. Senec. Epist. 85.

Nemo eorum, quos divitiæ honoresque in altiori fastigio ponunt, magnus est; quare ergo magnus videtur? Cum basi sua illum metiris. Hoc laboramus errore, quod neminem æstimamus ex æquo. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu in hoc argumento valeat depromi.

CUM homo magnus esse possit propter plurimas qualitates laude dignas, quarum singulæ nomen magni tribuere possunt illi, a quo possidentur, tradi nequit notio communis, & definitio, quæ omnibus conveniat. Magnus quis esse potest coram hominibus, aut virtute, & meritis, aut genere, & dignitate, scientia, robore, auctoritate, ac demum rebus præclare gestis. Generatim ergo Quid sit magnitudo.

ergo solummodo dicere possumus, magnum esse propter aliquam ex præclaris hisce qualitatibus idem esse ac illam in aliquo præsentiæ gradu possidere, quo illam possidens a cæteris vulgo mortalibus distinguatur. Sed cum agnitudinem spectemus ex bonis generis & fortunæ, virtutis, & meriti, quæ reverentiam sibi conciliant, dignitates, honores, auctoritatem, & potestatem; hæc ea fere sunt, quæ Moralis, & Religio hoc in argumento nos docent.

Quid sit honor, & gloria.

Honor non aliud est, quam testimonium, quod alicui perhibetur meriti, atque præstantiæ, quæ in ipso deprehenditur; & quemadmodum S. Thomas ait, 2. 2. q. 124. est virtutis pretium, & merces; ubi Sanctus hic Doctor addit, inter extrinseca bona, quæ homo in hac vita possidere valeat, hoc maximum esse, & spectatissimum; generosus enim vir nihil intentatum relinquit, ut illud assequatur, nullumque horret periculum, ut infamiam evitet.

Varia dignitatum, & magnitudinis genera.

Gloria ab honore non differt; aliter tamen definitur; hæc enim perspicua, & certa cognitio est meritorum alicujus, & amor, quo illum prosequimur propter hanc cognitionem, quam palam profitemur, cum laudibus, aliisque testimoniis illud significantibus pretium, in quo ipsum habemus, celebrantes.

Dignitates, & magnitudo, quæ inter homines inveniuntur, non unius sunt generis, vel dicam melius, ad eas non una tantummodo via pervenitur. Aliæ quidem sunt naturales & a Deo constitutæ, quales sunt Regum, Principum, eorumque omnium, quos genus suum super alios attollit. Non desunt, quas ipsi homines faciunt, Magistratus, & Capita sibi eligentes; quæ tamen & ipsæ sunt divinæ opus Providentiæ, cum electio secundum leges fuerit instituta. Tertiæ illæ sunt, quas privatus quilibet suis meritis adipiscitur. Quartæ denique eæ, quæ amicorum gratia obtinentur; non exceptis illis, quæ argento, ambitu, astuque comparantur. Verum quæcumque via sit, qua dignitas acquiritur, eadem semper officia adimplenda sunt, & christiano more vivendum.

Verum quoque est, secundum Sapientiæ, Providentiæque Dei consilium dignitates omnes esse ministeria; honorare quidem, sed onerare. Et sane æquum est, S. Bernardus ait, ut qui ad dignitates evehuntur, in muneribus suis pondus inveniant, quo deprimantur, & reverentiam, quæ illis adhibetur, impositus labor moderetur. Ad hæc verum est etiam officia honoribus esse congrua, & quo magis quis elatus est, eo majorem curam habendam illi quia ejus auctoritas ad plures extenditur.

Cur dignitates institutæ fuerint.

Dubium non est, quominus dignitates ob publicam utilitatem fuerint institutæ; & populi re adhuc integra sese quorumdam regimini crediderunt, quorum merita, virtus, & existimatio satis erant explorata, ut privatorum jura & bona tutius, atque facilius defenderentur, ac servarentur, vigilantia, & labore illorum, quos ipsi elegerant, & quibus hanc potestatem, atque auctoritatem demandaverant. Hinc sequitur; tantum abesse, quod honoribus, ac dignitatibus viri principes debeant abuti ad subditos opprimendos, vel ad injuriam alicui inferendam, ut immo e contra constituti sunt ad eorum jura asserenda, & quemlibet ab injuria vindicandum.

Honores cujuscumque generis illi sint adeundi sunt animo Christiano, & mente inserviendo Deo, dum publicæ servitur utilitati, necnon propter virtutis principium, ideoque cum requisita probitate, atque scientia. Qui enim vel per ambitionem, vel per avaritiam ad dignitates obrepit, hic in perenni, assiduoque salutis suæ periculo versatur. Hæc nostri temporis calamitas est, quod eorum plerique, qui magistratus adeunt, se ipsos tantum, suasque res considerant, numquam vero propriam utilitatem propter quam instituti fuerunt.

Summorum virorum erga imos officia.

Quacumque dignitate summi viri fruantur, semper homines sunt, ideoque aliorum hominum opera indigentes; & si dignitas illos subditis sejungit, opus est, ut charitas eosdem illis admoveat; si enim semper ab iisdem abessent, nulla ope ab illis juvari possent. Vera magnitudo idem præstat, quod magnitudo Dei; hæc autem illum Patrem, Magistrum, & Judicem hominum constituit; Patrem, ut alat, Magistrum, ut erudiat, Judicem, ut vel præmiis, vel pœnis afficiat. Talis est magnitudo Christiana, principes viros efficit patres, magistros, & judices subditorum; patres, ut eorum necessitatibus ferant opem; magistros, ut morum eorumdem curam gerant; judices vero tandem, ut illos remunerentur, vel puniant.

Operosum non est intelligere veræ magnitudinis comitem semper esse debere obedientiam, atque submissionem erga Deum, propterea quod legitima magnitudo, ex S. Paulo non aliud est, quam emanatio quædam magnitudinis Dei ipsius, ideoque cessaret esse, si ab eadem pendere desineret. Fallax magnitudo effectum habet prorsus oppositum, cum originem suam ex humana ducat superbia, suadet homini solum amorem sui ipsius, at ab uno illo pendere vult. Testis infelix ille Princeps, qui non alium præter se numen volebat agnoscere, atque putidissima insolentia dicebat: ***Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus?*** Exod. 5.

Principes difficilius quam cæteri sanctificantur.

Hominum sanctificatio, quocumque in statu illi sint semper opus est manus Dei, & effectus ejusdem omnipotentiæ: sed cum sibi devincire cupit Deus Regum, Principumque corda, hoc opus est manus dexteræ, ut inquit Scriptura: Psalm. 70. ***Hæc mutatio dexteræ Excelsi***. Opus est ut tota gratiæ suæ vi agat, ut superet fatalem hanc oppositionem, quæ inter honorum amplitudinem, ac pietatem invenitur; ut totum retineat pondus cupiditatis ex semet in illos ruentis; & ut omnes subvertens obices, quos mundus opponit, illos a semetipsis divellat, efficiatque, ut, intrinsecus saltem, naturam, & conditionem immutent.

Cum dicimus, honoribus tantam inesse vim ad bonos mores corrumpendos, supponendum est semper, hæc mala non gigni ab honoribus in semet consideratis; sed a pravo usu eorum, qui iisdem abutuntur, quemadmodum dicitur de divitiis. Etenim sicut opes iis, qui iisdem uti norunt, ad optima, & eximia quælibet peragenda inserviunt, & e contra sunt instrumenta vitiorum iis, qui abutuntur: ita dicere possumus, honorem efficere, ut virtutes majori in luce refulgeant, & vitia deterius scandalum afferant, prout in bonum, malumve usum adhibeantur. Quemadmodum vero facilius, & vulgatius est abuti divitiis, quam ad Dei gloriam iisdem uti; hoc ipsum quoque de honoribus, ac dignitatibus dici potest propter superbiam, mollitiem, obedientiæ detrectationem, quam inspirant, & propter commoda, quæ præbent, effectum libidini satisfaciendi.

Principũ peccata graviora sunt, & eorum effectus perniciosiores.

Tres circumstantiæ, Sanctus Cyprianus ait in prima ad Donatum epistola, concomitantur peccatum illius, qui est in dignitate constitutus. Primum; hic animam suam peccato corrumpit, quod peccatoribus omnibus est commune. Secundo, docet peccatum eos omnes, a quibus videtur. Tertio, peccatum hoc quodammodo præcipit, & quamdam veluti legem aliis indicit. Hoc faciunt Principes cum publica peccata committunt: quod simul gravissimas in eos Dei ultiones detorquet.

Esto quidem, non abutuntur auctoritate sua Principes ut spirituali, vel temporali proximi sui officiant bono, difficile est, quod tertia peccatorum specie, quæ sub eorum auctoritate patrantur, omnino evitent utrumque. Hoc ajebat S. Augustinus summum nescio quem ætatis suæ alloquens virum: ***Pauca quidem per te, sed multa propter te.*** Si te ipsum intueamur; innocens es; tu per te pauca peccas; at sub te, nomine, atque auctorita-

te tua

te tua multa patrantur peccata, quæ tua fiunt, & quæ te æque nocentem efficiunt, ac si tute ipsa peccasses.

Liquido constat ei, qui in dignitate aliqua constitutus est, pro virili summa vigilantia, cura, integritate munera sua esse obeunda; Verum christiana prudentia prohibere debet ne se ita negotiis abdat, ut Christiani hominis officia, & salutis suæ negotia contemnat; quandoquidem persuasum illi esse debet hoc primum illius esse officium, & maxime necessarium, & quo diligentius suis erga Deum perfungetur officiis, eo melius dignitatis suæ muneribus satisfacturum.

Reges, & principes sunt vivæ Dei imagines.

Numquam satis repetere, ac iterare possumus, ad subditos in officio continendos, Reges, & Principes Dei imagines esse; Deum in eorum persona semper esse spectandum, & eos, qui regiam exercent potestatem, & magnates vocantur, aliquem ejusdem caracterem in sua gerere dignitate. Verum opus est etiam ex Principum, ac Optimatum animo cogitationem hanc non deleri, se videlicet Dei imagines esse; & hoc nequaquam in eo tantum consistere ut illius vim, & potestatem referant; verum etiam ut imitentur bonitatem, charitatem, providentiam, & perfectiones alias, quæ in mundi hujus regimine elucescunt.

Ecce autem nonnulla principia, quæ scire oportet, cum agitur de dignitate, magistratu, honore, auctoritate, ut ad ea se conforment, qui aliquam super alios obtinent potestatem. 1. Omnis dignitas proficisci debet a legitima auctoritate; quælibet enim dignitas suam habet potestatem suaque officia, & legitimæ dumtaxat interest auctoritatis potestatem conferre, & munera imponere. 2. Nulla in terris legitima potestas est, quæ non sit ordinata; omnis enim legitima potestas a Deo est, & quæcumque a Deo potestas est, semper est ordinata. *Non est potestas nisi a Deo; quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt*, ad Rom. 13. 3. Potestates, quæ ob ordinatā potestate conferuntur semper æquæ, & justæ sunt; officia, quæ imperata, & imposita sunt ob ordinata potestate semper æqua, justaque sunt. Nulla dignitas est, neque esse potest, cujus officia ab ordinata potestate non sint imposita. Igitur nulla dignitas est, neque esse potest in Republica qualibet, cujus potestas & munera justa, & æqua non sint. 4. Dignitatis alicujus munera justa, & æqua esse non possunt, nisi quatenus magno, primoque muneri subordinata sunt, quo Deo famulari, nostramque salutem operari tenemur. Ex quo sese non conformant huic muneri, quod nobis essentiale, atque inevitabile est, jam cessant esse munera. Ita quamcumque dignitatem quispiam obtineat, & quæcumque negotia propter eamdem illi sint subeunda, numquam se totum vel dignitati, vel negotiis ejusdem tradere debet. Neque charitas, neque justitia poscit, ut omne tempus suum in illa transmittat; immo charitas, & justitia cum illa, quam Deo, tum illa, quam sibimet debet, efflagitat, ut omne necessarium tempus impendat cum Deo salutis suæ negotium transacturus.

Si nobilis conditio magnis obnoxia est periculis, magna etiam obtinet bona.

Verum quidem est mundi hujus principes viros in maximis salutis suæ periculis versari; sed in manibus magna quoque habent subsidia. Vitium callide, ac felici eventu in opulentiorum conditionem irrepit; sed virtus quoque nonnisi imperiose ibi dominatur. Principum mores sunt exempla; Beati illi, si actiones eorum esse possent virtutum exemplaria. Hoc certum est, in ipsorum potestate esse positum, quod conditio sua paucioribus sit obnoxia periculis, & illa etiam evitent, quæ quodammodo fortunæ suæ sunt inhærentia; & quemadmodum conditio quælibet sua habet subsidia, non secus ac impedimenta, & difficultates ad salutem assequendam, ipsorum est, qui aliquod, quodcumque illud sit, vitæ genus, vel nativitatis jure, vel electione susceperunt, ipsorum inquam est, iis uti subsidiis, quæ illic inveniunt, easque vincere difficultates, quæ occurrunt.

Inter inæquales fortunas mutua non desunt officia; & si Principes jure ab aliis operam, curamque deposcunt, & ipsi tenentur illis suam præstare sollicitudinem, atque tutelam. In gratiarum distributione quidam justitiæ spiritus regnare debet, ne tam sint favoris, quam rationis effectus, & ne alii onerentur, cum interim alii in tenebris, & egestate sordescunt.

Cum Deus in lucem profert Principes, nobilesque viros, non tam eorum, quam populorum, qui aliquando subditi eisdem futuri sunt, habet rationem: ideo nequaquam pro se tantum uti debent omnibus conditionis suæ bonis, verum illa subditis quoque suis partim erogare tenentur. Ex omnibus, quibus perfruuntur, bonis sola voluptas illis æquabiliter utendi erga alios, sua prorsus est, eosque omnino beatos efficere potest. Ratio de aliis bene merendi illis jucundior esse debet, quam beneficium; ut dici queant, plures in una, quæ petitur, gratias conjungere, neque imitari illos, qui oris habitu tristi, ac molesto, quo sua beneficia distribuunt, inveniunt modum infelices efficiendi eos, quibus gratificantur.

Princeps per se judicare debet de meritis eorū, quibus suā auctoritatem communicat.

Assuescant oportet Principes ex semet judicium ferre de hominum virtute, eorum vero præsertim, quos facit suæ auctoritatis ministros, ut populi teneantur ipsum in sua electione colere, atque ut meritum ejus deprehendatur in eorum administratione, quorum opera utitur. Concordia, & quies populorum; optimus ordo in regno institutus; consensus partium illud constituentium, legum virtus; disciplina, & moderatio in militibus servatæ; religio protecta, ac florens; hæc omnia non aliud esse debent quam caracter spiritus ejus, qui præsidet, atque se in omnes imperii sui partes communicat.

Si ulla in terris difficilis, & periculosa est occasio, eorum sane est, quibus aliorum regimen est impositum, Principum, qui supremam obtinent auctoritatem, Dominorum particularibus tantum in locis imperitantium, qui auctoritatem habent subalternam, Magistratuum, publicorumque ministrorum, qui delegatam habent potestatem. Igitur si vel genere, vel alia qualibet causa aliis regendis te præpositum vides, te ipsum fortiter munire debes contra hujus status difficultates, atque pericula præceptis salutaribus, atque christianis, quorum hæc præcipua sunt, quibus ut animum diligentissime advertas etiam atque etiam obtestor. 1. Cave ne superbia elatus intumescas eo quod super aliorum capita teipsum intuearis; memento, quo sublimiorem obtines gradum, eo magis tibi esse metuendum juxta illud Ecclesiastici effatum c. 3. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus*. Et c. 32. *Rectorem te posuerunt? noli extolli; esto in illis, quasi unus ex ipsis*. 2. Ne consideres statum tuum tamquam bonum aliquod, & ne felicitatem putes; sed onus grave; neque velut aliquid pro bono tuo, sed propter alienam utilitatem tibi collatum. Scias illos, quibus imperas non pro te, sed te pro illis, factos esse: illi quidem reverentiam, & obedientiam tibi, tu vero multo difficiliora illis debes, curam, vigilantiam, incolumitatem, justitiam. 3. Persuasum tibi sit, quantamlibet obtineas auctoritatem, illam te a Deo recepisse; neque illius esse Ministrum pro regimine eorum, quos subdidit tibi. Hinc fit, ut secundum illius voluntatem regere debeas, tibique districta regiminis tui sit ratio reddenda. 4. Illis qui aliis imperant, imperium suum primum in semet exercendum est affectibus suis imperando, atque considerare debent turpe, ac putidum esse hominibus præcipere, & affectuum suorum esse mancipium. 5. Scias exemplum tuum plurimum posse in subditos tuos; si vir bonus fueris, virtutem tuam imitabuntur; si nequam, omnia sibi fas esse putabunt, ut Sapiens Eccli. 10. ait: *Secundum judicem populi, sic & ministri ejus: & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea*.

1. Non

Vitia & defectus a principibus viris evitandi.

1. Non debent pati adulantium illecebras, hæ quippe summorum virorum prævertunt animos, quorum conditio hac in re misera est, quod fere numquam earum rerum, quas scire tenentur, veritas illis aperitur. Ejicite, o Principes, procul a vobis adulatores, eosque arbitramini vobis infensissimos esse inimicos, quales reipsa sunt; hujusmodi pecus perhorrescite. E contra vero illos diligite, qui vera dicunt. Unum vel duos eligite necessarios, quibus explicite hanc de mandatis curam vos admonendi de iis, quæ peccabitis, & quæ vobis advertenda esse existimabunt. Hoc potissimum deest Principibus omnibus, ac illis, qui in dignitate sunt constituti. 2. Caveant diligentissime, opus est, ab avaritia, & inextinguibile divitiarum cupiditate, quæ principum virorum pestis est. Hæc in illos populorum conflat odia, eosque in plurima compellit flagitia; inde enim fluunt injustitiæ, violentiæ, innocentium oppressiones, iniquissimæ extorsiones, sexcentaque id genus, propter quæ gemunt populi sub eorum tyrannide, quod tantopere per Prophetas suos detestatus est Deus. 3. Ultionis quoque cupiditas magnum est malum, quo Principes tanto facilius se trahi sinunt, quod in promptu habent ulciscendi modum, & quod ultionem exercentes facile prætexere possunt justitiam tunc etiam, cum ex mera libidine operantur; qua in re falluntur; justitia enim publicum tantummodo spectat bonum, vel ejus, quem punit, correctionem; e contra vero ultionis cupiditas propriæ tantum satisfacere quærit iracundiæ. 4. Sed ultionem, & iram fugientes alterum evitare debent scopulum, nimiam videlicet indulgentiam, quæ in sceleribus persequendis in ignaviam degenerat. Hac in re diligentes esse decet, præsertim cum scelera publico bono, & magis adhuc cum Religioni adversantur.

Monita ad Magistratus præsertim spectantia.

Præter ea, quæ hactenus dicta sunt, quæ sequuntur ad Judices, & Magistratus peculiariter pertinent. 1. Ob oculos eorum versari semper debet eximium illud monitum, quod Sanctus Rex Josaphat tradidit Judicibus suis. *Videte, quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini; & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit*. Hoc Spiritus Sanctus per sancti Regis os omnes Judices monet. Ad hoc autem monitum exercendum summa adnitendum est cura, ut eam acquirant scientiam, quæ requiritur, ut munere suo rite perfungantur. Meminisse debent bonum, honorem, & sæpe etiam hominum vitam ab ore suo pendere; ideoque si per justitiam injustas protulerint sententias, rationem reddituros esse detrimenti, quod proximus fuerit perpessus. 3. Posito quod judiciis ferendis pares sint, ac idonei, numquam tamen tantum suæ fidere debent scientiæ, ut nihil unquam præcipiti judicio temere sanciant, quin diligenter excusserint negotia, de quibus sibi judicandum est. Ad examen diligenter vocabam, Sanctus Job ait, negotium quod implicatius mihi videbatur: *Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam*. Neque ex collegarum judicio, & multominus eorum, qui inserviunt sibi, pendere debent; sciant, si male vel per ignorantiam, vel per festinationem, vel quia alieno hærete judicio voluerint, judicaverint, sibi reparandam esse ad ultimum usque quadrantem jacturam illam, quam judicio suo pepererunt. 4. Numquam pati debent, se pretio corrumpi aut muneribus; munera enim, ut Scriptura inquit de judicibus loquens, excæcant sapientes, & justos prævertunt: *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum*. Deuter. 16. Nihil tandem illis faciendum est contra justitiam neque propter minas, aut promissiones, neque propter assentationes, ullamve hominum persuasionem. Judex hæc omnia spernere: injustitiam juxta egregium illud sapientis Eccli. 4. effatum: *Pro justitia agonizare quasi pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia*. 5. Caveant etiam, ne personarum acceptionem admittant; quod malum facile potest in Judicum, ac Magistratuum animos obrepere, & plurimas ab illis injustitias extorquere. Si liberum præbeant divitibus aditum, si illos æquis auribus audiant, eorum expediant negotia, iisque in omnibus faveant; e contra vero si pauperes repellantur, eisque intercludatur aditus; si horum negotia negligantur, atque in longum producantur, ita ut interitum, vel saltem grave incommodum subeant; hæ sunt injustitiæ ex personarum acceptione profectæ, quas Deus judicibus severissime prohibet Deut. 1. *Audite illos, & quod justum est, judicate . . . . nulla erit distantia personarum . . . . Nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est*. 6. Constanter malo adversentur, iniquitatibus, ac violentiis, quas ab improbis, præsertim vero a nobilibus viris exerceri cognoscunt. Ad hunc finem tenentur impendere quidquid possunt rationabiliter, & secundum Deum. Ne quæras Judicem fieri, Sapiens ait, nisi satis roboris tibi adsit, quo fortiter iniquitatibus resistas, ne potentis alicujus faciem veritus tuo muneri desis. 7. Justi sint in sceleribus persequendis, in improbis exterminandis, in iis opprimendis, qui requiem, publicamque perturbant securitatem sine ulla acceptione personarum. 8. Sint patroni pauperum, viduarum, orphanorum, eorumque omnium, qui injustitiam patiuntur; hoc enim dignitatis suæ munus efflagitat: *Libera eum, qui injuriam patitur, de manu superbi: & non acide feras in anima tua*. Eccl. 4. Felix sane consolatio est Judici, vel Magistratui, cum vere dicere potest, quod Sanctus Job cap. 29. publicam vocem sibi perhibere testimonium, quod tutatus fuerit pauperem, & orphanum, petentem opem, eamque nullibi reperientem; & quod liberaverit illum, quem alii persequebantur, & consolationem attulerit cordi viduarum, paterque extiterit pauperum, 9. Caveant denique ne ruant umquam in ea scelera, quæ puniunt. Qua enim fronte scelus illud punire possunt, cujus sunt participes? Quot judicia proferunt, tot sententiæ sunt in seipsos prolatæ, & quæ in damnationem ipsorum vertentur, cum a Deo judicabuntur. 10. Tandem ab aliis judicandis, & tegundis abstineant, nisi quatuor illas qualitates habuerint, quas Scriptura in judicibus, rectoribusque desiderat: vim spiritus, timorem Deo, Justitiæ amorem, & odium avaritiæ. *Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam*. Exod. 18. Hæ sunt conditiones quatuor, quas Scriptura memorat in sapienti consilio, quod tradidit Jethro Moysi, Populum Israel ducturo, illum hortatus, ut eligeret viros sapientes, metuentes Deum, veritatem, hoc est justitiam amantes, & avaritiæ inimicos.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

De Regum majestate.

Regum Majestas semper reverentiam inspirat; hæc species quædam est civilis religionis, & politici cultus, quæ efficit ut ea revereamur lineamenta, quæ divina manus in frontibus eorum insculpsit, quibus potestatem suam communicare dignatus est Deus. Licet ad nos usque sese demittant, numquam tamen ad illos usque nosmet attollere audemus. Licet sint populorum patres, sunt etiam domini, & Principes. Quæcumque sit eorum infirmitas, homo, ut ita dicam, sub Rege latet; & quantacumque sit Regum suavitas, semper tamen regni splendor, ac pompa illos tuetur. Sed cum utrumque simul consociant, cumque in oculis eorum nitet lenitas, atque clementia, quibus imperiorum austeritas temperatur; tunc in subditorum cordibus tanta fit amoris, & gaudii impres-

impressio quanta exprimi satis non potest. *Flechier Oraison funebre de Madame de Montausier.*

Honores instituti sunt ad merita remuneranda, sapientiam exercendam, hominesque ad virtutem excitandos, ideoque jure ad eos tantummodo pertinent, qui moderati sunt, justi, charitate præditi, qui eos possident citra superbiam, eosque exercent sine avaritia. Sed verum eorum usum Mundus subvertit. Appetuntur ab immerentibus, qui illos consecuti sunt, iisdem abutuntur; pro se tantum illis uti volunt, qui possident illos. Ambitio illos criminosis etiam rationibus consectatur, vanitas putat per eosdem a cæteris homines distingui; & injustitia efficit, ut omnis eorum fructus qui cum aliis esset communicandus, retineatur. *Idem ibidem.*

Quo animo spectandi sint honores, & dignitates.

Si animæ hujus magnitudo, atque tranquillitas minus essent compertæ, dicerem equidem nullam ab eadem adhibitam fuisse unquam ex iis artibus, quas ambitiosi Mundi sententiam, & secretum honores acquirendi nuncupant; nec sese illam vel importunis sollicitationibus vel ignavis assentatiunculis aulæ commendasse. Sed his majora dicere possum, & affirmare, ipsam extulisse mentem suam ultra fallaces mortalium conceptus, atque sine invidia quidem spectasse quidquid fortunam suam excedebat, sine contemptu vero quidquid infra eamdem videbatur; perquisivisse virtutem propter virtutem ipsam, non autem propter virtutis nitorem, & præmia; ipsam denique ab honoribus inventam fuisse quin ipsa honoribus perquirendis operam, animumque adhibuerit. *Idem.*

Neque satis est hoc pacto ad honores ingredi, nisi ubi possidentur, modus adhibeatur. Qui sua regere norunt desideria, non semper suam regunt auctoritatem. Superbia, quæ fere numquam recedit a gratia, acutissimum, ac præsentissimum virus est, quod sensim in principum virorum animas repit; & illi ipsi, qui in mediocri conditione ab omni ambitionis sensu abhorrebant, nonnumquam insolescunt, cum majori fulgent honore. *Idem.*

Quomodo utendum gratia apud Principes.

Vir ipse magnam habebat animam, atque non vulgatem virtutem; malebat sua uti gratia, ut aliis opem ferret, quam ut suæ utilitati consuleret. Metus de iis benemerendi qui gratiam minime rependerent, vel dolor ob ingrati animi vitium, quod in aliis deprehendit, numquam illum prohibuere, quominus omnibus gratificari certaret. Æquæ ne alicujus petitioni vis erat addenda; latens alicujus meritum in lucem proferendum; anceps gratia obtinenda; fides in suspicionem vocata roboranda, præstitum beneficium laudibus extollendum; erratum venia dignum imminuendum; salutare monitum tribuendum; mediocris fortuna procuranda? Hæc omnia alacri animo perurgebat; hic omnis ferme fructus erat gratiæ illius, quam apud Principem fuerat assecutus. Ratio ipsa conferendi beneficium eodem beneficio erat acceptior. Ipsis etiam importunis adhibebat aurem, quin tædio afficeretur, neque in ipsa etiam repulsa deerat gratia; atque sapientia illius efficiebat, ut commoda petendi tempora aucuparentur. *Idem.*

Vehementer errat, qui putat sanctitatem, & gloriam omnino simul esse non posse, & J. C. qui simul Rex erat, & pauper nequaquam sanctificasse honores æque ac humilitatem, & paupertatem. Tantum abest, duo hæc simul esse non posse, ut inter se maxime naturali vinculo connectantur; & donec res a recto non recedunt ordine, gloria est veluti umbra lucens, ac nitens, quæ ubique subsequitur sanctitatem. Utraque simul in terris originem habuere; utraque simul adhuc vivunt in Cœlo; parens mortalium omnium utramque simul accepit, gratiæ unctio, quæ eidem collata fuit, dominationi erat commixta, atque idem status innocentiæ, qui illum Creatori subjiciebat, eumdem cæterarum creatarum rerum constituebat dominatorem. Verum est, peccatum, quod quocumque ingerit divisionem, hominem a Deo sejungens; gloriam quoque separasse a sanctitate, ac infringens suavissimam societatem, quam in nobis habebant, eas redegisse, ut nullam ferme nisi inter Beatas habeant. Verumtamen Deus semper sibi fortes aliquot reservat animas, in quibus, ut melius dicam, ipse eas congregat quodammodo, ut jus illud tueatur, quod habent justi in bonorum, honorumque possessione. *In vita Cardinalis de Berulle lib. 2. cap. 14.*

Qui potentes sunt, atque bonorum affluentia fruuntur, ut plurimum se aliquid præ cæteris esse arbitrantur. Quemadmodum enim aves in aera plumarum levitate se attollunt, ita divitiæ honoribus, & nobilitatis fulgori conjunctæ iis, qui eodem inebriati sunt adeo elatos de semetipsis sensus inspirant, ut illos pudeat quacumque in re sese demittere, quamobrem S. Bernardus ait perraro humilitatem cum mundi honoribus consociatam videri. Quemadmodum enim inter commessationes ac suaves epulas periclitatur temperantia; ita humilitas christiana in periculo versatur inter sæculi honores, atque dignitates: ita ut mirum non sit, si gratia recedat, ac deserat eos, in quibus superbia suum, ut ita dicam, constituit imperium. Illi e contra, quorum afflicta, vel mediocris est fortuna, majorem habent dispositionem ad humilitatem, quia semper ob oculos eorum versatur sui generis, & conditionis ignobilitas, quæ illos intumescere non sinit. *Homilia morales.*

Nobiles facile superbiunt.

Potentes, nobiles, & plerique eorum, qui in aula versantur, sexcentis patent criminosis affectibus avaritiæ, ambitionis, vanitatis, ultionis, invidiæ, qui cor illorum lancinant. Nullum scelus est, cui præsto non sint, ut Principibus, eorumque ministris placeant, & illorum sibi benevolentiam concilient. In hoc honorem suum constituunt, si de inimicis insignem referant ultionem. Satis strenui sunt, ut vitam suam objiciant, suumque effundant sanguinem in prælio fallacem honoris auram aucupaturi; verum deficiunt, cum Deo obtemperaturi affectum aliquem tenentur infringere. Si pro Deo minimam facerent, vel paterentur partem earum rerum, quæ pro Mundo faciunt, atque patiuntur; næ illi quidem inter sanctos insigni apotheosi essent referendi. Sed strenui sunt, cum mundo serviendum est, at in Dei servitute pavidi, & ignavi, & nihilominus e contra in Deum sunt audaces, & in homines timidi. Cum hominibus reverentiam præseferunt, eosque lacessere verentur; sciunt enim ipsos quamprimum esse pœnam repetituros. Verum quia norunt etiam, Deum ultionem differre, & non semper in hac vita impiorum scelera persequi; audacter leges ejusdem infringunt. Patet ergo difficillimum esse, quod in hoc statu salventur. *Moralis Christiana l. 8. sect. 4. art. 5.*

In ipsa nobilitatis conditione salvari possumus.

Heu! quot magnis in muneribus, atque inter fulgorem dignitatum damnati interierunt, qui salutem suam operati fuissent, atque in mediocri conditione Sanctitatis laureolam fuissent adepti? Qui nescit, periculo propiorem esse, ejusque lapsum esse perniciosiorem, qui in sublimi ambulat, quam qui graditur humi? Verumtamen ne dignitate, honorem, mundum insimulet. Nulla conditio est, ubi salutem nostram operari nequeamus, & pro qua Deus gratias prorsus singulares non præparaverit. In Cœlo, immo etiam in terra non desunt ex quovis statu Sancti; & in Sanctorum album Ecclesia retulit quosdam, quorum alii diademate redimitum caput gessere, alii maxima rei publicæ transegere negotia, alii prima judiciorum subsellia obtinuere, & alii amplissimis Ecclesiæ dignitatibus fuere decorati. *P. Haineufve 3. parte Ordinis.*

Sancti Patres, cum de hoc argumento locuti sunt, numquam vel honores, vel dignitates quantumvis insignes, ac nitentes vituperandas censuerunt,

funt, sed eorum vituperarunt audaciam qui nimis ardenti earum desiderio tenerentur. Fatendum est, S. Augustinus ait, necessum esse primas in mundo sedes æque ac novissimas repleri; eorum enim qui illas obtinent, interest cæteros in ordinem cogere, sed licet aliquis digne sublimem illum obtineat gradum, se indignum præbet eodem, cum se dignum esse arbitratur.

Virtutes, quæ in nobilibus viris requiruntur, ut inter honores salventur.

Scio equidem non solam in Principibus viris humilitatem requiri, ut in fortuna sua sancti esse valeant; non satis est illos inter honores humiles esse, nisi & inter divitias sint pauperes, & inter voluptates temperantes. Hæ tres sunt virtutes, quæ reparandæ non sunt in illis, quos Deus ad summos honores, & præstantissimas dignitates evocavit. Cum autem raro accidat, ut qui ad illa evecti fuerunt, omnes illas obtineant; rarum quoque est, eos æque virtutibus ornatos sanctosque esse, quales postulat Deus. Possent proculdubio, neque extra rem esset, possent horribilia exhiberi pericula, quibus Principum salus obnoxia est; satis esset ostendere, nihil adeo operosum esse, quam in ingentium bonorum possessione pauperes, & in omnium voluptatum affluentia esse temperantes; atque corruptionem, quam peccatum in naturam invexit, in Principibus roboratam propterea quod rebus omnibus alitur; ac irritatur, efficere quodammodo, ut impossibile sit, illos sine extraordinariæ gratiæ subsidio salvari. *Sarazin in Adventu Tomo* 2.

JESU CHRISTI gratia hominum conditiones minime perturbans, neque confundens nemini aufert dignitatem ipsius, honoris gradum, magistratum, ullamve magnitudinis, quam possidet, particulam. Si minime probat scelera, & injustitias, quæ a nobilibus viris in magistratibus committuntur; neminem tamen solvit quominus illis subditus sit, atque obtemperet in iis omnibus, quæ justa sunt, & divinæ legi minime adversantur. Tanta cura tuetur hunc ordinem, ut servari subeat cum iis etiam qui accidunt pernolesti, & quorum dominatio rigida, & severa est; ea in obedientia, quæ ipsis præstanda est nullam distinctionem constituens inter eos, quorum jugum durum est, & alios, qui cum humanitate suos excipiunt subditos: per os Apostoli hoc pronunciat Oraculum: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, ad Rom. 13. Deus Reges induit purpura, Deus capiti eorum coronam imponit, Deus illis gladium, atque potestatem impertit; quemadmodum Deus ipse illis sapientiam tribuit ut leges populorum regimini perutiles irrogent. *Idem*.

Pietas non prohibet, ne Principes subjectos sibi populos bene regant.

Quemadmodum Evangelii gratia nequaquam efficit Christianos reipublicæ inutiles, atque magistratibus impares, quod olim Ethnici exprobrabant, a Tertulliano acerrime confutati: ita pietas, quæ ibi jubetur nequaquam impedimento est maximorum honorum, fulgentiumque dignitatum muneribus obeundis: ita ut viri principes digne, sancteque populos tegere nequeant. Si gratia cuilibet eam demandat provinciam, quæ singulorum talento congruit; non minus potest eos Magistratus, Principes, Dominosque statuere, qui sapienter populos regant. Quapropter D. Augustinus Christianos ab hac injuria vendicans, non secus ac Tertullianus *Ep. 5. ad Marcel.* eos, qui calumniam hanc proferebant, provocabat ut tales producerent exercitus, talesque milites, quales JESU CHRISTI doctrina formantur; tales Dominos, Reges, Judices, quales flagitat Evangelium. *Idem*.

Si Deus nonnumquam humillimum attollit, non ideo attollit, ut superbiat, & ut magnus effectus eoram hominibus, parvulus esse cesset coram ipso. Princeps, qui subditum ad Magistratum evehit, vult quidem ab hominibus majori in honore haberi, quam antea, verum illum in hac luce non pateretur, si nosset, ipsum, ratione principis ejusdem, nequaquam se habiturum tamquam parvulum, atque ex pulvere eductum. Quodcumque igitur esse possumus, & ad quemcumque gradum nos evexerit Deus, humiles semper esse debemus, & quamquam Reges non semper teneantur humiliationem præseferre, tenentur tamen semper tueri humilitatem. *Idem*.

Quare Principes sero J. C. fidem fuerint amplexi.

Superbia honoribus roborata effecit, ut primis Christianæ reipublicæ temporibus Regum, Principumque conversio adeo rara esset, atque difficilis. Et sane videmus sero tandem Imperatores, ac Principes Christianæ militiæ dedisse nomen; videlicet postquam trecenti, atque ultra a JESU CHRISTI morte effluxerant anni. Ad hæc scimus illos paulatim Christianam religionem amplexos fuisse; & reliquam Principum turbam, qui mox sacro abluti fuerunt baptismate, tunc tandem hoc suscepisse consilium, cum nullum amplius aderat periculum jacturæ bonorum, dignitatis, vitæ, & cum nullam metuebant proscriptionem, ac dignitatis suæ decrementum. Undenam, amabo vos, hoc proficiscebatur pertinax odium, quo Principes viri hanc Religionem horrebant? nisi quod illam spectabant tamquam fastus hujus mundi inimicam, neque ullum, quantumvis nobilissimum, admittentem; quin illum cogeret, ut in ipso honorum fulgore humilem; & annichilatam vitam traduceret? Hac de causa Optimates sero ac post tot prælia, in JESU CHRISTI castra migrarunt. Cum enim ipsis pro vitæ norma proponeret annichilationem crucis JESU CHRISTI, neque fidem recipere possent, nisi se cum JESU CHRISTO humiles futuros pollicerentur; non poterant se huic jugo submittere, quod ambitioni suæ adeo videbatur oppositum? *Idem*.

Ars potissima, qua superbus mundi spiritus utitur, est illis omnibus, qui præcipuis nitent dignitatibus fulgorem tantum ostendere, qui easdem concomitatur, eorum vero oculos claudere, ne videant magnitudinem Dei, qui illos de pulvere eduxit. Ars hæc fere semper e voto illi cedit: cumque Dei magnitudo in dies magis magisque fugiat oculos superborum, accidit, ut propriæ amplitudinis conceptus ita augeatur, ut nihil aliud ultra videant, neque cogitent amplius se parvulos esse, & a Deo ex nihilo eductos, atque jussu illius ad solium evectos. Facile videre est, mundi spiritu principum mentes hoc pacto fascinari, quorum nonnullos eo usque insaniæ superbia pertraxit, ut se Deos putarent, auderentque dicere, nullos se majores Deos invenire. Scriptura fidele est testimonium horribilem hanc probans cæcitatem: *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus*? Exod. 5. Undenam egredi possunt adeo impiæ blasphemiæ, nisi ex misera cæcitate, quæ hisce calamitosissimis hominibus abscondit veram Dei celsitudinem, ipsisque eorum tantummodo gloriam ostendit? *Idem*.

Principes intumescunt quia seipsos ab norunt.

Ut salutem nostram operemur nihil est magis necessarium, quam nosse quid simus, & cognoscere nostram quidem infirmitatem, ut humiliemur, scelera vero nostra, ut perhorrescamus. Cognitio hæc Mundi principibus est quodammodo impossibilis; illorum indumenta, servorum caterva, pompa illa, qua stipati sunt, honores, qui deferuntur ipsis, reverentia, qua excipiuntur, non sinunt eos videre, se ab aliis hominibus nequaquam esse dissimiles; excepta externa hac specie inter servos eorum miseros esse, qui rebus in omnibus eidem æquantur; simplices tantum, atque idiotas discrimen aliquod invenire, quia externo hoc fulgore se falli patiuntur; nullum tamen a sapientibus deprehendi; mortem illos cum novissimis e plebe confusuram esse, & Deum ipsum, qui judicio suo falli non potest, nequaquam eos distinguere a populo ea in cura, quam de ipsorum gerit salute. *Quoniam pupillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus*. Sap. 6. *P. de la Colombiere Sermon. de Epiphania*.

Haud equidem ignoro nobilium plerisque propter status sui dignitatem pretiosas induendas esse

vestes,

vestes, supellectiles, atque servorum catervas habendas, quæ superbiam, & vanitatem inspirant, magna servanda bona, ac illos sodalitatibus, & sæpe etiam voluptatibus, mundique solatiis interesse debere. Sed in hoc ipso sita est salutis ipsorum difficultas; hæ quippe humanæ obligationes nequeunt illos a christianis officiis exolvere; eos esse oportet humiles in honore, in deliciis mortificatos, in locupletissimorum thesaurorum possessione pauperes, in rerum omnium usu, atque affluentia ab omnibus rebus divulsos; oportet, tantum ab hoc mundo abhorrere, quem tamen pati, & cum quo tenentur consuescere, quantum horrerent cadaver, cui inviti essent alligati; atque veluti crudelissimam servitutem putare, necessitatem illam, qua voluptatum omnium esse debent participes. Utrum vero facile sit inter hæc eos fovere sensus, quos vix Anachoreta in deserto tuetur, penes vos æsto judicium. *Idem*.

Quænam habeant salutis impedimenta. Viri nobiles semet in seipsis defendere debent a carne in otio, & mollitie innutrita, ab igne interiore, cui indesinenter omnia illa suggeruntur alimenta, quæ aptissima sunt ad eumdem inflammandum, magisque accendendum. Extrinsecus vero Mundus non ostendit solum objecta nobilium oculis; hæc illorum offert desideriis, hæc ut ita dicam, in manibus eorum constituit iis omnibus exutas difficultatibus, quæ alios deterrent. Pauci profecto mortales aliquando avaritiæ, ultionis, ambitionis sensu non tanguntur; hæ cupiditates statim illos excæcant, quos possident: sed antequam qui opibus non diffluit, qui modicam habet potestatem, rationem invenerit eisdem satisfaciendi; periculum imminens, curæ, quæ suscipiendæ sunt, tempusque ipsum oculos eidem aperit, & cordis perturbationi malaciam reddit; cum interim vir dives, ac potens semper in manibus habeat, unde sua expleat desideria; & vix pravum aliquod iniit consilium, cum jamjam ipsum explevit: omnia illi semper in promptu sunt, ut quod cupit, illico exequatur. *Idem*.

Quid ergo? Opusne est, ut qui in honore, & affluentia versantur de salute desperent? Haud ita profecto; sed opus est ut cum metu, multaque sedulitate salutem suam operentur; opus est ut ferventibus, jugibusque precibus cœlestem opem, qua carent ad evitandos laqueos, quibus septi sunt, mereantur, atque frequenti Sacramentorum usu seipsos contra adeo terribiles hostes muniant, atque confirment. Præ cæteris vero opus est ut in ea, in qua sunt necessitate, ornatissimas vestes gerendi, magnifice habitandi, ad delitias usque famulorum opera utendi, & inanibus mundi voluptatibus oblectandi; opus est, inquam, ut in hac necessitate caveant, ne quid faciant ultra id, quod mera necessitas exigit, & status sui decorum exposcit. Cum hoc feceris, si aliquod intereundi periculum subieris, dicere poteris, ipsam in illud te impulisse providentiam, ac ejusdem interesse, te illinc eripere. *Idem*.

Mundi hujus potentes alteri in vita gravius manet supplicium. Utique; Mundi hujus potentes gravius expectare debent supplicium, quam cæteri. *Fortioribus autem fortior instat cruciatio*. Sap. 6. Quia? Primum propter ingrati animi vitium in Deum, qui cum illos bonis cumulaverit, atque ut videtur, pro illis reliqua creata fecerit, non invenit in illis eam gratitudinem, quam beneficia adeo insignia merebantur. Ad hæc magis patientur, quam qui in hac vita miseri fuerunt; hi enim peccatorum suorum partem iis expiarunt incommodis, quos passi sunt; potentes vero, qui semper inter delicias versati sunt, ac nihil divinæ justitiæ persolverunt, totum ex asse supplicium cogentur dissolvere. Tertio quemadmodum nihil eorum cupiditatibus obstitit, atque summa nacti sunt peccandi facilitatem, fieri non potest, quo minus scelerum eorumdem qualitas, aut numerus peccata longe superet, quæ in tanta fortuna patrantur. Adde, illis non de suis tantum scelerum reddendam esse rationem, verum etiam de alienis, seu quod exemplo suo, quod contagionem afferre consuevit, vitium, & vanitatem invexerint, aut confirmaverint. *Idem*.

Verum enim vero quos thronos, quos triumphos non præparat Deus heroicis virtutibus, quæ inter corruptissima quæque roboratæ, auctæque fuerint? Quibus encomiis excipietur humilitas illa, quæ inter honores enituerit; spiritus paupertatis, qui inter cumulatissimos thesauros non defecerit, hic voluptatum horror in iis, quos voluptates ipsæ videntur conquirere; intemerata puritas in aere adeo tabido, infectoque in mundo, qui ubicumque illi insidias struit, eam persequitur, eam improbat, verbo, qui sibi gloriæ vertit obscœnissimam impudicitiam? *Idem*.

Adulatio in sacrilegium migravit, cum Principibus dicavit aras; at veritas docet, si illi reipsa non sunt numina, esse tamen viventes divinitatis imagines in terris, & quidquid contra sacras eorum personas intentatur, peccatum est, quod secundum obtinet gradum post ea, quibus ipsa lacessitur divinitas, cujus imaginem referunt. At non solus principatus caracter ex nobis reverentiam expetit; quem nisi virtutis nitor commendet, illos magis hominum contemptui objicit, eorumque vitia magis efficit horribilia, cum illorum vereamur dignitatem. Virtutes in Principibus præcipua sunt, magisque manifesta lineamenta divinitatis: status, ad quem illos extulit Providentia, quamdam expetit proportionem inter eorum pietatem, ac magnitudinem, ac vult, eos tantum per illam distingui, quantum per hanc honorantur. Principibus adhibenda reverentia.

Terræ hujus Principes ad Cœlum ascendunt eo fulgore, qui undequaque suum jubar emittit; & in cœlum ferunt tributum plurium particularium sanctitatum, quas publica eorum sanctitas attrahit; Religio enim propugnata, virtus quidem præmiis, vitium vero suppliciis affecta; servati innocentes, jus suum cuicumque traditum, patriæ salus, publica felicitas eorum triumphi pompam constituunt. *Essais de sermons pour l'Avent*.

Terræ hujus Principes non semper tenentur apparere humiliati, sed humiles semper tenentur; & Deus ipse, qui eos solium jubet ascendere, ut supra cæteros attollantur, illis simul præcipit, ut erga ipsum se tamquam novissimos ex plebe arbitrentur. Corona, quam Reges deferunt, signum est, super ipsos etiam esse Deum; hæc docet quod si hominibus imperant se minoribus, Deus similiter imperat ipsis, & vult illos coram se adhuc minores esse, quam coram Regibus cæteri homines sint. Monitum hoc mundi principibus tradit Ecclesiasticus: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus*. Eccli. 8. Quo major es in oculis hominum, eo minor esse debes in oculis Dei; quo magis extolleris, eo magis erubescere debes, inquit Apostolus, quia nihil habes quod ex mera Domini misericordia non acceperis; cumque id per illius misericordiam acceperis, agnoscere debes naturalem paupertatem tuam, ac in illud reverti nihilum, unde egressus es. *Essais de sermons pro Quadragesima, feria quinta post Cineres*. Principes esse debent humiles.

Nisi eximia sanctitas adsit, dignitates fugiendæ sunt, atque evitandæ, Doctores ajunt, propter frequentia cadendi pericula, quæ in illis occurrunt. Fulgor, quo septæ sunt dignitates, auctoritas, quam deferunt, opes, quæ illas concomitantur, totidem sunt scopuli, in quos periculum est, ne salus nostra allidatur, totidem sunt dæmones, qui interitum nobis moliuntur. Fulgor mentem perstringit, ac inflat; auctoritas voluntatem perturbat, atque corrumpit, divitiæ cor molliunt, & vitiant. Quænam requiritur virtus, ut humiles simus in honoribus, ut justi simus in imperiis, ut temperantes simus in affluentia? *Ibidem pro Dominicis. Sermone pro Dominica 2. post Pascha*.

Quam rara in principibus humilitas. Verum est, imperare Deum, ut honorem deferamus superioribus nostris; quemadmodum dignitas eorum

eorum illis quoddam tribuit divinæ Magnitudinis radium ac qui Dei locum in terris obtinent, ita illos revereri nos decet; alioquin eorum contemptus in Deum ipsum relaberetur: *Qui vos spernit, me spernit*. At non vult Superiores ita vanos esse, ut ob honores sibi delatos superbiant, atque ob debitam sibi reverentiam intumescant. Attamen difficillimum est honores inter, ac humilitatem prælium. Honores tantam vim habent in hominum animis, ut pro victoria, quam semel eorum refert humilitas, vanitas eorum sexcentos triumphos reportet. Ita humilitas inter dignitates est virtus heroica, licet in humili, abjectaque conditione mediocris sit virtus. *Idem*.

Ideo tantopere nitent dignitates, atque populorum sibi reverentiam conciliant, quia imperii conferunt auctoritatem; & hæc auctoritas ipsa eos, qui iisdem insigniti sunt, in salutis suæ discrimen adducit. Et ratio est, ut enim bene utantur auctoritate, Deum unum respicere debent; etenim ut S. Paulus ait: *Non est potestas nisi a Deo*. Hanc autem auctoritatem in Regibus, in Ecclesiæ Præsulibus, ac Magistratibus debemus agnoscere. Propter hanc illis omne reverentiæ, & obedientiæ genus debemus; & Dei resistit imperio, qui eorum edictis obtemperare detrectat. Ex hoc Apostoli argumento sequitur, quemadmodum subditi respiciunt Deum obtemperantes legibus Principis a Deo dati, ut nobis imperaret, Principibus quoque, omnibusque superioribus, ut auctoritate sua bene utantur in suæ potestatis usu Deum esse respiciendum. Non debent imperare, ut sibi pareatur, sed ut obediatur Deo, & ut voluntas ipsius expleatur. *Idem*.

Periculum in quo versantur Principes utendi sua auctoritate.

Auctoritatis, quæ in mundo habetur, usus non minoribus periculis salutem objicit, quam usus divitiarum. Quemadmodum homines vulgo ad honores obrepunt, ut inter cæteros niteant, vel ut rei consulant familiari, sua non utuntur potestate, nisi propter seipsos. Hinc fit, ut minime persequantur injurias, quibus Deus lacessitur; eæ vero, quibus homines afficiuntur, parum juste, & æque judicentur. Neque dixerim familiare esse, ut qui in dignitate constituti sunt, manifestas, gravesque injustitias committant; sed consanguinei alicujus, amici hominis in mundo potentis, cujus indignatio metuitur, & nonnunquam viri probi, a quo præverti nos patimur, consideratio, negotiis faciem prorsus aliam appingit. Nullum adeo pravum est, quod ex aliqua parte inspectum, minus videatur iniquum; ideo qui favet, hic primus sibi persuadet, se id mere facere, quod justum est. *P. Cheminais Sermone de S. Ludovico*.

Difficile est simul & potentiæ, & justitiæ plenitudinem intueri: posse, quidquid velis, & solum velle, quod debes. Suprema auctoritas aliquid in mente relinquit, quæ omnia replet, & tunc etiam cum tibimet imperas, etiamsi imperans aliis temet intra cancellos contines, difficile est, ne aliquando prætergrediatis. Quamobrem nullæ satis umquam Deo gratiæ possunt agi, & haberi, cum illis subjecti sumus Principibus, qui ut magnitudini suæ frænum injiciant, sæpe cogitant, si subditis suis dominantur, sibi quoque Deum dominari; omnem potestatem suam cæcam, insanamque futuram, nisi illam æquitate compescerent, ac futurum ut minime possent exemplo subditorum injustitias coercere, nisi propriis affectibus imperitarent. *Liber, qui inscribitur, Vitæ Prophetarum. Vita Isaiæ*.

Difficile est Christianam vitam in aula traducere.

Luxus, & magnificentia dominantur in aula; quod profecto summum est pœnitentiæ, & christianæ vitæ impedimentum pro Aulicis, qui Mundo tamquam numini suo thus adolent, & qui omnes spes suas vitæ hujus terminis circumscribunt. Constat enim, Mundi pompam ita oculos perstringere, & fascinare, ut sub hoc fallaci, & jucundo velamine vitium minime videatur. Non modicus requiritur labor, ut nosmet a suavi hac fraude, blandaque illusione tueamur. Hæremus in cortice, qui nitet, ac placet, neque interiorem possumus scrutari partem, ubi sub magnificis indumentis fœditas latet. *Ex Anonymo Auctore*.

Ideo Sancti omnes dignitatem pondus esse censuerunt, de quo Mundi Principes rationem erunt reddituri Deo, & ob cujus abusum sævissimis cruciatibus punientur: *Potentes potenter tormenta patientur*. Sap. 6. Funestum, fulmineumque Spiritus Sancti verbum quam potens es ad infringendam Principum audaciam ac summa superborum montium cacumina concutienda? Ne appetamus, Fideles, tristissimam hanc Principum mundi prærogativam, neque illis invideamus potentiam, quantumlibet fulgida, & suavis nobis videatur. *Pater Dozenne libro de Divinitate JESU*.

In ipsis dignitatibus possumus sanctificari.

Pompas, luxumque mundi contemnere non est donum adeo inhærens cœnobiis, atque solitudinibus, ut desint ejus rei præstantissima exempla in nobilissimis etiam conditionibus, & in aula, quæ ut ita dicam, centrum est mundanæ vanitatis, ubi hæc mundi figura nitidius lucet, atque exhibet objecta magis idonea ad fallendos animos, atque effectuum libidinem excitandam. David, Esther, S. Ludovicus habuere vim sese ad æternitatis cogitationes attollendi; secretam cum Deo necessitudinem fovendi, eidem in corde suo thronum constituendi, ubi solus dominabatur, ubi in spiritu, & veritate colebatur, ubi licet voluptatum omnium urgerentur illecebris, semper tamen rationi aures adhibebantur, & lex Æterni Dei servabatur. *In Collectione orationum Accademiæ oblatarum anni 1703*.

Fateor equidem inter principes raro inveniri vitam Christiano homine dignam; eorumque conditionem maxime petere fallacibus mundi hujus illecebris. Magnus nominis sui rumor, quem sibi stuporem afferre sinunt, probibet, ne audiant vocem Domini illos ad sese revocantis; ut plurimum fortuna quæ illos extulit, eos excæcat; gradus, quem obtinent, eos perstringit; auctoritas, quam habent, eorum cor inflat; thus, quod illis adoletur, eorum excitat superbiam; magnifica aulicorum, qui stipantur, caterva fallacem illis promittit statum, nemini obnoxium. Cum in eorum potestate sit positum affectibus omnibus satisfacere, raro illis resistunt; defectus suos virtutes censere consueverunt, qua in seipsos fallunt: ambitio heroicum ipsis studium videtur; ultio animi magnitudo; luxus magnificentia, prodigalitatem pro liberalitate, dissimulationem pro prudentia, temeritatem pro virtute desumunt. Fatendum nihilominus est in hoc etiam statu, quantumvis periculosus ille sit generosas animas inveniri, quas neque prava exempla seducere, nec mollities frangere possunt, qui omnem dignitatem suam vero illius auctori acceptam referunt, & qui ideo super leges esse videntur, ut eas diligentissime ab omnibus servari contendant. *Idem Serm.* 3.

Quid cogitare debeat magistratum obtinens.

Qui vere Christianus est, atque Magistratum obtinet non solum semetipsum considerat tamquam regiæ potestatis depositarium, sed etiam a Dei potestate, atque auctoritate pendentem. Videns potestatem, quam habet in vitam aliorum, videt vitam suam esse in manibus Dei. Considerat tribunal, pro quo sedet, imaginem esse terribilis illius tribunalis, ubi vel minimæ actiones suæ judicandæ, ac reformandæ erunt tamquam gravissimæ in sese latæ sententiæ: eos sensus induit, quos S. Bernardus Centurioni Evangelico tribuit: Domine, habeo equidem homines, qui meis parent imperiis, & ego impero illis, attamen homo sum: *Homo sum sub potestate*. Dignitatis suæ intuitus non terret illum; conjicit oculos in infirmitatem suam, antequam magnitudinem suam contempletur; cogitat prius se hominem esse, antequam se potentem esse consideret. *Ex Manusc. Sermone*.

Potentes sæculi! quando potestate, atque auctoritate vestra utimini, ut vobis serviatur, atque obtem-

obtemperetur; quin illud quæratis, utrum serviatur Deo, quam eidem contumeliam infertis? Cum videtis ministros vestros avaros, famulos impios, quin illos corripiatis, dummodo familiaris vestræ rei curam utiliter gerant, quodnam de vobis ferri judicium potest, quænam vestra in Deum est sævitia? Nonne tunc de vobis dici jure potest, vos ea, quæ Dei sunt, omnino negligere? Utque vestræ infelicitati cumulus accedat, servorum vestrorum flagitia nullo in discrimine habetis, dummodo vobis sint utiles. Nonne jure affirmare licet vos omnium officiorum vestrorum potissime oblivisci; quandoquidem ob id unum potentes estis, & hanc in illos auctoritatem obtinetis, ut illos Deo obedire cogatis? *Idem*.

Summi viri indigent imis, ut vivant. Humiliamini, o Mundi divites! non enim subsistitis, nisi eorum ope, quos conculcatis. Perpendite quid sit omnium strenuissimorum Imperatorum magnitudo; quot mortalium opera indigent, ut suam dignitatem, & gloriam tueantur? Numquid propriis tantum lacertis tot victorias referunt? Numquid propriis tantum oculis tot Provincias regunt? Nonne egent Prætoribus, Magistratibus, Ducibus? De quo igitur gloriari possunt, quandoquidem nonnisi aliorum opera fulgent? Si consideratis statum alicujus Magistratum obtinentis, vel Judicis; invenietis ne suæ tantum vigilantiæ deberi tot negotia acta, transactaque, tot causas, ex quibus victores evasere? Nonne iis indigent, qui sibi a secretis adsint, qui rerum consuetudine polleant, qui pro ipsis scribant? Considerate, Fideles, absolutam eorum omnium, qui maximi habentur, egestatem; quot mortalium indigent cura? Numquid suæ valetudini student, morbo laborant, senio confecti sunt? licet tot opibus diffluant, per se contenti esse non possunt. Hinc oritur mutuus statuum omnium, & conditionum nexus, hinc mutua artium, scientiarumque subordinatio. Si potentes in ipsorum negotiis inter honores intueamur, videbuntur illi quidem a nemine pendere; sed illos in morbis debiles, & languentes considerate, nonne alienam opem exposcunt? *Idem*.

O potentes sæculi! si genus, & nobilitas vos a populo secernunt; mors, ac putredo vos eidem æquabit; infimorum animæ æque pretiosæ sunt ac vestræ. Mementote, supremum Legislatorem æquum esse, neque alias pro ignobilibus, ac pro vobis leges tulisse. Eadem Evangelia, eademque præcepta vobis observanda sunt; Paradisus idem sperandus; idemque metuendus infernus. Considerate etiam JESUM CHRISTUM non pro divitibus magis, quam pro pauperibus sanguinem effudisse, neque illorum factis aliud fore præmium, quam virtutibus horum, dummodo paria sint utrobique merita. Hinc Salomon, qui noverat quænam ratio summis viris habenda esset pauperum, ait illis: *Audite Reges, discite Judices*. Sap. 6. qui super alios auctoritatem habetis: scitote potestatem vestram ab uno Deo vobis fuisse collatam: *Data est a Domino potestas vobis, & ipse interrogabit opera vestra*. Vos qui jus dicitis, mementote, vos quoque vicissim a Deo esse judicandos; & judicandos secundum opera vestra, non autem secundum numerum adulantium, quibus stipati estis, & qui vobis soporem induunt, ne vestrum agnoscatis officium. Scitote ipsum vobis exprobraturum, quod cum effetis sui Regni Ministri, leges illius non servastis, cum vestrum esset efficere, ut ab aliis servarentur: vos in via mandatorum ejus non ambulastis, cum in terra constituti essetis, ut in eam alios induceretis; vos easdem vestris affectibus, negotiis, peccatis subjecistis, cum iisdem utendum vobis esset ad Dei honorem, & gloriam. *Vos, o potentes potenter tormenta patiemini*, pergit Sapiens c. 6. Ubique dominari voluistis, sed heu! non sine gravissimo damno tamquam domini, principesque pœnis afficiemini; cum enim peccata vestra graviora, quam aliorum fuerint, graviora quoque, & severiora supplicia a justitia Dei expectare debetis. *Pusillum, & magnum fecit Dominus*; ideoque in utrumque secundum singulorum statum animadvertit. Contremiscite ergo o Principes, divites, potentes &c. *Idem*.

Nemo audet summos viros corripere quod illis utile foret. Hæc superbia, quæ a throno videtur inseparabilis; asserta hæc libertas faciendi quodcumque lubet, commentitium hoc jus actiones suas ex voluntate, voluntatem vero ex affectibus suis regendi; hæc adulantium caterva, qua stipati sunt, & qui non ministri solum, verum etiam laudatores sunt vitiorum eorumdem, multitudo hæc invidentium, & Aulicorum, qui ut Principi placeant apud illum in suspicionem vocant fidelissimos Domini Ministros; hæc omnia præstant, ut viro potente, præsertim vero Principe minime æqui, bonique faciente redargutiones, quibus corripitur; opus sit, ut Deus, vel homo non vulgaris divino animatus spiritu, divinaque indutus auctoritate adeo gloriosam, sed simul adeo difficilem provinciam suscipiat. *Fromentiere Serm. de S. Joanne Baptista*.

Innocentiam eo in statu servari, ubi nulla occurrit illius labefactandæ occasio; non admodum mirum est: Sed in magna fortuna servari; cum omnia possumus, velle solum, quod fas est; cum omnes Inferorum potestates hominem obsident, omnibusque illius sensibus potiuntur, tamquam totidem viis, per quas in cor ingressus pateat; esse tamen vigilantem, ac strenuum, ut adeo vehementes impetus sustineamus; hoc, auditores, simile est prodigio, & omnes naturæ vires excedit. Absit tamen, ne impossibile existimetur, quod difficile tantum est. *Idem Serm. de S. Sulpicio*.

Flagitiosa plerorumque Principum vita. Potentes sæculi! ullane in vestro vivendi genere Religionis umbra invenitur inter tot prospera, ac tot dignitates? Ut plurimum nulla domus flagitiosior est, quam vestra; nulla Sacramentorum frequentia; nulla fere actio pietatis, humilitatis, patientiæ, justitiæ. In aula ne versamini! Quot malorum nexus!..... Ullusne homo in mundo est, præsertim vero in aula, qui vel otiosus, vel voluptatibus deditus cæce non ruat in omnes solatii, aleæque occasiones, quæ sibi exhibentur? At enim occasiones hujusmodi non sunt criminosæ: nescio equidem, verum saltem fieri possunt; & ars abstinendi ab iis, quæ vetita sunt, S. Gregorius ait, est a licitis abstinere. *Idem*.

Considerate eorum statum, ac vitam; raro de Deo cogitant; nullas habent gratias illi, a quo tot beneficiis aucti fuerunt; numquam seipsos intuentur, ut vanitatis suæ impetum cohibeant; nulla est nequior familia, quam sua; nullibi servos invenis qui vel facilius blasphemias evomant, vel impudentius in omne libidinis genus ruant. Nulla Sacramentorum frequentia, nulla mortificatio; nulla pœnitentiæ legibus, alioquin inevitabilis, subjectio. Primasne Regni obtinent dignitates? Quænam malorum series! Aures illis adhibet Princeps? numquam illi vera dicunt, nisi forte veritas ipsis sit profutura; semper parati ut vitium æque, ac virtutem tueantur, si res sua postulet; semper favorem, numquam conscientiam sectantes. *Idem*, *Sermone de S. Francisco Borgia*.

Sanctitas in aula, & inter honores. Inde vero gratiæ virtus præsertim elucet in homine, qui in ipsa aula sanctus est, quod per hanc transit fortunam, quin unquam corrumpatur. Terra cum omnibus bonis suis numquam illius allicit animum; numquam suis dignitatibus inflat, aut voluptatibus decipit: & quemadmodum lumen nullas umquam sordes contrahit ex iis, quæ attingit; ita magnus hic vir ex magis periculosa sæculi, aulæque contagione egressus est cum innocentia filiorum Dei, & cum sui Baptismatis gratia. *Idem*.

Nobilis in mundo vir, si vitam Christiano nomine dignam vivere vult, omnibus generis, fortunæque suæ bonis utetur tamquam si non uteretur; ea possidebit, tamquam si non possideret; neque aulæ mundoque adhærebit: fortunæ, opes, honores, digni-

dignitates frustra cor illius allicere conabimini; ille medius inter vos pertransibit, scit enim vos quoque transituras; & si in mundo est viatoris instar prætergredientis, scit Mundum quoque figuram esse prætereuntem, fulgidumque phantasma, quod evanescit: *Præterit enim figura hujus mundi. Idem.*

S. Augustinus loquens de zelo, quo Reges persequi, ac punire debent hæreticos, quærit, quomodo illi Deo valeant servire, & respondet, posse utendo auctoritate sua ad prohibendas, & ulciscendas injurias, quæ gloriæ illius afferuntur, & præclaram hanc addit sententiam: *Aliter servit, quia homo est, aliter quia etiam & Rex est.* Plurimum quidem discriminis interest inter eum cultum, quem Deo Rex adhibet, quatenus homo, & eum, quo illum quatenus Rex veneratur. *Quia homo est, Deo servit vivendo fideliter; quia vero etiam Rex, per leges justa præcipientes.* Quatenus homo Deo servit in semet privatæ sanctam vitam exercens; sed servit Deo quatenus Rex, cum pro causæ ejusdem justitia omnem legum adhibet severitatem. Credant quidem Reges, ut cæteri fidelium fidei veritatem; at eas tamquam Reges tueantur usu utriusque potestatis, quam Deus eorum adjecit auctoritati, militaris quidem armorum, politicæ vero legum. *Biroat Oratione funebri Reginæ Annæ Austriacæ.*

Adulatio causa est, ne viri Principes unquam suos corrigant defectus.

Adulatio viros Principes ita obsidet, ut plerique cum omni defectuum suorum numero, & vitiis, quæ vel a natura, vel a consuetudine contraxerant ad plures habeant. Hinc fit, ut licet non desint, qui insignibus refulgeant virtutibus præditi, paucissimis non sint obnoxii defectibus, atque fragilitatibus; ideoque illud nobis dumtaxat consulendum est, quod de ipsis post ipsorum narratur occubitum. Paucissimos dixi, non enim aliquando desunt, qui in ipsa adolescentia a Providentia exerciti in adversis didicerunt; adversa quippe omne removere consueverunt adulantium pecus, a quo corrumpuntur; vel qui a teneris usque unguiculis ad solidam pietatem efformati didicerunt sumetipsos sæpius coram Deo excutere, atque in cordibus suis actionum vitia scrutari. Ideo Principes fidem nequaquam adhibere debent omnibus encomiis, quibus celebrantur. Ipsos suimetipsorum censores esse oportet; in se inquirere, quod ibi videtur ab aliis, ac sibi occulitur; se cum minoribus comparare, ac meminisse, quod in aliorum vita vituperandum inveniunt, adhuc magis vituperandum in ipsis esse, & re vera magis vituperari. *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

Pœnitentia, & mortificatio semper quidem admirabiles sunt in hominibus; verum fatendum est, peculiare illarum esse decus, & meritum, cum in nobilibus, Principibusque inveniuntur, ubi dicere possumus dupliciter esse supernaturales. Virtutes hæ in semet supernaturales sunt, superant enim naturam, & nonnisi per gratiæ motum efformantur; iterum vero propter conditionem suam sunt supernaturales. Ut Princeps aliquis generosus sit, strenuus, magnus, liberalis, politicus, non est, cur supra conditionem suam seipsum attollat, vel sua studia impugnet; satis est illa sequatur. Hujusmodi virtutes quodammodo fortunæ illius sunt naturales: sed pietas, pœnitentia, humilitas, omnino principibus supernaturales habentur; & ad eas exercendas, oblivisci debent quod sunt, supra conditionem suam assurgant oportet, eamque impugnent, & vincant. *Biroat Oratione Funebri Domini de Longueville.*

Inter principum officia non postremum esse debet, in Deum transferre honorem, qui sibi adhibetur, atque totis viribus contendere, ut regnet Deus: quemadmodum enim gloria omnis pertinet ad Deum: *Soli Deo honor, & gloria*; opus est, ut principes eam Deo referant, quæ sibi defertur, eaque utantur, ut Deus glorificetur. At ratio hoc munere perfungendi non est simpliciter coram Deo omnem hanc humanam gloriam abjicere, quæ eorum inhæret conditioni, neque coram eodem fateri, non ad se, sed ad illum pertinere; verum in hoc posita est, ut exemplo suo virtutibus omnibus honorem concilient. *P. Texier in Quadragesima.*

Principum status omnibus fere virtutibus est oppositus.

Nulla fere Christiana virtus est, cui Principum status aliqua ex parte non adversetur, & a qua non recedat. Adversatur spiritui fidei; fides enim a visibilibus, præsentibusque rebus nos separat, ut invisibilia, æternaque consectemur; nobilitas e contra efficit, ut visibilia, at præsentia in deliciis habeamus. Adversatur spei Christianæ; hæc enim virtus efficit, ut honorem, subsidiumque nostrum in Deo uno constituamus; nobilitas vero suadet, ut in opibus spem omnem collocemus. Adversatur spiritui charitatis: charitas enim non quærit quæ sua sunt; nobilitas vero seipsam dumtaxat considerat. Adversatur spiritui meditationis, per jugem mentis evagationem, quam exigit; spiritui pœnitentiæ, per eas voluptates, quas nobis suppeditat &c. *Idem.*

Principes invenient fortasse fideles famulos, a quibus admoneantur de periculis, ipsorum vitæ aut fortunæ imminentibus; qui illis placere gestient, qui terrena eorum negotia sanctissima fide procurabunt; sed amicos ita fideles, ut de eorum vitiis commonefacere velint cum periculo ex eorum gratia excidendi, nullos prorsus habebunt; hæc enim virtus est, cujus ne unum quidem ferme extat exemplum. Si dissimulaverimus, certi sumus futurum, ut placeamus; si veritatem dixerimus, illud ad summum sperare possumus, futurum ut minime displiceamus. Quis autem superare poterit affectum illum, quo naturaliter eorum gratiam captare contendimus, qui nos beatos efficere possunt? Illi, quibus animarum eorumdem cura credita est, se satis putant efficere, si illos tantum monuerint de iis, quæ facere tenentur; immo nihil prætermittunt, quod molestam hanc veritatem lenire potest; timent hanc illis proponere ea vi, quæ de rebellibus etiam animis triumphum referre consuevit; non audent illam in eam, quæ par est, lucem proferre; non audent vitium ostendere ea ex parte, qua ab omnibus videtur, & quæ illis odium ciet. Quotusquisque est, qui illis necessariam hanc operam præstet? *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

Nobiles sæpe sunt flagitiosiores.

Jeremias Propheta dolore confectus, quod in Jerosolymitano populo neminem videret, qui impune Dei legem non frangeret, cum ibi deprehendisset Magistratus injustos, Mercatores fœnori intentos, pauperes etiam impatientes, & invidos, decrevit tamen se ad Principes, reique publicæ Optimates convertere, ratus procul dubio, quo plura illi acceperant a Deo, eo diligentius illius mandatis esse obtemperaturos: *Ibo ad optimates ...* Sed heu! quam longe spes sua illum fefellit! *Et ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula.* Jerem. 5. Invenit illos majori adhuc licentia legis jugum excussisse. Quam metuo, ne hodierna mihi die id accidat, quod Prophetæ, inquirenti apud viros principes eam divinis, Ecclesiasticisque mandatis obedientiam, quam in populo non invenio. Non est, cur vos palpem; plerique principum hujus mundi putant, non postremum conditionis suæ privilegium esse omnes leges negligere, sibique, suæque dignitati vim fieri, cum aliquid licentiæ suæ cancellos, finesque constituit. Populus, qui non admodum audax est, nonnisi contremiscens ut plurimum a lege recedit; sed Principes, cum nulla re coerceantur, audacter omnia perfringunt vincula, quibus Religio studia eorum compescere, eorumque concupiscentiam ad officium vellet redigere. *Ruperunt vincula. Fromentiere, Sermone de Purificatione.*

Principes magis, quam cæteri mortalium cognoscere debent Dei majestatem, atque omnipotentiam, ne ea pompa, qua septi sunt, se sinant perstringi; & facilius illi, quam cæteri vulgo dignos de eadem

sensus

sensus concipere possunt: Plurimorum subditorum Domini, terrorem sua potentia injicientes, in divitiarum affluentia inter Dei, ac propriam magnitudinem illud experiuntur discrimen, quo humiliantur. Inceptis gravibus fatigantur: iis vero negotiis, quæ medіocris sunt momenti, animum non dignantur advertere. Imperii fines proferendi sunt, meditatis negotiationibus, vel insignibus triumphis; quot eventibus mentem suam applicare tenentur? Quot manus, quot arma sunt adhibenda? Quot inopinatæ revolutiones reparandæ! Eorum sollicitudo, vigilantia, cura satis probant naturalem ipsorum infirmitatem, & liquido ostendunt, illos sine non communi cœli auxilio nihil magis posse, quam qui ipsorum parent imperiis. *Liber, cui titulus: Remarques sur divers Sujets de Religion, & de Morale: Tomo 2.*

Principis sua potentia, suaque dignitate abutentes.

Quid plerique Principum de divina magnitudine sentiunt? Quid cogitant de obedientia quam debent Deo? De honore, quo ab eodem cumulantur, si obedientiam, operamque ipsorum æqui, bonique facere dignatur? De submissione, qua indesinenter supremæ illius dexteræ subjecti esse debent? Quid credunt de æquitate, ac vi legum ejus, de minis iræ, sententiis, justitiæ, extensione cognitionis, ac terrore potestatis ejusdem? Contemptibiles terræ vermes, eosne decet voluntates ipsius interpretari, scrutari consilia, propriam gloriam inquirere, cum uni illi tantum honor est deferendus: humanam rationem, corruptam naturam, rebelles affectus consulere quomodo legibus ejusdem sit obtemperandum? Quid? eo in statu, in quo ad nihilum redigi possunt, ubi illi placuerit, atque in nullam reditus spem ultioni ipsius tradi, illum contemnent, illum irritabunt, illi in faciem resistent? Næ illum quidem parum norunt, si adorabilibus, atque infinitis perfectionibus ejus parum adeo moventur; sed quid ipsis de errore suo existimandum est, si anima ipsorum ad divinæ magnitudinis intuitum adeo parum moveatur? *Idem.*

Dixi jam iterumque dico, principum virorum salutem majori in periculo versari, quam cæterorum. Cur autem? Sexcentis de causis, quas illi numquam satis meditari possunt. Qui cum nobiles sint, atque elati plura habent negotia difficilius cum lege Dei concilianda; ideoque periculum est, ne contra conscientiam suam agant, vel sibi falsam, erroneamque effingant, quæ illos omnino perdat. Etenim nonne Magnatum negotia efficiunt, ut in cœptis, consiliisque eorum perraro Deus consulatur? In illis conscientia passim politicis rationibus infirmatur, vel potius politica ratio fere norma est præcipuarum actionum. Illi quatenus viri nobiles in majori pereundi versantur periculo. Cur? quia quidquid illos circumdat confert aliquid ad superbiam illorum alendam: quid enim præstant aliud plausus, laudes, & amor ille proprius, quo sibi placere student? Neminem habentes, qui sibi adverseitur, certo scientes se ab omnibus probatum iri, nemine audente illos corripere, eorumque vitia ipsis ob oculos ponere, in illis perseverant, & numquam resipiscunt. Quatenus principes status sui fato nescio quo, patent æternæ damnationis infelicitati: cur? Quia eorum opera utuntur, quorum maxime interest illos decipere, quorum omnia consilia, præter propter, inniuntur cæcitati conscientiæ dominorum suorum; ideoque cavent quam diligentissime ne error ipsorum auferatur; Eorum, de quibus actum esset, si viris bonis famularentur; ita ut omnia illos in vitium impellunt, & quidquid circa ipsos est, illos ibidem detinere conatur. *Desumptum ex parte ex veris sermonibus P. Bourdalove Tomo 1. sermone de falsa conscientia.*

In Aula, ac mundi luce scopuli salutis frequentiores sunt, ac difficilius evitantur.

In mundi hujus luce, in aula vero præsertim, salutis pericula frequentiora sunt, ac difficilius evitanda. Ibi enim dominantur affectus; ibi ardentius flagrant desideria, ibi impensius transiguntur negotia, ideoque ibi facilius excæcantur, & mentes ipsæ magis perspicaces, ac rectæ prævertuntur. In Aula hoc mundi numen, fortuna videlicet, in hominum mentes, ac deinde in animos magis absolutum exercet imperium. Ibi gradus sui tuendi consilium, vel sese attollendi cupiditas, vel displicendi metus, vel captandæ gratiæ desiderium conscientias efformant; quæ ubique tamquam monstra haberentur; sed quæ ibi usu, & consuetudine probatæ, quoddam possessionis, & præscriptionis jus adeptæ fuisse videntur. *Idem.*

Non equidem credo redargui posse quod rem nimis exagerare velim, si dixerim, neminem legitima etiam via ad honores sese attollere posse, nisi animo se devovendi bono eorum, quos nobis Providentia subjecit; hominem, exempli gratia in dignitate aliqua constitutum, destinatum esse a Deo, & electum, ut certo mortalium numero invigilet, quibus suam debet curam; eum, qui magistratum aggreditur, jam non esse ultra sui juris, sed publici; Superiorem ac Dominum ideo in manu auctoritatem habere, ut toti domui utilis sit, quod fieri sine auctoritate non posset. Præes, ajebat S. Bernardus scribens insigni cuidam terrarum Principi, eique adstruens ideam, quæ de conditione sua habenda illi erat: *Praes, non ut de subditis crescas, sed ut ipsi de te.* Eo loco es, ubi imperes aliis; & æquum est alios tua jussa facessere; at scias oneroso tantum titulo hanc tibi deberi obedientiam, ac te prævaricatorem esse, nisi eadem utaris ad eorum, a quibus illa tibi debetur, utilitatem. *P. Bourdalove in veris sermonibus sermone de ambitione.*

Qui huic desunt officio a Deo reprobari merentur.

Hinc autem infero, si fidelis adsit (quot autem adesse liquido patet?) qui propter eam dignitatem quam illi vel fortuna, vel genus suum contulit, habens sub se subditos, eos tamquam sibi utiles tantum consideraт, ut inde fructum, & gloriam percipiat; cæterum eos negligit, quin eorum bonis consulere satagat, quod illi jure suo ab eodem expectant; jam sine alio crimine mereri ut reprobetur a Deo, qui magnos non nisi in parvulorum, ac potentes in infirmorum gratiam constituit. Hoc jam statuit. S. Augustinus secundum generalia Providentiæ principia argumentatus. *Idem.*

Mundi honores secundum æternæ prædestinationis principia totidem sunt vocationes Dei: Sed Christianæ Religionis scandalum est, videre hodierna die tamquam omnino prophanos haberi. Quippe per S. Pauli, ejusque sententiæ contemptum non vocati ad illos obrepunt; eos ambitu, ac dolo assequuntur; cujuscumque naturæ sint tamquam generi suo debiti existimantur; tamquam laborum præmia quæruntur; in familiæ decus, atque utilitatem vertuntur; ex majori, minorive illinc prodeunte fructu æstimantur; sordida, ac turpia eorum commercia fiunt; idque sine stimulis, sine molestia; quia commentitiæ innitimur præscriptioni ac fallaci consuetudini, perinde ac morum, vitæque nostræ nequitia justus fieri posset titulus contra Dei jura. Quid autem potius effusis deflendum lacrymis arbitrabimur, nisi similes abusus sint deplorandi? *P. Bourdalove in veris sermonibus. Tomo 1. sermone de ambitione.*

Ad sæculi honores non vocati mortales adrepunt; neque miror: error enim eousque procedit, ut supponat pro id genus statibus nullam vocationem requiri. Vocationis gratia requiritur, ut humilem in re claustra statum amplectamur; quod nemo diffitetur; sed ut ad primos rei publicæ honores evadamus, ut in Judicum subselliis sedeamus; ut publicarum rerum provinciam subeamus; ut gravissimis oneremur muneribus, ubi totius Civitatis, Provinciæ, Regni negotia agenda, transigendaque sint; ut eos obtineamus gradus, quid si fieri posset, angeli sanctitatem expeterent; ambitio, & cupiditas hominis satis est; ejus interest auctorem esse fati sui; atque a suo dumtaxat testimonio, vel potius temeritate sua pendere sufficiat? *Idem.*

Viri summi se coram Deo parvulos existimare

Fidei proprium est efficere, ut supremum rerum omnium agnoscamus principium, & annihilare potentes, ac divites sæculi coram hoc ente supremo, quod

debent, & coram aliis non intumescere. quod a nulla humana celsitudine, atque potestate dependet. Ideo iis omnibus, qui in sæculo magni sunt, Sapiens suadet, ut se coram Deo tantum parvos esse fateantur, quantum coram hominibus elati videntur: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus*. Eccli. 3. Attamen plerique Principes ideo se populis suis superiores esse putant, ut illos contemnant, Seipsos numen aliquod esse putant, cumque ab omnibus coli, palpari, in pretio haberi consueverint, vix sibi persuadere possunt, omnes honoris titulos cum vita sua desitutos. *Liber qui inscribitur*, Essais de Sermons, *pro* 13. *post Pentecosten Dominica*.

Deus noster ad Sanctuarii pondus hominum actiones appendet; ex lancibus ejiciet Magnificos titulos, eximios honores, inania fortunæ impedimenta, ut ibi Christianum omnino solum, cum officiis ipsius relinquat. Verum cur solum dico? Tantum abest, dignitatem illius legitimum esse titulum, quo Evangelii jugum leniri possit, quod immo e contra duplicat obligationes illius, qui eadem insignitus est; etenim secundum fortunæ ipsius magnitudinem judicabitur, & plura ab eo petentur, qui acceperit plura. *Flechier*.

Ratio a principibus reddenda Deo. Si omnibus hisce obligationibus addantur illæ, quæ oriuntur ex potestate, quam habent Principes pluribus flagitiis medendi in ea, qua pollent auctoritate; si addatur quidquid possent efficere, ut auctoritate, exemplo, verbo proscriberent luxum, blasphemiam, libidinem, licentiam, aliosque plures scelerum fontes; idque ex duobus existimetur principiis, quorum alterum est, illos teneri, ut ad id omnes industriæ, ac potestatis suæ nervos contendant; alterum vero, si hæc præstare neglexerint, illis accepta referenda esse omnia scelera, quæ non prohibuerint; aliqua sane adstruetur idea terribilium ministerii hujus periculorum. Hæc omnis scelerum congeries, qua seipsos onerant Principes, quin ne animum quidem advertant, in vita hac non sentitur; etenim rumor, qui circum eosdem accidit, illos obstupefacit. Sed aliquando objecta omnia, quibus nunc occupantur, ex oculis eorum evanescent, atque se circumundique septos innumera hominum caterva spectabunt, qui ipsorum iniquitates illis exprobrabunt. *Ex libro, cui titulus: Educatio Principis*.

Hæ difficultates oriuntur ex vitiis, quæ eorum conditioni inhærere videntur. Superbi sunt, & sese humiliare debent; Voluptuosi sunt, & indigent mortificatione; mundi hujus bonis inhærent, ac inde sunt revellendi; toti extra se sunt, ac dissipati; sese colligant oportet. Quomodo vero ex his morbis convalescant? ea a se debent amovere, quæ hos morbos vel gignunt, vel fovent; quod tamen ipsorum conditio eos facere non sinit. Neque ab opibus, neque ab honoribus suis separari possunt; mortificationi exercendæ, ac sese colligendo impares sunt; sexcenta enim habent, quæ illos extra se rapiunt. Attamen vel convalescendum est, vel intereundum, cumque communi methodo convalescere nequeant, insolita quædam, & quodammodo miraculosa in ipso etiam gratiæ ordine curatio requiritur.

Sanctitas in aula non invenitur. Sanctitas in mundo non est, in aula vero multo minus: ibi ne ex nomine quidem cognoscitur, neque illuc accedit nisi contremiscens, ac peritura, vel contemnenda. Innocentia, & devotio in recessu tuto latent. In abjecta conditione humilem esse, pauperem in paupertate, austerum in religiosa vita, virtus est fere necessaria; sed inter negotia, atque Aulæ sodalitates innocentiam, pietatemque tueri, inter honores humilitatem, inter affluentiam paupertatem, inter voluptatum illecebras austeritatem amare, majus miraculum est quam videre mirabile flumen, per mare transiens quin ullam salsedinem contrahat; vel quam videre adolescentes in Babylonica fornace positos, quin ejusdem flammis urantur; prorsus divina virtus, ac Dei brachium requiritur. *Ex funebri quadam oratione, quam Abbas Bossuet est elucubratus*.

Hæc potentia, qua quidam inter cæteros mortales effulgent, verum bonum est, cum ipsis, tum illis, qui iisdem subditi sunt; ipsis quidem, quippe aliquam præ aliis hinc obtinent præeminentiam. Omnis enim præeminentia innititur cuidam excellentiæ, saltem morali; & ipsum excellentiæ nomen nonnihil dicit supra ipsam boni naturam, quatenus aliud bonum sibi inferius supponit. Illis quoque bonum est, qui subditi sunt huic potestati; hæc enim humanam regit societatem; fovet concordiam, justitiam alit, scelera prohibet, atque ea omnia aufert, quæ publicæ adversantur felicitati, qui finis est totius regiminis, & potestatis eorum etiam, qui regnant. Quemadmodum autem fieri non potest, ut ullum sit bonum, quod auctorem non habeat Deum, fatendum est imperandi jus inter homines a Deo originem ducere, & Deum esse ejusdem auctorem. Quod verum est quamquam hominum electio, & consensus aliquid ad Imperiorum institutionem contulerit. *Auctor Anonymus*.

Fieri ne potest, Judices, & Magistratus, vos esse ministros Domini, & mentem illius ignorare? Vel, eam quidem exploratam habere, sed adeo perperam sequi? Non ambulatis secundum voluntatem ejus, neque justitiæ legem servatis. Vellet justitia, ut vosmet omnino devoveretis Deo, & singulis diebus insignem aliquam temporis partem in cultu ejusdem impenderetis; reliquum vero spatium ideo in forensia negotia transmitteretis, ut illi obtemperaretis, ejusque voluntati obsequeremini: immo hoc etiam tempore sæpe ad illum per intervalla animum adverteretis, seu labores vestros eidem oblaturi, seu illum in difficilibus rebus consulturi. Sed negotia vestram exhauriunt sollicitudinem, mundus totum cor occupat, cogitationes omnes exposcit, omne tempus aufert. Hoccine est Deo, quam debetis, justitiam reddere? Vellet justitia, ut primas curas saluti, atque animæ vestræ sanctificationi impenderetis, secundas vero mox traderetis publicis negotiis, vestræque familiæ utilitati; itane agitis? Anima vestra neque primas habet, neque postremas; omnes enim avaritiæ, gloriæ, tempori, mundo, mundique negotiis impenduntur; atque unicum salutis vestræ negotium contemnitur. Nonne hoc est maximam vobismetipsis injuriam inferre? *P. le Valois in Epistola nona de recessu ad Magistratum quemdam scripta*.

De iis, qui publicis tantum negotiis vacant, & salutis suæ curam negligunt.

Vos, qui in dignitate constituti estis, ut hominibus jus dicatis, nonne in muneris vestri administratione sexcentas injustitias committitis? Nonne facitis, ut diu nimis producantur lites, vel negligentia vestra, vel inutilibus quæstionibus, vel alia qualibet causa? Numquid cum illæ a vobis referendæ sunt, in id operam navatis, ut eas intus & in cute per vosmetipsos cognoscatis? Diligenterne pretiosas illas expletis horas, quæ per vos tanto stant pretio? Cum de pauperum causis agitur nimiumne celeriter profertis judicium? in causis vero divitum nihilne favori conceditis? Unquamne vos pecunia corrupit? Consanguinei vestri, amici, ii, qui pollent auctoritate, mulieres, ipsi etiam affectus vestri ullamne unquam in animo vestro vim habuere? Judicia vestra semperne æqua fuere? Eheu! scitote, injustitias vestras non diu permansuras, uti existimatis; potestatem vestram quam primum desituram, & vos quoque vicissim judicandos esse, quemadmodum alios judicatis. Brevi videbitis, & non sine horrore videbitis qua severitate in vos utetur Deus. Gaudebit ille suas effundens gratias erga parvulos, & infirmos, atque in illis bonitatem, atque misericordiam suam palam ostendens; sed potentiam, atque justitiam in potentium, principumque suppliciis ostendet. *Idem*.

Quemadmodum Deus & summos fecit, & imos, ita æqua utrorumque cura illi est; æque illos remunerabitur, si virtute prædiţi fuerint; æque illos puniet, si fuerint æque nocentes. Sed quia nobiles plura illi debent; quia ut plurimum sunt magis *Principum crimina gravius puniuntur quam aliorum.*

per-

perspicaces, quia majora semper illis obeunda sunt munera; quia sæpe facultatem habent, impune ea, quæ voluerint faciendi; hinc fit quod in periculo sunt plura pattandi peccata, quod peccata eorum graviora sunt, & cum graviora sint, Deum cogunt, ut gravius in illos animadvertat. O Mundi potentes, nolite gloriam, spemque vestram in vestra potentia statuere. ***Fortioribus autem fortior instat cruciatio.*** Sap. 6. ***Idem.***

Opus est, ut Principes a mente sua procul semoventes ea, quæ illam perstringunt, fateantur, ob dignitatem suam minime solvi ab Evangelicis legibus, neque sibi pleraque earum rerum permitti, quæ prohibentur. Possunt quidem legitime ampliores, pulchrioresque habere domos, vestes ditiores, ornatioremque supellectilem; quemadmodum alioquin æquum est, ut major adhibeatur reverentia, atque integra fidelitas illis servetur; verum illis æque ac privatis nefas est sequi concupiscentiæ, atque superbiæ suæ motum. Neque minus servare tenentur sobrietatem, justitiam, modestiam, humilitatem, pœnitentiam, orationem, Immo e contra eo magis indigent virtutibus hujusmodi, eoque attentius sibimet est invigilandum, quo magis ipsorum conditio ingentibus, ac periculosis obnoxia est tentationibus. Verbo; nihil illos solvere potest ab iis officiis, quæ cum fidelibus omnibus habent communia. ***De sancta Martha. Tomo 2. Tractatuum Asceticorum.***

Principes non carent, sollicitudinibus, ærumnis, mœroribus.

Qui in sæculo felicissimi videntur, carentne curis, angoribusque? Heu! cruces sub throno etiam, ut alibi, oriuntur; immo ibi longe graviores sunt, semperque majorem dolorem gignunt. Locus, quem obtinent Principes inter homines, inevitabilem illis imponit necessitatem plures quotidie de affectibus suis triumphos referendi. Quæ modestia, quis modus, quæ invisibilis mortificatio in principibus viris, sæpe etiam ob meram rationem, & ob politicam causam? Proh Deus, quam locuples esset meritorum thesaurus, si vellent solum pro Cœli acquisitione ea pati, quæ patiuntur, ac semper christiana mente operari! ***Pater Croiset in Christianis Considerationibus.***

Donec Moyses in Ægyptia vixit aula, habitus in honore tamquam regni hæres, & ab omnibus veluti florentissimi illius imperii spes, columenque reputatus inter omnes voluptates, mundique illecebras, quas insignis adeo fortuna producit, Deus ne minima quidem allocutione illum dignatus est. Verum simulac pedibus conculcavit, ut inquit Apostolus, Pharaonis sceptrum, atque diadema eligens potius JESU CHRISTI, cujus figura erat, improperia: ***Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi***: simulac omnes Ægypti reliquit thesauros, ingentesque spes, quas habebat, abjecit, atque in Arabiæ solitudinem secessit, tunc se illi ostendit Deus, ei suam patefecit magnitudinem mirabilibus apparitionibus, cumque iis abunde replevit luminibus, quæ in frequentissimum populum suum, & mox in omnes terrarum nationes effunderet. ***Abbas Verjus, Panegyrico Vitæ Religiosæ.***

Status eorum, qui aliis præpositi sunt, semper est periculosus.

Quod bonum in terris Principes, atque Optimates efficere nequeunt? Quinam vir Apostolicus tantum Ecclesiæ honorem potest conferre, & æque efficaciter vitiorum, errorumque eversioni adlaborare, quantum Princeps, qui sanctus est? Sanctitas illi non majori stat pretio, quam cæteris. Christianam, atque exemplarem hominum vitam semper omnium Regni Ordinum sequitur reformatio; quam vero cœlestium bonorum affluentiam ipsis adeo salutatis reformatio meretur? ***P. Croiset in Christianis Considerationibus.***

Sanctis hominibus semper fuit persuasum, dignitates esse pericula iis, qui divina gratia minime roborati resistere nequeunt, ut ita dicam, vehementi huic stupori, quo mens humana semper capta est, ubi eo in gradu sit, unde alios sibi subjectos despiciat. Cum nihilominus divina Providentia. quæ ut plurimum hominum ductu ad homines regendos utitur, illos eligit, ut gubernent; illis etiam tunc tantum luminis & gratiæ communicat, ut eorum elatio ipsos magis demittat. Itaque tantum abest, ut se aliis præpositos glorientur, quod e contra putant sibi timendum, ac trepidandum esse; & nullus dubitandi superest locus, quominus quemadmodum ex statibus omnibus, quos suscipere nobis integrum est, nullus majori obnoxius est periculo, quam qui nobis homines subjicit; hac de causa nihil sit nobis magis metuendum, nihilque enixius a Deo petendum, quam pro status ejusdem electione. ***Liber, cui titulus: Colloquia Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.***

Virtus ubique reverentiam meretur; sed multo magis cum inter rerum affluentiam, atque honorum fulgorem coruscat. Quod exemplum non adfert vita frugi, atque ædificans viri potentis: & quam vim ejus non habent exempla? Vera Principum pietas semper Religioni quidem gloriæ cedit, ipsis vero multo magis. Divites invenient semper in thesauris suis fontem felicitatis, dummodo pauperes suam felicitatem inveniant in manibus divitum. ***P. Croiset, 2. Tomo Considerationum Christianarum.***

Pericula, quibus Principum salus patet.

Deflenda quidem est Principum virorum conditio, si ea ignorant pericula, quibus salus sua est obnoxia. Inter luxum nati, in deliciis enutriti, in ipsis etiam gravioribus defectibus probari ab omnibus affectibus cavere debent. Evangelica instituta semperne illis arrident? humilitas, & innocentia, quæ electorum Dei caracterem constituere debent, in illis elucent? In eo autem statu, ubi omnia amorem proprium fovent, atque palpant cupiditatem, paratine sunt ut jugem hanc sibi vim inferant, quam Regnum Cœlorum ab illis exposcit, qui illud conantur acquirere? Primos in mundo gradus obtinent; mundus vero postremumne locum habet in corde? hic enim locus est, qui solus eidem conveniat. Quam metuendum est, ne illi, qui genere, vel dignitatibus in terra præ cæteris enituerunt, cœlo nequaquam pares inveniantur! Munera cum fortuna crescunt; quo major es, eo plura tibi officia sunt obeunda. Dignitas tamen tamquam se indignam omnem respuit subjectionem! Licentia secum impune a lege dispensandi, sæpe tamquam privilegium habetur; at reisa talis est?.... Saltem periculorum multitudo diligentiores efficeret. Sed heu! prorsus oppositum accidit; & quo magis de salute metuendum est, eo metuitur minus. Ubinam minus contra mala desideria nobis cavemus, quam inter objecta, a quibus excitantur? In Principum Aula, in mundo, qui fallax est, ac virulentus, quænam esse possunt amuleta, quibus a contagione servemur? Et querimur, & miramur, quod adeo pauci sibi inde caveant! Multo magis mirandum esset, si eo in statu, ubi omnia tentationes, & laquei sunt, & ubi adeo exigua adhibetur vigilantia, ne in illos incidant, tuto ibi tamen versarentur. ***Idem.***

Audite Reges, & intelligite, discite judices finium terræ, quoniam data est a Domino potestas vobis, &c. Audite, atque intelligite, o Principes, qui judicatis populos: considerate, hanc vobis potestatem a Domino fuisse collatam. ***Qui interrogabit opera vestra.*** Non aliud testimonium, non aliud in supremo hoc Tribunali chirographum admittitur, ubi sententiæ, atque judicia vestra sunt districtissime examinanda: ***Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis. Horrende, & cito apparebit vobis.*** Sap. 3. Sese vobis ostendet modo terribili, & citius quam cogitatis. ***Quoniam judicium durissimum, his, qui præsunt, fiet.*** Qui enim judicant alios, majori cum severitate judicabuntur. Deus nullam excipiet personam, neque cujusquam reverebitur amplitudinem, ***Fortioribus fortior instat cruciatio.*** Qui in terra magis nitent, ac amplioribus præstant dignitatibus, hos graviora manent supplicia. ***Potentes potenter tormenta patien-***

patientur. Qui in dignitate constituti sunt, qui primos obtinent gradus, nisi rite suis perfuncti fuerint officiis, si per ignorantiam, vel negligentiam, vel avaritiam male justitiam administraverint, hi altera in vita severissimis pœnis afficientur. *Ad vos sunt hi Sermones mei*. Sap. 6. Ad vos o principes Mundi, ad vos, qui judicatis populos, mihi sermo est, pergit Sapiens, præbete vos dignos eo loco, quem occupatis, sapientiam acquirite, atque muneri vestro vos pares ostendite. *Erudimini, qui judicatis terram. Idem*.

Officiorum suorum ignorantia judicem, & Magistratum excusare non potest.

Inexcusabile peccatum est in suæ professionis inscitia versari; quemadmodum in judice est temere judicium ferre, quin satis eas cognoverit causas, quæ a sua pendent sententia, quamtumvis exigui momenti illæ sint. Eos, qui aliquando inter Judicum subsellia sessuri sunt, numquam satis admonere possumus, ne se periculo objiciant proprium consulendi sensum, eo quod legis mentem non assequuntur, atque per ignorantiam eam impugnandi legem, quam propugnassent, si edoceri voluissent. Præsertim vero ea sæpe tundenda incus est, judicem non per se, sed per leges disponere posse de quiete familiarum, deque bonis, & vita subditorum; ideoque illi discendas esse non regulas solum, secundum quas judicandum est, verum etiam cognoscendas, atque ad examen revocandas varias circumstantias, quibus illæ ipsæ regulæ immutantur. *Joannes Picus in libro de educatione filiorum*.

Judex sensibus suis, totaque vitæ suæ ratione magnum tribuere debet sapientiæ, & æquitatis specimen, ut populi amorem, & confidentiam sibi conciliet. Si enim hic in illius moribus aliquid corripiendum deprehenderet, ægre, atque gravate, nec sine querela, ejusdem sese judiciis submitteret. Non est improborum de aliis judicium ferre; sed bonorum est bonos malosque judicare. Qui Magistratum obtinet non minus verbis quam factis verecundus esse debet. Quemadmodum nonnisi ex moribus ejus de sensibus ejusdem ferri judicium potest, ita ex verbis ejusdem de ipsius moribus potest judicari. Ille cujus verba judicis sunt, & qui una tantum vocula potest aliorum quidem fortunam evertere, aliorum autem statuere, numquam suspicioni locum dare debet, quod aliqua in occasione inconsiderate loquatur. *Idem*.

Justa idea quam Princeps, & Nobilis habere debet dignitatis.

Ut æqua dignitatis concipiatur idea, nobilis, & Princeps sciat oportet Reges, Principes, nobiles a Deo super alios non aliam ob causam fuisse constitutos, nisi ut illos tuerentur, atque protegerent ab aliorum injustitia, & oppressione: eodem pacto, quo Deus hanc sibi vendicat curam per potentiam atque sapientiam suam universum orbem regendi, Regibus relinquere curam regendi mortales; his nequaquam permisisse auctoritatem legum constituendarum, ut hoc pacto inanem præberent potentiæ suæ ostentationem, sed ut per eas in imperiis, locisque eorum ditioni subjectis ordo, justitia, atque tranquillitas vigeret: non posuisse reges, ut beatiores essent, quam reliqui vulgo, sed ut pro virili aliquid conferrent populorum sibi subjectorum felicitati: Maximum, magisque solidum Principis, & Optimatis alicujus bonum non in eo esse positum, ut se præ cæteris eminere videat, atque in fortuna sua inveniat, unde ambitioni suæ satisfaciat; sed ut eos, qui merentur, possit attollere, atque ex caligine, tenebrisque illos educere, quorum exemplum aliis utile futurum videatur: Principem a vulgo non in hoc potissimum distingui, quod inter honores, rerumque omnium affluentiam versetur; sed quod Dei exemplo semper hominibus potest gratificari; ipsique in gratiarum distributione consulendum non esse studium suum, sed rei publicæ utilitatem, & meritum eorum, quibus illæ conferuntur. Demum non debere suam spectare dignitatem, tamquam aliquid, quod suam palpet vanitatem, sed tamquam occasionem miseros protegendi. *Joannes Picus in libro de Principis educatione*.

Princeps, quem super cæteros homines constituit Deus sit vas eorum quietis, & felicitatis. Non aliam habet gloriam, quam, quæ cum eorum felicitate est conjuncta; alia quæcumque efficere fortasse poterit, ut metuatur, non ut ametur. Cum subditis suis sese gerere potius debet uti pater, quam dominus; & licet honor, quem illi huic debent, necessarius sit, opus est, ut ea ratione, qua illud sibi conciliat, videatur potius ultro delatus, quam coactus, & amoris, ac bonitatis, potius quam potentiæ & severitatis effectus. Vita, & mors, bonum, & malum sunt in manibus Principum; ideoque indulgentes esse debent, ubi errata venia sunt digna; in ea vero, in quibus exemplum debetur populo, nonnisi ægre, & serius quam fieri potest animadvertere. *Ex Tractatu de Educatione Principis Joannis Pici*.

Corona a Principe vere Christiano haberi debet tamquam onus potius quam verus ornatus. Neque enim subditos tuos regere debet ex animi libidine, & affectu, neque ut suis satisfaciat voluptatibus, sed ut verum eorum bonum inquirat. Scire debet mollitiem, injustitiam, inscitiam, & otium communes esse defectus, qui sæpe principem populorum suorum contemptui, & sæpe etiam imperium alienigenarum incursibus objicit: debere nonnumquam seipsum voluptatibus fraudare, ut populorum necessitatibus subveniat, atque jucundas relinquere ideas, quibus recreatur, ut animum transferat ad subditorum mala, eorumque cursum prohibeat: debere etiam per se eorum necessitates cognoscere, liberum præbere questibus eorum aditum, neque de populi sui statu unquam judicium ferre secundum eorum testimonia, qui sæpius, ipso principe, majorem malis ejusdem causam præbuerunt. *Idem*.

Principes, atque Magnates non debent cæce sese tradere prosperitati, quæ magnitudinem suam comitatur. Reminisci nonnumquam debent plerasque voluptates nobilium sudore, & sæpe etiam lacrymis subditorum conditas esse; & hac una cogitatione omnes earum gustus simul, & error illis auferendus esset. Meminerint, oportet, si magnitudinis suæ curam gerere cupiunt, atque justas inire vias ad veram gloriam assequendam, nihil vel speciosum, vel horridum magis esse, quam unum intueri hominem in regione aliqua causam felicitatis, vel calamitatis, quietis, vel tumultus cæterorum. Princeps tutius, atque pacatius sua fruitur dignitate amori potius subditorum, quam vi armorum innixus, & amoris, atque reverentiæ impressio, quam vel nomen, vel præsentia ipsius in subditos facit, ut plurimum effectus illius est, quam in ipsum Principem Dei nomen, aut recordatio ciet. *Idem*.

Quomodo Princeps cogitare debeat discrimen illud, quod inter suam, ac privatorum conditionem intercedit.

Princeps adhuc juvenis, ne mentis aciem eo sinat fulgore perstringi, quo renidet, maturare discere debet, sibi præter nomines reliquos nihil esse, nisi inane potentiæ, & dignitatis phantasma: se in mundum venisse, atque illinc egredi, eodem pacto quo illi & ingrediuntur, & obeunt; vitam suam iisdem casibus, atque morbis obnoxiam esse; Principum, atque nobilium conditionem a privata nequaquam differre, nisi quatenus insignia efficere possunt bona, & mala, ideoque ipsos in altera vita insignibus vel præmiis, vel suppliciis esse afficiendos: terrenam aliorum hominum felicitatem, vel infortunium, ut plurimum opus suum esse; atque in altera vita non aliud futurum discrimen Principem inter, atque Privatum, nisi, quod Princeps, cui semper suppetit facultas, & occasio procul ejiciendi calamitatem, atque laborem ex iis locis, ubi hæc adsunt, rationem redditurus est non solum, ut cæteri, de iis, quæ fecerit, sed etiam de iis, quæ bona facere potuisset. *Idem*.

Nobiles de seipsis judicium ferre volunt ex iis tantum, quibus inter cæteros nitent, atque attolluntur. Pati nequeunt æqualitatem, quæ illos populo commiscet, & cæteris eos propiores facit, quo magis ab

aliis

aliis secedere student. Diligentissime eas prævertere conantur infirmitates, quibus alii similes fiunt; atque superbia eorum efficit, ut illum ipsum differantur sensum quo ex plerisque voluptatibus, utrisque communibus, percipiunt; eosque cogit, ut novas semper artes inveniant, quibus quandam illius personam induant, atque inter eas discrimina quædam deprehendant. Si omnes, quorum frequentia stipati sunt, in id unum incumbunt, ut illis veram auferant ideam ejus, quod sunt, ac fallacem foveant ideam ejus, quod minime sunt; Honores, & reverentia, quæ illis adhibentur, ideo accidunt perjucunda, quia plurimum conferunt ad hoc, ut sibimet seipsos abscondant, atque in nihili sui oblivione versentur. *Idem*.

Principes semper in magnitudinis suæ errore vivunt, neque, nisi morituri, hunc errorem abjiciunt.

Sæpe nobiles quin de se judicium ferant ex interiori naturæ humanæ testimonio, quæ illos multifariam alloquitur, in toto vitæ hujus curriculo seipsos tenebris replent: malum operantur, quin illius effectus, & magnitudinem cogitare velint, quasi publicari quadam conditionis suæ prærogativa id ipsis liceret, quam aliis est nefas: ita ut postquam certum annorum spatium in voluptates transmiserint inanem magnitudinis suæ foventes ideam, qua decipiuntur, & quæ efficit, ne seipsos norint, repente sese inter mortis ulnas vident, quin ne minima quidem Christianæ Religionis officia, vel exercuerint, vel cognoverint. Oculi eorum aperiuntur, cum tempus effluxit; dignitas eorum evanescit eosque relinquit; atque tunc solum se indigentes, ac miseros, non secus ac reliquos mortales intelligunt. At nimis sero intelligunt, cum jam adulationibus decepti, ac venenatis laudibus cumulati interierunt, *Idem*.

Principes, Reges, Imperatores servare quidem possunt amplitudinem eam, qua a cæteris distinguuntur, & supra reliquos mortales attolluntur; verum illam amare non debent. Patitur quidem Deus eos cum servorum caterva, ac prætorianorum militum manu incedere, quæ res, & hostibus terrorem incutit, & subditorum amorem, atque metum conciliat; sed inde illos intumescere, ac superbire non patitur. Cum illos infinitæ mortalium multitudini præficit, quæ eorum nutibus parere teneatur; vult etiam illos semet cogitare tamquam coram ipso, & veluti unum ex illis, qui sub eorum pedibus jacent. *Abbas Trappensis tomo 1. libri, qui inscribitur: Maximes Chretiennes*.

Quomodo Fidelis terrenos honores spectare debeat.

Qui sanctæ meditationis conatu supra seipsum attollitur, non videt mundi hujus honores, & fortunas, quantæcumque illæ sint, nisi quomodo hæc ima illi videntur, qui altissimi cujuspiam montis cacumen ascendit. Distantia efficit, ut nequeat dignoscere objecta; non homines, non domos, non flumina, non sylvas, non colles distinguit; & quidquid sub pedibus ejus est, veluti atomi, sese oculis ejusdem ostendit. *Idem*.

Quamquam Principum virtutes nihil aliud ferme sint, quam simulati affectus, per artem amoris proprii ea ex parte, quæ nitet, intuentium oculis expositi; non desunt inter illos tamen qui virtutem possideant, quæ soliditate, uniformitate, & constantia sua de amoris proprii insultibus triumphatrix, veræ virtutis nomen meretur. Vera virtus, S. Hieronymus inquit, nitorem, pretium, nomenque suum mutuatur a vi, quam sibimetipsi, ingenio, studiisque suis infert, quæ blandis simulatæ amicitiæ sermonibus excitantur, foventur objectis, sive allicientibus, sive irritantibus; putidis adulationibus aluntur; malis probantur exemplis, quæ præterita suppeditant tempora, nisi abunde in præsenti occurrant; & denique perniciosis carnalis prudentiæ institutis confirmantur. *Ex Auctore Anonymo*.

Vera Principum virtus est Dei mandatis obtemperare.

Quænam est hæc in Principibus hujus terræ virtus heroica? Habitus est ex multis victoriis de amore proprio sæpe relatis coalescens; stabilis, & permanens dispositio, quæ mentem inclinat, animam submittit, totumque hominem Dei nutibus subjicit.... Hæc, auditores, vera Principum virtus est, ad quemcumque dignitatis gradum illas divina destinet Providentia. Si Dominum non habent in terra, habent tamen in Cœlo prohibentem quidquid legi suæ contrarium est, & quidquid gloriæ suæ convenit, imperantem. Sin autem illis hic etiam dominum præficit, nefas est jugum excutere, atque ambitiosa vota ad eum apicem attollere, ubi Dei voluntas nondum illos constituit. Jubentur omnia obire munera, quæ a statu suo separari non possunt, & a se avertere, quidquid defectionis mentem posset injicere. Hæc autem Divinis imperiis obedientia vera est Principum virtus. Cur autem? Quia hinc quidem propter plenitudinem imperii, quod habet Deus in omnes homines, jus, quo Principum obedientiam requirit, eo majus est, quia ipse ille est, qui eos in hoc loco constituit, cum ex communi massa illos eduxit capitibus nostris præficiendos: inde vero tenentur Principes omnes curas transmittere, omnemque amplitudinem suam devovere, ut penitus satisfaciant certissimo juri Entis supremi, in quo justitia videlicet universalis, & dominans, quæ post se veluti ancillas omnes ducit virtutes. *Idem*.

Nulla Principibus utilior esse gratia potest, quam quæ illos de ipsorum admonet mortalitate. In ea luce, atque potentia, qua septi sunt, cum omnia ab illis pendere, & imperiis earum obtemperare consueverint, vanitate, & amore proprio decepti non reminiscuntur fragilis limi, ex quo compacti fuerunt; cumque se hic tamquam numina in honore haberi conspiciant, obliviscuntur, se eum commentitia hac divinitate, non secus ac alios e plebe esse morituros. Quomodo vero reminiscantur? omnibus certatim removere conantibus tamquam funestissima objecta, quidquid saluberrimam mortalitatis memoriam in illis potest excitare; nec non plurimorum Principum ambitione probante quodammodo adulationem, & hanc quasi officiosam necessitatem injiciente? At quod illis vulnus infligitur, cum Domino placuerit hanc, qua decipiuntur, illecebram auferre, subitoque periculo quamdam in eorum mentem caducam, & mortalem conditionis memoriam revocare! *Ex funebri oratione Serm. Delphini*.

Prodire quoque possunt Principes cum dignitatis suæ signis, non autem cum luxu immodico.

Ne putetis, quæso (Auditores) me hoc sermone improbare nitorem illum legitimum, & decorum, qui generi, nobilitati, honori debetur. Equidem scio eos, qui supra cæteros elati sunt, dignitatem suam sustinere posse exteriori apparatu, qui non adversetur Evangelio: hoc ordo poscit; neque divina lege prohibetur. Languesceret fortasse subditorum obedientia, nisi hac excitaretur pompa, quæ illam in officio coercet: indocilitas facile oblivioni traderet auctoritatem, quam non effulgeret. Talis est humana imbecillitas: indiget quadam exteriori specie, quæ oculos afficiat, sive ad servandam imperii reverentiam, sive ad obedientiæ onus leniendum. Vivite quidem, o Principes, o viri dignitatibus insigniti; videant vos populi eo ornatu decoros, qui vestrum maxime decet gradum; hoc numquam mihi animus fuit improbandi: verum excessum probare non possum, qui conditionem vestram prætergreditur, modestiam lædit, passiones alit, efficitque, ut spiritus hujus mundi triumphet. *P. la Pesse 2. Tomo sermonum. Sermone de luxu*.

SUPPLEMENTUM.

Dignitas, & Magistratus.

Summis viris nequaquam dispensatum est quominus Legi obediant. *Esth. c. 15.*

Numquid expectatis, Auditores lectissimi, propter eum dignitatis gradum, quem obtinetis in terra, Deum, non secus ac Assuerum Estheræ, vobis dicere, legem non pro vobis, sed pro mortalibus reliquis esse constitutam? *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*. Heu! Vos nequaquam ex ore Domini inanem hanc

hanc distinctionem expectatis; sed hanc ipsi vobis privata auctoritate vindicatis. Nonne austeritatem Monachis, inertibus orationem, imbecillis hominibus lenitatem, afflictis patientiam remittendam esse censetis? Tamen cognoscite ad longe sublimiores conditiones, quam ad inferiores dirigi Evangelium, & hoc pro Mundi Principibus, ac beatis viris factum esse. Quibus enim præcipue præcipitur jejunium, & mortificatio? Nisi illis, quorum vita deliciis affluit? Quibus humilitas, nisi illis, qui mundi obsequiis, ideoque laqueis stipati sunt? Quibus eleemosyna, & spiritus charitatis, nisi iis, qui in opulentia versantur? Quibus venia, & injuriarum oblivio, nisi iis, quos magna negotia magnis objiciunt inimicitiis? Quibus vigilantia, & oratio, nisi qui validioribus urgentur tentationibus? *P. la Rue, Sermone de Exemplo Sanctorum.*

Summi viri nullos in se dominari hominum respectus pati debent.

Viri Principes, qui a Deo constituti fuistis, ut reliqui vobis obsequerentur, & imitarentur, quomodonam ab ipsa usque pueritia pati potestis, ut vos humanorum respectuum aura circumferat? Sinitis adulatores vobis in auriculam dicere has & illas artes, hos illosque affectus vobis mundi plausus, & gratiam conciliare posse. Quid? Nonne in lucem hanc nati estis, ut in mundo dominaremini? Numquid vestrum est vosmet ad illius exempla componere; an illius est sese ad exemplum verum conformare? Ex quo asserere, & probare volueritis naturalium sensuum vestrorum æquitatem, & præstantissimam, quam sortiti estis educationem; nimis se beatum putabit Mundus ea quæcumque volueritis peragere, & amare vos virtute præditos sine ulla comparatione magis, quam stultitiis vestris indulgens diligeret. Heu! Domine, nobis ab ortu tantam immittis reverentiam, tantamque animi propensionem erga Principes nostros, cur non agit, ut & ipsi sentiant omnem potestatis suæ magnitudinem; quid illi possint in nos fulgore exemplorum; & imperium, quod virtus illis in corda nostra potest conferre. *Idem Sermone de Humanis respectibus.*

Ut vere magnus sis, magnitudo tibi contemnenda est.

Quid in summa dignitate hominem palpat, & mulcet? Fastus, quo septus ibi est; licentia, quam illa inspirat, voluptatum, quas exhibet affluentia. Aliis excellimus: credimus etiam nosmet supra legem esse positos, & ex nostro pendere arbitrio, quidquid palpare potest cupiditatem, & sensibus nostris satisfacere. Sed numquid est dignitate frui, fastum ejusdem ignorare? ejusdem licentiam cohibere? procul amovere quæcumque ejusdem illecebras constituunt? Quotusquisque ille est ambitiosus, qui hoc pretio dignitates appetat? Talis profecto usus est, in quem a Principe Christiano sunt convertendæ. Fastigio magnitudinis solidam objicere debet humilitatem. Debet seipsum contra dignitatis licentiam jugi in vitæ suæ actibus vigilantia munire; debet se a magnitudinis fascinatione per perfectam animi ab eadem avulsionem præservare. *In Delphini Panegyrico.*

Christiani Principis officium.

Si ratio sana, & a communibus erroribus immunis a superbia præservare nos potest; una Religio est, quæ producere valeat inter dignitates humilitatem, & una Christiana humilitas in Christiano Principe frangere potest ingenitam illam superbiam, quæ ut ita dicam, cum mundi Principibus oritur. Neque enim credendum est, moderationem, atque pudorem, quæ in humili Principe non admirari non possumus, esse in eodem ingenii, vel carentiæ humani sensus effectum. Effectus est solidæ humilitatis, quæ in nihili sui cognitione altius in corde ipsius constituta est. Quin tumeat, eo quod magnus est in oculis hominum, ansam inde arripit semet humiliandi coram Deo; quippe sua agnoscit munera, & in sua infirmitate nequaquam confidit: ita ut sine ullo ejus dignitatis, quam a natura fortitus est, & quam benignus illi afflavit jugiter, detrimento, novit in persona sua sapienti temperamento mundi majestatem, cum Religionis humilitate temperare, & solide humilem esse in fulgentissima celsitate. *Ibidem.*

Licet Reges esse debeant imagines Dei; superbis tamen oritur cum illis.

Si Reges sunt imagines Dei, hoc multo minus sunt per suæ celsitatis potentiam, quam per usum illius, ob subditorum suorum felicitatem. Pastoris nomen in Evangelio illis appositum, qui animabus regundis præsunt: in profana antiquitate nomen erat commune eorum, qui Gentibus imperitabant; ut inde non tam subditi obedientiam erga suos reges perdiscerent; quam ut reges edocerentur præsidium, vigilantiam, amorem, & charitatem, quam suis subditis debent. Attamen in hoc viri principes ab ipsis incunabulis infinita nanciscuntur obstacula; & cum cæteri vulgo in lucis hujus usuram editi, suam testati videntur calamitatem, atque nihilum ex quo incipiunt emergere: Summorum principum animæ statim recipiunt lucis ejus, qua septi sunt, impressionem. Primum obtutuum suorum objectum est aulicorum multitudo, sibi deservire, ac fere dicam, cultum adhibere festinantium. Antequam erudiantur nihil sunt nisi parvula humani generis pars, alteri sustinendæ destinata, Hæc illos inanis excæcat cogitatio, totum mundum pro se tantum esse. Sentiunt jam se Dominos esse eorum, qui ipsorum institutioni præpositi sunt; & ratio vix sese explicare incipit in mente eorum, cum statim in corde illorum inimicos jam satis valentes invenit, cum quibus decertandum est. *P. de la Rue in Panegyrico in Delphini laudem dicto.*

Quenam sit difficultas salutis suæ procurandæ in viris nobilibus.

Evangelium inspicere satis est; simulque oculos in nobilium virorum conditionem conjicere, ut summum statim appareat discrimen, quod inter utrumque intercedit; quod quidem tam enorme Tertulliano visum est, ut non dubitaverit asserere, Christianissimum cum sæculi dignitatibus simul esse non posse, & fieri nequaquam posse, ut idem simul & Christianus esset, & Cæsar. Hyperbolica quidem, & fallax exaggeratio, & quam tot magnorum Principum, qui in purpura, & auro seipsos sanctificaverunt, exempla penitus confutaverunt: Exaggeratio tamen, quæ licet fallax inveniatur, apta est ad efficiendum, ut inde infinitam sentiamus difficultatem, qua simul concilientur prærogativæ conditionis naturalis crucem omnem, & subjectionem perosæ, & placita Religionis, quæ jugem exigit abnegationem: ita ut inter multitudinem obstaculorum, quæ cujusdam gradus mortales in officiorum suorum praxi invenire possunt; magna solum religionis sanctitas illos redigere valeat ad hanc sedulam, gravemque fidelitatem, quæ est ipsis habenda. *Auctor Recens.*

Magna vero præfertim in juvene gloria est tot obices superare.

Quisnam legis infringendæ periculo, peccandique libidini magis obnoxius est, quam juvenis Princeps, cujus vitia ne intueatur, veritas ipsa reverentiæ causa oculos claudit, donec illos aperit assentatio, ut plaudat, atque blandiatur? Quinam plures habet delicatiores occasiones frequentioresque illecebras, ut se libidini mancipet in aula, tot inter mortales, quorum interest Regi adolescenti vitiorum virus adspirare, quia & ipsi corrupti sunt; ubi nihil ad eum fallendum non intentatum relinquitur, & ubi circum lapsus patent? Cui præ cæteris integrum est suis obsequi cupiditatibus? Quis facilius illas explere potest? Cuinam plures laquei metuendi, plures evitandi scopuli, plura obeunda pericula, plura sustinenda prælia, plures victoriæ referendæ; idque non in ætatis maturitate, sed in æstu adolescentiæ, cum cupiditates acriores sunt, ratio minus illuminata, virtus magis infirma, & effrænis licentia? Quodnam supernaturalis fortitudinis prodigium requiritur, ut tot inter pericula, juvenculi Principis innocentia servetur? *Idem.*

In omnibus conditionibus salvari possumus.

Quisque in statu suo salutem suam potest operari, verum est; dummodo nihil divinæ legi adversetur. Videlicet Deus mortales suos intuetur in misericordia sua; illius expertes non sunt Principes, licet tot illi circumfulgeant radii, licet gravibus curis, & maximi momenti negotiis circumsepti sint, licet in mundo enitescant. Verum nihilo minus est, illos pluribus obicibus obsessos esse, plures illis supe-

superandas esse difficultates, plures tentationes expugnandas; quamobrem tenentur sibimetipsis attentius invigilare; majori cum fide, ac religione ad Deum accedere, ad illa obtinenda subsidia, quibus indigent, ut omnibus dominentur cupiditatibus, quibus lacessiti sunt, utque Deo sacrificent quidquid obsistere potest necessitati eidem placendi. *Abbas Trappensis Tomo 1. Placitorum Christianorum.*

Summi debent imis præsidio, imi summis submissionē.

Vult Deus, ut orantes illum omnes Patrem nostrum vocemus. Summi id vere dicere nequeunt, nisi imos tamquam fratres suos fuerint intuiti. Qui humili loco nati sunt non ideo debent erubescere; & qui nati sunt loco illustri, non debent intumescere, ac superbire. Sed si nobiles non debent semetipsos efferre supra terræ filios; æquum etiam est, ut qui infra subsistunt, eam illis adhibeant observantiam, & officia, quæ secundum status sui conditionem tenentur. Numquam Dei Filius auferre voluit statuum subordinationem, sed hanc perficere per sanctam æqualitatem, quam in mundo regnare jubet. Æqualitas ista charitate innititur, & ut melius dicam, ipsa charitas est. Si hæc rite servaretur, quam pacem, quam tranquillitatem non produceret illa in familiis, dominos inter, & servos; superiores inter, & inferiores, inter parentes, & filios? Quælibet domus, quælibet urbs, quælibet provincia, quodlibet regnum; mundus ipse totus tunc perfectissima Cœli imago haberetur. *Ex modo recitandi orationem Dominicam.*

Cur nobilium peccata coram Deo graviora sunt peccatis populi.

Hoc efficit, ut pleraque summorum virorum scelera coram Deo sint magis enormia peccatis populi. Populus supra caput suum tot intuetur diversas potestates. Dei potestas illi minatur, minitatur illi quoque potestas hominum, quos supra se per gradus videt attolli. Sæpe alteri obsequium præstare non potest, quin alteri renuat. In partes concedere nequit, quin fiat inimicus Domini, vel Dei sui. In hoc certamine quamdam nanciscitur excusationis speciem. Potest dicere Deo: Fallor, minis, illecebris ad peccandum impellor ab iis, quos mihi dominos præfecisti: Si minus tibi parui, parere ausus non sum. Vos autem, Domini, qui præcipitis, quibus obediunt omnia, sub quibus omnia cedunt, quid vos Deo reddere poteritis? Nisi hoc: Si tibi non parui, parere nolui. *P. de la Rue in Quadragesima.*

Humanæ dignitates sunt fluxæ.

Quotusquisque in terris nunc temporis adest, qui beatus prædicetur, & cujus fortunæ invideatur? paulisper attendite; & mors, quæ non longe abest vobis, perspicue ostendet, quid sit hæc fallax beatitudo. Nemo igitur terræ divitibus invideat; nemo auri fulgore perstringi se sinat, nemo se beatum autumet, eo, quod superbas incolat ædes, vel insigni dignitatum fulgore coruscet, vel longo servorum satellitio stipatus incedat; sed meminerit ea, quæ mundus stupens admiratur, ac afflictim deperit, quamprimum transira, & hominem hunc adeo felicem momento collapsurum, cum se maxime stare arbitrabitur. Quamvis omnium sæculorum testimonia minime sufficerent ad hanc nobis veritatem probandam, satis esset intueri tot homines quotidie nostros ob oculos diem suum obeuntes. Humana fastigia terribilibus sunt obnoxia casibus, & qui ad honorum culmen evasit, non longe abest a lapsu. *Ex Tractatu de discrimine inter tempus, atque Æternitatem.*

Pericula eorum qui facile credunt se summis dignitatibus obeundis aptos.

Neminem novimus, qui vere a Deo fuerit illuminatus, & insignia mundi fastigia, dignitatesque non horruerit. Illi, quibus lumen rectum non est, nil apertius vident, quam talenta, ac dexteritatem suam ad eas, quas depereunt, dignitates exercendas. In hoc etiam facile est extremam eorum cognoscere cæcitatem ortam ex ambitione, qua tumidi sese ad sublimes status gestiunt provehere, quibus exinde sunt prorsus indigni. Sed quia seipsos ignorant, neque intelligunt præcellentium dignitatum pericula; neque meditantur profundas de salute veritates; permanent in præcellenti conceptu, quem de asserta sua dexteritate imbiberunt, quin solliciti sint de periculis, quæ subeunt perdendi animas suas. *P. Surin. In Asceticis Dialogis.*

Summi viri potissimum bono exemplo aliis præfulgere tenentur.

Christianis omnibus præcepit JESUS CHRISTUS in Evangelio suo, ut fructus facerent pœnitentiæ, atque justitiæ, ad sese invicem ædificandos bonis operibus, & ad semet mutuo excitandos ad glorificandum Cœlestem Patrem ipsis eorumdem faciendorum & vim, & voluntatem tribuentem. Hoc tamen Præceptum potissimum summos afficit viros, qui quo elatiores sunt, eo opera illorum magis elucescunt, & quo plus auctoritatis habent, eo plus virium exemplis ipsorum inest. A Deo habent gloriam, & hanc ad eumdem referre debent. *Flechier Episcopus Nemausensis.*

Difficultas sanctè vivendi inter dignitates.

Oculis Fidei thronus est sublimis scopulus, Regnum est species universalis tentationis; auctoritas, quam tribuit, & impunitas, quam nanciscitur, magnæ sunt ad peccandum illecebræ. Cum licet nobis nonnisi nostris obsequi cupiditatibus, difficile est, nostra tantum exequi officia; & Rex, qui circum se non videt, neque audit, nisi cupiditatum suarum excusationes, assentationes, vel laudes, quibus vitia sua celebrantur; nisi subsidia licentiæ, prætextus injustitiæ, amuleta, vel antidota contra veritatem; Rex, inquam, scopus omnium humanarum cupiditatum, factus etiam objectum, vel consors alienarum, nullibi innocentiæ securitatem, virtutique suæ perfugium nanciscitur. *Abbas Mongin in S. Ludovici Panegyrico.*

Quid de dignitatibus nos doceat Evangelium.

Quid de mundi hujus honoribus, ac dignitatibus nos docet Religio? Docet periculosissimæ rem plenam esse aleæ ad eas elevari, quia ut plurimum iis homines abutuntur: docet illum facile perire, qui aliis supereminere gestit, qui fovet in anima superbiæ sensus, qui imperiosius, ac durius agit cum inferioribus suis, qui sua abutitur magnitudine, ut incompositis desideriis suis satisfaciat. Docet Religio, sæculi dignitates pondus esse gravissimum, & onus immane. Quo quisque elatior est, eo est officiis cumulatior, eo illi gravior reddenda ratio est, eo facilior suppetit causa semetipsum arguendi, eo quod minime adimpleat ea munera, quæ tamen arctissimæ sunt necessitatis. *Lambert in Anno Evangelico.*

Generis nobilitas meritum personæ non probat.

Nobili natum esse genere apud homines est, originem duxisse ex genitoribus, qui secundum ordinem mundi spectabiles erant. Sed hæc ipsa nobilis origo nullum secum adfert pretium, vel animi, vel corporis; nullum inde vitium aufert, & æque insignia videntur tam in iis, qui genus jactent suum, quam in iis, qui sunt de pulvere nati. Nulla igitur satis solida causa est, quæ illos pluris faciendos esse velit, quam hos; Error igitur est generis nitorem semper esse cum reali merito conjunctum: Falluntur ergo illi, qui avorum generositatem pluris æstimant; quam ipsas hominis virtutes. *Ex Sermone, ubi ostenditur, quam periculosa sint hominum commercia.*

Mundi Principes ad Deum referre debent magnitudinē suam.

Patet, crimen, quod summi committunt Principes sibimet accepta referentes honorem, & bona, quæ possident, quamdam esse speciem perfidiæ, ac rebellionis contra Deum. Sicuti enim rebellis abs Rege merito haberetur, ut liquet, aliquis ex subditis ejus, si Provincia sibi commissa ad regiam ibi servandam auctoritatem, ipse potiri vellet; ita cum Summi viri a Deo dignitatem, omnemque acceperint potestatem, non pro seipsis, sed ut Dei imperium constituant, ejusque gloriam procurent, rebelles, ac perfidi sunt erga Deum, cum hæc omnia sibimet referre volunt accepta. Ad hoc igitur crimen evitandum, considerent necesse est Summi viri conditionem suam tamquam ministerium, ac munus sibi divinitus collatum, quod ipsis imposuit Deus, non autem tamquam qualitatem aliquam sibi inhærentem. Omnino inde avulsum intrinsecus animum habere debent, & hæc omnia tamquam aliena putare, quæ illos neque in se perfectiores, neque Deo jucundiores efficiunt, & quæ solum illis aperiunt viam ad plus boni, malive efficiendum secundum modum, quo iis perfungentur muneribus, quæ ab illis hoc sibi impositum ministerium requirit. Illis persuasum esse debet; unum hunc seu bonum, seu malum ministerii sui usum, suum esse, & in illis permansurum; in ipso enim obitu omnis ab eis dignitas auferretur; illi vero

securo

secum afferent ea tantum, quæ in eodem statu seu bona, seu mala gesserint. *Ex tractatu de dignitate.*

Principū peccata magnos habent effectus.

Plebejorum, vulgariumque animarum crimina ut plurimum in statu sui caligine jacent consepulta, & committentibus dumtaxat sunt perniciosa. Illustrium autem & genere, & dignitate virorum flagitia publica excitant scandala, ac facile trahunt in ruinam illos, qui proni sunt; vel pravis exemplis inspirant viventibus in exercitatione virtutis confidentiam, per eam, quam hi comparationem in sui favorem instituunt. Quamvis scelera pauperum publica fiant, fere periculosos non habent exitus: sed minimi etiam lapsus eorum, qui generis, dignitatis, status sui magnitudine coruscant, videntur magni propter nocentium nitorem: plerique enim mortales metiuntur peccata potius ex peccantium dignitate, quam ex peccati natura, *S. Chrysostomus in Opusculis.*

Mundi hujus dignitates simul esse possunt cū Christiani hominis officiis.

Dubitabat olim Tertullianus, an Cæsares fieri possent Christiani; & an Christiani Cæsares fieri. Humilitas, qui Christianismi character est, una cum Imperii majestate simul esse posse ei non videbatur; sed in hac quoque re magnus ille vir nimirum zeli sui severitatem sequebatur, ne dicam ingenii sui austeritatem. Quanta enim cumque tandem intercedere posse videatur oppositio inter Christianam humilitatem, & Regiam Majestatem: verum nihilominus est secundum eadem fidei nostræ rudimenta, duo hæc simul conciliari posse; agnoscimus enim humilitatem mentis, & cordis, quæ media inter omnes mundi pompas vigere potest. Non deest etiam exterior quædam humilitas, quæ summos etiam viros decet, & nihil illis majorem in hominum animis benevolentiam, & in cordibus auctoritatem promereantur, quam cum videntur eorum dejectiones, & ut ita dicam, umbræ humilitatis cum fulgore triumphorum, & rerum ab ipsis præclare gestarum luce commixtæ. Illud nihilominus fateor, si Cæsares, ac Reges jus sibi esse contenderent, sibi dignitatem suam sustinendam esse æque spiritus sui fastu, ac apparatu externo, qui homines fallit, æque magnificentia Aulæ suæ, ac animi tumore; jam inde, JESU CHRISTI verbis utar, ineptos esse Regno Dei, qui elatos, superbosque spiritus non admittit. Dicam amplius: Si in dignitate sua ita circum vallerent, ut inde numquam descendere vellent, ut in partem accederent humiliationum Filii Dei: Ecclesia nequaquam dignos illos censuisset, qui in numero filiorum ejus reciperentur. Quare? Quia nullus est sine humilitate Christianismus; ideoque nullus esse potest sine humiliatione Christianus. *Tiberges in Sermone de ablutione pedum.*

Quomodo summi viri sese humiliare debeant cora Deo.

Quas gratiarum actiones Æterno Patri mundi hujus Principes referre non debent, qui per summam illius misericordiam se satis fortes inveniunt, ut huic humani cordis corruptioni resistant; qui in cogitationum suarum vanitate non evanescunt, qui in sublimi dignitatis gradu fovent semper erga Deum profundam mentis humilitatem: qui ne latum quidem unguem recedunt ab eo, quod illi præstare debent officio, ut in cæptis omnibus illum consulant, ut in prosperis eidem adhæreant, ut in adversis sese humilient, in omni vitæ suæ vicissitudine recinentes illa Regii Prophetæ verba: *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* Cur anima mea Deo subjecta non erit: quandoquidem ille Deus est salutis meæ, principium essentiæ meæ, & totius spei meæ unicum objectum? *Idem.*

Psalm. 61.

Summarū dignitatū periculum efficere debet, ut damnationem formidemus.

Christiana humilitas ipsa per se nobis interdicit perquisitionem dignitatum, honorum, magistratuum, quos mundi sectatores tantopere concupiscunt. Hæc ea sunt, quæ Christianus verus debet perhorrescere. Novimus exempli gratia pericula quibus Principum vita est obnoxia, multitudinem officiorum, quæ illis obeunda sunt, difficultatem, qua illi perfunguntur. Deo immortales agamus, habeamusque gratias, eo quod nos summo loco oriri noluit: oremus pro illis, qui genus hoc sortiti sunt; gratias agamus pro illis, qui rite munera sua obeunt, admiremur virtutem eorum; eamque nobis ad imitandum proponamus; fugiamus non solum magnas mundi dignitates, & magistratus; sed ipsam etiam mundi celebritatem evitemus. Sancta humilitas efficiat, ut contemnamur potius, quam in pretio habeamur a quoquam. Optemus omnino ignorari, ac nesciri: hæc tutissima est ad salutem via. *Ex Speciminibus Ethicis.*

Quantū reipublicæ intersit efficere ut Deo rite serviatur.

Vestrum est, o Principes terræ ac magnates, illud explere munus, quod status vester, & vestra ipsa utilitas exigunt. Si enim Principi curæ non est, ut Deo reddatur, quod Dei est; quomodo contendit, ut populi sui sibi, quod suum est, reddant? sibi inquam, cujus maxima gloria est, esse in terris viventem ejus imaginem. Si credit, sufficere, aliis dominari, ut sibi ab aliis præstetur obedientia; si putat præmia, & pœnas, quarum arbiter est, posse per se omnes subditos suos allicere, vel illis terrorem incutere, ne illum eo graviori errore deceptum invenio, quo difficilius sese inde expedire potest, quoniam illum minime agnoscit. Principis potentia, quantacumque illa est, quam brevissime ad nihilum redigeretur, si qui illi parent, arbitrarentur nihil esse eadem majus! Religio primas jecit radices timoris, quo regem homines reverentur; hæc illos pariter nutrit, & per cibum, quem illis impertit, efficit, ut arbor, unde exierunt, & eorum vitam servet, fructus afferat. Non secus ac autem arbor cujus radices nullam amplius e tellure succum hauriunt, propterea quod Etherogeneum aliquod corpus inter utramque se immittit, vel ob alium aliquem casum, quem non affero, quippe esset inutile; non secus ac inquam, talis arbor sensim exarescit, donec paulatim omnino moriatur; ita si aufers a statu quodam Religionem; observantia, & metus erga principem cum ipso lacte haustus, sensim intercidunt; & inde omnia existunt mala, quæ ipsi fingere possumus, & multo majora. Et sane contendendum non est spem præmiorum, & metum pœnarum inhibere posse hominem in gradu adeo lubrico stantem. Miser, qui non credit in Deum, per inobedientiam, ac rebellionem suam longe plura sperat se consecuturum, quam quæ illi Princeps suus pollicetur. Quod autem pertinet ad suppliciorum metum; quem effectum hic obtinere potest in eo, qui post hanc non aliam credit futuram vitam, & post horæ quadrantem se malis omnibus defunctum fore arbitratur? *Auctor recens.*

Regni origo.

Si permansissent homines in innocentia, in qua illos creaverat Deus, nulli fuissent Reges apud illos; & omnes æqualem nacti ortum, omnes in æqualitate vixissent. Sed cum peccatum ipsos ex hoc deturbaverit statu, quilibet se dominum constituere contendit, & aliis imperitare. Frustra naturæ vox ad excitandos in illis sensus æquitatis, quos Creator in corde eorum impresserat, illis clamabat; nemini injuriam facite, in fratribus vestris imaginem divinitatis reveremini: suarum dumtaxat cupiditatum injustitiæ auscultabant. Ambitio, avaritia, odium, ultio, cædes ac omnia teterrima flagitia effusa sunt super terram instar violentorum torrentium, ac sexcentas pepererunt vastitates quibus humanum genus obrutum fuit. Ad omnia mala hæc compescenda consensere mortales, ut nonnullis ex ipsorum numero sese subjicerent, quibus regundi jus ultro conferrent. Hoc pacto Reges constituti sunt futuri publicæ fidei arbitri, infirmis contra fortiorum oppressionem opem laturi, privatorum lites judicaturi, & unicuique quod suum est distributuri. Hæc Regni origo est. Sed institutio hæc neque legitima esse poterat, neque diuturna, nisi Deus supremus vitæ, necisque Dominus illam confirmasset, regibus suam communicans potentiam, & jus judicandi homines, pœnas criminibus irrogandi, & percutiendi eos, qui civilis societatis ordinem perturbant. *Primus Sermo Accademiæ Anni 1705.*

Oratio a Principio

Concede, quæsumus, Domine, ut perfecte cogno-

bus habenda ut suam Deo dependentiam teneantur.

gnoscamus; quod tu ipse es, & quod ipsi sumus, infinitam tuæ dignitatis majestatem, & nihilum nostræ humilitatis: *Noverim te, noverim me*: ut cum nobis persuasum omnino fuerit, omnem magnitudinem nostram, non aliud esse, quam participationem tuæ, quam nobis ad majorem tui nominis gloriam, & sanctificationem eorum in quorum oculis effulgemus communicasti; efficaciter excitari possimus, ut eadem utamur ad proximum quidem juvandum, ac te ipsum glorificandum, sæpe objicientes coram te magnitudinem, quam nostræ conditioni adnectere voluisti; ac sæpe te coram fatentes hanc tuam esse non nostram, ipsamque esse tamquam gloriæ tuæ radium; & eadem utentes, ut virtutes in honore habeantur, & ut alii etiam ad illarum praxim alliciantur. Ita coram Deo humiliare se debent illi, qui cæteris eminent: quia honor magnatum conditioni inhærens efficit, ut non inviti ad illorum imitationem rapiamur. Jugis ad Sacra interventus, frequens Sacramentorum participatio, indumentorum modestia, solatiorum, ubi periculum adsit, fuga, diligens Legum divinarum, non secus ac Ecclesiasticorum præceptorum, Evangelicorumque canonum observantia nitet in vita eorum, quorum conditio sublimis est: Humana ratio nil amplius habet, quod prohibere valeat infirmas animas, quominus hæc omnia exerceant. *Excerptum ex libro, cui titulus: Ratio recitandi Orationem Dominicam.*

Dignitas secum trahit varias tentationes.

Una ex perniciosissimis magnitudinis tentationibus est mollities; amor proprius, sublimis existimatio, qua gaudent, & qua tument, efficit, ut Principum virorum plerique seipsos respiciant tamquam vitæ voluptatibus natos; quin alteri cuipiam rei invigilent, quam illis quærendis, sibique omni in occasione procurandis; quin quidquam, vel in re quapiam, pati velint, usque ad contemptum exercitiorum ad Religionem spectantium, & officiorum ad salutem in paucis pertinentium, ut interim de seipsis, commodisque suis cogitent, solatiis indulgeant, gloriæ suæ consulant, & magnitudinis ipsius incrementum perquirant .... Tentatio, quam illis summæ libertatis spiritus inspirat, non est minus periculosa: hæc enim illos indociles facit monitis omnibus, quorum tamen maxime indigent pro vitæ suæ regimine, & negotio salutis suæ. Conditio procul dubio formidabilis! quæ magna ex illis requirit officia, & quæ prohibet, ne semper illa rite cognoscant; quoniam illos ferme extra ipsos detinet; immo non levi obstaculo est, ne illis perfungantur, quoniam tanta in mollitie enutriti sunt, ut inepti fiant, ut sibi vel minimam vim inferant. Hic strepitus, hic rumor, magnus hic populi concursus, quo se septos vident, efficit, ut jugi stupore affecti nihil percipiant; & objecta indesinenter circum oculos eorum nitentia, ita illos perstringunt, ut videre minime possint, quidquid saluti suæ potest adversari. Hinc effrænata illa vivendi licentia, quæ efficit ut totum vivendi spatium traducatur in jugi oppositione divinis legibus, & in statu peccati numquam desituri: *Incessabilis delicti*. Funestus, procul dubio, status Principum sæculi, qui cum eo magis sese humiliare debeant coram Deo, quo magis elati sunt, ex majoris humiliationis argumento, magis superbiendi occasionem eliciunt. *Ibidem*.

2. Petr. 2.

Nemo vere magnus est, nisi qui talis est coram Deo.

Satis non est, ad hoc ut ingentia benevertant cœpta, a Deo fuisse vocatos; sciendum etiam est sapienter, modesteque sese gerere secundum consilium, quod Spiritus Sanctus præbet. Quo majores estis, ait ille, eo vos magis demittite, non corpore tantum, sed corde. Hæc ipsa S. Augustini Sententia est: Opus est, ait ille, ut qui in aliqua dignitate constitutus est, coram hominibus locum suum tueatur, sed ut coram Deo sese tamquam mortalium novissimum intueatur. Homo re ipsa vere sapiens, alios semper se meliores, majoresque debet existimare; nam proprie loquendo nemo vere magnus esse potest, nisi qui talis est coram Deo. Qui autem plus virtutis habet; hic coram Deo major est; neminem quippe judicat Deus ex eorum opibus, dignitatibus, divitiis, existimatione, auctoritate, sed ex virtutibus, quæ solæ omne illorum meritum constituunt. Nemo igitur vere magnus est, nisi quatenus virtute præditus est; & illi aliis præferri merentur, qui alios virtutibus antecellunt. *Cardinalis Bellarminus in Opusculis.*

Mundi dignitates perstringunt, nec sinunt, ut Cœli dignitatem intueamur.

Reges, & Principes incessanter circumspecti sunt objectis, quæ illorum palpant cupiditates; amor gloriæ numquam vanitate caret; nimias inveniunt occasiones, quæ ipsorum concupiscentiam irritant, quam luxus, & delitiæ fovent. Occupati sunt curis, atque negotiis, quæ illis juges pariunt distractiones, qui magni profecto esse videntur ad contritionem obices. Qui privatam vitam ducunt, immunes sunt ab omnibus id genus agitationibus; nisi ipsi eas sibi velint procurare: nihilominus pauci videntur, quorum corda vera sint contritione commota, quantumvis hanc consequi facilius possint præ illis, qui mundi negotiis sunt impediti. *Ex Opusculis S. Jo. Chrysostomi.*

Humana dignitas est fluxa.

Vapor in aerem sublatus virtute solis, nonnumquam præclaram sui exhibet speciem; ac intuentibus jucundissimam aperit scænam; sed post hæc quandiu viget fallax hic nitor, mortalium oculos perstringens? *Vapor est ad modicum parens.* Vapor nequit amplius subsistere, ac levioribus flatibus cedens repente dissipatur, & evanescit. Mortalis homo licet sederes super sublimi terrarum omnium solio, cogita futurum ut brevi evanescas: *Elevati sunt ad modicum & non subsistent.* Hodie in pompa, atque fulgore ab omnibus conquisitus, amatus, adoratus: cras in tenebris sepulchri, corrosus, depastus vermibus: Tot summi Duces, tot Monarchæ potentes, expeditionum suarum celebritate universam terram repleverunt; quid modo illorum est reliquum? Nominis etiam eorum memoria delata est. *P. Segneri in Meditationibus suis.*

Jacobi 4.

Job 24.

Nil magis oppositū, quam Dei, hominumque judicium de vera magnitudine.

Quænam est hominum insania, tanto ardorē terræ hujus honores appetentium! Quod apud homines dignitas, magnitudo, gloria, appellatur, quid est coram Deo? nisi abominatio. *Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.* O si altius vobis in cordibus hæc infigeretis JESU CHRISTI Æternæ Sapientiæ verba, longe aliud ferretis judicium de rebus; neque vobis gloriæ verteretis, eo quod inimicum humiliastis, victores judicio abiistis, magistratum hunc affecuti estis, & honoris competitorem de ponte dejecistis. Oculos convertite ad ea, quæ in terris maxime nitent; aliis imperitare, dignitatum fulgore clarescere, numerosam famulorum catervam habere, magnificos erogare sumptus; denique quidquid hominum palpat ambitionem, & magnum est in oculis eorum, hæc omnia, ne uno quidem excepto, est abominatio coram Deo. *Idem.*

Luc. 16.

Quid factum sit de terræ Principibus; & quid reliquum sit magnitudinis eorum!

Ut omnino terrenarum rerum vanitatem asséquerentur, sæpe nosmetipsos interrogare deberemus de exitu tot Principum terræ. *Ubi sunt Principes gentium?* Quærit Propheta Baruch; ubi sunt Cæsares, Augusti, Alexandri, ac tot alii, qui repleverunt nominis sui celebritate, & fulgore potentiæ suæ universum terrarum orbem? Coronæ eorum, trophæa, triumphi, opes, nil horum eos subsecutum est. *Exterminati sunt*, idem respondet Propheta. Sepulchrum totum illud fuit; quod in morte in hoc visibili mundo fuit illis reliquum. Hæc ipsa Sepulchra non vigent amplius, & ne cineres quidem supersunt horum Numinum terræ. Ita omnis magnitudo eorum exinanita est. *Exterminati sunt.* Quid porro ex hac consideratione inferendum est? Hinc sane elicienda est veritatum omnium utilissima, hoc est citra gravissimam stultitiam fragilia sæculi bona bonis æternis præferenda non esse. *Idem.*

Baruc. 3.

Hic

Ingentes fortunæ & honores excæcant homines, & passim efficiunt, ut alii videantur.

Hic vir felicissimas ad virtutem fortitus fuerat dispositiones; tenerer erga proximi calamitates, affabilis, modestus, suavis, indulgens. Donec se inter aureæ mediocritatis cancellos se continuit, numquam labi visus est. Pretiosa hæc naturæ bona ipse magis locupletabat, præclarum in usum convertens gratiæ dona; quippe omnia quibus divinitus cumulabatur bona in fœnore collocabat. Hoc erat exemplar, quod honestus quilibet vir, & quivis Christianus fervens sibi ad imitandum proponere poterant. Nunc sors, favor, gratia alicujus præpollentis viri qui merita illius habet comperta, exploratamque virtutem in eminenti gradu illum constituunt. Hic non est amplius homo idem; ratio procul abest ab omnibus consiliis ejus; superbia, invidia, odium cor ejus pervadunt; violentus homo est, inexorabilis, acer, contemptor, ultionis cupidus, qui impos animi effrenatæ cupiditatis suæ motibus obsequitur. Verbo nemo potest amplius cum illo consuescere: *Comparatus est jumentis, & similis factus est illis.* (*Psal. 48.*) Quonam præstigio repente tanta hæc mutatio facta est? Hic honoris locus numquid illitus est virulento succo, ut sui impotes faciat, quicumque illuc se audent attollere? Haud ita quidem. Nitidiora officia simul esse non possunt cum christianarum, civiliumque virtutum praxi; & homini huic non deerat in præclaris animi dotibus sufficiens subsidium, si illi cavendum fuisset dumtaxat ab inani recentis fortunæ splendore. Sed virtus ejus adulationis vim non sustinuit, & subtile hoc virus evertit omnem œconomiam tot præcellentium habituum, quibus eumdem exornare Deus fuerat oblectatus. Septus corona adulantium, qui eum fallere cupiebant certatim inanibus, cupidissimisque officiis ad gratiam aliquam extorquendam, non ultra vitium respexit, nisi in fallacibus speculis; & loco turpidissimæ illius fœditatis, sub qua illud spectabat olim, non cernit ampliud illud nisi sub integumento rei, quæ suum statum, suamque deceat auctoritatem; vel ad summum tamquam levissimam infirmitatem Summorum Principum conditioni inhærentem. Ne in tantum errorem incideret, fideli esset opus amico qui ante oculos illius speculum veritatis proponeret, ubi seipsum, qualis est intueretur: quod Mundi Principes ne sperare quidem possunt. Se igitur inspiciant in tabula, quam hic Spiritus Sanctus illi proponit: *Homo cum in honore esset, comparatus est &c. P. Segneri in Meditationibus suis.*

Summi æque ac imi expiare debent peccata sua per pœnitentiam.

Divites, ac Potentes fere numquam inter homines inveniunt tribunal satis æquum, ut meritis eorum jus tribuat. Turpis adulatio; dum illi vivunt, vitia eorum in virtutes convertunt; odiosa malignitas etiam post mortem virtutes eorum in vitia convertere conantur. Deus unus semper æquus in eo, quod probat, & in eo quod improbat, nulli eorum crimini ignoscit, neque ullo ex bonis eorum operibus nigrum loliginis succum conatur adspergere. Sicuti mercedem suam extendit ad omne bonum, quod faciunt, ita nullum malorum, quæ committunt, impune sinit abire. Nulla creata potentia justitiæ illius jura potest eludere, atque in divinis Scripturis regibus omnibus ait, nitorem fulgentissimarum coronarum tegere non posse ruborem sceleribus inhærentem: &, si nocentes sunt, non aliam illis ad eum evitandum superesse viam, quam ea delere pœnitentia sincera. *P. Senault Oratorii.*

In Principibus perrara est humilitas.

Superbia, quidam Ecclesiæ Pater inquit, *sublimes appetit mentes*. Tot concurrunt causæ ad vitium hoc in Principibus ciendum, ut si qui sunt humiles, virtus eorum miraculi instar videri possit. Quidquid illos circumstat, ipsos sibi applicat tamquam ad aliquid magni, & mox amovet eorum oculos ab iis omnibus, quæ ipsos in cogitatione sua possent humiliare. In ipsis quoque vitiis adulatores inveniunt: *Desinunt esse probri loco purpurata flagitia*. Ad eorum aucupandam gratiam, si quid boni ab illis possidetur, hoc in Cœlum tollitur; veritates ad illos non perveniunt nisi tamquam populorum tributa, quæ in singulis manibus per quas transeunt, insignem diminutionem patiuntur. Omnia pendent ab illis; omnia illis cedunt, ita ut impressiones hujusmodi adjunctæ amori proprio, qui plurimum tribuit iis imaginibus, quas nobis nostrum metipsorum proponit, Christianam humilitatem adeo raram efficiant, atque difficilem inter dignitates, ut gratiæ miraculum quoddam videatur. *P. Archangelus Enguerrant.*

Deus magnatum superbiam horret non magnitudinem.

Hinc in Sacris Scripturis Magnitudo tot fulminibus, & comminationibus petitur, ut si qui magni sunt, animum adverterent, in oculis eorum vera esset calamitas se tale genus sortitos fuisse. Quod magnum est in oculis hominum, Salvator ait, abominatio est coram Deo. Unum ex funestis judicii universalis spectaculis erit, inquit Isaias, videre trepidationem, & annihilationem eorum, quos humana dignitas in terris protulerat; & in Inferno teterrimis suppliciis terræ Principes, ac potentes torquebuntur. Neque ideo putes Deum odisse magnitudinem per seipsam; sed odit superbiam; cumque per humani cordis corruptionem magnitudo sæpe sit materia, ex qua coalescit peccatum, idcirco secundum æternam Sapientiam est abominatio coram Deo. *Idem.*

Magnitudines ut plurimum vita ipsa non sunt diuturniores.

Quis non videt quam breves, quam vanæ, quam fragiles sint secundæ hæ vitæ, quas infirmitas nostra excogitat ad tegendum quodammodo mortis horrorem? Dormite somnum vestrum terræ Principes, & in pulvere vestro manete. Si post aliquot generationes; generationes dico? Si aliquot post annos ab obitu vestro reverteremini, homines oblivioni traditi, iterum inter loculamenta vestra vosmet reciperetis, ne videretis nomen vestrum tetra caligine insepultum, deletamque celebritatis vestræ memoriam &c. *Bossuet Meldensis Episcopus.*

Quodnam sit principum officium.

Principes, qui fatum suum sequi volunt, ac divinis obsequi consiliis, in id incumbere debent, non quidem ut sua propria voluntas dominetur, sed ut regnet veritas, & justitia, quarum norma, atque principium ratio ipsa est, ejusque æterna voluntas. Si vera utilitate sua moventur, omnem vitam suam ad exemplar hoc conformabunt, quod non minus prudentiæ consonum est, quam Religioni. Profecto sicuti Princeps solide potestatem auctoritatemque suam statuere non potest, nisi hinc quidem subditorum suorum amorem sibi conciliaverit, inde vero inimicis, ac hostibus nominis sui terrorem incusserit: necessario fatendum est, justitiam, & veritatem, quæ duæ tantum duo hæc bona procurare possunt, firmissima esse regalis solii præsidia. *Ex Sermone primo Accademiæ anni* 1705.

Quæ sint periculis obnoxii.

Ex quo Princeps Sceptro manum admovet, omnia ad illum pervertendum conjurant. Tabidus aer aulæ, ubi captiva in injustitia detinetur veritas, ubi omnia fere corda sunt duplicia, & ora omnia dolo, & mendacio patentia; diadematis fulgor, jugis parvulorum oppressio, assidua magnorum observantia, qui semper sunt præsto, ut coram fortunæ suæ idolo genua flectant; facilitas obsequendi cupiditatibus suis, absoluta potestas quæ ad primos concupiscentiæ motus omnes illecebras exhibet: sexcenta objecta fallentia solium catervatim obsidentia, communes, & quotidianæ sunt Regni tentationes. Quam difficile est, quod ex tot objectis, qui acres adeo in humanos sensus impressiones efficiunt, nullum sit, quod cor ipsum minime pervadat! Quam difficile est æquitatis, atque rectitudinis sensum tueri in mendacii, & simulationis regione! Quam difficile, quod veritas sibi viam aperire valeat tot inter obices, & perrumpere cuneos aulicorum certatim conantium fallere principem, eumque sibi vel consortem, vel patronum suarum cupiditatum promereri! *Ibidem.*

A Dei bonitate, non autem propriis meritis

Deus homines fecerit, attollit, & super alios constituit; sed in hoc dicerem potius, illum minus de illorum meritis ferre judicium, quam suam

ricis supremam tenent auctoritatem.

suam erga ipsos largitatem insignire. Quænam erant regiæ qualitates David, ut Sauli successor daretur? Quinam hic eminens erat caracter Saul, ut ad solium Israel eveheretur? Nati pastores, & eo modo instituti, quem genus illorum decebat; minus apti videbantur sceptro gerendo, quam pedo, exercitibus ducendis, quam pascendis ovibus. Divina igitur electio jacit regiæ auctoritatis fundamenta: *Per me Reges regnant*. Eduxit Deus ex nihilo eorum essentiam, & facit, ut inde etiam ipsorum existat magnitudo. Sed si bonitas sua illis coronam largitur, justitia sua illam sustinet, atque hæc eadem divinam sibi protectionem promeretur. *Secundus Accademiæ Sermo; anno* 1705.

Prov. 8.

Prosperi eorum successus non secus ac elatio sunt a Deo.
Rom. 13.

Omnis potestas a Deo est; per hunc subsistunt regna, & Reges illa moderantes: *Non est potestas nisi a Deo*. Providentia, quæ variis vitæ conditionibus, omnibusque generatim hominibus invigilat, peculiarem gerit curam Imperiorum, & Imperantium. Reges majoribus indigent gratiis ad populos regendos, quam populi, ut Regibus pareant. Quo quisque elatior in terris est, eo magis Cœli favoribus eget, ut suis perfungatur officiis, utque seipsum in sua dignitate sustineat. Frustra superbia honorum, ac dignitatum comes individua summæ libertatis libidinem terræ principibus conatur suadere: frustra sibi blandiuntur inter politicos canones satis præsentia sibi adesse subsidia ad magnas revolutiones prævertendas. Humane spiritus cum omnibus dolis, ac deceptionibus tuis, Humana prudentia cum omnibus præcautionibus, & adinventionibus tuis, favere quidem potes Regibus aliquid molientibus, aggressisque; sed ut illos in solio confirmes, certosque facias, tibi virium satis non est. Nisi effuderit Deus uberius suas benedictiones in Regem, quidquid iste ditionem suam tuitutus aggredietur, in irritum cedet. Cum Dei sit imperia largiri; unius illius est eadem auferre, vel prohibere, ne auferantur ab aliis. *Sermo, tertius Accademiæ, anni* 1705.

Quantum virium habeant bona, vel mala Regu exempla in suos.

Nihil tantum in populorum animos virium habet, quam Regis exemplum: Cupiditas eidem placendi gignit desiderium illos imitandi. Gaudemus vulgo eos imitari, quibus obedire tenemur, vel a quibus præmia nos percepturos esse speramus. Quænam igitur publicæ rei calamitas est, cum Rex illi præpositus non horret iniquitatem, & nullo zelo Religionis tenetur! Cum ille blandis adulantium verbis aures, animumque præbet; cum ad illius gratiam aucupandam, oportet nosse dissimulare veritatem; cum illa omnia suæ ambitioni, politicæ, cupiditati, voluptati, iracundiæ sacrificet? Quid fieri possunt subditi Principis adeo impii? Vitium, quod exemplo suo probare videtur, nonne apud illos vim majorem obtinebit, quam virtus, quam videtur contemnere, vel nulla mercede dignam arbitratur? Quam vim leges habebunt, si ille prior has videtur negligere? Quomodonam sceleris pœnæ dabuntur, si ille prior in vetitum ruit? Ubi semel in solium ascenderit corruptio, nonne inde in omnes se conditiones effundet? Nonne privatus quilibet officii sui cancellos effringet, & gravissima quæque audebit per legum omnium dedecus, spe ductus impunitatis? Quid hoc in regno videbitur, nisi licentia, impietas, injustitia, Religionis eversio? *Ex eodem*.

Regum pietas potius quam fortitudo causa est victoriarũ.

Sæpissime fallimur, cum Regni prosperitas Regis prudentiæ, & præliorum victoriæ, Imperatorum virtuti, militum dexteritati, vel arbitrio fortunæ, accepta referuntur. Prosperi hujusmodi eventus pietati Principis, vel populorum sunt referendi. Exercituum Deus vulgo disponit de victoria in eorum gratiam qui sibi fidelius deserviunt: quod si non semper præstat, hoc est ne illi superbia intumescant, & brachii sui robori tribuant, quod mere a Dei bonitate obtinuerunt. Donec Israel summa officii fide muneribus suis fungebatur, triumphos egit de hostibus suis, licet plerumque viribus, copiarumque numero præstantibus: verum ex quo ab officio recessit, victus fuit, & aliquando etiam in durissimam captivitatem perductus. Sive ergo Regna per suam potentiam vigeant, sive per suam decidant infirmitatem: Seu floreant populi, seu probro sint; Omnipotens adeo contrarios effectus operatur, ut remuneretur pietatem, vel ut in scelera populorum, & Regum animadvertat. *Ex eodem Sermone*.

Secundum Magna divinæ Providentiæ consilia summi viri parvulorum regimini, fortes infirmorum præsidio, divites pauperum solatio destinati sunt; ac zelo suo potissimum iis præstandis Charitatis officiis, ut seipsos tueri possint iis in sedibus, quas occupant. Quomodonam Omnipotens abnueret confirmare sceptrum in manibus Principis conantis inhibere cursum scelerum, & iniquitatum, & Legum severitate, & virtute exemplorum? qui ut vitii honorem, atque virtutis amorem suadeat numquam alterum quidem pœna, alterum vero præmio vacuum abire sinit? Qui ubique bonis favet, & nonnisi merentibus honores, & magistratus permittit. Cur Deus benedictionibus suis non prosequeretur Regis conatus, qui non minus subditos suos ab hostibus tuetur, quam inter illos publicam tranquillitatem constituit? qui nonnisi invitus belli consilia movet, & cui nihil optatius accidere potest, quam pax? Qui motum suavitate, quoad fieri potest imperii temperat severitatem? Cui minus curæ est sua, quam Templorum gloria? Qui tandem incessanter privatam suam, & populi sui sanctificationem perquirit. *Ibidem*.

Magni & divites esse debent pauperum, & parvulorum præsidium.

Ad regnum pacate regendum perfectus requiritur consensus inter eum, penes quem jus est imperandi, & eos, quos imperata facere opus est! Sed quantum consensus iste necessarius est ad Principis tranquillitatem, reique publicæ felicitatem, tantum illum statuere arduum est. Longe facilius est populis timorem, quam amorem injicere. Regum majestas ut plurimum reverentiam suadet, non ciet confidentiam. Potestas, qua fruuntur, metum incutit, sed extinguit amorem. Ut Princeps amorem subditorum sibi promereatur, utatur oportet auctoritate cum modo, & suavitate. Hoc faciunt illi, quibus æquitatis, & Religionis zelus inest; pietas enim, atque justitia imperii duritiem in illis temperant, & in vulgi mente minuunt austeritatem illius subjectionis, quæ tantum humanis mentibus negotium facessit. *Ex eodem Sermone*.

Æquis, piisque summatat Principibus accidit amorem populorũ sibi conciliare.

Principes facile allici seipsos sinunt blandis dignitatis suæ imaginibus. Industrii in iis dignoscendis, quæ in honoribus majores habent illecebras; non minori cura sibimet contegunt, quæ iisdem crucem figere possunt. Amor proprius sexcentas illis aperit vias, ut sese expediant iis, quæ ipsis accidunt permolesta, & quod minime sentiunt, quam præstet amare æquitatem, & beato justitiæ jugo subjici, in tyrannicam erroris, & iniquitatis incidunt dominationem. Cupiditatis proclivitas augetur artibus adulationis illos circum undique obsidentis; & hæc insana libido, qua in ipsis etiam sceleribus laudari, probarique volunt in dies singulos percrebrescens, in omnes Reipublicæ partes aerem ita contagiosum effundunt; ut membra omnia corruptione hac contabescant. *Sermo quartus Accademiæ. Anni* 1705.

Amor proprius efficit, ut Principes id unum cogitent quod illos palpat in dignitate sua, & fugiant, quod illis crucẽ figit.

Cum Princeps negligit facere, ut leges vigeant, atque illis pareatur; nulla est amplius in Regno consensio, & tranquillitas. Omnia sus deque perturbata sunt; hæresis mentes inficit; libido corda corrumpit; luxus animos dejicit; regnat impietas, & cupiditates omnes perturbatæ jugulant meritum, & virtutem exinaniunt. Cum nulla amplius supersint valla, ad vitii licentiam compescendam, omnia in incertum feruntur, omnia colliduntur; reipublicæ navis sine nauta currit in procelloso mari, ubi nihil nisi naufragium expectandum est. Quam opem illi afferre potest inanis hominum poli-

Mala hæc quæ accidunt in republica, cum Magistratus negligit legũ observantiam.

politica, cujus consilia sunt adeo incerta, ac finita, & quæ Deus confundere oblectatur, ex quo illa a virtute secedit? Solæ tantum pietas, atque justitia sunt fulchra regalis solii, quæ illius lapsum præveniunt, & eum jamjam labitur, reparant: hæ quippe solæ auferunt discordiæ, & iniquitati instrumenta, quibus illi evertunt imperia. *Ex eodem sermone.*

Mala in quæ incidunt Principes veritatem non audientes.

In quæ mala, ac scelera proruunt Principes hujus mundi cum libenter non audiunt veritatem! Tunc omnibus suis cupiditatibus traditi certam non habent regulam, neque tutam agendi rationem. Illos adulatio corrumpit, politica fallit, pravum consilium præoccupat, amici meliores apud illos suspicione non carent, & infensissimi eorum inimici familiarissimi illorum fiunt, & maxime necessarii. Virtutes omnes de gradu deturbant, & turpissima vitia in honore ponuntur. Ambitio commendabilis ardor habetur; ultio, generosus animi sensus; dolus efficax ratio efficiendi, ut omnia benevertant. Pietas merum nomen est; Religio, prætextus, ingenua loquendi libertas, rudis simplicitas. Timor tunc pervadit mortalium omnium virtute præditorum mentes, & sollicitudo corda; nemine sciente, quid pro præsenti sequatur, & quid in tempus futurum reformidet. Nulla in promissis fidelitas est, nulla in amicitiis securitas, nulla in contractibus certitudo. Populus omnis timore ac terrore corripitur videns in solio iniquitatem, ex quo exules extorresque procul avolant pietas, atque justitia. Denique scelera omnia Regnum obruunt; quia regnans impietas, ac populum præcedens ubicumque illi aditum reserat. *Sermo 5. Accademia anni* 1705.

Populorū interest orare Deum, ut obtineant Reges, & magistratus æquos.

Inferiorum quam maxime interest, quod illi, a quibus reguntur iis sint præditi qualitatibus, quæ sunt in primis necessariæ ad sibi eas promerendas gratias, quibus indigent; & in ordine civili maxime refert bonos habere judices, bonos Magistratus, bonos Principes. Hos numquam satis a Deo petere possumus. Quibus hæc non contigit felicitas, Deum precibus fatigent; ut suppleat iis rationibus, quas novit, & quæ numquam illi deficiunt. Qui vero hanc assecuti sunt, preces enixas debent effundere, ut super suorum Principum caput cœlestes eliciant benedictiones; hæc enim ratio est illas sibi promerendi. Deum pro Regibus, ac Principibus rogemus, ut in Publicæ rei regimine eo magis Deo subditi sint, quo minus pendent ab hominibus, ut eorum auctoritate suffulta Ecclesia vitam ducere valeat tranquillam atque pacatam in omni pietatis genere, atque honestatis. *Tourneux in Anno Christiano Tomo* 11.

Principum auctoritas a Deo ipso est.

Rom. 13.

Omnem potestatem esse a Deo, S. Paulus Apostolus docet: *Non est potestas nisi a Deo*. Eas, quæ constitutæ sunt, a Deo constitutas esse: *Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt*; & resistere Deo illum, qui potestati ab illo constitutæ adversatur. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Eos, qui populis præsunt, esse Ministros Dei, ad bonum quidem remunerandum, malum vero puniendum: *Dei minister est tibi in bonum; Dei minister est vindex in iram;* & ita Principibus defert titulum ipsum, quem sibi tamquam Apostolus, vindicat: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi*. Hinc liquet, dignitatem esse divinæ super homines potentiæ participationem, quam aliis propter aliorum utilitatem communicat: hoc ministerium esse, quod ipsis committit; ideoque cum nihil verius, & æquius sit auctoritate, ac potentia Dei, nihil verius, & æquius esse, quam magnitudinem in iis, quibus illam vere communicat, & qui non sunt usurpatores illius. *Ex Speciminibus Ethicis Tomo* 2.

2. Cor. 3.

Cur Principes sint reverentia digni.

Quæstio hæc posset institui, qua de causa Principes viri digni sint observantia? Haud illi quidem sunt hac digni propter opes, neque propter voluptates, neque propter fastum ipsorum; sed quia participes sunt Regni Dei, Deus in eorum persona observandus est secundum mensuram; quam quilibet possidet; necnon propter ordinem, in quo Deus illos constituit, & quem per suam Providentiam disposuit. Itaque cum hæc submissio habeat pro objecto rem, quæ vere digna est observantia, hæc non debet esse dumtat exterior, & meræ cæremoniæ, verum etiam interior; videlicet complecti debet confessionem superioritatis, ac magnitudinis re-ipsa existentis in iis, qui observantur. Hanc ob causam Apostolus commendat Fidelibus, ut sint subjecti potestatibus non solum propter pœnæ metum; verum etiam propter conscientiæ causam. *Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Idem Tomo* 2.

Rom. 13.

Dignitas per se nullo est in discrimine; usus ejusdem pretium constituit.

Sacra Biblia immutabilis omnium sensuum nostrorum regula, duos varios nobis inspirat de dignitate; modo etiam ait, quod magnum est coram hominibus esse abominationem coram Deo; modo docet, nullam esse potestatem, quæ non sit a Deo, & quascumque potestates in terris sunt, ab illo fuisse constitutas. Ibi ad honorum contemptum in nobis ciendum ostendite. Aman ambitiosum Regis amicum, qui abusus Domini sui gratia posteritati invisum se præbet, & extremum sibi supplicium prometetur. Hic ad eos nobis commendandos in Joseph nobis exhibet fidelem ministrum, qui diutina virtutis suæ experientia ad primos honores attollitur, ac in tanto dignitatis gradu per consiliorum suorum fidelitatem perseverat, omnem dignitatem suam ad Principis sui gloriam, populorum felicitatem, domus suæ salutem convertens; sibique tantum reservans jugem laborem, cui vacat, & nitorem innocuum, quo supra cæteros emicat. Quid hæc sibi vult sensuum inter se in speciem oppositorum contradictio? Nisi quod dignitas nullo per se in discrimine est, sed usum illius efficere, ut de illius pretio dijudicetur; & postquam aliquis per legitimas vias ascenderit, nonnisi per easdem se in eodem gradu tueri? Hoc si absit, nulla vera in mundo dignitas est; perit qui ambitione excæcatus, vel abundantia corruptus sua abutitur dignitate, ut suis cupiditatibus obsequatur. Salutem ibi suam operatur, qui Religione illustratus agnoscit, se propter alios dumtaxat magnum esse; dignitates quo magis nos attollunt, eo magis nos subjicere; & per earum fulgorem interire, qui per usum illarum se nequaquam sanctificat. *Recens Auctor*.

S. Bernardi monitum ad Terræ Principes.

En quibus verbis S. Bernardus gratulaturus cuidam suorum Discipulorum, qui ad primum Ecclesiæ solium nuperrime evaserat, tantam dignitatem, suum illi potius dolorem testatur. Verum est, Sancte Pater, me extrinsecus nequaquam illius expertem fuisse lætitiæ qua omnes propter collatam sibi dignitatem exultant; sed ingemui, & dolore confectus sum propter te in secreto cordis mei: neque enim gradum quem tenes cogitare possum, quin lapsum reformidem. Quo eminentior est dignitas, eo casus mihi horribilior videtur. Intueor quod es, ac inde, quid tibi sit metuendum dimetior; scriptum enim est: *Homo cum in honore esset, non intellexit*. Quin ergo ob statum tuum intumescas, ne aliquando *forte contingat* tibi miserabilem illam emittere vocem; *A facie iræ indignationis tuæ elevans allisisti me*. Tu enim hodie in amplissimo quidem loco es, non in tutissimo. *P. Bourdaloue in Dominicali*.

Psalm. 48.

Bernard.

Principes esse debēt subjecti Deo, & in hac subjectione vera dignitas eorum cōsistit.

En quomodo cum Antoninis, atque Severis licet idolorum cultoribus loquebatur Tertullianus. Neque se illis adulari credebat, cum eos super homines, immo etiam super Deos collocaret; super homines quidem, quia erant Cæsares, & hominibus imperitabant; supra Deos vero, quia vivebant, cum Dii mortui essent. *Ante omnes, & super omnes. Quidni? cum super omnes homines, qui utique vivunt, & mortuis antestant*. Ille tamen non timebat, licet ante rogos, atque secures, quominus idololatris hisce imperatoribus prædicaret Deum, Deum viventem, Deum, quem & ipsi

Tertul. Apol. c. 30.

Deum

Deum unum, potentiæ suæ auctorem, conservatoremque cognoscebant. Deum hunc primum esse potentem, ipsos vero secundos, vel primos post illum. *A quo sunt secundi, post quem primi*. Illos non posse ignorare hanc subordinationem; quia cum omnia possent super reliquos, super Deum hunc se nihil posse sentiebant, a quo & vitam, & potestatem hauserant: *Adversus quem valere non possunt, per hunc se valere cognoscunt*. Potissimum vero illis persuasum esse debebat, subordinationem hanc non solum ipsis non turpem esse, verum etiam fontem gloriæ, & magnitudinis; re enim vera ideo erant magni, quia erant, & cognoscebant se Deo esse minores: *Ideo magnus est, quia Cœlo minor est*. *P. de la Rue Sermone pro die festo Nativitatis Domini*.

Principes uti debent sua auctoritate, ut Deo serviatur.

Si Moyses missus ut Hebræis Dei legem doceret ad idolorum cultum constituendum eadem usus esset potentia, qua cœlitus indutus fuerat: Si Josue electus a Deo ad erigendum Israel super Jebusæorum, & Amalecitarum interitum, ad eorum proferendum imperium iisdem usus fuisset armis, quorum imperium Deus ipsi commiserat; quænam perduellionis esset culpa, quæ perfidia? Hoc quotidie vos facitis, o terræ Principes, cum existimatione, & auctoritate, quam vobis contulit Deus super infimos, hac abutimini, ut vestra jura divinis posthabeantur; cum flocci facitis domesticorum vestrorum flagitia, ministrorum avaritiam, subditorum impietatem; dummodo jugum vestrum patiantur, vestrisque pareant cupiditatibus; cum minimas quidem injuriæ vobis illatæ suspiciones vos irritant, & nullo habetis in discrimine illas, quæ inferuntur Deo. Potentes estis, verum sub Deo; non igitur potentes estis, nisi ut serviatis Deo. *P. de la Rue in Quadragesima Sermone de usu auctoritatis*.

Principes felices dici possunt cum juste regnant.

Beati vocantur Principes, S. Augustinus ait, cum juste regnant; cum inter summos honores, qui sibi deferuntur, & obsequia, quæ sibi adhibentur, meminerunt se homines esse ab aliis non dissimiles; cum præcipue sua utuntur potentia ad statuendum, extendendumque divini cultus imperium; cum Deum timent, diligunt, eique serviunt; cum præferunt possessioni dignitatis suæ regnum cœleste, in quo nullos metuent potentiæ socios, cum lenti erunt ad puniendum, & ad parcendum faciles; cum pœnas non exercent nisi propter bonum, & salutem regni sui, non autem ut propriis ultionibus satisfaciant; cum indulgentes non sunt, ut vitiorum faveant impunitati, sed noxiorum correctioni suffragentur; cum in occasionibus, in quibus severius agere tenentur, rigorem hunc temperant aliqua actione suavitatis, atque clementiæ, & liberali effusione beneficiorum. En cui bono inservire debent auctoritas, potentia, magnitudo Principum, cæteraque cum interiora, tum exteriora bona quæ recipiunt a Deo. *Tourneux in anno Christiano Tomo 10*.

Licet genus nobilibus minime conferat qualitate realem, jure tamen aliis præferendi sunt ubi paria sunt merita.

Genus, ac nobilitatem sortitum fuisse secundum homines, idem est, ac genus suum a spectatissimis genitoribus secundum mundi ordinem hausisse: sed hæc nativitas nullum per se confert animi, vel corporis bonum; nullum adimit vitium, & plura in nobilibus æque ac in aliis deprehenduntur. Nulla igitur adest solida ratio, quæ magis commendet nobiles præ illis, quibus hoc negatum est. Tamen quia oportet inter homines ordinem esse, jure quibusdam in locis constitutum est, viros hujusmodi esse aliis præferendos eisque nonnullas honoris prærogativas esse concedendas. Si hic omnia subsisterent, nihil nisi æquum esset in nostro conceptu nobilitatis; sed proceditur. Ex hoc ordine ad hominum arbitrium statuto sine ratione aliqua ex iisdem personis desumpta, fit ordo naturalis, & inevitabilis, eumque consuescimus intueri tamquam aliquid inhærens essentiæ illorum, quibus hæc prælatio defertur. *Ex Speciminibus Ethicis Tomo 2*.

Principes uti debent

Cum viri Principes a Deo acceperint suam auctoritatem, ac potestatem ad majorem nominis ejusdem gloriam, hac propter Deum uti debent; hoc est, propter Deum illis faciendum est quidquid facere possunt; & ipsorum potentia norma est officiorum suorum. Inspiciendum illis dumtaxat est, quid valeant: certum quippe est, illis, quidquid valent esse efficiendum. Si parum possunt, parum facere tenentur; si multum possunt, eorum crescit obligatio pro incremento potentiæ. *Ibidem*.

sua auctoritate ac potestate ad majorem Dei gloriam.

Jus habent medendi malis omnibus, & efficiendi ut Leges in Regno excipiantur.

Edicta in Regno acceptata potestatem Principibus viris conferunt quamplurimis malis medendi. Jus habent exempli gratia prohibendi, ne quis aleæ se mancipet, interdicendi choreas diebus festis, efficiendi, ut serventur aliæ id genus sanctiones, quarum observantia quamplurima flagitia repelleret. Qui ergo pias consuetudines invehere vel invectas tueri possunt, ad id omnino tenentur; & Principes possunt, cum Regni edicta illis conferunt auctoritatem. Ita cum hoc munere non perfunguntur, per præfectos suos non invigilant, non deest dubitandi causa, utrum se debeant reos credere scelerum omnium, quibus mederi debuerunt. *Ibidem*.

Tenentur pariter extrudere vitia ex iis locis, ubi auctoritate pollent.

Si omnibus Principum officii addentur illa, quæ oriuntur ex potestate, quam habent, variis medicinam afferendi malis ea in ditione, qua tenent; si addatur quidquid facere possunt ad extrudendum sua auctoritate, verbis, exemplo luxum, blasphemiam, libidinem, aleam, licentiam, & plerosque alios vitiorum fontes; omnia juxta hæc duo principia regantur; Principibus quidem omnia pro viribus efficienda esse, & horum officiorum omissione eos noxios fieri criminum omnium, quæ non prohibuerint; aliqua concipietur imago terribilium hujus ministerii periculorum. Tamen hæc peccatorum congeries, quorum, quin sibi religioni vertant, prægravantur, non admodum ab illis viventibus adhuc percipitur. Rumor, qui juxta illos accidit, iis stuporem immittit, & externa objecta, quibus extra se rapiuntur, prohibent, ne videant. *Ibidem*.

Tenentur quoque omnia quæ possunt procurare bona in locis ad quæ sua se extendit auctoritas.

Principi iis in locis, ubi pollet auctoritate, faciendum est, quidquid faciendi potestatem habet pro bono populorum, & Ecclesiæ: Omnes id facere tenentur viri nobiles in agris, & domibus suis. Magistratus debet efficere, quidquid faciendi jus Provincia illi credita tribuit, ut justitia reddatur; & singulis denique in ministerio suo faciendum est omne bonum, quod possunt, ne talentum a Deo traditum inutile maneat. Hæc regula triplici verbo præscribitur, sed praxis longius extenditur; ut enim omnia in rectum ordinem redigantur, & ut omnes auferantur abusus nequaquam alia re opus esset, nisi ut qui in manibus habent auctoritatem, omni uterentur potestate sua ad hoc, ut Dei, Ecclesiæque leges observarentur. *Ibidem*.

Tenemur observare summos viros, & quid in illis colendum sit.

Fideles facere nequeunt quominus conscientiæ addicti eam Summis viris adhibeant reverentiam, quæ ipsis debetur; ita sæpe illos colunt magis, quam par sit; colunt quippe in illis opes, & alia, quæ præ cordis nequitia diligunt, & quæ neque cultum, neque observantiam merentur. Honor igitur est nescio quid Principum virorum conditioni inhærens; & honor hic justus est, quia, ut a nobis probatum fuit, justis, legitimisque rationibus nititur. *Ibidem*.

Cum Nobiles pluribus sint vitiis obnoxii difficilius salutem consequuntur.

Mundi hujus viri nobiles difficilius salutem suam operantur, & majori in pereundi periculo versantur, quam alii. Quomodo enim fieri potest, ut qua bonis, & honoribus nitet, non intumescat, illa habeat tamquam non sua, iisque tantum ad suum ministerium utatur. Si potentes viri ista non appeterent; legitimus eorum usus ipsis esset facilior; sed iis pleni sunt, eaque ardentius, quam cæteri, concupiscunt; repleti sunt concupiscentia qua opes, nitorem, & voluptates depereunt; & hæ opes, hic nitor, hæ voluptates sese illis offerunt incessanter. Non possunt umquam ut alii hæc omnino sibi interdicere; tamen illis æque ac aliis nefas est in iis immo-

summorari, iis frui, iisque oblectari. Ergo in pereundi majori periculo versamur, quam alii. *Ibidem*.

Status magnitudinis quem imponit Deus, potest cum submissione acceptari; sine præsumptione quæri, & cupiri non potest.

Si Principum status talis est, qualis nobis exhibetur, patet, illum bene tolerari posse, cum illum imponit Deus; & acceptari posse cum submissione ad voluntatem ipsius; sed ultro conquiri citra præsumptionem, & imprudentiam non posse. Hoc esse oportet consilium providentiæ, & voluntatis Dei, quæ consolatur nos; quemadmodum gratia illius sustinere nos debet: Quamobrem Scriptura docens quid ipsi quærere debeamus, monet nequaquam magnos honores, insignesque Provincias nobis esse petendas: *Noli quærere a Domino ducatum, neque a Rege Cathedram honoris*; & suadet, ne objiciamus oculis populi nostra flagitia regimen illius accipientes. *Ibidem*.

Eccli. 7.

Nobilium exempla quam valeant ad populos in bonum, vel malum permovẽdos.

Gestit Ecclesia magnorum virorum virtutem mortalibus proponere, quatenus magis aptam ad hominum mentem præ virtute aliorum permovendam. Certum quippe est nil aptius esse ad superbiam, mollitiem, & impœnitentiam parvulorum frangendam, Principum virorum humilitate, mortificatione, pœnitentia: illorum exemplum vim obtinet peculiarem, eorumque magnitudo non majori pollet auctoritate ad virtutem suadendam, quam ad vitium probandum. Ad id facti sumus, ut illam cum admiratione suspiciamus, & facile ad imitandum impellimur, quod admiramur. Quamobrem æquum est, Ecclesiam illis uti in bonum, ut dæmon utebatur in malum, ac inde illa totidem efficiat salutis instrumenta, quemadmodum ille effecerat, damnationis. *Ibidem*.

Nobiles ideo contemnunt parvulos, quia seipsos ignorant.

Omnis furor, impotentia, superbia Principum virorum inde fluit, quia seipsos ignorant; cum difficile sit, quod, qui seipsos cæteris pares intrinsecus putant, & quibus persuasum est, nihil in seipsis inveniri, quod mereatur exiguas illas prærogativas, quibus a Deo præ aliis cumulati sunt, insolentius, & imperiosius sese gerant cum aliis. *Ibidem*.

Cũ Principes auctoritatem suam a Deo receperint, hac uti non possunt, nisi juxta illas conditiones quas illis præscribit Deus.

Verum est dignitatem esse participationem auctoritatis, & potentiæ Dei super homines, & summos viros hanc ab ipso Deo accepisse. Sciendum est tamen quibus conditionibus, & in quem finem Deus illis hanc auctoritatem, & potestatem communicet. Cum enim hanc a Deo solum recipiant, eam legitime nequeunt possidere nisi sub iis conditionibus, quibus Deus illam tribuit, eaque uti non valent nisi ob eos fines, quos Deus illis præscribit. Ad evitandum igitur abusum, in quem Principes auctoritatem suam convertere possent, conditionem suam considerare debent tamquam ministerium aliquod, & officium, non autem veluti qualitatem suæ nobilitati inhærentem. Necesse est illos intrinsecus avulsos esse, illam tamquam a se alienam intueri, quæ illos neque in seipsis perfectiores, neque Deo acceptiores efficit, & quæ illis confert dumtaxat adminicula ad majus bonum, vel malum efficiendum pro modo, quo iis perfungentur muneribus, quæ ipsis obeunda sunt. Illis persuasum esse debet, tunc tantum bonum, malumve usum ministerii sui suum esse, sibique esse permansurum; nam mortis eorum momento magnitudo omnis auferetur; ipsique secum afferent solum bona, vel mala, quæ in eo statu gesserint. *Ibidem*.

DISCORDIA,

DISSIDIUM, DISSENSIO, JURGIUM &c.

MONITUM.



RIMO statim intuitu liquet, hoc argumentum, quod agit de vitio Charitati erga Proximum ex diametro opposito, & quod sine odio, & inimicitiis fere esse nequit, sub Charitatis Titulo contineri non posse, licet non semel virtus cum opposito vitio a nobis fuerit conjuncta. Res, de qua hic agitur, nimis est ampla, nimisque necessaria, ita ut seorsim omnino sit pertractanda, quin, nonnisi indirecte, de Charitate, injuriarum venia, inimicorumque amore incidat sermo.

Discordia, atque dissensio passim in Rebus publicis, familiis, Ecclesia grassatur, & nonnumquam etiam inter viros bonos irrepit; & novit Deus, quot mala, quot vastationes pariat, ubicumque invenitur; quam operosum sit eidem afferre medicinam, & quot scelerum causa esse consueverit. Quamobrem nihil hac magis Concionatoris zelum debet excitare; cumque malum hoc sit omnibus in civitatibus, atque societatibus omnibus vulgatissimum, numquam in irritum ferri illius potest oratio, quæ semper uberrimum est fructum relatura. Immo audeo dicere, illum numquam rite munere suo perfuncturum, nisi omnes industriæ nervos ad dissensiones conciliandas impenderit.

Notandum hic tamen jurgia, quæ inter eos suboriuntur, quorum cor unum erat, non semper ejusdem generis esse, neque semper ab eodem fonte manare. Nos vero in eo peculiariter immorabimur, quod vulgatius, & notius est, in lite videlicet, quæ licet justa sit, & unica etiam ad illata nobis injuriæ reparationem exposcendam ratio, ea tamen sævissimarum inimicitiarum, atque injustitiarum gravissimarum causa, & occasio existere consuevit. Argumentum hoc delicatum est, atque summa cura invigilandum est, ne hac in re nimis dicatur, simulque ne taceantur abusus, qui in litibus peragendis occurrunt, tum eorum culpa qui litem ultro, citroque inferunt, sustinentque, tum eorum qui juri dicendo præpositi sunt; qui quidem sexcentis modis peccare possunt contra jus illud, quod dissidentibus partibus dicere tenentur.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Systemata.

I. PRIMUM concionis systema, quod ultro sese offerat, contra eos est, qui serunt dissidia, qui eorum auctores sunt, vel qui sermonibus suis, aut alia quavis ratione illa fovent, & alunt. Pro textu assumi ea possunt Evangelii verba: Matth. 13. *Inimicus homo hoc fecit*; ac ostendi, hujus farinæ mortales esse vere 1. Dei inimicos, quem graviter lædunt; 2. inimicos hominum; humanæque societatis, quam laniant inter conjunctissimos etiam rixas, discordiasque ferendo; 3. suimetipsorum inimicos, propter eam, quam sibi conflant, perniciem.

Punctum primum: Qui discordiam ferit inter eos, qui arctis necessitudinis vinculis erant antea conjuncti, apertissimus est Dei inimicus: *inimicus homo hoc fecit*; 1. Quia illius in hoc mundo regnum evertit, quod, ex S. Pauli sententia, in justitia, pace, gaudioque consistit. Per hæc enim Deus regnat in nobis, quippe Regnum suum in charitate constituit, qui autem serit discordias, hanc aufert charitatem, pacem, quæ inter fideles esse debet, evertens. Quamobrem Spiritus Sanctus affirmat sex esse ea, quæ ipse odit, septimum vero maxime perhorrescere, atque pati non posse; eum videlicet, qui inter fratres serit dissidia. Hinc autem sequitur, quod cum sit inimicus Dei ratione prorsus diversa, quam per reliqua scelera; Deus vicissim se illius peculiari ratione inimicum esse testatur. 2. Dei est inimicus, quia destruit opus Filii Dei, pacem videlicet, atque concordiam, quam in Mundum attulit, quam proprio sanguine illevit, quam enixius mortalibus omnibus commendavit. 3. Quia cum discordia, atque dissensio paci adversetur, quam Deus unus conferre potest; quodammodo irritat Deum, eumque tamquam adversarium provocat, qui pacem tanto labore ab eodem constitutam infringit; subditos illius contra ipsum ad rebellionem excitat; vel si mavis domesticus est ejusdem inimicus, magis periculosus, & perniciosus, quam qui aperte ipsi bellum indicunt, &c.

Punctum alterum: Qui serit discordiam, vel fovet inimicitias, hominum, humanæque societatis est inimicus; alios enim contra alios componit, eosque sejungit, qui arctissimis naturæ, sanguinisque vinculis conjuncti esse deberent. Nullus hostis majus malum, majoremque perniciem inferre potest. Latus hic patet campus amplificandi ea mala, quæ ex discordiis oriuntur; inimicitias, quas dissidia gignunt, rixas, quas excitant, injurias, contumelias, querimonias, & sæpe etiam clades &c. Nonne florentissima Regna, opulentissimas familias, optime institutas Respublicas, quæ nonnisi propriis viribus, & armis dirui poterant, una discordia prostravit? Qui jugiter hos tumultus ciet, has dissensiones, hæc jurgia in civitatibus, familiis, societatibus, causa est malorum omnium, quæ inde proficiscuntur: *Inimicus homo hoc fecit*. Ostendi deinde potest difficultas ignis succensi extinguendi, & medendi malo, quod verbum imprudens, narratio aliqua seu vera, seu ficta, aliæque rationes, quibus uti quis potest ad tantum hoc incendium, quod non semper prævideri potest, excitandum, peperere.

Punctum tertium: Qui discordiarum auctor est inter alios, suimetipsius etiam infensus est inimicus, & licet inquirat, ac nonnumquam etiam suam utilitatem inveniat in eorum dissensione, quos suis obstare consiliis arbitratur; majus tamen sibi, quam reliquis malum procurat. 1. Etenim quot peccatorum causa est? ideoque reus, atque rationem Deo redditurus? Quomodo illatas reparare potest injurias? 2. Hi discordiarum fautores non Dei solum, verum hominum quoque sibi conflant indignationem, eosque mortales omnes perhorrent; & quemadmodum ex amicis inimicos fecere; ubi eorum nequitia detegitur, qui divisi fuere, odium omne contra dissensionis suæ auctores conjungunt. Demum quibus Dei, hominumque maledictis sese illi subjiciunt? Quin post hujus vitæ spatium in cœlo recipiantur, quod pacis regnum est, nonne expectare debent, sese cum dæmonibus, quorum ministri fuere, & quorum improbitatem imitati sunt, æternis ignibus esse addicendos? &c.

Omne regnum in se divisum desolabitur. Matth. 12. Deus tria particulariter habet regna, quæ discordia consuevit evertere, vel ingeniti saltem depopulatione vastare. II.

Primum est Dei Regnum in nobismetipsis: *Regnum Dei intra vos est*. Luc. 17. Charitas videlicet, per quam regnat in cordibus nostris, & in omnibus animæ nostræ facultatibus. Regnum hoc discordia perturbat, atque evertit per eos affectus, quos excitat, invidiam, odium, inimicitias &c.

Alterum est Ecclesia, quæ proprie Dei Regnum est in terra: Quem enim ibi tumultum, quam perturbationem ibi sententiarum parit divisio? Quot animas schismata perdiderunt? Quam cladem non attulit hæresis, & sententiarum varietas in iis, quæ pertinent ad fidem?

Tertium est Regnum Cœlorum, quod omnes speramus, & ad cujus possessionem omnes jure contendimus. Verum cum hoc pacis Regnum Pacificis tantum destinatum sit, quemadmodum ipse Dei Filius testatur; discordia, atque dissensio, quæ inter Fideles obrepit, inde quamplurimos prohibet; atque ingentem ibi gignit vastitatem illi similem; quam olim rebellis Angelus peperit.

III. 1. Unionis, & concordiæ necessitas in qualibet societate, quæcumque illa sit; ea enim si desit, vigere non potest.

2. Mala, quæ discordiam, atque dissensionem consequuntur.

IV. 1. Discordiam, atque dissidium in familiam quampiam, vel inter homines, quicumque illi sint, vel summa est imprudentia, vel summa nequitia.

2. Sedare lites, finem contentionibus injicere; dissidentes conciliare, magna sapientia est, & maximum Charitatis officium.

V. 1. Inter homines mutuo charitatis vinculo conjunctos serere jurgia diabolicum est, ac summopere perniciosum.

2. Scelus est quamplurimorum aliorum origo, quæ in familiis, ac societatibus sese multiplicant, atque perennant.

VI. 1. Dissensionum, atque rixarum causæ, quæ sunt; 1. superbia, vel vanagloria, disceptatur, ac vincere contenditur; nullus competitor ferri potest; inimicitiæ cum quovis gerendæ sunt, quicumque ille sit, qui nobiscum de dignitate contendat. 2. Neque minus pacis, & unionis inimica est invidia, & zelotypia. 3. Avaritia denique, ac bonorum congerendorum aviditas efficit, ut lites intententur, & ubique discordia feratur.

2. Effectus, quos illæ gignunt, maxime sunt perniciosi. 1. Cordis pacem perturbant, ira, dolore, funestisque affectibus, quos in illis excitant, qui lite contendunt. 2. Rixas pariunt, contentiones, ac improperia. 3. Bella, & mutuas inimicitias &c.

Tota etiam concio circa lites versari potest.

VII. 1. Pro virili sunt evitandæ, ideoque pro pacis bono

bono aliquid proprii boni, atque utilitatis sacrificandum.

2. Cum nobis injustæ lites intentantur, atque nostrum esse putamus, injuriam propulsare, hoc cum suavitate, & Christiana moderatione faciendum est.

3. Cum nobis lis adjudicatur, charitate ducti cum adversariis mitius agere; sin autem victi judicio abimus, æquo animo jacturam pati sine querimonia, & obmurmuratione tenemur.

VIII. 1. Quamtumvis justa sit lis, ingens semper malum est ad illam vel inferendam, vel propulsandam accedere.

2. Cum de nugis lis est inter duos, qui sunt pertinacissimi juris sui assertores; hæc est plurimorum peccatorum origo; & nefas est, sese illis immiscere.

3. Quæcumque lis assumatur, sive judicio victores, seu victi discedamus, majorem, ut plurimum jacturam reportamus, quam si statim omnia cedere maluissemus, vel si cum adversariis conventione facta, aliquid de jure nostro remittere maluissemus.

IX. In litibus quicumque futurus est eventus, tria vulgo amittimus, propter quæ omni studio illæ sunt evitandæ.

1. Requiem, & pacem spiritus, propter sollicitudines, & anxietates quibus torquemur, eventus incerti, necnon propter labores exantlandos antequam propositum finem assequamur.

2 Conscientiam; eo quod læditur Charitas simultatibus contra adversarios, obtrectationibus, calumniis, versutiis, dolis, ac sæpe etiam gravissimis injustitiis, quæ committuntur.

3. Pecuniam, sumptibus nimiis, qui in litibus, causisque peragendis sunt erogandi, & quorum vix umquam finis invenitur: ita ut ubi etiam nobis fuerit lis adjudicata, intelligamus tandem nos majorem subiisse jacturam, quam si numquam litem fuissemus aggressi.

X. 1. Lites pro virili parte sunt evitandæ propter dissentiones, atque inimicitias, quarum origo sunt.

2. Quamprimum sunt ad finem redigendæ, ubi vel inferre, vel illatas sustinere tenemur; atque christiano viro dignior via est, utrinque arbitris rem judicandam, componendamque committere, eorumque judicio acquiescere.

3. Nisi aliter componi res possint; bona fide lite agendum est, citra dolum, & injustitiam.

XI. Cum de litibus agatur, duo quæstiones proponi possunt duplici concionis parte solvendæ.

Altera: Lite certandum est: Salutis, bonorum temporalium, & propriæ existimationis utilitas nequaquam certandum esse suadent. Hæc prima veritas est, quæ facile probari potest, & prima quæstio, quæ ita solvitur.

Altera: Ubi lite certandum sit, quid faciendum, ut citra conscientiæ detrimentum certetur? 1. Sine astu in quæstionibus agendum est: 2. sine odio contra adversarios; 3. sine sævitia jus est persequendum. Duplici verbo: pericula, quibus sese objicit, qui litem instituit; præcautiones servandæ, ut sine peccato lis transigatur. *Desumptum ex libro, qui inscribitur: Essais de Sermons. Tomo 2. Dominic.*

XII. Lex Justitiæ, & Charitatis duæ sunt lances, quibus jura nostra ponderanda sunt, ubi aliquid ambiguum accesserit; justitia charitate, & charitas justitia temperandæ sunt, ab alterutra earum recedere, sese damnare est. Hodierna igitur die necessarium hoc temperamentum docere in animo est. Ex proximo justitiam petis, proximus ex te charitatem. In duabus Concionis partibus duarum harum legum inter se nexum videamus. In priori consideremus quousque pervenire potest justitia; in posteriori vero, quo usque charitas pertingere potest. *Ex Manuscripto Sermone.*

1. Litium origo superbia est, & avaritia: nemo alteri vult cedere, neque aliquid sui juris remittere; cupiditas vero facit, ut ad aliena invadenda bona semper præsto simus. XIII.

2. Mala, quæ lites pariunt. Hæc quidem & spiritualia sunt, & temporalia satis nota.

3. Rationes, quibus evitari possunt mala, quæ lites gignant, ubi omnino lite agere teneamur, sunt 1. pro virili adniti, ut inita conventione eum adversario concilieris; 2. conari, ne adversæ parti noceas, neque de eodem obloquaris; 3. ne ullus adsit dolus.

Cum ex corde dissensiones oriantur, ibique foveantur, alantur; ibi etiam funestissima gignunt mala: inde enim ejiciunt justitiam, pacem, & gaudium, per quæ illic regnabat Deus, ibique regnum suum constituerat, dicente Apostolo: *Regnum Dei justitia, pax, & gaudium*. Et in hoc desolatio consistit, quam dissensiones efficiunt in corde. XIV.

1. Ibi justitiam evertunt, evertentes charitatem, & amicitiam Dei per ea scelera, quorum sunt causa.

2. Pacem, & gaudium expellunt cor ipsum sexcentis affectibus laniantes, ac dividentes, atque illud sexcentis opplentes curis, quæ omnem vitæ auferunt suavitatem. Hæc duo nos maxime movere debent, & duplicem sermonis partem efficere possunt. *Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta 3. Quadragesima Dominica.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad proposita Concionum Systemata adornanda.

Sancti Patres. SAnctus Cyprianus *libr. de Simplicitate Prælat.* scelus eorum exaggerat, qui inter alios serunt discordias.

Idem in Epistola ad Donatum, ostendit, quinam esset furor litigantium ævo suo, & quot injustitiæ admittebantur in foro.

S. Augustinus *Sermone* 37. *eorum*, qui a Patre Sirmondo inventi fuere, ad pacem, & concordiam hortatur, eosque vituperat, qui lites, contentiones, & rixas amant.

Idem *l.* 9. *Confess. c.* 9. laudat S. Monicam parentem suam, quod discordias pacare, ubicumque posset, adniteretur.

Idem in Regulis, quas Religiosis proposuit, eos toto pectore a dissensionibus, rixisque conatur avertere.

S. Gregorius *in Pastor. admon.* 23. *&* 24. scita quædam tradit consilia ad discordias, atque dissidia evitanda.

Idem *l.* 34. *in Job*, loquitur de pace, atque discordia cum inter bonos, tum inter malos.

Idem *l.* 21. *in Job*, docet sine patientia nullam in hominibus esse posse pacem, atque concordiam.

S. Chrysostomus *Homil.* 16. *in* 1. *ad Corinth.* ostendit pro virili a litibus exercendis esse abstinendum, omnemque illatam nobis injuriam, juxta Appostoli Consilium, æqui, bonique esse faciendam.

Idem in *Act. Apost.* ait, S. Barnabæ a S. Paulo secessionem factam fuisse, ne cum eorum variarent sententiæ, discordia inter ipsos oriretur, & charitas læderetur.

Auctor Operis imperfecti in S. Matthæum, quod S. Chrysostomo refertur acceptum, *homil.* 12. prolixum habet sermonem de periculis, quæ subeuntur ab iis, qui lites exercent, atque de injustitiis, ac dolis, qui in iis committuntur.

S. Bernardus *Serm.* 29. *in Cant.* cum explicans locum, *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*; acriter in illos invehitur, qui pacem turbant, atque inter fratres serunt dissidia.

Idem

Idem in libro, cui titulus: *modus bene vivendi ad sororem*, nihil prodesse docet in communi vivere, nisi voluntatum consensus adsit, sed ibi dissensio, atque discordia inveniatur.

Ascetici, aliique. Alphonsus Rodriguez *l.* 1. *tract.* 4. loquitur de rationibus servandi consensus, deque malis, quæ ex discordia proficiscuntur.

In libro, qui inscribitur, *Essais de morale part.* 4. de litibus, atque dissidiis sermo est; & ibidem tomo 10. de contentionibus agitur.

In Morali Christiana *in Pater l.* 7. *sect.* 2. *art.* 3. ostenditur, Fidelibus lites exercendas non esse, & si quæ sit, quomodo agere liceat.

Cajetanus *in Opusc. tom. opusc.* 17. fusius hoc argumentum persequitur.

Drexellius *in Phaetonte* loquitur de jurgiis, & contentionibus.

Concionatores. Faber *Conc.* 8. *in Dominic.* 5. *post Pascha, numer.* 2.

Lambert in sermonibus de vita Ecclesiastica, sermonem habet de Ecclesiasticorum consensu, ubi de dissensione, & discordia verba facit.

Apud Patrem le Jeune, Oratorii Presbyterum tom. 5. sermonem de litibus invenies.

In sermonibus moralibus ejusdem argumenti sermo invenitur.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta sermonem habet hujus argumenti Tomo 2. Argumentorum particularium.

Idem in Quadragesima *tom.* 2. *Dom.* 3. peculiarem habet sermonem de dissensione, & discordia generatim.

Centoniatores. Peraldus *Tom.* 2. *de Peccato linguæ c.* 10.

Busæus in Panario. V. Discordia.

Idem in Viridario. V. Pax.

Lonher, Titulo discordia.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Dixit Abraham ad Lot: *Ne quæso sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos; fratres enim sumus, &c.* Genes.

Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus; eum qui seminat inter fratres discordias. Prov. 6.

Qui meditatur discordias, diligit rixas. Ibid. c. 17.

Homo iracundus suscitat rixas. Ibid. 26.

Honor est homini qui separat se a contentionibus. Ibid. 20.

Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium. Ibidem 22.

Inter superbos semper jurgia sunt. Prov. 13.

Labia stulti miscent se rixis, & os ejus jurgia provocat. Ibid. 18.

Homo Apostata omni tempore jurgia seminat. Ibid. 2.

Homo perversus suscitat lites. Ibid. 16.

Semper jurgia quærit malus. Ibid. 17.

Ne litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. Eccl. 8.

Ne contendas cum viro locuplete, ne forte contra te constituat litem tibi. Ibid.

Cum iracundo non facias rixam. Ibid.

Homo iracundus incendit litem. Ibid. 28.

Abstine te a lite; & minues peccata. Eccli. 28.

Vir sapiens si cum stulto contenderit, non inveniet requiem. Prov. 29.

Divisum est cor eorum, nunc interibunt. Osee 16.

Qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Matth. 7.

Omne regnum divisum contra se desolabitur; & omnis civitas, vel domus divisa contra se non stabit. Matth. 12.

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Luc. 11.

Multitudinis credentium erat cor unum & anima una. Act. 4.

Rogo vos fratres ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam didicistis, faciunt & declinate ab illis. Ad Rom. 6.

Non est dissensionis Deus, sed pacis, sicut in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo. 2. ad Cor. 14.

Timeo, ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, seditiones sint inter vos. 1. ad Cor. 12.

Inimicitiæ; contentiones, æmulationes, rixæ, dissensiones, sectæ... & his similia; quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Ad Galat. 5.

Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis? 1. ad Corinth. 3.

Quæ pacis sunt sectemur. Ad Rom. 14.

Audio scissuras esse inter vos. 1. ad Cor. 7.

Commune testificans coram Deo; noli verbis contendere. 2. ad Timoth. 2.

Servum Domini non oportet litigare. Ibid.

Admone illos non litigosos esse. Ad Titum; cap. 3.

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. Ad Philip. 2.

Unde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Jacob. 4.

Ubi zelus, & contentio, ibi inconstantia, & omne opus pravum. Ibid. 3.

Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 1. ad Corinth. 11.

Frater cum fratre judicio contendit: & hoc apud infideles? Ibid. 6.

Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Ibidem.

Quod si invicem mordetis & comeditis: videte ne ab invicem consummamini. Ad Galat. 5.

Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. Ps. 132.

Exempla ex Bibliis deprompta.

Exemplum Abrahæ & Lot. Sanctus Patriarcha Abraham pacatam sub tabernaculis vitam degebat cum Lot nepote suo, cum nescio quid accidit, quod eorum pacem turbavit, eosque secedere coegit, ne aperta discordia eorum animos, atque voluntates divideret. Huic autem dissensioni occasionem præbuere ingentia bona, quæ ab utroque possidebantur; namque, uti memorat Scriptura, ea regio, quam incolebant, utrumque capere non poterat; & utriusque pastores ultro, citroque miscebant jurgia propter passiones, quæ tot pecoribus satis esse non poterant. Nunc primum in Bibliis sermo de opibus accidit; ibique etiam sermo est de dissensione, atque discordia, quam illæ gignunt inter eos etiam, qui arctissimo consanguinitatis vinculo conjuncti sunt. Ita videtur illa præsertim ingentibus bonis, quæ possidentur, inhærere; quod omnium sæculorum decursu satis multa exempla probarunt; quemadmodum e contra sola paupertas Evangelica, terrenarumque divitiarum abdicatio animarum consensum procurare, & fovere visa est: cujus rei testes sunt primi Fideles, quibus cor unum erat, & anima una, quia omnem possessionem abjecerant, nihilque proprium habebant. Cum Abraham primas hujus ignis adeo perniciosi scintillas perspexit, anima ipsius semper tranquilla perhorruit, neque pati potuit, ut spiritus dissidii in suam familiam obreperet. Ita malum in ipso statim ortu cupiens opprimere, dixit ad Lot: *Ne quæso sit jurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos, fratres, enim sumus.* Deinde vero pacis amor, quod quidem maximum est hujus mundi bonum, illum impu-

impulit, ut proponeret nepoti suo secessionem, potiusquam simul semper, sed diffidentibus animis viverent. Sed ut innueret, hac in re communi dumtaxat se prospicere tranquillitati, ei optione relicta inquit: *Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam;* tantummodo secedamus, ut concordia servetur.

Exemplū Isaac. Isaac, qui perfectissimus fuit paternarum virtutum imitator, ab Abraham hæreditario veluti jure exceperat hunc pacatum spiritum, jurgiorum, ac dissensionum inimicum; ad quæ evitanda eadem ratione usus est. Cessit videlicet, atque secessit ab eorum agris, cum quibus lis aliqua oboriri poterat propter ea bona, quæ jure fuerat adeptus, sed quæ sibi nequaquam tuenda, servandaque esse putavit cum pacis jactura, quod quidem bonorum omnium est pretiosissimum. Ab agris Geraræ discessit, eo quod Abimelecho, ibi terrarum dominanti, magnæ opes illum in invidiam, & suspicionem adduxerant, ita ut diu cum eodem pax vigere non posset. Cum igitur pro bono pacis secessisset, in desertum abiit locum, ubi antea permanserat Abraham, ibique rursus effodiendos curavit puteos, quos pater suus primum quidem effoderat, atque per invidiam loci illius incolæ humo ingesta repleverant. Sed licet locus ille Isaaco jucundus esset, quippe qui Abrahæ patris sui permansione fuerat sanctificatus; nova jurgia inter Pastores oborta illum inde etiam expulere. Ita Sanctus hic Patriarcha, quem ubique Scriptura proponit tamquam perfectum patientiæ, & lenitatis exemplar, non cum potentioribus tantum dissensiones evitare studuit, sed neque suum jus persequi, neque cum abjectissimis hominibus certare passus est, ut cum omnibus æque pacem servaret.

Exemplū Jacob, & Esau. Dissensio inter Jacob, & Esau nequaquam felicem adeo eventum sortita est, licet Jacob fratris sui impotentiæ concesserit. Quemadmodum Deus elegerat Jacob ad altissima Providentiæ suæ explenda consilia, & jus primogeniti, quod eum paterna benedictione fratri rapuerat, erat Mysterium; de hoc minime loquor, licet ea fuerit causa eorum dissidii; Immo prætereo quoque certamen, quod in ipso matris utero incœperunt; non enim illud effectus esse potuit discordiæ, cui pares non erant. Sed loquor solum de illis effectibus, quos discordia illa produxit. Jacob quidem omni caruit culpa, quandoquidem illius opera usus est Deus, ut immutabilem Providentiæ suæ dispositionem exequeretur: sed fraterni odii gravissimos effectus subiit, ac pertulit. Paternam quippe domum relinquere coactus fuit, ad fratris furorem evitandum, qui se illi vitam erepturum decreverat, & qui illi semper obluctatus, atque adversatus est, ita ut non sine peculiari divinæ Providentiæ subsidio Jacob odii, iræque fraternæ extremos effectus evaserit; futurus eorum malorum figura, quæ aliquando boni ab impiis cum quibus pacem servare, minime potuissent, erant passuri.

Discordia, quæ inter Josephum, fratresque ejus oborta est, non habuit sanctum hunc Patriarcham auctorem; nullus enim unquam fuit spiritus suavior, nullum pacatius temperamentum, mitiusve ingenium, quam in hoc adolescentulo. Sed fratres, qui ab illius virtute, egregiisque dotibus quam maxime discrepabant, illum pati non poterant; quippe quod ipsorum flagitia redarguebat, ac de illis certiorem faciebat patrem, a quo præ cæteris propter morum integritatem, aliaque animi bona diligebatur. Cæterum cum Deus de illo mira disposuisset, & non obscura per somnium præbuisset indicia; puer hic innocenter ea fratribus, eidemque patri suo enarrabat, a quo sapienter corripiebatur, metuente, ne hæc fratrum illi conflarent invidiam; quod profecto probavit eventus. Illud vero ad rem nostram pertinet, quod in hac discordia, cujus causa erat levissima, fratres sui illum pati non poterant, nec ei *quidquam pacifice loqui*, ut inquit Scriptura: *Genes.* 37. eousque, ut tandem consilium eum de medio tollendi inierint, quod ea ratione executi sunt, quæ neminem fallit. Sed cum tandem eventu probata fuissent præsagia, quæ discordiæ occasionem præbuerant, Joseph fratribus suis pepercit, majora illis contulit bona, quam illi sibi mala inferre voluissent, reddidit que familiæ suæ pacem, tranquillitatem, & gaudium.

Novum Testamentum aliquot nobis altercationum potius, quam dissensionum exempla suppeditat; ex quibus non aliud eruere possumus documentum, nisi mirum esse non debere, si quando in cœtibus, sanctissimisque societatibus contentio aliqua oriatur, & quamprimum afferri oportere medicinam, ne illa ad dissensionem usque, apertamque inimicitiam, quæ omnino charitatem ejiciat, progrediatur. Duo tantum delibabo exempla; quorum primum est illa contentio, quæ inter Apostolos oborta est, antequam perfecte a divino Præceptore suo fuissent edocti, videlicet, quisnam inter ipsos major futurus esset, ac cæteris præferendus. Sed litem diremit Salvator, cui illam aperire suppuduit, edicens in regno suo, non secus ac in schola eum maximum fore, qui humillimus esset, ac se omnium minimum arbitraretur. Apostolorum contentio.

Alterum vero exemplum levis est illa dissensio, quæ in Actis Apostolorum refertur inter Sanctos Paulum, & Barnabam, quorum variabant sententiæ in aliquo disciplinæ puncto, quod observandum erat, vel statuendum. Qua in re Sanctus Chrysostomus animadvertit, illos sese loco separasse; ne sententiarum varietas voluntates separaret, ac læderet Charitatem. Fidei consonum nequaquam est, duos illos Apostolos in gratia confirmatos, atque Dei jussu conjunctos, ut eadem in regione eodem fungerentur ministerio, eo usque fuisse progressuros, ut in apertam dissensionem, atque inimicitiam erumperent, quæ magnum sane in Ecclesia scandalum peperisset. Sed ut edoceremur, discordiæ ignem ita esse metuendum, ut statim minima quævis scintilla diligentius sit extinguenda; & eum illis, qui vix consentire possunt, simul commorandum non esse, ad omnem discordiæ occasionem vitandam. Secessio S. Barnabæ a S.Paulo.

APPLICATIONES.

Quam cōtraria Christianæ religioni sit fratrum, & cognatorum discordia. *Ne quæso sit jurgium inter me, & te: fratres enim sumus.* Genes. 13. Nostis, quam suave sit nomen fratris, & quam validum ejus cognationis vinculum, ut eamdem familiam componentium affectus invicem coalescant: Sed, ut Sanctus Augustinus, *Serm.* 25. *de Verbis Domini*, ait, fraternitas, quam habemus in CHRISTO JESU melior est, quam quæ per carnem habetur, & sanguinem: *Melior est fraternitas Christi quam sanguinis*; & Fideles præstantiori modo sunt fratres, quia Deum habent Patrem, atque eodem gratiæ, & sanctitatis vinculo animantur. Unde illa existit obligatio, qua tenentur, simul pacatam vitam ducere, unionem, & charitatem servare, necnon dissidia, rixas, litesque evitare. Si enim olim prodigii loco habitum est, quod fratres duo Esau, & Jacob in matris suæ utero certarent, atque locum conceptionis suæ in certaminis theatrum converterent; longe majus, ac terribilius prodigium est in ordine gratiæ, videre Fideles sibimet invicem bellum inferentes in visceribus JESU CHRISTI, & in Ecclesiæ sinu, ubi nativitatem sortiti sunt; atque secum tamquam hostes decertare ibidem, ubi fratrum qualitatem recipiunt. *Biroat Sermone sexto Adventus.*

Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum; sicut unguentum &c. Psalm. 132. Cur nam Propheta pretioso unguento eorum com-

compatat consensum; qui in eadem domo morantur, camdemque familiam constituunt? Pacati mortales quid habent commune cum unguento effuso, & a summo capite ad imas vestimentorum oras diffluente? Nisi quod quemadmodum suavis odor unguenti latere nequit, sed quocumque sese effundit, ac eminus etiam percipitur; similiter nihil majorem nominis celebritatem adfert, nihilque præstantius præbet exemplum (quod quidem in Scripturis boni odoris nomine indigitatur) quam conjunctio, pax, & concordia, quæ in familia, & communitate, quæcumque illa sit, dominatur? Talis erat inter primos Fideles consensus, quibus cor unum erat, & anima una; quod tantam Christianæ Religioni laudem pepererit, ut passim diceretur: Videte Christianos homines, quomodo sese mutuo diligant, atque arcto necessitudinis vinculo sibi cohæreant! Nihil e contra majus scandalum adfert, & ut ita dicam, magis insuavem odorem emittit, quam diffidium, & discordia inter fratres, & consanguineos, qui arctissimis charitatis vinculis simul debent esse conjuncti.

Qui discordiam ferunt jure zizaniorum satores vocantur.

Zizania autem filii sunt nequam. Matth. 13. Nemo adeo biblici sensus est expers, qui ignoret Justos bonas fruges vocari, quas Pater Familias congregari jubet, in horreum deferendas. At quam rationem habent impii cum lolio, vel zizaniis, nisi quod in hac vita cum bonis frugibus commiscentur, quemadmodum, & lolium cum tritico confusum est, cum adhuc flavescit in agro? Verum cum non omnes impii iisdem vitiis infecti sint, quæri rursus potest, quinam sunt illi, quibus aptius tribui potest hoc nomen zizaniorum in Ecclesia agro satorum? Interpretes quidam respondent, eos esse, qui pacem Ecclesiæ perturbant, ac inter alios serunt diffidia: 1. quia hi sunt Dæmonis Ministri, & Vicarii illius inimici, de quo loquitur Evangelium, & qui in id unum intentus est, ut ubique serat discordias: *Inimicus homo hoc fecit*. Matth. 13. 2. quia malum inferunt noctu; videlicet, donec illi, quibus vigilandum est ad concordiam servandam, sopore capti sunt, vel non satis vigilant, ut omnem discordiam prohibeant: 3. quia prohibent fructum omnem, ac omne bonum, quod ex societate percipi posset, quemadmodum zizania omnem messis lætitiam perturbant. *P. Faber in Dom. 5. post Epiph.*

Divisio rebus in omnibus excidium parit.

Non ædificabis altare de sectis lapidibus. Exod. 20. Quodnam latere mysterium potest in his verbis, quibus præcipit Deus, ut sibi altare ædificetur? Quorsum explicite vetat, ne ex pluribus lapidibus fiat sectis, simulque compactis, sed uno tantum lapide ad hoc opus electo? Hoc videlicet innuit, ex cujusdam Patris sententia, Deum in Ecclesia sua unitatem requirere; & velle, ut lapides, quibus illi exhibentur, qui illam componunt, atque Aræ inserviendæ dicati sunt, nequaquam secti sint, vel ulla dissensione divisi: hi enim eum Deo conversari non possunt, ex quo simul convivere nequeunt, ac fovent discordias.

Divisum est cor eorum, nunc interibunt. Osee 10. Neminem latet; in animatis rebus divisionem esse doloris causam, & cordi, quod vitæ principium, & fotus est levissimum etiam vulnus mortem inferre. In ædibus parietum hiatus vel interni sint, vel externi, illarum ruinas portendunt. In corporibus omnibus, quæ ex variis partibus coalescunt, ex quo partes illæ secedunt, ac distrahuntur, non alio opus est indicio, ut illa non diu duratura intelligantur. Hoc ipsum de societatibus omnibus dicendum est; quo si discordia pervaserit, si factiones, seditionesque extiterint, næ ille quidem brevi interibunt; singuli enim seorsim agent, eos ultro citroque discordia reddet infensos, omnes denique sese mutuo delebunt.

Non impedias Musicam: Eccli. 32. Quam utilitatem hoc adfert consilium, seu pro bono publico, seu pro moribus privatorum; discordi voce musicis non obstrepere muneris, vel dissonis fidibus suavem non turbare concentum? S. Chrysostomus, qui ex Patribus melius assecutus est, meliusque Scripturæ sensum explicuit, docet, concordiam, optimumque eorum consensum, qui simul vivunt, suavissimum esse, armonicumque concentum, sed quemadmodum satis est, unam cytharæ cordam oberrare ut injucundus sonus existat; ita satis esse hominem jurgiosum, atque difficilem, ut omnis suavitas societatis auferatur, atque in illam invehatur discordia.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum loci, atque sententiæ hujus argumenti.

Triumphus dæmonum est dissensio Christianorum. Aug. Serm. 156. de temp.

Unde ista inter fratres discordia, qui licet unius uteri, non sunt unius animi? Idem, serm. 17. Ad ditorum.

Discordiam in corde tuo diabolus seminat: nonne ille est semper discordiarum seminator, dissensionis author, & origo rixarum? Idem, Serm. 10. ex communibus.

Hi solent latebras malæ defensionis inquirere; qui contentionis sunt cupidiores, quam veritatis. Idem, Epist. 154. ad Pascent.

In collatione disputationis cavendum est ne perrumpatur in litem. Idem l. 4. contra Crescon.

Concordia in rebus humanis, magna res est, sed rara; ab omnibus laudatur, a paucis custoditur. Idem, Serm. 37. ex recenter inventis.

Alia hæreditas litigando acquiritur; ista, nempe cælestis, litigando amittitur: nolentes eam perdere, vitent litigare. Ibidem.

Ille litigat, qui adversario suo male vult: cum vult pati detrimentum, & se augmentum; illi vult aliquid decedere, & sibi accedere. Ibidem.

Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis; ne ira crescat in odium, & trabem de festuca, & animam faciat homicidam. Idem, in regula quam Monach. præscripsit.

Si in uno membro totum corpus violatur, utique in uno homine communio totius humanitatis solvitur; violatur natura generis humani, & sancta Ecclesiæ congregatio. Ambros. lib. 3. offic. cap. 3.

Melius est emigrare cum gratia, quam cohabitare cum discordia; melius est abire sine lite, quam cum jurgio residere. Idem, in l. de Patriarch.

Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. Idem.

Quidquid separat fratres, infernus est appellandus. Hieron. l. 3. in Oseam.

Cum persona per contrarietatem displicet, nec recta quæ protuleris, placent. Greg l. 9. Moral.

Qui jurgia seminant, in uno malo innumera peragunt; quia seminando discordiam, charitatem quæ virtutum omnium est mater, extinguunt. Idem.

Numquam servari concordia, nisi per solam patientiam, valet. Idem, l. 21. In Job.

Ut perniciosum est si unitas desit bonis, ita perniciosius est si non desit malis. Idem, l. 34. in Job.

Nulla re amicitiæ facilius dissuuntur, quam diversa animorum sententia. Basil. orat. 1. de Pace.

Contentiones a principio exiles quidem esse solent, & facile curantur; at procedente tempore aucta, insanabiles omnino evadunt. Idem, orat. 9.

Bellum non indictum, inter homines excitat discordias. Chrys. Hom. 13. in Matth.

Quidquid capit divisionem, & interitum capiat necesse est. Lactant. l. 1. Instit.

Laqueus est mortis implicatio litis. Chrysologus Serm. 53.

Jubet Christus ne litigemus; vide Christianos; quo-

quomodo præcepta Christi contemnunt. Salvian. l. 4. de Provid.

Contentio lites pascit, faces odiorum accendit, concordiam rumpit, Isidor. l. 2. Solil.

Qui debet esse quietus, qui suo vitio rennit esse pacificus. Cassiod. l. 1. Epist. 1.

Si filii Dei vocantur qui pacem faciunt: procul dubio sunt satanæ filii qui confundunt. Greg. Naz. orat. 26.

Os diaboli est seminatoris discordiarum. S. Bonav. serm. 2. fer. 4. Pent.

Respice volatilia cœli, respice bestias agri, attende pisces in mari; non tantam divisionem in eis invenies, sicut in hominibus esse patet. Idem, Sermon. 8. inf. oct. Epiphan.

Qui ab unitate dividitur, ne dubites quin ab eo recesserit spiritus vitæ. Bern. in festo S. Michael.

Sicut in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum diabolo fieri manifestum est. Idem, serm. 3. de Dedicat.

Væ homini illi, per quem unitatis vinculum turbatur. Idem, serm. 20. in Cantic.

Infelix victoria est, qua superans hominem, succumbit vitio. Idem, Serm. ad Milit.

Summopere jurgia fuge; nam contra parem contendere, anceps est; cum superiore, furiosum; cum inferiore, sordidum. Cassiod. Epist. 32.

Concordia res parvæ crescunt; discordia, maximæ dilabuntur. Sallust. in Jugurtha.

Principium discordiæ est, commune aliquid suum facere. Seneca.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus ad hoc argumentum hauriri potest.

Quid sit discordia. Discordia est separatio, ac divisio voluntatum inter eos, qui antea vinculis charitatis in eodem sensu, iisdemque consiliis erant conjuncti. Aliam discordiæ notionem tradunt philosophi, quidem putantes odium esse, quod sese intra cordis angustias continere non valens in apertam erumpit inimicitiam. Cum hæc discordia, vel mutua dissensio charitatem infringit, peccatum mortale nequaquam abesse D. Thomas 2. 2. *q.* 36. *art.* 1. auctor est. Et constat ratio: si enim S. Joannes Evangelista illum gratiæ mortuum esse testatur, qui non diligit fratrem suum; discordia charitatem infringens citra odium esse non potest, quod illius partem constituit, & quod ab ea tantummodo differt quod illud sæpe secretum, abditumque est, hæc vero semper cognita atque aperta; & addit vulgo scandalum, quod recens peccatum est, vel circumstantia, quia peccatum primum augetur.

Quomodo fieri possit quod discordia nõ sit peccatum. Animadvertendum interim est cum eodem D. Thoma: 1. Discordiam, quæ charitatis nexum non dirimit, & in mera sensuum varietate consistit (dummodo ingens absit pertinacia, & gravis error in iis, quæ ad salutem sunt necessaria) non esse mortale peccatum, quandoquidem eruditissimi etiam viri, ac ii, qui majori sanctitatis laude floruerunt, non semper in eadem fuere sententia, & sæpe in iis, quæ ad doctrinam pertinent in contrariam partem disputarunt: 2. Discordiam, atque dissensionem, quæ inter duos oritur, in altero tantum peccatum esse posse; quod accidit, cum quidam mordicus rem injustam affirmat, quæ vel contra Deum est, vel contra Proximum; alter vero suum jus tuetur, atque pro justitia decertat. 3. Sæpius peccatum esse utrinque reciprocum æque ac dissensionem, cum uterque obsfirmato est animo, neque cedere vult, neque ullam admittere compositionem, sed quocumque pretio victoriam referre contendit.

Discordia, atque dissensio, quæ inter personas ejusdem ordinis, ejusdemque muneris accidit, vel inter eos, qui ad finem eumdem contendere debent, ut plurimum ex ambitione, & vanagloria proficiscitur: nemo competitori suo cedere vult; omnesque victoriam referre contendunt. Nonnumquam enim invidiæ, atque zelotypiæ est filia; numquam æquo probamus animo, quæ ab alio dicuntur, aut fiunt; eisque semper adversamur. Aliquando etiam secretus est livor, quem in aliquem concepimus, temperamentum triste, quod nihil pati potest, & ob quamlibet causam exardescit. Hoc etiam proficisci potest ex quodam ultionis spiritu, propter quem obnitimur contra ea, quæcumque aggredi conatur ille, a quo fuimus lacessiti; despicitur, incommodatur, atque præclarum aliquid nos assecutos putamus, cum nobis obtigit, ut irritos illius conatus effecerimus, eumque de spe sua dejecerimus. Sed ut plurimum cupiditas litium mater extitit. *Meum, ac tuum* discordiæ causa fuerunt, & hodierna quoque die lites, atque certamina ubique ferunt.

Contentio idem non est, atque discordia, licet altera sæpe sit alterius causa. S. Thomas eam vocat, atque difinit, bellum inter privatos sine publica auctoritate bellatum, sed ex sola personalium voluntatum discessione peractum. Cum autem parvum hoc bellum injustum sit, quippe quod sine legitima auctoritate suscipitur, atque factis, quemadmodum lis verbis, transigitur; hinc est, contentionem seu rixam numquam vacare culpa, itaut aggressor, qui adversarium injuste lacessit, mortali crimine excusari non possit propter injuriam proximo illatam; ille vero qui lacessitus est, ac injuste læsus culpa caret, cum se tuetur non sine moderamine inculpatæ tutelæ, & quantum opus est, ad eam, quæ sibi infertur, propulsandam injuriam. Non excedit vero culpæ venialis fines, cum motus odii, vel ultionis, qui illico excitatur, levis est, & non nimis tutelæ modum excedit; sed grave crimen est, cum animo nequam, atque odio, ultionisque referto vis infertur adversario, ut vel cæde, vel gravi aliquo detrimento afficiatur. De contentionibus.

Nemo profecto inficias ire potest, lites, quæ sæpe fuere modo quidem causa, modo vero effectus discordiæ, ac dissensionis, tum in veteri, tum in novo testamento permissas fuisse; hæc unica via est, qua illata nobis injuria reparari potest; verumtamen fatendum quoque est difficillimum esse persequi in judicio jus suum, quin charitati officiatur; & plurimas requiri conditiones, ne illa lites exercendo infringatur. Notandum est igitur primo cum dicimus, vel prædicamus lites esse fugiendas, vel cum docet S. Paulus Dei servum ab illis procul esse debere, non affirmare nos, omnino litibus igni, & aqua esse interdictum; liquet enim non deesse legitimas causas litium inferendarum, atque sustinendarum; significamus autem viam hanc, nonnisi, ubi extrema necessitas urgeat, esse tentandam, cum nulla superest juris tuendi via. 2. Lites agi posse ob ea, quæ magni momenti sunt, exempli gratia ad evitandam ingentem bonorum jacturam, vel gravissima damna, ad violentiam infensissimi adversarii excutiendam, ad insignem aliquam cohibendam injuriam, quæ acerbissimos habere posset effectus, ac similibus locum præbere flagitiis; præsertim vero id cogendum, ut qui nobiscum iniquius egerit, resipiscat cum modum intuitus, quo causam nostram persequimur. 3. Antequam in jus rapiamus adversarium, nihil intentatum esse relinquendum, ut arbitrorum, communiumque amicorum interventu lis dirimatur. 4. Non satis esse, litem, quam aggredimur, justam esse; verum etiam jure, & cum æquitate litem esse instituendam, cavendumque ab omnibus dolis, ambagibus, syngraphatum adulterationibus, neque causam calumniis, vel obtrectationibus esse peragendam, non fidem adversariis abrogandam; cum illis immitius non agendum, sed eorum, quantum licet, consulendum, & utilitati, & existimationi. 5. Denique difficillimum esse, immo etiam perrarum, citra crimen exercere lites, cum gravissimum adsit De Litibus.

vel

vel justitiæ, vel Charitatis legum violandarum periculum.

Causa propter quas concordiam tueri tenemur.

Ad concordiam sedulo servandam, & enixius evitandum quidquid eamdem potest evertere quam maxime prodest, meminisse, Deum simul omnes fideles, sibi inservientes coegisse, ut unum tantum corpus conficerent. In vobis ergo, inquit Apostolus, ad Ephes. 4. *Sit unum corpus, & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ*. At si illis persuasum est, se non esse nisi spiritum unum, quod testatur Paulus; hæc validior adhuc est ratio, propter quam fideles quamlibet dissensionem perhorrescant. Exponit deinde Apostolus idem præcipua Religionis dogmata, ut inde semper eamdem inferat conclusionem: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, & Pater omnium*. Hæ autem sunt illationes. Unus est Dominus, & hic Dominus imperat, ut servi omnes unum sint inter se. Una est fides; unum ex præcipuis articulis fidei hic est; velle Deum, ut omnes inservientes sibi sint perfecta charitate conjuncti. Unum est baptisma; per hoc sumus filii Patris illius, qui nihil impensius commendat filiis suis, nisi ut in unum corpus coalescant. Unus est Deus Pater omnium; nos vero Dei hujus omnes filii sumus. Ipse unus est; vult, nos omnes unum esse; vult etiam, unitatem perfectam, quæ inter se, Filiumque suum, sibi consubstantialem, atque coæternum, adest, esse illius unitatis exemplar, quam etiam mortalibus omnibus commendat.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci in hoc argumento.

Sine concordia nihil vigere potest.

MAxima mundi hujus opera nonnisi unione servantur; eorumque clades, atque interitus est, sejunctio. Ædes illæ magnificæ, ubi natura, & ars certasse videntur, quidquid rarissimum, atque pretiosissimum est, ibi effulgeret, confusæ rerum moles essent, tristesque maceriæ, nisi eas unio tueretur, ac partes easdem componentes rite disponeret. Maxima flumina, quibus alluntur Provinciæ, & quorum aquæ ubertatem, & copiam quocumque ferunt, fugaces essent torrentes, ac rivuli sine nomine, si eorum aquæ discinderentur. Florentissimi, maximeque formidabiles exercitus non aliud profecto essent, nisi multitudo victimarum ad lanium deductarum, si discordia militum animos traheret in diversa. Hoc ipsum de JESU CHRISTI Ecclesia, quæ illius in hac terra regnum est, dicere oportet: Illa in sua perfectione subsistere nequit, nisi duplici unione, altera quidem cum capite suo, quod est JESUS CHRISTUS, altera vero cum Fidelibus per concordiam, pacem, & charitatem. Inde sequitur eos, qui dissidiis, jurgiis, contentionibus hanc unionem evertunt, quantum in ipsis est, hoc spirituale regnum diruere: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur*. Luc. 11. Itaque hujusmodi Fideles nequam rei sunt læsæ majestatis; majestatis inquam Divinæ, quandoquidem illius delent imperium, nempe Ecclesiam; & adversantur Spiritui Dei, ac ipsius JESU CHRISTI personæ, quæ quidem sanctissima vincula sunt intemerandam hanc unionem constituentia. *Patet Texier, Sermon. pro 3. Quadrag. Domin.*

Discordia passim viget.

Licet mortales ab aliis abhorrerent flagitiis, quæ citra horrorem ne cogitari quidem possunt; hoc unum quæro, utrum ab inimicitiis, simultatibus, dissensionibus, jurgiis abhorrerent? Si hoc affirmabitis, prorsus oppositum probabo infinitis propemodum, innumerisque contentionibus, aversionibus, odiis, quæ in omne vitæ spatium producuntur, & vix cum vita ipsa inveniunt finem. Hæ sunt contentiones illæ, quæ quotidie inter parentes, & filios, inter uxores, & viros, oboriuntur. Amici maxime necessarii secedunt, & hæc dissensionum genera adeo sæva sunt, ut quibuslibet in occasionibus virus adspergant, ut plurimum ope nulla curandum. Hæc autem scelera ex eorum numero sunt, quæ ab Apostolo ad Roman. 13. *facta carnis* vocantur, quæ qui commiserint, cœlestis regni non erunt participes. *Abbas Trappensis Collatione pro tertia Adventus Dominica.*

Discordia Divino spiritui opposita.

Spiritus Sanctus Spiritus est amoris, & charitatis; ideoque JESUS CHRISTUS a Patre petiit, ut Discipuli sui unum essent, ac simul invicem unirentur, quemadmodum ipse cum Patre unum erant: *Sint unum, sicut & nos unum sumus*. Jo: 17. Hac eadem de causa unus tantum est Deus, unum Baptisma, una fides; *Unus Deus, una Fides, unum Baptisma*: ad Ephes. 4. Hic admirabilis erat effectus, quem gignebat Spiritus Sanctus in primis Fidelibus, quibus cor unum erat, & anima una. Cum Christiani omnes membra sint JESU CHRISTI; simul unum esse debent, quemadmodum membra sunt unum cum corpore. At quidnam discordia, & dissensio parit? ingentem hanc unionem dissolvit, ubicumque dissidium serit &c. *Essais de Sermons pour le 3. Dimanche du Careme.*

Discordias serere magnum scelus.

Utrum nequius est, inter mortales dissensionem, atque discordiam serere, an in judicio falsum perhibere testimonium, & innocuum sanguinem effundere? Alterum quidem in uno sensu; alterum in alio. Peccatum, quod committitis serens discordiam, suapte natura non adeo grave est ac homicidium, atque falsum testimonium: sed hoc ipsum crimen si consideretur in effectibus, quos secum trahit, quodammodo gravius est; quandoquidem cætera omnia nonnumquam complecti videtur, & quibusdam in occasionibus cædes, violentia, falsum testimonium, vindicta ex ipsa discordia oboriuntur. Cum animus exacerbatus est, nihil sibi cavet, nihil intentatum, nihil inausum relinquit &c. *Joly Propositione pro 17. post Pentecost. Dominica.*

Quam perniciosa res sit discordia.

Nemo sensus humani tam expers est, qui non agnoscat, domestica, atque civilia bella externis longe esse graviora, & magis periculosa; quos autem funestos effectus in familiis pariat discordia, quotidiana nos docet experientia. Evertere voluit Deus superbum opus Filiorum Adæ, qui ut ambitioni, ac jactantiæ suæ facerent satis, monumentum extruere cœperant, quo nomen suum in universa terra celebritatem consequeretur æternam; turrim ædificantes, in Cœlum usque attollendam; Satis fuit eorum sermonem confundere; cumque populi ultro citroque, sensus suos non intelligerent, cœpto desistere, & hac illac in universas terrarum plagas sese effundere coacti sunt. Consensum autem adeo necessarium esse, Sanctus Petrus animadvertit, ut & inter eos requiratur, qui omnibus in locis dissensionis faces accendunt: Ait enim, dæmones sese nequaquam ultro, citroque lacessere execrationibus, atque blasphemiis; & juxta responsum, quod tradidit Salvator illis, a quibus accusabatur, quasi dæmonia in Beelzebub nomine ejiceret, Beelzebub ipse ad regni sui eversione adlaboraret, si cum eo consentiret, a quo ejicitur, & qui in mundum venit, ut homines ex illius tyrannide liberaret. *Lambert Homilia in 3. Quadragesimæ Dominicam.*

Pacis, & concordiæ necessitas.

Deus unus est, & vult, nos simul omnes unum esse; vult immo, unitatem perfectam, quæ inter ipsum est, & Filium ab æterno genitum, esse unitatis ejus exemplar, quam mortalibus omnibus commendavit. Ideo S. Gregorius Nazianzenus affirmat, eos qui pacem amant, & oderunt quidquid eam perturbare potest, propius ad Deum accedere, eique magis similes fieri. O pretiosam unitatem! O thesaurum admirabilem! Quam charus es illis, qui tuum pretium agnoscunt! Quid intentatum relinquere mortales debent, ut te tueantur, cui non sese objiciunt detrimento, qui tuæ jactu-

jacturam patiuntur? Unitatem amittere, a fratribus per discordiam secedere, idem est ac non esse amplius membrum ejus corporis, quod JESUS CHRISTUS effinxit, qui autem ad JESUM CHRISTUM non pertinet, illius est inimicus, & nonnisi diaboli membrum esse potest, cujus tyrannidi sese infelicissime mancipavit. *Idem, in sermonibus de Vita Ecclesiastica, serm. de Unione.*

Quam periculosa sit discordia. Quemadmodum in substructione aliqua, Sanctus Chrysostomus inquit, cum lapides omnes fornicem componentes perfecte conjuncti sunt, aedificium firmum est, solidumque, ibique tuto, ac sine metu habitari potest; at si lapis quidam a caeteris dimoveatur, tunc omnia sunt metuenda; & levissima quaelibet scissura gravissimam portendit ruinam, quae illam passim subsequitur; idem dicendum est de dissidiis, quae inter mortales oriuntur, & quae nihilominus sunt periculosa. Quomodo igitur Fideles omnes perhorrescere debent quodlibet dissidii genus? Quid praestandum non est, ut pax, atque concordia servetur? *Idem.*

Optime noverat Constantinus Imperator quam periculosae opus plenum sit aleae, quaevis discordia; ideoque cum Nicaenae Synodo interfuit hac usus est arte, ut inter se discrepantium Praesulum dissidia sopiret. Eorum quamplures ad ipsum libellos attulerant, quibus mutuis criminationibus se ultro citroque apud Caesarem acerbissime insimulabant. Imperator non sine gravissimo dolore illorum perlegens querimonias, ac reputans quantam afferre posset perniciem Episcoporum discordia, diem indixit, quo omnes simul ad illum deberent accedere; cumque stata illuxisset dies, jussit ingentem succendi ignem, in quem omnes sibi oblatos libellos conjecit. Deinde vero in clementiae, ac lenitatis sensibus Episcopos allocutus est, ut difficillimum esset, eos etiam non tangi, qui animo essent magis percito, atque furenti. Deum nostrum verum judicem esse, inquit, a quo districto examine singulorum facta aliquando tandem sunt ponderanda, atque ad sacrum illius tribunal mortalium omnium causas justissima aequitate esse aliquando dijudicandas. Interim illos ad concordiam, atque unitatem exhortatus est, eisque palam ostendit, quanti referret, privata dissidia oblivioni tradere, ut unice in illud toto pectore incumberent, propter quod illuc convenerant.

Cavendum, ne discordiae simus auctores. Fidelis tenetur pro virili quantum in ipso est pacem tueri. Hinc conjicite quantum sit scelus eorum, qui non solum paci servandae minime consulunt, verum etiam discordiae faces accedunt, jurgia miscent, & fovent discordiam. Unicum forrasse protulistis verbum, quod imprudentibus etiam, & inconsultis elapsum est; at periculosae hujus vocis effectus erant praevidendi. Quaenam fuerit intentio vestra, ex malo, quod peperit, judicate. Fratribus pessimum discordiae virus efflastis; ergo ex illis estis, quos Sapiens execratur: *Sex sunt, quae odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus.* Hoc autem septimum, quod non odit solum, verum etiam detestatur Deus, proculdubio scelus erit enorme. Quod autem? *Seminare inter fratres discordias. Idem.*

Superbia dissensionum omnium origo. Licet affectus omnes funestae sint dissensionum causae, superbia tamen principem locum tenet: cum enim velit semper supra caeteros efferri, alii vero cedere atque subesse detrectet, necesse est, ut contentiones, rixae, dissensiones oriantur. Hic praelationis, ac dominationis amor saepe ipsam terrenorum bonorum cupiditatem antevertit; malumus etiam cum sumptu primos esse, & optime locatam ingentem auri vim credimus, ut eminentem aliquam auctoritatem, saepe etiam commentitiam, adipiscamur. Si vulgatissima dissensionum, atque rixarum causa ambitio est, est etiam gravissimum ad eas sedandas, atque extinguendas obstaculum. Si cui superbo conditiones pacis proponantur, si eidem ostendas, ipsum forensibus confici sumptibus, & licet victor abiret judicio, sumptus longe majores fore, quam quidquid se per judicis sententiam sperat assecuturum; verum est, inquiet ille, at nolo, de me dici, me adversario meo cessisse; & licet omnia bona mea litibus peragendis essent absumenda, sentiant omnes, volo, mihi neminem impune injuriam illaturum. *P. le Jeune, Oratorii Sacerdos.*

Saepe urbis alicujus cives sese mutuo persequentur, neque simul vivunt, nisi ut sese ultro citroque conentur opprimere. Omnes quaerunt & suam, & proximi vitam efficere sollicitam dissidiis, atque contentionibus nullum finem habituris. Animadvertimus etiam animos inter se magis discrepare, ubi magis locorum propinquitate conjunguntur, quippe simultas, & odium communes sunt propinquitatis effectus. Nemo Sinensium domos, nemo Indorum sceptrum habere desiderat, invidia, atque zelotypia inter angustos fines continentur; quae procul sunt, non prospiciunt; illis inhaerent, quae cominus sunt: & discordia, rixae, jurgia inter eos oriri consueverunt, qui ad eamdem anhelant utilitatem, ac idem bonum conantur acquirere. *Ex Petrarcha Tractatu de malis accolis, & de Inimicitiis.*

Nihil dicam de spiritu obstinationis, & contradictionis, de varietate sententiarum, & opinionum in iis, quae ad Religionem pertinent, neque de erroribus, qui hodie fidem Christianam affligunt. Recens adhuc est memoria malorum, quae elapso saeculo acciderunt, ita ut quantam perniciem secum trahant, satis intelligi possit. Dicere sufficiat, nihil aptius esse ad populum animos dividendos, quam sententiarum varietas, cum agitur de Religione; hae quippe gignunt schismata, contentiones, quae degenerant in jurgia, invectivas, & nonnumquam etiam in factiones, quae Ecclesiae primum, mox etiam Regnorum, rerumque publicarum pacem perturbant. *P. Rapin in spiritu Christianismi.*

Discordia inter homines familiaris. Quam difficile est, S. Augustinus inquit, cum mortalibus omnibus fovere pacem, & a nemine dissentire! Deus nos ad concordiam vocat, praecipitque, ut inter nos pacem tueamur. Hic nobis propositus esset debet finis, omnesque industriae nervi sunt contendendi, ut perfectam pacem assequamur. Attamen saepius usuvenit, ut cum illis ipsis decertemus, quibus cupimus gratificari. Aliquis in errore versatur, tu illum inde studes ad veritatem adducere; ipse vero tibi acerbis, aculeatisque vocibus respondet. Nullibi ferme gentium vera inter fideles concordia deprehenditur; atque ea adimplentur minae, quibus olim per Jeremiam Prophetam portendit Deus futurum, ut Jerusalem arenae tumulo similis fieret: *Dabo Jerusalem in acervos arenae.* Jerem. 9. Ecclesia enim jamjam acervis dumtaxat arenae fere constat, videlicet membris arentibus & siccis, quae invicem minime coalescunt per interiorem Charitatis, Divini Spiritus unionem; est enim coetus exterior, quamdam societatis speciem praeseferens, sed quae satis sibi non constat, & minima aura dissipatur. Illud vero magis adhuc mirum est, quod haec dissensio non in magna solum Ecclesiae societate deprehenditur propter improbos homines, quibus repleta est; verum etiam in omnibus fere particularibus societatibus invenitur &c. *Essais de Morale Tomo 4.*

Pax, & concordia pro virili tuenda. Quemadmodum Dei Filius improbat dissensiones, & simultates, quae passim inter homines regnant; ita etiam, atque etiam pacem, atque concordiam nobis commendat. Ad hanc nos Spiritus Sanctus hortatur per os Regii Prophetae: *Ps.* 33. *inquire pacem, & persequere eam:* Apostolus quoque in Epistola ad Romanos c. 12. docet: *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus pacem habentes.* S. Chrysostomus ponderat verbum illud, *si fieri potest.* Nonnumquam enim, ait ille, contingit, ut pax servari nullatenus possit cum quibusdam hominibus, & quibusdam in occasionibus;

bus; veluti cum agitur de veritate, vel de pietate Christiana, quam alii corrumpere, aut evertere adnituntur. Apostolus inquit, quantum in vobis est, contendite, ut pax foveatur; nulli discordiæ, vel inimicitiæ occasionem præbete, si tamen aliquis ausus fuerit pietatem impetere, ejusque regulas proscindere; pacem relinquite, ut veritatem propugnetis, eamque ad extremum usque spiritum defendite, ita tamen, ut semper charitas erga illum servetur, contra quem est decertandum. Cum illo non tamquam inimico, sed amicissimo agetis, lenibus verbis illi ob oculos statuentes errorem ipsius, & veritatem, qualis reipsa est: hoc enim ea verba significant: *Quantum in nobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Cum illo perfecti amici necessitudinem servate, ita tamen ut veritati non inferatis injuriam. *Ex Homiliis moralibus Homil. pro 3. Quadragesimæ Dom.*

Ratio evitandi jurgia & dissensiones.

Sed etiam ille cavendus est, qui videri potest, quicumque irritat, quicumque incitat, quicumque exasperat, quicumque incentiva luxuriæ, aut libidinis suggerit. Quando ergo aliquis nobis conviciatur, lacessit, ad violentiam provocat, ad jurgium vocat: tunc silentium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus. Peccator est enim, qui nos provocat, qui injuriam facit, & nos similes sui fieri desiderat. Denique si taceas, si dissimules, solet dicere: Quid taces? loquere si audes. Sed non audes: mutus es, elinguem te feci. Si ergo taceas plus rumpitur: victum se reputat, irrisum, posthabitum, atque illusum. *Ex Divo Ambrosio de Officiis c. 5.*

Cum S. Gregorius Nazianzenus videret Episcopos, qui Constantinopolim convenerant, turbatos esse, atque infrendere propter Episcopatum, quem ille invitus susceperat; non solum pro bono pacis illum abdicavit, sed enixis precibus Theodosium Imperatorem exoravit, ut abdicationem a se factam dignaretur admittere. Hoc unum, o Cæsar, posco, inquit ille, videlicet ut ingens laboris pondus, quod subii, me dimittentem patiaris. De Barbaris quidem egisti triumphum, sed gloria tua, maximumque tui Imperii trophæum est pacem, atque concordiam inter Episcopos constituere. Dissentiunt illi inter se, & unica via, qua eorum consensioni consulere possis, est mei Episcopatus abdicatio. Ecclesiæ navis agitata est: & quoniam propter me hæc procella detonuit, projice me in mare, & sedabitur. Imperator, atque Patres qui eminentem virtutem, insignemque Præsulis doctrinam cognoverant, hac petitione, & hoc sermone adeo perculsi fuerunt, ut ægre permiserint, ipsum se Episcopatu abdicare. *Eadem Homilia morales.*

Avaritia est plurimum, litium, ac dissidiorū causa.

Meum, ac Tuum funestissima est plurimorum malorum causa, præsertim vero litium, & contentionum. Cum consanguineis, ac necessariis pacem tuemur, donec nulla nobis cum illis res est: sed simul ac vel utilitas aliqua acquirenda, vel incommodum evitandum est, statim inter eos, qui conjunctissimi videbantur, simultas exoritur. Tantum abest, ut qui provectiori sunt ætate, in quibus ideo juventutis æstus deferbuit, in hujusmodi certaminibus minus ferventes sint, quod immo sæpe videmus, quo magis ad senium accedimus, eo magis divitiarum amorem in nobis augeri, atque nos cupidius minimum quodpiam lucellum consectari; solum hujus cupiditatis initium in corde omnes divinas, humanasque rationes extinguere, propter quas nosmet temperare deberemus, ac nos inexorabiles fieri in iis, quæ deberi nobis putamus. Inde tot molestiæ lites oriuntur, quas plurimi maximum vitæ humanæ flagellum esse arbitrantur, cum interius ad eas evitandas nihil de jure suo imminutum patiantur. Hæ autem lites ut plurimum ex levissimis proficiscuntur initiis, Qui causam agunt, ad hoc se teneri putant, quia ad bona sua vel servanda, vel augenda illud necessarium esse opinantur. Putant se quamprimum ex molestiis hisce contentionibus evasuros; & sæpe vel non sufficit ipsorum vita, ut eorum finem possint attingere, vel illæ fiunt familiæ ipsorum excidium, ac semper in magnum discrimen, & conscientiam, & salutem eorum adducunt. *P. le Jeune. Sermone de Litibus.*

Litigantis peccata.

Quisnam litem alicui intentat, & pro virili non adnititur, ut mala audiat adversarius, palam non jactitet illum hominem esse litigiosum, versutum, falsarium, satis in foro cognitum, & id genus similia, quorum fons numquam exhauritur? Sed præterquamquod hujusmodi crimina, ut plurimum conficta sunt, vel saltem temere intentata, tibine illa fas esset objicere? Quodnam tibi jus est in alienam existimationem? Esto ille versutus, fur, chirographorum adulterator, & quodcumque libuerit, quid hoc tua, tuæque interest causæ? At esto, aliquid inde utilitatis tua causa percipiat: quid tibi prodest, hæc in vulgus proferre, & sexcentorum auribus ingerere, quibus tecum res nulla est, qui cum neque causidici, neque judices tui sint, his de rebus edoceri non indigent. *Idem.*

Dei obliviscuntur, qui lites exercent.

Donec lis fervet, ut plurimum in summa Dei oblivione versamur. Ad Sacramenta ne cogitamus quidem accedere, lite penitus occupati huic uni vocamus, neque locus aliis objectis ullus reliquus est. O Deus! Quænam effunduntur preces? quomodo tunc temporis sacris adstamus Mysteriis? Quam mentis attentionem sanctissimis Religionis officiis impendimus? Quomodo JESUM CHRISTUM adoramus, qui super ara pro inimicis suis immolatur, tunc temporis, cum animus exacerbatus est, & fortasse odit, quos antea diligebat? Quomodo habere gratias JESU CHRISTO possumus, qui omnia, & seipsum quoque tribuit hominibus, cum interim litibus aliena auferre bona contendimus? At fierine tandem potest, ut inter hos motus, atque tumultus mentis requiem, & cordis pacem tueamur? *Idem.*

S. Franciscus Salesius ait, si quis adest, qui in litibus, & quæstionibus exercendis modum servet, dici posse, jam quæstionem habitam esse de ejus virtutibus pro ejusdem Apotheosi. At libentius affirmo, inquit ille, quod & lites miscere, & servare modum, rationem, rectumque sensum, adeo operosum est, adeoque rarum, ut Sanctis ipsis hæc simul præstare vix permittatur. Contendamus, Auditores, ad Cœlestem hæreditatem, pro qua lis nulla suscipienda est. Nonnumquam sane terrenæ hæreditates litibus inferendis obtinentur; & exercendis litibus plerumque Cœli hæreditatem amittimus. Et constat hujus discriminis ratio: Cœlestis quippe hæreditas adeo lata, ac ingens est, ut licet eam possiderent omnes, adhuc tamen integra ab omnibus possideretur. Itaque cum nemini auferatur quidquam, nulla suppetit litium causa. Sed cum terrenæ hæreditates angustis sane finibus contineantur; neque rem eamdem unus, & alter possidere valeat, quilibet socium prohibere conatur, & hæc est litium omnium origo. *Idem.*

Quid faciendum cum lites agere cogimur.

Cum autem inevitabili necessitate lites agere cogimur, primum illud esse debet, ac inde semper inchoandum est, ut quantum in nobis est contendamus, ut inita conventione lis dirimatur. Quamobrem bona fide viri morum integritate, ac legum doctrina ornatissimi consulendi sunt, atque eorum sententiæ parendum. Ad hoc tamen nobis probata esse deberet insignis veritas, de qua nullatenus possumus persuaderi; videlicet nos facile causæ nostræ æquitate decipi posse, propria utilitate quemlibet semper excæcari, & neminem in propria causa æquum judicem esse, ideoque nobis illud amplectendum esse consilium, cui neque utilitas, neque affectus aliquis nubem offundere potest. *Idem.*

Nemo unus ferme ex iis, qui lites agunt, invenitur, qui sibi religioni vertat, effutire fanda, infandaque omnia, quæ auribus suis adversario acciderunt. Oratores levi negotio clientum animos induunt, optimamque eloquentiæ suæ partem in eo

ào sitam putant si eorum, contra quos agunt, existimationem in ludibrium vertant, eamque iis etiam in rebus proscindant, quæ ad causam minime pertinent: & quemadmodum per miserrimam humani cordis corruptionem oblectamur, ubi facete aliena facta perstringi percipimus; Causidici, qui in hoc dicendi genere excellunt, disertissimi habentur, atque certatim ad causas peragendas usurpantur. Fidelis, qui litem agens, volet tamen semper esse fidelis, non solum de adversariis non obloquetur, verum etiam non sine adfectatione ea omnia proferet, quæ bona de illis dicere poterit.

Ecclesiastici a litibus abesse debent.

Ecclesiastici nihil prætermittere debent, ut pacem foveant, animos sedent, dissutam gratiam sarciant, hominesque impellant, ut relictis forensibus jurgiis ultro, citroque mutua charitate litem componant: At tamquam malum gravissimum, & lacrymis uberrimis deplorandum existimare debent, cum mortalium nequitia cogantur sua legitima asserere jura, quæ propter necessarias causas ad Ecclesiæ utilitatem spectantes ut ab aliis infringantur, pati non debent. Extra inevitabilem gravissimamque necessitatem Ecclesiasticus, qui secum diligentius funestos litium effectus reputaverit, nullam sibi unquam movendam litem esse cognoscet, ac malet potius sibi aliquid legitimi juris deperire, quam per difficiles, severasque judiciorum vias illud persequi. Potestne Ecclesiasticus eam non amplecti sententiam, in quam Fideles omnes versari jubet Apostolus? 1. ad Cor. 6. *jam quidem omnino delictum est*, inquit ille, *quod judicia habetis inter vos*. Quid ergo cogitaret ille de quibusdam ferventibus Ecclesiasticis, quos lites non terrent? qui ad eas aggrediendas semper parati sunt? qui meliorem vitæ suæ partem transigunt, causidicos adeuntes, ac sollicitantes judicia? quibus præstat ingentem auri vim forensibus absumere sumptibus, quam minorem amittere assentientes ei conventioni, qua ex tot ambagibus, tricisque eriperentur. Qui calliditate sua, atque litigiis beneficium aliquod assecuti, tamquam de insigni victoria gloriantur? Qui turpi hac ratione, & Ecclesiæ spiritui prorsus opposita plura collegerunt beneficia, quibus ad redditus suos augendos usuri sunt? *Idem*.

Cum sæva necessitas adest litis urgendæ, a qua bona, & honor pendent; tunc pro nihilo reputatur, somnum amittere, requiem interrumpere, famem, sitimque perferre, fatigari, judicis obstinatam pati severitatem, & eorum, qui res nostras agunt, increpationes haurire. Omnem impendimus curam, ut illum quidem Optimatis alicujus intercessione deliniamus, cui nihil negare potest, hunc vero, amici alicujus precibus, cui studet gratificari: illum opera Confessarii, a quo pendet, hunc Creditoris auctoritate, cujus petitiones vim habent imperii; alios argento, alios mulierculis, quas depereunt, corrumpere adnitimur. Sin autem conferre velimus, quæ sæculi filii conantur, ut temporale quodpiam negotium sibi cedat e sententia, cum iis, quæ faciunt filii lucis pro æterno suæ salutis negotio, numquid illic quidem majorem videre possumus sollicitudinem, hic vero incuriam ignaviorem? *Abbas de Monmorel Hom. in 8. post Pentecost. Domin.*

In litibus tranquillitas animi amittitur.

Memento in litibus agendis, ut plurimum, quietis, atque tranquillitatis jacturam fieri; unde sequitur, ea quæ certissime amittuntur longe esse pretiosiora, quam quæ sperantur; quandoquidem omnia terræ bona cum animi pace nequaquam sunt comparanda. At nonne quotidiana docet experientia, illum, qui victor judicio abit, minus fieri locupletem, quam antequam litem intentasset: eum vero, qui victus fuit, repente in summam inopiam, atque egestatem proruere? Utinam ista perpenderentur ab initio, & ex aliorum jactura edoceri vellemus; næ tunc non ita raptim ad judicium confugeremus, res nostras repetituri; atque ultro JESU CHRISTI consilium amplecteremur dicentis: Matth. 5. *Ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Idem Domin.* 21.

Scio equidem non deesse justas contentiones, eas ob res institutas, quæ easdem mereri videntur? sed plerumque sive in civili, sive in criminali materia de modica lis agitur summa, ob injurias leves, ob eas res, quæ satis probant Judicibus aviditatem, miseramque litigantium insaniam. Quot enim litigandi libidine ducti pro ea re, quæ pauci æstimatur, rapiunt in judicium? Quot, ne æris alieni exiguam summam dissolvant, judicio certare volunt, ac ad Judices rapi, maluntque omnia pessum ire, quam sine sumptibus creditori suo satisfacere? Quot ob negatum urbanitatis officium, ob verbum injuriosius prolatum, ob veram fictamve narratam rem acerbissimas, diuturnasque lites persequuntur? Quot ob verbum ambigue prolatum in contractu, ob levem in societate vel divisione inæqualitatem incalescunt, atque lite decertare volunt, quantocumque statuta sit pretio; tanta est, ac tam inexaturabilis eorum cupiditas? Verum non hic moratur; non solum homines incitat invicem levibus de causis, quoniam avida simul, & pertinax est; illis sexcentas etiam suggerit fraudes, dolos, ambages; quia perspicax est, atque ingeniosa. Licet causa futilis sit, aliquis justitiæ fucus eidem appingitur; ideoque nullum mysterium est, cui non sese immisceat, nulla ars, quam non excogitet; nulla dilatio, vel subterfugium, quod non inquirat, nulla conjectura, quam in rem suam minime vertat cupiditas. Quod maxime perspicuum est, illa obscurum facit; quod expeditissimum, impedit; quod falsissimum regit, atque dissimulat. Quantumvis validæ sint aliorum rationes, illas infirmare, atque atterere adnititur. Quantumvis futiles sint suæ, ubi aliqua veritatis species adsit, illas extollit, elegantibus verbis exornat, inutilium citationum congerie inflat; cumque judices corrumpere nequeat, illos, saltem fallere, atque perstringere adnititur. Ambages quas objicit, industriam vocat; tutelam, & diligentiam sibimet contra adversarios consulendi nominat boni fruitionem, quod suum non est, & quod dolis, atque versutiis tueri conatur. Hæc autem numquam Lex Evangelica pati potest vetans, quidquid innocentiæ, & Christianæ simplicitati adversatur. *Essais de Sermons pro 12. post Pentec. Dom.*

Charitas atque ac justitia in litibus inferendis servandæ.

Tantum abest, ut concedere velim, ea, quæ quamdam justitiæ speciem præseferunt, litem aliquam probare posse, quod neque ausim concedere, justam litis causam esse posse quidquid justum est. Causa mea justa est: hoc quidem Ethnico sufficeret; sed fidelis ob oculos aliam habet legem præter legem justitiæ; legem videlicet charitatis. Ex duobus his locis, & utraque hac trutina jura nostra ponderanda sunt, ubi lis aliqua oboritur; justitia charitate, & charitas justitia est temperanda; in Judicio ab alterutra recedere, idem est ac seipsum damnare. Hodierna igitur die necessarium hoc temperamentum edocere volo: Ex proximo justitiam, at nonnisi secundum charitatem illud persequi debes. *Ex Manuscripto qui Patris de la Rue esse perhibetur.*

Antequam litem aggrediaris, in eo primum curam omnem impendis, ut causæ tuæ fundamentum scruteris, & quem habitura sit finem, conjicias. At non inde initium ducendum; aliud antea peragendum est. Quid autem? Audi S. August. *Litigare vis cum fratre tuo, prius litiga cum corde tuo*; hoc est, ad conscientiæ tuæ tribunal cor ipsum accerse, ex eo quære, utrum inter forenses clamores, at litium jurgia pacem servare poterit; ac illi præcipe, ne oderit: *Dic cordi tuo, noli odiisse*. Quod licet summa fide dicto paruerit; quamdiu hic spiritus Charitatis vigebit? usque ad primam molestiam, quæ acciderit tibi; usque ad primam vel levissimam victoriam, quam

de te

de te referet adversarius; usque ad primum inofficiosum verbum, quod illi contra te exciderit; usque ad primam vim, quam ille tibi inferre velle videbitur. Tunc omnia hæc pacis, concordiæ, charitatis consilia evanescent; ex dolore gradus fiet ad Charitatis languorem, ex languore ad querimoniam, ex querimonia ad iram, ex ira ad contumeliam, ex contumelia ad obtrectationem, ex obtrectatione ad calumniam, ex calumnia denique ad apertam inimicitiam. *Idem*.

Quilibet secum ait, quomodo ferri possunt hæ versutiæ, hæ fraudes? numquid hoc est honeste operari? Quomodo post hæc in lucem prodire quis audeat? Numquid homine Christiano dignum est his animi dispositionibus litem exercere? Quomodo non intelligis legitimam hanc litis exercendæ rationem aliam tibi coram Deo litem conflare? Cum hæc tibi adjudicabitur ob certissimas causas omnibus juris consultis probatas, alteram coram Deo perdes propter odium, & inexplebilem avaritiam tuam; neque enim Dei Tribunal est forensibus simile; unde alter quidem victor, victus alter abeunt, cum utrique damnentur a Deo, si utrique justitiæ, & charitatis excesserint claustra, namque ante hoc Domini Tribunal nequaquam judicabuntur secundum rationum æquitatem, quæ liti agendæ locum præbuere, sed secundum injustitiam odii, quod utrinque par est, & quod æque omnibus Fidelibus, quantumque prætexere causam possint, fuit interdictum. *Idem*.

De ambagibus quæ litibus usurpantur. Ambagum nomine non improbas tantum moras, quæstionum multitudinem, labyrinthos, atque meandros intelligo, quibus lis in ævum producitur; verum etiam malas artes, chirographorum adulterationes, perjuria, æquivoca, testium subornationem, syngrapharum, quæ jus in lucem afferrent, suppressionem, infensas omnes nequitias, quarum scelus, ac turpitudo palam ex ea cura deprehenditur, qua quis illas contegere adnititur; quæ omnia, qui bona fide non agit, negligenda esse minime censet magno hoc ductus principio: ea licet improba sint, probari tamen suæ causæ justitia; & ex quo illud, quod contenditur, justum est, nullam, qua illud assequi possumus, viam injustam esse putandam. *Idem sermo manuscriptus*.

O nequissimum litigantium abusum! qui causam suam commendare putant, contumeliosa hypotiposi adversariorum mores describunt, eorum existimationem proscindunt, & bono personarum, familiarumque nomini minime parcunt. At enim hoc prodest, ut jus nostrum tueamur; hoc adversarium in suspicionem vocat. Verum quid tibi prodest, Causidice, quid tibi Cliens, hæc sordium, probrorumque congeries, quam ex conditione, munere, honestate Parentum, Avorum, Atavorumque proximi tui, tanto labore emendicas? Quid in apricum proferre ea, quæ tempus oblivioni tradiderat? Quid mortuorum cineribus insultatis? Licet nihil nisi publicum, verumque afferatis, hoccine probat eam hæreditatem; de qua sub judice lis est, ad vos pertinere; vel divisionem illam cum fraude factam, vel illam auti vim vobis deberi? Sed o Causidice, o litigator, qui bonum, quod vobis negatur, reposcitis, quandonam per vos fiet illius honori restitutio, quem rapuistis? Quod reposcitis, civilium, politicarumque legum vi vobis vindicatis; quod ex vobis repetitur, hoc divinarum Evangelii legum vi postulatur. Potestisne coram Deo invicem alter in alterum crimen detorquendo excusari? Cliens quidem forensem usum, & Oratorum consuetudinem; Orator autem ficta, vel vera a Cliente sibi tradita insimulans monumenta? *Idem*.

Litigantium. Prima litigantium cura est judicum suorum mores, habitusque cognoscere, eorum necessarios perquirere, quibus familiarius utuntur; eos, ut ajunt, invenire, a quorum nutu pendent; ac se beatos putant, si eorum aucupentur gratiam, qui eorumdem conscientiæ rectores sunt; quasi magnum sit causæ præjudicium, viris bonis probari, & illi robur accedat, ubi contigerit aliquid infirmitatis in illo deprehendere, a quo litis pendet eventus. *Idem*.

Mirum profecto est, mortales adeo iniquos esse eorum judices, qui juri dicundo præsunt, & Judicem in oculis litigantium æquum esse non posse, nisi cum sollicitationibus actus a justitia recesserit. Humani cordis nequitiam admiramini: si tibi causam adjudicavit Prætor, jam honestus, & æquissimus habendus est; sed si litem amittis, semper judicis crimen est, numquam litigantis; semper favor est, inscitia, inimicitia, corruptio: jamjam contra illius personam, & mores sexcentæ evomuntur injuriæ, omniaque tibi licere putas, ut dolori tuo satisfacias. *Idem*.

Hi repetunt, quod suum est, illi tueri adnituntur, quod sibi præreptum fuit; igitur judicio contendendum est. Ferendum ne est, ut alii nobis impune bona auferant, injurias inferant, calumnias ingerant, existimationem proscindant, quin jus repetamus, & contra aliorum impotentiam nosmet propugnemus? Via sibimet consulendi omnibus patet; Deus, qui Judices constituit, illam probavit, voluitque, nos ad illam confugere. Alioquin quænam fieret rerum omnium perturbatio? Innocentes ingemiscerent, quin ne in fletus quidem erumpere auderent; imo debaccharentur, quin ab ullo redargui, &c. *Ex sermonibus moralibus, serm. de Lite*. Quilibet litem suam justam putat.

Sæpe utilius esset sapienti conventione litem componere, quam sese infinitis contentionibus immiscere, ubi omnia in periculum adducuntur, quantumvis pro te justitiam stare arbitreris, & ubi licet plurimum lucreris, lite acta, transacta pauperior est, quam nondum inchoata ..... Cum litem inituri sumus, adstamus veluti in cujusdam labyrinthi aditu, quo ubi sumus ingressi, eo magis errore viarum decipimur, quo magis progredimur; & quo magis egrediendi viam inde perquirimus, eo magis ab eadem recedimus .... Citationes, postulationes, vadimonia, fidejussiones, oppositiones, recusationum causæ, interdicta, collationes testium, doli, defectus, nullitates, sententiæ secundum postulationes datæ, jurisdictionis conflictus, Judicum incompetentia, nova postulata, recentes perquisitiones, qualitatum contestationes, contradictiones, criminationes, criminationibus responsiones, aliaque id genus sexcenta, scapos papyraceos inficiunt in re adeo perspicua, quam judex ex arvis accitus statim judicasset. Quid ut plurimum judicia præstant? *Lites, sic decernit ut seminet*, inquit Zeno Veronensis, *legibus suis leges impugnat*: in litibus, quibus finem videntur imponere, quædam relinquunt semina, per quæ reproducuntur; hydræ capita nequaquam eo obtruncantur pacto, ut rursus minime renascantur, modo per sententiarum interpretationes, modo per earum rerum, quæ de novo incidunt, occursum: nonnumquam leges legibus ipsis impugnant, & aliis evertunt, quod aliæ constituunt. *Idem*.

Si statim animum appulisses, ut æquam cum adversariis compositionem inires, quin impeditissimis litium tricis temet immisceres; si arbitrum delegisses hominem sapientiæ, & integritatis laude florentem, qua nunc pace, quo gaudio fruereris? Itaque sollicitationibus, curis, vigiliis non aliud assecutus es, quam rei familiaris, & fortasse etiam conscientiæ jacturam; bonaque tua Causidicos tantum, aliosque forenses Ministros saginarunt. Proh Superi! quam cæcitatem! Omnes de fori injustitia queruntur, & omnes ad forum confugiunt! Omnes dicunt forum esse bonorum voraginem, ibique sumptibus confici, qui lite contendunt, & nihilo secius omnes lites amant, & pertinaci animo litibus persequendis inhærent. *Idem*. Maturata conventio laboribus, sumptibusque parcit.

Qui lites agunt, hoc primum sibi cavere debent, ne in

ne in sævitiam, & inhumanitatem decidant, qui funesti, ut plurimum, sunt litium effectus. Credunt homines, se tuta conscientia contendere posse, ut ad extremum usque apicem adimpleantur ea, quæ a Prætore obtinentur, sententiæ; sibique persuadent, quandoquidem litem vicerunt, licere inclementer persequi adversarios suos, nihil illis remittere, nullam in ipsorum calamitate moram permittere; eorum bona raptim invadere, licet in summam egestatem redigantur, eosque in carceris squalorem detrudere, donec extremum usque quadrantem persolverint. *Idem*.

Conscientiæ periculum in litibus peragendis.

Si affirmare non licet, Sanctum Paulum existimasse, lites omnes, omnesque forenses decertationes per se crimen esse, ac divinæ legis prævaricationem: licet affirmare saltem, illum credidisse, hoc malum esse, ac esse difficillimum inculpatæ tutelæ modum nequaquam excedere, ac intra eos lenitatis, ac modestiæ fines contineri, quos nobis Salvator præscripsit, atque ita cordis nostri affectibus imperitare, ut numquam lædatur Charitas; quandoquidem minime veritus fuit litigantibus dicere: Deum offenditis, statim ac litem intentatis: *Jam quidem omnino debitum est*. 1. ad Corinth. 6. Non quod lites exercere, absolute culpa non vacet, sed quod fieri ferme non potest, ut qui lites agit, culpa vacet. Quomodo enim servari potest modus, qui adeo necessarius est inter agitationes omnes, inter incompositos motus, variosque affectus iræ, vel avaritiæ, invidiæ, vel ultionis, qui semper incalescunt, ac fervent inter eos, qui judicio forensi decertant? *Abbas Trappensis Tomo secundo de Vita Monastica Officiis*.

Plurimi lites ingrediuntur, alii quidem passione ducti, alii imprudentia, alii avaritia, qui sane ab illis abhorrerent, si earum perniciosos effectus prænoscerent. Non vident illi, se procelloso committi pelago, ubi tempestates, atque naufragia semper sunt metuenda; vel se labyrinthum ingredi, unde exitus minime patet. Qui huc usque sua cupiditate excæcantur; intelligunt quidem, sed nimis sero, se nihil lucrari posse, amittendique universa periculum sibi imminere; ac sæpe nequitiæ vel pertinaciæ supplicium est, quod illos rapit, ut sese mutuis jacturis conficiant. *Ex Anonymo Auctore*.

Sollicitudines, quas lites pariunt.

Cum litium spiritus litigantium crimina prope in infinitum adauxerit, eorum quoque sollicitudines ultra modum multiplicat; efficit enim ut infinitas patiantur ærumnas, atque tormenta sine honore, sine merito, sine solatio. Lites eos jugiter rodunt, metum illas incutiunt, labores ingeminant, illas de via in viam, de domo in domum ad Judices urgendos traducunt; eos cogunt tamquam mancipia antea Procuratoris sui scribas obrepere; ac illis arcta indicunt jejunia ut sumptibus parcant, mox in foro erogandis: *Ecce ad lites, & contentiones jejunatis*. Isaiæ 38. eorum animos torquent, honorem, & existimationem in discrimen adducunt, ac tandem in carcerem detrudunt squalore, & macie conficiendos. *Idem*.

Donec sapientissimus mortalium omnium Salomon litem consideravit, quatenus ad res hujus mundi refertur; tantummodo dixit in hoc hominis gloriam verti, ne sese illis impediat; ac apertissimam imprudentiæ notam esse in eo qui sese immiscet contentionibus, quæ dedecus tantum possunt afferre: *Honor est homini, qui separat se a contentionibus*; Prov. 20. Cæterum veram rationem, qua quis ad egestatem redigi potest, ac rem domesticam perdere, esse litium amorem; e contra vero simplicitatem sequi optimam esse viam, qua filii locupletes possint relinqui. Verum cum cogitationes suas longius provexit, atque litem consideravit quatenus ad salutem nostram, atque præcipua officia nostra refertur, nequaquam intra hujusmodi loquendi rationes sese continuit. Modo enim asseruit ambitionem ex potissimis esse caussis acerbarum, ac pertinacium contentionum, quæ habentur in foro; inter superbos numquam convenire posse; semper inter illos aliquod esse litigium, ac neminem litem intentare debere, ubi pravis hujusmodi principiis laboret: *Inter superbos semper sunt jurgia &c.* Proverb. decimotertio. *Ex Manuscripto sermone*.

Nonnisi magnis cum prææcautionibus lites agere licet.

Nobis nequaquam ea generositas est, qua tot fideles acti pro JESU CHRISTO omnia terrena relinquunt; at caveamus, ne in inexplebilem aliorum cupiditatem labamur, qui omnia possidere desiderant. Ideo inter utrumque extremum media insistendum est via; & quoniam potius erga cupiditatem, quam generosam integritatem noster inclinat animus: *Affines cupiditati deprehendimur*, quidam ait; Deus qui salvare nos vult ea in conditione, in qua ipse nos posuit, nonnisi perquam raro, & non sine quibusdam conditionibus lites exercendi libertatem concedit; & nobiscum agit, uti cum arbore consuevit in malam partem inclinante, quam agricola semper in oppositam flectere adnititur. Videlicet cum lites ex vitiis, & concupiscentiis nostris oriantur, suadet Apostolus 1. *ad Corinth. c. 6.* ut earum rerum, quas habemus; jacturam patiamur potius, quam lite decertemus, ne inter forenses contentiones eam amittamus rectitudinem, sine qua eidem placare non possumus. *Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Idem*.

In justitia una tantum via est, quæ ducit ad vitam, a qua quantumvis parum declinemus, iter ingredimur, quod ad mortem adducit. Licet causa bona esset, numquam fas esset eam meliorem efficere, eam vel tantillum detorquendo, ne dicam mendacium aliquod immiscendo. Numquid enim inter Christi Fideles ferri possunt in caussa, sive bona, sive mala chirographorum vel adulterationes, vel subtractiones, malignæ evasiones, conficta facta, impeditissimæ ambages, quæstiones inutiles, ne dicam falsa testimonia, collusiones, perjuria; quis enim ignorat calliditatem artemque tenebras iis offundere, quæ sunt perspicua, impedire, quæ facilia, tegere, ac simulare quæ falsa? Quantumvis bonæ sint aliorum rationes, illas infirmare, ac labefactare conamur; Quantumvis malæ sint nostræ, ex quo aliquam veritatis speciem præseferunt, eas in immensum extollimus, elegantium verborum fuco decoramus, & inutilium citationum congerie inflamus. *Idem*.

Inimicitiæ, atque simultates vitandæ.

Cum litem agere cogimur, illud quoque cavere diligentius debemus, ne decidamus in odia, simultates, inimicitias seu publicas, seu latentes, quæ passim inter eos, qui judicio contendunt, inveniuntur. Nulli magis pertinaces, magisque irreconciliabiles hostes inveniuntur, quam qui simul lites exercent, seu ambitione, seu cupiditate moveantur. Prima cogitatio, quæ mentem ipsorum subeat, hæc est, ut quacumque via sumant ultionem. Hoc consilio adversariorum suorum inquirunt vitam, facta, mores, affinitates; ipsos etiam majorum cineres effodiunt, ut viventibus exprobrent mortuorum peccata, quibus fortasse Deus ipse pepercit. His rebus tabulas suas infarciunt, testes producunt, ac saltem existimationem auferre conantur illius, cui non possunt eripere bona. *Idem*.

Lites, S. Bernardus ait, cordis pacem auferunt; arctissima vincula infringunt, rixas cient, obtrectationibus, atque calumniis aluntur, accendunt odia, ac post se iniquitatis, livorisque semina relinquunt. At JESUS CHRISTUS qui Deus est, & Deus, qui charitas est, peccatorum horum minimum pati non potest; & si lites permittit, nonnisi cum ea conditione permittit, ut procul absint injuriæ, temeraria judicia, fictæ narrationes, probra, simultates sive publicæ, sive occultæ. JESUS CHRISTUS, hic Pater ait, est Pax Mundi, at in foro nihil nisi discordia, & jurgia inveniuntur; *Christus est pax; in foro discordia:* JESUS CHRISTUS est suprema justitia; in foro autem nihil præter injustitiam inveneris; *Christus justitia est; in*

foro injustitia. JESUS CHRISTUS ipsa fidelitas, atque simplicitas; in foro nihil nisi fraus, atque perfidia: *Christus fides est; in foro fraus, atque perfidia*. JESUS CHRISTUS denique essentialis est Charitas; in foro autem ultro citroque probra inferunt, foventurque inimicitiæ. *Christus charitas est: in foro obtrectatio. Idem*.

Cur noluerit JESUS Judex esse inter fratres in hereditate dividẽda.

Obstupescunt Sancti Patres, quod cum homo quidam JESUM CHRISTUM rogasset, ut juberet fratrem suum secum dividere hæreditatem, non aliud percipere potuerit responsum, quam hoc. *Quis me constituit judicem super vos?* JESUS CHRISTUS inquiunt illi, nonne totius Mundi Dominus erat, & Legislator? Nonne jure ad ipsum litium quarumcumque judicium spectabat? Nonne ille unus ex se ea præstabat sapientia, scientia, integritate, auctoritate, quæ ad omnes terræ lites absolvendas requiritur? Cur ergo homo ille, cujus quidem recta mens fuisse videtur, & quod æquum patebat, hac responsione repellitur: *Quis me constituit Judicem super vos?* Luc. 12. Quod nempe, S. Chrysostomus respondet, JESUS CHRISTUS in Mundum venit, ut homines invicem conciliaret, non ut doceret, quomodo inter se lite contenderent. In Mundum venit, non ut diceret illis, dividite hæreditates vestras; occupate quidquid potestis, sed ut diceret e contra: si quis vobis auferre pallium voluerit, eidem & tunicam relinquite. In Mundum venit, ut perfectæ charitatis, ac intemerandæ pacis regulas proponeret: quæ virtutes fere numquam in litigantibus inveniuntur. Cæca, & præceps cupiditas, hic Pater ait, male novit JESUM CHRISTUM; arbitrum in terrenis litibus assumit illum, qui perfectis suadet, ut nulla terrena possideant. *Idem*.

Quæritur, utrum, cum ea, quæ nobis debentur, alii dissolvere detrectant, ac nolunt restituere, quæ nobis fuerunt surrepta, omnia debitoribus nostris dimittere teneamur, potiusquam coram Prætore jus nostrum persequamur? Si leges civiles consulimus, certissime constat, nos posse; leges enim constitutæ sunt ad pacem, societatemque in hominibus servandam, sua cuique tribuentes. Quis dicere ausit illicitum, quod recta ratio, & lex Divina præcipiunt? At recta ratio, & lex divina præcipiunt, ut in Rebus publicis, Imperiisque Judices constituantur, proculdubio ad nobilium, divitumque insolentiam compescendam, ubi pauperes, infirmosque velint opprimere: ad injustitiam persequendam, ac efficiendum, ut inter homines ubique floreat justitia? Quis ambigit demum, singulis jus esse coram Judice ea repetendi, quæ sibi injuste negantur? alioquin improbi bonos diriperent; & furtis, atque latrociniis aditus aperiretur. Licet ergo bona tua tueri, ac sese judicio defendere. *Desumptum ex morali Christiana in Pater, l. 7. sect. 2. art. 3.*

Rationes, quæ probare videntur fidelibus interdictũ esse lites agere.

Cæterum liquido constat, si Evangelium pressius ad litteram intelligendum est, prohibere, ne Fideles litium negotiis immisceantur, atque eos cogere, ut potius bonorum suorum jacturam patiantur, quam sese illis impediri sinant; non quod malum sit, & sine culpa, in judicio, quæ nostra sunt, repetere nequeamus, sed quod difficillimum est, in hac naturæ corruptione, litem agentes, vinculo quodam veluti necessario, majoribus non implicari criminibus, quæ graviter lædant charitatem, eamque prorsus evertant. Inde enim plurimi furentes affectus oriuntur; invidiæ, simultates, iræ, querimoniæ, rixæ, inimicitiæ, suspiciones malæ, contumeliosa verba, odia irreconciliabilia. Qui lite contendunt, sese mutuo nequissimis obtrectationibus, calumniis, atque injuriis proscindere consueverunt; dolos inveniunt, versutias, mendacia, ut causæ suæ aliquam justitiæ speciem appingant, & adversarii sui robur enervent. Quam horribile infidelibus scandalum, videre Fideles alternis odiis succensos, secum amarissimis verbis decertare, omnesque, præsertim vero sibi amicissimos, ut sibi faveant, allicere? Sed quamquam non aliud adesset malum, nisi jugis cura, & sollicitudo, qua lis urgenda est, & quæ omnes mentis cogitationes, omnes cordis affectus, melioresque vitæ nostræ aufert dies; unde fit, ut anima gratiæ spiritu vacua, exarescat, terrenis negotiis ita abdita, & insepulta, ut neminimum quidem temporis spatium illi supersit, quo mentem ad Deum attollat, & vacet saluti, quæ nihilominus potissimum, immo unum est Christiani hominis negotium? Nonne hoc satis superque menti rationis compoti persuadere potest, nihil Christianæ Religionis spiritui magis adversari, quam lites; & ab his peccatum fere numquam abesse? *Idem*.

Scio equidem viros bonos, ac veros Dei famulos nonnumquam litibus necessariis urgeri: Mundus hodierna die ad extremum nequitiæ cumulum accessit, & numquam corruptior fuit: palam rapinæ exercerentur; sanctissimus quisque & innocentissimus bonis exueretur, nisi justitiæ metu improbi coercerentur. Cum igitur justitia sancta res sit, ad illos coercendos hæc est exercenda, ideoque opus est, ut lites agantur. Idcirco de præcepto hoc Evangelico idem est dicendum quod S. Augustinus de aliis nonnullis docet, non semper quidem in praxi, semper vero in cordis præparatione obligare. Videlicet interior dispositio nostra hæc esse debet, ut parati simus ad rerum omnium potius, quam Charitatis, quæ proximo debetur, jacturam subeundam. Sola tantum nos dispensat necessitas, cum aliter bona existimatio, & vita servari non possunt: tunc licet litem persequi, dummodo tamen non lædatur charitas mutua, quæ numquam est temeranda; & verum est nonnumquam judicio certari posse, quin charitati officiatur, nonnumquam etiam hoc agere esse Charitatis effectum, & ipsam Charitatis legem ad hoc agendum impellere posse. *Idem*.

Quando litem ingredi possumus citra charitatis detrimentũ.

Lis aliqua suscipi citra charitatis detrimentum potest, cum omnes perquirimus vias compositionis ineundæ, cum adversarios sollicitamus, ut privata conventione forensia jurgia dirimantur, & cum ad pacem, christianamque Charitatem tuendam, quod quidem bonorum omnium est maximum aliquid de Jure nostro remittere non dubitamus. Quod si cum improbis, atque rationis expertibus res fit, qui nullam admittere compositionem volunt; tunc corde charitatem servantes, quam debemus, illis diem dicere, litemque intentare possumus, ut ad officium revocemus. Ita vir bonus jure litem exercere potest, ut sua, vel filiorum suorum, quorum tutor est, bona tueatur, contra eos, qui per fas, & nefas illa eripere adniterentur, injustas lites quocumque modo inferentes. Secundo, non licet solum, verum etiam oportet pro ipsa charitate lites indicere: veluti ob tuendos egenos, viduas, pupillos, & orphanos, eosque de opprimentium vi eripiendos; ob servanda xenodochiorum, religiosarumque domorum bona, ubi & publicæ, & Ecclesiasticæ rei interest. Hoc enim in casu Dei ipsius agimus causam. *Idem*.

Si Sancta Lex Evangelii nos jubet potius bonorum omnium jacturam ferre, quam subire periculum ne litem exercentes eam amittamus Charitatem, quam fratribus nostris debemus, quid sentiendum de illis, qui data opera lites cient, atque fovent? Quot Judices vexant egenos, damnant innocentes, atque eos, qui apud ipsos judicio contendunt gravissimis sumptibus conficiunt? Quot justitiam in lucro ponunt, sese muneribus deliniri patiuntur, atque injustas pronuntiant sententias, ut amicis faveant, & Nobilium virorum flagitantium, atque enixius urgentium gratiam aucupentur? Quot litibus abutuntur, ut avidum ultionis animum expleant? Quot procuratores, atque causidici negotia procrastinant brevi expedienda, si pacis auctores essent, atque conventione

aliqua

aliqua lites dirimere adniterentur? Quot eos produnt, quorum causas suscipiunt, earum celantes injustitiam, de qua clientes suos certiores facere deberent? Beatos illos, in quorum corde charitas regnat, ac triumphum refert de concupiscentia & qui Deum unum cogitantes muneribus suis summa officii fide perfunguntur! *P. Croiset. Tom. 1. Considerationum.*

Litigantiū excusationes. At enim omnia ne perdenda sunt? æquo ferendum est animo, si bonis spoliamur? Hoc si vetum est, triumphum recinent impii, ac viros bonos conculcabunt; Mundus prædonibus patebit, nisi justitiæ vias persequi liceat. Hæc profecto æqua est querimonia, eique alibi satis factum est: sed præterea illud dicendum quod olim Dominus noster de scandalis inquit; Matth. 18. *Necesse est, ut veniant scandala; verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Lites quoque fieri necesse est; at væ illis, qui eas perperam cupiditatis, vel ultionis spiritu intentant; & væ illis, qui judicio certantes non metuunt adire periculum pro temporali quapiam utilitate amittendæ Charitatis. *Idem.*

Ut opus hoc adeo laude dignum, & vere Christianum quale est, dissidentes conciliare, nobis e voto cedat, omni contendendum est nisu, ut media servetur via, & in neutram partem nostra inclinent studia, quod si defuerit, quinam te arbitrum optare potest? Licet nominatim ad hoc electus fuisses, in id sedulo incumbe, ut omnia urbanitatis præstes officia, quin impatientia te rapi sinas, quantumvis palam intelligas utra causa sit pejor: tunc omnia temperanda sunt, ac leniter pertractanda, ut penes quem est injustitia, sese colligat, & jus ipsum agnoscat. Quod autem spectat ad eas lites, in quibus de bonis agitur, utramque partem sedulo in eam mentem injicere oportet, ut malint arbitrum utrique charum, acceptumque eligere, a cujus judicio, & æquitate se pendere polliceantur. Sed quoniam difficile est homines impellere, ut aliquid suæ utilitatis remittere velint, adnitere, ut illis persuadeas, quod verissimum est, quamlibet compositionem semper utilem fore, saltem esse antefetendam litibus, quæ producuntur, & ubi nihil certum est præter innumeros sumptus; ita ut qui etiam victor judicio discedit, insignem referat jacturam. Et sane lites hujus naturæ sunt, ut quemadmodum in adagio est, vibia varam sequatur. Lis enim litem parit, hæc rursus aliam, & sic deinceps ita ut æque difficile sit, ubi inceperis, temere illis expedire, ac facile antequam incæpisses, iisdem non impediri.

Qui violētos habent affectus, ut plurimum sunt litigiosi. Fieri nequaquam potest, ut qui variis, vehementibusque agitantur affectibus nullos inveniant inimicos, a quibus lædantur. Cum autem nobilitatem, opes, & scientiam, hirquis videnti oculis, qui hujusmodi prærogativis decorati sunt, & inimicorum numero accensent, quicumque honoribus, divitiis, aut voluptatibus, quas cupiunt, adversantur. Hinc proficiscuntur odia, obtrectationes, rixæ, litigia, injustitiæ, violentiæ, ac demum scelera omnia, cum homines alternis sese odiis propter cupiditatem persequentur. Qui vere pii sunt, citra dolorem intueri minime possunt infaniam hanc mundi faciem, ac miserrimam eorum conditionem, qui perditæ cordis sui prava desideria sectantur. *Auctor Anonymus.*

Nullus ferme locus est, ubi sensus magis vigeat, quam ille in quo qui versantur, terrenis omnibus intermortui esse deberent; claustra nempe, eæque domus quæ Domini cultui prorsus devotæ sunt. Ibi facile irritantur; alii in alios subirascuntur; eumque nulla satis digna illis suppetat causa, ut foveant inimicitias, pro nullius momenti re provocantur ad iracundiam animi, quæ nonnumquam est æque vehemens ac si de rebus summis ageretur. Cum autem ob oculos fere semper versentur illi, quarum molestus adspectus est; dolor semel conceptus numquam interit, ac jugiter instauratur. Inde autem dissensiones, simultates, discordiæ sæpe in iis etiam locis emicant, in quibus charitas, pax, & concordia regnare deberent, etiamsi a cæteris societatibus exulet, extorresque essent ejectæ. *Abbas Trappensis in moralibus Considerationibus in Evang. S. Matth.*

Litium amor nonnullis adeo ingenitus est, ut sine contentionibus vix, ac ne vix quidem vivere possint. Nati videntur ad totius humani generis pacem turbandam. Minimas etiam negotioli alicujus circumstantias enucleabunt, ibique litium argumenta nanciscentur. Nihil adeo perspicuum est, ubi dubium aliquod minime deprehendant: nihil adeo firmum, quod labefactare non adnitantur. Nulla est definitiva sententia, quæ illis silentium injiciat: numquam acquiescere possunt. Hæc eadem pertinacia dissensiones in familiis, bella in populis, discordias in societatibus parit: per hanc superbia homines vicissim obarmat; & quemadmodum ubi noxius aliquis humor in nobis dominatur, cibus, quo vescimus, in hunc humorem convertitur, ejusque vires adauget, ita qui pertinax est, & qui per fas, & nefas assertum jus suum tueri contendit, & qui proprii judicii nimia affectione laborat, in hoc vitio convalescit, & quocumque pretio jus sibi fieri contendit. *P. Surin in Dialogis Spiritualibus, Tomo secundo.* Pertinacia affert juris vindicandi lites, ac dissensiones omnes producit.

SUPPLEMENTUM.

Venenatus litium, atque contentionum fons melius detegi nequit, quam in verbis his S. Jacobi Apostoli, qui illum perfecte noverat: *Unde bella, & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris.* Ita proculdubio, cupiditates sunt litium causæ; neque ulla speranda pax est, donec illæ in hominis corde dominentur, quia regnum hoc numquam pacatum pax est; hi varii affectus mutuo colliduntur, & conscientiæ stimuli semper fallacem eorum conscientiam perturbant. Hoc idem Apostolus deinceps docet: *Concupiscitis, & non habetis; litigatis, & belligeratis: & non habetis*, quæ habere desideratis. Ita quo plura externa cupiuntur, plura in semet prælia sustinentur: non secus ac e contra, quo minora desiderantur, eo plus pacis est. Invidiæ, zelotypiæ, bella, lites, contentiones funesti sunt effectus cupiditatum incompositarum. Quemadmodum cupiditas illa in infinitum multiplicat, ita charitas omnes redigit ad unum, ad Deum scilicet, qui unus desideria nostra replere potest, vel inclutare. *Pater le Jeune Presbyter Oratorii Tomo 5. Sermonum.* Qui sit fons litium ex S. Jacobi Apostoli Sententia. Epist. 4. 1. Ibidem.

Quamvis cupiditates omnes funestæ sint dissensionum, litiumque causæ, primas tamen superbiæ deferendas esse reor. Satis est memoria repetere, quid sit superbia, ut de re hac nobis persuadeatur. Quemadmodum hæc semper vult aliis eminere, alia vero eidem cedere detrectant, necesse est, ut apertum exardescat bellum, & inde lites, dissidia, & divisiones oriantur. *Inter Superbos*, inquit Scriptura, *semper jurgia sunt.* Hic prælationis, & dominationis amor sæpe terrenorum bonorum amori præpollet. Malumus hoc aliquo nobis stare sumptu, dummodo primi simus, & credimus nos nequaquam ingentem auri, argentique vim perdidisse, qua nobis commentitiam aliquam præeminentiam comparavimus. Si superbia communis est litium causa; maximum etiam est impedimentum, ne sarciantur, ac finem inveniant. Si superbo aliquæ pacis conditiones proponuntur; si dicis illi ipsum juridicialibus sumptibus absumi, & licet judicio victor abiret, semper tamen plures erogaturum sumptus, quam quidquid ex victoria posset referre: verum est, ille reddit, at nolo dici, me adversario cedere, & licet omnia bona mea essent absumenda, sentiat volo, neminem mihi impune insultare. *Idem, ibidem.* Superbia est inter præcipuas litium causas.

Nonne

Quantamcumque rationem jactes, tutius est lites componere.

Nonne multo melius esset evitare lites, quam illas ob levissimas causas intentare? non esse adeo juris sui pertinacem assertorem, ut illud in dubium nequaquam revocandum credatur. Tandem enim ecce quo omnes redacti sunt vitiligatores: nemo est cui persuasum non sit causam suam esse probatissimam, & illis maximam inferret injuriam, qua se acerbissime lacessitum esse putaret, qui de illa dubitare videretur. Attamen certum est, alterutri, & nonnumquam etiam utrique adjacere injuriam; hoc tamen neutri persuadebitur unquam. Esto penes te jus sit, ac tibi insignis inferatur contumelia: ergone ideo litigandum est? Apostolus in antecessum te reprehendit cum ait; *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos.* Hoc jam peccatum est, mutuo inter vos lites habere; & nonne ipse Dei Filius factum hoc tuum improbat? *Qui vult tecum judicio contendere*, ait ille, *& tunicam tuam tollere: dimitte ei, & pallium.* Verba hæc profecto sunt tantum consilii: sed hujus consilii fundamentum quod est habere cor a litibus alienum, & pace, atque christianam conjunctionem temporalibus bonis præferre, præceptum est. Et sane bene lucratur ille, qui pecuniam amittit ne charitatem amittens periculum subeat animam amittendi. *Pater le Jeune Presbyter Oratorii. Tom. 5. Sermonum.*

1 Ad Cor. 6.

Matth. 5.

Christianus antequam lite intentet omnes vias tentare debet litis componendæ.

Unum illud quod maxime necessarium est, & unde initium semper ducendum est, cum inevitabiliter judicio certaturi sumus, est; ut nihil inausum prætermittamus, ut ad aliquam litis compositionem deveniatur. Hanc ob causam bona fide standum est consilio virorum, qui ab omni partium studio sunt vacui, & juris consulti, atque iis, quæ ab ipsis constituta fuerint acquiescendum. Ad id autem nobis persuasum esse deberet, de magna veritate, quam nobismet persuadere non possumus; videlicet nos facile in causæ nostræ justitia falli posse; neminem in causa propria satis apud se esse judicem; avaritiam, & cupiditatem fere cæcitatis causam esse, ideoque sequendum esse lumen, cui cupiditates nullam offundant caliginem, & hoc inquirendum est in iis, qui periti sunt, & minime cupidi. *Idem.*

Quam felices erant primi Christiani omnium litium expertes.

Quam felix erat Ecclesia primo illo ortus sui sæculo, quo omnibus illam constituentibus unum cor erat, & anima una. Eorum negotia erant communia; eorum bona æqualiter dividebantur, eorum egestatibus una, eademque manus opem ferebat. Quilibet afficiebatur dolore ex proximi sui malo propterea quod intrinsecus commiserabatur illum, eique per Charitatem solatium afferre studebat. Cumque omnibus esset cor unum, & anima una, affectus iidem, eademque desideria; hinc quisque alieno exultabat gaudio, alienoque dolore tabescebat. Hæc pax, atque consensio erat tota Ecclesiæ fortitudo, ut Tyrannis resisteret; necnon admiratio infidelium, qui videntes hanc cordium, & voluntatum conflatam pene conspirationem, Tertulliano teste dicebant: Videte quomodo se mutuo diligant, & quomodo præsto sint, ut pro eodem proximo suo sanguinem, & vitam impendant. Verum quomodonam hæc mutata sunt omnia? Quam alia est facies Christianismi; quandoquidem inter eos, qui se fideles nuncupant, Ecclesiæ filios, & JESU CHRISTI membra, quo lites, dissidia, contentiones videntur, quæ ad mutuum usque interitum nonnumquam procedunt, & usque ad vitam per summam inhumanitatem ferro sibimet ultro, citroque auferendam; ita ut facilius inveniri possit regio sine feris, quam sine hujusmodi dissensionibus calamitosissimis. *P. le Jeune. Tomo 5. Sermonum.*

Per quos gradus discordia in mundum obrepserit.

Donec nihil dividendum est inter duos fratres, duos consanguineos, finitimos, summa consensione fruuntur; simulque invicem visitationibus, officiisque certatur. Verum si accidit hæreditas aliqua inter eos dividenda; si accolarum alter aliquid ex alterius agro sibi usurpat; jam nullum est sanguinis, & amicitiæ vinculum; nihil est nisi contentiones, lites, jurgia. Igitur abrenuntiandum est huic adhæsioni, incompositoque terrenorum bonorum amori, si pacem tueri volumus cum aliis. Dicere tamen possumus, superbiam ut plurimum causam esse, quæ producit discordias, & lites. Non desunt, qui semper judicio victores volunt discedere, qui numquam cedunt; qui primos sibi in cœtibus recubitus appetunt; qui in dubiis consilium suum reliquis præferendum esse volunt; qui ubique primum tenere locum volunt, quæ omnia nonnisi a non ferenda superbia proficiscuntur. Pertinaciter sensui quisque suo adhæret mordicus, in iis etiam, quæ in nullo discrimine sunt, & momenti nullius, non quod sententia sua vera est, sed quod sua. Proponitur, & ardenter asseritur. Alter eamdem ob causam amat suam, eique ita fortiter adhærescit, ut ne transversum quidem, ut ajunt, unguem velit dimoveri. Ex hac sententiarum oppositione lites oriuntur, quæ verborum calore, ac furore inflammantur. A verbis gradus fit ad injurias, ab injuriis ad contumelias, & inde dissidia, lites, contentiones, quæ nonnisi post alterius partis interitum finem habent. *Idem, ibidem.*

Magnum litium malum est, quod semper vigent in familiis.

Jurgia, inimicitiæ, contentiones non semper inter eos continentur, qui dissentiunt: hujusmodi lites hæreditario veluti jure ad posteros migrant, & nonnumquam ad remotissimos nepotes. Odium, atque simultas filiorum animis infunditur, coram illis verba fiunt, eisque narrantur injuriæ, quibus affectos fuisse jactitant a dissidentibus. Ille, inquiunt, apertissimus est generis nostri inimicus; obesse nobis studet; semper inter illum & nos lis aliqua intercessit; Jampridem cum illo nobis forenses sunt contentiones, æque non vipentur tam cito dirimendæ. Pueri, qui faciles & cerei sunt ad quascumque vilis animi affectiones percipiendas, bibulis auribus hos sermones excipiunt, participes fiunt simultatis parentum, horum affectiones assumunt, cum lacte, ut ita dicam, corrupta illorum studia hauriunt, & vix ab illis temporalem vitam acceperunt, cum per pravos eorum sermones dispositiones ad æternam mortem accipiunt. Adhæc vetantur pueri invisere consobrinos suos, ac minitationibus ab ineunda cum illis necessitudine deterrentur. Ita multiplicantur inimicitiæ, ac fiunt internecinæ; migrant de parentibus in filios, de generatione in generationem; & contentio illa quæ cum origine personarum duxit initium, æque fit immortalis, ac posteri de gradu in gradum usque ad sæculorum omnium finem. Non solum finiri nequit cum tempore, sed perseverat in miseram æternitatem. *Idem, & Recens quidam.*

Avaritia est fons præcipuus dissensionum, & litium.

Humana superbia nonnisi nimis crebro est fons dissensionum, ac litium: sed fatendum tamen est, avaritiam esse frequentiorem, uberioremque. *Meum*, illud, ac *tuum*, est causa funesta malorum & præsertim litium, ac dissidiorum. Donec nobis nihil est cum aliis, extrinsecus tamquam amici, & consanguinei vivimus; sed ubi quæstus aliquis acquirendus est, vel aliquod incommodum evitandum, repente lites oboriuntur inter eos, qui antea conjunctissimi videbantur. Inde existunt fere immortales litium causæ, quæ a plurimis tamquam maxima humanæ vitæ flagella considerantur, cum interea nollent ne levissimam quidem particulam cedere ejus, quod sibi deberi asserunt, ad illa evitanda. Hæc mala plerumque ab exiguis proficiscuntur initiis; qui litem instituunt, ea sibi fovenda necessario putant esse, ut bona sua vel tueantur, vel augeant. Arbitrantur se brevi ex molestiis id genus contentionibus evasuros; & sæpe vel tota illorum vita satis non est, ut finem eorum inveniant, vel fiunt familiarum suarum excidium, ac recenti in dies periculo salutem, & conscientiam eorum objiciunt. *P. le Jeune Presbyter Oratorii, Tomo 5. Sermonum.*

Heu!

Lites non solum sunt causa jacturæ temporalium bonorum, sed quod majus est causa sunt interitus animarum.

Heu! Quis sine lacrymis dicere, aut audire posset mala, quæ lis, & discordia in anima pariunt! Quot malorum sunt causæ, & origines? & quænam sunt virtutes, quæ cum hujusmodi monstris subsistere valeant? Charitas, quæ est omnium regina, & sine qua reliquæ fallaces sunt; nonne omnino litibus evertitur? Nonne istæ civilis societatis adversariæ tot pariunt languores, amoris imminutiones, ac sæpe etiam tot odia, & inimicitias inter eos, qui sanguinis jure conjunctissimi erant, & multo magis inter alienos? Undenam hujusmodi dissensiones? quia quilibet jus, & rationem pro se stare gloriatur. Quorsum istud? quia nosmet præverti sinimus; quia cordis præoccupatio, quæ sese effundit in mentem, hac ut ita dicam, densissimis tenebris immergit; quia tantum abest, quod hac in re vel minima injuria proximum afficere nobismet persuadeamus; ut illum e contra nobis injurium esse arbitremur; & jugibus injustitiis nos afficere detrimento, nobisque negotium facessere. *Idem, & recens Auctor.*

In litibus difficillimum est linguæ jaculis abstinere.

Quantumvis parum non conscientiæ, verum etiam honestatis nobis sit reliquum, facile nosmet abstinebimus malis artibus, quæ in litibus peragendis adhiberi consueverunt; sed profecto non ita linguæ dominabimur. Tandem enim ne unus quidem vitiligator est, qui sibi religioni vertat ea dicere, quæ de adversario suo mala comperit, & fortasse illa etiam, quæ comperta non habet. Causidicis mos hic inolevit; ac meliorem eloquentiæ suæ partem in hoc ponunt, si eorum contra quos causam dicunt, existimationem discerpant in iis etiam, quæ nullam habent rationem cum causa, de qua sermo est: & quemadmodum per terribilem humani cordis corruptionem singulari oblectatione afficiuntur mortales, ubi audiunt aliquam satyricis jocis adspergi, Oratores, qui in hoc loquendi genere præstant, consultissimi habentur; & quam sæpissime opera illorum clientes utuntur. Christianus tamen, qui etiam causas agens vult esse Christianus, non solum de adversario suo non obloquetur, verum etiam quidquid boni de eodem dicere poterit, afferet. Eum debet etiam excusare coram illis, qui eum coram proscindere vellent. Ita Christiana charitas, ubi sincera est, operatur. *P. le Jeune Presbyter Oratorii Tomo 5.*

Cum de litibus agitur potissimum custodiendum est cor ab omni animi perturbatione.

Si Oratores diligenter suis invigilare debent verbis, & actionibus; non minorem adhibere debent curam in cogitationibus, & corde. Ita numquam perperam judicare debent de adversariis, neque interna eorum consilia, secretasque intentiones scrutari; sed jugulare statim cogitationes parum æquas menti occurrentes. Diligentius adhuc cordi suo debent invigilare ad coercendos omnes acrimoniæ, & odii sensus, qui ibi excitari possent contra honorem adversariorum: illis, ubi sese offerat occasio, amorem testari, immo etiam, si eadem ingruat, de illis benemereri. Præsertim vero pro illis orandum est, petendumque, ut Deus ipsis immittat pacis, & consensionis consilia; & si penes illos stat ratio, ut hoc sibi Deus cognoscendum aperiat, ad quamprimum componendam hanc litem, quæ nonnisi utrique parti detrimentum est allatura. *Idem ibidem.*

Quot mala lites pariant.

Quis fando enumerare valeat numerum, & enormitatem judiciorum temere prolatorum, obtrectationum, atrociumque calumniarum, quas quotidie contra adversarios suos evomunt vitiligatores? Hæc impenetrabilis est abyssus, & mare, cujus ima pars tentari non potest. Ne sentiunt quidem, qui illa efficiunt, vel proferunt; ac taliter in habitum migraverunt, ut facta sint velut naturalia; & hac de causa illi non afficiuntur. Quis est quæso vitiligator, qui adversario suo pro virili notam aliquam non tentet inurere? Quis non ubique jactitat, illum nebulonem esse, mendacem, chirographorum adulteratorem, sycophantam? Quis non dicit; ab illo alia, atque alia jam facta fuisse; illum satis notum esse; & hæc aliaque hujusmodi non effutit, nullum umquam finem habentia? Sed præterquamquod hujusmodi criminationes fere falsæ sunt; vel saltem temerariæ; licet etiam vere essent; num ideo illas liceret effundere? Quod nobis jus est in proximi nostri existimationem? Sit ille licet fur, versipellis, falsarius, imo & aliquid deterius, quid hæc omnia cum causæ nostræ justitia habent commune? Verum esto aliquo esse bono possint causæ nostræ. Quid necesse est eadem palam edicere coram tot mortalibus, qui cum neque Judices, neque oratores nostri sint, non sunt edocendi de iis rebus, quæ ad ipsos minime pertinent? *P. le Jeune Presbyter Oratorii Tomo Sermonum 5.*

Modum servare ex S. Francisci sententia est in antecessum in Sanctorum albo referri.

S. Franciscus Salesius ait, si quis inveniatur, qui in litibus peragendis modum servet, dici posse, de Sanctitate illius habitam jam fuisse quæstionem. Sed libentius dico, Sanctus hic Antistes ait, quod litem exercere, & rectum servare sensum, rationem ac modestiam tueri, prærogativa est adeo difficilis, ac rara, ut vix Sanctis possit concedi.... Contendamus ergo ad Cœlestem hæreditatem, ad cujus acquisitionem nullis opus est litibus. Terræ prædia nonnumquam litibus acquiruntur, & a lites exercentibus sæpe hæreditas Cœlestis amittitur. Hujus discriminis causa est, quod Cœli hæreditas adeo late patet, ut licet omnes illam integram possiderent, tamen singuli ab integra ejusdem possessione non cessarent. Ita sicuti in re hac nihil cuiquam adimeretur, nulla esse posset litis occasio. Verum cum terrenæ hæreditates exiguis sint finibus circumscriptæ; & duo idem simul nequeant possidere; utroque socium excludere cupiente, hoc illud est, quod inexhaustam litium omnium materiam constituit. *Idem ibidem.*

Potissima litium causa est nimius terrenorum bonorum amor. Ad Cor.

Videns S. Paulus dissensiones individuas esse litium socias, de illis ita loquitur, quasi lites exercere peccatum esset; temporum suorum fidelibus dicens illos jam non esse expertes culpæ, eo quod inter illos mutuo lites exercerentur. Cur patienter potius non fertis illatam vobis injuriam? cur non sustinetis potius, vosmetipsos fraudari? Ita ille loquitur, ut sentiamus quantum in lege Evangelica abhorrere debeamus ab eo, quod lis appellatur. Non quod malum sit apud Judices bona sua repetere, sed quia difficillimum & infrequentissimum est hoc agere servatis regulis fraternæ charitatis. Malum omne inde oritur, quia non attendimus, quid ipsi simus coram Deo, & quid sit Deus in seipso, & habita nostri ratione. Quæ enim est prima, & potissima litium omnium causa? Hæc non aliud profecto est nisi amor nimis acer, & cupidus bonorum terræ hujus. At si intelligeremus, quid sumus, & quid sit Deum habere Patrem, noster terræ hujus amor, quam primum cessaret, ac statim in nobis oriri sentiremus sanctum, & generosum contemptum eorum omnium, quæ non sunt Dei, diceremus, hæreditatem nostram non esse hic in terris, sed in cœlis, ubi est Pater noster communis. *Deus meus, & omnia*, dicebat S. Franciscus Assisinas. Deus mihi est omnia, & ipse in Cœlo est. Omnia ergo, quæ habeo super terram, mihi videri debent nihilum. Non ergo mihi admodum laborandum est ad jacturam eorum evitandam; & si huic rei efficiendæ vaco, vacandum mihi est semper cum perfecto illo modo, atque parum anxia cura, qua hujusmodi bona quærenda sunt illi, qui in cœlestibus tantum bonis confidit. *Ratio recitandi Orationem Dominicam.*

Ratio altera litium est principium injustitiæ quod in nobis est.

Altera vulgatior litium causa est quoddam injustitiæ principium, quod in homine ab ipsa nativitate positum est. Et profecto semper est injustitia seu penes illum a quo lis intentatur, seu a quo sustinetur. Sed si nobis persuasum esset de magnitudine Dei, de eo, quod est, nobismet procuîdubio diceremus: *Justus Dominus qui diligit justitiam; æquitatem vidit vultus ejus.* Sufficiat nobis commendare illi eventum causæ nostræ, litemque *Psalm. 10.*

que

quę intueamur tamquam labyrinthum, qui sensim pertrahit in vias malæ fidei, unde vix exitus patet, nisi per tricas spiritus duplicis, subdoli, & oppositi rectitudini, & æquitati. O Deus meus qui es suprema justitia per essentiam, nobis gratiam concede, ne in injustitiæ vias declinemus; & ut emergere possimus ex litium impedimentis sine jactura illius rectitudinis, quæ Christianum hominem decet. *Ratio recitandi Orationem Dominicam*.

Quomodo agendæ sint lites, ubi necesse sit. Ad servandam æquitatem modo perfectiori in eo, quod pertinet ad lites; illæ inchoandæ sunt, agendæ, ac transigendæ, non præcepta solum, verum Evangelica etiam consilia observando. Ad hæc autem observanda præcepta, nihil vel in aditu, vel in stadio, vel in exitu litis faciendum est, quod sit justitiæ contrarium, nihil, quod officiat charitati; nihil quod obsit ædificationi, & exemplo, quod populo debemus. Lites inchoandæ sunt juste, æque, pacate, moderate.... Ne præcepta violentur, in litibus quatuor rebus est abrenuntiandum; spiritui avaritiæ, quod commune est litium principium: spiritui dissensionis, & tumultus, quia hæc vulgatissima ratio est lites agendi; spiritui injustitiæ, ac doli, qui vulgo in litibus transigendis dominatur; ac tandem spiritui scandali, qui funestissimus est omnium litium fructus. Quod si quando lites agere cogimur, ac tenemur; mundus enim hodierna die est adeo injustus, corruptusque, ut nisi exerceretur justitia ad homines cohibendos; omnes viri boni diriperentur, & spoliarentur; hoc tunc tandem fas erit postquam adversariis omnes propositæ fuerunt viæ reparationis, aliquid etiam de proprio jure cedendo. *Idem*.

Quibus malis obnoxii sint, qui lites agunt. Cum vulgo accidat, ut qui in jus necessario vocandi fuerunt, ad causam dicendam malis utantur artibus; credunt vulgo fas esse similiter agere. Tunc utrobique nonnisi doli, injustitiæ, injuriæ, detractiones, calumniæ occurrunt; modi proculdubio odiosi, damnandi, & periculosissimi ad salutem, & nihilominus litigatoribus frequentissimi. Nam exempli gratia ex quo litibus impliciti sumus, quis non tentatur, ut velit quomodocumque victor judicio discedere, ideoque omni uti ambage, ac astu, ne causæ veritas innotescat; supposito hoc, quod penes se jus adsit? Quisnam in litis alicujus spatio seipsum duci non sinit suspicionibus, judiciis, quæ æstimationem, probitatem, bonamque fidem lacessunt eorum, cum quibus lis est? Quis non tentatur, ut horum excidium concupiscat? Quis non effundit detractiones, contumeliosa verba, calumnias vel contra adversarios, vel contra testes, & Judices? Tamen ad charitatem servandam, sicuti omnino necesse est parcere illis, a quibus læsi sumus secundum Dei præceptum, necesse quoque est ob eamdem causam, cum de litibus agitur, non nihil de jure nostro, ac re propria remittere, cum hoc necesse est ad lites dirimendas. *Idem*.

Cum liceat seipsos ante prætorem tueri. Licet nonnumquam Fideli in perfectionis statu ambulare cupienti, litem habere aliquam; sed cum gravissimæ urgent causæ, & cum aliter sese expedire non potest: exempli gratia ad evitandas jacturas, & insignia damna, ad se familiamque suam a violenta oppressione eripiendam, ad inhibendam insignem aliquam injustitiam, quæ molestos parere posset effectus, ac in similibus deinceps occasionibus locum præbere detrimento sui, vel suorum; sed potissimum ad eum, a quo lacessitus est cogendum, ut recipiscat, per eam suavitatem, ac modestiam, qua ipse causam tuam pertractabit. Antequam ad rigorem perveniatur, opus est omnes tentare vias, ut liti finis imponatur per vias pacis, & opera, & ministerio communium amicorum, & arbitrorum; & nonnisi ægre, & invitum ad extrema procedere, cum coactus ad id fuisti, & in irritum cessit, quidquid ad litem evitandam suscepisti. *Abbas Trappensis*.

Si bene occuparemur magno salutis nostræ negotio, numquam de litibus movendis cogitaremus. Si semper, uti opus est, magno, unicoque occuparemur negotio, quod coram Deo nobis erit sustinendum, magnæ illius litis, in qua nil minus, quam de nostra agitur æternitate: næ ipsi quidem tempus tereremus, ut terimus, turbando pacem cordis nostri, infringendo consensionem, quam cum proximo servare debemus, idque levissimas ob causas & ob turpe lucrum. Vitiligator enixe eam persequitur litem, ubi de temporali agitur bono; hoc dies noctesque occupatur, indesinenter anxius, & sollicitus est, ut Judices urgeat, ut Causidicos instruat, ut procuratorem suum ad promovendam causam instiget, ut sibi quærat amicos, ne sua excidat causa. Næ ille haud tanto in discrimine hanc litem haberet, si religiosius intueretur magnum salutis suæ negotium, quod ipsi in hac vita absolvendum est. Magnum negotium hoc, quod omnes curas expetit, imposterum occupet cor nostrum, sit principium omnium actionum nostrarum. Ad hoc dirigamus quascumque rerum fluxarum, fragiliumque lites habere possumus eum fratribus nostris, neque cogitemus, nisi de nobis comparanda illius Judicis gratia, qui de maximo illo, unicoque negotio est judicaturus. *P. le Jeune Presbyter Oratorii Tomo 5. Serm.*

Peccata quæ a litigantibus committuntur. Numquid malum est lites agere? Utique malum est vobis, qui favore quorumdam actuum fraudolentorum, qui referti sunt vocibus ambiguum sensum habentibus, exigitis ultra id, quod vobis debet homo parum callidus artium, ac formularum, quibus nectuntur doli in causis forensibus. Utique vobis, qui in chirographis vestris quæritis potius ulcisci, quam vosmet tueri; labem adversariis vestris adspergere, quam Judices vestros erudire. Utique vobis, qui Magistratus infirmiorem partem scrutamini, ut apud illum conquiratis secretas commendationes, quas nostis melius profuturas, quam apertas, importunasque sollicitationes. Clausa est janua muneribus, quæ illi possent offerri; sed illa introducitis per ostium alicujus familiaris, ac eidem corruptelæ infamiam non afferentes, cor illius delinire aliena dextera quæritis. Utique vobis, qui enormi tabularum congerie sexcentis casibus, quos ipsi fingitis in dies proferre conanimi judicium, quod vobis nequaquam fauturum cognoscitis, vel ad aliud Tribunal malam causam transferre, ut adversarios vestros vel perdatis, vel delassetis. Utique vobis, qui litium amorem filiis vestris infunditis; quibus fecundissimum litium fontem relinquetis, infinitum lolii semen, hæreditarias, æternasque contentiones. *Abbas Boileau in delectis sententiis*.

Cum Deus sit pater omnium fidelium hi sibi invicem esse debent conjuncti. Ut vere Deum Patrem nostrum vocemus, quænam urgentior esse causa potest, quam Charitas, qua omnes ultro, citroque sumus conjungendi? Patris ejusdem filii quomodonam ostendere possemus nos simul omnes fratres invicem esse, si corda nostra dissensionibus, odiis, simultatibus dividerentur? Quam igitur injusti sunt sensus isti odii, ac abominationis, quos aliquando suboriri sentio in corde meo adversus aliquem ex fratribus meis! Quantumvis illi calamitosi sint, ac seu fortunæ, seu naturæ bonis destituti; omnes hoc gaudent honore, quod sunt filii tui, Deus! Hic titulus satis non est, ut meam æstimationem, amoremque meum promereatur? *P. Segneri in Medit.*

Molestiæ & ægritudines quæ a litibus separari non possunt. Lis malum est, quod unum efficere potest, ut bonorum omium jactura fiat; bonorum quidem fortunæ propter sumptus immensos, qui sunt erogandi; hilaritatis, & suavitatis vitæ hujus per amaritudines, & molestias, quæ jurgiter litigantibus accidunt; honoris, & existimationis per contemptus, & injurias, quibus se subjiciunt, & per indigna, quæ ab omni mortalium genere, ferenda sunt; pacis, & tranquillitatis per ea impedimenta, & curas, quæ omnem auferunt cibi, potusque gustum, somnum, valetudinis, vitæque voluptatem; tandem conscientiæ, atque salutis æternæ, Malum hoc videtur, sentitur, deploratur; sed non corrigitur; & litigatoris vita est tamquam præcox infernus; descendit enim, ut ita dicam, vivens adhuc in infernum. Hæc sors est, ac fatum plerorumque mortalium litibus implicitorum. Vident quidem se interire, & ne punctum quidem suarum rerum cederent æternam evitaturi damnationem, eo usque ut tandem mors illos a negotiis ipsorum revellat, ac præcipites in infernum dejiciat. *Ex libro cui titulus: Ratio recitandi Orationem Dominicam*.

DIVITIÆ,

FORTUNÆ BONA, BONUS, MALUSQUE USUS OPUM; VITIA, ET MALA, QUORUM SUNT CAUSA &c.

MONITUM.



LIBI jam, cum de Avaritia loqueremur, de opibus, terraque bonis sermonem habuimus; difficillimum enim est, hæc duo argumenta ita invicem separare, ut aliqua in re non confundantur; Avaritia enim bonis, quæ possidentur, vel optantur, addit solum noxium affectum, inordinatumque amorem, propter quem omnes nervos avari contendunt, ut illicitis etiam actionibus, ac sordida parcitate collectis opibus semper major accessio fiat. Igitur loqui de divitiis, & recto, vel pravo earum usu, quin ne verum quidem fieret de turpi hoc vitio, quod Deus, hominesque oderunt, idem profecto esset, ac prætermittere quidquid in hoc argumento utilius est, ac latissimum Eloquentiæ aperis campum. Illud autem polliceri possum; præter quosdam Scripturæ locos, utrique communes argumento, quæ sola pertractandi ratione inter se differunt; me nihil huc relaturum, quod jam in titulo de Avaritia dictum sit; illuc benevolum lectorem remittens si qua re indiguerit, quæ magis aperte, atque directe ad hoc vitium referatur.

Hic autem illud unum monendum videtur, sub hoc Divitiarum, vel Fortunæ bonorum titulo, ea comprehendi pericula, quibus nos opes objiciunt, & illa adminicula, quæ ad salutem consequendam inde percipere possumus; abusum, qui earum passim fit, & usum faciendum; cum enim hæc bona per se in neutram partem inclinent, bonum, malumve, quod gignunt, unico pendet ex ratione, qua illis utuntur, a quibus legitime possidentur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Systemata.

I. RIMUM concionis, quod sese offerat, argumentum, tamquam magis naturale, minusque conquisitum, est ostendere, opes ut plurimum noxias esse in perquisitione, periculosas in possessione, ac in exitu funestas; quæ tres esse possunt concionis partes.

1. Divitiæ in perquisitione sunt noxiæ; esto enim, acquiri justis rationibus valeant ad statum, dignitatemque tuendam, operosum non est probare, festinationem, ac ardentius earum acquirendarum desiderium efficere, ut sæpe illegitimis utamur mediis, præsertim cum brevi temporis intervallo ditescimus, hoc ipsum inordinatum desiderium noxiam esse affectionem, Evangelicæ legi contrariam, quæ præcipit, ut animum a terrenarum rerum amore divellamus; per eamdem cupiditatem non licere nobis inter fas, nefasque distinguere; ac tandem in horum bonorum perquisitione plurima committi scelera, fraudes, dolos, lites male intentatas, & nonnumquam sævissimas etiam injustitias. 2. Opes periculosæ sunt in possessione; periculum enim est, ne illis adhæreat cor; licet enim Deus minime eas a nobis possideri vetuerit, neque præceperit, ut illas possidentes easdem abdicent, dubitari non potest, quo minus earum amor sit status damnationis, & periculum iisdem inhærendi, in illis spem suam constituendi, & quemadmodum loquitur Apostolus, eas sibi in idolum vertendi, ferme evitari non possit. Ad hæc cum facillimum sit iisdem abuti, difficillimum est non labi in ea mala, quæ divitias consequi solent. 3. In exitu funestæ sunt; modo enim amittuntur, vel auferuntur nobis, quod ingentem dolorem, mœroremque adfert; modo sexcentos nobis excitant tumultus, quibus tranquillitas nostra turbatur. Cum per scelus acquisitæ fuerunt, gravissimis conscientiæ stimulis nos torquent; & cum in hac vita ab illis non relinquimur, nos illas necessario in morte relinquimus, sed quonam dolore? *O mors, quam amara est homini pacem habenti in substantiis suis?* Eccli. 41. Denique illæ ipsæ nos perdunt, & in æternam infelicitatem præcipites agunt.

Divites plerumque divitiis suis abutuntur, iisdem utentes contra Deum, a quo eas receperunt. II.

1. Deus opes hominibus contulit, ut essent salutis eorum instrumentum, in Dei honorem erogatæ; illi vero eas in damnationis suæ instrumentum convertunt, iisdem abutentes ut affectibus suis, ambitioni, vanitati, & cupiditati &c. satisfaciant &c.

2. Sunt Dei beneficia, ut illi, erga quos largitor extitit Deus, eum magis amare, majoresque eidem gratias habere teneantur. Sed gravissimo abusu, qui nihilominus vulgatissimus est, opes Dei oblivionem ingerunt, ac hominibus prætextus suppeditant, ut sese a potissimis Religionis officiis dispensent.

3. Deus hæc illis contulit bona, ut eorum partem aliis erogarent, atque essent quidem veluti Providentiæ vicarii erga pauperes, quorum curam illis commisit; & oppositum prorsus accidit, quod ditissimus quoque inclementissimus est, ac alienis egestatibus minime efficitur.

Fortunæ bona, ingentesque divitiæ a Sanctis Patribus, immo etiam a Philosophis Ethnicis semper habita fuere potius tamquam obstacula, quam virtutis adminicula; eo usque ut illa *impedimenta* vocaverint. Qua in re tria hæc possunt animadverti, totidem futura concionis puncta. III.

1. Bona, atque divitiæ impedimento sunt, ne serviamus Deo, quemadmodum inquit Evangelium: Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis servire: non potestis Deo servire, & mammonæ.*

2. Impediunt libertatem spiritus, qui curis acquirendi, ac parta tuendi occupatus, vix tempus habet de Deo cogitandi; *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*

3. Impediunt, atque perturbant nostram requiem, & pacem, mœroribus, sollicitudinibus, litibus, contentionibus, quæ nullo fere pacto sunt vitandæ.

Opes

IV. Opes duplici in statu considerari possunt. 1. Antequam possideantur, & cum ad eas comparandas adlaboratur. 2. Cum possidentur, quocumque modo, titulove possideantur. 1. In primo statu, sunt, inquit Apostolus 1. ad Timoth. 9. tentationum causa: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem*. Desideriorum multitudo, occasiones alienis sumptibus locupletandi variæ, quæ ad id excogitantur, rationes jugi objiciunt tentationi. 2. Cum possidentur, sunt tamquam retia, & laquei nos detinentes, & captivantes: *Incidunt in laqueum*; 1. ad Timoth. 6.

V. Vitia, ac mala, in quæ nos impellunt divitiæ, satis patent ex Divitis Evangelici exemplo; non enim sufficit, eas jure partas fuisse, nisi illis comes adsit recta mentis, animique dispositio, quæ in divite illo desiderabatur. 1. Superbus erat, idque indumentorum suorum magnificentia ostendebat: *Induebatur purpura, & bysso*; unde liquet superbiam primum esse malum, quod afferant opes: *Verbis divitiarum superbia*. 2. Libidinosus erat, ac voluptatibus deditus: *& epulabatur quotidie splendide*. Quanam autem in re divites ut plurimum suas collocant opes, nisi ut sibi vitæ commoda, voluptatesque procurent? 3. Avarus, & crudelis erat, neque afficiebatur egestate, qua pauper Lazarus laborabat. Nonne hoc divitum ingenium est, ut pauperum miseriis nequaquam tangantur, quamvis eas præsenti ope recreare teneantur?

VI. Utilis haberi concio potest de falsa idea, quam vulgo homines animo imbiberunt de divitiis, ac temporalibus bonis. 1. Habentur tamquam generis, & conditionis suæ necessaria substantia; & sunt plerumque fructus scelerum eorum, qui adepti sunt illas, easque nobis reliquerunt. 2. Considerantur tamquam valida ad benemerendum adminicula; & ut plurimum sunt malorum omnium instrumenta quemadmodum eorum esse radicem testatur Apostolus: *Radix malorum omnium cupiditas*. 1. ad Timoth. 6. 3. Respiciuntur tamquam Cœleste donum; & fere semper sunt pœna peccati, vel quarumdam moralium virtutum præmium, quod reprobis in hac vita Deus elargitur.

Hi tres sunt errores, qui in hominibus vigent, & qui eisdem sunt auferendi. *Ex manuscripto sermone*.

VII. Hoc idem argumentum ad duo præcipua capita redigi potest justam concionem constituentia.

1. Divitiæ sæpe sunt fructus peccati, cum illi, qui earum nos hæredes scripsere, non semper sine crimine illas congesserint.

2. Sunt instrumentum peccati in earum usu, quippe per illas gravissima crimina perpetrantur.

VIII. Divites periculosius tentantur quam pauperes juxta illud Apostoli: *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem*. 1. ad Timoth. 6. ideoque in majori salutis periculo versantur.

1. Tentationes pauperum ea tantum sunt, quæ ad vitam sunt necessaria. Hæc autem angustis sane finibus continentur; & facile licitis rationibus acquiruntur, quin memorem certissimam Dei promissionem, qui eorumdem egestatibus se provisurum spopondit. At divites tentat superfluarum rerum desiderium, quod cum nullis cancellis coerceatur, tentationes & numero carent, & perennes sunt.

2. Quemadmodum a Deo neque expectanda, neque petenda sunt superflua, cum hæc ardenti desiderio cupiuntur, quod facere solent divites, nonnisi humanis rationibus obtineri possunt, & illicitis artibus conquiruntur.

3. Cum divites minime sperent se a Deo obtenturos votorum suorum objectum, illius facile obliviscuntur eique fideles esse minime curant. *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus*.

IX. Ut discamus quomodo utendum iis bonis sit, quæ nobis Providentia largitur, recipienda sunt, 1. cum timoris sensu, quod spectat ad nos; si enim hæc bona non sunt apertissimi salutis nostræ obices, sunt tamen ingentes ad nostrum interitum dispositiones. 2. cum sensu gratitudinis erga Deum; eidem enim gratias & habere, & agere, opesque in Illius gloriam convertere oportet. 3. cum sensu fidelitatis, atque justitiæ erga proximum; eas enim divitias nobis contulit Deus, ut fratribus indigentibus opitularemur. *Joly. Propositione pro 4. Quadragesima Dominica*.

Bonus usus temporalium bonorum, quibus a Deo fuimus cumulati. X.

1. Hæc bona, & opes esse possunt objectum generosi contemptus fideli viro ad æterna bona adspiranti; & hoc nos ipsi testamur, cum divitias possidemus, quin illis cor nostrum adhæreat.

2. Sunt bonorum operum nostrorum instrumenta, si in eleemosynas, aliaque id genus pietatis opera erogantur.

3. Sunt sacrificiorum nostrorum materia, si unusquisque pro statu nostro illis abrenuntiamus.

Ut bonis hujus mundi utamur, quomodo veros Christi Fideles decet, tres requiruntur conditiones. XI.

1. Illis uti debemus, quantum status nostri decor, & necessitas exigit.

2. Ab illis cor debet esse divulsum, tunc etiam cum illas honestis, legitimisque rationibus, & congerere, & congestas tueri studemus.

3. Opus est, ut usus earum christianis purificetur intentionibus, quæ sint nostræ Religioni conformes. *Essais de sermons; Tomo 2. pro octava post Pentecosten Dominica*.

Divitiæ in Scripturis injustæ, *& Mammona iniquitatis* vocantur; licet ipsæ per se malæ non sint, & saluti nostræ non adversentur. Tres afferuntur causæ a S. Augustino, quæ pro Concionis partitione desumi possunt. XII.

1. *Quia sæpe cum iniquitate acquiruntur*, per fas, & nefas, cum dolo, aliisque illegitimis rationibus.

2. *Cum iniquitate possidentur*, hoc est cum peccato, quia illis inhæret animus, ac in illis omnis confidentia collocatur.

3. *Cum iniquitate consumuntur*; erogantur enim in scelera, sumptusque insanos, ut passionibus humanis satis fiat.

Ostendi potest, quomodo opes sint pro salute nostra periculosæ. 1. Periculosæ cupientibus illas; quamobrem dixit Apostolus: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli*. 2. Periculosæ possidentibus, propter noxiam affectionem, quam non habere difficillimum est, licet hic status sit damnationis. 3. Periculosæ utentibus, non enim illis secundum Domini consilia, & mentem utuntur. *P. Massilon. Sermone de usu divitiarum*. XIII.

Ut bene sanctèque terrenis bonis utamur; 1. illa disponere debet Religio ad gloriam Dei; 2. Charitas ad proximi utilitatem. 3. prudentia ad commodum nostrum. XIV.

Opes tria in hominibus pariunt mala, quod efficit, ut divitum salus sit difficillima, & moraliter impossibilis juxta Veritatis ejusdem Oraculum. XV.

1. Cum Homines in acquisitione sua injustos efficiunt.

2. Eos inexplebiles faciunt: videmus enim, ipsos eo plura cupere, quo possident plura, & nihil unquam huic satis esse cupiditati.

3. Eos crudeles, & immisericordes efficiunt, quos alienæ sordes non tangunt.

Divites considerari possunt primo in opum suarum possessione, deinde vero in usu earum, quem plurimi facere consueverunt. Primo ostendi potest quomodo noxiæ fiant per ea mala, quæ earum amor parit; deinde quomodo pravus earum usus illas efficit scelerum omnium instrumentum. Ita divitiæ nos ipsos possident, cum male possidentur a nobis; ac nos perdunt, cum illas profundimus, vel illis in ea, quæ sunt criminosa, perperam utimur. *Ex Auctore sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta sermone 17. de Adventu*. XVI.

Divitiæ ut plurimum, vel nimium ferunt negotiorum, vel commodorum nimium; vel nimium spinarum, ut Evangelicis utar verbis, vel nimium rosarum; vel nimias curas, & sollicitudines, vel nimias voluptates, quorum utrumque saluti nostræ adversa- XVII.

versatur. 1. Curæ, & sollicitudines, quas nobis constant divitiæ, in Scripturis spinæ vocantur, quæ nos morantur, pungunt, impediunt; sexcentis nos impediunt negotiis, per quæ nobis non licet unico salutis negotio vacare; hæ spinæ omnia gratiæ semina suffocant &c. 2. Voluptates, solatia, deliciæ, quas opibus nobis comparamus: *Divitiæ voluptatum satellites*, ut inquit S. Augustinus. Hæ voluptates nos sua mollitie corrumpunt, ac in omne flagitiorum genus detrahunt; & duplici hac via opes causa sunt æternæ infelicitatis se inquirentium, ac possidentium.

Pro Concionis argumento desumi possunt illa duo, quæ Sapiens doctus experientia, in omnibus mundi hujus bonis deprehendit, vanitatem videlicet, & afflictionem spiritus: *Ex seipsis veterascunt, luxu dominorum suorum consumuntur, aut ab extraneis dolo, violentia, vel calumnia diripiuntur*. 2. Quod spectat ad animi dolorem, mœroremque quem pariunt opes, alio uti possumus loco Innocentii Papæ tribus verbis illum exprimentis: *labor est in acquirendo, timor in possidendo, dolor in amittendo*.

In duplici etiam Concionis parte potest ostendi, 1. Divitias esse cujuslibet generis bonorum operum instrumenta in manibus eorum, qui illis prudenter uti norunt, 2. Easdem esse omnium malorum operum instrumenta in manu illorum, qui conscientia, & honestate destituti sunt.

Bonis temporalibus uti debemus secundum diversas rationes, propter quas illa possidemus. 1. Cum illa vel ab ipsa nativitate, vel a fortuna sortiti sumus, illis uti debemus ad conditionem nostram sanctificandam. 2. Cum ea virtus nobis elargita est, illa ad virtutem ipsam firmandam, roborandamque sunt impendenda; 3. Cum scelere ea comparavimus, ad scelus in nobis, & aliis eluendum sunt effundenda.

Ne opes, ac temporalia bona interitus, & damnationis nostræ causa sint, 1. acquirenda sunt sine injustitia. 2. servanda sine anxietate, 3. possidenda sine affectione.

Reprobati divitis character describi potest secundum Evangelici divitis exemplum. 1. Thesauros tantum congerere studet, ut habeat, unde affectibus suis possit facere satis. 2. Bona sua obligurit, & dissipat in luxu, alea, solatiis, ac vanitatibus mundi. 3. Denique eo in miseros sævior est, quo magis suæ crescunt divitiæ.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde copia hauriri potest ad propositas concionum adumbrationes exornandas.

SS. Patres. Sanctus Cyprianus, *serm. 6. de orat. Dominic.* tract. de periculo divitiarum, deque illis utendi rationibus.

S. Hieronymus in Commentariis in Prophetam Nahum c. 3. loquitur de temporalium bonorum contemptu.

Idem l. 7. in Isaiam arrepta occasione immensarum opum, quæ in urbe Tyro tunc aderant, inanem repræsentat eorum occupationem, qui opibus tantummodo congerendis insudant.

Idem in Epistola 11. ad Ageruchiam scripta, salutis curam divitiarum conservandarum sollicitudini præferendam ostendit.

Idem in Epistola 34. ad Julianum docet, quam difficile sit divitias contemnere, & ad quam perfectionem contemptus earum nos evehat.

S. Augustinus in Ps. 122. rationes adfert, propter quas hujus terræ bona, atque terrenæ opes vera bona non sunt.

Idem *l.* 50. *Homiliarum Hom.* 30. prolixum habet sermonem, ut ostendat quænam sint divitiæ, quæ juste possidentur, & quæ injustæ sunt; & qua de causa Deus illas largiatur, ac sub finem ostendit eas per se malas non esse.

Idem serm. 35. & 59. *de Verbis Domini* docet quænam sint veræ divitiæ.

Idem *l.* 1. *de Civ. c.* 10. refert exemplum, & verba S. Paulini Episcopi Nolani, ut ostendat, quænam sint Christiani hominis divitiæ.

Idem *Epist.* 89. *ad Hilarium* ostendit, quomodo terrenis bonis utendum Fideli.

Idem *serm.* 5. *de verbis Domini*, ostendit quid intersit discriminis inter divitem, & divitias amantem.

Idem *serm.* 10. *de Sanctis* docet, quonam in sensu divitiæ sint bona, & quomodo tales effici possint.

Idem *l.* 50. *Homiliarum Hom.* 13. loquitur de divitum superbia, & quænam in re opes suas debeant impendere.

Idem *l. de Catechizandis rudibus c.* 16. vanitatem, & inconstantiam divitiarum, & quam parum illis sit fidendum, ostendit.

Idem *l. de* 12. *Abusivum gradibus incerti Auctoris c.* 4. docet quinam opibus abutantur.

S. Gregorius *Homil.* 4. *in Evang.* ait divitias improbis sæpe permitti in aliquorum bonorum operum præmium.

Idem *l.* 18. *Moral.* in ea Job verba: *Dives cum dormierit, nihil secum auferet*, ostendit quomodo in morte divites errorem intelligent inanium consiliorum suorum, eosque pœnitebit inutilium curarum, quibus opes congessere.

Idem *l.* 20. *c.* 16. *Moral.* fusius verba facit de divitiarum sollicitudinibus.

Origenes *Hom.* 8. *in S. Matth.* loquitur de contemnendis divitiis.

S. Basilius *Hom.* 13. *in Ps.* 48. in ea verba: *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo &c.* ostendit, in morte divitiarum inutilitatem cognosci.

Idem *Hom. in Ps.* 62. in hæc verba: *divitiæ si affluant, nolite cor apponere;* ostendit terrena bona fluxa esse, atque fragilia; quam eamdem veritatem ostendit *Hom.* 23. *ex variis*; cui titulus: *non adhærendum esse rebus sæcularibus*.

Idem *Hom.* 24. *ex variis* docet, quam contemptibiles sint divitiæ cum virtute collatæ.

S. Chrysostomus *in Hom. de avaritia* de opum, terrenorumque bonorum inutilitate verba facit.

Idem *in Hom. Quod nemo læditur, nisi a seipso*, ostendit quam dura, & crudelis sit servitus divitiarum.

Idem *Hom.* 58. *in S. Matth.* hæc explicans verba: *Nemo potest duobus Dominis servire*, hoc ipsum ostendit.

Idem *Hom.* 7. *in* 2. *ad Corinth.* recenset curas, ac sollicitudines, quas gignunt.

Idem *Hom.* 17. *in* 1. *ad Timoth. Epist. c.* 6. uberius ea prosequitur mala, quæ amor, & cupiditas divitiarum pariunt.

Idem *l.* 2. *de Compunctione cordis*, ostendit; quomodo terræ bonis prohibemus, ne cogitemus cœlestia.

Idem *Hom.* 35. & 36. *in Genes.* de Abraham verba faciens ostendit, quomodo sanctus hic Patriarcha docuerit, divitias esse contemnendas.

Idem *Hom.* 14. *in Epist. ad Rom.* nobis aperit artificium dæmonis, quo efficit, ut inutiles, ac nullius pretii res adepturi, amittamus pretiosissima.

Idem *Hom.* 38. *in* 1. *ad Cor.* ostendit opum cupiditatem esse inexplebilem, & *Hom.* 12. ea, quæ a nobis terrena bona vocantur, bona non esse.

Idem *Exhort.* 3. *in c.* 2. *S. Matth.* docet ob genus, & opes superbiendum non esse.

Idem *Exhort.* 3. *in c.* 3. *S. Matth.* ostendit Fideli omnia hujus terræ bona tamquam se indigna, esse contemnenda.

Idem *Exhort.* 4. *in c.* 6. ostendit nos terrena quidem curiosius consectantes, æterna vero nullo in discrimine habentes Deo contumeliam inferre. *Exhort.* 4. *in c.* 10. divitias superbiæ, & crudelitatis nomine insimulat. *Exhort.* 2. *in c.* 14. ait, terræ bona nequaquam mereri, ut cor nostrum illis adhæreat. *Exhort.* 3. *in c.* 18. recenset mala, quibus divites patent. *Exhort.* 2. *in c.* 19. omnia terræ bona nos infelices tantum efficere posse docet, sunt enim in causa, ut amittamus cœlestia. *Exhort.* 3. *in*

cap. 24. divites seipsos considerare debere inquit, tamquam opum suarum dispensatores, non dominos; & exhortatione postrema qua universum opus in S. Matthæum concludit; loquitur de divitum martyrio, & divitiarum vanitate.

Salvianus *l.* 1. *ad Eccl. Cath.* in pravum divitiarum usum invehitur.

S. Bernardus *serm.* 1. *de adventu* ostendit, opibus hominum plerosque in interitum trahi.

Idem *serm.* 80. *in Cantic.* docet, eos, qui terrenis congerendis opibus student, nescire, quibus congregent illas.

Idem in hæc verba: *Ecce nos reliquimus omnia &c.* rationes adfert, propter quas opes fugiendæ sunt, & contemnendæ.

Granatensis pluribus in locis, quos nimis longum esset recensere, cum nullum de hac re peculiarem tractatum ediderit.

Auctor Christianæ Moralis *in Pater l.* 6. *sect.* 1. *art.* 3. 4. *&c.*

Cambolas in Vitæ Christianæ prototypo *tr.* 1. *c.* 3. *& paragraphis sequentibus.*

P. Caussinus in Aula Sancta l. 1. & aliis in locis ejusdem libri.

P. Ludovicus Thomassinus ingentem, eruditumque tractatum edidit de bono temporalium bonorum usu, sed unice loquitur de Eleemosyna.

P. Croiset 2. *Tom. Consid. Christ.* prolixum habet caput de divitiis.

Idem in eodem volumine loquitur de opum acquirendarum cupiditate.

Marchantius *in Tuba Sacerdotali tr.* 2. *lect.* 1.

P. de la Colombiere in Christianis considerationibus.

Faber *conc.* 5. 6. 7. *in Dom.* 14. *post Pentec.*

Auctor Moralium Homiliarum in omnes anni Dominicas *Hom. in* 8. *Dom. post Pentec.*

Reina *Conc.* 6. *n.* 6. *& Conc.* 17. *n.* 22.

Joly *Propositione pro* 4. *Dom. Quadr.* loquitur de bono divitiarum usu.

Biroat *Serm.* 13. *Advent.*

Abbas de Breteville in libro, cui titulus, *Essais de Sermons* serm. 1. in Evangelium divitis reprobati.

P. Texier sermone pro feria tertia post 2. Quadrag. Domin. ostendit divitem malum esse idololatram, ac nullam religionem habere.

Quicumque de Eleemosyna habuere sermones de divitibus etiam, divitiisque loquuntur.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta hujus argumenti sermonem habet.

Ludovicus de Granata. Verbo *Divitiæ*. Berchorius, *summa Prædicantium*. Peraldus, Labatha, Raynerius de Pisis &c.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

NE *timueris cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus: quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Pf. 48.

Relinquent alienis divitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum. Ibid.

Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Pf. 75.

Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur. Frater non redimit, redimet homo; non dabit Deo placationem suam. Pf. 48.

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Pf. 61.

Divites eguerunt & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Pf. 33.

Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum: sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua. Pf. 51.

Qui confidit in divitiis suis, corruet. Prov. 11.

Non proderunt divitiæ in die ultionis. Ibidem.

Benedictio Domini divites facit. Ibid. c. 10.

Corona sapientium, divitiæ eorum. Ibid. c. 14.

Est quasi dives, cum nihil habeat: & est quasi pauper, cum in multis divitiis sit. Ibid. c. 13.

Redemptio animæ viri, divitiæ suæ. Ibidem.

Noli laborare ut diteris; sed prudentiæ tuæ pone modum. Ibidem c. 23.

Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria: ne satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei. Ibid. c. 30.

Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere. Ibid. c. 23.

Dives cum dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos, & nihil inveniet: apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas. Job 27.

Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni & insatiabiles. Prov. c. 15.

Utilior est sapientia cum divitiis: sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. Eccle. 7.

Pecuniæ obediunt omnia. Ibid. c. 10.

Si dives fueris, non eris immunis a delicto. Eccli. 11.

Multos perdidit aurum & argentum. Ibidem c. 8.

Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. Ibid. c. 13.

Domus quæ nimis locuples est, annullabitur superbia. Eccli. 21.

Beatus dives, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris. Ibid. 31.

Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci; numquid habitabitis vos soli in medio terræ? Isaiæ 5.

Telas araneæ texuerunt: telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis; opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Ibid. c. 59.

Divitias tuas & thesauros tuos in direptionem dabo. Jer. 15.

Divitiæ conservatæ in malum domini sui. Eccles. 5.

Ubi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. Eccle. 5.

Dives effectus sum, inveni idolum mihi. Osee 12.

Argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini. Sophon. 1.

Ubi sunt qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines? .... Ad inferos descenderunt, & alii loco eorum surrexerunt. Baruch 3.

Væ ei, qui multiplicat non sua: usquequo & aggravat contra se densum lutum? Habacuc 2.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur. Matth. 6.

Non potestis servire Deo & mammonæ. Ibid.

Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum. Ibid. c. 19.

Sollicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. Ibidem c. 13.

Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram: væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Luc. 6.

Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. 1. ad Timoth. 6.

Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum. Ibidem.

Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus. Ibidem.

Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis; divitiæ vestræ putrefactæ

sunt; & vestimenta vestra a tineis comesta sunt; aurum, & argentum vestrum aeruginavit, & aerugo eorum in testimonium vobis erit. Jacobi c. 5.

Exempla ex veteri, novoque Testamento decerpta.

Exemplū Job opes suas contemnētis. JOB dives erat, S. Chrysostomus inquit; illi aurum, non ille auro serviebat, cujus dominus erat, non idololatra; sed omnia quae possidebat, tamquam aliena putabat, quorum dispensator erat, non dominus. Adeo longe abhorrebat ab alienis bonis eripiendis, ut sua pauperibus erogaret, ut ipse de se testatum reliquit; & ut aliquid amplius dicamus, ingentibus opibus suis non fruebatur, S. Augustinus *Epist.* 140. *ad Honor.* inquit, neque eas amore prosequebatur; ideoque non doluit, ubi earum jacturam subiit.

Exemplū Abrahae. Abraham quoque plurimas possidebat divitias, at non amabat illas, quandoquidem eas insumebat pauperibus opem ferendo, ac Viatores hospitio recipiendo. Idem cum a Deo jussus fuit solum vertere, ac domum Patris sui relinquere in alienam regionem profecturus, ubi nulla spes aderat futurum ut illa inveniret bona, quae relinquebat, haud aegre dicto paruit, ac celeri obedientia ostendit, quantum a terrenis quibuscumque rebus expeditus esset, quibus per summum scelus homines adhaerere consueverunt.

Exemplū dissensionum, quas pariunt opes. Jure S. Jacobus Apostolus affirmat divitias perennem esse litium, atque jurgiorum fontem: cujus rei nobis praeclarum suppetit in Scripturis exemplum. Pastores Abrahae, & Lot ultro citroque semper altercabantur propter gregum pascua; tanta enim utrorumque horum Patriarcharum erant pecora, ut ea regio, ubi incolebant, utrique satis esse non posset. Quotidie recentia subinde oriebantur certamina propter fines praediorum, ne alterius pastores in alterius pascua agerent greges. Dissensio quam primum a famulis migrasset ad Dominos, nisi Abraham prudenti consilio malum occupasset, suadens Lot operae pretium esse, ut ab invicem secederent, eique optionem relinquens, utram terrarum plagam mallet eligere. Hoc sane probat, difficillimum esse, ingentes possidere divitias, sine contentionibus, ac inde cognosci, utrum aliquis suis inhaereat bonis, si pro bono pacis, atque concordiae illa abdicare paratus est.

Ezechiae Regis exemplum. Ezechiae Regis exemplum ostendit, non posse Deum pati, ut qui opibus ab ipso cumulati sunt, ob illas glorientur, atque intumescant. Rex iste pius erat, religiosus legis observator, ac zelo plenus pro veri Dei cultu, ideoque benedictionibus, terrenisque bonis a Deo fuit cumulatus: hac enim ratione eorum temporum virtutem, atque pietatem remunerari consueverat. Sacer Textus diligenti descriptione prosequitur omnes Regis hujus divitias, auri, argentique talenta, pretiosos lapides, aureorum vasorum, quibus aedes regiae ornatae erant, multitudinem, refertissima cellaria, armamentaria, infinita pecora, & quidquid illum inter ipsos quoque Reges potentem, insignemque efficere poterat. Verum enim vero Princeps hic religiosus, quantumvis peritura haec bona non deperiret, inani superbia efferri se passus est, propter tot opum possessionem. Voluit ideo Assyriorum Regis Legatis suos ostentare thesauros, quos omnes singillatim illis non sine secreto sensu laetitiae, & voluptatis aperuit. At inanem hanc ostentationem impunem abire non passus est Deus; illa enim ita Babylonici Regis, cui Legati, quae viderant, magnificis verbis nuntiaverant, cupiditatem accendit, ut non multo post bellum Ezechiae intulerit, Jerosolymam oppugnaverit, expugnaveritque, ac inde omnes thesauros abstulerit, quemadmodum Isaias Propheta Regi fuerat vaticinatus.

Deus, quemadmodum Sancti Chrysostomus, & Augustinus animadvertunt, magnum exemplorum numerum in Scripturis relinquere voluit eorum, qui & opibus simul, & sanctitate floruerunt, quales fuere Patriarchae Abraham, Isaac, & Jacob, David etiam, aliique quamplures, ut edoceret sanctitatem simul esse posse cum opibus, quae possunt esse maximarum virtutum instrumentum, & via ad aeterna bona in coelis acquirenda.

Non aliud contemptus divitiarum exemplum nobis inquirendum est, quam quod ipse Dei Filius reliquit, cujus nativitas, mors, ac totum vitae spatium non aliud fuit quam perennis omnium terrae bonorum egestas. *Propter vos egenus factus est, cum esset dives*, inquit Apostolus, 2. *ad Cor.* 8. Licet ditissimus esset; non solum quatenus Deus, verum etiam quatenus homo, quippe qui supremum obtinebat in universa creata imperium; factus tamen est pauper propter amorem nostrum, non aliud docuit, nisi ut terrena abdicaremus; in hoc altissimum christianae perfectionis apicem constituit; non alios sectatores habuit, & Apostolos, nisi qui Evangelicam paupertatem profitebantur, licet quidam ex illis satis opibus affluerent; denique imperavit, ut primus in Christianam Religionem ingressus, ac prima Christiani hominis actio esset abrenuntiare omni divitiarum affectui, omnibusque pompis, & voluptatibus, quae inde consequuntur. Exemplū quod nobis Dei Filius reliquit, contemptus divitiarū.

Evangelici divitis exitus, qui ex omnibus Concionatorum suggestibus ubique resonat, satis perspectus est, quam ut necesse sit vobis ob oculos funestum hoc exemplum statuere, ut intelligatis quorum malorum causa opes esse consueverint. Ad incutiendum similis calamitatis metum satis esset paulo serius ea considerare verba, quae Sanctus Patriarcha Abraham diviti aeternis ignibus insepulto dixit: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Luc. 16. Quasi diceret, bona, quibus in hac vita ille gavisus fuerat, omnem fuisse haereditatis ipsius partem; ipsum in vitae hujus voluptatibus felicitatem suam constituisse, ideoque non aliam illi sperandam superesse. Ex hoc autem terribili divinae justitiae exemplo edoceri debemus, plerisque hujus mundi divitibus nequaquam laetiorem exitum sperandum esse, nisi bona sua in meliorem usum prae calamitoso divite illo converterint. Exemplū divitis Evangelici.

Quamvis non levi negotio divites salutem suam valeant operari, & quamvis opes magno sint ad eam assequendam impedimento; Zachaei tamen exemplo intelligimus, hoc non solum fieri posse, verum etiam posse fieri, ut opes ipsae in salutis nostrae causam impendantur; cum dives hic bona sua in praeclarum usum insumpserit, dimidium quidem eorum pauperibus erogans, iis vero, quos fortasse fraudaverat, quadruplum reddens, & reliquum in bona opera impendens. Sanctus hic bonorum usus magnam illi promeruit sanctitatem, eumque divitibus omnibus proposuit exemplum, unde percipiant quid de opibus faciendum sit, si Regni coelestis participes esse, aeternasque sibi divitias comparare voluerint. Zachaei exemplū.

Applicationes quorumdam Scripturae locorum huic argumento.

NImis multi hodierna die Fideles id faciunt, quod olim Tribus Ruben, Gad, & dimidia Manasses, quae illectae pulchritudine, ac ubertate agrorum, qui eis Jordanem patebant, eas a Moyse sibi in haereditatem poposcerunt, ideoque renuntiarunt promissae Terrae, quae trans Jordanem erat posita. Ita Vitae hujus felicitas coelesti Patriae anteferatur propter possessionem bonorum hujus mundi, quibus fruimur; terrenis curis omnino destinemur, & divites ut plurimum in illis suam felicitatem constituunt, quin alia inquirant bona, iis, quibus fruuntur, contenti. *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum. Ad Hebr. 12. Hoc pondus, quod a nobis abjicii jubet

jubet Apostolus, ex S. Augustini sententia, pondus est divitiarum; & peccatum *circumstans* multitudo est scelerum, quibus obnoxii sunt, qui opes inquirunt, & amant. Hic amor sane pondus est, quod nos ad humilia detrahit: Terræ sinum effodimus, ut omnium irritamenta malorum inveniamus, Sapiens quidam ajebat; Hic amor pondus est, quo in imum usque mare descendimus, ibi margaritas, atque pretiosos inventuri thesauros, qui tot mala gignunt. *Auctor sermonum Christianorum.*

Nonne divitum plerique comparari possunt simulacro, quod in somnis Nabuchodonosor vidit fictiles habenti pedes, ferrea crura, femora ac ventrem æneum, pectus, & brachia argentea, & caput aureum? Cum negotiosus hic homo de natali solo egressus est, quinam erat? Heu! non ita facile divinando assequi possum; nemo enim illum noverat, repebat in pulvere; homo quidam erat fictiles tantum pedes habens; cujus bonorum summa erat nosse literulas, easque legere, ac scribere, cum ingenio callido, cupido, ac dissimulato. Super hoc fictiles pedes sibi ferrea crura, vel potius cor æneum conflavit, ut per fas, & nefas nulla pauperum miseratione ductus undequaque divitias congereret. Incœpit deinde nitescere propter congestas opes, ac paulatim majores adhuc collegit, ut pectus, & brachia argentea sibi efformaret; donec fortuna populorum potitus aurum sibi posuit caput, ingenti bonorum, quæ assecutus est, affluentia &c.

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Quod S. Paulus ait, Dei Filium per omnia fuisse tentatum, non est ad litteræ apicem intelligendum; non enim desunt peccata, in quibus tentatus non fuit. Utrum innuere vult Apostolus, quemadmodum S. Joannes Chrysostomus inquit, dæmonem hac in tentatione divitiarum collegisse quidquid in aliis quibuscumque tentationibus, roboris est, atque periculi? *Bireat in Adventu, sermone Decimo-tertio.*

Pecuniæ obediunt omnia. Ecclesf. 10. Alia verbo. *Pecuniæ respondent omnia.* Omnium affectuum nostrorum objecta nobis respondent, dummodo pecunia non desit ..... Si amor voluptates quærit, si ambitio petit honores; dummodo adsit pecunia, objecta omnia, quæ inquirunt, votis eorum respondent. Ideo mirum esse non debet si corda nostra tanto studio, atque ardore in ea bona ferantur; quia affectus omnes ad eorum acquisitionem, atque conservationem conspirantes, sese cum eo desiderio conjungunt; quod vulgo cupiditas appellatur, atque communem simul efformant affectum, qui in se uno vim omnem aliorum contineat. *Idem.*

Opes cur in Evangelio spinæ dicantur. *Aliud cecidit inter spinas, & simul exorta spinæ suffocaverunt illud.* Luc. 8. Divitiæ in Evangelio spinis comparantur verbum Dei suffocantibus. Spinæ tria efficiunt mala, pungunt, discerpunt, detinent; ut inquit Sanctus Hieronymus illa Michææ Prophetæ explicans verba: *Quasi paliurus pungens, & retinens.* Hoc faciunt opes, earumque cupiditas. Divitum mentes sexcentis curis, & anxietatibus pungunt; discerpunt corda eorum infinitis desideriis, quæ semper noxia sunt, & sæpe inutilia, ut inquit Apostolus; detinent, retinentque cogitationes, & affectus eorum, qui ultro illis adhærent. *Idem.*

Quo in sensu, & Deo & Mammonæ servire possimus. *Non potestis servire Deo, & Mammonæ.* Matth. 6. Cum Salvator pecuniam dominam vocat, ne putes illam reipsa dominam esse; sed fit voluntaria eorum servitute, qui eidem sese subjiciunt; cumque Mammonam opponit Deo, ne credas ideo, hominem aliis servire dominis non posse, nam fit servus affectuum omnium, qui dominantur illi; sed hoc dicit, quia divitiarum Deus majorem in nos obtinet potestatem, ac imperiosius nobis dominatur. *Abbas de Monmorel. Homil. in 14. post Pentecost. Dominicam.*

Bona relinquere, vel pro Deo amittere maximum est nostræ virtutis, nostræque fidelitatis periculum; & hoc Jobi virtutem a Deo tentari diabolus petiit *Numquid Job frustra timet Deum?* Putasne, Job tibi propter amorem tui, non alia actum causa famulari? Nonne ipsum, familiamque ipsius protectione tua munisti? Nonne benedixisti omnibus manuum ejus operibus, ita ut potens factus sit super terram? Sed aufer protectionem tuam; illum bonis exue, & videbis, utrum te amplius amaverit. Dæmon quidem erravit, sed hoc palam ostendit quomodo cognosci queat, utrum sincera sit virtus nostra.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum in hoc argumento.

Bona vis habere, & tu bonus esse non vis; erubescere deberes de bonis tuis, si domus plena bonis te malum habet dominum. August. Serm. 12. de verbis Domini.

Vere illæ sunt divitiæ, quas cum habuerimus, perdere non possumus. Idem, super Matth.

Pauper est qui vult esse dives. Idem.

Tolle superbiam, divitiæ non nocebunt. Idem, serm. 24. de tempore.

Divites & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca aut in domo. Idem, in Ps. 68.

Hoc ab homine colitur, quod præ cæteris diligitur. Idem, super Epist. ad Philipp.

Qui divitias falsas desiderat, veras non quærit. Idem, in Ps. 122.

Istæ (divitiæ) bona sunt, & non sunt. Non enim stant; labuntur, fluunt. Idem, in Ps. 127.

Veræ divitiæ sunt, quando nobis nihil deest. Idem, in Ps. 68.

Vermis divitiarum superbia est, difficile est ut non sit superbus qui dives est. Lib. 50. Homil. Homil. 13.

In magna egestate sunt, qui de iniquitate sunt divites. Lib. de vera innoc. c. 83.

Vides divitem viventem, cogita morientem; quid hic habeat attendis, quid secum tollat attende: multum auri habet, multum prædiorum, mancipiorum; moritur, remanent illa nescio quibus, etsi enim dimittit quibus vult, non servat quibus vult. Idem, in Ps. 48.

Quis beatam vitam arbitretur in iis quæ contemnenda esse docuit Filius Dei? Idem.

Multo mirabilius est non inhærere istis, quamvis possideas, quam omnino ea non possidere. Idem, l. de Moribus Ecclesiast. c. 23.

Amisit ille (Job) omnes divitias, & factus repente pauperrimus tam inconcussum animum tenuit, & infixum Deo, ut satis demonstraret non illas sibi fuisse magnas, sed se illis, sibi autem Deum. Idem, c. 16.

Vir temperans in ejusmodi rebus statuentibus, nihil sibi appetendum putet; sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem quantum satis est usurpet, utentis modestia, non amantis affectu. Ibidem, c. 22.

Sic utaris hoc mundo tamquam non utens, ut ex bonis ejus bona facias, non malus fias. Idem, Epist. 70.

Ne ista putentur mala, dantur & bonis; ne putentur magna, vel summa bona, dantur & malis. Idem, ibidem.

Solæ divitiæ veræ sunt, quæ nos divites virtutibus efficiunt; si ergo divites esse cupitis, veras divitias amate. Gregorius, Hom. 15. in Evang.

Facile est homini tunc divitias despicere cum habet; difficile vero cum non habet, viles æstimare. Idem, l. 11. Moral.

Nequaquam Dominus divitias, sed fallaces divitias appellat; fallaces enim sunt, quæ nobiscum diu permanere non possunt; fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt. Idem, Hom. 15. in Evang.

Habent hoc potentes & iniqui proprium, ut fallacibus divitiis occupati veras Dei opes negligant, & quanto minus quod verum est inquirunt, tanto amplius falsis

falsis divitiis extolluntur. Idem, 12. Moral. in Job.

Discant divites non in facultatibus crimen hærere, sed in iis qui uti nesciunt; nam divitiæ ut impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutum. Ambros. in Luc.

Omnis dives aut iniquus, aut iniqui hæres. Hieronym. Epist. ad Heliod.

Qui male utitur divitiis, miserabilis est, ut ille qui sponte se vulneraverit eo gladio, quem ad vindictam hostium sumpsit. Greg. Nazianz.

Divitei non obsunt opes si bene utatur, nec pauperem egestas commendabiliorem facit. Hieron. Epist. ad Salvin.

Auro vinctos in ergastulis habent (quidam Barbari) & divitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores. Tertull. lib. de habitu mulier.

Ad subsidium vitæ, non ad malorum incitamentum opes datæ sunt, pecunia animæ redemptio, non exitii occasio. S. Basilius.

Divitiæ maximæ sunt non egere divitiis. Chrysost. in quadam Homil.

Hi sunt omnibus abundantiores, qui divitiarum contempsere cupiditatem. Idem, Homil. 22. ad populum Antioch.

Si tu mundana contempseris, toto eris dignior mundo, juxta illos Sanctos, quibus dignus non erat mundus. Ut itaque cœlis dignus efficiaris, præsentia derideas. Ibidem.

Aurum, & argentum, & cætera ejusmodi, quantum ad animi bonum spectat, nec bona sunt nec mala; usus tamen horum bonus, abusio mala, sollicitudo pejor, quæstus turpior. Bernard. Serm. 4. in Cant.

Quid vobis cum terrenis divitiis, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Idem, ibid.

Si sapis, si cor habes, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine ea sequi, quæ & assequi miserum est. Idem, Epist. 103.

Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Idem.

Nil clausum constat, quod auro argentoque non pateat; nihil occultum, quod pecunia indagante non sit cognitum. Valer. Epist. in quodam Serm.

Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Seneca Epist. 7.

Deus divites prædamnat. Tertull. l. de Pœnitentia.

Solum convenit Deo dicere, hoc meum est. Philo Jud. l. 2. alleg.

Fugiendæ sunt divitiæ, quas qui habent, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. S. Prosper, l. 1. de vita contempl.

Nemo dives est, qui quod habet secum hinc auferre non potest; quod enim hic relinquitur, non nostrum, sed alienum est. Ambros. Epist. 10. ad Simplic.

Dives es, sed fortunæ male creditur: & magno viatico breve iter non instruitur, sed oneratur. Minut. Felix.

Divitiarum ardor insatiabilis longe amplius desiderio torquet, quam usu suo refrigeret. Bernard. in sententiis.

Non ante satiatur cor hominis auro, quam corpus aura. Idem, ibidem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia ad hoc argumentum afferri possit.

Quid sint opes fortunæque bona.

BOna, quæ vulgo divitiæ, fortunæque bona dicuntur, omnia sunt exteriora bona, quæ possidentur, a Deo pro hujus vitæ usu collata. Duplex eorum genus distinguitur, quorum alia mobilia, immobilia alia vocantur. Hæc sunt agri, prædia, domus, redditusque; illa vero pecuniæ, lapides pretiosi, pecora, supellex, aliaque id genus. Horum bonorum discrimen, atque ratio ad Jurisprudentiam potius, quam ad Suggestum, atque Prædicationem pertinet; ubi illorum tantummodo usus spectatur.

Sanctus Thomas *primâ secundæ quæstione secunda articulo primo* docet fieri non posse, ut divitiarum possessio hominem beatum faciat; Rationes vero, quæ ab ipso, aliisque Theologis simul afferuntur, ad duas potissimum referuntur. Prima est, beatitudinem nostram positam esse debere in aliqua re, quæ sit in nobis, quæ nos perfectiores efficiat, summumque bonum nostrum constituat, quod externa bona profecto nequeunt efficere. Altera est, bona ejusmodi non esse per se inquirenda, sed solum quatenus alteri cuipiam rei sunt utilia; cum e contra extremus finis noster, qui simul esse debet summa nostra felicitas ex semet sit desiderabilis. Hinc nullo negotio potest intelligi Fidelium cæcitas, qui, quin ad summum adspirent bonum, laboribus, curisque conficiuntur terræ bona adepturi, quæ cor humanum replere non possunt, & quæ alioquin adeo fluxa, atque mobilia sunt, ut singulis momentis possint amitti, præterquam quod qui præ cæteris hujusmodi bonis diffluunt magis torquentur vel cupiditate ea, quæ non habent, possidendi, vel metu ea, quæ habent, amittendi.

Opes per se malæ non sunt.

Divitiis affluere culpa non est, neque essentiale est salutis obstaculum; quod olim asserere voluerunt discipuli quidam hæresiarchæ Pelagii, a S. Augustino in 89. ad Hilarium Epistola confutati: & quamvis Evangelicus Dives reprobatus fuerit, infernique flammis addictus, non ideo damnatum fuisse, credendum est, quod fuerit dives, sed quod opibus suis fuerit abusus in commessationibus, & conviviis, in inanibus, noxiisque sumptibus, & quod Lazaro egenti, atque præ Ædium suarum foribus fame intereunti, offam, opemque tribuere negaverit. Verum enim vero si hæresis est terrenorum bonorum possessionem damnare, & error credere inter opes Christiano viro dignam vitam agi non posse; verum, & de fide est neminem salutem suam posse operari, quin cor suum ex fluxis, perituris que avellat divitiis, sive possideantur, sive secus; & in hoc eam consistere renuntiationem, quam nobis Evangelium indicit.

Non possessio, sed servitus divitiarum prohibetur.

Igitur opes in se malæ non sunt; immo sunt bonæ, dummodo sine iniquitate congerantur, sine affectione possideantur, ac in egenorum solatium erogentur. Hinc non dicitur in Evangelio; non potestis servire Deo, & affluere divitiis; sed & Deo, & divitiis servire non potestis; quæ verba divitiarum servitutem, non possessionem damnant. At raro conditiones hæ simul inveniuntur, ita ut Dei Filius affirmet facilius esse, ut camelus per foramen acus transiliat, quam ut dives Regnum Cœlorum ingrediatur.

Sciendum est, quid hac in re explicite præcipiatur, & quid simplicis sit consilii in Evangelio; quid sit de necessitate salutis, quid vero suadeat Deus, ut ad Cœlum via tutior, breviorque fiat; atque diligentissime cavendum est, ne alterum cum altero confundatur, nisi velis in errorem impingere, vel in periculosam exaggerationem erumpere. Omnia relinquere, agros, domos, prædia, omniaque venundare bona, ut inde congestas pecunias in pauperes eroges, ut sequaris JEUM CHRISTUM, ejusque paupertatem imiteris; hæc quidem perfectissima via est, sed consilii fines non excedit. Sed ea omnia, quæ possides, in hoc renuntiare sensu, ut cor tuum opibus, terrenisque rebus nequaquam inhæreat; hoc per Evangelicam legem quilibet fidelis necessario præstare tenetur.

Quædam sunt, quibus fruendum, quædam vero quibus utendum tantummodo est.

Sanctus Augustinus libro primo de doctrina Christiana cap. 3. & 4. docet non deesse quædam, quibus fruendum est, quædam vero, quibus utendum, & quosdam qui utuntur simul, atque fruuntur. Ea, quibus fruendum est, nos beatos efficere; ea, quibus utendum, inservire ut ad beatitudinem perveniamus; & nos qui aliis quidem fruimur, & aliis utimur, inter utrumque ita esse, ut si frui velimus iis, quibus uti tantum debemus, numquam assecuturi simus earum rerum perfruitionem, in qua vera beatitudo consistit: *Si eis, quibus fruendum est, uti voluerimus, impeditur cursus noster, & aliquando etiam deflectitur ab iis rebus, quibus fruendum est*. Deinde duo hæc verba definit: *frui, &*

uti,

uti. Frui, est aliquid amare propter ipsum; uti vero est referre id, quo utimur, ad id, quod amamus, obtinendum. Hinc omnis amor, vel fruitio est, vel usus: namque vel quod amas, propter ipsum amas, & fruitio est, vel propter aliud amas, & usus est; præsertim vero si id, propter quod illud amas, hoc meretur, alioquin abusus potius est, quam legitimus usus: *Nam usus illicitus, abusus potius, vel abusio nominandus est*. Hæc est S. Augustini Doctrina; ex qua cum eodem inferendum est, Deum unum esse debere votorum nostrorum objectum. Alia quæcumque bona creata, cujuscumque generis illa sint, propter usum nostrum facta sunt, & illis si frui volumus, cum uti debeamus, invertimus ordinem a Deo constitutum in Mundo; nam ut alibi sanctus idem Augustinus ait, omnis ordinis inversio inter homines, quam proprio vocabulo vitium nuncupamus, in hoc sita est, quod iis uti volumus, quibus fruendum, iisque frui, quibus tantum utendum est. Quemadmodum e contra bonus ordo, quem virtutem dicimus, in eo positus est, ut frui velimus, quibus fruendum, & illis uti, quibus est dumtaxat utendum.

Divitiæ nullam in se habent bonitatem; sed omnis earum bonitas in eo consistit, quod bonis aliis sunt utiles. At quod mere utile est, amandum non est, nisi quatenus refertur ad bonum illud, uti utile est. Hujusmodi sunt divitiæ, quæ bona sunt mere utilia, ex Sapientum omnium sententia; sunt enim instrumenta ad familias, resque publicas servandas utilia. Ita illas definit Aristoteles primo Politicorum: *Divitiæ nihil aliud sunt, quam multitudo instrumentorum œconomicorum, & politicorum*; unde æquissimas depromit illationes, ac memorat varios abusus, qui in opum perquisitione passim occurrunt.

Abusus divitiarum & quænam sit causa.

Origo malorum omnium, quæ eorum plerique patrant, qui ingentes possident divitias, ea est, quod illis ob alios, quam quos deberent, fines utuntur. Illis quidem tamquam mediis, & instrumentis utuntur, non salutis suæ, sed interitus; hoc est non fruuntur, sed abutuntur illis. Qui autem hic vellet eos omnes enumerare abusus divitiarum, omnia profecto huic scelera essent singillatim recensenda.

Quantumvis opes per se neque bonæ sint, neque malæ, & virtuti æque ac vitio valeant inservire, pro ut divites illis utuntur; fatendum est tamen, ex quo peccatum in mundum invectum est, & non exiguo esse ad sanctitatem acquirendam obstaculo, easque sæpius in sequiorem partem insumi, eo quod illis homines abutuntur. Quamobrem Sanctus Paulus ait eos, qui ditescere cupiunt, in tentationem, & in laqueum diaboli incidere, atque plurima fovere desideria inutilia, & perniciosa, quæ mortales in malorum omnium abyssum detrudunt.

Cur opes in Biblijs injustæ vocentur.

Quæret fortasse aliquis, cur in Scripturis divitiæ dicantur injustæ, vel thesaurus iniquitatis: *Mammona iniquitatis*. Sancti Patres plures afferunt causas, quia vel plerumque sunt fructus injustitiæ; quapropter Sanctus Hieronymus ait divitem aut injustum esse, aut hæredem injusti; vel qui possidet illas, eas quodammodo injuste retinet, cum sibi ea reservat bona, quæ in fratrum usum sunt impendenda; vel mortales illis in sceleribus, & iniquitatibus abutuntur.

Quoddam injustitiæ genus est ea nobis vindicare bona, quæ possidemus; tandem enim quidquid habemus ita nostrum est, ut eo uti, ac illud erogare debeamus secundum voluntatem Dei, a quo illud accepimus, & qui ex nobis rationem repetet, tamquam herus ex villico quem bonis suis prudenter administrandis præfecit: *Redde rationem villicationis tuæ*. Luc. 16. Omnia hujus mundi bona, quæ nobis tradit Deus, quantumvis per fas, ac jus illorum acquisitionem fuerimus consecuti, ad ipsum pleno jure pertinent ita ut præcipere possit, quid nobis sit faciendum de illis, & sane præcipit, ut nobis amicos quamplurimos devinciamus, pro divitiarum affluentia satis amplas eleemosynas erogando: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*.

Cur periculosus amor divitiarum.

Inde opum amor amorum omnium periculosissimus est, quod hoc bonorum genus ad cæterorum bonorum, quæ in mundo plurimi fiunt, acquisitionem perducit, & quod cum ætate adolescit, cum alii senescant, atque infirmentur. Affectus autem adeo vehemens in bonorum perquisitione æquitatis modum fere numquam tuetur; & ita videmus eorumdem bonorum usu fere numquam culpa vacare. Iniquitas ex S. Bernardi sententia, plerumque ex rerum affluentia proficiscitur; quæ cum etiam parcius insumuntur, numquid sæpe nocentes eos non facit, a quibus summa cura servantur?

Ut hujus terræ bona cum virtute possideamus, non sufficit solum ea sine illa affectione possidere; aliæ ulterius requiruntur conditiones, ut secundum Christianismi spiritum possideantur: 1. ut eam curam illorum geramus, quæ requiritur ad familiam alendam, ut secundum leges illa reservemus iis qui post nos jure iisdem sunt perfruituri. 2. ut sancte illis utamur, in eleemosynas, aliaque bona opera erogantes. 3. ut eorum jacturam, & fortunæ adversitates æquo feramus animo. Verbo, ut cordis amorem ab illis divellamus, quin rationabilem illorum curam abjiciamus; & ut eorum gerentes curam, nec festinanter congerere, neque sollicite illa servare admitamur. In hoc lex Christiana cum infinita Sapientia conjuncta est; novit enim æternam privatorum, quos Deus opibus ornat, procurare salutem, quin ullam afferat rerum publicarum ordini, ac bono jacturam.

Nihil melius constantem, solidamque virtutem ostendit, quam divitiarum contemptus.

Nihil sublimiorem magnanimitatis, & generositatis, quod Christianismus inspirat, adstruit ideam, quam divitiarum, terrenorumque bonorum contemptus. Jejunia, preces, Sacramentorum frequentia boni, religiosique hominis indicia sunt; sed hæ sunt actiones perfunctoriæ, & quas nonnumquam in utramque partem homines interpretantur; sed christianus opum contemptus, & vitæ ratio ab iis vacua cupiditatibus, quæ vulgo possessioni divitiarum adhærent, signum est veræ, sinceræque virtutis, animæque magnæ, cui de Religionis nostræ veritatibus alte persuasum est.

Ut veris imbuamur sensibus, quos de divitiis, terræque bonis concipere debemus, considerandum est: 1. Nos viatores esse hospitesque in hoc mundo, ideoque cum iter intra paucos dies nobis sit absolvendum, paucis nos indigere. 2. Nos sequestres esse dumtaxat bonorum Dei, cui diligentissime ad novissimum quadrantem rationem sumus reddituri. 3. Licet post plurimos exantlatos labores bonorum horum possessionem consequeremur, his humani cordis captum nequaquam repleri; & quin vota nostra expleantur, majora in nobis semper desideria excitari. 4. Has opes, ubi male partæ fuerint, post se amarissimos conscientiæ stimulos, justique supplicii metum pertrahere. 5. Eorum possessionem seu justa illa sit, seu injusta, semper incertam esse, hæc enim bona fluxa sunt, & peritura. 6. Hæc bona nisi nos in hac vita reliquerint, post mortem certissime a nobis esse relinquenda.

Qui opibus abutuntur, earum immutantes finem Dei ordinem invertunt & delent.

Divitiæ, nobilitas, honor bona sunt; sed bona, quæ necessario præterire debent; bona sunt, sed bona, quæ cum tempore diffluunt: bona sunt, sed bona, quibus ad cœlestia comparanda, bona dumtaxat utendum est. At mortales ut plurimum horum bonorum naturam invertunt, ac destruunt. Bona illa necessario præterire debent, nos vero illa possidemus, quasi nullum essent finem habitura: bona illa cum tempore diffluunt, nos vero tamquam æternitatis bona perpendimus; in eo omnem spem intendentes, ac pro illis omnia vota nuncupantes. Hæc denique media tantummodo sunt, sed a nobis tamquam extremus finis habentur; & quin illis utamur ad æternorum bonorum acquisitionem; illis unice inhæremus, ac in illis felicitatem nostram statuimus. Mirum ergo esse non debet, si bona hæc naturam ea inversione im-

immutantia eodem temporis momento non fint amplius bona possidentibus illa, & mala fiant, quæ ipsos calamitosos efficiunt. Si hæc bona Creatoris jussu statuta mediorum qualitatem continerentur, beatos in terra nos facerent; sed quod homo huic non paret imperio, suam simul felicitatem evertit.

Nemo unus inficias ire potest curarum, ac sollicitudinum, quibus sævissime torquemur, causam esse cupiditatem, habendi libidinem, ac damnabilem terræ bonorum amorem. Vitæ voluptates inquirimus, & summa divitiarum cupiditas, qua flagramus, ut inquit Scriptura, vitæ nostræ tormentum est. Et profecto quam anxie quæruntur! Quam pavide servantur! Quinam metus illas ad leve quodvis periculum amittendi! quænam inexaturabilia eas augendi desideria! Qui dolores, quæ cruces, cum vel commentitiis necessitatibus, vel superfluis sumptibus desunt? Quis mœror! quæ tristitia! cum invitis elabuntur, easque inopinatus aliquis casus aufert? Quis timor non in egestatem dumtaxat, verum etiam in abjectionem decidendi? Quæ sollicitudo in futurum tempus, cum tot undique circumstent inevitabilia in mundi commercio, atque inter tot adversa, quibus quotidie patent pericula!

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Divitiarum amor in Fideli inexcusabilis. Divitiarum amor in Judæis venia dignus erat; eas quippe Deus tamquam fidelitatis præmium proposuerat; cumque illas in singula fere momenta ipsis polliceretur, aliquo in honore habendas esse, & diligendas videbatur innuere; & illi quidem errasse mihi viderentur, si credidissent mala, ea quæ, sibi a Deo tamquam pretium virtutis proponebantur. Verum hæc sordida cupiditas nullam inter Fideles hodierna die invenit excusationem. Divina Majestas loquendi rationem immutans jussit hominum desideria immutari; cumque videamus JESUM CHRISTUM toties in Evangelio damnantem divites, & contra illos anathema, & maledicta proferentem; profecto nisi opes odisse tenemur, non exigua illas metuendi suppetit causa. Quod olim in lege veteri fuit stimulus, & virtutis illecebra, nunc factum est vitiorum omnium fons, & origo, quod in ordine Providentiæ inserviebat, ut homines in officio continerentur, & mox etiam salutem assequerentur; nunc vulgatissimum est instrumentum, quo ad eos corrumpendos, perdendosque Dæmon utatur. *Germanus Habert Abbas de Cerysi, lib. 3. de Vita Cardinalis de Berulle cap.* 11.

Dicere audeo, divitiarum contemptum aliquid in se majus, purius, ac ab omni suspicione remotius, quam dignitatum habere; & licet vere honor bonum sit longe præstantius, quam bona fortunæ, attamen, qui aurum, argentumque contemnit majorem subire videtur jacturam, quam qui contemnit honores. Ut enim vera loquar, arduum sane est, suavissimum gloriæ thymiama nobis oblatum respuere, tunc etiam cum re ipsa illud respuimus: quicumque ab aliis honorari detrectat detrectans seipsum honorat; recipit aliud gloriæ genus multo præstantius eo, quod dedignatur, & inaudito quidem miraculo, nihilominus vero, ubi alicui defertur honos, seu recipiatur, seu respuatur, semper tamen recipitur. Hoc ipsum de divitiis dici nequit; qui respuit illas in pristina remanet paupertate; & nihil discriminis interest, seu illas omnino amittat, sive respuat. *Idem.*

Cur difficile divites salventur. Cur difficile est, ut qui opibus diffluit, salutem consequi valeat? Quia animus divellendus ab iis quæ possidentur & contemnenda ea, quæ nobis conferunt dignitatem. Ex locupletibus editus sum parentibus, qui ingentium bonorum me hæredem instituerunt; illis indigeo, ut juxta generis mei dignitatem vivam, hæc exigit ut magnificis utar indumentis, ut mensa exquisitissimis instruatur epulis, ut ædes pretiosissima supellectili ornatas inhabitem. In hoc te infelicem reor; difficile quippe mihi videtur, te ex animo hæc omnia abdicare posse, eorumque amorem exuere; quod nisi præstiteris, salvus esse non poteris. *Pater de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

Quænam insania est, Fidelem velle quocumque pretio opes sibi a Providentia negatas acquirere? si eas haberes opes, quas cupis, non tutius tibi præberi consilium posset, quam illas abjiciendi, ut tuæ salutis prospiceres; cur ergo illos per fas, & nefas aggerere studes? Si tuæ essent, eroganda pauperibus essent; cum vero male partæ fuerint, in eam mentem impelli nequis, ut illas restituas. Si Providentia te illis cumulasset, tibi simul necessarias contulisset gratias, ut bene uteteris; sed in eo statu, in quo propter nequitiam versaris, jure illa te tibi derelinquere potest. Cogitasne, si te Deus per divitias salvum facere vellet, tibi legitimas nequaquam stratutum fuisse vias, quibus illas consequereris? Omnes tibi obstruxit aditus; prævidit enim hæc bonorum genera tibi scopulum, atque offendiculum futura. *Idem in Considerationibus de bonis alienis.*

Millies præcepit Deus, ut in ipso confidentiam omnem constitueremus; nequicquam, dixit nos rebus creatis inniti, quæ felicitati nostræ nihil conferre possunt; hoc idem esse ac confracto calamo incumbere; cujus veritatis sexcenta præbuit exempla. Quid autem inquit mortalis ille, qui quacumque ratione opes congerere studet; vel qui ingentia possidet bona? Nisi ait, se Divino non indigere auxilio, ut suam provehat fortunam, eoque etiam invito se illam provecturum; agit saltem, quasi non indigeret; sibi juxta libidinem suam opes comparare festinat; eum sibi vendicare studet locum, in quo Deus illum minime vult, vel quem satis aperte saluti ejusdem minus utilem esse ostendit. *Idem.* Divites vulgo parum confidunt in Deo.

Nonne justa divitibus metuendi suppetit causa futurum ut, postquam in vita hac tot opibus gavisi fuerint, in altera id sibi dicatur, quod Evangelico diviti; *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala?* Luc. 16. Recordare quia induebaris purpura, & bysso, ille vero scrutis, centonibusque male tegebatur; Recordare, quia mensa tua exquisitissimis affluenter epulis instruebatur, ille vero præ foribus tuis fame, ac macie conficiebatur. Recordare hæc omnia. Sed nunc longe aliter de te, ac illo Providentia disposuit: Opus fuit, illum refici ob ea mala, quæ passus est; opus est, te torqueri post tot bona, quibus gavisus es: *Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Joly Prop. 4. Quadrag. Dominica.*

Justa, injustave sit bonorum possessio, semper incerta est; hæc enim fluxa sunt, & peritura. Incendium, fidei defectio, intentata lis ea momento possunt eripere. Præterit hujus Mundi figura, quin prohiberi possit; & si hæc bona, donec vivimus, nos minime deserunt, ea morientes deseremus. Illud vero afflictioni cumulum addit, quod ignoramus, quis horum hæres bonorum futurus sit? numquid filii, qui obliguriant illa, an ipsi etiam nobis, vel quod pejus est, Deo infensissimi inimici. Horum bonorum amor divini verbi suffocat semen, primas gratiæ scintillas extinguit, & est radix omnium malorum. Quod si mundi hujus bona in nobis funestos hosce affectus non gignunt, illos producunt in posteris nostris. Quot filii meliores extitissent, si parentes eorum minus fuissent locupletes? *Ex Anonymo Auctore.* Hujus mundi bona suapte natura fluxa, & fragilia sunt.

In ea, quam pedibus calcamus, terra Creator aurum, argentumque, lapidesque pretiosos conclusit, vultumque nostrum in Cœlum extulit, ut hinc quidem mun-

mundum, omniaque bona illius contemneremus, inde vero thesaurum nostrum in Cœlis esse, & illuc cor nostrum esse convertendum cogitaremus. Inde vero nobis persuasum esse debet, bona hæc uni tantummodo usui esse utilia, videlicet si de terra in Cœlum per egenorum manus transmittantur, & si per eleemosynas, aliaque pietatis opera ad æternitatis gloriam comparandam impendantur.

Cur opibus abutimur. Opes ut plurimum in malum convertuntur usum, quia in ordine naturali tantum, vel tamquam fortis effectus, vel tamquam naturæ munera considerantur. Plerique illa esse reputant bona, quæ cæca fortuna de manu tradit in manum, & quæ incerto quodam, fatalive motu vel gradum sistentia, vel dominum mutantia, aliis elabuntur, & ad alios transvolant, pro temporum ratione, & negotiorum occursu. Qui hæc sibi compararunt bona industria, curisque suis, putant illa a se empta fuisse laboribus ad eas acquirendas insumptis, easque retinentes velut opus manuum suarum, Dei beneficiis fruuntur tamquam mercede operum suorum, ac fructu studiorum. Qui vero hæreditario jure illa sunt consecuti, illis utuntur tamquam possessione, quæ cum esset aliena, tandem juris sui facta est; & quin cogitent Deum eorum fontem, auctoremque in patrum suorum prævidentia subsistunt & se divites putant, quia geniti fuere, vel hæredes scripti ab eo, qui opum affluentia fruebatur. Cæci sunt, inquit Dominus per Prophetam, qui non vident, quia ego dedi eis *frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal*. Osee 2. Mirum ne esse debet si falsos laborantes principiis, deficiunt in illationibus suis; si Dei dona minime intelligentes, illis secundum consilia Dei non utuntur; & si quærere negligentes a quo tot bonis fuerint cumulati, non quærunt quomodo sit illis utendum? *Flechier sermone de Eleemosyna.*

Hoc, quod fide edocemur, supposito Deum videlicet bonorum omnium auctorem esse; neque deesse secretam, ac spiritualem benedictionem, quæ illa producit, atque multiplicat, paternamque, & invisibilem manum, quæ illa effundit, atque distribuit; inde inferendum est, ea ob aliquem finem erogari, & in aliquem usum distribui, & nonnisi insignem aliquam ob causam divitibus concedi. Quænam igitur hæc causa est, quinam hic finis? Vos ipsi judicate. Numquid ut humanis cupiditatibus, non ut humanitatis necessitatibus satisfiat? Numquid ut aliorum quidem ambitio, & avaritia saturetur, aliorum vero humilitas, atque patientia torqueatur? Numquid ut luxui, atque intemperantiæ vestræ materia præbeatur? Numquid ut bona vestra immodicis atque superfluis sumptibus, imprudentique effusione dissipetis? Numquid ut populi oculos perstringatis earum divitiarum fulgore, quas fortasse illi eripuistis? Haud ita sane; sed Dei divites efficientis ea fuit mens, ut homines liberales, & charitatis amantes efficeret, &c. *Idem*.

Opes sæpe injustæ sunt, & fructus iniquitatis. Sacra Biblia fere numquam de divitiis verba faciunt, nisi tamquam justitiæ divinæ objectis. Si in ipsa origine inspiciantur, fere semper corruptæ sunt. Quis nescit eas plerumque esse fructum iniquitatis eorum, a quibus congestæ fuerunt? Quis nescit summo cum labore, atque difficultate augeri, & tamquam sponte diffluere, cum in bonorum manibus versantur? Quis certo scire potest, illas ad se usque per licitas, justasque vias pervenisse, atque per innocuas, integerrimasque manus semper ad se usque fuisse traductas? Quam metuendum est, ne divitibus omnibus dici queat, quod ævo suo Isaias c. 13. ajebat: *Rapina pauperis in domo tua*. *Idem*.

Si divitiarum effectus sedulo scrutari velis, omnes succendunt affectus, in imis cordibus prava excitant studia, quæ ibi sopita quodammodo latebant, ac per eam, quam aperiunt, peccandi facilitatem, ingenium in scelus per se satis pronum provocant, & commovent. Si earum usum spectes, quis non dissipat illas? Quis non effundit eas in vanitates, vel quis tamquam mancipia inutili possessione non retinet? Illæ fere semper sunt divinæ Legi oppositæ, ubi pauperibus non erogantur. Quantumvis dicas, non alia mihi sunt bona, immo neque alia cupio; iis utor, quæ mihi contulit Deus, iisque prout mihi placitum fuerit, uti possum; ego vere ajo, non licere tibi illis ita uti; Deus enim non ob hunc finem ea tradidit tibi. *Idem*.

Deo, & divitiis servire nequimus. *Non potestis servire Deo, & mammonæ*, ait ipse Dei Filius in Evangelio. Deus profecto, atque divitiæ duo sunt domini, quorum nimis opposita sunt studia, quorum ingenia diffident, quorum præcepta ita sibimet adversantur, ut unus homo utrique satis esse non possit. Opus est omnino, ut ubi alterum amas, alterum oderis, & ubi cultus, & obedientia præstatur alteri, alter contemnatur. Vult Deus, gentem sanctam, & populum acquisitionis sibi inservire; cupiditas vero secum in corda nostra malorum omnium radicem adfert, ut loquitur Apostolus; quia nullum est vitium, non solum quod non inspiret cupiditas, sed quod per illam non perpetretur. *Auctor Sermonum Christianorum, sermone pro 14. post Pentecosten Dominica.*

Habendi Cupiditas maximum est humanæ vitæ negotium, cum quo omnia fiunt, & sine quo nihil. Hoc intelligebat Dæmon, qui postquam irrito conatu, semel iterumque Dei Filium tentasset, tandem eo aciem convertit, ut hoc affectu illum, tamquam validissimo telo aggrederetur. *Hæc omnia tibi dabo*, inquit, Matth. 4. *si adoraveris me*. Quam potentes sunt hæ voculæ? Omnia facere possunt, omnia corrumpere, humana, divinaque omnia. Nulla virtus est, nulla fides, nulla probitas, nulla verecundia, nulla justitia, quæ diu eorum pondus valeant sustinere. Possunt illæ iniquissimis carcerum reserare claustra, sceleribus impunitatem mereri, Judices, & judicia corrumpere. Inaccessa pervadunt loca, atque munitissimas penetrant arces, ut proditionem inspirent. Nulla iniquitas est, quæ propter pecuniam non perpetretur. Avaritia secretissima Regum penetralia, & sæpe etiam corda pervadit. Omnia vincit, omnia perrumpit, validissimos exercitus, durissimas rupes facilius ipso fulmine proterit. *Idem*.

Plerique per nefas ditescunt. Si liceret inquirere fontem divitiarum, quibus mundi hujus opulenti viri affluunt, inveniremus fere illos passim ex aliorum paupertate divites fuisse factos, ut vetus quidam Auctor ajebat: Quot enim videremus, qui ex plurimis aristis, ex pauperum manipulis surreptis ditissimas collegere messes? Quot, quorum prosperitas ex sterquilinio Job fuit collecta? Quot, quorum pretiosa supellex, immensæque divitiæ ex direptis urbibus, & sudoribus egenorum, quibus vix offam, indusiumque relinquere? *Idem*.

Humanum cor terrenis inhærens bonis simul dominum quærit; etenim iis servimus, quæ diligimus; verum si experientia docemur hominem sine amore, vel domino esse non posse, docet nos Deus multo minus hominem duobus servire dominis posse; duobus videlicet, qui invicem sibi adversentur, & duo contraria præcipiant. Fieri quippe non potest ut media insistat via cor humanum inter duo posita objecta, quæ inter se sunt opposita; & statim ac alterutri adhærere tenetur, necessum est, ut omnino alterum amet, alterum oderit; alterum amplectatur, alterumque contemnat. Ita Dei Filius nobis ostendere vult necessitatem, qua inter ipsum, & adversarium illius alterutrum eligere debemus, quod ut hoc clarius adhuc ostendat, addit: *Non potestis servire Deo, & mammonæ*, Matth. 6. Attamen pro certo affirmari potest, omnes homines in id unum intendere, ut duos hosce dominos simul conciliare adnitantur, & modo huic, modo illi famulari lætentur. *Abbas de Monmorel in decimam quartam post Pentecosten Dominicam.*

Temporalia bona possunt in rectum usum converti. Rationalis anima, S. Augustinus ait, temporalis etiam felicitatis optimum potest usum facere, & immo facit, cum quin sese mancipet rebus creatis ita ut ipsum negligat Creatorem, hac ipsa felicitate utitur, ut serviat Deo, a cujus liberalitate illam, non secus ac reliqua omnia cognoscit. Verum itane

terræ

terræ hujus possidemus bona, an potius dicere possumus aurum sæculi hujus divitum Dominum esse, atque tyrannum? Illis summa cum severitate impositum tributum extorquet, & ipsi huic tamquam vilissima mancipia obsequuntur. Hic divitiarum amor cor illorum possidet, ibique sese tamquam munitissima in arce tuetur; unde quotidie leges irrogat novas iniquitate, ac impotentia plenissimas, quin eorum aliquis hiscere audeat. *Idem*.

Scire quærimus, utrum possideamus opes, an possideamur ab illis, utri serviamus Deo, an mammonæ? Sedulo nosmetipsos excutiamus, utrum eos foveamus sensus, quos olim Sanctus Job, videlicet, utrum nullo sit nobis in discrimine divitiis diffluere, an indigere; vel potius utrum cupiditas fruendi bonis terræ hujus, ac dolor iisdem carendi, eorumque amittendorum metus palam testentur nos opibus inservire, & mera esse earum mancipia. Hanc sollicitudinem, & mentis anxietatem Dei Filius in nobis evertere studet, tamquam ex diametro oppositas tranquillitati, quam divinæ Providentiæ in nos cura nobis debet elargiri. *Idem*.

Numquam bene iis bonis uti possumus, quæ nimia cura cupiuntur & possidentur.

Numquam bene iis bonis utemur, quæ cupidius optaverimus, vel quæ nimis cum amore possederimus; & hoc maxime prodesse deberet, ut cor nostrum inde avelleremus, propter ea quod summa cum difficultate illis cum laude uti possumus, ac eorum Domino rationem sumus reddituri. Petrarum enim est terrenas opes sine ulla affectione possidere, illis sine crimine uti, mediocritatem servare, ubi in affluentia versamur; iis acquiescere, quæ necessaria sunt, cum suppetunt superflua; ut verbo me expediam, in id incumbere, ut quotidie aliquid de ciborum, vestium, familiæ, ac supellectilis sumptu imminuamus non quidem per avaritiam; hæc enim avaro ea etiam subtrahit, quæ sunt necessaria; sed per virtutem, ut pares simus eleemosynis erogandis, aliisque bonis operibus perficiendis. Hæc tamen, o sæculi Divites, ea est conditio, qua Deus opes vobis largitus est; & huic ubi innitantur oportet rationes, quas illi e stis aliquando reddituri.

Numquam prohibuit Deus, neque prohibebit umquam possessionem divitiarum, & si in Evangelio tot ejaculatur in divites maledicta: *Væ vobis divitibus*; non ideo eos derelinquit, quia divites, sed damnat quod nimio ardore divitias depereunt, & in illis suam felicitatem, suamque beatitudinem statuunt. Providentia, & divites & pauperes facit pro utrorumque salute; & hæc erat ratio propter quam volebat Deus, ut antiquæ legis Sancti viri divitiarum copia fruerentur. Si enim eos pauperes effecisset, ethnici Providentiam in ludibrium vertissent, atque dixissent Israelitarum Deum nullum ipsis conferre bonum, immo omnia illius beneficia in eo tantum versari, ut illos affligeret. Ostendere volebat Deus infidelibus, se rerum omnium, & Creatorem, & Dominum esse, & se opes quidem conferre, ubi velit; sed ubi eas contulerit, hoc semper velle, ut ab earum affectu animi abhorreant. *Abbas de Breteville in libro, cui titulus, Essais de sermons, pro feria quinta post secundam Quadragesimæ Dominicam*.

Divitiæ licet per fas quæsitæ funestæ sunt.

Licet divites opes legitime partas possideant, non sunt tamen earum domini, sed œconomi tantum, atque sequestres. Non statuit eas Dominus in manu eorum pro ipsis tantum; illarum usum dumtaxat concedit ipsis: & nisi bene iisdem usi fuerint, districtissimas ex illis rationes deposcet. Dives Evangelicus bona sua duabus in rebus dissipavit, in magnificis videlicet indumentis, atque conviviis. *Induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendide*. Luc. 16. Hæc saltem ex parte sunt ea, propter quæ æternis ignibus fuit addictus. Eateor equidem, ubi hanc damnationem intueor, me omnibus Mundi hujus divitibus timere; tandem enim quisnam est dives, qui pretiosi indui vestibus, opiparisque assidere mensis non diligat? Si legeremus in Evangelio divitem illum sua in turpibus, nefariisque scortationibus dissipasse bona; occurrerent fortasse divites, quibus non admodum sibi metuendum esset, cum opes suas flagitiis, sceleribusque minime impenderint; illud vero terribile est, quod nullus fere inter sæculi divites hodierna die inveniri possit, qui Evangelicum divitem non imitetur. Omnes indumentorum, ut ille, luxum amant; omnes exquisitissimas, ut ille, conviviorum delitias depereunt. *Idem*.

Duo sane inaudita Filius Dei oracula protulit, alterum quidem pro pauperibus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum*: Matth. 5. alterum vero prorsus oppositum, & propter quod debent contremiscere divites; videlicet facilius esse, ut per acus foramen traducatur camelus, quam dives Cœlorum Regnum ingrediatur. Primum illud oraculum in pauperum gratiam prolatum nemini videtur mirum; quippe homini quidem favet, divinæ autem liberalitati maxime convenit. Sed nemo non miratur alterum contra divitias intentatum. Apostoli etiam, res quorum in hoc minime agi videbatur, obstupuere, quemadmodum palam magistro suo testati sunt. Plures afferuntur rationes, ut probetur vix fieri posse, ut Mundi hujus divites salutem consequantur; ea vero potissima est, quod quemadmodum multa per fas, & nefas patranda sunt, ut congerantur opes, congestæque serventur; ita etiam dici potest, illas, ubi partæ fuerint, causas esse aliorum vitiorum, quorum sunt etiam instrumenta, puta ambitionis, impuritatis, gulæ &c. *Biroat* 13. *Adventus sermone*.

Quonam in sensu divites sint idololatræ.

Repleta est, Isaias c. 2. ait, *terra argento, & auro, & repleta est terra ejus idolis*. Nescio, utrum hujus temporis mali divites hoc verum esse confitebuntur; scio equidem eos, qui Osee Prophetæ vivebant ævo, hoc fuisse confessos, populo Ephraim dicente: *Dives effectus sum, idolum inveni mihi*. Osee 12. Qui quocumque pretio ditescere volunt, qui ajunt, divitiis affluendum esse, & eos, qui opibus carent, nullo habendos in pretio qui sentiunt, omnia parere pecuniæ, aliaque id genus sexcenta: hi profecto Deum verum nonnisi in speciem agnoscunt; & nonnisi extrinsecus Christiani sunt; sed in corde suo divitiarum idolo aram constituerunt. Ibi eorum latet oraculum, tabernaculum, propitiatorium; ibi adolent thura, & in egestatibus suis ad numen illud confugiunt. *P. Texier Sermone pro feria secunda post secundam Quadragesimæ Dominicam*.

Quænam cæcitas est suam felicitatem in fluxa, fragilique fortuna statuere, ac sese quodammodo æternæ infelicitati subjicere? Quid? bona corruptioni, furum aviditati, mortisque necessitati subjecta præferendane sunt bonis incorruptibilibus, quæ nihil nobis auferre potest, & quæ mors ipsa immortalitati est sacratura? Nonne experitis voluptatem omnem, quam præsentis vitæ opes afferunt, minus in earum possessione, quam in acquisitione consistere; eas spe possideri, quin possidentes illis fruantur; & qui multis exerceantur laboribus, ut illas indipiscantur, pro aliis potius, quam pro seipsis adlaborare. Si eas cupis, te ab illis torqueri, si minime cupis, tibi graves esse? *P. Doucenne libro de morali JESU CHRISTI*.

Dei servitio, nostræque saluti opes præferendæ non sunt.

Terrenæ opes minima sunt omnium naturalium bonorum; & nemo fortasse nostrum est, qui omnium divitiarum jacturam subire malit, quam honoris, & vitæ. Omnis ergo Christi Fidelis paratus esse debet, ut potius rerum omnium, quas possidet, detrimentum patiatur, quam Dei sui gratiam, & amicitiam amittat; qui quidem locupletissimus thesaurus est, qui in mundo possideri possit. Si bona quærere, illa augere, ea retinere citra peccatum, & quin quodammodo vulnus inferatur conscientiæ suæ, ac fidei, quæ debetur Deo, minime licet; quis ambigit, utrum illa sibi sint abdicanda; vel si male parta fuerint, utrum sint, licet cum summo status sui, familiæ, vel dignitatis detrimento restituenda? *Auctor moralis Christianæ in Pater, l. 4. sect. 1. art. 3.*

Infiniti laboris esset enumerare singillatim pravos usus, in quos divites suas divitias convertunt; ad id enim opus esset omnium vitiorum enumerationem ordiri. Nonne abutuntur ad mulierum pudicitiam labefactandam, illi ad innocentiam opprimendam, hi ad inimicos persequendos, illi ad luxum nutriendum; gra-

graviffimi effunduntur sumptus in magnificis vestimentis, splendidis conviviis, superbis ædibus, pretiosa supellectile, ingenti servorum caterva? Nonne insumuntur opes in dignitatibus, honoribusque persequendis, ut super cæteros evehamur, ac nostræ ambitioni satisfaciamus? Verbo, ut pro libidine vitam instituamus, omnibusque solatiis, & vitæ hujus commodis perfruamur. Ut paucis omnia complectar, omnes hi fines ad duos potissimum rediguntur, quos nobismetipsis in opibus acquirendis proponimus, videlicet ut carni quidem satisfaciamus omnium voluptatum generibus, spiritui vero honoribus, quos aucupari contendimus divitiarum ope, quæ quidem meritis, insignioribusque qualitatibus satis superque supplent. Oculorum enim concupiscentia quærit tantummodo explere carnis concupiscentiam, ambitionem sæculi, quæ est honorum concupiscentia. *P. Duntan. Sermone pro 8. post Pentecosten Dominica.*

Opes fluxæ sunt, fragilesque.

Ne timeas, ubi videris homines ditescere, eorumque domos gloria cumulari, Regius inquit Propheta; cum enim ad plures abierint, secum non auferent bona sua, & gloria cum ipsis non descendet ad inferos. Donec vivebant, benedictionibus cumulati fuere, sed quod abusi sunt opibus, & gratiis, quas Dominus ipsis contulerat, inglorii patrum suorum sedem ingredientur, atque in æternum lux illis non affulgebit: *Ne timueris cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus: quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Psalm. 48. Et sane divitis gaudium, pompa, & vanitas ejus fiunt ipsi æternorum dolorum occasio; ut enim S. Ambrosius inquit, omnis illius gloria thesaurus, atque felicitas non aliud est quam somnium, & cum expergiscitur moriturus, jam omnia sibi elapsa fuisse cognoscit. Qui eidem superstites sunt, conari possunt, ut nomen illius æternitati commendent, possunt magnificum illi ponere monumentum, marmoreoque cippo exquisitum elogium inscribere, verum hæc omnia minime prodesunt, ut sit in altera vita beatior. *Auctor Sermonum Christianorum. Sermone de Sancti Stephani Lipsanis.*

Opes a Deo collatæ ægre in pauperes effunduntur.

Divitiæ, quibus hominum plerique adhærescunt, similes sunt liquoribus pinguibus, & crassis, qui ægre defluunt, & numquam ex vasibus, ubi continentur, ita perfecte effunduntur, ut pars aliqua semper ibi nequaquam remaneat. Cor illas adamans, illis omnino carere non patitur; neque communibus egestatibus ita afficitur unquam, ut omnino opes suas velit abjicere, aliis opem daturus. Heu! Quomodonam ab illis divelli vivens adhuc potest, quas substantiam suam nominat, & a quibus nonnisi summa cum cordis amaritudine in ipsa morte divellitur, postquam quidquid studiosus congessit, illi profuturum non est? *Idem Sermone pro S. Carolo Borromæo.*

Non juberis omnino mundum, & quæ sunt in Mundo relinquere, sed ea non amare juberis. Non prohiberis ea servare bona, quæ tibi affluunt, sed in illis amorem tuum constituere prohiberis. Immo neque interdicitur tibi rerum creatarum amor, inquit S. Augustinus, sed illas tamquam ultimum finem amare, & in illis tamquam in summa felicitate tua acquiescere, interdicitur. Non vetatur usus, sed abusus; donec illis moderate usus fueris, te adducent ad Deum, ac temperantia tua palam ostendet illas pro te factas, non te factum pro illis. *Idem sermone 6. de SS. Sacramento.*

Si mecum reputo, quomodo passim mortales divitiis utantur, illæ quidem ad effectus omnes succendendos inserviunt, & optime Vetus ille nescio quis asserere non dubitavit, illas universalem affectum esse, appetitum dominantem igne armatum; opes enim reipsa universalis est malorum omnium causa, & affectuum omnium fomes. Si ambitiosus honores affectat, illos per divitias consequitur: si impudicus libidinem explere suam cupit, per divitias votorum summam obtinet; si nocens judicum suorum probitatem corrumpere gestit, id per divitias assequitur: Pecunia affectus est cæterorum ignibus succensus: *Pecuniæ obediunt omnia. Idem.*

Opes omnibus affectibus vitiisque omnibus famulantur.

Opes eos humiliare debent, a quibus possidentur, & sanctificare eos, qui ipsis fruuntur; per se in neutram inclinantes partem, nostrum est, eas sanctas efficere; id quippe ex eorum usu pendet, & ex iis rebus, quibus applicantur. Si illis abusi sunt Israelitæ, ut in deserto conflarent Idolum, illis quoque usi sunt, ut Tabernaculum exornarent. Fateor equidem lubricum esse, facilius vulgo ab iis quæ licent, ad ea quæ minime licent, gradum facimus; quam ab illis, quæ nullo sunt in discrimine, ad ea quæ laude sunt digna: Melius est iis nosmet expedire, quæ nos morari possent, non ut inertem vitam ducamus, sed ut Deo liberius serviamus; vel si eas retinemus, easdem in illius servitium impendere qui illas nobis large, effuseque donavit. *Auctor Christianarum Allocutionum Panegyrico S. Francisci Assisinatis.*

Bonis hujus mundi utendum est, quin illis animus vel tantillum adhæreat ita ut iis relinquendis præsto simus, ubi Deo nos ab iisdem avelli placuerit, & varii casus, qui nos iisdem viduare possunt, nequaquam nos ita afficiant, ut in murmur aliquod, & querimoniam erumpamus. Cum enim cum querela, ac mœrore, ea relinquimus, quæ possidemus, hoc palam ostendit, illa a nobis amari, neque eam servari mensuram, quam Deus in bonorum possessione præscripsit: *Cum dolore non amittitur, nisi quod cum dolore possidetur;* S. Augustinus inquit. Ut verbo me expediam, si in mundo ita versari cupimus, ut ne tantillum quidem Divinis voluntatibus adversemur, ea a nobis præstanda sunt, quæ docet Apostolus: 1. ad Cor. 7. *Qui emunt, tamquam non possidentes, & qui utuntur mundo, tamquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi.* Ita Abraham, quem tantopere amavit Deus, in mundo vixit; semper paratus solo vertendo, bonis relinquendis, vitæque suæ in discrimen objiciendæ, ut Dei voluntatem faceret, simulac ipsi comperta fuisset. Ita Job, homo ille qui de universalis Inferorum vitibus victoria reportavit, de summa bonorum omnium affluentia in miserrimam lapsus egestatem, & undequaque ingruentibus adversis petitus, quin quereretur, vel obmurmuraret, ea tantum proferre verba consueverat: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Hæc illustria sunt pro illis exempla, qui mundi hujus possident bona; sed nos miseros! quin possidentes ad sanctitatem acquirendam illis utantur, iisdem ut plurimum ad severissimam damnationem a Deo promerenda abutuntur. *Abbas Trappensis. Collatione pro 4. Adventus Dominica.*

Mundi bona fine affectione possidenda.

Quamquam terrenæ divitiæ in sanctos usus possint impendi, neque necesse sit actu, & extrinsecus illas relinquere; tamen adeo rarum est, quod possidentes puris, rectisque intentionibus utantur, ut nemo falli possit, qui ea tamquam iniquitatis bona respexerit. Et sane secreta illis inhæret improbitas; & quotidiana docemur experientia, nihil unquam intentatum relinqui, ut acquiramus illa, nullumque scelus esse, quod per ea, ubi parta fuerint, non perpetretur.... Sed peculiari opus est gratia ut fluxa hæc, & peritura bona deseramus, voluntaria eorum abdicatione JESU CHRISTI amicitiam promereri. *Idem. Collatione pro 8. post Pentecosten Dominica.*

Difficile sane est magnam virtutem in magna rerum inopia tueri; quod privilegium est quibusdam dumtaxat electis animabus concessum. Pauperes ut plurimum ita victui comparando vacant, ut cogitantibus unde vivant, nihil temporis supersit, ut cogitent, quomodo bene vivant; & sapientiæ præcepta nullam ferme vim obtinent apud eos, quos misera premit egestas. Pater familias, qui domi suæ paupertatem, ac filiorum multitudinem videt, quibus prospiciendum est; qui a creditoribus urgetur, ut æs alienum dissolvat; qui in foro litibus, & animo curas inferentibus, & lucellum omne exhaurientibus exagitatur; qui videt labantem domum, quin ruinas reparare valeat;

leat; qui deficiente alterius cujuspiam fide, prope est, ut deficiat; qui ex prædiolis suis spe fraudatus messem recipere nequit: hic inquam paterfamilias in id unum intentus est, ut sese hac difficultate negotiorum expediat. Egestas nonnumquam scelerum mater est, nisi Dei metus altius cordi fuerit impressus; cumque deficiunt bona, periculum instat, ne multa patrentur mala. Quamobrem Salomon a Deo petebat nisi ingentem divitiarum copiam, saltem opes eas, quibus paupertatem posset avertere. *P.Caussinus l. 1. Aula Sancta.*

Opibus in utramque partem uti possumus. Considerate, divites mundi, quod debeatis Deo, & quænam vos urgeat necessitas sanctè vitam traducendi, cum sanctitatis instrumentum præ manibus habeatis. Ne putetis ultra divitias esse vestræ salutis, æternæque beatitudinis impedimenta. Hoc enim malum nonnisi ex cordis vestri corruptione, & pravo divitiarum usu proficisci potest. Si illis perperam abusi fueritis, plumbeæ sunt, ac vos in certissimum interitum dabunt; sin autem bene utemini, vobis idem erunt, ac volucribus alæ, pennæque, quarum ope in Cœlum usque possitis conscendere. De divitiis idem est ac de Nilo flumine; mirabile prodigium fuit videre unam ex plagis, quibus Deus Ægyptum percussit, aquas videlicet fluminis illius pro Ægyptiis in sanguinem esse conversas, cum interim pellucidæ essent, atque limpidæ Israelitis, qui iisdem ad bibendum, ac in omnibus humanæ vitæ necessitatibus utebantur. Nonne hæc eorum figura est, quæ hodierna die in Fideli mundo videntur? Mali divites tamquam ex flumine pauperum sanguinem hauriunt impotentia, ac dolis suis; cum interim veri fideles in opibus, quas illis large contulit Deus, aquam puram inveniant, quam largitatibus suis, bonis operibus, atque eleemosynis effundunt in publicum. *Idem.*

Ipse Dei Filius nos monuit, spinas exhibere hujus terræ divites, qui fallacibus bonis occupati cœlestes gratias verbique Dei operationes impediunt. Inter divitias, & spinas perfectam deprehendere possumus similitudinem. Si spinæ steriles sunt, & non afferunt fructum, non ideo minus steriles sunt divitiæ, Sanctus Chrysostomus hom. 32. in Joan. inquit: *Spinæ steriles, & divitiæ.* Si spinæ pungunt, nonne & divitiæ acutissimos habent aculeos? Terræ hujus bona, eruditus quidam Interpres ait, pungunt, & lancinant cum acquiruntur, cum possidentur, & cum amittuntur: *Cum acquiruntur pungunt per laborem; cum habentur pungunt per timorem; cum perduntur pungunt per dolorem.* Jure profecto dicebat Isaias, c.14. divites Ericiis in prædam datum iri: *Ponam eam in possessionem Ericii.* Hoc enim animal neque pauciores habet aculeos, neque minora infligit vulnera, quam divitiæ. Si spinæ serpentes, & virulenta tegunt insecta, divitiæ quoque, ex S. Chrysostomi sententia, plurima tegunt monstra, plurima continentes vitia. Denique si spinæ morantur, impediunt, prohibent, ne quis accedat; divitiæ hoc ipsum præstant in illis, a quibus possidentur, habent enim invisibiles catenas, quibus illos ita nectunt, impediuntque, ut ad Cœlum progredi minime valeant. *Essais de sermons pro Sexagesima Dominica.*

Quinam sint divites illi, qui in hac etiam vita sunt veluti reprobati. Quinam illi sunt divites, in quos Dei Filius tot maledicta ejaculatur? Sunt divites hujus sæculi, divites superbi, divites sibimet indulgentes, divites opprimentes eos, quos tueri deberent; divites, qui inter summos, & imos discrimen illud constituentes, quod Sacra Biblia condemnant, alios quidem colunt, contemnunt alios; divites demum, qui confidentiam suam in incertis opibus statuunt, quin confidant in Deo divitiarum, in Deo viventi, qui affluenter ea, quæ ad vitam sunt necessaria, suppeditat; divites crudeles, qui ad sponsi convivium non admittuntur. Quid ergo de vobis fiet, divites nequam, qui cupiditati vestræ impenditis bona, quibus cumulati fuistis, ut pauperibus erogaretis; vos, quibus rerum copia, & prosperitas ferreum animum tribuere; vos cujus luxus in ea, quæ superflua sunt, effunditur, & qui tunc solum parci, & avari estis, cum flagitamini, ut eleemosynas erogetis, vos qui nullum humanitatis sensum amplius fovetis, videtis Christianos esurientes languescere, & intermori, quin illis afferatis opem? *Idem pro Dominica infra octavam Corporis Domini.*

Divites hujus sæculi divitias tamquam bona respiciunt, quæ cæca sors pro variis temporum vicibus de manu in manum traducit; qui eas curis suis quæsivere, illis tamquam laboris sui fructu tranquille fruuntur; qui per hæreditatem illas consecuti sunt, nativitatis jure sese earum absolutos Dominos putant. Cœci, Deus inquit per Prophetam, discite aliquando, aurum, argentumque meum esse, utrumque a me in terræ visceribus efformatum fuisse, ac non minus meum esse, cum in arcis vestris clausum asservatur, quam cum in montium fodinis latet, unde illud effoditis, ut vanitatem, luxumque vestrum expleatis. *Meum est aurum, meum est argentum.* Joel. 3. At si verum est, Deum supremum esse divitiarum Dominum, earum quoque dispensator est; eas paterna ejusdem manus distribuit, quemadmodum omnipotens ejusdem manus efformat. Ita Sapientia illius, quæ omnia facit cum pondere, & mensura, harum divitiarum dispensationem in aliquem finem, & usum determinare debet, neque validæ desunt causæ, quibus eas aliis quidem elargiri, aliis vero negare teneatur. *Idem pro sexta post Pentecosten Dominica.*

Discrimen bonorum, malorumque divitû in divitiarum suarû possessione. Quod opulenti tanta affectione in hoc mundo possident non bonum tantummodo, verum etiam substantia vocatur, ad innuendum discrimen illud, quod inter ipsos, justosque intercedit: ita ut si justi mundi opes tamquam mera accidentia respiciunt quibus facile carere possunt, & quorum jactura perfunctoriam dumtaxat in illis suam felicitatem constituunt, easque se amittere posse minime putant, nisi simul & esse, & vivere desinant. Non miror ideo, si illis toto pectore adhærentes mortem metuant, & sola hujus cogitatio eos terrore, atque amaritudine repleat. *O mors, quam amara es homini pacem habenti in substantiis suis!* Eccli. 41. *Ex sermone de morte, qui P. Bourdaloue nomine circumfertur.*

Cum Homines hujus terræ bona cæteris quibuscumque censeant anteferenda, accidit, ut qui affluunt illis, falso putent se solida, ac vera bona possidere; unde sequitur, quod intrinsecus superbia intumescentes, elati sunt, ambitiosi, ac secreta jactantia repleti. Hinc illa exitit præsumptio, atque contemptus, quo proximum despiciunt: præsumptio, qua freti se tantum pares existimant maximis reipublicæ muneribus obeundis, quasi quia suppetit ipsis, unde honores emere possint, vera etiam suppeterent merita, quibus dignitatibus iisdem possent defungi. *Ex Auctore recenti.*

Nihil vulgatius est, quam invenire divites oblitos Dei; putant fortunam industriæ tantum suæ deberi; quæ etiam eorum sententia est, qui in magna rerum affluentia nascuntur; sed illi, quos repente felicis auræ flatus eo transtulit, numquid magis humiles, modestosque sensus fovent? Id genus mortales, qui ingentes agros late possident, qui in magnificis ædibus habitant, quorum arcæ auro, argentoque redundant, quibus plurimi famulantur servi, quorum conclavia aureis peristromatis, argentea supellectile renident, quibus ad venandum, equitandumque plurimi adlatrant canes, & nitriunt equi; quibus amicorum, vel potius adulantium assidet corona; id genus, inquam mortales, numquid Deo gratias agunt, vel habent? *Fromentiere sermone de peccatis divitum.* Divites facile obliviscuntur.

Si divites sunt ambitiosi, quemadmodum omnia pecuniæ patent, numquam tot illis suppetunt divitiæ, ut immodicis eorum sumptibus sufficiant; fortunæ rotæ alligati omnes illius motus sequuntur, indesinenter ridiculo consiliorum ambitu, ac jugi desideriorum circuitu circumaguntur jumentis similes, gravem trahentibus molam, cui sunt devincti .... At enim numquid locupleti viro æqua prohibetur prævidentia, & prudens interdicitur œconomia? Haud ita sane; & sibi, & familiæ suæ prospicere debet: verum Divites ambitiosi.

im-

immodice seipsum torquere non debet, neque vel animæ suæ requiem, vel Christiani hominis officia sacrificare curæ parta bona tuendi, vel etiam legitimis rationibus augendi. *Desumptum ex sermonibus moralibus.*

Desiderium congerendi bona in corde tuo succensum est, nihil ultra requiritur, ut vita tua amaritudine repleatur, & te in certum interitum tradat; desiderium hoc quam primum augebitur, sexcentisque aliis originem præbebit, quibus mirum in modum torqueberis. Nemo repente fit dives, & nonnisi post multos exanthlatos labores divitiæ acquiruntur. Quot autem sese tibi offerent viæ, ut votorum summam assequaris, tot recentia desideria concipies. Existimationem tibi conciliare, amicos comparare, patronosque demereri studes, inire cupis societates, obire negotia, familiaritates statuere, jam aliena investiganda sunt consilia, & propria omnibus, si fieri potest, contegenda. Simul, & sumptibus parcere, & mutuari, emere, ac iterum vendere curas: *Incidunt in desideria multa*; 1. ad Timoth. 6. hæc est desideriorum turba animam occupantium, dividentium, laniantium .... Sin autem ut res tibi facilius e voto cedat, ut periculum aliquod effugias, ut ingentem quæstum referas, fallere opus est, pejerare, alienæ famæ notam offundere, proximi bona retinere; nisi aliter insignem aliquam jacturam evitare posses, nisi alia patet via, ne in interitum ruas; quæ turba! quænam agitatio! quam mortalis sollicitudo! at simul quam terribilis tentatio! Dicis quidem te restiturum; at Spiritus Sanctus id negat: *Demergunt homines in interitum, & perditionem. P. de la Colombiere.*

Difficultates terrena bona cumulanda, asservandique.

Si argentum quæris, quot avaros in eadem reperies via post idem objectum currentes? Quemadmodum autem hujusmodi bona suis finibus coercentur, & sane exiguis, omnibus satis esse non possunt; contendendum est igitur, quorum futura sint; cum in hac contentione singuli alios propulsare quærant, ac semet a dolis, laqueisque tueri populi ex tot adversariis conflati, quorum es inimicus statim ac te æmulum profiteris. Non exigua requiritur felicitas, ut hæc omnia superentur, utque solus id assequatis, quod tot ad se trahere conatur. *Idem.*

Opes fallaces, ac fluxæ.

Verum est, JESUM CHRISTUM, Matth. 13. ubi de divitiis verba facit, eas fallaces, dolosasque vocate; *Fallacia divitiarum*; semper enim id pollicentur, quod præbere non possunt, efficiuntque, ut objecta videantur alia ab illis, quæ sunt. Detegitur tandem aliquando earum versutia, sed nimis sero.... Dei quidem filius divites anathemate percutit: *Væ vobis divitibus*; at mundus eos beatos appellat, qui a JESU CHRISTO damnantur. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Ps. 143. Hic error, & hæc cæcitas inter Ethnicos quodammodo excusabiles viderentur; verum quomodonam fieri potest, ut fideles erroribus Mundi, potius quam Evangelicis veritatibus hæreant? Heus perniciosam hanc illusionem abjiciamus. *P. Dozenne lib. cui titulus: le monde condamné par lui meme.*

Pater familias tenetur status sui rationem tueri, & nonnumquam etiam augere bona sua, ubi id legitime possit, ut consulat filiis suis, eosque in illum statum adducat, ubi vitam pro conditionis suæ decore traducere possint; ne eorum bona contemnens in periculum illos objiciat, & honorem, & salutem amittendi. Hanc illis obligationem imposuit Deus, qui & ipse filiorum eorum pater est, immo ratione longe præstantiori. Ita qui misera negligentia, vel pœnæ metu, vel quietis amore, vel immodica voluptatum suarum cura, familiæ curam negligunt, & filiorum bona contemnunt: qui negotia impeditissima relinquunt, litium, ac dissidiorum seminaria, ideoque plurimorum criminum occasiones, filiorum suorum fortunas evertentes, eorumque salutem in periculum adducentes, nonne propriæ officiunt conscientiæ, salutemque suam in apertum discrimen objiciunt? *P. Nepveu 3. Tomo Christian. Consider.*

Dives statum suum incultus,

Tantum abest, ut opes divitibus superbiam inspirare debeant, quemadmodum passim usuvenit; quod immo illi statum reputantes suum tamquam JESU CHRISTO oppositum, qui pauper vixit, & obiit; & maledicta in eos ejaculatus est, qui suas opes deperennt; seipsos debent humiliare. At quotusquisque suas opes non adamat? Denique diviti metuendum est; divitiarum enim status, status est concupiscentiæ, superbiæ, mollis vitæ, ac in se quidem indulgentis, in alios veræ asperæ; plurimosque complectitur obices ad salutem propter occasiones, quas præbet, propter desideria, quæ fovet, propter potestatem, quam tribuit nequissimas etiam affectiones explendi. At si dives es ita ne tuum reputas statum? *Idem.*

seipsum deb. humiliare.

Dæmon illius potestatis effectu, quam supra corpora spiritus obtinent, JESUM CHRISTUM super altum montis verticem transtulit, ibique illi omnia Mundi regna ostendit, seu oculis ejus omnia admovens objecta, seu regnorum omnium veram illi objiciens imaginem, vel potius fallacem illi regnorum speciem obtrudens, dixitque ei Matth. 4. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Quænam vulgatior, atque validior illecebra, quam desiderium plura iis, quæ habentur, possidendi? *Hæc omnia tibi dabo*; Quid non possunt hæc verba? Nonne quotidie his justitia verumdatur, pudicitia corrumpitur, regna evertuntur, optimique amici produntur. *Desumptum ex manuscripto sermone de amore.*

Cave, credas, opes, atque hujus mundi prosperitatem Dei gratias esse, quas electis dumtaxat largitur. Sæpe Deus in ira sua concedit divitias, quæ ab ipso postulantur, easque, puniens, ut S. inquit Augustinus, concedit. Decreverat ille, latentem, humilemque te ducere vitam, ut tuto ad gloriæ cumulum te proveheret; tu vero pertinaciter consilium illius explodere non dubitasti; tibique vitæ systema constituisti affectibus tuis accommodatum, atque voluntatem ipsius tuæ subjicere voluntati conatus es. Tu tibi fata tua proposuisti; ille tibi concedit, quæ petis, ac te iratus exaudit; opes, dignitates, honores, ridentem fortunam, felices successus, hæc omnia fortasse tibi in supplicium permittit. *Sermo manuscriptus.*

Deus sæpe in ira sua divitias tribuit.

Si dives es, ne putes satis esse, si ob divitiarum tuarum possessionem elatus non intumescas; oportet etiam ea non amare, quæ possides, neque in illis confidentiam statuere. Et profecto, Auditores, nonne insipiens credendus est, qui incertissimæ innititur rei? Hæc est terrenarum divitiarum conditio. Quot enim familiæ ob unicam fortunæ mutationem defecere, & in interitum lapsæ sunt? Quot jacturæ, quot mortes? Sed o sæculi cæcitatem! licet tot affulgeant exempla, homines errorem suum numquam abjiciunt: in iis confidunt, quæ fluxa, fragiliaque sunt, quin in Deo, qui unicum, solidum, æternumque bonum est, confidere velint. Quorsum autem in divitiis confiditis, quæ præterquamquod vera bona non sunt, neque vos beatos possunt efficere, velitis, nolitis, a vobis erunt aliquando relinquendæ, cum mors auferet illas? Cur igitur tot curis torquimini, cur tanta contentione adlaboratis? Cur tot periculis vosmet objicitis, ut fluxas, ac peritura res acquiratis? *Ex Auctore recenti.*

Audite hæc, o divites; & si hæc nostis, nonne jugiter vobis terrorem debent incutere? Communis tantum sufficit virtus, ut pauper salutem consequatur; dives autem virtutes omnes præstantissimo in gradu obtineat opus est. Non satis huic est, si ambitionis, avaritiæ, injustitiæ nomine nequaquam notetur; adhæc requiritur, ut neque amorem, neque confidentiam in bonis suis statuat, ut paratus sit eorum jacturæ ferendæ, ubi hæc illi auferri placuerit Domino; ut charitatem exerceat in proximum; præsertim vero, ut opibus suis optime utatur. Hinc licet arguere, divites numquam in via salutis futuros, nisi omnes hæc virtutes in illis effulserint. *Idem.*

Difficilius divites præ pauperibus salvantur.

Divitem esse, & esse damnatum, profecto necessaria illatio non est; quemadmodum neque ex eo quod quis pauper est, necessario consequitur, hunc salvum esse. Cum obex, quem divitiæ saluti constituunt, nequaquam sit insuperabilis; jus etiam, quod pauper-

pertas ad æternæ gloriæ consecutionem confert, excidere potest, & alienari. Occurrunt in Scripturis Abrahæ, atque Davides salvi, licet magnis affluerent opibus, supremaque auctoritate pollerent. Occurrunt etiam Judæi in Ægypto captivi, atque in solitudine rerum omnium egeni, qui licet pauperes damnati sunt. Deus potentes non rejicit, quandoquidem ipse etiam est potens, & illorum affluentia æque, ac auctoritas quædam est divinæ emanatio. Virtutes tantummodo, & bona opera respicit, quæ ab utrisque in suo statu exercentur. *Joly Propositione pro 6. post Pentecosten Dominica.*

Curæ, & sollicitudines, quas gignunt divitiæ.

Quomodonam loquitur JESUS CHRISTUS, ubi de opibus verba facit? *Sollicitudo divitiarum*. Non ait solum *divitiæ*, sed *sollicitudo divitiarum*, ad innuendam anxietatem, quam plerumque afferunt secum. Eas alibi spinis pungentibus, doloremque afferentibus comparat. Et sane quis dolor unquam cum eo potest conferri, quo afficitur, qui divitias consectatur? Quibus curis cor illius non torquetur metuens, ne quod habet, amittat, & ea quæ non habet, festinans acquirere? Quænam illius desperatio, cum adversa jactatus fortuna, vel inopinata obrutus calamitate, vel ut Christiano viro dignius loquar, secreto Providentiæ ordine tactus, eorum jacturam subit bonorum, quæ illi tot, tantisque laboribus steterant? *P. Masson Oratorii Presbyter, sermone de Domini nostri nativitate.*

Qui cæca, violentaque congerendarum opum libidine furit, eas quocumque pretio cumulate contendit; omnia mentis suæ consilia depromit; omnes inquirit rationes, quas industria suggerere potest; lites excitat contra simplices, innocuosque, qui injusti hominis, interitumque afferentis vim propulsare, dolosque eludere ignorant; atque hoc pacto eos bonis omnibus exuit. Pecuniam in fœnore collocat; scit aliquem pecunia indigere, quia gravissimis negotiis urgetur; huic promittit, huic donat tamen non sine insigni usura; mutuum dat, dummodo tamen sibi oppignoretur domus aliqua, vel prædium, quod novit numquam liberaturum, ideoque videt obæratum sibi coactum iri, ut vili, modicoque pretio illud venumdet. Verum hæc lævia sunt crimina si conferantur cum rapinis eorum, qui populorum bona diripiunt Principis auctoritate abutentes, ut ea, quæ sibi minime debentur, impotentius extorqueant. Quicumque ditescere cupit, a Dæmone in quovis iniquitatum genere tentatur, ut per fas, & nefas eo, quo contendit, evadat. *Ex manuscripto sermone.*

Insani devitiô sumptus.

Ambitiosus, qui potens est, & locuples nil modice facit, ut inter alios maxime niteat. Commoda, & honesta domus illi non sufficit; magnificas quærit substructiones, quæ ingentibus claustris plures domos contineant. Ædes ubi plurima hinc inde patent conclavia, variis ambagibus sibimet cohærentia veluti meandri ad fallendum, quam incolendum aptiora. Ædes ad quas extruendas lapidum montes, lignorum nemora, auri, argentique ingentes summæ exhauriuntur. Mensa laute quidem, sed honeste instructa non sufficit; copia, magnificentia, ac exquisitissima dapum condimenta quæruntur; opus est ut ferculorum numero, epularum varietate, salsamentorum confusione, ministrantium multitudine intelligatur, horum non parcere sumptibus, eumque, ut Belum Deum pluribus obsoniis indigere, quam quæ ad viginti familias alendas sufficerent. *Ex Dictionario morali, in Considerationibus de Ambitione.*

Nostis, nos vitæ mortalis spatio ingens mundi hujus arare pelagus fragili nostri corporis rate, alios quidem cœlestes, ut præcipit Dominus; *Negotiamini, dum venio*: Luc. 19. alios terrenas merces comparaturos. Post multos exantlatos labores aliquis tandem ingentes opes adeptus est, verum esto, locupletissimum etiam sit adeptus Imperium. Tandem post diutinam navigationem portus adest in conspectu, jamjam ad æternitatis fines, ac novissima momenta perventum est, ubi horror, metus, dolor, mortis accessus miseram banc naviculam & terrent, & quatiunt: *Cum irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas ingruerit*. Prov. 1. Nihil intentatum relinquitur, ut naufragium hoc evitetur, pereundum est, moriendum est, & opus est, ut quassa navis in inevitabilem mortis allisa scopulum conteratur; tunc anima e pereunte rate prosiliens, ac naufragium effugiens in æternitatis portu consistit, ubi simulac pedem figit, ex ea percontor, o divitis, avari, potentis hominis anima quonam abiere thesauri tui; quid factum est de magnificis ædibus, splendida supellectili, ingentibusque pecuniarum acervis: *Et quæ parasti cujus erunt?* Luc. 12. *Maimbourg 1. serm. Quadrag.*

Neque paupertas neque opes sunt sanctitatis indicium, sed usus earum.

Non omnis paupertas sancta est, neque omnes divitiæ nefariæ, S. inquit Ambrosius. Videntur nonnumquam egeni, qui inopiæ suæ pondere sese obrui sinunt, & contra Dei Providentiam insurgunt; verum etiam divites nonnumquam occurrunt, qui auri fulgore se falli non patiuntur, qui bona possident, non possidentur ab illis. Si divitiæ sunt gladius in insipientis manu, corona sunt in manu sapientis: *Corona sapientium divitia*, inquit Spiritus Sanctus *Prov. 14.* Si divitiæ in prodigorum, avarorumque manu sunt iniquitatis thesauri, in manu justorum, atque prudentum fontes sunt meritorum. Sed heu! ubinam hic justus, hic vir prudens invenietur? Ubi hic, qui coram fortunæ ac mundi Idolo genua non flexit? Inter omnes divites eum inquiramus, qui ex auro suo Deum sibi minime effinxit, qui non credidit, divitias totum esse robur suum, qui suis illectus opibus auro non dixit, tu amor meus es, & fiducia mea, tu spes mea, ac finis laborum meorum. Fateamur necesse est, pauper propius, quam dives ad virum bonum accedit. Perratum est, ut quis simul & divitiis, & virtute sit præditus; difficillimum est, bonum esse inter divitias, atque salutem cum terræ bonis conciliare. *Sermo manuscriptus de bono divitiarum usu, quem P. Massilon esse ferunt.*

Tale est divitiarum desiderium, & amor; illis comes accedit iniquitas, & calamitas. Quot malis, atque periculis obnoxius non est, qui opes inquirit, & deperit? Pericula a communi salutis nostræ inimico, qui vehementibus nos aggreditur tentationibus, & qui in singula fere momenta prope inevitabiles insidias struit: *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*; Apostolus 1. ad Timoth. 6. inquit. Pericula a nostra concupiscentia, quæ sexcentis non mancipat desideriis inutilibus, & nocuis, quæ nos in mortis, ac perditionis abyssum immergunt. Pericula a fide, quæ tuto non viget in corde, ubi hujusmodi regnant desideria. Pericula a corpore, quod in fallacium bonorum perquisitione gravissimis angoribus excruciatur; *Et inseruerunt se doloribus multis*. Ubique tandem pericula; nam *radix malorum omnium cupiditas*. *Idem*.

Apostolus afferit eos qui ditescere cupiunt, in tentationē decidere.

Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, inquit Apostolus. Tentationem pro illis, qui opes congerere student; ut enim votorum summam consequantur, non parcunt dolis, non iniquitatibus, non rapinis, non perjuriis, non cœdibus; nihilque intentatum prætermittunt, ut voti damnentur. In statibus omnibus videmus, scelus divitiarum acquisitioni inservire; mercatoris officinam laqueis esse refertam, ad decipiendos emptores; Judicis subsellia semper instructa ad agellum viduæ eripiendum, & Magistratuum os semper apertum ad sententiam proferendam, ex qua lucrum non modicum referatur. Filius pauper egeni patris pertæsus fanda, infandaque patrat omnia, ut undequaque divitias aggerat: & filius dives divitem patrem perosus, illius crudelis fit parricida, ut omnia ejusdem bona possideat. Denique omnibus amantibus opes, legem nullo esse in discrimine, Sapiens testatur: *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam*. Profer mulierem sapientissimam: ubi semel auri, argentique cupiditas ejus tetigerit animum, heu! quamprimum illa se corrumpi sinet, & jure Salomon dicet, nullam fortem inveniri mulierem, quia nulla huic tentationi resistere potest. Da mihi integerrimum Judicem, ubi opes diligere occœperit, jam dolosas stateras habet, quæ semper eo vergant, quo utilitas sua, non quo recta postulat ratio. Mercator, qui tantopere studet bonam

fidem

fidem in negotiis servare, pietatis rationes contemnet, ubi bonum illud sit adepturus, quod est suorum votorum objectum: Sacerdos, cujus alioquin frugi vita est, sanctique mores, & qui in sententiis suis adeo constans, & in consiliis rigidus est, ubi pretiosi metalli fulgor oculos ejus perstrinxerit, nonne Sacramentorum, ac sacrificii, & Religioni, & mundo invisam mercaturam exercet? *Idem*.

Si quis in mundo status est, ubi divitiarum possessio legitima videatur, hic proculdubio nobilium virorum status est: divites oriuntur; & Providentia, quæ illos nobiles efficit, facit simul & divites, ut opibus eorum fulciat nobilitatem. Ab omni mercatura remoti, fraudes, ac sordidos quæstus ignorant, ac bona suo tantum generi debent. Verum si eos sequaris in iis bonis, quibus donati fuere, videbis quamprimum ab iniquitate illa produci. Creditores frustrati, bona in ludis, aleisque dissipata, opes in comessationibus, & compotationibus perditæ, redditus in luxu, & vanitatibus alendis insumpti; hæc omnia eos cogunt, ut quantocyus alienos agros invadant, alios supplantent, criminosis assentationibus Regis gratiam aucupentur; verbo, nihil inausum, nihil intentatum relinquant, ut quocumque pretio suas opes restituant, & in alienis jacturis, atque excidiis fortunæ suæ reparationem inveniant. *Alius Sermo Manuscriptus*.

Divitiarũ iniquitas in vulgatissimis etiam conditionibus invenitur.

Neque putetis iniquitatem, quam divitiis Sapiens attribuit, in summis tantum conditionibus inveniri. Magis communes, atque ordinariæ conditiones hominum in bonorum suorum acquisitione, iniquitate, & infidelitate non carent. Forum, quod institutum est, ut suum cuique tribuatur; plerumque viduæ bona diripit, & pupillum de suo jure deturbat, venalis nonnumquam est auro justitia, & non semel uno calami ductu sexcentarum simul familiarum fortuna mactatur. Ibi in antecessum servorum captatur benevolentia, ut heros eorum, penes quos judicium est, deliniant; ibi nonnisi fraudibus aguntur causæ, nonnisi utilitatis spe lites inferuntur, nonnisi favore victores judicio decedunt. Undenam ingentia hæc possidentur bona? Nonne fructus sunt dignitatum per vanitatem emptarum, & per avaritiam adeptarum? Nonne judiciorum, ubi præsides munusculis capti patiuntur, ut bona causa vincatur, ut vidua bonis exuatur, & injustitia triumphet? Sin autem innocentia deseritur, nonne collata munera in causa sunt? nonne venalibus judiciis, ut Propheta loquitur, hujusmodi comparantur divitiæ? *In muneribus judicabant*. Mich. 3. *Idem*.

De Ecclesiasticorũ opibus.

Vos autem, Ecclesiastici, quos æquum esset ita divitiarum contemptu, ut ministerii sanctitate populis præstare, bona vestra, eo quod sancta sunt: numquid melius sunt acquisita? Haud ita, ut plurimum, proculdubio; nam Beneficiorum redditibus frui, quin digne illorum adimpleantur officia; majores semper redditus inquirere, ut majores fieri sumptus valeant; Ecclesiæ propter aurum, non propter Dei gloriam inservire; quotidie ad aras accedere per avaritiam, non per devotionem, prædicare propter utilitatem, quæ inde redundat; non propter animarum conversionem; hoccine est justis, legitimisque rationibus locupletari? Hoccine jus habere ad Domini patrimonium, an potius sordidam pietatis, & eorum omnium, quæ in Religione sanctissima habentur, facere mercaturam? *Existimantium quæstum esse pietatem*. 1. ad Timoth. 6. *Idem*.

Liceat, esto, legitimis rationibus opes congerere, at quotusquisque non mavult per fas, & nefas ditescere, quam intra justos æquitatis cancellos contineri? Heu! hæc locupletandi via nimis longa, lentaque est, ut cupidam hominum expleat impatientiam. Integris opus esset sæculis, ut legitimis viis ingentes cumularentur divitiæ, cum interim brevi per fœnora, & iniquitates alienis sumptibus magnæ opes conflentur. Cum quis suas mutuas dat opes ad tempus; ut alienas in æternum deglutiat, tunc perniciosissime augentur thesauri. At scias, opes has ita quæsitas non diu vigere, & fortunam, quæ per fas, & nefas coaluit, quamprimum in interitum ruere. Qui aliena abusus fuerit egestate, inveniet, qui vicissim abutantur sua; quemadmodum enim hominum vita instabilis est, ac mutationibus obnoxia; pauper, qui factus fuit locupletioris præda, mox illius dominus fit, & sæpe illum magis deprimit, quam ab ipso fuerat depressus. *Idem*.

Divitiæ sæpe Religioni opponuntur.

Difficile est plurimum & divitiarum, & Religionis simul habere. Multum fortunæ nequit impendi, quin multum pietati subtrahatur; tunc tandem ad æternorum Cœli bonorum possessionem appellitur animus, cum fluxa terræ bona non amplius possidentur. Verbo; Religio totum hominem poscit, & bona hæc temporalia non sinunt, nisi ut partim ad summum sese illi tradat. Si enim dives sui ipsius partem externæ Religionis speciei tradit; nonne intimam cordis sui partem divitiis reservat, & cum in Templis ante aras prostratus Deum adorare videtur, sæpe contingit, ut aurum tantummodo adoret. Quamobrem S. Paulus inquit eum, qui cor opibus mancipat, nihil minus a Dei Regno abhorrere, quam qui thus idolis adolet. O monstrosus divitiarum effectus, quo Christianæ Religionis sensus suffocantur! vulgo enim se divites putant, ut seipsos ament, cupiditatibus suis satisfaciant quin Dei, proximique ullam habeant rationem: maxime essentialia Religionis officia nullo habent in discrimine, quasi hoc esset Christianum esse, non amare JESUM CHRISTUM, & proximorum calamitate non affici. Seipsos excæcant, ne sancta Evangelii dogmata inspiciant ..... Ut verbo me expediam, ubi aliquis locupletatus est, tunc pœnitentiam facere detrectat, omnem respuit mortificationem; quasi divitiis congestis jus sibi compararet in omnia ruendi flagitia; & leve aliquod malum pati refugit, quasi pœnitentia ad eos tantum spectaret, quibus illius evitandæ ratio non suppetit. Interim omnem Religionis sensum divitiæ suffocant in corde eorum, qui eas simul possident, & possidentur ab illis. *Idem*.

Fatendum est, perraro inveniri, qui fluxis mundi hujus bonis non hæreat animo; boni enim viri, de quorum virtute ex illorum statu, atque professione judicium fertur, ab hoc universali divitiarum amore vacui non sunt; ita ut qui in illis spem, præsidiumque suum non constituunt, æquo jure Sancti habeantur. Innumeræ excogitantur rationes ad opum cupiditatem excusandam, & ad probanda consilia, quibus ad divitias comparandas utuntur. Quilibet hac in re miro pollet ingenio, ac solum Dei lumen ostendere potest, rationes has, & excusationes. Si hac nota immunis es, magnus eris, & vere dives in oculis Dei, ab Angelis, & hominibus in pretio, ac benedictione habitus. Si tibi bona Deus confert, excipe illa, tamquam adminicula bona ad opera facienda, egenisque opem ferendam: at cave, ne affluentia tuæ inserviat voluptati. *Ex tomo primo Epistolarum P. Surin*.

Divitum durities in egenos.

Divites seipsos respicere præsertim videntur tamquam mundum alium ab hominibus reliquis separatum. Putant, se solos esse, qui terram omnem possidere debeant, omnemque fructum percipere; alios sibi fratres non esse, sed servos, ideo natos ut ipsis deserviant, atque indignum esse eorum calamitatibus tangi. Credunt se jure illos opprimere posse, vel saltem sine ope inter gravissimos mœrores, angoresque deserere, potiusquam iis se rebus privare, quæ alioquin prorsus inutiles sunt. Non cogitant futurum ut opes, quibus abutuntur, cum hac vita illos relinquent, quæ quidem velut somnium est dierum paucorum; atque tunc nihil inventuros in manibus suis ex iis omnibus, quæ se possidere arbitrantur, donec in hac terra versantur. Se ita divites, bonisque refertos putant,

putant, ut nulla re indigere credant; sed eum prodibunt ante Judicis oculos sine ulla miseratione damnandi, quemadmodum fratrum suorum miserti non sunt, fatebuntur, se pretioso charitatis auro, quod unum divites facit, destitutos nudos esse, pauperes, cæcos, & ad extremam inopiam redactos. *De Sancta Martha. Tom. 2. Tractatuum Asceticorum. Tractatu de eleemosyna eroganda obligatione.*

Quocumque modo possidemus opes, sive illas industria comparaverimus, seu a parentibus hæreditario jure nobis traditæ fuerint, illas uni Deo acceptas referre debemus, confitentes, ipsum nobis eas quotidie impertiri; easque ita esse nostras, ut nonnisi juxta ejusdem imperium illas disponere debeamus, quo indigentibus erogare jubemur. Si Deus nobis confert divitias, certo certius est, ipsum eas nobis non conferre, ut affectibus nostris satisfaciat; & vetat sub necessitatis prætextu a nobis divitiarum tantum congeri, quantum ambitio, & superbia nostra desiderat. Imperat, ut illis peccata redimamus, illas in operibus charitatis erogemus, easque ita impendamus, ut non abutamur, ac denique meminerimus, nullum nobis adesse jus, ut majorem in nos, quam in alios homines liberalitatem exerceamus; quandoquidem ea tantum in nostrum usum convertenda sunt, quæ ad victum sunt necessaria. *Idem.*

Cupiditas, ex Apostolo, malorum, vitiorumque omnium fons est; nullumque malum est, quod cupiditatis spiritus secum non trahat; inde existunt odia, ultiones, jurgia, discordiæ, lites, quæ familias, & bella, quæ subvertunt imperia. Nullum est vitium, in quod hæc eadem habendi libido nos non impellat. Qui divitias congerere student, incidunt in tentationem, in laqueos Diaboli, & in plurima desideria inutilia, ac perniciosa, quæ, ut inquit Apostolus, mergunt homines in interitum, & damnationem. Homo divitiis affluens, & hujus terræ bona diligens fere semper est ambitiosus. Quid homo dives non potest? Cumque possit omnia, se super omnia positum credit; contemnit pauperes, eos despicit, ac dedignatur, atque cum illis aspere agit, & inclementer divitiæ superbiam inspirant, & inflant: quo pervenire negatum est, ubi ingentia bona possideantur? Divitiæ viam quocumque aperiunt: summi appetuntur honores, maximæ occupantur dignitates, quin oneri earum ferendo pares simus, & quemadmodum illas adepti sumus non alio, quam divitiarum merito commendati, injuste exercemus, quod indigne obtinuimus. Raro divitem videbis non libidinosum, ac nequissimis voluptatibus sese minime ingurgitantem. Dives in hoc potest, quodcumque cupit, quid autem non cupiat dives libidinosus, & pervicax? Facile nefarios quoscumque affectus explet, ubi facile, ac impune hoc fieri possit; quorum utrumque præstant divitiæ. In fidei, spei, plerorumque spiritualium bonorum amittendorum periculo versatur, qui nimis festinanter temporalia bona cumulare studet, atque salutis suæ quamprimum obliviscitur, qui divitiarum cogitatione distinetur. *P. Nepveu in libracui titulus: L'Esprit du Christianisme.*

Divitiæ beatum efficere nequeunt hominem in terra.

Extra omnem dubitationis aleam positum est hominem divitiarum possessione felicem fieri non posse; sed si ulla in hoc mundo esse potest felicitas, eam esse, si habeat, quod cupit. Si ergo cordis nostri desideria regere possumus, eaque ad alterius boni acquisitionem erigere; profecto, ubi illud possideremus, essemus beati, licet auro, argento, redditibusque omnibus careremus; & quamvis omnes Regum omnium thesauros obtineremus, tamen infelices essemus: ea re carentes, quæ felicitatem nostram debet efficere. In Mundo autem sexcenta sunt, quæ præ divitiis cordis nostri affectum magis merentur; ergo sine divitiis possumus esse felices. Et sane bona valetudo nonne opibus præstat? nonne scientiæ divitiis longe sunt anteferendæ? Virtus denique apud cordatos homines nonne majori in pretio est habenda? Huc desideria nostra debent contendere, hic cor nostrum morari; hæc nos in terris longe beatiores possunt efficere; cum e contra quo majores possidebitis divitias, eo majori earum desiderio flagrabitis, & numquam eritis contenti. Vobis sint ea satis, quæ a Deo accepistis; ea perfruemini voluptate, quam pollicentur opes, neque earum dolore afficiemini. Non ducetis noctes insomnes præ metu, ne vobis auferantur; nullos habebitis æmulos, a quibus cavendum sit; vitam ipsam in periculum minime adducetis ob eas tuendas; paupertas spiritus vos ex his timoribus eruet, vosque felices efficiet, quantum homini in hac vita esse licet. *Auctor Anonymus.*

Opes quidem sunt necessariæ, verum est, sed tantummodo tamquam bonum utile ad majus aliquod bonum obtinendum, ad victum comparandum, ad vitam, valetudinemque tuendam, ad partum honorem tuendum, ad status sui munera explenda; ita ut si finis, propter quem divitiæ institutæ sunt, magna cum mediocritate potest obtineri, cur plura quærenda, ac pro nihilo magis est laborandum? Media enim optabilia sunt, quatenus ad eum finem adducunt, ad quem sunt dirigenda. *Idem.*

S. Jacobus Apostolus, Salvianus *ad Eccles. Cathol.* ait, divites ad plorandum invitat, quod omnes eorum divitiæ ærugine, ac tineis absumptæ fuerunt, & quod ipsis ultra non sunt nisi ignis, ultionisque thesauri. Æterna illis præparantur supplicia non ob patratas cædes, vel illata stupra, vel sacrilegia, aliaque scelera, quæ lethalia vulnera infligant; sed tantum propter opes, propter immodicas concupiscentias, propter inexplebilem auri, argentique sitim; ut inde colligamus hæc satis esse ad hoc ut, sine aliis sceleribus homo damnetur. Quid apertius dici potest? Non ait diviti; Æternis ignibus adjudicaberis, quia sicarius es, vel fornicator; sed tantum, quia dives; videlicet, quia tuis bonis abuteris, neque intelligis ea tibi collata fuisse, ut sanctius meliusque uteretis. Divitiæ nefariæ minime sunt, sed voluntates eorum, qui abutuntur illis. Divitiæ non sunt causa damnationis hominum, sed homines divitias in suæ damnatiois subjectum convertunt. *Idem.* — Prævus divitiarū usus homines nequam facit.

Opibus affluis? divitiæ tibi sunt omnia; cor earum amore capitur: eæque illi fiunt in idolum: *Dives effectus sum, inveni idolum mihi.* Osee 12. Remissiones in vulgatioribus Religionis exercitiis; dispensationis juxta in præcipuis præceptis; ineptæ decori, ac rationis ideæ, ut vita minus frugi, ac homine Christiano minus digna ducatur; hæc sunt perniciosa privilegia, quæ adoratoribus suis novum hoc idolum concedit. At oh Deus! quodnam erit judicium tuum de illis terribili ultionis die? Divitiæ superbiam inspirant in ipsis actibus Religionis, qui demississimam deposcunt humilitatem. Ad aras quoque videntur inquirere, quomodo divitiores, ac potentiores videri possint. In Templis major semper adfectatur distinctio, nihil de jure suo ibi amittit mollities, nihilque de suo fastu superbia. Paucissimi sunt effectus, qui in rerum affluentia, prosperoque eventu non regnet; nullus, qui metuendus non sit; nullus, qui ad cordis corruptionem non tendat; interim vero quæ adhibentur contra hanc contagionem amuleta? quæ tot in periculis affertur vigilantia? Et mirum adhuc videbitur, quod JESUS CHRISTUS ait, rem summæ difficultatis esse, quod homo dives Cœlum ingrediatur? *P. Croiset. Consid. Spiritual. tom. 2.*

Hic divitias damnare, non est in animo, sed pravum dumtaxat earum usum damnamus. Illæ sunt divinæ liberalitatis effectus; nostrumque est efficere, ut fiant nostræ gratitudinis argumenta, necnon instrumenta nostræ sanctitatis: *Corona sapientium, divitiæ eorum.* Optimus earum usus, in quem a sapientibus erogantur, laude recenti eorum pietatem commendat; charitas ipsorum ibi nova subsidia, & virtus recentem invenire potest fulgorem. — Malus divitiarum usus nocêtes non facit.

Tunc

Tunc divitiæ sunt impedimenta salutis, cum cupiditati fovendæ tantum inserviunt; verum quot bonorum operum fontes esse possunt, ac instrumenta? Eminens fortuna mirum in modum eminenti sanctitati prodesse potest, ubi eadem mentis aciem perstringi non finis. In soliis quoque Sancti Reges imperitarunt, neque defuerunt in qualibet conditione viri sanctitatis laude florentes; divitum conditio summis quidem est obnoxia periculis; verum maxima etiam obtinet privilegia. Quod majus subsidium ad mala desideria propulsanda! quod potentius auxilium ad cupiditatem coercendam! quam præclaræ occasiones maxima sacrificia efficiendi! Divitiæ plurimos sibi in Cœlo possunt amicos conciliare; uti possunt egenorum manibus, ut illuc suos thesauros transmittant; tandem quot cum Domino debita eleemosynis dissolvere possunt. *Idem*.

Supremus conditionum moderator ideo divitibus tantam bonorum copiam large, effuseque donavit, ut pauperum egestatibus opitularentur. Omnia bona, quæ possidemus, supremi dominii jure Dei sunt; eidem tributum, decumasque tenemur persolvere; & quandoquidem ipse eorum obtinet etiam proprietatem, illi eorumdem fructus sunt deferendi. Quid autem Deus? Vult tributum, fructusque hos in pauperum alimoniam impendi: ita ut eleemosyna, quæ erga pauperes actus est charitatis, erga Deum sit actus justitiæ. Numquid ambitio, luxus, crapula causæ sunt satis amplæ, ut ab hoc duplici munere divites soluti existimentur? Sorti nequaquam referenda est accepta inæqualis bonorum divisio! Omnia divina sapientia reguntur; nihil ipsius providentiam fallit; atque si dives in terris rerum affluentia lætatur, pauper aliquando videbit, secundum Dei consilia, secum nequaquam iniquius actum fuisse. Si hoc modo non sentit, ideo non sentit, quod injusta usurpatione dives ordinem omnem subvertit. Hujus ob noxam Dei Providentia videtur deficere; illius erga pauperes inclementia bonum querimoniis ansam præbere videtur, ac eorumdem obmurmurationibus speciosos prætextus suppeditare. Quam impia est hæc inclementia, propterquam tot blasphemiæ evomuntur in Deum! *Idem*.

Divites ut plurimum, præ ceteris sunt duriores.

Omnia charitatis opera ex divitum affluentia debent emanare. At bona fide quæso, numquid inde fluunt ingentes eleemosynæ, quæ ad pauperes alendos eroganțur? Numquid inde Xenodochia subsistunt? Numquid inde Nosocomia vigent, ægrisque solatium affertur? An plerorumque, licet amplissimi, redditus vix indumentorum luxui, servorum catervæ, ludorum, conviviorumque sumptibus sufficiunt? Undenam justæ illæ, ac frequentissimæ languentium, artificum, ac famulorum querelæ, quibus pacta merces negatur? Unde æternum æs illud aliud alienum, quod secretæ substitutionis prætextu tot familias evertit? Magna quidem sunt prædia, at major ambitio: magni exigendi sunt redditus, sed plures affectus explendi; & hac de causa pauperes intereunt fame. O Deus, quænam ordinis perturbatio! quis munerum tuorum abusus! quam religioni, reique publicæ contumeliam adspergunt, divitum sæculi, & insaturabilis cupiditas, & immodica ambitio! *Idem*.

Iis omnibus, qui bonorum affluentia lætantur, ex vera christiana liberalitate quantum honoris cederet? Quid præstantius! quid gloriosius, quam ex egestatis squallore, & veluti ex tumulo plurimos calamitosos eruere! Quid juxta ipsa etiam mundi placita nobilius, quam largitatibus suis fieri servatorem plurium honestarum familiarum, quas muta, & secreta inopia ad incitas redegerat, & quibus eleemosynæ tuæ salutem, vitamque restituunt! Nonne gloria major est eidem JESU CHRISTO in pauperum persona panis offam præbere, quam decem, vel duodecim otiosos, ignavosque homines alere alienis sumptibus vitam trahere quærentes, ut habeant, quid alacrius in sua impendant flagitia? Nulla servorum caterva nobilior, nulla præstantior pompa, quam pauperum multitudo te, veluti patentem alterum existimantium. Cur Mundum hoc poscere, obtrudis? Christianus es; Religio inter densissimas etiam nubes collucet; vox illius inter confusissimos strepitus exauditur; patet, nihil locupleti viro tantam boni nominis famam comparare, quam christianam hanc charitatem. In hac liberalitate magnitudo animæ elucet, mentis nobilitas, ac ingenii præstantia, quæ inanes, aridos, sterilesque titulos omnes excedit, quos vel a prediis, quæ nullum umquam meritum conferunt, vel a majoribus, qui jam obiere, mutuaris. Pravum cor numquam ad exercendam charitatem fuit admodum pronum; liberalitas nobilium animarum est virtus; sed liberalitas in pauperes communis est cordis christiani caracter. *Idem*.

Admiramur tot in mortalium fortunis revolutiones intueri; numquam in scæna tantum mutationis videtur; mortalis idem brevi vitæ suæ spatio quamplures personas gerit; honores, ac prædia crebro dominum mutant. Saltem pauci sunt filii paternæ fortunæ hæredes, & raræ familiæ opulentæ opes suas in posteros transmittunt. Hæc autem prosperitatis inconstantia sexcentis eventibus accepta refertur, qui sane omni culpa vacant. Divitum erga pauperes duritia vulgatissima est harum inversionum causa. Deo negantur tot divitiarum fructus; mirum non est, si ille nobis auferat ea bona, quæ perperam administrantur. Rivulos obstruimus, per quos sese debent effundere bona; hæc quamprimum alio fluent. Vin' florentem fortunam tuam certam, stabilemque facere? Vin' agros, redditusque tuos diu in posterorum tuorum hæreditatem transmitti? Vin' hanc affluentiam in familia tueri? Dives esto charitatis; esto liberalis, munificus in bonis etiam operibus, & eleemosynis. Pauperum victum præstantissima est causa prosperitatis. Benedictiones eorum tempestates avertunt; bona, quæ illis erogantur, Deum ipsum afficiunt, & movent, quidquid illis erogatur, in fœnore ponitur. *Idem*.

Quantum boni efficerent duodecim, vel quindecim argenteorum millia quotannis in egenos effusa! Quot ex desperationis faucibus eriperentur? quot pauperes virgunculæ ex impudicitiæ rostris auferentur! quot obæratæ familiæ ex squaloris sinu educerentur! Plurimi tamen longe majorem auri, argentique vim effundere possent, quin thesauros suos exhaurirent. Pauciores sane alerentur equi, minori pompa per urbem incederetur, minus lauta instruerentur convivia; & numquid ideo, qui hoc faceret, minori haberetur in pretio? *Idem*.

Opes fons sollicitudinum, & curarum.

Fatendum est, magnas opes magnas esse sollicitudinum causas. Curæ, & anxietates passim inde proficiscunt. Spectari ne potest sine ullo dolore jugis hæc revolutio conditionum, fortunarumque incipientium & desinentium; iterumque resurgentium, ac relabentium? Eadem fere sæcula quæ fortunam orientem, eamdem etiam jacentem viderunt; non ædificatur, nisi ex aliorum ruina, neque dicendum, ea quotidie permittere Deum tot miseros lapsus ad hanc inexplebilem habendi cupiditatem puniendam? Suppetebat jam, unde pro status qualitate vivere posses; si minori sollicitudine, & cura ditescere festinasses, si minori superbia intumuisses, neque adeo celeriter ad bonorum apicem properasses, si modum servasses, tutius rem tuam firmare potuisses. Fortuna non adeo celeriter properata longius a lapsu abfuisset. Ædificia, quæ lentius extruuntur, solidiora sunt, atque firmiora; sed vana impatientia pulveris, in quo natus es, excutiendi, in oculis tuis pulverem injecit...... Non sine gravi labore adeo alte provehimur, neque sine graviori adeo festinanter votorum summam consequimur, idque sæpe ad hoc unum, ut diutius lapsum, funestamque sortem defleamus. Oblectatur Deus temeraria ambitiosorum hominum, qui fortunam suam ad nubes usque provehere student, evertens consilia. Venti afflatus novem jamjam potius hostia

hostia subeuntem allidit in scopulos; lapillus ingentem colossum evertit. Quandonam adeo crebra naufragia, hi adversæ fortunæ impetus adeo familiares, atque communes inanem hanc nobis auferent spem felicitatis, qua mundus eos fallit, qui eidem inserviunt? *Idem.*

At esto fortuna mobilis nequaquam sit, & licet tot urgeant procellæ, tot lateant scopuli, tandem portum simus assecuturi. At ideo ne erimus beatiores? Numquid ideo sapientiores nos fuisse dicendi erimus? Ingentes istæ divitiæ undequaque congestæ insignis fortuna, nonne sæpius, ubi salus nostra spectetur, veri interitus sunt? Quot ex felicibus istis divitibus facti sunt ignium æternorum prædia! *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram*; Luc. 6. fructus harum divitiarum, ex Apostolo, severissimum supplicium est; hi cupiditatis thesauri sæpe sunt thesauri iræ: *Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus*. Jacob. 5. At non solum alterius tantum vitæ ratione habita insignes hæ divitiæ odiosæ sunt, quid enim solidum, & quod verum solatium afferat, in hac ipsa præbent? Hæ profecto sunt fructus primorum sudorum, laborumque, ac fons uberrimus sollicitudinum, atque curarum. Non semper felicior est, qui opulentior; immo quotusquisque dives felix esse invenitur? Multa possidet bona, & valetudine bona caret, ut suis bonis fruatur. Magnos redditus habet, cum breve reliquum est vitæ spatium. Uberes adeptus est agros, insignesque titulos assecutus, magnificasque ædes extruxit, at illum post biduum manet sepulcrum. Profecto mundus, ejusque divitiæ apud eos, qui illas bene norit, tot labores, tantamque sollicitudinem non merentur. *Idem.*

Divitiæ magnum saluti obstaculum. Quotusquisque hanc desideriorum insatiabilitatem, hanc divitiarum aviditatem saluti periculosam putat? Attamen aliquidne unquam magis fuit metuendum? Consilia, rationes, conatus, omnia periculo proxima sunt; & nonne de hujusmodi opulentis hominibus intelligenda sunt ea Salvatoris oracula: *Amen dico vobis, quia difficile intrabit in regnum cælorum &c.* Hujusmodi Matth. 19. sermo stuporem injecit discipulis, qui dixerunt, quis ergo poterit salvus fieri? Nulla umquam hac æquior extitit admiratio. At hujus temporis divites credunt ne eidem Oraculo? putantne Fidei articulum esse, quod docet Evangelium? Perterriti sunt Apostoli; divites vero tranquilli sunt, & si quid illis negotium facessit, hoc sane est, quod nondum satis locupletati sunt; & metuunt, ne ditiores, ac potentiores evadant. *Idem.*

Voluit Deus, divites esse, & suas etiam servare divitias, ut indigentibus opem, & solatium ferrent, vel alias ob causas, quæ ad populi ædificationem, ac Domini gloriam collimant. Ita Abraham, cujus cor a terrenis hisce divitiis adeo vacuum, alienumque erat, semper tamen magnas obtinuit opes, ac fortunæ bonis fuit auctus. Ita Job, quem sacra memorant Biblia tamquam inter Orientis incolas locupletissimum, ab omnibus bonis suis, quæ illi possidenda tradiderat Deus, animo erat prorsus avulso, eorumque jacturam insigni patientiæ exemplo perpessus est. Duo hi Sancti viri amorem, quo terrena hæc prosequi poterant, Spiritus Sancti motu vicerant; simul pauperes erant, & divites, ac perfecte ei parebant præcepto, quod per Prophetam suum deinde irrogavit Deus: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Ps. 61. Hos illud exemplum est, quod sequi debent, qui divitiis aucti sunt, & saluti suæ prospicere cupiunt. Opus est, cor illorum ita esse a bonorum, quorum obtinent usum, amore divulsum, ut si Dei voluntas ferret, ut in reali, sensibilique paupertate squallerent, alacriter pauperiem ipsam amplecterentur. *Abbas Trappensis in moralibus Considerationibus in S. Matthæi Evangelium.*

Divites in periculoso statu versantur, quin ne cogitent quidem. Corruptio cordis in divite malum est insanabile; quippe virus est, sese ubique effundens, & nisi efficax adsit gratia, & auxilium aliquod insuetum, nonnisi mortem illius possumus præstolari. Felices, Domine, quibus sanctæ mediocritatis sensum contulisti; qui nihil nisi tamquam a te sibi collatum possident, qui præsto sunt, ut in singula momenta ea tibi reddant, & hanc tutissimam credunt viam ad infiniti pretii thesaurum sibi comparandum. Utinam, utinam in imis divitum omnium cordibus insculpere possem ea verba, quæ in eos protulisti: *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram*, Luc. 6. Ad hoc saltem ut illis metum incuterem, & auferrem eam, quam in statu suo collocant confidentiam, ne in fallaci securitate quiescerent, cujus quamprimum improbitatem intelliget, cum attolles brachium tuum in ipsos ob tantum errorem animadversurus. *Idem.*

Si quid auferre nobis errorem potest violentæ hujus cupiditatis, qua bona, divitiasque colligimus, illud sane est, si nobis sit persuasum, insignem esse dementiam, curis, angoribusque torqueri ad ea congerenda, quæ momento possunt amitti, quin sciamus, quisnam post nos sit iisdem perfruiturus: *Quæ parasti cujus erunt*? Dives assiduis laboribus, dicamne? repetitis sceleribus per fas, & nefas thesauros congregat, vitamque suam traducit violentissimo affectuum omnium jugiter exagitatam: hic enim affectus non est ut alii, qui cum ætate decrescunt, atque infirmantur; augetur e contra, atque cum solatium invenire putamus in congestis opibus, quænam desperationis occasio miseris est, qui gravi morbo periti in æternum iis sunt cariturі, quæ tantopere deperierunt? Quod eo temporis momento patiuntur, citra quamlibet comparationem exuperat gaudium, atque lætitiam, quam ex divitiarum suarum possessione, atque fruitione percipere potuissent, etiamsi vitam ultra spem producere licuisset; atque ut malo huic maxima accessio fiat, sæpe nesciunt, quid futurum sit de opibus suis, & quinam iisdem sint perfruituri. *Thesaurizat, & ignorat, cui congregabit ea*. Ps. 38. *Idem in S. Lucæ Evangelium.*

Non extremus amoris fluxorum, fragiliumque bonorum effectus est diviti proprium sui ipsius amorem inspirare, & contemptum immittere rerum omnium, quæ vanitati, ac voluptati nihil possunt conferre: amat luxum, ac indumentorum magnificentiam, crapulam quærit; nihil palato eorum negat, quæ appetuntur, cumque ea, qua erga se utitur, indulgentia nullis finibus coerceatur; atque in rerum omnium copia hilarem vitam ducat, in pauperes, eorumque necessitates durus, & inexorabilis est, & licet hi ad extremam redigantur maciem, ille ad misericordiam non flectitur. Et vere postremus adeo crudelis, barbarique animi effectus est, quod qui eodem afficitur, Dei fit inimicus, ejusque in æternum sibi conflat indignationem. Talis fuit exitus divitis illius, cujus imaginem ad vivum nobis exprimit Evangelium; Luc. 16. *Induebantur purpura*: ita viri Principes ornabantur; Mensa illius juge erat convivium: *Epulabatur quotidie*. Quod vero ad illius duritiem, & sævitiam pertinet, ea sane major ostendi non poterat, quam dicendo ipsum ferreis visceribus pertulisse, ut pauper ulceribus derosus, & macie confectus præ foribus illius prostratus frustra eas cuperet micas, quæ de voluptuosi hujus divitis mensa cadebant. *Idem.* — Divitiarum effectus, & vitia, quibus obnoxii sunt eas possidentes.

Fatendum, Fideles, est divitiarum amorem affectuum omnium acerrimum esse, & iniquissimum. Immites eos facit, quibus dominatur, tamquam si ferrei, æneique essent. Dicamus etiam hunc esse in causa, quod illi plurima crimina, cædesque committunt, illos efficiens inexorabiles in eos, qui summa rerum omnium premuntur inopia, & necessitate. Etenim, juxta S. Gregorii sententiam, illos, qui pauperes contemnunt, eisque esurientibus opem ferre recusant, egenis mortem inferre dicere possumus: *Si non pavisti, occidisti*. Illud vero pejus est, quod hæc labes quocumque pervasit: nullus est in terris locus, ubi non videantur pauperes quidem fame, ac siti laborantes, divites vero, qui cum facile eorum egestati opitulari possint, illos

illos in squalore suo interire patiuntur; hoc est, terra universa, & Lazaris indigentibus, & sævis divitibus est referta. *Idem*.

Character divitis tũ reprobati, tum prædestinati.

Vera reprobati cordis idea dives est domi suæ magnifice inhabitans, laute innutritus, splendidis indutus vestibus, tempus hilariter transigens, magna servorum caterva stipatus, & pauperes miserosque contemnens, vel saltem tamquam rem nullius momenti despiciens. Hoc divitem Evangelicum damnavit. Jacebat ad ostium illius pauper, qui sanie, taboque fluens, ac fame confectus prope erat, ut efflaret animam, & nemo illi præbebat, unde vesceretur, immo neque fragmenta, quæ ex divitis mensa dilabebantur. Cum homo dives, opibusque affluens pauperum egestate afficitur, illis opem ferre studet, eleemosynas erogat, hoc apertum indicium est, Dei charitatem in illo vigere. De illius salute bene sperare possumus; &, quomodo S. Joannes in 1. Ep. c. 3. ait: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo*? Illi se divinæ participes naturæ probant, in quibus videtur principium misericordiæ semper viventis, semperque operantis. Studium, quo miseris opem ferre contendunt, ut placeant Deo hoc deposcenti, ea, quæ diximus, aperte probat; cumque venerit Deus in illos animadversurus, si domi eorum misericordiam invenerit, statim flectetur ad lenitatem. *P. Surin in Dialogis Spiritualibus, t. 1, l. 2. c. 5.*

Quid de divitibus, potentibus sæculi dicendum, quibus tantum adfuit sapientiæ, ut ædificarent, ut acquirerent, ut filios suos opibus augerent, neque recordati sunt egenorum, neque divitias suas rectum in usum converterunt? De illis dicetur: *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum: sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua*. Psalm. 51. Votorum suorum assecutus est summam; fecit, quæcumque voluit vanitatis suæ desideriis velificatus est. Concupivit magnificas ædes, pretiosam supellectilem, uberes agros; hæc obtinuit. Eam optavit dignitatem, assecutus est honorem illum, eo pervenit, ac reliquos Candidatos de ponte dejecit. Vanitas ejus qualibet in re triumphum retulit. Moritur tandem; quid porro ajunt Angeli, & Sancti? *Prævaluit in vanitate sua*. Si charitatis suæ vestigia relinqueret, si zeli sui monumenta superessent, si eleemosynarum suarum viderentur effectus; memoria illius esset in benedictione. Verum quid egit? Ruri magnificas extruxit ædes, villam suam ab interitu magnifice vindicavit; hortos delitiarum refertissimos, areolis, fontibusque interspersis concinnavit; plurima vanitatis signa reliquit; ubi vero sunt charitatis indicia? Vitam prorsus mundanam, profanamque traduxit. Cor ejus erat in thesauris ipsius, atque æterna conclusio illius erit hæreditas. Illi vere illustres sunt, æternamque merentur gloriam, qui cum in mundo opibus affluerent, Xenodochia instituerunt, Cœnobia ædificarunt, ac ad majorem Dei gloriam, & animarum salutem opera sancta ediderunt. Deo quidem præbuere occasionem illos remunerandi, hominibus vero eosdem æternis laudibus in Cœlum extollendi. *Idem*.

Divinæ Bonitatis beneficiũ est cum nos liberat cura opes congregãdi & cupiditate eas possidẽdi.

Divinæ bonitati gratias habere debemus, cum in nobis vel continuit, vel delevit naturalem hanc cupiditatem, qua fluxa hujus terræ bona hominum plerique depereunt, cumque efficit gratiæ suæ auxilio, ut cum modo, vel potius sine sensu videamus ea, quæ in aliis acerrimos, ac vehementissimos affectus cient. Ut enim vera dicam, illi servi sunt eorum quæ concupiscunt; possessio vero illorum magis coarctat vincula, & si quando accidit, ut eorum jacturam patiantur, aviditas ipsorum magis augetur; itaque semper iidem sunt sive divitiis affluant, sive eareant; vitamque in turpi servitute traducunt. *Abbas Trappensis tomo primo des maximes Chretientes.*

Quomodonam mundi hujus bona opes vocari possunt, quippe augent egestatem nostram, & quin faciant satis eorum necessitati, a quibus amantur, illorum magis, magisque concupiscentiam incendunt? Divitemne vocares illum, qui si pauciora possideret, paucioribus indigeret? Affluentia terrenarum opum non obstruit os avaro, sed magis aperit; non extinguit sitim, sed magis accendit. Calamitosi hi divitiarum amatores, non cogitant se magis ab opibus suis possideri, quam illas possideant. O detestabilem mentis cæcitatem! O profundas insanæ cupiditatis tenebras! Cum exonerare se possint divitiarum pondere, quo obruuntur, eas augendo adlaborant, ut magis opprimantur ac recentibus sese quotidie curis, angoribusque subjiciunt. Quomodonam, qui bonis suis vincti sunt, JESUM CHRISTUM sequi possunt? Quomodo in Cœlum ascendere, ac ad sublimiora se attollere terrenarum cupiditatum pondere oppressi? *Ex Sanctis Augustino, & Cypriano.*

Aug. sup. var. serm. c. 4.

Cyprian. Epist. ad Donatum.

De divitiis generatim.

Ingratissimus profecto erga Dei bonitatem esset, qui divitias in se malas esse affirmaret; & Stoici, qui eas perhorrescere videbantur, illas contemnebant, ut superbam nescio quam pauperiem ostentarent, propter quam inter mortales celebrabantur. Tunc temporis tamquam homines prorsus divini habebantur; sed posteritati fucum non fecit eorum secreta vanitas; facile enim intellectum est, illos per superbiam contempsisse, quod cum humilitate possidere non poterant. Divitiæ in se malæ non sunt, inquit S. Paulus Apostolus 1. *ad Timoth. 6.* qui præ sapientibus illis longe sanius judicium ferebat: sed inordinata divitiarum cupiditas origo est omnium malorum. Cupiditas ergo divitiarum damnanda est, non divitiæ. Divitiæ malum non operantur, sed illi, qui divitiis abutuntur, illas inordinata cupiditate quærentes, in nefariis actionibus insumentes, cum dolore possidentes, cum anxietate asservantes, & cum desperatione amittentes. Divitiæ sunt bonæ; sed infra omnia bona collocandæ sunt: ut verum earum agnoscatur pretium, satis est perpendere, quanti stet eas comparare, ac tueri; necnon quantum doloris earum afferat jactura. Labor, quo acquiruntur; incertitudo, metus, terror, anxietas, quibus asserv antur; exigua voluptas, quæ in pacatissima etiam earum possessione percipitur, impossibilitas earum mobilitatem inhibendi; iracundia, furor, desperatio, quibus agitatur qui easdem amittunt, validæ rationes sunt, propter quas hujusmodi bonorum desideria debent corrigi, ne pravo usu in tot mala mutentur. *Abbas de Bretevil le in libro cui titulus: Ecclesiastica, & forensis Eloquentia.*

Nulla christiana virtus est, cui secreta quadam oppositione non adversentur divitiæ. Adversantur fidei; mens enim humana per illas sensibilibus, sensualibusque tantum rebus inhæret: Adversantur Spei; dives enim in suis tantum divitiis confidit: Adversantur Charitati; occupant enim humanum cor, quod ut pecuniam adamat, Deum non amat. Adversantur palam paupertati, quam JESUS CHRISTUS suum regnum spopondit. Adversantur denique humilitati, & christianæ mortificationi, spiritui crucis, & præsertim Salvatoris exemplo, qui virtutum omnium prototypus est. Sed quantum divitiæ Christianis virtutibus adversantur, tantum vitiis velificantur. Sanctus Paulus 1. *Timoth. 6.* eas funestas appellat causas interitus, & damnationis hominum: & ratio constat; opes enim omnia peccatorum genera inspirant, eisque patrandis inserviunt. Cor tuum consule, ac fateberis nullum esse vitii genus, quod mundi prosperitas non suadeat, & foveat. Vanitas, superbia, luxus, licentia, ludus, alea, impudicitia, nonne totidem scelera sunt, quæ divitiæ suadent? Adhæc opes non solum peccati cogitationem cient, verum etiam, ut illud committatur, inserviunt. Illæ, ut Sanctus Augustinus inquit, sunt *voluptatum satellites*. Ancillantur ambitioni, gulæ, libidini &c. *Idem*.

Opum cupiditas in cor humanum majorem quam ipse dæmon, obtinet potestatem.

Divitiarum amor longe magis perniciosus, ac potens est ipso dæmone; & quamplures illis cæce magis obediunt, quam Ethnici idolis suis. Plures enim sunt Ethnici qui non obediunt in omnibus dæmoni qui in idolis suis est; sed qui divitias depereunt, sine ulla exceptione iis parent omnibus, quæ sua cupiditas jubet. Hæc si dixerit: Esto inimicus mundi totius, obliviscere sensuum naturæ, contemne Deum, statim obtemperant. Idola sibi jumenta mactari volunt; sed cupiditas ex adoratoribus suis petit, ut suas illi sacrificent animas, easque sine ulla difficultate sacrificant. *Ex Divo Chrysostomo Homil. sexagesimaquarta in Sanctum Joannem.*

Quinam isti sunt divites, qui intereunt eo quod divitiis abutuntur? Sunt divities sæculi, de quibus S. Paulus verba facit; divites superbi; divites sibimetipsis indulgentes, divites opprimentes eos, quos tueri deberent: divites, qui illud inter summos, & imos discrimen statuentes, quod in Scripturis damnatur, alios quidem in pretio habent, alios contemnunt; divites, qui se reos præbent illius acceptionis personarum, quam tamquam christianæ oppositam charitati Sanctus Jacobus condemnat; divites tandem confidentiam omnem in incertis opibus statuentes, quin illam in uno viventi Deo constituant, a quo affluenter accipimus quæcumque victui nostro sunt necessaria. Quid ergo fiet de vobis, divites nequam, quibus probari non potest, divitias vestras factum esse depositum, cujus simplices estis dispensatores? Vos, qui in cupiditatibus vestris ea impenditis bona, quæ recepistis, ut pauperibus erogaretis; vos, quibus rerum prosperitas, & copia ænea effecerunt viscera; vos cujus luxus effunditur in superflua, & qui tunc solum parci, & avari estis, cum ex vobis eleemosyna petitur; vos, qui nihil superfluum vobis esse putatis, quia cupiditas vestra nullis finibus coercetur; vos qui nullum amplius humanitatis sensum servantes, videtis Christifideles macie confectos, feminasque, quin illis feratis opem, licet vos fides admoneat ipsos fratres esse vestros, vobisque etiam, atque etiam in Scripturis passim a JESU CHRISTO commendatos. *Essais de sermons; tomo 2. pro Dominicis.*

Deus quippe divitiarum dominus jure illas quibuscumque distribuit.

Sæculi divites opes considerant tamquam bona, quæ cæca sors de manu in manum pro variis temporum occasionibus transfert. Qui eas sudoribus suis peperere, iis tamquam fructu laboris sui perfruuntur; qui hæreditario jure illas assecuti sunt, putant se ratione novitatis earum absolutos dominos esse. Cæci, per Prophetam Dominus exclamat, discite quoniam *meum est aurum, meum est argentum*, ego utrumque in terræ visceribus efformavi, neque ideo minus meum est, cum in arcis vestris illud clauditur, quam cum latet in fodinis, unde ipsum eruitis, ut vanitati, & avaritiæ vestræ satisfaciatis. At si verum est, Deum supremum esse divitiarum dominum; verum quoque est, ipsum earum esse dispensatorem: paterna ejusdem dextera illas distribuit, quemadmodum omnipotens eadem manus effingit illa. Ita sapientia ipsius, quæ omnia cum pondere, & mensura facit, dispensationem hanc determinare debet in aliquem finem, & usum; neque validæ desunt causæ, quibus opes aliis quidem elargiri, aliis vero negare tenetur. *Idem.*

Si Deus vobis contulit bona, num ideo contulit, ut luxum, intemperantiam, & ambitionem vestram foveret? Num ut impudicitiis, iniquitatibus, sceleribusque vestris somitem suppeditaret? Numquid ut inani, inutilique pompa oculos populi satiaret, utque oculis suis rapinarum, concussionumque vestrarum fructus ostentarentur? Quis non videt nefarium hunc divitiarum usum esse Providentiæ consiliis oppositum, quæ non permittit alios quidem affluentia lætari, alios vero in paupertie squalescere, nisi ut divitibus quidem præbeatur ratio reparandi scelera sua sapienti bonorum suorum dispensatione, pauperibus vero expiandi delicta humili suæ egestatis patientia, ut statuum subordinatio in societate, & charitatis officia in Religione serventur. *Ibidem pro sexta post Pentecost. Dominic.*

Effectus concupiscentiæ, & cupiditatis divitiarü.

Turpia quælibet aggredi, ut ditescas, ethnicam probitatem pro evangelica justitia desumere, contra peccati stimulos incallescere; omnes actiones ad temporalium bonorum acquisitionem dirigere, non aliam præferre Religionem, quam ad fugiendam impietatis notam, quæ in mundo posset officere; in terribili salutis suæ oblivione vitam traducere; vitæ huic eo magis animo adhærescere, quo magis ad mortem accedimus; hi sunt, o Fideles, funesti fructus, quos in animabus parit cupiditas. Adde his inexorabilem sævitiam erga egentium ejulatus; crudelem duritiam erga miserorum paupertiem; perenne murmur in minimis etiam bonorum jacturis; in horum prosperis rebus secretam invidiam; in adversis illorum improbum gaudium; arrogantiam non ferendam, ubi læta attiserit sors; insatiabile desiderium redditus augendi, & noxium eorum, quæ possidentur, bonorum amorem. Hi fructus, hæc germina sunt nefariæ cupiditatis, quæ radix est omnium malorum. *Auctor recens.*

Bonus divitiarum usus.

Quæris quomodonam opibus utendum sit? Præter stipem, quam obviis quibuslibet pauperibus erogare potes, nonne longe plurimi inveniuntur, qui Paralytico duo de quadraginta annos jam laboranti similes sub malorum suorum pondere gemunt; cum enim per se ostiatim victum sibi quæritare non valeant, neminem habent, qui ipsis solatium aliquod afferant? *Hominem non habeo*. Joann. 5. Quot honestæ familiæ ad extremam redactæ pauperiem, quia vel rationem eleemosynam quæritandi ignorant, vel si norunt, illam exercere præ verecundia prohibentur? Quot oppressæ viduæ, quæ panem lacrymis miscent, ac modicum illud bonum, quod sibi reliquum est, per avaritiam, & ambitionem sibi auferri vident, quia consilio carent, ut quid sibi faciendum sit, minime norint, & carent præsidio, ut illatam injuriam propulsent? Quot ægrotantes, qui in eorum locorum tenebris abditi, ubi morbis suis detinentur, ne sperare quidem possunt triste illud solatium, fideles ad misericordiam flectendi ostentatione malorum suorum, quæ aliis ignota sunt, & qui deplorabili eo in statu, in quo miserrime jacent, nullum præstolari possunt subsidium? At enim pauperes, de quibus loqueris, ne novi quidem. Hoc vero vos reos facit, quod illos minime nostis: ostendit enim oblivionem salutis vestræ, ac nullo vobis in discrimine eamdem haberi: tantum enim abest, ut egenorum calamitates opibus vestris levare velitis, qui quidem optimus esset usus illarum, ut ne animum quidem advertitis ad eas cognoscendas. *Abbas du Jarry Sermone pro Visitationis die.*

De divitum in pauperes sævitia.

Nequicquam de suggestu magnum illud Christianæ morum disciplinæ documentum iteratur; si Æterna Providentia, quæ creatarum quarumcumque rerum egestatibus prospicit, adeo inæqualem bonorum vitæ hujus partitionem permisit, inde factum, ut divitibus quidem ratio præbeatur semer sanctificandi sapienti divitiarum dispensatione, pauperibus vero sanctæ suæ paupertatis patientia. Locuples, qui singulis diebus hæreditatis suæ fines producit, & qui cum voluptate circumagit oculos in immensum prædiorum suorum ambitum, credit tellurem, communem hanc hominum matrem sibi tantum fœcundam esse; cum horrea frugibus, & cellæ vino redundant, sese altissimæ mancipat quieti; purpura byssoque induitur; in delitiis, & affluentia splendide vivir, cum interim præ foribus jacet pauperculus micas de illius mensa cadentes, sibi dari petens, quæ tamen inexorabili sævitia negantur. Fortasse superbis inclusus ædibus, quo importunæ paupertatis imagines pervadere nequeunt, sibi circumundique munitissimum statuit vallum indigentium querimoniis minime pervium, quæ tantum abest, ut ad cor illius usque penetrent, quod immo neque ejusdem au-

auribus accidunt. Eheu! divites duri, scitore futurum ut Deus de manu vestra pauperum sanguinem requirat: *Sanguinem pauperum de manu vestra requiram*. Manus quidem vestras pauperum cruore imbutas non video; sed vos illis mortem intulistis, cum panem negastis: *Occidisti, dum non pavisti*. Hinc S. Jacobus Apostolus *c.* 5. divitibus clamat, ut horribiles edant ululatus, quoniam omnes opes eorum computruerunt. *Divites ululate, divitiæ vestræ putrefactæ sunt. Idem in Panegyrico S. Francisci Assisinatis.*

Spiritus Sanctus Proverb. 12. *Viscera impiorum crudelia* vocat; nihil enim tam crudele, tamque barbarum est, quam similem sibi morientem intueri, & in manu præsentissimam gestare medicinam, quin eidem propinetur. O vanæ mulieres, quæ sæculi idolum triumphali curru vehitis, quæ prætergredientes pedibus teritis pauperem vestram implorantem misericordiam, quin lenem in ipsum conjicere oculorum aciem dignemini: scitote vos leonibus, tigridibusque sæviores esse. Eheu! donec dives pompam suam superbe ostentat, pauper doloribus dilaniatur: *Dum superbit impius, incenditur pauper*. Psalm. 9. Secreto in imprecationes erumpit contra divites, quas audit Deus, ut Sapiens ait. Hæc illa sunt murmura, gemitus, lacrymæque, quæ Deum ad ultionem provocant contra opulentas domos pauperibus semper clausas, & invias; hæc omnia nitentia iniquitatis spolia, hæc omnis pretiosa supellex pauperum sanguine cruentata igni devota sunt: *Vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem*. Audite, divites inclementes, & contremiscite ad terribiles imprecationes, quas Dei Filius ipse in vos jaculatur; *Væ vobis divitibus &c. Idem ibidem.*

Quemadmodum hujus mundi honorem divitiis inhærere videmus, ideo divitiæ æque per superbiam, ac per avaritiam quæruntur. Quot ad paupertatem rediguntur, ut divitum existimationem aucupentur, immodicis famulorum sumptibus, conviviorum, ac luxus, quem ultra vires affectant? Quinam patienter egestatis dolorem ferret, qui paupertatis opprobrium ferre non potest? Proximi vivendi ratio diligenter inspicitur, ut ex ejus sumptibus de illius redditibus judicium feratur. Cæteris opibus præstare putamus, eo solum quod vel majori servorum caterva stipati sumus, vel fulgidioribus induimur vestimentis. Immo ad insaniam usque progredimur; etenim morientes etiam divites haberi volumus: cum mors nihil nobis relinquat, honorem ambimus, quod multa bona congessimus; atque in tumuli paupertate probrum putamus, si familiam non satis bene opibus auctam, firmamque relinquamus; & avaritia ambitioni consociata efficit, ut inter divitias tamquam pauperes vivamus, ineptum, insanumque honorem divites moriendi capturi. *Idem.* Sæpe divitiæ propter superbiam quæruntur.

DOMINI, ET FAMULI, MUTUAQUE INTER ILLOS OFFICIA.

MONITUM.



Libi jam monuimus, operosum esse aliquod pertractare argumentum ita singulare, ut nihil habeat cum aliis commune, in quorum numero præsens est recensendum, ubi de mutuis Dominorum, Famulorumque officiis agendum est. Quod enim ad famulos pertinet argumentum, habet aliquam cum Obedientia Superioribus debita rationem, de qua suo loco accidet sermo; Dominorum vero qualitas, quorum est imperare, ac a famulis exigere servitutem, plurima habet communia cum nobilitate, ac dignitate, quæ hominem supra alios attollit, eique in sibi subjectos confert auctoritatem. De hoc quoque alibi sermo erit; verum id minime prohibet, quominus argumentum, quod tractandum aggredimur, multa peculiaria contineat, ideoque ab aliis seorsim pertractari mereatur.

Interim profuturum censuimus hoc in loco mutua complecti cum Dominorum in servos, tum servorum in dominos officia, seu ne tituli multiplicarentur, seu quod singula hæc seorsim desumpta satis copie nequaquam suppeditarent, ut tractatus ad reliquis parem magnitudinem produceretur; quamobrem Concionatores non pauci utraque simul conjungere consueverunt. Verum quocumque pacto Concio hoc in argumento instituenda sit, ea, quæ collegimus, non mediocris futura puto utilitatis.

Cæterum, quamquam proprius hujus argumenti caracter ille sit, ut erudiat, & ad populi captum sit accommodatus, facile erit eloquentiæ coloribus illud extollere, uti judicium fieri poterit ex iis, quæ a nobis afferemur, sive de Famulorum tantum erga Dominos officiis, seu de ratione, qua Dominis erga servos est utendum, agatur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Systemata.

I. 

T universam tituli hujus materiam unico sermone complectamur, pro argumento, & partitione duo possunt ad examen revocari, primum quid famulis domini; alterum quid famuli dominis debeant.

Pars prior. Quemadmodum videmus, Deum servis præcipere, ut dominis suis pareant, in iis quæ a justitia, & æquitate minime abhorrent, *cum timore, & tremore in simplicitate cordis &c.* ita quoque videmus mandare Dominis, ut servorum suorum curam gerant in omnibus eorum cum spiritus, tum corporis necessitatibus. *Et vos Domini*, magnus inquit Apostolus, *eadem facite illis, remittentes minas, scientes, quia & illorum & vester Dominus est in Cœlis: & personarum acce-*

Acceptio non est apud Deum. Ad Ephes. 6. Ut igitur a Dominis sumamus initium; omnia eorum erga servos officia ad duo præsertim redigere possumus, sub quibus cætera contineantur: ad ea videlicet, quæ animam, & ea, quæ corpus respiciunt; hoc est ab illis famulos habendos esse veluti & Christi fideles, & homines. Primum autem, quia famuli vestri sunt, uti vos Christifideles, & eumdem Deum colunt, eique serviunt; eodemque pretio redempti sunt, nempe Sanguine Dei, nonne hæc satis valida est ratio, qua eorum curam geratis? Præsertim cum innotescat, Deum, ubi illos vestræ adjecit servituti, vobis salutis eorum curam credidisse; nec non inter utrosque quamdam reciprocæ servitutis speciem adesse: illi enim vobis suam præstant operam in terrenis negotiis, & vos divinæ Providentiæ mandato illorum spirituali bono, maximoque salutis ipsorum negotio debetis prospicere. Sin autem nosse vultis, quanam in re hæc cura consistat, in hoc sita est, ut eos Religionis suæ principia, & officia edoceri curetis, illos identidem mittentes eo, ubi id genus homines erudiuntur; illis tempus præbeatis, quo divinis interesse possint officiis diebus illis, quibus jubentur; sedulo inspiciatis, utrum aliis Christiano viro dignis muneribus perfungantur; non patiamini illos flagitiis sese mancipare, atque vivendi nefariam licentiam arripere; illos corrigatis, & redarguatis, ubi erraverint; toti denique eorum vivendi rationi invigiletis, ac præsertim bona illis præbeatis exempla, quæ præstantissima, & maxime efficax via est, qua eos sapientes efficere, & ad virtutem conformare valeatis. Serio meditemini quod Apostolus inquit, non esse fidelem; sed fidem omnem abjecisse, ac ethnico deteriorem esse, qui servorum suorum curam neglexerit, ac eos indignam homine Christiano vitam ducere passus fuerit. Inde inferendum est, eum, qui familiam suam in Religionis ignorantia versari patitur, quia servos erudire dedignatur, vel tempus illuc negat eundi, ubi fidei præceptis imbuantur; qui perniciosum eis præbet exemplum, vel eos in criminosis actionibus adhibet; hunc suis officiis deesse, & infideli esse deteriorem &c. 2. Neque satis est curam gerere animarum; corporum quoque ratio habenda est diligenter: si enim servi Christiani sunt, sunt etiam homines; ideoque merentur ut cum humanitate, lenitate, indulgentia, non autem cum tyrannico imperio excipiantur. Rationes vero, propter quas ita cum illis agendum est, hæ potissimæ afferuntur: 1. Quod nobis similes sunt natura, & secundum gratiam, atque uti loquitur Scriptura, *Gen.* 27. fratres sunt, & caro de carne nostra, filii patris ejusdem, & ad eamdem adspirantes hæreditatem; qua ratione S. Job *c.* 13. utebatur. 2. Quia communem habemus Dominum, qui nullam habiturus est personarum acceptionem; & hanc nobis causam suggerit S. Paulus Apostolus: *Scientes quia, & illorum, & vester Dominus est in Cælis*. 3. Quia Deo rationem reddituri sumus de illorum actionibus, vivendi ratione, salute, præsertim vero de iis, quæ inique propter nos fuerint operati. Cura vero quæ de illorum gerenda corporibus est, in eo posita est, ut victum necessarium illis præbeamus; ut eorum stipendia quam diligentissime persolvamus, ut laboribus nimiis eos minime obruamus hanc prætexentes causam, ne illorum inertia, ignaviaque foveatur; ut denique omnia, quæ ad ipsos pertinent, nobis etiam, atque etiam sint commendata.

Pars altera. Servorum quoque erga dominos officia ad duo similiter videntur redigenda, ad fidelitatem nempe, & obedientiam. Fidelitas autem in eo posita est, 1. ut non solum nihil eorum, quæ ad dominum pertinent, bona, ad se transferant; verum etiam ut summo zelo, affectu, ac diligentia herilium bonorum curam sedulo gerant. 2. Ut prudenter evitent, quidquid injurium esse potest hero suo, & familiæ, cui operam præstant, ut domini honorem, atque existimationem tueantur; ut illius defectus in vulgus nequaquam proferant, ut de iis, quæ domi fiunt, extra numquam loquantur; ut denique tempus omne in creditum sibi munus impendant. Obedientia vero, quam famuli dominis debent, prompta sit, integra, cum reverentia conjuncta, citra contentionem, & querelam, sed cum hilaritate; etenim in memoriam revocare debent se in dominorum persona Deo famulari, *Domino servientes*, quemadmodum Apostolus inquit.

Famuli conditionem juxta communem mundi sensum omnium esse abjectissimam, atque contemptibilem; verumtamen ad salutem comparandam unam omnium esse utilissimam. II.

1. Cum enim Deus aliquos ex hominibus huic destinaverit statui ad rectum ordinem, quem in mundi hujus regimine instituit, servandum; ambigendum non est, quominus illius Providentia eum aptissimum judicaverit ad sua in ipsis explenda consilia, & in quo facilius saluti suæ prospicere possent, minora intereundi pericula subeuntes. 2. Quia status hic magis est illi conformis, quem pro seipso Dei Filius elegit: ideoque, si ut salutem operemur, fieri debemus Salvatori conformes, ut inquit Apostolus; nonne utilissimum est, vitam eo traducere in munere, quod ipse toto fere vitæ suæ spatio exercere non horruit? *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*. 3. Quia status hic recta in Cœlum adducit per humilitatem, pauperiem, laboremque illi inhærentem conditioni, in qua famulos posuit Deus, ubi immunes sunt a periculis, & peccati occasionibus, quibus alii maxime patent.

Hæ veritates quæ ad servos tantum, domesticosque spectantes concionis partitionem possunt efficere. III.

1. Servi conditio eos, qui vel nativitate, vel necessitate servire tenentur, non prohibet, quominus Deo serviant, ac semetipsos sanctificent. 2. Servus numquam melius, fideliusque Deo servit, qua cum fideliter hero suo famulatur in iis omnibus, quæ hic jure expetere potest; hic enim status est, in quo fuit constitutus a Domino, qui hoc exigit ab illo. Hoc ipsum argumentum aliter efferri potest, ostendendo, servum obedire Deo, cum hero suo paret; neque tutius posse Dei sui voluntatem exequi, quam heri præceptis obtemperando iis in rebus, quæ palam Dei voluntati non opponuntur.

Curam, quam Domini servorum suorum gerere tenentur. IV.

1. Religio, Justitia, & Charitas dominos obligant, ut servorum suorum curam gerant peculiarem. Tres hi tituli, quibus hæc innititur obligatio, & a quibus efficitur inevitabilis, facili negotio probari possunt. 2. Eadem Religio, Justitia, & Charitas, quarum officia hominem latere non possunt dominis, patribusque familias ostendunt, quænam esse debeat ea cura, quam domesticorum suorum habere tenentur.

Domini tria erga servos suos præstare tenentur. V.

1. Patrum fungi debent officio; hunc enim titulum illis conferre videtur Scriptura servi nomen cum nomine filii confundens; ita enim Evangelicus loquitur Centurio; Matth. 8. *Puer meus jacet in lecto*. Unde sequitur servos ab heris amandos esse, & eorum victui, & incolumitati his esse studendum: &c. 2. Eorum sunt Domini, sive ut Galli dicunt *Maitres*, hoc est Magistri, ac præceptores, ideoque illos erudire debent, vel curare, ut de iis quæ ad salutem sunt necessaria, erudiantur, bonum illis præbere exemplum, eos corripere, & redarguere &c. Hinc Sancti Patres, ac præ ceteris S. Ambrosius illos domesticorum suorum Pastores, & veluti Domi suæ Episcopos vocant. 3. Eorum tutores sunt, illos tueri debent, amplecti, eorum utilitati consulere, quam sollicite stipendia persolvere, & adniti, ut ex bonis suis

fructum

fructum percipiant &c. *P. Faber in Concionibus de tempore.*

VI. Ostendi possunt varia munera, quibus erga servos suos domini debent persungi aliquam habere cum iis rationem, quam ipsi ab illis exposcunt.

1. Possunt, atque optare debent, eos viros bonos esse, ut fidelius munere suo perfungantur; illis igitur virtutis, & religionis exemplum præbere debent. 2. Volunt servos mites, & dociles esse, neque vel iracundos, vel furentes pati possunt. Ipsi ergo vicissim affabiles se præbere debent, cum illis humaniter agere, non superbe, neque imperiosius. 3. Fideles sibi esse quærunt; sed ut eos tales præstent, illis confidentiam, amoremque suum testari debent, eique significare, sibi res eorum quam maxime cordi esse.

VII. Quantumvis genere, ac fortuna domini servis suis præstent; illis tamen persuasum debet esse, se non posse bonos esse dominos, nisi prius boni fuerint servi Dei sui, ideoque

1. Illis cum Deo agendum est, quemadmodum secum agi a servis suis vellent; alacres esse debent, ac fideles in divinis mandatis explendis, voluntatibus Dei subjecti; illum metuentes, colentes, ejusque servituti prorsus devoti.

2. Illis erga servos ea præstanda sunt, quæ sibi a Deo fieri desiderant; rerum, quæ ad illos pertinent, curam gerant, illos tueantur &c. *Essais de Sermons.*

VIII. 1. Non parva familiæ felicitas est, boni, ac pii servi; bonum, quod illi afferunt, felicitas, & benedictiones Dei, quas illi & pro spiritualibus, & pro temporalibus de cœlo detrahunt. Verum attendendum est toto pectore, ut tales fiant, qua opportunis documentis, qua bonis exemplis, & studio, quo invigilandum est, ut a virtutis via non deflectant. 2. Mala, quæ aliquando in domo gignunt, ubi nequam sint, & protervi; satis est servus nequam; ad discordiam inter alios domesticos injiciendam, ad serenda inter virum, uxoremque dissidia, ad familiam universam fictis relationibus perturbandam. Cæterum si dejerator sit, atque blasphemus, quas non detrahet maledictiones in illam? Interest ideo quam maxime sedulo inspicere quos tibi famulos deligas.

IX. Quemadmodum Domini, Patresque familias domi suæ sunt tamquam servorum suorum Dii, ita Deum imitari debent in eo regimine, quod supremus hic rerum omnium Dominus in mortales exercet.

1. Prævidentia requiritur, ut omnibus tum spiritualibus, tum temporalibus servorum necessitatibus consulant, quemadmodum Dei Providentia late in omnes hominum necessitates extenditur. 2. Justitia opus est, ut bonum quidem remunerentur, puniant malum; defectusque eorum, quos Deus ipsorum regimini tradidit, corripiant, atque castigent. 3. Sanctitas etiam, & virtus poscitur, ut illas exemplis suis excitant, atque erudiant. *Essais de Sermons.*

X. De ratione, qua servi dominis suis servire debent, juxta illa S. Pauli ad Eph. 6. verba: *Obedite dominis Carnalibus sicut Christo.* Ter hæc repetens verba S. Paulus: *Sicut Christo, ut servi Christi, & sicut Domino*, tres exprimit qualitates, quæ in ea requiruntur obedientia, quam dominis suis famuli præstare tenentur.

1. Servire debent propter Deum, servitutis suæ causam a creatura ad Creatorem transferentes, & cogitare, se servire Deo in dominorum suorum persona: 2. servire debent propter amorem JESU CHRISTI, & ut exemplum ejus sequantur. 3. servire debent, quemadmodum si JESU CHRISTO servirent, se beatos putantes, quod illi obediunt in dominorum persona vices ejusdem gerentium.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde erui potest copia ad propositas concionum structuras exornandas.

Sancti Patres.

SAnctus Augustinus *l. 3. de Civit.* servos a dominis suis tamquam filios habendos.

Idem *lib. 9. de Civit. cap. 15.* docet servitutis statum, & conditionem esse effectum peccati, non autem naturæ nostræ proprium.

Idem *serm. 3. de Dedic. Eccl.* servis quamplures scita, & utilia tradit consilia.

Idem *in Commun. Serm. 50.* ostendit, Dominos in familiis suis ita sese gerere debere erga Deum, quales erga se famulos cuperent.

Idem *tract. 5. in Joann.* de herilibus erga servos officiis loquitur; quod ipsum tractat *in Epist. ad Comitem.*

Idem *in Ps. 83.* introducit JESUM CHRISTUM exemplo suo Christianos hortantem, ut dominis licet nequam, & indignis obediant.

Idem alicubi in Psalmos docet, patres familias se se gerere debere tamquam domesticorum suorum Pastores, ipsisque eamdem inesse obligationem eos in domibus suis erudiendi, qua Pastores creditum sibi populum in templis erudire tenentur.

S. Ambrosius *serm. 33.* vituperat herum Fidelem imperiosius servos suos excipientem.

S. Gregorius Nazianzenus *Orat. 9.* recenset pœnas, & ærumnas servorum conditioni inhærentes.

S. Chrysostomus *Hom. 9. in Epist. 1. ad Corinth.* prolixum habet sermonem de famuli conditione, & officiis, & quomodo operam suam domino præstare teneatur.

Idem *hom. 40.* in eamdem Epistolam ostendit, utile esse pauciores habere servos, & ob oculos subjicit incommoda, quæ servorum secum trahit multitudo.

Idem in illa Apostoli ad Ephes. 6. verba: *Servi obedite Dominis in simplicitate cordis*, explicat quid sit, hero suo in simplicitate cordis servire. *Homil. 10. in Epist. ad Coloss.*

Idem *in 2. ad Timoth. Hom. 10.* ostendit, quo pacto servi dominorum sibi conciliant amorem, & quid illis faciendum, ut divinum etiam promereantur.

Idem *Hom. 5. in Epist. ad Titum* herili negligentiæ acceptam refert servorum impotentiam, pervicaciam, aliaque scelera.

Idem *ult. Hom. in Epist. ad Hebræos*, recenset minas quas ejaculatur Deus in eos, qui domesticorum suorum gerere curam detrectant.

S. Chrysologus *Serm. 26.* ostendit mutua dominorum famulorumque officia, & ad vivum exhibet pœnas, atque labores servorum, qui flagitiosis hominibus famulantur.

Salvianus *l. 3. de Gubernat. Dei*, docet servum obtemperare debere domino suo in iis, quæ sibi præcipiuntur, non iis tantum, quæ sibi placent.

Idem ibidem graphice describit servorum infelicitatem dominis nequam servientium.

Idem libro eodem ostendit famulorum conditionem immunem esse gravioribus criminibus, quæ aliis in statibus patrantur.

Idem libro quarto docet dominis ita agendum esse cum servis, quomodo Deus qui noster supremus est dominus agit nobiscum bona largiens, ac suppliciis coercens.

Pean in libro, cui titulus, Schola JESU CHRISTI cap. 17.

Ascetici, aliique.

Hortus Pastorum *tract. 3. lect. 3.*
Sancta Familia P. Cordier. *t. 1. c. 7. 8. 9. 10. 11. 12.*
Cambolas cap. 5. pluribus in sectionibus.
Pædagogus Christianus cap. 6. §. 5.
Liber, cui titulus, *le conduite du Sage*, Tom. 1.

Liber, cui titulus, *Conduite Chretienne dans les principales actions de la vie*.

Liber, cui titulus, *Regle des familles*, parte 4. P. Sandret.

Azor, *Instit. Moral. Tom. 3. l. 2.*

Raynerius de Pisis, *titul. Obedientia* plurima habet hujus argumenti.

Petrarca in dialogis, alicubi loquitur de servis nequam, ibique plurima, eaque sapientissima tradit præcepta pro eorum regimine.

Concionatores. Mathias Faber. *Domin. 3. post Epiph. conc. 1.*

P. le Jeune *Tom. 2. serm. 55.*

P. Texier in *Domin. Tom. 1.*

Abbas de Monmorel *Tom. 3. sermone pro 3. post Epiph. Dominica.*

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta *Domin. Tom. 1. sermone pro 3. post Epiphaniam Dominica.*

Idem *sermone pro Dominica 22. post Pentec.* ubi agit de subditorum erga Superiores officiis.

Centuriatores. Berchorius, Polianthea, Granatensis — Titulo Servus.

Labatha, Busæus, Lohner — Titulo Obedientia.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & applicationes Scripturarum.

Facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus. Deut. 17.

Data est a Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra. Sap. 6.

Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi. Eccli. c. 4.

Rectorem te posuerunt? noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis. Eccli. 32.

Qui occidit proximum suum, qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Eccli. 34.

Ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alii, Veni, & venit; & servo meo, Fac hoc, & facit. Matth. 8.

Non est servus super dominum suum; sufficit servo, ut sit sicut dominus ejus, Matth. c. 10.

Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Matth. 25.

Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. Matth. 20.

Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Idem, ibidem.

Quis, putas, est fidelis servus, & prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam? Matth. 24.

Nemo servus potest duobus dominis servire. Luc. 16.

Non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi. Act. 10.

Non est potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ad Rom. c. 13.

Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua. Eccli. 33.

Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es? non sit tibi curæ: sed etsi potes fieri liber, magis utere: Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini. 1. ad Corinth. 7.

Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes; quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus. Ad Ephes. c. 6.

Vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cælis: & personarum acceptio non est apud eum. Ibidem.

Domini, quod justum est & æquum, servis præstate: scientes quod & vos Dominum habetis in cælo. Ad Coloss. 4.

Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. Ad Coloss. 3.

Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, Ibidem.

Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur. 1. ad Timoth. 6.

Doce servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri ornent in omnibus. Ad Titum c. 2.

Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. 1. ad Timoth. 5.

Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum. 1. Petri c. 2.

Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Ibidem.

Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Ad Hebr. 13.

Necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ad Rom. 13.

Exempla ex veteri, novoque Testamento desumpta.

Job respiciendus est tamquam heri boni exemplar.

Sanctus Job posteritati testatos relinquere voluit sensus amoris, justitiæ, & humanitatis, quibus servos suos complectebatur. De seipso enim fatetur, tantum abfuisse, ut aliquid superbe, & cum absoluta auctoritate imperitaret, quod Deum testem vocat, utrum detrectaverit umquam judicium cum minimo quoque suorum famulorum subire: *Si contempsi subire judicium cum servo meo, & ancilla mea, cum disceptarent adversum me*. Job. 31. Ita, qui tanta cum æquitate jus dicebat universo populo, non refugiebat judicum subire sententiam, ut servis suis, quod justum erat, tribueret. Neque aliter sibi faciendum esse intelligebat, quippe qui alte animo ejusdem inhærebat, eamdem Dei dexteram, qua in matris sinu fuerat efformatus, minimum quemlibet e servorum grege pari providentia efformasse; & si vel minimam illis intulisset injuriam, sed injustitiæ suæ Deo redditurum esse rationem. Hac utebatur cogitatione vir ille, ut eo in dignitatis apice, in quo effulgebat, se intra metus, & humilitatis cancellos contineret. Est, ajebat ille, tribunal in cœlo, coram quo una cum illis, qui famulantur mihi, sum proditurus, ubi qualitatum varietas ne minimum quid suffragatur; postremus dierum nostrorum dies eos omnes exæquat. Nihil mihi proderit, id, quod fui, neque judex servo meo minus, quam mihi attentas præbebit aures. Ibi innotescet, quomodo me cum illo gesserim. Deus judicium feret; neque me quidquam tuebitur præter innocentia mea; neque delicta mea, eo quod dominatus fuerim, mitius judicium invenient.

Fides vigilantia, & patientia Jacob Labano servientis.

Nullum fidelitatis, vigilantiæ, patientiæ in laboribus; cæterarumque virtutum quæ in servo requiri possunt illustrius suppetit in Scripturis exemplum S. Patriarcha Jacob, qui propter Esau fratris impotentiam solum vertere, patriamque domum relinquere coactus, Labani avunculi suo famulitio sese subjecit, & curis suis, indefessaque vigilantia causa fuit temporalis felicitatis illius, quem sibi elegerat dominum, a quo satis benigne acceptus fuit, licet non semper ea bona fide, & æquitate, qua decebat.

rebat. Illud vero præsertim in Jacob considerandum occurrit; recta videlicet intentio, fides, labor assiduus, & in labore patientia, nec non maximi momenti opera, quæ hero suo præstitit, idque tanta constantia, & humilitate, ut S. Augustinus illum in hac re proponat exemplum non servis tantum, alienoque famulatui addictis, verum iis etiam, qui sese Deo devoverunt, ut ignaviam, & otium oderint, ac numquam in tanti Domini servitute fatigentur.

Exemplum S. Josephi.

Prudens agendi ratio, quæ in omnibus Josephi operibus eluxit, sanctum hunc Patriarcham perfectum constituit omnium virtutum exemplar in omni statuum varietate, per quos illum divina Providentia traduxit. Cum esset adhuc adolescens, a fratribus venundatus fuit, ut nemo unus ignorat, Ismaelitis, qui puerum in Ægyptum adductum rursus vendiderunt in servum Putiphari, qui Princeps erat in aula Pharaonis, atque non postremam regni opulentissimi dignitatem obtinebat. Non diuturno temporis intervallo opus fuit, ut vir hic in juvene servo aliquid non commune deprehenderet; prudentia enim, atque modestia in omnibus factis, & verbis illius elucebant. Summa ejus fides sibi Putipharis amorem conciliavit, qui secreta admiratione videns nihil servile, vel humile in moribus adolescentis, paulatim tantam de illo existimationem concepit, ut illi uni totius familiæ curam tradiderit. Hac igitur in re Joseph illustre exemplum proponitur illis, qui aliis hominibus famulantur. Videant in illo tantum absfuisse, ut servilis conditio fuerit virtutis impedimentum, quod immo cognoscunt, quam primum eam ad virtutem comparandam conferre; si ut olim Joseph, sibi Deum semper præsentem proposuerint, eumque tanto fervore invocaverint, ut omnibus laboribus suis benedicat, ut olim laboribus Josephi benedixit, ac propter illos felices efficiat dominos, quibus illi famulantur.

Servus timens Deum cumulatissimus est in familia thesaurus; ac sæpe unus tantum sufficit servus bonus, & rectus, ut tota domi inde felicitas pendeat. Labanus, de quo in Scripturis est sermo, ingentibus actus est opibus, ex quo illi Jacob suam præstitit servitutem. Putiphar divinam in domo sua benedictionem est admiratus, ex quo Josephi fuit ejus œconomus. Nabuchodonosor tunc desiit esse miser, cum inter domesticos ejus adlectus est Daniel: Et in Scripturis videmus Naaman præcipuum Syri Regis Ministrum salutem, & conversionem suam acceptam referre debuisse ancillæ cuidam, quam domi habebat; & sapiens consilium, quod quidam ex servis illius ipsi tradidit factum fuisse sanctificationis ejus originem. Hoc docemur exemplo, ubi famuli herum suum vident vel flagitiis abditum, vel in periculo positum, ne perniciosum negotium aliquod aggrediatur, monitum opportune traditum sæpe effectu nequaquam caruisse. Operæ tamen pretium non est, servum hanc sibi vindicare provinciam, domino consilium suppeditandi, nisi aliter tempus, occasio, & urgens periculum suadeant: eidem vero bonum præbere exemplum numquam non utile est, immo maxime decet.

Dei Filius in mundo & servis, & dominis exemplar propositum.

Quemadmodum Dei Filius venit in Mundum futurus exemplar, rebus in omnibus ab hominibus imitandum; satis est, si isti tradita ab ipso imitentur exempla ut boni sint domini, bonique famuli. Patientia, qua discipulorum suorum infirmitatem pertulit, humanitas, qua ob eorum egestatem sese sollicitum præbuit, eorumque necessitatibus consuluit, satis docent, quanam uti debeamus indulgentia, lenitate, benevolentia erga eos, qui nobis subditi sunt. Ex altera autem parte submissio, & obedientia, quam semper Patri suo, immo etiam hominibus præstitit, quibus ille auctoritatem suam communicavit, satis ostendunt, quid illis debeamus, qui in nos habent auctoritatem. Ac vera imperandi, obtemperandique ratio, ut verum Christifidelem decet, ea est, ut perfecte Deo pareamus.

Capharnaita Centurio cum adhuc Ethnicus esset, servum habebat domi ægrotantem, sed tantum abfuit, ut illum dimittere vellet, quod immo ipse JESUM CHRISTUM adiit pro famulo deprecaturus; & sane tanto fervore, tantaque humilitate ex illo munus hoc petiit, ut illud obtinere meruerit. Dux iste ea in occasione se æque bonum & dominum probavit, & servum; dominum quidem erga ægrotantem famulum, cui valetudinem procuravit; servum autem erga Deum, cujus bonitatem, atque potentiam confessus est. O admirabile omnibus terræ principibus exemplar! Licet aliorum hominum sint domini, servi tamen sunt Dei, neque boni esse possunt domini, nisi prius boni sint famuli. Erga Deum id tenentur facere quod sibi a servis fieri cupiunt: & pro servis id facere debent, quod sibi a Deo fieri desiderant.

Judas servi nequam exemplum.

Inter duodecim Apostolos, quos sibi socios elegerat Dominus, unius erat non admodum religiosus. Divinus Herus, cui calamitosus ille famulabatur, huic procuratoris officium credidit, & docet Evangelium infidelem hunc discipulum, qui Judas appellabatur, custodem fuisse, ac depositarium eleemosynarum, quæ Salvatori conferebantur; verum cum avaritiæ esset obnoxius, aliquid semper in usus suos seposuisse: *Fur erat, & loculos habens*. Jo: 2. Hæc quidem furta non adeo magna esse poterant; verum cum ipse tenuem compararet victum, aliquid semper sibi reservabat occultum. Pauca sane illa erant, quæ sibi hac ratione vendicabat; nihilominus tamen fur in Evangelio vocatur. Exemplum hoc quamplurimi servi, domesticique passim sequuntur, qui aliquid quotidie decerpunt in iis, quæ ipsis aut vendenda, aut emenda creduntur. Modicum profecto in rem suam vertunt, & non ideo minus fures existimandi sunt; & si eo tempore, quo herilis pecuniæ vel unicum obolum retinent, illis propositum est exiguo hoc commercio satis magnam colligere summam, quæ grave peccatum efficere possit; hoc committunt singulos suffurantes obolos, ac ideo ad restitutionem tenentur.

S. Paulus palam ostendit quantum sibi esset cordi, ut famuli dominis suis fideles essent, atque dicto parentes; non enim satis putat in omnibus ferme Epistolis fidem hanc, & obedientiam commendare; sed præcipit etiam Tito discipulo suo, ut illis hoc præceptum explicet tamquam rem maximi momenti in ipsis Christianismi orientis incunabulis; ethnici enim primos fideles insimulabant, quasi potestatibus essent rebelles; re enim vera imperata facere detrectabant, cum contra Dei legem agere jubebantur, vel cum illis interdicebatur, ne JESU CHRISTI legem prædicarent. Ad eluendam igitur opinionem, quæ illos rebelles esse ferebat, Apostolus, quemadmodum quidam Sancti Patres animadverterunt, cupiebat, ut quicumque alienis subjecti erant imperiis, Ethnicis ipsis præberent exemplum obedientiæ, fidei, atque diligentiæ in iis omnibus, quæ divinæ voluntati, ac legi non adversarentur.

Quorumdam Scripturæ locorum applicationes, huic argumento.

Exemplum Charitatis erga servos habet.

PUer meus jacet in domo mea, & male torquetur. Matth. 8. Hic Centurio, de quo loquitur Evangelium, licet infidelis, ruborem injicere deberet Fidelibus. Omnia verba hæc singillatim sunt inspicienda: *Puer meus jacet*. Hæc verba inhumanos redarguunt dominos, qui servorum suorum morbis non afficiuntur, eosque deserunt statim ac illi servilibus explendis operibus pares amplius non sunt. *In domo mea jacet*: Quid dicent ad hæc Fideles, qui servum domo ejiciunt, dimittuntque, ubi morbo aliquo laboret? *Et male torquetur*; Quid autem ad hæc domini, qui servorum suorum morbos imminuunt ac deterunt, neque vere morbo effectos putant, nisi cum jamjam animam sint effla-

effaturi? Hoc inhumanitatis genus est vulgatissimum, ejusque nobis exemplum suppetit in primo Regum cap. 30. ubi miseri servi Ægyptii ab hero, cui famulabatur derelicti, eo quod præ morbi vi illum sequi non poterat, misertus est David, cumque excepit, & illius curam egit.

Si quis domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. Cave, Sanctus Paulus inquit, ne servorum tuorum curam gerere negligas; si enim eorum curam contempseris, jam fidem abdicasti, & infidelibus ipsis es nequior. Si rationes audire exoptatis, propter quas adeo terribilibus verbis usus est Apostolus, quæ sane videri posset exaggeratio quædam, nisi innotesceret, ipsum Spiritus Sancti afflatu ita fuisse locutum; hæ sunt: 1. Cum fides nos omnes invicem fratres effecerit, qui subditos, famulosque suos fratrum loco non habet, eorumque non consulit utilitati, Christianæ Religionis unioni abrenuntiat: 2. qui credit in JESUM CHRISTUM fidem suam mentitur operibus, non servans vinculum charitatis, quæ potissima Religionis Christianæ lex est, & nota, ex qua discipulos suos optat agnosci. 3. Qui servorum negligit curam infideli deterior est; Ethnici enim, atque Gentiles servorum curam gerere non detrectant, solo rationis lumine, atque instinctu naturæ acti, quo docentur servos alienis anteferre, ita ut leges illorum libertate donarent eos servos, quorum dominus curam neglexerat.

Servi conditio J. C. exemplo commendatur. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Matth. 20. Hoc Salvator Mundi a nobis intelligi voluit, ipsum videlicet, qui quocumque jure supremus est Dominus, in terras venisse, non ut sibi serviretur, sed ut ipse serviret. Qua in re dicere possumus, servi qualitatem in Filii Dei persona fuisse quodammodo commendatam, & consecratam: neque ullus inter Fideles subditos servosque esse potest, cui submissio, & obedientia levis, & jucunda esse non debeat, ubi videat, non satis fuisse CHRISTO JESU dixisse, se in Mundum ob id unum venisse, ibique fuisse versatum, ac inde egressum, ut Patris sui dicto pareret: *Descendi de Cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me;* Joann. 6. verum etiam, se exemplo suo docuisse, quo pacto famuli suæ conditionis officiis debeant perfungi, sese ad abjectissima quælibet demittendo ministeria domi illius, qui pater suus ferebatur, operosissimam artem exercendo, & admirabili cum celeritate, atque obedientia illi operam præstando, cujus in summa rei familiaris inopia, egenaque domo opus esse poterat; idque integro annorum triginta intervallo. Nonne iis omnibus, qui ad hanc conditionem redacti sunt dicere videtur; *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis?* Jo: 31.

Servilis conditionis privilegia. *Servus vocatus es? non sit tibi cura; sed et si potes fieri liber, magis utere,* nempe servitute. 1. *ad Cor.* 1. 7. Cum S. Paulus Fideles hortatur ut ea in vocatione, atque statu permaneant, in quo Deus illos constituit, neque esse velint ex eorum numero, qui mobiles, vagique conditionem immutant, quin seipsos in illa sanctificent, in qua eos oriri, divina Providentia disposuit, nequaquam alloquitur eos, qui honoribus aucti sunt, & generis sui commendatione ad dignitates evecti sunt; neque dicit illis: Estote Domini, Nobiles, Magistratus ad aliquem honoris gradum, & dignitatem elati; in hoc loco permanete; sciebat enim, hujusmodi mortales non semper illuc a Deo vocari, sed vel propria, vel majorum suorum ambitione actos eo contendisse. Verum servis saluberrimum hoc tradit consilium Apostolus; *Servus vocatus es, non sit tibi curæ* &c. Si generis te humilitas ad servi conditionem vocat, in ea conquiesce; quin negotium tibi locus iste facessat, ac inde contendas emergere. Cæterum, addit ille, si per industriam, meritumve ex eo statu egredi vales, ne illinc egrediaris; nullus quippe in terris est status, ubi Deo gratior esse possis. Hæc tutior, brevior, & facilior est via ad salutem obtinendam, & libertatem filiorum Dei indipiscendam.

Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur, 1. ad Timoth. 6. *Dignos.* Hæc vocula notanda est. Honor, quem servi deferunt dominis suis, & quem deferre tenentur, non est urbanitatis, sed officii, & obligationis; hunc illis debent; hoc illi sunt digni, hunc merentur non solum cum boni sunt, lenes, facilesque: verum etiam cum molesti sunt, atque difficiles. *Etiam dyscolis,* inquit S. Petrus; eorum quippe auctoritas supremæ potestatis Dei quædam est emanatio, imago, & similitudo. Itaque devotusne sit herus tuus, an impius; virtutis amicus, an flagitiis deditus nihil interest; herus est; potestas, quam habet in te, a Deo habet, & quidquid a Deo fluit, honore dignum est, & reverentia.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Magis debent heri quod dominentur, tolerare, quam servi quod serviant. Augustinus, l. 1. de Civit. c. 16.

Dicit Christus, non ideo Christianus factus es, ut dedigneris servire: non feci de servis liberos, sed de malis servis bonos servos. Idem, in Ps. 83.

Domini, domesticorum vestrorum salutem omni vigilantia procurate. Idem, in Sermon. commun. Serm. 51.

Omnis servitus amaritudine plena est. Idem, in Psalm. 99.

Omnes conditione obligati & serviunt, & murmurant. Idem, ibidem.

Nomen, & conditionem servitutis culpa genuit, non natura, & prima hujus subjectionis causa peccatum est. Idem, l. de vera innocentia.

Melior ejus status est qui famulatur homini, quam qui servit suæ cupiditati. Idem, ibidem.

Audi quisquis temporaliter servus es, & quisquis teneris jure dominationis astrictus, quisquis conditione qualibet obnoxius es, esto servus & esto liber; esto servus humiliter obediendo; esto liber fideliter serviendo. Idem, Serm. 3. de Dedicat. Eccles.

Esto servus domini, & noli esse servus peccati. Idem, ibidem.

Cum servieris homini, Deum fideliter cogita, Dei præcepta conserva, Dei voluntati semper obtempera, a Deo mercedem bonæ voluntatis expecta, custodi fidem, fuge fraudem, cognosce Deo te redditurum rationem de omni opere tuo. Idem, ibidem.

Si bonam domino exhibes servitutem, a Deo recipies perpetuam libertatem. Idem, ibidem.

Jubentur servi Christiani dominis suis temporalibus æquanimiter, fideliterque servire, quos judicaturi sunt, si usque in finem iniquos invenerint, aut cum quibus æqualiter regnaturi sunt, si illi ad verum Deum conversi fuerint. Idem, l. de catechizandis rudibus, c. 21.

Quicumque dominos carnales habetis, quicumque servitii conditionem debetis, obedite dominis vestris, & diligite ex toto corde, non ad oculum servientes, sed ministerium ex amore facientes: quia & illos Deus constituit, ut vobis dominentur, & vos ut serviatis. Idem, Serm. 7. de temp.

Ipse de servo tuo exigit servitutem, & homo hominem parere tibi compellis; & non agnoscis mi ser Dominum tuum, cum sic exerceas ipse in hominem dominatum? Cyprianus, contra Demetr.

Timor quodammodo cum natura servitutis conjunctus est. Gregorius Nyssenus, orat. 9. contra Eunom.

Servis, tamquam nobis ipsis utendum est. Isidorus Pelusiota.

Debent domini, ejus, qui vere est Dominus, memores, mutuas velut reddere operas servis suis, quan-

quantum possint in timore Dei, & clementia adversus ipsos, idque exemplo Domini. Basil. regul. 75. c. 2.

Servorum virtus confert ad domum constituendam, & administrandam, Chrysost. Hom. 22. in Epist. ad Ephes.

Vult quispiam ministros habere quamplurimos, nec patitur eos vel necessarium habere victum; num quæso lapideos vis esse homines? Idem, Hom. 7. in secundam ad Timoth.

Est hoc ad gloriam domini, si servos habeat gratos, & illum diligant servi. Idem, Hom. 2. in Epist. ad Philem.

Quando servis nostris succensemus, nostra delicta consideremus. Idem, Hom. 25. in Joann.

Servus erat Joseph, sed non servus hominum, quamobrem etiam in servitute erat omnibus hominibus liberior. Idem.

Solent etiam nequissimos servos, quos supplicia non correxerunt, blandimenta corrigere, & quos dominis suis verbera non submiserint, beneficia submittunt. Salvianus de Gubernat. Dei.

Quanta servorum illic corruptela, ubi dominorum tanta corruptio! morbido enim capite, nihil sanum est, neque ullum omnino membrum officio suo fungitur, ubi quod est principale non constat. Idem, l. 7. de eadem Gubernat.

Nemini dubium est omnes dominorum familias aut similes esse dominis, aut deteriores; quamvis hoc usitatius, ut deteriores. Idem, l. 8.

Serviles animos jam per se malos, etiam dominorum facit nequitia pejores. Idem, ibidem.

Multi sunt sub obedientia magis ex necessitate quam ex charitate, & illi pœnam habent, & leviter murmurant, nec libertatem mentis acquirunt, nisi ex toto corde, propter Deum, se subjiciant. Lib. 1. de Imitat. Christi, c. 9.

Non dominandi cupiditate, sed charitatis motu imperent domini. August.

Non per te, sed propter te peccatur. Idem, in quadam Epist. ad virum spectabilem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia ad hoc argumentum afferri possit.

In civili vita & domini, & servi sunt utrorumque discrimen.

QUid Dominus sit, quid servus, satis per se patet, quin ulla indigeat explicatione, quæ profecto eorum qualitati cognoscendæ nihil conferre potest; satis est nosse, mutuam inter utrumque relationem inveniri, quæ diversæ illorum innititur conditioni; alterius esse ex altero eam deposcere, de qua inter ipsos convenit, operam, quam alter se priori præstiturum pollicitus est certam pactus mercedem. Inde sequitur utrumque quibusdam veluti justitiæ vinculis teneri, quibus invicem obligantur, & quæ citra scelus nequeunt infringi. Animadvertendum est solummodo servi conditionem, de qua hic verba facimus, aliam esse a servitute, vel captivitate, quam jus gentium invexit, & cujus vel originem repetere, vel usum probare hujus loci non est. Agimus tantum de famulis conductitiis, qui liberi sunt, qui sunt integri capitis, & quibus integrum est de bonis suis disponere, ab hero suo, ubi voluerint, recedere, conqueri, & jus suum ob acceptam persequi contumeliam: Mancipia enim nihil proprium habent, & quidquid faciunt, vel acquirunt, domini sunt, qui victum dumtaxat illis suppeditat citra mercedem, ullumve servitutis stipendium.

Ad hæc supponendum est, quemadmodum conditiones omnes civilem constituentes vitam ad duas generatim redigi possunt, heri videlicet, & famuli, quorum diversa sunt, licet reciproca, officia: utrique Theologos præscribere, quomodo illa sint persolvenda, ut salutem suam operentur, & vitam Christiano homine dignam traducant.

Ethicorum, Politicorumque Scriptores quærunt, utrum imperandi potestas, & obtemperandi munus hominibus esse naturalia possint, ita ut alii quidem superiores, alii subditi sint, quin imperantibus aliud jus adsit præter naturæ privilegia? Et negative respondent; discrimen hoc fortunæ tantum esse, non naturæ, quæ potest illos quidem aptos reddere, sed quæ jus illis conferre non potest; hoc enim jus alteri cuipiam titulo inniti debet, qualis esset consensus, & libera populorum electio, vel legitima suorum majorum possessio. Docet S. Thoma 2. 2. *quæst.* 57. *art.* 3. populorum servitutem absolute naturalem non esse, & si homines in innocentiæ statu perseverassent, non aliam inter ipsos dominationem, quam parentum in liberos suos fuisse futuram. Addit tamen servitutem a populis invectam dici posse naturalem propter eam, quam adfert utilitatem, rectumque ordinem, quem inter mortales constituit. Divina Providentia genus humanum dirigens, ac mundi totius regimini intenta hoc inter homines discrimen invexit; & quemadmodum Deus & pauperem facit, & divitem, & herum facit, & famulum.

Herilis in servos auctoritas a Deo.

Ut liqueat undenam dominorum in servos, & patrumfamilias in domesticos auctoritas fluat, non aliis luminibus indigemus, quam eo, quod ex S. Pauli verbis nobis affulget, asserentis potestatem omnem, auctoritatem, ac imperandi facultatem a Deo esse, & a divina ejusdem Sapientia factum esse imperantis, obtemperantisque discrimen existimante hoc necessarium esse, ut rectus ordo in terris constituetur: *Non est potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt.* Ad Rom. 13. Unde sequitur, ait ille, præsertim, neminem legitimis potestatibus resistere posse, quin Dei mandato resistat, ideoque æternam subeat damnationem.

Quod de Principibus, subditisque loquitur S. Ambrosius, nos ad heros, famulosque transferre possumus; videlicet Deum voluisse, ut alii pro aliis agerent, ac vicissim suis studerent utilitatibus. Si accidit ergo, ut qui conductitios habet famulos, quæ sua tantum sunt, quærat, sua commoda, honorem peculiaremque utilitatem consectetur, quin servientium sibi commodo, atque utilitati prospiciat; ille palam sua abutitur potestate, atque ordinem Providentiæ subvertit.

Domini curam gerere debet servorum suorum, & in quo ea cura consistat.

Quod Domini servis suis debeant generatim, hoc est, ut illorum curam habeant diligentem. Hoc illis Deus præcipit in Ecclesiastico c. 33. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic tracta eum.* Et S. Paulus eodem spiritu c. 4. ad Colossenses hæc ait: *Domini, quod justum est, & æquum servis præstate, scientes, quod & vos Dominum habetis in Cœlo.* Quibus addenda, quæ habentur in prima ad Timotheum c. 5. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Unde inferendum est, in ordine Charitatis servo, atque domesticos illis esse præferendos qui nulla ex parte ad nos referuntur: cum e contra sæpius alienos domesticis præferamus vanitatis ergo, & jactantiæ pro illis efficientes, quod pro his fieri postulat Justitia.

Cura, quam domini servorum suorum generatim gerere tenentur, ad duo peculiariter referuntur, ad ea videlicet quæ ad corpus, & ea, quæ ad animam spectant. Quod pertinet ad corpus, tenentur domini; 1. necessarium illis victum præbere juxta eorum statum, & operæ, quæ ab ipsis sibi impenditur, qualitatem: 2. mercedem illis summa fide persolvere, quin criminosa cunctatione eis differatur, ubi memoria repetendum est, quod Epistolæ suæ capite quinto S. Jacobus Apostolus testatur, iis videlicet denegare, quod debetur, peccatum est vindictam deposcens: 3. illos ingentibus, immodicisque laboribus non obruere: 4. diligenter cavere, ne ulla illis inferatur injuria. Hæc ad corpus.

Ad animam vero pertinet, ut domini servorum suorum saluti zelo flagrent: 1. illos erudientes, vel

vel curantes ut in iis, quæ ad fidem, & Christianæ Religionis officia spectant edoceantur; 2. illos hortantes, ut sæpe ad Sacramenta accedere consuescant, eosque cogentes, ut iis, quibus jubentur, diebus divinis intersint officiis, tempus illis tradentes, quo muneribus suis perfungantur, & curantes, ut statis horis suas preces effundant. 3. Eos corrigentes, & castigantes pro qualitate defectuum, cum jurant, vel alio quopiam modo Deum lædunt: Domini enim domesticorum suorum rationem reddituri sunt, nisi his officiis fuerint perfuncti.

Deus imperans, ut domini servorum curam gerant, imperat quoque, ut servi dominis pareant.

Quemadmodum dominorum erga servos, servorumque erga dominos officia mutua sunt, Deus, qui suam dominis communicat auctoritatem, vult etiam ut illis servi in iis, quæcumque justa fuerint, obtemperent. Verba S. Pauli, cujus ore hoc illis Deus mandatum pronuntiat *ad Ephes. 6.* apertissima sunt: *Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo: non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei, & animo cum bona voluntate servientes sicut Domino, & non hominibus*. Apostolus, passim in Epistolis mandatum hoc repetens, servos ad obedientiam introducit ob propriam ipsorum utilitatem; si enim parere detrectaverint, proculdubio subituri sunt justæ dominorum suorum indignationis effectus; his quippe jus est in illos animadvertendi. Ab utilitate ad conscientiam mox gradum facit, eisque edicit, hac ipsos inevitabili ratione cogi, ut sese intra reverentiæ, atque obedientiæ fines contineant. *Subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter Conscientiam*. Ad Rom. 13.

Hanc etiam obligationem eo argumento confirmat, quod rite perpendatur, nullam dubitationem admittit. Vetat conscientia, ne Dei mandatis resistamus, & legitimæ potestatis auctoritati resistere, est Dei mandatis resistere; omnes enim terræ hujus potestates a Deo sunt: *Non est enim potestas nisi a Deo*. Unde sequitur, illum dominis, omnibusque superioribus conferentem jus imperandi, famulis, subditisque præcipere, ut eorum dictis obtemperent; ideoque qui domini, vel superiori, cui subest infringit mandata, Dei mandatum infringit: *Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Utque cognosceremus, quam criminosa hæc sit inobedientia, eo usque procedit, ut dicat, illam post se æternam trahere damnationem: *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Poteratne aliquid in hoc argumento distinctius, & apertius afferri?

Quænam sint servorum erga dominos officia.

Si scire cupis, quid servi debeant illis, quibus serviunt servitutem; hæc ferme sunt: 1. Illos diligere, & colere debent: hoc illis docet Apostolus in prima ad Timotheum epistola c. 6. *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur*. Ideo numquam inde absentibus dominis obloqui debent, neque pati obloquentes; contra quod præceptum delinquunt, graviterque peccant, qui dominorum suorum defectus pandunt; & in jocum traducunt, qui contra illos obmurmurant, vel illis maledicunt, ubi ab eis corripiuntur.

Alterum servorum officium est alacriter, & cum amore id exequi, quod sibi ab hero præcipitur, cogitando hanc esse Dei voluntatem: hoc ipsum in Epistolis passim docet Apostolus, præsertim vero ad Ephesios cap. 6. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri sicut CHRISTO non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi CHRISTI facientes voluntatem Dei ex anima; cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quod unusquisque quodcumque fecerit bonum hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber*. Quod si herus præciperet aliquid contra Dei legem, vel ille prava vivendi ratione servo scandalum inferret, tunc opus est, ut servus recedat a domino, licet ea perutilis sibi esset conditio, salus enim cæteris quibuscumque rebus est anteferenda.

Tertium servorum munus est fides, quæ in eo sita est, ne ullam hero suo injuriam inferant, neque in rem suam vel parum aliquis, quamtumvis minimum videatur, detorqueant; qui enim pauca decerpere consueverit, paulatim ad majora surripienprocedet. Ad hæc, licet singulis vicibus minimum aliquid carperent, hæc pauca toties repetita post aliquod temporis intervallum satis magnam efficerent summam, quam sub gravi restituere tenerentur. Hæc autem fides in eo etiam consistit, ut pene transmittatur tempus in eos labores, quos præcipit dominus, neque aliquid eorum interire sinatur, quorum administratio ipsis credita fuerit. Tandem fidelis esse debes, secretum illius domi, ubi servis, custodiens: etenim per imprudentiam grave potes afferre vel rei, vel existimationi dominorum suorum detrimentum.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Providentia, inæqualitatë, & subordinationë in humanis instituit, ideoque & servos esse voluit.

Nullus status est per Leges probatus, qui ab ordine Providentiæ recedat, quæ hanc conditionum varietatem instituit, sine qua mundus, & humana societas esse, & vigere minime possent. Ideo nemo statum aliquem amplectitur, vel in aliqua nascitur conditione, nisi juxta ejusdem Providentiæ nutum, quæ inæqualitatem, atque subordinationem constituit non secus ac diversitatem humanarum conditionum, & quæ iis omnibus, quoscumque ad eos status vocat, gratias, & necessaria tribuit subsidia ad eorum replenda munera, salutemque suam in iis procurandam. Itaque pauperes, & divites, Domini, & servi, justam hanc dispensationem fateri tenentur, & ei acquiescere partitioni, quam sapientia Dei, qui communis est utrorumque parens, effecit, & qui singulos sincero amore complectens illos vocavit, vel nasci voluit ea in conditione, quam ad æternam felicitatem illis destinatam indipiscendam utilissimam censuit futuram. Inde inferendum est, illis, quos necessitas, vel nativitatis humilitas servire cogit servitutem, statum suum Deo acceptum esse referendum, & credendum, se a Domino ad servitutem fuisse evocatos, quæ inter humanæ societatis gradus extremus est, & denique illis persuasum esse debere, eo in famulatu, quem aliis hominibus sibi similibus præstant, se perfectionem, ac beatitudinem suam inventuros; hic enim status divinis erga ipsos consiliis magis conformis est. *Desumptum ex libro, cui titulus: L'Ordre de la vie, & des mœurs, Pater Haineuve, Sermone 14.*

Nequaquam licet Divinæ Providentiæ, quæ inter homines conditionum varietatem constituit, ordinem perturbare, hanc prætexendo causam, quod omnes liberi nascimur, & nemini jus est alios sibi subjiciendi, qui in natura sua nihil habent, quod sit inferius; tandem enim patet, nos per nativitatem nostram nobiscum in hanc vitam afferre essentialem submissionem, quæ nos divinitatis subditos facit, & cogit, ut omnibus ejusdem præceptis obtemperemus; quandoquidem ipse suis legibus, atque imperio esse voluit, qui aliis imperarent, & qui facerent imperata; & illi, quos ita subjecit Deus, rebelles sunt, si excutere velint jugum, quod ipsi ultro subierunt, quales sunt vulgo famuli, vel quod propter nativitatem, vel jus gentium subire tenentur, & quod adeo grave ipsis videtur. Hinc juxta Principis Apostolorum præceptum S. Augustinus ait, licet domini obliviscerentur, quod sunt, hoc est, homines illis similes, in quos grave exercent imperium, servos nihilominus & subditos id oblivisci non debere, quod

ipsi

ipsi sunt erga dominos suos; quamtumvis enim isti imperando excedere possint, numquam ideo ab eorum obedientia famuli dispensantur. Tandem enim aliquando hoc omnibus persuasum esse debet, dominorum auctoritatem personarum virtuti minime innixam, sed potestati, & auctoritati Dei, quem illi exhibent, quæ cum mutari, ut eorum voluntas, non possit, eos detinere debet in jure, in fide, ac submissione illorum, quibus subditi sunt. *Idem*.

Non sola necessitas homines cogit, ut conditionẽ aliquam, quæcumque illa sit amplectantur.

Deciperemur proculdubio, si cogitaremus aliorum quidem ignaviam, & imbecillitatem, aliorum vero ambitionem, aut calliditatem causas esse, propter quas tantum discriminis invectum est inter dominos, & servos, potentes, ac debiles, nobiles, ignobilesque, vel si putaremus solam privatorum hominum voluntatem tantam peperisse varietatem; qui quatenus se conditionis suæ electione liberi, ea ut plurimum consectantur, ad quæ sua ambitione, genere, studiis, ingenio, vel libidine feruntur. Etenim una Dei Providentia singulorum status constituit, & variis etiam mortalium studiis utens ad diversas Imperii sui partes efficiendas suam ostendit sapientiam, ac bonitatem hominum optioni conditionum qualitatem relinquens, simulque suam potentiam ostendit, eorum consilia semper in majorem sui gloriam convertens, eosque ad suos revocans fines, quocumque sese vertant, & quæcumque ineant consilia. Quod satis est, ut subditi, famulique sese divinæ voluntati conformare, suæque conditioni acquiescere teneantur. *Idem*.

Nihil est, quod efficere possit, ut servi, subditique jure eam negare valeant reverentiam ac obedientiam, quam illis præstare tenentur, quibus Deus illos subjecit: & quemadmodum patet terræ hujus Potestates auctoritatem suam ex cœlesti Potestate obtinere, cujus providentia nonnisi æquissima esse potest, justitiam illius veneremur oportet, licet etiam permitteret injustitias in illis, qui imperant nobis, atque intra nosmetipsos dicamus: Tandem, ita voluit Deus; nihil vult, quod justum non sit; justum est ergo, ut mea divinæ voluntati sese conformet, & in eo, qui potest quidem injuste operari, sed qui in me justam obtinet auctoritatem, odorem Justitiam Dei, qui illi contulit potestatem, quæ bona est, quandoquidem ab ipso fluit, & qui ferre potest vitam ejus, licet flagitiosam ob eas causas, quas Dei solius est compertas habere, & exploratas. *Idem*.

Servi obtemperare debent dominis suis etiam dyscolis.

Meminerint, opus est, servi ejus præcepti, quod Princeps tradit Apostolorum in 1. Ep. c. 2. *Servi subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis*, non obliti ubi obtemperandum est, non mores, sed auctoritatem esse tantummodo respiciendam. In hoc autem Christianismi gratia effulgebit, si propter Deum leniter, atque patienter malum domini sua abutentis auctoritate, ingenium, libidinem, injustasque persecutiones pertuleritis. Hoc pacto non solum dominos vestros, verum etiam doctrinam, quam vos docuit Salvator vester, honorabitis: *Ut Doctrinam Salvatoris Dei ornent in omnibus*, inquit S. Paulus *ad Tit.* 2. Divina hæc doctrina non regit solum famulorum mores, verum illis inexhaustum aperit lætitiæ, & solatii fontem, quia per illam docentur, se libertatem suam uni Deo sacrificare, & proprie loquendo, se uni JESU CHRISTO inservire, qui infinitæ bonitatis exemplo ut conditionis eorum humilitatem extolleret, eorumque lenire obedientiam dignatus est servi formam suscipere. *P. Texier in Dominicalibus Sermonibus pro altera post Pascha Dominica*.

Quænam honoris, & consolationis causa servis omnibus est, audire Angelorum, hominumque regem dicentem Regni sui, quod Ecclesia est, politica instituta longe alia ab iis futura, quæ apud Idololatras, profanosque servantur. Inter hos, quemadmodum amore proprio, & ambitione reguntur, inanis tantummodo nobilitas ostentatur, & ambitiosa dominatio suspicitur: *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum: non ita erit inter vos:* Matth. 20. Omnino aliud erit in regno meo, cujus fundamenta solidæ humilitati innituntur: hic enim maximus quisque gloriæ sibi vertet, servi qualitatem suscipere: *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus*. Hoc illos exemplo meo docui; cum enim supremus universorum sim Dominus quocumque jure, huc veni, non ut mihi alii; sed ut aliis ergo servirem: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Idem*.

Quem habere sensũ debeant domini erga servos suos.

Hæc, o domini, patresquefamilias, idea est, quæ in familiarum vestrarum regimine vobis est proponenda. Quamvis illustre genus, qualitates vestræ, honores, & opes supra servos, domesticosque vestros in immensum attollant, eos tamen numquam debetis aspernari, sed cum quadam reverentia regere, aliquam cum illa habente similitudinem, cum qua Deus, qui summus nostrum omnium est dominus nos gubernat: *Cum magna reverentia disponis nos*. Sap. 12. Æquissimum Job sensum induite. Quid? ajebat ille, idem Creator, qui Dominum, nonne & servum effinxit? nonne uterque ejusdem naturæ sunt? Numquid eorum conditionis inæqualitas prohibet, ne uterque dominum eumdem, eumdemque habeant Deum, cui sunt rationem reddituri? *Numquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est*? Job 31. Opus est, ut regimen vestrum cum ea institutum sit tranquillitate, cum qua judicat Deus: *Cum tranquillitate judicas*; & numquam sit præceps in imperiis; imperium autem sit paternum, non tyrannicum, leniens jugum servitutis, quod per se grave est, vestra lenitate, atque patientia. Hoc nobis in Ecclesiastico monitum præbet Spiritus Sanctus: Eccli. 4. *Noli esse sicut leo in domo tua evertens domesticos subjectos tibi*. Quandoquidem o patresfamilias, estis domi vestræ exiguæ quædam divinitatis imagines, ne per iracundiæ vestræ impetum, furoremque leonem imitemini, jurantes semper, ac minas intentantes, necnon vi, immodicisque pœnis perterrentes. *Idem*.

Numquam benedicet Deus familiæ vestræ, donec flagitiosos servos habebitis, eorumque peccata in domum vestram divinam detrahat maledictionem: illud vero magis timendum est, quod videlicet rationem reddituri estis Deo scelerum omnium, quæ vobis vitio vertentur, quoniam, ut S. Paulus *ad Hebr.* 13. inquit, vigilandum vobis est, totoque pectore incumbendum, ut illos corrigatis: *Pervigilant quasi rationem reddituri*. Satis perspicaces estis, ut intelligere possitis, quantum bonis vestris detrimentum inferre possint famuli vestri; satis delicati, ubi eum vobis honorem non præstant, qui debetur vobis, satis prompti ad persequendos errores, quos contra vestram utilitatem admiserint: attamen in illis ea toleratis, quæ Dei honorem lacessunt, qualia sunt, obscœna verba, juramenta, aliaque peccata, quæ Deo sunt contumeliosa. Adeo solliciti estis, S. Bernardus ait, ut rationem ex illis repetatis sumptuum, qui ad familiam alendam erogantur, eamque ad minimum usque quadrantem persequimini, at non quæritis quomodo serviatur Deo, & utrum servi rite suæ Religionis officiis perfungantur. *Idem*.

Domini in sua tracentes vilia famulos, eosque suorũ scelerum consortes efficientes.

Non desunt domini longe nocentiores illis, qui servorum suorum flagitia æquo patiuntur animo? Hi autem sunt, qui eosdem corrumpunt, & quin eorum invigilent saluti, sunt illorum interitus, & damnationis causa. Ne credatis me de execrabilibus, turpibusque Dominis loqui; qui ea abutentes potestate, quam sibi contulit Deus, importunis sollicitationibus persequuntur, & auro, vel minis adnituntur corrumpere infirmas, innocuasque creaturas suo subjectas imperio. Haud ita sane; neque enim satis disertus sum, ut dignas invenire possim voces, quibus hac in re zelum meum exprimere valeam: de illis tantummodo loquor, qui

qui famulos suorum scelerum consortes efficiunt, & ea, quam in ipsos obtinent, potestate in propria detrahunt flagitia. Hero illi non satis est, se nequam esse, vitiisque diffluere, opus etiam est, ut servi suæ sint impuritatis ministri, vel ultionis instrumenta, vel falsi testes perjuriis res ipsorum tuentes. Nobilis hæc mulier virgunculæ, quæ innocens adhuc eidem cœpit ancillari, amorum suorum credit arcana. Nil ultra dico; hoc enim satis est, ut pateat eam quæ secundum mentem Dei tamquam domina ancillæ saluti invigilare deberet, seipsam causam facere damnationis ejusdem, suæque libidini mactate æternam animæ illius salutem, cujus aliquando rationem Deus est ex illa expetiturus. *Idem*.

Inter præcipua dominorum erga servos officia non extremum est, illos cum humanitate excipere; qua in re delinquunt, qui superbis, gravibusque verbis eos alloquuntur, & nonnisi cum contumeliis, maledictis, & imprecationibus suos illis sensus aperiunt. Communis est doctorum omnium sententia, imperiosos hos Dominos, furentes, atque superbos nequaquam gravi culpa carere, cum servos atrocibus obruunt injuriis, nisi primus iracundiæ motus rationem ipsam præveniens illos excuset. Charitatem etiam, quæ ipsis debetur, non servat, qui nimis severus est; qui indesinenter eos arguit; qui semper illis minitatur; qui neque ob minimum erratum parcit, licet alioquin optima illis voluntas adsit (satis frequens eorum defectus, qui se devotos esse putant;) qui eos in Nosocomia dimittunt statim ac levi febre laborare inceperint; qui in illos cum furore, impetuque desæviunt, omnesque modestiæ regulas negligentes indignis verbis utuntur, & a verberibus etiam non abstinent leves ob causas. Dici jure potest, qui hæc fecerit, cum servis suis non tamquam cum hominibus, sed jumentis agere; & eam, quam debet, charitatem nequaquam præstare. *Sermo Manuscriptus*.

Domini, patresque familias justitiam cum servis suis debet exercere.

Justitia necessaria virtus est dominis, patribusque familias; eos & remunerari, & punire docet. Servis pactam mercedem negare barbaries est, ac summa injustitia, Deum ad iracundiam, & ultionem provocans, ac efficiens, ut crudeles hi domini servorum suorum sudoribus, laboribusque abutentes, neque debitum stipendium persolventes a Spiritu Sancto in Ecclesiastico inter sicarios adnumerentur. Ceterum illos non corrigere, ubi vitiis sese mancipaverint, crudelitas est, & impietas; & qui id fecerit rationem Deo redditurus est malorum omnium, quæ illi patraverint. Heu! nimis etiam corripiuntur, cum in nostrum detrimentum peccaverint; at cum peccant in Deum, ne movemur quidem! Nisi nobis honorem præstiterint; scelus est non ferendum; nisi præstiterint Deo, ne afficimur quidem. Quandoquidem domini Dei ipsius locum tenent in familiæ, servorumque suorum regimine, summum illum Dominum imitari debent, eorum labores remunerari, defectus vero spiritu lenitatis corripere: sese & bonos Dei servos, & bonos servorum dominos gerentes in cœlis, & servi stipendia, & domini coronam invenient.

Quodnam est scelus heri, vel patrisfamilias, qui sui oblitus, vel sua abusus potestate, omnemque divinæ Providentiæ subvertens ordinem, fit corruptor eorum quorum dux esse deberet, atque Salvator? S. Paulus nequaquam hyperbolice se loqui putabat, 1. *ad Timoth.* 5. & profecto non loquebatur, cum diceba; si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, hunc fidem negasse, & esse infidelibus deteriorem. Pauca sane verba, sed energetice prolata, quæ sperarem ad morum vestrorum reformationem plus esse valitura, quam sermones omnes, si velletis auditores lectissimi, serio illa meditari. Quod si hæc ajebat Apostolus de dominis parum accuratis, & vigilantibus, quid autem de illis, qui scandalo sunt servis, dixisset? Et si apostasiæ nomine redarguebat simplicem negligentiam, vel oblivionem eorum, quæ debet herus, tamquam Fidelis, domesticis suis: quo nomine illum appellasset, qui tantum abest, ut illis invigilet, eorumque studeat saluti, cujus, veluti dominus, Deo rationem est redditurus, quod ipse illos præverit, & proxima causa est reprobationis eorum. *P. Bourdalove in veris Sermonibus suis sermone* 1. *Adventus*, *qui est de scandalo.*

Quantum in re Domini scandalo præbeant servis.

Opus est, o homo nequam, ut servus, qui tibi adhæret, & nullo in discrimine habet salutem suam, dummodo tibi placeat, atque in fortunam suam aliqua ratione provehat; opus est, inquam, ipsum fieri instrumentum, & consortem iniquitatum tuarum, cum ejus opera uteris iis in rebus, quarum indignitatem reverentia nobilissimæ huic concioni, & suggestui, de quo loquor, debita memorare vetat. Abominabile scandalum, pro quo centies in te exclamare deberem: *Væ homini illi, per quem scandalum venit!* Matth. 18. Væ domino, qui causa est interitus servorum suorum! Opus est, o christiana mulier, si tamen eo in vivendi genere, quod servas, te adhuc Christianam esse profiteris, opus est, puellam hanc, quæ tibi ancillatur, virgunculam, quæ ab omni vitii suspicione abhorrebat, cum se in tuam tradidit servitutem, ex te cognoscere quæ æternum ignorare debet: opus est, illi uni explorata esse flagitia tua, & licet invitam eorum fieri participem, cum ab illa eam exigis operam, in qua ipsa scelus est obedientia? Deus illam tibi tradens in famulam, te integritatis ejusdem custodem, præsidiumque statuerat; at illa tecum suum innocentiæ florem amittit. Domus tua illi debebat esse honestatis, & sapientiæ schola, at ibi a te discit omnem abjicere verecundiam. Anima erat bene nata, & virtutibus prædita; at statim eo quod conscientiam illius infelici nexu tuæ consociare voluisti, omnia virtutis semina intermortua sunt, atque deleta. Quid respondere poteris Deo, cum illam tibi in judicio producet tuis coopertam sceleribus; cumque illam individuam suppliciorum tuorum sociam infernis ignibus torqueri videbis?

Sunt, qui putant, ut sibi melius serviatur, magnam servorum copiam requiri, quasi ut melius videres, pluribus, quam duobus oculis indigeres. Duo tantum brachia, duasque manus nobis natura largita est ad opus quodlibet perficiendum; & quamvis hi servi fideles sint, si nobis plures essent duobus, saneplures nobis essent impedimento. Hoc autem pacto nos docet nisi ab ipsa multiplex tribuitur membrorum nobis maxime inservientium numerus; neque nobis servorum numerum augendum esse, ne curas, laboremque nobismetipsis augeamus: Præterquamquod sese tradere tot domesticorum libidini, stupiditas est; illis jugiter invigilare, nimia sollicitudo; ab illis semper sibi cavere, assiduus timor; bonæ illorum fidei acquiescere ultro citroque ab aliis aliquod fieri præstolantium, simplicitas; illos vero semper urgere stimulis, adeo asperum negotium est, ut præstaret, sibimet ipsis famulari, quam hoc pretio alienam operam, ac servitutem conducere. Hinc jure in adagium abiit, nulla re ambitiosum torqueri magis, quam magno amicorum, a quibus proditur, numero, magnaque servorum, a quibus impeditur, multidine. Unde inferendum est, pauciores habere servos; prout necessitas finit, prudentiam esse; plures ob jactatam necessitatem assumere, suæ hanc infirmitatis esse ostentationem; ob jactantiam vero multo servorum satellitio stipari idem esse, ac ægrotantem imitari, qui eo quod pluribus abundat pharmacis, plurimaque habet amuleta, ut cum præ virium exininatione deficiat; aliquo solatio recreetur; se bene valentibus putat anteferendum. *Liber, cui Titulus, la Conduite du Sage dans les divers etats de la vie*.

Herus perpendere debet, quod si conditione sua

super illos extollitur, qui sibi serviunt servitutem, longe plures habet, qui supra ipsum sunt positi; etenim quatenus homo, Creatorem habet, illi obedientiam eadem necessitate debet, qua eidem suam debet essentiam; quatenus privatus, & Reipublicæ membrum, optimates habet, Principes viros, & Magistratus, quorum subest imperio; quatenus Christifidelis, Religionem habet, quæ ipsum suis legibus subjicit; ita ut non tantum cogitare debeat jus, quod habet imperandi exiguo servorum numero, quantum necessitatem pluribus obtemperandi, ut imperans superbum, ac imperiosum illud præcipiendi morem evitet, qui caracter est animæ, quæ neque imperare novit, neque obtemperare. Hoc posito herus herilem conditionem suam reputare debet, veluti statum, in quo omnes actiones suas metiri tenetur, eique persuasum esse debet, cum Deus homines ipsius potestati submittit, eos curæ, & regimini ejusdem submittere. *Idem*.

Christiana Considerationes, quas tenetur efficere dominus famulos regens.

Conditio, quæ postulat, ut ab aliis servitus vobis præstetur, postulat simul, ut vobismetipsis invigiletis; etenim cui bono cura est impendenda familiæ vestræ exterius regundæ, si affectus vestri fuerint inordinati? Quid proderit habere servos scitos, ac dociles, si desideria vestra perturbata fuerint, atque intractabilia? Si imperas, cave, ne tibi dominetur superbia, neque tantum obedientiam, quam tibi præstant alii, quantum simul tuam cogita infirmitatem, propter quam ad subditorum tuorum præsidium teneris confugere; si enim eorum servitus conditionis tuæ potestatem ostendit, ostendit quoque personæ tuæ imbecillitatem, quæ nonnisi alienis suffulta subsidiis agere potest; & æquum est, ut imperans aliis cor ipsum tuum cogites, quod fortasse sub desideriorum suorum, qui sane importuni sunt domini, tyrannide gemit. Ubi vero imperata facta fuerint, diligentius attende utrum tu id expleveris, quod tibi tua conscientia præscripsit, atque utrum ibi præstita servitute edocearis, quomodo servire debeas Deo. Plurimi mandatis tuis parent, qui scis, utrum adeo felix futurus aliquando sis, ut in altera vita perfugium ad pedes eorum invenias, qui modo tibi famulantur? Hodie supra illos elatum te vides; qui scis, utrum aliquando æternum ab illis contemnendus sis? Cum illis imperiosius agis; qui scis, utrum novissimo die, quo actiones tantum nos supra alios extollent, tibi sint insultaturi? *Idem*.

Nescio, utrum jure asserere possim, bonum familiæ ordinem ex bono servorum regimine fluere; & de qualibet familia seorsim affirmare ausim, quod olim veteri cuidam sapienti redditum fuit; qui rectum admiratus ordinem, qui in urbe quadam florebat, exclamare non cessabat, beatam illam esse civitatem, quæ eos nacta Magistratus erat, qui adeo scite eam regere noverant: falleris, ita enim responsum fuit, eam beatam potius appella, quod subditos habet, qui adeo bene imperata facere norunt. Hoc ipsum de qualibet domo singillatim affirmo: beata domus, quæ bonos habet famulos; at dominorum interest, servos efformare, ac tales efficere, qua præceptis, qua exemplis, qua bono regimine. *Liber cui titulus, Reglement des familles*.

Herus saltem Deo servire debet, ut servos sibi servire cupit.

Cum S. Chrysostomo dicamus, cum Deo qui supremus est Dominus vester saltem agite, quemadmodum servos vestros vobiscum agere cuperetis. Debet servus vester in vobis eam venerari auctoritatem, quam in ipsum obtinetis, etenim quædam est divinæ damnationis imago, & emanatio. Vos ergo multo magis tenemini supremam Dei ipsius colere auctoritatem summa cum obedientia legibus illius obtemperantes; tandem enim si imago aliquo est honore digna, quis prototypo debetur honos? Si Regis simulacrum in honore habendum est, multo magis ejus persona. Fortasse famulis vestris nonnisi aliquot fortunæ bonis præstatis, bonis vero fortunæ vel æqualis vobis est, vel fortasse superior? At Deus & natura, & divinis perfectionibus suis toto cœlo, vos, cæterasque creaturas omnes exsuperat. Servus vester non est opus vestrum; non enim illi essentiam tribuistis, & fortasse fuit, antequam essetis; Deus vero creavit vos, ac fecit, quales estis; servo modicum sane victum præbetis, eumque reliquiis tantummodo vestris alitis, & levissimam dumtaxat illi mercedem pollicemini; at Deus abunde vobis ea suppeditavit, quibus indigetis, atque infinita bona vobis in mercedem amplissimam præparavit. Vultis nihilominus servum hunc fidelem vobis servire servitutem cum zelo, & affectu, cum reverentia, & celeritate; vos autem quomodo servitis Deo, supremo illi Domino, cui omni jure, quod unquam fingi potest servitutem vestram debetis? Quomodo infelix creatura negare potest Deo, Creatori, & Universorum Domino, quod ab alio petit, qui sibi inferior non est nisi in eo, quod in homine minori est habendum in pretio, videlicet in bonis fortunæ &c. *Pater le Jeune, Tomo 2. Sermone hujus argumenti*.

Paterfamilias nisi animo sit a terrenis rebus prorsus avulso, in omnibus actionibus suis nihil inquirit aliud nisi suæ fortunæ progressum, suarumque divitiarum augmentum; quæ si unica est, vel præcipua illius cogitatio, næ ille quidem saluti suæ non invigilat, neque ad cœlestem gloriam meritum ullum acquirit. At miser famulus, qui hoc in mundo non aliud lucratur, quam satis arctam alimoniam, facile omnes actiones suas ad majorem Dei gloriam potest convertere, omniaque divinæ voluntati submittere, quæ illum in hac versari vult conditione, atque singulis diebus sexcentas illi occasiones aperit exercendæ patientiæ, mortificationis, obedientiæ, christianæ humilitatis aliarum virtutum; quæ maxime sunt utiles, & necessariæ ad acquirendam salutem, quarum quidem magis commoda, feliciorque in terris conditio occasionem, immo fortasse neque cogitationem, suggereret. *Sermo Manuscriptus*.

Servus obtemperare non debet domino aliquid contra Dei mandata præcipienti.

Servi Dominis vestris propter Deum servire debetis, sed si illis hac mente, & propter supremi hujus Domini amorem servieritis, non obedietis domino vestro aliquid contra Dei voluntatem præcipienti. Etenim ne vos fallat error, excusati non eritis, neque coram Deo carebitis culpa dicentes; verum est, malum equidem illud feci, & malum esse satis novi; sed illud facere jussus fui. Herus quidem vester æternis adjudicabitur suppliciis, quod vobis illud præceperit, vos autem, quod dicto parueritis. Itaque audacter vestram illi denegare debetis operam, atque obedientiam, in impudicitiis, in lenociniis, quæ imperat vobis, in ultione aliqua exposcenda, vel inferenda injuria. Tunc enim cum Sancto Petro debetis dicere; Justumne magis est hominibus obedire, quam Deo? Vel cum milite Israelita, cui Joab regii exercitus imperator dicebat: debebas gladio Absalonem, quem de arbore suspensum vidisti, transfodere, a me præclaram mercedem relaturus. Licet mille mihi argenti siclos, respondit ille, donares, illum gladio nequaquam transverberarem. Numquid te latet, quid Rex imperaverit? Etiam, atque etiam nobis commendavit, ut rebellis filii sanguini parceremus, quem tu quidem vita putas indignum, & qui proculdubio mortem mereretur, nisi Rex pater illius dominusque noster edixisset, ne illi violentas manus auderemus inferre. *P. le Jeune*.

Quot servos intuemur, qui pro dominis suis seipsos immolant; qui sæpe nequam fiunt, & injusti, ut illis placeant, eorumque scelera imitantur? Eheu! si pro bono id faceremus, quod pro malo ipsi faciunt, si tanto amore Deum prosequeremur, quonam interiori gaudio perfunderemur? Quid autem servos impellit, ut hoc pacto operentur? exigua sane merces, & aliquot contemptibiles minæ. Hæc merces, hæ minæ aliquid ne sunt cum gloria, quam nobis Deus pollicetur

vel

vel cum æternis cruciatibus, quos minitatur, conferendum? Solus homo dubiam incertamque facit supremam Dei dominationem illi obtemperare detrectans: *Solus homo voluntate sua libera Dei dominium reddit ambiguum.* Opus ne est, ut nostra voluntas in adeo infelicem usum convertatur? Omnes Dei servi sumus, divites, pauperes, nobiles, ignobiles hac in re omnes pares sumus; quicumque sit status noster, omnes nostrum habemus ministerium a supremo Domino nobis traditum, & beatus, qui aliquando sibi dici audiet: *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Matth. 25. *Essais de sermons; pro feria quinta post Cineres.*

Herus servos suos amare debet.

Quamvis familia quædam tot rebelles, indocilesque spiritus haberet, quot servos, si herus illis amorem suum testari noverit, eos ad officium coget, suis submittet imperiis, & humillimam quamlibet ab illis operam, quæ ex servo peti possit, obtinebit; Itaque numquam imperiosa illorum dominorum mihi arrisit sententia, qui metu servos in officio continere contendunt. Deplorabile est, S. Ambrosius inquit, herum, qui Christifidelis est, cum inhumanitate eum excipere servum & ipsum Christifidelem, qui cogitat servi conditionem nequaquam obesse, quominus per gratiam sit frater suus; ipse enim etiam indutus est JESU CHRISTO, particeps est eorumdem Sacramentorum; eumdem habet Patrem Deum; omnes sumus ejusdem corporis membra, & licet caput amplissimum locum obtineat in corpore, & ipsum etiam sese demittit, ut pedem sublevet, ubi aliquo laborat incommodo, & ex ejusdem morbo & ipsum dolore conficitur. *Auctor Anonymus.*

Dici generatim potest: 1. Operæ pretium non esse famulis nostram de ipsorum vivendi ratione diffidentiam ostendere, & minus adhuc conceptam de prava eorum vivendi ratione suspicionem aperire; quia præterquamquod cogitatio hæc eorum prosternit animum, aliquid semper in illis malæ voluntatis contra dominum ipsorum relinquit. 2. Utile est, ipsos scire, suæ vivendi rationi invigilari; neque ipsos ideo callide suos defectus, & nefaria consilia contegere posse, quominus illi quidem detegantur, hæc vero penetrentur: & ita cum persuasum illis sit omnia in apricum proferri, ac vitia eorum delitescere nequaquam posse, metus illos in officio continebit. Hanc autem curam, qua actiones eorum investigamus, nequaquam esse nostræ effectum diffidentiæ, vel malam de ipsis obortam suspicionem; etenim statim ac putant, sibi nihil superesse, quod amittere possint, & quidquid illi conentur, numquam suspicionem hanc de herili animo deleturos, sese tradunt desperationi, & reipsa in ea ruunt scelera, quorum suspicione laboraverant. 3. Liquido constat, illos non credere se amari, nisi res suas dominis cordi esse perspexerint; nisi eorum causam susceperimus, & nisi illatæ ipsis injuriæ nos pœnituerit. Justitiæ profecto interest innocentiam propugnare: at cavendum, ne omnes eorum contentiones a nobis probentur. Tempus arripiamus, quo ad examen revocare possimus, utrum jure, & injuria se læsos putent; eorum questubus aures præbeamus; at mentem nostram nequaquam præveniant contra ea, quæ aliunde nostris auribus accidere possunt. Judices potius esse debemus, quam patroni, cavendumque est, ne illos peccare nequaquam posse arbitremur: Et male cum amicis initam gratiam infringimus, ut protervi famuli insolentiæ patrocinemur. 4. Non est permittendum, ut servi injuriam inferant ulli; neque probanda est licentia, quam arrogant sibi omnibus illudendi; cumque intellexeris aliquem tuorum alicui vim fecisse, ne expectes donec qui læsus fuerit de servi tui impotentia tecum queratur; sed hunc coge, ut eat petitum veniam, & si tibi parere detrectaverit, eum læso trade; etenim simulac ipsum in iniquitate sua tueris, iniquitatis ejusdem sis particeps. Sufficiat ergo eidem patrocinari, cum penes illum jus erit; ac illi significare futurum, ut neque in innocentia meliorem te patronum, neque in injustitia severiorem te judicem inveniat. *Desumptum ex sancta familia Patris Cordier.*

Domini servos debent eligere.

Domini, ubi servos electuri sunt, debent serio perpendere, utrum ex illis insint qualitates, quæ requiruntur. Satis sollicite naturales qualitates inspicimus; sedulo inquirimus, antequam inter famulos cooptemus, utrum robusti sint, industrii, bene valentes; eorum oris, corporisque habitum exploramus, & utrum fideles, ac laboris amantes sint, percontamur. Haud sane vituperanda hæc est diligentia; verum optabilius esset, ut eorum mores, vivendique ratio quæreretur; & qua ratione vitam hactenus traduxerint, utrum sancta Religionis mysteria didicerint; utrum impii, & protervi sint, & flagitioso quopiam habitu inquinati. Persuasum enim vobis esse debet, quo meliores, ac religiosiores illi fuerint, eo vobis fideliores futuros; nisi enim Deo reddunt, quod debent, putasne tibi futuros æquiores? *Liber cui titulus: Conduite Chretienne.*

Si famuli dominis suis tamquam Deo obedire tenentur, ut S. Paulus inquit, nonne inde sequitur, debere dominos sese cum servis suis gerere, quemadmodum cum hominibus Deus? At Deus primum æternam hominum familiam suam constituentium salutem respicit; debetis ergo salutari eo uti monito, quod Apostolus tradit: 1. ad Timoth. 5. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Itaque o Domini, patresquefamilias in id unum præcipue vobis incumbendum est, ut domesticorum vestrorum æternæ salutis consulatis; vos eorum debetis esse Pastores, quemadmodum plures Sancti Patres loquuntur; curam habentes, ut Christiani hominis muneribus rite perfungantur, & in domo vestra Deo primum serviatur. *Idem.*

Quamvis Deus supra nos sit toto cœlo positus, novit tamen potestatem, quam exercet in nos ita temperare, ut nos minime obruat, nihil exigat, quod vires nostras excedat, nostramque libertatem non opprimat; sed miram habet in nos indulgentiam, nostros patitur defectus summa cum lenitate, ac patientia, nobisque facilem concedit veniam; semper suam cum nostra rem miscet; indesinenter providentiæ suæ cura, misericordiæ subsidio, & jugi benefici amoris effusione nobis invigilat. Hanc vobis ideam proponere opus est familias vestras regentibus. *Idem.*

Domini servos amare tenentur.

Cum aliquis tibi famulatur, hominem esse non cessat; semper est frater tuus, eumque teneris diligere, quemadmodum alios homines amas. Hic immo generalis amor non sufficit; quandoquidem enim servi magis tui sint, atque spectent ad te, quam homines reliqui, peculiarem eorum rationem habere debes, eosque magis, quam cæteros mortales diligere. Dicam amplius, ea dilectione eos debes complecti, quæ propius ad eum amorem accedat, quo filios tuos diligis; servi enim tui te sibi patronum, ac patrem elegerunt; parentes suos deseruerunt, ut tibi inservirent; sese in brachia tua contulerunt, receperunt in domos tuas; tu illos excepisti, ac eisdem patris loco esse dignatus es. Denique familiam tuam sunt ingressi; & præceptum idem, quo filios tuos amare, eorumque curam gerere juberis, te cogit, ut servos tuos ames, eorum curam geras, licet ordinis sint inferioris. *Idem.*

Si timeri, tibique serviri vis, serius esto cum servis tuis, neque cum illis passim sermonem institue. Illi tantum signa reverentiæ præseferent, quantum in illos tu moderationis. Ubi corripiendi sunt, memento eos jure, neque levem ob causam, & paucis, & quin eamdem semper incudem tundas ad libidinem tuam explendam, esse corripiendos. Ne indesinenter, & quæcumque sese levis etiam offerat occasio, ob nugas obmurmures, &

& quandoquidem tantum honorem affecutus es, ut domi tuæ fis divinitatis imago, ne hanc tibi injuriam inferas, ut per iracundiæ impetus leoni potius similis fias: hoc nobis consilium Scriptura suppeditat. De fervis tuis, quodcumque tibi libitum fuerit facere poteris, si tuum erga ipsos amorem testatus fueris, ac certo fcias, benevolentiam, quam illis opportune fignificaveris, aliquibus apud ipsos lenibus usus verbis, illos excitans, eorum fidem nonnumquam commendans, laboribus folatium afferens, multo majorem vim habituram, quam habear jugis querela, impetus, imprecatio, & injutiæ illæ, quibus fervi facile consuefcunt, & quæ aerem verberantes in irritum abeunt. *Idem*.

Domini fervis fuis ftipendia perfolvere tenentur.

Mutua eft obligatio: fervus quidem laborem, operamque fuam pollicitus eft, dominus vero fervo victum, atque ftipendium fe erogaturum recepit. Rectus inftituitur ordo, ut fervus, quoad ipsum pertinet munere fuo diligentiffime perfungatur; at domini, qui fuo defungi negligunt, fe reos ftatuunt criminis, quod, ut S. Jacobus Apostolus inquit, Dei iram, ultionemque provocat Qui igitur fervos habetis, fideliter illis ftipendia perfolvite, quin ipforum torqueatis patientiam. Ne aliquid ex pacta mercede imminuatis, fi quid omiferint, vel erraverint vel inconfulto, vel fortuito, non data opera, & citra quodcumque fcelus. Illis præbete, quod pro illorum victu funt neceffaria; alioquin enim omnia fibi licere furta putabunt, Ne dimittatis illos poft annum prætexentes malam eorum indolem, vel leves aliquot defectus, nifi furentur, & nefariam vitam traducant; tunc enim minime decet illos ultra domi veftræ commorari. *Idem*.

Servorum tuorum infelicitatem miferrus laborantibus fer opem, neque imiteris eos dominos, de quibus S. Bafilius loquitur, qui in fe molles funt, ac delicati, in famulos vero duri, & crudeles; quibus nullæ fufficiunt opes ad ambitionem explendam, qui neceffarium fervis victum dare detrectant, eofque enecant fame, & ægrotantes deferunt. Herus ille curam fedulam gerer equi vulnerati, quo nonnifi poft longum temporis fpatium fe uti poffe timet; fed erga miferum fervum, qui vires fuas attrivit eidem famulatus, qui & ipfe homo eft, & fecundum Dei mentem poft filios primum obtinere debet locum, fævus, & inexorabilis erit, neque ulla umquam miferatione afficietur? Hoccine eft Chriftianam Charitatem habere? *Idem*.

De bono exemplo quod domini fervis fuis præbere tenentur.

Veritas eft rerum experientia fatis probata, fervos ut plurimum tales effe, qualis dominus, cui ferviunt. Hinc inferendum eft duplici de caufa horum debere fervis fuis optimum exemplum præbere; primum quidem quatenus homines; etenim quatenus tales, in omnibus actionibus, quæ extrinfecus videntur, vel quæ ad hominum notionem pervenire poffunt ædificare tenentur; fed præter communem hanc obligationem alteram peculiarem habent quatenus domini; eorum quippe famuli ad ipforum exemplum fefe conformare confueverunt, & fibi licere putant, quidquid a dominis fieri perfpiciunt. Ceterum vero cum non tanta illis adfit cognitio, ut dignofcere poffint quid fibi imitandum, quidve fugiendum eft, fibi vitæ fyftema effingunt juxta exemplar, quod fibi verfatur ob oculis; neque aliud melius fibi imitandum proponere poffe putant, quam quod ipfis Providentia propofuiffe videtur; ita ut jure Apoftolus afferat, Dominis rationem effe reddendam Deo de fervorum fuorum moribus, ac vivendi ratione, eofque reos effe, quod malum præbentes exemplum famulos fuos nequam effecerint. Ideo eo diligentius ipfis invigilandum eft, quod cum domi fuæ minus caute fibi agendum effe putent quam in publico, facilius, atque frequentius ea fibi licere volunt, quæ fervis, qui tunc foli funt teftes, fcandalum afferunt. *Idem*.

Domeftica de fervis habenda cura incipienda eft ex neceffario monito, quod prima ftatim die, qua domum tuam ingrediuntur, vel fimulac tuæ fe addicunt fervituti, tradendum eft; ut noverint fibi minus quærendam effe mercedem quam pacifcantur, ea conditione, cum qua funt recipiendi; fciant ipfis in domo tua principem herum habendum effe Deum, fupremum univerforum Dominum, cujus fervitus cæteris quibufcumque rebus eft antefcrenda; intelligant te nihil ex ipfis petiturum, quod debito illius cultu adverfetur; ipfos vero nullam tibi gratiorem operam præftituros, quam fi Deum præ cæteris amaverint, atque timuerint; Ideo hanc tibi mentem effe, ut nullum jusjurandum, blafphemiam nullam, obfcænafque voces, aut vitium quod Deo fimul, domuique tuæ dedecus afferat, pati velis. Verbo, animum, voluntatemque tuam illis adeo explicitis verbis aperire debes, ut agnofcant, quod domum tuam ingredi, idem eft ac fcholam adire, a qua vitium quodlibet procul debet exulare. *Cambolas in libro cui titulus, Conduite de la vie Chrêtienne cap. 5. de Famulorum regimine*.

Inter Dominum, & fervum datur juftitiæ obligatio.

Quod Apoftolus inquit de fubditis erga Principes, de fervis erga dominos eft intelligendum, ita ut quemadmodum ille afferit, fubditos ex confcientia teneri (ita enim loquitur) fuo munere perfungi: *Subditi eftote, non folum propter iram, fed etiam propter confcientiam*; fervi quoque omnino fimilem contrahunt obligationem, quæ efficit, ut licet utrorumque officia fint diverfa, fit communis obligatio. Itaque quemadmodum injuftus eft fervus, cum illis obtemperare detrectat, quibus jus eft eidem imperandi, cum per negligentiam ipfius eorum bona difpereunt, vel cum credito fibi munere non perfungitur; hoc ipfum dicendum eft de domino ftipendia vel mercedem famuli detrectante, vel nullam infirmitatis, nullam valetudinis eorum rationem habente, vel eos laboribus opprimente, vel illis injuriam afferente cum illatum fupplicium nequaquam merentur, Hoc duobus verbis Apoftolus *ad Ephef. 6.* docet *Et vos Domini eadem facite illis*: & ad Coloff. 4. *Domini, quod juftum eft, & æquum fervis præftate*. Non ait Apoftolus eadem fervis effe præftanda, quæ ab ipfis Domini recipiunt, officia; hoc enim everteret fubordinationem, quam inftituit Deus, & utrofque fimul exæquaret; verum ait, quemadmodum æquum eft, ut quatenus fervi, famulentur, obtemperent, & ea curent, quæ ad dominos pertinent; ita æquum pariter effe, ut domini alternis ea adimpleant omnia, quæ fervis fe præftituros polliciti funt. Hic contractus eft, quo uterque fefe mutuo obligant; alter quidem fpondet fe domino operam, atque obedientiam, quam officii, ac muneris fui ratio pofcit præftiturum; alter vero promittit fe famulo fuo victum erogaturum, ejufque vitæ, ac valetudinis rationem habiturum; unde quoddam Jus oritur utrinque, quod juftam obligationem conftituit, quæ prætermitti non poteft fine apertiffima injuftitia, & quin vulnus confcientiæ inferatur. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Chriftiana argumenta, Dominic. Tomo 3. Dominica poft Epiphaniam*.

De illis, qui cum inhumanitate fuos fervos excipiunt.

Si ea in injuftitia, qua fervos tuos opprimis, homines jus illud negligunt quod impune violas, cogitare debes adeffe judicem ferius, ocyus rationem expetiturum: *Alorum & vefter dominus eft in cælis*; ad Ephef. 6. Hic fortaffe prohibere potes, ne de illatis conquerantur injuriis; os illis obftruere potes minis, & metu gravioris fupplicii, at prohibere minime potes, ne fecretas eorum querelas Deus audiat, ut olim populi fui fub Pharaonis tyrannide gementis clamores exaudiit: *Ingemifcentes filii Ifrael propter opera vociferati funt, afcenditque clamor eorum ad Deum ab operibus*. Exod. 2. Efto quidem non audeant queri, & in apertum murmur erumpere, vox oppreffionis, qua torquentur, nonne ad Dei ufque thronum afcendit? *Idem*.

Si

Si eam intuemur rationem, qua, o homines sæculi, vestros servos excipitis, nonne jure dicere licet, vos illis æquam præbere causam deflendi conditionis suæ infelicitatem, qua subjecti fuere domino imperioso, impotenti, sævo, non ferendo, qui sexcenta simul præcipit, sæpe etiam importune, & quæ omnia facta citius vellet, quam imperata? Eheu! cogitate dignitatis fortunæque discrimen, quod inter utrosque accidit, minime prohibiturum, quominus aliquando vobis dicat Deus, ut servo illi nequam, de quo loquitur Evangelium Matth. 18. *Nonne oportuit, & te misereri conservi tui?* Miser, nonne duci debebas misericordia erga fratrem tuum, eumque cum humanitate excipere, quandoquidem homo erat, qualis tu, & fortasse major, atque nobilior quam tu in oculis meis? *Idem.*

Quidnam accidit servo, cujus curam non geris? & quid ab eo ita neglecto expectandum est tibi? Fateberis non invitus, servum hunc, quin tibi utilis fiat, plurimum e contra domi tuæ excidio conferre. Te monuit Sapiens, cum ait, qui nimia cum servo utitur negligentia, eumque inertem, ignavamque vitam ducere patitur, hunc quam primum pravam illius indolem experturum, eumque rebellem inveniri, ubi ad officium revocabitur: Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, *postea sentiet eum contumacem*. Prov. 29. Similiter dicendum est illum vitiosum futurum, nisi maturato ejus licentiam, in quam abire cognoscis, coerceas; se plurimis mancipaturum flagitiis, nisi illum corrigas; omnem Dei metum, omnemque serviendi eidem curam abjecturum, nisi vigilaveris attentius, ut non oscitanter veri Christifidelis muneribus perfungatur; verbo, futurum servum nequam, si tu erga ipsum nequam herus fueris vel propter noxiam indulgentiam, qua ipsum ingenio suo rapi permittis. *Idem.*

Dominorum interest servos habere bonos, & frugi.

Ne cogitatis quidem, o Domini, patresque familias, cum domesticos vestros negligitis; vestra agitur existimatio: de domino enim ex servis ejus judicium fertur, neque credi potest vir bonus, qui servos habet flagitiosos; & profecto hæc prima est cogitatio, quæ mentem subeat. Et sane existimari potest herus servis suis non deterior, cum eos æquo animo ferre videtur? Si sint insolentes, numquid male judicat, qui domini sui exemplum sequi arbitratur? Si impii, blasphemi, sacrorum contemptores, nonne dici assolet, qualis dominus, talis famulus? Tibi eorum vitia imputantur, non enim ambigitur, quo minus ad exemplum tuum illi sese conformaverint. Et vere non vulgare miraculum esset, si boni essent servientes domino, qui numquam fuit bonus. Itaque nulla re magis tuam lædere existimationem potes, & personæ tuæ, vivendi rationis, morumque tuorum nequiorem apud homines conceptum efficere, quam servorum tuorum nequitia. E contra vero omnes æquissimum de recto tuæ domus ordine, probitate, ac moderatione tua, iisque omnibus, quæ honestum hominem constituunt judicium ferent, ubi viderint eos, qui ad te pertinent, ac tibi propius assident, frugi esse, & bonam vitam ducere. *Idem.*


Hoc omissionis peccatum est in familiarum regimine adeo frequens. Servos habetis; Christiani sunt, & vix norunt, quid sibi velit Christianum esse. Ad Pœnitentiæ tribunal accedunt, & vix intelligunt, quid sit pœnitentia. Ad Sacramenta recipienda se conferunt, ibique sacrilegia committunt. Eosne sua excusat inscitia? Haud ita profecto; sed vos minus excusat: si enim edoceri tenentur, vos tenemini efficere, ut edoceantur, & ob id quodammodo illos vobis subesse vult Deus. Quæritisne, quo mittendi sunt, ut salutis elementis imbuantur; ne quæso molestum sit vobis, quod respondebo. Quo, inquitis, mittendi sunt? at ego inquio cur ad alios mittendi sunt, quam ad vos ipsos, quandoquidem illos vobis Deus commendavit? Putabitisne vos affici ignominia ipso Apostolorum officio apud eos perfungentes? Verum ad quos confugiendum erit, si curam hanc detrectatis? ad tot Ecclesiæ Ministros, qui se beatos putabunt, cum in adeo sanctum ministerium eligentur? Dicere ausim? Ad ipsum me. Utique ad meipsum, qui mihi gloriæ vertam, has animas JESU CHRISTI sanguine redemptas excolere. Alii vacabunt, ut vosipsos regant, neque deerunt plurimi; hos vero pauperes, qui Deo æque accepti sunt, ac quidquid in mundo est, ipse ego recipiam. Eorum tunc ero concionator, quomodo nunc vester sum, vobis relinquam imperandi eis facultatem, mihique assumam onus, vel potius honorem eis supremi Domini voluntatem aperiendi. *Pater Bourdalove, tomo secundo Quadragesima Sermone de spirituali Cæcitate.*

Servis faciles adsunt suæ salutis operandæ occasiones.

Servi sæpe de ea conqueruntur servitute, quam serviunt, tamquam suæ salutis obstaculo; at falluntur; vita obscura, egena, laboriosa, abjectaque in oculis hominum a fidelibus semper habita fuit tamquam tutissima ad Cœlum via. Qui nati sunt Domini in extremis terrarum oris, atque inter claustra inquirunt, quod pauper domi suæ habet; videlicet jugem submissionem, molestamque mortificationis, & patientiæ exercitationem, quæ ubi opportune impendantur, eorum, qui maxima Sanctitatis laude florent, felicitatem constituunt. At enim quid illi pati non debent ex procaci dominorum inhumanorum ingenio, & eorum, quibus jus est illis imperandi, sævitia? Verum quidem est; gravis est eorum conditio; at nonne obedientia, atque patientia sua sibi ad Cœlum aperiunt viam? *P. Croiset in spiritualibus Considerat.*

Servus meminisse debet, se servientem hero suo servire Deo; neque oblivisci herus debet, se ea sanctificari cura, & charitate, quam habet erga proximum suum: uterque in sui status officiis Deum sibi semper ob oculos proponere debent. Dici potest, Dominus plurimum ad servi sui sanctitatem conferre posse, & servus quoque heri sui perfectioni non inutilis esse: mutuis certant officiis, & reciprocis juvantur utilitatibus. *Idem.*

FINIS TOMI PRIMI.



Digitized by Google